
BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
X
E
6
NAPOLI

FRANCESCO
ARMANO
TEL. 22649

Digitized by Google



TOMVS SE-CVNDVS OMNIVM OPERVM

Reuerendi Patris, viri Dei, D. Mart. Luth. quæ edidit ab anni viceſimi parte quadam vſque ad annum viceſimum quartum, quorum Catalogum folio ſequenti inuenies.

JENÆ

Excudebat Tobias Steinman, ANNO M. D. C.

Digitized by Google

EFFIGIES
ILLVSTRISSIMORVM
PRINCIPVM ET DOMINORVM, D. IOHANNIS FRIDERICI II. D. IOHANNIS VVILHELMI, ET D. IOHANNIS FRIDERICI III. Ducum Saxoniæ, Landgraviorum Turingiæ, Marchionum Miſniæ &c.



Digitized by Google

Pſalm.119.

Super inimicos meos prudentem me feciſti Mandato tuo, quia in æternum mihi eſt.

Super omnes docentes me intellexi, quia teſtimonia tua, Meditatio mea eſt.

Pſalm. 116.

Credidi propter quod locutus ſum, Ego autem humiliatus ſum nimis.

Pſalm. 145.

Prope eſt Dominus omnibus inuocantibus eum, omnibus inuocantibus eum in veritate.

Voluntatem timentium ſe facit, & deprecationem eorum exaudit, & ſaluos facit eos.

Iohan. 12.

Ambulate dum lucem habetis, vt non vos tenebræ comprehendant, Et qui ambulat in tenebris, neſcit quò vadit. Dum lucem habetis, credite in lucem, vt Filij lucis ſitis.

Daniel. 8.

Et poſt regnum eorum, cum creuerint iniquitates, conſurget Rex impudens facie, & intelligens Propoſitiones, & roborabitur fortitudo eius, ſed non in viribus ſuis, & ſupra quam credi poteſt, vniuerſa vaſtabit, & proſperabitur, & faciet. Et interficiet robuſtos & populum Sanctorum ſecundum voluntatem ſuam, & dirigetur dolus in manu eius, & cor ſuum magnificabit, in copia rerum omnium occidet plurimos: & contra Principem Principum conſurget, & ſine manu conteretur.

2. Theſſ. 2.

Ne quis vos ſeducat vllo modo, quoniam niſi venerit defectio primum, & reuelatus fuerit Homo peccati, Filius perditionis &c. Et tunc reuelabitur ille Iniquus, quem Dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui, & deſtruet apparitione Aduentus ſui.

De hac reuelatione Antichriſti vide infra folio 357. a. & c.

Lucæ 3.

Veniet fortior me, &c. cuius ventilabrum in manu eius, & purgabit Aream ſuam, & congregabit Triticum in Horreum ſuum, paleas autem comburet igni inextinguibili.

CATALOGVS ET

OPERVM ET EORVNDEM PRAECIPVARVM PARTIVM, D. M. L.

Quæ in hoc ſecundo Tomo continentur.

REVERENDI PATRIS D. M. L. PIÆ DOCTÆ OPERATIONES IN XXII.

Pſalmos priores, quos cœpit enarrare anno M. D. XIX. menſe Martio, deſijt anno XXI. VVormatiam profectus. Circiter menſem Iulium in ſuo Pathmo compleuit, quod reliquerat in Pſalmum XXII.

I.	fol. 1. a.
II.	fol. 8. a.
III.	18. b.
Sela fol. 22. fol. 33. fol. 36. b. item 124.	
IIII.	27. a.
V.	38. a.
De ſpe & deſperatione.	51. a.
De nomine Tetragrammaton.	61. a.
Expoſitio duorum verſuum *Gloria Patri &c.*	66. b.
VI.	67. a.
VII.	75. a.
VIII.	86. b.
De ſuperſtitione & libertate Chriſtiana.	99. b.
IX.	100. a.
X.	115. b.
XI.	126. b.
XII.	135. a.
XIII.	139. a.
XIIII.	142. a.
De fide & bonis operibus.	143. a.
XV.	157. b.
XVI.	163. a.
Confeſſio Lutheri.	166. b.
XVII.	172. b.
XVIII.	182. b.
XIX.	203. a.
XX.	214. b.
XXI.	220. a.
XXII.	226. a.
De ſummis deſperationum gradibus.	234. a.
Quatuor modi bene & male vtentium paſſione Chriſti.	239. b.

AN.

ANNVS CHRISTI M. D. XX.

D. M. L. Oblatio ſiue Proteſtatio. 255.a.
Exemplum reſponſionis ſcriptæ à Duce Saxoniæ Electore, Friderico, ad Valentinum à Deutleben eo tempore Romæ agentem. 255.b.
Leo Papa X. Friderico Saxoniæ Duci, Romani imperij Electori, 8. Iulij anno XX. 256.b.
Appellatio F.M.L. à Pontifice Leone X. ad Concilium, ex Tomo I. repetita & hoc loco Appendice aucta. 257.b.
De Captiuitate Babylonica Eccleſiæ Doct. Mart. Luth, præludium. 259.a.
De numero Sacramentorum. 260.b.
Cap. VI. Iohannis loquitur de ſpirituali, non ſacramentali manducatione. ibidem.
De cœna Domini. 261.a.
De Sacramento Altaris. 264.b.
De Sacramento Baptiſmi. 270.a.
De Sacramento Pœnitentiæ. 276 b.
De Confirmatione. 278.b.
De Matrimonio. 279.a.
De Ordine. 281.b.
De Sacramento extremæ vnctionis. 284.a.
Aduerſus execrabilem Antichriſti Bullam. 286 b.
Aſſertio omnium Articulorum Martini Lutheri per Bullam Leonis X. damnatorum, Cum Epiſtola ad Fabianum Felicem. 292.a.
Hæreticos comburere. 309.b.
Axiomata D. Eraſmi Reterodami pro cauſa Martini Lutheri Theologi Coloniæ ex tempore ſcripta. 314.a.
Breuis commemoratio rerum, Coloniæ Agrippinæ in Vbijs geſtarum, in cauſa Lutheri. ibidem b.
Reſponſum Friderici Ducis Saxoniæ Electoris datum Marino Caracciolo & Hieronymo Aleandro legatis Rom. Pontificis. 315.a.
Quare Pontificis Romani & diſcipulorum eius libri à D. M. L. combuſti ſint. 316.b.
Exuſtionis Antichriſtianarum Decretalium acta X. Decemb. anno XX. 320.a.

ANNVS CHRISTI M. D. XXI.

Enarrationes Epiſtolarum & Euangeliorum (quas Poſtillas vocant) D.M.L. cum Epiſtola ad Fridericum Electorem &c. 321,a.
De myſterijs Iohannis Baptiſtæ & Chriſti. 347 b.

Ad Librum eximij Magiſtri noſtri M. Ambroſij Catharini &c. Reſponſio D. M. L. cum expoſita viſione Danielis 8. de Antichriſto ad VVencelaum Lincum 1. Aprilis anno XXI. iuxta primam editionem. 350.a. 357.a
Quibus ſignis Eccleſia cognoſcatur. 356.b.
Rationis Latomianæ pro incendiarijs Louanienſis Scholæ Sophiſtis redditæ Lutherana Confutatio ad D. Iuſtum Ionam. 379.a.
Imperatoris Caroli V. literæ ad D. M. L. quibus ad Comitia VVormatienſia vocatus eſt. 411.b.
Acta Reuerendi Patris D. M. L. coram S. Cæſarea Maieſtate, Principibus, Electoribus & Imperij ordinibus in Comitijs VVormatienſib. ibidem
D. M. L. Reſponſio extemporaria ad Articulos ex Captiuitate Babylonica à Sophiſtis excerptos & damnatos &c. 417.a.
Determinatio Theologicæ Facultatis Pariſienſis ſuper doctrina Lutherana &c. 419.a.
Aduerſus furioſum Decretum Pariſienſium Theologaſtrorum Philip. Melanthonis pro Luthero Apologia. 427.a.
Ludus Lutheri à ſtolida & ſacrilega Sorbona damnati. 433.a.
Contra Papiſticas leges, Sacerdotibus prohibentes matrimonium, Apologia Bartholomæi Bernardi Paſtoris Kembergenſis. 438.b.
Alia Defenſio eiuſdem ad Fridericum ducem Saxoniæ. 440.b.
De abroganda Miſſa priuata Martini Lutheri ſententia, ſcripta ſub finem anni XXI. Impreſſa vero menſe Ianuario anno M. D. XXII. 441.a.
Epiſtola notabiliſſimi viri Iohannis Eccij &c. ad Iacobum Hoſtraten. 468.a b.
Inſinuatio Bullæ Pontificiæ per Eccium ad Scholam VVittembergen. 469. (a.b.)
Eiuſdem Bullæ publicatio per Epiſcopum Friſingenſ. 469.b.

ANNVS CHRISTI
M. D. XXII.

Synodi Auguſtinianorum de libertate Monachorum ſententia. 470.b.
Deliberatio habita de abrogatione Miſſarum inter illuſtriſſimum Principem Fridericum Ducem Saxoniæ Electorem, & Academiam VVittemberg. 471.a.
Inſtructio, quid dilectus noſter & fidelis Chriſtianus Beier &c. 473.b.
Informatio & Deliberatio delectorum ab vniuerſitate &c. 474.b.
De votis Monaſticis D. M. L. iudicium &c. cum Præfatione ad Patrem Iohannem Lutherum. 477.b. 479.b.
Epiſtola D. M. L. in qua reditum ſuum ex Pathmo excuſat Duci Friderico Electori. 515.a.
Contra Henricum Regem Angliæ Martinus Lutherus cum Epiſto-

Epiſtola eiuſdem ad generoſum Comitem D. Sebaſtianum Schlick. 516.b.518.a.
Sermo de S. Antonio Heremita D. Doctoris Martini Lutheri, in quo omnium Sanctorum exempla, quæ vtiliora ſunt, facilime deprehendes. 534.a.
Ad pium Lectorem. 536.a.

Breuia quatuor Adriani Papæ VI.

I. Ad Fridericum Electorem. 541.a.
II. Ad Ordines Imperij. 536.b.
III. Ad Senatum Bambergen. 538.b.
IIII. Ad Fridericum Electorem Saxoniæ &c. 541.a.

ANNVS CHRISTI M. D. XXIII.

Martinus Lutherus omnibus Chriſtianis Lectoribus. 540.a.
De inſtituendis miniſtris Eccleſiæ, cum Epiſtola ad Senatum Pragenſem. 545.a
Formula Miſſæ & communionis pro Eccleſia VVittembergenſi, ad Nicolaum Hauſman. 556.a
Exemplum Theologiæ & doctrinæ Papiſticæ. 561.a.
Aduerſus armatum virum Cocleum, Martinus Luherus, ad Vilheilum Neſenum. 567.a.
Clemens Papa VII. ad Fridericum Electorem. 571.b.

F. MARTINVS LV- THERVS THEOLOGIAE STV- DIOSIS SALVTEM.

SCIO non defuturos, optimi Theologi, qui arrogantiæ, tum, iam inueterati criminis vanæ gloriæ, me accuſent, quod hoc florentiſſimo ſeculo ego in publicum prodeo. Et ita prodeo, vt librorum ſacræ Scripturæ facile nobiliſſimorum & difficilimorum me tractatorem oſtentem. Nempe Pſalterij & Epiſtolarum Paulinarum, Præſertim cum apud eruditos infantiſſimus, apud alios Apoſtata, & diſceſſor à receptis aliquot annorum Gloſis inueniar. Verum credat, qui volet, & me malle in angulo meo ſuſurrare, quam lingua per Regiones vagari, Optime mihi conſcius ſum, & ignorantiæ, & vitæ meæ peſſimæ. Creditum eſt, me in hoc ſeruite Deo, ſeruire cum multis, tum præcipue vobis. Ego hoc video, non eſſe Theologum, qui magna ſciat & multa doceat, ſed qui ſanctè & Theologicè viuat. A qua vita quò ſum alienior, eò magis mihi diſplicet mea Profeſſio.

Quare vos per communem noſtram Theologiam oro (criminentur qui me volent, & quibus nominibus volent, quando eò mihi res venerit, vel grauioribus intenro, vt mihi gloria infamia, diuitiæ paupertas, aut ſi quid homo homini præſtare nocereuè poteſt, inter vulgares tentationes numerentur, hoc vos agite, & , vbi vere vrgeor) pro me orate, hoc eſt, vt Chriſto Chriſtianum exhibere poſſim, & Sanctorum nomen eius in me ſanctificare. Valete in Chriſto &c.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI ET DOMINO D. FRIDERICO SACRI ROM. IMP. ARCHIMARSCALCHO, ELECTORI SAXONIAE Duci, Marchioni Miſniæ, Landgravio Thuringiæ, Patrono ſuo clementiſsimo

F. Martinus Lutherus
Salutem D.

PRVdenter & recte facere videntur, qui ſua ſtudia & ingenij monumenta magnatibus nuncupant & dicant, hac nimirum arte, opuſculis ſuis & autoritatem, & aduerſus ſiniſtrum fatum (quod ijs maxime inuiſum eſt) præſidium parantes, quando ita res mortalium ferme habent, quod vt quæque ſunt optima, ita inuidiæ & maleuolorum Erynni maxime ſunt obnoxia: Quo fit, vt bonæ literæ & omnino ea, quæ ingenio & eruditione conſtant, cū ſint ſine controuerſia, optima & optimo ac peculiari officio hominis digna, non parum indigeant Mecœnatibus & Auguſtis ſuis, tum &

Vlyſſibus, qui Therſitas iſtos ſceptro percutiant eburneo. Quibusdam & hæc nuncupandi ratio eſt, vt nominis æternitate donent, famaq́; celebrent eos, ad quos ſcribunt: hoc ſimul ſpectantes, quo poſteros eiusdem virtutis animent, exacuentq́; exemplo, quod laudant. Nonnullis ſcopus is eſt, vt gratificentur, & vtcunq; vicem rependant beneficij, teſtatumq́; relinquant gratum animum ijs, à quibus ſunt bene accepti.

Mihi vero Illuſtriſſime Princeps, nulla harum rationum ſuppetit. Primum, quod non ignorem talia non eſſe, quæ molior, vt Patronum mereantur, & in hac parte non infeliciter habeo, quod hanc ſaltem inſcitiam meam non ignoro. Quod ſi maxime præſtare poſſem, quod nuncupatione dignum eſſet, neq; ſic anxius eſſe vellem, quo Patrono ſeruaretur. Quin poſtquam è ſacris literis didici, quam ſit res terrore & periculis plena, in Eccleſia Dei ſonare, & in eorum medio loqui, quos ſcias in nouiſſimo iudicij die iudices tuos futuros (nam hos præſentes calumniatores non ita metuo) atq; præſente inſpectore omnium Deo, ſpectantibus angelis, videntibus & audientibus cunctis creaturis, & ad verbum Dei aures arrigentibus (ſic enim eſt fas credere, omnia reuereri verbum Dei, per quod facta ſunt, præter hominem & diabolum, qui per ingratitudinem obſurduerant) Nihil profecto magis optarim, quam ſilentium, tum omnibus, quæ vnquam effutiui, ſpongiam. Durum eſt & horrendum, Deo reddere rationem de omni otioſo verbo. Neq; enim me in officio verbi retinet, niſi aliena imo diuinæ voluntatis obedientia, mea voluntate, ſicut ſemper abhorrui, ita nunquam in hanc vſq; horam acceſſi.

Deinde quæ fama, quæ laus, quæ nominis æternitas, ex me ſperari poſſit Illuſtriſſ. D. tuæ? cum tuis Princeps ſis, qui, cum cæteris vere Principis dotibus, tum eximio literarum literatorumq́; amore, tantum tibi nominis & gloriç paratis, vt non etiam Appion tibi, ſed Appioni, & omnibus, qui te celebrent, nominis immortalitatem ſis daturus. Quis ignorat Principem Fridericum in prouehendis literis exemplum factum cunctis Principibus? Græcatur & hebraicatur, ſat feliciter Vuittemb. tua, Artes liberales benigniore quam hactenus Minerua docentur, Syncera Chriſti Theologia triumphat, opinionibus & quæſtionibus hominum, prope nihil neq; opinantibus neq; quærentibus. Hæc omnia florent tuis auſpicijs, ſumptibus, præſidijs. Vtinam Eccleſiaſtici Magnates, quos harum rerum exempla maxime præſtare oportebat laicis Principibus, ſaltem laicorum exempla, imitarentur: ſcilicet, adeo infeliciter ceſſit opulentia & potentatus Eccleſiæ.

Iam vero, quid gratificer tuis in me ampliſſimis beneficijs, quæ omnia in nihil merentem collocaſti? Tuis impenſis capiti meo inſano impoſitum eſt inſigne illud oſtentationis meæ, cuius me pudet, & tamen geſtari oportet, ita volentibus ijs, quibus me audire par eſt. Sed quantis & illud monſtrum meum, quod ex Indulgentijs mihi natum eſt, curis, officijs, ſumptibus, deniq; & periculis conſtitit D. tuæ? Scit vniuerſa tua Ditio, longe maiorem Principi pro me ſolicitudinem, quam mihi ipſi fuiſſe. Ego, pro mea temeritate, aleam ieci, extrema ſemper tentare & expectare paratus: Nam & hac occaſione fore ſperabam, vt docendis alijs ſubmotus, angulum mihi inuenirem, deſerto, quod odiebam, publico: Sed perſtitit tuæ Celſitudinis officium, & cum ego cuperem pati, quæ illi ardebant inferre, neutris ceſſit, quod cupitum eſt: Sed nondum finis, placet tamen iterum euentus iſte, vel hoc nomine, quod nulli Chriſtiano non debeat eſſe

moleſtiſſi-

moleſtiſſimum, tantum in Eccleſia Chriſti, quorundam audere impudentiam, vt ſub nomine venerabilis poteſtatis Eccleſiæ, ſuis fœdis cupiditatibus præſumant ſucceſſum. Et quò quis Pontificum eſt clementior, melior, eruditior, eò iſti impij impoſtores maiora ſibi pollicentur portenta, ſub eius Titulo promouenda. Nam quod manifeſtis mendacijs, in hac vna leuicula cauſa, ſacrum Leonis X. nomen, ad terrendum vnum fraterculum, diraſq́; ſuas Tyrannides ſtabiliendas, prophanarunt, conſpurcaruntq́ue?

Quanquam, nec hoc adeo mirum eſt, ſi ſunt, qui nomen ſummi Pontificis proſtituunt, & in vanum aſſumunt, fecerunt idem eorum Patriarchæ, falſi Prophetæ, Pſeudoapoſtoli, Pſeudochriſti, qui etiam ſanctum nomen Dei & Chriſti ſuis mendacijs ſeruire coegerunt. itaq; mira Dei dignatione, & ſeruatus eſt puriſſimus honor Rom: Eccleſiæ & reuerentia ſummi Pontificis cuſtodita eſt. Sycophantis tantum belle & feliciter contraitum eſt, vt aliquando diſcerent, Deum adhuc viuere & regnare, qui illuſores deludat. Hinc inquam Deus & Dominus noſter Ieſus Chriſtus, cuius ſolius ſunt omnia, quæ in te Illuſtriſſime Prin: admiramur, eadem agnoſcat, augeat, & ſeruet in æternum. Sic orationem pro gratiarum actione perſoluo, quando aliud non poſſum.

Proinde, quod has meas operationes, quales quales ſint, operationes certe ſunt (nam interpretationes, aut commentaria non audebam dicere, conſcius mihi meæ ſuppellectilis) Illuſtriſſimæ T. D. nomine edere voluerim, nulla fuit cauſa quam meus amor. Compertum enim habeo, quam pure & caſte deamet cor tuum ſacras Literas, & cor meum (vt Deboræ verbis vtar) hos Principes diligat. Et cur non recitem, quod hic cogito, amoris mei huius argumentum, vt videant ij, qui ſacrarũ literarum titulo iactitantur, quantum diſtet Hypocrita à vero Theologo? Retulit olim optimus ac vere mihi in Chriſto Reuerendus Pater meus Ioan. Stupicius, cum apud T. D. conuerſaretur, incidiſſe aliquando ſermonem de ijs, qui ad populum declamant, tum quæ ex iudicij tui mira acrimonia, te dixiſſe, Conciones illas, quæ argutijs & traditionibus hominum conſtant, mire frigere, ac ad perſuadendum in rebus noſtris elumbes & enitatas eſſe, quando nihil poteſt tam acutum adduci, quod non rurſus alia argutia poſſit conuelli. Scripturam vero ſanctam vnam eſſe, quæ tanta maieſtate & energia, etiam citra noſtram operam, ſonet, vt captis conſumptiſq́ue mox omnibus machinis diſceptationis, vrgeat & cogat dicere: Nunquam ſic locutus eſt homo. Hic digitus Dei eſt, non enim docet ac Scribæ & Phariſæi, ſed ſicut poteſtatem habens.

In quam ſententiam, cum ille non libenter pedibus iuiſſet, & commendaſſet, tum te porrecta manu manum illius poſtulaſſe, & dixiſſe: ſtipulare mihi quæſo, ita perpetuo te ſenſurum. Obſecro, an non hæc vox & ſententia vel ſanctiſſimum & ſummum Pontificem deceret? eoque magis, quo non voce tantum, ſed affectu quoque cordis prolata perſpicuo cognoſcitur? Quid? an nondum videmus, qui ſint veri Theologi? pudeat tandem Theologos & iuriſtas, eos maxime, quibus ſacræ literæ pene ridiculum ſunt, & qui conſarcinatis infinitis gloſis, peſtilenter palpant ijs, quicquid dixerint, verbum Dei videre velint (ſicut & diuus Hieronymus conqueritur) quaſi Chriſtus ad Petrum dixerit, iube aut præcipe, aut doce, ac non potius, paſce oues meas, hoc eſt, illud trade, quo paſcantur: Paſcuntur autem ſolo verbo Dei, non opinionibus aut traditionibus hominum. Porro quam vere dixeris, nihil poſſe tam argute proponi, quod non rurſus poſſit retundi, miſerum

illud

illud piſtrinum abunde docet, in quo Scotiſtæ, Thomiſtæ, Albertiſtæ, Moderni, & ſinguli in ſuas quoque ſectas diuiſi, tempus perdunt.

*H*ac fateor Hiſtoria iucundiſſima, Illuſtriſs. Princeps, ſum totus in amorem tui raptus. Neſcio enim qui fiat, vt quoſcunq; ſacrarum Literarum amantes audio, non poſſim non diligere, rurſum peruerſores & contemptores earum, non odiſſe, ita vt in vtranq; partem amoris impatientia, ſim nimio vehemens, & vt amici illi mei criminantur, mordax, & vane glorioſus. Sed criminentur me, vt volent, nomina mihi poſſunt vel mala vel bona imponere, ſiue primæ ſiue ſecundæ, aut etiam tertiæ intentionis, imo impoſitionis, ne quid peccem in Dialectica eorum) rem ipſam Theologiæ nunquam auferent, nec amorem illius extinguent Chriſto propitio. Scio quid mihi fecerit ſcholaſtica Theologia, Scio rurſum, quid ei debeam, gaudeo me erutum, & gratias ago Chriſto Domino meo. Non eſt quod me doceant eam, noui eam, nec quod concilient mihi eam, nolo eam.

Patere ergo Illuſtriſſime Princeps, & hoc meo dones amori, rogo, quod hunc Libellum ſub tuæ D. Titulo emittere volui. Iam ſecundo in Vuittemberga tua Pſalterium profiteor, vrgentibus & exigentibus optimis auditoribus, quibus debitorem me eſſe non poſſum negare: Verum ita profiteor, vt nolim ab vllo id de me præſumi, quod nullus adhuc præſtare potuit ſanctiſſimorum & doctiſſimorum Patrum, id eſt, Pſalterium in omnibus legitimo ſenſu ſuo intelligere & docere. Sat eſt aliquot & eoſdem ex parte intellexiſſe. Multa ſibi reſeruat Spiritus, quo nos ſemper diſcipulos habeat, multa ſolum oſtendit vt alliciat, multa tradit vt afficiat, & (vt beatus Auguſtinus præclare dixit) nullus vnquam ita locutus eſt, vt ab omnibus in omnibus intelligeretur, multo magis ipſe Spiritus ſanctus ſolus omnium ſuorum verborum intelligentiam habet. Quocirca ingenue confiteri me oportet, me ignorare, legitimam habeam nec ne intelligentiam Pſalmorum, etſi veram eſſe non dubitem, quam trado. Nam & omnia, quæ B. Auguſtinus, Hieronymus, Athanaſius, Hilarius, Caſſiodorus, & alij ſuper Pſalterium contulerunt, veriſſima ſunt, ſed à ſenſu literæ quandoq; remotiſſima, & mea quoq; ſecunda hæc profeſſio, à prima longe lateq; diuerſa eſt, nec eſt liber in Biblijs, qui me diligentius exercitarit, donec in eam ſententiam venerim, oportere nullius interpretationem, modo pia ſit, reijcere, niſi talionis lege rurſum quis optet reijci. Defecit ille in aliquibus, tu in pluribus, nonnulla video, non viſa beato Auguſtino, rurſum multa viſuros ſcio, quæ ipſe non video.

Quid ergo reliquum eſt niſi vt mutuum iuuemus, labentibus tanquam & ipſi vel lapſi vel lapſuri ignoſcamus? Ne illi hominum generi longe teterrimo & fœdiſſimo accenſeamur, qui, ipſi cum fere nihil poſſint non reprehendendum efficere, ſi quem illuſtriorem vel flocco, ceu rhamnus, apprehendere poſſint, mox Pompeianos triumphos ſperant. Scio eſſe impudentiſſimæ temeritatis eum, qui audeat profiteri vnum librum Scripturæ à ſe in omnibus partibus intellectum? Quin quis audeat præſumere vnum Pſalmum rotunde ab illo intellectum? Vita noſtra initium & profectus eſt, non conſummatio, ille melior, qui ad ſpiritum propius acceſſerit. Si attigero Lunam, non mox & Solem apprehendiſſe arbitrabor, ſed nec Stellas minores faſtidiam. Sunt gradus in viuendo & agendo, cur nõ & in intelligendo? Apoſtolus transformari nos dicit de charitate in charitatem. Et, vt dicam quod res eſt, tantum illis ſeruio, qui hæc ignorant & volunt, tum id ſaltem præſtitiſſe iuuabit,

bit,quod melioribus ſtudijs & me & auditores meos interim occuparim, quam ſi ſuper Libros Sententiarum nouas tenebras & ranas & muſcas creaſſem.

Eſt autem is Liber meo iudicio,diuerſo ab alijs libris argumento, in cæteris enim docemur,& verbo & exemplo,quid agendum ſit, Hic non modo docet,ſed & modum & vſum tradit,quo verbum impleamus, & exemplum imitemur. Non enim noſtræ opis eſt legem Dei implere, aut Chriſtum imitari, ſed orare & deſiderare, vt faciamus & imitemur, vbi vero impetrauimus,laudare & gratias agere. At quid aliud Pſalterium eſt, quàm oratio & laus Dei,hoc eſt,Liber hymnorum? Itaque optimus ſpiritus Dei,pupillorum Pater & infantium magiſter cum videat nos neſcire,quid aut quomodo orare oporteat,vt Apoſtolus dicit,adiuturus infirmitates noſtras,more Pædagogorum,qui pueris concipiunt Epiſtolas vel oratiunculas,quas ad Parentes ſcribant,Ita nobis & verba & affectus præparat hoc libro, quibus Patrem cœleſtem alloquamur & oremus, de his,quæ in reliquis libris facienda & imitanda eſſe docuerat,ne quid homo deſiderare poſſit,quo ei ad ſalutem ſuam opus eſſet. Tanta eſt cura & benignitas Dei in nos;Qui eſt benedictus in æternum,in quo viuat & valeat D. T. Clementiſſ: hic & in perpetuum, AMEN. ſexto Calend. Aprilis.

ANNO M. D. XIX.

REVE-

REVERENDI PATRIS DOCT. MART. LVTHERI PIÆ ET DOCTÆ OPERATIONES, QVAS PARticulatim per ſingulos Duerniones emiſit in XXII. priores Pſalmos. Cœpit in Martio Anni M.D.XIX. Deſiit Anno XXI. in Maio Vuormatiam profectus. Circiter menſem Iulium in ſua Pathmo compleuit, quod reliquerat in Pſalmum XXII.

BEATVS VIR QVI NON abijt in concilio impiorum.

COMmunis mortalium de beatitudine quæſtio eſt, Neq; vllus eſt, qui non optet eſſe bene ſibi, oderitq́; male eſſe ſibi. Attamen omnes, quotquot ſunt, aberrauerunt á veræ beatitudinis noticia. Atq; ij magis, qui maxime eam inquiſierunt, vt Philoſophi, quorum nobiliores in virtute aut opere virtutis ipſam collocauerunt, quo cæteris facti infeliciores ſe & huius & futuræ vitæ bonis pariter priuarunt. Vulgus & ſi craſſe delirabat, in voluptatibus carnis beatum eſſe cupiens, ſaltem huius vitæ bonis potitũ eſt. Hic autem de cœlo ſonans, omnium ſtudia deteſtatus, vnicam beatitudinis omnibus ignotam affert definitionem, Beatum eſſe, qui legem Dei diligat. Breuis definitio, ſed quæ contra omnium hominum ſenſum, præſertim ſapientium, ſapiat. Sed primò grammatica videamus, verum ea Theologica. *Quæſtio communis de beatitudine.* *Beatus qui.*

EBræus numero plurali dicit Aſchre, Beati vel beata, vt, Beata viri, qui non abijt, Ac ſi dicat, omnia bene habent viro illi, qui &c. Quid diſputatis, quid vana conduditis? Illud vnicum Margaritum ſi quis vir inuenerit, vt legem Dei diligat, & ab impijs ſeparatus fuerit, huius omnia ſunt optima. Quo non inuento, quæret omnia bona, nec vnum inueniet. Vt enim mundis omnia munda, ita diligentibus omnia dilecta, bonis omnia bona, & in vniuerſum, qualis tu es, talis & Deus ipſe tibi, nedum creatura. Siquidem Deus electo electus eſt, peruerſo peruerſus, ſanctus ſancto. Ita nihil bonum aut ſalutare ei, qui malus eſt, nihil iucundum, cui lex Domini iniucunda eſt.

VIR in Scripturis tripliciter dicitur, ætatem, ſexum, virtutemq́; ſignificat. *Vir in Scripturis.* Aetatis nomen eſt, 1. Cor. 13. Cum factus ſum vir, euacuaui quæ erant paruuli. Sexus, Matt. 1. Iacob genuit Ioſeph virum Mariæ, Iohan. 4. Vade, voca virum tuum. Virtutis, 1. Reg. 26. Ait Dauid ad Abner. Nunquid non vir tu es? Atq; hoc tertio modo hic beatus vir dicitur, ne muliebrem ſexum ab hac beatitudine excludat. *1. Cor. 13. Matt. 1. Iohan. 4. 1. Reg. 26.*

Abijt, apud ebraice Lohalach, non ambulauit, non ingreſſus eſt, non inceſſit, quod & Græcum οὐκ ἐπορεύθη habet. Notum autem eſt, more Scripturæ, ambulare & ingredi metaphoricos id eſſe, quod viuere ſeu conuerſari, vt Pſal. 15. Qui ingreditur ſine macula. Et 101. Ambulans in via immaculata hic mihi miniſtrabat. Rom. 8. Nihil damnationis ijs, qui non ſecundum carnem ambulant. *Ambulare.* *Pſal. 15. Pſal. 101. Rom. 8.*

COnſilium hic ſine dubio pro decretis & doctrinis accipitur, cum nulla ſtet hominum conuerſatio, niſi certis Decretis & Legibus formetur *In conſilio.*

ſerueturq;. Taxat autem eo verbo impiorum ſuperbiam, & perditam temeritatem. Primum, quod non in lege Domini dignantur ambulare, ſed proprio ſe regunt conſilio. Deinde conſilium appellat, quod prudentiam ſonat, & viam, quæ errorem neſciat.

Perditio impiorum. NAm hæc eſt perditio impiorum, quod in oculis ſuis prudentes ſunt, & apud ſemetipſos, Quod errores ſuos ſpecie veſtiunt prudentiæ & viæ. Si enim manifeſto errore tentarent homines, non magna beatitudinis laus erat, non ambulare cum eis. Non enim dicit, In ſtulticia impiorum, in errore peccatorum. Monet ergo nos quam diligentiſſime, vt à ſpecie bona caueamus, ne angelus Satanæ transfiguratus in angelum lucis, ſeducat nos aſtutia ſua. *Conſilium impiorum.* Opponit autem conſilium impiorum legi Domini, vt diſcamus attendere à Lupis in veſtimentis ouium; qui prompti ſunt omnibus conſulere, omnes docere, omnes iuuare, cum nihil minus poſſint.

Impius. IMpius, qui ebraice Raſcha dicitur, rectiſſime apud ſanctum Hilarium is dicitur, qui male de Deo ſentit. Impietas enim proprie vitium incredulitatis eſt, & corde perpetratur, Sed varie & inconſtanter eſt translatum. Tu ergo hæc duo ſemper contraria habeto, fidem Dei, & impietatem, ſicut legem Dei & conſilium hominum. Nam quando de pietate & impietate agimus, non de moribus, ſed de opinionibus agimus, hoc eſt, de fontibus morum. Qui enim orthodoxus in Deum eſt; non poteſt niſi bona facere, bonos mores præſtare. Quod ſi etiam ſepties in die eadit iuſtus, toties tamen reſurgit. At impij corruunt in malum, & non reſurgunt. *Pius.* Hi quia increduli ſunt, nullum opus bonum faciunt, totum autem quod agunt, pulchra ſpecies eſt, vmbra illa Behemoth, qua & ſe decipiant, & ſimplices alliciant. Igitur pius eſt, qui ex fide viuit. Impius, qui in incredulitate viuit.

Peccator. PEccatorem autem iam videre licet. Hic enim eſt exterior homo impij, nam conſilium & ſtudium in corde abſconditum, non vides. Itaq; de operibus, moribus ſtudijs quæ ad extra fiunt, loquitur. *Via.* Et hanc viam vocat, quod iam conſilium in vitam & (vt dicunt) in praxin venerit, & quod intus male ſentiunt, foris quoq; operentur. Verum hæc via, vt dixi, fere ſpecioſior eſt ſemper quam piorum via. Nam craſſos illos peccatores, quisq; ſine hoc monitorio facile cauet, aut ſaltem cognoſcit.

Stare. STetit, pertinaciam ſignat, duramq; ceruicem, qua erecti, excuſant ſe verbis maliciæ, facti incorrigibiles in impietate ſua, quod pietatem eam exiſtiment. Stare enim tropo ſacrorum, firmum eſſe ſignificat, Rom. 15. Domino *Rom. 15.* ſuo ſtat aut cadit, ſtabit autem, Potens eſt Deus ſtatuere illum. Inde columna à ſtando Ebræis dicitur, ſicut Latinis ſtatua. Hæc enim impiorum eſt excuſatio, & obfirmatio, quod ſibi recte viuere videantur, & ſpecioſis operibus fulgere præ cæteris.

Sedere in cathedra. CAthedra, Sedere in Cathedra, eſt docere, magiſtrum ac doctorem eſſe. Matth. 23. Super Cathedram Moſi ſederunt Scribæ &c. Sic ſedere in throno, re- *Matt. 23.* gnare ſeu regem eſſe, vt in Libris Regum frequens eſt, Sedere in ſolio, principem eſſe, Sedere in tribunali iudicem eſſe.

Peſtilentia. PEſtilentia, Etſi non eſt ad verbum translatio, ſatis bona energia redditum eſt, Nam ebraice illuſorum, deriſorumuè habetur. Sunt autem illuſores, quos per Pſalterium, doloſos, & linguam doloſam accuſat, vt qui ſub ſpecie ſanæ doctrinæ venenum erronei dogmatis propinant. Neq; enim peſtilentia in corporibus tam contagioſa, quam impietatis doctrina in mentibus, Sermo eorum, inquit Apoſtolus 2. Tim. 2. vt cancer ſerpit. Sicut autem *2. Tim. 2.* *Sapientes, Impij.* ſapientes vocantur, ſanitas orbis terrarum (Sap. 6.) Ita impij illi recte peſti- *Sap. 6.*

lentia

ſer tia orbis terrarum. Qua autem nocentior illuſio, quam animabus puram veritatem, eſurientibus venenum mortiferum dare?

Igitur iuxta vulgatum per Eccleſiam vſum, quo vita bona diſtinguitur in fidem & mores, illa pios vel impios faciente, iſtis peccatores vel Sanctos, hic etiam deſcribit hos duos gradus, & eis addit tertium, quia quo proficeret impietas, non habuit, poſtquam hominem intus in opinionibus, & foris in moribus infecerat, ideo prorũpit, & alios ſecum trahit in eandem perditionem, non ſibi contenta, quod impie ſaperet, & male viueret, niſi & in pietatem alios doceret. Hæc de Grammatica. *Vita bona.*

IN primis id in Scripturis obſeruandum, quam prudenter abſtineat à nominibus ſectarum & perſonarum. Nam cum hoc Pſalmo, ſine dubio, Iudæorum populus taxetur primo, ſicut ait Apoſtolus: Iudæo primum *Scriptura abſtinet à nominibus perſonarum &c.*
m. 13. & Græco Et Rom. 3. Scimus quoniam quæcunq; lex loquitur, his qui in lege ſunt loquitur, Non tamen dicit, Beatus Iudæus, aut beatus ille vel ille, Nec in conſilio gentium, horum vel horum, ſed abſolute, Beatus vir, & conſilium impiorum, via peccatorum, ſeſſio illuſorum &c. quicunq; illi tandem ſint, Quia non eſt acceptio perſonarum apud Deum.

Et hoc fieri fuit ſumme neceſſarium, vt verbum Dei, cum ſit æternum, omnibus omnium hominum ſeculis conueniret. Nam & ſi varient per tempora mores, perſonæ, loca, ritus, Eadem tamen vel pietas vel impietas tranſit per omnia ſecula. Sic videmus Prophetas, aduerſus falſas Prophetas, Apoſtolos contra Pſeudoapoſtolos, Doctores contra Hæreticos, eiſdem Scripturis vſos, cum tamen nec Prophetarum, nec Apoſtolorum, nec Doctorum, aut ſuorum aduerſariorum nomen, ſed piorum & impiorum in illis inuenitent. *Verbum Dei omnibus omnium hominum ſeculis conuenit, quia æternum eſt.*

Pſal 12. Deinde, ne ſi vnius perſonatus nomen aſſumeretur, iam reliqui ad ſe non *Beatus vir, qui non abijt.*
Mich. 7. pertinere crederent quod malum dicitur, Aut ad ſe ſolos pertinere, quod bonum dicitur, Sicut Iudæi ſibi inflectunt, quidquid boni ſemini Abrahæ & Iſraele promiſſum eſt, Contra quos certe hic Pſalmus primo irruit, vt dixi. Quare & nos exemplo S. Patrum, Pſalmum ad eandem generationem, quæ nobiſcum agit vitam trahamus, imo ſequamur potius, vt qui nos præuenit, omnes impios arguens, & à nobis inueniatur hoc agere, magis quam cogatur.

Dicit ergo: Beatus vir, qui non abijt, id eſt, Quando tot millia impiorum circum nos ſunt, vt poſſis illud dicere, Pſal. 12 Saluum me fac Deus, quoniam defecit Sanctus, pauci facti ſunt fideles in hominibus. Vt & Micheas 7. Perijt Sanctus de terra & rectus in hominibus non eſt, Nonne beatus ille, & vere vir robuſtus in fide, qui cum tanta turba non ambulat per viam ſpacioſam, Deinde ab eiſdem patitur opprobria & multa mala nec ſic tamen conſentit, vt cum eis ambulet, & quod vel electos in errorem duceret, pulcherrimo conſilio impiorum non fallitur? Multum eſt diuitijs, voluptatibus, honoribus non vinci,
Sed ſummum victoriæ genus, ſapientiam & iuſticiam ſpecioſiſſimam impiorum ſuperaſſe, quibus pura fides maxime omnium oppugnatur. *Summa victoria.*

NOtabis autem hæc verba Pſalmi eſſe verba fidei, vt quæ non loquantur de hominibus ſecundum quod videntur. Nam ſic (vidix) nemo eos impios eſſe putaret, In ſpiritu loquitur Propheta, vbi hoc etiam impium eſt (quia fide vacuum) quod apud homines omnium pijſſimum. Sicut Eccle. 8. Vidi impios ſepultos, qui etiam cum adhuc viuerent, in loco ſancto erant, & laudabantur in ciuitate quaſi iuſtorum operum, Et Pſal. 37 Vidi impium exaltatum, ſicut cedrum Libani. Terribilia ſunt hæc, quis impietatem ibi & iam profunde quæreret? *Fidei verba.*

Sed audi, Pſalmus iſte non tantum impios taxat & peccatores, nam omnis homo extra Chriſtum, impius & peccator eſt, Sed eos potiſſimum, qui duplici peccato peccant, vt qui cum impij ſint, non hoc agnoſcunt, Inſuper conſiliũ parant, in quo ambulent, & impietatem colorent. Nam non dixit, Beatus vir, qui non ambulat impius, aut non ſtat peccator, ſed in conſilio impiorum & in via peccatorum, vt quibus non ſatis eſt, quod impij ſunt, etiam iuſti & ſancti eſſe volunt, addentes impietati ſpeciem pietatis.

Impij.

Quos autem putas noſtro ſeculo tangat? Ego non auſim perſonatus nominare, ne in quorundam ſacerdotum, religioſorum, Epiſcoporum implacabilem charybdim impingam, Nam ſemper fuit hoc genus impiorum hominum, impatientiſſimum verbi Dei, cœlumq; repleuit Martyribus, non alia cauſa, quam quod ſe obſequium Deo præſtare arbitrarentur, & pro pietate certare ſibi viſi ſunt, veros pios impietatis pertinaciſſime accuſantes.

Impij ſunt impatientiſſimi verbi Dei.

SCito tamen, & non dubites, hos tangi, qui ſolis ceremonijs, ritibus, alijsq; pompis pietatis lucent, veſtibus, cibis, locis ac temporibus, aut ad ſummum operibus & orationibus, pietatem metientes, præſertim illi, qui pro ſuis obſeruantijs, priuilegijs, dignitatibus, poteſtatibus, iuribus, in implacabiles diſcordias ſeſe diuidunt, & quoduis facere ac pati prompti ſunt, quàm mutua charitate inuicem cedere & humiliari. Hos eſſe impios iſtos, hoc argumento deprehendas, quod ſecuri fidentesq; ſunt in vita ſua, Nec eſt timor Dei ante oculos eorum. *Pſal. 14.*

De quibus impijs Propheta loquatur.

NAm hic eſto tibi Canon perpetuus & infallibilis, atq; (quod aiunt) Lydio lapide certior, quod proprium eſt impiorum, Deum non timere, ſecure de miſericordia eius (ſicuti putant) omnia præſumere. Piorum autem, cum Iob omnia opera ſua vereri, in nulla ſua iuſticia confidere, & ſanctitatem ſuam pro ſtercore ducere, Ideo non poſſe pro ea certare, ſe iuſtificare, aut vindicare, ſed dignos eſſe ſe omnium odio & vindicta. Itaq; dixi, Fidei oculis & auribus opus eſt, vt hæc verba Spiritus audias, & eorum rem videas. Homo enim non poteſt ea intelligere. *Iob. 9.*

Canon.
Propria nota piorum & impiorum.

Non autem exiſtimes me (pias) Ceremonias & bona opera damnare, ſed opinionem, fiduciam, ſtudium illorum, peſtes voco, quod his fieri videmus, vt in ſectas, iras, detractiones, & infinita monſtra peccatorum ruant, quæ omnia tegunt nomine pietatis, velo conſilij ſui, ſpecie dogmatum ſuorum, Si enim in humilitate fierent bona certe eſſent.

Et in via peccatorum non ſtetit.

POſtquam enim impietate fidem violarint, quid reſtat, niſi vt opera eorum ſint mala & peccata? Et quomodo, inquies, ſunt opera Iudęorum, Hæreticorum, ſuperborum mala, cum ieiunent, orent, benefaciant, & reliqua, quæ nullus hominum mala audet dicere, operentur.

Dixi. Quod fide opus ſit, Eò peiora ſunt illa opera, quod impietatem confirmant, & ſtare ac perſeuerare faciunt in via iſta peccati, Peccata autem ſunt, quia de impietate cordis procedunt, A mendace, inquit Sapiens, quid verum dicetur? & ab impio quid pium fiet? *Eccleſ. 34.*

Chriſtus tamen nos pulchre hic erudiuit, quando ex fructibus eorum cognoſcendos docuit, Duplicia enim habent opera, Alia quæ vocat veſtimenta ouium, quæ non ſunt eorum fructus proprij, ſed ſimulata iuxta conſilia & vias ſuas. Verum vbi eos tetigeris & aduerſatus fueris, En hic prorunnt proprij eorum fructus, ira, tumor, clamor, ſuperbia, detractio, maledictio, excuſatio, inuidia, blaſphemia, & ſimilia portenta, Neque enim alios *Mat. 7.*

Impiorum fructus.

fructus

fructus de his ſpinis, quam ſpinas has acutiſſimas, colligas. Tales vides & noſtros ceremonias iuſticiarios.

Et in cathedra peſtilentiæ non ſedit.

ID enim deſerto Chriſto faciunt Iudæi, Sub quorum labijs venenum aſpidum inſanabile, & fel draconum vinum eorum. Neceſſe eſt enim, vt contra Chriſtum doceant, qui non Chriſtum docent. Hos ſequuntur Hæretici, alio nomine quidem & perſona, ſed eadem impietate peſtilentes.

Et ad noſtra veniendo, Cathedram peſtilentiæ poſſident, qui opinionibus Philoſophorum, traditionibus hominum, conſilijs capitum ſuorum replent Eccleſiam Chriſti, opprimuntq́; miſeras animas, omiſſo interim verbo Dei, quo ſolo paſcitur, viuit, ſeruatur anima. Quo fit, vt homines aliam iuſticiam ignorent, quam quæ operibus paratur, hæc autem eſt impietas & peccatum coram Deo, Impoſſibile eſt enim, vt ſine periculo opera legum doceas quarumcunq;, niſi meliore parte doctrinæ & maiore ſtudio prius fidem docueris in Chriſtum. Paulus ad Rom. vndecim capitib. fidem fundat, & quinq; cap. deinde mores ſuperædificat. Ad Galatas quinq; fidem, vno & ſexto mores docet Sic & in alijs quoq; Epiſtolis facit. Chriſtus in Euangelio non niſi fidem quærit. *Sedentes in cathedra peſtilentiæ noſtro tempore.*

Sed in lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte.

GRAMMATICA THEOLOGICA.

LEgem Domini (vt ſemel ſcias) vide vt vbiq; longiſsime latiſſimeq; diſtinguas à legibus, quorumlibet hominum, totaq́; cura obſerues, ne in vnum chaos vtræq; confuſæ (vt fit per peſtilentiæ Doctores) ſe miſerrime perdant, dum vel ex lege Dei faciunt traditionem hominum, aut ex traditione hominum legem Dei. *Lex Domini.*

Exemplis id oſtendemus, Lex Domini eſt, Honora patrem & matrem. Ex *Præcep.* hac lege Phariſæi fecerunt hanc traditionem, Muous, quod ad altare offertur, melius eſt, quam quod parentibus datur, vt legis Matt. 15. Rurſum ſic Deo in *Honora patrem & matrem &c.* *tt. 15.* vero mandato contempto, alio mandato ſuo proprio eum honorant, ex lege ſua, legem Dei ſtatuentes. Lauari manus cum manducas, ſeniores tradiderant, At ſeniores non audire, idipſum eſt, ac Deum non audire, Itaq; dicit ibidem, Hypocritæ, bene prophetauit de vobis Iſaias: Populus hic labijs me honorat, *Iſa.* cor autem eorum longe eſt à me, Sine cauſa autem colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum.

Sic hodie inualuit, vt vocem Pontificum & Romanæ curiæ, ſolam audiendam cum tremore, audacter pronuncient, interim omnibus Dei mandatis, etiam irriſis, nedū contemptis, nec ab vllis hominum, magis quam ab illis ipſis Curiæ vocem tremendam iactantibus, Deniq; perduxerunt has impijſſimas ſuperſtitiones in eas anguſtias, vt repereantur paſſim Sacrificuli, qui peccatum mortale arbitrentur, ſi ſine ſtola, ſine manipulo, aut alia obſeruatione omiſſa *Contra traditiones humanas.* *29.* ſacrificent, Quod ſi in Canone miſſæ lapſi ſint, vel inuiti, ſummum piaculum eſt. Sed pudet me recenſere, & alia Sacerdotum & religioſorum ridicula conſcientiarum terriculamenta. Cum interim ſi libidine, ira, inuidia, auaricia, ſuperbia, multorum annorum tempore perierint, ac Deum contempſerint, ne ſentiant quidem. *Canon Miſſæ.*

Voluntas hominis. VOluntatem, primum hic neq; pro potentia, neq; pro ſtettente illo habitu, quem recentiores Theologi ex Ariſtotele inuexerunt, ad ſubuertendam intelligentiam Scripturæ. Item, neq; pro actu, quem ex ea potentia & habitu elici dicunt. Non habet vniuerſa natura humana hanc voluntatem, ſed de cœlo veniat neceſſe eſt. Cum enim humana natura ſit intenta & prona ad malum, vt diuina dicit autoritas, Gen. 8. Lex vero Domini ſit bona, ſancta, iuſta, Sequitur, quod voluntas hominum ſit aduerſaria legi, odiat legem, fugiat legem. Quod ſi quandoq; timore pœnæ, aut concupiſcentia promiſſi, ſimulet ſe diligere legem, manet tamen intus ſemper odium legis, nec poteſt eam gratuito diligere, non enim diligit, quia bona eſt lex, ſed quia ſibi commoda. *Gen. 8. Rom. 7.*

Eſt autem voluntas hæc purum illud beneplacitum cordis, ac voluptas quædam in lege, quæ non quærit quid lex promittat, nec quid minetur, ſed ſolum id quod lex ſancta, iuſta, bona eſt. Eſt ergo non modo amor legis, ſed etiam amans delectatio in lege, quam nullis proſperitatibus, nullisq; aduerſitatibus poſſit mundus & Princeps eius tollere ac vincere, Sed per inopiam, infamiam, crucem, mortem, infernum, victrix perrumpit, In aduerſitatibus enim maxime eminet.

Venit autem hæc voluntas ex fide in Deum per Ieſum Chriſtum. Cæterum voluntas, quæ metu pœnarum extorquetur, ſeruilis eſt & violenta, quæ autem cupiditate præmiorum allicitur, mercenaria eſt & ſimulata. Illa autem liberalis gratuita, hilaris, vnde Chriſti populus. Nedaboth ebraice, ſpontanei, voluntarij, liberales vocantur. Ex quibus omnibus liquet, quod hic Pſalmus, niſi de ſolo Chriſto intelligatur, ſpeculum & meta eſt, ad quam nitendum ſit beato Viro, cum nullus ſit in hac vita, cui non aliquid huius voluntatis deſit, propter legem & voluntatem membrorum contrariam illi, vt Apoſtolus Ro. 7. queritur, quæ iuxta Theologiam crucifigenda eſt, iuxta Philoſophiam vero pro virtute habenda. *Rom. 7.*

Voluntas ſeruilis, mercenaria, hilaris, gratuita.

Populus Chriſti.

Meditari in lege Domini. MEditari dicunt id eſſe, quod differere, diſputare, & omnino verbis exercere, vt Pſal. 37. Os iuſti meditabitur ſapientiam. Hinc B. Auguſtinus in ſua tranſlatione habet, Garrire, pulchra ſane metaphora, quod vt garritus auium eſt exercitium, ita hominis (cuius eſt proprium officium ſermocinari) exercitium ſit ſermocinatio in lege Domini. Sed & Poeta meditari hoc modo accipit: Syluestrem tenui meditaris arundine muſam. Non poſſum ſatis digne huius verbi vim & gratiam commendare, Conſiſtit enim hæc meditatio primum in obſeruatione intenta verborum legis, deinde in collatione mutua diuerſarum Scripturarum, quæ eſt quædam iucunda venatio, imo luſus ceruorum in ſaltu, vbi Dominus præparat ceruos, & reuelarit condenſa. Ex his enim procedet tandem eruditus in lege Domini, ad populum ſermo. *Pſal 37.* *Pſal 29.*

Non occides. Exempli gratia, Non occides, ſi perfunctorie tranſeas, frigidum verbum eſt, & iuxta literarum ſonum opus homicidij prohibitum audies. At ſiſte & obſerua, quia non dicit: Non occidat manus tua, ſed tu ipſe. Quid autem es tu, Anima & corpus, habens tot vires in vtroq; manum, linguam, oculos, mentem, voluntatem. Quando ergo tu occidere prohiberis, nonne iam neq; manu, neque lingua, neq; voluntate occidere doceris? quidquid enim horum occiderit, tu occidis. Non ergo iraſcendum, non male volendum, non maledicendum, non detrahendum, non facie auertendum, non contemnendum, non nocendum, non noceri optandum, Sed contra, amandum, benedicendum, benefaciendum. Quid ergo? nempe, Non occidas, erit id quod non ſis ama-

Breuis ſumma 5. praecepti.

Non occidas.

ſis amarus & iracundus,ſed dulcis ac humanus proximo tuo. Tum vide, quot loca Scripturæ de charitate,mititate,ſuauitate, beneuolentia, bonitate, benignitate doceant,quæ ſi adduxeris,nonne pulchre garriiſti, & meditatus es in lege Domini tui?

Die ac nocte.

Die ac nocte,ſiue ad literam accipias,ſiue tropo quodam, pro aſſidue,aut allegorice,pro tempore aduerſitatis & proſperitatis,nihil refert. Nam & dormiens iuſtus legem Domini amat & cogitat.

Voluntas in lege Domini.

Dicit ergo,Beato huic viro erit voluntas ſua in lege Domini, prorſus nihil videbit,amabit,odiet, bonorum malorumue, ſed hac voluntate prorſus ſuper omnia creata eleuabitur,Quid igitur mirũ,ſi beatus ſit,qui cœleſti hac voluntate præditus,nihil eorum ſapit, in quibus colliduntur ſtulti beatitudinis æſtimatores?tum quia per hanc voluntatem, iam vnum cum verbo Dei factus(ſiquidem amor vnit amantem & amatum) neceſſe eſt, vt guſtet quam bonum,ſuaue,purum,ſanctum,mirabile ſit verbum Dei,ſummum ſcilicet bonum.Quod illi guſtare non poſſunt,qui vel manu vel lingua tantum ſunt in lege,voluntate autem in ſordibus rerum merſi. Sunt enim multi garruli,de lege Domini multa loquentes,multa ſimulantes,multa quoque cogitantes,ſed nondum amantes. Non dicit: Beatus vir,cuius lingua in lege Domini,non cuius manus,non cuius mens aut ſpeculatio,quibus inflantur & palpant ſeipſos,quaſi iam ſancti & ſalui ſint.

Voluntas viri p[illegible] eſt tota vita sua.

Porro voluntas hæc tota vita eſt hominis. Non eſt enim metuendum,ne vllo alio membro extra legem ſit, qui voluntate hac,vitæ fonte, & capite in illa fuerit.Quo enim amor fertur,huc ſequuntur & cor & corpus.In quo iterum vide contrariam piorum & impiorum conuerſationem. Impij ſuam iuſticiam incipiunt ab extra,& tendunt ad intra.Primum,opus ſimulant,deinde & verbum,poſtea & cogitationem exercent,& hoc eorum ſummum faſtigium,tum mox aliorum Magiſtri,quidquid cogitant, dicunt,faciunt,ſanctum ac diuinum eſſe volunt,cum ad hanc ſecretam voluntatem nunquam peruenerint.Pij incipiunt ab intra, à ſancta hac voluntate,tum ſequitur meditatio, tandem & opus extra,poſt hæc doctrina aliorum,vt videbimus.

Impiorum iuſticia.

Piorum iuſticia.

Lex Dei primum amanda,deinde meditanda.

Et in lege eius meditabitur die ac nocte. Non eſt ſine damnatione meditatio,niſi prior ſit voluntas,amor ipſe per ſe docebit meditari. Verum hæc voluntas deſperatis nobis de viribus noſtris, per humilem in Chriſto fidem de cœlo,vt dixi,petenda eſt, Hoc bene nota: Mos eſt & natura omnibus amantibus,de ſuis amoribus libenter garrire, cantare,fingere,componere,ludere,item libenter eadem audire.Ideoq; & huic amatori beato Viro, ſuus amor,lex Domini,ſemper in ore,ſemper in corde,ſemper(ſi poteſt)in aure eſt.Qui enim ex Deo eſt,verba Dei audit,Cantabiles mihi erant, inquit,iuſtificationes tuæ in loco peregrinationis meæ.Et iterum:Et meditabor in iuſtificationibus tuis ſemper.

Natura amantium.

Iohan 8.
Pſal 119.

At qui ſiliquas porcorum verſant,qui de rebus naturalibus,de opinionibus hominum,de præbendis,de dignitatibus,de poteſtate ac priuilegijs Eccleſiarum, & infinitis his nugis garriunt die ac nocte, putas beati ſunt viri? imo longe miſeriores, quam qui de puellarum amoribus, aut Poetarum fabulis garriunt.Hi enim ſciunt ſe ſtulte agere,& aliquando pœnitere poſſunt,Illi vero prudenter & ſancte ſeſe agere putantes,impietati ſuæ immoriuntur. Et tandem iuxta ſua,ſummam ſibi iniuriam & iniquitatem cumulaſſe,fruſtra pœnitebunt.Non enim in lege Domini meditantur.

Et erit tanquam lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo.

Vera beatitudo in quo conſiſtat.

DIxi Beatitudinem huius viri eſſe abſconditam in ſpiritu, in Deo, ita vt niſi fide aut experientia cognoſci non poſſit. Hoc eſſe verum, liquide ſcies, Si voluntatem eius æſtimes, in qua ſola ſua beatitudo eſt, non in diuitijs, non in honoribus, non in iuſticijs ac virtutibus ſuis, non deniq; in vllo bono, quod (excepta hac voluntate legis) intus & extra hominem nominari poſſit. Quin potius in contrarijs, in paupertate, in contemptu, in ſtulticia, & omnibus malis, quæ intra & extra hominem nominari poſſunt, ita, vt quem hic Propheta beatum prædicat, hunc mundus omnium ſuffragijs, ſolum omnium miſerrimum iudicat, Sicut in Chriſto horum beatorum capite & exemplari vidit Iſaias, dicens, Eum nouiſſimum virorum, Non enim poteſt mundus & princeps eius in eum hominem tolerare, qui hac voluntate beatus eſſe volet, ſuasq; beatitudines deſpiciat, Ideo raritatem eorum contemplatus incepit: O beatus vir qui &c. *Pſal. 53.*

Vere Beatus in mundo ſeu ſorti miſerrimus.

NVnc deſcripto beato Viro ſua propria definitione, declarat eundem non minus pulchra ſimilitudine, Definitio certe abſoluta fuit, ab omni malo eum aſſerens liberum, omni bono plenum (quod etiam vulgus beatitudinem vocat, ſed in re præſenti, illi autem in fide) Ita & ſimilitudo ab eodem malo liberum & bono plenum probat, Quia enim beatus iſte, in fide abſconditus, demonſtrari ad oculum, nullo exemplo potuit, ſicut decet Definitores facere, ſimilitudine viſibilis rei depingit, Et quia figurate iuſtum deſcribit, non eſt in vocabulis immorandum.

Palma arbor.

Ego credo, arborem palmæ hic periphraſticôs deſcribi. Nam & alius Pſal. dicit: Iuſtus ſicut palma florebit, ſicut cedrus Libani multiplicabitur, Vt quod ibi breuius, hic copioſius ſit explicatum. Palma enim riuos aquarum amat (& vt Plin. ait) toto anno bibit, perpetuo viret, & dulciſſimos fructus parit. Forte ex palmis, quæ apud Hiericho ad Iordanem celebres ſunt, hanc ſimilitudinem aſſumpſit, Nam inde Hiericho vrbs palmarum quoq; dici putatur. Multis enim & alijs locis Scripturæ Iordanis in myſteria ſeruit, vnde illud eſt, Puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano.

Hiericho vrbs palmarum.

Canon. Allegoria arborum &c.

Canonem hic tibi tradidit Propheta ad allegorias arborum & fluminum in Scripturis occurrentium intelligendas, Arbor hominem bona bonum, mala malum ſignificat, ſic Chriſtus quoq; docet. Quanquam ſcio S. Auguſtinum cum à Pelagianis vrgeretur, ne ex fidelium coniugio naſci prolem inculpatam admitteret, per arborem, voluntatem hominis intelligi velle, non hominem. Et forte poſſit adiuuari, quod hic ſpiritualis homo deſcribitur, qui potiſſimum ipſa voluntas, ſeu ſpiritus eſt. At puto non minus & forte melius, totum hominem arborem dici, radicem vero eſſe voluntatem, ramos membra & vires, Tamen non contendo.

Palma plantata.

Plantatum eſt, inquit, In quo diſtinguit, hanc palmam ab his, quæ ſponte naſcuntur, vt quæ cura & cultu alieno, non ſua natura, talis ſit, ſcilicet ex ea, quæ ſponte & natura creuit exciſa, & arte ſicut ſurculus, aliò plantata, Hoc eſt, quod dixi, Voluntatem in lege Domini, nulli à natura ineſſe, ſed agricolante, & plantante Patre cœleſti, & nos ex Adam in Chriſtum transferente, nobis è cœlo conferri.

Decurſus aquarum.

Decurſus aquarum, riuos certe gratiæ diuinæ intelligit, Palma enim in leui, ſabuloſa, nitroſa, ſalſaq; terra creſcere dicitur, ideo perpetuo riuis gaudet, ita voluntas hæc, radix huius arboris, cum ſit in vita hac arida, infructuoſa, eo magis ſitit aquarum cœleſtium riuos, quo minus inuenit in

mundo,

mundo,quo vegetetur,Sic ille in terra inula & inaquoſa. Et Iſa.53.Aſcendet
coram eo,ſicut radix de terra ſitiente. Nonne mirum eſt, arborem in ſterili
terra creſcere, ſolis riuis aqu arum nutritam? Et beatus ille, quo ſterilior ſibi
mundus,eo ſitientior erit aquarum cœleſtium.Non creſcit in pinguedine ter-
ræ hæc arbor,nec beatus in luxu mundi.

ALij ſcrutati ſunt, Cur lignum maluerit, quàm arbor dicere,
Item dabit fructum,potius quàm feret fructum. In Geneſi legimus,De- *Lignum pro arbo-*
um creaſſe lignum,non arborem, & hinc Tropum ſeruat Scriptura,li- *re.*
gnum pro arbore. Et dare fructum indicat hunc beatum Virum,charitate *Dare fructum.*
(quam in omni lege Domini videmus præcipi) ſeruire non ſibi,ſed proximis.
Non eſt enim arbor vlla, quæ ſibi fructificet,ſed dat fructus ſuos alteri. Imo *Nulla creatura ſi-*
nulla creatura ſibi viuit aut ſeruit(præter hominem & Diabolum)Sol non ſibi *bi viuit.*
lucet,aqua non ſibi fluit &c.

Ita omnis Creatura ſeruat legem charitatis,& tota ſubſtantia eius eſt in le-
ge Domini,ſed & humani corporis membra,non ſibiipſis ſeruiunt,Solus affe- *Animi affectus eſt*
ctus animi impius eſt,hic enim non ſolum ſua nemini dat,nemini ſeruit, ne- *impius.*
mini bene vult,ſed omnium omnia ſibi rapit,in omnibus, in Deo ipſo, quæ-
rens quæ ſua ſunt,Vt recte poſſis dicere,hanc eſſe arborem,ſpinam aut rham-
num ſponte natam,nullius cultu fotam,neq; riuis aquarum gaudentem,nihil
præter ſpinas afferentem,quibus omnium,quæ circumſtant,arborum,fructus,
ipſas quoq; pungat,laceret,ſuffocet,tum omnium quæ prætereunt veſtes,vel-
lera,cutem,carnem,& omnia,rapiat,vellicet,vulneret.Expreſſit itaq; Prophe-
ta beneficium bonarum arborum,quod cum nulli noceant omnibus proſint, *Beneficium bona-*
ſuos fructus volenter dantes. *rum arborum.*

IN tempore ſuo, O aureum & amabile verbum,quo aſſeritur *Libertas viri beati.*
libertas iuſticiæ Chriſtianæ.Impijs ſtati ſunt dies,ſtata tempora, certa opera,
certa loca,quibus ſic inhærent, vt ſi proximus fame eſſet moriturus, non ab
illis diuelli poſſint.At beatus hic vir,liber in omne tempus, in omne opus,in
omnem locum,in omnem perſonam,vtcunq; ſeſe obtulerit caſus tibi ſeruiet,
quodcunq; inuenerit manus eius,hoc faciet,Non eſt Iudæus,neq; gentilis,ne-
que Græcus,neq; Barbarus, nullius prorſus perſonæ:Sed dat fructum ſuum in
tempore ſuo,quoties opus ſit eius opera Deo & hominibus. Ideo neq; fructus
eius habet nomen,neq; tempus eius habet nomen,neq; ipſe habet nomen,ne-
que riui aquarum eius habent nomen,vnus non vni,nec vno tempore, loco,
opere,ſed omnibus vbiq; per omnia ſeruit. Eſtq; vere vir omnium horarum, *Vir omnium hora-*
omnium operum, omnium perſonarum, & imagine ſui patris, omnia in *rum.*
omnibus & ſuper omnia.

Pſal. 18. Impij vero,ſicut Pſal.18.dicitur,claudantur in anguſtijs ſuis,ſeipſos capti- *Impij ſeipſos tor-*
uant,& in operibus,temporibus,locis à ſe electis,torquent, extra quæ nihil re- *quent.*
ctum geri putant.Vnde ſuorum fructuum æſtimatores,nihil faciunt, quam vt
alienos fructus mordeant,iudicent,damnent, liberrimi & in quocunq; tem-
pore prompti alios reprehendere,& omnino tales in malo faciendo, quales pij
ſunt in bono.Sunt enim & ipſi omnium horarũ viri non vno modo,non vno
tempore,non vni homini,ſed vtcunq; ſors obtulerit, alijs detrahentes ac no-
centes,Quæ ſtudia,ſi verterent ad bona,nullo meliore compendio pij fierent.

NOn ſane hæc dico,quod ceremonias Eccleſiarũ & monaſte-
riorum reprobem,imo hæc fuit prima Religioſorũ inſtitutio,vt qui mo-
naſterium ingreſſus eſſet,maiori ſubiectus,diſceret nihil proprie operari,
ſed prom-

Monaſteria olim Scholæ, Chriſtianæ libertatis exercendæ.

ſed promptus omnibus in omnibus ſeruire. Etantq; monaſteria vere quædam gymnaſia Chriſtianæ libertatis exercendæ & perficiendæ, ſicut adhuc ſunt, ſicubi priſcam ſeruant inſtitutionem, hic inquam erat finis & modus ceremoniarum. Nam quid ſunt ipſa quoq; charitatis & miſericordiæ opera, quam liberæ quædam ceremoniæ, cum & ipſa ſint externa & corporalia? Et veteris legis ceremoniæ itidem erant vtiliſſimæ exercitationes veræ & liberæ pietatis. At vbi cœperunt peruerſitatis ſtudio, in libertatis iniuriam vſurpari, & earum prætextu vera pietas extingui, iamq; pro libertate ſeruitus tyranniſaret, opus erat, vt vniuerſæ tolerentur, Sicut & nunc quoq; Paſtorũ piæ ſolicitudinis eſſet, tumultus ceremoniales abrogare, vbi non niſi in laqueos animarum, & in offendicula liberæ pietatis graſſantur.

Et folium eius non defluet.

Folium.

PErſtat in figura pulcherrima, Folium omnino verbum & doctrinam ſignificat, diximus autem palmam perpetuo folijs virere. Contra de impijs dicit Iſa. 1. Quando fueritis velut quercus defluentibus folijs. *Iſa. 1.*

Collatio piorum & impiorum Doctorum.

Confer iam ſingula cum ſingulis. Impij ambulant in conſilijs ſuis, Pius amore legis fixus, plantatus eſt ad riuos aquarum, illi ſtant in via peccatorum, Hic meditatus in lege Domini, dat fructum in tempore ſuo, Illi in cathedra illuſorum ſedent, Huius folium nunquam deficiet.

Fructus præcedit folium, virtus ſermonem.

Et nota, quod prius fructum quam folium deſcribit, & quanquam palma natura eſt, vt pomum ſuum non inter folia, ſicut in cæteris fit, ſed inter ramos, & comam omnem in cacumine habeat, vt poſſit & ipſa videri prius fructum quam folium producere (à palma enim diximus hanc figuram ſumptam) Tamen & ipſe ſpiritus recte inſtituit fidelem in Eccleſia prædicatorem, vt ſciat, regnum Dei non eſſe in ſermone, ſed in virtute, 1. Cor. 4, Et cepit Ieſus facere & *1. Cor. 4.* docere. Et idem, Erat vir potens in opere & ſermone. Ita fructum vitæ prius *Acto. 1.* præſtet, qui verbum doctrinæ profitetur, ſi non velit folium ſuum defluere, *Luc. 24.* Sicut enim arbor contemnitur, quæ folijs luxuriat, ſine fructu, Sed & Chriſtus

Gregorius.

ficum maledixit, quæ fructum non ferebat, ita docente D. Gregorio, cuius vita *Matth. 21.* deſpicitur, & doctrina contemnitur, alijs enim prædicant, & ipſi reprobi efficiuntur, Quibus Matt. 7. prædicit audituros eos eſſe in iudicicio: Diſcedite à me omnes operatij iniquitatis, Etiamſi in nomine eius prophetarint, & per *Matt. 7.* verbum Chriſti virtutes multas in cæteris fecerint.

QVærat quiſpiam, Tam multi fuerunt ſancti & Martyres, quorum tamen nec fructus nec folia relicta ſunt, ſed omnia cum eis interciderunt, nec omnium Apoſtolorum verba habemus, Quomodo hæc laus beati viri erit generalis?

Reſpondeo. Verbum eorum, non fuit verbum eorum: Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis. Omnes ſancti eodem verbo docti ſunt, idem verbum docuerunt, Sic 1. Cor. 10. Omnes eandem eſcam manducauerunt, & eundem potum biberunt. Verbum autem *1. Cor. 10.* Domini manet in æternum, in ſeculum ſeculi veritas eius.

Poteſt itaq; videri, Beatus hic vir & lignum fructiferum, totam Eccleſiam ſignificare, aut eos qui docentium officio præſunt, Verum non obſtat & de quocunq; iuſto eum intelligi, habet & ipſe idem folium, ſi non alios, certe ſe ipſum docet, in corde meditatus in lege Domini, quod verbum & in ipſo manet in æternum, ſicut & in tota Eccleſia. Deniq; cum omnes fideles ſint vnum corpus, etiam ſi folium hoc, ſolius ſit membri, quod prædicat, per communionem tamen omnia ſunt omnium, Verbum enim meum

Prædicare ſibi.

eſt, quod

eſt, quod lingua mea prædicat, & ſi ego ſum auris, non lingua. Ita & de reliquis membris & toto corpore ſentias.

Et omnia, quæ faciet, proſperabuntur

SI de ligno ſeu palma hæc dicit, illud tangit, Quod ſola palma dicitur aduerſus pondus ſurſum niti, vt in trabibus palmaceis viſum eſſe dicitur. Facere hoc loco (niſi ſum nimio audax) non ſignificat opera bona iuſti viri, nam hæc ſatis ſunt nomine fructus commendata. Sed facturas ſeu plaſmata potius, quo modo opera artium facimus. Siquidem & Philoſophi agere prudentiæ, facere arti tribuunt. Et eandem differentiam in Ebræa lingua cernere liceat (mea temeritate) Nam verbum Aſa pro facere, & Paal, pro agere ferme accipi video. Sicut Pſal. 28. Quoniam non intellexerunt opera Domini, & opera manuum eius. Vt ſit opus manuum Dei, ipſum plaſma, ſicut dicit: Opus manuum mearum Iſrael, & Gen. 1. Fecitq; Deus &c. Et Pſal. 95. Ipſius eſt mare, & ipſe fecit illud. Opera autem Dei ſunt, ea quæ per creaturas facit, maxime autem verbum & gratia, quibus agit & agere nos facit.

Palma nititur aduerſus pondus. — *Agere & facere.* — *Aſa.* — *Paal.* — *Pſal 28.* — *Pſal. 95.* — *Opera Dei.*

Eſto itaq; facere, inſtituere, ordinare, diuerſis miniſterijs Eccleſiaſticis diſtribuere, & vt Apoſtoli Petrus & Paulus docuêre, multiformis gratiæ Dei miniſtratores facere, Eccleſias fundare, multiplicare, vt ſic ipſi fideles ſint plaſmata, opera, facta eorum. Sic enim Galatas parturit, & Corinthios genuit Apoſtolos: Opus meum, inquit, vos eſtis in Domino. Intelligis ergo ſpiritualem eſſe hanc facturam beati viri, non palatia, non imperia, non pompas: hæc enim & gentes faciunt ac pariunt. Sed multos bonos ac beatos, ſibiq; ſimiles reddere, hoc demum eſt facere huius beati Viri.

Facere. — *Gala. 4.* — *1. Cor. 4.*

PRoſperitas quoq; caue ne carnalis à te intelligatur, In abſcondito hæc eſt, & penitus in ſpiritu, adeo vt niſi fide eam teneas, potius ſummam aduerſitatem iudices. Nam Diabolus ſicut folium & verbum Dei, extreme odit, Ita & eos, qui ipſum docent & audiunt, totius mundi adiutus viribus perſequitur. Miraculorum ergo omnium miraculum audis, quando proſperari audis omnia, quæ facit vir beatus. Quid enim mirabilius, quam quod fideles dum occiduntur creſcunt, dum minuuntur multiplicantur, dum ſubijciuntur ſuperant, dum expelluntur intrant, vincunt cum vincuntur, Sic enim mundus eſt victus & princeps eius, Sic mirificauit Dominus ſanctum ſuum: Vt hoc ſit ſummæ proſperitatis, quod ſummæ eſt infelicitatis: Hæc eſt proſperitas ſapientium, & conuerſio virorum.

Proſperitas beati Viri. — *Miraculum miraculorum.*

At nunc illud Prouer. 1. videmus impleri, Auerſio paruulorum interficiet eos, & proſperitas ſtultorum perdet illos. Nunc enim quia rebus Eccleſiæ, perſonas & nomina fecimus, & ſpiritum in carnem traximus, ideo bonus ſtatus Eccleſiæ, nunc vocatur opulentia, tyrannis, impunitas, pax carnis, & pompa pluſquam mundana. Vidit enim Diabolus & intellexit tandem proſperitatem hanc ſpiritualem, ideo cohibuit ſe, & alia via nos aggreſſus, horrenda infelicitate noſtra triumphat. Et qui bello vincebatur, pace nunc regnat; mira certe vtrinq; Dei ordinatione. Scite ergo & veriſſime S. Hilarius dixit, Eccleſiæ eſſe naturam vt aduerſitatibus creſcat, vtiq; proſperitatibus decreſcat. At hæc ſapientia crucis, & noua rerum ſignificatio, non modo incognita eſt: Sed longe omnium quoq; horrendiſſima, ipſis etiam Eccleſiæ optimatibus. Nec mirum poſtquam deſertis ſacris literis, infelices hominum conſtitutiones & Ratiocinaria pecuniarum cœperunt legere.

Prou. 1. — *Bonus ſtatus Eccleſiæ qui hodie dicatur.* — *Dictum Hilarij. Eccleſia aduerſitate creſcit, & proſperitate decreſcit.*

Non ſic impij, non ſic,

Pius tremit ad verbum Dei. IN Ebræo ſemel, Non ſic, dicitur: ſed hoc parum habet momenti. Et cum audis impios, recordare eorum, quæ de impietate ſupra diximus, ne cum impijs hoc verbum, teleges tantum ad Iudæos, Hæreticos, & neſcio *Impius.* quos longe poſitos, ne forte & tu Dei timore poſito, hoc verbum Dei non reuerearis. Sed cum impius ſit, qui ſine fide Chriſti eſt, tremendi ſunt tibi hi ſermones, ne & tu inueniaris impius. Verus enim pius, tremit ad omne verbum Dei, ſicut Iſaiæ vltimo dicit: Ad quem autem reſpiciam, niſi ad quietum & humilem & trementem ſermones meos? Quomodo confides te ſatis fidei *Eſa. 66.*
Impij. Pij. habere? At quantum deeſt fidei, tantum adeſt impietatis. Impiorum eſt, ea quæ bona ſunt, tota ſecuritate ſibi arrogare, & mala ad alios referre. Piorum eſt mala ſibi intentata credere, & bona ad alios pertinere, nec niſi cum multa indignitate ad illa ſuſpirare, vt non per meritum, ſed nudam ſpem miſericordiæ Dei eadem conſequantur.

Igitur impijs nihil proſperum, folium areſcens, nec plantati ad riuos aquarum. Item in Spiritu loquentem, audi in ſpiritu, impios enim florere & bene habere omnis Scriptura clamat, Et idem multis in Pſalmis videbimus, ita vt de ipſis ſolis poſſis dicere. Folium eorum viret, omnia quæ faciunt proſperantur. Fide ergo opus eſt.

Sed tanquam puluis, quem proijcit ventus à facie terræ.

Qui palea & puluis ſit. ADditum eſt, à facie terræ, ſed ſine periculo intelligentiæ: Sic nec illud refert, quod Ebraice camotz, ſicut palea, puluis aceris ſeu quiſquiliæ ariſtarum dicitur, Idem eſt enim, ſiue puluis, ſiue acus, fauilla, palea dicatur, Hi enim ſunt de quibus Lucæ 3. Cuius ventilabrum in manu eius, & purgabit aream ſuam, & congregabit triticum in horreum ſuum, *Luc. 3.* paleas vero comburet igne inextinguibili. Hoc purgamentum, has paleas, hos pulueres, hoc loco ſignificari non dubites, quanquam vere & proprie acus & comminuta palea ſignificetur. Sic Iob. 21. eadem ſententia, Erunt ſicut paleæ *Iob. 21.* ante faciem venti, & ſicut fauilla, quam turbo diſpergit.

Quæ proijcit ventus. Iudæi propelluntur tripliciter. Obſerua, non ſimpliciter paleas appellat, ſed eas, quas proijcit ventus, non eas, quæ tranquillæ iacent, ſed diſperſas, vagas, inquietas paleas vult ſignificare. Et de Iudæis primo intelligendus eſt. Hi tripliciter propelluntur. Primò corporaliter à turbinibus, id eſt, voluntatibus, & indignatione hominum, inter quos habitant, Vt ad oculum cernimus, nullas eſſe eis certas ſedes, omni momento expoſitis vento huiuſmodi propellenti. Secundò, quod vento doctrinæ varie circumfertur mens eorum per peſtilentes Doctores, dum non ſint plantati in Chriſti fide, mente autem incertis doctrinis diſpulſa, iam nec conſcientia certa & quieta eſſe poteſt. Tertiò, in nouiſſimo die turbinibus æternis intolerabilis iræ Dei pellentur, diſpergenturq́;, nunquam requiem habituri, ne ad momentum quidem. Hos proxime ſequuntur Hæretici, præſertim poſtremis duobus turbinibus.

Et quid aliud arbitraris in Eccleſia eſſe, quam turbinem iræ Dei? quo in tot tam diuerſas, tam inconſtantes, tam incertas, eaſdemq́; infinitas gloſſas Iuriſtarum & opiniones Theologorum propulſi ſumus, & interim Chriſto penitus incognito, in multas ſyrtes, charybdes, ſymplegadas conſcientiarum impingentes miſerrime colliſi ſumus. Habent autem & cæteri impij ſuos turbines & procellas cupiditatum, voluptatumq́; in diuitijs, honoribus, fauoribus, & alijs fluctibus huius mundi, quibus infeliciſſime concutiuntur, quia vnicam petram, ſolidum cordis noſtri firmamentum, contemnunt.

Ideo

Ideo non reſurgent impij in iudicio, neq; peccatores in concilio iuſtorum.

SAt dictum, qui ſint impij & peccatores: modo tu ne ſine tre-more hos Dei tui ſermones audias, quaſi pius & ſanctus ſis. Timor ipſe pietas eſt, imo ſapientiæ & pietatis caput & principium. *Timor Dei.*

SVrgent, Ebræus habet, non reſurgent: Neq; de reſurrectione mortuorum loquitur, Non enim dixit; Non reſurgent homines in iudicio, ſed impij. Alia eſt reſurrectio hominum, alia impiorum. Proinde recte in Symbolo, carnis magis quam hominum reſurrectio dicitur. Et Apoſtolus, mortuorum ſeu hominum reſurrectionem vocat euidenter duas reſurrectionis hominis aſtruens, carnis & ſpiritus. Surgere autem hic ſignificat, quod impij non ſtabunt coram Deo iuxta illud Pſal. 5. Neq; habitabit iuxta te malignus, neq; permanebunt iniuſti ante oculos tuos. Et Pſal. 24. Quis aſcendet in montem Domini, aut quis ſtabit in loco ſancto eius? Sic de Chriſto quoq; dicit: Dum exurgeret in iudicium Deus. Et Pſal. 12. Nunc exurgam dicit Dominus. Idem ergo eſt, Non ſurgent, quod non ſtabunt, non ſeruient, non miniſtrabunt Deo, ſicut quam maxime præſumunt. *Reſurrectio carnis & ſpiritus.*

(left margin: Pſal. 5. / Pſal. 24. / Pſal. 12.)

IVdicium, hic officium ſignificat, tropo Scripturæ, Sic totus liber Iudicum, à Iudicibus ſeu Rectoribus vocatur, Pſal. 122. Quia illic ſederunt ſedes in iudicio, ſedes ſuper domum Dauid. Ita de Chriſto Pſal. 110. Iudicabit in nationibus, id eſt, erit Iudex gentium. Et Pſal. 72. Iudicabit pauperes populi, id eſt, reget eos. Et Pſal. 96. Iudicabit orbem terræ in æquitate, & populos in veritate ſua. *Iudicium.*

(left margin: Pſal. 122. / Pſal. 110. / Pſal. 72. / Pſal. 96.)

Eſt itaq; ſenſus, Impij nunquam eò aſcendent, vt ſint iudices & rectores fidelium, ſed neq; in concilio, id eſt, congregatione eorum, hoc eſt, nec de primatibus, nec infimatibus iuſtorum erunt. Apertius ergo erat; Ideo non ſurgent impij in iudicium, neq; peccatores in concilium iuſtorum, prorſus non cenſebuntur inter ſeruos Dei.

Sed quid? Nunquid impios rectores, & malos homines deturbabimus, & è medio noſtro eijciemus? Aut non eſt concilium fidelium, vbi præſunt impij, & interſunt peccatores? Abſit.

Dixi in ſpiritu loqui Prophetam, ideo in Spiritu audiendum. Sicut enim Iudas erat Apoſtolus, & non erat Apoſtolus. Et vt Iohan. dicit: Exierunt ex nobis, ſed non erant ex nobis. Ita impij dum præſunt, ad hominem viſibiliter præſunt, re vera non præſunt. Nam & Zacharias, O paſtor, inquit, & Idolum derelinquens gregem, Simul paſtorem appellans, quo nomine apud homines honorabatur, ſimul idolum, quo reuera apud Deum damnabatur. Ita & Chriſtus, vt intelligeremus præſidentiam non eſſe rem ipſam fidelis, multos impios in hac vita remunerat, tam vili mercede. Tolerandi itaq; ſunt vtriq;, ſicut palea inter triticum vſq; ad ventilationis diem. *Impij viſibiliter ad hominem præſunt, reuera non in ſpiritu.*

(left margin: 1. Iohan. 2. / Zacha. 11.)

Et vide ne id Propheta clare indicet, Cum enim præmiſiſſet: Non ſic impij, non fuiſſet neceſſe repetere in alio verſu, ſed ſuffecerat dicere: Ideo impij non ſurgent in iudicio, neq; in concilio peccatorum, Sed detraxit perſonas & externam hominum faciem, quia homines diuites, potentes, & ſi qua alia facies eſt, poſſunt ſurgere in iudicium, & eſſe in concilio iuſtorum, cum hæc omnia ad corpus pertineant, Sed impij & peccatores nunquam, Igitur emphaſis & epitaſis tota in vocabulis impij & peccatoris viget. Re vera & in ſpiritu nunquam præſunt, nunquam interſunt impij fidelibus, licet tanta ſpecie vitæ fulgeant, vt nulli magis præeſſe & intereſſe fidelibus putentur. Hanc enim laruam & hypocriſin, qua ſe inflant & præſumunt, ſecumq; alios fallunt, perſequitur hic Pſalmus, Deniq; hunc eſſe huius verſus ſenſum, ſequens verſus declarat.

Quoniam nouit Dominus viam iuſtorum, & iter impiorum peribit.

POterat interpres omiſſa varietate ſua dicere, Via impiorum, cum ſit eadem dictio, & ſatis pulchra erat Antitheſis, via iuſtorum, via impiorum, ſeruata ſimplicitate vocabuli.

Impios Deus non nouit.

Tam ſpecioſa (inquit) eſt via impiorum, vt apud homines videantur ſurgere in iudicium & concilium: Sed ille, qui non fallitur, nouit vias eorum, & ſcit eos impios eſſe, & coram eo non ſunt in vllo Eccleſiæ ſuæ numero: Nouit ſolos iuſtos, impios non nouit, id eſt, non approbat. Proinde, quod illi minime omnium credunt, via eorum peribit, peribit inquam, quæ tanto ſucceſſu creſcit, vt æterna videatur futura. Vide quam nos a ſpecie proſpera absterreat, & varias tentationes & aduerſitates nobis commendet. Nam hanc viam iuſtorum, homines omnino reprobant, putantes & Deum ignorare eam, quia ſapientia crucis hæc eſt, Ideo ſolus Deus nouit viam iuſtorum, adeo abſcondita eſt etiam ipſis iuſtis, Dextera enim eorum ducit eos mirabiliter, vt ſit via non ſenſus, non rationis, ſed ſolius fidei, in caligine & inuiſibilia videntis.

Impijs obedire paſtoribus.

Quando ergo impijs paſtoribus obedimus, non impijs, ſed hominibus obedimus, non enim impietatem eorum audimus aut ſequimur, ſed humanam præſidentiam toleramus. Rurſum, qui eos eijciunt & deturbant, vt in Boemia factum videmus, Nunquid impios deturbant? non, ſed homines deturbãt, Nam etiam deturbati impij, impij manent. Tunc autem impius deturbatur, quando de impietate ad pietatem ducitur, quod non fit furore externe violento, ſed charitate interne orante, foriſq; monente, ſi Deus cooperatus fuerit.

Cui hæc intelligentia non placet, maneat in illa, Quod impios primum Iudæos appellat: Nam hos & multis alijs locis expellendos ab Eccleſia prædixit. Sed & Hæretici, & quicunq; palam ſuam profitentur impietatem, tum ipſi ſeipſos ab Eccleſia alienant, tum Eccleſia quoq; eos alienat & excommunicat, quantumlibet ſe ſolos Eccleſiam eſſe & populum Dei iactitent.

Accomodandi ſunt noſtri affectus Pſalmorum affectibus.

IN fine hoc monendum, quod illuſtriſsimi Patres, præſertim Anaſtaſius & Auguſtinus tradiderunt, hoc eſt, vt affectibus Pſalmorum affectus noſtros accommodemus & attemperemus. Cum enim Pſalterium ſit non niſi affectuum quædam palæſtra & exercitium, ſine fructu pſallit, qui non ſpiritu pſallit, Vt quando legis, Beatus vir, qui non abijt in concilio impiorum, oportet ſimul affectum mouere, & deteſtari, ac deprecari concilium impietatis, non ſolum pro te, ſed pro tota prorſus Eccleſia, Sic viam peccatorum, ſic doctrinam peſtilentiæ. Nam hoc igne (charitatis affectu) comburendi ſunt Hæretici, & quicunq; impie ſapiunt ac docent. Quem ignem, quia contempſimus, tradidit nos Deus in reprobum ſenſum, vt carnifices fieremus, & Hæreticos igne naturali combureremus, rurſum combureremur & ipſi.

Quando comburendi ſint Hæretici.

Ita dum ſonas, Sed in lege Domini voluntas eius. Non hic ſtertas ac tibi ſecure plaudas, quaſi iam ſis legis Dei amans, ſed quanto potes ardore affectus, ſuſpires ad eum, qui ſolus venit ignẽ mittere in terram, nec quam diu viuis aliter de te ſentias, quam de eo, qui nondum amet legem Dei, & vehementer egeat voluntate iſta legis.

Exercitium in Pſalmis aggrediendum.

Ita dum omnia proſperari audis iuſto, optandum id tibi eſt, & gemendum pro omnibus, qui in aduerſitatibus quibuscunq; ſunt conſtituti. Ita ne folium defluat, vt purum Dei verbum, reiectis hominum fabulis & ſomnijs in Eccleſia Chriſti floreat. Quod ſi qua talia fieri videris, gratulandum, gaudendum eſt, & gratiæ agendæ benignitati diuinæ. Nec te ad impoſſibilia cogi exiſtimes, fac periculum & gaudebis ac gratus eris, ſcio. Primum vno Pſalmo, imo vno verſiculo Pſalmi exercere. Sat profeciſti, ſi vnum verſiculum per diem vel etiam hebdomadam didiceris affectibus viuum & ſpirantem facere, Facto

hoc

hoc initio, omnia ſequentur, & veniet tibi theſaurus cumulatiſſimus intelligentiarum & affectionum, tantum vide, ne tædio ac deſperatione abſterrearis inchoare. Nam hoc vere eſt pſallere, ſeu, vt ſcriptura de Dauid dicit, percutere manu cytharam. Leues enim articuli illi cytharœdorum, qui per fidiculas currunt, & eas vellicant, ipſi affectus ſunt in verbis Pſalmorum curſitantes & eadem mouentes, ſine quibus vt cordulæ non ſonant, ita nec Pſalmus pſallitur, quia non tangitur. *Pſallere.*

HÆc volui hoc primo Pſalmo monere ſemel, vt non ſit neceſſe per ſingulos idem repetere. Scio autem futurum, ſi quis exercitatus in hac re fuerit, plura per ſe inuenturus ſit in Pſalterio, quam omnes omnium commentarij tribuere poſſint. Video D. Bernar. hac arte præſtitiſſe, & omnem ſuæ eruditionis copiam hinc hauſiſſe. Idem & in B. Auguſt. & alijs officri puto. Quare & nos ex eodem fonte bibere oportet has aquas vitæ, ne nos illa irriſio Prophetæ Amos apprehendat, Sicut Dauid putauerunt ſe habere vaſa (id eſt, Pſalteria) cantici. Et iterum, Aufer à me tumultum carminum tuorum, & cantica lyræ tuæ non exaudiam. Quid enim putas Deo videatur boatus ille aut murmur, quo paſſim templa occupantur, ſine mente & ſpiritu, niſi quoddam examen muſcarum alis ſuis murmurantium, Cui ſi id addas, vt credas Deo iſta placere, ludibrium & phantaſma ex Deo viuo & vero feceris. *Fructus Pſalmorum.* *Boatus in Eccleſia.*

ms. 6.

PSALMVS II.

QVARE FREMVERVNT GENTES, & populi meditati ſunt inania?

Aſtiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum, Aduerſus Dominum & aduerſus Chriſtum eius.

HVnc Pſalmum eſſe à Dauid factum, & de Chriſto loqui, cogit autoritas primitiuæ Eccleſiæ, de qua Lucas Acto. 4. ſcribit: Vnanimiter leuauerunt vocem ſuam ad Deum, & dixerunt: Domine, qui feciſti cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis ſunt, qui Spiritu ſancto per os patris noſtri Dauid, pueri tui, dixiſti: Quare fremuerunt Gentes, & Populi meditati ſunt inania, Aſtiterunt Reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius? Conuenerunt enim vere in ciuitate iſta, aduerſus ſanctum Puerum tuum Ieſum, quem vnxiſti, Herodes & Pontius Pilatus, cum Gentibus & populis Iſrael facere, quæ manus tua & conſilium tuum decreuerunt fieri &c. *Intellectus Pſalmi.* *Reges.*

4.

Firmandus itaq; eſt animus hoc ſenſu, nec alio doctrinæ vento agitandus, de cœlo enim confirmatus eſt iſte intellectus, commotus eſt locus, finita hac eorum oratione, vt ſcribit idem Lucas. Perſpicuum eſt ergo, per Reges terræ, intelligi Herodem & Pilatum, etiamſi Pilatus non erat Rex, hi duo enim ſimul cooperati ſunt, vt implerent quod conſilium Dei decreuerat, ſicut hic dicunt (id eſt, Chriſtum perderent) Non enim alij hoc fecerunt Reges, nec de alia re loquitur, quam quæ ſub Pilato contra Chriſtum geſta eſt.

Reliquum eſt, vt hunc nihili nodum diſſoluamus, aut Pilatum regem appellatum cum Herode, aut tropo Scripturæ vſitatiſſimo nomine patris totum appellatum. Sicut Iſrael vocatur filius primogenitus, cum multi inter eos eſſent Idolatræ, Rurſum omnes arguuntur vbi pauci meruerunt, Ita vnus rex, vtrunq; regem facit. *Iſrael filium primogenitum.*

Principes. Gentes. Populi. Gens & populus.

Iam per Principes intelligi Sacerdotum principes, per Gentes milites Romanos ſub Pilato, qui Ieſum comprehenderunt, flagellauerunt, crucifixerunt: Per populos vulgus Iudæorum, ſeu Iſrael, vt ipſi dicunt, ſatis clarum eſt.

Hoc loco gens & populus manifeſte diſcernuntur, ſed non auſim dicere, nec credo conſtantem eſſe per omnia hanc differentiam, quanquam vocabulum gentium frequentiſſime vſurpetur contra Iſrael ſeu Iudæos, ita vt Eccleſia gentium, & Paulus Apoſtolus gentium, iam celebri autoritate & vſu, dicatur contra Iudæorum Eccleſiam ſeu quæ ex Iudæis venit.

Gentes. Populi.

NOta partitionis obſeruantiam, Gentes fremunt, Populi meditantur inania, Reges aſſiſtunt, Principes conueniunt in vnum, Gentes, vt irrationales beſtiæ fremunt, quid enim facerent, ignorabant: Populi autem garriebant & ſua conſilia conferebant, locuti, ſcilicet nequitiam in Excelſum, & ſermonibus odij circundederunt eum, vt Pſal. 108, dicentes. Venite occidamus eum, & noſtra erit hæreditas. Et Caiphas Iohan. 11. concilio coacto dixit: Vos neſcitis quidquam, nec cogitatis: Expedit vobis, vt vnus homo moriatur pro populo. Iſte ergo tractatus inanis, quo quærebant toties Chriſtum perdere, & accuſationis commenta coram Pilato, hic inanes meditationes vocat. *Pſal. 108* *Iohan. 11*

Reges.

Reges autem ſtatuerunt (ſic enim ex Ebræo, aſtiterunt intelligendum eſt) id eſt, definierunt, pronunciauerunt, ſtabilierunt fremitum & meditationes illorum, data ſententia ſuper Chriſtum, volens, inquit, ſatisfacere populo, Pilatus dimiſit illis Barrabam, Ieſum vero tradidit, vt crucifigeretur, Principes conuenerunt, conſuluerunt, perſuaſerunt ſimul & firmati ſunt, vt Ieſum perderent: Concitauerunt enim turbam, vt magis peterent Barrabam &c. *Principes.*

Modeſtia ſacræ Scripturæ.

Aduerte verecundiam & modeſtiam oris Prophetici, quam tenuiter ac velut compatienter furorem illorum exprimat, cum enim furiales illas voces, Tolle, tolle, Crucifige, crucifige eum, & alios clamores feroces Iudæorum, quibus Chriſtum accuſarunt, potuiſſet dicere, furias & impetus, meditationes tantum vocat. Meditatio autem, vt ſupra diximus, garritus & fabulatio oris eſt. Eſt enim hæc mala meditatio: Nam ſicut amans de amante libenter multa loquitur, ita oſor quoq; de eo quem odit, aſſidue & peſſima loquitur & garrit. Similis verecundia in verbis, Fremuerunt, aſtiterunt, conuenerunt, cum res ipſa fuerit longe atrocior, quam vis horum verborum indicet. *Meditatio mala.*

Extenuanda mala proximi.

Quo docemur oportere mala hominum, non more detractorum exaggerare, ſed quantum poteſt fieri extenuare, vt oſtendamus, nos non tam noſtri gratia indignari, quam illorum miſeria dolere. Benignus eſt enim Spiritus ſanctus, non gloriatur in malis alienis, ſed ſua bonitate miſeretur omnibus, Nam ſic ſanctus Petrus & Chriſtum memorat non maledixiſſe, nec comminatum fuiſſe, cum pateretur, nec vindictam optaſſe, ſed omnia tradidiſſe ei, qui iuſte iudicat. *1. Pet. 2.*

Inania. Argumentum Pſalmi.

Inania dicit, quo verbo pene totius Pſalmi argumentum comprehendit, Vult enim Propheta oſtendere Chriſtum à Deo Patre inſtitutum Regem multis & magnis Gentium & Iudæorum, Regum & Principum reſiſtentibus conſilijs, ſtudijs, furoribus non potuiſſe impediri, Sed adeo illos inaniter omnia conſumpſiſſe, vt & ſeipſos irriſerint, & eo ipſo quo reſtiterunt, magis promouerint regnum Chriſti, Quaſi hoc Pſalmo, exempli vice, illud probare voluerit, quod Pſalmo primo dixit: Omnia quæcunq; faciet proſperabuntur, in quantum de Chriſto intelligitur. *Pſal. 1.*

Proſperitas Chriſti.

Nam huc illud pertinet Pſal. 45. Specie tua & pulchritudine tua intende, proſpere procede, & regna, Et 118. O Domine bene proſperare, benedictus qui venit in nomine Domini. Proſperitas enim Chriſti (vt dixi) non mundana neq; carnalis, ſed ſpiritualis eſt. Quis eſt enim, qui, cum pateretur Chriſtus, *Pſal. 45.* *Pſal. 118.*

non

non putaſſet eum vnquam futurum hominem infimum ac viuum, nedum Regem omnium? Quis non meditationes populi tunc ſtabilitas, & non inanes eſſe crederet, quando & autore Deo à ſe damnatum ad maledictum crucis gloriarentur, ac in æternum firmata arbitrarentur meditata ſua? Adeo ſemper opus eſt fide & ſpe in operibus Dei, non tandum ferendis, ſed & intelligendis, quæ contra omnem ſenſum, ſupra omnem captum, implentur.

ET illud quoq; fidei verbum eſt: Aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius. *Aduerſus Dominum &c.* Nam pro Domino & pro Chriſto agere videbantur cum omnibus alijs tum maxime ſibijpſis. Sic & hodie & ſemper impij pro gloria Dei, contra gloriam Dei, horrendo periculo operantur. Sic enim Deus adminiſtrat mundum, & ſtultificat eius ſapientiam, vt illi, qui pro gloria Dei agere iudicantur, vere in blaſphemiam eius agant, & qui blaſphemiæ crimi- *Opera Dei.* nantur, hi vere pro gloria Dei certent, In abſconditis, in fide, in ſancta via eius. *Apoc. 10.* Atrium non menſuratur, quia datum eſt gentibus, ait Apoſtolus Apocal. 10.

Prius dicit *Aduerſus Dominum*, deinde, *aduerſus Chriſtum eius.* Quia omne peccatum primo omnium offendit Deum, ipſe enim eſt non ſolum iuſticia, ſed amor quoq; iuſticiæ, & ex ipſo accipiunt, quicunq; diligunt iuſticiam, neq; enim peccatum eſſet, niſi Deum offenderet.

Sed ideo quoq; ſic ordinat verba, vt pro noſtra conſolatione & exhortatione diſcamus, nunquam nos pati iniuriam, quin prior & magis offendatur Deus, quam nos, & tantam eſſe ſuper nos Dei patris curam, vt ante ſentiat, in *Cura Dei patris de nobis.* digniusq; ferat noſtram iniuriam, quam nos ipſi, vt ab affectu vindictæ nobis temperemus, quin potius eorum miſereamur, quos videmus per nos in tantam maieſtatem, pro ſua perditione irruere, cum non modo non poſſint *Zacha. 2.* nocere, ſed ſeipſos potius horribiliter perdant. Sic ait: *Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei.*

Nam & Propheta velut ex animo condolens illorum temeritati. Primum, interrogatiue incipit, vt quid fremuerunt? Quare ſeipſos irrident? cur moliuntur ſtulti impoſſibilia? O vtinã ſaperent & intelligerent. Deinde exhortatus eos monet, vt ſolida pro inanibus operentur, hoc eſt, vt erudiantur potius & intelligant ad ſeruiendum Chriſto in timore.

Deniq; & ipſa verborum tenuitate, inanitatem, & fruſtraneos conatus ſatis eleuat. Fremuerunt, inquit, meditati ſunt, aſtiterunt, conuenerunt. Q. d. Fremere poteſtis, abolere non poteritis, Meditabimini multa garrientes, nihil efficietis, Statuent reges, & non fiet, conſulent principes & irritum erit. Quid igitur reliquum vobis, niſi inani conatu multa voluiſſe, ardua tentaſſe, omnia exquiſiuiſſe, & nullum illorum contigiſſe, ſed omnia longe in contrarium euaſiſſe.

Ita impijs fremitus & conſilia & ſtudia aduerſus pios permittit Deus excitari, ſed hæc omnia ſunt velut fluctus tumentes aquæ, qui tumore ſuo velut *Impiorum inanes conatus.* obruturi littus irruunt, & antequam ad littus peruenerint in ſeipſis humiliãtur & euaneſcunt, aut inani loquacitate in littore colliduntur. Iuſtus enim vt littus, ſolidus in Chriſti fide, has languitas minas & cito ruituros tumores, fidens *Similitudo apta.* contemnit. Scit enim quod Moab ſuperbus eſt valde, & nunquam tanta eius *Iſa. 16. Iere. 48.* virtus quanta præſumptio, & maior indignatio, quam poteſtas, ſicut Iſaias & Iere. dicunt.

Qua cruce ſatis digne torquentur impij, quandoquidem inſignis eſt tortura, velle omnia nocere, & nihil nocere poſſe, vt etiam gentes de inuidia dixe- *Impiorum tortura.* rint, Inuidia Siculi non inuenere tyranni maius tormentum. Quod in re Chri- *Impiorum inuidia plus prodeſt pijs quam obeſt.* ſtianorum eo maioris eſt gratiæ, quod non ſolum torquentur impij, nec ſolum non nocere poſſunt, Sed conſulente Deo, ſua tortura, ſua inani machina, maxime omnium promouere cogantur, quod impedire nituntur, vt nec amici tantum poſſint Chriſtiano prodeſſe, quantum inimici.

Dirumpamus vincula eorum, & proijciamus à nobis iugum ipſorum.

μιμητικῶς.

HVnc verſũ connecti oportet verbis illis, fremuerunt, meditati ſunt, aſtiterunt, vt ſit ſenſus: Hoc ſcilicet, fremuerunt, hoc garrierunt, hoc ſtatuerunt, hoc concluſerunt, vt Dei & Chriſti iugo colla ſubducerent, vincula eorum rumperent, & dicerent: Nolumus hunc regnare ſuper nos, Lucæ 16. Aut illud Iob. 21. Qui dixerunt Deo, recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus. Quis eſt omnipotens, vt ſeruiamus ei? aut quid prodeſt nobis, ſi orauerimus illum? Inducit enim Propheta impios, ita loquentes. *Luc 16. Hob. 21.*

Vincula eorum non eius.

Alijs aliud videtur. Ego interim hunc ſenſum ſequor. Proinde, quod alijs ſcrupulum iniecit, quod plurali numero, eorum & ipſorum dixit, ad Dominum & ad Chriſtum eius referri debet, qui ſine dubio duo ſunt, Deus & homo, mittens & miſſus. ſicut ſi diceres Reiecit populus tam Legatum quam Principem, nec acceperunt conſilia eorum.

Significari autem vinculis & iugis præcepta diuina, per allegoriam, vel metaphoram, Ieremias 5. probat. Ego autem dixi, forſitan pauperes ſunt & ſtulti, ignorantes viam Domini & iudicium Dei ſui. Ibo igitur ad optimates, & loquar eis: Ipſi enim cognouerunt viam Domini, & iudicium Dei ſui. Et ecce magis hi ſimul confregerunt iugum, ruperunt vincula. Eiuſdem 2. A ſeculo confregiſti iugum meum, rupiſti vincula mea. Quanquam hic locus deprauatus eſt, cum in Ebræo prima perſona, Deus dicat: A ſeculo confregi iugum tuum, & rupi vincula tua. Vt ſint vincula contraria vinculis, iugum, iugo, via Dei, viæ hominum, iudicium Dei, iudicio hominum. *Iere. 5.*

Vincula & iugum &c.

Vincula. Iugum.

Vincula mandata Chriſti ſunt, quibus in via eius ambulare docemur. Iugum ſeu funes, iudicium, quo prohibemur operari mala, vt ſit illud iuſtificatio ſpiritus, hoc mortificatio carnis. Duo enim ſunt, quæ præcipiuntur: Declinare à malo, & facere bonum, quorum prius ad crucifigendas carnis cupiditates, poſterius ad bona opera facienda pertinet. Nec refert, ſi hæc quis permutet vt vincula pro iudicijs & iugum pro iuſticijs accipiat, idem enim permanet ſenſus, quo habito, verbi contentio contemnenda eſt.

Eſt autem totus verſus allegoricus, Nam rumpere pro contemnere, & irritum facere. Vincula pro præceptis, Proijcere pro non obedire, negligere, non recipere, Iugum pro eruditione & diſciplina caſtigandæ carnis accipitur. Non autem allegoricum dico, more recentiorum, quaſi alius ſenſus hiſtorialis ſub eo ſit quatenus, quam qui dictus eſt, ſed quod verum & proprium ſenſum figurata locutione expreſſit.

Illud vide, peruerſis omnia peruerſa, ſicut dictum eſt, Cum peruerſo peruerteris. Legem Chriſti, quæ libertatis & ſuauitatis eſt, vincula & iugum appellant, ſeruitutem & difficultatem arbitrati. Rurſus ſuam legem, qua vera eſt ſeruitus & infirmitas, libertatem & facilitatem eſſe credunt. Adeo impijs omnia cedunt in malum. Sic Iere. 23. Quia dixiſtis ſermonem iſtum, onus Domini, & miſi ad vos, dicens: Nolite dicere onus Domini. Propterea, Ecce, ego tollam vos & derelinquam, & dabo vos in opprobrium ſempiternum &c. Neceſſe eſt enim, vt cui ſua placent, diuina diſpliceant. *Pſal. 18.*

Lex Chriſti.

Lex hominum. Onus Domini. Iere. 23.

ITerum fidei oculis opus eſt, non enim Propheta dicit hæc, quod vellet, eos vere Dominum & Chriſtum intellexiſſe, quando dixerunt: Dirumpamus vincula eorum, cum pro Deo & pro lege eius ſeſe agere crederent, ſi Chriſtum reijcerent. Sed Propheta Dominum & Chriſtum appellat, quos, ab illis ignorantibus, contemptos deſcribit, Et vide an ne ideo toto verſu voluerit Allegoria vti, vt illos aliud ſimulaſſe, aliud feciſſe oſtenderet & quandam operis allegoriam in cæcitate ſua perfeciſſe, Dominum & Chriſtum reijcientes, quando maxime pro eis facere ſimularent.

Dirumpamus vincula eorum.

Quid

Quid ſi per Tapinoſin, pronomen, Eorum, poſuerit Propheta, vt ſimul
apud ſe referat & intelligat, Dominum & Chriſtum eius ſimul eorum inſi-
gnem arguat contemptum, quo Chriſtum nec nomine dignantur, nedum pro
Domino & Chriſto agnoſcant? Igitur hucusq; conatum eorum deſcripſit, quo
Chriſtum noluerunt Regem conſtitui, quem Dominus iam conſtituerat, in
quo non tantum contra Chriſtum, ſed multo magis contra ordinationem Dei
machinati ſunt, Sicut figuratum eſt in Dauid & Saule: Nam & ipſe Dauid di- *Dauid. Saule.*
uino præcepto, Rex inunctus erat. At Saul & Deo in hac ordinatione, & Da-
uid pertinaciſſime reſtitit. Nec diſſimili modo & ipſe fremuit, multa meditatus-
multum ſtatuit, multa conſuluit contra eum, ſed ſicut inaniter omnia præ-
ſumpſit, ita & Iudæi & gentes aduerſus Chriſtum, vt ſequitur.

Qui habitat in cælis irridebit eos, & Dominus ſubſannabit eos.

TAutologia iſta ſeu repetitio eiuſdem, quæ frequens in Scri- *In Scripturis repetitio.*
pturis eſt, firmitatis indicium eſt, autore ſancto Patriarcha Ioſeph, Ge-
Gen.41. ne. 41. vbi viſiones Pharaonis interpretatus dixit: Quod autem vidiſti ſe-
cundo, ad eandem rem pertinens ſomnium, firmitatis indicium eſt, eo quod
ſermo Dei fiat, & velocius impleatur. Ergo & hic. Irridebit & ſubſannabit,
idem repetitur, vt non ſit dubium, certiſſima omnia fore.

Habacuc.2. Quod benignus Spiritus, pro noſtra paracleſi & conſolatione facit, ne
ſcilicet in tentatione deficiamus, ſed in certiſſimam ſpem nos erigamus, Quia
veniens veniet, & non tardabit. Quare etſi in humanis locutionibus Tautolo- *Tautologia ſumme*
gia vicioſa & ſuperflua videatur, In rebus tamen Dei ſumme neceſſaria eſt, *neceſſaria in rebus*
Propterea quod ſpes (vt ait ſapiens) quæ differtur, affligit animam, vera, in- *Dei.*
Prouer.13. quam, ſpes, quæ in paſſionibus & cruce laborat, Dura eſt enim omnis mora ijs,
qui in paſſionibus Chriſti exercitantur. Ideo opus habent firmiſſima & ſecu-
riſſima promiſſione Dei, qua ſuſtententur.

Rurſus ſicut in promiſſionibus bonorum, non poteſt ſatis inculcari con- *Promiſſio bonorum.*
ſolatio afflictis, Ita in minis malorum non poteſt ſatis intentari terror inſenſa-
tis, duris & incredulis. Ideo & in hac parte opus eſt Tautologia, vt in terrorem
mittantur certiſſima & firmiſſima comminatione. Nam ſicut illis nimium ad-
eſt timoris & minus ſpei ac ſecuritatis, Ita his nimium adeſt ſecuritatis & ſpei, *Comminatio malorum.*
nihil autem ferme timoris, ſicut Pſal. 14. Non eſt timor Dei ante oculos eo-
Pſal.14. rum. His opus eſt, vt timeant Dominum, Illis vt ſperent in miſericordia eius.
Vt ſiet vtrinq; via media & recta, quæ deſcribitur ſic, Beneplacitum eſt Domi-
Pſal.147. no, ſuper timentes eum, & in eis, qui ſperant ſuper miſericordiam eius. *Media & via recta.*

Nobis ergo hæc ſcripta ſunt, vt per patientiam & conſolationem Scriptu-
rarum, ſpem habeamus. Nam hoc quod de Chriſto hic ſcribitur, exemplum
eſt omnium Chriſtianorum. Quilibet enim ſyncere volens Chriſtianus eſſe,
præſertim, ſi & verbum Chriſti doceat, ſuos patietur Herodes, Pilatos, princi- *Qui plus habet Herodes, Pilatos.*
pes, reges, gentes, populos, qui fremant in eum, meditentur inania, erigant ſe
aduerſus eum, & conueniant in vnum. Quod ſi ab hominibus hæc non fiant, à
dæmonibus, nouiſſime à conſcientia propria, ſaltem in morte fient. Tum opus
eſt, huius & ſimilis conſolationis meminiſſe: Habitator cœli irridebit eos, &
Dominus ſubſannabit eos, atq; in hac ſpe fortiter conſiſtere, nullaq; cauſa va- *Habitator cœli irridebit eos.*
cillare.

ET quo firmior ſit fiducia afflictorum, Emphaticos dicit; Ride-
bit & ſubſannabit, Q. d. Adeo certum eſt, eos inania moliri, quantũlibet o-
mniũ ſenſui videantur ſolidiſſima, vt Dominus nõ dignetur, velut ſerio ac
in re magna illis reſiſtere, Sed vt in re prorſus nihili, rideat & ſubſannet. Sicut

 & Pſal.

& Pſal. 37. in eandem ſententiam, Obſeruabit, inquit, peccator iuſtum, & ſtridebit ſuper eum dentibus ſuis, Dominus autem irridebit eum, quoniam proſpicit, quod venient Dies eius. Deinde aduerſarios noſtros non modo humiliandos, ſed etiam ridendos eſſe. Pſal. 37.

O quanta vis fidei in his verbis requiritur? Quis enim patiente Chriſto & triumphantibus Iudæis, Deum ridere ſenſit? Ita & cum nos premimur, quando credimus rideri aduerſarios noſtros à Deo, cum nobis tam Deo quam hominibus irriſi & ſubiecti videamur?

Irriſio diuina.

Irriſio autem hæc diuina eſt, vt dixi, quod Iudæos & gentes Chriſticidas, irriſos fecit toti orbi terrarum, reſuſcitans eum à mortuis, & ex deſperato Chriſti regno in vno populo, æternum florere fecit imperium eius ſuper omnem creaturam, Adeo in diuerſiſſimum euentum eorum ſtudia vertens, vt cantemus: Excelſus ſuper omnes gentes Dominus, & ſuper cœlos gloria eius. Qui humiliatus eſt ſubter omnes Iudæos, & infra terram quoq; fuit ignominia eius. Proinde ſicut in Verſibus præcedentibus paſſio & mors Chriſti prophetata eſt, Ita in hoc verſu Reſurrectio eius, licet obſcurius, prædicta eſt.

Deus ſedet & habitat.

Sed quid illa Periphraſis, *Qui habitat in cœlis*? Nempe quietum ſimul Iudicem, & mire abſconditum, pro noſtra ſpe erigenda, depingit, Habitat ille, qui pro nobis ſolicitus eſt, ſecurus & quietus, & ſi nos turbamur, non turbatur ille, qui curam noſtri habet. Nos fluctuamus, ſed ille ſedet, vt non in æternum det fluctuationem iuſto. Verum hoc totum adeo abſcondite, vt niſi in cœlis ſis, non cognoſcas. In terra, in aquis, in omnibus creaturis, pateris, abnegata eſt tibi vbiq; & in omnibus ſpes auxilij, donec fide & ſpe, omnia tranſiliens, eum attingas, qui in cœlis habitat, tunc enim & tu habitas & in cœlis, ſed fide & ſpe. Hic ergo ancora cordis noſtri figenda eſt, in omnibus tribulationibus, qua ratione fiet, vt non modo facilia, ſed & ridicula ſint mala mundi. Pſal. 55.

Tunc loquetur ad eos in ira ſua, & in furore ſuo conturbabit eos.

QVod de Tautologia dictum eſt verſu proximo, & hoc verſu ſeruetur. Inſenſatis enim & Dei contemptoribus nihil ſatis dici poteſt. Ridet enim haſtam vibrantem Behemoth ille, Hiob. 41. & æſtimat malleum ſicut ſtipulam, reputat ferrum quaſi paleas, & æs quaſi lignum putridum, Non fugat eum vir ſagittarius, in ſtipulam vertentur ei lapides fundæ &c. Quamuis hic Tautologia forte non eſſe videatur. Hiob. 41.

Quando autem locutus eſt ad eos in ira ſua, aut quæ fuit ira ſua? Vtique tunc, quando irriſit eos, Quod intelligemus, ſi quid ſit loqui Deum in ira ſua ſcierimus, Ieremiæ 18. dicit: Repente loquar aduerſus gentem, & aduerſus Regnum, vt eradicem & deſtruam & diſperdam illud. Iere. 18.

Loqui Deum in ira.

Ergo loqui in ira, eſt eradicare, deſtruere, diſperdere, hoc eſt, quod Iudæis contigit, qui dixerunt, Ne forte veniant Romani, & tollant locum noſtrum, & gentem, Melius eſt, vt vnus moriatur homo, ne tota gens pereat. Has inanes meditationes irriſit Dominus, dum id, quod impius timuit (iuxta Prouer.) venit ei, & per Romanos eradicauit, deſtruxit, & diſperdidit eos. Ira itaq; & furor Dei, fuit impetus Romanorum, ſicut Iſa. 10. dicit: Væ Aſſur, virga furoris mei, & baculus ipſe eſt. In manu eius indignatio mea, Ad gentem fallacem (id eſt, hypocritam & ſimulatricem) mittam eum, & contra populum furoris mei, mandabo illi &c, Quæ verba meo iudicio omnino de Romano exercitu dicta ſunt. Quod enim dicit: Mandabo illi, hoc in iſto verſu dicit, Loquetur ad eos quia mandato & verbo Dei omnia fiunt. Ipſe dixit, & facta ſunt &c.

Iohan. 11.

Ira Dei.

Eſa. 10.

Quare

Quare hoc verbum, loquetur, abſolute accipiendum eſt hoc modo, Loquetur, id eſt, verbo ſuo ſtatuet, mandabit, ordinabit, ſed quod ſit contra eos, non pro eis. Deinde non in miſericordia, ſed in ira. Nam loquitur & contra iuſtos & filios ſuos, dum mandat eis inferri Crucem & Mortem, iuxta illud 2.Reg.16. Dominus præcepit ei, vt malediceret Dauid &c. Sed in miſericordia. Quod ſi præpoſitio, ad, mutetur in aduerſus, & verbum, loquetur, in verbum mandabit, clarior erit textus: Tunc mandabit, aduerſus eos in ira ſua. *Loquetur ad eos.*

NEc ſolum deſtruet & diſperdet eos, ſed & conturbabit eos, quia foris pugna, intus pauore, eos conſumpſit. Conturbat ſane & filios ſuos miroq́, pauore exterret, ſicut Chriſtum in horto, ſed in miſericordia. Iudæos vero, dum à Romanis vaſtarentur & occiderentur, perpetuo incipiente pauore conturbauit. Impoſſibile eſt enim, vt impius moriens, non expaueſcat æterno pauore. Mitis fuiſſet pœna, ſi tantum vaſtati fuiſſent, ſed quod in ira vaſtati ſunt, atrox eſt, longe autem atrociſſimum, quod in ira vaſtati & occiſi, etiam in furore conturbantur, & in ſempiternũ horrorẽ per mortẽ ſunt protuſi. *Et in furore ſuo conturbabit eos.*

Iam vide Catalogum pœnarum horribilium, quæ Chriſticidis paratæ ſunt. Primum, amiſſa gloria, propter quam in Chriſtum maxime inſaniunt, fiunt ridiculum Deo & omnibus vbiq; ignominiam ſui ſpectantes, quod ſuperbis & inuitis non leue malum eſt. *Pœnæ Chriſticidarum.*

Deinde amiſſis omnium rerum auxilijs, vaſtantur, eradicantur, deſtruuntur, vt in corpore quoq; nullum ſit eis ſolatium.

Tandem ſummum accedit malorum, quod tribulatio & anguſtia conturbat animas eorum, æterno pauore. Ita in fama, in rebus corporalibus, in rebus æternis plectuntur, nullaq; ſit creatura, nec Deus illis propicius. Obſecro, quis non miſereatur inimicis ſuis, quis non ploret pro eis, quis non omnia pro eis, nedum ab eis ferat, qui firmiter credat, hæc intollerabilia mala illis imminere? Deinde vide ordinem. *Pius deplorat inimicos, non odit.*

Primum, Ridentur & ſubſannantur, verſa eorum gloria in ſummam confuſionem (Hæc enim extrema poſſeſſio eſt) Deinde vaſtantur, exuti rebus & facultatibus paternis, quæ eſt altera poſſeſſio. Vltimò, terrentur pauore, ablata omni ſpe & fiducia in ſpiritu, quæ eſt intima & nouiſſima poſſeſſio, atque hi fiunt, tanquam puluis ante faciem venti.

Atq; iterum vides impiorum pœnam deſcribi, pauorem & horrorem. Si-
14. cut enim regnum Dei eſt iuſticia, & pax & ſecuritas, ita neceſſe eſt, infernum eſſe peccatum, pauorem & horrorem. *Pœna impiorum.*

Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo, ſuper Zion montem ſanctum eius.

HIc mutatur perſona, non enim Dauid de ſe loquitur, ſed Chriſtus. Ebræus vero Patris perſonam ſonat: Ego conſtitui ſeu ordinaui Regem meum, ſuper montem Zion ſanctum meum. Nec puto hanc rem tanti eſſe momenti, vt propter verbi controuerſiam digladiemur, cum vterque ſenſus bonus ſit. Niſi quod Ebræus textus tropo Scripturæ vſitato magis conue-
110. nit, quo Patri tribuitur autoritas, iuxta illud Pſal.110. Dixit Dominus Domi-
89. no meo, ſede à dextris meis. Et Pſal.89. Et ego primogenitum ponam illum, excelſum præ regibus terræ. Stapulenſis putat dici poſſe, Ego autem vnxi Re-
4. gem meum, nixus verbo fidelium. Act.4. vbi dixerunt, Conuenerunt aduerſum Puerum tuum Ieſum, quem vnxiſti. Sed videntur verbum vnxiſti non ex iſto verſu, imo ex ſecundo ſumpſiſſe, vbi dixerant, aduerſus Chriſtum eius, quod ſonat, aduerſus Vnctum eius, quod confirmandi affectu repetunt, Vere, inquiunt illi, Chriſtus & vnctus eſt, quem tu vnxiſti, id eſt, Chriſtum feciſti. *Ego conſtitui regem meum.*

ILlud

ILlud pro mea paruitate ſapio, *Sanctum meum*, niſi Ebræus cogeret ad montem Zion copulari, non inepte ad Chriſtum pertinere videretur, vt eſſet ſenſus, Ego conſtitui Regem meum ſuper Zion montem, non quemlibet hominem, ſed eum, qui eſt ſanctus meus, vnctus à me Spiritu ſancto. Nam Chriſtus ſanctus Dei, & ſanctus Iſrael, dicitur in Scripturis, vt Pſal. 16. Nec dabis Sanctum tuũ videre corruptionem. Et Pſal. 89. Domini eſt aſſumptio noſtra, & Sancti Iſrael, Regis noſtri. Sed Ebræus, vt dixi, Montem ſanctum meum, habet.

Chriſtus ſanctus Dei. — *Pſal. 16.* — *Pſal. 89.*

Eſt itaq; ſenſus, Illi noluerunt eum regnare ſuper ſe, & aduerſus Me, & Regem meum, conuenerunt, Verum conſilium meum ſtabit, & voluntas mea fiet, Quis reſiſtet vultui meo? Occiderunt illi eum, Ego Regem conſtitui eum, Subduxerunt ſeſe illi, Ego montem Zion ſanctum ſubieci ei, & omnes terminos terræ, Ac ſi irriſi & ſubſannati ſunt, & inania meditari palam oſtenduntur.

Locus communis de ambitione & arrogantia. — *Ebræ. 5.* — *Decreta Pontificum.*

PErtinet iſte verſus ad locum communem ambitionis & arrogantiæ, quibus hodie in Eccleſia Chriſti, nihil impudentius dominatur, Sic enim Ebræ. 5. Apoſtolus eum tractat, Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, niſi vocatus, tanquam Aaron, nec Chriſtus ſeipſum glorificauit, ſed qui dixit ad eum, Filius meus es tu. Et iterum, Sede à dextris meis, hoc eſt, quod totus Pſalmus hic pene inculcat, qui omnia Chriſti à Patre ordinata, non à Chriſto ipſo arrogata & ambita deſcribit. At Decreta noſtra iam multis annis vix aliud quam de dignitate, poteſtate, priuilegijs, multo & graui ambitionis fœtore tractant, ſine vlla Patris ordinatione aut conſtitutione.

Mons Zion. — *Iohan. 4.* — *Eccleſia in omni loco.* — *Laus Eccleſiæ Ieroſolymitanæ. Contra primatum Papæ.*

Eccleſia Chriſti, mons Zion vocatur, quod inceperit, & miſſo Spiritu ſancto, ibi inſtituta eſt. Et quanquam nulli ſit loco addicta, tamen neceſſarium erat, vt in aliquo certo loco exordium haberet. Vnde & poſtea illinc mota eſt in omnem terram, vt impleretur illud Chriſti Iohan. 4. Venient dies, quando nec in Ieruſalem nec in monte hoc Patrem adorabitis. Atqui ita Eccleſia iam nullum locum, & omnem locum, habet. Simul Spiritu ſancto magiſtro, Eccleſiæ Ieroſolymitanæ hæc modeſtia ſeruata eſt, vt nunquam de primatu & dignitate cum alijs Eccleſijs certaret, ſicut Romana & Conſtantinopolitana certauerunt, diuturno & ſcandaloſo certamine. Cum tamen illa (ſi primatus quærendus eſſet) omnibus iuribus anteferri cæteris debuiſſet, tum quod Chriſtus ipſe Pontifex illius fuerit, Rex conſtitutus à Deo Patre, tum quod Eccleſia tota ibi exorta, exinde natæ omnes Eccleſiæ, vereq; mater Eccleſiarum ipſa ſola, ibi omnes Apoſtoli, & Diſcipuli velut Presbyteri fuerint, Sed noluit Deus id fieri, vt arrogantiam iſtam primatus reprobam nobis oſtenderet, nec affectandam vlli alteri, quam nec ei, cui debebatur, permiſerit.

Non quod damnem Romanæ Eccleſiæ Monarchiam, ſed quod deteſter eam vi & impetu extorqueri, ac velut præcepto Dei arrogari, quæ mutuo fidelium conſenſu & charitatis vinculo debuerat ſtabiliri, vt eſſet, non dominantis poteſtatis, ſed ſeruientis charitatis Monarchia. Arrogantiam damno, rem commendo, Aurum non eſt malum, ſed auaritia, Caro non eſt mala, ſed libido carnis, Quanquam etiam hic ſatis reſiſtit vigilanter Chriſtus, quod nunquam orientis Eccleſias huic ſubijci paſſus eſt.

Eccleſia ſpecula dicitur.

IGitur mons Zion vocatur, vſitatiſsimo tropo ſynecdoche, continens pro contento, ſicut Ieruſalem ciuitas, pro populo ciuitatis. Non ſolum autem hac ratione, ſed & nominis, rei & formæ allegoria. Nomen Zion, ſpeculam ſignificat. Eccleſia autem non tantum ſpecula dicitur, quod Deum & cœleſtia per fidem (id eſt, à longe) ſpeculatur, ſapiens quæ ſurſum ſunt, non quæ ſuper terram, Sed etiam, quod in ipſa ſint veri ſpeculatores, & vigiles in ſpiritu, quorum eſt populi ſubiecti curam habere, & inſidias hoſtium

ctium & peccatorum obſeruare,qui græce Epiſcopi,velut ſpeculatores vocantur,quos ob eandem cauſam Zionicos aut Zionios ab Ebræo fingere poſſis.

Zionicos aut Zionios pro Epiſcopo

Res autem eſt,quod Zion mons eſt,ita Eccleſia coram Deo ſpirituali altitudine ſublimis eſt,propter magnitudinem virtutum,donorum,gratiarum, operationum &c. quibus eam Deus exaltauit ſuper omnem potentiam,ſapientiam, iuſticiam hominum,iuxta illud Iſa.2.& Mich.4.Erit mons domus Domini in vertice montium,& eleuabitur ſuper omnes colles. Quod iterum cogor interpretari propter carnales iſtos ſomniatores, qui verba Dei ſemper trahunt ad pompam mundi. Exaltatur Eccleſia ſuper omnem poteſtatem & altitudinem mundi,non diuitijs aut potentia,ſed fide,ſpe,charitate,& virtutibus contemptricibus diuitiarum & potentiæ mundanæ. Quod enim Eccleſia nunc in his eſt ſublimis, non Eccleſiæ proprium eſt, ſed peregrinus quidam Leuiathan,ideoq; tantum decreuit in ſapientia verbi Dei,in ſanctitate vitæ,in virtute operum &c.Hi enim ſunt montes & vertices veriſſimi Eccleſiæ Chriſti,in quibus non poteſt eam mundus æmulari.In illis autem mundū ipſa iam diu ſuperat, ſi Eccleſia vocari debet,quæ talia facit. Nam Eccleſiam veram Chriſti,certum eſt,ſemper eandem manere.

Iſa.2. Mich.4.

Altitudo Eccleſiæ.

Forma Zion montis fuit, quod ipſe in vertice meridiano erectus,ciuitatem Ieruſalem ſub ſe habuit,in latere Aquilonis decliuem,& ad ſe accliuem. Vt Pſal.48.Mons Zion,latera Aquilonis,ciuitas Regis magni.

Situs montis Zion & Ieroſolymæ.

Pſal.48.

Iſta decliuitas & accliuitas poteſt ſignificare pugnam internam populi Chriſti,quæ eſt inter carnem & ſpiritum,Caro ad Aquilonem,Spiritus ad Meridiem tendit. Aut duas illas vitas,actiuam & ſpeculatiuam,Illa declinat ad curanda temporalia propter alios,Hæc aſcendit ad cœleſtia, & pendet ad ſpeculam,in qua ſunt Epiſcopi,vita & verbo excellentiſſimi,alios ad ſe trahentes.In quorum medio eſt,mons Morija,mons templi,hic eſt Chriſtus Deus & homo, qui vtranq; complectitur,in vtraq; moratur,ſicut idem mons Morija inter Ieruſalem,ſub monte Zion ſitus,figurat.

Eſt enim mons Morija,id eſt,viſionis,In quo Abraham obtulit filium ſuum,in quo & Salomon poſtea ædificauit templum,& nos quoq; ſuper Chriſtum offerimur,cum Iſaac, & ædificamur in templum Dei per verum Salomonem. Chriſtus enim mons Morija nobis eſt,quod Deus neminem videat neq; agnoſcat,qui non hoc loco,id eſt,ſuper Chriſtum & in Chriſto offertur & ædificatur,ſuper hunc enim ſolum reſpiciunt oculi Domini.Vnde vocatur mons,Dominus videbit in æternum,Verum Hæretici & ſuperbi alios montes viſionis ſeu inuiſionis potius erigunt,dum iuſticijs & operibus ſuis mereri Dei reſpectum volunt.

Mons Morija.

SAnctus dicitur, non figurali illa ſanctitate legis aut externæ conſecrationis,In ſpiritu enim loquitur.Ideo non contentus dicere ,Montem ſanctum,addit,meum,Quaſi dicat,qui & mea ſanctitate ſanctus eſt, non qua lapides,ligna,parietes ſanctificantur,ſed qua mens & corpus vnctione gratiæ Spiritus conſecrantur,& per fidem, ſpem,charitatem, purificantur de die in diem.Eſt enim ſanctum,quod ab vſu prophano ſeparatum, ſolis ſacris & diuinis vſibus dicatum eſt. Quod ceremonialiter & literaliter fit per Pontifices homines,ſed veritate & ſpiritu,per Spiritum ſanctum diffuſum,in cordibus noſtris.

Mons ſanctus meus.

Sanctum quid ſit.

In quibus omnibus manifeſte diſtinguit Chriſti regnum ab omnibus alijs regnis, De hoc ſolo Rege pronunciat:Ego conſtitui,ſeu ego conſtitutus ſum. Quæ perſona,cum ſit Deus inuiſibilis & ſpiritualiſſimus,omnino ſpiritualem Conſtitutorem indicat, cum cæteros non ipſe per ſeipſum, ſed homines per homines conſtituit, viſibiles per viſibiles. Non ergo regnum Chriſti eſt de hoc mundo,ſed in ſpiritu & veritate. Item:Regem meum, non regem hominum, ſeu quem homines conſtituunt.Chriſtus ergo Rex in ſpiri-

Regnum Chriſti ſpirituale.

Rex meus non hominum.

tu &

tu & coram Deo eſt. Deinde quanquam ſuper montem Zion conſtitutus eſt, tamen adiectum eſt, Sanctum meum (ſeu ſanctum eius) Vt regnum Chriſti intelligatur quidem eſſe populus in Zion, ſed is, qui ſpirituali ſanctitate ſanctus eſt.

Eccleſia Chriſti. Vides iterum, non in poteſtate, nec ſapientia, nec dignitate mundi, Eccleſiam Chriſti conſiſtere, Etſi ſunt, qui extra Monarchiam nouam, nullum Chriſtianum exiſtere garriant, cum Monarchiæ potentia nihil pertineat ad ſpiritualem ſanctitatem.

Prædicans præceptum eius, Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, Ego hodie genui te.

EBræus hoc loco ſeptimum verſum incipit hoc modo, Narrabo Dei præceptum, Dominus dixit ad me &c. quæ coherentia meo iudicio id efficit, vt ſciamus, de quo præcepto velit intelligi, quod ſeſe narraturum dicit, Nempe de illo, quod ſubiungit, Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, &c. Hoc inquit, habeo in mandatis, ad hoc ſum Rex conſtitutus, vt annunciem omnibus, me eſſe Filium Dei, clarificare enim Patrem debeo. Nam hic eſt ſcopus vniuerſi Euangelij, Chriſtum noſſe Filium Dei, ſicut Matt. 16. Quem vos me eſſe dicitis? Reſpondit Petrus: Tu es Chriſtus Filius Dei viui. Super hanc Petram ædificata eſt Eccleſia.

Scopus totius Euangelij Chriſtum noſſe filium Dei. *Matt. 16.*

Ita & Paulus 1. Cor. 1. Nos prædicamus Chriſtum virtutem & ſapientiam Dei. Et ipſe per totum Euangelium Iohannis aliud non facit, quam vt ſeſe Filium Dei oſtendat, ſemper Patrem Deum prædicans. Quod & in paſſione ei obiectum eſt, pro capitali crimine. Venit enim Chriſtus ad inſtituendam fidem, qua creditur in eum ipſum Filium Dei. Hæc autem fides eſt plenitudo omnium legum, iuſticia in ſeculum ſeculi, opus magnificentiæ Dei, mortificatio carnis, reſuſcitatio ſpiritus, victoria mundi, victoria carnis, victoria inferni, Sicut ait: Et portæ inferi non præualebunt aduerſus eam, Breuiter, hæc eſt omnia in omnibus, Sic Iohan. 8. Si non credideritis, quia ego ſum, moriemini in peccato veſtro, Rurſum Iohan. 6. Qui credit in me, non morietur in æternum.

1. Cor. 1. *Iohan. 8.* *Iohan. 6.*

Doctrina fidei tradita in Apoſtolorum Epiſtolis. *Iohan. 3. 12.*

Hinc Apoſtolorum Epiſtolæ plenæ ſunt fidei doctrina, quia ipſa eſt vita æterna. Sic Iohan. 3. Qui credit in Filium, habet vitam æternam, qui autem incredulus eſt Filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper ipſum. Et 12. Ego ex me ipſo non ſum locutus, ſed qui miſit me Pater, ipſe mihi mandatum dedit, quid dicam & quid loquar, & ſcio, quia mandatum eius vita æterna eſt, Quæ ergo ego loquor, ſicut dixit mihi Pater, ſic loquor. Claret ergo, quod præceptum Dei prædicatit, ſcilicet fidei, in ſeipſum Filium Dei, in ſalutem omnibus, qui recipiunt eum, qui credunt in nomine eius &c.

Sed dices, Si hoc voluit Spiritus, cur non planius verba diſpoſuit. In hunc modum, Annunciabo Dei præceptum, quod ego ſum Filius eius, hodie genuit me. Reſpondeo: Spiritus ſanctus vbiq; ſui ſimilis eſt. Sic enim & in Euangelio Iohannis, quando de ſe ſuaq; diuinitate loquitur, omnino id obſeruat, vt autoritatem Patris ſemper adducat, & totum quod ipſe eſt, in Patrem referat: Ego, inquit, à meipſo non loquor, doctrina mea non eſt mea, & Pater in me manens, ipſe facit opera. Et multa alia.

Filius Patri omnia accepta refert.

Ita & hic, Cum ſe præcepto Patris diceret annunciaturum ſe eſſe Filium Dei, primum inducit Patrem ad ſe dicentem, vt magis Patrem in Filio, de Filio loquentem, quam ipſum Filium de ſe ipſo, audiamus. Vt ſit ſenſus, Annunciabo Dei præceptum, me eſſe Filium Dei. Sed non hoc faciam mea autoritate, ne iactare me videar. Quin potius, quid Pater de me dixerit, vobis annunciabo, vt ipſum de me dicentem audiatis, qui mihi mandauit annunciare id, quod ad me dixit, Vt ſic autoritate illius mihi de me credatis.

Eg

Et nota,mutatio iſta perſonarum,iam Patris,iam Filij recitantis verba Patris de ſe ipſo,venerabilis & ſacra eſt,diuinitatis naturam & æqualitatem ſanctius commendans,quam vt ego pro mea immundicia latius audeam verſare, Deniq; hic Pſalmus vnus principalium Pſalmorum eſt totius Pſalterij. Id ſufficit,quod etiam Pauli Apoſtoli autoritate hic verſus,de generatione diuinitatis loquitur,Ebræ,1,dicentis:Cui enim Angelorum dixit aliquãdo:Filius meus es tu,ego hodie genui te. *Pſalmus 2. vnus de principalibus.* *Ebræ.1.*

IAm hoc vnusquiſq; per ſe obſeruabit,quod verba Patris exprimunt vnigenitum Filiũ,Dixit,inquit,ad me,ſcilicet,vnũ,nõ ad multos,Filius meus tu es vnicus,ſine dubio tam ſingularibus notis inſignem illum præ cæteris Filium ſignificans, de quo Pſal.89. Quis ſimilis erit Deo in Filijs Dei. Q.d.Multi filij Dei,ſed inter eos vnus,qui Deus eſt,quis huic ſimilis? Item:Ego genui te,ſolus,ſolum &c. *Pſal.89.*

ET illud quam vigilanter & digne ſancti Patres interpretati ſunt, Hodie genui te,id eſt,in æternitate. Aeternitas eſt,quod genitus eſt,gignitur,gignetur ſine fine,cui hoc eſt eſſe Filiũ,quod naſci ex Patre,nec naſci cœpit,nec deſinet, ſed ſemper naſcitur,præſentiſſima natiuitate. Recte hodie genitus dicitur,id eſt,naſcens ſemper,Nam hoc hodie,non habet heſternum nec craſtinum, ſed ſemper diurnum,Sicut Iohan,8.Antequam Abraham fieret.Ego ſum. *Hodie genui te. Aeterna filij generatio.* *Iohan.8.*

VBi eſtis nunc miſeri & ambitioſi homines,qui vices huius Regis in Eccleſia vel ambitioſe quæritis,vel infructuoſe tenetis,qui non annunciatis Dei præceptum,non prædicatis Ieſum Chriſtum crucifixum Filium Dei in ſalutem credentium.Sed theſauros colligitis,delitijs affluitis,laſciuitis in omni pompa rerum?Hic Filius Dei conſtitutus homo Rex,non quærit quæ ſua ſunt, ſed annunciat Dei præceptum, qui regnum ſuum non ſibi,ſed alijs in ſalutem accepit,in gloriam Patris. *In Epiſcopos & alios verbi Dei præuaricatores.*

AT hoc vnum officium verbi,quod ſolum Epiſcoporum eſt,ſolum præ cæteris omnibus omittitur,Deinde ſi ſint,qui illorum vice doceant, non præceptum Domini,non Chriſtum,ſed ſuas fabulas,aut, ſi optime, leges & traditiones hominum docent.Proinde ne credas ibi Eccleſiam, montem ſanctum Dei eſſe,vbi Chriſtus Chriſtum non puriſſime docet.Pondus enim verbi grande eſt,quod dicit,Annunciabo Dei præceptum. Dei,inquit, non hominum præceptum,conſiliũ,hiſtorias.Et ipſe ego annunciabo, Nam niſi Chriſtus loquatur in nobis,præceptum Dei nunquam annunciabimus.Ego,inquit, ero in ore tuo,& dilatabo os tuum,& implebo illud.

Nihil ergo diſcordat noſtra translatio in ſenſu cum Ebræa, niſi quod diſtinctio varia nonnihil & ſenſui officere ſolet, quo tamen habito,diſtinctio non nocebit,quare contentioſus eſſe nolo. *Lutherus non contentioſus.*

Diſcernit itaq; hic verſus genus doctrinæ,quod in nouo Teſtamento docetur,ab eo,quod in veteri docebatur.Olim lex,quæ iram operabatur,& peccatum augebat,Nunc fides,quæ remiſſionem operatur,& iuſticiam adimplet, docetur,Ideo illic legifer homo Moſes & ſeruus.Hic legifer Chriſtus Deus,& Dominus omnium.Ille faciebat ſeruos peccati,hic liberos iuſticiæ. *Doctrina noui & veteris Teſtamenti diſcrimen.*

Non quod etiam nunc non doceatur lex,cum Chriſtus dicat Matt,13, vtraq; doceri à docto ſcriba in regno cœlorum,tam vetera, quam noua, ſed quod gratiæ prædicatio propria ſit noui Teſtamenti,& legis propria veteris Teſtamenti,cum enim nullus ſit in hac vita, in quo impleta ſit omnis plenitudo noui Teſtamenti,nullus quoq; inuenietur, in quo non ſit aliqua pars veteris Teſtamenti reliqua.Tranſitus enim eſt & phaſe quoddam hæc vita,de lege ad gratiam,de peccato ad iuſticiam,de Moſe ad Chriſtum, conſummatio autem futuræ reſurrectionis eſt, *Matt.13.* *Vita piorum tranſitus eſt.*

Poſtula à me, & dabo tibi gentes in hæreditatem, & poſſeßionem tuam terminos terræ.

ET hoc ad præceptum pertinet, quod annunciandum ſibi Chriſtus, mandante Patre, deſumpſit. Dixit, inquit, Dominus ad me, mandauitque mihi Pater, vt poſtulem ab eo Gentes in hæreditatem. Et hoc præceptum eius annunciabo, vt credatis & ſciatis, me conſtitutum, non tantum Regem ſuper Zion montem ſanctum eius, id eſt, ſuper populum Iſrael, ſed & Hæredem ac Dominum vniuerſorum, vt qui hoc mandatum Dei à me audierit & crediderit, per me ad Patrem veniat, & ſaluus fiat.

Filij regnum mandato patris firmatum.

Iterum vides Chriſti regnum non arrogantia ſua præſumptum, ſed Patris autoritate & mandato firmatum. Sic enim ambitioſis non modo non oportuit exemplum aut patrocinium relinqui, ſed vitium eorum, etiam diuina autoritate compeſci. Nec ſic tamen ſatisfactum eſt monſtro tam valido. Chriſtus Dominus omnium, nihil citra Dei mandatum in Eccleſia gerit & facit, Et vermiculi hominum tentant & audent omnia, temeritate propria, in Eccleſia non ſua.

QVid autem hoc ſibi vult, Quod conſtituendo ſuper montem Zion, non præcipitur, vt poſtulet regnum montis Zion. Super Gentes autem promittitur hæreditas, non niſi poſtulanti, imo poſtulare iuſſo?

Gentibus ſine promiſsione donata eſt miſericordia.

Forte quod Iſraeli promiſſa fuit in Abraham benedictio & regnum Chriſti, Gentibus autem ſine promiſſione donata eſt miſericordia. Vt Rom. 15. Dico enim, Chriſtum Ieſum miniſtrum fuiſſe circumciſionis, propter veritatem Dei, ad confirmandas promiſſiones Patrum. Gentes autem ſuper miſericordia honorare Deum &c. Veritas Iudæis exhibita eſt, & promiſſio exoluta. Gentibus autem miſericordia libera, impertita. Hinc miſericordia & veritas vſitatiſſime copulantur in Prophetis, quanquam & illud fuit gratuitæ miſericordiæ, quod promittere dignatus eſt. *Rom. 15.*

Miſericordia & veritas in Prophetis copulantur.

Ideo Zion Chriſto non poſtulanti datur in regnum, Gentes autem poſtulanti in hæreditatem, tanquam donum Chriſti, vt quibus nihil promiſſum eſſet. Sic & Iſa. vlt. Annunciabunt Gentibus gloriam meam, & adducent Fratres veſtros de cunctis gentibus, donum Domino. Ita Iſrael regnum, nos Gentes donum, velut dos filiæ Pharaonis, quam ei dedit Pharao, rex Aegypti. Deniq; vbi Chriſtus rex ſuper Zion conſtituitur, verbis vtitur præſentibus, & rem ipſam fieri oſtendentibus. At vbi hæres denunciatur, primum poſtulare iubetur, & in futurum ei promittitur. Quæ omnia impleta videmus in Actis Apoſtolorum, quando Diſcipuli non prædicabant verbum niſi Iudæis, donec Paulus de cœlo vocatus, mitteretur Apoſtolus in Gentes. Igitur Chriſtus iam rex ſuper Zion in terra conſtitutus poſtulat, ſed in cœlis regnans accepit gentes poſtulanti promiſſas.

Paulus primum Gentium Doctor.

A me.

Etiam hic non ocioſe dicit, A me, vt oſtendat hoc regnum & hanc Gentium hæreditatem, Chriſto, non ab hominibus, nec humano modo, ſed diuinitus, hoc eſt, ſpiritualiter collata.

HIc vnus eſt eorum locorum, contra quos temerarie pugnent, qui negant eſſe Chriſtianos eos, qui non ſunt ſub Romano pontifice. Hi enim Deum Patrem mendacem facere conantur, vt qui terminos terræ Chriſto ſubiecerit, cui ipſi nec dum Europam totam ſubijciunt. An non poſſunt eſſe Chriſtiani, quia Turca aut Schyta temporaliter illic dominatur? Quomodo ergo Romæ potuerunt eſſe ſub Nerone & Domitiano? An non ſunt illic Epiſcopi, quia non emunt pallia? Non ſacerdotes, quia non pendunt annatas? Quid ſi eo verius ſunt Epiſcopi, quo magis opulentia, faſtu & pompa vacui, verbum Dei docent, & regunt populum Chriſti? Certe Apoſtolus

Chriſtiani ſunt in omnibus mundi partibus.

Paulus

Act.20. Paulus Epiſcopos definit Acto.20. per attendere gregi & regere Eccleſiam Dei, Attendite, inquit, vobis & vniuerſo gregi, in quo poſuit vos Spiritus ſanctus Epiſcopos, regere Eccleſiam, Cum tamen ad Presbyteros loqueretur, vt in textu colligit aperte beatus Hieronymus, Quod & verbo attendere, vicina ſignificatione, monſtrauit. At regere Eccleſiam, & attendere gregi, nonne fieri poteſt ſolo verbi miniſterio & oratione, citra vllum, qui nunc eſt, Epiſcoporum tumultum. Epiſcopi definitio.

Igitur nos (ne coarctemus Chriſti hæreditatem) nec propter perfidiam Turcarum, nec propter aliorum errantium multitudinem, verbum huius Pſalmi mendacij arguamus. Alioqui quis etiam inter nos ſcire poteſt, qui ſint Chriſtiani in veritate? An non & nobiſcum abundant mali, & pauci ſunt boni? Maior eſt diuini verbi autoritas, quam noſtra capacitas, quanto magis quam noſtra ſuſpicio, & in facie externi ritus occupata phantaſia.

Arbitratur beatus Auguſtinus tautologiam hic eſſe, idem videlicet per gentes in hæreditatem, & per terminos terræ in poſſeſſionem, ſignificari, quæ ſemper, vt dixi, firmitatis indicium eſt, qua magis iuuatur fides noſtra, Eſſe ſcilicet Chriſtianos, etiam in alijs mundi partibus, vbi Apoſtoli alij prædicauerunt, quantumlibet dominetur illic iniquitas.

Reges eos in virga ferrea, tanquam vas figuli confringes eos.

Iterum phantaſmata carnis amolienda ſunt, ne quiſquam regnum Chriſti ferro & armis parari aut ſeruari ſibi fingat, cum ſcriptum ſit, Non in curribus & in equis, neq; in tibijs viri beneplacitum erit ei. Et Apoſtolus 2. Cor. 10. Arma noſtra non ſunt carnalia. Nam & Turcas, quos hodie non niſi ferro quærimus, vincere oportuit, augendo Chriſtianorum numerum, qui inter eos ſunt.

Aut cur non & eos, qui inter nos mali ſunt, ferro perſequimur, præſertim magnates populorum? Sed abſit, Regnum Chriſti in iuſticia, veritate, pace, conſiſtit. His rebus partum eſt, eiſdem & regetur. Vnde & ſuperius, cum ſeſe Regem conſtitutum dixiſſet, Nullum protſus officium commendauit, præterquam verbi, dicens, Prædicans præceptum Domini, non equitans Caballos, non vaſtans oppida, non quærens theſauros terrarum, Sed hoc vnum, prædicans ea quæ præcepit Deus, id eſt, Chriſtum Deum & hominem, quod Paulus Rom. 1. Euangelium vocat, dicens, Segregatus in Euangelium Dei, quod promiſerat ante de Filio ſuo &c. Regnum Chriſti ſpirituale. Rom. 1.

Vides autem & hunc verſum eſſe totum allegoricum, non ſine cauſa, ſiquidem ſignificat quandam Allegoriam, quæ geritur re ipſa & vita. Cum enim verbum Chriſti, ſit verbum ſalutis & pacis, verbum vitæ & gratiæ, atq; hæc, non in carne, ſed in ſpiritu operetur, Neceſſe eſt, vt ſalutem, pacem, vitam, gratiam carnis opprimat & expellat. Quod cum facit, apparet carni ferro ipſo durius & inclementius. Aliud enim ſentitur, & aliud fit, quoties homo carnalis verbo Dei ſalubriter tangitur, nempe illud 1. Reg. 2. Dominus mortificat & viuificat, deducit ad inferos & reducit, humiliat & exaltat. Verbum Chriſti.

1. Reg. 2. Hanc allegoricam operationem Dei pulchre Iſa. 28. depingit, dicens, Vt faciat opus ſuum, alienū opus eſt eius, vt operetur opus ſuum, peregrinum eſt opus eius ab eo, Q. d. cum ſit Deus vitæ & ſalutis, & hæc opera eius propria, tamen vt hæc operetur, occidit & perdit, quæ ſunt opera eius aliena, quo perueniat ad opus ſuum proprium, Occidit enim voluntatem noſtram, vt ſtatuat in nobis ſuam, Mortificat carnem & concupiſcentias eius, vt viuificet ſpiritum & concupiſcentias eius. Deus alienum opus facit, vt operetur opus ſuum.

Iſa. 28. Hoc eſt, quod ſupra ſine allegoria dixit. Prædicans præceptum Domini, Spiritus enim accipit verbum Dei, vt præceptum iucundiſſimum. Tunc enim fit, vt mons Zion, ſanctus in regnum, & gentes in hæreditatem, & ter-

mini terræ in poſſeſſionem cedant, At caro fert præceptum ſeu verbum Dei indigniſſime, nec agnoſcit ipſum, cum ſit ei penitus & omnibus modis contrarium. Ideo vt virgam & ferrum & cōfractionem ſui accipit Et ſic completur allegoria, tam ſignificante hoc verbo, quam exhibente re & opere.

REges eos, ebraice Throem, quod beatus Hieronymus tranſtulit, Paſces eos. At Iohannes Reuchlin in rudimentis ſuis, huius verbi multas oſtendit ſignificationes, ſcilicet, paſcere, regere, abſumere, affligere, conquaſſare, ſeu confringere & conterere. Et hæc vltima ſignificatio, quantum ego inſanio, omnium aptiſſima eſt huic loco. Primum, quod virga ferrea, omnium ſenſu, magis idonea ſit ad conterendum & confringendum, quam ad paſcendum vel regendum Deinde ad regendum ſuffecerat dicere, virga, Ad paſcendum autem, neq; virga, neq; ferrea apte dicitur Ferrea autem virga quid fiet, niſi contritio & confractio? iuxta illud Dan. 2. Quomodo ferrum comminuit &, domat omnia, ſic comminuet & conteret omnia hæc. Ad hæc, quod hoc modo Tautologia pulchre concinit, quia ſequitur, Tanquam vas figuli confringes eos, vt idem ſit confringes quod reges ſeu paſces.

Virga Euangelium Chriſti eſt.

Dan. 2.

Tanquam vas figuli confringes eos.

Vtroq; verbo ſignificatur humiliatio ſuperborum per verbum Dei, quod tunc confringit & conterit, quando terret & humiliat. Sic Rom. 1. per Euangelium reuelari dicit iram Dei de cœlo futuram. Sic Acto. 2. ad verbum Petri conuerſi & compuncti dixerunt: Viri Fratres, quid faciemus? Hoc eſt, quod alibi increpationes, commotiones orbis terræ, tremores terræ appellat Scriptura. Omnium autem pulcherrime Micheas 4. Surge (inquit) tritura filia Zion, quia cornu tuum ponam ferreum, & vngulas tuas ponam æreas, & comminues populos multos, & interficies Domino rapinas eorum (id eſt, eos ipſos diabolo velut ſpolia ablatos) & fortitudinem eorum Domino vniuerſæ terræ. Ecce quid ſit regere eos in virga ferrea, nempe comminuere (vt hic dicit) cornu ferreo populos multos.

Rom. 1.
Acto. 2.
Mich. 4.

Regere in virga ferrea.
Virga Dei Euangelium Chriſti.

VIrga itaq; eſt ſacroſanctum Euangelium Chriſti, hoc enim eſt ſceptrum regni eius, vt Pſal. 45. Virga rectitudinis, virga regni tui. Et Pſal. 110. Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Zion, ita Iſa. 11. Percutiet terram virga oris ſui, & Spiritu labiorum ſuorum interficiet impium. Quid eſt virga oris Chriſti, niſi verbum Dei, quo conterit terram, hoc eſt, terrena ſapientes? Quid ſpiritus labiorum, niſi idem verbum ſpiritus, quo interficit impium, vt viuat pietati, mortuus impietati? Hæc eſt virga, cuius faſtigium in manu Ioſeph, adorauit Iacob, Gen. 49. Hæc eſt virga, cuius faſtigium oſculabatur beata Heſter, eiuſdem 5.

Pſal. 45.
Pſal. 110.
Iſa. 11.
Gen. 49.
Heſter. 5.

Dicitur virga metaphoricos, ſeu potius allegoricos. Primum, quia gracilis & facilis eſt, vt manu geſtari poſſit, quia iugum Chriſti ſuaue, & onus eius leue, Matt. 11. Moſi autem manus graues ſunt. Exod. 17. Ita, vt ſuppoſitis lapidibus ab Aaron & Hur ſuſtentarentur, hoc eſt, vt Act. 15. Petrus exponit, onera legis importabilia. Contra, manus Chriſti imponuntur etiam paruulis, paſſim in Euangelio & ægris, vt bene habeant.

Iugum Chriſti.
Manus Moſi graues, Chriſti leues.

Matt. 11.
Exod. 17.
Acto. 15.

Sed & Moſes duas grandes lapideas & graues tabulas habet, Deinde Leuitæ olim grandes & multas tabulas tabernaculi portabant, de quibus Num. 4. Hæc ſunt, inquit, onera eorum, Vere onera grauia & multa, ſi ſola conſiderentur, Verum nulla, aut certe modica, ſi eccleſiaſticas leges & iura hodie tyranniſantia ſpectes. Nos enim non tabulas ſed ſyluas & rupes integras hodie portamus, & manus Pontificum tam graues, vt orbis vniuerſus non ſuſtentare poſſit. Et hoc merito, quia virgam Chriſti proiecimus, Ideo contigit nobis illud Iſa. 8. Quia abiecit populus iſte aquas Siloe, quæ fluunt cum ſilentio, propter hoc adducet Dominus ſuper eos aquas fluminis fortes & multas.

Tabulæ Moſi lapideæ & graues.

Num. 4.

Manus Ro. Pontificum graues.

Iſa. 8.

Secundo, Quia recta eſt, Euangelium enim & lex ſpiritus per rectitudinem & viam compendij ducit ad vitam, vbi lex literæ, per longas figurarum & ope-

Lex ſpiritus.
Lex literæ.

& operum ambages, ac velut per tædioſiſſimum iter deſerti, vix perduelt tamen vſq; ad campeſtria Moab, nec ad terram promiſſionis peruenit, ſed cum Moſe deficit.

Tertio, Quod lex Chriſti nuda & reuelata eſt, ſicut virga ſine theca portatur, Lex Moſi in arca, & tabulæ velatæ portabantur, Quod omnis Lex, omnis operatio citra Chriſti legem, vmbra & abſconditæ iuſticiæ ſignum ſit, non
Rom.1. autem res ipſa, quæ per legem Chriſti reuelatur. Rom.1. Iuſticia Dei reuelatur in Euangelio ex fide in fidem.

FErrea autem dicitur, primum (vt dixi) propter carnem, cui *Chriſti lex ferrea.* Lex Chriſti eſt duriſſima, etiam ſi ſpiritui ſit ſuauiſſima. Imponit enim crucem & mortem & omnibus deſiderijs eius, paupertatem, humilitatem, patientiam. Hæc ſunt tria cornua crucis. Paupertas enim concupiſcentiam oculorum & auaritiam. Humilitas ſuperbiam vitæ & ambitionem, Patientia concupiſcentiam carnis & voluptatem, conterit, Inde Iſa.27. vocat gladium durum & fortem: Viſitabit Dominus in die illa, gladio ſuo duro & grandi & forti ſuper Leuiathan ſerpentem, *Tria cornua crucis.*

Secundo, quia inflexibilis & inuincibilis rectitudinis, ſeu (vt B. Auguſtinus hic ſentit) inflexibilis iuſticiæ. Quantumlibet enim multi fuerint conati, verbum Dei in ſuum ſenſum torquere & incuruare, permanſit tamen inuictæ rectitudinis, mendaces conuincens eos, qui ſe torſerunt. Non eſt enim arundinea, ſicut baculus Aegypti, 4.Reg.17. & Eſa.36. ſuper quem qui innixus fuerit,
4.Reg.17. Eſa.36. manus eius ingredietur, & perforabit eam. Eſt autem arundo doctrina hominum, omni vento opinionum agitata. At vox iſta clamantis in deſerto, vt non eſt veſtita mollibus, ita nec arundo vacua & vento agitabilis, ſed plena & ſolida ac ferrea. *Doctrina hominum eſt arundo.*

Quod autem Scripturæ aliqui tribuunt cæreum naſum, & velut arundinem motabilem dicunt, Factum eſt opera eorum, qui ſancto verbo Dei in ſuas ineptas & inſtabiles opiniones & gloſſas abutuntur, facientes, vt verbum Dei, dum omnibus conuenit, nulli conueniat, *Cæreum naſum Scripturæ.*

Dan.2. Tertio, ſicut ferrum omnia comminuit & domat, vt Daniel.2. dicitur, Ita verbum Chriſti magna comminuit, id eſt, ſuperbos humiliat. diſtorta componit, id eſt, indiſciplinatos caſtigat, erecta incuruat, id eſt, elatos inclinat, aſpera complanat, id eſt, iracundos mitigat, breuia prolongat, id eſt, puſillanimes conſolatur, longa abbreuiat, id eſt, præſumentes exterret, craſſa dilatat, id eſt, tenaces reddit largos, lata coartat, id eſt, prodigos facit frugales, obtuſa exacuit, id eſt, indoctos erudit, acuta hebetat, id eſt, ſapientes ſtultificat, rubiginem pellit, id eſt, acediam fugat, Summa, omnem formam vitioſam deſtruit, & in
2.Tim.3. aliam Deo placitam mutat, &c, vt Apoſtolus 2.Tim.3. dicit, Omnis Scriptura diuinitus inſpirata, vtilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, & erudiendum in iuſticia, vt perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus. *Verbum Chriſti multifariam prodeſt.*

TAnquam vas figuli, Similitudinem miſcet Allegoriæ, pro illuſtranda ſententia, Apoſtolus 2.Cor.4. Vas fictile, allegoriſans, corpus, imo hominem in corpore ſignificat, Habemus, inquit, theſaurum hunc in vaſis fictilibus, vt ſublimitas virtutis ſit Dei, & non ex nobis. Hæ ſunt lagenæ illæ fictiles Gedeonis, quę iuxta vocem tubarum concuſſæ & colliſæ ardent & lucent, ac Madianitas confuſos & perſequuntur & fugant, Hoc eſt, Martyrum & Sanctorum corpora, varijs crucis paſſionibus confracta, charitatis & veritatis exemplis mundum erudierunt, & impios cum impietate ſua effugauerunt. Et tropologice, dum caro ſeu carnalis homo verbo crucis & virga ferrea cõfringitur, vitiorum & concupiſcentiarum turba confuſa, diſperſit à facie virtutum & gratiæ illuſtrantis hominem. *Vas fictile. 2.Cor.4.* *Lagenæ fictiles Gedeonis.* *Sanctorum corpora vaſa fictilia.*

Eſt autem Similitudo hoc loco, non res ipſa, obſeruanda. Non enim

Chriſtus ſuos confringit & diſcutit, membrum corporis à membro diſcerpens, ſicut fictilia confracta in multas particulas disgregantur, Sed quod hæc corporalis diſſipatio, ſimilitudo ſit ſpiritualis diſſipationis, hoc eſt, Quod membra corporis corporaliter non diſſipata, diſſipantur in ſuis malis deſiderijs & actibus.

Nouus homo.

Lingua non loquitur, quæ carni placent, auris non audit detractionem, oculus non videt turpia, manus non rapit aliena, non tractat illicita, Et in vniuerſum, corpus peccati, quod membris antea vtebatur pro ſuis concupiſcentijs, repente Dei verbo diſſipatis, ac ab eo officio deturbatis, membris deſtitutum, quandam felicem Babylonem repræſentat, dum, vt Apoſtolus Rom. 6. ait, Membra, quæ prius exhibita fuerunt, ſeruire immundiciæ & iniquitati ad iniquitatem, nunc exhibentur ſeruire iuſticiæ in ſanctificationem, Sic in Euangelio quoq; fortior ille arma non modo aufert, ſed & diſtribuit. Nam Ebræa dictio Thenaphzem, diſperges, diſſipabis, diſijcies eos, ſignificat, autore Reuhlin.

Vas figuli.

Igitur vas figuli, omnes Chriſtiani ſunt: Primum, quod ſicut vas figuli facillime frangitur. Ita mites homines, incredulitatis duritia non obſtinati, facile cedunt verbo Dei, non contradicunt neq; reſiſtunt. Qui vero mentis ſunt duræ (vt Prouer. 28. vocantur) corruent in malum, & ſine dubio ſubuertentur ſicut montes, & conterentur ſicut rupes, vt 3. Reg. 19. Elias vidit. *Prouer. 28.* *3. Reg. 19.*

Secundo quod vas fictile confractum, prorſus ſit inutile ad vſum priorem: vt illud Iſa. 30. impleri videas, Non inuenietur de fragmentis eius teſta, in qua portetur igniculus de incendio, aut parum aquæ de fouea. Loquitur enim de lagena figuli valida contritione comminuenda, fere ad verbum cum verſu iſto conſentiens: Ita impius conuerſus, & in Chriſtum mutatus, priſtinæ vitæ, redditur inutilis, dicens cum Apoſtolo Gal. 6. Mundus mihi crucifixus eſt, & ego mundo. *Iſa. 30.* *Galat. 6.*

Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram.

INterpres Etymologus, pro iudices terræ, dixit, qui iudicatis terram. At ſine Etymologia, Reges dixit, non qui regitis: verum hoc parum ad rem.

Deſcripto regno Chriſti, ſanctam & fidelem, eruditamq; ſubiungit exhortationem, omnia tentans ac contendens, vt ſubiectos Chriſto reddat omnes, maxime maiores.

Propheta gubernatores populi, Reges, Iudices, alloquitur.

Sed quam audax & (vt hodie ſolemus loqui) quam ſeditioſus & ſcandaloſus Propheta iſte procaciſſimus, qui os in cœlum ponit, non infimates & plebeculam, ſed ſummos vertices & Reges ipſos audet inuadere, & eos docere, Qui tum titulo & officio docendorum populorum inflati, tum vſu & opinionis honore ſecuri, impatientiſſimi ſunt huius maximæ infamiæ, eſſe videlicet eos ſtultos & ineruditos, egereq; vt doceantur & erudiantur.

Facile namq; eſt, indoctam plebem, diſciplinæ aſſuetam, diſcipulam habere, At reges, iudices terræ, magiſtros, rectores, doctores, pontifices, plebi non modo æquare, & in diſcipulorum ordinem poſt tantum docendi & regendi vſum cogere, verum etiam tacita plebe eos ſolos diſcipulos requirere, quis quæſo ferat? Quis non tremat hic cum Iohanne Baptiſta verticem Chriſti tangere? At tangendus tamen eſt, & aqua Iordanis, deſcendentis videlicet humilitatis, baptizandus, vt adimpleatur omnis iuſticia, cum qui ſublimis eſt, humiliat ſe ſub infimo, & infimus pauet ſublimitatis humilitatem.

Populi ſalus ſita eſt, in recta Maiorum inſtitutione.

Verum benignus & optimus Spiritus, ſciens totam populi inferioris ſalutem in recta maiorum inſtitutione ſitam, eos ipſos primum blande & paterne monet, vt ſenſui ſuo cedant, paratiq; ſint doceri tanto magis, quanto nõ

ſuam

Math.15. ſuam ipſorum,ſed omnium ſubditorum rem agunt, Quodq; ipſi errare non poſſint,niſi communi totius populi malo,Iuxta illud,Cæcus cæcum ducit, & ambo in foueam cadunt.

Non ſolum autem hac ratione eos monet,Sed quia ſcit eos(vt dixi) poteſtate & officio inflatos ſemper in ore habere illud Iohan.9.Tu doces nos. Et illud Iere.28.Non enim peribit lex à ſacerdote,neq; conſilium à ſapiente, nec ſermo à Propheta.Hac enim veſica & fiducia inflati,ſoliti fuerunt reſiſtere veris Prophetis,non aliter quam hodie reſiſtitur veritati cuicunq; ab adulatoribus Pontificum,garrientibus quod non præſumitur tantæ celſitudinis apex errare, & ,Eccleſia non poteſt errare,Papa non poteſt errare,Concilium non poteſt errare &c. *Adulatores Pontificum.*

Illi tamen in veteri Teſtamento rigidius fuerunt aſtricti obedientiæ Pontificum,quam nos Chriſtiani,Siquidem tunc ſub pœna mortis debebant audire Sacerdotem Leuiticum,At hodie quando ſumus omnes ſacerdotes,& illud Iſaiæ nunc impletur 54. Dabo Filios tuos vniuerſos doctos à Domino.Et Iere.31.Non docebit vltra vir proximum ſuum, & vir fratrem ſuum,dicens, Cognoſce Dominum,Omnes enim cognoſcent me à minimo eorum vſq; ad maximum,ait Dominus.Et cum 1.Cor.14.Paulus manifeſte præcipiat,vt ſi cui ſedenti facta fuerit reuelatio,prior debeat tacere. *Iſa.54. Iere.31. 1.Cor.14.*

Ideo in nouo Teſtamento ſic ſunt audiendi Superiores quicunq;,vt liberum relinquatur cuiq; infimo de ſuperioris ſententia iudicare,in his quæ ſunt fidei,multo magis quam Prophetis liberum fuit maioribus Iſrael reſiſtere, non obſtante Dei præcepto.Nam in Synagoga, vbi ſacerdotium in externis tantum ceremonijs agebatur,ſine periculo erat, quicunq; error ſacerdotum, At in Eccleſia vbi res ſpiritus & fidei agitur,omnium prorſus intereſt obſeruare,ne ſacerdos erret.Cum Deus ſoleat infimo reuelare,quod ſummo ne dignatur quidem oſtendere, vt Regnum ſuum ſit firmum in humilitate, qua ſola ſubſiſtit. *Quatenus audiendi ſint in nouo Teſtamento gubernatores Eccleſiæ.*

OBſerua Emphaſin aduerbij,Nunc,Nunc,inquam,poſtquam Chriſtus conſtitutus eſt Rex omnium,In quo tempore duo ſunt,quæ vos maxime remorabuntur,ne recta cognoſcatis.

Primum,Quod Chriſtus ille à vobis crucifixus, mortuus,damnatus,etiam autore Deo maledictus ſecundum legem Moſi,prædicatur Dominus dominantium.Difficilimum omnium erit,agnoſcere eum Regem,qui tam deſperata & ignominioſa morte interijt,Senſus fortiter repugnat,ratio abhorret, vſus negat,exemplum deeſt,Plane ſtultitia hæc gentibus & Iudæis ſcandalum erit,niſi ſuper hæc omnia,mentem eleuaueritis.

Secundum,Quod Rex iſte ſic regnat,vt omnia quæ in lege ſpetaſtis contemnenda, omnia quæ timuiſtis amanda doceat, crucem mortemq; proponit.Bona quæ videntur,& mala,iuxta vilipendenda eſſe ſuadet,longe in alia vos bona,ea q; quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt,vos tranſpoſiturus.Moriendum eſt vobis,ſi ſub hoc Rege viuere vultis,Crux & odium totius mundi ferenda,ignominia,paupertas,fames,ſitis, breuiter mala omnium fructuum mundi non fugienda.Hic eſt enim Rex,qui & ipſe ſtultus factus eſt mundo & mortuus,deinde conterit ſuos virga ferrea, & tanquam vas figuli confringit eos. *Quomodo Chriſtus regnat.*

Quomodo hunc ſuſtinebit,qui ſenſu nititur,qui rem ratione metitur, qui ſtat in oſtio papilionis ſui,qui faciem ſui Moſi videre nequit? Ideo intellectu opus eſt & eruditione,quibus hæc tranſcendatis & viſibilibus contemptis, in inuiſibilia rapiamini, non ſapientes ea quæ ſuper terram, ſed quæ ſurſum ſunt,vbi Chriſtus eſt &c.

Proinde verbum,intelligite, in Ebræo ſonat,askilu, quod abſoluto ſtatu ſignificat,intelligentes facite, ſcilicet voſmet ipſos (vt Hierony.exponit) vel

nit) vel alios, hoc eſt, ſic agite, hoc contendite, vt ſitis intelligentes & ſpiritualia ac cœleſtia ſapiatis, quod noſtra vernacula dicimus, Seid weiſe vnd verſtendig / ſimili ſententia qua Pſal. 32. Nolite fieri ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus. Eſt autem hæc intelligentia, non de qua Philoſophi opinantur, ſed fides ipſa, quæ in rebus proſperis & aduerſis potens eſt ea videre, quæ non videntur. *Pſal. 32.*

De qua intelligentia loquatur hic Pſalmus.

Ideo non exprimens quæ intelligant, abſolute dicit, Intelligite, id eſt, facite vt ſitis intelligentes, curate vt ſitis creduli. Non enim habent nomen, neq; ſpeciem, ea quæ fides intelligit: Nam præſentium rerum proſperitas vel aduerſitas penitus ſubuertit omnem hominem, qui fide non intelligit inuiſibilia. Hic enim intellectus ex fide venit, iuxta illud: Niſi credideritis non intelligetis. Et hic eſt ingreſſus ille caliginis, in qua adſorbetur quidquid ſenſus, ratio, mens, intellectusq; hominis comprehendere poteſt. Coniungit enim fides animam cum inuiſibili, ineffabili, innominabili, æterno, incogitabili verbo Dei, ſimulq; ſeparat ab omnibus viſibilibus, Et hæc eſt crux & phaſe Domini, in quo neceſſarium prædicat hunc intellectum.

Intellectus ex fide.

Erudimini iudices terræ, Aug. tautologice dictum accipit. Eſt autem & hoc verbum, Erudimini, abſoluti ſtatus, pro eo quod eſt, agite, vt ſitis eruditi, hoc eſt, è rudibus animalibusq; ſenſuum & ſenſilium rerum affectibus & opinionibus eruti, vt non pueriliter de Chriſto regnoq; eius ſentiatis. Animalis enim homo non percipit ea, quæ Dei ſunt 1. Cor. 2. Mihi autem eruditio videtur ſignificare auerſionem cordis à rebus pereuntibus, ſicut intellectus conuerſionem & apprehenſionem rerum æternarum: Illam Crux operatur in carnis mortificatione: hanc fides in ſpiritus viuificatione. *1. Cor. 2.*

Eruditio. Intellectus.

Terram ſignificare figurate homines in terra, notius eſt, quam vt indicari egeat, niſi quod Auguſtinus libentius tropologiſans, corpus ſignificari putat.

Terra.

Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.

Mira ſententia, & in oculis noſtris abſurda: Timor enim odium & fugam operatur, non famulatum: & tremor vehementer obſtat exultationi. Deinde & alio Pſalmo contrarium dicit, vbi ſeruire Domino in lætitia iubemur. Quid igitur? Mediatorem Apoſtolum Paulum audiamus, qui 1. Cor. 1. dicit. Quod mundus in ſapientia Dei non cognouit per ſapientiam Deum, placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſaluos facere credentes, Q. d. in ſtultitia ſapientes fieri oportet. Ita in pace & proſperitate, Deum (ſicut oportuit) benefactorem non agnouimus, nec laudauimus, placuit vt nunc in cruce & aduerſitate eum agnoſcamus & laudemus: Ita in ſecuritate non ſeruiuimus Deo cum lætitia, placet vt in timore ſeruiamus ei cum lætitia, & in tremore exultemus. *Pſal. 100.* *1 Cor. 1.*

Timor. Tremor.

Prædicationis ſtultitia.

Et in ſumma, ſicut omnia Dei mundus peruertit, Ita rurſum Deus omnia mundi peruertit. Creatura tota data eſt ad erigendum illuminandumq; hominem: At ipſe illa vtitur ad excæcandum & incuruandum ſeipſum. Quare rurſus Deus vtitur Creatura tota ad excæcandum & incuruandum hominem. Hæc eſt crux Chriſti & prædicationis illa ſtultitia, qua ſaluos facit credentes. Nam ſentientes, ratiocinantes, ſapientes, intelligentes, in his omnibus offenduntur & perduntur.

Ad quem finem creatura ſit condita.

Eſt itaq; ſenſus, Quando Chriſtus Dominus in virga ferrea regnat, & confringit veterem hominem verbo crucis, atq; id voluntate & mandato Patris, qui omnia ei ſubiecit, oportet vt ei ſubiectos vos agnoſcatis, ſubiectos autem in timore, quo patienter & humiliter feratis crucem eius, timentes, ne quo minus manum & conſilium eius ſuſtinentes, reprobi efficiamini: Sicut illi, Pſalm. 78. Filij Ephraim conuerſi ſunt in die belli. Hoc autem præſtabitis,

ſi vos

Digitized by Google

ſi vos nunquam indigna pati, ſed multo maiora mereri agnoueritis. Superbi *Superbi.*
Iob 9. enim,qui ſibi tantum bonis digni videntur,ſecuri ſunt,non verentur cum Iob
Matt. 7. omnia opera ſua,Ideo in tempore tentationis non ſubſiſtunt,ſed(ſicut Matt.7.
de domo ſtulti viri ſuper harenam ædificata dicitur)magna ruina colliduntur,
& peiores redduntur.Timor itaq; eſt in tota vita,in omnibus operibus,eſt ma- *Timor.*
gna pars crucis,imo fere tota crux.

Rom 5. Quin inſuper cum Apoſtolo,Rom.5.Gloriandum eſt in tribulationibus, *Duplex Dei ſeruitus & exultatio.*
exultandum cum tremore.Ex quibus omnibus colligitur, duplicem eſſe Dei
ſeruitutem & exultationem. Eſt enim.

Seruitus in ſecuritate,& exultatio in Domino ſine tremore,hæc ſunt Hy- *Seruitus hypocritarum.*
pocritarum,qui ſecuri ſunt,ſibi placent,nec inutiles ſerui ſibi videntur,merita
multa habentes,de quibus Pſal.10.Auferuntur iudicia tua à facie eius,& (quod
Pſal. 10. ſequitur mox)illud Pſal.14.Non eſt timor Dei ante oculos eorum. Hi iuſtici-
Pſal. 14. am ſine iudicio faciunt in omni tempore,nec permittunt Chriſtum eſſe iudi-
cem tremendum omnibus,in cuius conſpectu non iuſtificatur omnis viuens.

Seruitus in timore,& exultatio cum tremore,iuſtorum eſt, qui iuſticiam *Seruitus in timore, & cum tremore.*
faciunt, & iudicium omni tempore, vtrumq; ſemper temperantes, nec vn-
quam ſine iudicio,quo terrentur ac deſperant de ſe,ſuiſq; operibus, Nec ſine *Exultatio iuſtorum.*
iuſticia,qua confidunt & exultant in miſericordia Dei,Horum totius vitæ offi-
cium eſt,ſeipſos in omnibus accuſare,Deum in omnibus iuſtificare & laudare,
Prouer. 28. Ac ſic implent illud Prouer.28.Beatus homo qui ſemper eſt pauidus, Simul il-
1.Theſſ. 5. lud 1.Theſſ.5.Semper in Domino gaudete.Ita inter molam inferiorem & ſu-
Deut. 24. periorem Deut.24.conteruntur & humiliantur,& exuta theca frumenti,fiunt
farina puriſſima Chriſti.

EMphaſin iſtam tuo relinquo ſtudio,qua dicit,Seruite Domi- *Soli Domino ſeruiendum.*
no,non tibi,non ventri,non auro,non denique iuſticiæ, poteſtati,ſapientiæ
tuæ,nec vlli prorſus rerum,Hæc enim ſpecies ſunt idolatriæ,Ita exultate ei,
non vobis,non vlli creaturæ,ſed ſoli Domino.

Hoc autem fit,quando in omnibus tibi nihil arrogatis boni,de quo con-
fidas ac glorieris,ſed ſoli Deo tribuas omnia,& ipſum in omnibus laudaris,be-
nedixeris,amaueris.Tibi vero omne malum attribueris,in quo timeas,tremas,
diffidas.Sicut Iob pro vtroq; tempore dixit,Dominus dedit,Dominus abſtulit,
Iob 1. Sit nomen Domini benedictum.

Hæc omnia quam ſint difficilima videbis,ſi vtrunq; tempus obſerues.In ad-
uerſitate enim arduum eſt,non deficere,non querulari,non impatientem fieri, *Tempus aduerſitatis & proſperitatis.*
& timore malorum,non facere aut omittere contra Dei præceptum, ac ſic ti-
more Dei ſuperare timorem creaturæ,non cedere affectibus & obiectis,ſed ad-
hærere verbo Domini vſq; etiam ad mortem.Hic enim probatur,an Domino
ſeruiatur,an plus Dei voluntas timeatur,quam creaturæ cuiuscunq; violentia.
Porro in proſperitate etiam magis periclitatur tremor Dei,quam in aduerſitate
timor Dei.Hic enim exultatur ſecure,& difficile eſt timere, ne dum tremere,
dum omnia cedunt ex ſententia.

Idcirco,meo iudicio,tremorem cum exultatione,& timorem cum ſerui-
tute aptiſſime coniunxit,quod ſeruitus laborem aduerſitatis importet,exulta-
tio autem ocium proſperitatis,atq; in hac adeo commendandus fuerit timor,
vt etiam tremorem ibi neceſſarium aſſereret. Q.d.plus timendum eſt, vbi ti-
mor non eſt,& quo felicius omnia habent,eo ſolicitius timendum, atq; adeo
tremendum,cum exultare ac effuſius lætari contigerit.

Apprehendite diſciplinam,ne quando iraſcatur Dominus,& pereatis de via iuſta.

IN Ebræo Dominus & iuſta non habentur,ſed nihil officit. Fere
ab omnibus iſta translatio reprobatur, Apprehendite diſciplinam. Nam
in Ebræo

Hieronymus. Bar. In Ebræo Naſcu Bar dicitur, quod Hierony. in Pſalterio Ebraico tranſtulit, Adorate pure. Quia Bar etiam purum & electum ſignificat. Idem in Commentariolo ſic dicit, in Ebræo legitur Neſcu bar, quod interpretari poteſt, Adorate filium. Bar enim & filium ſignificat. Vnde Simon Bar Iohanna. filius Iohannis in Euangelio, Et Bar Ptolemeus, filius Ptolomei, Barnabas, filius Prophetæ, & ſimilia.

Oſculamini Filium. Burgenſis & Lyranus ſic. Oſculamini filium, Nuſquam autem dicitur Bar diſciplinam ſignificare Oſculari autem interpretantur homagium præſtare, vt ſit ſenſus, Oſculamini filium, id eſt, cum reuerentia & humilitate Regem & Dominum Chriſtum ſuſcipite.

Oſculum. Sed tentemus vtcunq; omnia concordare. Oſculum primò ſignum eſt reuerentiæ & adorationis, quomodo ſacra & diuina oſculamur & honoramus, aut humiliter proſtrati, pedes & veſtigia oſculamur, ſicut Maria Magdalena Chriſtum oſculata eſt, iuxta hoc, Hieronymus tranſtulit, Adorate pure.

Secundo, eſt ſignum recognitionis & fidei præſtandæ, vt in homagio, vbi oſculari ſolemus manum, agnoſcentes hoc ipſo Dominum, quem oſculamur. Tertio ſignum eſt perfectiſſimæ amicitiæ & charitatis, quo ſolemus oculos aut faciem oſculari, de quo Apoſtolus præcipit, Rom. 16. Salutare inuicem oſculo *Rom. 16.* ſancto. Quo oſculo Chriſtus ſuos Diſcipulos legitur reuertentes excipere ſolitus. Verum quando hoc modo oſculantes ſoleant mutuo ſeſe apprehendere & amplecti, noſtra translatio habet, Apprehendite diſciplinam.

Oſculari Filium. Cum autem abſolute dicat, Oſculamini filium, non pedes, nec manum, nec faciem commemorans, Iuſtum eſt, vt pro tota latitudine oſculi accipiamus, vt Chriſtum oſculo pedum adoremus, ſicut Filium Dei verum Deum, Oſculo manus excipiamus, ſicut legitimum Dominum & ſempiternum adiutorem ac ſaluatorem. Oſculo oculorum vel faciei amplectamur, ſicut dulciſſimum Fratrem, amicum & ſponſum animæ noſtræ. De ijs tribus oſculis vide Bernard. in principio Canticorum. Vt ſit ſenſus, Oſculamini Filium, hoc eſt, Chriſtum Deum colite ſumma reuerentia, Chriſto Domino ſubiecti eſtote ſumma humilitate, Chriſto Sponſo adhærete ſumma charitate, Ecce amor & timor, vtriusq; modus & medium, humilitas, hæc perfectiſſima eſt Latria.

IAm illud Bar, quod filium, purum, diſciplinam, translatum eſt, ſic cõcinnemus, Quod fides Chriſti, eſt vere diſciplina noſtra, Ideo qui in Chriſtum credit (id eſt, filiũ oſculatur) vere diſciplinam apprehendit, portans crucifixum Chriſtum in ſeipſo (vt ad Galatas ſcribitur) Non enim Chriſtus ſecundum carnem oſculatur, aut apprehenditur ſed in ſpiritu, id eſt, dum crux & paſſio eius, quibus diſciplinamur (Ebræ. 12.) amanter ſuſcipitur, Ideo noſtra translatio ad verbum nihil eſt, ad ſenſum autem proprijſſima. *Chriſtus apprehenditur in ſpiritu.* *Galat. 6.* *Ebræ. 12.*

Pure adorare. Porro, pure adorare, illud tangit quod 3. Reg. 19. ſcribitur, de adoratione impura Baal, d. Derelinquam mihi in Iſrael ſeptem millia virorum, quorum *3 Reg. 19.* genua non ſunt incuruata ante Baal, & omne os quod non adorauerit eum, oſculans manum. Vbi (vt obiter dicam) oſculans manum, non eſt in textu, ſed idem verbum Naſka, quod nunc oſculari dictum eſt ſignificare, ponitur, vbi dicitur, quod non adorauerit eum, quod forte quiſpiam Ebraiſta interpretatus gloſſauit, oſculans manum, vt modum adorationis exprimeret, ac deinde in textum relatum eſt ab imperito Scriptore.

Locus Hiob. 31. explicatus. At in hunc ſenſum tamen Hiob 31. loquitur, d. Si oſculatus ſum manum *Hiob. 31.* meam ore meo, quæ eſt iniquitas maxima, & negatio contra Deum altiſſimum, Quo tropo Scripturæ B. Gregor. interpretatur ſignificari hominem in ſuis operibus fidentem, ac de iuſticia non accepta in Chriſto, ſed viribus

pro-

Digitized by Google

Oſculari manum ſuam. *Iniquitas maxima.* *Baal.* *Eſa.2.* *Oſculari Chriſtum.*

proprijs obtenta gloriantem. Hic enim adorat & oſculatur manum ſuam, ore ſuo, quia ſe laudat in ſe, ſibi placet in ſe, non in Domino laudatur anima eius. Ideo eſt iniquitas maxima, & negatio Altiſſimi, vt quæ id quod Dei eſt ſibi tribuat, ſeipſam in idolum Baal ſibi ſtatuens, ſeq; adorans, ſe autorem faciens bonorum ſuorum (Nam Baal autorem, ſeu Dominum ſignificat) Sic Iſa.2. Opus manuum ſuarum adorauerunt, quod fecerunt digiti eorum. At hæc eſt adoratio impuriſſima. quare Chriſtum oſculari, Chriſtum agnoſcere ſaluatorem, & illius manum oſculari, hoc vere & pure & purum adorare eſt, hoc filium adorare eſt. Si filius (inquit) vos liberauerit, vere liberi eritis.

Ioh.8. *In timore ſeruire Chriſto.*

Concludamus itaq; Vult Propheta, vt ſeruiant Chriſto in timore, ſe peccatores agnoſcant, & ſemper accuſent, ſolum Deum iuſtificent in Chriſto. Sed cum ei poſſint occurrere, & prætendere ſe legem ſeruaſſe, iuſtos eſſe, non peccaſſe, nec Chriſto ad iuſticiam opus ſibi eſſe. Huic præſumptioni peſſimæ occurrens dicit, Nolite æſtimare vos eſſe iuſtos, exinanite hanc opinionem idolatricam, ne vos Deo æquetis, nolite fidere in iuſticijs veſtris, Imo filium oſculamini, filium amplectemini, illius manus, illius iuſticiam, illius ſalus vos ſeruabit. Atq; hoc niſi feceritis, iraſcetur iuſticiæ veſtræ, & peribitis de via, ſeu (vt ego ſomnio) peribitis eum via veſtra. Nam Ebraice ſatis obſcure dicitur vethobedu derech, id eſt, & peribitis via, quod per eclipſim pro peribitis eum via, dici mihi videtur, iuxta Pſal.1. Iter impiorum peribit. Veruntamen nullius ſenſui præiudico, ego non video, quomodo de via iuſta pereant, qui in via iuſta nondum ſunt. Terreri autem periculo ſuo poſſunt, qui in via ſua tanquam iuſta ſibi placentes, Chriſtum veram viam non agnoſcunt.

Pſal.1.

Cum exarſerit in breui ira eius, Beati omnes qui confidunt in eo.

HÆc pars ad verſum præcedentem pertinet in Ebræo, qui totus ſic ordinatur, Adorate filium, ne forte iraſcatur, & pereatis cum via, Quoniam exardeſcet breui ira eius. Beati omnes qui confidunt in eo.

Matth.24. *Prouer.1.* *1.Theſſ.5.*

Eſt ergo ſenſus, Maturate & feſtinate Chriſtum adorare, ne pereatis in ira eius. Ac ne vos ipſos fallatis, quaſi adhuc longe ſit, Scitote quoniam cito & in breui exardeſcet ira eius, ſubito dũ non ſperatis veniet, ſicut Matt.24. Si dixerit malus ſeruus ille in corde ſuo, moram facit Dominus meus venire, veniet Dominus ſerui illius in die, qua non ſperat, & hora, qua ignorat. Sic Prouer.1. Cum venerit repentina calamitas. Et 1.Theſſ.5. Ipſi diligenter ſcitis, quia Dies Domini ſicut fur in nocte, ita veniet. Cum enim dixerint, pax & ſecuritas, tunc repentinus eis ſuperueniet interitus. Terribilis eſt ergo iſta comminatio, quia ſi ſubito apprehenderit ira Dei, non erit qui eripiat.

Beati omnes qui confidunt in eo.

In fine pulcherrimo Pſalmum concludit epiphonemate. Hæc eſt, inquit, ſumma ſummarum, *Beati omnes, qui confidunt in eo*, Ideo enim paſſus eſt, ideo reſurrexit, ideo conſtitutus eſt Rex, ideo accepit omnia in hæreditatem, vt ſaluare poſſit omnes, qui confidunt in eo.

Hæc autem confidentia iuſtificat ſola, ſine operibus legis, vt Apoſtolus ad Rom. & Galat. docet. Verum difficilima eſt, tot reſiſtentibus aduerſitatibus, tot allicientibus proſperitatibus, Beati ergo qui non fuerint ſcandaliſati in eo, quod opus eſt diuinæ gratiæ, non autem humanæ virtutis. Sic enim Spiritus benignus non in æternum cominatur, ſed territos rurſum conſolatur ſine fine, Si (inquit) timetis iram eius, nolite deſperare, confidite. Beati omnes qui confidunt in eo, Ideo enim terret ira eius, vt ad fiduciam illius vos vrgeat, Amen.

PSAL.

PSALMVS III.

Pſalmus Dauid, cûm fugeret à facie Abſalom filij ſui.

CVR hic Pſalmus præponatur alijs, qui de hiſtorijs multo prioribus facti ſunt, parum me mouet, neq; enim adhuc vidi ſatis idoneas ordinis rationes, nam hiſtoria Pſal. 51. de vxore Vriæ, ſine dubio ante hiſtoriam huius Pſalmi facta eſt, & multorum aliorum Hiſtoriæ priores iſta fuerunt. *Pſal. 51.*

Proprius ſenſus quærendus in Scripturis.

Omnium interpretationes afferre non eſt conſilium, & tamen in tanta varietate quam eligam, ipſe nondũ certum habeo. Ad allegorias non facilis ſum, præſertim quando legitimum & proprium illum germanumque quæro, qui in contentione pugnet, & fidei eruditionem ſtabiliat.

Ne autem hiſtorica intelligentia in hoc Pſalmo ſit, multa videntur obſtare. In primis illud quod B. Auguſt. mouit, Ego dormiui, & ſomnum cepi, quod reſurgentis Chriſti verbum eſſe videtur. Deinde, quod in fine ſuper populum benedictio Dei pronunciatur, quod ad vniuerſalem Eccleſiam pertinere conuincitur. Hinc B. Auguſt. tripliciter eum interpretatur, Primum de Chriſto capite, Secundo de toto Chriſto, id eſt, Chriſto & Eccleſia, capite & corpore, Tertio Tropologice, de quolibet priuato.

Ego dormiui & exurrexi.

Saluus eſto cuiq; ſuus ſenſus, Ego interim de Chriſto interpretabor, motus eodem, quo Auguſtinus, argumento, quod quintus verſus non videatur apte de quoquam intelligi alio quam de Chriſto. Primum, quod dormitio & ſomnus hoc loco omnino ſignificat mortem naturalem, non autem naturalem ſomnum. Quod ex eo conijci poteſt, quia ſequitur, Exurrexi, Si enim de ſomno corporis diceret, euigilaui diceret: Quanquam hoc non ita vrget, Ebræo vocabulo inſpecto. Deinde quid noui recitaret, ſi ſe dormiſſe & iacuiſſe recitaret? Cur non etiam ambulaſſe, comediſſe, bibiſſe, laboraſſe, egiſſe, aut aliud ſimile corporis opus receuſeret? Inſuper abſurdum videtur in tanta tribulatione iactare, non aliud quam corporis ſomnum, quæ potius eum coegiſſet maxime vigilare, periclitari ac laborare. præſertim cum iſta duo verba, dormiui & ſomnum cepi, quietam ſignificent dormitionem in ſtratu ſuo iacentis, qualis non eſt, qua præ triſticia dormitur.

Quia Dominus ſuſcepit me.

Sed illud magis vrget, Quod ideo ſe exurrexiſſe gloriatur, quod Dominus ſuſceptor eius fuerit, qui dormientem ſuſceperit, & in ſomno non reliquerit, Quam gloriam, quomodo noua religione, de aliquo ſomno corporis, ac non de omni quotidiano ſomno ſonaret? præſertim quando ſuſceptio Dei ſimul indicat extremam derelictionem dormientis, quæ non contingit in corporali ſomno, vbi etiam hominibus cuſtodibus ſeruari poteſt dormiens, omnino ſuſceptio iſta Dei, non ſomnum, ſed grandem laborem ſubindicat.

Vltimo, huic fauet & ipſum vocabulum hekizothi, quod hic abſoluto in ſtatu poſitum, & tranſitiuum tertij, ſignificat, feci exurgere ſeu euigilare. Q. d. feci vt eſſem euigilans, ſuſcitaui meipſum, Quod certe de reſurrectione Chriſti aptius, quam de ſomno corporis intelligitur, tum quod dormientes excitari ſoleant, tum quod non magna res eſt, nec tanta prædicatione digna, quempiam à ſeipſo euigilare, cum ſit quotidiana. Hæc autem, quia per ſpiritum velut noua & ſingularis inducitur, aliud erit omnino.

Quæ ſi ita ſunt, conſequens eſt, quod vbicunq; titulus Pſalmi hiſtoriam indicat, non ſemper eſſe neceſſarium, hiſtoriam in Pſalmo cantari, ſed Hiſtoriam intelligi occaſionem fuiſſe, qua futura Prophetæ, ſpiritu illuſtrante, monſtrata intelligerent.

Eſto

ESto igitur Tituli ſenſus: Pſalmus (id eſt, carmen) Dauid (ei reuelatum, ſeu per ſpiritum ad eum factum) cum fugeret &c. id eſt, occaſione talis hiſtoriæ. Neq; enim tempore eiuſdem hiſtoriæ, & fugæ ab eo conditum eſſe conuenit, quando erat anxietate & triſti expectatione inquietiſſimus. Spiritus ſanctus autem lucidum & quietum organum requirit, nec in tentatione, ſed poſt tentationem homo demum ſapit, quæ cum eo geſta ſunt. Ideo veriſimilius eſt longe poſt Hiſtoriam compoſitum eſſe, quando quieta meditatione, intellexit myſteria ſui euentus.

Homo non in, ſed poſt tentationem intelligit, Dei auxilio ſibi adfuiſſe.

Notandum autem, quod in omnibus ſuperſcriptionibus, Dauid datiui caſus eſt, qui in hac cauſa æquiualet accuſatiuo cum præpoſitione ad, quo tropo in cæteris Prophetis dicitur, Verbū Domini factum eſt ad hunc, vel illum, aut in manu huius, vel illius. Huius Prophetæ proprium eſt, verbum Dei appellare, Pſalmum, Canticum & eruditionem, & alijs titulis adornare, vt videbimus, Deinde in Datiuo caſu, ſibi tribuere eiuſdem verbi reuelationem, vt ſingularem Prophetam, ſeu ſingulares prophetias huius Libri commendaret Spiritus ſanctus.

Quibus titulis Prophetam ornat S. ſanctus.

NEceſſarium erit Hiſtoriam 2. Reg. 15. pernoſſe, & ſacramenta eius intelligere. Primus Abſalom, populum Iudaicum repræſentat, tam figura geſtorum quam nomine. Nomine quidem, quia Abſalom, pater pacis, interpretatur, Quod felicis erat ominis, ſi cætera non cogerent de pace mala, quam mundus dat, id eſt, de odio crucis Chriſti intelligere. Exhorruit enim populus iſte peculiariter crucem & mala mundi, propterea quod bona
Philip. 3. mundi & pax huius vitæ eis in lege promiſſa erant. Hinc eorum vox, pax, pax, cum non eſſet pax, quia nec legem ſeruabant nec poterant, ſed & Apoſtolus eos crucis inimicos appellat.

Hiſtor. 2. Reg. 15. Abſalom.

2. Reg. 14. Re autem geſta, Quia Abſalom 2. Reg. 14. ſcribitur fuiſſe formoſiſſimus in omni Iſrael, nec vlla in eo macula à veſtigio pedis vſq; ad verticem, & cæſaries inauditæ copiæ, vt ſingulis annis tonſa venderentur ducentis ſiclis pondere publico, vbi dicitur, mulieribus eam ad ornanda ſua capita fuiſſe venditam.

Abſalom formoſiſſimus in omni Iſrael. 2. Reg. 14.

Hæc eſt Synagoga ſpecioſa præ omnibus populis terræ, gloria patrum præeminentia, cultus vnius veri Dei, dono legis, ſcientiæ, prophetiæ, & multorum
Rom. 9. aliorum. Rom. 9. Deinde cæſaries copioſiſſima, ſplendidum ordinem Sacerdotum & Leuitarum in vertice & ſummo loco Synagogæ, diuitijs & delicijs
Iſa. 3. abundantium & luxuriantium & ſuperbientium ſignificat: de quibus Iſa. 3.
Pſal. 68. Decaluabit Dominus verticem filiarum Zion, & erit pro criſpante crine caluitium, id eſt, pro glorioſo ſacerdotio &c. Et Pſal. 68. Veruntamen Deus confringet capita inimicorum ſuorum: verticem capilli perambulantium in delictis ſuis.

Synagoga.

Cæſaries ordinem Sacerdotum & Leuitarum ſignificat.

Nam & hoc quod Abſalom occidendus, capillis pendebat in quercu, inter cœlum & terram, ſignificat Sacerdotes pendere in opinionibus ſuis carnalibus, nec cœleſtia nec terrena legis attingere & intelligere. Et detonſa ac mulieribus vendita, ſignificat Sacerdotes eiuſmodi de vertice Synagogæ in Spiritu ſeparatos, non niſi cupiditatibus & voluptatibus ſeſe tradidiſſe: Nec enim voluptates quempiam ornant, ſed ipſis magnum accedit ornamentum & illectamentum, tantis in illis optimatibus addictis ac venditis.

Abſalom capillis pendens in quercu.

Et ad rem. Abſalom affectator regni & hæreditatis contra patrem ſuum Dauid, expulit eum de ciuitate, vſus conſilio Achitophel, qui poſtea ſtrangu-
Matt. 21. lauit ſeipſum laqueo in domo ſua. Sic populus Iudaicus contra Chriſtum:
Iohan. 11. Hic eſt, inquit, Hæres, venite occidamus eum. Item Iohan. 11. Si dimittimus

Abſalom affectator regni.

eum ſie,omnes eredent in eum:Vſus ad hoc conſilio & auxilio Iudæ proditoris,qui ſimiliter,vt Achitophel,cohortibus & miniſtris ſe armauit:Similiter in domum conſcientiæ ſuæ deſcendens ac deſperans,laqueo ſe ſuſpendit. Achitophel enim,frater meus inſulſus dicitur. Ad quod Dauid alluſit 2. Reg.15. quando dixit,Infatua obſecro Domine conſilium Achitophel, Q.d.Vt ſit vere inſulſus & fatuus hac vice.

Iudas proditor. Achitophel. *2.Reg.15.*

Dauid typus Chriſti.

Dauid autem egreſſus nudis pedibus,& operto capite, ſignificat Chriſtum eductum ad Golgatha,qui & ad literam nudis pedibus,& capite corona ſpinea & ſanguine velato inceſſit.Sed allegorice, Caput diuinitas abſcondita erat in infirmitate,Et pedes nudi,id eſt,humanitas ſola omnino ſibi relicta.Regreſſus eius ad vrbem, occiſo Abſolom, Reſurrectio Chriſti eſt, in peccatis mortuo,& tamen victo populo Synagogæ, Tunc enim percuſſa maxilla eorum,& dentes eorum contriti,vt Pſal.iſte dicit,quod Chriſtum amplius vorare non poſſint,quia iam non amplius moritur.Dicit itaque:

Domine quid multiplicati ſunt,qui tribulant me: multi inſurgunt aduerſum me.

FEre idem ſcopus eſt huius Pſalmi cum præcedente, ſimilisque ſententia,Nam & hic incipit à querela & vana aduerſariorum Chriſti præſumptione,& finit in triumphante conſolatione,dicens.Quoniam tu percuſſiſti,Et,Domini eſt ſalus &c.Niſi quod hic & rem breuius,& affectum patientis plenius tractat.Tria enim ſunt,quæ vehementer quatiunt patientem, Solitudo,impotentia, deſperatio, quas augent confortantq; tria aduerſariorum,multitudo,potentia,fiducia.

Tria vehementer patientem conturbant.

Multitudo tribulantium.

Ad ſolitudinem ſuam & multitudinem perſecutorum pertinet,quod dicit,Domine quid multiplicati ſunt,qui tribulant me? Alioqui,niſi ſolitarius& derelictus eſſet,quomodo pateretur?quomodo tentaretur? quomodo tangeretur? fultus vel æquali vel maiore multitudine pro ſe certantium,Sicut diabolus ſenſit,Hiob 1.Nunquid fruſtra Hiob timet Deum?Nonne tu vallaſti eum ac domum eius,vniuerſamq; ſubſtantiam eius per circuitum. *Hiob.1.*

Potentia contra ſuam impotentiam.

Ad impotentiam ſuam,& hoſtium potentiam pertinet,quod dicit:Multi inſurgunt aduerſum me,Neq; enim pateretur etiam ſolitarius,niſi infirmior à robuſtioribus opprimeretur,ſicut Samſon ſolus à Philiſteis nihil pati potuit, quos toties percuſſit. Quare generali Canone obſeruandum eſt, patientiam nullam eſſe eius,qui habet vnde reddat & vindicet,aut vnde reſiſtat, ne opprimi poſſit,Vtrunq; enim patientis eſt,neq; vlciſci,neq; reſiſtere poſſe.

Vera patientia.

Inſurgere.

Grauius autem eſt Inſurgere,quam ſimpliciter tribulare,Sicut grauius eſt eſſe impotentem quam ſolitarium,& grauius hoſtem eſſe robuſtum ac inuictũ quam multum.Ideo dicit,Illi ſtant,eriguntur,firmantur, roborantur, præualent,confortati ſunt ſuper me,Ego autem nuto,cado,infirmor,proſternor penitus,Hanc enim illorum inualeſcentiam, & ſuam deiectionem, verbo,ſurgunt,ſignificat.Quomodo & ſupra Pſal.2. Aſtiterunt Reges terræ, eandem potentiam expreſſit, Verum vltra hæc duo fortiſſime & extreme vrget hoc quod ſequitur. *Pſal.2.*

Multi dicunt animæ meæ,Non eſt ſalus ipſi in Deo eius.Sela.

HOc certe Chriſtus in cruce audiuit: Confidit in Deo, liberet eũ nunc ſi vult,ſicut&Pſ.22.prædictũ eſt,Omnes videntes me, deriſerunt me,locuti ſunt labijs,&mouerunt caput,Sperauit in Domino,eripiat eum *Pſal.22.*

ſaluum faciat eum, quoniam vult eum. Hæc enim fiducia, illuſio, irriſio, inſul-
tatio, Epinicion & encomium aduerſariorum, tanquam de triumphato & de-
ſperato penitus inimico, extremum eſt & amariſſimum tribulationis, Siqui-
dem cecidiſſe & occubuiſſe multis robuſtis hoſtibus, & tum primum atrociſſi-
mum eſt, quando ſpes reſurgendi, etiam in ipſo Deo, denegatur, Sicut &
Pſal.40. Pſal. 40. Verbum iniquum conſtituerunt aduerſum me, Nunquid qui dor-
mit, adijciet vt reſurgat? In hac autem deſperatione fuiſſe Chriſtum nouimus,
non quod ipſe deſperarit, ſed quod ab omnibus etiam Diſcipulis deſperare-
tur, hoc eſt, ſine ſpe reſurgendi haberetur, tanquam mortuus à corde eorum,
Pſal.31. vt Pſal. 31. dicit, Hic quæritur conſolator, & non inuenitur, quin pro conſola-
tione, deſperatio cum amariſſima irriſione ingeritur, quod diabolicum eſt.

In Ebræo abſolute habetur, In Deo, ſine pronomine, eius, quod ad epita-
ſin facere mihi videtur. Ac ſi dicas, non modo derelictum & oppreſſum dicunt
ab omnibus creaturis, ſed & Deum, qui omnibus adeſt, omnia ſeruat, omnia
curat, me vnum præ rebus vniuerſis, non ſeruare. Qualem tentationem &
Hiob.7. Hiob. 7. guſtaſſe videtur, vbi dicit, Quare me poſuiſti ſic contrarium tibi? Nihil *Tentatio omnium*
eſt enim tentatio quæcunq; vel vniuerſi mundi, & totius ſimul inferni in vnum *maxima.*
conflata, ad eam, qua Deus contrarius homini ponitur, quam tremens depre-
Iere.17. catur Iere. 17. Non ſis tu mihi formidini, ſpes mea in die afflictionis, De qua
Pſal.6. infra Pſal. 6. Domine ne in furore tuo arguas me, & ſæpius per totum Pſalteri-
um videbimus. Hæc eſt inſuſtentabilis prorſus, & ipſe proprie infernus, vt eo-
dem 6. Pſal. dicetur, Quoniam non eſt in morte &c. deniq; niſi expertus ſis, ne
cogitare quidem illam poſſis.

NOta modeſtiam, imo ſingularem quendam affectum eius,
qui in hac parte tentatur, Interrogatiue dicit, Quid multiplicati ſunt? *Quid multiplicati*
quo velut innocentem ſe ſtudet probare, & indigna ſibi fieri indicat. At *ſunt.*
tamen non audet eos accuſare, & nomine iniuſtorum aut peccatorum appel-
lare, ſed ambiguo vocabulo vtens, dicit: Quare tam multi ſunt tribulatores
mei? At infra poſt victoriam, conſtanter, & cum fiducia peccatores & iniuſtos
pronunciat, dicens: Aduerſantes mihi ſine cauſa (vt noſter textus habet) & den- *Aduerſantes mihi*
tes peccatorum contriuiſti. Nam dum intra tentationem torquetur, ſe vnum *ſine cauſa.*
eſſe ſibi videtur, cui ſoli Deus ſit contrarius, & irremiſſibiliter iratus, Solus ipſe
tunc peccator eſt, omnes alij iuſti. & Deo autore contra ſe cooperantes, nihil
reliquum eſt, præter gemitum hunc inenarrabilem, quo inſenſibiliter ſpiritus
adiutus dicit & queritur: Quid me tot tribulant vnum? Sed & ipſe Dauid in hac
2.Reg.15. Hiſtoria eodem affectu laborans, dixit, 2. Reg. 15. Si dixerit mihi, non places,
præſto ſum, faciat quod bonum eſt coram ſe. O magnam ſui abnegationem,
Deum contrarium ſibi etiam eligens &c.

IN fine huius verſus ponitur dictio Ebraica, Sela, quam quia ſæ-
pius habebimus, hoc loco ſemel abſoluemus. Nec hodie ſatis cognitum eſt, *SELA,*
quid faciat ipſa, aut quid ſignificet. Septuaginta interpretes, pro ea tranſtule-
runt græce διάψαλμα, quod beatus Auguſtinus interpretatur pauſam, interru-
ptionem & diſcontinuationem pſalmodiæ. Sicut econtra σύμψαλμα vocat *AVGVS.*
compoſitionem ſeu continuationem pſalmodiæ. Dicit etiam, quod vbicunq; *Diapſalma.*
diapſalma ponitur, ſeu Sela, notari aut rerum aut perſonarum mutationem. *Sympſalma.*
Hunc ſequitur Caſſiodorus.

Beatus Hierony. ad Marcellam varijs ex Origine adductis, putat verius *HIERO.*
ipſam ſignificare connexionem ſuperiorum & inferiorum in canticis, Aut cer-
te ſempiterna eſſe, quæ dicta ſunt: Vnde & Aquila diligentiſſimus explicator
Ebraicorum nominum tranſtulit, ſemper, vel in ſempiternum.

Burgenſis. Burgenſis Pſal. 83. dicit ipſum nihil ſignificare prorſus, ſed eſſe tantum velut ſupplementum melodiæ, & nihil habere præter melodiam cui iungatur, negatq́; quod ſempiternitatem ſignificet: Vnde non niſi in Pſalmis, quia cantica ſunt, & ad melodiam dictata, & vno cantico Abacuc reperitur, nec niſi ſemel in eodem cantico Abacuc, ibi, Et ſanctus de monte pharan. Sela. *Pſal. 83.* *Abacuc 3.*

Stapulenſis. Hunc quaſi ſequitur recentior Stapulenſis, qui putat eſſe Sela Ebræis, ſimile aliquod ei, quod nobis in Eccleſiaſticis Antiphonis eſt, ſignatura Tonorum finalium ſub vocabulis Euouae, id eſt, Seculorum amen, quæ non canitur quidem cum Antiphona, etſi melodiæ eius iungitur. *EVOVAE.*

Iohan. Reuchlin. Iohannes Reuchlin in rudimentis ſuis Ebraicis, duas opiniones recidat, Alteram Ionathe Chaldæi, quem traduxiſſe ſcribit, Sela, id eſt, in virtute ſeculorum, cui Rabi Eleazar addiderit, quod cuicunq; loco ſacræ Scripturæ additur Sela, ei nullus finis erit, neq; in hoc ſeculo neq; in ſecula ſeculorum. Alteram Abraham Ben Eſdræ, qui Sela putet ſignificare, id quod vere, Et hoc placere Ebræis, quod etiam ſecundum eos nihil habere putetur, niſi quod iungitur harmoniæ, vt Burgenſis dixit.

TAnta itaq; diuerſitas facit, vt ego fatear me neſcire, quis eorum verius dicat. Et ſane, quæ me contra omnia iſta dicta mouent, ſunt hæc, Primum, quod exempla ex Pſalmis & Abacuc non quadrant. Nam quod hoc loco ponitur Sela, etſi fauet ſententiæ B. Aug. contra B. Hiero. quia res mutatur, non autem perſona, nec connectuntur præcedentia & ſequentia per ipſum, Tamen hoc contra vtrunq; vrget, quod aliquando in fine Pſalmorum ponitur, quandoq; in eiuſdem perſonæ verbis, & eandem exhortationem continuatis, Vt videri poteſt hoc Pſal. 3. & 4. Nam in fine 3. Pſal. dicit, Super populum tuum, benedictio tua. Sela. Et 4. In cubilibus veſtris compungimini Sela. Sacrificate ſacrificium iuſticiæ. Hic eſt continua eiuſdem perſonæ, ad eaſdem perſonas exhortatio, & tamen Sela interponitur, quod contra B. Auguſt. eſt. Quod autem in fine ponitur, contra beatum Hieronymum eſt. *SELA.*

Quod ſi vtriusq; ſententia quoquo modo defenditur, ſeu connectendo, ſeu diſtinguendo ſententias aut perſonas, Ad hoc tamen nihil eſt quod poſſit dici, Cur non æque ponatur in Pſalmis vbicunq; vel diſtinguuntur, vel connectuntur ſententiæ aut perſonæ, & quidem apertius non raro, quam vbi ponitur, vt obſeruanti facile occurrit.

Quod autem non ſignificet ſempiternitatem (vt recte Burgenſis ſenſit) ſatis conuincit, vel hic quem in manu habemus verſus, qui dicit, Non eſt ſalus ipſi in Deo eius, Sela. Quis ita inſaniat, oro, vt Chriſto vel iuſto, ſempiternam aſſerat tribulationem, ſine ſalute Dei? cum Pſal. 8. dicat eam fuiſſe paulam & breuem, vt videbimus. Et Pſal. 83. facti ſunt in adiutorium filijs Lot. Sela. Nunquid Aſſur in ſempiternum veniet filijs Lot adiutor? Deniq; tum Sela pauciſſimis verbis conueniet, vt Pſal. 4. In cubilibus veſtris compungimini. Sela. Et quæritis mendacium, Sela. In æternum compungentur, & mendacium quærent filij hominum? *Non eſt ſalus ipſi in Deo.* *Pſal. 8.* *Pſal. 83.* *Pſal. 4.*

Reliqua eſt ergo ſententia Burgenſis, quam nec probo, nec improbo, licet & contra eum poſſit dici, cur talis cauda harmonica his & non alijs locis ponatur?

Ego interim cum 70. Interpretibus remanebo, qui & in alijs multis locis, neſcio quid diuinioris habuere ſenſus (etiamſi à proprietate verborũ frequenter diſſideant) vt illud Pſal. 2. Apprehendite diſciplinam, quam expoſire & explicate dixerunt, quod Ebræus, oſculamini filium, obſcurius dixit. Nam hoc vere eſt Ieſum Chriſtum amplecti, diſciplinam & crucem amplecti, *Septuaginta Interpretes.* *Pſal. 2.* *Chriſtum amplecti.*

&(vt

&(vt Paulus ſolet dicere) Paſſionibus Chriſti communicare. Alioqui erunt, qui Chriſtum fateantur ſe noſſe, factis autem negent, Non enim qui loquitur, ſed qui viuit Ieſum Chriſtum crucifixum, ſaluus erit. At viuere Chriſtum, hoc eſt, crucifigi, vt Gal. 2. dicit, Chriſto crucifixus ſum, viuo iam non ego, viuit vero in me Chriſtus. *Galat. 2.* Ita & hic ſuo Diapſalmate, quid ad grammaticam ſignificationem voluerint, neſcio, Diuinabo de myſterijs.

Videntur enim, ſuo more myſterium indicaſſe, quando auſi ſunt interpretari diuiſionem, pauſam & moram, quam Sela Ebræis non ſignificat, nec ſunt leuiter moti, quod certum ſit, nec iota, nec apicem fruſtra in ſacris Literis ſcribi.

Ita pauſam hanc, mea temeritate ſuſpicor ſignificare inſignem aliquem affectum, quo pſallens pro tempore, mouente ſpiritu, afficitur. *Lutheri ſententia de Sela.* Qui, quoniam non eſt in noſtra poteſtate, non in omni Pſalmo, nec omni verſu à nobis haberi poteſt, ſed pro vt Spiritus ſanctus dat moueri, Ideo Sela in Pſalmis, tam confuſe, & citra vllam rationem ponitur, vt hoc ipſo indicet, ſecretam & nobis incognitam, nec prouideri poſſibilem motionem ſpiritus, Quæ, vbi venerit, omiſſis verbis Pſalmi, quietem & pauſantem poſcit animam, quæ capax fiat, vel illuminationis vel affectionis, quæ offertur. Ita hoc verſu, cum agatur de inſigni iſta tentatione Spiritus, qua Deus iratus ſuſtinetur, nedum creatura, motus eſt Propheta ad eam profundo affectu ſentiendam & agnoſcendam.

Hæc mea, citra cuiuſquam iudicij præiudicium, & ſatis de Sela.

Tu autem Domine ſuſceptor meus es, gloria mea, & exaltans caput meum.

TRibus tria opponit, Suſceptorem, multis tribulantibus, Gloriam, multis inſurgentibus, exaltatorem capitis, blaſphemantibus & inſultantibus. *Tria tribus opponit.* Itaq; ſolitarius quidem eſt coram hominibus, & iuxta ſenſum. Sed copioſiſſimo præſidio tutus, minimeq; ſolitarius coram Deo & in ſpiritu. Sic Iohan. 16. Ecce venit, vt me ſolum relinquatis, & non ſum ſolus, quia Pater mecum eſt. *Iohan. 16.* Ita impotens & oppreſſus eſt ſecundum faciem, & in oculis hominum, ſed coram Deo & in ſpiritu robuſtiſſimus, & adeo in virtute Dei cum fiducia glorians, cum Apoſtolo 2. Cor. 12. Cum infirmor, tunc fortior ſum, & libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Chriſti. *2. Cor. 12.* Et de tota Eccleſia Pſal. 68. dicit, Et infirmata eſt, tu vero perfeciſti eam. *Pſal. 68.*

Ita ſecundum hominem & viſionem inſipientium, deſperatus eſt, nec in Deo ſalus eſt ei reliqua. Sed in abſcondito huius tempeſtatis exauditus & exaltatus, iuxta illud Pſal. 81. In tribulatione inuocaſti me, & liberaui te, & exaudiui te, & in abſcondito tempeſtatis. *Pſal. 81.* Vere in abſcondito tempeſtatis, quia tempeſtas iſta tribulationis, ſic abſcondit exauditionem & ſalutem, vt nihil minus quam ſalus appareat, & Deus non exaudiens, ſed indignans duntaxat ſentiatur. *Tempeſtas tribulationis.*

Hæc, qui intellexerit aut expertus fuerit, ſimul intelliget, quam ſtulte & temerarie à multis doceatur, Poſſe hominem naturaliter Deum ſuper omnia diligere, *Error Sophiſtarum.* Cum nullus ſit homo relictus naturæ ſuæ, qui non exhorreſcat mortem, mortiſq; pœnas, nedum infernum, & iram Dei intentatam ferat, & tamen niſi hæc vincantur amore Dei, non poteſt diligi Deus ſuper omnia.

Proinde, verba huius verſus, verba ſunt non naturæ, ſed gratiæ, non arbitrij liberi, ſed ſpiritus robuſtiſſimæ fidei, *Fides.* quæ per caliginem tempeſtatis, mortis & inferni, videns Deum etiam derelictorem, agnoſcit ſuſcepto-

rem, Deum perſecutorem, agnoſcit auxiliatorẽ, & Deum damnatorem agnō-
ſcit Saluatorem. Non enim quæ videntur & ſentiuntur æſtimat, ſicut equus &
Spes. mulus, quibus non eſt intellectus, ſed ea quæ non videntur, intelligit. Spes enim *2.Cor.4.*
quæ videtur non eſt ſpes. Quod enim quis videt, quid ſperat? Rom. 8. *Rom.8.*

Locus Pſalmi 54. explicatur. Eiuſdem ſententiæ eſt, quod Pſal. 54. ſcribitur, Quoniam alieni (Ecce *Pſal.54.*
multi & alij, puta impij & aduerſarij) inſurrexerunt aduerſum me (vnicum ſci-
licet & ſolitarium) Et fortes quæſierunt animam meam (ecce fortes & vni in-
firmo præualentes) Et non propoſuerunt Deum in conſpectu ſuo. Quaſi dice-
ret, non credunt Deum eſſe mecum, ſed deſperatum, atq; adeo ipſimet Deo
me inuiſum arbitrantur.

Alius ex Pſalmo 86. Item Pſal. 86. Deus, iniqui inſurrexerunt aduerſum me, & fortes quæſie-
runt animam meam, & non propoſuerunt te in conſpectu ſuo, id eſt, Sum de-
relictus & ſolus, illi multiplicati tribulant me. Ipſe impotens & oppreſſus, illi
inſurgunt & ſtant potentes ſuper me. Sum deſperatus, nec ſalus mihi in Deo
eſſe dicitur, illi fidentes gloriantur de victoria ſuper me.

Vita iuſti cruce Chriſti conſummatur. Ita videmus, oportere vitam iuſti viri, exemplo Chriſti, his tribus parti-
bus crucis conſummari, vt ſit ſolus, impotens & deſperatus, quatenus ita di-
gnus fiat, Deo ſuſceptore, glorificatore, exaltatore. Sic Ioſue cum filijs Iſrael
cedit, & fugam ſimulat in bello contra Haitas, qua tamen arte eos funditus de- *Ioſue 8.*
leuit, Ioſu. 8. Sic & filij Beniamin cæſi ſunt, à filijs Iſrael, Iud. 20. cum fugam *Iud.20.*
ſimularent, & mox facie verſa, illos cederent pene ad interniciem. Crux enim
& paſſio inſidioſiſſimæ & mundo pernicioſiſſimæ fugæ ſunt, Quibus nulla fe-
liciore virtute, diabolus, mundus, caro ſuperantur, & mirabili Dei conſilio,
dum vincunt, vincuntur.

Gloria. Spes. CLarum autem eſt, gloriam hoc loco accipi pro gloriatione, ſeu
pro re ipſa, In qua gloriatur, iuxta tropum Scripturæ, quo dicitur: Spes
mea in die afflictionis. Iere. 17. & Pſal. 22. Spes mea ab vberibus matris *Iere.17.* *Pſal.22.*
meæ. Et 142. Dixi, quoniam tu es ſpes mea, hoc eſt, Tu es, in quo & de quo ſpe- *Pſal.142.*
ro. Sic Deus meus miſericordia mea, Sic Dominus illuminatio mea, & ſalus
mea &c.

Ita hic: Gloria mea tu, in quo glorior, vt ſit ſenſus: Illi confidunt in gloria *Pſal.49.*
Vbi & quomodo gloriandum. ſua, & in multitudine diuitiarum ſuarum gloriantur. Pſal. 49. Virtus eorum
eſt gloria eorum, Ego vero non in virtute mea glorior, quam non habeo, nec
in impotentia confundor, quam patior, ſed glorior in tua virtute, Tua poten- *Pſal.89.*
tia eſt gloria mea, Sicut Pſal. 89. Quoniam gloria virtutis eorum tu es. Et *Iere.9.*
Iere. 9 Qui gloriatur, glorietur noſſe Me, non glorietur ſapiens in ſapientia ſua, *1.Cor.10.*
nec fortis in fortitudine ſua, nec diues in diuitijs ſuis. Ita 1. Cor. 10. Qui gloria-
tur, in Domino glorietur.

Quod ſi cui rigidior grammatica placet, quod Cabod hoc loco proprie
δοξὰν græce ſignificet, quod latine dici ſolet, gloria, ideoq; aliud eſſe quam
gloriationem, quæ Græcis καυχημὰ dici putatur, & Ebræis pheer, ſeu tiphæ-
reth Nec ſic abſurde intelligitur, Deum eſſe gloriam iuſti viri, quomodo 1. Co-
rinth. 11. virum vocat gloriam Dei, & mulierem gloriam viri. Quia Deus glo- *1.Cor.11.*
Vir gloria Dei. rificatur, honoratur, laudatur, celebratur in ſanctis ſuis, quos liberauit. Rurſus,
& ipſi glorificantur, quos tanto beneficio Deus dignatus eſt, dum confitentur
de ſe, non ſuis, ſed Dei viribus ſeſe fuiſſe adiutos.

Verum apud me differentia modica eſt, in his duobus nominibus, præ-
Gloria. Gloriatio ſertim hoc loco, Niſi quod gloria extra perſonam paſſi, aliorum de ipſo ſigni-
ficat opinionem bonam, & nomen celebre. Gloriatio vero ipſius perſonæ,
proprium affectum, & fiduciam in Deo. Sequatur quiſque quod voluerit,
in ſpiritu

in ſpiritu enlm & coram Deo, nec gloria ſine glotiatione, nec gloriatio ſine gloria haberi poteſt, Vt enim glorieris & feliciter ſupetbias in Deo, oportet opinionem tui apud Deum eſſe bonam, atq; id, vel ſentire, vel firmiter credere. Et ita Deus gloria tua vel cognita vel credita, facit te gaudere, & in Deo gloriari. Quis enim non glorietur, exultet & omnibus contemptis inæſtimabiliter ſuperbiat, qui ſciat & credat opinionem ſui eſſe apud Deum bonam, hoc eſt, Deum de ipſo bene ſentire, ſibi in ipſo placere, velle adiuuare, pro eo pugnare, eum omnibus commendare.

Rurſum non ſatis eſt opinionem tui eſſe apud Deum bonam, & ibi te eſſe amatum, laudatum, gratum (hoc eſt, in gloria eſſe) niſi idipſum ſcias vel credas. Scito autem, credito iſto, gloriatio & gaudium conſcientiæ deeſſe nullo modo poteſt. Ita fit, vt neceſſe ſit ſimul & Deum glorificari, & iuſtum gloriari,
Pſal.106. Vt Pſal. 106. Vt gloriemur in laude tua, & ſimul ſit Deus, gloria iuſti, & gloriatio. Gloria in Deo, gloriatio in conſcientia. Eſt enim gloria opinio de alio bona. Gloriatio autem ipſa ſuperbia & fiducia de gloria ſua. *Gloria. Gloriatio.*

Vides ergo, quantæ fidei, & fortitudinis ſint hæc verba, Etſi, inquit, multi inſurgant aduerſum me, mala mihi cogitent, peſſime de me opinentur, Scio tamen, quod non confundar. Gloria mea Dominus, quem de me optime cogitantem conſtanter confido, & in hac diuina mei opinione glorior.

Exaltans caput meum. Hoc caput quanquam ſcio ab alijs, tum pro ipſo Chriſto, tum pro mente ipſa Chriſti accipi, tamen figurata & tropologica videtur hæc eſſe acceptio. Ideo mea temeritate, puto ſimplicius accipiendum ad tropum vſitatum Scripturæ, pro glorificatione, Vt ſit totius orationis ſenſus planus, Exaltans caput meum, id eſt eleuauit me, & in ſublimi conſtituit, iuxta illud 4. Reg. vltimo, Subleuauit Euilmerodach rex Babylonis caput Ioachim regis Iuda, de carcere, & locutus eſt ei benigne, & poſuit thronum eius ſuper thronum Regum, qui erant cum eo in Babylone. Hic claret, quod ſubleuare caput ſit ipſum hominem totum exalrare, & in gloriam ac regnum collocare, ita Chriſtus, qui per Ioachim regem Iuda figuratus eſt, cum eſſet mortuus, & ad Inferos deſcendiſſet, ac iam deſperato diceretur, Non eſt ſalus ipſi in Deo, mox dextera Dei exaltatus eſt de inferiori lacu ſuper omnes cœlos, ſuper omnem poteſtatem conſtitutus Rex regum, & Dominus dominantium. Eo-
Pſal 110. dem more & Pſal. 110. dicitur, De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput, id eſt eleuabitur ſuper omnes. *Exaltans caput meum. Tropi locutionis in ſacris literis. Subleuare caput.*

Atq; vt exaltare caput, vſu Scripturæ, regnum & poteſtatem ſignificat, ita non diſſimili tropo, leuare manum, ſignificat præualere & potentem eſſe in *Exaltare caput. Leuare manum.*
Iſa 49. opere, Vt Iſa. 49. Ecce leuabo ad Gentes manum meam, & ad populos exal-
Pſal 74. tabo ſignum meum, & afferent filios tuos &c. Ita Pſal. 74. Leua manus tuas
Gen. 29. in ſuperbias eorum. Sic leuare pedes, ſignificat velocem eſſe in via, vt Gen. 29. *Leuare pedes.*
vbi nos habemus, profectus ergo Iacob, Ebræus dicit, Et leuauit pedes ſuos Iacob, Sed & germanica vernacula eodem tropo ſolemus euntes exhortari, vt velociter eant, dicendo, Heb dit Füſs auff/leua pedes tuos.

Hæc latius dixi, quia magna pars intelligentiæ ſita eſt in tropis locutionis, præſertim in ſacris literis, quos ſuos habent idiotiſmos, quorum ignorantia grandes nebulas ſuſcitat, quandoq; in claro die. Igitur leuari caput, eſt exaltari in Regem & glorificari.

SEmper inculco, & in memoriam reduco, hæc eſſe verba fidei, ſpei & charitatis, quibus nos in Chriſto erudimur, ne deficiamus in quacunq; anguſtia. Ad noſtram enim (vt Apoſtolus Rom. 15. ait) doctrinam, & conſolationem ſcripta ſunt, vt per patientiam, ſpem habeamus. Arduum eſt enim, & diuinæ gratiæ virtus, Deum credere Exaltatorem capitis & Coro- *Verba fidei.*

natorem in media morte & inferis. Hic enim abſcondita eſt exaltatio, & patet non niſi deſperatio, & nulla ſalus in Deo. Itaq; contra ſpem, in ſpem hic docemur credere, quæ crucis ſapientia, nimis hodie eſt abſcondita in myſterio profundo. *Via ad cœlum.* Neq; enim ad cœlum alia via eſt, quam iſta crux Chriſti. Proinde cauendum, ne vita actiua cum ſuis operibus, & vita contemplatiua cum ſuis ſpeculationibus, nos ſeducant, blandiſſima eſt vtraq; & tranquilla, ideo & periculoſa, donec cruce temperetur & aduerſitatibus perturbetur, *Commendatio crucis.* Crux autem res omnium tutiſſima, Beatus, qui intelligit. *Rom. 8.*

Voce mea ad Dominum clamaui, & exaudiuit me de monte ſancto ſuo. Sela.

EBræus in furore dicit, vt & S. Hieronymus transfert, Clamabo, & exaudiet. Placetq; mihi magis quã præteritum. Eſt enim vox iam triumphantis, laudantis, glorificantis Deum, ac gratias agentis ei, qui ſe ſuſcepit, ſeruauit, & exaltauit, ſicut ſperauerat in verſu præcedente. Nam iſte eſt *Mos triumphantium.* mos triumphantium & laudantium, vt recitent ea quæ geſſerunt, quæ paſſi ſunt, & Epinicion cantent ſuo adiutori. Sicut Pſal. 66. Venite & audite, & narrabo omnes qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ. At ipſum ore meo clamaui, & exaltaui ſub lingua mea. Et Pſal. 81. Exultate Deo adiutori noſtro. Sic Exod. 15. Cantemus Domino, glorioſe enim honorificatus eſt &c. Ita & hic ſe exauditum, ſe dormiuiſſe, ſe ſuſceptum, percuſſos inimicos, dentes peccatorum contritos decantat, affectu gratitudine & lætitia pleniſſimo. *Pſal. 66. Pſal. 81. Exod. 15.*

Hoc eſt nimirum, quod mutationem facit, & qui huc vſq; ad Deum in perſona ſecunda locutus eſt, ſubito vertit verbum ad alios de Deo in tertia perſona loquens: Exaudiuit me, inquit, non exaudiſti. Item: Ad Dominum clamaui, non ad te clamaui, omnibus enim nota eſſe cupit, quæ in eum Deus bona contulit, quod grati animi eſt. *Pſal. 34.*

Affectus pſalmiſtæ. Iam illud, quod in Ebræo per futurum, dicit: Clamabo, & exaudiet me affectum maiorem habet, quam clamaui in præterito, licet præteritum non excludat, imo præteritum præ vehementia includit, Atq; vt explicem, ſi poſſum, affectus eius eſt huiuſmodi, Ego, qui iam expertus ſum, quam bonus, quam dulcis Dominus, quam non deſerat, quam non deſpiciat clamantes ad ſe, quam fideliter ſuſcipiat, ſeruet, exaltet, omnes inuocantes ſe, talem me erga eum habebo deinceps in æternum, vt eum pleniſſima fiducia ad ſolum ipſum confugiam. *Non timebo multa mala populi.* Non timebo etiam millia populi, paratus ſum in eum ſperare, etiamſi multa plura & maiora ferenda ſunt, & (vt Iob ait) Etiamſi me occiderit, in eum ſperabo, Hic eſt ille Deus, in quem omnes merito confidant, præſumantq;, de quo neminem deſperare conueniat. O infelices, qui vel multitudine vel magnitudine malorum fracti, non intelligentes, quam potenter, quam mirabiliter, quam glorioſe hic Deus ſaluet clamantes ad ſe.

Hunc affectum ſequentia indicant. *Non timebo, inquit, millia populi. Item, Domini eſt ſalus &c.* Sic & eodem affectu. Pſal. 34. dicit, Benedicam Dominum *Dominus laudandus omni tempore. Pſal. 34.* in omni tempore, Quaſi diceret, Stultus ego, qui hucuſq; in tempore vno Dominum benedixi, ſcilicet, proſpero & quieto, neſciebam, quam potens ſit etiam in tempore aduerſo, proinde etiam in tempore malorum eum deinceps benedicam. Siquidem ſunt qui laudent Deum tempore ſereno, iuxta illud, Confitebitur tibi cum benefeceris ei. At in tempore tentationis adeo recedunt, vt ad quodlibet aliud potius quam ad Deum confugiant, deniq; nec clamare ad eum poſſunt, nedum laudare & benedicere.

At nec

Pſal. 18. At nos hic erudimur, vt verſum illum Pſal. 18. in tempore crucis ſonemus, Laudans inuocabo Dominum, & ab inimicis ſaluus ero, vt tunc etiam Deus tibi placeat & ametur, quando diſplicentiſſimus & odio digniſſimus tibi videtur. Hic enim amor Dei caſtus & ſolidus eſt, Hoc eſt, quod Iſa. 48. dicit, *Infrenabo te laude mea, ne intereas.* Nam hac laude cor frenatur, in medijs aquis & turbinibus tentationum, vt non deficiat ab amore Dei. Verum opera ſpiritus ſunt hæc, non naturæ, in vno Chriſto perfectiſſime impleta, & omnibus, qui ſunt Chriſti, in exemplum deſcripta. Iſa. 48.

Voce mea. Beatus Auguſtinus, & poſt eum Caſſiodorus, putant non de corporea voce, ſed de voce cordis dictum eſſe, nec de ea ipſa niſi puriſſima, propter pronomen, mea, quod ſua vox non ſit, quæ impuris orantis cogitationibus interpelletur. Quæ vera eſſe credo. Non tamen vocem corpoream excluſam eſſe puto, quod vox affectus, quando vehemens eſt, ſe continere non poſſit, quin erumpat in vocem corpoream. Nam & Chriſtus in cruce vtrique corporea voce clamauit, & nobis clamandum eſſe docuit in anguſtia, vt ſic totis viribus intus & foris Dominum inuocemus. *Vox orantis.* Pſal. 22.

De monte ſancto ſuo, inquit. Hunc montem varie intelligi video. Alijs ipſe Chriſtus de ſe ipſo exauditus intelligitur, alijs de ſumma diuinitate, alijs aliud. Placet mihi mons ſummæ diuinitatis, modo id (quantum ſomnio) obſerues, monti huic non eſſe nomen. Nam Pſal. 2. Montem ſanctum Zion, dixit, ſuper quem tanquam inferiorem conſtitutus eſſet Rex. Ideo nominandus erat illic mons, vt quem regere non poſſet, niſi noſſet. Hic vero, à quo regitur, & de quo exauditur innominabilis eſt, nec ſpeciem nec nomen habens. *Mons ſine nomine.* Pſal. 2.

Quo mihi videor, erudiri nos omnes, In tempore tentationis auxilium diuinum ſperare quidem debere deſurſum, ſed modum, tempus, & genus auxilij nobis eſſe incognitum, vt fidei & ſpei locus ſit, quæ nituntur in ea, quæ nec videntur, nec audiuntur, nec in cor hominis aſcendunt. Atq; ita oculus fidei, in tenebras interiores & caliginem montis ſuſpicit, nihilq; videt, niſi quod attenuatur ſuſcipiens in excelſo, expectansq; vnde veniat auxilium ei, In ſublime videt, & de ſublimi expectat adiutorem, ſed quale ſit hoc ſublime, & quale adiutorium futurum, ignorat. Etſi enim Chriſtus omnia ſciebat, tamen tentatus eſt in ſimilitudine per omnia pro nobis, vt & ipſe hunc montem quodammodo iuxta humanitatem habuerit ignotum & incomprehenſibilem, pro hora paſſionis, quod & alio Pſal. 22. ſignificat dicens: Tu autem in ſancto habitas, id eſt, in abſcondito & inacceſſo ſecreto. Sicut enim Deus eſt ineffabilis, incomprehenſibilis, inacceſſibilis, ita eius voluntas & auxilium, præſertim in tempore derelictionis. *Quomodo expectandum ſit auxilium à Deo in tentatione.* Hebr. 4. Pſal. 22.

Ideo niſi fides hic expertum reddat, & tentatio probatum, nullis verbis tradi poteſt, quid ſit mons iſte ſanctus Dei. Idem ergo eſt, ac ſi diceret: *Exaudiuit me de monte ſancto ſuo*, quod vulgo dicitur: Exaudiuit me ineffabili, incomprehenſibiliq; modo, quod nunquam cogitaſſem. De ſurſum ſcio me exauditum, ſed quo modo ignoro, Eripuit me de alto, & de ſummo accepit me (vt alibi dicet) ſed non cognoſco, quid ſit hoc altum, hoc ſummum, hic mons. Eadem ratio eſt, quando derelinquit, & non exaudit, neq; enim ſcimus, quo vadat, aut vnde veniat Spiritus, etiamſi vocem eius audiamus, dum ſpirat, vt Chriſtus Iohan. 3. dicit, vt Iob. 9. Si venerit ad me, non videbo eum. Si abierit, non intelligam. Sic eſt, inquit, omnis, qui ex ſpiritu natus eſt. Abit cum abeunte, hoc eſt, relinquitur relinquente ſpiritu, & venit cum veniente, hoc eſt, exauditur exaudiente ſpiritu, neſcit tamen vtrunq;, quid, & quomodo ſecum agatur. *Exaudiuit me de monte ſancto ſuo.* Pſal. 18. Iohan. 3. Iob. 9.

Hoc

Sanctum. Hoc eſt, quod vocabulum illud, ſancto, indicat, quod (vt ſupra dictum eſt) ſeparatum & ſecretum ſignificat, planeq; id, quod attingi, nec ſenſu, nec mente poteſt, in quod qui rapitur, in Deum inuiſibilem rapitur, ac perfectiſſime purificatur, ſeparatur, ſanctificatur. Verum dura hæc res humanæ naturæ & intollerabilis, niſi ſpiritus Domini feratur ſuper has aquas, & tenebras huius abyſſi foueat, donec lux fiat.

Stulticia eſt, non ſuſtinere conſilium Dei &c. Proinde tota ſtulticia eſt in hac re, quod homo non ſuſtinet conſilium Dei, ſed adiuuari petit, modo & tempore à ſe electo, & ſibi placito, quo ex innominabili monte, nominatum ſibi facit, & ſanctum Dei montem, ſuæ cogitationis tactu prophanat, quantum in eo eſt. Hic eſt ſicut equus & mulus, *Pſal. 32.* qui eo vſq; Dominum ſuſtinet, quouſq; ſentit aut capit, vltra captum ſuum non ſequitur, quia fide non viuit, ſed ratione ſua. Exemplis id probari poteſt omnium Hiſtoriarum veteris & noui Teſtamenti (ſicut Ebræ. 11. facit Apoſto- *Ebræ. 11.* lus) in quibus ſemper inuenitur Deus ſic ſanctos ſuos ſaluos feciſſe, vt via & *Modus, quo Deus Sanctos ſuos ſaluat.* modus & tempus prorſus non appareret, ſed de ſublimi & de cœlo inexpectata venit, inopinata ſalus omnibus.

Quare optime dicitur, de monte ſancto ſuo, id eſt de ſumma diuinitate. Sed non omnes id intelligunt, quod dicunt. Nam de diuinitate ſumma exauditi eſt (vt dixi) inſperato & incogitabili modo exaudiri, ita vt nihil minus ibi ſentiatur quam diuinitatis auxilium, ſeu exauditio. Fides enim & ſpes hic loquitur, ſeu de fide & ſpe exaudita recitatur hiſtoria. At fides & ſpes exaudita nihil ſentit, nihil experitur, nihil intelligit de exauditione, cum ſint rerum non apparentium.

SELA. Hoc eſt quod ipſum Sela, in fine huius verſus notat, ſcilicet, affectum hunc mora dignum, vt qui non ſit leuiter prætereundus, adeo res ardua eſt, de monte ſancto Dei expectare ſalutem. Vt enim inſipiens non intelligit has profundas cogitationes Dei, Vt Pſal. 92. dicit, Ideo reprobat quoq; Dominus cogitatio- *Pſal 92.* nes populorum, & conſilia principum, Pſal. 33. Sciens, quoniam cogitationes *Pſal 33.* hominum vanæ ſunt Pſal. 94. Imo in iſto exceſſu cogitur exclamare fidelis: *Pſal. 94.* Omnis homo mendax. Pſal. 116. adeo neceſſe eſt hic occidere & captiuari *Pſal. 116.* omnem intellectum in obſequium Dei.

Ego dormiui & ſomnum cepi, & exurrexi, quoniam Dominus ſuſcepit me.

VErbum dormiui in ebræo, ſitum iacentis ſeu dormientis ſignificat. Somnum cepi autem, ipſam dormitionem, vt ſit ſenſus, Ego iacui, ego dormiui, vt ſignificet ſe in ſepulchro poſitum quieuiſſe, & mortuum fuiſſe, De qua requie in multis locis Scripturæ fit mentio. Sic Gene. 49. *Gen. 49.* Requieſcens accubuiſti, vt leo & vt leæna, Quis ſuſcitabit eũ? Et Pſal. 4. In pace *Pſal. 4.* in idipſum, dormiam & requieſcam. Vbi penitus eadem duo verba ponuntur, quæ in hoc verſu, nec tamen eodem modo tranſlata ſunt. Sic & noſtra vernacula dicimus, Jch hab gelegen vnd geſchlaffen/ vt priore quietem, poſteriore ſomnum intelligas.

Hæc eſt quies illa Pſal. 16. *Et caro mea requieſcet in ſpe.* Et Iſa. 11. *Et erit ſepulchrum eius glorioſum.* Sic enim Hieronymus tranſtulit, ſed fidenter. Lxx. ve- *Pſal. 16.* ro. *Et requies eius honor,* ſeu vt Ebræus habet, *Et erit requies eius gloria.* Q. d. *Iſa. 11.* *Et quis requies eius gloria.* Cum aliorum Regum gloria finiatur morte, & eorum gloria (vt ait Apoſtolus) finiat in confuſionem, Huius contra gloria incipit in morte, in qua finitur eius confuſio, Ita & omnium, qui ſunt Chriſti, iuxta illud Pſal. 116. Precioſa in *Pſal. 116.* *Chriſtianorum mors.* conſpectu Domini mors Sanctorum eius, Quia vita eorum ignominioſa in conſpectu hominum, Verum hæc obiter. Ad requiem redeamus.

Hæc

Hæc eſt illa quies,quam vetus olim ſignificauit Sabbatum (quod quietem ſonat) quam & noſtræ etiamnum Feriæ ſignificant, quibus Chriſtus nos ab operibus noſtri (id eſt,peccatis)mortuos & quieſcentes,ac feriatos facit, vt ſoli Deo viuamus,ac iam non nos,ſed Deus operetur,& regnet in nobis. Vnde præceptum eſt olim tanto rigore,ne quod ſeruile opus in ſabbato fieret,ſed eſſet Dies ſanctus Domino. Quod beatus Auguſtinus ſuper Geneſin pulchre interpretatus,docet intelligendum de operibus noſtris,quæ ſemper ſunt peccata. Quare herelia & liberalia,ac principalia duntaxat,imo diuina opera nunc facienda ſunt,poſtquam Sabbatum nobis fecit Chriſtus,ſuo Sabbato & quiete extinguens noſtra opera.

Sabbatum Iudæorum & Chriſtianorum.

Obſeruatio ſabbati Iudæis rigide præcepta.

Ad hoc valet,quod Chriſtus toto ſabbati die in ſepulchro iacere voluit,vt & res & tempus nomen & figura,omnia in vnum conuenirent,& religioſiſſimam hanc quietem commendarent, Siquidem horrendum eſt,hoc tempore gratiæ & ſanctæ quietis,adhuc in ſuis operibus negotioſum eſſe, & in diuinis operibus inanem inueniri. Sicut Iudæi,quibus in hanc rem dictum eſt, Memento,vt diem ſabbati ſanctifices. Nihil intelligentes,ſuis operibus remanent,& ſanctificando ſabbatum,peſſime ſabbatum polluunt. Sed hæc myſticá.

Chriſtus toto die ſabbati in ſepulchro iacuit.

Ad Chriſtum reuertamur,qui his verbis ſepulturam & mortem ſuam ſignificat,ſicut in principio Pſalmi huius dictum eſt. Non enim tam magnifica prædicare credendus eſt,de naturali quiete & ſomno, præſertim cum præcedentia & ſequentia cogant intelligi eum,de inſigni tribulatione & admirabili victoria hoſtium loqui. Quibus omnibus nos ad fidem Dei accendit,commendans virtutem & gratiam Dei, quod potens ſit à morte nos reſuſcitare,exemplum huius in ſeipſo nobis decantans & proponens. Neq; enim eſt, quod nos miſeros homines atrocius affligat,quam terror mortis,qua in primo Adam omnes ſumus mulctati. Nec iucundior nuncius,quam audire,mutatam & ſuperatam(quod melius eſt)hanc maledictionem, & mortem non modo victam, ſed etiam in adiutorium & miniſterium melioris vitæ, quam habuiſſemus, conuerſam.

Mors & ſepultura Chriſti.

Terror mortis.

Idcirco in morte & reſurrectione Chriſti ea conſolatio denunciatur,qua non maior humano generi nunciari poſſit,ſcilicet,commune malum omnium,mortem eſſe ita victam, ita credentibus ſubiectam, vt ad vitam(quam videtur abſorbere)cogatur plus cæteris omnibus cooperari. Quis hic non cantet? quis non cum Chriſto exultet? Ideo oportuit hanc Chriſti virtutem gaudio pleniſſimam,non modo preſſis verbis & ſimplici loquela,ſed Pſalmo & ſonoro Cantico (ſicut Epinicia ſolent)promi,quo magis ad contemptum huius vitæ & amorem mortis,animaremur,quando muſica ipſa genuinam vim habet,animos exacuendi & concitandi. Vnde & Heliſeus pſalten habuit, & tubas ad bellum Moſes parauit,ideo vrendam ſpiritus ſuſcepit,in re tam ſalutari & neceſſaria,vt quia arduum eſt, vita poſita mortem appetere, exhortatione cantata,facilius non moueret,& facilius moueri debere monſtraret.

Mors victa Chriſti morte

Muſicæ vis.

Ad quod illud accedit,quod verbis vtitur leuibus, & mortis horrorem mire extenuantibus,Iacui,inquit,& dormiui,nõ ait,ſepultus fui & mortuus. Amiſit enim mors & ſepulchrum,ſicut nomen,ita & vim, Atq; mors iam ne mors quidem eſt,ſed ſomnus,Sepulchrum non ſepulchrum,ſed cubile vel lectulus eſt,quod facit,non ſolum quia prophetiæ verba obſcurius & ænigmatice poni oportuit,Verum multo magis,vt nobis mortem redderet amabiliſſimam,nedum contemptiſſimam,vt in qua,ſicut in dulci quiete ſomni,nobis indubitata & melior exurrexio & vigilia promittatur. Quis enim non eſt certiſſimus de expergefactione ſeu euigilatione, qui dulci ſomno quieſcit & non moritur? At hic dicit,ſe non mortuum,ſed dormiuiſſe, ideo euigilaſſe. Atque ſicut ſomnus vtilis & neceſſarius eſt ad meliorum virium inſtaurationem, vt Am-

Mors ſomnus. Sepulchrum lectulus.

broſius

Vtilitas mortis. broſius in hymno, Artus feſſos vt ſomnus alleuet, Ita mors vtilis, & nunc inſtituta ad meliorem vitam parandam. Hoc eſt, quod Pſal. ſequente dicet, In pace dormiam & requieſcam, quoniam tu Domine ſingulariter in ſpe conſtituiſti me.

Itaq; in morte, non tam ipſa mors, quam certiſſima vita & reſurrectio *Qui ſeruat ſermonem meum, Ioh. 8.* conſideranda eſt, his qui ſunt in Chriſto, Vt ſtet illud Iohan. 8. *Qui ſermonem meum ſeruauerit, mortem non videbit in æternum.* Quomodo non videbit? Nonne ſentiet? Non morietur? Non vtiq;, ſed videbit ſolummodo ſomnum, & intentus oculis fidei in reſurrectionem, per mortem ita labetur, vt ne videat quidem mortem, & mors (vt dixi) ne mors quidem ei ſit. Et iterum, Iohan. 11. *Qui* *Iohan. 11.* *credit in me, etiamſi mortuus fuerit, viuet,* Hæc autem omnia in Baptiſmo inchoantur, & in fine vitæ conſummantur. Nam (vt Apoſtolus Rom. 6. dicit) Con- *Rom. 6.* *In Baptiſmo conſepelimur cum Chriſto.* ſepulti ſumus cum illo per baptiſmum in mortem. Quod credo, non ſolum de morte peccati ſpirituali intelligi, ſed etiam corporali, quod peccatum non moriatur penitus, donec corpus extinguatur, ſeu vt Paulus loquitur, donec deſtruatur corpus peccati. Quare ad mortem ſtatim in baptiſmo paramur, vt per mortem ad vitam velocius perueniamus.

Quærit hic beatus Auguſtinus, cur in futuro dixerit, Quoniam Dominus ſuſcipiet me? Sic enim & Ebræus habet, licet noſtra tranſlatio præteritum, ſuſcepit, habeat. Et quanquam verum ſit, Quod in Prophetis præterita cum fu- *Præterita miſcentur cum futuris in Prophetis.* turis miſcentur, quo vtrunq; ſignificetur, Quod ea, quæ prophetantur ventura, ſecundum tempus futura ſunt, ſecundum ſcientiam vero prophetantiũ, pro iam factis habenda. Forte tamen etiam ad conſolationem & exhortationem noſtram hoc pertinet. Quod Dominus non ſolum ſuſcepit Chriſtum caput noſtrum, ſed ſuſcipiet eum quoq; in omnibus ſuis membris eum ſequentibus, Vt ſic in perſona ſua, & omnium noſtrum, pro ſe & nobiſcum loqui intelligatur.

Vox autem iſta ebraica, iiſmecheni, quam Hieronymus tranſtulit, ſuſcitauit me, & alibi, ſuſtentat, quandam energiam habet, quam latinitas non reddidit, ſcilicet, vt Reuchlin interpretatur, innitetur mihi, accedet, approximabit mihi, quod eum ſenſum ferme parit: Eum qui moritur non deſeri à Domino, ſed de ſurſum, velut manu Dei extenta, & ſuper eum poſita, ſeruari, ne cadat in profundum, ſed potius eruatur & exaltetur. In quo miro artificio exprimitur morientis, & Dei ſeruantis modus. Nam qui moritur, videtur perire, ac velut deorſum abſorberi, Sed ibi manus Dei deſurſum approximans, ſeruat eum ne pereat, vt magis ſubleuetur in vitam, ac ſic ſibi quidem perit & cadit, ſed Deo ſeruatur & oritur.

Non timebo millia populi circundantis me, Exurge Domine ſaluum me fac Deus meus.

HIc Epinicij huius tertius verſus, idem facit quod præcedentes & ſequentes, hoc eſt, affectum illum ſancte ſuperbum, & aduerſitatis contemptorem nobis commendat. Diximus enim hæc dici in perſona eius, qui Deo liberatori ſuo gratus & gaudens, laudat & prædicat eius virtutem & gratiam, per aduerſitatis experientiam ita probatus & confirmatus, vt in futurum, nulla mala prorſus velit formidare, ſub tutela Dei iamiam cognita & explorata. Quamuis autem in Chriſto ſurgente à mortuis, locum non habeant amplius tribulatio, ſeu mors, ſeu millia circumdantis populi, tamen ſine dubio affectus huiuſmodi in ipſo regnat & triumphat, quem in eo propheta-

ri futu-

ti futurum oportuit. Hoc totum non propter Chriſtum, qui non indiguit, ſed propter nos, quibus etiamſi aliquas vicerimus tribulationes, plurimæ tamen ſuperſunt vincendæ. Ideo exhortandi ſumus, vt guſtata ſemel gratia adiuuantis Dei, firmemur ad multo maiora ferendæ, exemplo Chriſti maxime confortati. Atq; hac ratione mihi videtur, ita variare Propheta, in temporibus verborum, vt iam in præterito dicat: *Voce mea clamaui ad Dominum*, & exaudiuit me. Ego dormiui, & ſomnum cepi, & exurrexi. Iam in futuro, *Non timebo millia populi*, Iam in præſenti. *Exurge Domine, ſaluum me fac.* Ac rurſum, in præterito: Quoniam tu percuſſiſti omnes aduerſantes mihi &c. Vt in perſona Chriſti patientis quidem hæc dicat, ſimul tamen hoc Chriſti exemplo nos erudiat, facta & facienda nobis eſſe eadem.

Propheta iam præterito, iam futuro, iam præſenti tempore vtitur.

Iohan 12. Sic & Iohan. 12. pro hora paſſionis dixit, Nunc anima turbata eſt. Et quid dicā? Pater ſaluifica me ex hac hora. Sed propterea veni in hanc horā &c. Breuiter huic tropo aſſueſcendum eſt, quod in Prophetis & Pſalmis ſimul multa dicuntur, velut pro eodem tempore, quæ diuerſo tempore geruntur: Et quædam pro poſteriore tempore, quæ priore facta ſunt, Vt hic in Chriſti perſona, Exurge Domine, ſaluum me fac, pertinet ante paſſionem. Illud vero quod præcedit, Voce mea ad Dominum clamaui, & exaudiuit me, Et, Exurrexi &c. pertinet poſt paſſionem. Cæterum pro membris ſuis intelliguntur, vt dixi, ex iactabundo, & tentationes futuras animoſius expectante corde dicta, fiducia diuinæ virtutis ſeſe armante & exhortante.

Tropus iuxta tempora.

ILlud notius eſt, quam vt egeat oſtendi, quod Deo non dormienti aut iacenti dicatur, Exurge, ſed vel, vt Auguſt. hic dicit, Deo tribuitur, quod in nobis ipſe facit, vt exurgat, dum nos exurgere facit, Sicut in Prophetis locutus dicitur, quando Prophetas loqui fecit. Et Apoſt. 2. Cor. 13. An experimentum quæritis eius, qui loquitur in me Chriſtus? Vel quod tunc exurgere & vigilare dicitur, quanto effectu præſente oſtendit ſe nobis adeſſe, qui tropus eſt vulgatior priore, quo tunc fieri à Deo in ſcripturis aliqua dicuntur, quando fieri à nobis aut ſentiuntur aut cognoſcuntur, vt Gen. 22. Nunc cognoui, quod timeas Dominus. Et Luc. 7. vbi de Maria dixerat, Remiſſa ſunt ei peccata multa, Poſtea idem ad eam reuelans dicit, Remittuntur tibi peccata tua. Ita cum nunquam Deus non adiuuet, tamen inuocatur, vt adiuuet, quin vt inuocaretur dedit & adiuuit, & ne deficiatur interim adiuuat, donec adiuuet.

Deo tribuitur quod in nobis ipſe facit.

2. Cor. 13. *Gen 22.* *Luc 7.*

Videtur autem & hic verſus oppoſitus primis duobus. Vt contra multitudinem tribulantium dicat, Non timebo millia populi circundantis me, Contra potentiam inſurgentium, Exurge Domine, Et contra deſperationem iactantes, Saluum me fac Deus meus. Aut melius, hic verſus contra multitudinē tribulantium ponatur, Sequens contra inſurgentium vim, quia dicit, Quoniam tu percuſſiſti omnium inimicorum meorum maxillam. Et vltimus contra ſuggeſtores deſperationis dicentes, Non eſt ſalus ipſi in Deo, Vtiq; Domini eſt ſalus, & ſuper populum tuum benedictio tua.

Non timebo millia populi &c.

Epitaſis eſt in verbis illis, Non timebo millia populi circundantis me, Ac ſi præ magnitudine affectus in Deum fidentis dicat, Non timebo, etiamſi non modo potens quiſpiam in populo, ſed ipſemet populus quicunq;, Deinde etiamſi multa eſſent millia populi, atq; vt addam, ſi me vnicum & ſolitarium ita cepiſſent, vt penitus circundatus, nulla parte exitum haberem, nec ſic timebo, imo ſecurus ero, Non meis viribus, ſed quia tu exurges Domine &c. Sic inquam, Spiritus ſanctus vbiq; nos ad fidei & ſpei in Deum magnanimitatem benigniter prouocat.

T. 2. B Quoniam

Quoniam tu percuſſiſti omnes aduerſantes mihi ſine cauſa, denteſ peccatorum contriuiſti.

PRæteritum pro futuro ponitur, ſi in Chriſti perſona ante paſsionem accipiatur, Sin poſt reſurrectionem, eſt proſecutio Epinicij & laudis Dei, pro noſtra exhortatione, vt dictum eſt ſatis.

Ex Ebræo, pro ſine cauſa, Hieronymus tranſtulit, maxillas, hoc modo, Quia percuſſiſti omnium inimicorum meorum maxillas. Et huic tum recte concinit quod ſequitur, Dentes peccatorum contriuiſti. Atq; ita tautologia eſſe videtur.

Eſt autem ordo. *Non timebo, inquam, millia,* nec mel fideles timebunt vllam multitudinem, quantumlibet malorum & potentium, Quoniam exploratum iam habeo, quam ſoleas percutere conſumptores & deuoratores meos, dum & me ſuſcitas à mortuis, vt me deinceps vorare non poſſint, Et fideles meos per ſpiritum confortas, vt eis nocere nequeant. Quanquam iſta percuſſio intelligi queat de vaſtatione populi Iudaici per Titum & Veſpaſianum. Nam etſi adhuc ſint mordaces & maledici in Chriſtum & Chriſtianos, tamen contriti & percuſſi ſunt, vt neminem vorare poſſint. Itaq; dentes & maxillas habent, ſed percuſſos & contritos. Sicut alibi Pſal. 58. Deus conteret dentes in ore ipſorum, molas Leonum confringet Dominus. *Pſal. 58.*

Metaphora maxillæ & dentium. Vtitur autem hac metaphora maxillæ & dentium, pro verbis mordacibus, detractionibus, calumnijs & huius generis noxijs, quibus innocentes opprimuntur. Iuxta illud Prouer. 30. Generatio quæ habet pro dentibus gladios, & commandit molaribus ſuis, vt comedat inopes de terra, & pauperes ex hominibus. His enim Chriſtus deuoratus eſt, quando coram Pilato ad crucem eorum vocibus & accuſationibus adiudicatus eſt. Sic Apoſtolus Galat. 5. Si inuicem mordetis, & comeditis, videte ne ab inuicem conſumamini. Et multis alijs Scripturæ locis, celebris eſt hæc dentium & maxillarum metaphora, ac per ſeipſam ſatis manifeſta. *Prouer. 30.* *Aduerſantes hæreticorum combuſtores.* *Galat. 5.*

Dentes Eccleſiæ. Contra & ſponſa Chriſti dentes quoq; habet, Cant. 4. & 6. Dentes tui ſicut greges tonſarum, quæ aſcendunt de lauacro, hoc eſt, increpationes, quibus Eccleſia mordet & arguit peccatores, morſosq; conuertit, & ſibi incorporat, ſunt ſicut oues detonſæ, mites, ſcilicet arguentes ſine furia & zelo, tum tonſæ, id eſt, rerum cura inanes, non quærentes lucra & lanam ouium, Neq; enim verbum prædicare potuerunt etiam Apoſtoli, & ſimul ſeruire menſis, vt Act. 6. ſcribitur. Sed hæc alias. *Cant. 4. 6.* *Act. 6.*

Maxilla quam Samſon leuauit. Hi dentes figurati ſunt in maxilla, quam Samſon leuauit, & percuſſit in ea mille viros, Iud. 15. Vnde & mitiore intelligentia percutit & conterit Deus dentes peccatorum miſericorditer, quando per gratiam conuerſionis ex maledicis facit beneuolos, & ex criminatoribus ac detractoribus, iuſtoru m prædicatores & laudatores eorum. Sicut ſanctum Paulum lupum voraciſſimum robuſtiſſimis dentibus prævalidum contriuit, & Apoſtolum fecit, deuoratorem omnium gentium vſq; in hodiernum diem, Quo ſenſu & Iſa. 2. dicit, Conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces, Quaſi dicat, Mutabunt linguas noxias in ſalutares, & cultrices terrenorum hominum, vt ſint vomeres corripiendo, & falces colligendo populos ad Chriſtum. *Iud. 15.* *Dens hoſtes ſuos ſæpe amicos reddit.* *Iſa. 2.*

Dentes peccatorum. Poſſunt item dentes intelligi allegorice, iuxta beatum Auguſtinum principes peccatorum, quorum autoritate quiſq; de ſocietate recte viuentium præciditur, & quaſi incorporatur male viuentibus. Quibus contrarij ſunt principes iuſtorum, & ſacerdotes, qui exemplo & verbo bono commouent homines, vt credant, & ſeparati à ſeculo in Eccleſiæ membra tranſeant. Et ad hoc aptatur illud Cant. 4. & 6. de dentibus poſitum. Verum cuiuis in promptu eſt, dentium eiuſmodi allegorijs abundare, pluribus non agam. *Cant. 4. 6.*

Erit

Erit autem Pſalmus non inutilis,pro conſolandis puſillis conſcientijs,ſi
ad tropologiam trahatur,& per tribulatores denteſq; peccatorum intelligan-
tur moleſtiſſimi illi inſultus criminum,& conſcientia male actæ vitæ. Nam hic
vere laborat cor peccatoris,ſolitarium,infirmum, deſperatum. Et niſi contra
impetum ſuorum peccatorum aſſueſcat oculos ſurſum leuare, & contra con-
ſcientiam Deum inuocare,periculum eſt,ne maligni ſpiritus(qui in hoc nego-
cio in tenebris perambulante, animam capere anhelant) tandem abſorbeant
per triſticiam in deſperationem. Ideo fortiſſime firmandum eſt cor, & cum
Chriſto,ſiue contra peccata,conſcientiam perſequentia,ſiue contra pœnas ſa-
lutem impetentes,dicendum cum fiducia.

Domini eſt ſalus,& ſuper populum tuum benedictio tua.
Sela.

PVlcherrima Concluſio, & velut ſumma omnium affectuum
prædictorum. Eſt autem ſenſus: Dominus eſt qui ſaluet & benedicat, at-
que etiamſi omnium malorum in vnum conueniat chaos, adhuc Domi-
nus eſt,qui ſaluum faciat, In manu eius ſalus & benedictio. Quid ergo time-
am?quid non præſumam? qui ſcio Deo nolente,neminem perdi, neminem
maledici,etiamſi omnes perdant & maledicant, Deo volente neminem illo-
rum ſeruari aut benedici,quantumlibet ſe ſeruent & benedicant. Atq;(vt Gre-
gorius Nazianzenus)Deo dante nihil poteſt liuor, & Deo non dante nihil po- *Gregorij Nazianzeni dictum.*
n.8. teſt labor. In qua ſententia & Paulus dicit Rom.8. Si Deus pro nobis,quis con-
tra nos? Ita rurſum,Si Deus contra illos,quis pro eis? Quare?quia Domini eſt
poc.7. ſalus,non illorum neq; noſtra, Vana enim ſalus hominum. Inde Apocal.7.
Benedictio & charitas,& ſapientia,& gratiarum actio,honor,virtus,& fortitu-
l.109. do Deo noſtro &c. Item ibidem:Salus Deo noſtro & Agno. Et Pſal.109. Ma-
la.2. ledicent illi,tu vero benedices. Et Mala.2. Maledicam benedictionibus veſtris,
& benedicam maledictionibus veſtris.

Dicat ergo felix Chriſtus,dicat & Chriſtiana anima in medijs tribulatio-
nibus,Nihil refert,quod illi me perdunt & maledicunt,non illorum, ſed Do-
mini eſt ſeruare & benedicere. Nec prodeſt,quod ſeipſos viribus ſuis ſeruant,
ſe inuicem benedicunt,Non ipſorum,ſed Domini eſt ſalus & benedictio, quo
non ſeruante & benedicente,videntur ad horam ſeruari & benedici, ſed per-
dentur & maledicentur. Rurſum illo ſeruante & benedicente,videntur nos ad
horam perdere & maledicere,ſed reuera ſeruamur,& benedicimur. Hoc vult
l.147. Pſal.147. Nolite confidere in principibus, in filijs hominum, in quibus non
eſt ſalus.

Et in huius fiduciæ ſolatium,olim in lege Moſi prohibitum eſt,ne homo
Num.6. hominem benediceret,dicente Deo,Num.6. Sic benedicetis filijs Iſrael,& ſic *Hominum non eſt benedicere.*
dicetis eis,Benedicat tibi Dominus,& ego benedicam eis. O præceptum ſalu-
tare & neceſſarium. Cur putas,nolit Deus benedici vllum ab homine? niſi quia
att.5. iam tum illud præcogitabat,Matt.5. Beati eſtis cum maledixerint vobis ho-
mines, & dixerint omne malum aduerſum vos mentientes propter me. Sic
l.10. enim apud homines agitur,vt Pſal.10. ſcribitur,Quoniam laudatur peccator
in deſiderijs ſuis,& iniquus benedicitur, Nimirum,quid contra,iuſtus vitupe-
ratur & maledicitur. Recte ergo & pientiſſime dicit Dominus, Ego benedi-
cam eis,quod hic verſus velut repetens,dicit, Super populum tuum benedi-
ctio tua.

Quare hic verſus legendus eſt,vt Emphaſis & Epitaſis,cum eleuatio-
ne,ſit in genitiuo,Domini,& in pronomine,tua, Vt ſic per Antitheſin intelli-
gamus ſimul affectum,iucundiſſima fiducia plenum,qui conatus aduerſario-
rum malos quaſi rideat,& fiduciam ipſorum ſubſannet, hoc modo, Domi-

Maledictio hominum contemnenda. ni eſt ſalus, & ſuper populum tuum benedictio tua. Vt diſcamus maledictionem hominum contemnere, & benedictionem eorum non quærere, quando ſcimus ſolius Dei eſſe ſaluare & benedicere. In eadem ſententia inſultat eis Iſa. 41. Benefacere quoq; aut malefacere, ſi poteſtis, facite, Q. d. nec nobis nocere, nec vobis prodeſſe poteſtis. *Iſaie 41.*

Benedictio. Primum vide. Quod ſalutem ante benedictionem locat, recto ſcilicet ordine, quod benedictio in ſacris literis ſonat profectum & multiplicationem, *Gen. 1.* iuxta illud Gen. 1. Benedixit eis, dicens: Creſcite & multiplicamini, Quæ fieri non poteſt, niſi primum ſeruetur, ne pereat, qui benedicendus eſt. Et apte opponit hæc duo, primis verſibus duobus, Salutem Domini tribulantibus & inſurgentibus, Hi enim perdunt. Benedictionem vero Domini maledicentibus, *Maledictio grauiſsima.* & dicentibus, Non eſt ſalus ei in Deo. Hæc eſt enim maledictio grauiſſima. Poſtquam enim impij non habent quod faciant iuſtis à ſe perditis, vnum eſt reliquum, vt eis detrahant, maledicant, blaſphement, ſicut in cruce Chriſtus nobis monſtrauit, Vbi nituntur & opinionem illorum extinguere, tam apud Deum & homines, apud homines infamando, apud Deum fiduciam conſci- *Tentatio blaſphemiæ.* entiæ impetendo, ne in Deo glorientur, ſed vtrobiq; ſint confuſi.

Simul hic grauis illa tentatio blaſphemiæ tangitur, qua homo per dæmones vrgetur ad deſperationem, vt maledictionem Dei ſuper ſe putet ferri, ac ſic Deum pro Deo non habeat, dum nihil boni de eo ſentit. Hoc enim eſt Deum blaſphemare, de quo omnia optima præcipimur ſperare & præſumere, dum fide & ſpe & charitate colere eum iubemur in præcepto primo, & Sap. 1. Sentite *Sap. 1.* *Mutatio perſonæ ſubita.* de Deo in bonitate, & in ſimplicitate cordis quærite illum.

Atq; hoc forte eſt, quod tam ſubito mutat perſonam, Nam cum in tertia perſona dixiſſet, Domini eſt ſalus, velut Deum apud alios commendans, mox in ſecundam perſonam redit, dicens, Benedictio tua. Nam cum hæc blaſphemia omnium longiſſime rapiat à Deo, & tanquam fugiens maledictorem, alium quærat benedictorem, cum alius non ſit benedictor, Monet nos, vt tum quam maxime omnium ad Deum conuertamur, quando maxime omnium auertimur tentati. Et hæc affectio, quia eſt inſignis & vehementiſſima, forte non fruſtra ſignatur, per dictionem, Sela, de qua ſupra ſatis.

Expoſuimus Pſalmum totum de Chriſto.

SI cui iſta interpretatio non placet, nulla erit difficultas ipſum de Dauid intelligi, tanquam exemplar eiuſdem paſſionis, & eorundem affectuum, quos in Chriſto & quolibet Chriſtiano deſcriptos vidimus, Niſi quod quintus verſus nonnihil negotij ſolus dabit in hac expoſitione, Demus tamen occaſionem meliora valentibus, & breuiter ita exponamus.

Domine, quid multiplicati ſunt tribulatores mei? Abſolom ſcilicet, Ahitophel, & totus populus, vt 2. Reg. 15. Multi inſurgunt aduerſum *2. Reg. 15.* me, Multi dicunt animæ meæ, non eſt ſalus ipſi in Deo eius. Hoc præ cæteris faciebat Semei, 2. Reg. 16. maledicens Dauid, & dicens, Egredere, egredere vir *2. Reg. 16.* ſanguinum, & vir Belial, mittebatq; lapides contra Dauid, dicens, Reddidit tibi Dominus, Ecce premunt te mala tua &c.

Tu autem Domine ſuſceptor meus es, gloria mea, & exaltans caput meum. Dixit enim ibidem, Dimitte eum, vt maledicat, iuxta præceptum Domini, ſi forte reſpiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hodierna. His verbis indicat ſe nondum deſperaſſe, quin fortiter in Deum confiſum fuiſſe, vt cuius præceptum & voluntatem agnoſceret & iuſtificaret.

Voce mea ad Dominum clamaui, & exaudiuit me de monte ſancto ſuo. Hoc fecit,cum diceret, Infatua, quæſo, Domine,conſilium Ahitophel,& forte alias quoq;,quod non eſt ſcriptum,Nam,vt dixi,non in tribulatione ſed poſt tribulationem Pſalmum feciſſe credendus eſt.O fortis fides ad iratum Deum loqui,clamare ad percutientem ſe, confugere ad expellentem ſe,laudare ſuſceptorem,gloriam, exaltatorem,quem derelictorem, confundentem & opprimentem ſenſeris, digniſſimum plane exemplum Chriſtianæ fidei. Ego,inquit,vadam quo iturus ſum. Quaſi diceret, Neſcio quo vadam, hoc eſt,credere,committere ſe in tantas tenebras,vbi quid de te futurum ſit penitus ignores,& tamen bene ſperes, atq; exauditum te non diffidas. *Dauidis fides.* *Exemplum Chriſtianæ fidei.*

Ego dormiui & ſomnum cepi, & exurrexi, quoniam Dominus ſuſcepit me Quod pro mea temeritate intelligam in hunc modum: Talis tunc eram, vt de mea vita,gloria,omnibusq; meis rebus fuerit deſperatum,Similis eram, mortuo,ac deſcendenti in lacum, quantum erat in re & ſpecie coram hominibus,Neq; ſane in me præter fidem,quidquam viuebat,nec aliud mihi viſum eſt,ſi reſtituerer in Regnum,quam ſi de ſomno mortis,ac è ſepulchro reſuſcitarer,Nam ad hanc rerum ſortem,& ad has portas inferi ſolet Dominus deducere eos, quorum fidem tentare vo!et, neq; enim multum à mortuo differt, iſta patiens.

Aut ſi hoc non placet,age ſit affectus iſte;Fui ſubmerſus in hac tribulatione,Et ſicut profundo ſomno preſſi, non ſentiunt ſe viuere, ſuntq; mortuis ſimillimi,Ita ego præ nimia afflictione,in ectaſi fidei poſitus,externæ huius vi-
Gen.45. tæ nulla fruebar conſolatione,eramq; iam vere mortuus. Quomodo Gen.45. de Iacob dicitur, cum audiſſet filium ſuum Ioſeph regnare in Aegypto,quaſi de graui ſomno euigilans,Non tamen credebat eis,adeo ſcilicet in deſperationem Ioſeph apud eum venerat. Cum autem vidiſſet plauſtra, & omnia quæ miſerat Ioſeph,reuixit ſpiritus eius. *Iacob audiens Ioſeph filium regnare in Aegypto &c.*

Ita & hic Dauid ſeſe reuixiſſe & exurrexiſſe dicit de profundo ſomno cordis,ac velut morte. Nam de naturali ſomno & quiete ego fateor me non poſſe intelligere,ſed & ipſe Dauid 2.Reg.19.cum reuerteretur,ait. An ignoro
2.Reg.19. me hodie factum Regem ſuper Iſrael? in quo manifeſte indicat affectum, quem diximus,deſperati regni,quantum erat in re præſente.

Non timebo millia populi circundantis me, Exurge Domine,ſaluum me fac Deus meus.Hæc iam reuocatus,dicit: Deinceps,non timebo mala,ſi tu me-
Pſal.23. cum ſis,Vt Pſal.23. Exurge modo tu, & ſaluum me fac, ſicut modo feciſti, eſtoq; Deus meus,tum nihil erit,quod metuam.

Quoniam tu percuſſiſti omnium inimicorum meorum maxillas, dentes peccatorum contriuiſti.Caſus eſt enim populus cum Abſolom, factaq; plaga
2.Reg.18. magna in die illa viginti millium,2.Reg.18.Et ita percuſſi ac contriti,qui eum iam deuorabant & conterebant.

Domini eſt ſalus, & ſuper populum tuum benedictio tua. Sela.Quaſi diceret, Etſi Semei cum ſuis dentes maledicos in me fixerint,dicentes: Non eſt ſalus ei in Deo,Premunt te mala tua &c.Tamen ſolius Domini eſt benedicere & ſeruare,cui ſoli gloria in ſecula, AMEN.

PSALMVS IIII.

Ad victoriam in organis Pſalmus Dauid.

 Obſcuriſſi-

OBſcuriſsimus plane Pſalmus ante faciem meam, & vix alius tam varie expoſitus, quæ varietas argumentum eſt, nondum reuelatæ intelligentiæ.

Titulus Pſalmi. Primum titulum, quem deinceps quoq; ſæpius habebimus ſemel videamus, Lamnazeah, ante diui Hieronymi translationem verſum eſt ab antiquioribus, In finem, quod vere vnanimiter expoſuerunt in Chriſtum, quem Apoſtolus vocat finem legis, Rom. 10. dicens, Finis legis Chriſtus ad iuſticiam omni credenti. *Rom. 10.* Quem finem rurſus dupliciter accipiunt, quod Chriſtus & à lege tanquam finis & ſumma ſit intentus, & legem ipſe finierit, vt amplius nos ei nihil debeamus, ſeu, vt Philoſophi peripatetici dicunt, Finis quo & gratia cuius, Verum quid hæc ad titulum Pſalmi faciant, non video, niſi multa violentia hæc diſtrahas, & alia contrahas. Non enim omnes Pſalmi, qui hanc inſcriptionem habent, de Chriſto loquuntur, Niſi hoc de Chriſto ſit loqui, quod eſt de quolibet opere gratiæ Dei loqui, quod ſine Chriſto nec magnum nec paruum habemus. At tum oportuit in omni Pſalmo hanc inſcriptionem inſcribi.

Hieronymus deinde tranſtulit, Victori, tum ſecutum eſt, ad victoriam, quod Lyranus è Rabi Sali ſic putat intelligendum eſſe, videlicet Pſalmum ad hoc factum, vt Leuitæ cantores, alternis choris cantantes, niterentur ſe inuicem ſuperare, melius forte diuinam illam Dauidis melodiam ad laudem Dei *Cantores clamoſi.* inſtitutam, ritu clamoſiſſimorum hominum, qui in templis noſtris Cathedralibus, Chorales vocantur, qui cui cantent, ignoro, lapidibus & lignis eos boare audio. Atq; tum concordans illud, quod alij in finem inſcripſerunt, Dicit hunc eſſe finem, victoriam, ſcilicet clamoris, quam Chorus victor futurus hoc Pſalmo cantando (iubente ſcilicet Propheta) quæſierit, Etiam iſta ludicra poſſunt tanto ſerio doceri?

Legimus autem libro 1. Paralip. 15. fuiſſe inſtituta à Dauid tria genera *De Dauidis tribus Muſicorum generibus Paralip. 15. Lamnazeah, Epinicion.* cantorum, Vnum quod nablis, hoc eſt, Pſaltèrijs caneret, Alterum, quod Cytharis, ſeu, vt variare ſolet interpres, lyris. Tertium, quod cymbalis æneis concreparet, His pro tempore addebantur buccina & tubæ, Atq; tertium illud genus, ibidem ſcribitur inſtitutum, vt caneret in Cytharis ſuper octauam lenazeah, quod tranſtulerunt Epinicion, id eſt, Carmen victoriale, Inde forte venit quod Lamnazeah, transfertur, ad victoriam, quod Pſalmus, eiuſmodi titulo inſignis, ſit Epinicion.

Hic meam confiteor ignorantiam, Nam ſi hæc ita habent, neſcio, quare non & omnes alij Pſalmi, Epinicia inſcribantur, qui vel eadem vel maiora in hanc ſententiam, quam hic Pſalmus & ſui ſimiles, continent. Tum quæ ſit illa victoria in Pſalmo cantata, iterum varium erit, alijs Chriſti victoriam celebrantibus, alijs vero cuiuslibet Chriſtiani in paſſione ſeu tentatione poſiti.

Ad Inuitatorium. Iohannes Reuchlin in ſua Septena transfert, Ad Inuitatorium, Quod velit, eius generis Pſalmos eſſe quædam incitabula ad expergefaciendum, exhortandumq; ſpiritum hominis, Atq; huic origo vocabuli mire quadrat. Nam Naza, inſtitit, ſollicitauit, coegit, vrgebat, ſignificare dicit, vt Eſdræ. 4. Vt inſtarent ſuper eos, qui faciebant opus Domini. *Eſdr. 4.* Et iterum, vt vrgerent opus Domini. Sed & res ipſa Pſalmi non abhorret, quod meo iudicio hic Pſalmus ſit, mere exhortatorius ad opus Domini, id eſt, ad crucis & mortis tolerantiam. Verum an conſtans & perpetua ſit hæc tituli ratio per omnes Pſalmos, lectoris relinquo & curæ & iudicio.

Ego hoc libens accepto, eſſe idem Epinicion & inuitatorium, Quandoquidem ſolent id genus carmina triumphalia mire accendere & extimulare animos ad bellum, ita & Pſalmi ad cruces, tum bella, tum trophæa fortiter

animant

Digitized by Google

animant fideles Chriſti. Atq; ita & ego poſſum omnia conciliare, Ad victoriam, Victori, Ad inuitatorium, In finem, quod omnia huc ſpectent, vt animati hoc ſpiritus incitabulo, vincamus, & finem obtineamus hoſtium & omnium peccatorum, quo non ſuperſit, niſi triumphus gloriæ. *Ad victoriam.*

1.Par.15. In organis, non eſt dubium genus pro ſpecie, id eſt, cytharis, accipi. Dictum eſt enim, quod Epinicia in cytharis canerentur 1. Paralip. 15. Eſt enim organum hoc loco nomen commune in Ebræo, ad omne muſicum inſtrumentum.

De laude & virtute muſicæ ſileo, quæ ab alijs abunde tractantur, niſi quod hic apparet, vſum muſicæ fuiſſe olim ſacrum, & diuinis rebus accommodatum, ſucceſſu temporum (vt omnia) in luxus & libidinis ſeruitutem redactum, Nam hinc & ſpiritus malus Saul pellebatur, 1. Reg. 16. Et Heliſeo ſpiritus propheticus dabatur, 4. Reg. 3.

Muſices vſus ſacer olim, in noſtræ Eccleſiæ errore ad turpem luxum redactus.

1.Reg.16. 4.Reg.3.

Varie (vt dixi) hic obſcuriſſimus Pſalmus expoſitus eſt, Auguſtinus, aut verba Chriſti poſt reſurrectionem, aut hominis in Eccleſia credentis & ſperantis in Chriſto eſſe credit. Lyram & Burgenſem omitto, quorum ille de Dauid contra Saulitas, Hic contra Idolatrias eum accipit, Hieronymus arbitratur non niſi de Chriſto intelligendum. Singulæ horum interpretationes extra captum meum ſunt, ſequar ſpiritum meum, & abundabo in ſenſu meo, citra cuiusque præiudicium.

Ego ſomniaui mihi, hunc Pſalmum eſſe generalem quandam exhortationem ad totum populum Dei, præſertim eos, qui operum & viarum Dei ignari, crucis ſapientiam exhorrent. Inter quos primi fuerunt & ſunt Iudæi, filij Iſrael, quos maxime oportuit in hac re eſſe peritos. Nam, vt Rom. 3. Apoſtolus dicit, Scimus, quæcunq; lex loquitur, ijs qui in lege ſunt, loquitur. Quare Dauid vna ſuarum tentationum, vel multis potius probatus, exemplo ſuo docet, quid agendum ſit, & quomodo habendum in quacunq; tribulatione, & ſic iuxta titulum, erit Pſalmus exhortatorius ad victoriam, quod & ipſa verba indicant, quibus ſeſe Doctorem illorum oſtendit, dicens, Filij viri ſcitote, iraſcimini, ſacrificate, ſperate &c.

Rom.3.

Cum inuocarem exaudiuit me Deus iuſticiæ meæ.

STatim ab initio molliculos & querulosos erudit, ſuo exemplo docens, non alio currendum, ſed Dominum inuocandum in tribulationibus quibuscunq;. Quoties inquit, inuocaui, inuocaui autẽ quoties tribularer (vt Pſal. 120. Ad Dominum cum tribularer clamaui) toties me exaudiuit, adeo videlicet clemens & promptus eſt miſereri Dominus clamantium ad ſe. Vt quid ergo vos molliculi omnia repletis querimonijs, vana ſolatia quæritis, ad hominem confugitis, & hoc vnum remedium neſcitis nec quæritis?

Pſal.120.

Obſerua diuinum artificem & Rhetorem incomparabilem, Eodem exordio tria facit: Primo, ad filios hominum verſus, ac fraterna charitate pro eis ſollicitus, docet quo fugiendum ſit tribulatis, atq; id proprio exemplo, & modeſtiſſima iactantia. Ego inquit, ſic ſolitus ſum facere, quod & vobis faciendum arbitror. Secundo, vt reddat eos beneuolos & obſequentes, diuinam ſimul commendat clementiam, Exaudiuit me, inquit, Q.d. perſuaſum habeo, quod & vos ſit quam clementiſſime exauditurus, modo vos audiatis & inuocetis. Tertio quod principale erat, ſicut optimus Orator à gratitudine & laude incipit, qui eſt apud Deum & homines optimus beneuolentiæ captandæ modus. Sic enim iubemur & dominicam orationem ordiri. Pater noſter, eo verbo omnia beneficia Dei, affectu dulciſſimo comprehenſa repetentes.

Optimus modus captandæ beneuolentiæ.

Hoc eſt nimirum, quod verbum ad filios hominum vertit, quod tamen debuerat ad Deum vertere, verum noluit illos relictos, & ſolus & vacuus venire ad conſpectum Dei, Ideo & beneuolentiam gratus captat, ſimul & fraternæ ſalutis cupidus erudit infirmos. Nam ſequenti parte, mox ad ſolum Deum vertit verbum dicens: Dilataſti mihi, vbi iam quos allocutus eſt parte priore, ſecum ad Dei conſpectum perduxerit, vt iam non ſolum audiant, quid fecerit in præteritis tribulationibus, ſed etiam videant exemplum, quo ſoleat ad Deum confugere præſenti tribulatione, ita verbo & exemplo eos ſuauiſſime confortans.

Deus iuſtitia mea. Iam illud, Deus iuſticiæ meæ, quod ſine periculo dici quoq; poteſt, Deus iuſticia mea, Quanquam non negem ſignificare, iuſticiam eſſe à Deo, & quod ſolus Deus iuſtificet, tamen videtur mihi Propheta tangere ſummam quæſtionis ſeu querelæ, quam ſolent infirmiores prætexere, ſcilicet, Quod ſibi iniuriam fieri arbitrentur ab Aduerſarijs, ideoq; iuſte ſe indignari & iraſci, Quos Propheta non acerbe exagitans, ſed ſuo exemplo (vt dixi) ſuauiter erudiens, monet obliuiſci ſuam iuſticiam, eamq; cum tota cauſa tradere Deo iuſte iudicanti, ne plus ſibi arrogare de iuſticia, quam Deo viſum fuerit, Sicut de Chriſto dicit Petrus 1. Pet. 2. Qui cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur non comminabatur, tradebat autem iuſte iudicanti (id eſt, rem Deo commendabat, qui iudicat iuſte) Ita hic dicit: Quoties ego iniurias patior, inuoco Deum iuſticiæ meæ, hoc paratus habere pro iuſticia, quidquid ille iudicauerit: Quare aliam iuſticiam meam ignoro, niſi ipſum Deum, eiusq; ſanctam voluntatem. *1. Pet. 2.*

Conſolandi dextera ratio. Nonne iſte eſt artificioſiſſimus modus conſolandi infirmos, non damnare quidem eorum cauſam, nec iuſtificare, ſed ab ea tollere, & in Deum transferre, ſimul ipſos cum cauſa in Deum rapere, vt iuſticiam ſuam id ducant, quicquid Deus fecerit, atq; ita Dei voluntatem patienter ferant.

Hunc ſenſum eo libentius ſequor, quod Iuſticia mea, mihi, vſu Scripturæ magis cauſam propriam ſignificet, quam gratiam illam iuſtificantem, quam potius Iuſticiam Dei appellat. Rom. 1. Iuſticia Dei reuelatur in illo ex fide. Et Pſal. 31. In iuſticia tua libera me (non vtiq; in mea) Contra Gene. 30. Reſpondebitq; mihi cras iuſticia mea. Et Pſal. 7. Iudica me Domine ſecundum iuſticiam meam, & ſecundum innocentiam meam ſuper me. Hæc eſt enim iuſticia inter homines, quam & ipſam iudicat Deus, licet nulli ſatis ſit coram Deo. Et fit, vt inique aliquando malum inferatur, quod tamen non inique ſuſtinetur. Recte ergo eos reuocat à fiducia iuſticiæ ſuæ, & in Deum transfert, ne forte multo maiora digni ſint pati coram Deo, quantumlibet iuſti ſint apud homines. *Rom. 1. Pſal. 31.* *Iuſticia inter homines.*

Iura hominum. Et ſane eſt hæc doctrina vtiliſſima, hominibus ſemper neglecta. Nam ſi hæc ſeruaretur, tot fora, iurgia, iura, lites, cauſæ non eſſent, Omnium enim hominum ore iactatur iuſticia, iuſticia, ius & ius. Rarus eſt, qui ad exemplum & verbum huius Prophetæ iuſticiam ſuam Deo commendet, ſinatq; eum eſſe Deum iuſticiæ ſuæ, ſeu potius iuſticiam ſuam. Hinc totus orbis pro iuſticia & iure tumultuatur, bellis, cædibus, litibus, & infinitis peccatorum & malorum monſtris, & fit, vt iuſticia ſit cauſa fere ſola omnium iniuſticiarum. Sic enim excæcat eos error, quod ſtatim etiam apud Deum iuſticiam eſſe putent, quicquid ſuis dictaminibus, conſilijs, & hominum Decretis iuſticiam eſſe didicerunt, de qua re, niſi alia nunc agerentur, multa eſſent neceſſario dicenda. *Summum ius ſumma iniuria.*

¶ *In tribulatione dilataſti mihi.*

Tauto-

Pſal. 118.

TAutologia eſt, Nam idem eſt exaudiri & dilatari in tribulatione, ſicut Pſal. 118. In tribulatione inuocaui Dominum, & exaudiuit me in latitudine Dominus.

Dilatare

Eſt autem, dilataſti mihi, ſeu latitudo iſta, Ebraiſmus & Metaphora vel Metonymia propria Scripturæ, quam nos ſine figura conſolationem dicimus, Sicut econtra anguſtiam, triſticiam, & afflictionem dicimus. Sicut enim cor & omnes ſenſus contrahuntur, dum fugiunt & horrent triſtia, quod ſi ex omni parte vrgeat malum, iam fere fit anguſtia & vndiq; in arctum contractio, ita dilatantur & diſtenduntur, dum ablato malo, rurſum bona & iucunda conferuntur. Et ſane quam proprie eo verbo exprimitur natura triſticiæ & læticiæ. *Natura læticiæ & triſticiæ.* Nam & in fronte & vultu toto videmus, quam contrahantur triſtibus, & dilatentur iucundis rebus. Ideo de impijs Pſal. 18. dicitur, Et contrahentur in anguſtijs ſuis. Vnde & Apoſtolus, Rom. 2. duo illa componit, Tribulationem & anguſtiam, malum, ſcilicet, & fugam mali, ſic tamen vt fugi non poſſit.

Pſal. 18. Rom. 2.

Dilataſti me potius, quam dilataſti mihi dicendum fuiſſe videtur, Sed Idiotiſmus Ebraicorum verborum eſt, quod ſæpius abſolute ponuntur, & ſui nominis accuſatiuum abſtractum includunt, vel in nomen ſuum verbale reſoluuntur, Vt dilataſti mihi, id eſt, latitudinem feciſti mihi, fuiſti dilatator meus, hoc eſt conſolationem mihi feciſti, quoties inuocaui in tribulationibus meis.

Dilataſti mihi.

Et ſic captata eſt beneuolentia, ſimul & erudiit infirmiores, imo ſi voles hunc verſum, velut argumentum huius totius Pſalmi habere poteris, proponit enim erudire infirmos, vt inuocent Deum & cauſam ſuam Deo commendent, Dei iuſticiam laudent, conſolationem alibi non quærant, ſed certiſſimam & magno fructu à Deo expectent, atq; id efficaciſſime ſuo proprio exemplo, ſe velut ſocium eis iungens, & eorum caſus ſibi communes faciens.

Miſerere mei, & exaudi orationem meam.

COnfiteor inquit, quod me exaudiſti, quoties inuocaui, de quo non modo gratias ago, ſed & ſecurus ſum, quod ſicut deinceps & ſemper abundabunt paſſiones in nobis, ita ſemper ſis nos exauditurus clamantes ad te. Qua fiducia etiam nunc tribulatus, iterum inuoco, vt iterum exaudias.

Quanto autem in Ebræo hic verſus poſterior pars eſt primi verſus, voluit mea cogitatio totum hunc verſum intelligi, tanquam formam præſcriptam infirmioribus, qua ſe gererent inique tribulati, & hanc particulam eſſe velut præmanſum cibum, quo Propheta eos, velut pueros doceret, quibus verbis vti debeant inuocaturi Deum, nempe iſtis, *Miſerere mei, & exaudi orationem meam.* *Modus orandi.* Vt prima miſericordiam Dei ſuper ſe, & pro peccatis ſuis implorent, quibus forte longe peiora meruiſſent, ac ſic interim vindictæ obliti, cauſam Deo committerent, tum exaudiri peterent. Nam iuſtus in principio accuſator eſt ſui, Prouer. 18. Et placens Deo miſeretur primum animæ ſuæ, Eccleſ. 30. Ideo primum pro ſe gratiam implorat, tum demum à pœna liberari petit. Verum hæc non auſim aſſerere.

Prouer. 18. Eccle. 30.

Proinde eſto, quod ſit in noua tribulatione, noua inuocatio, in qua nihilominus id quod dixi obſeruandum eſt, vt non tam pro pœna quam peccato ſolliciti ſimus. Primum, miſericordiam Dei impetrantes, ne forte more ſtultorum peruerſiſſimo, noſtram culpam, quæ pœnam meruit obliti, alienam culpam, quæ noſtram pœnam operatur, ſolam videamus, trabem in oculo noſtro relinquentes, & feſtucam è fraterno oculo eijcere conantes. Nam primum deprecanda eſt cauſa tribulationis (quæ peccatum eſt) non tribulatio, ideo primum Deus miſereatur noſtri oportet, tum quorum miſertus fuerit, exaudiat.

Primum deprecanda eſt cauſa tribulationis.

Vides

Pſalmi tribulatorum ſolatia. Vides ergo Pſalmos in hoc eſſe per Spiritum ſanctum editos, vt ſint tribulatorum ſolatia, Ideoq; qui tribulari nolunt, quid eis cum Pſalmis? At qui hodie minus tribulari volunt, quam ij qui Pſalmos die ac nocte verſant, aut verſare debent? Nonne illud Amos 6. eis conuenit, Sicut Dauid putabant ſe *Amos 6.* habere vaſa cantici? Quomodo pſallent, qui pro diuitijs, priuilegijs, iuribus orbem cædibus inuoluunt, non contenti fulminibus ſuis proprijs? Ideo Pſalterij *Pſalterij hodie nullus vſus.* hodie nullus vſus, niſi quem patitur à vocibus & murmurationibus, ſatis indignum & tamen aſſiduum.

Filij hominum, vſquequo graui corde, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Sela.

S. Hiero. ſic transfert: Filij viri, Vſquequo inclyti mei, ignominioſe diligitis vanitatem & quæritis mendacium. Certe vim verborum Ebraicorum, recte tangit hic ſanctus vir, nihil enim de corde habet hic verſus, Proinde perſpicuum eſt, interpretem noſtrum, quiſquis fuerit, erraſſe, & beth pro caph legiſſe, & quod amplius eſt, dictionem vnam in duas diuiſiſſe, pro lichlimma (quod ad ignominiam ſonat) legiſſe leb lamma (quod cor, vt quid, ſignificat) Ideo vbi Hiero. ignominioſe, vna dictione, ibi, corde, vt quid, ille duabus tranſtulit. Et quod Ebræus chebodi, noſter, graues, Hiero. glorioſi mei, ſeu inclyti mei reddidit, nam gloria Ebræis, eodem pene verbo ſignificatur, quo grauitas.

Nec filij hominum Ebræus habet, ſed filij iſch, hoc eſt, filij herois, & qualis Pſal. 1. dicitur, Beatus vir, Non enim hic filij Adam habetur, quo ſignificatur carnis generatio. Quare nō filios carnis videtur indicare, aut non vt carnis filios eos alloqui, ſed quomodo magiſter, præceptor, aut quocunq; nomine maior, filios vocat ſuos minores.

Primum, ego ſpiritum meum effundam, deinde alia videbimus. Verſum ergo ſic transfero, Filij viri, vſquequo gloria mea ad ignominiam, diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Sela. Ita mihi verba Prophetæ in perſona Dei ſeu Chriſti eſſe videntur, Primum, Iudæos appellantis, deinde & Gentes, vt Apoſtolus ſolet loqui, Vt ſit ſenſus, O filij Iſrael, quouſque nomen meum apud vos polluitur? Quamdiu mea gloria per vos ignominiæ paret? dum me deſerto, qui ſum veritas & vita, diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Quæ quomodo fiant nunc videamus.

Dixi, Pſalmum eſſe exhortatorium ad eos, qui fidei defectu in cruce & iniurijs ſcandaliſantur, & animo deijciuntur, Quod vitium infidelitatis eſt, & crimen ſpiritualis idolatriæ, quales accuſantur filij Iſrael in deſerto fuiſſe, Pſal. 78. Generatio praua & exaſperans, generatio, quæ non direxit cor ſuum, *Pſal. 78.* nec eſt creditus cum Deo ſpiritus eius. Hic manifeſte arguitur vitium cordis, Quod erat diffidentia, ignorantia crucis, & inſipientia in via Dei, Quia ibidem dicit, Non ſuſtinuerunt conſilium Dei, quo vitio per totum vetus arguuntur *Vitium cordis. Externa Idolatria.* teſtamentum. Ab hoc crimine mox venit, exterior illa & varia Idolatria pro diuerſitate infinitorum affectuum, vt alius illum, alius iſtum Deum quæſierit, & vnusquisq; gloriam Deo debitam, in creaturam, ex qua vel eſſet conſecutus, vel ſperaret ſolatium, transferret.

Vertentes gloriam Dei ad ignominiam. Quando ergo gloria & cultus Dei, conſiſtit in ſyncera fide, robuſta ſpe, & perfecta charitate in Deum, neceſſe eſt, vt qui in Deum nec confidit, nec credit, nec diligit, ſed in quacunque creatura ſeſe ſolatur, gloriam Dei ad ignominiam vertat, & nomen ac opus, quæ Deo debuerat, in creatura quærat. At ita faciunt plane omnes, quotquot in tempore tentationis recedunt (nam de ijs potiſſimum hic loquitur) quare ab initio ſui ad finem vſque

mundus

mundus plenus eſt Idolatria, Quamuis non ſemper imagines adorent creatu-
rarum, tamen habent affectum illum, qui omnium Idolatriarum fons & ca- *Mundus perpetuo*
put eſt, Hic autem eſt (vt dixi) rebus & creaturis fidere, frui, delectari, qui ſoli *plenus eſt Idola-*
Deo debetur, id eſt, infidelitas & diffidentia, ac per hoc & contemptus, odiumſ- *tria.*
que Dei.

106. Sic Pſal. 106. Et mutauerunt gloriam ſuam, in ſimilitudinem vituli co-
medentis fœnum. Quo verſu pulcherrime vim Idolatriæ deſcribit. Gloriam
eorum vocat, gloriam Dei, quia apud eos ſolos erat gloria Dei (id eſt, recta fides
& cultus Dei) qua gloria Dei, & ipſi gloriam apud Deum & homines habe-
§.4. bant, Ita & 1. Reg. 4. Tranſlata eſt gloria Dei ab Iſrael. Et Rom. 1. Mutauerunt
1. gloriam incorruptibilis Dei, in ſimilitudinem imaginis hominis. Quid eſt
enim gloriam Dei mutari, niſi cultum Dei mutari? Nam Dei cultus, breuiſſi- *Cultus Dei.*
mo compendio, aliud nihil eſt, quam gloria Dei: Gloria Dei nihil aliud eſt, *Gloria Dei.*
quam ei credere, in eum ſperare, eum diligere. Quia qui ei credit, veracem eum
ducit, ac per hoc veritatem ei tribuit. Qui ſperat in eum, potentem, & ſapien-
tem, & bonum arbitratur, vt à quo poſſit iuuari & ſaluari, ac per hoc ei poten-
tiam, qua poſſit, ſapientiam, qua nouit, bonitatem, qua velit iuuare, tribuit: hoc
autem eſt, vere Deum eſſe, vere Deum habere. Tunc mox amor ſequitur in
eum, ſua ſponte ſibi placens in tali Deo, ac precioſiſſimam opinionem de eo
concipiens.

Qui autem non credit, mendacem facit, qui non ſperat, vel impotentem vel *Non credens Deo,*
neſcientem, vel nolentem facit, quæ ſunt horrenda. Tum ſequi neceſſe eſt con- *mendacem eum fa-*
temptum Dei. Ex quo deinde tranſlatus ad Creaturam (cum neceſſe ſit hu- *cit.*
manum cor, credere, ſperare, diligere aliquid) fidit vel in diuitias vel fauorem,
vel vires ſuas, vel alia quæcunq; vel in ſtultam opinionem, ſiue de vero ſiue de
falſo Deo prædicatam. Vbi ſi aliquando (permittente Deo) ſenſerit ſolatium,
toto corde & amore huc fertur. Et ſic potentia, bonitas, & omnia quæ ad glo-
riam Dei pertinent, ad ignominiam verſa ſunt, & tributa ei cui non debentur.

42. Sic in Eſa. 42 Gloriam meam alteri non dabo, nec laudem meam ſcul-
ptilibus, omnia ſcilicet, bona tribuit etiam hoſtibus ſuis, ſed gloriam ſibi ſoli *Vni Deo datur*
ſeruat. Quia non ſunt tribuenda bona, quæcunq; accipiuntur aut quæruntur, *gloria.*
quam vni ſoli Deo, quo prædicatur eius ſolius bonitas ac vera diuinitas. Iſtis
ſic cognitis, credo verſum hunc eſſe facilem, quod ignari crucis & vacui fidei,
gloriam Dei, mox vt cœperint pulſari, proſtituunt, & ad quodlibet aliud con-
fugiunt, quam ad Deum: Conſilium, auxilium, ſalutem, non ab eo, cuius ſunt,
ſed à ſeipſis vel creaturis (in quibus non ſunt) quærentes, non credentes vlti-
mum verſum Pſalmi præcedentis: Domini eſt ſalus, & ſuper populum tuum,
benedictio tua.

Videamus ergo, affectus & emphaſes huius verſus: Primum, vt *Filij viri.*
ſit acris & vehemens exhortatio, digniſſimo titulo eos alloquitur, Filij
(inquit) viri. Qui vir, ſiue Abrahæ, ſiue Iſrael, ſiue Chriſtus intelligatur,
idem erit. Quanquam magis proprie Abraham ego intelligerem, cum de Iu-
dæis primum intelligo. Hic enim Pater multarum gentium vocatus eſt, quia
non hoc tantum loco, ſed & Iſa. 51. ſimili exhortatione dicitur. Attendite ad
51. Petram, vnde exciſi eſtis, & ad cauernam laci, de qua preciſi eſtis. Attendite ad
Abraham patrem veſtrum, & ad Saram, quæ peperit vos, vnum vocaui eum,
& benedixi ei, & multiplicaui eum, Quaſi diceret, Attendite non quomodo
carnaliter ex illo nati eſtis, ſed quomodo illum vocaui, & non ex carne iuſtifi-
catus eſt, ſed per fidem in me, Ita & vos facere oportet, ſi filij eius eſſe volueritis.
Ioh. 8. Sicut Iohan. 8. Si Abrahæ filij eſſetis, opera Abrahæ faceretis

Ita

Filij viri. Ita hic, vt Abrabam eis proponat patrem non carnis, & eos moneat fieri filios eius ſpirituales, potius dicit, filij viri, quam filij hominis. Et cum potius ſint adulterini & ſpurij coram Deo, qui carnem Abrahæ ſine fide eiuſdem iactant, tamen dignatur eos tali honore, quo blandius & efficacius tales faciat, quales appellat, Sicut Paulus Galatarum Eccleſias vocat, cum iam eſſent ſeducti & extra Eccleſiæ fidem exturbati, Verum nihilominus oblique eis opprobrat degenerem animum, quod cum tanti Herois ſint filij, nihil tamen minus præſtent, quam filios eiusdem.

Vſquequo. Deinde & illa quæſtio, Vſquequo? miram habet energiam: inſignem ſimul diuinæ longanimitatis ſuauitatem commendans, ſimul grauiſſimum ac diuturnum ſalutis eorum diſpendium commiſerans, Quaſi diceret, Cum ſitis imo eſſe debeatis filij tanti viri, de quo vnice gloriamini, vſquequo grauiſſimo veſtro ſalutis periculo, & diuinæ patientiæ abuſu, tales vos exhibetis, & ita degeneratis, vt ſolo nomine ſitis filij tanti viri. Hoc autem facitis, dum nec creditis nec ſperatis in Deo, in quem ille credidit. Quin hanc in me fiduciæ gloriam, in meam & veſtram confuſionem & ignominiam alio vertitis. Ignoratis enim in aduerſitatibus non niſi ad me currendum eſſe. Ego enim (vt Iſa. 46.) portabo, ego feci, & ego feram, ego portabo & ſaluabo. Cur alius hac gloria potitur, qui non poteſt eam implere? Cur mihi non datur, qui ſolus hæc poſſum & volo, cui ſoli debetur? Vides quam ſuauis quidem ſit, ſed ardens valde hæc expoſtulatio. *Expoſtulatio ardens.* *Iſa. 46.*

Iam & hoc ſuum pondus habet, Quod grauiſſima antitheſi gloriam ad ignominiam trahi, non quamuis gloriam, ſed ſuam, propriã, expoſtulat. Quo ſolo auditu pia mens penitus debeat contremiſcere. Horribile enim auditu eſt, gloriam Dei in ignominiam, & laudem Dei in blaſphemiam verti, quam omnis creatura ſummis viribus ſtudet venerari.

Atq; ipſemet hanc rem tanti facit momenti, vt ecliptica oratione vtatur, per reticentiam, ſeu apoſiopeſin, verbum omittens dicens, Vſquequo gloria mea in ignominiam, ſcilicet, mutatur & vertitur: Sicut Paulus Rom. 1. Mutauerunt gloriam Dei &c. Hac enim apoſiopeſi indicat, tantum eſſe hoc flagitium, vt fas non ſit nominati, præ horrore nimiæ impietatis. Longe enim mitior fuiſſet culpa, ſi rebus creatis abuteremini in ignominiam, & gloriam operis mei ad contumeliam traheretis, ſicut ſit, ſi ex auro fiat vaſculum auro indignum, ſi homo nobilis ſit ſine honore. Sed gloriam meam non modo mihi nõ dari, verum etiam auferri, nec ſimpliciter auferri, ſed etiam in ignominiam mutari, hoc ſceluseſt, a quo cœli ſtupeſcant, quod aures non ferant, & lingua timeat proferre. Ecce quanta vi verborum cogit Deus noſter ad fidem ſui, id eſt, ad ſalutem noſtram. *Rom. 1.* *Gloriam Dei in ignominiam mutari.*

NVnc facile erat alias translationes huic meæ conciliare, licet ſenſum non adeo reddant expreſſum, Filij hominum &c. Quaſi diceret, Vere filij hominum eſtis, magis quam filij viri, quem referre debetis, ſed carnem eius & Patrum veſtrorum, non fidem eorum, ſapitis, Vſquequo graui corde, Vſquequo increduli eſtis corde & pondere infidelitatis deorſum ruentes, in fiducia rerum incumbitis, ac gloriam, quam mihi debetis, creaturis tribuitis? ſicut iam ſatis eſt dictum. *Filij hominum.*

Ita & illud Hiero. Filij viri vſquequo ignominioſe diligitis vanitatem, quaſi diceret, cedit hoc ad gloriæ meæ ignominiam & veſtræ, quod deſerta fiducia mei, diligitis alia quam me, qui ſum veritas &c.

Pulchro ordine primum, vanitatem diligi, deinde mendacium quæri dicit: Primum eſt n. omnium, affectus ipſe, ſeu amor, ſeu voluntas, ſeu ſtudium,

dium, qui ſi peruerſus & impius eſt, mox opiniones parit impias, falſas & men- *Amor impius parit opiniones impias.*
Pſal.1. daces. Ex ijs autem duobus (vt Pſal. 1. dictum eſt) pendet vniuerſa cuiuslibet hominis vita: Ita fit vt contra Moſen Deut. 12. Vnusquisq; faciat, quod ſibi rectum videtur. Hoc ſtudium, hoc conſilium impiorum, has cogitationes hominum vanas, hoc loco per mendacium taxat ſpiritus, & fere per totam Scripturam, vt per Pſalterium videbimus. Igitur amor vanitatis auertit affectum, quo auerſo, mox inficitur mens malis opinionibus, vt ſicut res male amat, ita de rebus male iudicet, & excæcata per malitiam mente, in errore & mendacijs ſuis, tanquam in veritate, ſapientia & omnino in luce ſe ambulare putet.

Singula verba Epitaſin habent, Vanitas eſt, vt Eccle. per totum copioſiſſi- *Vanitas.*
me definit, quidquid Deus non eſt. Nam ſi vana ſalus hominis, quanto magis omnium aliarum rerum? Eſt ergo iſta vanitas, quod homo crucis gratiam ignorans, non in Deo, ſed quouis alio, quærit auxilium & ſolatium, nec enim inueniri poteſt ſalus aut vllum bonum, niſi in Deo, Cætera omnia ſunt afflictio ſpiritus, & irritatio ac titillatio ad conſolationem verius quam conſolatio, & ſalutis ac boni potius incitabulum quam ſalus & bonum.

Porro, vanitatem habere, non perinde ſummum malorum eſt. Eſt enim *Vanitatem habere &c.*
omnis homo vanitas, & nihil nouum ſub ſole, aut ſi malum eſt, tolerabile eſt.
Pſal.116. Nullus etiam Sanctorum eſt, qui non ſperet, fidat, cupiat, metuat, amet, odiat, plus, minus quam debeat, Verum hoc corpus mortis, has leges peccati, has vanitates, odiſſe oportet, non diligere, non in illis placere. Creaturæ ſolatio & auxilio vti malum non eſt, ſed amare & in eis hærere, præ amore earum in Deum non fidere, impietatis eſt.

Mendacium etiam mitius malum eſt, quam quærere mendacium, ſiqui- *Mendacium quærere, impium eſt.*
dem poteſt quiſpiam ſeduci, & vanitatem pro veritate amplecti, Sed quærere, impium eſt, Cum enim omnis homo ſit mendax, non id quærendum eſt, vt noſtris opinionibus, noſtris iudicijs, ſeu, vt dicunt, noſtris dictaminibus obtemperemus, & vitam regamus, Sed maxime cauendum, vt ab ijs temperemus, & diuinæ ſententiæ cedamus, eiusq; iudicio agamur & agamus.

Proinde nihil poteſt Chriſtiano homini peſtilentius tradi, quam Philoſophia moralis, & decreta hominum, ſi ita tradantur, vt credat in his ſe recte incedere coram Deo. Nam ſic fiet, vt conſilijs his innixus, quidquid contra ſe geri viderit, iudicet, damnet, perſequatur, ac per hoc crucem Chriſti repudiet, & viam Dei penitus contemnat, quæ tunc optime & proſperrime habet, quando ſine ductu & conſilio noſtro viuimus, ac velut per deſertum, & inuium, Chriſtum in columna ignis ſequimur. Hoc enim eſt non vanitatem, ſed ſoliditatem diligere, nec mendacium, ſed veritatem quærere, quæ omnia in tempore *Veritatem quærere.*
paſſionis & aduerſitatis melius ſentiri poſſunt, quam verbis dici, aut corde cogitari, nam experientia opus eſt (vt ſæpe diximus) ad intelligenda verba Dei,
Pſal.116. Non enim dici aut ſciri, ſed viui volunt & ſentiri, ſicut ille, qui dixit Pſal. 116. Ego dixi in exceſſu meo, omnis homo mendax. Cur mendax? quia in ecſtaſi *Verbum Dei experientia diſcitur.*
paſſionis poſitus, & ſola Dei fide viuens, & fiducia rerum exutus, in qua omnes homines merſos vidit, ſecure pronunciat, eorum affectus eſſe vanos, & vniuerſa conſilia ac ſtudia eorum mendacia, quia ſine fide Dei ſunt, Si autem ſine fide, iam ſine verbo Dei, Si ſine verbo Dei, iam ſine veritate. atq; ita vere *Vana omnia quæ extra fidem.*
mendacia & vana omnia, quæ extra fidem ſunt, quæ veritas eſt propter verbum veritatis, in quod creditur, & credendo hæretur.

Habemus ergo huius Verſus ſententiam, eſſe omnes impios, Idolatras, diuinæ gloriæ violatores, qui in tribulatione quacunq; â fide, ſpe, & charitate cadunt in fiduciam & ſolatium rerum, atq; his ſtudijs ſeſe tuentur & regunt.

SELA.

De dictiuncula, Sela, ſatis dictum eſt, Nam & hic ſignandi affectus gratia mihi poni videtur, Quod reuera magni æſtimandum ſit, Vniuerſum hominum genus adeo vitioſis affectibus, & opinionibus eſſe implicitum, vt vanitatem diligat & mendacium quærat, ita vt res, pro dignitate, non queat ſatis dici & inculcari.

Et ſcitote, quoniam mirificauit Dominus Sanctum ſuum, Dominus exaudiet me, cum clamauero ad eum.

Caro exhorret Crucem.

SAluberrima eruditio: Nam hoc eſt, cur filij hominum exhorreſant crucem, quæ via eſt veritatis & ſoliditatis, potius vanitatem & mendacium ſectantes, in rerum fiducia, quod ignorantiam Dei habent (vt Apoſtolus dicit, 1. Cor. 15.) ignorant, inquam, quid agat, quid velit, quid cogitet Deus, quando nos tribulationibus tentat: Iudicant enim ſicut equus & mulus, ſecundum id quod patet & ſentitur. Patet autem tunc aliud nihil quam ignominia, inopia, mors & omnia, quæ in Chriſto nobis paſſio monſtrantur, quæ ſi ſola intuearis, & non cognoſcas in iis diuinam voluntatem, eamq; feras & laudes, neceſſe eſt, vt in cruce iſta ſcandaliſeris., & ad tua confugias, vbi mox Idolatra fias, & gloriam Deo debitam creaturæ tribuas. *1. Cor. 15.*

Chriſtus cum Iohan. 16. rationem redderet, quare Iudæi eſſent perſecuturi Apoſtolos, & extra ſynagogam facturi, dixit: Hæc facient vobis, quia non nouerunt Patrem neq; me. Quomodo non nouerunt, qui tam multa cum Chriſto pro Deo contenderunt? Sed Chriſtum noſſe, eſt crucem noſſe, & Deum ſub carne crucifixa intelligere, Hoc enim vult Deus, hæc voluntas Dei, imo hoc Deus eſt, ideo quod crucem, crucisq; verbum, ſuis affectibus & opinionibus, tanquam vanitati & mendacio contrarium, odiunt & perſequuntur, in cauſa eſt, quod ignorant Deum, ſeu (quod idem eſt) voluntatem Dei non nouerunt. *Iohan. 16.*

Chriſtum noſſe.

Quid ſit Chriſti carnem manducare, & bibere eius ſanguinem.

Ita & Iohan. 6. Quando dixit, Niſi manducaueritis carnem meam, & biberitis meum ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Durus hic ſermo erat, ita vt multi diſcipulorum quoq; ſcandalizati abierint retrorſum. Quare durus ſermo? quia manducare hanc carnem, & bibere hunc ſanguinem, eſt Chriſto per fidem incorporari, & paſſionibus eius communicare: At hoc ſumme horret prauus affectus, & peruerſis opinionibus vitiatum cor. Hoc eſt, quod hic dicit: Nolite timere: neq; putetis vos perire, ſi affectus & ſenſus veſter occumbat, ſi quæcunq; patiamini contra opiniones veſtras ſunt. Sed eſtote prudentes, cognoſcite Dominum, intelligite voluntatem eius, auertite oculos, ne videant vanitatem, Quoniam mirabilis eſt Dominus in Sanctis ſuis, Aliud agitur, & aliud longe apparet, Occidere videtur, ſed reuera viuificat, percutit, ſed vere potius ſanat, confundit, ſed vere tunc glorificat, deducit ad inferos, ſed vere reducit potius ab inferis, & his ſimilia, de quibus multa diximus in præcedentibus. *Iohan. 6.*

Mirabilis eſt Dominus in Sanctis ſuis.

Quid ergo mirabilius diuina hac voluntate? habitat quidam in altis, ſed humilia reſpicit, ſtultos facit, vt ſapientes fiant, infirmos facit, vt potentes reddat. Verum prius quidem apparet & ſentitur, at poſterius niſi fidem habeas, non aſſequeris. Sic enim & Petrus, 1. Pet. 1. dicit in Prophetis eſſe prænunciatas priores paſſiones, & poſteriores glorias. Ideo monitorio & exhortatorio egemus, quo eleuemur ad cognoſcendum Deum, in eiuſmodi caſibus, Scitote, inquit, quoniam mirificauit. *1. Pet. 1.*

Pij afflictionibus ſubiecti.

Quaſi dicat, Quid fluctuatis? quid quæritis hic & hic conſilium & auxilium? quid diligitis hoc & hoc ſolatium? Vana ſunt hæc omnia, non

modo

modo non iuuantia,ſed & mendacia,vos miſere fallentia: Scitote,& certi eſtore,audite & credite,fixa eſt & immurabilis ſententia, quod quicunq; Sanctus Dei eſſe voluerit,quicunq; gratiam eius obtinere & gratus ac placitus eſſe cupient,hunc neceſſe eſt pati, vt Deus ſit in ipſo mirabilis, Mirabilis autem eſſe non poterit. ſi conſilium & auxilium veſtrum,aut vllius creaturæ vos iuuare poterit,Nam hæc,quia ſupra captum veſtrum non ſunt,mirabilia non ſunt. At vbi deſperatum fuerit tam in vobis quam in omnibus alijs, & ſoli diuinæ voluntati cauſa commendata, Ecce tum erumpet quaſi lumen Iuſticia veſtra.
Pſal. 37. Pſal. 37. Et educet tanquam meridiem iudicium veſtrum,via & tempore prorſus incogitabili,tam vobis quam omnibus.

Sanctus hoc loco Ebraice haſid dicitur,quia is proprie ſanctus eſt,qui miſericordiam conſecutus eſt,quem nos gratia iuſtificatum vocamus. Atq; orationem diſtributiuam intelligi oportet, ſeu numerum pro numero, in hunc modum,Scitote,quoniam mirificauit Dominus ſanctum ſuum,id eſt,Sanctos ſuos, Quod eſt dicere, Scitote quod Deus mirabiliter regit & agit hominem quemcunq; iuſtificat,& gratia induit. Vt diſcaus, qui Deo placere voluerit, hunc(vt dixi)oporteat ſcire hoc Domini conſilium & voluntatem bonam, placentem,& perfectam. Nam & Rom.12.dicit,probari hanc voluntatem non poſſe,niſi renouatione mentis, qua ſemper occidit affectus & opinionem noſtram. *Sanctus quid ſit.* *Dominus mirificauit Sanctum ſuum.* Rom. 12.

Dominus exaudiet me &c. Iterum & verbo & exemplo docet infirmos, Nam poterat ad ſanctum mirificatum retuliſſe & dixiſſe, Dominus exaudiet eum cum clamauerit ad eum, aut priorem partem poſteriori ſic comparaſſe. Scitote quoniam mirificauit Dominus me. Sed,vt dixi,iſtæ perſonarum ſubitæ mutationes,affectuum ſignificant varietates & miras tranſlationes. Formanda eſt ergo perſona Prophetæ,nimia charitate pro filijs hominum ſoliciti,&nunc ſe inter ſanctos,nunc inter peccatores numerantis,quo omnes lucrifaciat: Dominus,inquit,exaudiet Sanctum ſuum,quod ſi hoc parum monet, dico quod exaudiet me,qui & ipſe vnus ſum Sanctorum,id eſt, eorum qui gratiam eius conſequuntur. *Perſonarum ſubitæ mutationes.* *Sancti.*

Et aduerte affectum,quod filijs hominum ſuadet quidem.vt ſuſtineant manum Dei,Verum quia res iſta in fide geritur,oſtendere non poteſt, quod dicit,non apparet Deus(vt dixi) Ideo quod extremum habet & poteſt, facit, promittit,ſcilicet,auxilium Dei. Q.d. Hoc vnum habeo,quod poſſum pro veſtro ſolatio: Quia promittere vobis cum fiducia poſſum,exaudiendos vos eſſe, Ideoq; confidite,nec diligite vanitatem,ne mutetis gloriam Dei,Sed expectate,atq; ad hoc meo exemplo quoq; confortamini. Quia ego certiſſimus ſum, quod Dominus exaudiet me,non modo hac hora,ſed quoties clamauero.

Ita videmus pijſſimam ſolicitudinem ſpiritualis animæ,pro Fratribus ſuis. Nam iactare ſe non audet,& tamen pro neceſſitate fraterna, cogitur ſeipſum in exemplum proponere, ſicut Apoſtolus Paulus quoq; facit in multis locis: Imitatores mei eſtote,ſicut & ego Chriſti. Et 2. Cor. 7. Nos neminem læſimus &c. Ad hanc enim iactantiam vitandam, videtur priore parte verſus in tertia perſona Sanctum dixiſſe,ne vane gloriaretur ſe eſſe,cum quo Deus mirabiliter ageret,quod in poſteriore parte omiſit, quod clamare ad Deum,non ſit magnæ iactantiæ fomentum,ſed potius afflictionis iudicium. Igitur docet nos ſpiritus benignus in mirificatione noſtri(id eſt,tribulatione)aliud fieri non debere,quam ſuſtinere mirificatorem Dominum,& clamare ad ipſum,non fugere paſſiones,non quærere mendacia,& quæ nobis bona ac recta videntur,quæ eſt ſpecies omnium nocentiſſima. *Pia ſolicitudo pro fratribus.* 1. Cor. 7. *Clamare ad Deum.*

OBſcuriſsimus plane Pſalmus ante faciem meam, & vix alius tam varie expoſitus, quæ varietas argumentum eſt, nondum reuelatæ intelligentiæ.

Titulus Pſalmi. Primum titulum, quem deinceps quoq; ſæpius habebimus ſemel videamus, Lamnazeah, ante diui Hieronymi translationem verſum eſt ab antiquioribus, In finem, quod vere vnanimiter expoſuerunt in Chriſtum, quem Apoſtolus vocat finem legis, Rom. 10. *Rom. 10.* dicens, Finis legis Chriſtus ad iuſtitiam omni credenti. Quem finem rurſus dupliciter accipiunt, quod Chriſtus & à lege tanquam finis & ſumma ſit intentus, & legem ipſe finierit, vt amplius nos ei nihil debeamus, ſeu, vt Philoſophi peripatetici dicunt, Finis quo & gratia cuius. Verum quid hæc ad titulum Pſalmi faciant, non video, niſi multa violentia hæc diſtrahas, & alia contrahas. Non enim omnes Pſalmi, qui hanc inſcriptionem habent, de Chriſto loquuntur, Niſi hoc de Chriſto ſit loqui, quod eſt de quolibet opere gratiæ Dei loqui, quod ſine Chriſto nec magnum nec paruum habemus. At tum oportuit in omni Pſalmo hanc inſcriptionem inſcribi.

Hieronymus deinde tranſtulit, Victori, tum ſecutum eſt, ad victoriam, quod Lyranus è Rabi Sal ſic putat intelligendum eſſe, videlicet Pſalmum ad hoc factum, vt Leuitæ cantores, alternis choris cantantes, niterentur ſe inuicem ſuperare, menſus forte diuinam illam Dauidis melodiam ad laudem Dei *Cantores clamoſi.* inſtitutam, ritu clamoſiſſimorum hominum, qui in templis noſtris Cathedralibus, Chorales vocantur, qui cui cantent, ignoro, lapidibus & lignis eos boare audio. Atq; tum concordans illud, quod alij in finem inſcripſerunt, Dicit hunc eſſe finem, victoriam, ſcilicet clamoris, quam Chorus victor futurus hoc Pſalmo cantando (iubente ſcilicet Propheta) quæſierit, Etiam iſta ludicra poſſunt tanto ſerio doceri?

Legimus autem libro 1. Paralip. 15. fuiſſe inſtituta à Dauid tria genera *De Dauidis tribus Muſicorum generibus Paralip. 15. Lamnazeah, Epinicion.* cantorum. Vnum quod nablis, hoc eſt, Pſalterijs caneret, Alterum, quod Cytharis, ſeu, vt variare ſolet interpres, lyris. Tertium, quod cymbalis æneis concreparet, His pro tempore addebantur buccina & tubæ. Atq; tertium illud genus, ibidem ſcribitur inſtitutum, vt caneret in Cytharis ſuper octauam lenazeah, quod tranſtulerunt Epinicion, id eſt, Carmen victoriale, Inde forte venit quod Lamnazeah, transfertur, ad victoriam, quod Pſalmus, eiusmodi titulo inſignis, ſit Epinicion.

Hic meam confiteor ignorantiam, Nam ſi hæc ita habent, neſcio, quare non & omnes alij Pſalmi, Epinicia inſcribantur, qui vel eadem vel maiora in hanc ſententiam, quam hic Pſalmus & ſui ſimiles, continent. Tum quæ ſit illa victoria in Pſalmo cantata, iterum varium erit, alijs Chriſti victoriam celebrantibus, alijs vero cuiuslibet Chriſtiani in paſſione ſeu tentatione poſiti.

Ad inuitatorium. Iohannes Reuchlin in ſua Septena transfert, Ad inuitatorium, Quod velit, eius generis Pſalmos eſſe quædam incitabula ad expergefaciendum, exhortandumq; ſpiritum hominis, Atq; huic origo vocabuli mire quadrat. Nam Naza, inſtitit, ſollicitauit, coegit, vrgebat, ſignificare dicit, vt Eſdræ. 4. Vt inſtarent ſuper eos, qui faciebant opus Domini. Et iterum, vt vrgerent opus Domini. *Eſdr. 4.* Sed & res ipſa Pſalmi non abhorret, quod meo iudicio hic Pſalmus ſit, mere exhortatorius ad opus Domini, id eſt, ad crucis & mortis tolerantiam. Verum an conſtans & perpetua ſit hæc tituli ratio per omnes Pſalmos, lectoris relinquo & curæ & iudicio.

Ego hoc libens accepto, eſſe idem Epinicion & inuitatorium, Quandoquidem ſolent id genus carmina triumphalia mire accendere & extimulare animos ad bellum, ita & Pſalmi ad cruces, tum bella, tum trophæa fortiter animant

animant fideles Chriſti. Atq; ita & ego poſſum omnia conciliare, Ad victoriam, Victori, Ad inuitatorium, In finem, quod omnia huc ſpectent, vt animati hoc ſpiritus incitabulo, vincamus, & finem obtineamus hoſtium & omnium peccatorum, quo non ſuperſit, niſi triumphus gloriæ. *Ad victoriam.*

1.Par.15. In organis, non eſt dubium genus pro ſpecie, id eſt, cytharis, accipi. Dictum eſt enim, quod Epinicia in cytharis canerentur 1. Paralip. 15. Eſt enim organum hoc loco nomen commune in Ebræo, ad omne muſicum inſtrumentum.

De laude & virtute muſicæ ſileo, quæ ab alijs abunde tractantur, niſi quod hic apparet, vſum muſicæ fuiſſe olim ſacrum, & diuinis rebus accommodatum, ſucceſſu temporum (vt omnia) in luxus & libidinis ſeruitutem redactum. Nam hinc & ſpiritus malus Saul pellebatur, 1. Reg. 16. Et Heliſeo ſpiritus propheticus dabatur, 4. Reg. 3. *Muſices vſus ſacer olim, in noſtra Eccleſiæ errore ad turpem luxum redactus.*

1 Reg. 16. 4 Reg 3.

Varie (vt dixi) hic obſcuriſſimus Pſalmus expoſitus eſt. Auguſtinus, aut verba Chriſti poſt reſurrectionem, aut hominis in Eccleſia credentis & ſperantis in Chriſto eſſe credit. Lyram & Burgenſem omitto, quorum ille de Dauid contra Saulitas. Hic contra Idolatrias eum accipit. Hieronymus arbitratur non, niſi de Chriſto intelligendum. Singulæ horum interpretationes extra captum meum ſunt, ſequar ſpiritum meum, & abundabo in ſenſu meo, citra cuiuſque præiudicium.

Ego ſomniaui mihi, hunc Pſalmum eſſe generalem quandam exhortationem ad totum populum Dei, præſertim eos, qui operum & viarum Dei ignari, crucis ſapientiam exhorrent. Inter quos primi fuerunt & ſunt Iudæi, filij Iſrael, quos maxime oportuit in hac re eſſe peritos. Nam, vt Rom. 3. Apoſtolus dicit, Scimus, quæcunq; lex loquitur, iis qui in lege ſunt, loquitur. Quare Dauid vna ſuarum tentationum, vel multis potius probatus, exemplo ſuo docet, quid agendum ſit, & quomodo habendum in quacunq; tribulatione, & ſic iuxta titulum, erit Pſalmus exhortatorius ad victoriam, quod & ipſa verba indicant, quibus ſeſe Doctorem illorum oſtendit, dicens, Filij viri ſcitote, iraſcimini, ſacrificate, ſperate &c.

Rom. 3.

Cum inuocarem exaudiuit me. Deus iuſticiæ meæ.

STatim ab initio molliculos & queruloſos erudit, ſuo exemplo docens, non alio entendum, ſed Dominum inuocandum in tribulationibus quibuſcunq;. Quoties inquit, inuocaui, inuocaui antè quoties tribularer (vt Pſal. 120. Ad Dominum cum tribularer clamaui) toties me exaudiuit, adeo videlicet clemens & promptus eſt miſereri Dominus clamantium ad ſe.

Pſal. 120. Vt quid ergo vos molliculi omnia repletis querimonijs, vana ſolatia quæritis, ad hominem confugitis, & hoc vnum remedium neſcitis nec quæritis?

Obſerua diuinum artificem & Rhetorem incomparabilem. Eodem exordio tria facit: Primo, ad filios hominum verſus, ac fraterna charitate pro eis ſollicitus, docet quo fugiendum ſit tribulatis, atq; id proprio exemplo, & modeſtiſſima iactantia. Ego inquit, ſic ſolitus ſum facere, quod & vobis faciendum arbitror. Secundo, vt reddat eos beneuolos & obſequentes, diuinam ſimul commendat clementiam, Exaudiuit me, inquit, Q. d. perſuaſum habeo, quod & vos ſit quam clementiſſime exauditurus, modo vos audiatis & inuocetis. Tertio quod principale erat, ſicut optimus Orator à gratitudine & laude incipit, qui eſt apud Deum & homines beneuolentiæ captandæ modus. Sic enim iubemur & dominicam orationem ordiri. Pater noſter, eo verbo omnia beneficia Dei, affectu dulciſſimo comprehenſa repetentes. *Optimus modus captandæ beneuolentiæ.*

Hoc eſt nimirum, quod verbum ad filios hominum vertit, quod tamen debuerat ad Deum vertere, verum noluit illos relictos, & ſolus & vacuus venire ad conſpectum Dei, Ideo & beneuolentiam gratus captat, ſimul & fraternæ ſalutis cupidus erudit infirmos. Nam ſequenti parte, mox ad ſolum Deum vertit verbum dicens: Dilataſti mihi, vbi iam quos allocutus eſt parte priore, ſecum ad Dei conſpectum perduxerit, vt iam non ſolum audiant, quid fecerit in præteritis tribulationibus, ſed etiam videant exemplum, quo ſoleat ad Deum confugere præſenti tribulatione, ita verbo & exemplo eos ſuauiſſime confortans.

Deus iuſticia mea.

Iam illud, Deus iuſticiæ meæ, quod ſine periculo dici quoq; poteſt, Deus iuſticia mea, Quanquam non negem ſignificare, iuſticiam eſſe à Deo, & quod ſolus Deus iuſtificet, tamen videtur mihi Propheta tangere ſummam quæſtionis ſeu quereiæ, quam ſolent infirmiores prætexere, ſcilicet, Quod ſibi iniuriam fieri arbitrentur ab Aduerſarijs, ideoq; iuſte ſe indignari & iraſci, Quos Propheta non acerbe exagitans, ſed ſuo exemplo (vt dixi) ſuauiter erudiens, monet obliuiſci ſuam iuſticiam, eamq; cum tota cauſa tradere Deo iuſte iudicanti, ne plus ſibi arrogare de iuſticia, quam Deo viſum fuerit, Sicut de Chriſto dicit Petrus 1. Pet. 2. Qui cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur non comminabatur, tradebat autem iuſte iudicanti (id eſt, rem Deo commendabat, qui iudicat iuſte) ita hic dicit: Quoties ego iniurias patior, inuoco Deum iuſticiæ meæ, hoc paratus habere pro iuſticia, quidquid ille iudicauerit: Quare aliam iuſticiam meam ignoro, niſi ipſum Deum, eiusq; ſanctam voluntatem. *1. Pet. 2.*

Conſolandi doctrina.

Nonne iſte eſt artificioſiſſimus modus conſolandi infirmos, non damnare quidem eorum cauſam, nec iuſtificare, ſed abs extollere, & in Deum transferre, ſimul ipſos cum cauſa in Deum rapere, vt iuſticiam ſuam id ducant, quicquid Deus fecerit, atq; ita Dei voluntatem patienter ferant.

Hunc ſenſum eo libentius ſequor, quod iuſticia mea, mihi, vſu Scripturæ magis cauſam propriam ſignificet, quam gratiam illam iuſtificantem, quam potius iuſticiam Dei appellat. Rom. 1. Iuſticia Dei reuelatur in illo ex fide. Et Pſal. 31. In iuſticia tua libera me (non vtiq; in mea) Contra Gene. 30. Reſpondebitq; mihi cras iuſticia mea. Et Pſal. 7. Iudica me Domine ſecundum iuſticiam meam, & ſecundum innocentiam meam ſuper me. Hæc eſt enim iuſticia inter homines, quam & ipſam iudicat Deus, licet nulli ſatis ſit coram Deo. Et fit, vt inique aliquando malum inferatur, quod tamen non inique ſuſtinetur. Recte ergo eos reuocat à fiducia iuſticiæ ſuæ, & in Deum transfert, ne forte multo maiora digni ſint pati coram Deo, quantumlibet iuſti ſint apud homines. *Rom. 1. Pſal. 31.*

Iuſticia inter homines.

Iura hominum.

Et ſane eſt hæc doctrina vtiliſſima, hominibus ſemper neglecta. Nam ſi hæc ſeruaretur, tot fora, iurgia, iura, lites, cauſæ non eſſent, Omnium enim hominum ore iactatur iuſticia, iuſticia, ius & ius. Rarus eſt, qui ad exemplum & verbum huius Prophetæ iuſticiam ſuam Deo commendet, ſinatq; eum eſſe Deum iuſticiæ ſuæ, ſeu potius iuſticiam ſuam. Hinc totus orbis pro iuſticia & iure tumultuatur, bellis, cædibus, litibus, & infinitis peccatorum & malorum monſtris, & fit, vt iuſticia ſit cauſa fere ſola omnium iniuſticiarum. Sic enim excæcat eos error, quod ſtatim etiam apud Deum iuſticiam eſſe putent, quicquid ſuis dictaminibus, conſilijs, & hominum Decretis iuſticiam eſſe didicerunt, de qua re, niſi alia nunc agerentur, multa eſſent neceſſario dicenda.

Summum ius ſumma iniuria.

In tribulatione dilataſti mihi.

Tauto-

Pſal. 118.

TAutologia eſt, Nam idem eſt exaudiri & dilatari in tribulatione, ſicut Pſal. 118. In tribulatione inuocaui Dominum, & exaudiuit me in latitudine Dominus.

Dilatare

Eſt autem, dilataſti mihi, ſeu latitudo iſta, Ebraiſmus & Metaphora vel Metonymia propria Scripturæ, quam nos ſine figura conſolationem dicimus, Sicut econtra anguſtiam, triſticiam, & afflictionem dicimus. Sicut enim cor & omnes ſenſus contrahuntur, dum fugiunt & horrent triſtia, quod ſi ex omni parte vrgeat malum, iam fere fit anguſtia & vndiq; in arctum contractio, Ita dilatantur & diſtenduntur, dum ablato malo, ruſum bona & iucunda conferuntur. Et ſane quam proprie eo verbo exprimitur natura triſticiæ & lætitiæ. Nam & in fronte & vultu toto videmus, quam contrahantur triſtibus, & dilatentur iucundis rebus. Ideo de impijs Pſal. 18. dicitur, Et contrahentur in anguſtijs ſuis, Vnde & Apoſtolus, Rom. 2. duo illa componit, Tribulationem & anguſtiam, malum, ſcilicet, & fugam mali, ſic tamen vt fugi non poſſit.

Natura lætitiæ & triſtitiæ.

Pſal. 18.
Rom. 2.

Dilataſti mihi.

Dilataſti me potius, quam dilataſti mihi dicendum fuiſſe videtur, Sed Idiotiſmus Ebraicorum verborum eſt, quod ſæpius abſolute ponuntur, & ſui nominis accuſatiuum abſtractum includunt, vel in nomen ſuum verbale reſoluuntur, Vt dilataſti mihi, id eſt, latitudinem feciſti mihi, fuiſti dilatator meus, hoc eſt conſolationem mihi feciſti, quoties inuocaui in tribulationibus meis.

Et ſic captata eſt beneuolentia, ſimul & erudiri infirmiores, Imo ſi voles hunc verſum, velut argumentum huius totius Pſalmi habere poteris, proponit enim erudire infirmos, vt inuocent Deum & cauſam ſuam Deo commendent, Dei iuſticiam laudent, conſolationem alibi non quærant, ſed certiſſimam & magno fructu à Deo expectent, atq; id efficaciſſime ſuo proprio Exemplo, ſe velut ſocium eis iungens, & eorum caſus ſibi communes faciens.

Miſerere mei, & exaudi orationem meam.

COnfiteor inquit, quod me exaudiſti, quoties inuocaui, de quo non modo gratias ago, ſed & ſecurus ſum, quod ſicut deinceps & ſemper abundabunt paſſiones in nobis, ita ſemper ſis nos exauditurus clamantes ad te. Qua fiducia etiam nunc tribulatus, iterum inuoco, vt iterum exaudias.

Quanto autem in Ebræo hic verſus poſterior pars eſt primi verſus, voluit mea cogitatio totum hunc verſum intelligi, tanquam formam præſcriptam infirmioribus, qua ſe gererent inique tribulati, & hanc particulam eſſe velut præmanſum cibum, quo Propheta eos, velut pueros doceret, quibus verbis vti debeant inuocaturi Deum nempe iſtis, *Miſerere mei, & exaudi orationem meam.* Vt prima miſericordiam Dei ſuper ſe, & pro peccatis ſuis implorent, quibus forte longe peiora meruiſſent, ac ſic interim vindictæ obliti, cauſam Deo committerent, tum exaudiri peterent. Nam iuſtus in principio accuſator eſt ſui, Prouer. 18. Et placens Deo miſeretur primum animæ ſuæ, Eccleſ. 30. Ideo primum pro ſe gratiam implorat, tum demum à pœna liberari petit. Verum hæc non auſim aſſerere.

Modus orandi.

Prouer. 18.
Eccle. 30.

Proinde eſto, quod ſit in nona tribulatione, nona inuocatio, in qua nihilominus id quod dixi obſeruandum eſt, vt non tam pro pœna quam peccato ſolliciti ſimus. Primum, miſericordiam Dei impetrantes, ne forte more ſtultorum peruerſiſſimo, noſtram culpam, quæ pœnam meruit obliti, alienam culpam, quæ noſtram pœnam operatur, ſolam videamus, trabem in oculo noſtro relinquentes, & feſtucam è fraterno oculo eijcere conantes. Nam primum deprecanda eſt cauſa tribulationis (quæ peccatum eſt) non tribulatio. ideo primum Deus miſereatur noſtri oportet, tum quorum miſertus fuerit, exaudiat.

Primum deprecanda eſt cauſa tribulationis.

Vides

Pſalmi tribulatorum ſolatia.

Vides ergo Pſalmos in hoc eſſe per Spiritum ſanctum editos, vt ſint tribulatorum ſolatia, Ideoq; qui tribulari nolunt, quid eis enim Pſalmis? At qui hodie minus tribulari volunt, quam ij qui Pſalmos die ac nocte verſant, aut verſare debent? Nonne illud Amos 6. eis conuenit, Sicut Dauid putabant ſe habere vaſa cantici? Quomodo pſallent, qui pro diuitijs, priuilegijs, iuribus orbem cædibus inuoluunt, non contenti fulminibus ſuis proprijs? ideo Pſalterij hodie nullus vſus, niſi quem patitur à vocibus & murmurationibus, ſatis indignum & tamen aſſiduum. *Amos 6.*

Pſalterij hodie nullus vſus.

Filij hominum, vſquequo graui corde, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Sela.

SHiero. ſic transfert: Filij viri, Vſquequo inclyti mei, ignominioſe diligitis vanitatem & quæritis mendacium. Certe vim verborum Ebraicorum, recte tangit hic ſanctus vir, nihil enim de corde habet hic verſus, Proinde perſpicuum eſt, interpretem noſtrum, quiſquis fuerit, erraſſe, & beth pro caph legiſſe, & quod amplius eſt, dictionem vnam in duas diuiſiſſe, pro lichlimma (quod ad ignominiam ſonat) legiſſe leb lamma (quod cor, vt quid, ſignificat) Ideo vbi Hiero. ignominioſe, vna dictione, ibi, corde, vt quid, ille duabus tranſtulit, Et quod Ebræus chebodi, noſter, graues, Hiero. glorioſi mei, ſeu inclyti mei reddidit, nam gloria Ebræis, eodem pene verbo ſignificatur, quo grauitas,

Nec filij hominum Ebræus habet, ſed filij iſch, hoc eſt, filij herois, & qualis Pſal. 1. dicitur, Beatus vir, Non enim hic filij Adam habetur, quo ſignificatur carnis generatio. Quare nō filios carnis videtur indicare, aut non vt carnis filios eos alloqui, ſed quomodo magiſter, præceptor, aut quocunq; nomine maior, filios vocat ſuos minores.

Primum, ego ſpiritum meum effundam, deinde alia videbimus. Verſum ergo ſic transfero, Filij viri, vſquequo gloria mea ad ignominiam, diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Sela. Ita mihi verba Prophetæ in perſona Dei ſeu Chriſti eſſe videntur, Primum, Iudæos appellantis, deinde & Gentes, vt Apoſtolus ſolet loqui, Vt ſit ſenſus, O filij Iſrael, quouſque nomen meum apud vos polluitur? Quamdiu mea gloria per vos ignominiæ paret? dum me deſerto, qui ſum veritas & vita, diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Quæ quomodo fiant nunc videamus.

Dixi, Pſalmum eſſe exhortatorium ad eos, qui fidei defectu in cruce & iniurijs ſcandaliſantur, & animo deijciuntur, Quod vitium infidelitatis eſt, & crimen ſpiritualis Idolatriæ, quales accuſantur filij Iſrael in deſerto fuiſſe, Pſal. 78. Generatio praua & exaſperans, generatio, quæ non direxit cor ſuum, nec eſt creditus cum Deo ſpiritus eius. Hic manifeſte arguitur vitium cordis, Quod erat diffidentia, ignorantia crucis, & inſipientia in via Dei, Quia ibidem dicit, Non ſuſtinuerunt conſilium Dei, quo vitio per totum vetus arguuntur teſtamentum. Ab hoc crimine mox venit, exterior illa & varia Idolatria pro diuerſitate infinitorum affectuum, vt alius illum, alius iſtum Deum quæſierit, & vnuſquiſq; gloriam Deo debitam, in creaturam, ex qua vel eſſet conſecutus, vel ſperaret ſolatium, transferret. *Pſal. 78.*

Vitium cordis. Externa Idolatria.

Vertentes gloriam Dei ad ignominiam.

Quando ergo gloria & cultus Dei, conſiſtit in ſyncera fide, robuſta ſpe, & perfecta charitate in Deum, neceſſe eſt, vt qui in Deum nec confidit, nec credit, nec diligit, ſed in quacunque creatura ſeſe ſolatur, gloriam Dei ad ignominiam vertat, & nomen ac opus, quæ Deo debuerat, in creatura quærat. At ita faciunt plane omnes, quotquot in tempore tentationis recedunt (nam de ijs potiſſimum hic loquitur) quare ab initio ſui ad finem vſque

mundus

mundus plenus eſt Idolatria, Quamuis non ſemper Imagines adórent creaturarum, tamen habent affectum illum, qni omnium Idolatriarum fons & caput eſt, Hic autem eſt (vt dixi) rebus & creaturis fidere, frui, delectari, qui ſoli Deo debetur, id eſt, infidelitas & diffidentia, ac per hoc & contemptus, odiumq́ue Dei.

Mundus perpetuo plenus eſt Idolatria.

106. Sic Pſal. 106. Et mutauerunt gloriam ſuam, in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum. Quo verſu pulcherrime vim Idolatriæ deſcribit, Gloriam eorum vocat, gloriam Dei, qnia apud eos ſolos erat gloria Dei (id eſt, recta fides & cultus Dei) qua gloria Dei, & ipſi gloriam apud Deum & homines habebant, Ita & 1. Reg. 4. Tranſlata eſt gloria Dei ab Iſrael. Et Rom. 1. Mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in ſimilitudinem imaginis hominis. Quid eſt enim gloriam Dei mutari, niſi cultum Dei mutari? Nam Dei cultus, breuiſſimo compendio, aliud nihil eſt, quam gloria Dei: Gloria Dei nihil aliud eſt, quam ei credere, in eum ſperare, eum diligere, Qnia qui ei credit, veracem eum ducit, ac per hoc veritatem ei tribuit. Qui ſperat in eum, potentem, & ſapientem, & bonum arbitratur, vt à quo poſſit iuuari & ſaluari, ac per hoc ei potentiam, qua poſſit, ſapientiam, qua nouit, bonitatem, qua velit iuuare, tribuit: hoc autem eſt, vere Deum eſſe, vere Deum habere. Tunc mox amor ſequitur in eum, ſua ſponte ſibi placens in tali Deo, ac precioſiſſimam opinionem de eo concipiens.

Cultus Dei. Gloria Dei.

Qui autem non credit, mendacem facit, qui non ſperat, vel impotentem vel neſcientem, vel nolentem facit, quæ ſunt horrenda. Tum ſequi neceſſe eſt contemptum Dei. Ex quo deinde tranſlatus ad Creaturam (cum neceſſe ſit humanum cor, credere, ſperare, diligere aliquid) fidit vel in diuitias vel fauorem, vel vires ſuas, vel alia quæcunq; vel in ſtultam opinionem, ſiue de vero ſiue de falſo Deo prædicatam. Vbi ſi aliquando (permittente Deo) ſenſerit ſolatium, toto corde & amore huc fertur. Et ſic potentia, bonitas, & omnia quæ ad gloriam Dei pertinent, ad ignominiam verſa ſunt, & tributa ei cui non debentur.

Non credens Deo, mendacem eum facit.

Sic in Eſa. 42 Gloriam meam alteri non dabo, nec laudem meam ſculptilibus, omnia ſcilicet, bona tribuit etiam hoſtibus ſuis, ſed gloriam ſibi ſoli ſeruat. Quia non ſunt tribuenda bona, quæcunq; accipiuntur aut quæruntur, quam vni ſoli Deo, quo prædicatur eius ſolius bonitas ac vera diuinitas. Iſtis ſic cognitis, credo verſum hunc eſſe facilem, quod ignari crucis & vacui fidei, gloriam Dei, mox vt cœperint pulſari, proſtituunt, & ad quodlibet aliud confugiunt, quam ad Deum: Conſilium, auxilium, ſalutem, non ab eo, cuius ſunt, ſed à ſeipſis vel creaturis (in qnibus non ſunt) quærentes, non credentes vltimum verſum Pſalmi præcedentis: Domini eſt ſalus, & ſuper populum tuum, benedictio tua.

Vni Deo detur gloria.

Videamus ergo, affectus & emphaſes huius verſus: Primum, vt ſit acris & vehemens exhortatio, digniſſimo titulo eos alloquitur, Filij (inquit) viri. Qui vir, ſiue Abrahæ, ſiue Iſrael, ſiue Chriſtus intelligatur, idem erit. Quanqnam magis proprie Abraham ego intelligerem, cum de Iudæis primum intelligo. Hic enim Pater multarum gentium vocatus eſt, quia non hoc tantum loco, ſed & Iſa. 51. ſimili exhortatione dicitur, Attendite ad Petram, vnde exciſi eſtis, & ad cauernam laci, de qua preciſi eſtis. Attendite ad Abraham patrem veſtrum, & ad Saram, quæ peperit vos, vnum vocaui eum, & benedixi ei, & multiplicaui eum. Quaſi diceret, Attendite non quomodo carnaliter ex illo nati eſtis, ſed quomodo illum vocaui, & non ex carne iuſtificatus eſt, ſed per fidem in me, ita & vos facere oportet, ſi filij eius eſſe volueritis. Sicut Iohan. 8. Si Abrahæ filij eſſetis, opera Abrahæ faceretis

Filij viri.

Ita

dium, qui ſi peruerſus & impius eſt, mox opiniones parit impias, falſas & mendaces. Ex ijs autem duobus (vt Pſal. 1. dictum eſt) pendet vniuerſa cuiuslibet hominis vita: Ita fit vt contra Moſen Deut. 12. Vnusquiſq; faciat, quod ſibi rectum videtur. Hoc ſtudium, hoc conſilium impiorum, has cogitationes hominum vanas, hoc loco per mendacium taxat ſpiritus, & fere per totam Scripturam, vt per Pſalterium videbimus. Igitur amor vanitatis auertit affectum, quo auerſo, mox inficitur mens malis opinionibus, vt ſicut res male amat, ita de rebus male iudicet, & excæcata per malitiam mente, in errore & mendacijs ſuis, tanquam in veritate, ſapientia & omnino in luce ſe ambulare putet.

Pſal. 1.

Amor impius parit opiniones impias.

Singula verba Epitaſin habent, Vanitas eſt, vt Eccle. per totum copioſiſſime definit, quidquid Deus non eſt. Nam ſi vana ſalus hominis, quanto magis omnium aliarum rerum? Eſt ergo iſta vanitas, quod homo crucis gratiam ignorans, non in Deo, ſed quouis alio, quærit auxilium & ſolatium, nec enim inueniri poteſt ſalus aut vllum bonum, niſi in Deo, Cætera omnia ſunt afflictio ſpiritus, & irritatio ac titillatio ad conſolationem verius quam conſolatio, & ſalutis ac boni potius incitabulum quam ſalus & bonum.

Vanitas.

Porro, vanitatem habere, non perinde ſummum malorum eſt. Eſt enim omnis homo vanitas, & nihil nouum ſub ſole, aut ſi malum eſt, tolerabile eſt. Nullus etiam Sanctorum eſt, qui non ſperet, fidat, cupiat, metuat, amet, odiat, plus, minus quam debeat, Verum hoc corpus mortis, has leges peccati, has vanitates, odiſſe oportet, non diligere, non in illis placere. Creaturæ ſolatio & auxilio vti malum non eſt, ſed amare & in eis hærere, præ amore earum in Deum non fidere, impietatis eſt.

Vanitatem habere &c.

Pſal. 116.

Mendacium etiam mitius malum eſt, quam quærere mendacium, ſiquidem poteſt quiſpiam ſeduci, & vanitatem pro veritate amplecti, Sed quærere, impium eſt, Cum enim omnis homo ſit mendax, non id quærendum eſt, vt noſtris opinionibus, noſtris iudicijs, ſeu, vt dicunt, noſtris dictaminibus obtemperemus, & vitam regamus. Sed maxime conandum, vt ab ijs temperemus, & diuinæ ſententiæ cedamus, eiusq; iudicio agamur & agamus.

Mendacium quærere, impium eſt.

Proinde nihil poteſt Chriſtiano homini peſtilentius tradi, quam Philoſophia moralis, & decreta hominum, ſi ita tradantur, vt credat in his ſe recte incedere coram Deo. Nam ſic fiet, vt conſilijs his innixus, quidquid contra ſe geri viderit, iudicet, damnet, perſequatur, ac per hoc crucem Chriſti repudiet, & viam Dei penitus contemnat, quæ tunc optime & proſperrime habet, quando ſine ductu & conſilio noſtro viuimus, ac velut per deſertum, & inuium, Chriſtum in columna ignis ſequimur. Hoc enim eſt non vanitatem, ſed ſoliditatem diligere, nec mendacium, ſed veritatem quærere, quæ omnia in tempore paſſionis & aduerſitatis melius ſentiri poſſunt, quam verbis dici, aut corde cogitari, nam experientia opus eſt (vt ſæpe diximus) ad intelligenda verba Dei, Non enim dici aut ſciri, ſed viui volunt & ſentiri, ſicut ille, qui dixit Pſal. 116. Ego dixi in exceſſu meo, omnis homo mendax. Cur mendax? quia in ecſtaſi paſſionis poſitus, & ſola Dei fide viuens, & fiducia rerum exutus, in qua omnes homines merſos vidit, ſecure pronunciat, eorum affectus eſſe vanos, & vniuerſa conſilia ac ſtudia eorum mendacia, quia ſine fide Dei ſunt, Si autem ſine fide, iam ſine verbo Dei, Si ſine verbo Dei, iam ſine veritate, atq; ita vere mendacia & vana omnia, quæ extra fidem ſunt, quæ veritas eſt propter verbum veritatis, in quod creditur, & credendo hæretur.

Veritatem quærere.

Pſal. 116.

Verbum Dei experientia diſcitur.

Vana omnia quæ extra fidem.

Habemus ergo huius Verſus ſententiam, eſſe omnes impios, Idolatras, diuinæ gloriæ violatores, qui in tribulatione quacunq; â fide, ſpe, & charitate cadunt in fiduciam & ſolatium rerum, atq; his ſtudijs ſeſe tuentur & regunt.

SELA.

De dictiuncula, Sela, ſatis dictum eſt, Nam & hic ſignandi affectus gratia mihi poni videtur, Quod reuera magni æſtimandum ſit, Vniuerſum hominum genus adeo vitioſis affectibus, & opinionibus eſſe implicitum, vt vanitatem diligat & mendacium quærat, ita vt res, pro dignitate, non queat ſatis dici & inculcari.

Et ſcitote, quoniam mirificauit Dominus Sanctum ſuum, Dominus exaudiet me, cum clamauero ad eum.

Caro exhorret Crucem.

SAluberrima eruditio: Nam hoc eſt, cur filij hominum exhorreſcant crucem, quæ via eſt veritatis & ſoliditatis, potius vanitatem & mendacium ſectantes, in rerum fiducia, quod ignorantiam Dei habent (vt Apoſtolus dicit, 1. Cor. 15.) ignorant, inquam, quid agat, quid velit, quid cogitet Deus, quando nos tribulationibus tentat: Iudicant enim ſicut equus & mulus, ſecundum id quod patet & ſentitur. Patet autem tunc aliud nihil quam ignominia, inopia, mors & omnia, quæ in Chriſto nobis paſſio monſtrantur, quæ ſi ſola intuearis, & non cognoſcas in iis diuinam voluntatem, eamq; feras & laudes, neceſſe eſt, vt in cruce iſta ſcandaliſeris, & ad tua confugias, vbi mox Idolatra fias, & gloriam Deo debitam creaturæ tribuas. *1. Cor. 15.*

Chriſtus cum Iohan. 16. rationem redderet, quare Iudæi eſſent perſecuturi Apoſtolos, & extra ſynagogam facturi, dixit: Hæc facient vobis, quia non nouerunt Patrem neq; me. Quomodo non nouerunt, qui tam multa cum Chriſto pro Deo contenderunt? Sed Chriſtum noſſe, eſt crucem noſſe, & Deum ſub carne crucifixa intelligere, Hoc enim vult Deus, hæc voluntas Dei, imo hoc Deus eſt, ideo quod crucem, crucisq; verbum, ſuis affectibus & opinionibus, tanquam vanitati & mendacio contrarium, odiunt & perſequuntur, in cauſa eſt, quod ignorant Deum, ſeu (quod idem eſt) voluntatem Dei non nouerunt. *Iohan. 16.*

Chriſtum noſſe.

Quid ſit Chriſti carnem manducare, & bibere eius ſanguinem.

Ita & Iohan. 6. Quando dixit, Niſi manducaueritis carnem meam, & biberitis meum ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Durus hic ſermo erat, ita vt multi diſcipulorum quoq; ſcandalizati abierint retrorſum. Quare durus ſermo? quia manducare hanc carnem, & bibere hunc ſanguinem, eſt Chriſto per fidem incorporari, & paſſionibus eius communicare: At hoc ſumme horret prauus affectus, & peruerſis opinionibus vitiatum cor. Hoc eſt, quod hic dicit: Nolite timere, neq; putetis vos perire, ſi affectus & ſenſus veſter occumbat, ſi quæcunq; patiamini contra opiniones veſtras ſunt. Sed eſtote prudentes, cognoſcite Dominum, intelligite voluntatem eius, auertite oculos, ne videant vanitatem, Quoniam mirabilis eſt Dominus in Sanctis ſuis, Aliud agitur, & aliud longe apparet, Occidere videtur, ſed reuera viuificat, percutit, ſed vere potius ſanat, confundit, ſed vere tunc glorificat, deducit ad inferos, ſed vere reducit potius ab inferis, & his ſimilia, de quibus multa diximus in præcedentibus. *Iohan. 6.*

Mirabilis eſt Dominus in Sanctis ſuis.

Quid ergo mirabilius diuina hac voluntate? habitat quidam in altis, ſed humilia reſpicit, ſtultos facit, vt ſapientes fiant, infirmos facit, vt potentes reddat. Verum prius quidem apparet & ſentitur, at poſterius niſi fidem habeas, non aſſequeris. Sic enim & Petrus, 1. Pet. 1. dicit in Prophetis eſſe prænunciatas priores paſſiones, & poſteriores glorias. Ideo monitorio & exhortatorio egemus, quo eleuemur ad cognoſcendum Deum, in eiuſmodi caſibus, Scitote, inquit, quoniam mirificauit. *1. Pet. 1.*

Pij afflictionibus ſubiecti.

Quaſi dicat, Quid fluctuatis? quid quæritis hic & hic conſilium & auxilium? quid diligitis hoc & hoc ſolatium? Vana ſunt hæc omnia, non

modo

modo non inanitia, ſed & mendacia, vos miſere fallentia. Scitote, & certi eſtote, audite & credite, fixa eſt & immutabilis ſententia, quod quicunq; Sanctus Dei eſſe voluerit, quicunq; gratiam eius obtinere & gratus ac placitus eſſe cupierit, hunc neceſſe eſt pati, vt Deus ſit in ipſo mirabilis, Mirabilis autem eſſe non poterit, ſi conſilium & auxilium veſtrum, aut vllius creaturæ vos iuuare poterit, Nam hæc, quia ſupra captum veſtrum non ſunt, mirabilia non ſunt. At vbi deſperatum fuerit tam in vobis quam in omnibus alijs, & ſoli diuinæ voluntati cauſa commendata, Ecce tum erumpet quaſi lumen Iuſticia veſtra.
Pſal. 37. Pſal. 37. Et educet tanquam meridiem iudicium veſtrum, via & tempore prorſus incogitabili, tam vobis quam omnibus.

Sanctus hoc loco Ebraice haſid dicitur, quia is proprie ſanctus eſt, qui miſericordiam conſecutus eſt, quem nos gratia iuſtificatum vocamus. Atq; orationem diſtributiuam intelligi oportet, ſeu numerum pro numero. in hunc modum, Scitote, quoniam mirificauit Dominus ſanctum ſuum, id eſt, Sanctos ſuos, Quod eſt dicere, Scitote quod Deus mirabiliter regit & agit hominem quemcunq; iuſtificat, & gratia induit. Vt diſcatis, qui Deo placere voluerit, hunc (vt dixi) oporteat ſcire hoc Domini conſilium & voluntatem bonam,
Rom. 12. placentem, & perfectam. Nam & Rom. 12. dicit, probari hanc voluntatem non poſſe, niſi renouatione mentis, qua ſemper occidit affectus & opinionem noſtram.

Sanctus qui ſit. *Dominus mirificauit Sanctum ſuum.*

Dominus exaudiet me &c. Iterum & verbo & exemplo docet infirmos, Nam poterat ad ſanctum mirificatum retuliſſe & dixiſſe, Dominus exaudiet eum cum clamauerit ad eum, aut priorem partem poſteriori ſic comparaſſe, Scitote quoniam mirificauit Dominus me. Sed, vt dixi, iſtæ perſonarum ſubitæ mutationes, affectuum ſignificant varietates & miras translationes. Formanda eſt ergo perſona Prophetæ, nimia charitate pro filijs hominum ſoliciti, & nunc ſe inter ſanctos, nunc inter peccatores numerantis, quo omnes lucrifaciat. Dominus, inquit, exaudiet Sanctum ſuum, quod ſi hoc parum mouet, dico quod exaudiet me, qui & ipſe vnus ſum Sanctorum, id eſt, eorum qui gratiam eius conſequuntur.

Perſonarum ſubitæ mutationes. *Sanctus.*

Et aduerte affectum, quod filijs hominum ſuadet quidem, vt ſuſtineant manum Dei, Verum quia res iſta in fide geritur, oſtendere non poteſt, quod dicit, non apparet Deus (vt dixi) Ideo quod extremum habet & poteſt, facit, promittit, ſcilicet, auxilium Dei. Q. d. Hoc vnum habeo, quod poſſum pro veſtro ſolatio: Quia promittere vobis cum fiducia poſſum, exaudiendos vos eſſe, Ideoq; confidite, nec diligite vanitatem, ne mutetis gloriam Dei, Sed expectate, atq; ad hoc meo exemplo quoq; confortamini, Quia ego certiſſimus ſum, quod Dominus exaudiet me, non modo hac hora, ſed quoties clamauero.

Ita videmus pijſſimam ſolicitudinem ſpiritualis animæ, pro Fratribus ſuis. Nam iactare ſe non audet, & tamen pro neceſſitate fraterna, cogitur ſeipſum in exemplum proponere, ſicut Apoſtolus Paulus quoq; facit in multis locis:
2. Cor. 7. Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti. Et 2. Cor. 7. Nos neminem læſimus &c. Ad hanc enim iactantiam vitandam, videtur priore parte verſus in tertia perſona Sanctum dixiſſe, ne vane gloriaretur ſe eſſe, cum quo Deus mirabiliter ageret, quod in poſteriore parte omiſit, quod clamare ad Deum, non ſit magnæ iactantiæ fomentum, ſed potius afflictionis indicium. Igitur docet nos ſpiritus benignus in mirificatione noſtri (id eſt, tribulatione) aliud fieri non debere, quam ſuſtinere mirificatorem Dominum, & clamare ad ipſum, non fugere paſſiones, non quærere mendacia, & quæ nobis bona ac recta videntur, quæ eſt ſpecies omnium nocentiſſima.

Pia ſolicitudo pro fratribus. *Clamare ad Deum.*

Iraſcimini, & nolite peccare, quæ dicitis in cordibus veſtris, & in cubilibus veſtris compungimini. Sela.

EBræus ita habet, autore Hieronymo, Iraſcimini & nolite peccare, loquimini in cordibus veſtris ſuper cubilia veſtra, & tacete. Vbi patet pronomen (quæ) & coniunctionem, &, in noſtris ſuperfluere, Verbum etiam, compungimini, coegit interpretes alium ſenſum ſequi, quam textus præbeat. Quare Ebræum primo videamus.

Propheta cum filios hominum, verſu tertio à vanitate & mendacio retraxiſſet, hoc eſt, à falſis affectibus, & corruptis opinionibus rerum, Cum poſſent obtendere, quid tum faciendum eſt? quo nitendum eſt? adeo ne omnia deſerere debemus? Verſu quarto reſpondit, Vt fiderent in Domino, in eiusq; miſericordiam niterentur, Scientes, quoniam hæc, Deo operante, non ad perniciem, ſed ad ſalutem (etſi mirabiliter) proficiant, quæcunq; ab iniurioſis patiuntur.

Quomodo iraſcendum.

Hoc verſu, ſi rurſus querulentur. Et quis ſaltem poteſt non moueri & iraſci? quis ſaltem non querulari & accuſare iniuriantes? Reſpondet ſuauiter, Iraſcimini, inquit, ſed non ita, vt peccetis iraſcendo. Scio motum iræ non eſſe in veſtra poteſtate, ſed conſentire cauete. Ita Paulus Gal. 5. Spiritu ambulate, & *Galat. 5.*
carnis deſideria non perficietis. Et Rom. 6. Non ergo regnet peccatum in ve- *Rom. 6.*
ſtro mortali corpore, vt obediatis concupiſcentijs eius. Et Rom. 13. Et carnis curam ne feceritis in deſiderijs. Quæ omnia huc ſpectant, quod deſideria mala tam libidinis quam iræ in nobis ſunt, ſed agendum ne regnent, hoc eſt, ne obediamus eis (vt Paulus dixit) Sic Rom. 7. queritur ſe facere quod non vult, & *Rom. 7.*
facere quod vult. Et iterum, ſe mente ſeruire legi Dei, & carne legi peccati. Quare hoc? quia vellet malis deſiderijs carere, & non poteſt, & pura deſideria ſolum habere, & non poteſt. Sicut & Galat. 5. Spiritus concupiſcit aduerſus *Galat. 5.*
carnem, & caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, Hæc enim ſibi aduerſantur, vt non ea quæ vultis, faciatis.

Claret itaq;, verbum iraſcimini hoc loco non præceptionis aut exhortationis eſſe ad bonam iram contra peccatum, ſed permiſſionis ſeu conceſſionis malæ iræ contra iniuriam propter ineuitabilem & inuincibilem carnis infirmitatem. Sic & beatus Auguſtinus hoc verſu, Iraſcimini, inquit, & nolite peccare, id eſt, Etiamſi ſurgat motus animi, qui iam propter pœnam peccati non eſt in noſtra poteſtate, ſaltem ei non conſentiat ratio & mens, quæ intus regenerata eſt ſecundum Deum, vt mente ſeruiamus legi Dei, ſi adhuc carne ſeruimus legi peccati. Hæc ille præclare & pulchre. Eſt ergo ſenſus planus: Iraſcimini & nolite peccare, hoc eſt, Ex quo querulamini vos non poſſe non commoueri, triſtari, iraſci, tremere (hæc enim omnia Ebræum verbum ſonat) tanto iniuriæ malo, Age, ſcit Pater veſter cœleſtis hanc infirmitatem veſtram, Mouemini & iraſcimini, modo non eo procedatis, vt quippiam mali cogitetis, dicatis, faciatis, permittatis aduerſus animam veſtram, & ſic in Deum, vos ipſos & proximum peccetis.

Auguſtini explicatio elegans.

Iraſcimini & nolite peccare.

Hunc ſenſum eo libentius amplector, quod ſpiritus Paulinus (quem ſequi cupio ſemper) Ephe. 4. eundem habet, vbi dicit: Iraſcimini & nolite peccare, Et
quod non de ira bona (quæ contra peccatum præcipitur) loquatur, indicat, *Epheſ. 4.*
quod ſequitur: Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram, quod de ira mala vtiq; dicit. Sed & hic idem locus Pauli mihi occaſio fuit huius Pſalmi expo-
nendi, de iniurijs & querelis infirmorum, pia exhortatione cohibendis, & fi- *Epheſ. 5.*
ducia in Deum erigenda. Ad eundem enim ſcopum Paulus hoc verſu vtitur, vt ſatis cuilibet patet.

Hic . .

Hic vero promouet caput Quæſtio illa de primis(vt vocant) motibus, & vbi deſinat veniale, & vbi incipiat mortale peccatum. Apoſtolus ſane Solis occaſum determinat, quando dicit, Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram. Quod rurſus in ambiguum vocant, an ſolem hunc viſibilem, quem certa hora occidere videmus, vel ſolem ſpiritualem Chriſtum, quem in momento occidere per mortalem conſenſum putant, intelligi oporteat. Ego, vbi non cogit neceſſitas ineuitabilis, myſticas intelligentias in Scriptura & fugio, & fugiendas ſuadeo, quod ſint mire periculoſæ. Solem hunc Paulinum, mihi non patior alium, quam viſibilem ſignificari, Etſi diuerſam illam non damno ſententiam. *Sol non occidat &c. Epheſ. 4.* *Myſtica intelligentia quando fugienda.*

Ad hæc ſcio, Nullam eſſe temeritatem perniculoſiorem, quam velle diſcernere inter veniale & mortale peccatum, præſertim in hora commotionis & tentationis. Illud peccatum, inquam, quod motibus animi æſtuantis patratur, cum ſoleat vel libido, vel indignatio, aut quæuis alia paſſio, non vna tantum, verum multis quoq; horis hominem quandoq; occupare, ita, vt, an conſenſerit nec ne, ipſe incertus ſit. Quin non raro, diuina diſpoſitione, mera & inuoluntaria paſſio eſt boni & ſynceri animi, adeo abſcondita, vt metuat, imo pene credat ſeſe conſenſiſſe. Quo remedio ſolet diuina miſericordia conſeruare in humilitate dilectos ſuos, quos inſignibus donis præ cæteris ornauit, ne ijs inflati præ cæteris ſuperbiant & pereant. *Periculoſum diſcernere veniale & mortale.*

Proinde mihi Apoſtoli dogma tutiſſimum & ſapientiſſimum eſt, vt ſaltem veſperi quiſq; ad ſe redeat, & iracundiam, ſi quam concepit, dormitum iturus ponat, fratriq; concilietur. Neq; enim poteſt vllum tempus aptius huic rei definiri, quam ſolis occaſus & finis diei, vbi & negotia omnia & opera finiuntur, & animus iam quietior eſt, aptusq; ad deponendam hanc & omnem maliciam, ſiue in eam conſenſerit, ſiue minus. Nam delicta quis intelligit. Atque in omni opere metuendum eſt iudicium Dei ſtrictiſſimum. *Sol non occidat &c.* *Nota.*

Sequitur, Loquimini in cordibus veſtris, ſuper cubilia veſtra, & tacete. Satis patet idem eſſe, ſuper cubilia, in cubilia, in cubilibus, nam in Ebræo pene ſonat motum ad locum, quo tropo Chriſtus vtitur Matt. 6, Tu cum oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio &c. *Matt. 6.*

COgor hic peſſimum(vt dicitur) Magiſtrum, hoc eſt, meipſum, ſequi, quod Ebræum hunc textum à nemine viderim expoſitum, Imo quantum poſſum, ſequar ſpiritum. Quia mos eſt eorum, qui patiuntur iniuriam, erumpere, clamare, & auras queſtibus implere, adeo, vt Apoſtolus Ephe. 4. clamorem inter affectus iræ numeret, dicens, Omnis amaritudo & ira & indignatio & clamor & blaſphemia tollatur à vobis &c. *Epheſ. 4.*

Propheta filios hominum cohibiturus, ne erumpant, Sicut permiſit vt iraſcerentur primo motu, ne tamen peccarent, Ita nunc docet, vt nihil tumultuentur, ſed in cordibus loquantur in cubilibus. Eo ipſo exprimens quid faciant, ne peccent ira commoti, nempe, vt loquantur apud ſeipſos, & taceant. Quod non intelligo, niſi ad ſenſum Iſaiæ Prophetę 30. *In ſilentio & ſpe erit fortitudo veſtra*, Silentium enim hic dicitur non tantum, quod ore ſeruatur, ſed ipſa omnino patientia & quies contraria tumultui. Quomodo Pſal. 37. dicit: Sile Domino, & ora eum. Et Pſal. 65, Tibi ſilet laus in Zion. Et Eſa. 41. Taceant ad me Inſulæ, & gentes mutent fortitudinem. *Iſa. 30.* *Silentium.* *Pſal 37.* *Pſal. 65.* *Eſa. 41.* *Silere.*

Omnino autem, ſilere tropo iſto Scripturæ ſignificat, Id quod ponere impetum, mitigare furorem, frenare animum, Quod & noſtra vernacula dicimus, iracundis compeſcendis, Still/ſtill/ Halt inne. Vnde & Ebræis ſepulchrum, Duma, ab hoc vero ſilentio vocatur, quod ibi homo deſinat & totus in ſi- *Duma Ebræis vocatur ſepulchrum.*

in ſilentium eat. Nam & eodem loco Iſaias præmiſerat, dicens: Spetaſtis in calumniam & tumultum? *Silendo vincendum.* Iratis enim & offenſis feruet animus ad calumniam & ad tumultum, quibus præſumunt vindicare & ſuperare. Sed hunc refrenans, dicit; Si reuertamini & quieſcatis, ſalui eritis, quia non tumultuando, ſed ſilendo vincetis. Tunc ſequitur: In ſilentio & ſpe erit fortitudo veſtra, hoc eſt, ſi ſileatis, quieſcatis, impetum frenaueritis, tumultu abſtinueritis, vindictam non quæſieritis, Sed meam manum expectaueritis, mihi vindictam reliqueritis, mihi cauſam tradideritis, Ecce, tum eritis fortes & vincetis, Quia ego pro vobis pugnabo, vos ſilebitis. *Tacere.*

Sic Moſes Exod. 14. Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis. Quid eſt tacebitis? id eſt, quieti eritis, nihil ad rem facietis, ſed agetis, quaſi negocium nihil ad vos pertineat. Hoc tacere, eſt nihil aliud, quam quietam patientiam habere, qui tropus frequens eſt in ſacris literis. *Exod. 14.*

Vnde & ibidem Iſaias cum huic monitioni, ſilentij ſeruandi nollent obtemperare, dicit: Et dixiſtis, Nequaquam, ſed ad equos fugiemus, & ad veloces aſcendemus. *Pſal. 30.* *Ad equos fugiemus.* Quid enim hoc eſt, niſi quod per tumultum ſeipſos defendere voluerunt, non in ſilentio & ſpe ſalui & fortes fieri? Ideo ſequitur ibidem: Ideo fugietis (fugabimini) & velociores erunt, qui perſequentur vos, mille homines à facie terroris vnius, & à facie terroris quinq; fugietis, donec relinquamini, quaſi malus nauis in vertice montis, & quaſi lignum ſuper collem. His verbis clarere puto, quid ſit tacere & tumultuari. *Tacere. Tumultuari.* Nempe alterum pati & quieſcere, Alterum moueri & mouere omnia, & , vt dicitur, cœlum & terram miſcere, Hoc tacere hic verſus docet.

Eſt ergo ſenſus; Loquimini in cordibus veſtris, in cubilibus veſtris, & tacete, id eſt (quod dicitur) penſate, deliberate, nolite præcipites eſſe, nec ſtatim profetatis, quæ ira commota ſuggerit. Primum conſulite vobiſcum, quia ira viri iuſticiam Dei non operatur. Et vt Gentilis quoq; dixit: Ne quidquam facias aut dicas iratus. Sed & diuus Gregorius ait, *Melius eſt iram tacendo fugere, quam reſpondendo ſuperare.* Hunc ſenſum germanice ſolemus dicere, Bedenck dich/ vnd halt inne.

Nunc videamus verba, Primum eſt, *Loquimini in cordibus veſtris*, hoc eſt, ſecum bene meditentur, nec iræ obtemperent, quę præceps eſt, & verbum habet in lingua, non in corde, iuxta illud Eccle. 21. *Loquimini cum cordibus.* In ore fatuorum cor illorum, & in corde ſapientium, os illorum. *Eccleſ. 21.* Pulchra & egregia conuerſio ſententiæ. Hoc idem & hic verſus monet, vt os ad cor vertamus, non effundamus ſtatim quidquid tentatio ſuggerit, Hoc enim eſt cor in ore habere, imprudenter loqui, quod maxime faciunt irati, Os in corde habere, prudenter loqui, quod faciunt quieti & mites. *Cor in ore, os in corde habere.*

Quare poſſumus eandem conuerſionem æmulari hoc loco, & dicere, loqui in cordibus & cogitare in oribus (vt ſic dixerim) eſſe contraria. Illud ſapientium, hoc ſtultorum. Vt autem in cordibus aptius loquantur, addit, vt hoc in cubilibus ſuis faciant, Solitudinem, ſcilicet, quærant, turbam irritatricem fugiant. *In cubilibus veſtris.* Sedato enim corpore & externis tumultibus, animas facilius ſedatur, vt ſecum poſſit loqui & rem ponderare. Atq; vt huic tentationi vtilis eſt fuga & ſolitudo, ſic alijs quibusdam tentationibus eſt periculoſa. Hæc meo ſenſu, citra cuiusq; præiudicium.

Alia expoſitio. NVnc qua ratione concinnemus noſtram translationem? Neceſſe eſt, vt verbum aliud ſubintelligatur, vt etiam Auguſtinus docet, qui in hunc modum ordinat. Quæ dicitis in cordibus veſtris, ſubaudi, dicite, Quod Auguſtinus alio ducit, ad noſtrũ ſenſum ita formabitur. Quandoquidẽ irati,

Digitized by Google

irati,prompti eſtis dicere quidquid in buccam venerit, quæ vultis dicere, non foris præcipitare,ſed in cordibus dicite,hoc eſt, prudenter dicite, quæ dicere vultis.Nam & hoc tropo & Chriſtus ad Iudam dixit:quod facis,fac cito,id eſt, quod vis facere,ſeu iam propoſuiſti facere.Ita hic,quæ dicitis,id eſt, quæ vultis dicere,in cordibus veſtris dicite,Quæ impatientia iræ ſtulte vultis dicere,curate vt meditatione cordis prudenter dicatis.

In cubilibus veſtrũ compungimini. Iam quid illud,Et in cubilibus veſtris compungimini? Quæ tacendi & compungendi concordia? Meo iudicio hæc eſt, quod redeundo ad cor,iratus compungitur,ſibiq; diſplicet quod commotus ſit,atq; ita ad ſilentium prædictum per compunctionis vim proxime accedit. Itaq; dum loquitur cũ corde ſuo,videt(præſertim in cubili ſuo,& ſeorſum poſitus)quam ſtulta fuerit commotio & impatientia iræ ſuæ,quam ſi fuiſſet ſecutus,turpiter cecidiſſet,Atque hac ſui compunctione mutatus abſtinet à tumultu,ad quem motus fuerat, & iam tacet vindictæ flamma non parum ſedata.Qui meliora habet,ſine inuidia communicet.Hoc ego potui.

Sela,in fine verſus quid ſignificet,ſatis diximus.Inſigne enim eſt gratiæ *SELA.* donum,hunc poſſe affectum præſtari ab eo.qui fuerit iniuria & tentatione ad *Epheſ.4.* iram & impatientiam prouocatus,vt frenata lingua,ſeorſim ſe recipiat & taceat.Nam in hunc ſcopum tractat hunc Pſalmum Paulus(vt dixi)Ephe.4.vbi in fine dicit:Sed eſtote inuicem benigni, miſericordes,donantes inuicem,ſicut & Deus in Chriſto donauit vobis.

Sacrificate ſacrificium iuſticiæ,& ſperate in Domino.

MIra doctrina,Quidnam eſt ſacrificium iuſticiæ? Quis offerre Deo poteſt iuſticiam, quam potius à Deo quibusq; ſacrificijs impetrare oportcat? Breuiter,Diſtinguit ſacrificium iuſticiæ ab omnibus ſacrificijs *Sacrificium iuſticiæ.* pecorum,& quarumcunq; rerum.Quod hæc duo ſacrificia maxime pugnent, Sacrificium iuſticiæ facit peccatores,Sacrificium rerum,iuſtos.In hoc dare Deo aliquid videmur,& iuſticiam operari,In illo non niſi recipere volumus à Deo, & peccatum confiteri.Ita fit,vt ſacrificium rerum,dum iuſticijs & operibus inflat,impatientes reddat iniuriæ,tanquam conſcios ſibi lõge meliorum meritorum,vnde & ad vindictã acrius accenduntur,tanquam iuſticiam ſuam tutari.

Pſal.119. Eſt ergo ſacrificium iuſticiæ,Deum iuſtificare & laudare,ſeipſum peccatorem accuſare,dignumq; omnibus his,quæ patitur pronunciare(cũ Pſal.119.) *Dan.3.* dicendo.Iuſtus es Domine,& rectum iudicium tuum.Quale pulcherrimo exemplo deſcribitur Dan.3.Omnia quæ induxiſti ſuper nos, & quæcunq; feciſti nobis,in vero iudicio feciſti,& tradidiſti nos in manibus inimicorum noſtrorum iniquorum. Et infra, in anima contrita & ſpiritu humilitatis ſuſcipiamur,ſicut in holocauſto arietum & taurorum,& ſicut in millibus agnorum pinguium,Sic fiat ſacrificium noſtrum in conſpectu tuo hodie, vt placeat tibi, Quoniam non eſt confuſio confitentibus in te.Idem Baruch.1.docet captiuos *Baruch.1.* in Babylone,Et diceris,inquit,Domino Deo noſtro iuſticia,nobis autem confuſio faciei noſtræ,ſicut eſt dies hæc.

Hoc autem ſacrificium fiat oportet,ex vero corde,ore & opere. Corde peccatum veraciter agnoſcendo, Ore ſine fictione confitendo. Opere pœnas *Sacrificium piorum.* peccatore dignas volenter ferendo. Multi ſane dicunt ore,ſe eſſe peccatores, ſed neq; corde neq; opere, Quod probant, dum neq; dici ab alijs neq; haberi peccatores volunt,neq; iniurias pati.Si peccator es, cur pœnas fugis? Si non meritus tibi videris,cur te peccatorem dicis? Iuſtorum eſt hæc gloria propria, *Iuſtorum gloria.* *Rom.2.* vt ſit eis honor & pax, Rom.2,Peccatoris autem propria ſunt,tribulatio & anguſtia.

Sacrificium matutinum & veſpertinum.

Igitur qui Deo iuſticiam, ſibi peccatum vero corde tribuunt, hi ſunt, qui ſacrificant duo illa ſacrificia iuſticiæ, in Scripturis cõmendata. Quorum vnum poteſt dici, matutinum, de quo dicit Pſal. 50. Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter, quo oſtendam illi ſalutare Dei. Alterum veſpertinum, de quo Pſal. 51. Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies. Atq; hoc forte Verſus hic indicat, qui in Ebræo plurali numero dicit, Sacrificate ſacrificia iuſticiæ, vt ambo includat ſacrificia. *Pſal. 50.* *Pſal. 51.*

Iuſticia non arroganda nobis, ſed offerenda Deo.

Eſt ergo in quacunq; tentatione & iniuria, non nobis iuſticia arroganda & retinenda, ſed prorſus remouenda, & Deo offerenda. Quod qui non faciunt, excuſationibus ſui, accuſationibus aduerſariorum, iuſtificationibus ſui, & omnino iudicijs, detractionibus, litibus, iurgijs, contentionibus ac rixis, alijsque operibus carnis inuoluuntur, quæ Galat. 5. Apoſtolus recenſet, Et fit, vt inuicem mordendo conſumentur, non tantum in ſpiritu, amiſſa charitate, Sed non raro & in corpore cædibus mutuis, & ſubſtantia litigando profuſa. *Galat. 5.*

Verum ſi his ſacrificijs iuſticiæ inſeruirent Chriſtiani, vbi relinquerentur iura & leges? At ideo docemur hæc ſacrificia, ne ſit opus iuribus & legibus. Rex Babylonis inique fecit filios iſrael captiuando. Sicut dicunt Dan. 3. Tradidiſti nos regi iniquo, & peſſimo vltra omnem terram. Et tamen Zechias rex, & qui reliqui erant ieroſolymis, reſiſtendo & iuſticiam expoſtulando magis Deum offenderunt. Qui vero volenter, poſita iuſticiæ iactantia, ſe tradiderunt, Deo optime placuerunt, ita, vt hi in media Babylone & inimicorum ſeruarentur, honorarentur, multiplicarentur, illi vero in media Ieruſalem, inter amicos, perirent; confunderentur, minorarentur. Quia hæc ſacrificia iuſticiæ ſacrificauerunt, ſine pecudibus aut vllis rebus, illi vero ſacrificia pecudum & rerum ſine iuſticia obtulerunt, quia iuſti eſſe voluerunt, & peccatum non agnouerunt, hi vero peccatum agnouerunt, & Deo iuſticiam tribuerunt. *Dan. 3.*

Sacrificium iuſticiæ & pecudum.

Forenſis cauſæ & Romanæ artes indignæ Chriſtiano.

EX quibus intelligimus chaos illud & tartarum forenſium cauſarum & Romanarum artium, cum vniuerſis Libris, ſtylis, moribus, vſibus, iuribus, iuſticijsq́; ſuis, eſſe rem peregrinam Chriſtiano homini, & ab Eccleſiaſticæ vitæ ſynceritate alienam, ſolaq́; permiſſione toleratam pro infirmorum ſalute, ne deteriora facerent vindictæ propriæ ſtudio, aut impatientiæ mole victi. In quam tamen hodie ſic incumbitur Romæ & Epiſcopalibus curijs, vt non modo iuſticiam ibi regnare arbitrentur, ſed etiam pro augenda iuſticia eiusmodi, etiam lites litibus emant, omnium iurgia & rixas ex omnibus mundi angulis ad ſe aduocent, vt nulla fuerit vnquam cuiusuis prophani aut gentilis Imperatoris curia, tot confuſa negotijs, ijsq́; prophaniſſimis, ſimul tamen (quod mireris) non niſi de ſacris ac diuinis turpiſſime emptis, redemptis, venditis, reuenditis, raptis, voratis, perditis rebus. Fontem iuſticiæ appellant Iuriſtæ Romanam curiam hodiernam, cum rectius Cataclyſmum iniquitatis appellare eam conueniat, quod inde inundet vaſtitas & obliuio horum ſacrificiorum iuſticiæ & ſcientiæ Chriſti, indicibili vi & impetu in totum orbem terrarum. Breuiter, Regnum inferorum propius ſimulat hodie Roma quam regnum cœlorum.

In curiam Romanam & Epiſcoporum.

Fons iuſticiæ. Flebile verum.

Et ſperate in Domino.

Sed eſto, iuſticiam obtulerimus, peccatores nos eſſe confeſſi, peccatorumq́ue merita amplexi. Quid inde? num pereundum nobis eſt, & in peccatis moriendum? Nonne Deus odit peccatores? In quod periculum nos trahis hac tua doctrina? Reſpondet: Bono eſtote animo, ſolum ſperate in Domino. Sic enim ſocij Danielis, Daniel. 3. fecerunt, cum dixiſſent: Pecca- *Dan. 3.*

uimus

Digitized by Google

tauimus & inique egimus. Mox tamen in ſpem erecti, dicunt: Quoniam non
Eſa.30. eſt confuſio confidentibus in te, hoc eſt, quod ſupra ex Iſaia ſatis dixi, In ſilentio & ſpe erit fortitudo veſtra. Vt nos ipſos non vindicemus tanquam iuſti, ſed ſine tumultu & in ſilentio patientes, peccatum noſtrum confiteamur, commendata cauſa Deo, & expectata eius miſeratione cum fiducia. Veniens enim veniet, & iudicium faciet iniuriam patientibus, & vindictam pauperum. Ita Deus erit fortitudo noſtra in infirmitate noſtra. Niſi enim ablata fuerit fiducia iuſticiæ noſtræ, & dignos nos, tanquam peccatores, omnibus malis confiteamur, ſpes & ſalus locum habere non poſſunt, quod Deus humiles ſolum reſpiciat.

Multi dicunt, Quis oſtendit nobis bona? Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine.

HIc verſus apud nos diſcerptus eſt, priore ſua parte ad præcedentem, poſteriore ad ſequentem verſum copulata. Ebræus (Hieronymi translatione) ſic habet: Multi dicunt, Quis oſtendit nobis bonum? Leua ſuper nos lumen vultus tui Domine. Mihi vero ſic vertendus videtur atq; diſtinguendus: Multi dicunt, Quis oſtendit nobis bonum ſignum ſuper nos? Lumen vultus tui Domine.

Vertit autem ſermonem ad Deum querulans, ſed mira verecundia & modeſtia, de incredulis & imperſuaſibilibus (qualis præcipue erant Iudæi populus duræ ceruicis) quod nolint credere bene monentibus, niſi (vt Chriſtus ait) prodigia & ſigna viderint. Ita & Apoſtolus 1. Cor. 1. dicit, Iudæi ſignum quærunt, Græci ſapientiam, Ita fit, vt in verbo crucis & doctrina fidei ſemper ſcandaliſentur. Hoc eſt quod hic dicit, cum monuiſſet, vt oblata iuſticia, in Deum ſperarent, & ab ipſo expectarent bonum, offendit eos ſibi incredulos & ad ſpem non idoneos, petentes ſignum bonum, quo videlicet certi fierent de bono futuro, quod ſperare iuſſi ſunt, Quis, inquiunt, oſtendit nobis bonum ſignum ſuper nos? Quis nos certos facit, ventura ſuper nos eſſe bona? Quo indicio id capiemus? Ac ſi dicerent, Omnia longe contraria parent, & peſſimarum rerum indicia ſuper nos vndiq; circumſtant. Hoc genus hominum late patet, qui hac diffidentia tentant Dominum, ſicut filij Iſrael in deſerto.

Iudæi populus duræ ceruicis.

Mar. 4. Cor. 1.

Diffidentia.

VIdeas hinc manare pelagus ſuperſtitionum & ſtultiſsimorum votorum, etiam apud Chriſtianos, dum vel aura non ſatis arridet, vel fruges periclitantur, vel etiam caput dolet, aut quouis damno temporali quiſquis vel afficitur, vel affici timet. In his omnibus quam anxij ſumus, ſigno bono co[illegible]ſcere, non eſſe hæc ventura, vel amouenda, ſi venerint. Curritur hic ad Magos, ad diuinos, ad dæmones quoq;. Sed & infinita ſunt conſilia, quibus id vnice curamus, ne quando in Deum ſperemus, aut ne ſine ſigno bono & certo ſperemus.

Inuehitur in ſuperſtitiones & impia vota.

Sperat auarus in Deum, ſed donec turget marſupium, & onuſtum frumento crepat laquear: Sperat robuſtus viribus, donec ſanus eſt: Sperat potens & glorioſus, donec opinio ſui & tyrannis valet. His ſignis certi ſibi videntur ſe Deum habere propicium. Quod ſi hæc vel aliquid eorum ruat, ſimul & ſpes ruit, niſi aliud vel maius ſignum ſuffulciat.

Spes Infidelium.

Ita & in ſpiritualibus rebus agitur in remiſſionibus peccati, & quietæ conſcientiæ vbi non pauci, neque fide neque ſpe parant ſibi ſecuritatem, ſed operum fiducia, aut alienis ſuffragijs. Et omnino in omni tentatione, hi ſignum bonum quærunt ſpei ſuæ fulcrum, ſine quo non ſperant, ac per

Spes Hypocritarum.

hoc

hæc nec in Deum ſperant.quia non pure ſperant, Spes enim quæ videtur,non Rom.8.
eſt ſpes.

Hos cum ſuis nominibus,tentatores Dei,incredulos,diffidentiæ filios infideles,rebelles,duræ ceruicis poſſet appellare,tacitis his opus eorum, ſimpliciſſimis & modeſtiſſimis verbis tantum recitat. Multi dicunt, inquit, Quis oſtendit &c.iudicium operis Deo relinquens & quibus oportet, Quia pio affectu potius eorum miſeretur,calumq; eorum dolet,quam vt eos atrociter accuſet.

DAmnat igitur eorum errorem, Non eſſe ſcilicet hoc ſignum bonum ſuper nos, quod illi quærunt. Non enim Deus propitius eſt ijs, quibus hæc largitur bona,imo quia peſſimum & fallaciſſimum ſignum id eſt,melius & fidelius ſignum aufert,nempe,*Lumen vultus tui Domine*.Quaſi dicat,Nullum noſſe ſignum,eſt optimum ſignum,ſed ſola fide & ſpe niti. Fides enim oſtendit nobis bona,& eſt bonum ſignum ſuper nos.Qui enim credit in illum,non confundetur,ſicut ex Dan.3.dictum eſt:*Non eſt confuſio confitentibus in te*. Certi ſunt de omnibus bonis, qui firmiter credunt Deo ſine ſigno, ſine qua fide,nulla opera,nulla ſigna,nulla miracula certum faciunt.

Sola fide & ſpe nitendum in Deum credenti.

Daniel 3.

Optime autem vocatur fides,lumen vultus Dei, quod ſit illuminatio mentis noſtræ diuinitus inſpirata,& radius quidam diuinitatis in cor credentis infuſus,quo dirigitur & ſeruatur,quicunq; ſeruatur. Qualiter Pſal.32.deſcribitur,Intellectum tibi dabo,& inſtruam te in via hac,qua ambulabis, firmabo ſuper te oculos meos. Et Pſal.44.Non enim in gladio ſuo poſſederunt terram,& brachium eorum non ſaluauit eos,Sed dextera tua,& brachium tuum, & illuminatio vultus tui.Item Pſal.98.Domine,in lumine vultus tui ambulabunt,Hinc gaudet Pſal.27.Dominus illuminatio mea,& ſalus mea.

Fides lumen vultus Dei.

Pſal.32. Pſal.44. Pſal.89. Pſal.27.

Hoc figuratum eſt in columna ignis & nubis, quibus filij Iſrael regebantur & ducebantur per deſertum. Sic enim ſola fide ducimur,per vias ignotas ac deſertas omnium hominum auxilio,hoc eſt,paſſiones & tribulationes,Atq; vt illic columna præſens ante faciem eorum ibat, Ita hic fides præſentem Deum habet,vt velut à vultu præſentis Dei,illuminatio cordis procedat,ita,vt rectiſſime & propriiſſime lumen vultus Dei(id eſt, agnitio & fiducia præſentis Dei)ſit, Qui enim præſentem ſibi Deum non nouit, aut non ſentit, nondum credit,nondum habet lumen vultus Dei.

Columna ignis, Exod.13.

Vt columna ignis Iudæi,ita nos fide ducimur.

Nihil ergo refert,ſiue lumen vultus Dei intelligatur actiue,quo nos ipſe præſentia ſua illuminat,fidem accendens,ſiue paſſiue ipſum lumen fidei, quo nos cum fiducia vultum & præſentiam eius ſentimus & credimus.(Nam facies ſeu vultus in ſacris literis,præſentiam ſignificat, vt notum eſt)Idem ergo eſt, & vtrunq; ſimul eſt, Deus illuminans,& cor illuminatum,Deus viſus à nobis, & Deus præſens.

Lumen vultus Dei.

Hoc eſt vocabulum Iſrael,quo vbi Iacob Dominum viderat facie ad faciem,appellatus eſt.Nam facie ſua faciem Dei vidit,hoc eſt, fide præſens Deo factus,tanquam in faciem eius poſitus, Rurſusq; Deum præſentem ac iuuare paratum,tanquam in faciem ſuam poſitum,cernebat.Ideo Iſrael directus Dei dicitur,hoc eſt,qui regitur,ſeu recto itinere à ſolo Deo ducitur, Hoc enim fit per fidem,quare Iſrael idem eſt, quod fidelis,ſeu credulus, niſi quod vim & modum fidei,mira proprietate exprimit.

Iacob vocatur Iſrael,Gen.32.

Beatus ergo (vt alio Pſalmo quodam dicit) quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum. Nam apud Ieremiam minatur Iudæis, ſeſe Pſal.94.
oſtenſu-

oſtenſurum dorſum & non faciem, relicturus ſcilicet eos in incredulitate & ignorantia Dei. Videmus quod ſit ſignum bonum ſuper nos, ſeu quis oſtendat nobis bonum: Fides, inquam, hæc, quia eſt lumen, quod præſentem & vultum ipſum Dei oſtendit, omne bonum nimirum oſtendit, quod Deus eſt, dum ipſum ante nos ſtatuit, & fiduciam in ipſum format. Itaq; non eſt hominis erudire hominem. *Signum bonum ſuper nos.*

Iam facile erit concinnare alias interpretationes.

COmmunis proxima eſt huic ſenſui: Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine, Dum illi quærunt quis oſtendat eis bona, volentes ea præſenter videre potius quam credere. Hic non optat oſtendi, ſed gloriatur lumen vultus Dei (id eſt, notitiam & fiduciam præſentis Dei, vt dictum eſt) ſignatum & impreſſum eſſe ſuper ipſos, & ſatis patet intelligentia ex dictis.

Hieronymus, Multi dicunt, Quis oſtendit nobis bonum, Leua ſuper nos lumen vultus tui Domine. Idem per modum petitionis dicit, Leuat vero lumen ſuper nos, dum nos lumine eo leuat. Eſt enim fides, lux ſupra omnem captum noſtrum, Quare hoc leuare eſt aliud nihil, quam lumē fidei, quod ſeipſo altiſſimum eſt, ſuper nos effundere, quo ipſi eleuemur. Vnde & ſignatum dici poteſt, quia clauſum & incomprehenſibile nobis, comprehendens autem nos & in obſequium ſui captiuans. *Fides.*

Quo fit, vt hic verſus nequeat intelligi de naturali ratione ſyndereſi, ſicut multorum habet opinio, dicentium, Principia prima in moralibus eſſe per ſe nota, ſicut in ſpeculabilibus falſa ſunt hæc. Fides eſt primum principium omnium bonorum operum, atq; hæc adeo incognita, vt omnis ratio ſumme eam exhorreat. Ratio in ſummis ſuis viribus conſtituta dicit Qui oſtendit nobis bona? Multi enim (id eſt, omnes qui ratione ducuntur) ſic dicunt. *Ratio à fide abhorret.*

Dediſti lætitiam in corde meo, A fructu frumenti vini & olei ſui, multiplicati ſunt.

ET huius verſus prior pars apud nos raptus eſt ad præcedentem, quæ cum ſequente in Ebræo vnum verſum abſoluit, Quem diuus Hieronymus ſic reddidit, Dediſti lætitiam in corde meo, á tempore frumentum eorum, & vinum eorum multiplicata ſunt.

Mihi hic verſus incredulorum & credulorum iudicium facere videtur, quod illis ſit Deus venter, his Deus verus. Fides enim in Deum, ſeu lumen vultus Dei, lætificat cor, & intima hominis, ſtabili & vera lætitia imbuit, dum pacem remiſſis peccatis, & ſecuram fiduciam in Deum facit etiam in medijs paſſionibus, Neq; enim vllum eſt gaudium, vlla pax, niſi conſcientia pura. Ita & Galat. 5. fructum ſpiritus gaudium ſignat Apoſtolus, & ſupra dixit: In tribulatione dilataſti mihi. Atq; ita fit, vt ſicut abundant paſſiones Chriſti in nobis, ſic abundet & conſolatio Chriſti in nobis, propter fidem, qua in eum fiditur, vt 2. Cor. 1. Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra Quis enim non gaudeat inſultans etiam vniuerſis malis mundi & inferni, cum Apoſtolo Rom. 8. dicens, Si Deus pro nobis, quis contra nos? ſi credat Deum eſſe tecum pro te: At quando credet firmiter Deum eſſe pro ſe, niſi tentationibus varijs probatus, fide exercitata, didicerit Deum eſſe pro ſe? *Fides gaudium verum præſtat.*

Non

Non ergo poteſt fieri, quin gaudeat in toto corde, qui lumen vultus Dei habet. Hic enim quia iuſtus eſt, pacem habet, quia pacem habet, gaudet, quia gaudet, neminem timet, & omnibus inſultat, etiam morti & inferno, certus de præſentia Dei ſui. Ideo recte ſequitur. Poſt lumen vultus tui Domine dediſti lætitiam in corde meo. Sicut & Pſal. 68. exultent iuſti in conſpectu Dei & delectentur in lætitia. *Pſal. 68.*

Iuſtus fide pacem habet.

Pacem & gaudium non habent impij.

De alijs incredulis quid? Nunquid cordis lætitiam vnquam habent? Non, quia non eſt pax impijs, nec eſt gaudium impijs, dicit Iſaias, Quia, iuxta Paulum 2. Cor. 1. ſicut fuiſtis ſocij paſſionum, ita & conſolationis eritis. Hi vero paſſionum ſocij non fuerunt, ideo neq; conſolationis erunt. Et Prouer. 14. Cor quod nouit amaritudinem animæ ſuæ, in gaudio eius non miſcebitur extraneus. Quid ergo habent? Hoc quod voluerunt. Dimiſi eos ſecundū deſideria tua, (inquit) Pſal. 81. Sicut & Pſal. 78. Tentationi eorum ſatis feciſſe legitur, cum peterent eſcas animantibus ſuis, pluens ſuper eos, ſicut puluerem, carnes vbi ſequitur, Adhuc eſcæ erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos. Quod & Apoſtolus repetit Ephe. 5. appellans filios diffidentiæ, ſuper quos ira Dei aſcendit. *2. Cor. 1. Iſa. 48. Prouer. 14. Pſal. 81. Pſal. 78. Ephe. 5.*

His pro lætitia cordis dat olentia gaudia ventris, quia quærunt, Quis oſtendat eis bona, tantum præſentia & ſenſualia ſapientes, Lumen vultus Dei non habentes. Ideo hic dicit, Frumentum eorum & vinum eorum multiplicata, ſicut voluerunt, Mitibus quidem verbis eorum miſeriam deſcribens, & quanta ſit, ex ſua lætitia, ſuiſq; bonis contrarijs iudicandum relinquens. Quæ enim bona habet, qui Deum non habet? quale gaudium eſt, vbi cor in Deo non gaudet? Quæ delectatio, vbi conſcientia perturbata, ſemper contrarium ſibi Deum ſentit.

Qui Deum non habet, quæ bona habere.

Inſtar? & incredulorum hæreditas.

Emphatica ergo tapinoſis eſt hæc oratio & epitatica comparatio. Iuſtis eſt lætitia cordis in Deo. Incredulis quid eſt? Abundantia inquit, temporalium, atq; aliud nihil. O miſeram poſſeſſionem, O vilem hæreditatem, & plane dignam incredulis. Quid enim porcis debeatur aliud quam fallaces & inanes ſiliquæ, excrementa ſcilicet, & quiſquiliæ veterum bonorum? Habent bona, quæ ſibi oſtendi voluerunt, Habent bona, quibus vt lumen vultus Dei ſignarentur, carere noluerunt. Data ſunt illis munera, ſicut filijs concubinarum Abrahæ, & ſeparati ſunt ab hærede Iſaac, cui tota hæreditas relicta eſt. Sicut diſcreti ſunt in merito, ita & in fructu ac præmio. Voluerunt oſtenſilia bona increduli iam habent, Voluerunt inuiſibilia creduli, iam in lætitia cordis ea habent. Ita quales in verſu præcedente oſtendit operarios, tales in hoc oſtendit fructus conſecutos, vtrinq; diuerſiſſimos, imo contrarios. Vides, quam inſigni contemptu, pompam & res huius mundi breui verbo vituperauit, dum incredulis ea data narrat, comparatione ſuorum bonorum inæſtimabilium. *Gen. 25.*

Multiplicati ſunt frumento & vino.

Iam concordia facilis eſt. Non enim differt dicere, Multiplicati ſunt frumento & vino ſuo (id eſt, ditati, aucti, incraſſati, dilatati, temporalibus ac terrenis bonis) & frumentum eorum & vinum eorum multiplicata ſunt, vt quiuis grammaticus intelligit. Eſt enim breuis deſcriptio felicitatis eorum, quam latius Hiob. 21. & Pſal. 144. deſcripſit. *Hiob 21. Pſal. 144.*

Pleriq; hunc locum ridicule detorſerunt ad Sacramentum Euchariſtiæ.

Loqui autem Prophetam hoc loco non de Sacramento Euchariſtiæ, vt multi putant, Auguſtinus ex eo probat, quod ſignanter addit, Eorum frumentum, eorum vinū, non abſolute, frumentum & vinum, Cum manifeſtum ſit, hoc pronomine, eorum, loqui de multis illis, qui dicunt, Quis oſtendit nobis

nobis bona? Hos enim impios & incredulos refert quibus cum Euchariſtia nihil, cum ſint porci & canes, neſcientes ſaturitatem, vt Iſaias dicit capite. 56. Deinde abſurdum eſt, ſi ſubito rumpat ſententiam & aliena miſceat, ſolo relatiuo nomine, quorum nihil prius meminiſſet.

Iſa. 56.

Ad hæc, quod in Ebræo & Auguſtino, A tempore dicitur, vbi nos A fructu dicimus, vbi quantum occaſionis tribuit noſtris, à fructu, vt de Euchariſtia intelligerent, tantum in Ebræo dat indicij, ſe loqui de frumento eorum, quod ex tempore habent, id eſt, de temporali. A tempore inquit, habent, quod habent, Ea quæ tempus dare ſueuit corporalibus neceſſitatibus & voluptatibus. Quod & ipſum mihi per Tapinoſin dictum videtur, ſcilicet, quod & ab æternitate vultus Dei nihil, ſed à tempore tantum habent ſua bona. *Bona impiorum.*

Ad noſtrum autem ſenſum, illud, A fructu, poteſt ita intelligi, A copia & abundantia frumenti & vini ſui, ditati ſunt, Q. d. Proſpere & multo fructu proueniunt eis temporalia ſua. Quod iterum obſtat, quo minus de Euchariſtia apte intelligi poſſit, cum non à fructu Euchariſtiæ multiplicentur fideles Chriſti, ſed ipſi multiplicati ſint fructus & effectus Euchariſtiæ, Vt hoc ſenſu potius dicere debuerit, A frumento & vino eorum, multiplicati ſunt fructus.

Sed & hoc obliquæ accuſationis nota eſt, quod frumentum eorum, vinum eorum dicit, vitium ſcilicet, cupiditatis infidelium mordens, Q. d. eorum ſunt hæc propria, hæc enim quærunt, hæc amant, his ſolis bonis frui nouerunt.

Iam illud leuioris momenti eſt, quod olei ſui, in Ebræo non eſt, nihil enim refert, ſi addatur ſiue minus, Certum eſt tropo iſto Scripturæ ſignificari temporalium abundantiam. Gen. 27. Frumento & vino & oleo ſtabiliui eum. Et poſt hæc, quid tibi faciam fili mi? Quanquam ſuſpicer, ordinante ſpiritu, dedita opera fuiſſe ab interprete adiectum, vt moneretur lectutus, ne intelligeret, niſi temporalia, cum oleum ad Euchariſtiam nullum habeat etiam coniecturam.

Gen 27.

Per hæc tamen nihil detraxiſſe volo eorum ſenſui, qui hæc de Sacramento intellexerunt. Abundandum eſt vnicuiq; in ſenſu ſuo, ſalua fide & pace. Nec hoc agimus, vt aliorum labores confutemus, ſed vt, quantum poſſumus, propius ad germanam intelligentiam accedamus, Non eſt reprobatum bonum, vbi melius & optimum laudatur præ bono.

In pace in idipſum, dormiam & requieſcam, Quoniam tu Domine ſingulariter in ſpe conſtituiſti me.

HI duo verſus ſunt in Ebræo vnus. Hieronymus ita reddidit: In pace ſimul requieſcam, & dormiam, Quia tu Domine ſpecialiter ſecurum habitare feciſti me.

Iſta duo verba, dormiam & requieſcam, abunde dicta ſunt Pſalmo præcedente, quod his ſignificetur mors naturalis & ſepultura, Quanquam ſcio beatum Auguſtinum alia tropologiſantem de obliuione rerum temporalium, quamuis & ipſe fateatur id in hac vita non teneri.

Dictio in idipſum, idem quod aduerbium ſimul ſignificat, & concordiam ſonat, vt Pſal. 133. Ecce quam bonum & quam iucundum, habitare Fratres in vnum, id eſt, ſimul, ſeu in idipſum. Et Pſal. 132. Cuius participatio eius idipſum id eſt, ſimul. *In idipſum.*

Pſal. 133. Pſal. 132.

Eſt ergo ſenſus, Lumine vultus tui firmatus & certus, quod mecum & pro me es, pleuus ſum gaudio, id eſt, in pace moriar, & libenter hanc vitam deſero, quia (vt Pſal. 23.) Si ambulem in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. *Pſal. 23.*

Dormiuit cum Patribus ſuis.

Itaq; meo iudicio, ſimul dormiam, & ſimul requieſcam, id dicitur, quod condormire & correquieſcere nobis dicitur, videlicet, quod cum Patribus ſuis ſimul dormiturum ſeſe pronunciat. Quo modo in libro Regum frequenter dicitur, Dormiuit cum Patribus ſuis. Et in libris Moſi, Congregor ad populum meum, &, Adpoſitus eſt ad populum ſuum. Et ad Moſen, Et ibis ad populum tuum, & Aaron vadat ad populum ſuum, & his ſimilia.

Mors ſomnus fidelibus eſt.

Hoc ergo præſtat fides, varijs paſſionibus exercitata, vt mors pro ſomno pacis acceptetur. Incredulis dira & dura vexatio. Nam quid aliud putas hac ſuæ mortis magnifica iactantia & commendatione velit, quam vt non modo exemplum præbeat, quo ad quietam & ſuauem mortem perueniatur (nempe via crucis & paſſionum) verum etiam vt ſimul à contrario deſcriptam relinquat, vniuſcuiuſq; iudicio æſtimandam mortem incredulorum peſſimam, pauore, horrore, turbatione confuſiſſimam. In qua non eſt quieſcere, & dormire, ſed iuxta Pſalmum, Virum iniuſtum mala capient in interitu, & iterum, Mors peccatorum peſſima. Quia viri ſanguinum & doloſi non dimidiabunt dies ſuos. Cum dixerint, Pax & ſecuritas, repentinus eis ſuperuenit interitus. Modeſtiſſime ergo & occulte eos terret mala morte eorum, dum ſuam optimam commendat, quia magis cupit eos exemplo ſuo monere ſuauiter, quam terrore vrgere ad crucis & fidei vitam, dum fructum eius vitæ mortem tam glorioſam ob oculos ponat. *Pſal. 140. 34. 55. 1. Theſſ. 5.*

Mors impiorum peſſima.

Quoniam tu Domine ſingulariter in ſpe conſtituiſti me. Hæc ſententia ſumpta eſt ex Deut. 33. & frequenter iterata per Scripturas. Quare ad fontem eius accedamus. Dicit Moſes, Iſrael habitabit confidenter & ſolus. Ibidem, amantiſſimus Domini habitabit confidenter. Et Iere. 32. Et habitare faciam eos confidenter. Perſpicuum itaq; fit, quod Moſes dixit confidenter & ſolus, hoc Dauid, ſingulariter in ſpe, dixit, cum ſint eadem vtrobiq; verba, eademq; ſententia, Vnde cum interpres Deut. 33. interpoſuerit coniunctionem, &, quæ non eſt in textu, etiam in hoc verſu ponenda erat, vt, ſingulariter & in ſpe, Nam & frequens eſt in Biblia coniunctionem omitti, quam tamen transferendo poni oportet, vt Ioel. 2. Sol, luna ſteterunt, pro ſol & luna. Ita & hic, confidenter & ſolidarie, vel confidenter & ſolus, vel ſingulariter & in ſpe. Ac ſi Dauid dicat, Vere hoc mihi præſtitiſti, ſingulariter & confidenter me habitare faciendo, quod in Moſe promiſiſti, dicendo, Iſrael habitabit confidenter & ſolus. *Deut. 33. Iere. 32. Ioel. 2.*

Coniunctio frequenter addenda in Ebræo.

Iſrael habitabit confidenter.

Atq; ita generali & autentica ſententia Moſi, Pſalmum ſuum concludit, Simul optime contra carnalem Iudæorum ſenſum exponens, quid Moſes eo verbo proprie intelligi voluerit, & ad rem ſuam adaptans. Nam cum Moſes dicat, Iſraelem habitare confidenter & ſolum, atq; Iſrael in hoc Pſalmo pulchre ſit deſcriptus, quod exemplo Iacob facie ad faciem Deum viderit, & lumen vultus eius habuerit (hoc eſt, in Deum crediderit) recte ad ſe promiſſionem & plenitudinem Iſraeli datam pertinere dicit, ſeſe confidenter & ſingulariter habitare factum. Sed & Iacob eandem de ſe fiduciam pronunciauit, dicens: Et ſalua facta eſt anima mea. Quid enim hoc aliud erat, quam quod ſingulariter, & confidenter habitaret, ſecurus de ſua ſalute? Salua enim facta erat anima eius, ſed in ſpe & ſecuritate. Hæc itaq; ſecuritas & certiſſima ſpes ſalutis, eſt ipſa confidens & ſolitaria habitatio ſpiritualis, ſcilicet in Deo ipſo, ipſaq; ſalus animæ. *Geneſis 25.*

Ideo

Ideo Propheta mortem non timet,ſed in pace dormiturum ſe cum Patribus ſuis dicit,quia factus eſt ſecurus & certus de ſalute.Atq; ita videmus veſtigium lectionis Moſaicæ,qua Dauid ſeſe exercitauit eruens ſpiritualem eius ſententiam,promotus in hanc varijs tentationibus.

Sed quid eſt,ſolum ſeu ſingulariter habitare ſeu conſtitui? nam in ſpe ſeu confidenter habitare per ſe notum eſſe videtur. Meæ temeritati videtur eſſe idem quod libere & ſecure habitare,vt ſolitudo ſit libertas,quo modo Pſal.88. Factus ſum ſicut homo ſine adiutorio inter mortuos liber,id eſt,ſolus & ſecurus.Et magis ad rem,Iud.18.Viderunt populum habitantem abſq; vllo timore ſecurum & quietum,nullo eis reſiſtente, magnarumq; opum & procul à Sidone,atq; à cunctis hominibus ſeparatum.Hic ſolitudo eorum patet eſſe ſecuritas,vt qui fuga hominum in hoc ſe ſeparauerint,quo ſecure haberent,quo modo habere non poſſent,ſi inter homines mixti fuiſſent. Vnde & nunc,qui ſecure & quiete degere volunt,ſeparatum & ſolitarium locum quærunt,à quo propoſito venit Monachorum(id eſt,ſolitariorum)inſtitutum propter ſecuritatem,pericula mundi & hominum,fugientium in ſolitudines.

Singulariter in ſpe habitare quid.

Pſal.88.

Iudic.18.

Monachi ſolitarij.

Quare idem eſt ſingulariter,quod ſecure,niſi quod ſingulariter naturam ſecuritatis exprimit,ſcilicet,remotionem periculorum.Verum niſi hæc ſimul in ſpiritu fiant,Monachos hypocritas facient, vt qui externa pericula tantum vitent. Magis hic de ſpirituali ſecuritate loquitur, quæ tanta eſt,vt in medijs etiam mundi periculis,in morte,in inferno ſecura ſit, & non magis metuat, quam ſi ſola eſſet,atq; eo magis eſt ſola,quo pluribus inuoluitur periculis.Hæc eſt gratia fidei,& virtus bonæ in Deum conſcientiæ.Et vide,an non Hieronymus hanc ſecuritatem hoc verſu ſenſerit,quando dicit: Quoniam tu Domine ſpecialiter ſecurum habitare feciſti me.

Securitas ſpiritualis in gratia fidei.

Summa ſummarum,ſingulariter in ſpe habitare,eſt ſecurum & confidentem eſſe de ſalute ſua in miſericordia Dei, Qua fit vt mortem velut gratiſſimum ſomnum expectet.Hæc,vt dixi,fides præſtat paſſionibus exercitata, quæ fructum hunc pacatiſſimum(vt Paulus Ebræ.dicit)affert. Contraria vero impijs contingent omnia.

Ebræ 12.

QVapropter ſunt vehementer deteſtandi & damnandi quidam Theologiæ(vt vocant)doctores,qui nos docent dubios & incertos eſſe debere,An ſimus in gratia Dei,ac per hoc an ſit Deus noſter,& nos populus eius.Et inuenerunt nobis Diſtinctiones ſuas,quod Sacramenta quo ad autoritatem & virtutem Dei operantis,in illis certum effectum gratiæ operantur. Sed quod ad ſuſcipientem incertum operantur & hanc dubitationem aſſerunt eſſe piam.O peſtilentes,Si enim hoc verum eſt,& quilibet Chriſtianus ita debet pie dubitare,iam perijt articulus ille fidei certiſſimus,Credo Eccleſiam ſanctam,Sanctorum communionem.Quia de me non debeo aſſerere, quod ſum ſanctus,nec tu de te,nec vllus de ſe,Ergo omnes ſumus incerti.Atq; ita omnes incerti ſumus,an Deum habeamus,ac perijt tota Eccleſia.

Peſtilentiſſima opinio Theologorum, qui iubent homines perpetuo manere in dubitatione.

Sed faceſſant ſtultiſſimæ & impijſſimæ iſtæ hæreſes, Vnuſquiſq; id curare debet,vt nullo modo dubitet ſe habere Deum, hoc eſt, Patrem, Creatorem,Saluatorem,& omnium bonorum Largitorem, vt poſſit ſingulariter & in ſpe habitare, & non ſicut mare inconſtantiſſimum feruere,quod de impijs Iſaias dixit. Si enim de Sanctis id credis,quod ſint ſecuri & fidentes, Cur non etiam de te ipſo idem credis,qui Sanctorum ſimilis eſſe cupis, qui idem baptiſma, eandem fidem,eundem Chriſtum & omnia eadem accepiſti? Imo

Conſtanter ſperandum & non dubitandum de Dei miſericordia.

Iſa.57.

impiſſime credis aliud de re,& aliud de Sanctis,qui doces oportere eos dubitare,ſicut tu dubitas: Aut ergo male doces,piam dubitationem,aut,impie credis eſſe certum,quod dubitare iuſſiſti. Quia fides in dubiam rem non nititur. Neq; ego crediidiſſem has impias fabulas, & peſtilentiſſimas opiniones in Ecclesia Chriſti,vel occulte ſerpere,niſi & legiſſem & audiſſem magnos Theologos,eas pro articulis fidei certiſſimis ſtatuere & tueri,contrariamq́;Catholicam ſententiam pro hæretica damnare.Tanta eſt cæcitas optimatum Eccleſiæ, tantus furor Domini.Sed hæc alias,& cum alijs.

PSALMVS V.

Ad victoriam,pro hæretitatibus Pſalmus Dauid.

Lyra.

QVid ad victoriam ſignificet Pſalmo præcedente, ſemel pro omnibus dictum eſt.

De hæreditatibus multa lego,ſed nihil quod meæ hebetudini ſatisfaceret.Nam quod Lyra & ſui hoc loco ſapiunt, ego non ſapio,nec capio. Mihi quod videtur, dicam. Certum eſt hoc Pſalmo non agi de paſſionibus & tribulationibus, nec

Argumentum huius Pſalmi.

enim perſona pſallentis vllo in verbo hoc ſonat,Sed vniuerſa querela eſt ſuper iniquis & iniuſtis & malis.Quare ſcopus eſt,meo iudicio,talis,Quod Propheta orat contra hypocritas,operarios ſubdolos,falſos Prophetas, qui populum Dei, & hæreditatem Chriſti humanis & ſuis traditionibus ſeducunt, quales Chriſtus Matt.7.& Iohan.10. Lupos rapaces: Apoſtolus Tit.1. Vaniloquos & mentium deceptores,vocant. *Matt.7. Iohan.10. Tit.1.*

Perſecutio nocentiſſima.

Et vt ad noſtra ſecula veniamus,Sicut Pſalmo præcedente iuris, ita in hoc Theologiæ impiam profeſſionem & abuſum perſequitur. Cum vero omnium ſit nocentiſſima perſecutio,quæ ſub ſpecie veritatis & pietatis graſſatur (vt quæ nomen Dei ſemper prætexit)& hæreditates Dei maxime omnium vaſtat, Ideo vehementiſſimis æſtuat affectibus,tot reperitis verbis orat, tot nominibus impios accuſat,totusq; ardet zelo,vt de ſe ipſo poſſit dicere,illud Pſal.69 Zelus domus tuæ commedit me.Nam nec in vllam rem Chriſtus quoque Petrus & Paulus æque ardent & ſolliciti ſunt, atque in hos phrenapatas & operarios mercedum,in quos & Prophetæ toti inſurgunt. *Pſal.69.*

Prophetæ, Chriſtus & Apoſtoli acerrime taxant impietatem falſorum Doctorum.

Igitur falſos Prophetas,Hypocritas,Hæreticos, ſuperſtitioſos & omne illud hominum genus,quod verbo Dei adulterato,& falſa operum ſpecie, populum Dei deuorat,hoc Pſalmo taxari videbimus.

Pro hæreditatibus.

Recte ergo titulus,pro hæreditatibus,ſeu ad hæreditates dicit, Quod cupiat populum Dei,Domino ſuo ſeruare. Populus enim Dei eſt hæreditas Domini,vt Pſal.33.Beata gens,cuius Dominus Deus eius,populus quem elegit in hæreditatẽ ſibi: Et Pſal.47.Elegit nobis hæreditatẽ ſuam,ſpeciem Iacob,quem dilexit,Quod & Pſal.2.dictum eſt:Dabo tibi Gentes in hæreditatem,& multis alijs locis. *Pſal.33. Pſal.47. Pſal.2.*

Cur hæreditates numero plurali dicat.

Dicit vero plurali numero hæreditates,cum ſit vna hæreditas Chriſti, quod neceſſe ſit eam diſtribui in diuerſa loca propter multitudinem,quam nequit vnus docere ac regere.Proinde,vt multi ſunt Paſtores& Diſpenſatores vnius hæreditatis Dei,Ita & multæ hæreditates illis cohereditæ.Quo fit,vt & multi in diuerſis oriantur deceptores & diſſipatores eiuſdem.

Sed & hoc indicat magnum affectum Prophetæ,quod populum Dei vocabulo magis hæreditatis, quam Eccleſiæ, populi, aut ſynagogæ, appellar,vt

lat, vt magis & inuidiam diſſipatoribus, & gratiam ſibi paſtoribusq; ſimilibus comparet: Cum vnicuiq; maxime dilecta ſit hæreditas naturali zelo, quanto magis Deo, qui Exod.19. dicit. Et eritis mihi in peculium, Vnde & infra dicit, Quoniam irritauerunt te Domine.

Exod.19.

Simul eo ipſo ſcopum totius Pſalmi ſubindicat pulchra metaphora, Nam hæreditates oportet excolere, exercere, & operari, vt fructificent, & meliores reddantur. Quibus ob hoc multæ ſunt inſidiæ, deinde hoſtes & vaſtatores, Ita populus Dei indiget operarijs, doctoribus & rectoribus, quorum induſtria Deo colitur, & exercetur per verbum Dei. Rurſus malis magiſtris perditur & vaſtatur, Ideo pro hæreditatibus & de earundem cultoribus hic canitur.

Illud addendum, quod tantum de Eccleſia Chriſti Pſalmus intelligendus eſt, ſed de omni, omnium ſeculorum populo Dei, qui ſemper habuit ſuos ſeductores & perſecutores. Ita, vt iuxta titulum ſit generalis ſententia Pſalmi, pro hæreditatibus: Nihil etiam repugnarim, imo maxime acceſſerim, ſi hæreditates quiſpiam intelligat duo & contraria hominum genera, quorum alterum ſuis viribus, alterum gratiæ Dei nititur, quanquam in idem omnia cadunt.

Pſalmus intelligendus de Eccleſia omnium temporum.

VErba mea auribus percipe Domine, intellige clamorem meum.

Intende voci orationis meæ, Rex meus & Deus meus, quoniam ad te orabo.

SIc Ebræus hos duos verſus diſtinguit: Vltimam autem ſecundi verſus particulam, noſter textus ad ſequentem verſum nectit, dicens: Quoniam ad te orabo Domine &c. Parum quoq; differt Hieronymi tranſlatio, niſi quod pro clamorem meum, rugitum meum, quod Lyra cogitationem meam, Et pro, voci orationis meæ, voci clamoris mei, dicit.

Et hic meo ſenſu primus cogor periclitari. Dixi enim hunc Pſalmum maxime pugnare aduerſus Iuſticiarios & Theologos impios, quorum officium omnium vnum, ſuperbiam cordis alere. Sicut & beata Virgo eos deſcribit: Diſperſit ſuperbos mente cordis ſui. Omnes enim impietatis doctrinæ, de ſuperbiæ radice veniunt, Ita vt & hæreſium matrē appellet ſanctus Augu. In multis locis, ſuperbiam, Siquidem ſola humilitas recte docet, vt Prouer.11. Vbi fuerit ſuperbia, ibi erit & contumelia, vbi autem humilitas, ibi & ſapientia. Impoſſibile eſt enim, vt ſuperbus non ſit contumelioſus, omnes vituperet & iudicet, vt in Phariſæo Euangelico contra Publicanum humilem peccatorem, & Simone leproſo contra mulierem peccatricem, monſtratum eſt.

Superbia hæreticos facit.

Superbia mater omnium hæreſium.

Prouer.11.

Luc.18.

Phariſæus. Simon Luc.7.

Quare Propheta in ſui temporis Hypocritas intentus, qui Iuſticia operum miro modo inflati, magna iuxta peccata Inuidiæ, ſuperbiæ, auaritiæ, & ſimilia nihil ducebant, nec gratiam Dei ſibi neceſſariam credebant, ſecure in via ſua ambulantes, ſine timore Dei, ſicut ſemper faciunt, fecerunt, facient omnes, qui ſunt huiuſmodi, Incipit Pſalmum ab oratione humiliter Dei gratiam quærens, ipſo facto primum eorum arguens ſuperbiam. Ac ſi dicat, Impij iſti ſaturi ſunt, ſancti ſunt, iuſti ſunt, ſani ſunt, medico non egent, nec gratiam tuam, qua iuſti fiant, quærunt. Ego autem pauperculus plenus omni

Natura hypocritarum.

peccato, qui de me, meiſq; operibus & viribus deſpero, nihil habeo, quod agam, niſi quod orem & implorem miſericordiam tuam.

Differentia legis & fidei.

Vnde hic ſignanda eſt pulcherrima differentia Legis & Fidei, ſeu Spiritus & Literæ, quam beatus Auguſt. de ſpiritu & litera tradit, dicens, Lex factorum dicit homini, Fac quod iubeo: Lex autem fidei dicit Deo, Da quod iubes. Et iterum, Quod lex factorum minando imperat, Hoc lex fidei credendo impetrat. Hinc populus legis (Theologi iuſticiarij) dicit, Ego feci, & ſuperbit velut operibus legis & ſuis iuſtificatus. Populus fidei dicit, Oro, vt facere poſſim, ille confidens operibus, Dei miſericordiam non quærit, Hic iuſticiam ſuam pro ſtercore ducens, ſolam miſericordiam Dei ſuſpirat, Sic & Apoſtolus Rom. 10. Ignorantes iuſticiam Dei, & ſuam quærentes ſtatuere, iuſticiæ Dei non ſunt ſubiecti. Ita litera ſemper inflat & occidit, Spiritus humiliat & viuificat, Quia humilibus Deus dat gratiam, & ſuperbis reſiſtit.

Populus legis. Populus fidei.

Rom. 10.

Litera. Spiritus.

Magno autem affectu orat, qui triplicata oratione orat. Nec tamen aliam cauſam orandi aſſignat, quam, quod ſit oraturus & exaudiendus. Quoniam ad te, inquit, orabo mane, & exaudies. Quare autem orabis & exaudieris? Quia (inquit) non volens iniquitatem Deus tu es. Quid hoc? nempe quod Deus humiles miſericordiæ ſuæ oratores amat, faſtidioſos iuſticiæ præſumptores odit. Ideo, ecce orabo, quia ſcio tibi placere, ſcio iſta velle te, ſcio ita præcepiſſe te, vt homo de ſe deſperans, tuam miſericordiam iuſtificantem petat. Vis inquam, vt homo ſe peccatorem agnoſcat, & totam vitam ſuam aliud nihil eſſe ducat, quam orationem, deſiderium, gemitum, ſuſpirium ad miſericordiam tuam, Sicut Luc. 18. Oportet ſine intermiſſione orare. Et Pſal. 105, Quærite faciem eius ſemper. Hoc cum impij præſumptores non faciant, vel ad momentum aliquando faciant, imo ſimulent ſe facere, cum reuera ſibi ſaturi ſint, merito eos odiſti, vt qui nec ſua, nec tua agnoſcant.

Humilium preces audit Deus, non Hypocritarum &c.

Ordinem vide & vim verborum, Verba, clamorem, vocem orationis. Item, auribus percipe, intellige, intende. Vrgentiſſimum orantis affectum hæc verba probant, Primum, Auribus percipe, id eſt, audi, Sed parum ſit audiſſe verba, niſi & intelligas clamorem ſeu rugitum ſeu cogitationem, Ac ſi more vulgari diceret, Infacundus & anxius loquor quidem, ſed non poſſum quantum velim intelligi, Ideo quod minus dico verbis, tu abundantius intellige ſenſu, Ideo addo clamorem, vt quod verba non exprimunt audienti, clamor ſignificet intelligenti. Vbi autem & intellexeris, tunc ô Domine, intende & aduerte ad vocem orationis meæ, ne deſpicias audita & intellecta.

Auribus percipe.

Intellige clamorem.

Non quod in Deo, aliud ſit audire, intelligere, intendere, quemadmodum apud homines, Sed quod affectus noſter in Deum hoc modo augendus eſt, Vt primum deſideremus audiri, deinde audita intelligi, & intellecta intendi, ſeu non negligi. Et in his tribus pene abſoluuntur tres illæ orationis partes procemiales, quæ ſunt, Reddere beneuolum, docilem, attentum, quod hic cauſam ſuam Deo dignam, facilem, honorificamque, ſibi vero neceſſariam eſſe commendat.

Intende ad vocem orationis meæ.

Rex meus & Deus meus, Hic plane percutit impios iuſticiarios, vt qui ſine Rege, ſine Deo agunt, ſibimet ſufficientes. Atque hoc vnum eſt verborum, quo ſcopus huius Pſalmi tangitur, Habere enim Regem & Deum, eſt de ſe nihil præſumere, regendum ſeſe præbere Deo, ac ductilem

Rex meus & Deus meus. Habere Regem & Deum.

eſſe

eſſe, Deinde omnia Deo accepta & accipienda referre. Quod illi nequaquam faciunt, aut ſimulate faciunt, quia non parum & ſibijpſis tribuunt, imo dum nō omnia Deo tribuunt, nihil tribuunt. Qui n. aliquid ſibi tribuit, iam gloriam quoq; ſibi tribuit, Atqui gloriam ſibi tribuit, omnia ſibi, nihil Deo tribuit, cui aut tota aut nulla gloria tribuitur, nec enim diuidit eam aut communicat, ſicut dicit: Gloriam meam alteri non dabo, Iſa. 48. Proinde ipſi regnant, ſed non ex Deo, ſibijpſis reges ſunt, ſibijpſis Idola.

Iſa. 48.

Quoniam ad te orabo. Paupertatem ſuam confitetur, nihil habet, niſi quod oraturus ſperat accipere, vt ſit orator, non operator. Atq; in his duobus iterum ſumma totius vitæ noſtræ exprimitur, habere Regem & Deum. Regit, dum nos à nobis aufert, & ad ſe ducit, Deus eſt, dum nos venientes ſuſcipit, & ſeipſo, id eſt, diuinis bonis replet. Prior conditio eſt crux, phaſe, tranſitus, ductus à mundo, à vitijs, & omnino mortificatio noſtri. Poſterior ſuſceptio & glorificatio noſtri. Vnde & beatus Auguſtinus hoc loco dicit. Scripturas ſolere Regem appellare Filium magis quam Patrem. Chriſtus enim gemina natura, vtrunq; horum efficit. Humanitatis ſeu (vt Apoſtolus loquitur) carnis regno, quod in fide agitur, nos ſibi conformes facit & crucifigit, faciens ex infelicibus & ſuperbis dijs, homines veros, id eſt, miſeros & peccatores. Quia enim aſcendimus in Adam ad ſimilitudinem Dei, ideo deſcendit ille in ſimilitudinem noſtram, vt reduceret nos ad noſtri cognitionem. Atq; hoc agitur ſacramento incarnationis. Hoc eſt regnum fidei, in quo crux Chriſti dominatur, diuinitatem peruerſe petitam deijciens, & humanitatem carniſq; contemptam infirmitatem peruerſe deſertam, reuocans.

Quoniam; ad te orabo.

Rex. Deus.

Auguſtinus.

Regnum humanitatis Chriſti in fide agitur.

At regno diuinitatis & gloria, configurabit nos corpori claritatis ſuæ, vbi ſimiles ei erimus, iam nec peccatores nec infirmi, nec ductiles nec rectiles, ſed ipſi Reges, & filij Dei, ſicut Angeli, Tunc dicetur Deus meus in re, quod nunc in ſpe dicitur. Quare non inepte prius dicis, Rex meus, & poſtea Deus meus, ſicut & Thomas Apoſt. Iohan. 20. *Dominus meus & Deus meus.* Quod prior Chriſtus ſit homo, quam Deus apprehendendus, prior humanitatis eius crux, quam diuinitatis eius gloria petenda, Chriſtus homo habitus, Chriſtum Deum ſponte ſua adducet.

Regnum diuinitatis Chriſti.

Thomas Ioh. 20.

Dura ſunt hæc carni noſtræ, quæ mallet Chriſtum Deum quam hominem, gloriam enim præ cruce petit, gloriam per crucem quærere horret, Sicut Moſe à ſerpente fugit, cuius tamen caudam cum apprehendiſſet in virgam verſo colubro, glorioſus fuit in miraculis, & Deus Pharaonis conſtitutus. Exod, 1.

Exod. 1.

Domine mane exaudies vocem meam, mane aſtabo tibi, & videbo.

LAbor eſt ante, donec intrem in Sanctuarium hujus verſus & intelligam eum. Duo ſcio, Vnum, quod mane in Scripturis myſtice ſignificat tempus gratiæ, quod Chriſtus Sol iuſtitiæ gratioſe oriens illuminat, quoties hominem viſitat. Alterum, Quod tempori matutino ad literam, potiſſimum tribuuntur opera ſacra & diuina, vt orare & docere, quo figuratur mane illud myſticum. Hinc eſt, quod in vigilia matutina reſpexit Dominus ſuper

Mane in Scripturis quid ſonet.

Matutinum tempus ſemper tribuitum ſacris.

caſtra Aegyptiorum & ſubuertit eos, Et Pſal. 46. Adiuuabit eam Deus vultu ſuo mane. Et Pſal. 63. In matutinis meditabor in te. Sed & de impijs doctoribus dicit Pſal. 127. Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere, qui manducatis panem doloris. *Exod. 15. Pſal. 46. Pſal. 63. Pſal. 127.*

Apertius in idem Mich. 2. Væ qui cogitatis inutile (Ebraice auen, id eſt, iniquitatem) & operamini malum in cubilibus veſtris. In luce matutina faciunt iſtud, & contra Dominum manus eorum. Hoc faciebant, quando (vt Iſaias 10. ſcribit) falſas leges legiſq; interpretationes à ſe excogitatas populum docebant, quibus populum deuorabant, tam in anima quam corpore, ita vt guttur eorum recte ſepulchrum patens appelletur. Vnde ſequitur ibidem: Et concupierunt agros, & rapuerunt domos, & calumniabantur virum & domum eius, virum & hæreditatem eius. Amos. 4. Offerte mane victimas veſtras &c. His ſatis ſit matutinum tempus datum fuiſſe olim ſacrificijs, iuſtificationibus, doctrinis, lectionibus, & omnino rebus diuinis, ſicut hodie quoq; in Eccleſia ſeruatur idem. *Mich. 2. Eſa. 10. Amos. 4.*

Eccleſiæ Dei admixti ſunt hypocritæ.

Sepoſito ergo interea myſtico matutino, temporale ſequar, quantum poſſum, neſcius an recta ſim diuinaturus. Mane enim ſemper eſt tributum diuinis, licet non ſemper ſit recte tributum. Videtur mihi Propheta ſe eum hæreditatibus Dei ſecernere, ſi non loco & tempore, certe affectu & voto tam ab impijs Doctoribus & auditoribus, quam ab impijs operatoribus, Vtroſq; enim hoc loco accuſat, vt cui cum reliquis conueniendum quidem ſit, mane ad rem diuinam & legem Dei audiendam. Verum cum illi legem Dei deprauent ſuis traditionibus, aut non recte doceant, ac per hoc impie quoq; viuant & agant etiam ſacra & bona, loquantur autem fabulas ſuas, quo placeant vulgo, & pingueſcant, ſicut in Prophetis multipliciter arguuntur, & hodie quoq; in Eccleſijs paſſim videmus & audimus pro fœdiſſimo quæſtu, nihil non tentari in templis & concionibus: Optat & orat Propheta, vt exaudiri mereatur, & vt Deum ſuum audire, non verbum hominis, ſed verbum Dei, dignus fiat. Nam illi faciunt, vt Iſa. 30. ſcribitur: Populus ad iracundiam prouocatus eſt, & filij mendaces, filij nolentes audire legem Dei, qui dicunt Videntibus, Nolite videre, & aſpicientibus, nolite aſpicere nobis ea quæ recta ſunt, Loquimini nobis placentia, videte nobis errores, auferte à me viam, declinate à me ſemitam, ceſſet à facie noſtra Sanctus Iſrael. Quos & Paulus ad Timotheum deſcribit, dicens: Et à veritate quidem auertent auditum, ad fabulas autem conuertentur. *Iſa. 30. 2. Tim. 4.*

Hi ſunt plorum combuſturi.

Legis populus exhorret verbum crucis.

Eſt ergo ſenſus: Infelix ego qui in populo ſum, qui vera audire nolit, qui verbum crucis exhorreat, amet autem Magiſtros prurientes auribus, & vt Iſa. 6. dicit: In medio populi polluta labia (propter impias eorum doctrinas) habentis ego habito. Conuenio quidem mane cum eis auditurus te, Et ecce non audio te, ſed homines docent vias ſuas & opera hominum, Idcirco, O rex meus, & Deus meus, mane illo me exaudias, quia eo tempore non illis aſto, nec in eos intendo, ſed ad te patet os cordis mei, tibi aſto, tibi offero me, vt tu erudias me, vt videam & doctus fiam, Iuxta illud, Erunt omnes docibiles Deo. *Iſa. 54. Iohan. 6.*

Malum omnium nocentiſſimum Impius Doctor.

Et ita vides omnem æſtum huius Prophetæ in hoc æſtuare, quod vidit populum Dei & hæreditates Chriſti ſeduci & vaſtari, dum non recta docentur, & ſunt omnia plena Pſeudomagiſtris, & vaniloquis mentium deceptoribus, quod vt eſt malum omnium nocentiſſimum, ita vehementiſſime omnium affligit piam animam. Quod enim triſtius ſpectrum? quæ miſerabilior imago, quam videre lupum in gregem innoxium ouium ſæuientem,

ita vt

ita vt nec vnam relinquat viuam? Ita impius Doctor in ſimplices animas Chriſti graſſatur. Nam & hoc ipſum cum lachrymis Paulus Act.20. præmonet, dicens: *Scio quod poſt diſceſſionem meam intrabunt in vos Lupi rapaces, non parcentes gregi &c.* (Act.20.) ([illegible])

Et propter hunc affectum & ſenſum certe pene reuoco interpretationem verſuum præcedentium duorum, propeq; mihi videntur rectius intelligi, quidam exuberantiſſimi motus cordis, quibus cogatur dolens Propheta multitudinem (vt infra dicit) impietatem eorum intuitus, toties repetitis orationibus, Regem ſuum inuocare aduerſus tyrannos hos legum, & Deum ſuum, contra hæc idola chathedras occupantia. Nam hic ſenſus magis ad ſcopum quadrat, quanquam nec ille multum abhorreat.

Sed & hic tertius Verſus eidem ſcopo apte concinit, quod non hominum, ſed Dei verbum & opus doceri petit, Atq; cum præcedentibus ita cohæret, Verba mea, ô Rex meus & Deus meus, auribus percipe, intellige rugitum meum, intende voci orationis meæ, quoniam ad te orabo. Quid oras? Hoc ſcilicet ſumme neceſſarium donum, vt cohercitis impijs Magiſtris, mane & tempus locumq; docendi impie occupantibus, me exaudias, quod pro eo tempore peto. Quid autem petis pro eo tempore? Nempe, vt aſtem tibi, tuus ſim auditor, te docente erudiar, te illuminante videam, nõ illis prurientibus cum cæteris ſeducar, cum tu ſis & Rex meus qui regat, & Deus meus qui ſeruet, Atq; ita abſoluta eſt oratio contra praua dogmata & opera. *Donum pro quo maxime orandum.*

Mane, inquit, exaudies vocem meam, mane aliquid orabo, hoc rogo, vt exaudias, Hoc autem eſt, quod pro omnibus Doctoribus & auditoribus verbi, quod mane tractari ſolet, oro. Qua oratione, ſicut vix alia in Pſalterio vehementior eſt, & tot iterata verbis: Ita non alia omnibus nobis quoq; hodie magis neceſſaria & ſalutaris, nec fuit, nec erit vlla pro quouis tempore magis neceſſaria. Diſcat ob id pius Chriſtianus, primo ſolicitudinis loco habere, vt Doctorum pro hæreditatibus (exemplo Prophetæ huius) æſtuantiſſime hunc Pſalmum oret, quo verbum Dei floreat in populo Dei. Nam populus Dei aliunde non viuit, paſcitur, ſeruatur, quam verbo Dei, Sicut Matt.4. Chriſtus. Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Florente enim verbo Dei, omnia florent in Eccleſia. Nam quæ cauſa eſt, quod hodie Eccleſia luxu & pompa non modo emarcuit, ſed pene vaſtata eſt, niſi quod poſthabito verbo Dei, leges hominum & Romanas artes diſcimus? *Oratio pro fructu verbi & pijs eius Doctoribus ſæpiſſime in Pſalmis iterata.* (.4.)

AD energiam verborum Hieronymus ſic transfert, Domine mane exaudies vocem meam, mane præparabor ad te, & contemplabor. Nonne hoc verbum præparabor apte facit ad ſenſum prædictum? Quid enim eſt aliud præparari Deo, quam docibilem & ductibilem fieri Deo? Quo ſimul oſtendit ſe nolle hominibus præparari. Huic non diſſentit, quod Iobannes Reuhlin Ebræorum ſententia dicit, Mane ordinabo, Vt ſit verbum actiuum, quo in ſacrificijs ponendis & ordinandis Scriptura vtitur, Vt omnino ſignificet animum promptum, paratum, abnegatum, &(vt dicitur) reſignatum Deo in omnes voluntates eius. Nam hoc demum eſt verum ſacrificium Deo oblatum, ſeſe in hunc modum ordinare, offerre, præparare, aſtare, ductilem præbere. Patet autem, quod Ebræo idiotiſmo verbum nominale ſeu abſolutum eſt, aſtabo, ſeu ordinabo, id eſt ordinationem, oblationem faciam, ſcilicet mei ipſius: Quare non inepte tranſlatum eſt, aſtabo, Simul docemur, quod in audiendo verbo Dei, non in hominem loquentem, ſed in Deum docentem intendi oporteat. *Præparari Deo.* *Verum ſacrificium.*

Sic

Videbo.

Sic & verbum videbo, abſolutum eſt, pro eo quod eſt, Ero videns, id eſt, illuminabor, erudiar, ſpeculator fiam, puta, veritatis & iuſtitiæ, Mich. 7. Educet me in lucem, videbo iuſticiam eius. Neq; enim iuſticiam Dei nouit, niſi quem Deus erudierit. Cæteri omnes ſunt vaniloqui, qui ex ſuo capite loquuntur. Ideo Chriſtus dedit Apoſtolis Spiritum ſanctum & Eccleſiæ, vt loqueretur ipſe in nobis, non nos ipſi. Hoc eſt, quod hic quæritur, Si aſtaret hominibus, non videret, ſed cæcus fieret. Iuxta illud Chriſti, Cæcus cæcum ducit. Nunc quia aſtabit, ordinabit ſe & præparabitur Deo, videbit & illuminabitur. *Mich. 7.* *Matt. 15.*

Mane. Myſteria.

Quod ſi cui mane illud myſticum magis placet, quod eſt initium temporis gratiæ, quo cœpit Eccleſia aſtare Deo & videre, non repugno. Ego myſteria lentus ſequor, vbi literam habere poſſum. Nec hoc refutarim, ſi quis mane aſtare & videre, intelligat, ſeipſum offerre, non in iuſticijs ſacrificiorum proprijs, tanquam Deo datis, gloriari, ſed à Deo accipiendam iuſticiam expectare.

Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es? Neque habitabit iuxta te malignus, neque permanebunt iniuſti ante oculos tuos.
Odiſti omnes, qui operantur iniquitatem, perdes omnes qui loquuntur mendacium.
Virum ſanguinum & doloſum abominabitur Dominus,

Ibi diſce Impiorum peſſimos.

SEptem nominibus accuſat malos Magiſtros, & eorum diſcipulos operarios, tantus illi eſt æſtus pro ſyncera pietatis vita & doctrina, Vnde hæc verba in ſpiritu ac fide audire oportet, ſicut omnia verba Dei. Nam hi, de quibus hic loquitur, ſi laruam & faciem rerum ſpectes, nihil minus erunt, quam quod hic de eis dicitur, Adeo veſtiuntur veſtimentis ouium, & nomine Chriſti. Deniq; horum opinio eſt, ea quæ hic de eis dicuntur, ad alios pertinere, quos ſibi aduerſarios ducunt. Quare nec nomina, nec opera hic deſcripta agnoſcunt, ſed potius ita vertunt: Quoniam Deus volens æquitatem noſtram tu es, & habitabimus iuxta te benigni, permanebimus iuſti ante oculos tuos, Amaſti nos operantes æquitatem, ſeruabis loquentes veritatem, viros mites & ſynceros magnipendes. Has enim glorias de ſeipſis, hi impij ſomniant, contraria, quæ hic dicuntur, ablegant ad vere pios, iuſtos, & amabiles Deo. Et hæc concertatio durat vſque in mundi finem.

Eſau. Iacob.

Sic Eſau & Iacob colliduntur in vtero Rebeccæ, Sic duæ meretrices coram Rege Salomone de viuo filio contendunt. Hæretici & pſeudodidaſcali ſemper ſibi Eccleſiæ, veritatis, iuſticiæ titulum arrogant & vincunt ſpecie & pompa coram hominibus, coram Deo victi. Catholici vero ſoli habent, & ſine pompa vincunt tandem, quia coram Deo iuſti ſunt. *Gen. 25.*

VIdeamus ergo vocabula ſeptem, Iniquitatem, malignus, iniuſti, Iniquitatis operatores, loquentes mendacium, virum ſanguinum, doloſum, Quibus ſex mala prædicit, Non volentem Deum, nō habitaturos coram Deo, non permanſuros ante oculos Dei, odiendos, perdendos, abominandos.

Primum

Iniquitas.

Primum eſt Iniquitas, pro quo rectius fuiſſet verſum, impietas, vt enim Pſalmo primo dictum eſt, Reſcha, impietas dicitur, vnde conſilium impiorum, hæc autem eſt (vt dixi) ipſa incredulitas, peruerſaq; opinio de Deo diuiniſque verbis & operibus, etſi pulchra ſpecie foris ſimulet pietatem. Quare Deus noſter cum ſit iuſtus & rectus non volet impietatem, id eſt, non deſiderat, non

Deus non vult impietatem.

Pſal. 1. placebit ſibi in ea. Eſt enim hoc loco verbum haphez, à quo hephzo, Pſal. 1. venit, id eſt voluntas eius, ſcilicet in lege Domini, ſeu deſiderium ſeu concu-

Pſal. 51. piſcentia. Et huius verſus ſententiam prope exponit, Pſal. 51 Quoniam ſi voluiſſes ſacrificium dediſſem, vtiq; holocauſtis non delectaberis. Cur non vult? cur non delectatur, quia ſacrificium ſpiritus contribulati (quod eſt ſacrificium

Prouer. 15. pietatis) deeſt, ideo adeſt impietas, quæ facit (vt iuxta Prouer. 15. ſint victimæ impiorum abominabiles Domino.

Eſt ergo ſenſus, Ideo orabo ad te, ideo peto me exaudias mane, ideo aſtabo tibi & videbo, quod ſciam tibi prorſus non placere impiorum vota, opera, & ſacrificia, ſicut fruſtra præſumunt cæci ipſi, & alios ſecum ſeducentes, dum operibus & ſacrificijs impietatem abſcondunt, ne eam agnoſcant & humilientur, contenti, ac ſi omnia bene habeant, quod opera fecerint.

Vota, opera, ſacrificia Impiorum Deo non placent, cum ſint ſine fide.

Iſa. 1. Hoc modo & Iſaias 1. eos arguit, Quo mihi multitudinem victimarum veſtrarum? Et infra, Lauamini, mundi eſtote, Q.d. Opera ipſa, donec vos immundi & impij eſtis, ſine fide & ſpe in miſericordia mea (quæ ſola iuſtificat, & impietatem tollit) non poſſint placere, quantumuis ſint ſpecioſa: Vos in opera intenditis, & ſecundum faciem iudicatis, atq; ita pij & iuſti videmini vobis: Ego autem in cor veſtrum video, & ſecundum veritatē iudico, atq; ita vos impios inuenio. Sicut & Chriſtus Phariſæis dicit: Vos eſtis, qui iuſtificatis vos co-

Matt. 23. ram hominibus. Deus autem nouit corda veſtra; Hoc vult hic verſus dicens, Non volens impietatem Deus tu es, Non falleris operum ſpecie, vt impietatem cordis ſuſcipias, Falluntur potius ipſi, qui hac operum larua decepti, impietatem hanc nunquam agnoſcunt, & dum ſe maxime tibi placere putant, minime omnium placent.

Ita & illud, Neq; habitabit iuxta te malignus, Ebraice Ra, id eſt, malus vel malum, vt vel impium, vel impietatem referre poſſit. Vbi enim impietas, infidelitas, incredulitas regnat, ſimul malitia ſeu malignitas regnat; Deſertus enim à gratia bona Dei, ad quid valet, niſi ad malum? Itaq; malignitatem hoc loco conuenit intelligi ipſam radicem & totum fermentum vetus malitiæ & nequitiæ, quo inclinati ſumus (fidei gratia vacui) in omne facinus ruere, data occaſione. Sicut Chriſtus ad Apoſtolos ait: Vos cum ſitis mali, noſtis bona dona dare filijs veſtris.

Neq; habitabit iuxta te malignus.

Hæc ſane malitia pulchre ſe abſcondit ſub ſanctis & pijs in ſpecie operibus, donec occaſione irritata ſeipſam prodat. Multos videas mites, humiles, benignos in verbis & ſignis & factis, quos ſi digito tangas, mox crudeliſſimos & infeſtiſſimos omnia mala facere promptos, reddas, qui hodie titulo honeſtiſſimo, paſſionati vocantur, quod propter ſpeciem bonæ conuerſationis malignos non licet appellare, interim ſecure pereuntes ipſi & perdentes ſimul, ſi quis eorum exemplo ſecurus hanc malignitatem negligat mortificare. Paſſiones enim malitiæ eiuſmodi indicium ſunt, deficientis ibi pietatis (id eſt, fidei in Deum) & regnantis impietatis. Non ergo hi morabuntur apud Deum, nec habitabunt iuxta eum.

Malitia hypocritarum abſcondit ſe ſanctis operibus.

Tertio ſequuntur *Iniuſti*, ſiue ijdem ſiue alij, quos Ebræus vocat holelim, quod proprie eorum eſt, qui foras erumpunt in opus & præuaricantur & malum faciunt in verbo & opere (Impietas ſane & malignitas frequentius latent, niſi cui lex ſpiritualis manifeſtata eſt, qua ſe malum cum

Neq; permanebunt iniuſti ante oculos tuos.

Apoſtolo,

Apoſtolo, Rom. 7. agnoſcit) faciuntq; arborem malam, ſed fructus eius proferunt, hoiælim ſequentes maliriam cordis impij ſui. De quibus Eccle. 10. Initium verborum oris eius ſtultitia, & nouiſſimum oris illius hoiælothra, quod errorem peſſimum tranſtulerunt. Patet ergo adhuc ordo pulcher verborum, Primum, *Impietas*, qua fit, vt ſine gratia Dei adiuuante, ſimus nobis relicti. Quam ſecunda mox ſequitur, *Malitia*, qua proni ſumus facere quod in nobis eſt, id eſt, omne malum. Tertia *Iniuſticia*, præuaricatio ipſa fructus huius impietatis & malignitatis.

Rom 7. *Eccle. 10.*

Impietas. *Malitia.* *Iniuſticia.*

Verum nec hi permanebunt ante oculos tuos, ſeu vt Ebræus habet, Non ſtatuent hoiælim in conſpectu oculorum tuorum. Eſt autem verbum ſtatuent, idem omnino quod Pſal. 2. in præterito tranſtulerunt, Aſtiterunt Reges terræ, pro aſſiſtent vel ſtatuent, id eſt (vt abſoluti verbi pateat ſignificatio) aſſiſtentiam ſui facient, Ita hic non aſſiſtent, non ſiſtent ſe coram Domino, non apparebunt &c. Quod tamen quam maxime credunt, falſis ſuis opinionibus & operibus nec enim ſe male facere credunt, etiam dum male faciunt.

Pſal. 2.

Quarto, *Odiſti omnes qui operantur iniquitatem.* Hanc oratiunculam frequenter in veteri Teſtamento legimus, quæ per verbum *Paal*, quod Pſalmo primo poſuimus ſignificare id, quod agere vel operari apud nos, & per nomen *Auen*, quod varie & inconſtanter tranſlatum eſt (vt videbimus) ſcribitur. Video autem Prophetas præſertim Oſeam 10. Velut illudentes pro Bethel, Bethauen, appellare locum, in quo Hieroboam primus rex Iſrael vitulos aureos conſtituit adorandos, ne populus Iſrael in Ieruſalem immolaturus iret, tandem à ſe deficeret ad regem Iuda, vt legitur 3. Reg. 12. Atq; vbi Bethel, id eſt, domus Dei dicendum fuit, Bethauen dicunt quod alij domum Idoli (ſcilicet à contraria ſignificatione) rectius autem, domum iniquitatis, ſeu Idolatriæ transferunt.

Pſal. 1.

Odiſti omnes qui operantur iniquitatem.

Hieroboam. 3. Reg. 12.

Horum ſecuti ſenſum, placet per Auen, iniquitatem & idolatriam intelligere, Idolatriam vero non eam ſolum, qua idolis ligneis & lapidibus ſeruitur, ſed multo maxime eam, quam Samuel 1. Reg. 15. magna autoritate contra Saulem definit & pronunciat in hunc modum, Nunquid Dominus vult holocauſta & victimas, & non potius vt obediatur voci Domini: Melior eſt enim obedientia, quam victimæ, & auſcultare magis quam offerre adipem arietum? Quoniam quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare, & quaſi ſcelus Idolatriæ, nolle acquieſcere. Hæc igitur religio Saulitica, furens inobedientia, peruerſa ſuperſtitio, infelix Auen, ſicut in Scripturis vbiq; acerrime arguitur in veteri Teſtamento regnaſſe, Ita & hodie nulla peſtis atrocius bacchatur, dum quiſque officio, in quod vocatus eſt, deſerto, alio & à ſe inuento ſtudio ſeruire Deo conatur.

1. Reg. 15.

Saulitica religio.

Ita Epiſcopi qui ſunt optimi, officio verbi & curandi populi vel indigniſſimis & indoctiſſimis relicto, ſuis peculijs, aut ædificijs ac reditibus ſplendoribusque ſuæ Eccleſiæ augendis incumbunt, obſequium Deo præbere ſe arbitrantes, quod ſunt inobedientes. Sacerdotes quoque & religioſi quique ſanctiſſimi, quoduis pro Deo faciunt potius quam ſuum officium, Nam de malis hic nihil dicimus: Romana curia vero extra hanc etiam aleam poſita eſt, Denique latius hæc infelicia inobedientiæ ſtudia inualuerunt, quam vllus proſequi poſſit. In omni enim genere vitæ apud Chriſtianos hoc inuenias, quod poſthabita præceptorum Dei obſeruantia, in ſuis traditionibus & opinionibus, Deum colunt. Hæc eſt Auen, in quam, ſpecies illa operum, qua ſupra dixi, velut vmbra Behemoth, tegunt impietatẽ, malignitatem, & quam-

Epiſcopi.

Sacerdotes.

& quamuis tranſgreſſionem. Omnino hæc veſtis luporum & peſtilens hypocriſis ſynceram pietatem & Chriſtianam religionem atrociore vaſtitate populatur, quam vllus gladius, fames, peſtis &c. *Peſtilens hypocriſis ſpecie operum tegit impietatem &c.*

Vide ergo quam inceditur & Propheta aduerſus impiam hanc pietatem, & religioſiſſimam religionem, quod nullam acrius deteſtetur dicens: *Odiſti omnes qui operantur iniquitatem.* Omnes, inquit, & odiſti, in cæteris non addit omnes, Hic ne maledicta ſuperſtitione falſi ſe placere putent, pronunciat odio Dei dignos, & omnes nullo excepto. Nam vere & apud homines diſplicent, peruerſa iſta obſequia, quæ prætermiſſa obedientia fiunt. Quis enim ferat, vt paſtor, cui commiſſæ ſunt oues, ouibus relictis, incipiat Domino in cubili miniſtrare? Et vt erudite habet fabula Aeſopi de Aſino, qui caniculæ blanditias imitari volens, fuſtibus cæſus eſt, quod ſuum officiū deſerens, alieno ſe miſcuerit, Hæc eadem peſtis facit, vt multos pœniteat ſui ordinis, ſui ſtatus, ſuæ vocationis, dum in aliena officia intenti velut meliora ſua faſtidiunt. Hic è ſacerdorio in Carthuſiam, ille de hac, in illam migrat conditionem, Hoc eſt iuxta Iob. 6. Timent pruinam, & ruit ſuper eos nix, Euadunt pluuiam, & cadunt in aquam. *Odio digni ſunt qui ſuum officium deſerentes, in aliud intenti ſunt.* *Iob.6.*

Sed ſatis hæc modica de maxima iſta & plurima prauitate, quam deinceps ſemper appellabimus inobedientiam, ſeu idolatriam, hoc eſt, ſanctam impiorum latriam, vt quæ non aperte Dei præcepta violet, ceu publicani, & meretrices, ſed per ſpeciem magnorum operum & eximiæ pietatis, &. vt Bernard. Pſal. 91. vocat, per dæmonium meridianum, cum Apoſtolo Paulo angelum Satanæ in angelum lucis transformatum intelligens. Horum exemplar egregie monſtratum & deſcriptum eſt in Saule, 1. Reg. 15. Vide ibi. *Sancta impiorum latria.* *Pſal. 91.* *1.Cor. 11.* *1.Reg.15.* *Saul.*

Vnde Auen recte interpretatur à multis non ſolum iniquitas, ſed & dolor & labor, quod reuera laboris & doloris multum habet hæc obedientia, &, vt vulgo dicitur, difficilius eſt infernum mereri, quam cœlum. Nam martyres hos ſuos Diabolus vehementer vrget, nunquam tamen recreat. Ita vt Dominus quoq; per Moſen prædixerit ſe traditurum populum Iſrael in manus hoſtium, vt ibi ſeruirent dijs alienis, qui non dent eis requiem, nec die nec nocte. Sic Eccle. 10. Labor ſtultorum affliget eos: Et vt in eodem libro ſæpius dicitur, Vanitas & afflictio ſpiritus. Chriſtus autem etſi premat, tamen ſuaue eſt iugum eius, & onus leue, quia reficit læta fiducia cordis, omnes, qui laborant & onerati ſunt, modo veniant ad eum. Illi vero dicent illud Sap. 2. Ambulauimus vias difficiles. *Auen.* *Diaboli martyres.* *Eccle.10.* *Chriſti iugum ſuaue, Matt.11.* *Sapient.2.*

Qui latius iſta velut proſequi, Paulus Rom. 12. & 1. Cor. 12. legat, vbi id omni ſtudio agit, vt vnusquiſq; in ſua menſura incedat, ne membrorum fiat confuſio, vbi oculus officio pedum, aut pedes officio oculorum fungi cœperint, Sed Regulam illam Prouer. 4. ſeruent, Palpebræ tuæ præcedant greſſus tuos, & oculi tui recta videant. Sihe für dich/vnd warte auff dich ſelbſt. In hanc prauitatem & apud Gentiles edidita ſunt Prouerbia, Eam quam quiſq; didicit, exerceat artem, Et, ne ſutor vltra crepidam, & ſe intra pellem quiſq; ſuam contineat. Recte ergo & mira Emphaſi dicit, Odiſti omnes, quod reuera plurimum odibilis ſit iſta iniquitas, quæ ita irritat, exaſperat, & prouocat, vt inde Synagoga, gens aſperatrix, amaricatrix, prouocatrix in Prophetis appelletur, quam amaritudinem Deus ſentire dicitur, quando in cordibus Sanctorum ſuorum eam ſentiri facit, quo ſenſu (vt dixi) plenus eſt hic Pſalmus, ſicut videmus & videbimus. *Rom.12.* *1.Cor.12.* *Prouer.4.* *Vnusquiſq; ſuum officium faciat.*

Quinto, Perdes qui loquuntur mendacium. Hic Magiſtros & doctrinam iniquitatis taxat. Nam Ebræum verbum dibbet, ferme videtur mihi ſignificare id genus ſermonis, quo aliquid docetur vel enarratur ſeu recitatur. Vnde & dabar rem geſtam ſeu potius narratam ſignificat, quem tropum & *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.*

Lucas quoq; ſeruauit Lucæ.2.Tranſeamus vſq; Bethlehem,& videamus ver- *Luc. 2.*
bum hoc(rem geſtam & dictam)Nempe in Leuitico ſatis clare diſtinguit inter
Amar. Dibber. amar & dibber,quorum vtrunq; loqui vel dicere ſignificat,vbi toties ſcribitur.
Locutus eſt Dominus ad Moſen dicens,vbi primum eſt dibber,id eſt, locutus
eſt.Hinc in Prophetis vſitatiſſimum,Et factum eſt verbum Domini ad me di-
cens:Quare dibber generaliter ſignificat per modum doctrinæ aliquid nunci-
are, quod per verbum Amar ſpecialiter determinatur.Atq; ſi hæc ſignificatio
& differentia rata non fuerit perpetuo,tamen interea ſic ea vtemur,donec me-
liora viderimus: Certum eſt in multis locis pro docere accipi,quod hic, lo-
quuntur,poſitum eſt,vt Pſal.119. Loquebar in teſtimonijs tuis, Et Pſal.60. *Pſal. 119. 60.*
Deus locutus eſt in ſancto ſuo.

Qualis impiorum vita, talis & doctrina. Igitur qualis eſt impiorum vita,talis & doctrina:ſicut agunt ita & loquun-
tur.Impia ergo & mala & iniqua,quæ omnia ſub nomine mendacij compre-
hendit.Hoc mendacium ſupra Pſal.1.Conſilium impiorum,imo cathedram *Pſal. 1.*
peſtilentiæ & illuſionis appellauit. Horum furor & hodie quoq; regnat, de
quibus Apoſtolus 2.Tim.3.Semper diſcentes & nunquam ad ſcientiam veri- *2. Tim. 3.*
tatis peruenientes.Hi ſunt qui docendis bonis operibus (vt putant) fortiter in-
ſtant,cum nec dum ſciant,quæ ſint bona opera,fidei enim ſcientia carent, Ita
fit,vt miſerrime crucifigant & excarnificent populum mendacibus ſuis & im-
pijs fabulis,ex moralibus Philoſophorũ,ex iuribus hominum,ex ſtatutis ac tra-
ditionibus ſuis acceptis,de quibus ſupra ſatis,& infra ſæpius dicemus.

Virum ſanguinum & doloſum &c. Sexto,Virum ſanguinum & doloſum abominabitur Domi-
nus.Breui compendio abſoluit,quales ſint in moribus & conuerſatione erga
proximos ſuos:hoc eſt,ex corde neminem diligunt. Cum enim ſint pietatis
gratia vacui & in malitia ſua relicti,neceſſe eſt tantum affectu & opinione ſui,
ſint infecti à plãta pedis vſq; ad verticem.Omnia quidem ſimulant,multis cor-
rident,amiciſſimos mutuo ſe appellant,ſcribunt,dicunt,apparent eſſe humani
& ſuaues,& viros ſanguinum his operculis pulchre abſcondunt,verum doloſa
ſunt hæc omnia. Quod patet,vbi cœperint offendi,aut vbi caſus venerit bene-
uolentiæ exhibendæ,tum repente apparet dolus & prodit ſanguinaria ira,inui-
dia,& ea quæ ſequuntur: Neq; enim dilexerunt vllum,niſi propriæ vtilitatis
gratia,non vt bene facerent,ſed vt bene haberent.Ideo verba hæc ſpiritus ſunt,
non faciem reſpicientia,ſed renes & corda ſcrutantia.Verba enim fidei contra
Verba ſpiritus & fidei. ſpeciem pugnant,& ad tempora crucis reſpiciunt. Ibi inueniuntur, qui eiuſ-
modi ſunt, quam omnem hominem odiant, & neminem ſyncere diligant,
quia diligunt ſolum ſe ipſos.Et hoc morbo,omnium maxime laborant mar-
Diaboli Martyres. tyres illi diaboli,ſanctiſſimi & religioſiſſimi,quos iam diximus impios,opera-
rios iniquitatis,filios inobedientiæ, ſub veſte & ſpecie pietatis, cuius virtutem
maxime abnegant.

Si hæc non credis,aut non noſti,experientiam conſule,totus mundus que-
Querela mundi, fidem non eſſe in hominibus. rela hac plenus eſt,Non eſſe fidem in hominibus,omnia ficta & ſimulata fieri
& dici.Ita vt Michææ verbum,quod non legerunt,tamen experientia docti al-
legent(quod eiuſdem 7.ſcribitur)Nolite credere amico & nolite confidere in
duce,Ab ea quæ dormit in ſinu tuo cuſtodi clauſtra oris tui, quia filius facit *Mich. 7.*
contumeliam Patri,& filia conſurgit aduerſus matrem ſuam,nurus aduerſus
ſocrum ſuam,& inimici hominis domeſtici eius. Ideo Chriſtus cauendum
docet ab hominibus, Si enim eis palpes aut vtilis ſis, habebis doloſos amicos,
Si offendas aut diſſentias,præſertim propter Deum & veritatem, habebis ſan-
guinolentiſſimos hoſtes,ita vt non aptiore nec breuiore Elogio hominum in- *Matth. 10.*
genium deſcribi poſſit,quam quod ſit ſanguinarium & doloſum.

Adeo ſcilicet rarum eſt,nõ agere doloſe cum proximo,ac fidelem amicum
Amicos facile perdimus. eſſe.Viuit tecum dulciter,ſalutat,arridet: At ſi petas iuuari decem florenis de
abundantia illius,iam amicum perdidiſti,rurſus non obſequeris ad omnia vel
iniqua

in[illegible]ua,amicum perdidiſti. Breuiter,niſi ſic egeris, vt te vtendum præbeas in omnia eius deſideria,& illo nullo pacto vtaris,eum homine non conuerſaberis diu. Hæc experientia Magiſtra docemur, Ideo facilis iſte verſus intellectu. *Cæcitas hypocritarum.*

Nec ſi tamen ſuam miſeriam agnoſcunt. Omnia enim hæc contemnunt, nihil minus quam ſanguinarios & doloſos ſeſe eſſe eredentes, Primum, propter opera illa ſpecioſa,quorum fiducia inflati & excæcati ſeipſos non vident. Deinde quod ſeipſos amant,ſuisq; vitijs blanditer indulgent,non quanta mala,ſed quanta bona faciant in oculis ſemper verſantes. Cui maior cæcitatis occaſio accedit,quod zelum arbitrentur eſſe,ſi odiant eos,à quibus vel læſi ſunt, vel læſi ſibi potius videntur, vt ad quos præ inſigni iuſticia pertineat iniquos odio habere. Quo furore ſubuerſi eo procedunt,vt trabe in oculis ſuis neglecta, & feſtuca in alterius oculo obſeruata,ſeſe humanos & fideles haberi velint,illos potius viros ſanguinum & doloſos iudicent, Atqi ita abominationem diuinam,quæ ſuper ipſos difinitur,perpetua inſania à ſe in alios reijciant, Quo fit,vt Scripturas ſi legant,non intelligant,ſi audiant,non accipiant, tanquam ad ſe nihil pertinentes, fiantq; plane incorrigibiles illi, Matt. 11, quibus ſi cantes non ſaltant,ſi lamenteris,non plorant. In ſolis his perdit Deus & verba & opera ſua. *Opercula impietatis hypocritarum.* *Fructus fiduciæ operum.*

Eſt & hoc non leue operculum huius nequitiæ,quod ſi aliquos amicos amittunt,alios vel inueniunt vel habent, quibus eodem dolo conuerſantur, quorum mutuo(etſi doloſa)concordia capti, non quantos odiant & contemnant,ſed quantis ne beneuoli ſint(etiam ſi ſit vix millies milleſima proportio)conſiderant,nihil morati, quod Chriſtus præceperit,ne vnum quidem ex puſillis contemnendum.

Ecce fructum,quem parit fiducia operum & propriæ iuſticiæ, ſcilicet, ignorantiam ſui,pertinatiam & incorrigibilitatem,in tantis malis impietatis, malitiæ,inobedientiæ,& omnium peccatorum. Tot monſtra,tam leui velamine,& exigua ſpecie cœlari,ali,& ſeruari poſſunt. Deinde in tantis abominationibus mane coram Deo apparere & ſacrificare, ſe Deo placitum credere, nec miſericordiam implorare, ſed cum impio Phariſæo gratias agere, quod non ſit ſicut cæteri hominū, Nonne horrendum eſt & videre & audire? Nonne iuſtiſſima eſt Prophetæ huius commotio in eas inſanias?

NVnc Epilogum iſtorum trium verſuum faciamus. Duo priores peccata deſcribunt ea,quibus contra Deum peccant,quæ ſunt quatuor, Duo in verſu primo,ſcilicet,impietas & malignitas, Quarum prior auerſio eſt à Deo,id eſt,ſani affectus atq; rectæ opinionis inopia, Poſterior conuerſio ad ſeipſum,pronitas ſcilicet ipſa ad mala opera, & rebellio ad bona,id eſt,affectus & opinio peruerſa. His duobus peccatis perſona ipſa deſcribitur, & arbor mala,quales ſunt coram Deo. *Peccata contra Deum.*

Duo in verſu ſecundo,ſcilicet,iniuſticia & operatio iniquitatis, Quarum prior eſt præuaricatio & affectus malignitatis,& omiſſio colendi Dei, Poſterior vero ſpecies cultus Dei, ſed inobedientia ac idolatria. In his enim duabus vniuerſitas malorum fructuum & operum comprehenditur,quæ circa diuina facimus,quod ſit vnum contraria facere operibus,& cultui diuino, hi ſunt hoſtes, Alterum ſimulata facere, & ſpecie bona, co[illegible]bedientiam Dei hi ſunt operatores iniquitatis. *Iniuſticia & operatio iniquitatis.*

Tertius verſus peccata deſcribit,quibus contra homines peccant, quorum ſunt tria, Primum,mendacium, vbi alios verbo, exemplo & more ſuo ſeducunt à vero cultu Dei in ſuas impias idolatrias, facientes eos ſimiles ſibi in his, quæ ad Deum pertinent. Secundum,odium & omnia quæ ex odio ſequuntur, vnde viri ſanguinum dicuntur. Tertium, dolus & omnia quæ hinc ſequuntur,dum nō niſi pro ſuo commodo,vſu,voluptate,hominibus vtuntur,in quo *Peccata contra homines.*

omnia peccata peruerſi amoris includuntur. Nam etiam dolus & fraus eſt, ſi amore ſexus carnalis, vt patet. Cum enim odium & amor ſint principes omnium affectuum & operum, ſatis patet in his duobus, dum & odium ſanguinarium, & amor doloſus eſt, vniuerſam lernam vitioſæ conuerſationis & morum comprehenſam eſſe. Odium enim candidum contra vitia pugnat, & amor ſyncerus quærit ea, quæ ſunt aliorum, non ſua.

Antitheſis impiorum & piorum.

Concludamus ergo totam ſententiam: Illi (inquit) mane venientes, non quidem orant, nec tui egent, nec exaudiri curant, ſaturi ſunt, tot vitiorum repleti ſordibus (id eſt iudicijs ſuis) Nec aſtant tibi, nec offeruntur tibi, vt formentur à te, vt illuminentur, vt videant, ſed contra te potius formant, & idolo cordis ſui (vt Iſa. 46. dicit) aſſimulant, de te ſecundum ſuas opiniones iudicantes, vt non videant, ſed magis excæcentur, & indurentur. Quod ideo fiet, quoniam tu non, vt putant, diligis impietatem, ſed odis iniquitatem, & abominaris eos omnino. Ego vero venio, & aſto, & offeror, vt former à te, vt ſapiam de te ſecundum te, vt videam & illuminer. Illi veniunt allaturi ſua tibi bona & merita, ablaturi vero ſecum maiora peccata & mala. Ego venio poſtulaturus tua bona, & confeſſurus mea mala. Quia illi ſani ſunt, medico non egent. Ego infirmus & male habens, medicum quæro. Hoc eſt quod ſequens verſus proſequitur.

Ego autem in Multitudine miſericordiæ tuæ introibo in domum tuam, Adorabo ad templum ſanctum tuum, in timore tuo.

EGregius verſus, egregia ſententia, verba antitheſim habent, habet & ipſe ſenſus. Duo n. ſunt, quibus hæc vita exercetur, Timor & ſpes, velut duo irrigua illa, Iud. 1. Alterum ſuperius, alterum inferius. Timor prouenit ex intuitu minarum & metuendorum iudiciorum Dei, vt in cuius conſpectu nemo mundus, nemo non peccator, nemo non damnabilis. Spes prouenit ex intuitu promiſſionis & ſuauiſſimarum miſericordiarũ Dei, ſicut Pſal. 25. Reminiſcere miſerationum tuarum, & miſericordiarum tuarum, quæ à ſeculo ſunt. Vt in cuius cõſpectu nemo mundus, nemo iuſtus, nemo ſaluus eſſe poſſit.

Timor. *Spes.* *Iud. 1.* *Pſal. 25.*

Atqi in his duobus, tanquam inter molam inferiorem & ſuperiorem, ſemper oportet verſari, nec aliquando declinare, ſiue ad dexterã, ſiue ad ſiniſtram. Hoc enim impiorum eſt, qui contrarijs duobus exercentur, ſecuritate & præſumptione. Securitate declinant ad ſiniſtrã, poſthabito Dei timore, vt Pſal. 14. Non eſt timor Dei ante oculos eorum: Præſumptione declinant ad dexteram, dum omnia ſua Deo placere præſumunt, ſine timore Dei. Quia cum ſeſe peccatores eſſe non agnoſcant, neceſſe eſt, vt Deum non timeant, cuius iudicium non conſiderant, vt iuxta Pſal. 10. Auferuntur iudicia tua à facie eius. Ita pro iudicijs Dei ignauiam quandam Dei ſibijſis obijciunt, pro miſericordia Dei, iuſticiam ſuam propriam. Ita fit, vt timere & ſperare non poſſint. Hæc eſt ergo Antitheſis, quam ponit, Illi ſine timore tui, poſtpoſitis iudicijs tuis tremendis, ſecure adorant te, ſicut Phariſæus in Euangelio, Luc. 18. Deinde in multitudine iuſticiæ ſuæ intrant templum, & veniunt in conſpectum tuum miſericordia non egentes.

Securitas. *Præſumptio.* *Pſal. 14.* *Pſal. 10.* *Phariſæi.* *Luc. 18.*

Ego vero, cum mihi ſim conſcius, eſſe me non poſſe coram te, tuiſq; iudicijs, tutum, de me ipſo deſperans, ita accedo ad templum tuum coram te ſiſtendus, vt miſericor[illegible] tuam mihi ante oculos ſolam habeam, quæ multa imo infinita eſt. Hac fi[illegible]ſpecta, audeo & tutus ſum (ſicut Pſal. 26.) Quoniam miſericordia tua ante oculos meos eſt, & complacui in veritate tua, Veniens autẽ hac fiducia adorabo te in templo tuo, ſed in timore tui, nõ præſumẽs, quod ex me tibi ſim placiturus, imo timebo, ne meum obſequium & adoratio reprehenſionem mereantur. Quo timore tibi tuum ſeruabo honorem, & meam cuſtodiam humilitatem, dum non meipſum iuſtifico, ſed humiliter tuum tremendum iudicium, in ſpe miſericordiæ tuæ ignoſcentis, expecto.

Diuerſa religio piorum & impiorum. *Pſal. 26.*

Vides

Scopus huius Pſalmi.

Vides ergo clare huius Pſalmi ſcopum eſſe de diuerſa religione piorum & impiorum, humilium & ſuperborum. Comparat enim illos ſibi in matutino iſto opere, quod eſt intrare domum Domini, & adorare ad templum ſanctum eius, Ibi enim & opera & dogmata omnium, & maxima & prima celebrantur.

Obiectum ſpei & timoris.

Pulchra eſt etiam verborum antitheſis, ſed permutata. Nam miſericordiam Dei, quæ ſpei obiectum eſt, ſine ſpei nomine ponit. Rurſus timorem, cuius obiectum eſt iudicium Dei, ſine iudicij nomine ponit, cum potius miſericordiam & iudicium, aut ſpem & timorem videatur opponere debuiſſe. Verum ſpei natura, & eius obiectum exprimendum erat, ſcilicet miſericordia, imo multitudo miſericordiæ Dei, quod pij homines plus ſatis timent, & magna reuerentia ad Deum diuinaq; opera accedunt. Atq; hæc duo, ſpes & timor, ſunt omnium longe gratiſſima ſacrificia & pia opera; quæ impij illi iuſticiarij, vt nec docent, nec intelligunt, ita nec faciunt, nec facere poſſunt. Plenus eſt (vt dixi) etiam hodie totus mundus eorundem impietate, qui homines in operum & iuſticiæ propriæ fiduciam tractos, non ſinunt ad Dei timorem & miſericordiæ ſpem peruenire, ſemper diſcentes, & nunquam ad ſcientiam veritates peruenientes, Et (vt Chriſtus ait Matt. 23. Tulerunt clauem ſcientiæ (id eſt, poteſtatem docendi ſcientiam Dei) ipſi non introeunt, & introeuntes prohibent.

Gratiſſima ſacrificia, ſpes & timor.

Matt. 23. *Clauis ſcientiæ.*

Hos impios præſumptores iudiciorum & miſericordiarum Dei ſecuriſſimos contemptores, etiam Iſa. 1. copioſe taxat, dicens: Quo mihi multitudinem victimarum veſtrarum? Cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam &c. Quare? ſequitur, Quia manus veſtræ ſanguine plenæ ſunt. Lauamini, mundi eſtote &c. Ita nihil Deo placere poteſt, niſi quod in humilitate geritur. Humilitas autem eſſe non poteſt, niſi in omni opere quantumlibet bono, Dei iudicium formidetur, & de ſola eius gratuita miſericordia præſumatur, Cui pietati omnium maxime repugnabat, quadam naturali ac ingenita præſumptione populus Iſrael, de lege & legis operibus miro tumore ſuperbiens.

Humilitas.

Domus Dei quæ ſit.

QVæras, Quomodo ad domum Domini, & templum Dei ſe intraturũ promittat Dauid, cũ ſuo tempore, nec vlla domus Dei, aut vllum templum ſtaret, ſed arca teſtamenti in tabernaculo Moſi, tunc vice templi erat? Sed & alio loco de domo Domini dicit, Pſal. 122. In domũ Domini ibimus, Stantes erant pedes noſtri, in atrijs tuis Ieruſalem. Et Pſal. 134. Qui ſtatis in domo Domini, In atrijs domus Dei noſtri, vt ſuſpicari poſſis hos Pſalmos non eſſe Dauidis, aut per Eſdram poſtea immutatos.

Pſal. 122. *Pſal. 134.*

Domus Dei. Beth El. Beth Auen. Morija. *Gen. 28.*

Verum mea temeritate, videtur quemlibet locum, in quo Deus colitur, pro domo Dei accipere. Nam & illud notum eſt, locum illum, in quo Abraham ſacrificauit, Beth El, (id eſt domum Dei) vocatum eſſe, quem poſtea vitulis aureis Hieroboam conſpurcans, Beth Auen (id eſt, domum iniquitatis) fecit. Sed & Iacob Gen. 28. cum in monte Morija, id eſt; reuerentiæ ſeu cultus Dei, vel vt alij volunt, viſionis, in quo poſtea templum Salomonis ædificatum eſt, dormiſſet, erecto lapide dixit: Hic lapis vocabitur domus Dei.

Domus ſeu templum Dei.

Quare myſticas interpretationes interim differens, volo Domum & templum Dei omnino locum corporalem intelligere, ſcilicet eum, in quo conuenitur ad colendum Deum, & audiendum verbum eius, Qualis fuit ille, in quo Cain & Habel, obtulerunt & verbum Dei audierunt, Qualia fuerunt poſtea omnium Patrum, Nohæ, Abrahæ, Iſaac, Iacob, Hiob, altaria in diuerſis locis, Donec ad Moſi tabernaculum & templum Salomonis ventum eſt, & nunc in plurimas eaſdemq; magnificas Eccleſiarum fabricas. Sicut enim verbum Dei nunquam deſiit in mundo, ita nec cultus Dei. Ideo in omni ſeculo opus eſt, vt loca fuiſſe concedamus, in quibus res diuinæ fierent, quæ

temporum ſucceſſu in eam quam videmus gloriam & multitudinis & magni-
Iacob Gen. 35. tudinis ereuerunt. Quid enim aliud egit Iacob Gen. 35. quando oblaturus præ
cepit, vt idola tollerent, niſi quod noſtro ritu prædicauit verbum Dei?

Cum ergo in cultu Dei maxime regnet tum hypocriſis, tum falſa doctri-
na (cum ſemper optima ſimulet & contaminet) ita, vt & in duobus primis fratri-
Cain. Habel. bus Cain & Habel pugnarint ſyncera pietas, & ſpecioſa hypocriſis. Ideo Pſal-
mus iſte contra hanc impietatis pietatem falſam, ac eius doctrinam, in cultu
Dei, qui mane agitur, maxime pugnat. Quid enim ſyncere agat cum homini-
bus in operibus inferioribus, qui in ſublimi iſto & primo opere, Dei cultu,
peruerſe & impie agit? vbi & ſpecies tanto nocentior eſt, quo ſpecioſior & præ
Falſa religio. ſtantiori opere ſimilior eſt. Breuiter, nihil periculoſius in mundo falſa religio-
ne ſeu idolatria. Hæc enim fons eſt malorum, ſub nomine totius bonitatis.

Domus Dei. Eſt ergo domus Dei & templum, cuiq; ſeculo & quibuslibet hominibus
Vere habitat Deus, vbi vere colitur. pijs ſuus locus, in quo Deus colitur. Nam ibi vere habitare dicetur, vbi vere co-
litur, præſertim communi conuentu fidelium ſuorum. Quare nec propter
magnitudinem vel precij vel ſpacij, vel ædificij, vel multitudinem populi, vnus
locus plus altero Dei domus, vel templum dicetur. Sed (vt dixi) propter con-
uentum multorum ad orandum, ad ſeruiendum Deo, & verbum eius audien-
dum. Iuxta illud Pſal. 102. In conueniendo populos in vnum & Reges, vt ſer- *Pſal. 102.*
uiant Domino. Ita & locus propter populum (qui vere eſt domus Dei) domus
Dei vocetur, & non populus, propter locum.

Dominatur vero mirum in modum potens ſuperſtitio in templis huiusmo-
Superſtitio in templis. di ædificandis, ſacrandis, ſeruandis per orbem, in quibus non tam curatur, vt
pia ſit eius loci plebs, & ſyncerus cultus, ac purum verbum Dei, quam quo
modo, ditione, diuitijs, ſplendore, pompa, ſumptu ædificij, & id genus mun-
danarum vanitatum ſuperbiant, & (vt cum Pſalmo iſto breuiter dicam) quod-
libet potius agitur (proh dolor) in locis cultus diuini, quam vt in multitudine
miſericordiæ Dei intretur, & adoretur in timore Dei, aut intrari & adorari do-
ceatur, cum in has res ſolas inſtituantur. Vnde non mirum, quod ſæpius ful-
Crebrius templa fulmine feriuntur. mine feriantur, quam domus prophanæ, quod nulla loca pateant fœdioribus
abuſionibus, iniquitatibus, ſimulationibus, quam hæc, quæ ſynceriſſimis & pla-
ne diuinis duntaxat officijs dicata ſunt. Vt enim in cæteris mala fiant, nomen
Dei tamen non perinde polluitur, quod in his non inuocatum eſt. At in ſacris
locis, ſemper duplex malum eſt, quidquid etiam ſimplex alibi eſt.

Domine, deduc me in iuſticia tua, propter inimicos meos, dirige in conſpectu tuo viam meam.

EBræus ſic habet apud Hieronymum, Domine, deduc me in iu-
ſticia tua, propter inſidiatores meos dirige ante faciem meam viam tuam.
Dixi, ab initio mundi ſemper fuiſſe & falſos operarios & mendaces magi-
ſtros, ſicut & Petrus docet 2. Pet. 2. Ideo nunquam mundus caruit falſa reli- *2. Pet. 2.*
gione & idolatria. Hos vocat inſidiatores, quia reuera nihil inſidioſius hac ne-
quitia Serpentis, de qua multum Apoſtolus Corinthijs timuit ſcribens, Timeo
ne, ſicut Heuam ſerpens corrupit, ita & ſenſus quoq; veſtri corrumpantur à
ſimplicitate, quæ eſt in Chriſto Ieſu.

Dictio ebræa, ſchoretai, inimicos quidem ſignificare poteſt, vt noſtra
habet translatio, ſed proprie, qui mala arte machinantur malum, hoc eſt, per
inſidias, ſub ſpecie ſcilicet bona, quos Apoſtolus phrenapatas, id eſt, decepto-
Deceptores mentium. Tit. 1. res mentium vocat, Eos puto, qui falſis opinionibus imbuunt hominem, præ-
ſertim in ijs, quæ ad Deum pertinent. Et hæc ſignificatio mire alludit ad ſco-
pum

pum huius Pſalmi,quod pijs ac ſynceris hominibus nulla ſit peſtis æque metuenda,ac ſubdola Machina falſæ religionis & eruditionis, ita, vt oratione ſola eam curare moneat hic verſus.Hic eſt enim ſerpens, qui inſidiatur calcaneo noſtro.vt viam puræ pietatis nobis deprauet,Quare non inepte transferretur, propter ſeductores,deprauatores,corruptores meos.

IVſticiam Dei(quam infra ſæpius habebimus) oportet vt aſſueſcamus vere canonica ſignificatione,intelligere non eam,qua Deus iuſtus eſt ipſe,qua & impios damnat,vt vulgatiſſime accipitur,Sed vt beatus Auguſtinus de ſpiritu & litera dicit,qua induit hominem, dum eum iuſtificat, ipſam *Iuſticia D[illegible] eſt ipſa miſericordia & gratia Dei iuſtificans &c.*
ſcilicet,miſericordiam,ſeu gratiam iuſtificantem,qua apud Deum iuſti reputa-
Rom. 1. mur.De qua Apoſtolus Rom.1.Iuſticia Dei reuelatur in Euangelio,ſicut ſcri-
Rom. 3. ptum eſt,Iuſtus ex fide viuit.Et Rom.3.Nunc autem ſine lege manifeſtata eſt iuſticia Dei,teſtificata per legem & Prophetas.

Vocatur autem iuſtitia Dei & noſtra,quod illius gratia nobis donata ſit, *Iuſticia Dei.* ſicut opus Dei,quod in nobis operatur,ſicut verbum Dei,quod in nobis loqui-
Pſal. 31. tur,ſicut virtutes Dei,quas in nobis operatur,& multa alia.Sicut Pſal.31.In iu-
Rom. 10. ſticia tua libera me.Et Ro.10.Ignorantes iuſticiam Dei,& ſuam volentes con-
Pſal. 24. ſtituere,iuſticiæ Dei non ſunt ſubiecti. Vnde Pſal.24.non inepte tranſtulit, Hic accipiet benedictionem à Domino,& miſericordiam à Deo ſalutari ſuo, cum pro miſericordia,Ebræus iuſticiã habeat,quod benedictio Dei,& iuſticia Dei ſint idem,ſcilicet ipſa miſericordia & gratia Dei nobis collata in Chriſto. *Benedictio Dei & iuſticia Dei idem ſunt.*

Atq; hic tropus loquendi de Iuſticia Dei,quia alius eſt ab vſitato humanæ locutionis modo,multas multis difficultates peperit. Quanquam non ſit penitus reijciendum,iuſticiam Dei etiam tropo iam dicto,eſſe Iuſticiam,qua Deus iuſtus eſt,vt eadem Iuſticia Deus & nos iuſti ſimus,ſicut eodem verbo,Deus facit & nos ſumus,quod ipſe eſt,vt in ipſo ſimus,& ſuum eſſe noſtrum eſſe ſit. Sed hæc ſubilmiora,quam locus nunc patiatur,& alio ſenſu dicta, quam ipſi ſentiunt,etſi vtilia & neceſſaria,pro alio tamen tempore dicenda.

ILlud quoq; aptiſsime dictum,quod Ebræus,Ante faciem meam viam tuam,vbi nos,In conſpectu tuo viam meam, habemus, prorſus contraria ſententia.Et Ebræus,cum parte præcedente,velut tautologice conſentit,quod iuſticia tua & via tua idem ferme ſint,Via enim Dei,eſt iuſticia Dei in qua viuendum & ambulandum eſt,non in via noſtra,aut iuſticia noſtra Hæc *In via Dei nobis ambulandum, non noſtra.*
Pſal. 1. via Dei eſt & via iuſtorum,de qua Pſal.1.dictum eſt: Quoniam nouit Dominus viam iuſtorum,quam & Ioannes Baptiſta voluit,quando dixit: Præparate viam Domini.Eſt autem via Dei,quia ſicut dicit, Leuit.26.ambulat in nobis, *Via Dei.* hoc eſt,operatur in nobis,viuit in nobis,loquitur in nobis,Non enim vos eſtis, inquit,qui loquimini. Non tamen falſo dicit noſtra tranſlatio, viam meam, quia operante Deo in nobis,& nos operari recte dicimur,quanquam hoc operari magis ſit rapi,duci & pati operatorem Deum, ſicut hic verſus indicat,dicens:Deduc me,dirige viam tuam,quo ſignificat ſe non ex ſe agere,ſed à Deo duci & agi.

Nec illa pugnant ſibi,ante faciem meam & in conſpectu tuo. Vtrumq; n. tropus eſt ſacræ linguæ vſitatus,quod omnia in conſpectu Dei, tanquam præſente Deo, & in lumine vultus eius agenda ſunt à nobis,quod non eſt noſtri arbitrij,nec noſtræ iuſticiæ,ſed diuinæ gratiæ officium.Et ſic hoc verbo noſtra tranſlatio oſtendit viam meam,intelligi,viam Dei.Quod Ebræus oſtendit per viam tuam. Rurſus,per faciem meam,oſtendit Ebræus,viã Dei eſſe noſtram, quod noſter oſtendit per viam meam,quod noſtrum ſit, faciem ad viam Dei vertere,& viam noſtram in conſpectu Dei ambulare.Eadem ergo eſt:Via Dei ante faciem noſtram,& via noſtra ante faciem Dei,vtrunq; ſimul fieri neceſſe eſt.

Peruerſitas impiorum. Accuſat autem impios hic tropus, & peruerſitatem eorum percutit, vt qui
verſa in ſuam viam facie ſua, & verſo ad viam Dei dorſo ſuo incedant. Sicut
Leuit. 26. dicit: Si ambulaueritis contra me, incedam & ego aduerſum vos in *Leui. 26.*
furore contrario &c. Viam ſuam ſuaq; opera conſiderant & ſequuntur, viam
Dei & opera Dei negligunt, vt Iſa. 2. Opus manuum ſuarum adorauerunt, *Iſa. 2. 5.*
quod fecerunt digiti eorum. Item 5. Et opus Domini non reſpicitis, nec opera
Via crucis & vita fidei. manuum eius conſideratis. Hoc totum (vt ſæpe diximus) fit, quia viam crucis
& vitam fidei, quæ cogit eos ponere quod ſunt & ſapiunt, exhorrent, colentes
fruſtra Deum, mandatis & doctrina hominum, vt idem Iſaias dicit, 29. & *Iſa. 29.*
Matt. 15. repetitur. *Matt. 15.*

Dirigere. Verbum dirigere, in Scriptura celeberrimum eſt, in quo commendatur
rectitudo ſeu directio cordis, vt Pſal. 119. Confitebor tibi in directione cordis. *Pſal. 119.*
Et Pſal. 73. Quam bonus Deus Iſrael, ijs, qui recto ſunt corde, Et Cant. 1. Recti *Pſal. 73.*
diligunt te. Adeo, vt etiam abſolute quandoq; ponatur directio. Sicut Pſal. 99. *Cant. 1.* *Pſal. 99.*
Tu paraſti directiones, id eſt, tu ſolus feciſti rectitudines, quidquid vſquam re-
cti cordis eſt, tui muneris eſt, Hi enim ſoli diligunt Deum, & placent. Eſt au-
Rectitudo cordis. tem hæc rectitudo, ſana opinio, & ſenſus de Deo. Cui contraria eſt prauitas
Prauitas cordis. cordis, quam iam ſæpius diximus eſſe, mentem cordis ſuperborum, conſilium
impiorum, ſapientiam carnis, & id genus ſimilia. Vocaturq; rectum cor, quod
Rectum cor. non quærit quæ ſua ſunt, ſed quæ Dei, & ſimplici oculo directoq; proſpectu in
voluntatem Dei figitur, hanc per omnia & proſpera & aduerſa obſeruat ſo-
lam, nec aliud noſſe vult aut obſeruare.

Prauum cor. Prauum autem cor, quod quærit quæ ſua ſunt, ad ſe ipſum intentum, ocu-
lo duplici videns, ſimulans ſeſe Dei voluntatem quærere, cum reuera in hoc
ipſo quærat ſuam. Quæ prauitas tam alte inhæret vitioſæ naturæ, vt ſoli Deo ſit
perſcrutabilis. Iere. 17. Prauum eſt cor hominis & inſcrutabile, quis ſcrutabitur *Iere. 17.*
illud? Ego Dominus ſcrutans renes & corda. In hanc prauitatem ſeſe abduci
timens Propheta pro hæreditatibus orat, vt dirigatur via Dei ante faciem eius,
id eſt, vt in rectitudine cordis perſeueranter ambulet & viuat ſemper, quod
ſit pura & plena fide ſpiritus.

Igitur contra impios & iniquitatis operarios, qui derelicta obedientia Dei,
Via & iuſticia Dei. ſuis operibus Deum colunt, ponit iuſticiã Dei & viam Dei, id eſt, obedientiam
Dei, in qua ſe velut ouem duci & dirigi petit propter inimicos inſidiatores,
ſubdolos & nocentiſſimos deprauatores hæreditatum Dei, Atqui id maxime in
primo omnium opere, quod latriæ vocant, quo nullum magis patet impijs
Latria expoſita eſt multis erroribus. abuſionibus, ſuperſtitionibus, hæreſibus, hypocriſi, mendacio & vanitati, quo-
rum omnium nequitia eſt, ſeſe optimi operis ſpecie veſtire & vendere, ita, vt
ſatis inculcari nequeat iſta cautela.

Quoniam non eſt in ore eorum veritas, cor eorum vanum eſt, Se-
pulchrum patens eſt guttur eorum, linguis ſuis doloſe agebant.

SIc habet in Ebræo diſtinctio verſus, qui apud nos in duos pene
diuiſus eſt. Hieronymus ſic. Quoniam non eſt in ore eorum rectum, interi-
ora eorum inſidiæ, Sepulchrum patens guttur eorum, linguam ſuam leuifi-
cant. Atq; omnia quidem recte, niſi quod inſidias, rectius putant vanitates
ebraice dici, quod parum refert.

Claret autem loqui Prophetam de verbo doctrinæ eorum, quod accuſat,
Doctrina impiorum Magiſtrorũ. primum mendacij, deinde vanitatis, tertio nocentiæ, quarto fallaciæ, qua faci-
unt, vt ſpecie bona veſtitum ſit inſanabiliter noxium. Aperta autem & plana
ſunt omnia ex prædictis.

Mendaces, inquit, hi Magiſtri prompti omnes docere, os habent, & lo-
quuntur, ſed (vt 2. Timot. 3. dicitur) non intelligunt, neq; quæ loquuntur, neq;
de quibus

de quibus affirmant, id eſt, neq; verba, neq; rem intelligunt. Ideo non eſt in
ore eorum rectum, etſi videantur omnium rectiſſima & veriſſima docere. De- *Non eſt in ore eorum rectum.*
niq; ſicut Iannes & Mambres reſtiterunt Moſi, ita & hi reſiſtunt veritati 2. Ti- *Iannes.*
mot. 3. Auſi cum omnibus contendere, etiam perſequi alios meliora ſapien- *Mambres.*
Hiob. 42. tes. Eadem ſententia dicitur Hiob. 42. Non enim locuti eſtis rectum coram me, *2. Tim. 3.*
ſicut ſeruus meus Hiob.

Quod autem non loquuntur rectum, ſeu verum, in cauſa eſt, quod ope-
rantur iniquitatem & prauitatem, hoc eſt, in omni ſua doctrina id agunt, vt ho-
mo quærat, quæ ſua ſunt, ſuis meritis & operibus fidat. Aut ſaltem hoc malum
non tollunt, neq; dedocent, neq; redigunt hominem ad nihilum, vt ſtultus fie-
ret, atq; peccatorem ſe agnoſceret. Ita fit, vt cum adorandus ſit Deus in timore,
Pſal. 2. & (vt Pſal. 2 dictum eſt) ſeruiendum ei in timore, exultandum cum tremore, in
multitudine miſericordiæ Dei omne opus (vt vocant) latriæ perficiendum, illi
reddant ſecuros & præſumptores de operibus ſuis.

Hoc enim agunt & tres illi amici Hiob, per totum contentionis ſuæ con- *Amici Hiob reprehenſi.*
textum, nihil de miſericordia Dei (quam Hiob vnice extollit cum timore iu-
diciorum eius) ſed tantum de iuſtitia, bonos exaltante, & malos damnante, di-
ſputantes. Quare recte à Deo reprehenduntur, tanquam non rectum locuti,
Cum verum ſit, neminem apud Deum iuſtum inueniri in ſuis operibus, quan-
tumuis magnis & multis. Rurſum tamen certum eſt, iuſtum eſſe quicunq; in *Iuſtus coram Deo.*
eum (etiam ſine operibus) confiſus fuerit. Qua fiducia ſecurus eſt omnia ſua
placere Deo, & nihil ſeſe peccare ac peccaſſe, in quo verbo Hiob, tanquam bla-
ſphemum, criminabantur Amici ſui, ex plagis ei illata definientes eum omni-
no peccaſſe & meruiſſe iram Dei, quam rurſus bonis meritis poſſet auertere.

AT dices, Quid faciam, quando tam eximias loquuntur ſen-
tentias, ac tā rectas ac veras, vt nulla ratione poſſint improbari, ſicut ami-
ci Hiob, Deniq; cum ipſa verba Dei loquantur è media Scriptura.

Reſpondeo. De his potiſſimum loquitur, qui verbum Dei adulterant. Hoc
enim velamen nequitiæ reuelat, cum dicit, Interiora eorum inſidiæ, ſeu vani- *Non ſtatim ſinendum allegant verbum Dei.*
tates. Ac ſi dicat, Specioſa ſunt verba, & ſancta, & vera, Sed non vere aptantur,
ad falſam intelligentiam aſſumuntur. Vnde Iere. 5. Circuite vias Ieruſalem, &
aſpicite & conſiderate, & quærite in plateis eius, an inueniatis virum facien-
tem iudicium & quærentem fidem, & propitius ero eis. Quod ſi etiam, viuit
Dominus, dixerint, & hoc falſo iurabunt. Idem, Qui habet ſermonem meum,
narret ſermonem meum vere. Quid hoc aliud eſt, quam ſermonem ipſius Dei
& vere & vane dici poſſe?

Ideo in ſpecie quidem recte videntur docere, ſed interiora vana ſunt, &
cor eorum vanum eſt. Non enim id ſapiunt, quod vere verba docent, ſed id
volunt verbis videri ſignificari, quod ipſi ſapiunt. Ita veritas operculum fit
mendacij & veritatis. Et ſatis apte hac oratione (*interiora eorum vanitates*) ex- *Veritas ſæpe fit operculum mendacij.*
primit doctrinæ hypocritarum vim, quod aliud foris ſimulent, aliud intus
alant, ſimulant pietatem, & alunt impietatem. Hic eſt angelus Satanæ in ange- *Vis doctrinæ hypocritarum.*
lum lucis transformatus, Hæc aſtutia Serpentis oſtentans diuinitatem obtinen-
dam, Hæc religio Angelorum, de qua Apoſtolus ad Col. 2. Nec abſurde & hi
dicunt, qui idem vocabulum, hauoth, non inſidias tantum ac vanitates, ſed eti- *Hauoth.*
am peruerſitates ſignificare dicunt, quia reuera peruerſores ſunt verborum
Dei, vt Iere. 23. Peruertiſtis verba Dei viuentis Domini exercituum, qua per-
uerſitate & ſibijpſis vani fiunt, veritati & alijs inſidioſi, iuxta Paulum 2. Tim. 3.
falſi & fallentes proficiunt in peius.

Hæc peruerſitas olim figurata eſt in omnibus idolis ac ſculptilibus & con-
flatilibus, Quod non obſcure indicauit Moſes Exod. 32. vbi deſcripturus for-
mationem aurei Vituli, dicit, Aaron ex inauribus mulierem ſumptis, finxiſſe

Vitulus conflatilis, Exod 32.
In aures filiarum Iſrael.

ſeu formaſſe opere fuſorio,& feciſſe Vitulum conflatilem, Vbi in Ebræo pro opere fuſorio, ſtylo habetur. Quod videlicet futurum erat, vt verba Dei, quæ ſunt in aures filiarum Iſrael, animarum credentium, vnicū ornamentum noſtrum, mutarent in formas intelligendi ad ſuum ſenſum impij Doctores,& inuicem populi quærerent Magiſtros prurientes auribus, & rectores ad fabulas (vt Apoſtolus ait) conuerterentur. Nam & Iere. 8. Moſen ferme interpretans dicit: Vere mendacium operatus eſt ſtylus mendax ſcribarum. Idem Cap. 9. & Iſaias 44. longo ſermone de formatione Idoli loquuntur. Sed & apud Eze. 16. Ieruſalem arguitur, quod ornamenta aurea & argentea Domini, ſibi data, tulerit & fecerit ſibi imagines maſculinas,& fornicata ſit cum eis. *1. Tim. 4.* *Iere. 8. 9.* *Eſa. 44.* *Ezech. 16*

Horrenda Hypocriſis noſtra ætate regnans.

Verum hæc omnia iocus prope ſunt, ſi ad noſtra ſecula rem compares, vbi nihil æque iactatur, atq; cultus Dei & Eccleſia, Domus Dei, cum interea nemo minus colat Deum, quam qui tot ritibus, tot inuentis nouis operibus, alij diſcordiam alunt, alij gloriam quærunt, alij quæſtum venantur,& omnino ea, quæ noſtra ſunt, quærimus. Quibus tamen omnibus prætexuntur verba Dei, vbi docent orandum eſſe, bonumq; operandum,& ſimilia. Aut quod malum, quod monſtrum, quod portentum hodie non velatur nomine tremendo Dei & S. Petri & Pauli & Eccleſiæ? cum (vt alia taceam) & religioſæ præ cæteris factiones, non niſi ad inuidiam mutuam,& ſaturandum ventrem religioſæ ſint, quæ hunc tamen & ſimiles Pſalmos quotidie pro aliorum ſalute emurmurant, fronte ſcilicet ærea fortiſſime armati, ne ſentiant, quanto æſtu verba Prophetæ contra ſeipſos ſui emurmuratores ſonent.

In religioſos noſtros.

Sepulchrum patens eſt guttur eorum.

Magiſtri impietatis auari & deuoratores populi ſunt.

NOn eſt dubium, quin his verbis, mira auxeſi poſitis, voracitatem inexplebilem ſignificet, Non contentus, quod guttur eorum ſepulchro compararit, quod per ſe omnes deuorat, ſed patenti & ad deuorandum inſatiabiliter parato. Tribuit autem his impietatis Magiſtris Scriptura ſancta præ cæteris auaritiam & deuorationem populi, vt Chriſtus Luc. 22. dicit. Scribas deuorare domus viduarum, orantes orationem longam. Et Mich. 3. Qui comederunt carnem populi mei, & pellem eorum deſuper excoriauerunt,& oſſa eorum confregerunt,& conciderunt ſicut in lebete,& quaſi carnem in medio ollæ. Et paulo infra: Hæc dicit Dominus Deus ſuper Prophetas, qui ſeducunt populum meum, qui mordent dentibus,& prædicant pacem. Et ſi quis non dederit in ore eorum quippiam, ſanctificant ſuper eum prælium. Item Amos 4. Audite hoc verbum, vaccæ pingues, qui eſtis in monte Samariæ, quæ calumniam facitis egenis,& confringitis pauperem, quæ dicitis dominis veſtris, Afferte & bibemus. *Luc. 22.* *Mich. 3.* *Amos. 4.*

In impios Doctores nimium vere.

Sed copioſius Iſaias 56. Speculatores eius cæci omnes, neſcierunt vniuerſi, canes muti, non valentes latrare, videntes vana, dormientes & amantes ſomnia,& canes impudentiſſimi, neſcierunt ſaturitatem. Ipſi Paſtores ignorauerunt intelligentiam, omnes in viam ſuam declinauerunt, vnusquisq; ad auaritiam à ſummo vſq; ad nouiſſimum, Venite ſumamus vinum,& impleamur ebrietate,& erit hodie ſicut cras,& multo amplius. *Iſa. 56.*

Auaritia, pompa, luxus Cleri &c

Hæc ſi conſideres rectores Eccleſiaſticos hodie,& eos, qui docere videntur populos, non indigebunt gloſa. Quid enim attinet Romanorum & omnium Pontificum, Sacerdotum, Religioſorum auaritiam, incredibilem ingluuiem, pompam & luxum plus quam mundanum recenſere, cum ſua ipſorum impudentia, ſeſe fabulam vulgi & exemplum quotidie his rebus faciant? Vbi enim non auaritia Cleri vulgo cantata? Atq; hæc omnia eo titulo, quod populo Dei præſint, Nonne recte ſepulchrum patens guttur eorum dixerit? Qui omnibus, omnia rapientes, nec ſic expleti, ſicut hodie, ita & cras,& multo

amplius

amplius deuorare anhelant. Offendunt cum hæc dicuntur, & ſeditioſa, & au-
rium piarum offenſiua verba hæc ſunt, Verum offendebant etiam & ſeditioſa *Veritas offendebat etiam optimatos Synagogæ.*
erant, quando Prophetæ ea dicebant optimatibus Synagogæ, ita, vt tanquam
hæretici & rebelles Maioribus, cum ignominia occiderentur.

Idem Iſaias 5. Expectaui, vt faceret iudicium, & ecce iniquitas, & iuſti-
Iſa. 5. ciam, & ecce clamor. Væ qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro
copulatis vſq; ad terminũ loci. Nunquid habitabitis vos ſoli in medio terræ? In
auribus meis ſunt hæc, dicit Dominus. Item Amos 6. Væ vobis qui opulenti *Locus est 6. cap. Amos.*
Amos. 6. eſtis in Zion, & confiditis in monte Samariæ optimates, capita populorum in- *Calne.*
gredientes pompatice domum Iſrael? Tranſite ad Calne, & videte, & inde in *Emath.*
Emath magnam, & deſcendite in Geth paleſtinorum, & ad optima quæq; Re-
gna horum, ſi latior eſt terminus eorum termino veſtro, qui ſeparati eſtis in
malum diem, qui appropinquatis ſolio iniquitatis, qui dormitis in lectis ebur-
neis, & laſciuitis in ſtratis veſtris, qui commeditis agnum de grege & vitulos de
medio armenti, qui canitis ad vocem Pſalterij , bibentes vinum in phialis, &
optimo vnguento delibuti, & nihil patiebantur ſuper contritione Ioſeph.

Sed temperandum eſt mihi à pluribus adducendis, ne in ſacros Canones
peccaſſe videar, & cum Prophetis velle patrimonia Chriſti, & res Eccleſiæ con- *Veritatem loqui periculoſum eſt.*
temptis cenſuris, alienare, & illicitas temporales has poſſeſſiones Regnorum &
Prouinciarum aſſerere, Neq; enim ſatis tutus hic fuerim, vel omnibus Prophe-
tis & Apoſtolis ſtipatus à facie ſacratiſſimi iuris Pontificij, Satis eſt, quod hic
Propheta Amos, Ideo regna in circuitu Iſrael, licet ampla & ditiſſima, poſt-
Amos. 6. poſuerit diuitijs Sacerdotum & delicijs Seniorum plebis, & nobis interpretare-
tur, quod ſit guttur eorum, quod ſepulchrum patens appellatur, Quod hodie
potius os inferni dixeris, vt Iſaias. 5. dicit & animam inferni dilatatam abſq; ter-
Iſa. 5. mino. Adeo nouis ſemper artibus quæritur & modicum illud, reliquum po-
Pſal. 14. puli, quo vix viuit, cæteris omnibus iamdudum deuoratis. Et impletur illud
quoq; Pſal. 14. Qui deuorant plebem meam, ſicut eſcam panis.

Igitur hoc ſenſu, cum Doctores impij viam Dei non doceant, nec aliud
quærant, in Deo etiam, quam quæ ſua ſunt, Sequitur quod multo magis in ho- *De Doctoribus impij.*
Philip. 3. minibus quærant, quæ ſua ſunt, Ita vt cum fiducia Paulus Philip. 3. audeat eos
appellare canes. dicens. Videte canes, videte malos operarios, videte conciſio-
nem, Et infra, Quorum finis interitus, quorum Deus venter eſt. Sed ad Titum
Tit. 1. eoſdem appellat mendaces, malas beſtias, ventres pigros, vtrobiq; enim de
Doctoribus loquitur ſeductoribus.

Quare & Propheta ſancta indignatione eorum deteſtatus nequitiam fœ- *Ventri ſeruire quid ſit.*
do nomine eorum taxat concupiſcentiam, Ac ſi dicat: Quid enim iſti porci fa-
ciunt, impia ſua doctrina, qua perdunt animas, niſi quod ſuo ventri ſeruiunt,
dum per eam, populo decepto, rapiunt, congregant, augent, non niſi terrena
Tit. 1. ſine fine & modo inſaturabiles voratores? Deniq; ſicut Apoſtolus ad Titum
fœdiſſima tapinoſi eos ventres appellat, Ita & hic videtur eos guttur appellare.
Q. d. Vos roti guttur eſtis, & aliud nihil, idq; velut ſepulchrum patens, cum in *Guttur ſunt impij Doctores.*
aliud non incumbatis, quam vt voretis hominum ſubſtantias, Quo tropo di-
cimus, non malus, ſed malitia, & ſcelus pro ſcelerato, Ita venter pro ventris
ſtudioſo, guttur pro gutturis ſtudioſo, voracitas pro vorace, Alemanice Du
biſt ein rechter Fraſs.

Addiciſſem & aliam intelligentiã, Quod ideo appellentur gut- *Auguſtini ſententia ſuper his verbis, Sepulchrum patens eſt guttur eorum.*
tur, quod ſepulchrũ patens eſt, quia deuorent animas eorum, impio ver-
bo & opere in infernum, quam B. Auguſt. tractat, Sed videtur paulo re-
motior à ſenſu literali, Eam omitto, quo facilior quoq; ſit, quam hæc literalis,
præſertim quod ad contextum præcedentium & ſequentium pertinet, Tamen

alterius

alterius iudicio non præiudico. Igitur cum Popnlorum Magiſtri titulo iuſtiſſimo, ſicut Leuitæ, à populo metunt carnalia, dum ſeminant ſpiritualia, fit auaritia & ignorantia viæ Dei regnantibus, vt pro ſpiritualibus ſeminent impia dogmata, carnem ſapientia, quæ quia plus placent ſtulto vulgo, quam vere ſpiritualia, facile ſeducuntur, & interim illi carnalia eorum metunt, donec & fundos eorum abſnrbeant cum vniuerſa ſubſtantia: Vt ſic illi pro impio labore, Impiornm in hoc ſecnlo obtineant felicitatem, Hi vero pro impia pietate, & in corpore & anima duplici contritione conterantnr.

Cur guttur eorum magis ſepulchro compararit, quam alteri voracitati.

Nec vacat, quod guttur eorum magis ſepulchro compararit, quam vlli alteri voracitati. Forte quod ſola ſubſtantia rerum de impio miniſterio & titulo acquiſita, eius ſit infelicitatis, vt ad nullum vnquam pietatis vſum redeat, ſicut cadauera ſemel ſepulta ad vitam non reuertuntur: Non enim dicit, Scrinium patens, guttur eorum, Quaſi ſpes ſit recipiendi aliqnando, qnod illatum fuerit: Sed ſepulchrum in quod vbi intuleris qnippiam, non ſit ſpes vlla recipiendi.

Patrimonia Eccleſiæ quibus ſeruiant.

Nam habent ſane & hodie hanc gratiam, Chriſti & Eccleſiæ patrimonia, præſertim ampliora, vt ſcortis, mulionibus, & omnino infimæ feci mortalinm, ita ſeruiant etiam per Teſtamenta & ſucceſſiones, vt digna non ſint fidelibus Chriſti pauperibus obuenire: ſicut habent & prouerbia & experientia. Quare multa deuorare, & nemini fidelium Chriſti eadem communicare, hoc eſt, operariorum Auen, id eſt, martyrum Diaboli priuileginm. Hinc prouerbium quoq; venit, Quod vſu & contactu noceant res (vt vocant) ſpirituales, & conſumant omnes alias, quibus mixtæ fuerint, Quod alij pntant, quia tam ſacræ ſunt, & diuinis dicatæ, Alij vero quod tam execratæ, & velut Hiericho, in anathema poſitæ, ne vnquam ſeruiant cum rebus boni vſns ipſæ ſno priuatæ vſu.

Res ſpirituales omnes alias conſumunt.

Linguis ſuis blandiuntur.

Vltimo, Quod linguis ſuis doloſe agunt, linguas ſuas leuificant, ſeu vt Ebraus, Linguis ſuis adulantur & blandiuntur.

HOC ad præcedens pertinet. Non enim id negotij ſibi dari putant, populo vt proſint, quas docent pietatis ſententias, ſed vnlgo, vt placeant quas narrant impietatis fabulas. Id enim curant, ne populi aures offendant, vt ipſi pingues ſint & abundent, Suntq; de numero illorum, de quibus Iſa. 28. Loquimini nobis placentia, Et Paulus ad Timotheum, Accruabunt ſibi Magiſtros prurientes auribus. Et ad Rom. vltimo: Qui per dulces ſermones & ſuaues prædicationes corda ſeducunt innocentium, Hi enim non Chriſto Domino noſtro, ſed ſuo ventri ſeruiunt. itaq; veritatem hi non loquuntur, timore penuriæ ignobilis, Dicunt autem quæ vulgns libenter audit, ſpe abundantiæ, atque ita fiunt ſepulchrum patens.

Iſa. 28. *1. Tim. 4.* *Rom. vlt.*

Has leues, blandas, ſed doloſas (vt noſtra habet translatio) linguas, omni veneno aſpidnm nocentiores & peſtilentiores, hoc verbo percutit. Siquidem veritas aſpera eſt, verbnm crucis horridius, quam ſit Iohannis Baptiſtæ Camelus, non enim mollibus veſtitur vox clamantis in deſerto impietatis, Ideo neceſſe eſt verbi Dei nuncium aut panperem eſſe, aut non diu diuitem manere. Atq; hinc nata eſt vna hodie omnium excuſatio, qua ſe excuſant, Quod non docent & dicunt veritatem, Nempe, quod hinc ſit ſecutura ruina Eccleſiæ, monaſterij & patrimoniorum Chriſti, & non parum gutturi & ventri detrahendum. Quare vt guttur maneat, & ſit eo patentius ſepulchrum, leuificanda eſt lingua, blandiendum eſt vulgn, cnnniuendum vitijs, tnm, ſi ſunt Maiores, etiam vitia pro virtutibus iactanda. Quidquid dixerint, fecerint, non fecerint, vt diuina oracula habenda, Contraria vero omnia hæretica, & impia arguenda, perſequenda, Tunc enim tutnm erit guttur, ſatis ſecurus venter tum non excommunicaberis, nec Præbenda priuaberis. Quin ſi amplins linguam leuificaueris, & blandius adulatus fueris, dilata guttur tuum, erit patentius

Veritas aſpera eſt. *Luc. 15.*

Verbi Dei nuncius aut pauper, aut non diu diues.

In adulatores placentia loquentes.

tius ſepulchrum, & venter tuus diſtendetur, obrueris beneficijs & donis, ornaberis laudibus. Aurei erunt tui ſermones, digni cedro tui libelli, & quidquid calcaueris roſa fiet.

His adulatoribus mundum eſſe hodie refertum, credo cuiuis expoſitum eſſe, quando & religioſi ipſi in hoc linguæ leuificandæ ſtudium toti æſtuant. Ita fit, quod Ezechiel dicit cap. 13. Væ qui conſuunt puluillos ſub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia ſub capite vniuerſæ ætatis, ad capiendas animas. Et cum caperent animas populi mei, viuificabant animas eorum, & violabant me (id eſt, veritatem, falſam de me opinionem docendo) ad populum meum propter pugillum ordei & fragmen panis, vt interficerent animas, quæ non moriuntur, & viuificarent animas, quæ non viuunt, mentientes populo meo, credenti mendacijs. *Locus ex cap. Ezech. 13.*

Quæ ſententia pulcherrima, quid velit, & quomodo hunc locum totum exponat, ſequitur, Dirumpam ceruicalia veſtra (id eſt, plandos ſermones & χρηστολογίας, vt Apoſtolus vocat) & liberabo populum meum de manu veſtra, neq; erunt in manibus veſtris ad prædandum. Ecce guttur & pugillum ordei &c. Sequitur vero, Propterea quod feciſtis mœrere cor iuſti mendaciter (oportet enim adulatorem non modo falſa impios docere, ſed etiam vere iuſti dogmata perſequi, alioqui guttur eius cito claudetur) quem ego non contriſtaui, & confortaſtis manus impij, & non reuerteretur à via ſua mala, vt viueret. Propterea vana non videbitis, & diuinationes amplius non diuinabitis &c. Patet ergo, noſtrum Translatorem, doloſam linguam intelligere, adulatricem & blandientem linguam, quæ pro terrenis his rebus, impia impios docet, & pia piorum perſequitur, Ideo in ore eorum non rectum, & interiora vana, peruerſa, inſidioſa, Sic patet ſenſus huius verſus. *Rom. 16.* *Doloſa lingua.*

Diſplicet mihi ipſi prolixa iſt mea verboſitas, & incompoſita ſaliua, quod tot verbis inculco breuiſſima verba ſpiritus. Verum quando conſidero me non doctis, nec acutis, nec ingenioſis ſcribere, ſed ſimplicibus & vulgaribus maxime Clericis, videor mihi nimio adhuc breuis & parcus eſſe, præſertim in his rebus, quæ vt ſumme ſunt neceſſariæ ſcitu, ita ſuperſtitionibus & idolatrijs per orbem oppreſſæ, cordibusq; hominum iam longo vſu alienæ, Vt mihi opus videatur eſſe continuis Tonitruorum vocibus, quibus terreſtris homo concutiatur, & expergiſcatur. Quare delicatus Lector aut hæc non ſibi ſcripta nouerit, aut memor ſit, ſe patientiam debere infirmioribus & rudioribus, ſinatq; me (exemplo Iacob Patriarchæ, Gen. 33.) cum turmis paruulorum & ouium & boum paulatim eorum veſtigia ſequi, ſicut video eos poſſe, Ne ſi plus eos ambulando laborare fecero, moriantur vna die cuncti greges &c. *Excuſatio autoris & excurſuum ratio.* *Gen. 33.* *Iacob.*

Iudica illos Deus, decidant à cogitationibus ſuis, ſecundum multitudinem impietatum eorum expelle eos, quoniam irritauerunt te Domine.

PRior particula huius verſus apud nos ad præcedentem nectitur, nec ad ſenſum hoc multum facit. Propheta impios hypocritas & operarios iniquitatis, hucusq; deſcriptos & accuſatos, iam petit tales decerni iudicio diuino, quod iudicio hominum probentur, excuſentur, & defendantur, tanquam iuſti & veraces, nec poſſit eis hoc nomen auferri, Quaſi cum Iere. 5. dicat, Stupor & mirabilia facta ſunt in terra, Prophetæ prophetabant mendacium, & ſacerdotes adplaudebant manibus ſuis, & populus meus dilexit talia. Quid igitur fiet in nouiſſimo eius? Quis enim reſiſtere poſſit ijs, qui ſuffragio & vulgi & malorum tuti ſunt? At ſic habent impij operarij aduerſus vnicum veritatis Præconem, Ideo neceſſe eſt eum multas ſcandaloſas, ſeditioſas, *Iere 5.*

offenſiuas piarum aurium, erroneas & hæreticas Propoſitiones proferre damnandas tam ſacerdotum & principum, quam populi iudicio. Ipſe interim quid? Vnum hoc, quod orat Deum pro ſententia, ei cauſam commendans.

Ebræum verbum, quod iudica illos, verſum eſt, Hieronymus vertit Condemna eos, ſignificat proprie hoc iudicium, quo oſtenduntur quales ſint, reuelata eorum impietate. Quo ſenſu & Paulus loquitur 2. Tim. 3. Inſipientia eorum manifeſta erit omnibus, ſicut & illorum fuit, vltra non proficient. Q. d. Propheta, Fac, vt ſicut modo omnibus probantur, amantur, iactantur, Ita, reuelata eorum inſipientia, odiantur, eijciantur, deteſtentur. Vt homines videant ſeſe probaſſe male, quod tu damnaſti. Hoc enim vidimus & videmus in omnibus Hæreticis obtigiſſe, vt primum quidem hominibus placuerint, Sed poſtea diſſipata ſunt oſſa eorum (vt Pſal. 53. dicitur) Confuſi ſunt, quoniam Deus ſpreuit eos. Interim ferenda eſt eorum gloria & iactantia, & plauſus & pompa. Ego vero (vt Iere. 20.) interim factus ſum in deriſum tota die, omnes ſubſannabant me, quia iam olim loquor vociferans iniquitatem, & vaſtitatem clamo. Et factus eſt mihi ſermo Domini in opprobrium, & in deriſum tota die &c. Non ergo tantum ad extremum iudicium hæc pertinent, ſed eſt oratio, vt veritas triumphet iudicante Deo, quam illi opprimunt iudicante humano die. Iudica tu Deus, quia male iudicant homines.

2. Tim. 3. *Contra Hæreticos, primum hominibus probatos, ſed poſtea damnatos.* *Pſal. 53.* *Nota.*

DEcidant à cogitationibus ſuis. Cogitationes, hoc loco eadem dictio eſt, quæ Pſalmo 1. conſilia impiorum ſignificauit. Quare non ſimplices cogitationes, Sed, vt ibi & iam ſatis dictum eſt, impias opiniones, ſenſus, mentes, dictamina rationis, de Deo, diuiniſq; operibus & verbis, humanitus inuentas, & doctrina alijs traditas, intelligimus. Vnde tapinoſis eſt in vtroque, In cogitationibus & in ſuis. Suæ ſunt, non Dei cogitationes, iuxta illud Iſa. 55. Non enim cogitationes meæ cogitationes veſtræ, nec viæ meæ viæ veſtræ. Quoniam ſicut exaltantur cœli à terra, ſic exaltatæ ſunt viæ meæ à vijs veſtris, & cogitationes meæ à cogitationibus veſtris. Quid his verbis indicat, niſi cogitationes hominum, quantumlibet ſanctas, eſſe terrenas, vanas & mendaces, iuxta illud Pſal. 94. Deus ſcit cogitationes hominum, quoniã vanæ ſunt.

Ita cogitationes appellat tapinoſicῶs, tanquam vagos, inſtabiles animi motus (hoc enim eſt cogitatio) quæ illis videntur ſtabiliora & perenniora Decreta, marinis rupibus. Sed & Apoſtolus Ebræ. 13. monet, Ne varijs & peregrinis doctrinis abducantur. Et Epheſ. 4. Ne omni vento doctrinæ circumferamur, has vagas muſcas, Aegypti plaga ſatis ſignificat, Chriſtus quoq; Iohannis doctrinã ob idem negauit arundinem eſſe, quæ vento agitetur. Matth. 11. Noſtra autẽ fidei doctrina, firma petra, rupes, ſaxum eſt, irridens tam ventos quam fluctus maris totius in æternum, ideo & iuſticia eius in ſeculum ſeculi.

Ebræ. 13. *Epheſ. 4.* *Doctrina fidei.* *Matt. 11.*

VErum quid hoc, quod non cogitationes, ſed ipſos cadere optat? Beatus Auguſtinus arbitratur hunc verſum eſſe prophetantis, non orantis, ſicut, ſi orantis eſt, orat, vt bene cadant, & mutentur ad ſanas Dei cogitationes. Et placet eius ſententia. Verum tropus iſte hypallagicus adhuc vrget, qui mihi videtur eſſe ſimilis ſententiæ cum illo Pſal. 81. Diuertit ab oneribus dorſum eius. Quod videlicet in mundo, vbi regnant Principes tenebrarum, fruſtra quiſquam moliatur, ne ſint impiæ doctrinæ & cogitationes, cum neceſſe ſit venire ſcandala? Verum id curandum, vt nos à doctrinis & cogitationibus ipſis auertamur, quæ nobis pertinaciter nituntur adhærere, & adeo non cadunt à nobis vnquam, vt aſſidue etiam irruant in nos, & obſtinatiſſime impugnent.

Quæ ſi ita ſunt, apparet eos, qui nullas volunt reliquas hæreſes, errores, impietates exiſtere, aliud nihil conari, quam vt exuſtis Hæreticis

ipſi

Digitized by Google

ipſi ſoli ſint libere Hæretici, Pugnam enim, non otium nobis indicat hic verſus contra cogitationes hominum, dum non ipſas, ſed homines ab eis cadere precatur. Glutino enim omnium tenaciſſimo & fornicantiſſimo amore ſibi adhærent, cor humanum & ſuum conſilium, ita vt magna & vi & opera etiam gratia Dei opus ſit. Cadere autem potius quam auertere voluit dicere, quod à ſuperbia ad humilitatem venire eos optat, Cogitationes enim inflant, vt ſe peccatores non poſſint agnoſcere, nec humiliari ad gratiam Dei.

Hæreſes extirpare fruſtra tentauerit.

Qui vero volet prophetantis ſenſum ſequi (qui mihi placet) facile & hoc faciet. Quod impij cadent à ſuis cogitationibus, quando fiducia earum ruit, ita vt nequeant eas ſtabilire. Non ſecus atq; in ſtructura Babylonicæ turris monſtratum eſt (nam illic officium, ſtudium, opus & finis impiorum Doctorum pulcherrime adumbratum eſt) vbi quod cœperant, non poterant conſummare. Quod & Chriſtus Lucæ 14. in parabola ædificantis turrim depinxit. In hoc ſenſu Pſalm. 21. loquitur, Cogitauerunt conſilia, quæ non potuerunt ſtabilire.

Aedificium turris Babylonicæ.

Lucæ. 14. Pſal. 21.

Cadunt ergo à conſilijs perficiendis, dum pereunt, relicto poſt ſe monumento, quo omnes vident, quid fuerint machinati, & non præualuerint, Sicut Arriani ceciderunt, ſed memoria eorum & cogitationes eorum ab eis deſertæ & non perfectæ omnibus irriſioni & fabulæ, reliquæ ſunt. Tale iudicium hic Propheta & prædixit & imprecatus eſt omnibus impijs cogitationum ſuarum Magiſtris & operarijs, vt cadant, & non perficiant quæ cogitant aduerſus pietatem, Hoc fit, cum iudicantur à Deo (de quo dictum eſt) donec enim iudicantur ab hominibus creſcunt & ſurgunt in cogitationes ſuas.

Impij non perficiunt quæ cogitant.

Cur etiam non ſimpliciter dixit, Expelle eos, ſed addit, ſecundum multitudinem impietatum eorum? Ac verbum expelle, diſperſionem in Ebræo ſignificat, quomodo autores turris Babylonis diuiſi & diſperſi ſunt in omnem terram, & ceſſauerunt ædificare ciuitatem, Gen. 11. Quod & beata virgo dicit, diſperſit ſuperbos mente cordis ſui. Cui rei cum ſuis vulpibus præluſit Samſon Iud. 15. Sic enim regnum in ſeipſum diuiſum deſolatur. Neq; enim vlli vnquam Hæretici victi ſunt, vi aut aſtu, ſed mutua diſſenſione, nec aliter cum eis pugnat Chriſtus, quam mixto inter eos ſpiritu vertiginis & diſſenſionis, ſicut inter Sichimatas Iud. 9. inter Babylonicæ turris operarios, & in nouo Teſtamento inter Arrianos, Donatiſtas, Pelagianos, Sed & Iudæi nouiſſima vaſtitate perierunt diſſenſione, Ita vt Hilarius ſanctus vir glorietur in libro de Trinitate: *Bellum hæreticorum eſſe pacem Eccleſiæ*, Ad diſſenſionem enim eorum ſequitur & corporalis eorum diſperſio.

Gen. 11. Luc. 1.

Samſon. Iudic. 15.

Hæretici vi non vincuntur, ſed mutua diſſenſione.

Iud. 9.

Bellum Hæreticorum, dicit Hilarius, pacem Eccleſiæ eſſe.

Hoc Chriſtus nimirum ſignificat, cum fortem armatum armis ſpoliandum ita deſcribit, vt vniuerſa diſtribuenda & diſpergenda aſſerat, in quibus ille confidebat. Sic & Oſeas 10. ſimilem iniquitatum multitudinem deſcribens, diuiſione eos perituros denunciat, dicens, Vitis frondoſa Iſrael, fructus adæquatus eſt ei, ſecundum multitudinem fructus ſui multiplicauit altaria, iuxta vbertatem terræ ſuæ exuberauit ſimulachris, diuiſum eſt cor eorum, nunc interibunt, ipſe confringet ſimulachra eorum, depopulabitur aras eorum. Quæ verba aptiſſime hunc verſum exponunt: Quid enim multiplicatio altarium ſecundum multitudinem fructus ſui ſignificat? niſi illud, Iſrael creuit in multas ciuitates, & tot ſibi altaria erexerunt: iuxta illud Iere. 2. Secundum numerum ciuitatum tuarum, erant dij tui Iuda; Qua diuiſione mox ſibi accelerant diſperſionem, dum vna quæq; pars alterius optat ruinam, quo ſua ſolius ſtatuat.

Oſee. 10.

Iere. 2.

Eſt ergo ſenſus, Multis modis ſunt impij, multas ſuperſtitiones & Idolatriæ varia genera perpetrant. Sunt in ſeipſos quoq; diuiſi, ſicut Phariſæi & Saducæi, & eorundem noſtro ſeculo æmuli. Quare ſecundum hanc diſperge eos, & deſinat eorum impietas, amiſſo concordiæ robore. Quæ ſi vera ſunt,

Eccleſia in multas ſectas diuiſa.

videtur Eccleſiæ imminere grandis perſecutio, vaſtitas & diſperſio, quæ in tot ſectas diuiſa, membris ſibi miſere pugnantibus, vehementi conquaſſatione minatur ingentem ruinam, non iam tot altaria, quot ciuitates, ſed pene quot capita, Adeo perijt fraterna charitas, ſine qua quidquid viuitur, Idolatria ſit neceſſe eſt, Quia non quæritur id quod Dei eſt, quo fit, vt omnium ſacerdotum & religioſorum, populorumq; ſpecioſas conuerſationes, poſthabita charitate (ſicuti nunc eſt Eccleſiæ facies) recte appelles multitudinem impietatum, ſecundum quam & diuiſi ſumus, & diſpergemur propediem vnusquisq; vt Iſa. 53. in viam ſuam, Sicut nobiliſſime (vt dixi) vulpes Samſonis figurant, vultibus diſiunctis, caudis igne coniunctis. *Iſa. 53.*

Multitudo impietatum.

Vulpes Samſonis.

Peccata exacerbantia Deum.

QVoniam irritauerunt te, Ebraice, Amaricauerunt te. Diximus, præ ceteris peccatis, hoc maxime vrere & exacerbare & amaricare, quo id omittitur quod præceptum eſt, & aliud fit velut melius, quod non eſt præceptum, Auen ſcilicet, ipſa inobedientia, Idolatria, operatio iniquitatis. Ideo Propheta eis tribuit, quod irritant & amaricant Deum, Quod & alij Prophetæ faciunt, vbi domum Iſrael, amaricatricem, exaſperatricem, irritatricem, exacerbatricem (vt dictum eſt) appellant.

Domus Iſrael amaricatrix.

Notandum vero quod nomen, impietatum, hoc loco aliud eſt à vocabulis præcedentibus, Non enim Auen aut Reſcha, ſed peſcha hic ponitur. Quod generale nomen eſt ad omnem transgreſſionem. Iſa. 1. Filios enutriui, ipſi autem ſpreuerunt me, id eſt, peccauerunt in me, ſeu transgreſſionibus ſuis ſpreuerunt me. Vnde & Hieronymus tranſtulit ſecundum multitudinem ſcelerum eorum. Quæ autem ſint illæ transgreſſiones in ſpecie, ſuperius recenſuit, dicens, Non volens iniquitatem tu es. Vult enim his omnibus, multis modis eos peccaſſe, transgreſſos & præuaricatos eſſe, ita vt etiam irritarint Deum, dum ei placere ſibi viderentur, Quare multitudo impietatum non modo dicitur, quod ſecundum prædicta in multas diuiſi ſunt ſectas, ſed quod quælibet quoque ſecta his multis modis peccet, quos in ſeptenario prædicto deſcripſit. *Iſa. 1.*

Peſcha.

Multitudo impietatum.

Et lætentur omnes qui ſperant in te, in æternum exultabunt, & habitabis in eis, Et gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum.

OMnia hæc vnus verſus in Ebræo habet. Beatus Hieronymus ſic, Et lætentur omnes qui ſperant in te, in perpetuum laudabunt, proteges eos, & lætabuntur in te, qui diligunt nomen tuum. Vbi noſter gloriabuntur, pro lætabuntur dixit. Sed & alias variant mire in his affectuum verbis translationes, vt non niſi in fonte Ebræo conſtans illorum poſſit vbiq; haberi differentia.

Quatuor affectuum verba hic videmus cumulata, Lætari, ſperare, exultare, gloriari, Sed & illud, Habitabis in eis, prope affectum ſpei indicat. Quomodo ergo differunt? Difficile hoc eſt inuenire, quod rari ſint hi affectus & ardui, nec niſi experto cogniti & docibiles. Hoc vnum certum eſt, iuxta Pſalmi totius ſenſum, loqui eum de gaudio & ſecuritate cordis, non quæ in remotione malorum exteriorum (vbi patientia regnat proprie) ſed in remiſſione peccatorum, puritate & fiducia conſcientiæ (vbi ſpes regnat) habentur. Hoc enim egit, vt doceret, qua via iuſti & pij fierent, ſcilicet miſericordia & timore Dei, non operibus iniquitatis. Omnes autem quærunt gaudere & lætari, ſed non omnes recte quærunt, ideo nec inueniunt. Quare hunc verſum in duo diuidamus, vt ſit velut tautologicus, idem hoc quod dicit: Et lætentur omnes, qui ſperant in te, in æternum exultabunt & habitabis in eis, cum iſto: Et gloriabuntur in te, qui diligunt nomen meum.

Affectuum verba quatuor hic cumulata.

Videtur namq; hos lætitiæ affectus opponere potiſſimum, Poelc auen, Id eſt, operatoribus iniquitatis, ſeu (vt frequentius transfertur) doloris. Quod vt dictum eſt, hæc Idolatria & operum ſpecies, ſit labor ſtultorum, qui affligit eos, & triſtes reddit, nunqnam autem vere lætificat cor, ſicut dicunt Malach. 3. Et quod emolumentum, quia ambulauimus triſtes coram Domino. Et Iſa. 58. Ieiunauimus, & non aſpexiſti, humiliauimus animas noſtras, & neſciſti, & cætera per totum cap. cum ſequente, late hanc miſeriam tractantia. *Poelc. Auen.* *Mala. 3. Iſa. 58.*

Vis ergo ſcire, vbi ſit vera cordis lætitia? Lætentur, inquit, qui ſperant in te. Stat hæc definitio certa & ſententia firma, non in operibus, non in rebus vilis, ſed in ſpe pura, cor hominis lætatur, præter quam ſpem, qui quærit aliunde lætari, ſudabit multnm, fruſtraq; laborabit, Sed & cum hæmorrhoiſſa Euangelica, ſubſtantia in medicos conſumpta, peius habebit, Sicut contigit ijs, qui conſcientia perturbata, huc illucq; diſcurrunt, nunc hos, nunc illos conſulentes, nunc hæc, nunc illa facientes, omniaq; tentantes, qno cor ſunm quietent: Spem vero, quæ ſola quietat, quã & ipſi apud ſeipſos habere poſſunt, non quærunt. Ad has carnificinas cooperantur mendacij Magiſtri, dum imprudenter docent opera, ſatisfactiones, indnlgentias, peregrinationes, & falſas tradunt conſolationes, & ſimilibus negotijs in tenebris ambulantibus ſedncunt, ſicut hodie eſt illorum omnium nullus numerus. *Vera cordis lætitia vbi conſiſtat.* *Matth. 5.* *A ſola ſpe requies.*

DE SPE ET DESPERATIONE.

CVm vero ſpes iſta per Pſalterium toties doceatur, digrediemur hoc loco paulo fuſius, vt ſemel pro omnibus vim & modum ſpei cognoſcamus, Sunt enim hæc trepidis & puſillis conſcientijs ſcitu neceſſaria valde. *Digreſſio Autoris.*

IGitur ſicut impatientia, triſtitia, confuſio, proprie, & primo non proueniunt ex multitudine vel magnitudine afflictionum, aduerſitatum, malorum quorumcunq;, ſed potius ex affectu talia exhorreſcente, & contraria proſpera, iucunda, glorioſa, appetente inſipienter: Ita deſperatio, triſtitia ſpiritualis, confuſio perturbatæ conſcientiæ, non proueniunt proprie, & primo ex multitudine & magnitudine peccatorum, ſed ex affectu potius peccata exhorreſcente, & copiam bonorum operum, iuſticiæ, ſalutis, quærente inſipienter. *Deſperationis origo.*

Prior pars clara eſt, Quia hic dicit, Lætentur in te omnes, qui ſperant in te. Si omnes qui ſperant, lætabuntur in Domino, nullos exceptos ſinit intelligi, nec eos qui in tribulatione ſnnt, Imo de his ipſis maxime loquitur, quod in Domino lætantur, dnm in ſeipſis vel hominibns triſtantur. Hi ſunt fideles Chriſti, in quibus, vt abundant paſſiones Chriſti, ita & conſolationes eiusdem, vt Apoſtolus loquitur. Sciunt enim vbi & in quo lætandum, & gloriandum ſit, nempe in Domino, Ideo per hanc ſuam ſapientiam non triſtantnr, non confunduntur, non impatientes ſinnt, qnia nec affectant, proſpera, iucunda, glorioſa. Quare per medium tranſeunt tam bonorum quam malorum, ſicut ſcriptũ eſt, Non conturbabit Iuſtum quidqnid acciderit ei. Et Pro. 28. Fugit impius, nemine perſeqnente, Iuſtus quaſi Leo confidens, abſq; terrore erit. *Lætantes in Domino qui ſint.* *2. Cor. 1.* *Prouer. 28.*

Qui vero ignorant, & inſipientes ſunt, nec volunt ſcire, quod in Deo ſit lætandum & gloriandum, Quid aliud faciunt, quam vt triſtentur, perturbentur, impatientes ſiant, Non quia aduerſa & triſtia veniunt, ſed quia his venientibus, affectu ſuo ſtulto non ad Deum, ſed poſt ſna proſpera & iucunda reſpectant, Sic fugiunt & non effugiunt, quia non quo fugiendum eſt fuginnt. Quare vniuerſa cuiuslibet triſtitiæ cauſa eſt, affectus lætitiæ & gloriæ inſipiens, quibus niſi eſſet agglutinatus, nihil facerent aduerſitates, Vt ſit veriſſimum prouer-

Mundus regitur opinionibus. prouerbium: Mundus regitur opinionibus, & tales cuiq; res, qualis opinio rerum, Contemptæ nulli neq; nocent, neq; proſunt, æſtimatæ autem, tum proſunt, tum nocent.

Deſperationis cauſa quæ. Altera pars ſimiliter certa eſt, Quia multi & magni peccatores ſalui facti ſunt, Et ipſi quoq;, quos hic lætari dicit in Domino, cum Iob vtiq; dicent, Non poterimus ei reſpondere vnum pro mille. Ac per hoc multitudinem & magnitudinem habent peccatorum. In quibus vtiq; Deus oſtendit, deſperationis cauſam, non eſſe multitudinem peccatorum, ſed inſipientiam affectus bona opera quærentis, in tempore conſcientiæ perturbatæ, quæ opponat peccatis cum vrgentibus, Putat enim (opinione perdita) operibus peccata potuiſſe ac poſſe vinci, Quæ vbi non inuenit, neſciens quod ad Dei miſericordiam ſit ſuſcipiendum, neceſſario deſperat. Non ſecus atq; ille neceſſario impatiens fit, qui neglecto Dei reſpectu bona quærit malis opponere, ac non habet, Non enim vlla opera, vel contra vnum peccatum, etiam venlale ſufficiunt.

Diſputatio infelicis conſcientiæ morituri iam impij. *Dictum Auguſtini.* Sic enim infelix conſcientia morituri impij & ad iudicium Dei properantis dicit, ſecumq; diſputat: O me miſerum, ſi nunc multa bona feciſſem, ſi nulla mala feciſſem, ſi mundus permanſiſſem. Quid hæc verba plena ſtultitiæ & impietatis omnium maxime indicant, niſi hanc ſententiam Auguſtini eſſe veram, Percutitur etiam hac animaduerſione impius, vt moriens obliniſcatur ſui, qui dum viueret oblitus eſt Dei? Quærit bona & odit mala, & non ſentit ſe nunquam tam male egiſſe & minus bona quæſiſſe, quam hac ipſa hora, qua hæc dicit & inſipientiſſime ſapit, Probat enim ſe non in Deum ſperare, ſed in opera præſumere, Quia ſi vellet ſperare, Deum adhuc haberet præſentem, in quem poſſet ſperare, Qui in opera præterita reſpicit vt præſumat, quæ merito tunc non ſunt, in quæ præſumat. Si propter opera in Deum ſperat (ſiquidem tunc confidentius & lætius ſe in Deum ſperare ſomniat, ſi copiam ante ſe videret operum) conuincitur magis in opera, quam Deum ſperare, quo quid horribilius, & magis impium?

Iuſti. *Nec præſumendum nec deſperandum.* Iuſti vero etiam ſi peccant, non deſperant, quia ſicut inter mala corporalia (id eſt paſſiones huius vitæ) & bona tranſeunt medij: Ita & inter mala ſpiritualia (id eſt, peccata & bona) nec præſumentes quod bene viuunt, nec deſperantes quod peccant, Scientes in neutro horum eis eſſe ſiue lætandum, ſeu triſtandum, vt quæ ſciant eſſe dona Dei, aut donorum Dei ablationem, ipſi vero in ipſo Datore fixi hærent. Hoc eſt, quod Prouer. 24. Septies cadit Iuſtus & reſurget, Impij vero corruent in malum, id eſt, non reſurgunt, ſed deſperationis malum incurrunt. Si enim ſperas vel ſperares, quando bona egiſſes, multo magis tunc ſperandum eſt, quando mala egiſti, ne dicatur tibi illud Pſal. 49. Confitebitur tibi, cum benefeceris ei, Et illud in tempore tentationis recedunt, neue addas iniquitatem ſuper iniquitatem & inobedientiæ blaſphemiam. *Prouer. 24.* *Pſal. 49.* *Luc. 8.*

Spes hypocritarum irrita eſt. *Similitudo.* Vnde vehementer metuendum eſt, ne contingat impijs vtrunq; malum, quod ſicut in Deo lætari & gloriari ſibi videntur, qui gloriam & proſpera omnia habent, cum reuera non in Deum, ſed in eius dona proſpera ſcilicet confidant, ſicut probat tentatio, Ita & in Domino ſperare ſe quam fortiſſime putant (præſertim hoc noſtro tempore periculoſiſſimo & latuis operum occupatiſſimo) qui ſancte, religioſe & (vt vocant) obſeruanter etiam viuunt, cum vere in ſuam ſanctitatem ignorantes ſperent, Vt probabit hora mortis, vbi cum ad iudicium venerint, confidentiusq; moriuntur, quod ſibi conſcij ſunt bonæ vitæ, qua fiducia in Deum ſperant (id eſt, ſpem veram peſſundant) fiet eis ſicut illi, qui ſuper truncum in aqua natantem, pedem poſuerit, & ſubito ruit in profundum, Seu ſicut Iſa. 30. de eis dicit, Propterea erit vobis iniquitas hæc, ſicut interruptio cadens, & requiſita in muro excelſo, quoniam ſubito, dum non ſperatur, veniet contritio eius. *Iſa 30.* *Galat. 3.*

Igitur

Spes quæ nititur meritis, nulla eſt.

Igitur ſicut patientia quæ in proſperis eſt, nulla eſt, ita ſpes, quæ in meritis eſt nulla eſt, Atq; quam facile aut poſſibile eſt patientiam habere in proſperis, tam facile eſt ſpem habere in meritis, vtrobiq; enim periculum eſt, illic ne ſecurus ſuperbiat, hic ne iuſtitia inflatus timorem Dei (id eſt, exercitum ſpei) poſthabeat. Patientiæ ſiquidem natura eſt, non niſi in aduerſis eſſe, ita ſpei natura non eſt, niſi in peccatis eſſe. Facienda ergo peccata, vt ſperare valeamus? Abſit, abunde iam adſunt, quæ fecimus, & in quibus nati ſumus, vt ſpei (ſat) magnum ſit certamen aduerſus illa, quando nec opera bona ſunt, niſi peccata coram Deo.

Fiducia noſtri aduerſatur miſericordiæ Dei.

Crudelis itaq; Deus, qui omnia noſtra damnat? Non, ſed inæſtimabilis Dei miſericordia, vt ſe nobis communicaret, & fiduciam noſtri à nobis tolleret (quæ vnice aduerſatur eius miſericordiæ) Dedit legem, qua concluſit omnes ſub peccato, vt omnium miſereatur, Rom. 11. Quia vbi non eſt lex, nec peccatum, vbi non eſt peccatum, nec miſericordia, vbi non eſt miſericordia, nec ſalus, vbi non eſt ſalus, nec Deus: Atq; ita virtus peccati lex, virtus autem legis, miſericordia, virtus miſericordiæ, ſpes: virtus ſpei, ſalus, virtus autem ſalutis Deus, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, quoniam ipſe eſt Deus ſaluos faciendi, & Dominus Deus exitus mortis, Pſal. 68. Lex ſiquidem operatur nobis peccatum, miſericordia operatur (id eſt, implet) legem, ſpes miſericordiam, ſalus ſpem, Deus ſalutem, & omnia in Chriſto, Ita deſcendit ſalus à Chriſto Deo vſq; ad peccatum, & nos à peccato aſcendimus ad ſalutem vſque in Chriſto homine.

Rom. 11. | Pſal. 68.

Cur dentur à Deo nobis corporalia & ſpiritualia bona.

Ex his hoc ſequitur: Sicut in temporalibus, bona ideo dantur à Deo, vt per ea Deum magis diſcamus colere, ſperare & amare, vbi vitio noſtri affectus fit, vt difficilius & minus, imo facilius & magis in aduerſis colatur, ſperetur, ametur. Ita in ſpiritualibus bona gratiæ & merita donantur à Deo, vt per ea in Deum ſperare abundantius doceamur, Et ecce vitio noſtri affectus in illa præſumentis, fit, vt minime omnium per hæc ſperetur, ſed facilius in peccatis ſperare contingat. Ita vt diuinæ bonitati neceſſarium viſum fuerit, erigere crucem, & per eius prædicationem ſaluos facere credentes, ſtultos & peccatores reprobare vero ſapientes & ſanctos, vt 1. Cor. 1. dicit. Nos prædicamus Chriſtum crucifixum, Græcis quidem (id eſt, ſapientibus) ſtultitiam, Iudæis vero (id eſt, ſanctis) ſcandalum, Ipſis autem vocatis Iudæis, & Græcis (id eſt, peccatoribus & ſtultis) virtutem Dei & ſapientiam, & cætera ibidem pulchre.

1. Cor. 1.

Sancti cadunt Deo miſerente in ſcelera certa.

Quocirca, ſicut periculoſiſſimum eſt hominem in proſperis ſemper relinqui, quod aut nunquam aut rariſſime diſcit diligere Deum, Ita magis periculoſum eſt relinqui hominem in multis meritis & gratijs Dei vſq; ad mortem, quia vix vnquam diſcet in Deum ſperare. Proinde fit Deo miſerente, vt non modo cadant in perturbationem conſcientiæ, ſed etiam, ſi ſunt craſſioris duritiæ, aliquando in opus manifeſtarium peccati, ſcilicet fornicationis, aut ſimilis ſceleris tantaq; cura illos Deus ſeruare cogitur, vt contra miſericordiam ſuam eos ad miſericordiam perducat, & per peccatum à peccato liberet.

VErum hæc inſolita ſunt multis, Obijcerent fortaſsis, Ergo tantummodo peccandum eſt, & bona prorſus omittenda: ſeu (vt Apoſtolo quoq; eadem docenti obijciebatur) Faciamus mala, vt veniant bona. Videmur enim ſic dicentes, viam aperire peccandi, & bona prohibere, velut noxia ad ſalutem. Reſpondemus.

Rom. 3.

Opera bona non prohibentur, ſed maxime commendantur.

Bona opera non modo non prohibentur, ſed maxime commendantur iſtis verbis, & peccata optimo magiſterio pœnitus tolluntur, dum ab intra bona procedere, & peccatum intus occidere docent. Solus enim affectus ille, (Serpentis antiqui caput) occultiſſime & ſubtiliſſime carnalis (qui iſtis operibus confidit, & ſpei, quæ eſt in Dei ſolius miſericordia, contentioſiſſime reſiſtit

conterendus,eruendus,perdendus eſt,& intelligendum,quod ſi bona vita acta non fuerit,non ideo deſperetur,nec ideo ſperetur, quia acta bona fuit: At illud difficile,hoc autem difficilius, Quia in illo pugnatur ſolum contra peccata,in hoc autem ſimul contra bona opera & peccatum,id eſt,affectum præſumptionis in bonis operibus.

Affectus confidendi in opera perdendus eſt.

Nam cum dico,Patientiam non ſubſiſtere in rebus proſperis ,Nunqnid ideo res,poteſtatem,pacem, vitam damno,cum ſine his non viuatur,& ſint Dei optimi bonæ creaturæ? Minime,ſed affectum illorum damno. Ita vt res ipſæ quandoq; cogantur vocabulo ſe indigno vocari: Vt qnod vanæ vocantur apud Eccleſiaſten,& ſpinæ in Euangelio per Chriſtum ſine omni ſuo vitio, ſed ob alterius vanitatem,vt Rom.8. Apoſtolus dicit,ſub qua ingemiſcit ſubiecta,non volens. Ita & hæc optima opera impiorum,cum ſint dona Dei,quibus nõnunquã alij iuuantur, & ipſi perduntur,ſine ſuo vitio,ſed illorũ contagio vocantur, Auen,iniquitas, idolatria,inobedientia. Ita de illis Moſes Deu.28. In velamine vultus ſui loquitur, Vxorem duces,& alius dormiet cum ea,Domum ædificabis,& non habitabis in ea, Plantabis vineam,& non vindemiabis eam, Et alia quam plurima in hunc modum, quo eis laborem,alienis fructum prædicat futurum, Quid enim aliud ibi ſtatuit,quam facere quidem eos bona,ſed quibus ipſi puniantur,alij iuuentur.

Res interdum indigno ſibi vocabulo vocantur. *Rom.8.*

Optima opera impiorum vocantur Auen. *Deu.28.*

Opus extra gratiam factum eſt peccatum.

Ex quibus illud diſſoluitur Argnmentum quorundam, Qnomodo opus extra gratiam factum ſit peccatum,vt dare eleemoſynam,ſubuenire egeuri & ſimilia? Quaſi vero Chriſtus ignoret,prophetare,& virtutes facere in nomine ſuo,& audire verbum ſuum,eſſe bona,quæ tamen damnaturus pro iniquitatibus,dicet: Diſcedite à me omnes,qui operamini iniquitatem, Matt.7. Aut ſi meretrix ornetur auro & gemmis,neceſſe ſit illam non in his quæ bona gerit peccare. Igitur alijs prodeſſe poſſunt impij & bona facere ſibi, nequaquam, Deus potius per illos operatur qui operatur omnia in omnibus,etiã in malis.

Matt.7.

Spei obiectum eſt Deus.

Hæc omnia hoc probantur firmamento,quod vna omnium ſententia, ſpes ſit virtus Theologica, non niſi ſolum Deum habens pro obiecto (vt vocant) Deus autem bonitas eſt & miſericordia noſtra,nobis promiſſa, Vbi ſi quis in aliud quam promiſſam miſericordiam(id eſt,Deum)ſperat,iam præſumit,amiſſa ſpe. Idem facit,qui ſimul cum meritis in Deum ſperat, Sicut Deus non poteſt amari cum alio(vt beatus Auguſtinus ſentit)quia tunc non ſuper omnia amatur. Ita nec in eum poteſt ſperari cum alio quopiam,quia non ſuper omnia ſperatur in eũ, Sed nec credi poteſt in eum cũ alio,quia non creditur in eũ ſuper omnia. Adeo iſtæ tres virtutes ſunt diuinæ,tantummodo diuinum obiectum,ſubiectum,operatorem,opus, artem, modum obtinentes, Hic enim Sponſus cum ſponſa,ſecreta cubilis capit,ſolus, cum ſola vbi in cæteris operibus per filias Ieruſalem,aut ſodales res geruntur,cæteri omnes claudicant in duas partes, Baal ſuum colentes ſimul cum Deo.

Theologicæ virtutes,quare dicantur.

Deniq; eo quoq; probantur hæc dicta,Quod ſpes ſit rerum non apparentium,ſicut fides & charitas,Rom.8. Spes,quæ videtur,non eſt ſpes, quod videt quis quid ſperat? Sicut qui credit quod videt,quid credit? Qui diligit quod videt,quid diligit? nihil profecto,niſi carnale ſpectrum longeq; inferius Deo, id eſt,non rem,ſed laruam. At qui in opera ſua ſperat,videt,tenet, habet, ſentit,in quo nitatur,non in promiſſorem inuiſibilem, inſenſibilem,incomprehenſibilem,quem verbo ſolo audiuit ſibi ſignificari. Arduiſſima,aſperrima, duriſſima ſunt hæc carni noſtræ,quia mors eius in his regnat.

Spes non eſt apparentium. *Rom.8.*

Proinde quæ in Canticis de Sponſo & Sponſa,velut laſciuo,& de hominum carnali amore dicuntur, Imo & omnia quæ inter ſexũ maris & fœminæ etiamnum geruntur, non ſignificant, niſi extreme contraria voluptatibus illis,nempe fidei,ſpei, charitatis perfectiſſima opera, hoc eſt mortem & infer-

Cantica Salo, voluptati contraria prorſus ſignificant.

Infernum, ſicut ibi dicit: Fortis vt mors dilectio, & dura ſicut infernus æmulatio. Et iterum: Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam, Si dederit homo omnem ſubſtantiam domus ſuæ pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam. Quæ de libidinis ardore intelligi nequaquam poſſunt.

Autores myſticæ Theologiæ falluntur & fallunt.

Multi multa de Theologia myſtica, negatiua, propria, ſymbolica moliuntur & fabulantur, ignorantes, nec quid loquantur, nec de quibus affirment, neq; enim quid affirmatio aut negatio ſit, aut quomodo vtra fiat nouerunt, nec poſſunt commentaria eorum citra periculum legi. Quod quales ipſi fuerunt, talia ſcripſerunt, ſicut ſenſerunt, ita locuti ſunt. Senſerunt autem contraria negatiuæ Theologiæ, hoc eſt, nec mortem, nec infernum dilexerunt, ideo impoſſibile fuit, vt non fallerent tam ſeipſos, quam ſuos Lectores.

Cant. 8.

Comment. Dionyſii ſuper myſticam Theologiam.

Hæc admonendi gratia dicta velim, quod paſſim circumferuntur, tum ex Italia, tum Germania commentaria Dionyſij ſuper Theologiam myſticam, hoc eſt, mera irritabula, inflaturæ & oſtentaturæ ſeipſam ſcientiæ, Ne quis ſe Theologum myſticum credat, ſi hæc legerit, intellexerit, docuerit, ſeu potius intelligere & docere ſibi viſus fuerit. Viuendo imo moriendo & damnando fit Theologus, non intelligendo, legendo, aut ſpeculando.

Rom. 5.

RVrſum illud Apoſtoli Rom. 5. obijcitur: Tribulatio patientiã operatur, patientia probationem, probatio vero ſpem, ſpes autem non confundit. Hic certe Apoſtolus, ſpem in merita collocare videtur, Ita vt hinc Magiſter ſententiarum cum vniuerſa Theologorum turba, definitionem ſpei ampلectantur illam: Spes eſt certa expectatio præmij ex meritis proueniens. Neq; enim aliam ſpem illi habent, niſi quæ eſt in meritis. Ex qua ſententia quid aliud potuit ſequi, quam ruina vniuerſæ Theologiæ, ignorantia Chriſti & crucis eius, & obliuio (vt apud Ieremiam quæritur) Dei diebus innumeris.

Definitio ſpei autore Magiſtro ſententiarum.

Quid autem nobis ad hoc dicent, quod fidem, ſpem, charitatem, ipſi met confitentur infuſas eſſe virtutes & principio omnium bonorum? Neq; enim etiam ipſi merita ante charitatem fieri dicunt. Tum cum charitate ſimul infundi ſpem & fidem conſtanter aſſerunt. Ergo eorum quoq; ſententia non ſpem ex meritis, ſed merita ex ſpe prouenire certum eſt, & tamen ſpem definientes, vertunt hanc ſententiã, ſibiq; contradicunt, ſpẽ ex meritis producentes.

Spes non ex meritis, ſed merita ex ſpe.

Deinde quid ad Apoſtolum dicent, cum ille patientiam opus tribulationis ponat? At quis ſine ſpe tolleret quidquam tribulationis? Deſperans enim non ad patientiam, nec ad probationem, neq; ad gloriationem in tribulatione peruenit vnquam, ſed contra peior fit tribulatione ſemper, vt Matt. 7. de domo ſuper harenam ædificata Chriſtus docet, cuius ruina magna fit irruentibus ventis & fluminibus. Quod & de ſemine, quod ſupra petram cecidit, ſignificat, quod natum oriente ſole aret, vt qui in tempore tentationis recedunt, Vnde ſpem in principio tribulationis adeſſe oportet.

Rom. 5.
Matt. 7.

Domus ſuper arenam ædificata. Semen ſupra petram.

Sed & illud vide, Spes ſolum ex meritis prouenit, nullus ergo peccator ſperabit, ſed ſolus iuſtus? Quis tum ad pœnitentiam conuertetur? Vbi erit iuſtus, ſi nullus peccator pœniteat? At quomodo pœnitebit, niſi ſperet miſericordiam Dei? An dicendum eſt morituro peccatori: Abſit à te, noli ſperare, non habes merita, ex quibus tibi ſpes poſſit prouenire? Hoc iam eſſet non theologiſare, ſed diabologiſare, Huius enim tunc potiſſima vox eſt, Noli ſperare, quia cares meritis, Cum in morte ſit prima, ſumma, optima omnium ſpei officina, & ipſa mors ſpei ſit artificioſiſſima operatrix. Falſiſſima ergo eſt definitio iſta ſpei, & potius confitebor me non intelligere verbum Apoſtoli, quam eam definitionem ſpei admittam ex ipſo formari.

Spes non ex operum meritis. In morte parata ſpei officina.

Deli-

Modus infundendæ gratiæ. DElirabo itaq; meo ſenſu, Primum, certum eſt gratiam, id eſt, fidem, ſpem, charitatem non infundi, niſi peccatum effundatur, ſimul, hoc eſt peccator non iuſtificatur, niſi damnetur, non viuificatur, niſi occidatur, non aſcendit in cœlum, niſi deſcendat ad inferos, vt habet tota Scriptura. Quare in gratiæ infuſione neceſſe eſt eſſe amaritudinem, tribulationem, paſſionem, ſub quibus gemit vetus homo, ſui occaſum ægerrime ferens. In qua tribulatione, ſi patiens ſit & expectet operantis manum, & gratiam ſibi infundentem, probatus eſt, & obtinebit ſpem, fidem charitatem, quæ hoc negotio infunduntur, Quod ſit, quoties nobis, noſtræq; voluntati contrâria contingunt, & eo magis, quo magis contraria.

Iſte inquam eſt modus, non modo primæ gratiæ infundendæ, ſed & cuiuslibet eius ſequentis augmenti. Semper enim magis ac magis crucifigitur vetus homo, expelliturq; peccatum, ingrediente ſemper magis ac magis gratia vſque ad mortem, iuxta illud Apo. 22. Qui iuſtificatus eſt, iuſtificetur adhuc, & qui mundus eſt, mundetur adhuc. Et Iohan. 1. Gratiam pro gratia accipimus. Et iuxta Paulum Rom. 1. Iuſtificamur ex fide in fidem, transferimur de claritate in claritatem, imus de virtute in virtutem, Pſal. 84. ita de ſpe in ſpem proficiſci recte diceemur. *Apoc. 22. Iohan. 1. Rom. 1. Pſal. 84.*

Certitudo cordis in ſpe. Perſpicuum ergo eſt, Apoſtolum non tam loqui de ſpe ipſa obtenta, quam de certitudine cordis, in ſpe, dum homo poſt tribulationem & infuſionem ſpei (quando ſibi ſine ſpe videtur eſſe) ſentit ſe ſperare & credere & diligere, Tunc enim guſtatur quam ſuauis ſit Dominus, Et incipit homo eſurire & ſitire, magis pati, quo ſpem maiorem operetur tribulatio, Quare neceſſe eſt fidem, ſpem, charitatem eſſe in cuiuslibet boni operis & paſſionis initio, & tamen poſt opus & paſſionem, ea quæ latuit ſit manifeſta, vt qui probati ſunt, manifeſti fiant, Quomodo Hiob tentatus eſt & Abraham, vt cognoſcerentur etiam ſibijpſis, & certi fierent ſe credere, ſperare, diligere Deum, ſicut dictum eſt ad Abraham, Nunc cognoui, quod timeas Deum, id eſt, cognoſcere te feci, vt Auguſt. exponit. *Hiob. Abraham tentati. Gen. 22.*

Oportet enim non modo credere, ſperare, diligere, ſed etiam ſcire & certum eſſe, ſe credere, ſperare, diligere. Illud in abſcondito tempeſtatis, hoc poſt tempeſtatem agitur. Sic & Petrus docet nos ſatagere, vt per bona opera certam faciamus vocationem noſtram. Quando aliud eſt eſſe aut fieri bonum, & aliud noſſe bonum eſſe vel factum. Non ſecus atq; vir ſanguinum & doloſus, ſi irritatur, inuenitur vir ſanguinum & doloſus, qui antea ſuauis & ſimplex videbatur, etiam ſibijpſi. Ita crux operatur, in his qui ſuſtinent & probantur, ad finem vſq; ſpem ſolidam (id eſt, incipit, auget, & prodit, & certam ac cognitam facit) In his qui non ſuſtinent, ſed reprobi inueniuntur, ſtatim ab initio deſperationem impotentiſſimam. Hinc Taulerus homo Dei, & omnes experti dicunt, Deum ſuis filijs non eſſe vnquam gratiorem, amabiliorem & dulciorem, ac familiorem, quam poſt tribulationis probationem. *2. Pet. 1. Crux ſpem ſolidam operatur. Taulerus. Quando Deus dulciſſimus.*

Hanc ſane ſpem Apoſtolus hic produci dicit probatione, Sicut & filij Patrem carnis dulcius amant, poſt virgam, qua verberati ſunt, Ita carni contraria voluptate, Sponſus ſponſam ſuam afficit Chriſtus, nempe poſt amplexus, amplexus vero ipſi mors & infernus ſunt. Hic viget & regnat ſacramentum illud magnum, Erunt duo in carne vna, Chriſtus & Eccleſia vere magnum, quia duriſſimum, ſed ſuauiſſimos producens fructus, prolemq; Deo ſimilimam, opera prorſus inculpata, Quia ſic vitis purgator, vt fructus plus afferat. Quod ſi de quolibet gradu ſpei verum eſt, ex probatione eam fieri, quanto magis de perfecta hoc dicere & ſentire credendus Apoſtolus, quæ multis ac diuerſis tribulationibus emergit. *Rom. 5. Ephe. 5. Iohan. 15.*

Videamus

Rom. 5. Videamus nunc verba Apoſtoli, qui ſpem vocat opus probationis, probationem patientiæ, patientiam tribulationis, quæ Magiſter ſententiarum nimis expreſſit, eum appellauit merita, ex quibus prouenit ſpes, aut certe non ſatis intellexerunt merita illa. *Spes probationis opus, Rom. 5.* Actiua ſane vita, in qua multi ſatis temere confidunt, quam intelligunt quoq; per merita, non producit nec operatur ſpem, ſed præſumptionem, non ſecus ac ſcientia inflat. *Actiua vita.* Ideo addenda eſt vita paſſiua, quæ mortificet & deſtruat totam vitam actiuam, vt nihil remaneat meritorum, in quo ſuperbus glorietur. *Vita paſſiua.* Quo facto, ſi homo perſeueret, fit in eo ſpes, id eſt, diſcit nihil eſſe, in quo gaudendum, ſperandum, gloriandum ſit, præter Deum. Tribulatio enim, dum à nobis omnia tollit, ſolum vtiq; Deum relinquit, neq; enim Deum poteſt tollere, imo Deum adducit. Ablatis autem cunctis, etiam operibus bonis ac meritis ſi hic ſuſtineamus, Deum inuenimus, in quo ſolum fidimus, ac ſic ſpe ſalui facti ſumus.

Quocirca operarij ſancti, & ſi tota fiducia dicant, ſe confidere in Deum, vbi tamen vita eorum actiua (quæ tota virtus eorum eſt) cœperit tentari, vel deſpectu coram hominibus, vel turbine conſcientiæ coram Deo, ſtatim deficiunt oſtenduntq; ſe magis in vitam ſuam præſumpſiſſe, quam in Dei miſericordiam ſperaſſe: *Vita actiua operariorum.* Cum nulla actiua talis ſit, quæ coram Deo ſatis, imo quæ etiam coram hominibus in finem vſq; grata ſit omnibus. Iuxta illud: Non intres in iu-

Psal. 143. dicium cum ſeruo tuo, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. Sola vero paſſiua vita puriſſima eſt, ideo & ſpem & gloriam operatur, Atq; in *Paſſiua vita.* hoc oportet nos conformari imagini & exemplo Chriſti, regis & ducis noſtri,

Esa. 53. qui per actiuã quidem vitam incepit, ſed per paſſionẽ conſummatus eſt, omnibus ſcilicet operibus eius, tã multis tam magnificis, adeo in nihilum redactis, vt non ſolum coram hominibus ſit cũ iniquis reputatus, ſed à Deo derelictus.

Adeo ſcilicet omnia à nobis auferenda ſunt, vt nec optima Dei dona, id eſt, ipſa merita, reliqua ſint, in quibus fidamus: Vt ſit ſpes puriſſima in puriſſimum Deum, tunc demũ homo vere purus & ſanctus eſt. *Homo vere purus & ſanctus.* Quod negotiũ varijs agitur tribulationibus & multis ſane doloribus, maximis autem, vbi ad extremum decus ſpei incipimus propinquare, id eſt ablationem bonorum operum, & bonæ in vita noſtra conſcientiæ. In cæteris enim vel rerum vel valetudinis vel honoris ablationibus, non tam ſpes, quam patientia contra impatientiam & hominem pugnat, vt in quibus homo ſic exercetur, vt ea nũquam reditura diſcat patienter contemnere. In his vero conſcientiæ procellis & meritorum ruinis, ſpes ipſa pugnat contra deſperationem & fere contra ſeipſam, imo contra Deum, quem ſentit ſibi iratum, ſicut ei, quæ nihil bonorum meritorum habeat, & quibus non poſſit, & tamen cogatur carere, quod miſerrime diſcrutiat ſpiritum & expanſum cum Chriſto dinumerat omnia oſſa eius.

Ita vt ſpem, recte quiſpiam poſſit patientiam ſpiritualem, ſeu patientiam in culpis ſuſtinendis appellare, Sicut econtra, patientiam, poſſit ſpem corporalem, ſeu ſpem in ferendis pœnis. *Spes & patientia quid ſint.* Quid enim aliud eſt in conſcientia, & de deſperatione tentari, quam culpas non remiſſibiles ſentire, Deum nolle propitium fieri, omnia opera bona funditus corruere? Et tamen ſi perſeueret homo, & contra ſpem in ſpem ſperet, probatus inuenietur, & hac tribulatione meritis exutus, ſpe induetur & coronabitur inconfuſibili corona in æternum. Non enim vere iratus eſt Deus, nec culpas irremiſſibiles vult, ſed tentat nos, an magis in miſericordiam ſuam puram, quam in noſtra merita ſperemus. *Nota.*

Noſtri vero iuſticiarij actiua meritorum vita ſaginati, nihil æque horreſcunt, atq; hanc meritorum ſuorum crucem, decepti verbo Magiſtri, quando ſpem ex meritis prouenire dicit, quæ illi opera intelligunt: Apoſtolus ve-

Rom. 5. ro tribulationes, id eſt, mortificationes & cruces operum. Vide ergo quam longe ſimus progreſſi à vera ſcientia ſpei, vnico verbo Magiſtri im-

prudenter

Magiſtri ſententiarum error de ſpe.

prudenter intellecto, fecitq; hic error infinitas conſcientiarum carnificinas, forte & æternas damnationes. Dum enim per opera ſpem & pacem ſtuduerunt inuenire, quærentibus autem reſiſteret obuia tribulatio, vel conſcientiæ, vel corporis, vera ſcilicet officina ſpei, Ipſi eam non agnoſcentes & repellentes, cum aliam inuenire non poſſent, neceſſario deſperauerunt. Nec mirum, quærebant enim ſpem, via qua itur ad præſumptionem, & impediti, ſen, vt Oſeas dicit, ſepta hac eorum via ſpinis, nec intelligentes hoc impedimentum eſſe veram viam ad ſpem, defecerunt.

Experti fideles hæc cognoſcunt veriſſima eſſe.

Hinc illa turba hodie, infirmorum, puſillanimorum, ſcrupuloſorum & inconſtantium in omnibus vijs ſuis. Non enim ideo tentaris deſperatione ſeu turbinibus conſcientiæ, vt ad operum fiduciam curras, ſed contra ab opere auoceris, quia ſpiritualiſſima, etſi acerbiſſima, hæc pugna eſt, intra te ſolum cum ſolo Deo conſummanda, ſola ſpe ſuſtinente & expectante, Deoq; cauſam totã commendante, Deumq; contra Deum vincente, ſicut Iacob Gen. 32. *Gen. 32.* cum Deo ſolus luctatus ſcribitur & viciſſe eum, ac ideo in eodẽ loco benedictionem ab eo accepiſſe, cuius nomen non licuit ſcire, vnde & Phanuel eum locum appellauit, dicens, Vidi Dominum facie ad faciem, & ſalua facta eſt anima mea. Quod ſi cui permittitur via præſumptionis proſpere ire, & in operibus ſuis creſcere, ſine hac tentatione, quo veniet? Forte non ipſe in deſperationem, ſed deſperatio in ipſum, quia Deum non nouit, nec didicit in his conſilijs & operibus ſuis mirabilem.

Lucta Iacob cum Deo, Gene. 32.

Sententia Ciceroniana.

IAm videre licet, quid illa ſententia valeat Ciceroniana, quæ celebris eſt, Conſcientia bene actæ vitæ, recordatio iucundiſſima eſt. Verum quidem, ſed ſimul perdidiſſima, quo iucundiſſima. Non hoc Chriſtianus ſapiat, cui potius conſcientia vitæ bene paſſæ (id eſt, ad nihilum redactæ) iucundiſſima eſt, vt qui gloriatur, in Domino glorietur. Non ſic Hiob, qui cum dixiſſet, nec enim reprehendit me cor meum in omni vita mea, tamen non audet gloriari, ſed timens iudicem ſuum deprecatur. *Hiob. 2[illegible]* Nec Paul. 1. Cor. 14. Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum. *1. Cor. [illegible]* Iere. 9. Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua, *Iere. 9.* & non glorietur fortis in fortitudine ſua, & non glorietur diues in diuitijs ſuis. Sed in hoc glorietur qui gloriatur, ſcire & noſſe Me, quia ego ſum Dominus, qui facio miſericordiam & iudicium, & iuſticiam in terra, hæc enim placent mihi, ait Dominus.

Non in dona Dei, ſed in Deum confidendum.

Non ergo in dona Dei quæcunq; (ne cum eis fornicemur, ſicut in Prophetis dicitur) ſed in ipſum Deum donatorem credendum eſt, ſperandum, hærendum. Hoc voluit, Pſal. 116. *Pſal. 116.* Ego dixi in exceſſu meo, omnis homo mendax. Exceſſus iſte, tribulatio fuit, in qua homo eruditur, quam vanus mendaxq; ſit omnis homo, qui non in ſolum Deum ſperat, Homo enim homo eſt, donec fiat Deus, qui ſolus eſt verax, cuius participatione, & ipſe verax efficitur, dum illi vera fide & ſpe adhæret, redactus hoc exceſſu in nihilum, quo enim perueniat, qui ſperat in Deum, niſi in ſui nihilum? Quo autem abeat, qui abeat in nihilum, niſi eo vnde venit, venit autem ex Deo & ſuo nihilo, quare in Deum redit, qui redit in nihilum. Neq; enim extra manum Dei quoq; cadere poteſt, qui extra ſeipſum omnemq; creaturam cadit, quam Dei manus vndique complectitur, Mundum enim pugillo continet, vt Iſaias dicit. Per mundum ergo rue, quo rues? Vtiq; in manum & ſinum Dei. Sic iuſtorum animæ in manu Dei ſunt, quia extra mundum ſunt, viſi oculis inſipientium perire, ſicut *Sapient. [illegible]* lapillus ſi per aerem aut aquam ruat, non etiam per terram ruet.

Redeundum nobis in nihilum.

Iuſticiarij.

Operoſi vero & ſpecioſi iuſticiarij, qui ſuis opinionibus illuſi, id tantum quærunt vniuerſis iuſticijs ſuis, vt creſcant & pingues ac magni ſint, nullo modo volentes nihil ſed magnum aliquid fieri, quo venient? Nempe in ſuum nihil redacti, nec tamen in Deum perducti, in æternum peribunt. Scio

Scio vero quam multa ex ſacra ſcriptura, ac Patrum dictis, Sanctorumq́; legendis opponi his poſſint. Rurſum ſcio, quam periculoſe intelligantur, ſi non ad hanc Regulam intelligantur, cum omnia pro hac ſententia faciant. Vnum tamen profero, exempli gratia, Legimus, diuo Hieronymo autore, dixiſſe ſanctum Hilarionem ad animam ſuam, cum timeret mori, Egredere anima, quid times? nonaginta tribus annis Chriſto ſeruiuiſti & mori times? Hæc ſi ita intelligatur locutus, quod in opera vitæ ſuæ ſit confiſus, intelligetur potius in infernum, quam in cœlum iuiſſe. *Hilarion.*

Cur non illud ſancti Agathonis, quoq; inſpicitur longe contrarium? qui triduo in cœlum oculis intentus timuit, Et à Diſcipulis interrogatus, cur timeret & non confideret in vitam ſuam bene actam? Reſpondit in veritate timeo, Scio quidem me ſeruaſſe mandata Dei, quantum potui, Sed alia ſunt iudicia Dei, alia hominum. Sed & ipſius Hilarionis timor idem arguit, ſi enim opera ſibi ſatis fuiſſent, non timuiſſet. Ideo aliam coactus eſt quærere ancho- ram fiduciæ ſuæ, & ex præteritis donis Dei ſibi datis, Dei miſericordiam ſibi præfigere. Non enim ſegniter ad ſpem mouet, vel præteritorum vel præſentium beneficiorum Dei memoria ſibi collatorum, imo radius eſt vultus Dei, & ſignum bonum ſuper nos, fidem & ſpem accendens, Sic filij Iſrael iuſſi ſunt operum Domini, & eductus ex Aegypto memores eſſe, vt frenato eorum ore laude Dei, non perirent, vt Iſaias dicit. *Agathon.* *Anchora Hilarionis.*

NVlla ergo ſunt merita? Cur tot præceptis Chriſti & Apoſtolorum docemur bona operari, ſeminare, ædificare aurum, argentum, gemmas &c. Reſpondeo, Hoc eſt quod dixi, plurimos falli falſa operum bonorum intelligentia, vere enim bona opera ſunt facienda, & arbor ſpiritus ſuos fructus ferre debet, de quibus Galat. 5. ſcribitur. Sed illud Chriſti non intelligitur Iohan. 12. Niſi granum frumenti in terram cadens, mortuum fuerit, ipſum ſolum manet, Si autem mortuum fuerit, fructum multum affert. Et Iohan. 15. Omnem palmitem in me ferentem fructum purgabit, vt fructum plus afferat. Hæc enim mortificatio & purgatio (quæ fit infuſione fidei & ſpei & charitatis) facit, vt homo operibus ſuis exutus, diſcat in ſolum Deum fidere, & opera bona facere, iam non ſibi, tanquam merita, quibus præmium quærat, ſed gratuito & libero, ſpontaneoq; affectu placendi Deo, nihil in ea fidens, ſed per ea in gloriam Dei ſeruiens, ſicut dicit Matt. 5. Luceat Lux veſtra coram hominibus, vt videant veſtra bona opera, & glorificent Patrem veſtrum, qui eſt in cœlis. *Vere bona opera ſunt facienda.*

Qui iſto modo bona operantur, non ſibi, ſed Deo, tanquam inſtrumentum Dei, operantur, nihil in his ſibi arrogant, ſolo Deo contenti, in quo ſperant, Qui non ſic operantur, ſimiæ ſunt ſanctorum virorum. Adeo neceſſe eſt ſuperſtitionem fieri ex omnium Sanctorum vita, niſi Patrem cœleſtem in his didicerint glorificare. Recte ergo dicitur: Vniuerſæ viæ Domini miſericordia & veritas, id eſt, Tunc opera fieri bona, quando ipſe ſolus totus ac totaliter ea facit in nobis, vt operis nulla pars ad nos pertineat. Quare hic tibi ſit Canon, vbi Scriptura præcipit bonum opus fieri, ſic intelligas, quod prohibeat te facere bonum opus, cum id non poſſis, Sed vt Sabbatum Deo ſanctifices, mortuus ſis ac ſepultus, ſinasq; Deum in te operari. Ad hoc autem non peruenies vnquam, niſi per fidem, ſpem & charitatem, id eſt per tui mortificationem & omnium operum tuorum. *Opera vere bona.* *Canon.*

Sunt itaq; merita, & nulla merita in nobis, Sunt, quia dona Dei ſunt & opera ipſius ſolius, Nulla ſunt, quia non plus de illis poſſumus præſumere, quam vllus nouiſſimus peccator, in quo nondum aliquid operatur Deus. Ita ſumus, fuimus, manemus omnes coram Deo æquales ſemper, vt *Merita ſunt & non ſunt.* *Omnes coram Deo æquales.*

pereat inflatura vnius aduerſus alterum, iuxta illud Pauli 1. ad Cor. 4. Quid *1. Cor. 4.*
habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis? Nota verbum, Qui inflatur & gloriatur donis Dei, idem facit, ac ſi dicat, ſe non accepiſſe. Vbi ergo reliqua eſt inæqualitas? Nuſquam, ſicut ibidem dicit: Quis te diſcernit? id eſt, quis te meliorem alijs declarauit? q. d. nullus.

Diuini iudicij æquiſſima æquitas.

Ex his omnibus perpende diuini iudicij æquitatem æquiſſimam, & quam vniuerſam laruam & perſonam operum vitæq; contemptam velit, Quod in oculis eius idem ſit iuſtus & iniuſtus, quantum ad opera pertinet, dum vtrinq; omnibus hominibus in hac vita viuentibus eam ſtatuit legem, qua cognoſcimus, quod quam nullam habent iuſti cauſam præſumendi, tam nullam habēt peccatores deſperandi, vtriq; vero eandē legem in eum ſperandi, quæ ſola diſcernit inter deſperantes & præſumentes, vt recte cantet Pſal. 119. Cognoui Domine, quia æquitas iudicia tua, & in veritate tua humiliaſti me. *Pſal. 119.* Ecce in veritate Dei ille nihil ſit, & iuſto æquoq; Dei iudicio nouiſſimus omnium factus eſt. Hoc etiam vult lex fidei & ſpei, id eſt, nos omnes facere primos peccatorum & nouiſſimos, id eſt, æquales, & tamen inæqualiſſima per nos ac diuerſiſſima operari. Vere mirabilis Deus in Sanctis ſuis.

Lex fidei & ſpei.

Omnes ergo mandato Dei ad ſpem in eum vrgemur, eodemq; à deſperatione & præſumptione deterremur, & eſt iam Deus vere omnia in omnibus æquus ac idem, ſimul tamen inæqualiſſimus ac diuerſiſſimus. Ipſe eſt enim, qui in multitudine ſimplex, in ſimplicitate multiplex, in inæqualitate æqualis, in æqualitate inæqualis, in ſublimitate infimus, in excelſis profundus, in intimis extremus, & è diuerſo. Sic in infirmis potens, in potentibus infirmus, in ſtultis ſapiens, in ſapientibus ſtultus, breuiter, omnia in omnibus. Sed hæc dicta volo, extra pias aures eorum, qui veritate offenduntur, quam in ſuis infelicibus quæſtionibus nunquam didicerunt.

Deus omnia in omnibus.

Dicet adhuc puſillanimis & infirma conſcientia, Quid ſi non poſſim ſperare, atq; ita ſentiam meam inuincibilem deſperationem? Dicemus & nos nec ſic deſperandum, etiam ſi te deſperare ſentias. Non eſt deſperatio, quæ non vult, doletq; ſe deſperare, ſed eſt ſpei tentatio, omnium tentationum ſine omni dubio grauiſſima, quod mox & ſimul ſecum inuoluat ſummum & æternum odium Dei, blaſphemias, maledicta, & omnia inferni mala (quæ non liceat loqui) in ſummam, benedictam & glorioſam Maieſtatem.

Spei tentatio.

Quid ergo facies? hoc ſcilicet. Primum agnoſcas id te meruiſſe, & hoc peccatis tuis debitum, vbi prudens ſis oportet, grauisq; ac laudans, hanc infirmitatem & tentationem feras, tanquam ſaluberrimam ſatisfactionem pro peccatis tuis, iuxta illud Eccleſ. 10. Si ſpiritus poteſtatem habentis aſcenderit *Eccleſ. 10.* ſuper te, ne dimittas locum tuum, quia curatio faciet ceſſare peccata maxima, id ſolum cures, vt odio, blaſphemijs, deſperationi, quantum potes, non condas, ſed vel vnico extremo gemitu remurmures, ac iuxta Iſaiam ſcias, quod li- *Iſa. 14.* gnum fumigans, ille non extinguet, nec calamum quaſſatum confringet. Dicam vnum temere & libere, Non ſunt Deo propiores filij in hac vita, quam hi oſores & blaſphematores Dei, ſed nec gratiores nec amiciores filij. Atq; hic in vno momento plus ſatis ſit, pro peccato, quam ſi multos annos pœniteas in aqua & pane. Ita verum eſt, in morte (vbi hæc tentatio viget) poſſe Chriſtianum breui momento omnia peccata ſoluere & euolare, ſi prudenter agat in eo negotio. Hic regnat gemitus ille inenarrabilis, Rom. 8. *Rom. 8.*

Confilium contra tentationem ſpei.

Secundo id agas tota vita, vt pro ſpe ores, ſic tamen, vt non recuſes Dei

Pro ſpe tota vita orandum.

volunta-

voluntatem in hac infirmitate tua ferre vſq; ad mortem, dicens cum Principe
Matt.26. ac Domino tuo:. Triſtis eſt anima mea vſq; ad mortem. Sic autem orabis, vt
non dubites futuram tibi ſpem à Deo dandam. Nam qui te orare voluit, imò
qui te docere orationem hanc ſine tuo ſtudio voluit, ideo voluit, quia exaudire
te propoſuit. itaq; dilatam patienter feras, dandam vero non diffidas, ſuo
Rom.4. tempore veniens veniet, & non tardabit, interim contra ſpem in ſpem ſperandum
eſt, Rom.4.

Habebis vero ad hoc virgam & baculum Dei, qui te ſuſtentet & conſoletur, nempe ipſum præceptum Dei primum & maximum omnium, Non habebis Deos alienos præter me. In quo credere & ſperare & diligere Deum, non monemur, hortamur, allicimur tantum, ſed ſub omnium maxima pœna & culpa iubemur (hoc enim eſt Deum habere) Hoc autem præcepto, nullis peccatis ſolueris, quin omnibus præponderat peccatis, præſertim cum eo tempore, huius præcepti ſeruandi & implendi aſſit occaſio. Neq; enim, ſi omnium aliorum præceptorum peccata feciſſes, atq; multis modis, tantum peccaſti, quantum ſi hoc momento contra primum hoc præceptum deſperes. Nam hoc eſſet iam Deum directe negare, quod horrendum eſt cogitare. Quis enim Deo ſuo in faciem dicit: Tu non es Deus? Imo quis hoc audire poteſt? & tamen deſperans hoc dicit ardentiſſimo & æterno affectu. Videtur ſibi idem dicere tentatus, imò nonnihil idem dicit, vel quod verius eſt, patitur id in ſe dici de diabolo.

Non habebis Deos alienos.

Deum habere quid ſit.

Deſperatio maximum peccatum.

Pſal.22. SEd quid, inquies, ſi me de Prædeſtinatione vexet, & inquietet quod fruſtra ſperem, ſi non ſum prædeſtinatus? De hoc Pſal.22. latius Chriſto propicio. Interim hoc ſatis eſt, Hanc eſſe periculoſiſſimam tentationem, quam qua cauſa moueat diabolus, vel ſapientia carnis, vbi ſcieris, ſimul ſcies, quo remedio occurras. Primum itaq; firmus eſto ac certiſſimus, hanc cogitationem non eſſe ex Deo, ideo omni ſtudio expellendam, tanquam eam, quæ Deo tuo diſpliceat multis modis. Non eſſe autem ex Deo cognoſces hoc ſigno, Quod quidquid ex Deo eſt, ad mandata & faciendam ſuam voluntatem mouet. Neq; enim aliud facit, cogitat, vult Deus, quam vt ſua voluntas fiat. At curioſam iſtam de tui prædeſtinatione ſolicitudinem, adeo non præcepit
Pſal.55. tibi, vt eam prohibuerit quoq; Pſal.55. Iacta ſuper Dominum curam tuam. Et
Matt.6. Matt.6. Nolite ſoliciti eſſe, Quærite primum regnum Dei.

Tentatio de prædeſtinatione.

Quo remedio occurrendum ſit tentationi de prædeſtinatione.

Nec diabolus vlla cauſa hac inutili cura & noxia te occupat, quam vt interim obliuiſcaris præcepti Dei tui, quo iubetis ſperare & credere, ſimulq; ſubdole te trahat in affectum & amorem tui ipſius, vt incipias quærere quæ tua ſunt. Hæc enim eſt vltima & ſumma eius machina, qua nos amore noſtri ſolicitos reddat, ac ſic in Dei præceptum reos ſtatuat. Quid autem prodeſt, ſi vſq; in finem mundi hac cogitatione occupareris? nihil inde ſequeretur, non ideo certus fieres, aut aliud de te Deus cogitare.

Machina ſumma diaboli contra nos.

Pſal.1. Eccle.6. Quare contra hunc laborem ſtultorum, & in faciem Diaboli hæc ſuggerentis, fulmina Scripturæ torqueas. Primum illud Pſalm.1. In lege Domini (non in prædeſtinatione ſui) meditabitur die ac nocte. Et illud Eccleſ.6 Cogitatum tuum habe in præceptis Dei, & in mandatis eius aſſiduus eſto.
Exod.13. Matth.7. Exod.13. Erit quaſi ſignum in manu tua, & quaſi appenſum quid ante oculos tuos. Et Matt.7. Non omnis, qui dicit mihi Domine Domine, intrabit in regnum cœlorum, Sed qui facit voluntatem Patris mei &c. Et multa ſimilia. Neq; enim aliud Deus requirit, quam voluntatem ſuam nobis eſſe aſſidua ſolicitudine commendatam. Quod vbi fecerimus, Prædeſtinatio ſua ſponte implebitur ſine noſtra cura. Ille vero Peruerſor, primo vult te de te ſolici-

Quid Deus à nobis requirat. tum eſſe,& poſtremo de Dei præceptis,vt ſic te præferas Deo tuo,nec ſuper omnia eum diligas,imò nec Deum habeas, Nam ſi illi vix perſeuerant,qui mandatis Dei intentiſſime inhærent,vbi apparebunt, qui eis deſertis, miſceri ſe permittunt extraneis,& vanis cogitationibus? Ita diabolo vel cordi tuo dices:Non hoc præcepit Deus,ſed ſperare me iuſſit, huic intendam ſolo negotio,illud ſi vellem non poſſem.

Tentatio Chriſti. Secundo,Non eſſe ex Deo,etiam hoc indicio facile intelliges,quod his machinis duo maxima mala tibi intentat, Primum, vt tentes Deum,quod Chriſto in pinnaculo templi quoq; intentauit.Conatur enim hoc te negotio occupare, vt optes certus eſſe de tua Prædeſtinatione, aut ſignum videre de cœlo.Quid enim eſt anxium de Prædeſtinatione eſſe,aliud, quam impatientem eſſe de incertitudine diuini conſilij? *Angi de prædeſtinatione.* Quid autem impatientia illa aliud facit,quam quod tentat Deum? dum illius conſilium certum ſibi eſſe optat? Breuiter,odit Deum eſſe Deũ,quia non alia vult illum ſcire,quam ipſe ſcit.

Notabile. Itaq; huic terribili peccato occurras verbo Dei,ſicut Chriſtus fecit,dicens:Scriptum eſt,Non tentabis Dominum Deum tuum. Debes enim velle neſcire eius ſecreta,quæ voluit te neſcire, atq; gaudere in hac eius voluntate, quam præcepit tibi obſeruare in omnibus. Amara autem hac occulti eius conſilij voluntate iam prædeſtinatus es. Ita ſemper ex præceptis ſeruatis ſua ſponte ſequuntur,ſine omni cura noſtra, quæ peruerſo ſtudio ante præcepta tam anxie & fruſtra quærimus,& tamen non inuenimus vnquam, quia *Via ad Deum.* præceptum Dei via eſt ad Deum,qua amiſſa,aliam dum quærimus, tentante diabolo per curam noſtræ ſalutis & prædeſtinationis, neceſſario erramus,& vtranq; amittimus,tam viam Dei quam noſtram,ac per hoc & prædeſtinationem & ſalutem.

Alterum maximum malum,quod te in idem præcipitium tollere nititur,quo ipſe cecidit,& Adam deiecit. Quid enim aliud molitur iſta cura prædeſtinationis tuæ,quam vt optes ſcire(vt diximus)conſilium Dei, At velle *Aequalitas Dei affectata.* ſcire conſilium Dei,eſt fieri velle æqualem Deo,ſicut ipſe voluit,quando dixit:Aſcendam in cœlum,ſimilis ero Altiſſimo.Et ad Adam:Eritis ſicut Dij, ſcientes bonum & malum.Atq; hoc iterum eſt nolle Deum eſſe Deum tuum, quod eſt ſummum omnium peccatorum, Atq; ita vides,quam aſtute his monſtris te contra mandata Dei tui ſolicitet,vt eo,quo ipſe cecidit caſu,cadas. *Eſa.14. Gen.3.*

Quare & hic fulminandus eſt verbo Dei,dicentis, Prouer.25.Sicut qui comedit vel multum, non eſt ei bonum, Sic qui Scrutator eſt Maieſtatis, opprimetur à gloria.Et Eccle.30. Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris,Sed quæ præcepit tibi Deus,illa cogita ſemper, & in pluribus eius operibus ne fueris curioſus. Non eſt enim neceſſarium tibi, ea, quæ abſcondita ſunt,videre oculis tuis.In ſuperuacaneis rebus noli ſcrutari multipliciter ,& in pluribus eius operibus non eris curioſus.Plurima enim ſupra ſenſum hominum oſtenſa ſunt tibi,multos enim ſupplantauit ſuſpitio illorum, & in vanitate detinuit ſenſus eorum. *Prouer.25. Eccle.30.*

Quando ergo his præceptis Dei prohibetur cura iſta curioſa operum *In curioſos inquiſitores diuinæ prædeſtinationis.* Dei,quæ nobis oſtenſa ſunt eſſe ſupra captum & ſenſum noſtrum,& incomprehenſibilia iudicia eius,cum timore in præceptis Dei potius occupari debemus,vt in eum ſperemus cum fiducia,& hæc ſtudia impoſſibilia, diabolo in caput ſuum vertere,& cum Ioab 2.Reg.10.fidenter in opus Dei accincti,dicere:Eſto vir fortis,& pugnemus, Dominus autem, quod bonum eſt in conſpectu ſuo,faciat.O pulchrum exemplum.Si hic prius diſputaſſet,an eſſet victoria prædeſtinata apud Deum, non pugnaſſet,imo diſputando negligens factus,& aliena operatus,victus turpiter fuiſſet. *Ioab 2. Reg.10.*

Ac vide hic impijſſimam impietatem, ſtultiſſimam ſtultitiam, peruerſiſſimam peruerſitatem noſtram, Ducimus vxores, ædificamus domos, plantamus vineas, emimus ſubſtantias, & nemo hic prius diſputat, prædeſtinatum ſit nec ne, vxorem fore caſtam vel adulteram, domum arſuram vel manſuram, ſubſtantiam perituram vel duraturam. Breuiter, omnia noſtra opera, maxime peccata, cum fiducia incipimus, perficimusq;, nihil ſoliciti, quid de ijs Deus prædeſtinarit, ſatis hic tutum eſt à noſtra temeritate altiſſimum eius conſilium, nemo hic non prius cogitat, ſolicitus eſt, æſtuat, quomodo faciat quod propoſuit, quam diſquirat ac diſputet de prædeſtinatione.

Impietas & ſtultitia hominum.

Quare hoc? Quia non ſunt à Deo præcepta, noſtra ſcilicet ſunt, à nobis electa. At vbi ad opera Dei & præcepta eius venitur, hic ſtatim quæſtio naſcitur, hic conſilium Dei tentatur, deniq; hic demum diſputamus, An Dei præceptis debeamus obedire, antequam eius ſecreta nouerimus. An hoc non eſt diuinam Maieſtatem amariſſima peruerſitate exacerbare, quod in noſtris tam ſumus patientes & obliuioſi ſuorum conſiliorum, & in ſuis tam impatientes & curioſi? Nonne æque folium arboris, non cadit in terram, ſine eius voluntate, atq; anima tua ſalua fiet ſine eius conſilio? Nec vllus capillus tibi creſcit, ſine eius conſilio, nec panē comedis, nec potum bibis. Hic non diſputas, nihil cunctaris; nihil trepidas, nihil moraris eius conſilium, quin ruas in opus? Illic vero totus es quæſtio & cunctatio.

Maieſtatem Dei acerbiſſima peruerſitate exacerbamus.

Vel nunc ergo intellige, non ex Deo, ſed ex diabolo, & quidem tunc offenſiſſimo & aſturiſſimo has cogitationes tibi veniſſe, vt ſuperuacaneis rebus te à præcepto & ſuauiſſima voluntate optimi Dei tui diſtrahat. Recte & aptiſſime in hos dicit Eccle. 11. Qui obſeruat ventum, non ſeminat & qui conſiderat nubes, nunquam metet. Quomodo ignoras quæ ſit via ſpiritus (id eſt, venti) & qua oratione oſſa compingantur in ventre prægnantis, Sic neſcis opera Dei, qui fabricator eſt omnium.

Eccleſ. 11.

Cogitationes anxiæ de prædeſtinatione non ex Deo veniunt.

Quid ergo? Nihil faciendum, quia ille omnia fabricat, & nos ea neſcimus? Abſit, ſequitur enim, Mane ſemina ſemen tuum, & veſpere ne ceſſet manus tua, quia neſcis, quid magis oriatur, hoc aut illud (id eſt, matutinum vel veſpertinum) & ſi vtrunq; ſimul, melius erit. Vides, quam omnia nos doceat neſcire, & tamen non ideo ceſſare, imo eo magis operari iubet, quo neſcimus quid futurum ſit, cum illi peruerſi ideo nolint agere, quia neſciant quid futurum ſit. Hoc enim quærit diabolus, vt non operentur in vita, nec in pace & ſpe obdormiant in morte, ſintq; vtroq; tempore Deo propter Deū rebelles & inobedientes, Sic tamen, vt culpa ſit non ipſorum, ſed ipſius Dei, vt qui non prius conſilia ſua reuelando euacuauerit, & diuinitatis ſuæ glorioſam maieſtatem, euacuatis conſilijs, nullam fecerit, quam illos præcepto ſuo moleſtauerit. Siquidem ſanctiſſimi homines, tunc omnia libenter eſſent facturi, quæ præcipiuntur, ſi primum ſcirent, quid de eis Deus cogitatit, hoc eſt, ſi nullus Deus & præceptor eis fuerit, nec Deus eſſe poteſt, ſi non aliud eſt, ſapit, nouit, quam nos ſumus.

Neſcire, ſed non ceſſare.

Peruerſitas hypocritarum.

Sed vide iterum, ſi nobis Deus ſua conſilia reuelaret, primum, trepidi fieremus, deinde contemptores aut deſperantes, ſicut & modo ſunt, qui putant noxium eſſe, prædicari gratiam & prædeſtinationem, quod hinc multi offendantur. Adeo quidquid Deus vult & facit, homo puluis ᵃ temere violat, vnum hoc æſtuans, vt ſit ſine timore Dei, hoc eſt ſine Deo, neq; enim timeri poſſet, ſi non ſecreta de nobis cogitaret, nec tunc fides, nec ſpes, nec Charitas locum haberet. Væ tibi furentiſſima impietas.

Alia ratio.

ᵃ Alij temerat.

AD ſpem reuertamur, vt prolixitati aliquando finem faciamus. Duo ſunt in ſpe obſeruanda, merita noſtra, & promiſſio diuina.

Duo obſeruanda in ſpe, merita noſtra & promiſſio diuina.

Inter hæc duo ſic conſtituas ſpem, vt ex promiſſione ſpem pendere ſcias, & ex ſpe merita prouenire, vt merita ſint opus ſpei, ſpes vero opus verbi, ſeu promiſſionis. Quare vt ſperes, non eſt neceſſarium merita habere, ſed potius vt puriſſima ſimplicitate in verbum promiſſionis gratuitæ ſpectes, in quod ſperando poſſis tunc merita producere, non ſecus atq; Apoſtolus Paulus, qui ad Galatas fere aliud non facit, quam quod iuſticiam noſtram non ex lege, nec operibus, ſed ex promiſſione benedicentis Dei fluxiſſe probat. Hæc enim Dei miſericordia gratuito promittens, & veritas promiſſionem adimplens, cauſæ ſunt ſpei, his animus prouocatur ad ſperandum, inuocandum, beneq; viuendum, quæ niſi eſſent, & nobis reuelata fuiſſent, nec fidei nec ſpei locus eſſet.

Cauſa ſpei. *Obiectum fidei & ſpei.*

Quare obiectum fidei & ſpei eſt, Deus Promiſſor gratuitus, ſeu ipſum verbum promittentis, atq; aliud nihil. Quod niſi vbiq; & ſemper obſeruetur, ſpes quoq; ſimul ruat neceſſe eſt, non aliter, quam domus ruit, quæ ſuper arenam fundata eſt, vbi flumina & venti irruerint. Super hanc enim promiſſionis & infallibilis verbi Petram ædificata eſt Eccleſia Chriſti, ſicut Pro. 18. Turris fortiſſima nomen Domini, ad ipſam currit iuſtus & exaltabitur. Vt & Pſal. 61. Factus eſt ſpes mea, turris fortitudinis à facie inimici. Nihil hic de meritis, ſed de Deo ipſo, de nomine eius tantum eſt memoria, in quibus ſpem collocet.

Prouer. 18. *Pſal. 61.*

Sequitur ergo, ſpem ex meritis non prouenire, ſed contra ex ſpe merita, aut ſpem ex ſpe in ſpem, vt ſit ante merita, cum meritis, poſt merita. Sicut in hac vita non apprehendimus iuſticiam, ſed ad eam nos extendimus, ſemper quærimus, ſemper iuſtificari petimus, ſemper remitti peccata, ſemper fieri voluntatem Patris noſtri, qui in cœlis eſt, ſemper ſanctificari nomen eius. Atque hoc ipſo tamen iuſti à Deo reputamur, ſicut dicit: Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſticiam. Ita & ſpes ſemper ex ſeipſa augeri recte intelligetur, operantibus eam tribulationibus, modo ſic ferantur, vt probati inueniamur.

Ex ſpe merita, non ſpes ex meritis. *Matth. 5.*

Ex quibus hoc ſequi videtur, Quod cæteræ virtutes forte poterunt agendo perfici, Fides vero, ſpes & charitas, non niſi patiendo, patiendo, inquam, intus operationem diuinam. Quia cæterarum opera ſunt fructus fidei, ſpei, charitatis, quaſi videas incarnatam fidem, incarnatam ſpem, incarnatam charitatem, atq; omnino in craſſis tantum operibus exercentur. Atq; hic ſponſa Chriſti rurſum inquinat pedes, quos lauiſſe ſe iactat, & induit tunicam, qua ſe ſpoliaſſe gloriatur, cum ſine vitio non poſſint fieri, quæ per vitiatam carnem fiunt. At fidei, ſpei, charitatis opus videtur idem eſſe. Quid enim eſt fides, niſi motus ille cordis, qui credere, ſpes motus qui ſperare, charitas motus qui diligere vocatur? Nam Phantaſmata illa puto, humana eſſe, quod aliud ſit habitus, & aliud actus eius, Præſertim in his diuinis virtutibus, in quibus non eſt, niſi paſſio, raptus, motus, quo mouetur, formatur, purgatur, impregnatur anima verbo Dei, vt ſit omnino negotium harum virtutum, aliud nihil, quam purgatio palmitis (vt Chriſtus dicit) quo purgatus plus fructus afferat.

Fides. Spes. Charita. *Palmitis purgatio.* *Iohan. 15.*

Deniq; cæteræ virtutes verſantur circa res craſſas & corporales externe, Illæ vero circa purum verbum Dei interne, quo capitur & non capit anima, hoc eſt, exuitur tunica & calciamentis ſuis ab omnibus tam rebus, quam phantaſmatibus, rapiturque per verbum (cui adhæret, imo quod eam apprehendit & ducit mirabiliter) in ſolitudinem (vt Oſeæ 2. dicit) In inuiſibilia, in cubiculum ſuum, in cellam vinariam. At hic ductus, hic raptus, hæc expolitio miſere eam diſcrutiat. Arduum eſt enim & anguſta via, relinquere omnia viſibilia, exui omnibus ſenſibus, educi ex conſuetis, deniq; hoc mori eſt, & ad inferos deſcendere. Videtur enim ipſa ſibi funditus perire, dum ſubtractis omnibus, in quibus ſtetit, verſabatur, hærebat, nec terram tangit, nec cœlum, nec ſe ſentit, nec Deum dicens: Nunciate dilecto meo, quia amore langueo Q. d. Redacta ſum in nihilum, & neſciui, in tenebras & caliginem ingreſſa,

Mors animæ fidelis. *Oſeæ 2.*

ingreſſa,nihil video,fide,ſpe & charitate ſola viuo & infirmor(id eſt,patior) cum enim infirmor,tunc fortior ſum. Hunc ductum Theologi myſtici vocant,in tenebras ire.aſcendere ſuper ens,& non ens,Verum neſcio an ſeipſos intelligant,ſi id actibus elicitis tribuunt,& non potius crucis,mortis,inferniq; paſſiones ſignificari credunt.Crux ſola eſt noſtra Theologia. *In tenebras ire.* *Crux noſtra Theologia.*

Rom.5. *2.Tim 2.* Ex his intelligi puto verbum Apoſtoli,quo modo ſpes ſit opus probatæ per tribulationes patientiæ,quod his omnibus homo velut excolitur,expolitur,excluditur,ſicut vas manu artificis,vt longe emineat vltra viſibilia & comprehenſibilia,non in merita,ſed in ſolum Deum confidere doctus. Sicut vas aureum,igne & malleis in vſum honorificum Domini ſui paratum,non autem in ſuum vel colorem, vel quodcunq; opus naturæ ſuæ(quæ eſt aurum) non enim vt aurum,ſed vt vas vſum hunc habet,nec yt fieret aurum,expolitum eſt,ſed vt vas in vſum fieret,paratum eſt.Ita homo per ſpem ad ſolius Dei vſum paratur,non autem opera ipſa ſpem parant,hoc enim eſſet prius ex poſteriore facere. Quare ſatis placet tropus Scripturæ,qui hanc purgationem & ſpei operationem,verbo exitus deſignat, Prouer.25. Aufer rubiginem de argento & egredietur vas puriſſimum. Aufer impietatem de vulgu Regis,& ſtabilietur iuſtitia thronus eius. Et vitulus ille aureus Exod.32. dicitur eodem tropo egreſſus,id eſt,paratus. Inde illud:Dominus cuſtodiat introitum tuum, & exitum tuum,id eſt,initium & finem tentationis,vt S.Auguſtinus tractat. *Prouer.25.* *Exod.32.* *Pſal.121.*

Error eſt itaq;,Liberum arbitrium habere actiuitatem in bono opere,quando de interno opere loquimur.Velle enim illud,quod credere,ſeparare, diligere iam diximus,eſt motus,raptus,ductus verbi Dei,& quædam continua purgatio & renouatio mentis & ſenſus de die in diem,in agnitionem Dei, Licet non ſemper æque intenſa ſit illa paſſio,tamen ſemper eſt paſſio.Ecce(inquit Iere.18.)Sicut lutum in manu figuli,ita vos domus Iſrael in manu mea. Quid,obſecro,actiuitatis habet lutum,quando figulus formam ei affingit? Nonne mera paſſio ibi cernitur? qua tamen proficit de ſua deformitate,in formam ſimilem artificis Ideæ. *Liberum arbitrium.* *Iere.18.* *Lutum in manu figuli.*

Ita per ſpem,tribulatione operante,naſcentem,diuinæ imagini conformamur,& creamur ad imaginem(iuxta Paulum)eius,qui fecit nos. Voluntas vero incarnata,ſeu, in opus externum effuſa,recte poteſt dici cooperari & actiuitatem habere. Sicut gladius in ſuo motu prorſus nihil agit, mere autem patitur, At in vulnere facto cooperatus eſt per motum ſuum, ſecanti per ipſum. Quare ſicut gladius ad ſui motum nihil cooperatur, ita nec voluntas ad ſuum velle,qui eſt diuini verbi motus,mera paſſio voluntatis, quæ tum cooperatur ad opus manuum,orando,ambulando,laborando,&c. *Ephſ.4.* *Coloſ.3.*

IAm vero plus quã ſatis digreſſi,aliquando ad Pſalmũ redeamus, *Redit autor vnde digreſſus fuit.*

Lætabuntur omnes,qui ſperant in te.

Primum verborum vim,deinde Prophetæ occaſionem ſic loquentis videamus.Soli ſperantes lætabuntur. Qui autem ſint ſperantes, iam ſatis diximus.Et in te,non in ſua,non in vllam creaturam, ſiquidem ſunt, qui confidant etiam in homine.

Illud videndum,Olam vſitatiſſimum in ſcripturis,quod in æternum, ſemper, in ſeculum ſeculi,& ſi quod aliud,transfertur, Ebræis ſignificat tropo linguæ proprio tempus incertæ & indefinitæ durationis, non autem vbiq; ſaltem æternitatem. Vnde in lege Moſi ſæpius dicitur, Legitimum ſempiternum in generationibus veſtris, cum tamen aliquando finienda eſſent omnia illorum,quod mihi latine non inepte dici videtur, ſemper,perenniter, perpetuo, Almanice,jmerdar/vel jmer vnd jmer. Sic enim noſtra verna- *Quid ſignificet Olam in Scripturis.*

 cula

cula dicimus,quod Pſal.103.ſcribitur:Non in perpetuum iraſcetur, neque in *Pſal.103.*
æternum comminabitur,Gott wird nicht bis ans ende zürnen/auch nicht imerdar drewen.

Quid mouit autem Prophetam,vt hos affectus tam copioſe commendaret? Impiorum ſcilicet conuerſatio,quos vidit in bonis ducere dies ſuos, (vt Hiob ait) ac ſic viuere, quaſi eorum ſit proprium lætari, exultare, gloriari. *Hiob.12.* Quod tam fallax & efficax eſt ſcandalum,vt multi Prophetæ ſe in hoc tentatos,& atra quadam nemeſi commotos querulentur. Sicut enim ſpecie operum & meritorum temporalium offendicula ſunt,ita & ſpecie præmiorum temporalium. Vnde de eis Pſal.73. Quam bonus Deus Iſrael his,qui recto ſunt corde, Mei autem pene moti ſunt pedes,pene effuſi ſunt greſſus mei, *Pſal 73.* Quia zelaui ſuper iniquos,pacem impiorum videns,Quoniam non eſt reſpectus morti eorum,& firmamentum in plaga eorum,In laboribus hominum non ſunt,& cum hominibus nō flagellabuntur,ideo tenuit eos ſuperbia,&c. Et Iere.12. Quare via impiorum proſperatur,bene eſt omnibus,qui præuaricantur & inique agunt? Et Pſal.144. Non eſt ruina maceriæ neq; tranſitus, *Iere.12.* *Pſal.144.* &c. Beatum populum dixerunt,cui hæc ſunt. Latius autem Hiob.21. Quare *Hiob.21.* ergo impij viuunt,ſubleuati ſunt,confortatique diuitijs,&c.

Verum gaudium in Deo eſt.

Contra has laruas,ſpecies,ſcandala,Propheta reuocat pios homines,vt contemptis illorum gaudijs, ad verum gaudium ſe conuertant, quod eſt in Deo. Quare per totum,geminam quandam antitheſin oportet obſeruare in hoc verſu,in hunc modum. Triſtes videmur illis,quod rebus ſubtractis patimur,in quibus illi nixi lætantur(vtrunq; horum ad ſenſum expoſitum fortiter ſcandaliſat, fallitq; plurimos) At intus,vbi nos viuimus in ſpe,& illi mortui ſunt,lætamur lætabimurq;,illi vero nec lætantur,nec lætabuntur. Noſtrum vero gaudium adeo verum & ſolidum eſt,vt de ipſo ſolo dici merito debeat, Lætabuntur,cum illorum lætitia magis triſtitia ſit,ſi interna videas.

Piorum gaudium verum & ſolidum.

Ita in totum damnat impiorum gaudium,& gaudium piorum commendat,quod quia ſine ſpecie eſt,illud vero magna ſpecie,fide opus eſt, verba ſpiritus loquitur in ſpiritu poſitus,alioqui & non intelliges,& illorum ſcandalo offenderis. Non enim poteſt carnalis homo ſapere,quæ Dei ſunt,id eſt, Gaudium eſſe in ſubtractione omnium bonorum, etiam ſpiritualium,cum gaudium eſſe neſciat,niſi in repræſente & ſenſibiliter poſſeſſa. Nos autem oportet gloriari in cruce Domini noſtri.

Pia æmulatio Sanctorum in impios.

Cum autem Ebræi optatiui loco,quem non habent, futuro indicatiui vtantur, & ex dictis cognouimus omnes huius Pſalmi affectus miro ardere zelo,ſanum eſt,& hunc verſum quadam indignationis ſanctæ æmulatione dictum intelligere,ac tale quippiam ſonare: Quid inſaniunt impij illi? quid ludunt animas hominum peſſima ſpecie? Obſecro Domine,damna eos & gaudium eorum,expelle eos,reuela eorum hypocriſin, Decidant à ſuis laruis, Vt lætentur ſolum ij,qui ſperant in te, Vt notum fiat & ſciant omnes, non eſſe vſpiam gaudium,niſi in multitudine miſericordiæ tuæ. Vror Domine nimis, quod hæc non perſuadere poſſunt,quod non audiunt, Tu ergo iudica illos & oſtende eorum vanitatem,ac noſtram veritatem.

Verum gaudium.

Atq; ita habemus,vbi,& quid ſit verum gaudium,nempe fiducia & ſecura conſcientia in diuinam miſericordiam. Hoc enim experti quoque dicunt,non eſſe gaudium ſuper conſcientiam puram,nec maiorem triſtitiam, quam perturbatam conſcientiam, ſicut dicit Sapiens: Secura mens quaſi *Prouer.16.* iuge conuiuium. Et Pſalm.36. Quoniam miſericordia tua ante oculos meos *Pſal.36.* eſt,& complacui in veritate tua. Neq; enim aliunde,quam intuitu miſericordiæ Dei , conſcientia læta & pura venit,vt Pſalm.4. dictum eſt : Lumen *Pſal.4.* vultus tui Domine ſuper nos,dediſti lætitiam in corde meo. Gaudium vero

illorum

illorum quid? Frumenti, vini, olei copia, id eſt porcorum gaudium in corporis ſaturitate.

In æternum exultabunt. Hoc verbum Hieronymus, laudabunt, tranſtulit, non male. Volunt enim eo ſignificari lætitiam vocalem, ſiue cantando, ſiue loquendo, Sicut gaudentes ſolemus iucunde loqui, aut etiam cantare, garrire, laudare, iactare eum, in quo gaudemus, Pſal. 51. Exultabit lingua mea iu-
Pſal. 51. ſticiam tuam (id eſt, cum gaudio prædicabit) Siue ergo in æternum pertinet ad verbum lætabuntur, ſiue exultabunt, perſtat in æmulatione & contentione Propheta, ac ſi dicat: Garriant illi in ſuis rebus, iactent ſe & ſua, cantent ſe
Hiob. 20. 21. ipſos, non modo nõ vere exultant ac lætantur, ſed nec in æternum. Gaudium (vt Hiob ait) hypocritæ inſtar puncti. Et 21. Ducunt in bonis dies ſuos, & in *Gaudium hypocritæ.*
puncto ad inferna deſcendunt. Adeo incerta & inſtabilis eſt iactantia eorum,
...rum. 14. ſed nec perpetua, vt quæ multis triſtibus caſibus interturbetur. Atq; vt bene cedant omnia, tamen extrema gaudij luctus occupat, & manifeſta erit eorum inſipientia, ſicut Iambris & Mambris. Quid ergo miſeri ſeſe fallunt & *Iambres. Mambres.*
Tim. 3. perdunt? At ſperantes in te, lætabuntur & exultabunt perpetuo, nec miſcebitur eis vllus extraneus (vt Sapiens dicit.)

Gal. 5. Hic videmus fructus, ex quibus poſſumus ſcire, An ſimus (vt vocant) in gratia, Fructus ſpiritus gaudium, Galat. 5. Nec eſt, quod dicamus nos hoc neſcire, Si in æternum & ſtabile ſit gaudium, & laus Dei perſeuerans, etiam in *Signa gratiæ præſentis.*
...t. 18. paſſionibus, fallax ſignum non poteſt eſſe, Ex fructibus enim cognoſcetis eos. Crux probat omnia. Quare ſi cum Pſal. 18. dicere potes, Laudans inuocabo Dominũ, & ſaluus ero, vere ſaluus eris. Hanc enim crucẽ quia impiorum gaudium non ſuſtinet, ideo in æternum & ſtabiliter non gaudent.

Alius fructus qui ſequitur, eſt garrire, libenter loqui, iucunde prædicare, audire verbum Chriſti, exultare iuſticiam eius, cantare miſericordiam eius, deteſtari vero fabulas impias, detractiones, obſcœnitates, & ſimiles feces mundi, An hæc non poſſumus ſentire? præſertim ſi tentati, prohibiti, paſſi fuerimus, propter hęc, vel inuidiam, opprobria, terrores, aut quæcunq; mala. Nam nec hoc tum erit fallax ſignum Chriſti in te viuentis, ſi perſeueres laudans, exultans, iactans gratiam Dei, contra ſuperbiam hominum.

Non ergo fruſtra, in æternum, cum verbo exultabunt compoſuit, quod *In æternum exultabunt.*
...2. 3. 4. ...c. gaudium ſpiritus foras erumpens, ſuſcitet ſibi aduerſarios veritatis, ſicut in Apoſtolis videmus contigiſſe, Acto. 2. 3. 4. 5. &c. Et quod inueniantur quidam, qui laudent Chriſtum, miſericordiam, veritatem, iuſticiam, gratiam Dei, ſed non in æternum, qui non ſatis ſperant, nec ſatis lætantur in eo, cedunt enim in tempore tentationis, neq; perſeuerant contra faciem iniquitatis, nec vbiq; nec omnibus, nec omni tempore audentes iactare Deum (id eſt, gratiam Dei) Quales & hodie multi ſunt, qui veritatem dicunt tantum vulgo omnia patienti, non ijs, quos timent ſeſe perſecuturos, quibus tamen maxime omnium dicenda eſt. Quod ſi dices, Principes populorum ſunt, extra Synagogas facient, excommunicabunt, extra ciuitatem eijcient. *Fortiter pugnanda veritas contra magnates Eccleſiæ.*

Audi quid ſequitur.

Et habitabis in eis, Quod Hieronymus dicit, & proteges eos. Ipſo protectore, quis præualebit? Atq; niſi tanta res eſſet aduerſus operarios iniquitatis & locutores mendacij, Dei miſericordiam exaltare, non eſſet opus *Miſericordiam Dei exaltare ardua res eſt.*

nobis

nobis promitti, hanc exhortatoriam promiſſionem. Scit ipſe portas inferi inſurrecturas aduerſum gaudium noſtrum, Sed confidite, Protector noſter Deus Iacob, non præualebunt. Habitabit in nobis ipſemet. Maior eſt (inquit 1. Iohan. 4.) qui in nobis eſt, quam qui in mundo, Si Deus pro nobis, quis contra nos. 1. Iohan. 4.

Ebraicum conſulens, inuenio hic verbum abſolutum, quod Pſal. 2. ponitur: Ego autem conſtitui Regem meum, quod ordinare, conſtituere, præponere Reuchlino ſignificat, Vnde in Ebræa proprietate ſonat, Habitabis in eis, id eſt, ordinationem ſuper eos facies, conſtitues ſuper eos, ordinator ſuper eos eris, tu curabis eos, tu reges eos, quod Hieronymus recte, etſi non plene, dixit, proteges eos, Latior enim Ebræi verbi ſignificatio. Pſal. 2.

Euangeliſare. Latum verbum.

Sicut & illud abſolutum eſt, Exultabunt, ſeu laudabunt. Q. d. erunt & ſint Prædicatores & Euangeliſatores (quod proxime huius verbi alludit ſignificato) Euangeliſare enim eſt lætum, iucundum, ſuaue, bonum verbum nunciare, quod iamiam Ebræis diximus ſignificare. Lætum autem verbum aliud non eſt, quam remiſſio peccatorum, multitudo miſericordiæ Dei, conſolatio triſtis conſcientiæ. At quid his nuncijs & iactatoribus gratiæ contigerit, videmus in Apoſtolis & Martyribus, & omnibus Sanctis. Rurſum, quomodo in eis habitauerit Chriſtus, rexerit & ſeruauerit, ſcimus. In illis vero quis habitabit? quis eos proteget? quis reget? Non his egent, fortes ſunt, gygantes in terra ſunt, potentes portæ inferi, ſedes diaboli, hic enim Princeps mundi eſt, & habitabit in eis.

Sequitur altera pars verſus huius.

Et gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum.

Gaudium in tribulatione. Gaudium in proſperitate.

QVanquam Hieronymus recte vertit, Et lætabuntur, qui diligunt nomen tuum, Tamen noſter Tranſlator pulchre vocem Ebræam expreſſit, quæ aliud genus gaudij ſignificat, quam primum verbum lætabuntur. Et ſicut mihi diuinat meus Morpheus, Illud ſignificat proprie gaudere, gaudium in ſe recipere & habere, Hoc vero, gaudium reddere & lætari ac velut lætificare, ſeu, vt dicunt Latini, iucundum eſſe. Vbi ſi quis in ſeipſo de ſuo gaudio iucundus eſt, gaudiũ eſt in gaudio, de quo Pſal. 68. Et delectetur in lætitia. Et 21. Lætificabis eũ in gaudio, alioqui nobis læti, alijs iucundi ſumus, (vt volunt) Sic 1. Reg. 2. Exultauit cor meum in Domino, id eſt, iucundum fuit. Et 1. Par. 16. Exultabunt agri & omnia quæ in eis ſunt, Sicut ille dixit, Lætas ſegetes figurate, quod nos reddant iucunditate ſua lætos. Pſal. 68. 1. Reg. 2. 1. Par. 16.

Gaudium ſpiritus ad affectum gratitudinis pertinens.

Verum ego ſtultus, qui in vocabulis adeo torqueor, cum multa talia ſint huius Linguæ, quæ lætitiam ſignificent, quorum ego nec poſſim nec velim conſtantem differentiam profiteri, Sufficit vel opinari, hoc præſens gaudij genus pertinere ad affectum gratitudinis, quo in Benefactorem grati & iucundi rapimur, de cuius dono lætati ſumus, qua gratitudine iucundi ſumus benefactori, eiusque votis reſpondemus, ſicut ager lætus ſuo cultori. Et hoc ita eſſe, videtur eo ſigno intelligi, quod in verſus initio verbum abſolute dicitur, Et lætabuntur, hic vero, Et lætabuntur in te, Vt priore verbo ſenſum beneficij abſolute indicet, Poſteriore vero acceptum beneficium referri in Benefactorem cum iucunda gratitudine. Nam in beneficio lætari etiam Pſal. 122. oſtendit: Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi & c. Vbi ponitur verbum huius verſus in principio poſitum. Non dico, hæc conſtanti Canone verbis Pſal. 122.

verbis iſtis duobus propria eſſe, ſed ex regimine & abſoluto ſtatu in hoc loco
Pſal. 32. 97. ſic poſſe diſtingui. Nam Pſal. 32. Lætamini in Domino. Et 97. Lætamini iuſti in Domino, idem verbum habetur cum regimine, quo hic verſus incipitur abſolute. Niſi id Canonem faciat, quod in Domino lætandum, ſicut in beneficio, illi dicant citra gratitudinis affectum.

Hæc autem ſignificatio apte quadrat ad ſententiam. Vt enim priore huius verſus parte gaudium in tribulatione deſcripſit, Ita hac poſteriore gaudium in proſperitate, ſeu gaudium in gaudio deſcribit, quod non eſt verum nec ſyncerum, niſi in Domino gaudeat, iuxta illud Iſaiæ: Gaudens gaudebo in Domi-
Iſa. 6. no. Quæ omnia non aptius intelligi poſſunt (vt dictum eſt) niſi cum Propheta, nobis ob oculos ponamus aduerſariam generationem, de qua penitus inuertere oporteat hunc verſum totum, vt qui in aduerſitate pro lætitia triſtantur deſperantes de Deo, nec exultant in æternum bene de Deo loquentes, ſed aſſidue murmurant male loquentes de Deo, Ideo nec protegit eos Deus, nec habitat in eis. Contra, in proſperis effuſi, inſipienter gloriantur, non in Domino, ſed in ſe ſuiſq; operibus, ſibi ipſis placent, ſuaq; mirantur, quia diligunt nomen ſuum, & quærunt gloriam ſuam, Ita vt recte hunc Verſum totum de talibus liceat in hunc modum vertere. Et triſtabuntur omnes, qui non ſperant in te, ſemper murmurabunt, & deſeres eos, & gloriabuntur in ſeipſis, qui diligunt nomen ſuum.

De gloriantibus, ſed non in Deo.

Itaq; proprijſſime, vtrumq; tempus, vtranq; hominum generationem, vtriuſq; affectus & opera, hoc verſu breuiter & mire diſtinguit & pingit ſpiritus Prophetæ, antitheſi aptiſſima. Impoſſibile eſt enim, vt non triſtetur, qui non ſperat in Domino, quoties irruit, quæcunq; tribulatio. Triſtatus autem non poteſt non murmurare continue, cum laus Dei ſine exultatione cordis nulla ſit. At hic murmurator triſtis & impatiens, Deo quoq; diſpliceat, ac magis magiſque deſeratur neceſſe eſt. Non enim in Babylone habitat, ſed in Sa-
Pſal. 76. lem, id eſt, in pace factus eſt locus eius, Pſal. 76. Et ſuper quietum & humilem
Iſa. 66. requieſcit ſpiritus eius, Iſai. vltimo.

In Deo non ſperans non poteſt lætari.

Contra impoſſibile eſt, vt non lætetur, qui ſperat in Domino, etiam ſi fractus illabatur orbis, impauidum enim ferient ruinæ. Lætatus autem non poteſt non bene cogitare de Deo, exultare in laude eius, & exhortari ſeipſum. Quare hic laudator patiens & lætus, dignus eſt, quem protegat & inhabitet Deus, Nec fruſtra lætari, ſperare, exultare permitteretur, ſeruans ſeruabit eum. Atque hoc eſt binium, in quo ſe diffidunt viri ſanguinum & doloſi, à viris miſericordiæ, & hominibus bonæ voluntatis, quantum pertinet ad tempus nubilum & horam tentationis.

Sperans in Deum lætatur.

Quare, vt ſæpius dixi, Saul noſter à ſpiritu Domini malo non habet leuius remedium, niſi Dauid noſter Pſalterio arrepto, pſallat manu ſua, hoc eſt, Si triſtatur anima tua, incipe iucundam aliquam cantionem vel memoriam in Deum tuum, & mox ſenties leuamen, & probabis probum eſſe conſilium ſapientis, In die malorum memor eſto bonorum. Et iterum: Multos occidit triſtitia, & non eſt vtilitas in illa. Hic enim Muſica in luctu, etiam contra Prouerbium, eſt oportuniſſima oratio, ſicut ille Pſal. 43. Quare triſtis es anima
Pſal. 43. mea, & quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, ſalutare vultus mei, & Deus meus.

Laudandus Deus in aduerſis.

Muſica in luctu.

Rurſus impoſſibile eſt, vt non placeat ſibi, infletur, glorietur, gaudeat in ſe ipſo, qui non Dei, ſed ſuum nomen, & gloriam diligit & quærit, quoties acciderit quæcunque proſperitas. Placens autem ſibi in ſua proſperitate, quid aliud faciat, niſi quod, vt prouerbium eſt, Mutuum ſcabunt muli, Ita ipſe ſuos benedictores benedicat, & laudatores laudet, Illique viciſſim, benedicentem

Gaudium impiorum in ſe ipſis.

Mutuum ſcabunt muli.

tem benedicant, laudantem laudent. Iuxta Pſal. 10. Laudatur peccator in deſiderijs ſuis, & impius benedicitur, Geſatter vber den zaun/vnd erwider/ Atq; hoc eſt nouiſſimum, quod poſſunt, vane ſcilicet gloriari, iactare, ſeipſos prædicare, quorum finis in confuſione.

Gaudium Sanctorum.

Contra, impoſſibile eſt, vt ſibi placeat, in ſeipſo gaudeat aut glorietur, qui non ſuum, ſed Dei nomen diligit, quantalibet arrideat ſerenitas & felicitas. Hac autem ratione diſplicens ſibi atq; vileſcens, neceſſe eſt, vt non niſi Dei nomen, laudem, gloriam quærat, & amet, & dicat, Sanctificetur nomen tuum, prophanetur vero nomen meum, & omnium, Benedicant omnia opera Domini Domino, Nec benedicat iuſto niſi tu ſolus, impiorum benedictio, maledictionis vice ducenda eſt.

Quid in cubilibus loquendum ſit.

Finge ergo, imo obſerua Prophetam (ſi vis hunc intelligere verſum) poſitum eo loco, vbi impiorum intuitus vitam, duplo ſcandalo vexetur. Altero quod ſibi omnia aduerſa cadunt, deinde omnia ſua & dicta & facta, pro ſtultitia & impietate ducuntur, quibus ad triſtitiam, impatientiam, deſperationem moueatur. Altero quod impijs omnia proſpera abundant, omniaq; eorum dicta & facta vehuntur, celebrantur, ac iam immortalitati, omnino conſecrantur, quod eſt atrociſſimum omnium, & quod maxime irritet ſcandalum. Tum iraſcens quidem, ſed non peccans, loquitur in corde ſuo, in cubili ſuo tacet, & finem expectans, dicit hunc verſum. Nam ſi quis quærat, quid loquendum ſit in cubilibus, de quo Pſal. 4. dictum eſt, recte reſpondebitur, Non aliud quam ea, quæ hoc verſu traduntur, Vt ſeipſum conſoletur in Domino, dum illi vaniſſime iactantur in ſemetipſis. *Pſal. 4.*

Tentatio à ſiniſtris & à dextris.

Vnde & aptiſſime ſeruat ordinem, Tentatio enim, quæ à ſiniſtris eſt, prior eſt, minus periculoſa, quod à latere tantum cadant mille, ſed à dextris decem millia, quæ & multo grauior & periculoſior eſt, nec niſi ijs, qui priore ſunt diu exercitati, obeunda, Vtraq; fornax quædam eſt probationis, ſicut ſcriptum eſt Eccleſ. 27. Vaſa figuli probat fornax, & homines iuſtos tentatio tribulationis. Altera Prouer. 27. Quomodo probatur in conflatorio argentum, & in fornace aurum, ſic probatur homo ore laudantis. Quo modo? Nempe, quod in illa inuenietur triſtis & murmurator. In hac gloriatur, diligens nomen ſuum, & benedicens ſeipſum. Atq; vt in priore caſu proprie vulgi, & eorum, quos peccatores contemnimus, eſt, Ita in poſteriore grauior eſt perditio pinguium Iſrael & electorum, & quos ſapientes & iuſtos veneramur, hoc eſt, impiorum iuxta Pſal. 78. Et occidit pingues eorum, & electos Iſrael impediuit, Et Iſa. 5. Deſcendentq; ſublimes & glorioſi ad eum ſcilicet infernum. *Pſal. 91. Eccleſ. 27. Prouer. 27. Pſal. 78. Iſa. 5.*

Caſu Regum & Principum terret nos Deus vt humiliemur.

Adeo ſemper Deus percuſſit magnates & primates, vt nos terreret, humilitatemq; tutiſſimam commendaret, Ita, vt proprie de magnatibus dicat Pſal. 76. Terribilis apud Reges terræ, & qui aufert ſpiritum Principum. Nec ſic tamen quidquam proficit apud tyrannos. Quis enim legitur vſquam in ſacris literis primo loco habitus, qui non aliquo inſigni caſu gloriam ſuam nobilitarit, ſi ab Adam ad Petrum vſq; numeres? Tanta, ſcilicet cura fuit Deo, pro humiliantis magnatibus, vt quibus neceſſe ſit, pro ſubditorum ſalute, vel honoris & dignitatis proſperitatem obuenire, ne fierent impij ſuæ gloriæ amatores, & nominis ſui dilectores. Rurſus vix vnus & alter è vulgo memoratur, qui ſcelere ſe infamarit, qualis Achan, & ille Num. 15. qui ligna ſabbato collegerat. *Pſal. 76. Num. 15.*

DE

DE NOMINE DEI TETRAGRAMMATON.

Ebræi decem nomina Dei iactant.

NOmen Domini hic quid ſit, quærendum eſt, de quo multa multi in diuerſis quoq; linguis. Ebræi decem nomina Dei iactant, teſte etiam diuo Hieronymo, inter quæ illud magna ſuperſtitione celebrant, quod Tetragrammaton vocant, Iehoua, cuius virtute neſcio quantum tutelæ & operationis ſibi promittunt, cum interea per impiam incredulitatem & blaſphemiam nominis Chriſti, ſine fine nomen Dei aſſument in vanum, nec aliquid minus curant, quam in nomine Domini ſalutem animarum ſibi parent. Dimanauit autem & in Chriſtianos eorundem ſuperſtitio, vt paſſim iactent, ſcalpant, figant, geſtent, quatuor iſtas literas; ſiue impij ſiue pij ſint, nihil curantes, velut Magi in literis & characteribus virtutes ſe habere præſumentes.

Nos vero, ſicut decet Chriſtianos, oportet hoc ſcire, Quod ſine fidei pietate omnia ſunt ſuperſtitioſa & damnabilia, adeo vt nec Chriſtus, nec Deus ipſe, vlli ſit ſalutaris, niſi per fidem habeatur. Quare quodlibet nomen Dei, imo quodlibet verbum Dei, omnipotentis eſt virtutis, in ſalutem corporis & animæ, ſi fidei reuerentia poſſideatur. Non itaq; nomen, ſed fides in nomen Domini facit omnia, nec vnum altero efficacius eſt: Si enim nomen Tetragrammaton ſolum tantæ virtutis eſt, ſtulte facit Eccleſia, quod non in ipſo, ſed in nomine potius Patris & Filij & Spiritus ſancti benedicit, baptizat, & omnia Sacramenta ſua perficit: Mirumq; ſit Eccleſiam Chriſti, quæ ſpiritum Dei habet, hæc nondum nouiſſe, quæ omnia nouit, quæ Dei ſunt.

Non nomen Dei, ſed fides in nomen Domini omnia facit.

Quod ſi dixeris, Et ipſum Tetragrammaton hæc omnia in ſe continet, omniumq; perfectiones, ita vt nominato ſanctæ Trinitatis nomine, aut Dei, aut Domini, ſimul ibi nominetur Tetragrammaton, Cur ergo ab alijs ſecernitur, cur non efficit in omnibus, quod efficit ſeorſum? An iā ſanctum eſt, & alia tam prophana, vt his mixtum polluatur? Aut tam inuidum, vt alijs hanc virtutis gloriam inuideat? Sint ergo iſta Iudæorum figmenta. Chriſtiani melius ſapiant, vnam ſcilicet eſſe omnium nominum Dei virtutem, ſi fidem piam habeas, ſine qua nec Sanctæ Trinitatis nomen tibi proſit.

Nomen Tetragrammaton.

Vna virtus eſt omnium nominum Dei.

Veruntamen quando omnia illis contigerunt in figura, vt nec iota nec apex fruſtra ſcriptus credatur, non negarem in nomine Tetragrammaton, aliam & ſingularem præ cæteris figuram fuiſſe ſignatam, in nouo ſcilicet Teſtamento reuelandam, vnde & tunc ineffabile habitum eſt, & etiamnum habetur Iudæis, quia reuelatum eiuſdem myſterium pertinaciſſime exhorrent. Quare vt & nos ſine nugemur ſine cum eis cabaliſemus, putemus nomen Tetragrammaton eſſe ſymbolum nominis ſanctæ Trinitatis, & nomen Patris & Filij & Spiritus ſancti, nunc reuelatum, tunc ſub quatuor literis fuiſſe adumbratum. Quod vt faciamus veriſimile, ex ipſis literis, ex numero, ex ſignificatione eorum argutemur.

Nomen Dei apud Iudæos ineffabile.

Significatio eſt hæc, Iod principium, He iſta, Vaf, & He iſta. Componantur grammatice & latine reſultabit hæc oratio, principium iſtius & iſtius. Quod cum nomine ſanctæ Trinitatis per omnia conuenit, Quod Pater in diuinitate ſit principium iſtius, ſcilicet Filij, & iſtius, ſcilicet Spiritus ſancti. Nam iſta pronomina, iſtius & iſtius obſcurius Filium & Spiritum ſan-

Cabala Lutheri de nomine Dei Tetragrammaton.

ctam repræſentant, ſicut conueniebat illi Teſtamento, in quo non erat reuelandum, ſed indicandum duntaxat myſterium Trinitatis. Sed nec Patris nomen clare expreſſum eſt, licet nomine principij plus notificetur, quam filius & Spiritus ſanctus: in quo ſimul ſignificatum eſt, nullſeſſe (ſicut Chriſtus Matt. Mat. 11.
11. dicit) cognitum Patrem neq; filium, niſi cui fuerit reuelatum. Siquidem nec hodie ſanctæ Trinitatis myſterium, etiam ſi nomen proferatur, cognoſcitur, niſi docente ſpiritu fidei.

Apparet itaque illis ſub nomine Tetragrammaton Perſonarum diuinarum numerum & naturam non ſecus eſſe adumbrata, quam nobis ſub iſto
Trinitas. Tetragrammaton. nomine Trinitas, Vt ſicut vocabulum Trinitas, ſi reſoluatur eius ſententia, dabis Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, Ita Tetragrammaton reſolutum reddet principium iſtius & iſtius, obſcurius quidem, tamen idem: Aeque enim tres commendantur Perſonæ, & duæ proceſſiones, atq; in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti.

Numerus quaternarius. Secundo, Numerus eſt quaternarius, Hic eſt quadratus planus primus: qui conſtat duabus proportionibus ſimplis æqualibus primis, quarum prior eſt, vnius ad vnum, poſterior duorum ad duo. Naſcitur igitur gemina proceſſione & proportione quadratus vnius ad vnum, & duorum ad duo, ab vnitate incipiens in quaternitate deſinens. Sunt autem proportiones iſtæ iuxta arithmeticam inæquales, ſed iuxta Geometricam æquales, ſed hæc ad Mathematicam.

Ita in quadrato huius diuini nominis ſignificatur vnitas paternæ ſubſtantiæ; ex qua vnus procedit Filius æqualis eidem ſimpla proportione prima: Ex
Proportio ſimpla. vtroq; autem Spiritus ſanctus ſecunda proceſſione, velut altera proportione ſimpla æqualis Patri & Filio, ſicut proportio duorum ad duo & vnius ad vnum æqualis eſt Geometrice. Cum autem proportio iſta ſimpla omnium ſit perfectiſſima, prima, & proportionum fons & caput, vbi neutra partium alteram excedit nec exceditur vtra, quia vnum vni, duo duobus, per omnia æqualia, Fit vt æqualitas perſonarum in diuinis, per duas tantum proceſſiones & non plures ſubſiſtentium, pulcherrimi iſtius quadrati ſeu Tetragrammati ſymbolo, ſignificata ſit antiquis Patribus in occulto. Aequalis enim Patri Filius proceſſione prima, æqualis vtriq; Spiritus proceſſione ſecunda.

Quatuor relationes. Huc iam facile eſt referre, quatuor iſtas relationes, quas Theologi habent vſitatiſſimas, Generatio actiua, generatio paſſiua, Spiratio actiua, ſpiratio paſſiua. Hæc enim quatuor conſtituunt (vt ſic dicam) Deum trinum & vnum, ſicut iſtæ quatuor literæ eius nomen.

Litera He. Tertio, ex ipſis literis ac natura earum. Syllaba prima terminat proportionem primam in literam He, quæ eſt lenis ſpiritus, vt indicet proceſſionem illam in diuinis eſſe, non carnalem, ſed ſpiritualem & ſuauiſſimam ac blandiſſimam, Aſpirationis enim litera, ſi proferatur, aliud non eſt, niſi quidam blandus proceſſus venti ſeu flatus, vt aptiſſime hanc proceſſionem Filij ſignificet. Similiter & totum nomen terminatur proportione ſecunda in eandem aſpirationis lenitatem, vt & ſecunda proceſſio intelligatur ſpiritualis, nec ab ea differens, niſi quod eſt ſecunda, & à prima procedens, nec differt Spiritus à Patre & Filio, niſi proceſſione ſola ab vtroq;. Cum ergo ſpirituales ſint iſtæ proceſſiones & ſpiritualiſſimæ naturæ, neceſſe eſt totum principium in totum fluere principatum, quod diuiſibilis non ſit. Ita ineſtimabilis pluralitas ſubſiſtit in ſimpliciſſima vnitate.

Hæc inquam, & ſiqua ſunt ſimilia, videntur eſſe in Tetragrammato veteri figurata, nunc vero in omnibus linguis reuelata, vt iam Tetragrammato

non

non ſit opus,non magis quam tota lingua Ebræa,pro intelligendo Deo. His ſuffragatur,quod Burgenſis dicit, Tetragrammaton idcirco ineffabile dici, quod nullius vocis Ebrææ Etymologiam ſapiat,nec Analogia liceat ſignificationem eius agnoſcere, Vt appareat, conſilio diuino has literas Ebræas quidem copulatas,ſed tamen velut extraneam & non gentilem Iudæorum dictionem inſignificabilem conſtitutam, quomodo latinis literis liceat dictionem aliquam conſtituere,grammaticis ignotam,tantum ſignificandi & memorandi cauſa. Quod Valentiniani videntur æmulari in ſua,abraxas,græca dictione. *Burgenſis.* *Valentiniani.*

Recte ergo ineffabile nomen Domini dictum eſt,quod tunc non fuerit reuelatum Trinitatis ſacramentum,& ſi occulte inſinuatum. Recte quoq; ſoli Deo hoc vnicum nomen tributum dicitur,& quod Deum ſecundum ſubſtantiam,& internam naturam ſignificat. Nam vere Deus in ſeipſo aliud non eſt,niſi Pater & Filius & Spiritus ſanctus,Trinitas,& ea quæ de vnitate & proceſſione dici ſolent. Quæ res in nulla creatura inueniri poteſt,quare nec Tetragrammaton ei aptari,cum alioqui nomina Regis,Domini,Dei,Fortis, Excelſi,Elohim,& ſimilium,alijs & conuenient & tribuantur vicem Dei gerentibus. Operibus enim Dei externis,angeli & homines aſſimilari poſſunt, Sed Trinitas in vnitate eſſe non poſſunt, Ideo & nominibus Dei fungi poſſunt, ſed Tetragrammaton & Trinitatis vocabulo vti non poſſunt. *Quare ineffabile dictum nomen Domini.*

Hinc puto facile ſolui difficultatem illam Exod.6.vbi multi æſtuant, quid velit ſpiritus,quando dicit, Ego Dominus qui apparui Abraham, Iſaac & Iacob in Deo omnipotente, & nomen meum Adonai non indicaui eis, cum tamen nomen Tetragrammaton longe ante etiam Gen.4.& deinceps ponatur. Non inquam,puto,id voluiſſe literas illas,ſcilicet,non fuiſſe eis indicatas, Niſi forte tunc literæ nominis eius nondum fuiſſent aut compoſitæ, aut ſcriptæ,Sed quod vim huius nominis,id eſt,fidem Trinitatis & noticiam Chriſti non fecerit publicari tempore Patrum, nec Moſi,nec totius veteris Teſtamenti,ſed tantum occulte inſpirari,& figuris adumbrari. *Nomen Dei non indicatum veteribus.* *Gen.4.*

SVnt qui putent Tetragrammaton eſſe nomen Ieſu, interſerta litera Schin,quod optarim eſſe probatum & verum, At quando Matthæus Euangeliſta cap.1.ſalutis Etymologiam illi tribuit,dicente angelo ad Ioſeph, Vocabis nomen eius Ieſum,Ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum a peccatis eorum. Tetragrammaton vero(vt dixi)nullius ſit Etymologiæ prorſus difficile erit idipſum tueri. Vt id taceam, quod in Ebræo vocabulo,quod ſalutem vel Saluatorem ſignificat,neceſſaria & ſubſtantialis,quam vocant,litera ſit, Ain,quam & Tetragrammaton non admittit,& nomen Ieſus exinde conſtitutum non habet. Verum aliorum in hac re iudicium eſto. Hæc pro vitanda ſuperſtitione Iudæorum dicta ſunt. *Matt.1.* *Ieſus.*

QVod eſt igitur nomen Dei,quod hoc loco Propheta diligendum tradit? Neq; enim vnum eſt tantum. Paulus 1.Tim.1.ſapientem vocat,dicens: Soli ſapienti Deo. ibidem: Regem ſeculorum immortalem inuiſibilem. Eiuſdem 6.dicit, Beatus & potens,qui ſolus habet immortalitatem. 1.Iohan.4. Deus charitas eſt. Ebræ.11. Non confunditur vocari Deus Abraham,Iſaac & Iacob. *Tim.1.6.* *Iohan.4.* *Ebræ.11.*

Et quid ſi totum hunc Dionyſium de diuinis nominibus adnebamus? Et eundem rurſus de myſtica Theologia,donec nullum nomen Deo relinquamus? Siquidem qui cogitatu incomprehenſibilis eſt , quo nomine effabilis *Dionyſius de diuinis nominibus.*

Nomen Domini, quod de ipſo prædicatur.

eſſe queat? Sed alijs otioſioribus iſta ſpeculanda relinquamus. Nos pro ſimplicitate intelligentiæ, hoc loco nomen Domini accipiamus, non id, quo vocatur, ſed quod de ipſo prædicatur, iuxta illud Prouer. 22. Melius eſt nomen bonum, quam diuitiæ multæ. Eiuſdem 10. Nomen impiorum putreſcet, Pſal. 22. Narrabo nomen tuum fratribus meis. Nomen ergo Dei, bona fama, laus, gloria, prædicatio, præconium Dei, vt clare monſtrat Pſal. 102. Vt annuncient in Zion nomen Domini, & laudem eius in Ieruſalem. Ecce nomen Domini, & laudem eius idem dicit, & eadem annunciatione prædicari, Pſal. 149. Laudent nomen Domini, quia exaltatum eſt nomen eius ſolius. Confeſſio eius ſuper cœlum & terram.

Prouer. 22. & 10. Pſal. 22. Pſal. 102. Pſal. 149.

Soli Deo debetur nomen omnium operum. Nomen Dei. Nihil nominis nobis arrogandum.

Cum autem ſolus Deus operetur omnia in omnibus, conſequens certe eſt, ſoli Deo deberi nomen omnium operum. Solus ergo bonus, ſapiens, iuſtus, verax, miſericors, clemens, ſanctus, fortis, Dominus, Pater, Iudex, denique quidquid nominari vſquam, aut de quopiam prædicari poteſt in laudem. Qua ſententia efficitur, vt ſicut nobis nihil relinquitur, virtutis aut operis, ita nihil quoque nominis poſſumus nobis arrogare. Atque vt ſumus homines, non niſi peccatum, mendacium, vanitatem operantes, nomen putridum & fœdum habeamus. Vt ſit omnis homo mendax, & vniuerſa vanitas omnis homo viuens.

Nomen noſtrum.

Quare nomen noſtrum eſt peccatum, mendacium, vanitas, iniuſticia, malitia, peruerſitas, & quidquid male dici de quopiam poteſt. Hæc cum agnoſcimus & confitemur, recte agimus, tum enim nos, noſtra opera, noſtrumque nomen odimus, abijcimus, amittimus Deum, Dei opera. Dei nomen diligimus, deſideramus, & quærimus, dicentes cum Pſal. 54. Deus in nomine tuo ſaluum me fac, Q. d. In nomine meo peribo, imo perditus ſum, in tuo autẽ ſaluus ero.

Pſal. 54.

Hypocritæ vani glorioſi.

HÆc autem aduerſus impiam impiorum hypocritarum Kenodoxian omnia dici à Propheta ſatis clarum eſt. Horum enim, vt eſt temeritas, ſeipſos iuſtificare cum Phariſæo & Simone leproſo in Euangelio: ita furor quoque eſt, ſeipſos iactare, & nomen ſuum amare, prædicare, omnibus alijs inſultare, publicanos, peccatoresque peſſimis nominibus accuſare, iudicare, vituperare. At pij & fideles Dei homines, ſi gloriantur, in Domino gloriantur, nomen Domini ſanctificari, magnificari, glorificari petentes: Horum eſt ſeipſos accuſare, iudicare, damnare, omnibus inferiores ſe exiſtimare, in nouiſſimo loco ſedere, atque ita nomen ſuum prorſus ignorare.

Pij in Domino gloriantur.

Iactantes falſo nomen Domini.

Verum & hic crux ipſa ſola iudex eſt teſtiſque veritatis. Quandoquidem ſunt, qui nomen Domini à ſe diligi iactent, magna fiducia etiam chartis illiniant, In nomine Domini, & ſoli Deo gloria. Item laus Deo, &c. In nomine Ieſu, & ſimilia. Denique cui non eſt in vſu vulgatiſſimo, inſignis illa & Chriſtianiſſima oratio, Deo gratias? Quid enim felicius Eccleſia eſſe poſſit hodierna, ſi nemo eorum, qui hæc iactant, mentiretur, & nomen Domini ſui in vanum non aſſumeret; ſed rara hæc auis. Si enim vere nomen Domini diligunt, ac non potius nomen ſibiipſius, cur indignantur & impatientiſſime ferunt, quoties nomine proprio tanguntur, hoc eſt, dum vel ſtulti, vel mali, vel alio opprobrio onerantur? Cur hic non agnoſcunt nomen ſuum, & dicunt Deo gratias & ſoli Deo gloria? Cur veritati, quam alius coram eis profitetur, tam atrociter reſiſtunt, quando eandem ipſi tam vero corde (vt garriunt) de ſeipſis profitentur? Itaque crux ipſa omnes oſtendit mendaces, vt vere ille dixerit, Ego dixi in exceſſu meo, Omnis homo mendax.

Vides

Videſergo, quam repente odium nominis ſui, mutatum eſt in impetuoſiſſimum amorem nominis ſui, Simul falſus amor nominis Dei, prodit ſeipſum, dum impatientiſſime fert, nomen Domini ſibi auferri per alium, quod ipſe continue & mendaciter à ſeipſo reiecit, & ſibijſi abſtulit dicens, Deo gloria, &, Deo gratias, Ego autem peccator. Hunc profundiſſimum affectum quis digne obſeruare poſſet, niſi Chriſtus eruce & contumelijs nos probari euraret? Atq; hæc eſt ſententia Gregorij eximia: Qualis vnusquisq; apud ſe lateat, illata contumelia probat: Nam hic mox, Deo gratias, vertitur in Dei blaſphemiam. *Odium diuini nominis ex amore nominis noſtri.* *Dictum Gregorij.*

Sed inuenit iſte Struthio frondem, qua ſe tegat, & in peccatis excuſet. Primum illud Auguſt. *Qui negligit famam, crudelis eſt*, Et iterum: *Conſcientia tibi, fama proximo neceſſaria eſt.* Tū illud. 1 Pet. 4. Nemo patiatur vt homicida, aut fur, aut maleficus, aut alienorum appetitor, Si autem, vt Chriſtianus, non erubeſcat, glorificet autem Deum in iſto nomine. Sed & diuus Hieron. palam docet, In ſuſpitione hæreſeos, non debere patientem eſſe quenquam. Primum hoc ioco loquimur in ſpiritu cum Propheta & coram Deo. Prouidere vtriq; debemus bona, non ſolum coram Deo, ſed etiam coram omnibus hominibus. Rom. 12. Et 2. Cor. 4. Commendantes nosmetipſos ad omnem conſcientiam hominum coram Deo. Et 1. Theſſ. 5. Ab omni ſpecie mala abſtinete vos. Chriſtus quoq; Matt. 5, Perſecutionem paſſos prædicat beatos, ſed propter iuſticiam. *1. Pet. 4.* *Auguſt. Qui negligit famam, crudelis eſt.* *Hieronymus.* *Rom. 12. 2. Cor. 4. 1. Theſſ. 5. Matt. 5.*

Ita veriſſimum eſt, coram hominibus nos non debere mentiri & falſum crimen agnoſcere, ſed potius mori, ſicut mulier illa ſepties percuſſa, apud Hieronymum. Veruntamen ſicut pati debemus mortem & quæcunq; mala propter iuſticiam innocentes, Ita libenter debemus pati nominis noſtri iniuriam, nec ipſum repetere cum tumultu, vt retaliare iniuriã, ſed quamlibet innocentes coram hominibus, tamen coram Deo confiteri oportet nos meruiſſe multo maiora, tam rerum vitæ, quam nominis incommoda. Sicut enim res & vitam, ita & nomen bonum, debemus agnoſcere eſſe bonas Dei creaturas, optimaq; dona. Verum non debemus nos his dignos æſtimare, & iniuriam fieri nobis putare, ſi auferantur, imo indignos nos his omnibus agnoſcere, patienterque eis, volente Deo, carere. *Non debemus agnoſcere falſum crimen.*

Quare non eſt neceſſe, adulterum, aut homicidam te confitearis, ſi non ſis, aut agnoſcas crimen eiuſmodi tibi intentatum, Imo nec confiteri, nec agnoſcere debes, ne mentiaris tu ſimul cum eo, qui te mendaciter afficit ignominia. Et tamen paratus ac quietus eſſe debes, ſi teſtimonio tuæ innocentiæ à te dato, non credens, nihilominus te criminetur: Sicut non debes dicere vitam tuam eſſe nihil, aut carnem tuam eſſe phantaſma, aut aurum tuum eſſe et iprum, quo humiliter ſapias, Sed hæc confiteri talia, qualia ſunt, Et tamen ſi auferantur, non reſiſtere, neq; repetere, nec vindicare. *Nota.*

Ita famam tuam obſcurantibus & detrahentibus reſiſtere non debes, & ſi debes innocentiam tuam proteſtari, nec eorum mendacia ſilentio malo confirmare. Sic olim Chriſtiani, Lugduno Galliæ, accuſati, quod in occultis infantes vorarent, vſq; ad mortem conſtanter negabant. Et Iere. 37. cum Ierias comminaretur Ieremiam, quod ad Chaldæos fugeret, reſpondit, Falſum eſt, non fugio ad Chaldæos. Nihilominus tamen, cum non crederetur ei, paſſus eſt ſe cædi, & in carcerem mitti innocentem. Sed & Chriſtus coram Hanna, conſtanter tutatus eſt doctrinã ſuam, quam ille interrogans oblique damnauit, Et tamen alapam accepit à miniſtro, paſſus innocenter eodem crimine ab incredulis traduci. *Quomodo agendum cum Detractoribus famæ.* *Iere. 37.* *Chriſtus tuetur Doctrinam ſuam coram Hanna.*

Regula. Hac regula & hodie nobis neceſſarium eſt incedere, quando impijſſimi magnatum adulatores inſanientes & feroçientes, innocentiæ bonorum inſidioſiſſime obtrudunt, nomen hæreticum, ſcandaloſum, erroneum, ſeditioſum, aurium piarum offenſiuum, pontificali reuerentiæ detractorium, & id genus prout libitum eſt ſuis opinionibus.

Ferenda fama detractio, non agnoſcenda. Ferenda ſunt, inquam, hæc portenta, ſed non agnoſcenda. Quod ſi præualeant rationeq; reddita non contenti, pergant furere, Deo confitendum eſt, Nos digna pati, & nomen non noſtrum, ſed Dei nobis vi, imo & iure auferri, vt qui indigni ſimus eo nomine, Intus vero per fidem & conſcientiã, foriſq; per confeſſionem conſtantiſſime ei adhærere. Nec enim nobis nomen bonum auferunt, quorum non eſt, ſed Deo, cuius dono in nobis erat. Quin ſibipſis noſtrum nomen auferunt, cum ideo nobis datum fuerit, vt ipſi per hoc ad Deum mouerentur, luce bonorum operum noſtrorum eruditi, vt glorificarent Patrem noſtrum in cœlis. Nihil ergo nobis aufertur de bono nomine, quando ipſum nec in conſcientia, nec confeſſione auferre, ſed tantum in opinione ſua propria, ſuo ſcilicet damno extinguere poſſunt. Ita vt magis illorum miſeriæ condolendum, quam noſtro damno triſtandum ſit. Qua in re dum innocentes nos confitemur, & reddita ratione, nomen malum repellimus, non nobis, ſed ipſis etiam inuitis calumniatoribus ſeruimus. *Matt. 5.*

Struthiones. Hoc affectu, hoc Canone, non curant famam ſuam Struthiones iſti, ſed id tantum quærunt, ne patiantur infamiam, nec quieſcentes, donec aduerſarijs (ſi poſſunt) oppreſſis, nomen ſuum receperint (iuxta iuris regulam, vel errorem potius) Vim, vi repellentes. Atq; ne fiant crudeles, famam negligendo (vt putant) impij fiunt & crudeles ſimul, nomen bonum vindicando, tanquam ſuum, non Dei. Itaq; peruerſiſſime abutuntur ſententia Auguſtini pulcherrima, Qui negligit famam crudelis eſt. Et iterum, Fama tua proximo neceſſaria eſt. Non enim ideo furendum eſt, & contra Euangelium pallium repetendum, quia pallio tuo opus eſt proximo tuo. Nec res quilibet defendenda, nec ipſa ſane vita, quod his eget proximus tuus. Sic non eſt fama per vim repetenda, quæ neceſſaria eſt proximo. Satis eſt in his omnibus non agnouiſſe crimen, deinde opus eſt, velle pro Deo maiora pati, vt ſic altera maxilla quoq; parata ſit, & tamen prioris percuſſio non agnoſcatur tanquam merito inflicta.

Vim vi repellere.

Pertinaces famæ ſuæ defenſores, abutuntur Dicto Auguſtini.

Eſſe autem meram ſimulationem in his pugnacibus & pertinacibus famæ tutoribus, eoſq; falſiſſime dicere, ſe amore nominis Domini hæc moliri, nec ſuum, ſed nomen Dei quærere, probabis hoc ſigno. Primum, quod in cæteris rebus Dei ſunt incurioſiſſimi, neq; enim ita æſtuant, vt faciant voluntatem Dei, & regnum eius quærant, quæ tamen maxime facerent, ſi nomen Dei pure diligerent. Deinde idem nomen Domini & famam bonam, in proximo ſuo patientiſſime tolerant perditum iri. Quin ipſi primi omnium ſunt, qui vt nomen Domini in ſe ſtatuant, in proximis perdunt. Vt hodie ſunt, qui Chriſtiani & Catholici ſibi videntur eſſe non poſſe, niſi inquirant quos hæretico opprobrio condemnent, vt probent, aliud nomen Domini, & alium Deum in ſeipſis habere, & aliud perſequi in proximis ſuis.

Non ſunt amatores nominis Dei, qui ſtudent alios malo nomine inſignire. Quare ne credas eos eſſe amatores nominis Domini, qui prompti ſunt alios malo nomine inſignire, & ſe ſolos bono nomine commendare. Id enim nomen eſt in omnibus, nec plus poteſt diligi in te ipſo quam proximo. Erras ſi doles & vreris te hæreticum vocari, & rides, gaudeſq; proximum hæreticũ haberi, Quanto magis ſi tu ipſe, vt ſpecioſus ſis, alium defœdes, cum ideo ſpecioſus eſſe debeas, vt alterius fœditatem tegeres, ſicut membra honeſtiora tegunt inhoneſta. 1. Cor. 12. *1. Cor. 12.*

Sed

Digitized by Google

SEd ad verba Prophetæ redeamus, Diligunt nomen tuum. No-
men Domini diximus eſſe famam, notitiam, laudem Domini, quæ vtique *Nomen Domini.*
oportet vt ſit in alijs, hoc eſt, in nobis per fidem & confeſſionem, vt, ſcili-
cet, non noſtra iuſticia, virtus ſapientia, ſed Dei in nobis reueletur, creſcat &
regnet. Sic enim in nomine Domini baptiſati ſumus, vt iam non nos, ſed De- *Baptiſari in nomine Domini.*
us viuat in nobis, & nomen impiorum pereat, quo ſolum Dei nomen in no-
bis ſit: Vbi vt omnia opera noſtra illius ſunt, ita & nomē, Sic tam res ipſa, quam
nomen non nobis, ſed Deo tribuatur.

Quod circa ne hoc quidem inepte dicitur: Nomen Domini intelligi, ſi- *Diligere nomen Ieſu.*
ue Ieſum Chriſtum, ſiue Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, Quod hæc
ſint nomina Dei, qui ſolus habet omne nomen bonum, Ita qui diligit nomen
Ieſu, diligit ſimul ſalutem Dei, veritatem Dei, miſericordiam Dei, virtutem
Dei, ſapientiam Dei, & omne bonum. Hæc enim omnia in nomine Domini
quocunq; includuntur. Quod ſi hoc facit, neceſſario ſimul odit nomen ſu-
um, nec gloriatur in ſapientia, ſalute, virtute hominis, quia vana ſunt, vt ha-
bere dignus ſit in ſe nomen Domini, quo & ipſe ſaluetur, & Deus glorificetur.

Quare emphaſin vtriuſq; vocabuli obſeruemus, Diligunt, & nomen. *Diligunt nomen tuum.*
Non ait, qui ſcribunt, dicunt, ſonant, indicant, cogitant, acute diſputant, co-
gnoſcunt, ſed qui diligunt nomen tuum. Quis enim non videat, quam multi
ſint, qui Deum & nomen eius tractant, nec tamen gloriantur in eo? Cor eo-
rum vanum eſt, & intimus affectus amoris peruerſus, Quo peruerſo, nihil re-
ctum geri poteſt, quo recto nihil peruerſum geri poteſt, Cum Sancto ſan-
Pſal. 18. ctus, cum peruerſo peruerſus eſt Deus.

Quid autem ſit diligere nomen Domini, non intelligitur melius quam
ex ipſa vi naturaq; dilectionis, Quæ eſt non quærere, quæ ſua ſunt, ſed quæ il- *Natura dilectionis.*
lius quem diligit. Quare is demum diligere probabitur nomen Domini, qui
contempto ſuo & omnium nomine ſolius Domini nomen optat exaltatum,
dilatatum, magnificatum, omnibusq; cognitum. Quod vt fiat, neceſſe eſt, vt
omnia cogitet, dicat, faciat, patiatur, quæ pro nomine Domini cognoſcendo, *Qui diligat nomen Domini.*
exaltandoq; valere putauerit, cum diſpendio tam rei quam nominis ſui. Quo
fiet, vt vaneglorioſus eſſe nequeat, ſed ſuijpſius prodigus contemptor inueni-
atur. Nec in vlla re ſuperbus glorietur quam in Domino, cuius nomen ſolius
diligit & quærit. Qui ergo tempore ſereno & ſua indutus ſibi placet ſuumq;
Prouer. 27. nomen libenter audit, hic fornace illa, quam Prouer. 27. Os laudantis appel-
lat, probatur, non diligere nomen Domini, ſed ſuum, Quales Propheta im-
pios illos hoc loco ſugillat, in fiducia iuſticiæ ſuæ gloriantes. De quibus &
1. Reg. 2. 1. Reg. 2. Nolite loqui ſublimia gloriantes, Recedant vetera de ore veſtro,
quia non in fortitudine ſua roborabitur vir.

Philip. 4. Paulus quoq; gloriatur, omnia ſe poſſe, ſed in eo, qui ſe confortat, Allo-
2. Cor. 11. qui non gloriatur, niſi in infirmitatibus ſuis. 2. Corint. 11. Pulchre & breuiter *Gloriatio virginis Mariæ.*
hæc beatiſſima Virgo comprehendit hoc verſu, Fecit mihi magna, qui po-
tens eſt, & ſanctum nomen eius, Q. d. Nihil ego feci, ille fecit mihi magna,
qui ſolus operatur omnia, qui ſolus potens eſt in omnibus, Cuius ob id ſolius
nomen quoq; eſt, Ipſi ſoli gloria, qui ſolus facit, ſanctum videlicet, quod nul-
li liceat attingere & ſibi vſurpare, Qui enim opus ſuum non eſſe intelligit,
qua temeritate nomen ſibi de opere alieno vendicet? Ille ergo ſanctificat no-
men Domini vere, qui ab ipſo vſurpando ſibi temperat. Hoc facit, qui opus o-
mne bonū agnoſcit nihil prorſus ad ſe pertinere, ſed ad ſolū Deum, vt ſit iux-
Pſal. 146. ta Pſal. 146. ſanctus quoq; in operibus ſuis. Ecce hoc eſt præceptū ſecundum.

Sanctificare nomen Domini.

Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum. Hoc oramus dicentes, Sanctificetur nomen tuum, hoc eſt, quod Pſal. 111. dicit: Sanctum & terribile nomen Domini. *Pſal. 111.*

At impij iſti iuſticiarij, temere irruentes, nomen Domini ſine fine polluunt, dum ſibi iuſticiam, virtutem, ſapientiam tribuunt, & in his nomen ſuum libenter audiunt. Ex quibus illud ſequitur, quod, quo pluribus donis Dei quispiam eſt adornatus, eo periculoſius viuit, nec ſit vlli hominum tam neceſſarius timor Dei, ne polluat nomen eius, & ſibi tribuat quidquam de his quæ Dei ſunt, aut tributum ab alijs patienter ferat. Hæc eſt illa tentatio à dextris, vbi cadunt decem millia, Sagitta, ſcilicet, volans in die, & dæmonium meridianum. *Pſal. 91.* Propter quam ſolam cauſam, S. Gregorius audet in multis locis aſſerere, omnium Sanctorum bona opera eſſe immunda, quod videlicet à nomine Domini ſatis abſtinere nequeant, nec tam ſanctum ac terribile habeant, quam haberi debeat, niſi plene mortificata ſit naturæ paſſio, quod in hac vita non perficitur. Quotusquiſq; enim eſt, qui ad nomen & laudem ſui terretur & expaueſcit, tanquam à re Dei ſacratiſſima, quam terror ſit attingere? Quin ſuauiter ridemus, ac ſicut porci patienter ſuſtinemus confricationem eiuſmodi laudis.

Tentatio à dextris.

Sanctorum opera immunda.

SEd vbi illi parebunt, qui velut Gigantes, monti monte impoſito & turri Babylonis extructa, contra Dominum, & nomen eius belligerantes immenſa libidine laudis & famæ inſaniunt, vt Domino tam opus quam nomen penitus auferant, ſibiq; ſolis vendicent. Interim aliud non garrientes, quam, Sanctificetur nomen tuum, Soli Deo gloria, Deo gratias, In nomine Domini, Amen, & ſimilibus fucis & ſtibio oculos Iezabelis ſuæ tingentes, pingentes, fingentes. Adeo ſcilicet mundus refertus eſt rapina æqualitatis diuinæ, prophanatione nominis Dei, pollutione gloriæ Dei, & non eſt qui intelligat, adeo vt pro nomine Dei, contra nomen Dei horribiliter etiam pugnent & implacabiliter diſſentiant.

Qui polluunt nomen Domini.

Calices, pallas, lintea Eccleſiarum & altarium, quanta eſt religio tangi à Laicis, quod videlicet ſint conſecrata in nomine Domini? At ipſum nomen Domini, quo omnia conſecrantur, nemo fœdius polluit & conſpurcat fœdiſſimi, ſcilicet, affectus gloriæ contactu, quam illi ipſi execrati conſecratores, reprobi iuſticiarij, vaniſſimi iactatores operum & verborum ſuorum.

Qui diligant nomen Domini.

Igitur ille venerabiliter diligit nomen Domini, qui pia reuerentia trepidat à laude & nomine bono, tanquam ab vnguento illo abſtinens, quod Exod. 30. præcipitur ſanctum haberi, nec ſimilem eius compoſitionem fieri, nec carnem hominis vngi ex eo, ſed ſolum tabernaculum & vaſa eius, &c. *Exod. 30.* Qui enim ſic nomen Domini colit & ſanctificat, rurſum ſanctificabitur ab eo, Iuxta illud Pſal. 18. Cum ſancto ſanctus eris. Non ſolum autem ita reueretur nomen Domini, ne tangat, ne vſurpet, ne vngat ſe illo, ſed cupit omnibus idem nomen hoc modo ſanctum & terribile fieri, atq; vt hoc fiat, nihil omittit ſiue faciendo, ſiue patiendo. *Pſal. 18.* Sic S. Thomam Aquinatem legimus, quoties ſui laudem audiret, ſe ſub veſte ſua, cruce ſignaſſe: optima certe & pia reuerentiæ conſuetudo. Summa omnium, ea quæ dicta ſunt, vulgo dicuntur in hunc modum: Ne quis in proſperis eleuetur. Breue & facile verbum dictu, ſed obſcuriſſimum & profundiſſimum intellectu, nec niſi expertis cognitum. Sicut Pſal. 111. dicit: Sanctum & terribile eſt nomen eius: Initium ſapientiæ timor Domini: Intellectus bonus omnibus facientibus eum: laudatio eius manet in ſeculum ſeculi. *Pſal. 111.*

Thomas Aquinas.

Summa dictorum.

Timor Domini.

Qui vero timorem Domini non intelligunt, niſi eum qui à craſſis peccatis & voluptatibus metu pœnæ abſterret, nihil intelligunt, nec vnquam

diſcent

diſcent gloriari in Domino, eum timor Domini is ſit, quo timemus ne quidquam eorum, qui Domini ſunt, id eſt, virtutem, & nomen nobis arrogemus, & arrogantes polluamus, non ſecus atq; res ſacras tangere veremur ne polluamus. In quo timore ſic proficiendum eſt, vt non ſolum temporalia, ſed & ſpiritualia bona non vſurpemus nobis, nec in his quidquam noſtrum eſſe ſciamus, niſi vſum ipſum neceſſarium pro nobis & proximis ſolius largitate Domini nobis conceſſum, pia reuerentia poſſidendum, & in ipſum cum fideli gratitudine referendum. *Nouan digna.*

1.Cor.4. Pſal.34 2.Cor 10. Qui tales ſunt, eorum laudatio manet in æternum, ſcilicet, quod non ſe ipſis nec vilis hominibus laudantibus gloriantur. Sed iuxta Paulum 1.Cor.4. à Deo ſolo volunt laudari. Tunc, inquit, erit vnicuiq; laus à Deo. Et Pſal.34. In Domino laudabitur anima mea. Et rurſum 2.Cor.10. Non enim, qui ſeipſum commendat, ille probatus eſt, ſed quem Deus commendat. Hos autem ſolos Deus laudat & commendat, qui laudem quameunq; abs ſe in ipſum retulerunt, nec voluerunt videri opera ſua, niſi vt glorificetur Pater eorum in cœlis, cuius nomen dilexerunt. Quare rurſus eos ipſe laudat & glorificat, ſicut dicit 1.Reg.2. Qui honorificauerit me, glorificabo eum. Et qui contemnunt me, erunt ignobiles. *Quos Deus laudet.* 1 Reg.2.

Arduiſſimum autem eſt, ſed neceſſarium, à ſolo Deo expectare laudem & nomen, amiſſis interim omnium omnibus nominibus, etſi quæ contigerint, velut non contigerint in Deum relatis, nec niſi pro aliorũ ſalute cum timore toleratis potius quam poſſeſſis. Hoc nimirum eſt ſeruire Domino in timore & exultare ei cum tremore: Nec deſperare tentatum, nec præſumere conſolatum, vt iam ſæpe diximus. *Laus à ſolo Deo expectanda.*

Quoniam tu benedices iuſto Domine: vt ſcuto bonæ voluntatis ſuæ coronaſti nos.

Hieronymus ſic: Quoniam tu benedices iuſto Domine, vt ſcuto placabilitatis coronabis eum. Pronomen Tuæ, omittit, & pronomen eum, aptius eſt, quam Nos, refert enim iuſtum. Videtur etiam mihi genitiuus in ablatiuum tectius mutari, vt ſcuto, placabilitate coronaſti eum. Verum maior vis in diſtinctione ſita eſt. Noſtra enim tranſlatio incipit vltimum verſum à vocatiuo, Domine, qui Ebræis eſt finis medij verſus. Habet vero hic verſus, paulo alijs verbis eundem ſenſum, quem vltimus verſus Pſalmi 3. Domini eſt ſalus & ſuper populum tuum benedictio tua. Vnde ſicut illic Epitaſis & Emphaſis in pronomine, Tua, & genitiuo Domini, Ita hic in pronomine Tu, & vocatiuo, Domine, obſeruanda. Cuius intellectus pendet ex antitheſi vtriusq; generationis, piæ & impiæ. Impiam benedicunt homines, & maledicunt piam, At piam, Tu benedices Domine, ſicut ſupra Pſal.3. verſu vltimo expoſitum eſt latius.

Reddit autem rationem verſus præcedentis, in quo dictum eſt, Lætari omnes ſperantes in Deum, tempore aduerſitatis exultare, & curæ eſſe Deo. In proſperis vero gloriari in Domino, omnes qui diligunt nomen eius. Quid ideo faciunt, quia ſciunt te vnum eſſe, qui iuſto benedicat. Qua ſcientia eruditi, contemnunt benedictiones & maledictiones hominum, qui eos tantum benedicunt, qui ſuum proprium nomen diligunt, eos vero qui ſolius Domini nomen diligunt, id eſt, iuſtos ſemper maledicunt. Quare non otioſe addit, iuſto, manifeſte aduerſarios impios indicans, quibus non Deus, ſed homines benedicunt contraria benedictione. *Benedicit iuſto.*

Vbi iterum in ſpiritu loquentis Prophetæ verba obſeruanda ſunt, Quod ſicut ſuperius appellauit eos operarios iniquitatis, malignos, impios, qui nihil minus quam hanc ſpeciem malam coram hominibus & in oculis ſuis habent, ſed habent ſpeciem pietatis, virtutem eius abnegantes, Ita iuſtos appellat eos, qui in ſpiritu tales ſunt, nihil minus hominibus quam iuſticiæ nomine digni viſi, vt quos oportet eſſe ſtultos, malos, inſanos coram ſpecioſis illis Sanctis, qui ſuarum benedictione virtutum ſibi ſecuri ſunt. Qui morbus ſeu potius impetus impietatis in Eccleſia hodie vſq; ad deſperationem remedij præualuit. Adeo quidquid magnatibus viſum eſt, abunde inuenit benedictores ſuos, tanquam Deo ipſi omni viſum ac placitum. Contra quod ſi mutias aut dubites, neceſſe ſit te mox hæreticum, & filium diaboli, filium perditionis ſine timore pronunciari.

Impij. *Iuſti.* *2. Tim. 3.* *Morbus in Eccleſia incurabilis.*

Sic hodie patitur nomen ſanctum & terribile Dei: ſic proſtituitur inſaniſſimis cupiditatibus hominum, ſic ſeruit immaniſſimæ tyrannidi Turcorum Eccleſiaſticorum peſſimorum, factum prorſus operculum omnium nequitiarum, omniumq; malorum. Ita vt nihil horribilius videri poſſit, ſi oculos ſpiritus aperias, quam quod nomini Dei tribuuntur, non niſi ſumma, infinita, diabolica opera: Rurſum diabolico nomini, non niſi optima & Chriſtianiſſima opera; Neq; enim hodie licet, ſi cui teterrimo facinori, quiſpiam adulator Magnatum præfixerit nomen Domini, & autoritate Dei, Chriſti & Apoſtolorũ, diaboli ſui ſtudia adduxerit, reſiſtere & reprobare; Sed niſi hæreticus exuri velis, hunc Sathanam & Antichriſtum, propter nomen Chriſti prætextum, oportet adorare & pro diuinis operibus celebrare.

Turci Eccleſiaſtici. *Nomen Dei hodie operculum omnium malorum.*

Contra, ſi quid moliatur Deus monſtris illis contrarium in nomine Domini, prorſus non licet huic fauere, conſentire, aſſiſtere: Sed diaboli autoritate & nomine iſta geri oportet credere & dicere. Quid enim aliud mereretur furens noſter in Chriſtum ingratitudo, quam vt in ſenſum reprobum traditi, peccato blaſphemiæ in ſpiritum ſanctum hic & illic irremiſſibili, ſine fine ſine timore permittamur peccare, Deum ſub nomine diaboli damnantes, & diabolum ſub nomine Chriſti adorantes? Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum. Si enim gentes, quod cognito Deo gratias non egerunt, ſic tradidit Deus in ſenſum peruerſum, vt monſtra illa, quæ Rom. 1. Apoſtolus recenſet, patrarent, Si Iudæos ita percuſſit, quod Chriſtum non ſuſceperunt, Quanto magis nos eramus digniſſime feriendi, qui ſuſceptum & nomen eius profeſſi, tanta malitia ſubuerſi, nomen eius illudimus & conſpuimus? At hæc quantæ putamus eſſe cruci ijs, qui diligunt nomen Domini? quam horrendum viuere in hoc tempore & nominis diuini has intolerabiles contumelias audire & videre.

Furens noſtra in Chriſtum ingratitudo quid mereatur. *Rom. 1.*

Diſcamus itaq; nos interim, & ob oculos ponamus aduerſantia illa ſibi iudicia Dei & hominum, ne erremus cum inſipientibus, neue, conſilium Dei ignorantes, deficiamus. Stat firma ſententia: Qui volet iuſtus fieri, peccator fiat neceſſe eſt, qui volet ſanus, bonus, rectus, deniq; Deiformis, Chriſtianus, Catholicusq; fieri, inſanus, malus, peruerſus, deniq; diabolicus, hæreticus, infidelis, Turca fiat, Et vt Paulus dixit, Qui vult inter vos eſſe ſapiens, ſtultus fiat, vt ſit ſapiens. Stat, inquam, hæc ſententia firma, quia ſic eſt voluntas in cœlo, quod per ſtultitiam ſapientes, per malitiam bonos, per peccatum iuſtos, per peruerſitatem rectos, per inſaniam ſanos, per hæreſim Catholicos, per infidelitatem Chriſtianos, per diabolicam formam deiformes facere propoſuit.

Aduerſantia iudicia Dei & hominum. *1. Cor. 3.* *Deus per peccatum facit iuſtos.*

Quæris quo modo? Cito & breuiter Dicetur, Talis non poteris fieri in Deo, qualis vis, niſi talis prius fias, in teipſo & hominibus, qualem ipſe

vult,

vult. Vult autem te fieri in teipſo & hominibus hoc, quod vere es, id eſt, pecca- *Homo in ſeipſo eſt peccator, &c.*
tor, malus, inſanus, peruerſus, diabolicus, &c. Hæc nomina tua, hæc res tua,
hæc veritas ipſa, hæc humilitas eſt, quæ vbi facta fuerint, iam talis es coram
Deo, qualis tu volebas, id eſt, ſanctus, bonus, verax, rectus, pius, &c. Hac ratio-
ne alius tibi & hominibus, alius ſoli Deo eris. Quid ergo miraris? quid turba-
ris, ſi vel tibi vel hominibus diſplices? quibus niſi diſpliceas, Deo placere non
Galat. 1. poſſit. Si adhuc hominibus placerem (inquit Paulus Gal. 1.) ſeruus Chriſti non
eſſem.

Sed id nos fallit, quod homines eſſe non arbitramur duces Iſrael, & eos,
qui horum ſtudio inſaniunt, Quaſi ignoremus ſub nomine Chriſti, etiam A-
poſtolis ipſis fuiſſe inſidiatum à Pſeudoapoſtolis, adeo ſecure nos falli dele-
ctat, nomine beatorum Apoſtolorum & Apoſtolicorum, modo liceat eis pla-
Pſal. 53. cere. Vt impleatur illud Pſalmi 53. Deus diſſipauit oſſa eorum, qui hominibus
Iſai. 3. placent, confuſi ſunt, quoniam Deus ſpreuit eos. Et Iſa. 3. Popule meus, qui te
beatum dicunt, ipſi te decipiunt, & viam greſſuum tuorum diſſipant. Obſe-
cro quam robuſta & libera hæc definitio: Decipiuntur omnes qui laudantur,
Laudatores ſunt deceptores? Quis non expaueſcat laudari? quis non optet vi- *Laudatores ſunt deceptores.*
tuperari? Illi ne ſoli recte ducunt ac docent, qui noſtra arguunt & miſeros
Apoc. 3. nos dicunt? Vere ita habet. Nam & Apoc. 3. Angelo Loadiceæ dicitur: Dicis,
quia diues ſum & locupletatus, & nullius egeo, Et neſcis, quia tu es miſer, &
miſerabilis, & pauper, & nudus, & cæcus.

Iſtis autem ſic habentibus, diligentiſſime cauendum eſt cuiq; Chriſtia- *Turbæ iudicium non ſequendum.*
no, ne turbam turbæq; ſecutus iudicium, eum contemnat, vel laudet, qui ho-
minibus vel laudatus vel vituperatus habetur, Periculum eſt enim hic ne in-
curratur in Dominum gloriæ, qui cum ſceleratis reputari voluit, & cum ſic
Iſa. 35. reputatis manet vſq; ad conſummationem ſeculi. Quia peccatores coram
hominibus ipſe iuſtificat, & ſanctos ſeculi damnat. In illis enim, amiſſo eorum
nomine, habitat nomen Dei ſanctum & terribile, quo ſanctificantur. In his
electo nomine Dei ineſt nomen hominum prophanum & abominabile, quo
polluuntur.

Eadem ratione, nec teipſum licet contemnere, ac de te deſperare, eo mi-
nus, quo miſerior in teipſo fueris. Nam cum nullum peccatorem liceat iudica-
re ac damnare, nec de eo deſperare, nec teipſum licet iudicare ac damnare, ſi-
ue tibi ſiue hominibus factus fueris peccator, Non aliter atq; non licet tibi
te laudare ac iuſtificare, nec de te præſumere, ſiue tibi ſiue hominibus, aliquid
eſſe videberis, ſed de ſolo Deo gloriari, & in nomine eius delectari, quod bo-
num eſt, in conſpectu Sanctorum ſuorum.

Credo autem ſatis notam Synecdochen figuram, quod iuſto ſingulari
numero pro iuſtis plurali dicitur, ſeu pro generali ſententia diſtribuendo, Be- *Benedicere.*
nedices iuſto, id eſt, quicunq; fuerit iuſtus. Deinde benedicere vſu Scripturæ *Maledicere.*
eſſe idem quod laudare, glorificare, bona optare, bene precari. Contra male-
dicere, vituperare, malum optare, Quod ſi à Deo fiat, res eſt & factum, quia
ipſe dixit & facta ſunt, ſi ab hominibus, nihil ſequitur.

Pſal. 1. Iuſtus vero ex multis iam dictis Pſal. 1. in ſpiritu & abſcondito dicitur, *Iuſtus.*
qui non in ſuis nec hominum, ſed Dei oculis iuſtus eſt. Hic eſt, qui credit &
fidit in Deo, de quo recte dixeris, Iuſtus eſt peccator, ſed diuerſo theatro &
conſpectu, vt diximus.

Vt ſcuto placabilitatis coronaſti eum, hoc eſt, circundediſti eum: Iuxta
Pſal. 125. illud Pſalm. 125. Dominus in circuitu populi ſui. Et 34. Immittet angelus
34.
Deut. 32. Domini in circuitu timentium eum. Et Deut. 32. Circumduxit eum &
cuſtodiuit

cuſtodiuit ſicut pupillam oculi. Verum & hoc inſenſibiliter agitur in ſpiritu, cum ſenſibiliter ſentias illud Pſalmi 118. Circundantes circundederunt me, ſicut apes &c. Quare fide apprehendenda eſt placabilitas, bona voluntas, beneuolentia iſta Dei, ne deficiamus, cingente nos in modum coronæ Saule noſtro 1. Reg. 23. Ita videmus variam Dei in nos conſolationem, ſed in ſpiritu, vt prouocet nos ad fiduciam ſui, ſicut Deut. 32. Quaſi aquila prouocans ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans: Sic enim aſcendit ſuper Cherubim & volat, volat ſuper pennas ventorum, Pſal. 18. *Pſal. 118. 1. Reg. 23. Deut. 32. Pſal. 18.*

Atq; hæc verboſiſſime (nec tamen ſatis digne) de his affectibus, fidei, ſpei, charitatis, gaudij dicta ſint, ad quæ, cum deinceps occurrerint, remittemus, vt ſemel prolixitate abſoluta, poſt hæc breuiores ſimus. Sitq; cum hoc 5. Pſalmo finito, hic primi ſtadij modus, vt recreati paruula quiete, ad ſextum alacriores veniamus.

ET quoniam viſum eſt hoc loco paulum ſubſiſtere, propter nonnullorum vſum, adijciemus coronidis vice, duos verſus per Eccleſiam cantatiſſimos in fine Pſalmorum, Gloria Patri & Filio & Spiritui ſancto &c. quando ipſi penitus affines ſunt, vltimis duobus huius Pſalmi verſibus, in quibus nomen Domini glorificandum & diligendum dictum eſt.

Gloria, inquit, Patri & Filio, & Spiritui ſancto. Sicut erat in principio & nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum, Amen.

In verſibus religioſiſsimis erigendus eſt affectus, vt quod pſallitur voce, pſallatur & mente & ſpiritu. In quibus ſumma omnium orationum & affectuum comprehenditur, non ſecus atq; in prima dominicæ Orationis parte (Sanctificetur nomen tuum) omnes ſequentes. Et in primo Decalogi præcepto omnia ſequentia. Ita vt ſicut primum Præceptum metrum & menſura eſt omnium aliorum & prima oratio omnium orationum, Ita huius verſus affectus primus & ſummus eſt omnium affectuum. Neq; enim quidquam orari debet, quod non primum in Gloriam Maieſtatis referatur, vt ſanctificetur nomen eius. Nec quidquam fieri in opere, in quo non primum quærantur, ea quæ Dei ſunt, vt ne habeatur Deus alienus. Ita nullius affectu debemus impenſius moueri, quam gloriæ Dei.

Sacrificia veteris Teſtamenti.

Deniq; hoc verſu, ſi ſpiritu & mente pſallemus, breui compendio abſoluemus, totam illam ſacrificiorum veteris Teſtamenti turbam. Quid enim aliud erat, Deo offerre pecudes mortificatas, niſi nos carnales homines peccato mortuos offerri Deo, viuentes iuſticiæ in laudem & gloriam gratiæ ſuæ? ſicut Oſeæ vlt. dicit. Tunc reddemus vitulos labiorum noſtrorum. Et Pſal. 51. Tunc acceptabis ſacrificium iuſticiæ, Tunc imponent ſuper altare tuum vitulos, Et Ebræ. 13. Per ipſum ergo offeramus hoſtiam laudis, id eſt, fructum labiorum confitentium nomini eius. *Oſe. 14. Pſal. 51. Ebræ. 13.*

Sacrificium noui Teſtamenti.

Nec aliud eſt noui Teſtamenti ſacrificium, quam huius verſus. Ita vt & altaris Sacramentum appelletur Euchariſtia, id eſt, gratiarum actio, quod in eo officio huius verſus vim & affectum proprie perſoluamus. Non enim ſatis eſt communicare corpori dominico, niſi in memoriam eius id faciamus, ſicut præcepit. At quam multi ſunt, qui hunc verſum quotidie murmurant, tam pauci ſunt, qui id, quod ſignificatur, adimplent. Quare neceſſe eſt vnumquenque ſeipſum obſeruare & admonere huius verſus monitorio & inuitatorio, quid nam Deo debeat.

Igitur

Igitur tribus perſonis dicimus,non gloriæ,ſed gloria,quod æqualis ſit gloria,eademq; vnius & trini Dei,ſicut vna maieſtas & diuinitas, in quoDei veri nomen ſanctum reuelatum confitemur,Vbi fides ſumme neceſſaria eſt,quæ & hoc verſu exercenda proponitur,Incomprehenſibilia ſunt enim quæ loquimur,& ſumma noſtræ fidei capita,

Verum ad vſitata nosaccomodemus,Placet interim,quodPatri potentia & virtus,Filio ſapientia & conſilium, Spiritui Sancto bonitas & charitas tribuatur,atq; his notionibus apprehendantur.Vbi qui pſallit gloriam Patri,ſuam ſimul offerat vaniſſimam gloriam,confeſſus ſuam infirmitatem & impotentiam,nec optet fortis & potens eſſe niſi in Deo Patre, Cum pſallit gloriam filio,abominetur ſuam ſapientiam & conſilium,mactatisque his beſtijs,offerat confeſſus ſuam inſipientiam,& ſtultitiam,nec optet ſapiens prudensq; haberi,nec apud ſe,nec apud homines,niſi in Deo ſuo filio, Cum pſallit gloriam Spiritui ſancto,ponat fiduciam iuſticiæ & bonitatis ſuæ, peccata confeſſus,optetq; ex Deo ſpiritui ſancto iuſtus & bonus fieri,mactetque opinionem beſtialem ſuæ iuſticiæ,Ita fit,vt omnia Deo,nobis nihil relinquamus,niſi confuſionem & confeſſionem malorum & nihili & miſeriæ noſtrorum,Ita iuſtificati ſumus,reddentes vnicuique quod ſuum eſt. *Patri potentia, Filio ſapientia, bonitas Spiritui ſancto tribuitur.*

Verum nullus ita ſapiat,vt ſeſe credat digne poſſe hunc verſum pſallere,Sed magis optatiue quam indicatiue pſallat,Vt ſit ſimul oratio, laus & gratiarum actio,cum nemo ſine vana gloria virtutis,ſapientiæ,bonitatis ſuæ ſit,nec vllus reperiatur,qui non aliquid Deo detrahat gloriæ,impureq; ſacrificet hoc ſacrificium.

Hoc autem ſic orandum eſt,vt communis ſit oratio,Sicut olim & nunc & ſemper,& in ſecula ſeculorum,hoc eſt,vt optet omnem creaturam ab initio vſq; in æternum,ſecum glorificare Deum,in quo pro omnibus & cum omnibus oratur,laudatur,glorificatur Deus,quæ eſt oratio gratiſſima & efficaciſſima,quia communiſſima,in quo id, quod in nobis deeſt, ſuppletur per communionem omnium Sanctorum,& præcipue Chriſti,in qua vniuerſitate tutiſſimum eſt concinere,vbi vocis noſtræ defectus,multitudine perfectorum iuuatur & perficitur. *Sicut olim,& nunc & ſemper.*

Vnde impoſſibile eſt,hominem vanæ gloriæ deditum , hunc verſum pſallere,niſi velut horribili ruditu totam hanc iucundam harmoniam vniuerſæ creaturæ confundat,quo ſibijpſi malum in caput prouocat & accelerat. Non enim tolerabilis eſt importuna iſta diſſonantia,Dei melodiam interturbans, A qua perdita gloria nos liberet ipſe Chriſtus, gloria noſtra,in ſecula, AMEN,

PSALMVS VI.

Ad victoriam in organis ſuper octauam Pſalmus Dauid.

Pſal.4. DE victoria & organis dictum eſt Pſal. 4.Octauæ vero myſticam ſignificationem multi exquiſitiſſime tractauerunt, quos ſuo ſenſu abundaſſe permittamus , & eos , qui ſimpliciter citra myſterium loquuntur, ſequamur. Grammatica ſiue hiſtorica ſententia arbitrantes, octauam fuiſſe organum ſeu citharam ogdochordam, Siquidem Pſal.33. indicat Pſalterium decachordum. Vt ſit ſenſus hunc Pſalmum eſſe vnum
Pſal.4. eorum,qui ad victoriam canerentur in organis (de quibus ſupra Pſal.4.ex 1.

Para.15.diximus)Sed ita, vt proprio inſtrumento ogdochorda,ſcilicet ci- 1.Par.15.
Ogdochorda cithara. thara caneretur,vt octaua ſit in titulo addita deſignandæ ſpeciei gratia. Nec mihi cognitum eſt,ogdochorda,fuerit ne ſumma,media,aut infima citharatum. *Pſalterium decachordum.* Pſalterium decachordum apparet ſummum fuiſſe,vt quod in iucundis & feſtiuis Pſalmis legámus celebrari. Certum eſt Pſalmos ad victoriam,in citharis cani ſolitos,quas frequenter generali vocabulo organa vocant Pſalmorum tituli.

Non autem eſt dubitandum,quod hæc omnia fuerint figuræ futurorum, & octo iſtas cordas non fruſtra fuiſſe tum inſtitutas tum commendatas. Ego ſane pro mea temeritate non tantum ad octauum reſurrectionis futuræ diem cum illis curro, ſed ad præſentis Eccleſiæ quoq; conditionem & affectum quendam ſingularem fidelium Chriſti, Non quod & tunc in veteri Teſtamento non fuerit hæc conditio,ſed quod non reuelabatur. Quare vel animi cauſa pie meditemur,ogdochordam citharam fuiſſe ſumma & principem præ cæteris inſignem: ſicut Pſalterium decachordum ſummum fuiſſe putamus,ideoq; eam hoc titulo,adiecto nomine octaua, inſignitam.

Pſalterium & cithara differunt. Dictum eſt autem in principio, Pſalterium & citharam in hoc differre; quod Pſalterium,quia cauitatem ſuperno ligno habet,reſonantiam deſurſum reddit;Contra,cithara,inferno ligno caua,ab imo ſonat. Quibus rebus figu- *Cithara carnis mortificatio.* rentur,duo iſta ſacramenta,mortis & reſurrectionis Chriſti,in nobis mortificatio carnis,& viuificatio ſpiritus. Vt citharæ cantus,aliud in veritatis reuela- *Pſalterium opus ſpiritus &c.* tione non ſit,quam opus crucis,mortificatio membrorum,deſtructio corporis peccati,qua ſurſum ducitur,à terrena ſua ſapientia,vt ſapiat ea quæ ſurſum ſunt,vbi Chriſtus eſt. Pſalterij vero cantus ſit opus ſpiritus,iuſtificatio, ſalus, pax & ſimilia,quæ fide & ſpe ſurſum veniunt. Vnde & citharæ proprie Pſalmis ad victoriam,ſicut dictum eſt,aptabantur,quod opus Domini,id eſt,crux Chriſti,indigeat exhortatorio,quo ad finem vſq; perferatur & victoriam perſeuerantia obtineat.

Quando autem hoc Pſalmo,ſumma illa crucis & mortificationis,extremaq; linea mortis,puta,& inferni deſcribitur,non inepte ei ſumma cithara(id eſt)octaua adaptatur. Octonarius autem numerus & celebris & *Octonarius numerus.* ſacer eſt in ſacris literis(vt Hieronymus recitat)ex octaua die circumciſionis, & octo animabus in Arca Noe. Dauid quoq; octauus & nouiſſimus filius Ieſſe dicitur: & Zacharias Iohannis pater,octaua die recepit loquelam ,& ſimilia. Sunt autem octo numerus ſolidus,quadratus,pariter par,ſex æqualibus lateribus,habens 24.triangulos planos,& octo ſolidos,ſicut teſſera,quæ & ipſa quadrata figura in ſacris literis vſitata eſt,a Philoſophis æquabilitati & ſtabilitati tributa. Porro ſenarius(quo & hic Pſalmus cenſetur)eſt primus numerus perfectus,vt ſignificetur ſolida,ſtabilis, perfecta, abſolutaq; veteris hominis *Senarij perfectio.* mortificatio,huius citharæ cantu,quæ reuera hoc Pſalmo deſcribitur.Cur autem non & alijs Pſalmis eiuſdem argumenti,idem titulus præfigatur, volumus libenter(vt Auguſtini verbo dicam)neſcire,quod noluit Deus nos ſcire.

Quare huius Pſalmi verba ei conuenient,qui ſuper octauam canit, hoc eſt,qui extremis mortis & inferni doloribus cruciatur, quod & ipſa verba oſtendũt. Vnde,meo iudicio,hic Pſalmus facit,quod præcedens docuit. Diximus enim illic naturam & vim ſpei in medio malorum & peccatorum laborantis conſiſtere. Cuius qui ſint affectus,qui æſtus,qui gemitus,quæ verba, quæ conſilia,hoc Pſalmo declaratur.

Proinde generalem putemus eſſe ſententiam & doctrinam Pſalmi, quæ non modo ipſi Chriſto,ſeu cuilibet Chriſtiano hoc patienti competat. Quod

ſi pur-

ſi purgatorij pœna eſt (vt mea fert opinio) pauor mortis & inferni horror, defectu ſanæ & perfectæ charitatis, aptiſſime in perſona defunctorum ab Eccleſia oratur, vt nec aptius quidquam poſſit. His autem, qui hoc affectu laborant, & erudiuntur, implacabile bellum eſt cum operarijs iniquitatis, qui operibus nixi & niti docentes, huic mortificationi pernicioſiſſime reſiſtunt. Non enim noſtrum hic, ſed ſolius Dei opus agitur, quod ſola ſpe fortiſſime patiente ſuſtinetur, non autem operibus hominum, aut tollitur aut conſolatur, quin in hoc exceſſu poſitus videt, quam omnis homo ſit mendax. Vnde & hic non perſecutores, ſed operarios iniquitatis, ſubdolos conſolatores acerrime arguit, quod ſpecie blanda, huic operi Dei noxij ſunt, vt quorum opinio non ferat hæc à Deo fieri, ſemper deſperationis & præſumptionis, nunquam autem ſpei, magiſtri & autores.

Nec putandum eſt, vniuerſos Chriſti fideles huius Pſalmi cruce vexari, Non enim omnes omnibus, etſi omnes multis & varijs tribulationibus probantur, ſicut in Euangelio non legimus, niſi vnam mulierculam Cananæam Syrophœniſſam, huius generis quadam paſſione exerceri, dum Chriſtus nec ad eius clamorem, nec ad diſcipulorum interceſſionem audire eam voluit, donec ſe catellis, non filijs extrema abnegatione comparari paſſa eſt, Cæteris aut cæcis, aut claudis, aut ſimilibus craſſis paſſionibus & malis vexatis. Ita & hæc tentatio eorum proprie eſt, quorum magna eſt fides, & , quale de Dauid dicitur, virorum ſecundum cor Dei electorum, Diſcenda tamen eſt, vt ſi quo tempore nos illa velit dies probari, parati ſimus. *Cananæa Syrophœniſſa. Matt. 15.*

ATque cur nō tentemus (quod à multis tentatum eſt) pro varietate paſſionum cognoſcenda, rationem ordinis quærere in Pſalmis præcedentibus? Siquidem varij Pſalmi ſunt, non niſi variarum paſſionum affectus & conſilia.

PRimus itaq; abſolutam imaginem pij viri, ſeu populi breuibus quidem & generalibus , tum verbis, tum ſententijs proponere videtur, ac prorſus talem, qualem varij Pſalmorum affectus oſtendunt, ſcilicet ſpiritualem, qui non niſi lege Domini afficiatur, nec vlla, ſeu proſperitate, ſeu aduerſitate mutetur, Rurſus contrariam impiorum imaginem, Deinde vtorumq; finem, Quod Deus illos nouerit, hos non nouerit, Ideo hos perituros, illos ſeruandos. Vt rectiſſime idem Pſalmus vice Argumenti in veſtibulo poni videatur, in quo, quid toto Pſalterio agatur, videri liceat. *Summa primi Pſalmi.*

SEcundo autem docet, caput & autorem pij populi Chriſtum, 2. Deinde locum & regnum eius, vbi, & vnde oriatur & quouſq; propagetur, nempe ex Zion in omnes terminos terræ, inuitis ſcilicet, & fruſtra renitentibus vniuerſis aduerſarijs, Tandem modum ac mores huius Regni, qui ſunt, ſeruire in timore & lætitia, atq; paratos eſſe, fidere & ſperare in eum tempore iracundiæ.

TErtio, Ipſe Rex & caput populi fidelis inducitur pro exemplo 3. paſſionis & glorificationis, ne ſit Dux ſolo nomine, qui multa iubeat & exigat, nihil vero faciat, ſed qui populo, cui præfectus eſt, legitimo Ducis & autoris officio præeat, potens in opere & ſermone, incipiens facere & docere.

QVarto, iam populus ducem ſequens per paſſiones, primo cor- 4. porales & leuiores inducitur, quibus exerceatur, contemptis rerum copijs & bonis huius vitæ (quæ abundantia vini & frumenti ſignificat) ad ſpem, in qua dormiat in pāce. Atq; hic eruditis primus & infimus eſt gradus, pro incipientibus & mollioribus deſcriptus.

5. QVinto, Temporalibus paſsionibus firmatus, obijcitur ſpiritualibus periculoſioribus tentationibus bellisq; verbi. Vbi, cum cogitationibus Satanæ, hæreticis ſcilicet, peruerſisq; opinionibus, aduerſus puram fidem & ſpem pugnantibus, atq; adeo cum ipſa ſpiritualiſſima Beſtia ſuperbia, ex ipſis bonis nata, qua Angelus è cœlo cecidit, pugnet. Ideo hic vehementioribus & auctioribus affectibus res agitur. Hic ſolius cordis patiuntur vires, & ſpiritus diſcrutiatur pro veritate & ſynceritate fidei. Qualem in Paulo aduerſus Iudæos & Pſeudoapoſtolos fuiſſe videmus affectum.

6. HOc ſexto tandē extremo & perfecto agone, cū morte & inferno certatur, quod certaminis genus, non cum hominibus, neq; ſuper temporalibus, neq; ſpiritualibus geritur. Sed intus in ſpiritu, imo extra & ſupra ſpiritum in ecſtaſi illa ſuprema, vbi nemo audit, videt, ſentit, niſi ſpiritus, qui gemitibus inenarrabilibus poſtulat pro ſanctis, ac cum ipſo quodammodo Deo certat, neq; nomen poteſt huic dari, nec niſi experto cognita fieri, de qua iam videamus.

DOmine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.

QVæſitum eſt, An aliud ira quam furor, aliud arguere quam corripere ſit? Et notum eſt alijs quoq; locis, argui & caſtigari ſimul componi. Vt Apo. 3. Ego quos amo, arguo & caſtigo, vt hic ſit vltimum corripias, id quod caſtiges ſiue diſciplines. Qui volet tautologiam eſſe, abundet ſuo ſenſu. Nos interim ſic diſtinguamus, Quod argui ſit reprehendi, corripi ſit reprehenſum percuti. Quæ ex vſu hominum accipimus, vbi reus primum accuſatur & reprehenditur, deinde ſententia data, plectitur. Sic & pueri vbi peccauerint, primum arguuntur, deinde verberantur. *Apo. 3.*

Argui & corripi differunt.

Reprehenſio cordis in ſpiritu.

Reprehenſio autem iſta cordis in ſpiritu, eſt pauor ille & horror conſcientiæ à facie Iudicij Dei, qua Chriſtus pro nobis laborauit in horto, ſicut de eo Iſa. 53. prædixerat: Laborauit anima eius. Et cū ipſe cœpiſſet tœdere & pauere, ait: Triſtis eſt anima mea, vſque ad mortem. Hic enim omni fiducia exuta, non niſi horribiliter rea ſibi inuenitur anima, & ſola coram æterno, iratoq; Dei tribunali conſtituta. De quo Iob. 9. Si repente interroget, quis reſpondebit ei? obtumeſcit enim, non ſecus atq; ille conuiua Euangelicus, Matt. 22. qui de veſte nuptiali interrogatus obmutuit. Tum illud, quod ibidem ſequitur, Ligatis illi manibus & pedibus, proijcite in tenebras exteriores, exprimit quod hic dicit, in ira corripi. Reprehenſa enim conſcientia & conuicta, mox non ſentit aliud, quam æternam ſibi intentari damnationem. *Iſa. 53. Matt. 26. Iob 9. Matt. 22.*

Pauci, qui hanc tentationem in hoc Pſalmo deſcriptam intelligunt.

Iudicium Lutheri de hac tentatione.

Nec eſt vllus, qui hunc affectum (quando nec inferiores) ſummum intelligat, niſi qui guſtauerit, Ideoque nec digne poſſumus eum tractare. Paſſus eſt enim præ cæteris Hiob, & quidem crebro. Inde Dauid & Ezechias rex, Iſaiæ. 38. & pauci alij. Denique Theologus ille germanicus, Iohanes Taulerus, non raro eius meminit in ſuis ſermonibus. Hæc mihi videtur tentatio illa, quam Chriſtus prædixit Luc. 21. Vbi inter cæter nouiſſimi temporis mala, terrores etiam numerat de cœlo, quibus fiet vt areſcant homines, præ timore & expectatione, quæ ſuperuenient vniuerſo orbi, vt periculoſiſſimo & peſſimo tempore, peſſima quoq; & periculoſiſſima regnet tribulatio. Sed & iam vidimus multos talia paſſos, & ignaros conſilij, verſos eſſe ad inſaniam, *Iſa. 38. Luc. 21.*

aut

ſunt aſſiduè tabeſcere,triſtari & conſumi. Hac quidam Patrum in eremo laborans, Timor Dei (inquit) etiam oſſa conſumit.

NEmo hic nobis obganiat, nec craſſo cerebro ſuo præſumat, ſe medium diſtinctorem præſtare inter ſeruilem timorem, & charitatem. *Timor ſeruilis.* Non capitur hoc opus Dei vlla intelligentiæ magnitudine, tenebræ ſuper faciem abyſſi hic ſunt, ſimul ſunt ſeruiliſſimus timor & fuga pœnarum, & ardentiſſima charitas Sicut Chriſtus Pſal. 142. *Pſal. 142.* Perijt fuga à me, & non eſt *Charitas.* qui requirat animam meam. Latet charitas in comprehenſibili profunditate, apparet ſeruilis timor intolerabili vi. Spiritus fertur ſuper aquas, & gemitus inenarrabilis ſolus eſt reliquus. Deniq; quid faciat hæc tribulatio, ex indicijs colligitur, quæ Pſalmus enumerat.

PRimo deprecatur iram & furorem Dei, quod non faceret, niſi ſenſiſſet iram & furorem eius, non enim recuſat argui & caſtigari, ſed hoc fieri petit in miſericordia. Sicut Pſal. 26. *Pſal. 26.* Proba me Domine, & tenta me, vre renes meos, & cor meum. Et Pſal. 139. Proba me Domine, & ſcito cor meum, interroga me, & cognoſce ſemitas meas. Vnde hoc verſu manifeſte duplicem virgam Dei docet, aliam miſericordiæ, aliam iræ, Sic Iere. 10. *Ierem. 10.* *Dei virga duplex, miſericordiæ & iræ.* Corripe me Domine, veruntamen in iudicio, & non in furore tuo, ne forte ad nihilum redigas me. Et Iob: 7. *Iob. 7.* Quare me poſuiſti contrarium tibi? Quid eſt homo, quod magnificas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum? Iſta tribulatio in Scripturis vocatur etiam dies viſitationis & inſpectionis, *Dies viſitationis ſeu inſpectionis.* quod ſola aſpectu ſuo intolerabili Deus diſcrutiet impios, Sicut Abac. 3. *Abac. 3.* Aſpexit, & diſſoluit gentes, & contriti ſunt montes ſeculi. Sic Exod. 14. *Exod. 14.* Reſpexiſſe legitur ſolum ſuper caſtra Aegyptiorum & mox ſecutum pauorem, fugamq; Aegyptiorum. *Dies extremi iudicij.* Deniq; hæc eſt dies illa extremi iudicij æternaliter duratura, quam nemo tegere, nemo fugere poteſt, niſi miſericordiam Dei ſpe apprehendat, in Chriſto Ieſu Domino noſtro.

Docet autem nos Pſalmus, ſi quis hoc malo anguſtiatus fuerit, non niſi ad ipſum confugiat Dominum iratum. Verum hoc arduiſſimum & laborioſiſſimum eſt, atq; omnino eſt ſperare contra ſpem, *Sperare in ſpem contra ſpem.* planeq; contra impoſſibilia niti, quantum ſentit affectus, vbi agitur pugna illa miſerrima, quam rex Ezechias de ſeipſo recidat, Iſa. 38. *Eſa. 38.* Domine (inquit) vim patior, reſponde pro me. Rurſus mox velut repulſam ſentiens, ſubiungit: Quid dicam, aut quid reſpondebit mihi, cum ipſe fecerit? Quaſi diceret illud Iob. 9. *Iob. 9.* Et cum inuocantem me exaudierit, non credo, quod audierit vocem meam. Adeo ſcilicet, hic variant, ſpes & deſperatio viciſſim, vt, ſi etiam exaudiantur inuocantes à Deo, tamen id non ſentiant, vt ne vocem quidem eorum auditam putent.

Quare & hic Pſalmus cum dicit, In furore tuo, *In furore tuo.* vtiq; confitetur, ab ipſo Deo fieri quæ patitur, vt poſſit dicere: Quid dicam? quid reſpondebit pro me? nunquid exaudiet? nunquid prodeſt ſi orem, quando certus ſum, quod ipſemet hæc facit? Quare, qui in leuioribus tentationibus non didicerunt confugere ad percutientem ſe (id eſt, ad Deum) ſicut in Prophetis locupletiſſime ſcribitur eſſe faciendum, cum ipſe omnia faciat, Quomodo in hac maxima preſſura, ad eum confugient, vbi maxime ſentitur Deus ipſemet facere?

Proinde aliæ omnes tentationes ſunt huius perfectiſſimæ, velut rudimenta & præludia, in quibus aſſueſcamus, & Deum contra Deum confugere. *Ad Deum contra Deum confugere.* Atq; ex hoc loco, ſumpta mihi ſunt, quæ de pœnis animarum in Purgatorio aliquando diſputaui, *Purgatorium.* Quod purgatorium mihi videretur eſſe, velut quæ-

dam prope deſperatio,& prope infernus,à quibus animæ neq; modis ſuffragij neq; indulgentijs poſſint redimi,niſi oratione Eccleſiæ, ſiue his purgentur ac perficiantur in charitate,ſiue ſatisfaciant pro peccatis,quod ego neſcio. Namneq; viuentem talia patientem poſſunt vllæ Indulgentiæ iuuare,ſed ſola ſpes & oratio Eccleſiæ.

Hocautem ſciendum,quod talia paſſis,huius Pſalmi doctrina diligentiſſime ſeruanda eſt,vt non euagentur,non querulentur,non quærant ſolatia hominum, ſed apud ſeſe conſiſtant,manum Dei ferant, & cum Propheta nuſquam conuertantur,niſi ad Dominum,dicentes:Domine ne in furore tuo arguas me. Qua prudentia niſi præſtent(vt volunt huius rei miſtæ) ſummo ſuo damno,è manu Dei medentis & purgantis elabuntur,dum ad conſolatiunculam creatutulæ confugiunt,non ſecus atq; ſi lutum è manu figuli inter formandum elabatur,peiusq; collidatur,donec penitus inutile fiat,aut proijci mereatur,tanquam reprobum.

Oratione prouocandum,contra Deum iratum ad miſericordiam.

Hoc Thren.3.Ieremias pulchre & late docet inter cætera,dicens: Pars mea Dominus,dixit anima mea,Propterea expectabo eum.Bonus Dominus ſperantibus in eum,animæ quærenti illum,bonum eſt præſtolari cum ſilentio ſalutare Dei.Bonum viro cum portauerit iugum ab adoleſcentia ſua,ſedebit ſolitarius & tacebit,quoniam leuabit ſe ſuper ſe,ponet in puluere os ſuum,ſi forte ſit ſpes,id eſt, Abſcondet faciem ſuam, & conuerſationem ſubtrahet, quaſi ſepultus in puluere cum mortuis. *Thren.3.*

Quo affectu & illud Pſal.143.dicitur:collocauit me in obſcuris, ſicut mortuos ſeculi,& anxiatus eſt ſuper me ſpiritus meus,in me turbatum eſt cor meum. In hoc ſilentio & hac ſolitudine perficitur hæc purgatio. Sicut & Pſal.55.Cor meum conturbatum eſt in me,& formido mortis cecidit ſuper me,Timor & tremor venerunt ſuper me,& contexerunt me tenebræ.Et dixi, Quis dabit mihi pennas,& volabo,& requieſcam?Ecce,elongaui fugiens, & manſi in ſolitudine. Expectaui eum,qui me ſaluum fecit à puſillanimitate ſpiritus & tempeſtate.Quod Ebræis à commotione ſpiritus & turbinis dicitur, tamen idem eſt in ſenſu. *Pſal.14.* *Pſal.55.*

Miſerere mei Domine,quoniam infirmus ſum,ſana me Domine, quoniam conturbata ſunt oſſa mea.

SEcundo Imbecillem ſe confitetur,ſcilicet deſtitutum viribus, vt quæ ferre nequeant inſuſtentabilem illam reprehenſionem & correptionem iræ Dei,Q.d.Terror iræ tuæ violentior eſt,quam vt ferre poſſim, & niſi gratiam virtutis præbeas, deſperatus funditus pereo. Sic Iob.11.Deus cuius iræ nemo reſiſtere poteſt,ſub quo curuantur qui portant orbem.Et Moſes Pſal.90.Quis nouit poteſtatem(id eſt,vim & impetum)iræ tuæ,& præ timore tuo,iram tuam? Et affectus magnitudinem oſtendit toties repetitum nomen Domini, Miſerere Domine,ſana Domine, vſquequo Domine. Ita enim faciunt & ij,qui leuioribus tentationibus premuntur,vt adiutorium & nomen Dei iterent corde & ore. *Iob.11.* *Pſal.90.*

Repetitio vocis Domine,oſtendit magnitudinem affectus.

Volunt autem verbum,Miſerere,proprie ſignificare hoc loco,non remiſſionem peccatorum.(quod verbo clementiæ aliquoties ſignificatur, ſeu miſeratoris,vt Pſal.111. Miſericors & miſerator) ſed gratiam,ſeu virtutem, qua roboratur anima,vt apte concinnat nomini infirmus,ſeu impotens ſum. Impotentia enim virtute iuuatur.Talis itaq; eſt huius tentationis natura, quæ propriiſſime iſtis verbis deſcribitur,ſed non niſi experto cognoſcitur(vt dixi) Imbecillitatem autem ſpiritus, non carnis hac particula tangit,id eſt, quod

Pati confortari.

nec

nec ſpes,nec charitas,imo nec fides ſatis ſit ad ferendum,niſi roborentur.

Quid ſit oſſa conturbari.

Tertio,Etiam oſſa conturbata dicit,& ideo ſanari petit.Quis vero intelligat quid ſit oſſa conturbari? Non enim de corporali oſſium turbatione loquitur,vbi vel febre vel alia ægritudine turbantur. Atq; hæc in experientia,etiam illuſtribus Patribus cauſa fuit, vt oſſa intelligerent virtutes animæ, quorum ſententiam non damno,Sed virtutes animæ,ſiue ſint vires,vt intellectus, voluntas,ratio,memoria,ſimileſq;,ſiue virtutes vel infuſæ vel acquiſitæ, dixi in priore parte verſus ſignificatas ſub infirmitate. Nam gratia proprie (quam verbo miſerere poſtulat) cor & vires eius ſtabilit contra infirmitatem illam ſpiritualem,in ſpiritu enim loquitur,

Oſſa hoc loco proprie accipienda.

Quare oſſa hoc loco debent ſecundum grammaticam proprie accipi, pro oſſibus ipſis corporalib:in carne noſtra, quæ ex infirmitate & turbatione iſta ſpiritus,turbantur vt tremant, nulliuſq; virtutis ſint,deniq; nec oſſa iam
Iſa 38. ſint,nec corpus ipſum ferre poſſint.Sic Iſa.38.Sicut leo contriuit omnia oſſa mea.Nam hoc eſt,quod & in morientibus aliquando videmus, vbi tremunt quidam & horribiliter diſtenduntur præ anguſtia & agonia, Ibi enim Deus operatur hanc tribulationem,vbi iam homo ad ſolatia humana currere non poteſt,cogiturq; tum purgantis manum ſuſtinere.Oportet enim hac ratione peccatum occidi,& à nobis ſeparari,vt Deum ſuper omnia diligamus,& inæſtimabili deſiderio eius ardeamus,& affectiones iſtæ terrenæ,quas peccatum operatur, incomparabiliter minores fiant, quam nunc ſit hoc deſiderium quærentis Deum,id eſt,gratiam & miſericordiam eius.

Qua ratione peccatum occidatur &c.

Dilectio Dei.

Hoc eſt quod dicunt,oportere Deum tantum & plus diligi quam dileximus creaturas,Quod qui ad mortem vſq; diſtulerint efficere,hanc magnam cogentur pati purgationem.Non autem diligitur Deus,nec deſideratur tam magno ardore,niſi tam magna prematur homo tribulatione,quæ cogat clamore cordis valido eum quærere & inuocare,Præſertim,ſi ſit vitijs profunde immerſus,& ſegnis fuit mortificator carnis ſuæ, tanto enim durior erit hæc mortificatio,quanto viuaciorem reddiderint affectum,qui mortificandus eſt, multiplicatæ peccatorum operationes,Atq; ſperandum,quod qui in vita has mortes & infernos tulerint,in morte mitius habituros,

Abſurda forte & inaudita hic loquor,præſertim ijs,qui indulgentijs, aut literis,aut operibus ſibi facilem præſumunt introitum ad Deum,Ego vero,vt hanc meam ſententiam demonſtrare non poſſum,ſi quis verbis his Prophetæ non credit:Ita ego propter eos à verbis Prophetæ non recedam.Vnuſquiſque in ſuo ſenſu abundet.Ego ſcio quid loquar,ipſi quoq; viderint,an ſciant quid loquantur. Hoc certum eſt,neminem peruenturum ad Dei miſericordiam, *Qui perueniant ad miſericordiã Dei.*
Pſal. 41. niſi eam vehementiſſime eſuriat & ſitiat,cum illo,qui ait: Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum,ita deſiderat anima mea ad te Deus.Fuerunt mihi lachrymæ meæ,panes die ac nocte. Et illud:Sitiuit in te anima mea,in terra deſerta inuia & inaquoſa:ſic in Sancto apparui tibi,

Ad quid profint tribulationes & mors.

Nemo ſperet ſaturam,aut faſtidientem animam à Deo repleri,qui eſurientes ſolummodo implet bonis,Quanto minus æternam vitam largietur faſtidioſis,imo præ hac vita contemnentibus,Sed ardentiſſime & Ineffabili gemitu quærentibus,petentibus,pulſantibus.Quod quia in vita non faceremus, præſertim quieta,poſuit nobis mortem & varias tribulationes, quibus preſſi
Iob.10. cogamur quærere miſericordiam & vitam,ſicut Iob dicit, Vitam & miſericordiam tribuiſti mihi,& viſitatio tua cuſtodiuit ſpiritum meum.

Cor lætum.

Certum eſt itaq;,paſſis hanc tribulationem oſſa corporis ita conturbari, vt oſſium officium implere non poſſint.Sicut econtra videmus,vbi cor fuerit exultabundum, & gaudio perfuſum, oſſa velut roborari, ac ad ſaliendum,

ſecumq; grauiſſimam ac fœtidam carnem leuandam prompta fieri nihilque non poſſe portare. Ita vt gaudium ſentiatur diffundi per oſſa, velut irrigatio quædam, Sicut Prouer. 3. dicit. Et erit irrigatio oſſium tuorum. Quin & Poeta dicit, Gelidus per oſſa cucurrit tremor. Adeo affectiones animi in corpus redundant. Recte ergo, *Sana me Domine*, dicit, quod etiam corpore tam æger ſit, vt oſſa non ſubſiſtant. Tanta eſt vis iſta tribulationis, non permittens vel angulum in omnibus viribus, quem non perturbet & conterat. Atqui hæc eſt ſumma purgatio peccati, pœnitentia & ſatisfactio pleniſſima.

Summa purgatio peccati. *Prouer. 3.*

Et anima mea turbata eſt valde.

QVarto, Animam turbatam queritur, hoc eſt, inferiorem partem, vitam, ſcilicet ſenſitiuam. Nam turbato ſpiritu & oſſibus, nullus ſenſus non triſtis quoq; redditur, vt iam nihil reliquum ſit in ſpiritu, corpore, anima, quod nō ſit amariſſima triſtitia, & panore occupatum. Anima enim ſentit mortis impetum, qui maxime ſenſum contriſtat, ſicut ſpiritus ſentit infernum, qui eſt intolerabilis. Quod autem mortis & inferni ſenſus ſit in hac turbatione, ſequentia oſtendent. Interim ſciendum, quod poſitis in hac turbatione, nihil eſt in creatura tam iucundum, quod viſum poſſit, vel pilo recreare, nihil tam dulce, quod aures mulcere, nullus guſtandi, edendi, bibendi, tangendi, olfaciendi affectus, quin omnia amariſſima ſunt. Eſt vero mors vndiq;, quidquid aſpexerint & ſenſerint. Inter vitam & mortem miſerrime diſtenduntur, mortem exhorrent, vitam non habent.

Turbatio animæ.

Notum autem eſſe cuiuis credo, quod anima & ſpiritus, vſu Scripturæ, differunt, licet Philoſophi ſua ſectentur. Nam ex Apoſtolo 1. Theſſ. vlt. habemus ita. Ipſe autem Deus pacis, ſanctificet vos per omnia, vt integer ſpiritus veſter, & anima & corpus, ſine querela, in aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti ſeruetur. In quam rem multa Origines & Hieronymus in varijs locis. Per omnia dixit Apoſtolus, id eſt, vt ſeipſum exponit, per ſpiritum, per animam, per corpus. Sed & ex Euangelijs habemus, Ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, ex omnibus viribus. De quibus nunc non eſt locus plura dicendi.

Anima & ſpiritus differunt. *1. Theſſ. 5.*

Et tu Domine vſquequo?

HIc aliqui non intelligunt verbum, ſcilicet, Vſquequo non eripis non emendas, Quos iuuat pronomen Tu. Et tu Domine vſquequo? Quo affectu & Pſal. 13. dicit. Vſquequo Domine obliuiſceris mei in finem? vſquequo auertis faciem tuam à me? Quam diu ponam conſilia in anima mea, dolorem in corde meo per diem? Vbi non ſolum petit maturari auxilium, ſed etiam velut impatiens moræ, queritur dilationis grauitatem. Siquidem cum in omni affectu, timoris, amoris, ſpei, odij & c. ſit dura & grauis mora, ſicut Prouer. 13. dicit, *Spes quæ differtur, affligit animam*, in hoc mortis & inferni affectu eſt omnium grauiſſima. Hic enim verum eſt, quod dicitur, longiorem eſſe vnam horam in Purgatorio, quam multos annos in hoc ſeculo.

Pſal. 13. *Mora in omni affectu dura eſt.* *Prouerb. 13.*

Breuiter, nec fert humana natura hanc tribulationem durare vel modico tempore, neq; totam capit ſed guſtat ſolū ſtillas eius aliquot. Sic è diuerſo dicitur de ijs, qui cœleſtem affectū rapti patiuntur, quod vix guttam percipiunt, cum vita iſta non ferat diuitias voluptatis illius vitæ. Quod ſi prævaleat affectus vter, aut differatur, animam mox egredi putant, niſi miraculum

ſubſit

ſubſit virtutis Dei. Quare his verbis: Et tu Domine vſquequo? inſigni nota gemitum indicat illum ineffabilem intimi ſpiritus hæc patientis. *Gemitus inenarrabilis.*

Conuertere Domine, & eripe animam meam, ſaluum me fac propter miſericordiam tuam.

ITerum indicat hoc verſu, animam ſuam eſſe perditam, ſeq; damnatum (ita enim ſentit in hora exceſſus huius) dum petit vt eripiatur, ſcilicet à morte vrgente, & ſaluetur ab inferno iam aperto ore deglutiente. Sicut pro animabus legimus, Libera eos de ore Leonis, ne abſorbeat eas tartarus, ne
Pſal. 9. cadant in obſcurum. Et Pſal. 9. dicit, Quia exaltas me de portis mortis. Et Eze-
Eſa. 38. chias, Ego dixi, inquit vadam ad portas inferi.

Et pulchre vim ſpei oſtendit, dum ante oculos ſuos non niſi miſericordiam Dei habet, dicens, Propter miſericordiam tuam. Q. d. Non propter merita mea, quæ quam nulla ſint, ſatis & nimio probat terror iſte iræ tuæ, & conturbatio cordis, oſſium & animæ meæ. Ideo propter miſericordiam tuam ſalua. Vt ſtet tibi gloria & laus miſericordiæ tuæ, in mea ſalute in æternum, quia etſi ego ſim indignus, qui eripiar & ſaluer, tu tamen dignus es, qui lauderis, glorificeris, ameris in ſecula. At laudari non poteris, nec miſericordia tua glorificatur, niſi ſint, quos eripias à morte, & ſalues ab inferno. *Vis ſpei.*

Sic in oratione Manaſſes regis Iuda, Quia indignum ſaluabis me, ſecundum magnam miſericordiam tuam, & laudabo te ſemper omnibus diebus vitæ meæ, quoniam te laudat omnis virtus cœlorum. Ecce hac arte reddit Deus miſericordiam ſuam nobis commendatiſſimam, dulciſſimam, ſuſpiratiſſimam, ſicut dignum eſt eam (cum ſit æterna & tantæ maieſtatis) commendari, dum nobis intentat malum, quod meruimus. Quibus vero mala hæc non intentat, ſed ſinit ire inſenſatus, quid mirum ſi vilis & faſtidio ſit miſericordia Dei, nauſeentque ſuper hac manna cœleſti. *Oratio Manaſſis.* *Qua arte Deus nobis miſericordiam ſuam commendat.*

Perit quoq; vniuerſus hoc examine, vnoq; momento garritus eorum, qui actibus congruis gratiam, & condignis gloriam ſibi merentur, qui operibus iuſticiæ ſuæ ſe ad iudicium hoc Dei intollerabile ſuſtinendum parant, incredibili furore. Ideo acerrimo animo eos in fine adortus, apoſtrophe robuſtiſſima inuadit, Diſcedite, inquit, à me omnes operarij iniquitatis, vt videbimus. Stat ſententia; Saluum me fac, propter miſericordiam tuam. Euanuit iuſtitia mea, cecidit virtus mea, perijt meritum meum, inuenta eſt iniquitas mea ad mortem & infernum. Beatus & glorioſus ero, ſi in miſericordia tua reſpirare detur. *Meritum de congruo & condigno Sophiſtarum.*

Atque ita docemur, vt ſicut de nobis prorſus nihil præſumere debemus, ita nequaquam de miſericordia Dei deſperare, ſed etiam contra vim mortis & inferni, quantumlibet indigni, eam inuocare. Quæ enim peccata? quæ mala tanta ſunt, vt deſperare te cogere debeant, quando hic audis, ne à morte quidem ac inferno, vbi ſumma peccata & mala eſſe neceſſe eſt, cogi ad deſperationem debere quenquam.

Quoniam non eſt in morte, qui memor ſit tui, in inferno autem quis confitebitur tibi.

HIC plane aperit totius Pſalmi huius affectū confeſſus ſe mortem & infernū ſenſiſſe. Nec n hæc loquitur Sophiſtarum ritu, de re ſibi incognita, quodlibet diuinare audentium, ſed experientiam ſuam recitat, & affectū hunc plane depingit. Saluū me fac, inquit, vt miſericordiā tuam *Affectus huius Pſalmi.*

prædicem

prædicem in æternũ, nec me in furore tuo iſto argue, in quo cum ſit mors & infernus, non eſt memoria, nec laus tua. Hic enim verum eſt illud Prouerb. 16. Nuncius mortis, ira regis. Sic Ezechias Iſa. 38. Viuens viuens ipſe confitebitur tibi, Quia non infernus confitebitur tibi, neq; mors laudabit te, non expectabunt deſcendentes in lacum veritatem tuam. Et Pſal. 115. Non mortui laudabunt te Domine, neq; omnes qui deſcendunt in infernum, Sed & multis alijs locis per Pſalterium hunc affectum ſignatum videbimus. *Prouer. 16.* *Eſa 38.* *Pſal. 115.*

Deſcriptio inferni. Quid igitur in morte & in inferno eſt? Obliuio Dei primum, deinde ſempiterna blaſphemia. Hic enim cura & amor ſui ipſius regnat impetuoſiſſima & confuſiſſima ſolicitudine. Ideo miſericordiam Dei non poteſt ante oculos ſuos habere. Quærit enim effugium, & non inuenit, tunc mox inuoluitur odium Dei ardentiſſimum, cupiens primo alium Deum, deinde ſe non eſſe. Ac ſic blaſphemat ſummam Maieſtatem, quam optat (vt dixi) ſummo niſu non eſſe, & ſi poſſet, non eſſe faceret. Atq; iſta fuga & inimicitia Dei æterna eſt, Tunc illud Pſal. 1. impletur: Impius ſicut puluis, vento agitatos, ſcilicet, fugiens & non effugiens. *Pſal. 1.*

In inferno nulla eſt redemptio. Sed hic obſtrepat quiſpiam, Quid ergo dicitur vſitato verbo, In inferno nulla eſt redemptio? Videtur enim nulli contingere pœna inferni, niſi damnatis. Reſpondeo: Quanquam hoc verbum in ſacris literis non nemini me legiſſe, tamen deſumptum videtur ex hoc verſu huius Pſalmi, tum alijs plerisq; locis Scripturæ. Male autem intelligitur à carnalibus iſtis & omnibus nobis inexpertis Theologis, Quaſi ideo nullus infernum guſtet, quia nulla ſit redemptio in inferno, cum eadem ratione nec Paulum guſtaſſe cœleſtia diceremus, quia beatitudo amitti non poteſt, nec peccatum ſentiri, quia remiſſum eſt in Baptiſmo.

Igitur verum eſt, præſente hac agonia aliud non videri niſi infernum, nec vllam apparere redemptionem, æterna omnia putantur eſſe, quæ ſentiuntur. Ira enim mortalis hominis aliquando finienda, ſed æterni Dei nunquam finienda hic ſentitur. In tuo, inquit, furore, ne arguas me, in furore hominis temporalis temporali argui parum eſt. *In tuo furore ne arguas me.*

Tum & omnia aguntur, quæ in inferno, non multum abeſt odium & blaſphemia Dei, niſi quod fortis vt mors dilectio, & dura ſicut infernus æmulatio, hic tandem in laude Dei præualet, alioqui amor cum odio, ſpes cum deſperatione, miſericordia cum ira, laus cum blaſphemia, perſeuerantia cũ fuga, breuiter, cœlum cum inferno duriſſime, acerrime, exquiſitiſſime pugnat, incredibili cruciatu anima. *Cant. 8.*

Verum quid perdimus verba, cum tamen nihil poſſimus omnibus verbis conſequi, quam indicium huius tribulationis? intellectum & ſenſum non dat, niſi ipſe affectus & experientia. Quamuis vnicuiq; noſtrum, ſi non eſt inſenſatus, cor & conſcientia ſua, his auditis, dictet, eſſe nonnihil, quod his verbis ſignificetur, nondum cognitum, formidabile tamen cognitu.

Laboraui, in gemitu meo, lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lachrymis meis ſtratum meum rigabo.

HIC verſus poteſt ordinari dupliciter: aut vt verbum, laboraui, ſeorſim abſolute accipiatur, aut, vt cum in gemitu meo copuletur.

Poſteriorem ordinem, etſi vſitatiſſimus eſt, hac vice omittemus priore ſeruato, in quo & Tautologia aptius mihi quadrare videtur, Vt ſit, In gemitu, ſeu ſuſpirio lauari lectum, idem quod in lacrymis, rigari ſtratum, gemitum cum lacrymis, lauari cum rigari, ſicut lectum cum ſtrato conferendo.

In E-

Natare faciam lectum meum.

In Ebræo habetur: *Natare faciam lectum meum, & liquefaciam ſtratum meum.* Merito quæritur, Vnde tantum ſulli hominum lacrymarum? Auguſtinus ſequitur more ſuo myſtica, ſequuntur eum & alij multi. Nos autem lectum & ſtratum omnino ad vim grammaticam accipimus, in quo requieſcit corpus per noctem, vſu hominum, Et lacrymas atq; gemitum, per Hyperbolen intelligimus lauare & rigare lectum. Non enim vnquam aut vſquam auditum eſt, aliquem Sanctorum tot fudiſſe lacrymas, vel vna nocte, nedum per ſingulas noctes, vt lectum rigaret, nedum natare faceret.

Hyperbole ad literam, hoc loco accipienda.

Verum hyperbolen ſic accipiemus, vt ad opus lacrymarum tantum foris
aptetur. Cæterum cum verba ſpiritus, ſpiritu ſint ponderanda, nulla erit hy-
perbole, ſi affectum hæc patientis conſideres, qui non quantum poſſit, ſed
quantum velit & optet, oſtendit. Sicut de Maria Magdalena dicunt Patres,
Eam fuiſſe non ſecundum vires ſuas locutam, quando ad hortulanum dixit,
Si tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi, & ego eum tollam. Omnia enim poſſibilia cre-
denti, ſperanti, amanti præſumuntur. Itaq; cum ſit Deus ſpirituum pondera-
tor, non autem operum, ſcruteturq, non facies operum, ſed renes & corda ho-
minum, ſine hyperbole, imo vero corde hic dicit, Se lectum ſuum loturum
ſuſpirijs & lacrymis. Quod etſi non poteſt, quia tamen tam ardens eſt, votum,
vt velit, iam coram Deo factum reputatur. Proinde recte fecerimus, ſi in opta-
tiuo modo legamus, O vtinam tantum mihi eſſet lacrymarum, quo per ſin-
9. gulas noctes lectum meum natare facerem. Sicut Iere. 9. Quis dabit capiti
meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo die ac nocte in-
terfectos Filiæ populi mei.

Facilius eſſe quaſuis alias pœnas in hac vita etiam ad diem iudicij perferre, quam animam breui tempore huius ſenſum iræ Dei & infernorum pati.

Teſtis eſt ergo & hic verſus, quàm horrendus ſit ille Agon
mortis & Inferni, quod optat impoſſibilia facere, quo liberetur ab eo Et hinc
nō difficile credo illorum relationibus, qui ſcribunt, Animas ſeu viuentes, ſeu
iam defunctas, aliquoties ſe fuiſſe confeſſas, malle in hac vita vſque ad diem
iudicij ferre maximam pœnarum huius vitæ, quam breui tempore in purga-
torio pati, Vehementer enim conſonant cum huius verſus ſententia. Sed &
38. Ezech. Iſai. 38. confitetur ſe totam vitam malle agere in amaritudine quam
has portas inferi ſuſtinere, Recogitabo, inquit, tibi, ſeu (vt melius Ebraice di-
citur) Promouebo ad te omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. To-
tam vitam optat amariſſimam, modo liceat hunc furorem & iram euadere.

Et id quoq; firmat Tautologia, quam ſupra diximus eſſe firmitatis indicium, qua ſerium ſuum maximum ſignat affectus iſte. Vide ergo, quod indicijs prodat hanc miſerrimæ pugnæ crucem, quam eligat omne malum mundi ſuſtinere, qui tot ſibi lacrymis plorandum decernit. Quid huic in mundo reliquum eſt, in quo poſſit delectari? Nonne hic perfectiſſime eſt mortificatus carne, quia deo viuere ſpiritu proponit & eligit, vt non in menſa, non in labore, non in die, non in opere, in quo alij forte plorarent, ſed in lecto & ſtrato, & in nocte, vbi cæteri omnes requieſcere ſolent, & fatigati recreari, ſtatuit ſibi tantum negotij, & eius inauditi, vt ploret lacrymis vſq; dum natet in eis? Poſſunt fortaſſis hi, qui aliquando in periculo ſubito mortis fuerunt, huius verſus vim aliquantam ſentire, Verum in legitimo agone mortis & inferni, hoc votum & ſtudium facile exigitur ab homine, facile & ipſe proponit & facit, ſi poteſt, paratus multo maiora promittere & facere.

Laboraui (inquit) aptiſſimum verbum ad negotium præſens, quo ſignificat anxium & in magna difficultate ſeſe fuiſſe. Ita enim & Iſai. 53. accipitur, Pro eo, quod laborauit anima eius, id eſt, vehementer anxia fuit, ſicut ait:

Triſtis

Beati qui lugent

Triſtis eſt anima mea vſq; ad mortem. Hic inquam labor cogit, vt tam ardua & grandia ſit promptus tum facere, tum pati. Beati ergo qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur, qui ſeipſos affligunt, plorant, & humiliant, ne hanc afflictionem ferre cogantur. Cætera relinquimus vſui & experientiæ.

Turbatus eſt à furore oculus meus, inueteraui inter omnes amicos meos.

REuchlin ſic, Verminauit ex iracundia ſpecies mea, Volens tranſlatiue verminare id eſſe quod corrodi, ſicut veſtis à tinea corroditur, vaſtatur & perditur. Eſt autem idem ſenſus cum noſtro, vult enim Propheta dicere, Huius agonis eam eſſe vim, vt immutet totũ hominis aſpectum. Nec mirum, cum conſumat & oſſa & ſanguinem, ideo pallidum ac deformem fieri ſe dicit hac tribulatione. Nam & quilibet triſtitia tandem deformat habitum & vultum hominis. Verum quod aliæ efficiunt paulatim, hoc iſta accelerat breui, nimio triſtitiæ impetu. Legimus multos magna triſtitia repente canos eſſe factos, quanto magis hac agonia tabeſcent & veteraſcent homines. Simile Pſal. 39. Amoue à me plagas tuas, à fortitudine manus tuæ ego defeci, In increpationibus propter iniquitatem corripuiſti hominem, & tabeſcere feciſti ſicut araneam animam eius. Ebraice, Quaſi tineam poſuiſti deſiderabilia eius, id eſt, faciem ſeu ſpeciem eius. Quod hic dicit, verminauit, ſiue tineauit ſpecies mea. Facies enim eſt id, ſecundum quod homo deſiderabilis eſt. Deniq; eadem verba Pſal. 30. ponuntur. Conturbatus eſt ira oculus meus, quæ hoc verſu.

Triſtitia quælibet deformat vultum homini.

Pſal. 39.

Pſal. 30.

Turbatus eſt oculus meus.

Igitur oculum pro aſpectu & ſpecie accipit, ſiquidem & Ebræis eadem dictio & oculum & ſpeciem ſignificat, vt ſit ſenſus. Turbatus eſt oculus meus, id eſt, toto habitu repente immutor, deformiſq; reddor: Hoc facit ira, non mea, ſed abſoluta, id eſt, ipſa tribulatio mortis & inferni. Sic & Apoſtolus ſæpius appellat abſolute iram, mortem & infernum, vt Rom. 5. Quanto magis reconciliati, ſalui erimus ab ira per ipſum.

Rom. 5.

Idem eſt quod ſequitur: *inueteraui inter omnes inimicos meos*, Melius in Ebræo, In omnibus tribulantibus me, Quod eſt dicere: Vndiq; mihi anguſtiæ, omnia me tribulant, omnis creatura mihi aduerſatur, non eſt quo fugiam, Ideo ſic anxiatus inueteraſco ante diem, mutato vniuerſo aſpectu meo.

Indicat & hic verſus aliam vim huius miſeriæ, quæ eſt quod pauefactus ac contritus à furore Dei, ſimul nullius creaturæ habet ſolatium, ſed quicquid aſpexerit aduerſatur ſibi Creatura enim cum Creatore ſuo agit? Præſertim quando ipſa conſcientia propria ab eo diſſentit. Ideo vndiq; ira, omnia tribulant, vbiq; inimici. Hoc indicat quod non ſimpliciter dicit, Inter inimicos meos, ſed inter omnes inimicos, id eſt, inter eos, qui ſunt omnes inimici, qui ſum in eo loco, in quo nullus mecum ſentit. Sic Iob. 9. Nemo audebit pro me teſtimonium dicere.

Inter omnes inimicos meos.

Iob. 9.

Ego autem his tribulationibus vexatum Dauid eo deueniſſe credo, quod circa finem vitæ multum debilitatus fuit, & ita infrigidatus, vt multis opertus veſtibus non calefieret, Sicut ſcribitur 3. Reg. 1. Nam vt dixi, iſte furor omnia conſumit & tabeſcere facit. Ita habemus horribilem hanc tentationem ſuis ſignis, affectibus, conſilijs deſcriptam. Nunc ſequitur conſolatio & reductus ille à morte & inferno.

Cur Dauid in fine vitæ adeo debilitatus fuerit.

3. Reg. 1.

Diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem, quoniam exaudiuit Dominus vocem fletus mei.

ROgo

Digitized by Google

Pſal.5. ROgo,cur præ cæteris ſolos operatores iniquitatis tam indignanter repellit? Diximus enim Pſal.5. Pœle auen, ſignificare religionem inobedientiæ,iuſticiam propriam, idolatriam ſpiritualem operantes. *Cur David repellat operarios iniquitatis.* Deinde à ſe diſcedere iubet,cum de eis nihil hucuſq; queſtus ſit, ſed tantum de furore Domini.Quid impijs operarijs cum furore Domini? præſertim cum tales,& ſecuriſſimi & omnia contraria de Deo præſumentes,quam hoc Pſalmo queſtus eſt,nihil ei potuerunt in hac tentatione exhibere negotij. Atque ne quid deſit abſurditatis,ideo diſcedere iubet,quia Dominus exaudiuerit vocem fletus eius. Nunquid impij illi operarij hoc egerunt,ne Dominus eum exaudiret? Dicimus ergo.

In affectibus totus laborat,iisq; arduiſſimis,ideo non quare,ſed quid faciat tantum loquitur.Ita enim videmus eos, qui aliquo rapti vehementi affectu ſecum loquuntur,velut inſanire & aliena loqui,dum neſcimus,qua cauſa loquantur.Ingrediamur ergo affectum verborum iſtorum.

Hoc fere obſeruatum video per Pſalterium,vt quoties in extaſi inſigni locutus fuerit Propheta,ſtatim ſubiungat apoſtrophē ad aduerſarios, indignationis,aut querimoniæ plenam,vt ibi:Credidi, propter quod locutus ſum,ego autem humiliatus ſum nimis.Ego dixi in exceſſu meo, *Omnis homo*
Pſal.116.39. *mendax.* Et Pſal.39.cum dixiſſet,Et tabeſcere feciſti ſicut araneam animam eius,ſtatim addit,*Veruntamen vanitas omnis homo.*Sed & in humanis rebus ita fieri videmus,vt oppoſitorum ſit eadem diſciplina, Et locus hic communis plurimũ in omnibus valeat,vbi ſi quis recognita veritatem apprehendat,mox feratur vel indignans vel querulans in eos,qui contraria vel ſapiunt vel docẽt.

Exemplum eximium beati Augu.libro 9.Confeſſ.in expoſitione Pſal 4.
Pſal.4. quo impetu feratur in Manicheos inter exponendum Pſalmum, Et artis ſit, *Auguſt.lib.9. Confeſſion.* ſic propoſita docere, vt ſimul contraria refellas, & in aduerſarios excurras, Nam quomodo poſſumus & nos continere,ſi quando rectam& veram pietatem doceamus,quin inuehamur ſimul in Ceremoniſtas & ſubdolos Operarios verbi,indignatiq; quod vel hæc non ſciant,vel contraria nos aliquando *Excurſuum ratio.* docuerint?

Ita & hic cum extaſi hac inſigni eruditus eſſet,in ſolam Dei miſericordiam confidere,nullamq́ iuſticiam ſufficere, Sciret autem quam hi, qui hac tentatione non erudiuntur,ſtulta & impia ſub pietatis ſpecie doceant & faciant, quamq; ſint in rebus, ſi contingant,imperiti , alioqui omnes homines *Operarij iniquitatis ſtulta & impia docent, & faciunt ſub ſpecie tamen pietatis.* mundi docere prompti(ita enim ferme ſolet hoc hominum genus inſipientiſſime ſapiens,& ſapientiſſime inſipiens)cæci cæcorum duces,ſemper diſcentes,& nunquam ad ſcientiam veritatis peruenientes.Deinde quod ſummum eſt maiorum,indociles,imperſuaſibiles,incorrigibiles ſunt. Quin ſicut Iambres & Mambres Moſi reſtiterunt,ita & ipſi his,qui hanc ſanam ſcientiam adepti ſunt vſu tam magni certaminis,ſine fine & impudenti reſiſtunt temeritate,quibus pius homo tribulatur ſuper tribulationem. Ideo zelo charitatis,quo cupit omnibus,veritatem ſibi notam fieri communem,errorem q́; contrarium traduci,inuehitur iuſtiſſime indignans,*Diſcedite à me omnes operarij iniquitatis &c.*Deniq; vix erit Pſalmus,in quo huius tentationis deſcribitur querela,in quo non ſimul hos impios operarios arguat & accuſet,vt videbimus.

Affectus ergo merus eſt,quod eos diſcedere ideo iubet,quia Dominus exaudierit eum.Quid enim hac cauſa velit ex ſuperioribus,relinquit intelligendum videlicet, Quod propter ſolam miſericordiam ſuam Deus ſaluos facit clamantes ad te,apud quem nullus iuſtus,& (vt Moſes Exod.34.dicit.)nullus
Exod.34. innocens per te inuenitur.Quæ cum ita ſint, & id toto Pſalmo declararit, recte infert,ſe nolle eos agnoſcere,qui contraria ſapiunt & docent,Sibi ſatis eſſe

T. 2. N hoc

hoc noſſe,quod Dominus exaudit vocem fletus ſui &c. Huc & illud Matt. 7. *Mat. 7.* pertinet,quod dicturus eſt Dominus ijs,qui in nomine eius prophetauerunt, & virtutes fecerunt, *Diſcedite à me omnes operarij iniquitatis*, Quod videlicet in generali ſententia huius Pſalmi, verſum accipit contra omnes,qui in ſeipſos confidunt,& non in puram miſericordiam eius.

Confidentes in ſeipſos.

Exaudiuit Dominus deprecationem meam, Dominus orationem meam ſuſcepit.

Repetitio vocabuli Domini.

GEneraliter dixerat: Exauditam vocem fletus ſui, Nunc in ſpecie definit,quæ vox fletus fuerit. Et obſerua,quod & hic nomen Domini iterat tribus vicibus, Dominus exaudiuit, Dominus exaudiuit, Dominus ſuſcepit,ad ſignificandum affectum fiduciæ & confirmandam ſpem, contra aduerſarios,quibus inſultat.

Deprecatio. *Oratio.*

Eſt vero deprecatio in Ebræo,dictio,quæ proprie ſignificat miſericordiæ ſeu gratiæ implorationem,vt reſpondeat verbo ſuperiori, Miſerere mei Domine,& ſequentibus,vbi diximus implorari gratiam & virtutem. Oratio vero in deprecando malo,vt reſpondeat illi, *Domine ne in furore &c.* Niſi quis dixerit affectus erigendi & firmandi cauſa hæc ingeminari.

Verba ſpei.

Sunt autem hæc verba ſpei exercentis & exhortantis conſcientiam, ac iam præualeſcentis, Sicut præcedentia fuere verba ſpei patientis, & laborantis ac pene occumbentis. In quibus videmus non doceri,ſed geri, ea quæ Pſal. 5. *Pſal. 5.* docta fuerunt in verſu illo, Lætabuntur omnes qui ſperant in te.

Ipſa enim verba ſatis arguunt animi eius habitum & affectum,quod videlicet magno niſu ob oculos ſibi ponit diuinam miſericordiam, quam opponat peccati, mortis & inferni turbulentis figuris. Cum enim in ſpe & ſpiritu eum loqui certum ſit, [illegible]dum coram Deo, præſente viſione poſitum, certum ſimul eſt ſpe ſaluum factum, ſpe Dei gratiam conſecutum, ſpe ſe conſolatum. hæc vniuerſa ſonare, quo abigat malorum illorum moleſtiſſimam turbam. Atq; hoc eſt quod repetitionibus tot ſibi inculcat Dei clementiam, velut magnis & fortibus ictibus aduerſariria perſequens,& potentibus ſermonibus ſuam infirmitatem aut ſpem exhortans.

Quid agendum ſit peccato vexante conſcientiam.

Ita enim (hoc Magiſtro) agendum eſt, triſtitia aut peccato vexante conſcientiam, non ſtertendum, non cedendum: Nec hoc expectandum, donec ſua ſponte recedat tribulatio, aut donec res ipſa conſolationis præſenter appareat, Hæc omnia perditionis ſunt negotia, Sed fortiter contendendum, ingeminandum,& omni ſtudio nitendum, quo bonam opinionem, de Deo erga nos ſtabiliamus, ſicut Pſal. 3 fecit, Tu autem Domine ſuſceptor meus es, gloria mea,& exaltans caput meum. Et Pſal. 30. vbi ſimilem tribulationem queſtus, de Deo ſibi firmat optimam opinionem dicens: *Quoniam ira in indignatione eius, & vita in voluntate eius.* Hoc eſt, Deus noſter non vult mortem & infernum, ſed vitam & ſalutem. Sicut & Pſal. 32. *Tu es refugium meum à tribulatione, quæ circumdedit me.* *Pſal. 32.*

Deniq; in omnibus Pſalmis, vbi hæc, vel ſimilis paſſio deploratur, mox ſubiungitur formatio ſpei & bonæ cogitationis de Deo, iuxta illud Sapient. 1. *Sap. 1.* Sentite de Domino in bonitate. Niſi enim hæc cogitatio & fiducia conſcientiæ ſurgat, vincet tribulatio,& non erit qui eripiat, Multo autem labore formatur, non tamen niſi per verbum Dei & Ieſum Chriſtum.

Qualis ſpes, talis res.

Sic & hic, cum vtiq; neſciret ſuum fletum eſſe exauditum, tamen plena cogitatione ſibi hanc opinionem concipit & firmat, repetens & contendens, ita vt & aduerſarios quoq; inuadat, certus quod ſicut de Deo præſumitur, ita & habetur, Qualis ſpes, talis res, vere enim & hic opinionibus homo regitur, ſed opinionibus Dei (id eſt, de Deo) ſiue bonis ſiue malis.

Erubeſcant & conturbentur vehementer omnes inimici mei, conuertantur & erubeſcant valde velociter.

POſſet hic verſus de perſecutoribus forte intelligi, quia inimicos ſuos nominat, Sed vt præcedentibus cohæreant hæc nouiſſima, intelligamus non alios inimicos eius, quam ipſos poele auen, operarios iniquitatis. *Poele auen.* Diximus enim in omni Pſalmo ſimul in eos ferri ſpiritum propheticum, vbi tribulatio iſta deſcribitur, quod perpetuum ſit (ſicut dixi) cum his impijs bellum & exercitium, qui hanc piorum humilitatem, & gratiæ Dei commen-
Pſal.109. dationem, non modo nō audiunt, ſed etiā perſequuntur, ſicut dicit Pſal.109.
69. Et perſecutus eſt hominem inopem, & mendicum, & compunctum corde mortificare, Et 69. Super dolorem vulnerum meorum addiderunt, Horum eſt (ſicut amicorum Iob) piorum hominum tribulationes a Deo iuſte inflictas iactare, & pro Deo contra illos ſtare, Deumq; eis iuſte alienũ eſſe factum pronũciare. Ipſi interea ſecuriſſimi de Deo, quaſi iudiciũ Dei ipſi effugere poſſint. *Natura hypocritarum.*

Quando ergo his impijs omnia narrantur, ſicut fabula ſurdo, nec poſſunt intelligere, præ ſenſu carnis ſuæ inflati, ea quæ ſpiritus ſunt, optat Propheta compendium, & ſubitam iniquitatis eorum ſubuerſionem, quæ eſt, Si & ipſi hoc genere tentationis apprehendantur, ſentiant iram Dei, mortis & inferni *Impijs omnia narrantur vt ſurdo fabula.*
Iere.17. turbationē, ſicut & Iere.17. orat, Confundantur illi, & non confundar ego, paueant illi, & non paueam ego. Et ibidem, Non ſis mihi tu formidini, ſpes mea
Pſal.9. tu in die afflictionis. Et Pſal.9. Conuertantur peccatores in infernum, omnes gentes, qui obliuiſcuntur Deum. Et conſtitue Domine legislatorem ſuper eos, vt ſciant gentes, quoniam homines ſunt (id eſt, vani & mendaces) Lex n. iram
Rom.4. operatur, Rom.4. Quia reuelat peccatum, quo confunditur conſcientia, quæ confuſa perturbatur ab ira & morte, quam lege indicante, videt ſe meruiſſe. Hic enim exceſſus ſubito & vehementer conuertit, confundit, perturbatque ſuperbos, redigens eos in nihilum, cogitq; poſito iuſtitiæ ſupercilio, miſericordiam Dei quærere, Niſi enim & ipſi hoc affectu quoq; experientia propria probati fuerint, fruſtra legunt, audiunt, faciunt omnia. *Vexatio enim* (vt Iſaias 28. dicit) *ſola dat intellectum auditui.* id eſt, Verbum Dei fit intelligibile *Effectum legis.*
Iſa.28. inſenſatis, ſi bene vexati fuerint paſſionibus, Crux Chriſti vnica eſt eruditio verborum Dei, Theologia ſynceriſſima. *Crux Chriſti.*

Poteſt autem vehementer & valde velociter intelligi bifariam, vt, vel referantur ad tempus, vel ad tentationis genus. Temporis ſignificatio hæc eſt, vt non diu differantur, ſed cito vexentur, quo citius ab iniquitate conuerſi, miſericordiam ſitiant, Sed tentationis genus eſt, vt non leui aliqua tribuientur paſſione, ſed huius ſummæ & maximæ turbine, cuius vis & natura eſt, eſſe vehementiſſimam, ideo vehementiſſime humiliat & ad gratiam erudit. Quando quidem operarios iniquitatis, adeo reddit obſtinatos ac præfractos, ſua tum ſapientia, tum iuſticia, vt ſi leuioribus aliquando pulſentur tentationibus, ſine timore glorientur, & ipſi in tribulationibus, quaſi veri & ſynceri martyres. Adeo pertinaciter æmulantur Lupi iſti rapaces, veſtimenta ouium, Ita quibus percutiuntur, vt emendentur, his ipſi indurantur, & in ſua impietate confirmantur. *Vnde fiant operarij iniquitatis tam obſtinati.*

Verum ante faciem huius frigoris non ſuſtinent, ſi peccatorum confuſione & furore Dei conturbentur. Hæc enim eſt turbatio, quæ ſubuertit ſecuros impios, in qua non perſeuerant, niſi ſyncera corda, timore Dei & ſpe recte inſtituta. Quare vt impoſſibilis eſt hæc iræ Dei ſuſtentatio, ita incredulis & inſenſatis vehementer neceſſaria, & ſola potens ac ſufficiens eos humiliare.

Tali Paulus de coelo tactus eſt, cum eſſet plenus ſecuriſſimo impetu zeli Dei, mox luce circumfuſus ac tremens, dixit: Domine, quid vis me facere. Acto. 9. Hic illud arguitur Iere. 23. Nunquid verba mea ſunt ſicut ignis, & ſicut malleus conterens petram? Et Pſal. 21. Pones eos vt clibanum ignis, in tempore vultus tui, Dominus in ira ſua cõturbabit eos, & deuorabit eos ignis. Non hæc diceret, niſi expertus fuiſſet. Iſte enim clibanus & ignis eſt ipſa reprehenſio in furore, & correptio in ira Domini, quæ in anguſtiam vrget inſuperabilem & ineuitabilem reas conſcientias, à ſolo vultu & reſpectu diuini iudicij.

Conuerſio Pauli. — *Acto. 9. Iere. 23. Pſal. 21.*

Comparat autem hoc verſu aut potius alijs verbis exponit furorem & iram Domini. Argui enim in furore, aliud non eſt, quam erubeſcere, confundi & ream inueniri coram æterno iudicio Dei conſcientiam hominis. Inuenitur autem nullius hominis non rea conſcientia, coram hoc iudicio, ſicut dicit Pſal. 143. Non intres in iudicium cum ſeruo tuo, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. Quid eſt non iuſtificari, niſi reum inueniri, & confundi. Et iterum: Ego dixi in exceſſu meo, Omnis homo mendax.

Argui in furore Dei, quid ſit. — *Pſal. 143. Pſal. 116.*

Ideo optat illis inſenſatis, vt huc conuertantur, & confundantur, qui in ſeipſis ſecuri adhuc gloriantur. Inueniatur (inquit) manus tua omnibus inimicis tuis, dextera tua inueniat omnes, qui te oderunt. Et rurſum, Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine.

Differunt impij à pijs.

Hoc enim differunt (vt ſæpius dixi) impij à pijs, quod vtriq; ſunt quidem mendaces, & non iuſtificantur coram Deo, ſuntq; vanitas vanitatum. Sed pios hæc tribulatio in ſui notitiam conuertit, qua cognita à iudicij furore ad miſericordiam confugiunt, & ſalui fiunt. Sicut Prouerb. 12. Verte impios & non erunt. Quod aliqui ſic accipiunt, Verte, ſcilicet in ſui cognitionem, & humiliati iam, impij eſſe deſinent adepta gratia. At vbi verſi non fuerint, ſui notitiam non habent, ideo nec gratiam quærunt, manentes in vanitate, mendacio, iniquitate ſua.

Prouerb. 12.

Porro corripi in ira, aliud non eſt, quam conturbari (vt dicit) vehementer, intentari ſcilicet mortem & infernum, & cum hæc ira in breui & ſubito exarſerit (vt Pſalmo ſecundo dictum eſt. Beati omnes qui confidunt in eo. Hoc enim impij non faciunt: Nam & eodem Pſalmo hæc duo mala oſtendit, vbi dicit, Tunc loquetur ad eos in ira ſua (id eſt, arguet & reprehendet) & in furore ſuo conturbabit eos (id eſt, corripiet) Et 1. Reg. 2. Dominum formidabunt aduerſarij eius, & ſuper ipſos in cœlis tonabit. Et multa ſimilia in Scripturis habemus, quibus iſta vehemens confuſio & conturbatio cordis, tam in Sanctis deſcribitur, quam ſuper impios prædicitur, Vt illi humiliati conſolentur & exaltentur: Hi vero humiliati affligantur & deprimantur, Et ſic vult omnes homines ſaluos fieri, & neminem perire.

Corripi in ira, quid ſit. — *Pſal. 2. 1. Reg. 2.*

Eſt autem in hoc verſu Ebræis pulchra quædam alluſio duorum verborum, conuertantur & erubeſcant, quam latinitas non retinuit, Illic enim per metatheſin literarum Iaſobu, Ieſobu, dicitur. Repetit autem Ieboſu, erubeſcant, affectus vehementia, optans vt quæ ipſe patitur, vertantur ad aduerſarios, quo & ipſi deſinant ſuperbire, & humiliatos perſequi. Sicut Pſalm. 54. Auerte mala inimicis meis. Et Prouerb. 11. Iuſtus de anguſtia liberatus eſt, & tradetur impius pro eo. Et Pſal. 32. Multa flagella impio, ſperantem autem in Domino miſericordia circundabit. Quomodo oratur & Pſal. 79. vt à ſe recedat ira ad impios dicens, Vſquequo Domine iraſceris in finem, accendetur velut ignis zelus tuus? Effunde iram tuam ſuper Gentes, quæ te non nouerunt (vt cognoſcant) & ſuper regna, quæ nomen tuum non inuocauerunt, vt & ipſa diſcant ſe egere gloria tua, & inuocare nomen tuum. Ita & hoc Pſalmo orat, ne furore Domini corripiatur, corri-

Erubeſcant valde velociter. — *Pſal. 54. Prou. 11.* — *Locus ex Pſal. 79* — *Pſal. 32. 79.*

plantur

ſplantur autem illi, qui non inuocant Dominum, nec timent furorem eius.

Dictum eſt autem, inimicos piorum eſſe potiſſimum eos, qui iniquitatis operarij vocantur, autores male ſecuri cordis, & ignorantiæ fidei & ſpei in Deum, pro qua perpetuo cum illis negotium habent, non habituri ſi & ipſi aliquando ſimili tribulatione cribrarentur. *Inimici piorum qui ſunt.*

Quod ſi quis per operarios iniquitatis & inimicos volet intelligere Dæmones, qui in hac hora mali fortiter inſtant, & ad deſperationem vrgent, cum ob oculos ponunt opera bona, quæ ſi quis feciſſet, non haberet quod deſperaret, vt deſperationem per præſumptionem, & præſumptionem per deſperationem ſtabiliant, ac interim his iniquitatis formis animam occupent, ne vera pietate fidei & ſpei Deum colat propter miſericordiam ſuam. Si quis, inquam, ita velit intelligere, non reſiſto. Nam dæmones vere ſunt calidiſſimi incitatores animarum ad inobedientiam ſub ſpecie obedientiæ, Quando proprium eſt, eis ſe transfigurare in angelum lucis, tum maxime, quando minime oportet, id eſt in tribulatione. *Dæmones callidiſſime incitant ad peccandum &c.*

Ego tamen credo, contra homines Prophetam loqui (vt dixi) veræ pietatis inimicos, quos pigeat ipſum, vel audiſſe, vel noſſe, quod plurimos ſua inſipientia ſecum trahunt in foueam.

PSALMVS VII.

Ignorantia Dauid, quam cecinit Domino, ſuper verbis Aethiopis, filij Iemini.

A Multis ſudatum eſt ſuper hoc Pſalmo, quiſnam ſcopus eius ſit, quem titulus indicet, & adhuc ſub iudice lis eſt. Sequemur interim Burgenſem, qui mihi propius ad rem videtur accedere, qui, non de Saule, ſed de Semei ipſum intelligendum iudicat. Quod vt cupiamus, verba Hiſtoriæ ex libro ſecundo Regum referamus. ita enim ſcribitur capite 16. cum Dauid fugeret à facie Abſolom filij ſui. Venit ergo rex Dauid vſq; ad Bahurim, Et ecce egrediebatur inde vir de cognatione domus Saul, nomine Semei, filius Gera, procedebatq; egrediens, & maledicebat, mittebatq; lapides contra Dauid, & contra vniuerſos ſeruos regis Dauid. Ita autem loquebatur Semei, cum malediceret regi, Egredere, egredere, vir ſanguinum, & vir Belial, Reddidit tibi Dominus vniuerſum ſanguinem domus Saul, quoniam inuaſiſti Regnum pro eo: Et dedit Dominus regnum in manu Abſolom filij tui. & ecce premunt te mala tua, quoniam vir ſanguinum es. Cum autem ſerui Dauid vellent illum occidere, dixit Dauid, Dimittite eum, vt maledicat, Dominus n. præcepit ei, vt malediceret Dauid. Et quis eſt, qui audeat dicere, quare ſic fecerit? Ecce filius meus, qui egreſſus eſt de vtero meo quærit animam meam, quanto magis hic filius Iemini, maledicet mihi. *Burgenſis. Semei.* *2. Reg 16.*

Patet ergo filium Iemini vocari Semei, hunc maledicentem, licet & ipſe Saul filius Iemini dicatur 1. Reg. 9. Quia de eadem cognatione fuerunt, vt dictum eſt. Simul habemus verba, ſuper quibus hunc Pſalmum cecinit, nempe maledicta Semei, quibus ei falſa crimina impegit grauiſſimus & importuniſſimus calumniator. Non enim de Saule legimus talia verba quæ in Dauid euomuiſſet, Quare de inſigni verborum iniuria neceſſe eſt loquatur quæ hoc loco recitantur, & hoc textus ipſe Pſalmi dabit. *Semei filius Iemini.* *Reg 9.*

Reliquum eſt, cur appellat eum magis Cuſch, quod Aethiopem ſignificat, omnibus fere placet metaphoram eſſe, quod nigredo infamiam ſuſtinet *Cuſch, id eſt, Aethiops.*

Niger.
Candidus.

maliciæ,vt & Poeta, Hic niger eſt,hunc,tu Romane, caueto. Sicut econtrà candidum dicimus,qui ſyncerus & integer eſt,& candor animi,qui ſine liuore ſit,vt vulgo quoq; Prouerbia ſonant.Volunt ergo de induſtria nomen eius, à Dauid omiſſum,& nouo moribus ſuis digno inſignitum. Quod ſi hoc non placet,arbitrari licet eum fuiſſe binominem,quod frequentiſſimum in ſacris literis obſeruatum eſt,vt ex linea Chriſti,Matt.1,& Lucæ.3.colligitur.Sicut & de Zachariæ patre Ioiada dicitur, Matt.23. Tum adhuc ratio viget tacito nomine Semei,altero nomine Aethiopem appellare maluiſſe,quam Semei,tanquam aptiore malitiæ eius vocabulo. *Matt.1. Luc.3. Matt.23.*

Porro ignorantia,his acceptis,ſua iam ſponte ſe aperit quæ nam ſit,Cum enim maledicta Semei, Dauid adeo non agnouerit,vt etiam in morte ſua filio Salomoni mandarit,vt canos eius cum ſanguine deduceret ad inferos, pro maledictionis illius vltione, planum eſt innocentiam ſuam eum Domino confiteri:Et ignorantiam hanc non eſſe aliud,quam innocentiam.Nam cuius non ſumus nobis conſcij,recte ignari quoque eiuſdem dicimur.

Quatenus probanda ſit fiducia innocentis conſcientiæ.

Verum cum ſit impium confidere in cogitationibus ſuis, Prouerb.12.Et qui confidit in corde ſuo ſtultus eſt,eiuſdē,28. Ideo ſic de innocentia iſta eſt præſumendum,vt tamen Iudicium Dei timeatur,nec in ſecuritate de ipſa gaudendum,niſi data primum gloria Deo,corā eo confeſſi fuerimus alia eſſe ſua, alia noſtra,& hominum iudicia,vt ſic accepta licentia & ſaluo illius iudicio, coram hominibus,eam profiteamur,Id quod diſcitur in tentatione. Sic enim Dauid cum audiret falſa ſibi(quantum in ſua conſcientia erat)crimina obijci, tamen quia Deo præcipiente illa maledicta in ſe congeri ſciebat,timuit ne coram Deo vera eſſent,nec ſuæ conſcientiæ ſatis confidens,Sicut Apoſtoli non ſibi fidebant, dum audirent vnum inter eos eſſe traditorem, Talis eſt enim vniuſcuiuſq; pij conſcientia,quantumlibet innocens,ibi culpam timere, vbi culpa non eſt,timor Dei facit hoc,& iudicij eius inſcrutabilis altitudo. *Prou.12.28.*

Proinde Dauid innocens quidem, timet tamen ſeſe feciſſe,quæ obijci ſibi audit,præſertim tempore tentationis,in quo Deus partes aduerſarij videtur iuuare,percutere creditus,pro ijs quæ tunc obijciuntur,etſi ignorantur, Ideo quantumlibet coram ſe & hominibus non ſit ſibi vllius mali conſcius,metuens tamen,ne corde ſaltem ſit reus,Deus enim ſcrutatur renes & corda,docet nos hoc Pſalmo illud Apoſtoli,Non enim qui ſeipſum commendat,ille probatus eſt,ſed quem Deus commendat.

Quare licet Pſalmus ſit de Dauid & ſua ignorantia compoſitus,tamen cum ſit hoc malum calumniarum in mundo frequens,generaliter ad omnium noſtrum doctrinam Scripta eſſe etiam hæc credere debemus.Sicut Paulus Rom.15.dicit,Quæcunq; ſcripta ſunt,ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt,vt per patientiam & conſolationem Scripturarum ſpem habeamus.

Calumnia quomodo ferenda & vincenda.
Scopus huius 7. Pſalmi.

Videbimus autem qui affectus ſint & eſſe debeant,& poſſunt ijs,qui fideliter & pie calumniam ferre,& vincere volunt, Nam hanc perſecutionem optime poſuit ſeptimo loco , vbi præcedentibus Pſalmis erudijt in his malis, quibus purificamur à peccatis, perfecte nunc tandem erudiat ad perfectum Dei timorem, vt ibi etiam peccaſſe nos timeamus, vbi non peccauimus, & tanto peccati odio,Deiq; dilectione perficiamur,vt ignorata, imo nulla peccata,pro peccatis timeamus.

Ad hanc perfectionem opus nobis eſt,non perſecutore Abſolom,que in certum ſit,nos inique perſequi,ſed calumniatore Semei,quem timeamus vere maledicere,etiam innocentes,Nec tamen ſic innocentiam dimittamus,ſed cum Iob ſentiamus,qui & ipſe à ſuis amicis tale quiddam paſſus dicit 27.Abſit à me,vt vos iuſtos iudicem, donec deficiam, non recedam ab innocentia mea,iuſtificationem,quam cœpi tenere,non deſeram,neq; enim reprehendit me cor *Rom.15.*

Locus Iob.27.

Pſal.5. me cor meum in omni vita mea. Ita (vt ſupra Pſalmo 5. nonnihil horum teti-
gimus) coram Deo ignorantiam noſtram quidem confiteamur, qui ſolus no-
uit corda hominum, ſed coram hominibus innocentiam noſtram non deſe-
ramus, ſi cor noſtrum nos non reprehendit, Sicut enim coram Deo peccata
non ſunt neganda, coram quo nemo iuſtus eſt, Ita coram hominibus, veritas
eſt confitenda & aſſerenda, coram quibus viuere poſſumus & debemus ſine
crimine. Et hanc eruditionem Dauid ſuo euentu conſecutus, nobis facit com-
munem, qua longe felicius calumniam vlciſcimur, quam olim Appelles vltus
eſt ſua tabula. Dicit itaque:

*Domine Deus meus in te ſperaui, ſaluum me fac ex omnibus per-
ſequentibus me, & libera me.*

PRimus affectus eſt, non ad vindictam & zelum ferri
Deut.32. contra calumniatores & perſecutores, vt ſolet homo vanitas &
mendacium (Mihi, inquit, vindicta & ego retribuam) ſed ad
Dominum ante omnia confugiendum eſt, & tam perſecutio
quam calumnia coram illo pronuncianda, cum plena ſpe & fi-
ducia, quam in hoc caſu luuat innocentia & bona conſcientia.

Ita hic ex omnibus perſequentibus ſaluus fieri petit, Duo enim perſeque- *Duo aduerſarij Dauid.*
bantur Dauid, Abſolom viribus & opere, Semei lingua & calumnia, qui ſine
dubio, vel ſolus non fuit, vel ſaltem ſoli ſibi non placuit in hoc malo, vel ex
Pſal.6. omnibus dicit affectu eo, quo Pſal. 6. dictum eſt, Inueteraui inter omnes ini-
micos meos, Quod videlicet vim & calumniam ſimul paſſis, omnia videantur
aduerſari neminemq́; relictum eſſe, qui ſuccurrat, ſicut reuera omnia aduer-
ſantur ſolitario. Ita dicit, ex omnibus perſequentibus, id eſt, quia omnes &
omnia me perſequuntur. Quid differant, Salua me, & libera me, non magno-
pere puto referre, niſi ſalua ad bonum, libera, ad malum retuliſſe, Aut affectus *Saluare. Liberare.*
gratia, tautologicos, idem repetiiſſe putandus eſt.

Illos conueniri hoc verſu licet, qui non credunt neceſſariam eſſe fidem &
ſpem, vel oraturis, vel ſumpturis, gratiam Dei, ſeu effectum (vt dicitur) Sacra-
mentorum, Cum ideo hic Propheta ſe ſaluum, & liberandum petat, quia ſpe-
raſſe etiam gloriatur in Dominum, adeo certum eſt, ſcilicet vnicuiq; ſi cre-
dat, ſperet aut diligat. Dicit vero, In te ſpero, non in me, non in hominem, De *In te ſpero.*
quibus ſupra Pſal. 5, latius.

*Ne quando rapiat vt Leo animam meam, dum non eſt qui re-
dimat, neque qui ſaluum faciat.*

HIeronymus ſic ex Ebræo, Ne forte rapiat vt Leo animam me-
am, laceret, & non ſit qui eripiat. Rapiat (inquit) laniet, prædetur, ſicut ſo-
let furens beſtia, ne quis ſimplicem captionem intelligat, Deinde ſicut
Leo, implacata ſcilicet beſtia, laceret, atq; diſcerpat etiam. Quid? domum aut
pecus? non, ſed animam meam, id eſt, vitam meam, quam ex anima corpus
habet, vt Pſalmo præcedente dictum.

Hæc omnia tanta auxeſi magnificat, vt neceſſitatem ſuam exaggeret &
commendet, quo velocius exaudiri mereatur, imo quo ſeipſum ad ardentio-
rem animi intentionem prouocet, fortiter enim & ſeria intentione orandum *Fortem intentionem oratio exigit.*
eſt, ſi quid impetrare volumus. Non eſt autem dubium, fuiſſe Dauid eo tem-
pore in ea conditione, quod ab Abſolom & Semel, velut rugientibus Leoni-
bus rapi, lacerariq; timebatur & ſperabatur, nec niſi in Deo erat ſibi ſpes & au-
xilium. Quo loco ſunt & omnes alij, qui vim cum calumnia patiuntur, qui
hæc verba & ſenſum eorum pulchre intelligunt.

Domine Deus meus, ſi feci iſtud, ſi eſt iniquitas in manibus meis;

Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis.

HIc ingreditur rem Pſalmi, & iuxta titulum, verba Æthiopis Semei tractat, Impegerat calumniator, Primo, quod in ſanguine Domus Saul reus fuerit, Egredere (inquit) vir ſanguinum, & vir Belial, Secundo, quod regnum eius vi inuaſerit. Ideo reddita ſibi à Domino duplicia, vt à proprio Filio rurſum ſanguis eius funderetur, & regnum ei auferretur. Vtrunq; quæritur, & ſeſe innocentem confitetur. Duplici autem ratione hunc ſecundum affectum nos docet tractare, negatiue & conditionaliter ſcilicet, vt innocentis conſcientiæ fiduciam quantum eſt coram hominibus afferamus, & occultum noſtrum vitium coram iudice Deo, metuamus. Nam vtrunq; hunc affectũ hi verſus præſtant, hoc modo, Domine Deus meus, adeo non feci iſtud, adeo non eſt iſta iniquitas in manibus meis, adeo nec ſanguinis eius, nec amiſſi Regni autor fui, vt etiam non reddiderim ei & ſuis, mala pro malis, quæ mihi faciebant, cum id ſæpius potuiſſem, dũ in ſpelunca ſolũ apprehendi, 1. Reg. 24. & in caſtris eius haſtam abſtuli, 1. Reg. 26. Non ſolum autem non reddidi mala, ſed contra reddidi bona pro malis. Sicut ipſemet Saul (1. Reg. 24.) teſtatus eſt, dicens, Iuſtior tu es quam ego, Tu tribuiſti mihi bona, ego autem reddidi tibi mala, Tantũ abeſt, vt vir ſanguinum eſſe poſſim, Quod ſi quid occultius in me fuit, quo minus ſynceriter præſtitiſſe inueniar, & tu ita iudicas, præſto ſum, fiat mihi, quod merui. Perſequatur inimicus meus animam meam &c.

Fiducia innocentis conſcientiæ.

1. Reg. 24. 26.

Videtur autem iniquitatem hic ad poſteriorem calumniam aptare, ſicut ad priorem hoc, Si feci illud, vt ſit ſenſus, Non feci illud, quod de ſanguine calumniatur, nec eſt iniquitas in manibus meis, quod regnum obtinui, nemini in hoc feci iniuriam, quia non mea temeritate, ſed tuo præcepto id feci. Vehementior eſt autem affectus, quod ſibi imprecatur tot mala, ſi feciſſet, quam ſimpliciter narraſſet ſe non feciſſe, Vt & nos doceamur magno corde contra calumniam orare, ſed ſic, vt innocentiam quidem teſtemur, occultum tamen eius iudicium timeamus, parati ferre quæcunq; mala, ſi inuenti fuerimus culpabiles, Nam licet pro te etiam Dei præceptum habeas in quocunq; opere, tamen adhuc timere debes, ne forte non recte inceſſeris, & contrarium præcipi metueris. Sicut Abraham licet in Iſaac repromiſſionem accepiſſet, tamen volens & timens Dei iudicium obtulit eum in holocauſtum. Sic & Dauid in hoc negotio, licet ſibi eſſet nullius conſcius, tamen regnum reſignans ait (2. Reg. 15. Si dixerit mihi, non places, præſto ſum, faciat quod bonum eſt coram ſe. Et Semei maledicere permiſit, etiam à Deo iuſſum eſſe credidit, omnino timens recta ſibi & digna contigiſſe.

Contra calumniatores orandum.

Abraham. Dauid.

2. Reg. 15.

Adeo quantumlibet iuſta, ſancta, innocens, vera, diuinaq; ſit cauſa tua, neceſſe eſt in timore & humilitate eam agas, ſemper iudicium eius metuens, & nihil de te, ſed de ſua tantum miſericordia confidens. Cecidit Iudas Machabæus in bello iuſtiſſimo, ſuccubuerunt multi in iuſtiſſimis cauſis & diuinis negotijs. Sicut de filijs Iſrael, Iud. 20. ſcribitur. Quia non in timore, ſed in fiducia iuſtæ cauſæ egerunt, non in miſericordia. Sed & Apoſtolus 1. Cor. 4. Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum.

Iudas Machabæus.

Iud. 20. 1 Cor. 4.

Hoc eſt quod Dauid in tribulatione poſitus exemplo ſuo docet, Nulli licere iuſticiam ſibi arrogare, pro ea tumultuari, vindicta furere, vi aut iure retaliationem meditari. Sicut nunc inſaniunt Eccleſiaſtici, qui præ cæteris iuſti & ſapientes videri volunt. Sed humili timore, primum metuere oportet, ne vere id meruerit coram Deo, & ad pœnam dignam ſeſe offerre. Deinde iuxta innocentiam contra aduerſarios orare, qui non poſſunt iuſtam cauſam habere aduerſum vllum hominem, qui conſcientia innocente præſtat,

Nemo arroget ſibi iuſticiam.

hoc

hoc enim ſolus Deus habere poteſt, & habet. Alia ſunt iudicia Dei, alia hominum, Homo videt ea quæ patent, Deus autem intuetur cor, Ideo homo iudicans aliter, quam ſecundum faciem, calumniator eſt, ſicut hic Semeias. *Aliter iudicat Deus quam homines.*

Atq; vt hanc humilitatem & timorem Dei indicaret, caute in Titulo poſuit, ſuper verbis Chuſi, quod non ignoraret ſe meruiſſe perſecutionem Abſolom filij, nec hanc excuſat, ſed maledicta Semei non agnoſcit, aut ſi vera ſunt, ignorata ſibi confitetur. Meruerat adulterio & homicidio, Abſolomi malum, Sed verbi Semei de ſanguine Saul, non erat conſcius ſe meruiſſe, Et tamen timet meruiſſe, propter iudicium Dei tremendum & occultũ. Quomodo hæc agantur, ſentit pium & timens Deum pectus, ſi quando vexatur, vel ab hominibus, vel dæmonibus calumniantibus. *Super verbis Chuſi.* *Experientia piæ mentis.*

Vocabulum, quod hoc loco Iniquitatem recte vertit, Ebræis Aual, ſignificat id proprie, quod iniquitas latinis, id eſt, læſionem, iniuriam, minus aut plus, quam debet, ſicut in negotijs fieri ſolet. Ita hic regnum alienum inuiro proximo inuaſiſſe, iniquum erat, ſi id feciſſet. Et quod nos habemus, Decidam merito ab inimicis meis inanis. Hieronymus rectius tranſtulit. Et non dimiſi hoſtes meos (tribulatores) vacuos, Volens (quod dixi) Dauid non ſolum non reddidiſſe malum pro malo, verum etiam non vacuos dimiſiſſe hoſtes, id eſt, benefeciſſe malis, Nam hoc ipſum vindictæ genus eſt, beneuolentiam ſubtrahere offenſoribus, cum & diligendi ſint inimici. Quanquam ignotem, an & iſta tranſlatio Ebræum ſatis referat. *Aual.*

Illud vide, quam Euangelicum gradum iuſtitiæ Dauid præſtiterit, Nam reddere malum pro malo, videtur æquum ſenſui carnis, ſed prohibitum etiam lege Moſi, niſi iudicio ſuperioris fiat, non autoritate propria. Huic contrarius eſt, reddere bonum pro bono, hic mercenarius & ſeruilis eſt, Sic ſeruiunt Deo, qui nec mala, nec mortem pati volunt, Cum ideo malis nos premat, vt pure ei ſeruire diſcamus, nullius reſpectu boni aut præmij. Tertius, reddere malum pro bono, qui feralis, imo pluſquam feralis eſt. Quartus, reddere bonum pro malo, hoc eſt, Euangelium Chriſti, Hunc autem gradum excellentiori modo ſeruaſſe ſe dicit, quia non ſolum non reddit malum pro malo, ſed his qui acceptis bonis ingrati reddiderant mala (ſic enim habent verba) reddidit bona. Vt ſupra de Saule dictum eſt. *4. gradus reddendi bonum & malum.* *Cur Deus malis nos premat.*

Perſequatur inimicus animam meam, & comprehendat, & conculcet in terra vitam meam, & gloriam meam in puluerem deducat.

NOn hæc affectu fiduciæ dici mihi videntur, vt pleriq; putant, quaſi certus fuerit hæc non fore, quia non meruerit. Nos enim, quia humili oratione cœpit, arbitramur in eodem timore Dei, hæc quoq; pſalli, Quia vt dixi, & ſi conſcius ſibi non erat meritæ maledictionis, quin potius præcepto Dei ſe in regnum vocatum ſciebat, multis tamen nominibus non potuit in hoc fidere & gloriari. tum (vt dixi) quod Deus mirabilis eſt in omnibus vijs ſuis, tum quod nos ipſi cor noſtrum non agnoſcimus ſatis. Quibus rebus fieri poteſt, vt vel præceptum non recte intellexeris, vel non recte expleueris, Atqui ita occultiſſimo demerito dignus fueris, præceptum tolli aut mutari. & tum Deum contra te ſtare quem pro te ſtare putaris?

Iſto timore (vt dixi) Abraham eruditus eſt in Iſaac offerendo. Eſt plane ſupremus hic gradus timoris Dei, vbi & ipſum Deum, & præceptum eius pro te cogeris abnegare, & timere eſſe contra te. Breuiter, vbi timere habes ea Deum, quæ præcepit & voluit, non velle, ſed prohibere & odiſſe, cum in cæteris id timeatur ſolum, ne fecerimus quæ conſtet eſſe præcepta. *Supremus gradus timoris Dei.*

Quis hanc contradictionis diuinæ (vt ſic dixerim) inconſtantiam in comprehenſibili conſtantia conſtantiſſimam ferat, niſi ſit vir ſecundum cor

Dei

Seruitus mercenaria, qua Deum propter nos ipſos colimus.

Dei electus, ſicut iſte Dauid & Abraham, cum hic videatur veritas Dei ipſa nutare, & odium ſui (omni humano iudicio) prouocare? Verum ſic eſt occidendus affectus ille ſeruitutis mercenariæ, qua Deum propter nos ipſos colimus, qua in Deo & propter Deum inuicem inflamur, ſuperbimus, zelamus, odimus, & nihil non mali ſub nomine & cultu eius, & pro ſalute animarum (vt vocamus) facimus. Quis enim noſtrum habens vel Abrahæ, vel Dauid promiſſionem, non hoc ipſum præceptum Dei, etiam contra Angelos obtenderet, ſi quis nobis contraria intentaret? Adeo profunde carnis affectus ſatus eſt in hominem, vt neceſſe ſit Deum ſe nobis quaſi inconſtantem offerre, quo erudiamur, nulli rei nec diuinæ nec æternæ, peruerſo affectu adhærere.

Tria perdenda Dauid Deo offert.

Tria offert perdenda quæ magno dolore amittimus: Animam, vitam, gloriam. Animam perſecutioni & captioni, Vitam conculcationi, Gloriam ſepulturæ deuouet. In Ebræo enim dicitur: Et gloriam meam in puluerem ſepeliat, collocet, quod tamen idem eſt cum noſtro, ſed clarius.

Anima.
Vita.

Videtur autem animam & vitam ſic diſcernere, vt anima ſignificet (vt diximus ſupra) ipſam ſubſtantialem vitam, qua corpus viuificatur. Vita vero conuerſationem, ſeu res geſtas in corpore per animam, ſicut & Græcis videtur ζωὴ & βίος differre. Et in noſtra vernacula, licet eodem vocabulo (leben) tamen valde diſtinctio ſenſu vtimur, quando de naturali vita & operibus vitæ loquimur.

Et explicat his verbis affectum ſuum, in quo erat, quando 2. Reg. 15. dixit, Si dixerit mihi, Non places, præſto ſum. Et illud 16. Dominus præcepit ei, vt malediceret Dauid. Tunc enim paratus fuit, animam, vitam, gloriam regni amittere, vt patet. Ideo in hunc affectum, hæc non pſallit, Vt exemplo ſuo erudiat omnes nos, quid cogitandum, quid dicendum, quid faciendum ſit, & ijs qui ſimilia paterentur. Eſt ergo ſenſus, Si coram te talis fui, fiat quod fit, libens cedo, occidat Abſolom & Achitophel animam meam, Nec ſit qui me ſaluet à perſequente, nec qui eripiat à comprehendẽte, Paratus ſum tuam voluntatem ferre, & pœnam meritam ſoluere. 2. Reg. 15. 16.

Domine Deus meus ſi feci iſtud &c.

Deinde & vniuerſa quæ vixi, ſeu viuendo geſſi, conculcet in terram, id eſt, deſtruat & deijciat, vt non ſint vltra aliquid in oculis & auribus, ac memoria hominum, libens hæc amitto. Inueniar ego in vita mea malus, inutilis, pernicioſus fuiſſe, dignus qui conculcetur viliſſime in terra, quem omnes ſupplantent, & vt lutum platearum terant, inimicum vero omnes eleuent, extollant, in cœlum vehant. Sint omnia illius coram te & hominibus mirabilia & magna, & digna quæcunq; fecit, facit, facietque.

Conculcet in terra vitam meam.

Gloriam meam in puluerem ſepeliat.

Nec hoc contentus, Age & gloriam meam, poteſtatem præſentem, futuram, non ſolum minuat, ſed & in puluerem ſepeliat, nunquam redituram æternaliter obſcuratam, Eat thronus regni mei, eant vxores & liberi, eant amici, eant res & omnia, eat quoq; glorioſa illa promiſſio de futuro mihi facta Chriſto, quam omnibus alijs incomparabiliter chariorem habui, In qua vna mihi ſpes, gloria, & gaudium erat, offero & ego meum hunc Iſaac, cum patre meo Abraham, longe dilectiſſimum.

O vir ſecundum cor Dei vere electus, Quis huius cordis affectum digne æſtimet, nedum eloquatur? Nos maximum arbitramur, ſi mortem oppetimus, & animam ponimus. Hic non mori ſimpliciter, ſed à perſecutore comprehendi paratus eſt, & in manibus hoſtium traditus extingui, non in charorum turba lamentante obdormire, Sed inter furentes, illudentes, triumphantes hoſtes occidi. Nos quid non facimus? quas non tragœdias mouemus, ſi vel vnum opus aut verbum noſtrum vituperetur, aut etiam non celebretur? Hic tot bellorũ triumphis, tot miraculis, victo Goliath, vrſo, leone, tot pijs operibus, tot cultus diuini augmentis clariſſimus, non modo ſinit ſua illaudata haberi.

haberi, ſed etiam ſicut lutum platearum, in perpetuum omnia conculcari, & magis ac magis conculcantibus omnibus annihilari.

Nos, quas cædes? quos impetus ſaltem non molimur, ſi non poſſumus opere explere, vel in vniuerſum humanum genus, ſiue pro vetuſtis Ditionum iuribus, ſiue pro præſentibus Priuilegiolis quibuſdam rerum ſuarum? Hic ter iuuſſus diuino præcepto in Regem, acceptoChriſti naſcituri oraculo infallibili, vniuerſum regnum cum tanta gloria, non modo libentiſſime ponit, ſed paratus eſt nunquam recipere, manſurus reprobus, & ingloriis in æternum tantis & inæſtimabilibus his omnibus ornamentis in puluerem vſq; ſepultis. Quid poteſt hoc affectu cogitari durius, profundius, ſublimius, breuiter mirabilius? *Certamen pro debitis iure diuino.*

Habuit hæc omnia iure diuino, nec vno loco diuinitus mandata. Cur non inſanit pro iure diuino? An impius eſt, quod contra ius diuinum ſuam Monarchiam, non per ſanguinem & mortem repetit, tuetur ſeruat? Sicut hodie videmur eſſe omnium piiſſimi, ſi pro rebus temporalibus, affixo iuris diuini titulo, cœlum & terram miſceamus. Nihil timentes Deum, qui ſi quid etiam iure diuino haberemus, hac tamen ſuperbia & contentione offenſus, merito caſſaret omnia. *Dauid non certat pro iure diuino.*

Si Dauid timuit præceptum Dei in ſe mutatum, qui tot ſignis, tot mandatis Dei, tot vnctionibus Prophetarum rex creatus eſt, tam ſolida promiſſione Chriſtum futurum accepit, Obſecro quod præceptum? quæ promiſſio quantumlibet Dei, nobis eſſe poteſt occaſio ſuperbiæ, belli, contentionis, & ſimilium tragœdiarum? Metuendum profecto, quod ibi Eccleſia quam minime ſit, vbi maxime pro Eccleſia tumultuatur, Quandoquidem videmus Deum eſſe impatientiſſimum abuſionis ſuorum promiſſorum, ac terribilem in conſilijs & mandatis ſuper filios hominum. *Abuſus promiſſorum Dei.*

Sed hæc ſatis. Non hæc dico, quod velim vlli ſuum ius ac debitum auferri, vel impugnari, Sed quod docendi ſumus per hæc Scripturæ verba & exempla, vt is, qui aliquid obtinet ac poſſidet, quantumlibet iuſto titulo, cum timore poſſideat, & non vi, ſed oratione & patientia illud defendat, paratus cedere, ſi Deo placuerit. Nec enim ſatis poteſt Scriptura explicari, ſi non præſentis ſeculi exemplis aptetur & monſtretur. Sic enim Græca & Latina eccleſia in contentione de principatu vtraq; peccaſſe videtur, quod neutra alteri ceſſerit, cum in timore Dei vtraq; cedere debuiſſet, Nec ideo amiſiſſet vtra principatum huiusmodi, ſed longe felicius fuiſſet ſeruatus, ſi non pugnantibus Pontificibus, ſed orantibus, hoc eſt, non volentibus hominibus, ſed miſerente Deo fuiſſet ſeruatus, Sicut hic Dauid orat quidem, & tamen ſimul ſeſe offert, velut petens Cum Chriſto transferri calicem à ſe, & tamen voluntati Dei obedienter cedens. Sicut in lege Moſi ſcriptum eſt: Quod iuſtum eſt, iuſte exequaris. Ita fit, vt etiam habens iuſtiſſimam cauſam, coram Deo ſit reprehenſibilis, ſi non in timore Dei eam tuetur. Non reſpicit Deus ſuperbos & contentioſos quantumlibet iuſtos. *Contentio de principatu in Eccleſ.* *Coram Deo reprehenſibilis etiam habens iuſtam cauſam.*

Sic legimus in Iob contigiſſe, pro cuius cauſa Deus ipſe ſententiam tulit, & tamen eum ipſum reprehendit, Talis timor & humilitas, & hodie nobis neceſſaria eſt, qui certamus de Theologiæ ſynceritate, & Eccleſiæ poteſtate, Poſſumus vtrinq; Deo reprehenſibiles eſſe, etiam in iuſtiſſima cauſa, niſi magis oratione miſericordiam Dei, quam noſtræ cauſæ fiducia victoriam quæramus. Orandum vt veritas triumphet, Quod ſi non per nos id fieri placitum eſt, fiat per quemcunq; placuerit. Nemo poteſt ſeſe feliciter mandatis Dei vllis ſeruire, aut ea tutari, ſi primum omnium mandatum (quod eſt cultus Dei in timore & humilitate) præuaricetur. Nam hoc mandato omnia alia regulantur, ſine quo iam mandata non ſunt. *Iob.* *Primum mandatum.*

Nihil

Eccleſiæ facies noſtra ætate.

Nihil ergo placet, quod non in timore & humilitate geritur. At vbi hæc facies hodie in Eccleſia? Quid eſt Eccleſia hodie, niſi quædam ſchiſmatum confuſio, vbi non niſi pro iuſtis cauſis & diuino iure, ſine vllo timore Dei, tumultuamur, & dum omnia mandata implemus, caput, vitam, Regulam mandatorum peſſundamus, Cæcitas, Cæcitas, Cæcitas.

Surge Domine in ira tua, & exaltare in finibus inimicorum meorum, Et exurge Domine Deus meus, in præcepto quod mandaſti.

HÆc in Ebræo vno verſu dicuntur. Eſt autem verſus obſcuriſſimus, nec hodie cognitum, quid aut de quo loquatur. Hieronymus ſic tranſtulit, Surge Domine in furore tuo, & eleuare indignans ſuper hoſtes meos, Conſurge ad me in iudicio quod mandaſti. Verum indignans ſuper hoſtes non ita in Ebræo habetur. Temerabo & ego, verſum ad verbum ſic transferens: Surge Domine in ira tua, & leua in iracundijs tribulatorum meorum, & ſuſcita ad me à iudicio, mandaſti. Vbi vocabulum quod noſtra dicit, in finibus Ebræis affine & æquiuocum ferme eſt, cum iraſcendi verbo, quare ab iraſcendo, magis quam à finibus, Hieronymum ſecutus deduxi.

Solœciſmus autem iſte, à iudicio, mandaſti (quem noſtri per pronomen, quod, ſuſtulerunt) etiam in alijs locis inuenitur, Vt Pſal. 51. Exultabunt oſſa, *Pſal. 51.* humiliaſti, Vbi nos oſſa humiliata dicimus, ac ſi hic, à iudicio demandato diceres. Ego pro meo ſenſu adderem, non, quod, ſed quia, vt quia tu humiliaſti, quia tu mandaſti. Exaltare autem, ſeu eleuare, ſeu leua, æque eſt æquiuocum ad leuandum, & ad vaſtandũ, quod & in ſtatu abſoluto hic ponitur potens ſignificare, vt Dominus vaſtationem mittat in iras inimicorum, hoc modo, Eleuare in iras inimicorum, id eſt, fac vaſtitatem & deſtructionem irarum, quibus fremunt in me tribulatores mei, ſcilicet, Abſalom cum ſuis. Ad idem redit, quod leua, ſeu eleuare, ſeu exaltare dicitur, Vult enim dicere, leua, id eſt, fac vt leues, & mittas ſuper eos manum tuam, in furias eorum, omnino eodem *Pſal. 138.* ſenſu, quo Pſal. 138. dicit, Si ambulauero in medio tribulationis, viuificabis me, & ſuper iram inimicorum meorum, extendes manum tuam.

Et ſuſcita ad me. Vbi pro, ad me, nos habemus, Domine Deus meus, quia ſine punctis poteſt legi, vel Deus meus, vel, ad me. Et ſuſcita pertinet ad eum qui excitatur & expergiſcitur velut à ſomno, ſicut & alibi dicit, Exurge, quare obdormis Domine?

A iudicio.

A iudicio, ſeu, vt noſtra habet, in præcepto, mihi intelligendum videtur de officio, à quo Iudices & Rectores nomen habent, de quo Pſalmo primo di- *Pſal. 122.* ctum eſt, Non ſurgent impij in iudicio. Et Pſal. 122. Illic ſederunt ſedes in iudicio, vt ſit à iudicio idem, quod propter iudicium, ſeu cauſa iudicij, ſicut Pſal. 68. A templo tuo, quod eſt in Ieruſalem, tibi offerent Reges munera (id *Pſal. 68.* eſt propter templum) Quo modo & Pſal. 4. A tempore frumenti & vini ſui, multiplicati ſunt. Qui vſus huius literæ, Mem, ſeu præpoſitionis à, vel ab, cõiunctioni rationali apparet æquiualere ad ſenſum illius Pſal. 81. Quia præceptum in Iſrael eſt, & iudicium Deo Iacob. Sic & hic à iudicio, id eſt, quia iudicium eſt, quod mandaſti.

Sicut Ioſaphat 2. Paralip. 19. Præcipiens iudicibus, Videte (ait) quid faciatis, *Ioſaphat Para. 19.* non enim hominis exercetis iudicium, ſed Domini. Et infra, vt iudicium & cauſam Domini iudicarent habitatoribus eius præcipit. Ita propter iudicium ad ſe exurgere petit, vt non præualeant impij, qui magis tyrannidem ſuam, quam iudicium Domini agunt in populo. Facile autem eſt hoc ſenſu accepto, per præceptum idem quod per iudicium intelligere, quia in iudicio præceptum Dei exequuntur iudices, quod tyranni potius ſubuertunt, vt dictum eſt.

Eſt

Digitized by Google

Eſt ergo ſenſus, hac grammarica adiutrice, Surge Domine, & iram tuam oſtende, ne diutius iſta patiaris, occurre ſurori perſecutorum meorum, & manum tuam ſuper ferociam eorum extende, vt impetum eorum in me extinguas. Expergiſcere tandem, & recordare mei, Et id peto, non propter me, ſed propter iudicium, ne omnia temere verſentur & confundantur, dum non eſt qui res adminiſtret, præſertim, quando te ordinante & mandante res adminiſtrari debent. Hæc Grammatice.

Cur inimicis precetur iram Dei.

Nunc Theologiam conſultantes, quæramus, Cur precetur iram Dei Inimicis, & arroget rurſus Regnum, qui hucuſq; tam promptus fuit illo carere, & inimicis beneſacere?

Primo, poſtquam in timore & humilitate ſe ſuaq; obtulit, certum eſt, non malo animo hanc orationem fieri. Deinde data Deo gloria & iuſticia, ſecure contra eos orat, qui tyrannidem vi occupant, Timor enim Dei facit, vt iuſte diuinum mandatum exequatur, quo ſibi regnum, & iudicij adminiſtrationem mandata nouit. Adde, quod non ſua quærit, ſed quæ Dei ſunt, quia tu (inquit) mandaſti, vt officium in populo agerem iudcij. Ideo non regni, ſed
1. Tim. 3. iudicij vocabulum maluit ponere, vt cauſam Dei ſe agere, & nõ pompam, ſed opus ſe petere oſtendat, Qui enim Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat.

Prouocat autem iram Dei, non quod optet illos perdi, ſed iuxta ea, quæ Pſalmo præcedente dicta ſunt, vt iram Dei ſentientes, & Deo eis repugnante, eorumq; conatus irritos faciente reſipiſcant, & ſani fiant, quam niſi ſenſerint, procedunt inſenſati ſua peccata augentes, pios, piorumq; ſtudia, ipſa etiam Dei mandata ſine fine perſequentes, Deo obſequium ſe facere arbitrantes. Quomodo enim piorum Eccleſia in mũdo ſubſiſteret, niſi tandem ſuper impios iram ſuam manifeſtaret, & iudicium faceret inopis, & vindictam pauperum? Itaq; vt ipſe conturbat profundum maris, ita rurſum mitigat fluctus eius, ponens mari terminum, & dicens, Hucuſq; venies, & hic frangentur in teipſum tumentes fluctus tui. Vt in Iob ſcribitur, Ita qui ſuſcitat impiorum ferociam, rurſus idem eandem compeſcit, quo oſtendit iram ſuam, quod non placuerit ei illorum malitia.

Tria petit.

Tria ergo petit, Primum, vt ſurgat, & iram oſtendat, ſubtracta voluntate in qua illi præſumunt. Secundo, vt furias illorum premat, & conatus peſſimos ſubuertat. Tertio, vt ad eum reuerſus, iudicium Dei reſtituat. Et hoc non quia meruerit, ſed quia non ſolum promiſerit & fecerit, ſed & mandauerit, iam nihil quærens, niſi vt veritas Dei ſtabiliatur, & mandato eius ſatisfiat, quod niſi eſſet, libens illorum furori cederet, Et hic iam incipit tentationis affectus, peracta caligine tribulationis, rurſum reſpirare in fiducia Dei miſericordiæ, Vt & nos ita facere diſcamus, in noſtris tribulationibus, Exemplo enim nobis hæc & geſta & ſcripta ſunt.

Et Synagoga populorum circumdabit te, & propter hanc in altum regredere.

David pro populo ſolicitus eſt.

HOc verſu (vt cœpto noſtro ſenſu perſeueremus) oſtendit David non pro ſe, ſed pro populo ſolicitum eſſe, Primum enim petijt in iudicium reſtitui, nec ſui nec populi reſpectu, ſed ſolius Dei intuitu, qui ſic mandarat, vt primo Dei in hoc voluntati ſeruiret. Iam à charitate Dei deſcendit in charitatem proximi, vt hominibus eodem Dei præcepto ſeruiat. Fac, inquit, oro, vt populorum turba rurſum circundet me, mihi adhæreat, mihi ſubijciatur (nam optatiue loquitur per futurum Indicatiui. Sicut gloriatur
Pſal. 144. Pſalmo 144. Qui ſubdis populum meum ſub me) hoc enim in eorum redundat ſalutem, ſi tibi obedierint, qui me illis dediſti Regem, Ne errent ſicut

oues ſine Paſtore, ne ſicut populus ſine Duce cuilibet Latroni expoſiti ſint.
Si ego indignus ſum, tu tamen dignus es cui obediam, & illi digni ne propter
me tradantur in direprionem & diſperſionem, Sed rurſus me in caput reſtitu-
to, colligas diſperſiones Iſrael, Pſal. 147. & membra ad corpus ſuum. Ita enim *Pſal. 147.*
pius Rector populorum, quantum ad ſe pertinet, libens omnia amittet, tan-
tum Deo & hominibus debitum optabit implere, & ſua mala metuet in po-
puli periculum & perditionem redundare.

Or̃ndum exemplo Athanaſij, Hilarij, &c. qui tempore Arrianæ factionis in exilium eiecti.

Huius exempli finge, vel S. Athanaſium, vel Hilarium, aut ſimiles tem-
pore Arraniæ factionis in exilium eiectos de ſedibus ſuis, Nam noſtro ſeculo,
non video vnde poſſit peti Exemplum, quando nulli committere audent, quo
digni fiant eiectione. Hi ergo S. Patres, vt ab ambitionis nequitia fuerunt alie-
niſſimi, ita (vt ipſe Hilarius confitetur) debito impoſiti ſacerdotij aptabant
Arrianis deiectis in ſua ſede miniſtrare Deo. & populo per verbi miniſterium
prodeſſe, ſua vero abſentia, populis ſibi creditis, miſere & anxie metuebant à
Lupis hæreticis, & verbo Dei vim fieri amare ferebant. In horum perſona, ſi
hos verſus ores, & exemplum Dauid videbis, & apte ad effectum verba qua-
drare experieris.

Eſſet idem exemplum, ſi quis Epiſcopus, vel Prælatus pro veritate & pie-
tate officij ſui excommunicaretur vel deijceretur, & populus ab ipſo alienare-
tur, peſtiferis ſuaſionibus, detractionibus, mendacijs ſeductus. Nam vt alio
malo non periclitetur populus, certe calumnia & detractione Prælati ſui boni
viri ad mendacium & odium veritatis animaretur. Qualibus totum Iſraelem
ſubuerſum, & ſui cauſa perditum, tantis æſtibus Dauid ingemiſcit, vt iram
Dei in illorum furorem inuocet, neceſſaria certe pro populo ſeruando oratio-
ne. Melius enim eſt etiam perdi illos impios, quam populum in impias opinio-
nes induci, cum Apoſtolus etiam anathema eſſe velit, qui Galatas à veritate *Galat. 1.*
deturbaſſent.

Synagoga populorum circumdabit te.

Mire autem temperauit verbum, ne diceret, Circundabit me, ſed circun-
dabit te, hoc eſt, congregabitur tibi. Vbi non modo id indicat quod ſupra di-
ximus, Iudicium non hominis, ſed Dei eſſe, quod præcipiente Deo geritur,
Ideo non hominibus, ſed Deo congregantur, qui adminiſtrãti homini in ope-
re Dei congregantur. Verum & illum tropum refert, vbi Dominus in ſcriptu-
ris, ſæpius ſcribitur in medio populi ſui, Sicut Pſal 45. Deus in medio eius non *Pſal. 45.*
commouebitur, Et 2. Cor. 6. ex Leuit. 26. Et inambulabo inter vos, & ero vo- *2. Cor. 6. Leuit. 6.*
bis in Deum, & vos eritis mihi in populum. Aptiſſime ſane ſic loquitur pro
hoc negotio, Nam Abſolom, & qui imitantur eum, non id quærunt, vt chari-
tate ſeruiant, ſed vt poteſtate dominentur, non, vt populum ad Deum, ſed ad
ſeipſos congregent, Ipſi volunt eſſe Idola quæ circundentur à populis, non
enim Dei gloriam & populi ſalutem, ſicut decet fideles Mediatores, quærunt,
ſed ſuam tyrannidem.

Quare hoc verbo percutit omnium illorum arrogantiam & ambitio-
nem, qui populo tantum, vt ſuo commodo principentur, præſunt, id ne fiat,

Malum in Eccleſia hodie graſſans.

tam pie & ardenter orat vir Dei electus. Quod malum certe in Eccleſia hodie
ſupra modum graſſatur, iraſcente Deo, dum cenſuram hominum longe ſupra
minas Dei timemus, & præ perſonarũ reſpectu, Deum penitus non videmus.

Propter hanc in altum regredere.

Ita & illud, *Propter hanc in altum regredere, ſeu,* vt Ebræus habet, re-
uertere. Non dicit, Repone me in altum, ſed tu reuertere in altitudinem. Non,
inquit, propter me, ſed propter Synagogam populorum: Huius enim me
miſeret, huius cauſam & ſeductionem indigne fero, pro hac oro, non pro
me. Vide ergo, ſicut ſupra in amore Dei, pro indicio quod Deus mandauit,
precatur? Ita hic in amore Fratrum precatur, pro eorum ſalute, Vtrinq; pie ſo-
licitus, ne Deo non ſatisfiat, & ne homines pereant ſui cauſa, vt ſtet officium

Dei,

Dei,quod populos regat, & obedientia populi,quæ obtemperet, Ne quando ſit,aut populus ſine Deo,aut Deus ſine populo.O vocem pontificibus, Paſtoribus,Rectoribus,Magnatibus commendandam,memori mente tenendam, & fideli ſtudio obſeruandam.

Quando autem Deus deſeruit altitudinem,vt neceſſe ſit ei ad eam reuerti? Quoties videlicet,ambitioſus in loco Dei ſedet,nam hic dum populum Dei ſibi ſubijcit magis quam Deo,certe,quantum in ipſo eſt,extollitur(iuxta Paulum)ſupra omne quod colitur,aut quod dicitur Deus:Atq; hic eſt Antichriſtus.Quod ſi in Eccleſia contingat omnes Pontifices eſſe ambitioſos,& in populum dominari,ſibiq; populum ſubijcere,non Chriſto,quis dubitet tum Antichriſtum regnare?Reuertitur autem Deus in altitudinem,dum deiectis ambitioſis Abſalomis, rurſum conſtituit Iudices,ſicut antiquitus,qui populum Deo congregent,Dei præcepta doceant,traditionibus hominum poſtremo loco habitis. *Quando Deus in altitudinem ſuam regreditur.* 1 Theſſ 2.

Nec miretur quiſpiam,id eſſe Deum in altitudinem reuerti, quod eſt ſuum iudicium,ſuam poteſtatem,ſuum officium,ſuum miniſterium reſuſcitari, quando in ſpiritu Prophetam loqui ſcimus,ideo de ſpirituali exaltatione Dei intelligendum, qui exaltatur,dum nos ei ſubijcimur, verbum eius audimus, opera eius videmus,& hæc omnia miniſterio hominum. Quare hic Pſalmus eſt oratio longe omniũ affectuoſiſſima pro pontificibus,bonis rectoribus impetrandis,quam vtinam hodie pro Eccleſia Chriſti dignis verborum affectibus ſinguli oraremus,neq; enim vnquam fuit tanta hæc orandi neceſſitas. *Deus exaltatur cum nos ei ſubijcimur.*

Quid enim hodie in Eccleſia videmus,quod his verbis reſpondeat? Vbi ſunt qui populum ad Chriſtum eo ſtudio promoueut,quo ad ſeipſos? Quis tanta cura ſatagit,vt magis Deum timeant Chriſtiani,quam poteſtatem pontificeũ? In peccatis Deum offendentibus,ſecure etiam ridemus in offenſis pontificum nihil non furiarum intentamus,Deinde ad noſtras pompas,ad noſtras ceremonias,ad noſtras potentias,ad noſtras leges cogimus; Sed ad verbum Chriſti,ad charitatem ſpiritus,tantum abeſt vt congregemus,vt ſummo ſtudio etiam laboremus,ne populus Chriſtum & veritatem intelligat, neue aliquando concordes ſint fideles Chriſti,præſertim principes & reges,donec id auſi ſimus docere:Eſſe ſcandaloſum,ſi vulgo ſyncera pietas Chriſti tradatur, ſcilicet,quod non ſit(noſtro ſenſu)res parui periculi,ſi populus ſyncere Euangelium pernoſcat, ſi verbum Dei,verbis hominum præferat, ſi recte pietatis opera puerilibus operum ſpeciebus præligat,Nimirum quod hinc fames & penuria nobis ſint occurſuræ,aut certe pompa, quam ex mundo rapuimus, ruitura.Breuiter tempora illa periculoſa hodie aguntur,in quibus non Deum, ſed hominem adorare cogimur. *Talis eſt,proh dolor,nunc facies Eccleſiæ longe triſtiſsima.*

Dominus iudicat populos,Iudica me Domine ſecundum iuſticiam meam,& ſecundum innocentiam meam ſuper me.

HIc plane ſeipſum reddita ratione exponit,quid voluerit intelligi per regreſſum Dei in altitudinem,per iudicium diuinitus præceptum, per congregationem populorum circumdantium Deum. Cur (inquit) non ita loquar? Non nos ſumus qui regimus,qui iudicamus, qui loquimur, Dominus iudicat populos,ipſius ſolius eſt iudicium in populis,ipſe loquitur, ipſe iudicat,ipſe facit in nobis omnia. Non dominabor (ait Gedeon Iud.8.) veſtri,nec dominabitur in vos filius meus, ſed dominabitur vobis Dominus, Ecce vir ſanctus,non ad ſe admiſit congregari populum,etiam poſtulatus,ſed ad Dominum eos reduxit, Contra 1.Reg.8. dixit Dominus ad Samuelem, Non te,ſed me abiecerunt,ne regnem ſuper eos. Non quod malum eſſet regem petere,vel habere(nam poſtea ipſemet dedit eis Reges)ſed quod affectu *Solius Dei iudicium in populis.* *Gedeon Iudic.8.* 1.Reg.8. *Samuel.*

cæco magis in regem hiabant, quam in Deum, qui non id quærebant vt per regem ad Deum raperentur, idonei ſcilicet, quos Tyrannus è diuerſo ſibi, non Deo ſubijceret, ſicut & in Saule eis contigit, quem petebant.

Ex quibus omnibus, patet, quod ſit manifeſtus furor Dei, quando ipſemet Deus non iudicat, ſeu non regit, ſed ſinit Abſolomos ambitioſos iudicij locum tenere, vt digni non ſimus verbum Dei audire, nec opera eius videre, ſicut prædixit Luc. 17. Venient dies, quando deſiderabitis videre vnum diem filij hominis, & non videbitis. *Luca. 17.*

Dominus iudicabit populos.

In Ebræo futurum eſt, Iudicabit populos. Quod vel optatiue per modum precationis intelligi poteſt in hunc modum: Obſecro, vt tu ſis Iudex populorum, ne ſinas homines iudicare, & populum tuum ſeduci hominum verbis & operibus. Vel aſſertiue per modum ſpei ſuam precationem exauditam fidentis, quod mihi placet, in hunc modum: Confido, & certus ſum me exauditum, vt rurſus tuum verbum, tuum opus, tuum iudicium, populum congreget, quem impij illi ſuis verbis & operibus diſperſerunt, & tibi ſubtraxerunt occaſione mei.

Orat vt innocentia ſua pateſiat.

Ideo poſtquam cauſam Dei, & populorum egit, nouiſsime agit & ſuam, orans, vt innocentia ſua manifeſtetur. Siquidem nec Dei, nec populorum cauſa reſarciri potuiſſet, niſi deiectis impijs, innocentia ſua defenſa fuiſſet. Ita neceſſitas gloriæ Dei & ſalutis populi cogit, vt & ſuam cauſam iuſtificari petat. Quam diu enim ipſe damnatur inique, tam diu neceſſe eſt, nec Dei iudicium, nec populi obedientiam vera eſſe, cum inique damnatum non audiant, audiant autem iniquos illius damnatores & perſecutores.

Orandus Deus vt iuſtificet cauſam veritatis.

Ita videmus, non ſatis eſſe, ſi quis ob iuſtam cauſam, vt pro veritate patiatur, rem Deo committere, & paratum eſſe cedere, & in puluerem cum gloria ſua redigi, ſed ſolicide oportet orare, vt Deus iudicet & iuſtificet cauſam veritatis, non pro ſuo ipſius commodo, ſed pro miniſterio Dei, & populi ſalute, quorum ſalus ſine periculo non eſt, nec ſine tua culpa, ſi ſtulta humilitate pro veritate & iuſticia tua ſeruanda, aut reſuſcitanda, non ores ſolicitiſſime. Nam non tantum curare debes, quam humilis & abiectus tu eſſe poſſis; quantum ne populus à veritate & iuſticia ſimul alienetur, & mendacijs ac iniquitate illaqueetur. Ferenda ſunt mala & iniqua, ſed ſic, vt charitatem in alios non amittas, quæ ſolicita ſit, non quomodo tu ſurgas, ſed quomodo illi non ſcandaliſentur & pereant propter fratres meos (inquit) & proximos meos, loquebar pacem de te. Sic Paulus gratias agit Deo, quod vincula ſua non modo non fecerint Euangelio impedimentum, ſed etiam promouerint. *Pſal. 122. Philip. 1.*

Iudica me ſecundum iuſticiam meam.

Dicit ergo, Cum tu ſis iudicaturus populos, & ad te ſolum id pertineat, & ita populus te rurſum circundabit, & tu rurſus in medio eius eris, ſicut oraui, iam vt idipſum eo felicius procedat, iudica & me, ſecundum iuſticiam meam, & ſecundum innocentiam meam, oſtenſurus quam verba maledica huius Aethiopis Semini falſa & mendacia ſint, ne iudicio huic tuo, & populorum ſaluti, quid obſtet falſo criminata iuſticia mea.

Iuſticia propria. Iuſticia Dei.

Diximus autem Pſal. 3. aliud in ſacris literis eſſe iuſticiam meam, & iuſticiam Dei, quod illa ſit cauſa cuiusq; propria iuſta, qua coram hominibus, & in conſcientia ſua ſit irreprehenſibilis, licet coram Dei iudicio non ſufficiat. Hæc vero ſit gratia & miſericordia Dei iuſtificans nos etiam coram Deo. Ideo vigilanter addit, Mea, vt ſeparet eam ab illa, de qua in fine dicit, Confitebor Domino ſecundum iuſticiam eius. Diſtribuit forſitan iuſticiam ſuam, & innocentiā ſuam ad duo illa ſuperiora, Si feci iſtud, ſi eſt iniquitas in manibus, quæ illi Semei obiecerat. Vt iuſticia ſua ſit, non eſſe reum ſanguinis Saul, quin potius non reddidiſſe retribuentibus mala, nec dimiſiſſe vacuos hoſtes. Innocentia, ſeu integritas, ſeu ſimplicitas (hæc enim Ebræum ſonat) ſit, non inuaſiſſe regnum Saulis autoritate propria. *Pſal. 3.*

Iuſticia & innocentia Dauidis.

Quid

Quid autem illud, *ſuper me*: Hieronymus transfert, Quæ eſt in me. At culus iuſticia non eſt in ipſo? An forte hoc addit maioris diſcriminis gratia, quod iuſtlcia Dei, qua iuſtificamur coram Deo, non eſt in nobis, ſed in Deo, & extra nos? vt ſcilicet nulli relinqueret anſam inflandi ſuijpſius de iuſticia propria coram Deo Ergõ propter aliorum ſalutem innocentia debet coram hominibus iuſtificanda quæri, vt dictum eſt. *Super me.*

Conſumetur nequitia peccatorum, & diriges iuſtum, ſcrutans corda & renes Deus iuſtus.

Pſal. 5. Iterum interpres variat more ſuo, Nam quod Pſalmo 5. malignum tranſtulit, dicens, Neq; habitabit iuxta te malignus, hic transfert nequam, ſeu nequitiam. Et quod Pſal. 1. Impiorum, hic peccatorum reddidit. Quid autem ſit impius, impietas, malignus, malignitas, abunde Pſal. 1. & 5. dictum eſt. Præter hæc, latinus Interpres, iuſtũ, in fine verſus abſtulit, & ſequenti adiecit contra ebræum & græcum, nec ſine improprietate, dicens, Iuſtum adiutorium meum à Domino. Quaſi à Domino adiutorium aliud iniuſtum, iuſtus habere poſſit. *Pſal. 1. Pſal. 1. 5.*

Ebræus ita & Hiero. Conſumetur malum impiorum, & confirmetur iuſtus, probator cordium & renum Deus iuſtus. Docet autem hoc Exemplo, & nos magis oratione apud Deum contra impiorum malignitatem, pro iuſtorum innocentia agere, quam proprijs viribus, & tumultu. Alia enim, quam impij, ratione nos pugnamus, Illi viribus ac tumultu, Nos oratione, verbo, & patientia.

Pſal 104. Conſumetur (inquit) quod ſonat, finiatur, deficiat, ceſſet, vt Pſal. 104. Deficiant peccatores à terra, & iniqui, ita vt non ſint. Cui per Antitheſin contrarium precatur, vt confirmetur iuſtus, id eſt, proſperetur, dirigatur & ſtabiliatur, eo magis quo impij conſumuntur. Nec abſurdum eſſet, ſi iuſtum, in neutro genere contra nequitiam impiorum, in abſtracto pro iuſticia, vel re iuſta, ſeu cauſa iuſta, acciperetur. Quomodo Rom. 5. Apoſtolus dicit, Pro iuſto vix quis audeat mori, verum hæc ſunt parui momenti. *Diuerſa ratione pugnant pij & impij.* *Rom. 5.*

Intelligendus autem eſt Dauid & hunc verſum nobis in exemplum ſic oraſſe pro inſtituendo recto affectu, Non enim vindictæ ſtudio, ſed zelo charitatis Dei & hominum, quo & præcedentes orauit. Qui enim vindictæ cupidi ſunt, non nouiſſimo loco, ſed primo petunt aduerſariorum caſum. Hic autem primo loco ſolicitus fuit pro Deo, deinde pro populo, & ſic ordine venit ad ſuam cauſam, ac nouiſſimo ad aduerſarios, quos ideo finiri optat, vt Dei miniſterium, & populi ſalus non periclitentur, vt diximus. Quod periculum tolli non poſſit, niſi impiorum malignitas finiatur, & cauſa innocentiæ iuſti iudicata firmetur, idq; iudicante & vindicante Deo. Quare ſicut malum impiorum fuit tempore Dauidicæ tribulationis, tyrannis Abſolom & ſuorum, iuſticiam opprimentium ita in Eccleſia cuilibet inique oppreſſo, malum eſt ſui Abſolomi vis & tyrannis quam patitur. *Dauid orans, id eſt ſolicitus fuit pro Deo, deinde pro populo &c.*

Leuit. 3. Renes & corda nondum habuimus, frequenter in Scripturis memorata, & hic ſemel tractanda. In Leuitico Cap. 3. de hoſtijs pacificis erudiens ſacerdotes, ſæte totum de renibus, ſeu renunculis reticulis vitalium & adipe & pinguedine inteſtinorum ſacrificiũ abſoluit. Ex quo loco veriſimile eſt, deſumptam tot locis renũ memoriã, proinde ad naturã eundem. *Locus Leuitici, de renibus explicatus.*

Dicunt Phyſici, renes duos lumbis adhærere & hos eſſe libidinis & voluptatis organa, ſicut cor pauoris & fiduciæ, ſplen riſus & lætitiæ, iecur ſeu epar amoris & odij. Vnde & ren à νέω græco volunt dici, quod fluo ſignificat, quod è renibus obſcœnus libidinis humor fluat. Ita & lumbi, in quibus regnant renes, ſuſtinent libidinis infamiam per ſcripturas, vt ibi ſint lumbi ve- *Renes libidinis organa.* *Lumbi.*

 ſtri præ

ſtri præcincti. Er erat (Ebtæ.7.) Leui in lumbis Abrahæ patris ſui. Et de fœmore Iacob (Gen.46.) ſexaginta animæ egreſſæ ſunt. Perſpicuum eſt ergo, per renes intelligi delectationes, ſeu voluptates, quas oporteat offerri Deo, per mortificationem crucis.

Fœmur. — *Luce.11. Ebræ.7. Gen.46.*

Reticulum iecoris.

Eaſdem vel lætitias, earum ſocias, ſignificant & reticulum iecoris, & omnis adeps, Quod omnis lætitia, omnis amor, cum voluptatibus offerenda ſint Deo, nec in vllo lætandum, delectandumq;, niſi in Deo, qui & ſolus amandus eſt. Sic Leuit.3. dicit, Omnis adeps Domini erit iure perpetuo. Quod Paulus, Moſi velamen tollens, ſic dicit Phil.4. Gaudete in Domino ſemper, iterum dico gaudete. Sic & Dauid eodem ſpiritu Moſen intelligens, adipem oſtendit ſignificare lætitiam, Pſal.63. Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea, & labijs exultationis laudabit os meum.

Leuit.3. Philip.4. Pſal.63.

Qui renes, adipem &c, Deo offerant.

Igitur iecur, renes, adipem, pinguedinem, reticulum offert Deo, qui amore, libidine, delectatione, voluptate, lætitia, terrenis & corporalibus mortificatis, Deum amat, Deo fruitur, in Deo delectatur, lætatur & in ijs quæ Dei ſunt. Quod ſacerdotibus lex præcepit, id eſt, omnibus Chriſtianis, qui ſunt genus ſacerdotale & regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis.

Omnes Chriſtiani ſacerdotes. — *1.Pet.2.*

Auguſtinus.

His conſentit nunc beatus Auguſt. qui vbiq; per renes intelligit delectationes. Recte (inquit) temporalium & terrenarum rerum delectatio renibus tribuitur, quia & ipſa pars eſt inferior hominis, & ea regio eſt, vbi carnalis generationis voluptas habitat, per quam in hanc ærumnoſam & fallacis lætitiæ vitam, per ſucceſſionem prolis, natura humana transfunditur.

Cordis ſignificatio.

Cor vero, quia domicilium eſt ſenſus, ſignificat conſilia, ſtudia, mentem, iudicium, opinionem, affectum, cogitationes, æſtimationes, & his ſimilia. Ideo prius cor, quam renes, quod voluptas & quæritur per opiniones & ſequitur, & quiſq; his delectatur quæ ſibi bona iudicauerit, ſi obtinuerit. Hinc ſapientia carnis inimica Deo ab Apoſtolo Rom.8. dicitur, quod quærat voluptates illi contrarias, & his afficiatur, his rapiatur, quæ prohibuit Deus. Senſus ergo eſt, quod omnium cogitationes & delectationes, omnium deſideria & voluptates, Deus ſolus ſerutatur, nouit, examinat & probat. Quia ipſe eſt ſpirituum ponderator, Prouerb.16. Hæc grammatice.

Rom.8. Prouer.16.

Cur autem hæc voluit hoc loco dicere? aut qua cohærentia conueniunt cũ præcedentibus? Dixerat: Deficiat malignitas impiorũ, & procedat cauſa iuſti. Verum quia alia ſunt hominum iudicia, & alia Dei, imo contraria, Coram hominibus, qui vident ea quæ patent, Dauid autoritate Abſolom & Semei, vir ſanguinum, & reus malorum iudicabatur, toto corde (inquit 2.Reg.15. vniuerſus Iſrael ſequitur Abſolom, Ita Abſolom fulgebat, & iuſtus, rectus, bonus erat, in omnium oculis Dauid ſordebat & impius, malus & noxius erat. Itaq; cum ſit potentiſſima tentatio derelinqui ab vniuerſis, ad aduerſarium congregatis, neceſſitate prouocat ad Dei iudicium, qui iudicat ſecundum cor.

Iudicia Dei & hominum contraria. — *2.Reg.15.* — *Potentiſſima tentatio.*

Et hoc conſilio ſeſe ſolatur & confirmat ſpem ſuam, rectam & bonam de Deo opinionem capiens, Q.d. Etſi omnes me deſerant, ad Abſolom autem omnes confugiant, ille confirmetur, ego conſumer & deficiam. Tu tamen Domine cum ſis Deus iuſtus, aliter quam homines iudicans, ſecundum cor & renes probans nos omnes, noſti quam inique illi agant. cor & renes vides, quid cogitent, quid quærant, quo gaudeant, intelligis, Rurſus quid ego cogitarim & voluerim, non ignoras, licet illi adſit, mihi deſit, ſpecies longe contraria cordibus & renibus. Ideo oro, fac vt conſumetur illorum malum, & mea proſperetur iuſticia. Nam in Ebræo iſte verſus manifeſte eſt deprecatorius, cum addatur dictio Na, quæ transfertur per aduerbium o. vel obſecro, vt conſumetur obſecro nequitia, ſicut Pſal.118. Obſecro Domine ſaluum fac.

Pſal.118.

Erudimur

Erudimur ergo hoc verſu,quantumlibet vel multi vel omnes à nobis defecerint ad aduerſarium,ne deficiamus in cauſa veritatis. Non enim hodie nouum, totam multitudinem cum vniuerſis Magnatibus errare & iniquam cauſam tueri. Et ſi durum ac difficile ſit hanc ſolitudinem ferre,cum hoc argumento,ſtulti ſuam cauſam vnice glorientur inuictam eſſe. Verum Deus viuit,cuius iudicium appellandum eſt & fortiter tenendum,quod cor & renes ille probat,quia iuſtus Deus. Quare nomen iuſtus omnino ad hunc verſum pertinet,cum in eo ſita ſit vis tota ſententiæ,& per Antithesin ſubnotet homines eſſe iudices iniuſtos. *Veritatis cauſa non deſerenda.* *Iuſtus Deus.*

Sequitur ex his corda & renes dupliciter accipi,vel,vt ſunt non mortificata,nec Deo oblata,vel contra,per gratiam rectificata & purgata. Quia ſtatim ſubdit de rectis corde,oſtendens quæ corda Deus probans & ſcrutans acceptet, dicens.

Adiutorium meum à Domino,qui ſaluos facit rectos corde.

EBræus ita per Hieronymum:Clypeus meus in Deo.Significat enim protectionem ac defenſionem. Et ſunt verba ſeſe exhortantis,ad ſpem in Deum,aduerſus contrariam multitudinem in hominibus protectoribus fidentem Præſertim aduerſus verba Semei,vbi dixit,Ecce premunt te mala tua,& dedit Dominus regnum in manu Abſolom filij. Sit (inquit)ita, fidite vos in homine,qui ſecundum faciem iudicat,ego protegi me confido à Deo,qui ſecundum cor iudicat. Quare Epitaſis,in pronomine Meum & Domino,eleuanda eſt contra pronomen Veſtrum,& ablatiuum homine,Adiutorium veſtrum in homine,meum in Domino,Sic enim & nobis faciendum eſt hoc Exemplo in caſu ſimili. Altera quoq; Epitaſis ſimiliter eleuanda eſt, in pronomine,Qui,& accuſatiuo Rectos,hoc modo:Homo ſaluos facit paruos corde,Deus autem Rectos corde.Neceſſaria enim ſunt hæc verba paſſis, vt talem de Deo opinionem conſtantem ſibi in corde erigant,& feruent contra omnia argumenta aliud vrgentia,ne deficiant à ſpe diuini auxilij. *Epitaſis obſeruanda.*

Pſal. 1. Quid autem ſit rectum cor,abunde diximus Pſalmo 1.In conſilio impiorum, Quod ſit eius qui rectam opinionem de Deo habet,qui non ſuo ſenſu ducitur,hoc eſt,qui credit & ſperat in Deum.Sola fides enim rectificat,purificat,firmat cor,recta,vera,ſancta; opinione Dei.Et apte facit ad propoſitum, cum Semei maledicta ſua,etiam autoritate Domini niteretur probare, recte Dauid expulſum,& Abſolom ingreſſum,quo oſtendat,quam ſoleant ſe praui cordes ſpecioſo fuco honeſtare,& rectos corde vituperare: præſertim accedente populi plauſu. *Cor rectum.*

Deus iudex iuſtus & fortis & patiens,nunquid iraſcetur per ſingulos dies.

ALiter in Ebræo habetur. Deus iudex iuſtus & fortis,indignans tota die. Et quod fortis dicitur,nomen Dei eſt, quod El ſonat,vt rectius diceretur: Deus iudex iuſtus,& Deus indignator tota die, quare & patiens ſuperadditum eſt, Quæſitiuum,nunquid,cum vitiata diſtinctione verſus,Interpretis eſt,non textus.

Adeo autem profecit ſpes Dauid in tentatione iſta,vt iam non ſolum non dubitet ſe exauditum & liberandum,ſed etiam aduerſarios moneat timere iudicium & vindictam Dei,Deinde denunciet eis in caput eorum ventura quæcunq; in ipſum machinati ſunt. Et quamuis hæc poſt tentationem ceciniert, vt poſſit videri, ex euentu ipſo ſuæ tribulationis doctus, tribulatus ſolatium,& tribulantibus iram proponere,alioſque ſuo exemplo, & ſuorum aduerſariorum periculo,docere, Tamen credendum in ipſa remedia, talia illi fuiſſe meditata , quæ poſtea hoc carmine in publicum traderet. Nec *Profectio ſpei in Dauide.*

enim vnquam de Deo deſperauit, ideo cognouit fore, vt inimicis ſuis iſta euenirent, Sicut & modo & ſemper quilibet iuſtus, videns impios inique in iuſticiam graſſari, cum fiducia & cogitat & dicit, Deum quem iuſtum Iudicem cognoſcit, hæc non paſſurum Sicut dicit Pſal. 9. Patientia pauperum non peribit in finem. *Pſal. 9.* Atqꝫ id non obſcure indicat, quando in eadem hiſtoria Dauid *2. Reg. 18.* tam ſolicite mandabat, vt ſeruarent ſibi puerum Abſolom, ſcilicet ſciens & metuens, ne in caput eius malum redundaret, ſicut & contigit, Et hic omnibus illius imitatoribus prædicit.

Audiamus ergo Concionatorem aduerſarijs impijs quæ pronunciet pia *Deus index iuſtus.* ſolicitudine cupiens eos à periculis eruere, & vere bonum pro malo reddens. Hoc ſcitote inquit, Deus iudex eſt, ſed iuſtus, nullius reſpicit perſonam, nec multitudine mouetur, nec hominum laude fallitur, nec ſpecie capitur, nec fauore mutatur, nec munere corrumpitur. His enim homines redduntur non ſolum iniuſti iudices, ſed etiam iuſti iudicis Dei contemptores, dum placere hominibus ſatis eſſe putant. Rurſum non damnat propter homines ſolitarium, vituperatum, maledictum, oppreſſum, pauperem & contemptum, Breuiter, vel hoc ſolum verbum (*Deus index iuſtus*) potens eſt, ſi digne penſetur, humiles conſolari, & ſuperbos terrere, quod in Chriſto patiente multum valuiſſe, Petrus 1. Pet. 2. teſtatur dicens, *Tradebat autem iuſte iudicanti.* Qui enim hoc *1. Pet. 2.* verbum cogitat, facile ponit vindictam, quin miſeretur aduerſariorum quoqꝫ quod in Dei iudicium incurrant.

Et fortis indignatur tota die, id eſt, aſſidue, ne putetis impij propitium eſſe vobis Deum, quia eleuamini & potentes eſtis in iniquitate. Scitote & credite, aliter habet, quam apparet, Deus iratus eſt, deteſtatur vos, indignatur, comminatur (hęc enim omnia Ebræum verbum ſignificare dicunt) quotidie. Hæc ne- *Impij non ſentiunt iram Dei.* ceſſario impijs dicuntur, qui quia non ſentiunt iram, credunt, nec timent. Verba enim ſpiritus ſunt annunciata de re abſente, & non apparente, per fidem apprehendenda. Noſtra tranſlatio videtur omnia inuertere, priorem partem ad impios, & poſteriorem ad pios aptans. Nam iuſtum ac patientem Deum intelligimus ſuper malos terrendos, Non autem iraſci per ſingulos dies ſuper bonos conſolandos, Iuxta illud Pſalmi. 103. Non in perpetuum iraſcetur, neqꝫ *Pſal. 103. 55.* in æternum comminabitur. Et 55. Et non dabit in æternum fluctuationem iuſto, Sed Ebræus aptius concordat ſequentibus.

Niſi conuerſi fueritis, gladium ſuum vibrabit: arcum ſuum tetendit, & parauit illum.

EBræi ſic: Si non conuertet, gladium ſuum acuet. Quanquam & qui acuit & expolit gladium, reddit eum vibrantem, vt non longe di- *Si non conuertet.* ſtet acuere & vibrare. Illud, *Si non conuertet*, dubium eſt, an ad Deum comminatorem, vel ad impium conuertendum pertineat, Licet Hieronymus referat ad conuertendum, dicens, Non conuertenti gladium ſuum acuet. Forte abſolutum verbum eſt, vt ſit, Si non conuertet, id eſt, ſi non erit conuerſio. Verum ſiue dicas, Niſi conuerſi fueritis, ſiue, non conuertenti, ſiue, ſi non erit conuerſio, nihil perit ſententiæ, quam potius videamus.

Propheta ex craſſa & humana ſimilitudine deſumit pro terrore incutiendo doctrinam, quia contra inſenſatos & induratos loquitur, qui iudicij diuini ſeueritatem (de quo prædixerat) non capiunt, niſi humanæ ſeueritatis vſu *Gladium acuet.* indicatam. Ideo non virgam, non baculum, non deniqꝫ vllam adducit inter homines diſciplinæ ſeueritatem, niſi eam quæ mortem infert, gladium ſcili- *Gladius Dei.* cet, & arcum, vt inculcet æterni iudicij, æternæ mortis, æternæ ſeueritatis ſententiam. Quid enim gladius Dei eſt, niſi verbũ iudicij æterni? de quo ad Ebr. 4. *Ebræ. 4.* Viuus eſt ſermo Dei, & penetrantior omni gladio bicipiti, quo dicet, Ite

maledicti

maledicti in ignem æternum. Gladij enim vocabulum, ſcindendi & interficiendi opus conſignificat, præſertim cum ad id acui, & vibrari dicatur.

Ad eoſdem inſenſatos pertinet, quod non contentus gladij intentatione, addit & arcum, nec arcu contentus, ſagittas etiam deſcribit. Adeo dura eſt ceruix & frons impietatis, vt tot comminationibus opus ei ſit, nec ſic tamen molleſcat. Idem autem eſt arcus quod gladius, verum ſcilicet iudicij, per aliud, & aliud repetitum & ſignificatum. Quod dicit parauit illum, idem eſt verbum, quod ſupra, dirige iuſtum. Vt arcum paratum intelligas, tenſum & directum ad iam iam feriendos impios, ſicut gladium vibratum ad ſcindendos. *Dura ceruix impietatis, nullis comminationibus flectitur.*

Pulchre autem his verbis iram Dei proximam ſuper impios deſcribit, quod tamen non intelligunt, donec ſenſerint. Quid enim profuiſſet Abſolom & Ahitophel, ſi multa millia annorum in ſua malitia præualuiſſent, & tandem ſubito gladio iræ Dei in æternam mortem abſciſſi fuiſſent? Nihilominus repentina & proxima eis fuiſſe ira videretur. Ita Syrach. 5. Ne dixeris peccaui, & quid mihi accidit triſte? Miſericordia enim, & ira ab illo cito approximant, & in peccatores reſpicit ira eius. Ne tardes conuerti ad Dominũ, & ne differas, de die in diem, ſubito enim veniet ira illius, & in die vindictæ diſperdet te. Et Pſalmo 34. Vultus autem Domini ſuper facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum. *Ira Dei impijs proxima eſt.* *Syrach. 5.*

Et in eo parauit vaſa mortis, ſagittas ſuas ardentibus effecit.

PErſtat in ſimilitudine, ſed apte ſimul æternum cruciatum exprimit, qui eſt mori & ardere. Vas Ebraiſmo, ſignificat omne inſtrumentum generali vocabulo, omnium rerum, vt Pſal. 71. Confitebor tibi in vaſis Pſalmi, id eſt, inſtrumentis muſicis. Et Ezech. 9. Et vnuſquiſq; vas interfectionis habet in manu ſua, id eſt, inſtrumentum mortis, ſeu ad interficiendum. Sic Acto. 9. Paulus Apoſtolus, vas electionis dicitur, quod ab ignaris Ebræi idiomatis non intelligitur idem eſſe, quod latine inſtrumentum electum, quod ſcilicet eo voluerit Chriſtus vti, ad Gentes conuertendas præ cæteris Apoſtolis. Illi vero, quod ſolum receperit in ſe gratiam electionis intelligunt. Cum data opera addiderit Chriſtus, Ideo vas electionis eum fore, vt portaret Nomen ſuum coram gentibus & filijs Iſrael, & multa pateretur propter verbum Chriſti. Ita hic vaſa mortis, tela, iaculaq; mortifera idiotiſmo eodem dicit, ne inſenſati vilem hanc comminationem haberent, ſi vaſa ſimpliciter, aut ludi, aut venenationis diceret, ſed vt terrore mortis temporalis æternæ mortis terrorem concipiant. *Vas.* *Pſal. 71.* *Ezech. 9.* *Acto. 9.* *Paulus vas electionis.* *Vaſa mortis.*

Sagittas ſuas ardentibus effecit. Per Auxeſin adiecit, & vaſa mortis, vel exponit vel repetit. Ne iterum leuiter ſagittas ducerent, peſſimas & mortiferas intentat, pulchre ſeruans grande dicendi genus, quod anguſtis & potentibus verbis conſtat. Hieronymus ſic reddit, Sagittas ſuas ad combutendum operatus eſt, Noſtra translatio obſcure ac pene barbare loquitur. Quid enim eſt ardentibus ſagittas efficere? an, vt ardentes ipſi iaciant ſagittas? Occaſio fuit, quod plurali numero Ebræus dicit, Ledolkim, quod Hieronymus ad comburendum tranſtulit. Poterat ſic dici, Et in eo parauit vaſa ad interficiendum, ſagittas ſuas operatus eſt ad ſuccendendũ, ſeu, vt ſint ſuccendentes. Nam Ebræum non poteſt ad verbum reddi ſic, Sagittas ſuas ad eſſe ſuccendentes operatus eſt.

Nec ſatis erat dicere, Sagittas ſuas ignitas fecit, licet de his loqueretur, Quia verbum effecit, ſeu operatus eſt, de quo Pſalmo 1. diximus, hoc loco pœal ponitur, quod non fabri, vel artis, ſed agentis & vſus ſignificationem habet, vt ſignificet tam vaſa mortis iam parata, quam ignitas ſagittas iam effectas, Deum vero illis ſic vti & agere, vt occidant & ſuccendant, quo præſentiſſimam iram & ſeueritatem ante oculos ponat, Iam enim agit vt moriantur & ardeant impij, licet nondum moriantur & ardeant. *Pſal. 1.* Præte-

Præterea dictio ſuccendentes, etiam perſecutionem & vaſtationem ſignificat, Pſal. 10. Dum ſuperbit impius incenditur pauper, id eſt, patitur perſecutionem. Summa eſt hæc, His nominibus mortis & ardoris, ſine dubio æternam mortem & infernum prædicit, de quibus Pſal. 6. dictum eſt ſub verbis iræ & furoris, item argui & corripi, item erubeſcere & conturbari. De his ſagittis & Iob quæritur, & alias in Pſalterio videbimus. *Pſal. 10. Pſal. 6.*

Comminatio Dei aduerſus impios &c.

Obſeruandum quod hucuſq; non habuimus tantam in vllo Pſalmo aduerſus impios comminationem & indignationem, nec tanto verborum textu in eos inuectus eſt ſpiritus, Nam & in ſequentibus eorum ſtudia quoq; recenſet, & non irrita modo, ſed etiam in caput eorum reuerſura oſtendit, vt appareat omnibus, qui vim calumniarum patiuntur, in conſolationem ſui, quanto odio ſint præ cæteris calumniatores Deo, Nam in calumniam (vt dixi) proprie hic Pſalmus editus eſt.

Ecce parturit iniuſticiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem.

Auen.

DEſcribit eorum ſtudia maligna, nullis niſi ſuis autoribus tandem pernicioſa, quæ appellat iniuſticiam, dolorem, iniquitatem. Hieronymus ſic: Ecce parturit iniquitatem, & concepit dolorem, & peperit mendacium. Primum vocabulum, quod iniquitatem vel iniuſticiam iam diximus, Ebraice eſt ipſum Auen, à quo ſuperius Pſal. 5. & 6. operarios iniquitatis dici audiuimus. Vbi ſimul dictum eſt, Idem pro dolore frequentius transferri, vt Pſal. 10. Sub lingua eius labor & dolor. Item Pſalmo. 90. Et amplius eorum labor & dolor. Vnde & hic dici potuit: Ecce parturit dolorem. *Pſal. 5. 6. Pſal. 10. 9.*

Amal & Auen fere coniunguntur.

Solent autem hæc duo vocabula amal & auen, id eſt, labor & dolor, fere coniungi, vt hic & iam dictis Pſalmis, Vnde rectius hic diceretur, Et concepit laborem, Proprie enim ſignificat laborem, à laborando, vt Pſal. 127. In vanum laborauerunt, qui ædificant eam. His in germanica noſtra reſpondemus vſitate, & ſimili verborum numero & valore, Es iſt mühe vnd arbeit. Vt auen proprie ſit mühe à fatigando, Amal, arbeit. à laborando, vt laborem & difficultatem ſignificemus eſſe in anxio cordis ſtudio, & animi moleſta contentione, fatigatione, laſſitudine, tædio. *Pſal. 127.*

Impiorum pœna præſens. Auguſtini dictum.

Talem autem eſſe eorum vitam, qui impie agunt, diximus, Quia non eſt pax impijs, dicit Dominus Et requiem illam non habent, de qua Chriſtus dicit Matt. 11. Venite ad me qui laboratis & onerati eſtis (quaſi diceret, qui in Auen & Amal, in mühe vnd arbeit eſtis) & inuenietis requiem animabus veſtris. Adeo ſcilicet præſens eſt pœna impiorum, vt eo ipſo, quo male agunt, affligantur & inquietentur. Labor eſt (inquit) demum ipſa voluptas. Et Plinius, adeo omnis voluptas aſſiduitate ſui faſtidium parit. Et Auguſtinus lib. 1. Confeſſ. præclariſſime dicit, Iuſſiſti Domine, & factum eſt ita, vt pœna ſui ipſius, ſit omnis animus inordinatus, Et Sapient. 5. Laſſati ſumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulauimus vias difficiles, viam autem Domini ignorauimus. *Iſa. 57. Matt. 11. Sapient. 5.*

Labor impiorum inſigniter fatigat.

Hæc autem pœna, ſiue moleſtia, ſiue labor, proprie & inſigniter fatigat, quoties accidit induſtria, quæ data opera conatur contra pietatem ſua ſtabilire, & (vt Apoſtolus Rom. 10. dicit) ignorata iuſticia Dei, ſuam ſtatuere, hoc eſt, quæ in peioribus & ſpiritualibus nequitijs exercetur. Ideo ſuperius ad illos maxime hoc malum pertinere diximus, qui ſuperſtitioſa religione, idolatria, inobedientia, proprijs & à ſe repertis ſtudijs, operibusque iuſtificari ſatagunt, deſerto interim mandato Dei, vel etiam hominum, ad quod tenebantur. His enim, quia contra Deum incedunt, & Deus eis rurſum contrarius eſt, *Rom. 10.*

neceſſario occurrit multa moleſtia, vt nihil niſi laborem & dolorem ex vniuerſo quod agunt,reliquum habeant. Sicut erudite Eccleſiaſtes,in multis locis vocat vanitatem,& afflictionem ſpiritus. Cum interim ij,qui ſpiritu Dei aguntur,ſinuntq; ſe dirigi, multa pace in Deo fruantur, etiamſi quid triſte patiantur. *Auen.* Igitur Auen primo iniquitatem,hic iniuſticiam,infra dolorem interpretari videmus,quæ ſi in vnum conſentur, reddent nobis malitiam illam,quæ id anxie agit,vt honeſto titulo pro iuſticia & pietate habeatur. Vera enim pietas non eget labore,vt pietas ſit.

Ita hic Dauid iam ſpe firmatus, & victor tentationis ſuæ,calumniatorum *Co fidens in Dominum ridet vim ſuorum calumniatorum &c.* & tribulatorum ſuorum vim & ſtudia ridet,imo miſeratur, coram omnibus, dicens: Ecce quo loco ſint calumniatores mei,videat qui volet, quanta eos tenter miſeria,quanto ſint me incorporabiliter infeliciores. Non ſolum eis minatur Deus aſſidue,non ſolum eis inſtar gladius,arcus, vaſa mortis, & ſagittæ ſuccenſuræ,Sed præſenti etiam pœna torquentur, & malitiæ ſuæ mercedem in ſeipſis recipiunt,dum ſoliciti ſunt & æſtuant,qua nam ratione me opprimant,& ſeſe,me extincto,ſecuros faciant,Plus miſeris eſt negotij,quomodo me perdant,quam mihi quo peream. Imo ego,quæ in Dei voluntatem me obtuli,ſecurus omnia expecto,Illi ſecuri & quieti eſſe non poſſunt,donec pariant quod parturiunt,& impleant quod cogitant,& tamen quia contra iuſticiam & Deum cogitant,fruſtra harum cogitationum doloribus & laboribus vexantur,cogitant enim contra Deum conſilia (Pſalm.21.)quæ ſtabilire non poterunt.

Pſal.21.

2.Re.16.17.

Tangit autem illud,quod 2.Reg.16.& 17.Abſolom dixit:Inite conſilium quid facere debeamus. Vbi multis conſilijs anxie res tractata fuit,quomodo Dauid occiderent,Sed prorſus irritis omnibus mirabili Dei conſilio, non ſecus atq; Iudæi multo labore & dolore contra Chriſtum egerunt,vt perderent eum. Semper(inquit Auguſtinus)inuenimus eos maiora ſupplicia iuſtinere *Auguſtini dictum.* qui faciunt,quam qui ſuſtinere videntur. Imo hoc in perpetrando quouis *Latro.* ſcelere contingit, Latro quot inſidias meruit? quam horam? quem locum? *Adulter.* quem hominem tuto habet? Adulter quot timoribus diſcruciatur? quot machinis vtitur,antequam ſemel pereat? Ita omni flagitio,præſertim calumniæ, maiora ſunt ſupplicia quam commoda,vbi nihil non periculi,nihil non mali cogitur ſuſpicari miſer. Interim qui Deo confidit,ſicut Leo impauidus & ſecurus omnia contemnit,fretus optima conſcientia veritatis & innocentiæ.

Docemur itaq; hoc verſu amplecti optimam conſolationem *Conſolatio in preſſura calumniæ.* in preſſura calumniæ,vt cauſa Deo tradita, non triſtemur, aut ſoliciti ſimus, nec tumultuemur,Sufficit noſſe,Dei cauſam nos agere,in qua ſic diuidamus cum illis paſſiones, vt ab ipſis externe vexemur, illi autem à ſe ipſis interne, ſint illi onus noſtrum,dum interim illis non modo nos,ſed magis ipſimet ſibi ſunt multo grauius onus. Vide ergo miſerrimam impiorum & calumniato- *Calumniatorum miſera conditio.* rum conditionem, Deus eſt eis onus,nos ſumus illis onus, ipſimet ſibi ſunt onus. Quis non horum magis miſereatur,quam impatientius indignetur? Sane quilibet noſtrum hæc impijs imminere, & talia eos moliri nouit, quæ hic cenſentur. Sed cum venerit hora calumniæ,non omnes in eadem ſcientia perſiſtimus,nimium ſoliciti feliciter proceſſura eſſe calumniatorum ſtudia contra nos,quæ contra alios ſecure affirmamus nihil promotura.

VIdeamus ergo verborũ proprietatem, Ecce, inquit,velut admirans omnes ad ſpectaculum hoc inſigne prouocat, quia longe con- *Parturire.* trarium ſenſibus apparet? *Parturit dolorem.* Apte componit verba, ſiquidem parturire,& ipſum eſt cũ dolore eniti. Quaſi cum dolore dolorem meditari eos dicat,ſumpta metaphora à mulieribus parturientibus,in quo pulchre

ſtudia

Anxia ſtudia impiorum calumniatorum.
Hiero. dictum.

ſtudia anxia impiorum & calumniatorum depingit. Quæ ſunt (vt dixi) multa cura & periculo ſua contra veritatem ſtabilire, vbi (vt ille ait) ſeptem alijs mendacijs eget vnum, vt verum appareat. Et beatus Hieronymus: Multis eget falſitas, vt veritas videatur.

Impiorum & calumniatorum prudentia.

Et concepit dolorem, Videtur inuerſa ſententia dicere debuiſſe: Ecce concepit laborem, & parturit dolorem, cum prior ſit conceptus, quam partus. Hoc ideo mihi facere videtur, vt impiorum & calumniatorum ingenium & prudentiam nobis deliniet, qui dum innocentiam feſtinant opprimere, impatientiſſimi ſunt moræ, magisq; in hoc intenti, vt prius expleant animi ſui malitiam, quam prudenter conſultent, prius incipiant quam deliberent. Non enim ratione & conſilio, ſed impetu & temeritate feruntur, ideo factum malunt, quam conſultum. Expleto autem flagitio, dum demum ineunt conſilia, quibus recte factum queant tueri. Hic demum concipitur labor, & negotium iniquitatis malæ præſumptæ defendendæ ſuſcipitur.

Calumniator.

Sic Abſolom poſtquam expulerat patrem Dauid, & ſuum Auen parturijſſet, dixit: Inite conſilium, quid facere debeamus. Sic Iudæi Chriſtum prius comprehenderunt, poſtea quærebant falſa teſtimonia, quibus eum accuſarēt. Sic omnis calumniator ſuam Auen prius parturit, & proximo imponit, poſtea quærit, vt iuſtus aut ſecurus perſiſtere poſſit. De quibus Prouer. 30. Talis eſt via mulieris adulteræ, quæ comedit, & tergens os ſuum, dicit, Non ſum operata malum. Hanc parturitionem doloris, & conceptionem laboris, ſolemus germanicè ſic eloqui, Du richſt ein Vnglück an/da wirſtu zu ſchaffen haben. Et prouerbialiter, Du brockeſt ein/vnd wirſts ſchwerlich aus eſſen. Igitur & difficulter & periculoſe incipiunt imprudentes Auen operarij, hoc eſt, quod parturiunt dolorem, & multo labore ſudoreq; inceptum conantur tueri, hoc eſt, quod concipiunt laborem. *2. Reg. 17.* *Prouer. 30.*

Malum ante conſilium cœptum præbet dolorem &c.

Quare optime docet, malum cœptum ante conſilium præbere dolorem, & conſilium poſt cœptum laborem, Vtrumq; enim genus temeritatis & ſtultitiæ debetur his calumniatoribus impijs, tam factum ante conſilium, quam conſilium poſt factum, vt cum peruerſis omnia ſint peruerſa. Verum hunc conceptum laboris intelligamus ſimul fieri cum partu doloris. Sic enim dicunt impij calumniatores, dum aggrediuntur malum ſuum, Agamus vbi factum fuerit, erit quod reſpondebitur, aut quo defendetur. Sicut Iudæi Matth. vltimo, quando cuſtodibus pecunia corruptis, ne Chriſti reſurrectionis veritas reuelaretur, dixerunt. Et ſi hoc auditum fuerit à Præſide, nos ei ſuadebimus, & ſecuros vos faciemus. Vide, vt ibi concipiant laborem, dum onerant ſe futuris inueniendis malitiæ patrocinijs. Ita hic Abſolon & ſui parturiunt audacter Auen ſuam. Quo autem conſilio eam tueantur, nondum, parturiunt, ſed concipiunt facientes. Sicut Prou. 14. dicitur, Sapiens timet & declinat à malo, ſtultus tranſilit, & confidit. Quid autem ex conceptu pariant ſequitur. *Matt. 28.* *Impiorum conſilia.* *Abſolon.* *Prouerb. 14.*

Impiorum conſilia poſt factum ſcelus

Et peperit iniquitatem. Quod ebraice mendacium, falſum & inane dicitur, quod ad propoſitum optime quadrat, Talia enim ſunt conſilia, defenſiones & excuſationes impiorum poſt factum ſcelus, meræ ſcilicet & frigidiſſimæ tergiuerſationes, mendaces, illuſiones, & vanæ deceptiones, quibus ſe adornent, populo ſuadeant, & oppreſſum fœdent. Deinde vani & irriti conatus, pro ſua temeritate ſtabilienda, in quibus omnibus multum laboris & operæ perdunt, & omnia tandem fruſtra tentant. Vt hæc etiam noſtri ſeculi exemplis videmus contingere. Hoc autem loco, magis falſum & vanum intelligimus partum, quam iniquum vel mendacem, Loquitur enim de vano conatu & irrito conſilio, quo deceptus eſt falluſq; Abſolon, quando collecto Iſraele toto, Dauid quærebat perdere. Ibi enim conſilium ſuum, & partus adeo euanuerunt, & in irritum ierunt, vt & ſuper caput ipſius ceciderint, & quod in Dauid moliebatur, ipſum contereret, vt ſequitur.

Lacum

Lacum aperuit & effodit eum, & incidit in foueam, quam fecit.

ALlegoriſat Propheta, quo, vt ſupra docuimus, ſimul & rerum quandam Allegoriam oſtendit. Quemadmodum crux Chriſti, eſt vita allegorica, apparens occidere dum viuificat, Ita hic Abſolom lacum aperuit & effodit, vt Dauid in eum vrgeret, ignarus quod hoc ipſo Dauid liberaret, & ſeie perderet. Tangit autem illud, quod Abſolom cogitauit multitudine fretus, Dauid vt vnum & ſolidarium ab omnibus dereiictum virum opprimere. Hic eſt enim lacus mortis, quem illi parauit & effodit. Sed ecce hoc ipſum contigit ei, qui derelictus ab omnibus, ſolus in quercu pendens confoſſus eſt, & proiectus in foueam grandem in ſaltu, comportato ſuper eum aceruo lapidum magno nimis, vt ſcribitur 2. Reg. 18. Hæc eſt fouea illa, quam hic recitat, & in allegoriam trahit. Non enim Abſolom eam foueam Dauidi pararat, ſed mortem, quam paſſus eſt ipſe, illi intentabat. Ita & vſu humano dicitur, Nobis paratum fuiſſe malum, in quod ceciderit imprudens aduerſarius noſter, etiamſi tale quid, ille non pararit. Quare prouerbialis eſt hic verſus, & gnome vulgaris, ſicut illa: Lex non eſt æquior vlla, quam necis artifices arte perire ſua.

Lacus mortis quem Abſolom parauit patri &c.

Reg. 18.

Dicuntur hæc (vt dixi) in conſolationem oppreſſorum, vt ſint ſecuri, malum quod eis intentatur, venturum in calumniatores ipſos, Simul in terrorem calumniantibus & perſecutoribus, quorum nimia præſumptio & ſecuritas eſt deterrenda, & aliorum infirmitas corroboranda.

Vide autem, quam exprimat ardorem & anhelantem furorem impiorum, quod non ſimpliciter dixit, Lacum fecit, ſicut infra dicit, foueam quam fecit, ſed lacum aperuit & effodit, Q. d. illud Prou. 1. Pedes eorum feſtinant, vt effundant ſanguinem, Ita ſunt negotioſi & operoſi in parando & fodiendo lacu, Nihil non tentant, omnia explorant, non contenti quod aperiunt, effodiunt, etiam profundum faciunt, vt quantocius & profundiſſime perdant innocentem. Sic Iudæi quanquam feſtinarent ad Chriſtum occidendum, & omnia in hoc pararent, Non tamen ſimplici mortis genere contenti fuerunt, ſed velut profundiſſimam foueam effodientes, ignominioſiſſimã crucis mortem procurarunt. ita omnis calumniator nõ habet ſatis perdidiſſe quantocius proximum ſuum, niſi, quantum poteſt turpiſſime perdat.

Lacum aperuit & effodit.

Prouerb. 1.

Hanc ignominiam mortis per effoſſionem parati laci indicat, quia tanto à luce & ſpe reparandi longior eſt, quo profundius immergitur. Nullus enim impius tam ſtultus eſt, qui velit videri innocentem ſine cauſa perdidiſſe, imo quo eſt malignior, eo magis quærit videri iuſtiſſima cauſa agere, & illum turpiſſima cauſa perdi. Ideo effodere illi neceſſe eſt, lacum iam paratum & apertum. Et tamen foueam ſibi nec appetuiſſe, nec effodiſſe, ſed feciſſe dicitur, quia nec mortem nec ignominiam ſuam quæſiuit, incidit potius imprudens.

Iterum hic ſolœciſmus eſt, Incidit in foueam, fecit, Vbi noſtri addunt, quam, Ego autem, quia, vt ſupra, & quod, aperuit, nos habemus, parauit dicitur in Ebræo, Parua hæc, quia vtrobiq; intelligitur, lacus prius paratus quam effoſſus, contra omnium ſenſum, quia id quod dictum eſt intelligi voluit.

Conuertetur dolor eius in caput eius, & in verticem ipſius iniquitas eius deſcendet.

NOn eſt hic Auen, ſed Amal, quod laborem proprie, non dolorem ſignificare diximus. Conuertetur (inquit) labor eius in caput eius, Et iniquitas, vocabulum eſt, quod nondum habuimus, ſcilicet Hamas, quod proprie ſignificat rapacitatem, violentiã, ſeu iniuriam, quæ vi irrogatur,

Amal.

Hamas.

tyrannidem, quo modo accipitres rapiunt auiculas, Nam ab hoc nomine accipitrem nocturnum vocari dicit Reuchlin à rapiendo.

Abſolom parans foueam patri, ipſe in eam incidit.

Reſpicit autem ad illud, quod in principio dixit, Ne quando rapiat, ſicut leo animam meam, Parauerat enim Abſolom, collecto omni populo, vi rapere & vorare Dauid, & ipſe raptus ac deuoratus eſt miſer, Et ita recidit labor & ſtudium eius in caput eius. Videturq́; idem eſſe ſenſus cum verſu præcedente, cuius allegoriam apertis verbis explicat, Niſi in hoc differat ab illo, quod præcedente verſu opus ipſum deſignatum ſit, ipſa ſcilicet mors & perditio, fouea & lacu expreſſa: In hoc autem conſilium & ſapientia, quibus fouea & lacus illi parabantur & effodiebantur. Vt intelligamus Deum adeo pro calumnia preſſis, contra calumniatorum vim, ſolicitum eſſe, vt & malum, quod intentant, & conſilium quo nituntur, in eos retorqueat, ne deficiamus in ſpe.

Deus impios proprio conſilio capit.

Hic enim diuini iudicij modus incomprehenſibilis, quod impios non niſi proprio eorum conſilio capit, & in perditionem à ſe repertam inducit. Sic Goliath occidit proprio gladio. Sic Iob. 5. Qui diſſipat cogitationes malignorum, ne poſſint implere manus eorum quod cœperant, Qui apprehendit ſapientes in aſtutia eorum, & conſilium prauorum diſſipat, per diem incurrent in tenebras, & quaſi in nocte, ſic palpabunt in meridie, id eſt, Tunc ſunt ſtultiſſimi & cæciſſimi, quando ſunt ſapientiſſimi & videntiſſimi. *Hiob. 5.*

Impiorum labor &c.

Graui ergo Epitaſi, laborem appellat eorum conſilia, aſtutiam, ſapientiam, Reuera aliud non habent ex his niſi laborem, fructus enim & finis non ſequitur, reſiſtente eis Deo. Sic Iudæi qui Chriſtum perdere moliti ſunt, quid fecerunt, niſi quod fruſtra laborauerunt, & (vt Pſal. 2. dixit) Meditati ſunt inania? Hic autem non ſolum laborem vocat, ſed etiam in caput ipſorum reuerſum dicit, quia hoc ipſum conſilium quo Abſolom fretus multitudinem populi collegit, ei exitio fuit, futurus tutior, ſi in vrbe manens iuxta conſilium Ahitophel duodecim illa millia virorum miſiſſet, Sed, vt ait Scriptura, Domini nutu diſſipatum eſt conſilium Ahitophel vtile, vt induceret Dominus ſuper Abſolom malum. Conſolatur itaq; nos Scriptura, dum impiorum ferociam aliud non eſſe docet, niſi magnum quendam, ſed inanem conatum verius quam factum, & talem, qui in eos ipſos ſit conuertendus. Sicut fluctus & tumor maris videtur velle obruere littus, ſed in ſeipſum mox ruens euaneſcit ſuis minis ludibrio expoſitis. *Pſal. 2.*

Ferocia impiorum inanis conatus &c.

In caput, in verticẽ cadere.

Tropus hic Scripturæ familiaris eſt, In caput, in verticem conuerti, ſeu cadere, ſeu deſcendere. Sic Eccle. 27. hos verſus æmulans, dicit: Qui in altum mittit lapidem, ſuper caput eius cadet, & plaga doloſa, doloſi diuidet vulnera, & qui foueam fodit, incidet in eam, & qui ſtatuit lapidem proximo ſuo, offendet in eo, & qui laqueum alij ponit, peribit in illo, facienti nequiſſimum conſilium ſuper ipſum deuoluetur, & non agnoſcet vnde adueniet illi. Eodẽ tropo & 2. Reg. 1. Sanguis tuus ſit ſuper caput tuum. Omnia que fere, tum mala tum bona imprecari ſolent in caput. Deut. 33. Benedictio illius, qui apparuit in rubo, veniat ſuper caput Ioſeph, Quod caput ſcilicet ſit primum & dignius membrũ totius corporis. Simul tamen indicat, quod deſurſum à Deo deſcendat vtrunq;, tam vindicta impiorum, quam ſalus piorum. Ideo à Deo ordinante deſcendit iniquitas eius in verticem eius, & labor in caput eius. Videtur autem tautologice idem eſſe, Conuerti laborem in caput, & deſcendere iniquitatem in verticem, ideo repetitum, vt firmitatis & certitudinis indicium ſit, vt ſupra dictum eſt. Nam impij inſenſati minas etiam Dei rident, quaſi vel nõ futuras vel diu differendas, ideo fortiter inculcanda ſunt eis mala. *Eccle. 27.* *2. Reg. 1.* *Deut. 33.*

Minas Dei rident inſenſati.

Confitebor Domino ſecundum iuſticiam eius, & pſallam nomini Domini altiſſimi.

Con-

Concludit Pſalmum & orationem pulchra ſententia, Quaſi dicat: Hæc omnia mihi dicta & orata ſint ſuper maledictis, calumnijs, iniurijs Semei, & hominum, pro Ignorantia & iuſticia mea tuenda ſecundum conſcientiam, & quantum eſt in conſpectu hominum, Cæterum non in eam confido, nec talem iudieo, qua ſtare coram Deo poſſim. Sicut Apoſtolus 1. Cor. 4. Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum. Et, qui gloriatur, in Domino glorietur. Non enim qui ſelpſum commendat, ille probatus eſt, ſed quem Deus commendat. Ita & ego aliam habeo iuſticiam, in qua glorior, nempe iuſticiam Dei, miſericordiam & gratiam, qua ignoſcit mihi peccata mea, & iuſtificat in conſpectu ſuo. De qua iuſticia neq; me iacto, neq; mihi confiteor, quaſi ſit mea, Confiteor autem & confitebor in æternum pro ea Domino, cuius ipſa ſolius eſt. Quare per iuſticiam meam Domino & populo quidem libens ſeruierim & impijs reſtiterim, at in iuſticia Dei mihi profuerim.

1. Cor. 4. Iere. 9. — *Iuſticia Dei non mea.*

Mire eodem verſu eiſdemq; verbis, & gratias agit, & iuſticiam laudat, & naturam einſdem deſcribit, Eſſe, ſcilicet, eam donum gratuitum Dei, pro quo ſit laudandus & cantandus. Quare iecnndum iuſticiam eius, hic intelligendum omnino, vt ſit idem qnod propter iuſticiam eius, vt ſit ſenſus: Laudabo Dominum in æternum, quia ipſe eſt qui iuſtificat, quod niſi faceret, nec iuſticia mea ſecundum conſcientiam meam ſnbſiſteret, Et hunc ſenſnm iuuat quod ſequitur, velut repetitio dicti, *Et Pſallam nomini Domini altiſſimi.* Nam nomen Domini ſupra diximus eſſe laudem, qua prædicatur, bonus, miſericors, ſaluator &c. Et in hoc nomine credens, iuſtificatur & ſaluatur. Talis enim eſt Deus, qualis creditur cuiq;. Damnati vero & impij nullum ei nomen tribuunt, Illi, quod nihil boni de eo ſperant, hi quod non indigent. Vnde Prouerb. 18. Turris fortiſſima nomen Domini, ad ipſam currit iuſtus, & exaltabitur. Et Rom. 10. Omnis qui inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit.

Nomen Domini. — *Talis Deus qualis creditur cuique.* — Prouer. 18. — Rom. 10.

Ab hoc igitur nomine cum veniat iuſticia & ſalus, ac læta conſcientia, dum fortiter in ipſum creditur, non autem ex noſtris viribus aut operibus, recte docet, non niſi nomini Domini iuſticiam Dei tribuendam, & eidem pſallendum, prædicandum, celebrandum, Quo & alij per hanc confeſſionem & prædicationem idem nomen cognoſcentes, credant, & ſalui fiant, Prope idem dicit Pſal. 51. Docebo iniquos vias tuas, & impij ad te conuertentur. Et iterum: Exultabit lingua mea iuſticiam tuam. Vbi impij iuſticiam ſuam exultant, vt ſæpius iam dictum eſt.

Pſal. 51.

Quare confiteri & pſallere hoc loco non priuatum gratitudinis officium ſolummodo ſignificant, ſed etiam publicum verbi gratia miniſterium, quo nomen Dei hominibus manifeſtatur.

Confiteri & pſallere.

Vtilis & neceſſaria erit huius Pſalmi oratio ſi aduerſus Diabolum oretur, ſiue in hora mortis, ſiue qua alia deſperationis tentatione. Nam ipſe eſt proprie Diabolus, id eſt, calumniator, qui nos accuſat, & conſcientiam etiam in his confundit, quæ recte geſſimus, & Deo placent, tum quæ male egimus, ſupra modum magnificat, vtrobiq; onerofiſſimus & importuniſſimus Semei, Aethiops teterrimus, maledicens, inſultans, vrgens in hæc verba: Ecce premunt te mala tua, Egredere, egredere, vir ſanguinum, Reddit tibi Dominus vniuerſum ſanguinem domus Saul, & reliqua, quæ ex hac Hiſtoria licet cuilibet ad tropologiam trahere, In quibus Dauid noſtrum omnium exemplum eſt, docens nos ea quidem ſuſtinere debere, ſed ſimul expectare benedictionem Dei, pro maledictione & afflictione iſta,

Contra Diabolum orandus hic Pſalmus.

PSALMVS VIII.

Ad victoriam pro torcularibus Pſalmus Dauid.

Tres Pſalmi in titulo habentes, torcularia præfixa.

NOuus hic titulus, Quid per torcularia ſua velit, tanta varietate diſputatum eſt, vt ego me fateat confuſum neſcire, quis inter tot melius ſenſerit. Tres enim ſunt in vniuerſum Pſalmi, qui torcularia in titulis præfixa habent, Hic VIII. Dauid inſcriptus, LXXX. Aſaph, & LXXXIIII. filijs Chore. Nec eſt veriſimile (id quod Ebræorum præſtantiores concedunt) Dauidem hunc Pſalmum in torcularibus Paleſtinorum compoſuiſſe, quando eadem ratione & Aſſaph & filius Chore ſuum ibidem compoſuiſſe ſequeretur. Nec legitur Dauid fuiſſe in torcularibus Paleſtinæ, ſed in Geth (quæ poſtea literarum ſimili prolatione Gaza dicta eſt) ciuitate Paleſtinæ, etiamſi Geth ſignificet torcular, quod hic al Githith, ſuper torcularibus, dicitur. Nec mihi ſatis facit, quod alijs videtur, hunc Pſalmum factum, vt caneretur in feſto tabernaculorum, vbi collectis frugibus & vindemijs finitis, Deo gratiæ agebantur.

Geth. Gaza.

Githith. Torcularia.

Proinde quandoquidem literam quærimus, prope in Lyranam eo ſententiam, qui Githith arbitratur eſſe inſtrumenti muſici nomen proprium. Aut concedendum eſt priſcis Patribus, qui myſteria ſecuti, per torcularia intelligunt martyria, paſſionesq́; Chriſti & Eccleſiæ. Siquidem & nonnulli alij Pſalmi notantur aliquo inſigni, præter vſum, vocabulo (vt videbimus ſuo loco) quo moueremur ad ſpiritum quærendum. In his relicto cuilibet ſuo iudicio, torcularia myſtice eſſe paſſiones recte dicitur, vt Iſa. 63. Torcular calcaui ſolus, quod omnes de paſſione Chriſti intelligunt. *Iſa. 63.*

Verum B. Auguſtinus ſatis erudite, per torcular, intelligit miniſterium verbi Dei in Eccleſia, In quam ſententiã plures Scripturæ conſonant, vt Iſa. 5. *Iſa. 5.* Et torcular extruxit in ea. Sicut enim boues in area terentes, ſignificant Prædicatores, 1. Cor. 9. Ita & calcantes in torculari eoſdem ſignificant. Hinc vinacea *1. Cor. 9.* & palea, triticum & vinum, in Scripturis paſſim ſignificant populos, verbo Dei vel eruditos vel induratos, De quibus non eſt nunc locus dicendi.

Scopus Pſalmi.

Et hæc ſententia ad ſcopum Pſalmi facit, in quo deſcribitur nomen Domini in terra magnificatum, populus Chriſto ſubiectus, & deſtructus inimicus. Iam quando ex ore infantium & lactentium perfeciſſe virtutem, & exaltaſſe gloriam ſuam dicitur, ipſam ſane prædicationem Euangelij & verbi crucis denotat, qua hæc omnia facta ſunt & fiunt, Certe verbum crucis, ſicut torcular, conterit & humiliat homines mundi, & in vnum corpus multos colligit, ſicut vinum in lacum. Atq; ita Prophetæ viſum eſt, de ſpirituali quodam torculari canere. Neq; ſic tamen alienum eſt à propoſito, paſſiones intelligi per torcularia, quod verbum crucis, & crucifigat veterem hominem, & pro ſe cogat varias ſuſtineri paſſiones.

DOmine Dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra. Quoniam eleuata eſt magnificentia tua ſuper cælos.

HI duo verſus ſunt vnus in Ebræo, & alterum nomen eſt ſacrum Iehoua Tetragrammaton, alterum, Adon prophanum & commune etiam hominibus. Permiſit autem Interpres ſibi, vt Dominus noſter in nominatiuo diceret, vbi Hieronymus in vocatiuo, Domine Dominator noſter, re-

ctius tranſtulit. Admirabile,quod Adir dicitur,magnificum,magnum,excel- *Adir.*
lens,ſonat. Vnde Hieronymus? Quam grande eſt nomen tuum. Magnificen-
tiam vero,Hieronymus gloriam reddidit. In Ebræo autem Hod propriè lau- *Hod.*
dem & confeſſionem ſignificat. A quo nomina Iuda & Iudæa,à laudando &
Gene 49. confitendo dicta. Gen. 49. Iuda,te laudabunt fratres tui. Nam quod hic trans-
Pſal 148. tulit, Quoniam eleuata eſt magnificentia tua ſuper coelos. Pſalm. 148. dixit,
Confeſſio eius ſuper coelum & terram. Et omnino videtur, vtroq; verſu idem
ſignificare,ſiquidem & illic dicitur, Exaltatum eſt nomen eius ſolius. Quod
hic,admirabile eſt nomen tuum,dicitur. Et illic, Confeſſio eius ſuper coelum
& terram, Hic, Magnificentia ſuper coelos.

Ex prædictis autem notum eſſe relinquo,quod nomen Dei ſit non vnum, *Nomen Dei.*
ſed multa,ſcilicet,quicquid boni dici poteſt, Vt ſit idem, quod bona fama,
gloria,opinio,prædicatio,qua prædicatur,creditur,cognoſcitur,ſperatur,dili-
gitur,timetur (id eſt,vere colitur & honoratur) ſolus potens, ſapiens, bonus,
iuſtus,verax,ſuauis,Simulq; pereat hominum gloria & opinio,ne quis vltra
Rom. 3. potens,ſapiens,bonus ſit,ſed inueniantur omnes (vt Apoſtolus ait Rom. 3.)
Pſal. 9. peccatores & vacui gloria Dei,qui impie erant iuſti & pleni gloria ſua, ſicut
Pſal. 9. Increpaſti gentes & perijt impius,nomen eorum deleſti in æternum.

Nemo enim nunc eſt potens,in potentia ſua,ſed infirmatur & patitur o- *Infirmatur omnis qui credit in Chriſtum &c.*
mnis qui credit in Chriſtum, Nec vindicat,nec liberat ſeipſum,etiamſi poſſit,
ſed Deo dat gloriam,expectans illius potentiam liberatricem & vindicem (ſi-
2. Cor. 12. cut Paulus gloriatur in infirmitatibus ſuis) Nemo eſt ſapiens in ſapientia ſua,
ſed ſtultus ſit coram ſe & hominibus,data ſoli Deo gloria ſapientiæ,qui enim, *Nemo Chriſtianus*
vbi probatus fuerit ſapientiæ gloria hæreditabit in coelis. Ita nemo Chriſtianus *eſt iuſtus iuſticia*
eſt iuſtus iuſticia ſua,ſed Deo data iuſticiæ gloria,in oculis ſuis & hominum *ſua.*
Eſa. cum iniquis reputatur,vt in humilitate iudicium eius ſubleuetur, (Iſa. 53.) &
iuſtificetur per fidem & ſpem expectans iuſticiam Dei,quæ eum commendet,
Non enim qui ſeipſum commendat,ille probatus eſt. Hoc eſt, quod prono-
men, Tuum reſpicit,opponit enim nomen Domini,nominibus & gloriæ ho-
minum,quod tunc magnificatur, exaltatur, diligitur, quando noſtrum no-
men redigitur in nihilum,& oditur tam à nobis quam omnibus.

Hunc ſenſum & Pſalmo 113. ponit,dicens, A ſolis ortu vſq; ad occaſum,
Pſal. 113. laudabile nomen Domini. Et iterum, Excelſus ſuper omnes gentes Dominus,
& ſuper coelos gloria eius. Et Malach. 1. A ſolis ortu vſq; ad occaſum, magnum
Malach. 1. eſt nomen meum in gentibus. Idem, Nomen meum magnum & horribile in
gentibus. Idem Iſaias 11. dicit, Non occident nec nocebunt in vniuerſo monte
Iſa. 11. ſancto meo. Cur non occident? Quia (inquit) repleta eſt terra ſcientia Domini,
ſicut aqua maris operientis, Quaſi dicat, cognitio Dei & magnificatio nominis
eius,quæ per Euangelium,velut mare inundans mundum replebunt, facient,
vt ſint inuicem mites & innoxij,quia nec pro ſapientia,nec pro potentia, nec
Iſa. 2. pro iuſticia certabunt,cum hæc non ſua,ſed Dei eſſe ſciant. Eiuſdem 2. Et in-
curuabitur omnis ſublimitas hominum,& humiliabitur altitudo virorum,&
eleuabitur Dominus ſolus in Die illa,& idola penitus contererentur.

Placet autem,duo illa vocabula, Domine & Dominus noſter, in hunc *Iehoua.*
modum diſtingui, Vt priore,ſumma diuinitas repræſentetur in ſe ipſa ma- *Adon.*
nens, Poſteriore vero,regnum & cura eius, quo noſtri dominatur & regit
per verbum fidei , quod per Chriſti incarnationem impletur , qui eſt Pro-
pitiatorium noſtrum,in quo habitat omnis diuinitatis plenitudo corpora-

liter, Per hunc enim trahimur ad Patrem, regnamurq́; in mundo. Sicut dicit *Coloſ. 1.* *Iohan. 6.* *Dominator noſter.* Iohan. 6. Nemo venit ad Patrem, niſi per me. Proinde non ſine cauſa pronomen Noſter, cum Dominatore magis quam cum Domino copulatum eſt. Igitur prius notus in Iudæa Deus, & in Iſrael magnum nomen eius. *Pſal. 76.* Nunc autem magnum eſt nomen tuum in vniuerſa terra, in omnibus gentibus. Ita vides, quomodo titulo conueniat hic verſus, quod prædicationis torculari nomen Domini magnificatum gentes in toto mundo humiliauit in vnam fidem & gratiam Chriſti.

Verum hoc maioris eſt momenti, cognoſcere quid ſit quod ſequitur, *Quoniam eleuata eſt magnificentia tua ſuper cælos.* Ebræus & Hieronymus habent, Qui poſuiſti, Non, Quoniam eleuata eſt. Video ab omnibus ferme per hanc gloriam, ſeu magnificentiam, ſeu laudem Dei intelligi Chriſtum Filium Dei, qui aſſumptus in cœlum, ſedensq́; ad dextram Dei, Spiritum ſanctum miſit, qui per Apoſtolos nomen Dei magnificauit in toto mundo.

Et horum ſententia mihi quoq; non diſplicuit, quod verſus huius particula hæc velut cauſam reddit prioris, ſcilicet, nomen Dei eſſe magnificatum, quia Chriſtus aſcendit in cœlum. Non enim niſi Spiritu ſancto miſſo potuit clarificari Chriſtus, vt per Spiritum Rom. 1. Qui declaratus eſt Filius Dei ſanctificationis, ex reſurrectione mortuorum. *Rom. 1.* Et Iohan. 16. Ille me clarificabit, *Iohan. 16.* quia de meo accipiet. At ſpiritus mitti non potuit, niſi Chriſto à mortuis reſuſcitato, in cœlum aſſumpto, & in regnum omnium gentium conſtituto. Sicut Iohan. 7. Spiritus nondum erat datus, quia Ieſus nondum erat glorificatus. *Iohan. 7.* Sic Pſal. 2. quoq; prædicare ſe dicit præceptum Dei, *Pſal. 2.* quod vtiq; per Spiritum ſanctum impletum eſt, poſtquam ſe ſuper montem Zion ſanctum Dei Regem conſtitutum dixit.

His autem videtur nonnihil officere, quod Chriſtum laudem ſeu confeſſionem dici, non apte quadrare videtur, ad ſimilem huius verſum Pſal. 148. *Pſal. 148.* Confeſſio eius ſuper cœlum & terram, Neq; cum illo Pſalmo. 113. *Pſal. 113.* Excelſus ſuper omnes gentes Dominus, & ſuper cœlos gloria eius. Quod confeſſio non hic tantum ſuper cœlos, ſed & ſuper terram exaltata prophetetur, & nullus per confeſſionem eo loci Chriſtum intelligit. Sed hæc non debent quenquam *Chriſtus gloria Dei dicitur.* mouere, quia Chriſtus Iſa. 47. gloria Dei dicitur: Dabo (inquit) in Zion ſalutem, & in Ieruſalem gloriam meam. *Eſai 47.*

Quare ſicut Apoſtolus eum audet appellare iuſticiam, virtutem, ſapientiam, *1. Cor. 1.* gloriam, redemptionem, ſanctificationem Dei, quod per ipſum nos Deum iuſtificamus, potentem, ſapientem, glorioſum agnoſcentes & confitentes. Et rurſum, nos dum hoc ſacrificio iuſticiæ, ſapientiæ, virtutis &c. Deum honoramus & colimus, meremur ab ipſo iuſtificari, roborari, ſapientes fieri, ſicut dicit. 1. Reg. 2. cap. Quicunq; me honorificauerit, glorificabo eum, qui autem *Sacrificium laudis.* contemnunt me, erunt ignobiles. Quia hoc eſt ſacrificium laudis, quo Pſalmo *1. Reg. 2.* *Pſal. 50.* 50. dicit, ſeſe honorificari, & ipſum eſſe iter ad ſalutare Dei videndum. Nec enim hoc ſacrificium offert, niſi qui nomine ſuo perdito in fide inuocat nomen Domini, hoc eſt, ſapientiam, virtutem, iuſticiam Dei, vt dixi, interim patiens ſe infirmum, ſtultum & malum haberi, neſcium vindictæ, iudicij, gloriæ, Vt eodem nomine glorificetur Deus & nos, eadem iuſticia iuſtificetur Deus & nos, eadem ſapientia ſapiens ſit Deus & nos. Et hoc eſt quod Petrus 2. Pet. 1. dicit, Nobis maxima & precioſa donata in Chriſto, vt eſſemus diuinæ conſortes *2. Pet. 1.* naturæ, & in quæ (vt 1. Pet. 1.) deſiderant Angeli proſpicere. *1. Pet. 1.*

Confeſſio ſuper cœlos eleuata. Ita & eundem Chriſtum recte per confeſſionem ſuper cœlos eleuatam intelligimus. Sed & ſimul diſcimus, quo fructu nobis aſcenderit. Expedit enim (inquit) vt ego abeam. Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos. Hoc enim vult Propheta oſtendere, longe aliam eſſe laudem Dei, qua ipſe in nobis, &c

bis,& nos in ipſo laudamur,quam hominum laudem. Noſtra laus,quia Dei *Laus Dei.* laus eſt,ſeu à Deo,non eſt in propatulo & theatro mundi,nec apparet hominibus,ſed neq; nobis,Imo ſicut vita noſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo (Coloſ.3.)vt ſapiamus quæ ſurſũ ſunt,ita & laus noſtra cum eodem aſſumpta & abſcondita eſt in Deo,vt ſit in fide & ſpe,non in re præſente. *Coloſ.3.*

Ideo laus Dei eadem eſt,qua laudatur Deus & nos,eademq; gloria & magnificentia. Sicut Pſal.104. Vt glorìemur in laude tua. 20. Nos autem in nomine Domini Dei noſtri magnificabimur. Et Pſal.34. In Domino laudabitur anima mea. Quia dum nos exuti nomine noſtro,in ignominia patientes ſumus,vere ſumus humiles illi,quos reſpicit Deus, & animæ illæ eſurientes, quas ſaturat Deus. *Laus, Gloria.* *Pſal.104. 20.34.*

Conueniebat autem Prophetæ,vt ſummario vocabulo laudis,ſeu gloriæ vteretur,qui in tempore nondum releuatæ veritatis loquebatur. Quæ autem hæc laus eſſet,& quid contineret,Apoſtolorum erat in lucem proferre. Hi enim docuerunt,quod qui laudari recte & pie vellt,Deum ſolum ſuper omnia laudet,Deum autem ſuper omnia laudat,qui ſoli Deo iuſticiam, ſapientiam, virtutem,& omnia bona,tribuit,& refert accepta. Quod non facit,niſi qui ſide,ſpe & charitate viuit,preſſus in mundo,impotentia,ſtultitia, peccatis coram ſe & hominibus,cum hæc nemo feliciter ferat niſi fide & ſpe imbutus. *Deum ſuper omnia laudare.*

Eſt ergo ſumma huius verſus hæc,Quod inter Deum & homines,quoddam mutuum eſt,per Chriſtum mirabili & ſuauiſſimo commertio, contractum,Homines in terra nihil habent precioſius nomine Domini,hunc enim laudant,prædicant,confitentur coram hominibus,vt ſolum potentem, ſapientem,ſanctum,iuſtum &c. Atq; hoc eſt nomen Domini eſſe magnificum,admirabile,celebre,& magnæ opinionis in terra, hoc enim per Chriſti aduentum factum eſt. Rurſus Chriſtus ipſe eos,qui ſic ſe prædicant, confitentur coram hominibus,& nomen eius cognoſcunt, præcingit ſe, & tranſiens miniſtrat eis,laudat,prædicat,confitetur coram Patre,& Angelis eis in cœlis, & cognoſcit nomen eorum,Ipſeq; eorum gloria & laus eſt in cœlis, ſicut ipſi ſunt gloria & laus eius in terra. *Commertium inter Deum & homines per Chriſtum.* *Nomen Domini magnificum.*

Hoc eſt quod dicit:Quoniam eleuata eſt gloria tua ſuper cœlos,Vt omnino gloria hæc Dei intelligatur,qua nos eu ram ipſo in Chriſto ſumus laudabiles & glorioſi,& nomen eius admirabile,quo ipſe in nobis coram hominibus laudatur & glorificatur. In hoc mutuo nominum & laudis,multæ conciliantur & intelliguntur autoritates Scripturæ. Huc pertinet illud Pſal.72. *Et honorabile nomen eorum coram illo.* Rurſus Pſal.91. Protegam eum, quoniam cognouit nomen meum. Sic Sponſa in Canticis: Dilectus meus mihi,& ego illi. Vt Pſal.111. Confeſſio & magnificentia opus eius. Rurſus, Et laudis eius plena eſt terra,Pleni ſunt cœli & terra gloria tua. In hoc enim mutuo conſiſtit iuſticia Dei,qua iuſtificamur,dum illum nos prædicamus & honoramus, reddentes eo ipſo quod debemus,Et rurſus ille nos honorat, reddens eo ipſo mercedem quam meruimus. *Gloria Dei.*

Verum(ſicut dixi)quam facile eſt dicere & intelligere hoc mutuum laudis inter Deum & nos,tam arduum eſt idipſum præſtare. Difficile enim eſt vniuerſo nomine exui præſentis & futuri ſeculi, & nihil fieri tam coram ſe, quam omnibus hominibus,& tamen niſi ita fiat,non poteſt nomen Domini eſſe nobis grande in terra,nec laus eius nobis eſſe ſuper cœlos. Prius autem eſt,nomen Domini magnificare in terra,quam laudem eiuſdem ſuper cœlos eleuari, Sic dicit beata virgo, *Magnificat anima mea Dominum,* Deinde certa quod & ipſa in cœlis coram Deo magnificaretur propter hanc Domini magnificationem, dicit, *Et exultauit ſpiritus meus,in Deo ſalutari meo,* *Arduum eſt præſtare hoc mutuum.* *Luc. 1.* *B.Virgo Maria.*

P iiij Non

Non eſt enim poſſibile, vt non benedicatur à Deo, qui benedicit Deum, nec fieri poteſt, vt diligat, laudet, delectetur in Deo, quin rurſus Deus eum diligat, laudet & delectetur in eo.

Deum prior nos diligit.

SEd hic forte ſimplex animus ſcrupulum concipiet, qui toties audiuit, non nos eſſe priores diligendo Deum, aut benefaciendo. Sicut ſcriptum eſt, Non quod nos priores eum dilexerimus, ſed quia ipſe prior dilexit nos. Et Rom. 11. Quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Et Iohan. 15. Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos. Iohan. 6. Nemo venit ad me, niſi pater meus traxerit eum. *1. Ioh. 4. Rom. 11. Iohan. 15. 6.*

Error Pelagianorum. Arbor. Fructus. Præmia.

Quo modo ergo nos prius eum magnificamus, vt ipſe nos magnificet? Dicetur, Scriptura diuina vtrunq; deſcribit, & gratiam Dei, & fructus gratiæ eius. Ideo prudenter eſt obſeruanda, ne id quod de fructu loquitur, de arbore ipſa intelligamus, quod Chaos ſi miſceatur, ſequitur error ille Pelagianorũ de libero arbitrio, qui nobis tribuit initium boni operis Dêus enim ſolus facit arborem bonam ante nos, & ſine nobis, quæ neceſſario & prior eſt fructibus. Verum fructus quoq; neceſſarium eſt eſſe priores præmio.

Quare hic locus Pſalmi, & ſi quis ſimiles, non ad gratiam initialem, ſed ad finalem, ipſum ſcilicet præmium, quod redditur primæ gratiæ & ſuis fructibus, pertinet. Ita, vt intelligamus his & ſimilibus locis nos prouocari ad perſeuerantiam in bonis fructibus promiſſione iſta mutuæ beneficentiæ Dei. Sic qui conuerſus laudat Deum, hoc eſt, viuit accepta gratia ad laudem Dei in terris, hunc rurſum ſimul & in æternum laudat Deus in cœlis, ſimul, inquam, & in æternum, hoc eſt, in præſenti & futuro. Nam qui Deum glorificat in vita ſua, non poteſt non rurſus ſentire lætam & quietam in fiducia miſericordiæ Dei conſcientiam, qua intelligit ſe Deo rurſus placere, laudariq; in cœlis. Adeo prope eſt laus cœleſtis noſtra, nominis Domini in terris, licet coram hominibus ignominia vexemur aſſidue. Deinde ſi perſeuerat laudans, perſeuerat quoq; laus eius in Deo in æternum. Sic illud intelligemus Zach. 2. Conuertimini ad me, & conuertar ad vos, & ſimilia. *Zach. 2.*

Glorificans Dominum in vita quid conſequatur.

Verum eorum ſententia, qui poſteriorem partem huius verſus intelligunt veluti cauſam prioris, inter quos noſter interpres fuiſſe videtur, dicere oportet, Laudem Dei ſuper cœlos eſſe priorem, nomine Domini magnificato in terris, Et id Chriſtum effeciſſe ſuo ſuper cœlos aſcenſu, vt miſſo Spiritu nomen Domini magnificetur in terris, vt dictum eſt. Spiritus ſanctus (inquit) non erat datus, quia Ieſus nondum erat glorificatus, Atq; ita laus Dei non niſi ipſe Chriſtus perſonaliter intelligi poterit ſuper cœlos eleuatus. *Iohan. 7.*

Ac non fuerit magni negotij, vtramq; ſententiam ſimul tueri, nec adeo longe diſtant, cum id conſtet, per Chriſtum exaltatum eueniſſe, vt accepto Spiritu ſancto crederemus Deo, nos eſſe gratos ac commendatos ſuper cœlos, & eodem Spiritu rurſus nos Dei nomen auderemus in vniuerſa terra magnificare, Quod eſt aliud nihil, quam Chriſtum exaltatum nihil nobis profuiſſe, niſi nobis exaltatus fuiſſet, id eſt, niſi aſcendens in altum, dona dediſſet hominibus, per quæ ipſum in terra magnificaremus, hæc ſub cuiuſq; indicio relicta volo. *Iohan. 7.*

Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem, propter inimicos tuos, vt deſtruas inimicum & vltorem.

ISte verſus apte ſequitur ad ſenſum eum, quo per eleuatã gloriam intelligi diximus Chriſtum aſcendentem, quanquam nec ad alterum ineptus eſt. Quare ad vtrunq; nos eum accomodemus in hunc modum.

Nomen

Nomen tuum Domine magnificatum eſt,ſed longe alia ratione quam apud homines fieri ſolebat,Nempe hominum mos,ſi mos dici debet,is eſt, vt non ab humilibus& contemptis velint laudari,Sed alta ſapientes,raris placuiſſe(vt dicitur)volunt,& à magnis,ſapientibus,potentibus ſuſcipi deſiderant. Rurſum & illi laudatores,cum vaniſſimi ſint,non laudant niſi ſuorum mercede gratia, vt & ipſi laudentur,aut lucrum captent,Ita mutuum ſcabunt muli,nec ſynceri laudantes,nec probi laudati,Sic inquam eſt hominum ingenium,qui ſpecie rerum præſentium mouentur. *Homines à magnis laudari volunt.* *Laudatores. Laudati.*

At tu cum tuæ res lateant,ſolaq; fide intelligantur,non inuenis inter homines præclaros,qui te laudent, Quin potius ipſi ſunt,qui laudi & gloriæ tuæ præ inſania ſuæ gloriæ tibi pertinaciſſime reſiſtunt, Ideo contemptos & humiles tu ponis qui te laudent,& nomen tuum magnificent,qui nomen ſuum in terris odiunt,contenti quod tu ſis laus eorum ſuper cœlos, Et vt hoc oſtenderes,miſſo Spiritu ſancto de cœlis, poſtquam aſſumpſeras gloriam tuam, Apoſtolos, Apoſtolorumq; ſimiles erudiſti,rudes & ſimplices homines, ex quorum ore perfeciſti laudem tuam. *A quibus Deus velit laudari.*

MAgnam nobis quæſtionem mouet hoc loco autoritas Chriſti,qui Matt.21.hunc verſum adducit & aptat pueris,qui eum in templo laudabant,dicens principibus ſacerdotum & Scribis, pueros clamantes prohibentibus;Nunquam legiſtis:*Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem*?Si enim de iſtis pueris ad literam ſolum intelligitur Pſalmus,vt volunt quidam,Iam nec præcedentia nec conſequentia conſonabunt,cum de nomine Domini in vniuerſa terra magnificato ante locutus ſit, quod poſt paſſionem factum eſt. Deinde,ſi rigorem literæ ſequamur,iſti pueri nec infantes nec lactentes erant,quando verbis formatis benedicebant & cantabant,Oſanna in excelſis. *Matt.21.* *Ex ore infantium perfeciſti laudem.*

Rurſus,nulla ratione licet Chriſto diſſentire,qui hunc verſum illis aptauit,cuius autoritas etiam ipſi Pſalmo præſetenda eſt.Reliquum ergo eſt, ſententiam verſus huius eſſe generalem de omnibus , qui ſunt ſimplices & recti corde,qui non alta ſapiunt,nec in rebus mundi ſunt prudentes,filij ſcilicet lucis. Quorum generatio cum nullius ætatis anguſtia claudatur,ſed in omnium ſeculorum tempore,in omnium ætatum genere reperiatur,recte pueris quoq; conuenit,Non modo,quia ipſi ſunt hoc modo ſimplices& ſynceri,ſed etiam, quia ſua ſimplicitate & innocentia hanc fidei ſimplicitatem in Chriſto, nobis corporaliter figurant,Vt 1.Pet.2. Quaſi modo geniti infantes,lac rationale concupiſcite. Pueri enim,nec potentia,nec ſapientia,nec magnitudine,ſed impotentia,ſtultitia,paruitate nos flectunt,delectant,vincunt.Ita Chriſti laudatores non fortitudine mundi,non in ſapientiæ humanæ verbis, non in magnitudine gygantum,ſed in ſtultitia verbi, & ſcandalo crucis, orbem vincerunt,& nomen Domini magnificauerunt in vniuerſa terra. *Sententia huius verſus generalis.* *Pet.2.* *Pueri quibus nos vincant & delectent.* *Laudatores Chriſti.*

Igitur miracula canit hic verſus diuinæ virtutis, quæ nomen ſuum in terris potuerit magnificare tam ſtupendo & incogitabili modo, Primum in medio eorum , qui nomina ſua magnificabant inſaniſſime , & præter ea nomini Domini pertinaciſſime obſiſtebant, Magnum enim fuit,etiam regum & ſapientum & ſanctorum mundanorum nomen delere , & in nihilum redigere erecto ſolo ſuo nomine. Deinde,quod is, cuius nomen magnificabatur,nuſquam apparuit,ſoloq; verbo indicabatur, Cum illi & præſentes ipſi, & ſuas res præſentes oſtentare poſſent , quibus nomina ſua habuerent. Tertio, quod pene maximum erat , quod hunc inuiſibilem Chriſtum magnificabant, aduerſus omnem viſibilem pompam , non gygantes,viri famoſi,docti,diuites,nobiles, Sed piſcatores,idiotæ prorſus, infantes & lactentes, ſine vlla potentiæ aut ſapientiæ ſpecie,cum illis adhærerent *Miraculum diuinæ virtutis in celebratione nominis Dei.*

hærerent turbæ, maximarum buccarum viri ſapientiſſimi, eloquentiſſimi, potentiſſimi.

Virtus.

Proinde in Ebræo dicitur, Ex ore infantium & lactentium perfeciſti virtutem, vt ſit maior miraculi expreſſio. Virtutem autem alij laudem reddiderunt, offenſi forte abſurditate, quod ex ore virtutem perfici non ita quadret, vt laudem, communi ſenſui legentium ſerulentes. Et licet virtus hoc loco queat intelligi idem, quod virtutes prædicatas per Synecdochen, & idiotiſmum ebræum, meo tamen ſenſu aptius intelligitur id, quod eſt robuſtum, potens, validum, Vt ſit ſenſus, Perfeciſti ex ore infantium virtutem, id eſt, verbum Dei prævalidum, cui non poſſint reſiſtere & contradicere omnes aduerſarij. Sicut & Pſal. 141. Audient verba mea, quoniam potuerunt, id eſt, quia valida firmaq; facta ſunt. *Pſal. 141.*

Verbum potentia Dei eſt.

Vt ſimul intelligamus Chriſtum in mundo omnia feciſſe, non niſi verbo Euangeliſantium, quod ſua infirmitate omnium potentiam, ſua ſtultitia omnium ſapientiam, ſuo ſcandalo omnium religiones ſubuertit, Quia quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus, & quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus. In hunc modum Lucas in Actis frequenter memorat verbum Dei creuiſſe valde, & confortatum fuiſſe, velut huius verſus rem monſtrans. *1. Cor. 1.*

Virtus Chriſti & Eccleſiæ ex ore Infantium perficitur.

Atq; hic conueniendi ſunt Eccleſiarum Chriſti rectores, vt his verbis ſe erudiri, intelligant officium ſuum. Virtus enim Chriſti & Eccleſiæ, non hic ex mundo accerſitur, non inuocat auxilium brachij ſecularis, non intentat ignem aut mortem, non fidit in armis Regum & Principum, ſed ex ore infantium perficitur. Sine dubio docens, quod qui aliter nomen Domini ſtuduerit magnificare in terra, quam per os infantium, hic potius blaſphemet, & nomen ſuum magis quam Domini magnificare conuincatur. Quales ſunt, qui Turcas & infideles, aut Hæreticos hodie, non verbo Dei, quod ignorant, ſed bello & mundano tumultu, aut cenſuratum ſtrepitu petendos eſſe inſaniunt, Scilicet, quæ per os infantium victa ſunt, per hæc ipſi vincere præſumunt, & blandum os infantium in buccas gygantum truculentas, (id eſt, verbum Dei ſuaue in ſuarum traditionum tyrannides) mutant. Iam ſi quis eſt, qui hoc malum intelligit & relinquit, is deinceps dicat, quid & quomodo agat, vt recte populos regat.

Verbum Dei quo modo tractandum in Eccleſia.

Primum inquit, ex ore. Grande monitorium, ſed fidele ijs, qui in Eccleſia verbum tractant. Tunc n. recte tractatur, quando diſcernitur os à verbo, Vt verbum ſit non eius, qui prædicat, imo nec prædicet, ſed ſinat Chriſtum per os ſuum loqui. Sic Paulus 2. Cor. 13. An experimentum quæritis eius, qui loquitur in me Chriſtus? Poterat enim hic dicere, infantes perfecerunt laudem, ſed reprehendendi eramus nos temerarij fabulatores, qui inſalutato Spiritu ſancto, quidquid in mentem, imo in buccam venit, populo effundimus. *2. Cor. 13.*

Quin alij de induſtria ſcrutantur & quærunt, ne ſolita prædicent, hoc eſt, ne Chriſtus verbum ſuum, ſed ipſi verbum ſuum doceant. ideo & ſequitur, vt non ſolum non deſtruant inimicum & vltorem, ſed potius fortificent & faciant irriſorem. Huc pertinent & illi, qui ſibimet conſcij magnæ doctrinæ ſuæ, periculum ſibi ſomniant longe maximum, ſi non alios doceant, cauſantes ſeſe talentum ſibi datū in terra defodere, & eum ſeruo pigro durā ſententiam Domini expectare: Adeo ridiculis nugis Diabolus ludit horū phantaſias.

Quos hoc verſu oportet inſtructos ſcire, Nos non eſſe qui docemus, nec verbum noſtrum docendum, ſed ſolum os noſtrum poſſe verbo eius ſeruire, ſi ipſe voluerit & vocauerit, *Tu (inquit) perfeciſti laudem*, non illi, non nos. Sic & in Euangelio tradidit quidem Dominus talenta ſeruis, ſed non *Matt. 25* niſi

Perfeciſti laudem.

niſi vocatis. Expecta ergo & tu donec voceris, interim ne ambias, nec te ingeras, non enim te rumpet ſcientia tua. Currebant (inquit Propheta) & ego non mittebam eos, prophetabant, & ego non loquebar eis. Multos hæc tentatio miſere vexat, ita vt eos & inſtituti ſui ſine fine pigeat & pœniteat. Diabolus hæc facit, vt inquietet eos qui bene cœperunt, & tandem tædio conſumat. Igitur qui vocatur, præbeat os, & recipiat verbum, ſit organum & non autor. Qui non vocatur, oret Dominũ meſſis, vt mittat operarios, & perficiat virtutem ex ore infantium.

Dominus dedit talenta, ſeruũ, ſed vocatũ.

m.23.

Secundo, Infantium & lactentium. Hic verbi miniſter docetur, vt infans ſit cum infantibus, & (iuxta Paulum) fiat omnibus omnia, vt omnes lucrifaciat, omnino cauens ne quenquam deſpiciat ac faſtidiat. Sicut infantes præ ſimplicitate ſua prorſus nullum nouerunt perſonarum reſpectum, ſed ſunt omnibus æquales & ijdem. Quid enim periculoſius in verbi Dei miniſtro? quam ſi alius ſit magnatibus & diuitibus, alius infimatibus, & pauperibus, qui in hoc mittitur, vt omnibus ſeruiat, nulli aduletur, nullum faſtidiat. Vix inuenias in Scripturis, contra quod æque pugnet Spiritus, atq; contra perſonarum iniquum reſpectum, quod difficile ſit perſonas & laruas contemnere, & homines in Deo inuiſibili amare & quærere.

Miniſter verbi fiat omnibus omnia.

Cor.9.

Reſpectus perſonarum in miniſtro verbi &c.

1.

Deinde & hoc docentur, vt ſint blandi, non contumelioſi, & (vt Tit. 1. dicit) non præfracti, non percuſſores, non iracundi &c. Tales enim non ſunt infantes & lactentes. Sed & oſtentatio hoc verbo reprehenditur eorum, qui ambulant in magnis & mirabilibus ſuper ſe, docentes ſublimia & difficilia, quæ ad rem non pertinent, quæ populus nec capit, nec ſi caperet, fructum acciperet, & omnino omnis doctrina humanitus concepta & tradita quocunq; adulterio ſenſus carnalis, aliena à diuinitus inſpirata.

1.131.

in 3.

Tertio, Perfeciſti, Nec ſatis eſt ſcilicet, etiam Dei verbum docere, niſi recte doceatur. Sicut Timotheum inſtituit Paulus, vt recte verbum Dei tractet. Sunt enim multi anxij & vani prædicatores, æſtuantes & tumultuantes, qui ignorant aliud eſſe plantare & rigare, & aliud incrementum dare, ſtatim, vt dixerint, omnia facta velint, non tam volentes audiri, quia verbum Dei dicunt, quam quia ipſi ſunt verbi dictores, organum magis, quam ſonum commendari petentes. Horum portio eſt, qui meditatis ac conceptis à ſe verbis promittunt ſibiipſis, nunc hos, nunc illos pungere & mordere, ac ſtatim conuertere, Vbi fit miro Dei conſilio, vt nihil minus impleant, quam quod cogitauerunt. Sentit enim naturaliter anima hominis verbum arte ſuper ſe compoſitum eſſe, & ſtercore humano (Vt apud Ezechielem eſt) opertum, id eſt, humano affectu pollutum, ideo nauſeat ſuper illo, & potius irritatur quam conuertitur. Tunc autẽ potius mouetur, quando nullam induſtriam dicentis, ſed liberũ verbum audierit. Liberum n. & ſyncerũ vult in publicum proferri & tãgere, quos prædicator ipſe neſcierit. Sicut in hanc rẽ multa legimus exempla.

Rigare & incrementum dare.

h.4.

Itaq; noſtrum ſit, os tantum accomodare verbo, Dei ſit perficere & incrementum dare. Sic Chriſtus Matt. 21. miſſis diſcipulis aſinam & pullum prædixit, quos illi non viderunt, nec nouerunt, & tamen ibant ad incognitos adducendos. Quare ſtulta iſta fiducia poſita, quaſi nos quidquam valeamus verbo cooperari in auditore, potius oratione ſatagamus, vt ſine nobis, ſolus ipſe perficiat in auditore, quod loquitur in Doctore, Ipſe eſt enim qui loquitur, & ipſe eſt qui audit, & omnia in omnibus operatur. Nos vaſa & inſtrumenta eius ſumus, nec accipere nec dare quidquam potentia, niſi ipſe det & accipiat. Vnde Pſal. 68. vigilanti verbo dicit, Aſcendiſti in altum, accepiſti dona in hominibus, cum Apoſtolus Ephe. 4. dicat, dedit dona hominibus.

Miniſtri verbi plantant & rigant, Deus incrementum dat.

at.21.

al.68.

he.4.

Quarto, ſi tales fuerint verbi Miniſtri, ſine dubio efficax &

potens

potens erit verbum, nec fruſtra proferetur. Sicut Iſai. 55. dicit, Verbum, quod *Iſa. 55.*
egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum, ſed faciet quæcunq; volui. Nota, quæ ego volui, non quæ miniſter, & proſperabitur in his, ad quæ miſero illud, non vtiq; in ijs, ad quos miniſter ſua temeritate torſerit, aut direxerit. Proinde horrendum & periculoſum eſt vtrinq;, ſiue docere verbum hominum ſub titulo verbi Dei, ſiue verbum Dei etiam purum torquere pro affectu proprio, Quorum vtrumq; monſtrum validiſſima tyrannide Eccleſiam hodie occupauit.

Timidus ſit prædicator & humilis.

Sit ob hoc timidus & humilis quicunq; populo Chriſti in verbo præeſt, & magis orationis puritate quam induſtriæ virtute ſtudeat liberum verbum, & ſolum ſimpliciter tradere, commendans Deo, tam ſuam linguam, quam auditorum animas. Statutum eſt enim in Eccleſia Dei non eſſe Magiſtrum, *Matt. 23.*
niſi illum, qui dicit, *Vnus eſt Magiſter veſter Chriſtus.* Et Pſal. 60. Deus locutus *Pſal. 60.*
eſt in ſancto ſuo, id eſt, in ſanctuario ſuo, quod eſt Eccleſia. Vbi autem loquitur homo, vel Satanas, ſine dubio ibi lupanar & ſynagoga Satanæ eſt. Quale enim eſt verbum, talis populus, talis Deus, talis cultus, talis fides, talis conſcientia, talia opera, & omnia, Adeo in homine omnia aguntur verbo ſolo.

Libri Apoſtolici. Cauendum ne traditiones hominum in Eccleſia regnẽt.

Quocirca ego metuo, ne libri illi infiniti, tam Iurium, quam Theologiæ, qui hodie extra Euangelium in Eccleſia regnant, ſint phialæ illæ aureæ plenæ iracundiæ Dei, quæ effuſæ in terram, mare, flumina, ſolem, aerem &c. multa mala hominibus inferre ſcribuntur, Apoc. 16. Quæ enim ira & plaga Dei grauior, quam inter Chriſtianos Chriſtum non doceri, nec fidem eius agnoſci, *Apoc. 16.*
Interim Decretis, Decretalibus, Sextis, Clementinis, Extrauagantibus, Moralibus, Summiſtis, miſeras animas occupantibus & opprimentibus?

De vocatione miniſtrorum verbi.

PORRO quod diximus, neminem debere in Eccleſia docere, niſi vocatum à Deo, ne quis deſideret, quæ ſit iſta vocatio Dei, id obſeruet, Si quis præter, imo contra voluntatem ſuam, per Maiorum ſuorum, ſiue Eccleſiaſticorum, ſiue ſecularium autoritatem, In officium verbi vocatur. Nam non eſt poteſtas niſi à Deo, Rom. 13. Ideo quidquid poteſtas vtraq; mandat, *Rom. 13.*
non eſt dubium quin Deus mandet. Inde non legimus in veteri Teſtamento vllam Hiſtoriam feliciter geſtam, niſi primum conſulto Deo, & ſiue per Angelum, ſiue per hominem accepto reſponſo, Quam enim infeliciter pugna- *Num. 14.*
rint filij Iſrael citra Deum mandatum legimus, Num. 14. Idem in Machabæis videmus. Non dubites, ſi te Dominus volet, quæret te, & potius de cœlo Angelum mittet, qui adducat te. Atq; hac cauſa fieri crediderim, Cur hodie nec Pontifices, nec Sacerdotes, nec Religioſi doceant in Eccleſia verbum Dei, quod nullus ferme amplius ſit, qui vacantem Deum expectet, ſed vniuerſi ambiant, Dignitates, Præbendas, otia & ſaturitatem ventris, vt Iam, nec ſolos Monachos, ſed & Pontifices & Sacerdotes facit deſperatio (vt dicunt) & quædam ignauia ſpiritus.

Deſperatio facit Monachum.

Vocati rite ad miniſterium Dei magna faciunt.

Hanc itaq; vocationem Dei non melius intelliges, quam ſi obſerues hiſtorias Scripturæ, & omnium Sanctorum in Eccleſia. Magna enim ſemper fecerunt, qui vocante Deo docuerunt, vt S. Auguſtinus, Ambroſius, & ante eos Paulus Apoſtolus. Atq; ne iterum cuipiam ſcrupulum inijciam, de ijs loquor, qui ad docendum verbũ Dei veniunt, Horum inquam eſt, quam maxime obſeruare, vt mittente Deo veniãt. Sicut Rom. 10. dicit, Quomodo prædicabunt, *Rom. 10.*
niſi mittantur? Sicut ſcriptum eſt, Quam ſpecioſi pedes Euangeliſantium.
Et Malachiæ 2. Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent *Malach. 2.*
ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt. De reliquis vero, qui vel ad Epiſcopatus, vel Canonicatus, & id genus alia Sacerdotia veniunt, in quibus non eſt officium verbi, non arbitror eſſe neceſſariam vocationem,

Quando-

Quandoquidem in his hodie vix aliud, quam priuatum ſtudium ſeruiendi
1. Cor. 7. Deo quæritur, In quo, iuxta Paulum 1. Cor. 7. Vnusquisq; proprium donum
habet, alius ſic, alius vero ſic.

Non tamen abijciendi ſunt, ſi qui pio ſtudio animoſi, rerum, famæ, & vi-
tæ contemptores, ambiunt docere verbum (quanquam hæc rara ſit auis) imo
1. Tim. 3. ſunt commendandi, vt Apoſt. 1. Tim. 3. dicit, Fidelis ſermo, Si quis Epiſcopa-
tum deſiderat, bonum opus deſiderat. Nam quare dixerit ſermonem fidelem,
& epiſcopatum bonum opus vocarit, ſequitur, Oportet enim Epiſcopum irre- *Officium Epiſcopi.*
prehenſibilem eſſe, vnius vxoris virum, ſobrium, ornatum, prudentem, pudi-
cum, hoſpitalem, doctorem, & reliqua. Hæc (inquit) quia ſunt Epiſcopi, ſi quis
deſiderat, certe bonum opus deſiderat. Requirit enim id officij contempto-
rem gloriæ & vitæ & omnium rerum, quia veritatis miniſterium eſt, Quæ præ-
dixit, dicens, Et eritis odio omnibus hominibus propter me. Quod cum vix fe-
Mat. 5. rant, qui per vim attrahuntur inuiti, fruſtra ſperatur laturus qui ſua ſponte
ambit, aut non ſingulari gratia intus mouetur vt ambiat.

SEquitur in verſu, Propter inimicos tuos, id eſt, aduerſarios, ſeu
(vt iam ſæpe tranſtulimus id nominis) tribulatores tuos. Quod etſi de Deo *Propter inimicos tuos.*
incarnato apte dicitur, cum Deus ipſe tribulari non poſſit, nec aduerſarios
pati. Tamen vt pergamus cœpto ſenſu, quo ad perſonam Patris, de Chriſto
hæc omnia dici intelligimus. Conſolamur hoc verbo, ſcilicet audientes Spiri-
tum ſanctum definire, aduerſarios non eſſe noſtros, ſed Dei aduerſarios, eius *Aduerſarij Dei.*
enim aduerſarij ſunt, cuius verbum & opus perſequuntur. Atq; vt nos non
ſumus qui loquimur & operamur, ſed Deus in nobis, ita nec nos ſumus qui pa-
timur aut contemnimur, ſed Deus in nobis. Sic Apoſtolus audet Ephe. 4. Et
Eph. 4. nolite contriſtare Spiritum ſanctum Dei, quo ſignati eſtis in diem redemptio-
Zach. 2. nis. Et Zach. 2. Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei, Licet hoc iura Ec-
cleſiaſtica pulchre ad ſolos ſacerdotes detorſerint, quaſi Laici non ſint organa
1. Reg. 2. Spiritus ſancti. & 1. Reg. 2. Qui contemnunt me, erunt ignobiles. Quid ergo
timemus, aut inquieti ſumus, ſi verbo vel operi noſtro aduerſentur homines
impij? Sinamus eos furere, imo pro eis ſoliciti oremus, vt apertis oculis videant,
non in nos, ſed in Deum ipſum ſeſe incurriſſe.

Quid autem eſt, Propter aduerſarios perfectam eſſe virtutem
ex ore infantium? Nempe quod perſeuerat in conſolando infirmitatem no-
ſtram commendaturus miraculum diuinæ virtutis, Q. d. Excitabitur aduerſus
infantes imbelles Pharao robuſtus, & linguam ſuam magnificabunt filij ho-
minum, nec deerunt Magi, Iannes & Mambres, qui ſigna facient, & omnino
Tim. 3. præualidi erunt aduerſarij, tam vi quam aſtu, qui reſiſtent veritati, Propter hos, *Veritas ſemper habet contradictores.*
inquam, ne proficiant, ſed vt Apoſtolus 2. Tim. 3. amentia eorum nota fiat,
dabis eis os, & ſapientiam, cui non poſſint reſiſtere, & contradicere omnes ad-
uerſarij eorum. Semper enim Gygantes & cadentes (vt Ebræus habet) ſunt ſu-
per terram viri famoſi à ſeculo, qui violentia freti irruunt & opprimunt veri-
tatis, imbelles & ſimplices infantes, annunciatores, Sed hoc permittitur, vt
oſtendatur virtus verbi quam perfecit ex ore ipſorum, dum per impotentes
confundit potentiam, per ſtultos confundit ſapientes, & per eos, qui nihil
ſunt, eos qui omnia ſunt, deſtruit. Vnde ſequitur.

Vt deſtruas inimicum & vltorem, Hieronymus ſic, Vt quieſcat inimi-
cus & vltor. Hoc eſt, vt ceſſet, deſinat, & ſabbatiſſet ab operibus ſuis ma-
lis. Eſt enim verbum Ebræum, à quo ſabbatum, id eſt, requies venit, vt indi-
cet inimicos & vltores ceſſaturos eſſe, vel vt amplius nō ſint, Iuxta Pſalm. 104.
Pſal. 104. Deficiant peccatores à terra, & iniqui, vt non ſint. Vel qui mutandi ſunt

in amicos & patientes, iuxta Prophetiam Iſaiæ. 2. Conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces, Allegorice, linguas nocentes in ſalutares. *Iſaiæ 2.*

Inimici & vltores qui dicantur.

Synecdochen habet Inimicum & vltorem, id eſt, omnes qui ſunt inimici & vltores. Inimici ſunt, quod contraria ſapiunt & agunt, Vltores, quod pro ſuis ſtatuendis aduerſus infantes Dei inſaniunt, & (vt Pſal. 2.) dicunt, Dirumpamus vincula eorum, & proijciamus à nobis iugum ipſorum. At ibidem ſequitur, quomodo deſtruatur. Tunc loquetur ad eos in ira ſua, & in furore ſuo conturbabit eos. Quanquam ego credo hoc Pſalmo magis deſcribi deſtructionem ſalutarem in ſpiritu, qua (vt dixi) deſtruitur impius, vt pius fiat. Hoc enim eſt proprium negotium Chriſti in Eccleſia, hoc & opus ſpiritus eſt, quod verbo pacifico Euangelij magis, quam impetu furoris perficitur. Cuius indicium eſt, quod hæc omnia fieri dicit nulla arte alia, quam quod ex ore infantium, propter inimicos perficit virtutem, Et opera digitorum ſuorum oſtendit, vt dicetur. *Pſal. 2.*

Proprium Chriſti opus in Eccleſia.

Mores & ingenium aduerſariorum verbi Dei.

Exprimit autem proprie ingenium & mores aduerſariorum verbi Dei, Primum, quod ſunt caro & ſanguis, & vt dicit Pſal. 116. Omnis homo mendax, veritatis, præſertim eius, quæ mortificat, impatientes ſunt. Prudentia enim carnis inimica eſt Deo, legi enim Dei non eſt ſubiecta, nec enim poteſt. Ro. 8. Deinde vbi veritas Dei dicta per infantes fuerit, illi velut læſo ſuo ſenſu, in quo ſibi placent, iam non ſolum ſunt inimici, ſed prætexto nomine ſpecioſo veritatis, armantur zelo quoq; in vltionem ſui ſenſus, non quieſcentes donec veritatis Apoſtolos pro gloria Dei & zelo veritatis, atq; (vt hodie nouo titulo tonant) pro honore ſanctæ Eccleſiæ occidant aut opprimant. Adeo promptum & pronum, imo neceſſarium eſt, inimicum veritatis Dei, ſimul fieri vltorem mendacij ſui. Quod malum cum in cauſis omnibus, etiam prophanis celeberrimum videamus tamen in cauſis Dei & rebus fidei, vbi ſpecies longe diuiniſſima poteſt accomodari, ſecure & facile triumphat. *Pſal. 116.* *Rom. 8.*

Doctor veritatis aduerſarios habebit.

Eſto ergo eruditus & certus, quiſquis vocatus, aut conatus fuerit docere verbum, ſeſe aduerſarios habiturum, qui non modo ſua non audiant, ſed etiam, ſi illorum offenderit ſtudia (ſicut oportet) acerrimos vindices & perſecutores. Non mentientur hæc verba ſpiritus, quæ infantes committunt cum inimicis & vltoribus. Portentoſum ſatis certamen, ſed tamen ſic diuinitus diſpoſitum, feliciterq; proceſſurum, ſi credat non ſuis, ſed Dei conſilijs rem geri, ſolumq; curet, vt os ſuum præbeat loquenti, & ſit organum duntaxat verbi, perficiens perficiet virtutem, & deſtruens deſtruet aduerſarium.

Proinde qui ſic docet, vt non inueniat inimicum qui reſiſtat, & vltorem qui perſequatur, quia extra Regulam huius verſus docet, non præſumat ſe verbi Dei eſſe perfectum & plenum prædicatorem Sin erunt inimici & vltores, dixerintq;, Dirumpamus vincula eius, & proijciamus à nobis iugum eius, Aut illud Prophetarum crimen obiecerint, quod eſt onus verbi Domini? Et illud Zedechiæ percutientis Micheam (3. Reg. vlt.) Mene demiſit ſpiritus Domini, & locutus eſt tibi? Et tu ſolus es omnium ſapientiſſimus? Hic bene ſperet, ſciens iuxta hunc verſum, ſe infantem & lactentem eſſe, illos vero Nimrothos & Gygantes, Sic enim videmus Prophetis, Chriſto, Apoſtolis, & omnibus verbi miniſtris contigiſſe, Quorum exempla velut nubes denſiſſima nos debet animare, quæ videmus cum hac ſcriptura ad apicem & iota vſque concordare. *Pſal. 2.* *3. Reg. 22.*

Theologia Sententiariorum non habent inimicos & vltores.

Ex quo ſequitur, Quod iura hominum, atq; adeo muta illa & ſomniculoſa Theologia Sententiariorum, nunquam fuerit virtus oris infantium & lactentium, nec cum huius verſus elogio quicquam habuit commune, quod eorum nullus adhuc repertus eſt, qui pro ea aliquod inſigne malum

paſſus

paſſus ſit, Niſi forte muliebre aliquod inter rixandum conuitium, neq; enim pro opinionibus adiguntur ad ignem vel mortem, donec eruperint, & in ſacras literas tranſpoſiti, verbum Dei tractare cœperint, Quin potius inſignibus ornantur, loco & nomine donantur, in foro ſalutantur, & Rabi vocantur, & ſunt Magiſtri noſtri eximij.

Pſal.2.

Non habet iſta doctrina inimicos & vltores, niſi quomodo vel Pilatus & Herodes inter ſe, aut Phariſæi & Saducæi. Nam & Thomiſtas, Scotiſtas, Modernos, tum Sacerdotes, epiſcopos, & religioſos, hodie nullum fuerit negotium, conuenire aduerſus Chriſtum, licet inter ſe immortali diſſidio pugnent, Sicut Pſal. 2. Propheta non immerito admiratur: Reges terræ, cum eſſent inter ſeſe inimiciſſimi, tamen aſtitiſſe, & principes ſacerdotum, factionibus mutuis diſſociatiſſimos, tamen aduerſus Dominum & Chriſtum eius conueniſſe.

Verbum crucis & ſcandali.

Hæc dicta volo ijs, qui verbum Dei pure proponunt tradere, vt ſciant ſeſe huius verſus lege tanto plures & maiores inimicos & vltores habituros, quo corruptius eſt ſeculum iſtud nouiſſimum, & ſpecioſior eſt ſpecies titulorum, nominum, dignitatum, officiorum, rituum, ſub nomine Chriſti inualuit. Stat fixa ſententia, Ex ore infantium non perfici, niſi virtutem, quæ habeat aduerſarios, & deſtruat inimicum & vltorem. Non enim ijs prædicatur, qui iam ſunt amici, ſed inimicis. Verbum crucis eſt & ſcandali, ſi non mortificat aut offendit, verbum crucis eſſe deſijt.

Quoniam videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum lunam & ſtellas, quæ tu fundaſti.

Infantes.

Cœli Dei.

QVam ſolicitus eſt optimus ſpiritus Dei nos inflare, ſuperbos, animoſos, &, vt ad vocem alludamus, ſpirituales reddere, hoc eſt ventoſos, tumentes, plenos, aduerſos inimicos & vltores, ſed non niſi in fiducia ſui. Dixerat, infantes & lactentes eſſe, quorum eſt infima & impotentiſſima forma, vt quæ indigeat in omnibus iuuari, omni paſſioni per ſe expoſita. At eoſdem nunc appellat cœlos Dei, formam ſcilicet rerum omnium ſupremam & potentiſſimam, vt quæ lumine, motu, fulgore, tonitru, pluuia, & alijs operationibus nihil non poſſit, & faciat in omnibus ſibi inferioribus.

Ebræ.2. al.8.

Neque enim conuenit ſatis, vt hoc loco cœlos viſibiles intelligamus. Quæ enim eſſet iactantia maximi Prophetæ tam gaudioſa, ſe viſurum eſſe cœlos, quos & beſtiæ agri, & volucres, aut, vt multum demus, impijſſimi homines vident? Ac forte non ſine cauſa adiecit pronomen, Tuos, quo ſe oſtenderet, non de quibuſuis cœlis loqui, ſed de ijs, qui ſint non hominibus cœli, ſed Deo ſoli, vt in quibus ipſe ſolus habitet, quos ſolus nouerit, qui ſibi ſoli ſeruiant. Nam hi viſibiles cœli & noſtri cœli ſunt, vt qui nobis quoque ad corporalia ſeruiunt, nobis cogniti. Quod ſi hæc parum mouent, moueat Apoſtolus ad Ebræos 2, qui ingreſſurus huius Pſalmi interpretationem, vocat orbem terræ futurum dicens, Non enim Angelis ſubiecit orbem terræ futurum, de quo loquimur.

Pet.2.

Cœli noui, Terra noua, Iſa.65.

Quanquam ego, ſi quis contenderit, non reſiſtam, hunc Verſum intelligi de cœlis nouis, & terra noua, quæ creabuntur in die nouiſſimo, Sicut Petrus prædixit, 2. Pet. 2. vt in fine mundi deſtructis inimicis & vltoribus vniuerſis, tranſeuntibus cœlo & terra, in nouam faciem omnibus mutatis, Electi videant & lætentur. Sicut dicit Iſaias 65. Ecce ego creo cœlos nouos, & terram nouam, & non erunt in memoria priora, & non aſcendent ſuper cor: Sed gaudebitis & exultabitis, vſq; in ſempiternum, in his, quæ ego creo. Et hunc ſenſum iuuat verbum futuri temporis, Quoniam videbo. Cur enim viſurum ſe diceret, niſi futuros & alios cœlos ſignificaret? Sed & Apoſt. ad Ebræ. 2.

cum inducit Pſalmum 102. de mutandis cœlis, ſicut amictum &c. Videtur hunc Pſalmum de futuris cœlis intelligere. Qui huic ſenſui volet conſentire, (*Negotium Eccleſiæ.*) dicet in præcedenti verſu deſcriptum totius Eccleſiæ vſq; ad finem mundi negotium, quod aliud non eſt, quam perfici virtutem ex ore infantium, & deſtrui inimicum & vltorem, adeoq; & ipſum peccatum, & peccati vindicem, mortem, vt 1. Cor. 15. Nouiſſimus deſtruetur inimicus mors, vt his deſtructis, (*1. Cor. 15.*) cœli noui videantur.

Duæ ſummæ contrariæ formæ in miniſtris verbi.

Licet hæc ſententia pulchra & vera ſit, tamen & priorem non deſeremus, arbitrantes, duas ſumme contrarias formas in verbi miniſtris depingi. Quarum altera eſt, qua hominibus parent. Hæc nominibus infantium & lactentium ſignificatur, ſcilicet, impotentia, ſtultitia, & inanitas, quam 1. Corinth, 4. latius explicat dicens: (*1. Cor. 4.*) Puto enim, quod Deus nos Apoſtolos nouiſſimos oſtendit, tanquam morti deſtinatos, quia ſpectaculum facti ſumus mundo, & Angelis & hominibus. Nos ſtulti propter Chriſtum, vos autem prudentes in Chriſto, nos infirmi, vos autem fortes, vos nobiles, nos autem ignobiles, Vſq; in hanc horam, & eſurimus, & ſitimus, & nudi ſumus, & colaphis cædimur, & inſtabiles ſumus, laborantes manibus noſtris, maledicimur, & benedicimus, blaſphemamur, & obſecramus, perſecutionem patimur, & ſuſtinemus, tanquam purgamenta huius mundi facti ſumus, omnium peripſima vſq; adhuc. (*Forma Apoſtolorum infirma.*) Ecce forma infirma Apoſtolorum, talis enim in oculis hominum eſt & eſſe debet Apoſtolus, Apoſtolorumq; ſucceſſor.

At rurſus 2. Cor. 12. (*2. Cor. 12.*) formam, qua in oculis Dei erat, quanta copia effundit, inter cætera, dicens, Tametſi nihil ſum, ſigna tamen Apoſtolatus mei facta ſunt ſuper vos, in omni patientia, in ſignis, & prodigijs, & virtutibus. Et 1. Cor. 1. (*1. Cor. 1.*) Nos prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis ſcandalum, Gentibus ſtultitiam, ipſis autem vocatis Iudæis, & gentibus Chriſtum, Dei virtutem & (*2. Cor. 12.*) (*Dignitas miniſtri verbi.*) Dei ſapientiam. Et 2. Cor. vltimo, Chriſtus non infirmatur in vobis, ſed potens eſt in nobis. His omnibus declarat, quam magna ſit forma in oculis Dei miniſterium verbi, cum ſicut Cœli, pluat doctrinam ſalutarem, tonet minis, coruſcet miraculis & ſignis, illuminet promiſſis &c.

Eſt ergo ſenſus huius verſus, Ex ore infantium, perficies virtutem, & deſtrues inimicos & vltores, quod erit mirabile in oculis omniũ hominũ, neq; credibile, vt faſtus & potentia mundi, tantæ infirmitati cedant, fiet tamen, Quoniam cœlos tuos videbimus, Et qui in carnis infirmitate prædicant, virtute tamen ſpiritus ſigna facient & præualebunt, & qui in oculis hominum ſunt deſpecti, coram te, & qui oculos tuos habent, ſunt ſuper omnem potentiam & gloriam.

Atq; ordinem vide, Prior eſt forma infantium, poſterior cœlorum, vt oſtendat Apoſtolum, ſeu verbi miniſtrum, glorioſa forma nihil valere, niſi prius valuerit ignominioſa. Cum autem nunc ſummis viribus deteſtentur formam priorem tantum diuitijs, luxu, faſtu, pompa præſtantes, quid mirum, ſi (*Forma eorum, qui iactant ſe ſucceſſores Apoſtolorum.*) nec poſteriore valeant, nec verbo, nec ſignis aliquid potentes? Vnde Imperator ille, cum Papa ei ſuos oſtendiſſet theſauros, adijciens, Nunquid Imperator nos poſſumus dicere, Aurum & argentum, non eſt mihi: Reſpondit ſatis oportune & ſalſe, Sed nec illud quod ſequitur, potes mi Pater dicere, Surge & ambula. Nam ſacerdotia duntaxat diſpenſare, & iurgia mundi curare, quæ hodie ſunt Apoſtolicorum negotia, quis non vel Turca, vel Scytha poſſit attentare? Infeliciſſimum ſane aduentum Dei in carnem, ſi ob hoc venit, vt hanc poteſtatem Pontificibus daret, quam à ſeipſo tantis repulit ſtudijs, Sed ſine, ſic meretur noſtra ætas adminiſtrari.

Mouet forte ſimplicem Lectorem, quod viſurum ſe cœlos dicit Propheta, cum tamen noui Teſtamenti tempus non viderit. At in perſona

populi

populi Dei loquitur, qui tunc viſurus erat, poſtea vidit, & nunc videt, viſu-
ruſq; eſt in finem mundi, Neq; enim tam curat exprimere, quomodo ipſe vi-
deat, quã quomodo manifeſtandum ſit, quod viſurum ſe dicit. Q. d. Cœli tui
reuelabuntur, & mittentur in omnem terram, omnium oculis expoſiti, vt vi-
dere poſſim eos, ſi viuerem, nunc vero audio eos, & fide ſola cerno.

Eodem tropo, & eadem perſona loquitur Iacob. Gen. 49. Expe-
Gen. 49. Pſal. 98. Iſa. 40. ctabo ſalutare tuum Domine, id eſt, ſcio manifeſte venturum. Et Pſal 98. Vi-
derunt omnes termini terræ ſalutare Dei, Quod eſt dicere (vt Iſaias loquitur)
Reuelabitur gloria Domini. Et Simeon: Lumen ad reuelationem gentium, id Simeon, Lucæ 2.
eſt, vt reueletur gentibus. Quare hoc ſuo viſu, non niſi manifeſtam Apoſtolo-
rum & ſucceſſorum oſtendit omnium oculis præſentiam & notitiam. Atq;
hoc eſt, quod Propheta exultat, delectatus ſcilicet, in reuelandis verbi & gratiæ
Sacramentis, per Apoſtolos, & ſucceſſores eorum.

Opera (inquit) *digitorum tuorum*, Sumpta ex hominibus artificibus meta- *Opera digitorum tuorum.*
phora, qui opera ſua digitis efficiunt, præſertim electiora & teneriora: Nam
quæ manibus aut pedibus faciunt, craſſa ſunt, & parum artis referentia, omni-
noq; ſimilia beſtiarum operibus. His docetur noui teſtamenti Prædicatores eſ- *Doctores noui Teſtamenti.*
ſe longe præ veteris teſtamenti ſacerdotibus ſynceriores, quod ſpiritum à lite-
ra plene ſepararint, & puriſſime tenerrimeq; tradiderint, quem illi inuolutum
Ebre. 7. rudioribus legis vmbris, velut craſſiore opere tradebant. Nihil enim ad perfe-
ctum duxit Lex, ait Apoſtolus. Conſtat autem ſatis ex Euangelio, digitum Dei *Digitus Dei.*
1. Cor. 12. vocari Spiritum ſanctum, qui ſiue ipſe propter diuerſitatem donorum (de qui-
bus 1. Cor. 12.) pluraliter digiti dicatur, ſiue ipſa dona, nihil refert, Cœli enim
formantur Spiritu ſancto, formantur & donis Spiritus ſancti.

Et illud quoq; perſeuerat, quod Pſalmo 1. diximus, verbum Aſa ſignifi- *Aſa.*
Pſal. 1. care operationem manentem, ſeu facturam, vt eſt domus aut veſtis. Quod hic
clare intelligitur, dum opera (Ebraice Maſe) appellat Apoſtolos, & verbi do-
ctores per digitos ſuos factos. In quo & altera dignitas Apoſtolicæ formæ com-
mendatur, qui etſi coram hominibus ſint peripſima, Dei tamen ſunt tenerri-
ma, electiſſima, gratiſſima opera, Deformantur ab hominibus, ſed formantur
à Deo, illis ſunt patientes, imo paſſio, huic autem opus. In quo iterum fortiſſi-
ma datur conſolatio verbi miniſtris, vt ſint fortes animo, ſcientes ſeſe eſſe digi-
torum Dei opera, exquiſita in omnes voluntates eius. Opus enim eſt robuſta
conſolatione ijs, qui aduerſus totum mundum ſinguli & ſoli mittuntur pu- *Conſolatio ad verbi miniſtros.*
Act. 1. gnaturi. Vnde & Chriſtus Acto. 1. præcepit Apoſtolis, vt ſederent in ciuitate,
donec induerentur virtute ex alto, & expectarent promiſſionem Patris. Q. d.
Non ibitis donec opera digitorum meorum facti fueritis.

Simul indicat ea dictione proſperitatem verbi, ſi miniſtri modo ſint opera *Proſperitas verbi.*
Exod. 8. digitorum Dei. Nam Exod. 8. in tertio ſigno defecerunt Magi dicentes, Digi-
Acto. 7. tus Dei hic eſt. Sic & Acto. 7. Non poterant reſiſtere ſapientiæ & ſpiritui, qui
loquebatur. Itaq; cæteris omnibus reſiſtit Diabolus, mundus & caro, Sed digi-
tis Dei, qui ſpiritus & impetus eſt, nemo reſiſtit, perflat Auſter hortum Spon-
Cant. 4. Pſal. 147. ſæ, & fluunt aromata illius, Cant. 4. Flabit (inquit Pſalmus 147) ſpiritus eius,
& fluent aquæ, id eſt, conuertentur, & molleſcent populi. Ita in digito Dei,
nec aliter, eijcit Chriſtus dæmonia.

Igitur quam infirma, infelix, ſtulta eſt forma Apoſtolica in infantibus &
lactentibus deſcripta, Tam potens, felix, ſapiens eſt in cœlis & operibus digito-
rum Dei commendata, vt faciat quæ nemo credat fieri poſſe. Adeo omnia ſub *Opera Dei ſub contrarijs formis fiunt.*
contrarijs formis aguntur, quæ Dei ſunt, Nam & Moſes & Aaron in prioribus
duobus ſignis velut infantes & impotentes habiti ſunt, ſed in tertio & ſequen-
tibus, ſicut cœli & digitorum Dei opera præualuerunt.

Cur Soli mentionem non facit.

Lunam & ſtellas quæ tu fundaſti, Quæritur quid ſit, quod Solis non meminerit, qui cœlorum gloria eſt? Forte quod totum Pſalmum de ipſo Chriſto canit, qui eſt Sol iſtorum cœlorum, vt Pſal. 19. Soli poſuit tabernaculum in eis. Quia de ipſo ſuperius dixerat, Eleuata eſt gloria tua ſuper cœlos, Et deinceps latius eundem proprio præconio decantabit, dicens: Quid eſt homo, quod memor es eius &c. Dignior enim & copioſior illi debebatur prædicatio, quam lunæ & ſtellis, ideo ſeorſim erat canendus. Quanquam & in hoc ſatis indicatus eſt, quod fundatas ſtellas & lunam dixit, Cum fundamentum Eccleſiæ & iuſtorum, proculdubio aliud non ſit, quam quod poſitum eſt, qui eſt Ieſus Chriſtus, ſol iuſticiæ. Quomodo & Iſaiam 28. adducit Petrus 1. Pet. 2. Ecce ponam in Zion lapidem ſummum, angularem, probatum, electum, precioſum, &, Qui crediderit in eum, non confundetur. *Pſal. 19.* *1. Cor. 3.* *1 Pet. 2.*

Chriſtus ſol iuſticiæ fundamentum Eccleſiæ.

Poterat ergo dicere, Lunam & ſtellas, quæ tu illuſtraſti, ſeu per Solem lucere feciſti. Siquidem à Sole vniuerſi luminis fonte, aiunt, lunam & ſtellas illuminari. Sed maluit dicere, quæ tu fundaſti, non ſine cauſa, vt oſtenderet ſimul Chriſtum ſolem cœlorum eſſe, & fundamentum & petram, ſupra quam Eccleſia ædificata & fundata, præualet etiam aduerſus portas inferi. Matth. 7. & 16. Et vt ſic potius loqueretur, magis quadrabat ad rem, quam ſi de illuminatione locutus fuiſſet. Quia Chriſtus quidem illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, Et Euangeliũ prædicatur omni creaturæ, ſicut Sol iſte illuminat omnia. Verum vt cæci non vident lumen, omnia illuminans, Ita non omnes obediunt Euangelio, niſi qui fide forti fundantur in Chriſto Sole illuminatore. *Mat. 7. 16.*

Chriſtus ſol cœlorum.

Quod iterum in noſtram conſolationem & exhortationem dicitur, Quia quantumuis inſaniant in Eccleſiam & ſanctos Chriſti, non præualebunt. Stat enim fundamentum, Chriſtus, ſtat Eccleſia, quia Deus eam ſundauit ſuper Chriſtum, non commouebitur, quia qui credit in illum non confundetur. Quando ergo de fide Eccleſiæ & iuſtorum, voluit loqui, qua ſola ſundantur, repugnabat verbum (ſundaſti) vt ſolem adijcere non poſſet, cum ipſe non fundetur, ſed fundamentum ſit.

Eccleſia fundata ſuper Chriſtum.

Quæ fundaſti.

Illud minutulum eſt. Cur potius dicat, quæ fundaſti, quam, quas fundaſti, cum & luna & ſtellæ ſint fœminini generis: Nam Ebræus neutrum genus non habet. Sufficit lunam & ſtellas, ſignificatione allegorica, eſſe Eccleſiam & fideles in Chriſto, qui fide ſuper eum ſundati, viſibiles, ſpectabilesque facti ſunt toti mundo. Sic Daniel. 12. Qui autem docti ſuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & qui erudiunt ad iuſticiam multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates. Non hic loquitur de doctrina & iuſticia hominum, vt ferme contaminatur hic locus à plurimis, ſed de doctrina & iuſticia Dei, quæ eſt in ſpiritu. Atq; id indicat ipſa Allegoria, quod cœlos, lunam, ſtellas appellat, cum nihil minus appareant coram hominibus, videntur tamen, id eſt, ſignis & virtutibus oſtenduntur mundo, ſed non creduntur ab omnibus. *Daniel. 12.*

Chriſtum docentes mundo viſibiles.

Cœli opera digitorum Dei &c.

Obſerua diſtributionem, Cœlos appellat opera digitorum Dei, lunam & ſtellas fundata Dei. An non cœlos quoq; ipſe fundat? An non luna & ſtellæ ſunt opera digitorum eius? Cur ergo ſic diſtribuit? vtrunq; certe ipſe facit ſolos, & vtrunq; in vtriſq; operatur. Digiti eius faciunt tam cœlos quam lunam & ſtellas, & ipſe ſundat tam lunam & ſtellas quam cœlos. Verum ideo hac diſtributione vſus eſt, ne (ſicut Corinthij) vllus diceret, Ego ſum Pauli, ego Cephe, ego Apollo. Non enim Apoſtoli Eccleſiam & fideles fundauerunt, ſed Deus qui incrementum dat, ſunt tamen miniſtri, per quos (inquit) crediditis, id eſt, fundati eſtis. Ipſi vero per nullos alios, ſe priores Apoſtolos fundati ſunt, ſed ſunt opera digitorum Dei prima, iuxta illud Pſalm. 33. *1. Cor. 3.* *Pſal. 33.*

Eccleſiam non Apoſtoli, ſed Chriſtus fundauit.

Verbo

Verbo Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius, omnis virtus eorum.

In qua re, quid opus eſt iterum admonere maiores Eccleſiarum, vt intelligant, non ſatis eſſe ſi fundentur in Chriſto cum cæteris, niſi ſint opera digitorum Dei, ſcilicet vocati & facti ex Deo? At nunc quid ſunt, niſi opera manuum hominum, ſimulachra gentium, aurum & argentum? Aures enim habent, & non audiunt verbum Dei, oculos, & non vident ſeipſos, manus habent, & non palpant alijs benefaciendo, nec eſt vox in gutture eorum, non enim docent. Atq; ita obtinuit quoq; vſus, vt vocentur hodie creatura hominis, & recte. Si enim eſſent opera digitorum Dei, creatura hominis non eſſent. Et dignum eſt ſeculum noſtrum, has ventoſas & audaces adulationes audire. *Maiores Eccleſiarum nunc ſunt opera manuum hominum.* *Pſal. 135.*

Deniq; in præfationibus Epiſtolarum non ſeparant hominis & Dei gratiam, Dei (inquiunt) & Apoſtolicæ ſedis gratia. Quaſi parum ſit, Dei gratia, aut non prophanum eodem titulo, Dei & hominis gratiam æquare. Abominatio iſta in loco ſancto ſtans, etiam placet his, qui eam ſummis viribus debuerant propellere. Verum tranſeat iſta iniquitas, dabitur noſtris ſua moribus ætas, vt præſint ſimul gratia Apoſtolicæ ſedis, & indignatione tribunalis Chriſti. Apoſtolica ſedes debuerat agnoſcere tanquam gratiam ſibi factam, ſi cooperatores mereretur obtinere, & compellere inuitos, tanquam onus & non gratiam impoſitura. *Dei & Apoſtolicæ ſedis gratia.* *Onus non gratia.*

Quid eſt Homo, quod memor es eius, aut Filius hominis, quoniam viſitas eum?

PRimum, quia varios hic exercitauit locus autores, illud ſciendum, quod in Ebræo non eſt coniunctio disiunctiua, In qua re, etſi parua, Auguſtinus, Caſſiodorus, & alij ſuam intelligentiam collocant, cum dicunt, Aut Filius hominis, pertinere ad Chriſtum propter disiunctiuam. Et quid eſt homo, pertinere ad omnes alios. Verum Ebræus conſtanter habet, Et Filius hominis dices, Vben Adam, Et hunc ſequemur, autoritate Pauli Ebræ. 2. vtrunq; de Chriſto intellecturi, vbi dicit, Teſtatur autem in loco quodam quis, Quid eſt homo, quod memor es eius, aut Filius hominis, quoniam viſitas eum? Quanquam ſi etiam coniunctio disiunctiua ſeruetur, non vrget alium hominem, alium Filium hominis intelligi, quod vſu permiſſum ſit iis, qui cum admiratione nimia (vt hic locus) interrogant. Tautologia tum disiunctiua vtantur, tum copulatiua, ad indulgendum affectibus, vt ibi, Popule meus quid feci tibi, aut in quo moleſtus ſui, aut in quo contriſtaui te? *Ebræ. 2.* *Et Filius hominis.*

Deinde obſeruandum, Ebræa lingua duobus nominibus appellat hominem, in quantum natura conſtat, Quæ ſunt Adam & Enos. Tertium quod Iſch dicitur, & ſæpius pro homine transfertur, Rectius vir duntaxat transferretur, cum ab eo dicatur Iſcha vxor, ſeu mulier. Quaſi diceret, virago, vel vitiſſea, quia inquit Gene. 2. de Iſch, id eſt, viro ſuo ſumpta eſt. Vnde & Iſch fere in Scripturis mariti, aut magiſtratus nomen eſt, & omnino magis ab officio, quam natura ſic dicitur, de quo Pſal. 1. diximus. *Iſch.* *Iſcha.* *Gene 2.*

Enos autem & Adam ſic differunt autore Euſebio 11. præpa. Euang. 4. & diuo Hieronymo in quæſtionibus Ebraicis. Quod Enos proprie hominem ſignificet ſecundum animam, Adam ſecundum corpus. Et hoc recte, Adama enim Ebraice terram ſignificat, de qua ſecundum corpus formatus eſt, Vt ſit Adam dictus ab originis & materiæ ſuæ vocabulo, velut terrenus, ſeu terreſtris. Ad quod reſpexiſſe perſpicue cernitur Apoſtolus 1. Corinth. 15. vbi dicit, Primus homo de terra terrenus; Secundus homo, de cœlo cœleſtis, Qualis terrenus, tales & terreni &c. Et tranſlator quoque Pſalmi 49. *Adam* *1. Cor. 15.* *Pſal. 49.*

 anxie

anxie conatus differentiam in aliena lingua reddere, dixit, Quiq; terrigenæ & filij hominum, vbi dicitur, tam filij Adam, quam filij Iſch, vocans filios Adam, filios terræ, ſeu terrigenas, obſcuriſſime loquens propter intempeſtiuam Etymologiam, ſatis tamen indicans, Adam ſonare terram, ac ſi latine hominem ab humo diceres, humigenam, vel humanum.

Enos.

Enos autem Etymologia ſua, Euſebio ſignificat obliuiſcentem, & ſic diſtinguit hunc verſum, ſicut & in Ebræo habetur, Quid eſt Enos, quoniam memor es eius? Et filius Adam, quoniam viſitas eum? Iohannes Reuchlin dicit, Enos ab afflictione, dolore, mœrore dictum, quod vna cum Euſebij ſententia, ſatis placet, quod homo iuxta animam ſuam oblitus ſit Dei ſui per peccatum, non ea quidem obliuione, quæ vulgaris eſt. Nam quis tam impius, qui non plurima de Deo garriat & cogitet? Quin nemo frequentius Dei memor eſt, quam impij, maledici, blaſphemi, & ſuperbi, qui (vt Iſaias inquit) nominis Domini recordantur, neq; in iudicio, neq; in veritate, hoc eſt, nomen Domini aſſidue vſurpant, ſed inuanum. His bonum eſſet vt nominis Domini obliuiſcerentur, Sicut bonum eſt ei ſacris abſtinere, qui non pure ea tractat. *Iſaia.48.*

Impij frequenter Dei memores.

Sed obliuiſcentem eum ſignificat Enos, qui in ſpiritu & veritate Dei & ſui eſt oblitus. Cui Deus iam non Deus eſt, nec Pater, nec dulcis, ſed iudex, hoſtis, terribilis, qualis erat Adam cum fugeret in Paradiſo à facie Domini. Nonne hic nimio erat memor Dei? imo nimium ſenſit præſentem, maluiſſetq; abſentem, quod & omnes dæmones & damnati mallent, qui contremiſcunt à facie eius aſſidue. Quicunq; ergo à Deo deſertus, in eius miſericordia non fuerit eruditus, hic eſt Enos, miſer, mœſtus, pauidus, deſperatus, & plane inconſolabilis. Quis conſoletur eum, cuius conſcientia eum contriſtat? At conſcientia læta non eſt, niſi ea quæ fidit in dulciſſimam Dei miſericordiam, audens eum Patrem cum omni fiducia appellare, nec iudicium, nec mortem, nec vllum malum, præ hac fiducia metuens. Sicut econtra triſtis non eſt, niſi quæ hac fiducia inanis, ſentit illud Deut. 28. Dabit tibi Dominus cor pauidum, & animam mœrore conſumptam: Mane dices, quis mihi det veſpere? & veſpere, quis mihi det mane? Hæc igitur obliuio facit Enos & hominem, in quam maxime nos protrudunt traditiones, conſilia, ſolaria hominum, Sola autem fides liberat, & memorem rurſus Dei facit, non niſi miſericordiam & charitatem in Chriſto nobis proponens & commendans. *Deut.28.*

Deſertus à Deo.

Conſcientia læta & triſtis.

Quid eſt Enos.

Vide ergo Antitheſin gnauiter poſitam, Quid eſt Enos, quoniam memor es eius; Memoriam Dei & obliuionem noſtram pulcherrime componit, Et neſcio, an Propheta vere memorem Deum ideo dixerit, vt Enos Etymologiam indicaret, an Euſebius ex verbo meminiſti, Enos obliuiſcentem etymologiſarit. Nam illud, Et filius hominis, quia viſitas eum obſcuriore, vel nulla Antitheſi dicitur, niſi in hoc ſpectetur, quod Deus cœli, & filius terræ ſint duo longe contrarijſſima, vt alterum ab altero viſitari ſit mirabiliſſimum. Sicut illud Pſal. 113. Quis ſicut Deus noſter, qui in altis habitat, & humilia reſpicit? *Pſal. 113.*

Filius hominis ſignificat viliſſimum in hominibus.

Igitur grande miraculum eſt, Hominem qui in ſeipſo & omnium oculis derelictus, deſperatus, oblitus Dei, nihil minus ſentit, quam Deum ſui memorem, eſſe Deo in memoria. Et cor hominis debet, ac poteſt hoc capere, & credere, Deum eſſe iucundum, beneuolentem, dulcem, quem non ſentit, niſi iracundum, horrendum, inſuſtentabilem. Quis non miretur? quis non dicat, Quid eſt homo, quod memor es eius? Opera Dei ſunt hæc incomprehenſibilia, niſi per fidem & veſtigia hæc non cognoſcuntur, Pſalmo 77. Ita viſitari filium hominis, quis credat à Deo, cum non ſit niſi deſpectus ab omnibus, nec in eo quicquam appareat, niſi quod eſt natus de muliere, ſimilis naturæ ſubſtantia? Si enim eſſet filius Regis, principis, ſacerdotis, diuitis, honorati, *Pſal. 77.*

rati, appareret non difficile, viſitati à Deo, Nunc nihil vilius dici poteſt de homine, quam quod ſit Filius hominis (niſi vellet hominem negare) hic enim titulus communis eſt, quantumlibet omnium, nouiſſimus & viliſſimus.

Ergrandis eſt Tapinoſis in verbis iſtis, Filius hominis, ſicut in verbis Pilati, quando dixit de Chriſto, Ecce homo. Vult enim viliſſimo nomine eum appellare, quod nemo hominum in altero multum curat, & tamen ita Deus curat, vt viſitet, & ad eum veniat, quem vniuerſi ne reſpiciunt quidem. Vnde in Propheta Iſa. 58. ſublimes hominum oculos in perſonarum reſpectu occupatos arguens dicit, Si videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne deſpexeris. Ecce tuam carnem appellat nudum, famelicum, ſitientem, egenum, & quo quiſq; eſt nouiſſimus. Sic ſcilicet formam, quæ in omnibus nobis communiſſima eſt, nemo noſtrum perpendit, pro qua culpa digni ſunt ſapientes illi, vt Vniuerſalia, vel Porphyrij, vel Ariſtotelis ſomnient, & naturas communes vaniſſimo ſtudio perditoq; labore quærant, qui vniuerſalia illa Creatoris in ſeipſis negligunt. *Ecce homo.* *Carnem tuam ne deſpexeris, Iſa. 58.*

Emphaſin ergo vide. Non ſolum nouit Enos, ſed memor eſt, nunquam obliuiſcitur eius, ſemper bene cogitat de eo, nunquam derelinquit. Vnde huius rei exemplum Iſa. 49. deſcribitur, Et dixit Zion, Derelinquit me Dominus, & Dominus oblitus eſt mei. Nunquid obliuiſci poteſt Mulier infantis ſui, vt non miſereatur Filio ventri ſui? Et ſi illa oblita fuerit, Ego tamen non obliuiſcar tui. Ecce in manibus meis deſcripſi te, & muri tui coram oculis meis ſemper. Ita non ſolum videt, aut ad Filium hominis mittet à longe, ſed prope eſt Dominus, & viſitat eum, ſicut amicus amicum ſuum. Quis, inquam, credet hæc? At niſi credantur, non fiunt. Proinde exui oportet omnem laruam, & relinqui aliud nihil, quam hominem & filium hominis, ſi dignus eſſe velit quiſpiam memoria & viſitatione Dei. Alta enim à longe cognoſcit, humiliat, & afflicta reſpicit. Homo contra, quiduis magis obſeruat, quam hominem, & filium hominis, cum ſit tamen proximus ſuus & caro ſua. *Quid eſt Enos, quod memores eius.* *Iſa. 49.*

VErum, quomodo hæc conuenient Chriſto, de quo diximus proprie Prophetam loqui teſte Apoſtolo ad Ebræos? At idem Philip. 2. breuiter id oſtendit, dicens, Qui cum eſſet in forma Dei, non rapinam arbitratus eſt eſſe æqualem Deo, ſed exinaniuit ſe, formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Non enim inuentus eſt vt Rex, Princeps, aut aliquid eiuſmodi perſonarum, ſed vt Filius hominis, ſimilis homini nouiſſimo. Deinde & maxime aſſimulatus eſt peccatoribus, factus Enos, triſtis, afflictus, & omnino ſicut vnus ex nouiſſimis nobis, portans in ſeipſo iram Patris pro nobis, & factus viliſſimus terræ Filius in oculis hominum, Vt non ſolum ipſi, ſed nec vlli mortalium videretur Deus eſſe memor eius, aut eum viſitare, Quin ipſe de ſe dixit, Petijt fuga à me, & non eſt, qui requirat animam meam. Et iterum, Factus ſum tanquam vas perditum, proiectus ſum à facie oculorum tuorum. *Philip. 2.* *Chriſtus filius hominis ſimilis homini nouiſſimo.* *Pſal. 142.* *31.*

Potiſſimum autem reſpicit ad tempus paſſionis Chriſti, quando incepit tædere & pauere in horto. Tunc enim exinanitus, factus eſt Enos coram Deo & ſeipſo, factus filius Adam coram hominibus, relictumq; aliud nihil, quam natura ſibi naturæq; vocabula. Nam ſicut dixi, Enos ad animam, Adam ad corpus pertinere, Ita pronum ſequitur, Enos pertinere ad hominem, vt eſt coram Deo, miſer & afflictus, Adam filius, vt eſt coram hominibus, vilis & deſpectus. *Matt. 26.* *Enos. Adam.*

Ecce ergo, Hic eſt ſol iuſtitiæ, Rex noſter, ſuper quo miratur ingenti ſtupore Propheta, Nunquid hic illuminabit lunam & ſtellas, & creabit cœlos, imo fundabit? Sic vtiq; ſic, Sic lucet, his radijs illuſtrat mundum, qui

eum

eum recipit. Ideo enim neceſſe eſt lunam & ſtellas fundari, ne hac Solis ſui luce offenſi ruant. Atq; hæc ratio eſt, cum tam magnifica Allegoria, cœlos, lunam & ſtellas prædicaſſet, cum iam expectaretur, vt de Sole quoq; diceret, repente videatur aliena loqui, raptus in ſtuporem Solis huius gloriam ineffabilem demonſtrans, magisq; admirante ſilentio, quam magniloquo verbo eum indicans, Ac ſi dicat, De luna & ſtellis audiſtis. Porro, de Sole quid dicam? Stupore ſuperor, Sol eſt, ſed quis capiat, cum ſit Enos & filius Adam? Vere mirabilis & laudabilis Deus, qui huius memor es, & eum viſitas. Quanto magis mirabilis, quod hunc Solem eſſe conſtituiſti omnium illuminatorem? Illud mirabile, hoc plus quam mirabile, & homini incredibile prorſus.

Gloria ineffabilis Solis Chriſti.

Hic nunc videat quiſq; ſibi, Primum quam patiens, aut plenus ſit radiorum huius Solis iuſticiæ. Quia enim peccatum deſtruendum eſt, quod ſine dolore & ignominia fieri non poteſt, Ideo Enos & Filium hominis fieri quemque neceſſe eſt, vt ſit intus dolens, & foris confuſus, & ſic vtriq; nomini naturæ ſuæ ſatisfaciat & reſpondeat, ſimiliſq; fiat Chriſto, qui ſimilis prior factus eſt ei. Nos enim nihil ita fugimus, atq; ne ſimus, ſcilicet Enos & Adam, ſemper delectati alienis veſtiri plumis & laruis, & ea quæ iuſtorum & ſanctorum ſunt, nobis vendicare, id eſt, lætitiam & gloriam. Verum Sol iuſticiæ non ſic lucet, nec tales illuminat, nec ſuper ſe fundat.

Neceſſe eſt, vnumquemq; fieri Enos, & filium hominis &c.

Deinde, vbi talis fuerit, confidat & gaudeat, huius verſus ſolatio cantans & ſciens, quoniam Dominus memor eſt Enos, & viſitat filium hominis, ſicut in Chriſto ſole ſuo oſtendit. Porro, quomodo Chriſtus hac ratione Enos & obliuiſcens Dei fuerit, & Filius hominis, per omnia ſimilis nobis, forte Pſalmo 22. latius dicetur. *Pſal. 22.*

Minuiſti eum paulominus ab Angelis, Gloria & honore coronaſti eum.

NOſtri adijciunt huic verſui: Et conſtituiſti eum ſuper opera Manuum tuarum. Quæ eſt in Ebræo ſequentis verſus particula prior.

Elohim.

Ebræus ſic habet: Et minuiſti eum paululum ab Elohim. Quod Hieronymus tranſtulit, à Deo. Et ſatis conſtat Elohim in Scriptura non tantum Deo, ſed & Principibus & iudicibus aliquando, quod vicarij Dei ſint, accomodari, vt Exod. 21. Offerat eum Dominus dijs, & applicabitur ad oſtium. Et Gen. 6. Videntes filij Dei filias hominum, quos omnino filios Patriarcharum intelligimus, ipſos quoq; Gigantes. Quanquam ſi quis pertinaciter neget vſpiam Elohim hominibus tribui, neſcio qua ratione conuincerem, cum his duobus locis, & alijs etiam Deus queat intelligi. Verum autoritatem aliorum interim ſequamur receptiorem, quam vt liceat contradicere. *Exod. 21.*

Filij Dei, Gen. 6.

Noſter ſane interpres videtur potius ab Angelis, quam à Deo reddidiſſe, quod forte ineptius eſſet dicere, Deo, Tu minuiſti eum à Deo, cum omnino aliam minuentis, & aliam eius, à quo minutus eſt perſonam ſermo exigere videatur. Sed hoc offendiculum facile tollit vſitatiſſimus tropus Scripturæ, quo ad ſecundam perſonam loqui ſolet in tertia, vt 2. Reg. 14. Quæ ait ad Dauid, Recordetur Rex Domini Dei ſui. Ita hic potuit intelligi locutus, Minuiſti eum paulominus à Deo, id eſt, à te, quod maior ſit reuerentia, in tertia perſona, quam ſecunda ad Maiores loqui. *2. Reg. 14.*

Tropus Scripturæ, ad ſecundam perſonam loqui in tertia Minuiſti eum ab Angelis.

Sunt autem huius medij verſus ſingulæ dictiones à multis tractatæ, Difficultatem præſtiterunt, Angeli, & aduerbium, paulominus, & verbum minuiſti, & pronomen meum. Nec defuerunt, qui de humana natura ad Angelos comparata, conati ſunt intelligere. Sed nos modo conſequentia cogimur præcedentibus copulare, idq; vnico & ſimplici ſenſu, ideo ex omnibus quæ placent & congruunt, accipiamus, relictis cæteris apud ſuos.

Explicat

Explicat autem iſte Verſus omnino præcedentem, in quo dictum eſt,
Chriſtum Enos eſſe in memoria Domini, & qui contemptus fuit hominibus,
viſitetur à Deo. Ideo ſenſus eſt, Dereliquiſti eum paruulo tempore. Sed eum
Pſal.22. gloria magna ſuſcepiſti eum, quo oſtendiſti, quam non fueris eius oblitus, nec
eum deſpexeris, vt Pſal. 22. Quoniam nō ſpreuit, neq; deſpexit deprecationem
pauperis. Ideo omnino pronomen, Eum referre debet, non filium Dei ſecun-
dum diuinitatem, quod faciunt, qui per incarnationem eum intelligunt hoc
loco ab Angelis minoratum. Sed ſecundum humanitatem, in qua Enos, tri-
ſtis & dolens factus, dum noſtros ferret languores, videbatur in obliuione eſſe
coram Deo & deſertus, ſicut reuera fuit, quantum erat in ſenſu ſuo ipſius &
hominum. Nam omnino de paſſione Chriſti hic Pſalmus loquitur, & gloria
Ebr.2. per paſſionem obtenta. Vt clare Apoſtolus ad Ebræ. 2. dicit. Eum autem, qui
minoratus eſt paulominus ab Angelis, videmus Ieſum per paſſionem, gloria
& honore coronatum &c. Et paulominus non ad dignitatem, ſed ad tempus
Pſal.2. pertinet. Idem enim aduerbium Pſal. 2. habuimus, Cum exarſerit in breui ira
eius, id eſt, cito & poſt modicum exardeſcet ira eius. Et omnino nihil de ſub-
ſtantia, differentia, dignitate naturarum hic agitur, ſed de duratione paſſionis.

Iam verbum minuiſti, quia non reddidit ebraicum, nobis ſonat, ac ſi eum,
qui magnus eſt, quiſpiam imminuat, quo modo potentia, dignitas, opulentia
alicuius minuitur. Iohannes Reuchlin interpretatur, defecit, defuit, diminu-
3 Reg. 17. tum fuit. Vt 3. Reg. 17. Nec lecythus olei minuetur. Et infra, Nec lecythus olei
eſt imminutus. Ex quo patet hoc loco ſignificari, Chriſtum derelictum à Deo,
Pſal. 22. vt qui ceſſarit eum tueri, & ei defuerit, ſicut in cruce clamauit: Eli, Eli, Lama-
zabatani? Nam hoc paululum intelligit, ſcilicet horam illam, de qua dixit, *Paululum.*
Sed hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum. Itaq; cum ad hanc vſq; horam
eſſet potens in opere & ſermone, ſubito & paruulo tempore, nempe triduo,
minutus eſt & deſertus à Deo in hac potentia, ſubiectus infirmitati & morti
quoq; & inferno, Nam quid ſit à Deo relinqui, ſuo loco dicemus.

Iſa. 54. Quare eandem ferme ſententiam hoc verſu de Chriſto, quam Iſa. 54 de
toto populo Dei ponit, dicens: Ad punctum in modico dereliqui te, & in mi- *Conſolatio piorum, ſe eſſe derelictos à Deo.*
ſerationibus magnis congregabo te. In momento indignationis abſcondi faci-
em meam parumper à te, & in miſericordia ſempiterna miſertus ſum tui. Scili-
cet, hæc omnia in robuſtiſſimam conſolationem noſtram, vt diſcamus ex
modica tribulatione temporis huius lucrum facere æternæ ſalutis, nec cum
anxiamur, arbitremur in æternam nos derelinqui ab eo, quem audimus eſſe
memorem Enos, & viſitare filium hominis, quantumlibet minuet nos paulo-
1. Pet. 1. minus, veniens viſitabit, & gloria honoreq; coronabit modicum paſſos, vt
1. Pet. vlt. 1. Pet. 1. Modicum nunc ſi oportet contriſtari in varijs tentationibus. Eiuſdem
5. vlt. Deus autem omnis gratiæ, qui vocauit vos in æternam ſuam gloriam, In
Chriſto Ieſu, modicum paſſos ipſe perficiet, confirmabit, conſolidabitq;. Et
2. Cor. 4. Paulus 2. Cor. 4. Id enim, quod in præſenti eſt (id eſt, momentaneum) & leue
tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus
operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, ſed quæ non vi-
dentur.

Verum fide hic opus eſt, eſt enim mirabile in oculis noſtris, dum agitur,
Sicut hic Propheta quoq; miratur, dicens: Quid eſt homo? Quod in Ebræo *Quid eſt homo.*
poteſt dici, quam homo, quoniam memor es eius. Nam dictio Ma, Ebraicis
Pſal. 119. valet aliquando quæſitiuum quid, aliquando quam, vt Pſalm. 119. Quomo-
do dilexi legem tuam Domine, pro quam dilexi. Et infra: Quam dulcia
Pſal. 84. faucibus meis eloquia tua? Et Pſalm. 84. Quam dilecta tabernacula tua.
Imo & hoc Pſalmo, Quam admirabile eſt nomen tuum, Hoc enim fefellit

Inte-

Interpretem, quo minus Iſa. 37. clare redderet Ebræum. Et dixit Ezechias, *Iſaiæ 37.*
quod erit ſignum, quia aſcenſurus ſum in domum Domini. Non enim quæ-
rit ibi, ſed miratur ſignum, quod ei datum erit dicens: Quam ſignum, quia
aſcendam. Q.d. Nonne hoc grande & mirabile ſignum? Ita non inepte hic
diceretur: Quam homo, quoniam memor es eius. Quod ſic redderetur, Non-
ne mirabilis eſt ille homo? Nonne mirabilis ille filius hominis, memor es eius,
dum obliuiſceris, viſitas eum, dum derelinquis, Verum hoc facis, vt in breui
eum deſeras, in æternum exaltaturus.

Me Elohim. Hoc ſenſu habito perſpicuum fit. Ebræum, Me Elohim, aptius
transferri à Deo quam ab Angelis, quod Chriſtum à Deo canit minoratum,
& derelictum, viſitatum & deſertum, minutum & auctum. Non tamen ob id
Apoſtolus frequen-ter citat lxx. inter-pretationem. reijcienda eſt vſitata translatio, ſiue Apoſtolus, aut quiſquis alius Ebraice
ſcripſerit Epiſtolam ad Ebræos, ſiue græce cum conſtet Apoſtolum raro citare
Ebraicam proprietatem, ſed frequentiſſime l x x. etiam in alijs Epiſtolis, vt
Rom. 3. ex Pſal. 13. & 5. facit. Atque illud maxime conuincit autorem eiuſdem *Rom 3.* *Pſalm 13.5.*
Epiſtolæ legiſſe & ſcripſiſſe ab Angelis, non autem à Deo, quod accedens ad
huius Pſalmi teſtimonium, dicit: Non enim Angelis ſubiecit orbem terræ fu-
turum, de quo loquimur, Tunc mox inducit hunc Pſalmum, Chriſto homini
eſſe ſubiectum probans, neque enim liceat cogitare Apoſtolum voluiſſe dice-
re: Non enim Deo ſubiecit orbem terræ futurum. Sequendo itaque Ebræum
ſenſum non poſſumus Chriſti minorationem comparatione Angelorum in-
telligere, cum (vt & Eraſmus bene infert) non ſolum Angelis minor ſit factus,
qui nouiſſimus virorum, & (vt dixi) præter Enos, & filium hominis reliquum
non habuit, Ex Apoſtolo ad Ebræos non liquet quid velit.

Quare cum Chriſtus fuerit minoratus a Deo, nec amplius cum eo fuit in
virtutibus triduo paſſionis ſuæ. Quid mirum ſi & ab Angelis, volente Deo,
deſertus ſit? ſicut dicit: An non credis, quia poſſum modo rogare Patrem, &
exhibebit mihi plus quam duodecim legiones Angelorum? Ne autem leue
putes ab Angelis nos eſſe minutos ſeu relictos, conſiderandum, quod vniuer-
ſam noſtram ſalutem miniſterio Angelorum Deus curat, Sicut Pſal. 91. ſcri- *Pſal. 91.*
ptum eſt. Quoniam Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus
vijs tuis, In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.
Et Pſal. 34. Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet *Pſal 34.*
eos. Sic filios Iſrael Angelus eduxit de Aegypto, poſuitque ſe inter eorum &
Aegyptiorum caſtra. Et, Angelus (inquit) meus præcedet te. Sic Lot de Zodo- *Gen. 19.*
Salus hominum, Angelorum mini-ſterio curatur. mis eripuerunt. Et tres pueros in camino ignis Angelus ſeruauit. Atque in lib.
Iudicum quoties, quæſo, Angelorum officium memoratur pro hominibus? *Daniel. 3.*
Sicut & in Zacharia & Daniele, Vt recte Paulus Ebr. 1. dixerit, eſſe eos, ſpiritus *Ebræ. 1.*
adminiſtratorios, miſſos propter eos, qui hæreditatem accipiunt ſalutis. Non
igitur mirum, quod pro nouo miraculo & ſtupore ducit Propheta, omnes
veteres ſeculi Patres fuiſſe adiutos & ſeruatos ab Angelis, & eos in hoc vno
Chriſto ceſſare, eumque minui ab eorum ſolatio.

Simili affectu Pſal. 22, loquitur: In te ſperauerunt Patres noſtri, & ſalui *Pſal. 22.*
facti ſunt, in te ſperauerunt, & non ſunt confuſi, Ego autem ſum vermis &
non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis. Ac ſi dicat, Illi fide ſua
obtinuerunt ſalutem in aduerſis, nec vnquã ad mortem vſque ſunt relicti, Ego
autem relinquor vſque ad mortem, & ſpes mea poſt mortem, demum veniet.
Talis enim paſſio decet nouum Teſtamentum. Ideo Chriſtus caput præcedit
& prior omnium relinquitur, & minuitur à Deo & Angelis, Sequuntur eum
Chriſtus prior om-nium relinquitur. omnes qui credunt & inuocant nomen eius. Quare ſicut B. Auguſt. ad Hono-
ratum, tractans Pſal. 20. recte docet in ipſo differentiam noui & veteris Te-
ſtamenti, quod in hoc aliquando quidem relicti ſunt Patres vſque ad periculum

vitæ,

vitæ,ſed nunquam ad mortem vſq;,Illo autem ſicut oues occiſionis æſtimantur omnes,& in mortem deferuntur ignominioſiſſimam.Ita & hoc Pſalmo eandem nouitatem paſſionis celebrat Propheta, & præ antiqua admiratur. Imo non modo Angeli ei non aſtiterunt,ac miniſtrauerunt; ſicut ſolent, ſed & quidquid nomine Elohim poteſt ſignificari,principes,reges,ſacerdotes,ſeniores,& qui prius ei adhærebant. *Elohim.*

Gloria & honore coronaſti eum. Pulchre reddit contraria contrarijs,Gloriam Enos,Honorem filio Adam,coronam minuto ab Angelis.Quæ vt intelligamus,vocabula primum declaremus.Gloria hoc loco pro-
Pſal.3. prie ponitur Cabod,quod δόξαν Græci dicunt.De qua Pſal.3. Tu es gloria *Gloria quid intelligatur.*
Pſal.7. mea,& Pſal.7.Gloriam meam in puluerem deducat.Ea eſt non modo pompa nominis,ſeu vt dicunt,fama cum laude celebrata,volentes gloriam à laude ſeu fama diſcerni celebritate,quaſi gloria ſit claria à claritate dicta. Verum eſt,& ipſa augusta maieſtas rerum pulcherrimarum & maximarum,quas poſſidemus,& ex quibus tum iſta fama celebratur,tum nos ipſi gloriamur & ſu-
Matt.6. perbimus. Vnde Dominus Matt.6. Dico vobis,nec Salomon in omni gloria ſua veſtitus fuit,ſicut vnum ex iſtis.Quid hic gloriam niſi pompam & maieſtatem abundantiamq; rerum appellat,quibus Salomon erat celebratus apud *Gloria Salomonis.* omnes gentes? Vnde & in Ebræo,gloria à verbo venit,quod graueſcere ſigni-
Pſal.4. ficat,vt Pſal.4.vidimus.

Honor autem,quod hadar Ebræis ſonat,mirum quam varie & incon- *Honor.* ſtanter ſit paſſim verſum,Nunc pro decore,nunc pro honore, nunc pro pul-
Pſal.104. chritudine,nunc pro magnificentia,nunc pro ſplendore,nunc pro dignitate.
Pſal.96. Pſal.104.dicitur: Confeſſionem & decorem induiſti. Pſal.96. Confeſſio &
Pſal.45. pulchritudo. Quæ duo nomina Pſal.45.ſic redduntur:Specie tua & pulchri-
Pſal.145. tudine tua. Pſal.145 Magnificentiam gloriæ ſanctitatis tuæ. Pſal.110. In ſplen-
Pſal.110. *Prouer.14.* doribus ſanctorum. Prou.14.In multitudine populi dignitas Regis. Hæc omnia loca habent idem nomen,hadar,ſeu hædei,quæ ab eodẽ verbo veniunt. *Hadar.* hadar,quod,autore Reuchlino,ſignificat decorauit,honorauit,glorificauit.

Ex quibus ſequitur,Honorem hoc loco propriiſſime redditum Ebræo nomini,ſignificare pompam alteram magnatum,quæ conſiſtit in multitudine eorum,qui eos reuerenter ſuſpiciunt,adorant,ſubijciuntur,ſeruiunt,obſequuntur,aſſiſtunt. Hinc ſunt decor,ornamentum,ſplendor,magnificentia, pulchritudo,dignitas Regis. Vt gloria & honor ſint velut contrariæ pompæ,
Leuit.19. Gloria quod à rege exit & diuulgatur ad alios,Honor,quod ad eum,hac glo- *Gloria.* ria moti,multi veniunt & agnoſcunt.Ex hoc Leuit.19.dicitur: Honora perſo- *Honor.* nam ſenis.Et mutuo ſe augent hæ duæ pompæ. Gloria enim multos allicit,vt honorent,Allecti vero vt honorent,mox gloriam augent,Ideo canimus Deo gloria,& honor in ſecula ſeculorum,quod in ſempiternum augeatur & maneat.Sicut econtra duo illa mala quoq; ſe mutuo augent,quæ ſunt Enos & filius hominis,qui enim oblitus eſt Dei,& miſer ac triſtis factus,ſtatim & filius Adam deſeritur,quia de quo nihil dicitur,eundem & nemo honorat,Sicut in ſeipſum nihil eſt,ita ab omnibus deſeritur.

Coronaſti,metaphorice dicitur à corona,quæ vndiq; perfecta
1.Reg.23. eſt,& totum cingit,pro eo,quod eſt,circumdediſti eum 1.Reg.23.In modum
Pſal.5. coronæ cingebant Dauid & viros eius. Et Pſal.5.Scuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti nos. Igitur Chriſtus factus pro nobis Enos,deſperatus & afflictus *Chriſtus Dominus omnium.* vndiq; & in omnibus,Nunc habet omnium rerum imperium multa laude & fama celebratum,delectatus & ſecurus in omnibus,Factus filius Adam contemptus & inhonoratus,Nunc honoratur,adoratur,quæritur ab omnibus.Et qui minutus fuit ab omnibus, Nunc is vndiq; ex omni creatura cingitur, vt non ſit creatura quæ hunc ignoret,aut non honoret,Euangelium enim prædicatum eſt omni creaturæ in gloriam eius.

Rurſum in nomine eius omne genu flectitur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum. Iſta enim corona gloriæ & honoris, id eſt vniuerſæ creaturæ, nulli vnquam alteri conceſſa eſt neq; conceditur, Ex parte enim illi glorificantur & honorantur. Et nullus habet omnia niſi ille qui minutus eſt paululum ab omnibus, ex nulla parte gloriam & honorem habens, imo ex omni parte afflictionem & irreuerentiam, vt pro hoc merito coronetur in æternum gloria & honore. Verum iſta corona gloriæ & honoris nondum eſt completa, vt Paulus dicit 1. Cor. 15. Nunc autē nondum videmus ei omnia ſubiecta, oportet enim illum regnare, donec ponat omnes inimicos ſuos ſcabellum pedum ſuorum. Hoc agitur, ſcillicet vſq; ad extremum iudicium, interim manent, qui non glorificent nec honorificent eum, & coronæ huius plenitudini reſiſtant. Philip. 2.

Incompleta corona Chriſti. — *1. Cor. 15.*

Conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum: Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius.

Gloria & honor Chriſti.

SIc verſus iſte in Ebræo abſoluitur, in quo gloria & honor Chriſti exponitur. Gloria eſt, quod omnium rerum Dominus eſt. Atq; ita vides gloriam eſſe maieſtatem rerum poſſeſſarum, vt diximus. Honor eſt, omnia ei eſſe ſubiecta, omnia eum agnoſcere, ad eum conuerti, ex nutu eius pendere. Et ſatis pulchre aperteq; vtraq; pompa, tam gloriæ quam honoris, hoc verſu componitur, dum ſimul Dominus & ſubditi deſcribuntur per verba, conſtituiſti & ſubieciſti, quorum vno Dominus & gloria, altero ſubditi & honor monſtrantur. Eadem duo & Pſal. 45. ſic habentur, Alterum illo, Specie tua & pulchritudine tua, intende, proſpere, procede & regna, propter veritatem & manſuetudinem & iuſticiam, deducet te mirabiliter dextera tua. Alterum iſto, Sagittæ tuæ acutæ, populi ſub te cadent in corde inimicorum Regis. *Pſal. 45.*

Collatio Regum mundi ad Chriſtum.

Hic eſt ergo Princeps regum terræ, & Dominus dominantium. Confer eos huic Regi. Super quæ nam ſunt conſtituti? Certe ſuper opera manuum Dei, ſed nulli omnia ſubiecta ſub pedibus. Parum ſonat, opera manuum Dei ad ſenſuales illos Titulos regnorum, prouinciarum, populorum, & ſpectacula inſignium imaginum, monumentorum, quibus reges & principes mundi iactantur. Paruo titulo Chriſti regnum, & ſine inſignibus prædicatur infinitum & æternum: Opera, inquit, manuum tuarum. Non enim terræ aut cœli nomine potuerunt comprehendi, Quidquid enim creauit Deus, Chriſto ſubiectum eſt, vt 1. Cor. 15. Qui dixit omnia, nihil vtiq; excepit, præter eum, qui ſubiecit ei omnia. *1. Cor. 15.*

An autem fruſtra dixit: Omnia ſubieciſti, & tamen non dixit: Conſtituiſti eum ſuper omnia: Omiſit enim in ſubiectione, opera Dei, & in conſtitutione, omnia, cum tamen coniuncta vtrinq; velit intelligi? An in deteſtationem faſtus & ambitionis ſic loquitur? vt nec ille, cui vere omnia ſubiecta ſunt à Deo, titulum iactet ſe eſſe conſtitutum ſuper omnia, & maior ſit poſſeſſio quam titulus. Cum contra homines, non raro ſolis rerum titulis vehantur, rebus ſatis exiguis dominantes.

Homines ſolis rerum titulis vehuntur.

Illud certe Apoſtolico more penſandum eſt, quod Chriſtum deſcribit non ambiuiſſe hunc principatum, ſed à Deo conſtitutum, Vt diſceremus non aſſumere honorem, niſi vocati, ſicut Aaron, Ebræ. 5. Et quod mireris, tam ingens imperium Chriſto his verbis tribuitur, & tamen ambitio ſingulis pene ſyllabis coarguitur, nullum hic inflatum verbum, quemadmodum Decretā hominum ſolent dicere. Cuncta per mundum nobis &c. Et iura tam cœleſtis quam terreni imperij Petro clauigero ſuo commiſit. Sic tument Bullæ, inflatoq; rotant turgentia gutture verba. *Ebræ. 5.*

Bullarum tumor.

Hic autem, Conſtituiſti (inquit) & eum, & ſuper opera manuum tuarum.

Vide

Vide vt preſſis, verecundis, tenuibus, ſolidis tamen verbis, inæſtimabile regnum Chriſti tractat. Quanquam pro, conſtituiſti, in Ebræo habetur: Dominum feciſti. Quomodo Petrus Acto. 4. loquitur: Hunc Chriſtum & Dominum fecit &c. Sicut Soli, Gene. 1. dicitur, vt præſſet diei, ſeu vt Pſal. 136. Solem in poteſtatem diei.

Act. 4. Gene. 1 Pſal. 136.

Et pulchre opera manuum tuarum dicit, ſine omni ſpecie commendans poſſeſſionem Chriſti. Hominum enim mos eſt his tantum imperare & præeſſe, quæ digna, magna, multaq; ſunt, & omnino, ex quibus ipſi lucrum, honorem, voluptatemq; capiant, Ea quæ ſunt vilia, indigna, & quæ egeant ipſorum ope, vel opera, facile permittunt, vt alijs ſubſint. At Chriſtus omnium Dominus, quæcunq; opera Dei cenſentur, ſiue ſint infirma, egena, contempta, ſiue potentia, opulenta, honorata poſſidet, Non eſt Rex, qui perſonatum reſpectu captus regnet, ſed quidquid creatura Dei eſt, ſuum agnoſcit, ſine vlla differentia.

Poſſeſſio Chriſti omnis creatura Dei.

Regnum Chriſti.

Proinde Chriſti regnum tale eſt, vt non modo nulli alteri poſſit conferri, ſed & ſic conferri poſſet alteri, nullus queat reperiri, qui ſuſciperet. Nemo enim eſt eorum, qui vel ambitioſiſſimi ſunt, qui optet præeſſe infirmis, egenis, ignominioſis, & ex quibus nihil ſibi prouenire poſſit. Omnes enim offendit verbum hoc, Opera manuum Dei, & omnia, nec delectantur ſcire, quid iſta vocabula ſignificent..

Opera manuum Dei.

Ex his fuerunt & Pontifices olim, qui omnia ſibi arrogarunt, Sed non id quæſiuerunt, vt opera manuum Dei, & omnia regerent, ſed omnia quæ ſibi placerent, & quædam opera Dei, quæ ipſi elegerant, Cætera, quibus & prodeſſent, nihil curantes, quantumuis inter opera Dei, & omnia, cenſerentur. Puriſſimus ergo ſit oculus neceſſe eſt, & ab omni perſonæ ac laruæ ſpecie alieniſſimus, qui opera manuum Dei recte debet intelligere. In hoc enim nomine non differunt Papa & laicus, Imperator & mendicus, hoſtis & amicus, ſapiens & indoctus, ſanctus & peccator, ſanus & ægrotus, viuus & mortuus, idem Dominus omnium & æqualiter omnia ſunt illius.

Opera manuum Dei recte intelligere.

GAude ergo ô Chriſtiane, & quæcunq; te opus Dei eſſe agnoſcis, tibi hæc, & magno ſolatio, dicuntur, ſi credis vere Chriſtum eſſe ſuper omnia Dominum conſtitutum, Si enim inimici tui, vel à longe in te mala conſultant, in quem, rogo conſultant? In te, an in Chriſtum? Eius enim ſunt, & illi, & tu. Noli timere, ipſe præſens eſt illic & hic, videt quid contra te moliantur, & maiore cura ſuper te vigilat, quam tu ſuper teipſum.

An putas rem poſſeſſam habere poſſe ſuper ſe ipſam maiorem ſolicitudinem quam habet ipſe poſſeſſor? Quid aurum in area, vel peta pro ſe cogitat? Nonne paterfamilias areæ quoq; ei prouidet, & omni hora latronum & furum inſidias ſolicitus obſeruat? An aurum rapitur ſibijpſi, an poſſeſſori ſuo? Et fur utrum offendit grauius aurum, an poſſeſſorem? An putamus auarum hominem vri de rapina ſuarum rerum, & Chriſtum non vri de quacunq; læſione rerum ſuarum? Et quomodo obediet Patri ſubijcienti omnia ſub pedibus? Quod ſi te occidant, exutant, lædant, criminentur, eijciant (modo ſis ei tu ſubiectus) rogo cui damnum faciunt? cuius rem perdunt? tuam an Chriſti?

Conſolatio afflictorum pro veritate.

Væ incredulitati noſtræ, quod præ ſua impietate hæc ſolatia & tantam ſecuritatem non poteſt intelligere. Non enim deeſt protector, & poſſeſſor nobis, ſed deeſt fides quæ credat nos eſſe poſſeſſionem illius. Verbum enim maxime fidei audis, cum dicitur, Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.

Verbum maxime fidei.

Si dicis, metuo ne me perdat ipſe Dominus meus, cum ſim peccator magnus, nec meritus ab eo poſſideri hac felicitate. Non perdet te, ſi confitearis te eſſe ſuum, & eum eſſe Dominum tuum, Ipſius enim ſunt & ſancti & peccatores, &

Chriſtus Dominus & ſaluator ſanctorum expectatorum.

Philip. 2. *Rom. 10.*

tores,& omnia opera manuum Dei. Omnis lingua (inquit ad Phil. 2.) confiteatur, quod Ieſus eſt Dominus, & hoc ad gloriam Patris. Et Rom. 10. Si confeſſus fueris ore tuo, quod Ieſus eſt Dominus, & corde tuo credideris, quod Deus illum ſuſcitauit á mortuis, ſaluus eris. Hac (inquam) confeſſione & fide, ſi peccator es, non modo iuſtus, ſed & ſaluus eris, dicit hic Apoſtolus. Eos potius damnabit, qui cum ſui ſint, eum nolunt recipere in Dominum. Sicut Lucæ 19. dicit, Veruntamen inimicos meos illos, qui noluerunt me regnare ſuper ſe adducite huc, & interficite ante me. Hi enim nolunt & coguntur ei eſſe ſubiecti. Non enim habemus Regem, qui exactor ſit, ſed Saluator, potiſſimum eorum, qui oppreſſi ſunt, vel pœnis vel peccatis. Nam in his præter titulum operis Dei vix reliquum eſt, At opera Dei ſunt eius propria poſſeſſio.

Luc. 19.

Rex noſter non exactor, ſed ſaluator.

Non poteſt Chriſtus nos dimittere. *Sapient. 15.*

Quare ſi peccas & cadis, ne deſperes de Chriſto, non enim extra eius imperium rues, niſi deſieris eſſe opus Dei. Quod ſi imperium eius agnoſcis, & cum illo Sap. 15. ei dixeris, Etiamſi peccauerimus, tui ſumus, ſcientes magnitudinem tuam &c. non poteſt ipſe te dimittere, nec tu ſine fiducia miſericordiæ eius dimitti. Agnoſcet ipſe te ſuam poſſeſſionem, ſi agnoueris eum tu Dominum tuum. Nam hoc eſt, quod impijs Iſa. 1. exprobrat, Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe domini ſui, Iſrael autem Me non cognouit, & populus meus non intellexit. Igitur conſtitutus eſt nobis ſuper omnia, vt in omnibus nos poſſit iuuare, & ad eum nos queamus confugere, ſiue in peccatis, ſiue in morte, ſiue in vita, ſiue in iuſticia. Siue viuimus (inquit Rom. 14.) ſiue morimur, Domini ſumus. Nemo ſibi viuit, nemo ſibi moritur, Qui viuit, Domino viuit, qui moritur, Domino moritur.

Eſa. 1.

Semper confugiendum ad Chriſtum. *Rom. 14.*

Oues & boues vniuerſas, Inſuper & pecora campi:
Volucres cæli & piſces maris, qui perambulant ſemitas maris.

Gen. 1.

HI duo verſus occaſionem dediſſe videntur Interpreti noſtro, & alijs, vt de puro homine Pſalmum intelligerent, & Elohim, Angelos transferrent. In qua ſẽtentia ſunt & magni aliquot Patres, quod ex Gen. 1. cap. Homini formato Deus tria hæc animantium genera legitur ſubieciſſe. Et habent ſane pro hoc ſenſu non parum ſpeciei, Quod videlicet omnia illa ſubiecta videtur explicare Propheta, his verſibus, eſſe aliud nihil, quam beſtias terræ, cœli & maris, Neq; magnum videatur Chriſto tributum, ſi imperium harum beſtiarum ei tribuatur, quandoquidem & humani reges etiam hominibus præſint.

1. Cor. 15.

Scriptura eſt vnus ſimplex & conſtans ſenſus.

Verum fortiter obſtat Paulus, non modo ad Ebræos (ſi forte quis eam neget eſſe Pauli) Sed & 1. Cor. 15. Omnia, inquit, ſubiecit ſub pedibus eius. Cum autem Scripturæ & verbi Dei oporteat eſſe vnum, ſimplicem conſtantemque ſenſum, ne (vt dicunt) ſacris literis cæreum naſum faciamus, iuſtum eſt, Pauli ſenſum præferri omnium aliorum Patrum ſenſui, ſiue Ambroſij, Auguſtini, Athanaſij, Hieronymi.

Magiſter ſententiarum. Gratianus.

Quæ ideo dico, ne quis more Scholaſticorum doctorum ſtatim pro oraculo ſequatur, quidquid in aliquo illuſtrium Patrum legerit, vt quidam ſolent, qui hac ratione nobis Scripturam in meras lacinias ſenſuum ſecuerunt, vt tot ſententias prope habeamus, quod ſyllabas. Et neſcio probandum ne probandumue ſit ſtudium Magiſtri Sententiarum & Gratiani, quo egerunt, vt omnia omnium aſſueſceremus vorare, ſicut immunda animalia, nec findentes vngulam, nec ruminantes lingua, Id ſtudij enim, meo iudicio, fons eſt tot quæſtionum, opinionum, rationum & bellorum, quæ iam plus trecentis annis per Scholas graſſantur.

S. Patres.

Permittendi ſunt itaque S. Patres ſuo quandoque ſenſu abundare, & pro affectu ſuo in literis ſacris extra ordinem luxuriare. Sed Theologo puram

germa-

germanamq; intelligentiam ſerutanti, neceſſarium eſt, conſultis ipſis ſacris li-
1.Theſſ.5. teris de omnibus iudicare. Sicut Auguſtinus in multis locis docet. Et Paulus præcipit, Omnia probate, quod bonum eſt tenete.

Quare hi duo verſus non modo Chriſto parum tribuere videntur, ſed
Gen.1. etiam puro cuiq; homini, quando Gen.1. etiam dominium terræ ei tribuitur, & omnium arborum, herbarum, lignorum, quod hic ne Chriſto quidem tributum legimus. Et fateor, non nihil difficultatis locus habet. Auguſtinus cum ſuis ad Allegoriam fugit, ſed non effugit. Cum enim præmiſerit omnia, & opera manuum Dei, non conſtat ratio, cur ea explicaturus, ſolum oues & boues & piſces & volucres (ſiue iuſti ſiue peccatores per hæc Allegorice intelligantur) recenſeat. Non n. hi ſunt omnia illa, quæ Chriſto ſubiecta ſunt, ſed in omnibus eiſdem comprehenſa. Cur ergo præ cæteris explicantur? Cur non fuit ſatis dicere, omnia, & opera manuum Dei? Oportet n. oues, boues, volucres, piſces, pecora, hic ad literam intelligi. Ego confiteor meam ignorantiam, nec quid dicā habeo, Mouebo ramē alijs cogitationes, quando aliud non poſſum.

Quid ſi Propheta voluerit potiſſimum ea explicare, quæ puro homini ſunt ſubiecta, propter contenrioſos ceruicoſosq;, præſertim Iudæos, qui maxime omnium regno Chriſti reſiſtunt? Ne quis obgannire queat, Deum non
Gen.1. poſſe ſibiipſi contradicere, qui iam olim hæc (Gen.1.) ſubiecerit homini puro temporali ditione regenda. Ac per hunc Scripturæ prætextum, aut omnia Chriſto ſubiecta neget intelligi & illa, aut Chriſti vniuerſale dominium calumnietur. Erit ita preueniretur huic verſutiæ, Quod ſic ſunt omnia Chriſto ſubiecta, vt etiam ea, quæ olim hominibus ſubiecerit Deus, non modo nolit excepta, ſed vna cum hominibus eidem ſubiecta. Idq; adeo, vt ſi homines nolint Chriſto eſſe ſubiecti (ſicut ſunt in veritate) ſcirent tamen ea, quæ ipſis ſubiecta ſunt, ei ſubiecta, habereq; eum poteſtatem in omnia, quæ ſunt eorum, ſine vlla reſiſtentia, quantumlibet ipſi reſiſtant. *Contra Iudæos regno Chriſti reſiſtentes.* *Quomodo Chriſto ſunt omnia ſubiecta.*

Deinde non eſt vlla offenſio, quæ magis pugnet aduerſus fidem dominij Chriſti, quam ipſa impiorum, præſertim Regum & Magnatum, in his rebus homini olim datis, opulentia, vt neceſſarium fuerit, hæc proprie explicare Chriſto eſſe ſubiecta, ne quis ſcandalizatus non crederet, ſi videret impios, præſertim magnos, non ſubditos ei. Omnia enim alia facile eſt credere Chriſto ſubiecta, præter ea quæ impiorum ſunt. Hæc enim in poteſtate eorum ple-
Pſal.144. ne poſita videntur. De quo & Pſal.144. Boues eorum craſſæ, promptuaria eorum plena. Quaſi diceret Propheta, Ne offendare frater, quod omnia Chriſto ſubiecta eſſe dixi, cum in ſolis impijs eius inimicis videas contrarium, cæteros eum enim nihil viderur reſiſtere, Scito, quod & ipſorum quæcunq; habent, ſunt Chriſto ſubiecta.

Et ad hanc ſententiam iuuandam valet, ſi per Epithaſin eleues illud adiectiuum, Vniuerſas, Q.d. nihil eſt rerum, etiam rebellium impiorum, non tan-
1.Cor.15. tum ſponte ſubiectorum, quod non ſit ei ſubiectum. Et hoc Apoſtolus quoq; 1.Cor.15. queritur, dicens, Nondum videmus ei omnia ſubiecta, Q.d. ſunt omnia ſubiecta, ſed nondum impletum eſt, nec videmus, reſiſtentibus ſcilicet impijs. Quare volucres cœli, piſces maris, per Auxeſin additi ſunt. Ac ſi dicat, Omnia hominis ſūt ſubiecta Chriſto, ſiue quæ ipſe poſſidet, ſiue quæ ei Gen.1.
Gen.1. ſubiecta ſunt, ipſe eſt Dominus omnium. *Etiam quæ impij poſſident, Chriſto ſubiecta ſunt.*

Nec id forte nimio abhorrebit, ſi quis & alteram fiduciam Iudæorū proſterni hoc verſu putauerit, quæ fuit, Quod ſacrificijs & holocauſtis animalium, velut ſuis rebus Deo ſeruire ſe credebant. Sicut S. Stephanus
Act.7. Act.7. eos refellit ex Iſa.66. q ei templum ædificare præſumerent, cum ipſius
Iſa.66. iam eſſent omnia, ex quibus templum eſſet extruendū. Ita & hic liceat opinari, quando Propheta nouū Regem ſola gloria & honore colendū docet, non *Fiducia Iudæorum in ſacrificijs &c.*

 eſſe, quod

eſſe, quod præſumant ſeſe animalibus occiſis ei ſeruituros, Cui enim ſunt omnia ſubiecta, etiam oues & boues, & omnia quæ homini vnquam data ſunt, ſubiecta ſunt.

Locus ex Pſal. 50.

Quid ergo dare potuerunt illi, cuius ſunt omnia quæ habent? Similem enim eorum fiduciam & ſimili cauſa, ſimiliq; ſententia damnat, & Pſal 50. Non in ſacrificijs tuis arguam te, id eſt, non eſt mihi aduerſus te cauſa propter ſacrificia tua. Quare? Quia holocauſta tua in conſpectu meo ſunt ſemper, id eſt, non eſt quod ea mihi offeras, iam ſunt enim coram me. Non accipiam de domo tua vitulos, nec de gregibus tuis hircos, quoniam meæ ſunt omnes feræ ſyluarum, beſtiæ in montibus millium, Cognoui omnia volatilia cœli, & vniuerſitas agri meeum eſt. Si eſuriero, non dicam tibi, Meus enim eſt orbis terræ, & plenitudo eius, Nunquid manducabo carnes taurorum? aut ſanguinem hircorum potabo? Tunc ſequitur verus cultus, Immola Deo ſacrificium laudis, & redde Altiſſimo vota tua. Inuoca me in die tribulationis, & eruam te, & honorificabis me. Et in fine: Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter quo oſtendam illi ſalutare Dei.

Verus cultus Dei.

Vide, an ne hic Aſaph hunc Pſalmum fere totum ex hoc Pſalmo 8. ſuxerit? De laude enim Dei in tribulationibus agit (ſicut hic Pſalmus) contemptis ſacrificijs pecorum, quæ Dei potius dicit eſſe, quam hominum, quibus Gen. 1. data ſunt, vt ſcilicet & hic omnia Chriſti eſſe ſcirent, nec poſſe amplius ei ſeruiri ijs, quæ illi ſua eſſe putent. *Gen. 1.*

Chriſto omnia eſſe ſubiecta.

ADijciamus & de ſuperſtitione aliquid, ac libertate Chriſtiana, Quando enim generalis eſt hæc ſententia, Chriſto omnia eſſe ſubiecta, & poſt legem promulgata, neceſſe eſt, vt regulet omnia particularia, temperetq; vniuerſa legis præcedentis edicta. Quare nō ſolum pro ſedando ſcandalo, quod impiorum opulentia ſtatuit, nec tantum pro tollenda fiducia, quam legis donatio & ſacrificia in rebus iſtis donatis inflant, Sed etiam pro vendicanda libertate ſpiritus, quam legis cæremoniæ æque ſtulta fiducia, aut infeliciore conſcientia opprimebant. Debuit Imperium Chriſti pronunciari, & valere credi. Siquidem cæremoniæ legis potiſſimum conſtiterunt in animalium differentia, in victus, veſtitus, locorum, aquarum, regionum, cœli, & omnino in rebus hiſce, quæ homini ſubiecta ſunt, Gene. 1.

Contra ſuperſtitionem pro Chriſtiana libertate vendicanda.

In hanc rem Apoſtolus quoq; 1. Cor. 10. cum pro libertate Chriſtiana aduerſus cæremonias, dixiſſet, omne quod venit (id eſt, venditur) in macello, manducate, nihil interrogantes propter conſcientiā. Subdit pro cauſa generaliſſimam ſententiam ex Pſal. 24. dicens: Domini enim eſt terra, & plenitudo eius. Ita & hic videtur generalem ſententiam dominij Chriſti aduerſus pertinaciam cæremonialem Iudæorum torſiſſe Propheta, vt ſub Chriſto, cui omnia ſubiecta ſunt, omnia libera eſſe doceret & licita, ſiue malint piſces, oues, boues, volucres comedere, ſiue abſtinere, Dominus eſt (inquit ipſe Chriſtus Marc. 2.) Filius hominis, etiam ſabbati. Quare Dominus? niſi vt in arbitrio eius ſint omnia. Quare Dominus animalium & beſtiarum terræ, maris cœli? Niſi vt in arbitrio eius ſint omnia. Ita ſub Chriſto omnia poſſidente, libera, licitaq; ſunt omnia, quæ in cœlo, terra, mari ſunt. In quibus tamen hodie maior eſt per hominum Decreta captiuitas, quam vnquam olim ſub lege fuit. *1. Cor. 10.* *Pſal. 24.* *Marc. 2.*

Credentibus in Chriſtum omnia ſunt libera & licita.

Hæc omnia ſub cuiuſq; iudicium relata dictaq; volo. Ex quibus (ſi vera ſunt) & hi duo verſus clara ſunt, & ratio aperta eſt, cur potiſſimum has res ex omnibus explicarit, Quod conueniebat liberrimo omnium imperio Chriſti omnia libera aſſerere, tutaq; facere, & nos in eo recte inſtituere.

Pecora campi.

Id reliquum eſt, Quod vbi nos pecora campi, aptius Ebræus Bahemoth ſchadai, Id eſt, beſtias agri, habet, Pecora enim latine, domeſtica animalia

ſignifi-

ſignificant,quæ per oues& boues ſatis expreſſerat. Et vbi nos habemus: Qui perambulant ſemitas maris,videturEbræus nó de piſcibus ſonare,ſed de alijs, quæcunq; verſantur in mari. Geminam enim inductionem hi duo verſus videntur mihi continere in hunc modum,prior,Oues & boues vniuerſas, inſuper& quidquid animalium verſatur in agris. Poſterior, Volucres cœli &
piſces maris,& quidquid verſatur in ſemitis marium. Vbi id obſeruabis, quod
Gen. 1. ex Geneſi volatilia & aquatilia omnia,ex aquis producta ſcribuntur,Ideo volucres cœli cum piſcibus maris,inductione poſteriore coniungit.

Quærat autem quiſpiam,Cur ſemitas maris tribuant piſcibus, *Semitæ mari.*
& ijs,qui in eo verſantur,cũ nihil minus in mari quam ſemitæ,ſicut & in aere, appareat? Forte,quod mare totum ſit peruium,in quo quælibet beſtia ſuum iter faciat, & tamen nunquam communis & regia via perſeueret,neq; eadem via ſæpius ibi teratur. Verum hæc leuicula.

Habemus itaq; Chriſtum paſſum,coronatum.prædicatum ac creditum *Cultus Chriſti legitimus.*
in hoc Pſalmo deſcriptum egregie,quem Titulus torculari ſuo nobis indicauit à principio. Ideo,vt denuo inculcet eius legitimum cultum,qui alius non eſt,quam fides,laus,prædicatio,confeſſio,repetit verſum primum, dicens;

Domine Dominus noſter,quam admirabile eſt Nomen
tuum in vniuerſa terra.

MAgnum eſt enim & arduum, hunc Enos & filium Adam, credere tantæ & gloriæ & dignitatis eſſe, Ideo repetendum,& aſſidue id inculcandum monet. Stat enim ſententia,Deum eſſe memorem viſitatorem,coronatorem,Sed eorum duntaxat,qui obliuione, ignominia, ſolitudine ſunt extreme in nihilum redacti Qualem enim exaltaſſe Chriſtum hoc
Pſal 34. Pſalmo ſcribitur,tales & ſemper exaltaturus eodem exemplo cognoſci voluit. In quo ſatis demonſtrauit,in quos nam oculi ſui ſint aperti & firmati, Nempe oculi Domini ſuper iuſtos (id eſt,eos, qui ſunt nihil in hac vita,tam ſibi quam hominibus)qui humilia reſpicit in cœlo & in terra Atq; hæc ipſa miſericordia eius facit,vt magnum ſit Nomen eius in vniuerſa terra. *Oculi Domini aperti in eos,qui ſunt nihil in hac vita.*

PSALMVS IX.

Ad victoriam,pro occultis filij,Pſalmus Dauid.

QVanta,bone Deus, eſt huius tituli exponendi varietas Alius mortem Abſolom,alius mortemGoliath,alius inſtrumentum muſicum,alius iudicium Dei occultum,alius iuuentutem,alius cantorem Pſalmi,alius aliud intelligit. De quibus omnibus,qui volet,Lyram,Burgenſem & Reuchlin videat.

Ego,quantum ex ſcopo Pſalmi capere poſſum, ſequar Burgenſis titulum,non interpretationem,qui dicit, Almuth,quod pro occultis transfertur,ebraice iuuentutem ſignificare. Eſt enim Pſalmus iſte omnino *Scopus huius Pſalmi.*
generalis quædam gratiarum actio,exultatio,exhortatio,oratio plena iucundis affectibus,de victis vincendisq; aſſidue inimicis,quæ non poſſit conuenire, niſi populo in medio inimicorum agenti, pugnanti,vincenti, triumphanti, tam de præteritis,quã præſentibus & futuris loquenti. Quare de populo Chriſti,præſertim Martyribus,& eorum perſona, Pſalmum eſſe dictum, non dubito. Quod vt aliquantulum demonſtremus,Titulum Ebraicum, tractemus, qui ſic habet.

Lamnazeah Almuth laben, Miſmor le Dauid, Lamnazeah ad victoriam ſonat, ſatis expoſitum ſupra. Miſmor le Dauid, Pſalmus Dauid. Reliquum eſt Almuth laben. Si Almuth cum Hieronymo diuidas in duas dictiones (quod Lyra negat) ſonat ſuper mortem, ſeu ad mortem. Et hinc alij mortem Goliath, alij Abſolom, hic ſomniant. Si vnam dictionem ſerues, eſt nomen abſtractiuum à verbo Alam, quod abſcondit ſignificat, A quo verbo Adoleſcens & Adoleſcentula vocantur, Elem & Alma, Quod in tabernaculis & abſcondito educarentur, cum periculoſiſſimum ſit teneram ætatem vagari in mundo, & illecebris exponi. Inde & Almuth iuuentutem, adoleſcentiam, & eam ſcilicet ætatem ſignificat, quæ hac ratione abſconditur, & in occultis religioſe educatur. Sic Iacob ſcribitur, vir ſimplex, morans in tabernaculis, Gene. 25. Contra, Eſau vir gnatus venandi & agricola. Atq; ab hac conſuetudine obtinuit vſus, vt adoleſcentulæ vocentur Ebraice Almoth (id eſt, abſconditæ) vt Iſa. 7. Ecce Almoth concipiet.

Almuth. *Alam.* *Alma.* *Almuth.* *Iacob.* *Eſau.* *Almoth.* *Gen. 25.* *Iſa 7.*

Dauid autem dedita opera hoc titulo prodigioſam iuuentutem ſignat, dum iuuentutem Laben, id eſt, filij ſeu filio, ſignat, Cum adoleſcentes ſeu adoleſcentulas habere ſit Patris, aut Aui, aut ad ſummum Fratris, ſiue tutoris cuiuſpiam. Quis eſt enim filius, qui vt filius poſſit dici habere adoleſcentes & adoleſcentulas, quos in abſcondito erudiat & educet? Proinde Chriſtum manifeſte indicat, qui nouo miraculo carnalem generationem ſua natiuitate finiens, Filius tantum eſt, nullius ſecundum carnem Pater, & tamen ſpiritualem generationem, noua per baptiſmum natiuitate incipiens, Pater eſt, multorum filiorum & filiarum, quos in abſcondito fidei educat, erudiens, ne ſapiant ea quæ patent, ſed ea quæ latent. Sicut Pſal. 31. Abſcondes eos in abſcondito faciei tuæ, à conturbatione hominum. *Pſal 31.*

Quare vero ſimillus eſt Almoth vtroq; ſignificatu in vnum coacto, ſignificare nouam creaturam Euangelij, prolem gratiæ, iuuentutem Baptiſmi, populum noui Teſtamenti, ac vere abſconditas filij, id eſt, fideles & obedientes Chriſti, quorum vita ſub morte, ſalus ſub cruce, gloria ſub ignominia latet. Sic enim abſcondit eos mundo, quos Dauid vir plenus ſpiritu, concepit, ſignificari adoleſcentibus & adoleſcentulis, domi & abſcondite educatos.

Almoth. *Fideles Chriſti.*

Eſt enim & hæc inter cætera Iudaici populi laus, quod à mercatorum & negotiatorum ſtudijs ſemper fuit alienus, ſuis ac domeſticis contentus prouentibus, ſicut & Patres eorum. Quandoquidem, vt Polytropi illi, & vagabundi homines, multorum quidem hominum vident mores & vrbes, ciuileſque (vti putant) & vrbani redduntur, Ita multorum quoq; peſſimorum exempla, & hauriunt & inchoant alijs, quod Corinthus, Syracuſa, Tyrus, Alexandria ſatis probauerunt, vt Romam taceam, Et adhuc probant in hodiernum diem, emporia famatiora, Vt non iniuria Cananæos (id eſt negotiatores) potiſſimum de terra expulerit Deus, Satis ciuilis eſt, qui legem Dei ſui nouerit, & Deo pure ſeruierit, ad quod maxime opus eſt, præſertim adoleſcentioribus, ſeceſſu abſcondito, & fuga hominum. Gentilis ille ait: Quoties inter homines fui, minor tedij. Et ille, Amici fures temporis, Ac diuus Bernhardus, Nunquam minus ſolus ſum, quam dum ſolus ſum. Non quod velim ætatem iſtam ſolitudini deputate, cum & exemplis horrendis & illuſtrium Patrum autoritate probatum ſit, ſolitudine nihil periculoſius eſſe adoleſcentiori ætati: Rurſus idem periculum conuerſatio turbæ.

Laus Iudæorum. *Mercatorum præconium.* *Emporia.* *Ciuile vere, qui ſit.* *Solitudo & turba periculoſa Adoleſcentibus.*

Quid ergo? Hoc conſultum eſt, vt Magiſtrum domeſticum ac familiarem habeat, ſub cuius conſpectum omnia dicat, faciat, omittat in timore. Atq; id demum eſt, Almuth eſſe, id eſt, domi bene inſtitui, tum vbi inſtituta fuerit, & foras in officium vocatur regendi populi, tum illud præſtet affectu,

quod

quod prius effectu, tum ſit Almuth in ſpiritu, quæ fuit Almuth in litera iam per ſeipſā ea quæ patent contemnens, & contemnere docens, quæ huc vſq; alterius magiſterio contempſit, imo contemnere docta eſt. In hanc Almuth olim inſtituta ſunt monaſteria & vniuerſalia ſtudia. *Cur olim monaſteria ſint inſtituta.*

Neq; hoc abiecero, quod abſcondita iſta, non modo intelligantur pro parte iſta Eccleſiæ, ſed etiam contraria inimicorum, Quod videlicet decantet, non ſolum populi ſpiritualis & abſconditi ſtatum & opus, ſed & ſpiritualem, & quæ in abſcondito contingit victoriam de inimicis, quod illi ſpiritualiter pugnent, & hi ſpiritualiter vincantur, quo impleantur figuræ bellorum veteris Teſtamenti, vbi corporaliter cæſi fuerunt inimici, quia ibi erat aperta ſerui, id eſt, Moſi figuralis & externa facies, populi, belli victoriæ, ſicut hic abſcondita filij, id eſt, ſpiritualis, & interna plenitudo populi belli, victoriæ.

Eſto itaq; Almuth populus Chriſti, cuius vita abſcondita eſt cum Chriſto in Deo, qui non ambulat in his quæ patent, ſed ab his qui ſic ambulant multa patitur, & victor in omnibus hæc ſuo Chriſto cantat, de inimicis ſuis in abſcondito & ſpirituali bello victis, vt vtrinq; ſint abſcondita, tam apud victos, quam victores, vtriq; in ſpiritu agentes. *Almuth.*

COnfitebor tibi Domine in toto corde meo, narrabo omnia mirabilia tua.

Lætabor & exultabo in te, Pſallam nomini tuo Altiſſime.

ORdinem Pſalmorum à primo vſq; ad octauum dedimus Pſalmo ſexto. Tentandum forte nunc quoq;, qua ratione octauus ſequatur ſeptimum, & hic nonus octauum.

Manifeſtum eſt autem, ſeptem priores Pſalmos eſſe paſſionum & tribulationum tam Chriſti capitis, quam Chriſtianorum membrorum deſcriptiones, inter quos nullus eſt, qui laudibus & confeſſionibus geſtiat: Octauus enim primus omnium incipit nomen, laudem, gloriam, honorem exultare, nec habet vllam querelam, nec agit cauſam cum aduerſarijs, Sed fructum paſſionis præcedentium Summario colligit, Recitans, quam nihil promoueant perſecutores, & quam feliciter habeat paſſus, Atq; id vt in capite omnium patientium Chriſto inchoaret, optime conueniebat. Ideo optimo ordine octauus & poſt tribulationum Pſalmos ſequitur, & Chriſtum canit loco primo, inter gaudentes & paſſionum victores. Oportet enim tribulatos interdum conſolari, vt poſſint ſuſtinere, Ideo & Pſalmos nunc lætos, nunc triſtes, vario ordine miſceri, vt hæc ipſa diuerſorum Pſalmorum mixtura, & confuſa ordinatio (ſicuti putatur) exemplar eſſet vitæ Chriſtianæ, quæ inter varias tribulationes mundi, & conſolationes Dei exercetur. *Scopus Pſalmi octaui.* *Ordo Pſalmorum quis ſit …*

Inchoata itaque lætitia Pſalmo octauo Chriſti capitis, omnium paſſionum victoris, recte ſubſequitur hoc nono, & corporis ſui Eccleſiæ lætitia, de ſuarum quoque tribulationum victoria, vt quem ſecuta eſt Pſalmis præcedentibus via paſſionis, eius ſit & ſocia conſolationis, exemplo & (vt dicitur) velut digito monſtratura, confirmaturaque, id quod Pſalmo præcedente dictum eſt, Ex ore infantium & lactentium perfeciſti virtutem, propter aduerſarios tuos, vt deſtruas inimicum & vltorem. Pergit, inquam, oſtendere hanc virtutem oris infantulis, & Chriſtum ſuper omnia conſtitutum, Vt non inepte hunc Pſalmum queas præcedentis exemplum exiſtimare expreſſum, cum in eo aduerſariorum, inimicorum, & vltorum deſtructio, & magnificatio nominis ac laudis Dei ſic tractetur, vt aliud fere nihil tractetur. Quia enim Dauid virtutem ex ore infantium perficiendam cognouiſſe cernitur *Scopus noni Pſalmi.* *Eccleſiæ conſolatio.* *Hic Pſalmus exemplum expreſſum præcedentis.*

Pſalmo

Pſalmo 8. Nunc me ſine mente ſonum dediſſe putaretur (vt Montanus Pro- *Pſal.8.*
phetas incuſat) oſtendit ſe noſſe quoq; rem, & vniuerſum negotium eius vir-
tutis.

Verba iſta, *Confitebor & pſallam*, Pſalmo 7. verſu vltimo illo, Confitebor
Domino ſecundum iuſticiam eius, & pſallam nomini Domini altiſſimi, ſatis
expoſita ſunt. Lætabor & exultabo, Pſal. 5. vbi dicitur, Et lætabuntur omnes & *Pſal.5.*
gloriabuntur in te omnes. Quod enim hic exultabo, illic eiuſdem verbi futu-
ro gloriabuntur dixit. Porro Hieronymus illic laudauit, hic gaudebo reddi-
dit. Tanta eſt difficultas vbique conſtare ſibi interpretem. Atque quod illic
facturum ſe in media tribulatione pollicetur, hic liberatus, profuſo gandio fa-
cit. Tribulatus enim ſola Dei laude ſuſtentatur, quam finito malo reddat. Si-
cut dicit Pſalmo 42. Quare triſtis es anima mea? & quare conturbas me? Spera *Pſal.42.*
in Deo, quoniam adhuc confitebor illi ſalutare vultus mei. Et ibidem, Quo-
niam tranſibo in locum tabernaculi admirabilis, vſque ad domum Dei, in vo-
ce exultationis & confeſſionis, ſonus epulantis. Nec moueat quod verbis fu-
turis vtitur in rem præſentem, ita enim moris eſt, narraturis, cantaturis, actu-
ris, vt dicant, Cantabo, dicam, faciam &c. cum iam incipiant.

Iucundiſſimi affectibus exuberant veri laudatores Dei.

Vide ergo, qui confiteri, narrare, lætari, exultare, pſallere ſe dicit, quanto
æſtu & cumulo iucundiſſimorum prorumpit affectuum, & emphaticus eſt to-
tus. Non ſimpliciter dicit Confitebor, ſed in corde, & toto corde. Nec ſimpli-
citer iam narrat opera, ſed mirabilia Dei, eaq; omnia, Adeo geſtit (ſicut Iohan-
nes in vtero) & exultat ſpiritus eius in Deo ſalutari ſuo, qui fecerit ei magna, & *Luc.1.*

Mirabilia Dei Scopus huius Pſalmi.

mirabilia illa, quæ ſequuntur. In quo verbo certe argumentum huius Pſalmi
aperitur, ſcilicet, quod mirabilia Dei canit. Mirabilia vero, quod per eos, qui
nihil ſunt, conuertit eos, qui omnia ſunt, & per Almuth in fide abſcondita vi-
uentes, mundo mortuos, humiliat eos, qui in gloria florent, mundo ſpectabi-
les, tam magna faciens ſine vi, ſine armis, ſine opere, ſed ſola cruce & ſan-
guine.

Illud quod omnia mirabilia dicit ſe narraturum, quomodo conuenlet *Hiob.9.*
cum illo Hiob. 9 qui facit mirabilia & inſcrutabilia, quorum non eſt nume-
rus? Aut quis enarret omnia mirabilia Dei? Dicemus hoc hyperbolico illo af- *Pſal.6.*
fectu dici, quo Pſalmo 6. dictum eſt, Lauabo per ſingulas noctes lectum me-
um. Quod videlicet tantus ei ſit ardor in Dei magnalia, vt quantum eſt in vo-

Amor ſine fine & modo.

tis, omnia velit, etiamſi non poſſit enarrare. Amor enim non habet modum
neq; finem, 1. Cor. 13. Charitas omnia credit, omnia ſuffert, omnia ſuſtinet, Sic
& omnia poteſt, & facit, Deus autem ſpirituum ponderator eſt. *1.Cor.13.*

Poteſt etiam fieri quod ideo omnia dixerit, Quia ſolum opera Dei pro-
ponat cantare, & aliud nihil, iuxta illud Pſalmi 51. Docebo iniquos vias tuas,
& Pſal. 17. Vt non loquatur os meum opera hominum. Narrabo itaq; omnia *Pſal.51.*
mirabilia, id eſt, quidquid narrauero, deinceps tua mirabilia erunt. Eodem tro- *Pſal.17.*
po Pſal. 6. audiuimus dici, Inueteraui inter omnes inimicos meos, id eſt, eos *Pſal.6.*
qui ſunt omnes inimici mei.

In toto corde. Ex ſuperioribus intelligendum relinquo. Sunt enim (vt *Pſal.12.78.*
Pſal. 12. dicetur) qui loquantur corde & corde, id eſt, duplici, diuiſoq; corde, *55.*
vt qui Deo confitentur, donec benefecerit eis. Alij vero lingua quoq; menti-
ti ſunt ei, & cor eorum non fuit rectum, Pſalmo 78. Qui & loquuntur pacem
cum proximo ſuo, mala autem in cordibus eorum. Viri ſanguinum & doloſi.

Toto corde confiteri Domino.

His nunquam contigit, vt mirabilia Dei cognoſcant, nedum aliquando enar-
rent. Igitur toto corde confitetur Domino, qui neq; in proſperis ſeipſum ia-
ctat, nec in aduerſis contra Deum murmurat, vtrobiq; æquabilis in ſyncera
laude Dei, quod niſi cum Chriſto crucifixis, & paſſiones expertis, non eſt poſ-
ſibile.

In con-

In conuertendo inimicum meum retrorſum, infirmabuntur & peribunt à facie tua.

HIc incipit mirabilia Dei enarrare, ſcilicet, inimicorum conuerſiones. Satis iam ſuperq́; commendata eſt figura Ebrææ linguæ omnium frequentiſſima Synecdoche, quam alij ſingulare pro plurali, alij col- *Synecdoche.*
lectiuum pro diſtributiuo vocant. In conuertendo (inquit) inimicum & mox infirmabuntur, ſcilicet, idem inimicus ſeu inimici. Deinde, quod grammaticos offendit. In conuertendo inimicum, in ſecunda perſona reddi poterat, Dum conuertes. aut conuertiſti inimicum meum, ſic enim cœpit, & proſequitur in ſecunda perſona Pſalmum.

Heroicis autem & militaribus verbis vtitur, vt poſſit rudibus videri de carnalibus bellis & inimicis loqui, dum inimicos commemorat. Deinde retro fugatos, infirmatos quoq; & occiſos, perditoſq́;. Verum hæc omnia (vt Auguſt. hoc loco ait) beneficium non pœna, & tantum beneficium, vt huic comparari nihil poſſit.

Ego autem conuerſionem retrorſum, ſimpliciore ſenſu intelligo aliud nihil, quam fugam inimicorum, qua verſo dorſo reuertuntur vnde venerant. *Deus ſolo reſpectu*
Exod. 14. Sicut Exod. 14. dixerunt Aegyptij, Fugiamus Iſraelem. Dominus enim pu- *ſuo perdidit Ae-*
gnat pro eis contra nos. Qui locus, vel exemplum, vel ſpeculum fuit, quo Pro- *gyptios.*
pheta erudiretur ad hanc Prophetiam formandam. Nulla enim vi hominum, nullis armis, ſed ſolo reſpectu ſuo Aegyptios perdidit. Sicut ibidem dicit: Reſpiciens Dominus ſuper caſtra Aegyptiorum per columnam ignis, interfecit exercitum eorum, & ſubuertit rotas curruum, ferebanturq́; in profundum.
Pſal. 104. Sic Pſal. 104. Qui reſpicit terram, & facit eam tremere. Abacuc 3. Aſpexit &
Abac. 3. diſſoluit gentes, & contriti ſunt montes ſeculi. Et Pſal. 97. Montes ſicut cera
Pſal. 97. fluxerunt à facie Domini, à facie Dominatoris vniuerſæ terræ.

Ita quod & hic dicit, A facie tua, tollit ſuſpitionem armorum & virium carnalium, quibus homines confidunt & pugnant. Vt omnino ſpirituali vir- *Virtute ſpiritus*
tute, atq; de cœlo intelligantur, fuga, impotentia, & caſus inimicorum Eccle- *hoſtes Eccleſiæ fugandi.*
ſiæ, prouenire, Sicut & Iud. 5. De cœlo pugnatum eſt contra eos, ſtellæ ma- *Siſara, Iud. 5.*
nentes in ordine ſuo, aduerſus Siſaram pugnauerunt. Niſi quod hoc Pſalmo, non corporalis, vt in illis figuris contigit, ſed ſpiritualis fuga, infirmitas, caſuſque inimicorum deſcribitur, vt dixi, De plenitudine enim loquitur, & abſconditis figurarum.

Quæ eſt ergo fuga ſpiritualis inimicorum? quæ debilitatio? quis interitus? *Fuga ſpiritualis inimicorum.*
E ſpectro illo hoſtium cadentium nobis liceat ea capere. Primum eſt fuga, deinde impotentia quod à verbo ruere in Ebræo venit. Vt ſit lapſus, quo hoſtes fugientes & cæci cadunt ac moriuntur. Vltimo, perditio & interitus quo omnino deſinunt eſſe, vt nec eorum memoria ſuperſit. Quibus omnibus nihil aliud quam conuerſio & iuſtificatio impiorum deſcribitur. Fuga enim
terror eſt, & amiſſa fiducia conſcientiæ, agnitio peccati, virtus legis cognita, *Fuga.*
Quam ſequitur mox debilitatio, lapſus, tumultus, & feliciſſima cædes. quam
nos contritionẽ vocamus, odium ſcilicet peccati, ac iam mors ipſa malorum *Debilitatio.*
affectuum, Tunc n. mox diſplicent, quæ placuerunt & placent, quæ diſplicuerunt, cedimus & damus terga, his quæ prius infenſata fronte perſequebamur.

Poſt hæc ſequitur abolitio penitus & perditio, quando conuerſa per *Interitus.*
gratiam Dei voluntas, ne ſignum quidem prioris vitæ reliquum in nobis eſt, ambulantibus ſcilicet in nouitate vitæ, ſecundum virtutem reſurrectionis
Rom. 6. Ieſu Chriſti, vt Rom. 6. docet Apoſtolus, Vt hæc exemplo ipſius eiuſdem A-
poſtoli liceat cernere, qui inimicus Eccleſiæ acerrimus, & fugiens, repenteque *Conuerſio Pauli.*
infirmatus dixit, Domine, quid me vis facere? Tandem perditus omnino,

adeo nihil reliquum habuit inimicitiæ, vt ſummis viribus pro Eccleſia Dei præ cæteris abundantius laboraret.

Verbo Dei ſternuntur impij. Verum, quibus viribus hæc victoria paritur, ſignat, cum dicit, A facie tua. In quo tangitur officium verbi, per quod reuelatur diuina voluntas, indicium, miſericordia & cæ. de quibus ſtatim dicet. Non enim alia re, quam ſolo verbo Dei, iſta fuga, debilitatio, perditio impiorum perficitur, in quo reuelatur gloria Domini, cui ſi cooperatus fuerit Deus, & ſeſe cordibus impiorum *Facies Domini conuertit peccatores.* per incrementum notum fecerit, ſequitur hæc victoria. Ideo non fruſtra voluit magis, A facie tua dicere, quam vlla alia re, aut verbo, vt incrementum verbi efficax oſtenderet. Quis enim à facie Apoſtolorum conuerteretur, cum eſſent in perſona contemptibiles.

Quot vero audiunt verbum Dei, qui perdurant tamen in impietate ſua? At vbi facies Domini ipſa reuelata fuerit per ſpiritum intus docentem, ibi conuerſio retrorſum, infirmatio, perditio ſimul ſequuntur, Sicut Iſaiæ 5. dicit, *Iſa. 5.*
Rugitus eius vt leonis, rugiet vt catuli leonum, & frendet, & tenebit prædam, *Mich. 5.*
& amplexabitur, & non erit qui eruat. Et Mich. 5. Et erunt reliquiæ Iacob in gentibus, in medio populorum multorum, quaſi Leo in iumentis ſyluarum, & quaſi catulus Leonis in gregibus pecorum, qui cum tranſierit & conculcauerit & cœperit, non eſt qui eruat, & exaltabitur manus tua ſuper hoſtes tuos, & omnes inimici tui interibunt.

Quare ſynceriſſima gratitudine Almuth iſta hæc mirabilia non ſibi ſed ſoli Deo tribuit, & ſi miniſterio ſuo cooperata ſit, non tamen à verbo ſuo, ſed à facie Dei perfecta dicit. Sicut & Paul. 1. Cor. 3. Neq; qui plantat, neq; qui ri- *1. Cor. 13.*
gat, aliquid eſt, ſed qui incrementum dat Deus, Dei cooperatores ſumus.

Cur autem in futuro loquitur, fugabis, infirmabis, perdes, cum de præteritis glorietur & confiteatur? Forte vt ſimpliciter dicamus, quia Prophetiam de futuris texit, ideo & futuris mixtim & præteritis verbis vtitur, vt eſt mos conſtans fere omnium Prophetarum, præſertim Pſalmographorum. Cum reue- *Inimici Eccleſiæ.* ra, res ita geratur ab initio, quod Eccleſiæ inimici & vincuntur & victi ſunt & vincentur. Atq; ita ſtet, quod verbum Domini manet in æternum, & veritas eius in ſeculum ſeculi, omniumq; ſeculorum hominibus conueniat, ſemper idem operans, ſed in noui Teſtamenti exordio abundantius.

Perſonarum comparatio, Eccleſiæ & inimicorum eius. Adde adhuc vnum, vt perſonarum differentiam obſerues, Almuth, & inimicorum eius, Scilicet illam eſſe infirmam, ſtultam, contemptam, Hos autem eſſe potentes, ſapientes, honoratos, & omnino montes mundi. Vt ex Aba- *Abacuc 3*
cuc 3. diximus, Aſpexit, diſſoluit gentes, & contriti ſunt montes ſeculi. Incuruati ſunt colles mundi ab itineribus æternitatis eius, id eſt mundi eius. Hoc eſt,
(vt Iſa. 40.) Omnis mons & collis humiliabitur, ſeu, vt eiuſdem 2. clarius di- *Eſaiæ 40.*
cit, Et incuruabitur omnis ſublimitas hominum, & humiliabitur altitudo virorum, & eleuabitur Dominus ſolus in die illa. Et Pſal. 104. Tangit montes *Pſal. 104.*
& fumigabunt.

Hanc (inquam) perſonarum comparationem niſi obſerues, non ſatis in- *Mirabile maximum.* telliges quæ ſint mirabilia, quæ narraturum ſe dixit. Quid enim mirabilius, quam vt Petrus indoctus, idiota & piſcator, conuerteret Principes ſacerdotum, Phariſæos, deinde Reges gentium, atq; adeo ipſam Romam, quam in flore magnitudinis & virtutis ſuæ aggredi, ſubijciendam ſibi rudi, & pauperi piſcatori, tam ſtultum ac ridiculum apparet, vt vix aliud magis ridiculum toti mundo, & impoſſibile præſumi potuiſſe videatur. Et tamen quod omnium fidem tanto intervallo ſuperauit, & creditum & factum eſt, licet pertinaciſſime reſiſteret, ac multo tandem Martyrum ſanguine vinceretur. Et proh dolor hodie tanta mirabilia, in quantam abiere obliuionem, imo ignorantiam & inconſiderantiam? licet adhuc in oculos noſtros impingant.

Quoniam

Quoniam feciſti iudicium meum & cauſam meam, Sediſti ſuper thronum, qui iudicas iuſticiam.

PEriĕrunt, inquam, inimici mei, quia tu iudicaſti cauſam meam. Quæ rogo conſequentia? Dixi, quod perſonarum differentia magni-
Iſa. 49. ficat mirabilia Dei, dum enim fæces Iſrael (vt Iſa. 49. appellat) & reliquiæ Iacob, pauperesq; terræ pugnant aduerſus montes mundi, vt dictum eſt, nec ſpes, nec ſpecies erat, cauſam hanc pauperum præualituram, aut eſſe aliquem qui iudicium faceret inopis. Nam & Pilatus (alioqui vir ſatis ciuilis, vt apparet) hac vna ſpecie falſus, Chriſtum damnauit inique & ſcienter, cogitans non
Pilatus vnde deceptus.
Pſal. 140. referre pauperem perire, nec eſſe qui vindicet. At Pſal. 140. Ego cognoui quoniam faciet Dominus iudicium inopis, & vindictam pauperum. Dei enim noſtri ſolius hæc eſt gloria, quod humilia & afflicta reſpicit ac vindicat, ſuntque hæc eius opera propria, & ideo mirabilia.

Iſa. 14. Vtrumq; ergo ad mirabilia Dei pertinet, quod facit iudicium inopis & perdit ſuperbos, vt illos iuſtificet, hos condemnet. Et vt Iſaias dicit. 14. faciat, Erunt capientes eos, qui ſe ceperant & ſubijcient exactores ſuos. Glorioſiſſimum enim victoriæ genus eſt, ex inimicis reddere amicos & ex perſecutoribus ſeruos, Sicut Eccleſia fecit ex Regibus & Principibus mundi.
Glorioſiſſimum victoriæ genus &c.

Sediſti ſuper thronum Iudex iuſticiæ. Sic enim Ebræus habet. Reddit autem rationem, quare dixerit cauſam ſuam iudicatam. Quia (inquit) cauſa mea toti mundo inuiſa, & omnium hominum iudicium iniquum eſt, cum omnis homo ſit mendax & hoſtis veritatis, quam ego loquor & ſequor, Adeo, vt & hi qui de ſapientia, iuſtitia & religione maxime omnium gloriantur, montes ſcilicet mundi, maxime omnium me perſequantur, Qui ignorantes iuſticiam tuam, & ſuam quærentes ſtatuere, tuæ iuſticiæ non ſunt ſubiecti, Atq; hac ſpecie efficiunt, vt omnibus hominibus in ſui affectum & mei odium, commotis, ſibi audeant polliceri, te quoq; iniquitatis iudicem fore, meam cauſam damnaturum, & ſuam ipſorum iuſtificaturum.
Magnorum ſuperum noſtrorum, cuiuſmodi natura ſit.

Verum tu es Iudex iuſticiæ, tuum eſt tribunal, tuum iudicium, tuus thronus & tuum regnum, Ideo ſcio & certus fui, & ſemper ſum, quod vindicas cau-
Deus iuſticiæ Iudex.
Pſal. 93. ſam meam & inimicum conuertis retrorſum, proſternis & perdis &c. In hunc ſenſum & Pſal. 93. dicit: Dominus regnauit, decorem indutus eſt. Et iterum, Parata ſedes tua ex tunc, à ſeculo tu es. Et ſequitur, Eleuauerunt flumina fluctus ſuos: Mirabiles ſuſpenſuræ maris: Mirabilis in altis Dominus. Vna eſt enim conſolatio oppreſſorum, ſcire, quod Chriſtus ſedet Rex, & Iudex omni-
Vna conſolatio oppreſſorum.
1. Pet. 4. um. Sic Petrus (1. Pet. 4.) contra blaſphemantes ſanctimoniam fidelium, dicit, Qui reddent Rationem ei, qui paratus eſt iudicare viuos & mortuos. Quanquam hoc Pſal. de extremo iudicio proprie non loquatur, terret tamen eo iudicio, vt videbimus, Sicut & Petrus hic facit.

Ex his nunc colligi poteſt, quos nam dixerit inimicos ſuos, Cum enim
Inimici Eccleſiæ.
cauſam ſuam vindicatam à Deo iactet, euidens eſt ſe paſſum & oppreſſum fuiſſe ab iniquis, multis, magnis, aſtutis, coram quibus adeo impotens, derelictus, contemptus fuerit, vt cauſa ſua à nullo homine, ſed à ſolo Deo ſit ſuſcepta. Non enim gloriaretur in Deo vindice, niſi deſertum & ſolitarium ſeſe ſenſiſſet coram hominibus. Atq; ita verſus hic, nobis nihil quærentibus, per ſe aperit & deſcribit vtriuſq; partis conditionem, Illius, quæ Dei eſt, afflictam & derelictam, huius, quæ mundi eſt, potentem & multis ſtipatam. Tantis videlicet per totam Scripturam exhortationibus conſolamur, ſi pro veritate patiamur, nec ſic tamen audemus Chriſtum confiteri libere & publice.
Hodie ſunt plurimi docti, qui ignaua fortitudine non audent diuinam voluntatem libere enarrare.

Facere iudicium.

Illud Grammatici viderint, An latine dictum ſit: Feciſti iudi-
cium meum, & cauſam meam. Mihi facere cauſam & iudicium, idioma Ebræ-
um videtur, pro expedire cauſam, ſicut vernacula germanica ſonat. Latini n-
agunt cauſas, & ferunt ſententiam. Hic autem faciendi verbum, quod Aſa di-
ximus eſſe, habetur, Vt partibus inter ſe contendentibus & cauſas agentibus
Dominus Iudex lite dirempta ſtatuat aut faciat iuſticiam & pacem. Vtrumq;
autem nomen Ebraice iudicium ſignificat miſpat, & din, quorum vnum red-
didit iudicium, alterum cauſam, forte quod in qualibet cauſa ſunt duo officia
iudicij, Alterum iuſtificandi innocentis, alterum damnandi nocentis. Q. d. Ius
vtrumq; meum eſt, meæ cauſæ iuſtificandæ & illius damnandæ.

Duo officia iudicij.
Sediſti ſuper thronum.

Sediſti ſuper thronum. Periphraſis eſſe videtur, pro eo, quod Pſal. 2.
eſt, Rex, Iudex factus es, quod Pſalmo 2. Ego autem conſtitutus ſum rex ab eo, Pſal 110.
quomodo & Pſal. 110. dicitur, Sede à dextris meis, Quod alijs verbis Pſal. 97. Pſal. 97.
dicitur, Dominus regnauit. Hoc enim cœptum eſt aſſumpto Chriſto in cœ-
lum. Sicut prædictum eſt Iſa. 9. Super ſolium Dauid, & ſuper regnum eius ſe- Iſa. 9.
debit, vt corroboret illud in iudicio & iuſticia, à modo vſq; in ſempiternum.
Iere. 23. Ecce venient dies, dicit Dominus, & ſuſcitabo Dauid germen iuſtum, Iere. 23.
& regnabit Rex, & ſapiens erit, & faciet iudicium & iuſticiam in terra, Et hoc
eſt nomen quod vocabunt eum, Dominus Iuſtus noſter.

Gloria iuſticiæ & ſapientiæ nulli hominu competit.

Ex his verbis patet, Nulli mortalium in vniuerſis ſeculis tribui poſſe glo-
riam iuſticiæ & ſapientiæ, Quotquot enim reges fuerunt, quos ſapientes & iu-
ſtos iactant Libri hominum, ſtulti & iniuſti omnes fuerunt. Nam etſi huma-
na & politica ſeu ſapientia, ſeu iuſticia claruerunt coram Deo: tamen & in his
quæ Dei ſunt, vani, mendaces, iniqui, reperti ſunt. Quod luce clarius eſt, tam
in republica Romana, quam Iudæorum, Nonne Romani pulcherrimas leges
condiderunt? Nonne iuſticia gentes frenabant ſuperbos? At cur Chriſtum &
Chriſtianos tam atrociter perſecuti ſunt? Scilicet iuſticia eorum ſpecies fuit in
oculis hominum, in re coram Deo nihil. Sic audet Apoſtolus 1. Cor. 2. Nos 1. Cor. 2.
loquimur ſapientiam Dei in myſterio abſconditam, quam nullus principum
huius ſeculi cognouit. Vbi ſapiens? vbi ſcriba? vbi inquiſitor huius ſeculi?

Chriſtus iuſticiæ Rex & Iudex.

Solus itaq; Chriſtus ſic ſedet in ſolio & regno, vt iuſticiæ Rex & Iudex
ſit in his quæ Dei ſunt, Ideo & ſolus regnat, nec regni eius erit finis. Sicut enim
iudicium iuſticiæ eius comparat ad iudicium iuſticiæ hominum, tanquam ad
iniquitatem, Ita & regnum eius ad regnum hominum comparat, tanquam ad
ſeruitutem ac captiuitatem, Ipſe enim ſolus proprie & ſuper omnia regnat, o-
mnia poteſt, & omnia iuſte vult, ideo gaudeāt omnes inique in mundo preſſi.

Simulachra iuſticiæ.
Tumultus regnorum.

Et quid eſt aliud vniuerſus iſte tumultus regnorum & magiſtratuum
mundi, in quibus iudicia & iuſticiæ celebrantur, de rebus temporalibus, pe-
cunia, honore, voluptate, & ſimilibus, niſi quædam fabula, ſeu comœdia?

Regnum Chriſti.

Nam in his omnibus peccatum non tollitur, nec iuſticia confertur, ſed tollen-
di peccati & conferendæ iuſticiæ, ſimulachra & imagines exhibentur, Et
ſunt tamen tam ſtulti quidam, qui hos ludos ſeria ducant. Verum Chriſti re-
gnum ſemper in Scripturis cum iudicio & iuſticia commendatur, Quod ve-
terem hominem cum actibus ſuis iudicet & mortificet, & nouum hominem
iuſtificet, ideo ſoli ei attribuitur à Iere. 23. Quod ipſe iudicium & iuſticiam Iere. 23.
facit in terra, aperte pronuncians, cæteros omnes in terra, nec iudicium nec
iuſticiam facere, ſed vt dixi, tantummodo ſimulare. Quare longe ſublimius
iudicium & iuſticia in ſacris literis, quam in prophanis & iuribus accipienda
ſunt,

ſunt. Iudicium enim, eſt mors peccati, Iuſticia vita æterna in Chriſto, Quæ ſunt diuini muneris, non humani. *Iudicium. Iuſticia*

Proinde verba huius verſus quendam in ſeculares Iudices & Reges ſtomachum habent. Quaſi per antitheſin dicat, Quid illi Iudices & Reges inflantur, qui contra me pro ſua cauſa iudicant? Tu vere ſolus es Rex & Iudex omnium, cui illi comparati, picti Reges ſunt, quia tu iuſte iudicas, etiam ea peccata, quæ illis iuſticiæ videntur. Sed quæres quo negotio, quo exercitu, quo iuris proceſſu, quibus aduocatis, quibus teſtibus, cauſam eius & iudicium eius fecerit? Sequitur.

Increpaſti Gentes, & perijt impius, nomen eorum deleſti in æternum & in ſeculum ſeculi.

PVtabam audituros nos eſſe fragorem armorum, & quadrupedantem aliquem tumultum equorum & equitum, Et ecce ſonum & increpationem verbi, facit tanti negotij machinam. Increpat ſolum & facta ſunt omnia. Quis non miretur? hoc eſt, quod ex ore infantium & lactentium perficit virtutem. Hoc eſt, quod ſpiritus veritatis arguit mundum de peccato, de iuſticia & de iudicio, Solo verbo facit omnia Et quando de gentibus potiſſimum loquitur, Et increpatio iſta ſi per quenquam, vel primo, vel maxime per Apoſtolum Paulum gentium Doctorem completa eſt, dignum eſt hunc exempli vice pro hoc verſu adducere, quando non eſt dubium id, quod hic dicitur per ipſum geſtum eſſe. Vide quam increpet Rom. 3. Omnes peccauerunt & egent gloria Dei. Et rurſus, Cauſati ſumus Iudæos & Græcos omnes ſub peccato eſſe. Et 2. Inexcuſabilis es omnis homo qui iudicas, eadem enim facis quæ iudicas. Et 5. Vbi peccatum & mortem in omnes tranſijſſe clamat, & in quo (inquit) omnes peccauerunt. *Sola Dei increpatione iudicium exhibetur.* *Sonus increpati verbi.* *Paulus gentium Doctor.* *Rom. 3. 2. 5.*

In vniuerſum tota illa Epiſtola (meo iudicio totius ſacræ ſcripturæ, tum commentarius, tum epitome, Imo lux, & Apocalypſis, quem non reum ſtatuit mortalium? Quanta fiducia vniuerſos increpat? Quod nullus alius Liber ſcripturæ tanta copia, tanta luce facit, vt huic verſui gloſſa non inepta daretur iſta, Increpaſti gentes, ſcilicet, per Apoſtolum Paulum, verbo quidem multas alias, literis autem maxime Romanos. *Epiſtola ad Romanos ſacræ Scripturæ epitome eſt, & lux.*

Vſus eſt autem hoc loco magis verbo, Increpaſti, quam alio quopiam, quo ſimplex verbi prædicatio ſignificaretur, Quia hoc ad rem conueniebat, vt exprimeret modum vniuerſi negotij, quo conuertit inimicum, & vindicat cauſam Almuth. Increpare enim eſt arguere, reum facere, terrere. Quod maxime fit, vbi conſcientia cuiuſq; verbo Dei conuenitur. Ibi incipit fuga, ibi ponitur præſumptio & fiducia ſui, & prorſus elanguet ac concidit omne robur carnis, Quod non fit, vbi ſimplex dictio mouet, Multi enim audiunt, ſed inſenſati non mouentur. Ideo in increpatione, non modo verbum, ſed virtus quoq; verbi & energia commendatur, vbi & audiunt, & terrentur auditis. Vt illi Acto. 2. ad vocem Petri compuncti, dicebant, Quid faciemus Fratres &c. *Increpare verbo quid.*

Act. 2. Ac vide ſpiritum, non doloſum quidem, ſed inſuperabilem bellatorem, Verbo pugnat, ſed cui nemo reſiſtat. Cur ita? Homines contra homines pugnant armis & viribus corporalibus, vbi neutri neutris fiduciam cordis auferre poſſunt, ideoq; & neutri neutris cedunt. Atq; ſi etiam corpus, non tamen animum morituri relinquunt. Nec vllus repertus eſt hominum, qui alterius hominis animum vincere potuerit. At ſpiritus in ſua pugna corpus, & vires eius omittit, ad conſcientiam apponit vocem ſolam, & mox ruit omne præſidium, omnis fiducia, omnis virtus. *Pugna hominum cum homine.* *Pugna ſpiritus per verbum.*

Mirabilia de quibus Pſalmus canit.

Quis non hæc narret mirabilia? quis enim ſtet ad vocem hanc Pauli Rom. 1. Reuelatur ira Dei de cœlo ſuper omnem impietatem hominum, qui veritatem Dei in mendacio detinent? Quis conſiſtit? quis confidit? quis audet? cui diuina maieſtas nunciatur irata? Aut quis non conuertitur retro, cadit, perit, cuius conſcientia verbo Dei increpata ſibijpſi malo teſtimonio diſſentit? Victo autem hac arte animo hominis, & obtentis penetralibus regnis, Quid eſt reliquum in homine, quod victum non eſt? Et adeo potens eſt illa victoria, vt etiam inter homines videamus contingere, quod fere neq; iudicium, neq; increpationem, neq; famam, neq; periculum poſſit, quem conſcientia vexet, verumq; ſit Prouerbium illud, Conſcientia mille teſtes. Et illud Triuij, Conſcius ipſe ſibi, de ſe putat omnia dici. Ideo recte ſequitur. Rom. 1.

Conſcientia mille teſtes

Impios Deus perdit.

Et perdidiſti impium, Sic enim Ebræus habet. Hac enim increpatione tactus, ſtatim intelligit ſuam miſeriam. Sic Paulus increpatus de cœlo, ſtatim de impio Chriſti aduerſario factus piiſſimus diſcipulus, dixit, Domine, quid me vis facere? Non ſuſtinet hanc increpationem ſpiritus hominis, ſed ſicut fulgure perſtrictus ſubito immutatur & vertitur. Sic Pſal. 18. Ab increpatione ſpiritus iræ tuæ. Pſal. 18.

Synecdoche vſitata in Scripturis.

Non eſt neceſſe iterum admonere figuram Synecdochen, Impium pro impios, cum ſit tam frequens. Deinde iucundiorem locutionem etiam in noſtra vernacula habet, vt vulgo dicitur, Deus adiuuat fortiorem id eſt, fortiores. Quare, ne tædio ſim, deinceps non admonebo, ſatis habens quod ſemel admonuerim, eſſe eam fere vnam omnium vſitatiſſimam in ſacris literis.

Impius.

Impius, hic Raſeha, ille eſt, quem Pſalmo. 1. & 5. ſatis expoſuimus eſſe eum, qui fide inanis, multa ſpecie fulget, & nihil minus, quam impius eſſe apparet. Et hic eſt inimicus ille, qui Almuth maxime perſequitur zelo Dei & iuſticiæ, cuius conuerſio & difficilior & mirabilior eſt, nec verbo nudo poſſibilis, niſi increpationis incrementum acceſſerit. Pſal. 1. 5.

Nomen.

Nomen eorum deleſti. Ecce quod dixi, impios eſſe qui pulchro nomine vehuntur. Dictum eſt enim, Pſal. 5. & 8. quomodo nomen in Scripturis ſignificet famam. Nomen habent quod viuant (vt Apo. 3. dicitur) & ſunt mortui. Quo nomine inflati ſecurius perſequuntur, & fœdo nomine conſpurcant Almuth aduerſariam. Deletur ergo nomen eorum, quando increpati verbo ſpiritus, ſeu potius ſpiritu verbi, poſitis veritatis, ſapientiæ, iuſticiæ fiducia, opinione & nomine, infirmantur, ſtulti & peccatores fiunt, gratiam Chriſti in humilitate & ſolatium communionis Almuth filij in tremore quærentes, vt iam nomen ſtulti & peccatoris non erubeſcant. Pſal. 5. 8. Apo. 3.

Impiorum nomen deletur.

Increpatio verbi efficax eſt.

In æternum & in ſeculum ſeculi Hoc indicat, quod increpatio efficax eſt, vbi ſemel tetigerit cor. Sic mutat hominem, vt in æternum non poſſit de ſuo nomine gloriari & vanus fieri, ſed etiam ſi cadat aliquando, tamen opinionem rectam de Deo non amittit, ſemper ſciens ſolius Dei eſſe, & opus & nomen bonum.

Inimici defecerunt phrameæ in finem, & ciuitates eorum deſtruxiſti, perijt memoria eorum cum ſonitu.

TOtum hoc, verſus vnus eſt Ebræis Hieronymus ſic: Inimici completæ ſunt ſolitudines in finē, & ciuitates ſubuertiſti, perijt memoria eorum cum ipſis. Obſcurus plane verſus. Constructio & ambigua & inſolita videtur, quod inimici defecerunt phrameæ, Latinis ita ſonet, vt neſcias vtrum ſingulare, aut plurale, & an genitiui vel nominatiui ſint, inimici & phrameæ, Ego citra temeritatem pono meū ſenſum & iudicium, Vocabulum,

Phramea.

phrameæ,

phrameæ,quod procul dubio Ebrææ originis eſt,à verbo pharam, quod ſcindere ſignificat,vnde à ſcindendo phrameam dicunt gladium,ſe cultrum,quaſi phramea ſit idē quod ſciſſorium(vt ita dicamus)Hoc inquam vocabulum phrameæ redditum eſt Ebræo nomini cheraboth,quod pluralis numeri eſt,à chæreb,quod gladium ſignificat,Hoc noſter interpres ſequitur, vel à verbo charab,quod vaſtare,deſolari ſignificat,à quo Hieronymus tranſtulit, ſolitudines.Quare me Iudice,ſenſus.

Chæreb. *Charab.* *Inimici defecerunt phrameæ.*

Inimici defecerunt phrameæ,ſeu ſolitudines,id eſt,vaſtationes, inimici vaſtatæ ſunt,ſeu ceſſauerunt vaſtare,Vt ſonet aliquid tale quale dicitur Pſal. 68.Cepiſti captiuitatem.Et Iſa.33.Væ qui prædaris,nonne & ipſe ſpoliaberis? Qui ſpernis,nonne & ipſe ſperneris,cū conſummaueris deprædationem,ſpoliaberis,& cum fatigatus deſieris contemnere,contemneris. Et conſonat fere hic verſus cum eiuſdem Iſa.14.Et erit in die illa,cum requiem tibi dederit Deus à labore tuo,& à concuſſione tua,& à ſeruitute dura, qua ante ſeruiſti,ſumes Parabolam iſtam contra regem Babylonis,& dices, Quomodo ceſſauit exactor?quieuit tributum? contriuit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium,cædentem populos in indignatione plaga inceſſabili,ſubijcientem in furore gentes,perſequentem crudeliter. Et infra.Ex quo dormiſti, non aſcendit,qui ſuccidat nos.

Pſal.68. *Iſa.33.* *Iſa.14.* *Locus ex cap.14. Iſaiæ.*

Igitur,ſiue phrameæ,ſiue vaſtationes dicas,ipſas perſecutiones ſignificat Eccleſiæ,quibus eam ſciderunt,perſecuti ſunt,& vaſtauerunt principes huius mundi,præſertim Iudæi, qui penitus ceſſauerunt,vbi increpatis gentibus,impij perierunt,& nomen eorum deletum eſt in æternum,Conſequens eſt enim, vt perſecutio ceſſet,quando perſecutor amplius nullus eſt,Quare hæc Syntaxis,Inimici defecerunt phrameæ,vbi genitiuus primo loco ponitur,ſimilis eſt illi Pſal.3.Domini eſt ſalus.Ita hic, Inimici deſertæ ſunt vaſtationes hoc eſt, inimicus deſijt vaſtare,ſicut Domini eſt ſalus,id eſt,Dominus ſaluum facit.

Perſecutio Eccleſiæ. *Pſal.3.*

In finem vero exuberantis affectus cauſa dicitur, quo exprimit vaſtationem inimici ſic deſijſſe,vt non ſit ſpes aut timor, reſuſcitandam, Deſinunt enim impij,quandoq; vaſtare,ſed nondum ſtatim finis, manente enim odio redeunt ad furorem tempore & occaſione datis, At qui ſpiritu increpante ſalubriter pereunt in alios homines mutati,quia diligunt,non poſſunt vnquam in æternum ad perſecutionem reuerti, quin ipſi patiuntur potius cum illis. Atq; ita deſijt in eis vaſtatio vſq; in finem,vt nec odium,quod fons eſt perſecutionis,reliquum ſit,ſed omnia in amorem,qui fons eſt pacis & quietis, ſint mutata,Quo ſenſu & Pſal.2.dictum eſt,Tanquam vas figuli confringes eos.

Odium. Amor.

Sed quomodo deſtruxit ciuitates? Vim verbis facio inuitus,& tamen non patitur conſequentia,nec ſpiritus,in quo loquitur Propheta, vt de corporali vaſtatione intelligatur, Almuth enim abſcondita & ſpiritualis triumphatrix loquitur,cuius arma ſunt,verbum & fides. Deinde gentes ſola increpatione Dei perdidit,deleto nomine eorum,& vaſtatione eorum finita,Quare & ciuitates eadem increpatione deſtructas oportet intelligi.

Euerſio ciuitatum myſtica.

Simili ſententia dicit Mich.5.vbi de reliquijs Iſrael in medio gentium victricibus dixerat,Et exaltabitur,inquit,manus tua ſuper hoſtes tuos & omnes inimici tui interibunt.Subdit,Et erit in die illa,dicit Dominus,auferam equos tuos de medio tui,& diſperdam quadrigas tuas,& perdam ciuitates terræ tuæ, & deſtruam omnes munitiones tuas,& mox euellam Lucos tuos, & conteram ciuitates tuas: Ex quo loco adiuti,cum manifeſte de opere ſpirituali loquatur, dicemus & hic euerti ciuitates, quando verbum fidei inter homines prædicatum,venit non mittens pacem,ſed gladium & ſeparat patrem aduerſus filium,nurum aduerſus ſocrum ſuam,vt confuſo mundi ſenſu ſint inimici homines domeſtici eius,ſic enim ſubuerſæ ſunt feliciter ciuitates hoſtium.

Locus Michæ.5.

Ciuitates quare nominentur.

Et ciuitates potiſſimum nominat, quod in his ſit primo plurimum hominum congregatio, in quorum publico verbum Dei prædicandum fuit. Deinde, quod in eis ſit ciuilior hominum ſenſus, id eſt, maior prudentia carnis, quæ inimica Dei eſt, Ideo mundum in ſuis præſtantioribus & capitibus & quibus maxime valet, aggreſſus eſt Chriſtus verbo ſuo, Ciuitatibus enim ſubuerſis, & reliquum vulgus mundi ſubuerſum eſt. Sed & beatus Auguſtinus etſi nomen ciuitatis trahat in Tropologiam, tamen verbum, deſtruxiſti, de ſpirituali deſtructione intelligit. Dixi autem & antea in ſacris literis oportere magis obſeruari verba, quam nomina, pro intelligendo ſpiritu, vt Pſal. 72. Et dominabitur à mari vſq; ad mare &c. Hic non eſt mare aliud, quam corporale intelligendum, non tamen eſt carnale dominium (more Iudaico) intelligendum. Ita hic ciuitates proprie & ad literam ſunt accipiendæ, ſed deſtructio non carnalis, ſed ſpiritualis accipienda. *Pſal. 72.*

Obſeruanda in ſacris literis magis verba, quam nomina.

Igitur adeo ceſſauit framea vaſtationis inimicæ, vt etiam ipſi, & eorum ciuitates vaſtentur & ſubuertantur. Qui autem volet aliter effugere, habet pro ſe Ebræi nominis ambiguum. Nam nomen Itim volunt, ſi abiecto Iod ſcribatur, vt hoc loco, ſignificare non tantum ciuitates, ſed etiam hoſtes, Nam pronomen, eorum non eſt in Ebræo. Sic illud Micheæ 5. Et conteram ciuitates tuas, Dicit Reuchlin Ebræis haberi, Et conteram hoſtes tuos. Quod an aliquid faciat, in medio relinquo. Hoc certum eſt, ſiue ciuitates, ſiue hoſtes dixeris, idem in ſenſu manere, Diximus enim ciuiles homines, & filios huius ſeculi, pro ſua prudentia eſſe maxime aduerſarios verbi crucis, quos & idem verbum maxime petit, hæret enim Aries noſter cum cornibus in iſtis vepribus. *Mich. 5.* *Gene. 22.*

Filij huius ſeculi ſunt hoſtes verbi crucis.

Perijt memoria eorum.

Perijt memoria eorum, Patet aliud eſſe nomen eorum quod deletur, & aliud memoriam quæ perit. Nomen enim eis detractum eſt, in quo ſibi placuerunt, & redditum Deo, dum ſeſe peccatores, ignominia dignos cum humilitate confitentur. Deinde ſic ſunt omnia eorũ per verbum fidei vaſtata ſubſtantia, nomen, potentia, multitudo, vt horum ne memores quidem ſint. Atq; ex vſu popularis Prouerbij hoc dicitur, vbi de hominibus, vel factis eorum perditis, dicitur, Man gedenkt ſein nicht mehr/ id eſt, non ſunt in memoria amplius, extremum vaſtitatis perfectæ eſt ipſa obliuionis perpetua ſepultura. Ecce ergo virtus verbi & fidei, quæ impios reddit pios, & peccata eorum, & arma iniquitatis in æternam obliuionem perdit, vt ſint in æternum, alia ſubſtantia, alio nomine, alia potentia, alia multitudine, alia memoria ſeruati apud Deum.

Verbi Dei & fidei virtus.

Cum ſonitu.

Illud (cum ſonitu) tranſtulit Hieronymus, cum ipſis, ac Ebraice ad verbum ſic habet, Perijt memoria eorum, ipſi. Præpoſitio, cum, non eſt in textu. Eſt autem affinis dictio eadem, verbo quod ſonare ſignificat, hoc ſecuti ſunt, qui tranſtulerunt cum ſonitu, Ego pro mea ſimplicitate hypodiaſtolen amplector, & per coniunctionem, Et, ſic expono, Perijt memoria eorum, & ipſi, Cũ iſte Ebraiſmus ſit & in alijs locis frequentiſſimus, ſicut dictum eſt, Pſal. 4. in verſu. Quoniam tu Domine ſingulariter in ſpe conſtituiſti me. Quare Propheta mihi adieciſſe videtur in fine, & ipſi, vel epilogi vice, vel affectus exuberantia, ac ſi dicat, Perijt memoria eorum, & ipſi, Adeo ſcilicet, omnino in nihilum abierunt cum omnibus ſuis. Sie ſind dahin. *Pſal. 4.*

Cum ſonitu.

Cum ſonitu. Aug. interpretatur cum ſtrepitu, ſeu tumultu, quo impij fremunt cum pereunt & ne pereant reſiſtunt, Vel quod perit memoria, eo ipſo tumultu ſimul pereunte. Atq; quid refert ſuper commentitium textum; varias comminiſci gloſſas, vt cum ſonitu etiam intelligas velociter, ſicut ſonus perijt? Sic enim & fugitiuæ vmbræ Iob. 14. comparat hominem. In his abundet ſenſu ſuo quilibet. *Hiob 14.*

Et Dominus in æternum permanet, parauit in iudicio thronum ſuum.

Duplex Chriſti officium iudicare & iuſtificare.

HIeronymus ſic;Dominus autem in æternum ſedebit, ſtabiliuit ad iudicandum ſolium ſuum. In quo manifeſtius non modo duratio, vt noſter Interpres ſonat,ſed officium quoq; Chriſti declaratur. Quod eſt duplex,iudicare & iuſtificare,occidere & viuificare, damnare & ſaluare, *Malach.3.* Per iudicium humiliat ſuperbos,per iuſticiam exaltat humiliatos.Quod ergo thronum ſuum parauit,vt iudicet,hoc eſt,quod Mal.3.dicit,Ipſe enim quaſi ignis conflans,& quaſi herba fullonum,& ſedebit conflans & emundans argentum,& purgabit filios Leui,& colabit eos quaſi aurum & quaſi argentum, & erunt Domino offerentes ſacrificia in iuſticia.

Quotidiana purgatio peccati.

Sic enim vbi increpatis gentibus perierit impius,& amiſſo nomine,peccatum ſuum agnitum confeſſi fuerint,aliud non eſt reliquum,niſi iſta quotidiana purgatio peccati,renouatio mentis de die in diem,iter de virtute in virtutem,deſtructio corporis peccati,Quod agitur dum aut varijs paſſionibus exercitamur,aut ipſemet peccatorum noſtrorum aſſidua memoria, nobis ipſis diſ*Pſal.51.* ſplicemus,gemimus,laboramus in humilitate.Iuxta illud Pſal.51. Et peccatum contra me eſt ſemper.Vnde Ezech.20.Et recordabimini ibi viarum veſtrarum & omnium ſcelerum veſtrorum,quibus polluti eſtis in eis, & diſplicebitis vobis in conſpectu veſtro in omnibus malitijs veſtris , quas feciſtis,& ſcietis quia ego Dominus,cum benefecero vobis propter Nomen meum,non ſecundum vias veſtras malas, neq; ſecundum ſcelera veſtra peſſima domus Iſrael,ait Dominus Deus. *Locus Ezech.20.*

Ocioſi quæſtionarij,conſcientiam negligentes. *Locus Iſa.58.*

HAc Theologia crucis omiſſa, periculoſiſsime ambulant in magnis & mirabilibus ſuper ſe ocioſi Quæſtionarij,quaſi non habeant quod lugeant.De quibus Iſa.58.Clama ne ceſſes,quaſi tuba exalta vo- *Iſa.58.* cem tuam , & annuncia populo meo ſcelera eorum,& domui Iacob peccata eorum:Me etenim de die in diem quærunt,& ſcire vias meas volunt,quaſi Gens quæ iuſticiam fecerit, & quæ iudicium Dei ſui oblita non fuerit &c. Quid his verbis voluit? niſi quod curioſos ſpeculatores operum Dei retraxit in cognitionem & cogitationem peccatorum ſuorum,vt cogitarent pro pecca- *Pſal.38.* tis ſuis(Pſal.38.)& eſſent in his aſſidue quæ eis Deus præcepit. Hoc enim eſt iudicium Chriſti in hominibus,ſic exercet nos in peccatorum noſtrorum luctu,pœnitentia & labore. *Iudicium Chriſti in hominibus.*

Proinde ſpeculatina illa Theologia,quæ ſui oblita,in diuina ſurſum fertur,Satanæ præcipitium quærit & inuenit. *Theologia ſpeculatiua.*

Exemplum ex vitis Patrum.

Legimus in vitis Patrum,quomodo duo Fratres iuniores,de Melchiſedech quæſtionem agitantes,ad Seniorem retulerũt,qui tonſo pectore ſuo,Væ mihi,inquit, peccatori,qui neglectis peccatis meis,in has inanes quæſtiones feror.Tum illi erubeſcentes eũ ſilentio in ſuam ſeſe quiſq; Cellam proripuit. Et vbi noſtri parebunt,qui non de Melchiſedech,ſed de Ariſtotele & Porphyrio tam friuola verſant,precioſiſſimo tempore tam infeliciter perdito,& *Cant.6.* iudicio hoc Chriſti poſthabito? Sane & ſponſam in Canticis 6. reprehendit, nimio ſtudio ſcrutandi Dei intentam, Auerte oculos tuos à me,quia ipſi me *Pſal.73.* auolare fecerunt. In laboribus hominum non ſunt,& cum hominibus non flagellabuntur;ideo tenuit eos ſuperbia.

Veniæ pro peccatis promiſſæ.

Sed & illi hoc Chriſti iudicium impijſſime impugnant,qui hominibus deceptis,remiſſiones vt(vocant)omnium pœnarum & culparum plenarias mendaciter,ſecuritate vaniſſime promiſſa, concedunt, dicentes: Pax,pax,& non eſt pax. Atq;(vt Iſaias ait)facientes populum Dei fidere in mendacio. *Iſa.3.* Et rurſum 3. Popule meus,qui te beatificant,ipſi te decipiunt, & viam greſſuum tuorum diſſipant.Stat enim Sententia; Parauit ad iudicandum thronum ſuum, Sic & Pſalm,122,Quia illic ſederunt ſedes in iudicio. Quem *Pſal.122.*

 enim

enim non mordet ſuum peccatum, quomodo ſitiet gratiam Dei? Qui non ſitit, quomodo quæret, Qui non quærit, quando inueniet?

Dominus iudex noſter, ſemper ſedet & iudicat.

Nec fruſtra dicitur? *Dominus in æternum ſedebit.* Quod referri debet ad tempora huius vitæ, non enim erit peccatum poſt hanc vitam, ad quod iudicandum tunc ſedeat, Sed erit & ipſe Filius ſubiectus ei, qui ſubiecit ei omnia, tradens regnum Deo & Patri, poſtquam ſubiecti fuerint omnes inimici ſub pedibus eius, vt 1. Cor. 15. docet Apoſtolus. Semper itaq; ſedet, quia ſemper *1. Cor. 15.* eſt peccatum, quod in nobis iudicet, vt nobis deſtructis, ipſe perſeueret, & transferamur nos in illum, & non ille in nos, Qui vero hoc iudicium Domini portauerit cum Michea, 7. dicens: Iram Domini portabo, quoniam peccaui ei, *Mich. 7.* dignus erit, vt eductus cum eodem Michea in lucem videat, videat iuſticiam Dei, Et cum ſederit in tenebris, erit Dominus lux eius. Vnde ſequitur.

Et ipſe iudicabit orbem terræ in æquitate, iudicabit populos in iuſticia.

IDem fere verſus Pſal. 98: ſic eſt redditus, Iudicabit orbem terra- *Pſal. 98.*
rum in iuſticia, & populos in æquitate. Quod Pſal. 96, dicit, Iudicabit orbem *Pſal. 69.* terræ in æquitate, & populos in veritate ſua. Verum & alijs locis, duo hæc nomina, iuſticia & æquitas, ſunt inconſtantiſſime reddita, alterum pro altero, & aliquando æquitas pro recto, & econtra. Fuit autem hoc verſu, iuſticia priore loco, & æquitas poſteriore ponenda. Sic enim Ebræus habet, autore etiam Hieronymo, Et ipſe iudicabit orbem in iuſticia, Iudicabit populos in æquitatibus. Hoc eſt, in rectitudinibus, quas Pſal. 99. vocat directiones, Tu inquit, *Pſal. 99.* paraſti directiones.

Iuſticia & æquitas.

Debemus autem iuſticiam & æquitatem intelligere, non internam Chriſti ſolum, quia ipſe iuſtus & æquus eſt, Sed opera eius, quibus iuſtificat & rectificat populos, & gratiam eius, qua illis iuſticiam & æquitatem largitur, Alioqui quis ſtaret ante thronum eius, quantumlibet ſanctus, ſi iuſticia & æquitate ſua homines iudicaret? Sicut de Salomone poteſt dici, Quod fuerit Rex regnans in diuitijs, gloria & pace, quia non ſolus ipſe, ſed & ſubditi ſui per eum ditescebant, gloriabantur & pace fouebantur, vt 3. Reg. 4. Habitabatq; Iuda & Iſra- *3. Reg. 4.* el abſq; vllo timore, vnusquiſq; ſub vita ſua, & ſub ficu ſua, à Dan vſq; Berſabeæ, alioqui miſerrimo & infelicißimo regno regnaſſet, ſi ſubditi ſui fuiſſent omnes pauperes, infames, inquieti, ſtulti &c.

Regnum Salomonis.

Regnum Chriſti.
Regnum Diaboli.

Ita regnum Chriſti in veritate, iuſticia, æquitate, pace, ſapientia conſiſtit, non quia ſolus ipſe, ſed & fideles ſui per eum ſunt veraces, iuſti, æqui, pacifici, ſapientes. Eſſet enim infelicißimus, ſi ſui eſſent mendaces, peccatores, iniqui, *Iſa. 35.* inquieti, inſipientes, quale eſt Diaboli regnum. Sic Iſa. 35. prædixit, Non adijciet vltra, vt pertranſeat in te immundus & incircumciſus.

Iuſticia.
Aequitas.

Iuſticiam & æquitatem, ne affectemus copiam & varietatem, pro noſtra, *Pſal. 5.* ſiue temeritate, ſiue libertate, arbitremur ex Pſal. 5. eſſe aliud nihil, quam opus miſericordiæ & iudicij Dei, Dicitur enim illic: Ego autem in multitudine miſericordiæ tuæ, introibo in domum tuam, adorabo ad templum ſanctum tuum in timore tuo. Et iterum: Deduc me Domine in iuſticia tua propter inimicos meos, dirige in conſpectu tuo viam meam.

Iuſtificatus eſt firmiter credens in Chriſtum.

Qui enim propoſita miſericordia Dei, firma fide in eum credit, atque confidit, hic iuſtificatus eſt, ac ſic intrat in miſericordia, & deducitur in iuſticia, & vere regitur à Chriſto ſedente, & in iuſticia eiuſmodi iudicante orbem terræ. At qui ſic ingreditur in iuſticia, multis in via ſua ſcandalis petitur à carne, mundo & Diabolo. Iuxta illud Pſalmi: Iuxta iter ſcandalum poſuerunt *Pſal. 140.*

mihi,

mihi, ſi quo modo offendat ad lapidem pedem ſuum. Donec enim in carne
viuimus, inſidiatur calcaneo noſtro Serpens antiquus, vt viam noſtram depra- *Inſidiæ Serpentis antiqui.*
uet aut detorqueat à recto inceſſu. Ideo hic iudicium Dei propoſitum incutit
timorem, qui præſeruat & facit vt declinemus à malo, ne ſeducantur ſenſus
noſtri per Satanam (ſicut Heua ſeducta eſt) à ſimplicitate, quæ eſt in Chriſto,
1.Cor.11. vt cœpto & recto itinere procedamus. Et hæc eſt rectitudo, ſeu æquitas iſta.

Quare licet hæc duo in ſpirituali iſto negotio æſtimare, ſicut apud medi-
cos medicinam ſanatiuam & præſeruatiuam, ita vt aliud ſit quod æger ſumit, *Iuſticia & rectitudo differunt.*
aliud à quo abſtinet, donec ſanetur. Ita mihi videretur, iuſticiam eſſe gratiam,
qua per fidem in Deum iuſtificamur. Rectitudinem, abſtinentiam quandam,
qua abſtinemus ab omnibus illecebris, aut minis, quibus homo auerti & in ſua
curuari ac deprauari poſſit, ſiue per hanc perſeuerantiam, ſiue temperantiam,
aut quouis alio nomine quis appellet.

Eadem duo per iuſticiam & iudicium ſignificari arbitror, quæ fere ſem- *Iuſticia.*
per componuntur in ſacris literis, vt Pſal. 119. Feci iudicium & iuſticiam. Et *Iudicium.*
Pſal.119. iterum: Beati qui faciunt iudicium & iuſticiam in omni tempore. Eadem duo
per iuſtificationem & mortificationem membrorum, poſt iuſtificationem ex-
ercendam, intelligerem. Licet rectitudo magis ad affectum referatur, quam
ad tumultum mortificationis, qui iudicio & cruce peragitur. Nam is vtiq; re- *Rectus qui dicatur.*
ctus eſt, qui integri ac ſynceri tum iudicij, tum affectus eſſe perſeuerat, quam-
Pſal.91. cunq; in partem oblata, vel cauſa vel occaſione. Quæ rectitudo Pſal. 91. certe
copioſe deſcribitur, vbi dicitur:

Qui habitat in adiutorio Altiſſimi, in protectione Dei cœli commorabi-
tur, Dicet Domino, ſuſceptor meus es tu &c. Hæc enim ad fidem & iuſticiam
pertinent. Deinde ſequitur: Scuto circũdabit te, non timebis à timore noctur-
no, A ſagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incurſu &
dæmonio meridiano. Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tu-
is, ad te autem non appropinquabit. Quare? quia nec ad dexteram nec ad ſini-
ſtram declinat, ſed media regia rectaq; via incedit. Et infra, Angelis ſuis man-
dauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis. Certe hæc cuſtodia facit, vt in
via recta perſeueret aduerſus omnes illecebras ad prauitatem allicientes. Deni- *Iuſtus vincit inſidias.*
que ſequitur: Super aſpidem & Baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem
& draconem, Quid hoc? niſi quod calcanei ſui vniuerſas inſidias vincit iuſtus
rectitudine ſua.

Rom.6.13. Hanc rectitudinem Apoſtolus Rom. 6. & 13. alijsq; locis commendat, *Iuſtificati fide non obediant concupiſcentijs.*
Vbi docet nos eſſe iuſtificatos quidem per fidem, Sed tamen ſolicitos reddit,
ne obediamus concupiſcentijs, nec membra exhibeamus arma iniquitatis, Sed
renouemur de die in diem, exuentes veterem hominem, & induentes nouum.
Nec eſt dubium, quin in Ebræo plurali numero dixerit, In rectitudinibus,
quod noſtra translatio ſingulariter dixit, in iuſticia (quod & ipſum pro æqui-
tate permutauit) vt oſtenderet infinita illa maris huius magni reptilia, & ani-
malia magna cum paruis, id eſt, varias inſidias, quia via iuſticiæ impetitur. Vt
et ſi vna ſit iuſticia & rectitudo, multæ tamen dicantur, quia multis exercetur
prauitatibus & toties velut renouatur.

Ex his intelligamus, quam magna gratia ſit habere Chriſtum iudicem
in iuſticia & rectitudine, atq; quam recto ordine iuſticiam præpoſuerit æqui- *Chriſtus Iudex in iuſticia & rectitudine.*
tati, Cum multi ſint, qui incipiant per fidem iuſtificari, ſed ſtatim deprauan-
tur & obliquitatibus deturbantur in alienam viam, manente nihilominus (vt
ipſi putant) fide, ſaltem acquiſita quam vocant. Et hæc obliquitas ſeu praui-
Pſ.5. tas, maxime periculoſa eſt in rebus ſpiritualibus, de quibus Pſalm. 5. diximus.
Hanc iuſticiæ & æquitatis differentiam interim ſequemur, donec meliora
inuene-

iuuenerimus,quæ multum meo iudicio lucis afferet varijs Scripturæ locis,quæ his vocabulis vtuntur.

Iudicare, præeſſe.

Illud leuiculum eſt forte,non tamen prætereundum,Quod verbum Iudicabit, non tam operis quam officij,ſeu dignitatis ſignificationem ebraico more habet.Sicut Pſal.110.Iudicabit in Nationibus,implebit ruinas,conquaſſabit capita in terra multorum. Sic in Libro Iudicum,de Rectoribus populi Iſrael dicitur,quod iudicauerint,id eſt,præfuerint Iſrael. *Pſal.110.*

Rectorum, Eccleſiæ officium.

Quo ſignificatur,quod regnum Chriſti conſtitutum ſit in expugnandis non vrbibus,aut hominibus,ſed peccatis & vitijs.Et qui vice huius Regis præſunt, in iudicio eiuſmodi præeſſe debeant, vnico hoc ſcopo obſeruato, quo reddant populum Chriſti à peccatis & erroribus quam puriſſimum. Sicut Pſal.122.dicitur:Quia illic ſederunt ſedes in iudicio,ſedes ſuper domum Dauid.Iudicium enim eſt officium reſpectu inferioris,quo rectificatur, & à peccatis emundatur. Iuſticia eſt officium reſpectu ſuperioris,quo obeditur eius verbo.Alterum hoc ad ſpiritum iuſtificatum,Alterum illud ad carnem mortificandam pertinet,Vtrumq; tamen ab vno eodemq; Chriſto Rege & Iudice proueniunt,miniſterio verbi per Apoſtolos apoſtolicosq; viros. *Pſal.122.*

Iudicium & Iuſticia quid.

Iudicium extremum ſeueritatis & bonitatis.

HIs dictis nihil obſtat,ſi hunc verſum,vt generalem ſententiam,aptes,etiam extremo iudicio nouiſſimi diei,atq; in vniuerſum omni iudicio,ſiue ſeueritatis,quo perduntur impij etiam in hac vita,ſiue bonitatis,quo conuertuntur electi, Vnum eſt enim & idem iudicium Dei in omnes. Qui enim iudicari nolunt ſuauiter,nec in æquitate à peccatis purgari, vt ſaluentur in iuſticia ſpiritus,ſibijpſis ex iudicio bonitatis faciunt iudicium ſeueritatis, Manente nihil ominus iuſticia & æquitate,in vaſis miſericordiæ, Peccatum enim æquitate iudicij Dei damnari oportet,ſiue ab impijs ſeparetur, ſiue in æternum eis adhæreat.

Et hoc ſenſu Apoſtolus hunc verſum tractare videtur.Acto.17.Nunc Deus annunciat hominibus,vt vbiq; omnes pœnitentiam agant,eo quod ſtatuit diem,in quo iudicaturus eſt orbem in æquitate,per virum,in quo ſtatuit, fidem præbens omnibus,ſuſcitans eam à mortuis. Huc & Rom.3. alludit: Nunquid iniquus eſt Deus,qui infert iram? Abſit.Alioqui quomodo iudicabit Deus hunc mundum.Q.d.Vtiq; in æquitate iudicabit. *Acto.17.* *Rom.3.*

Iudicium incipit à domo Domini. 1.Pet.4.

Nam & Petrus(1.Pet.4.)idem iudicium Dei facit id,quo conuertit impios,& quo damnat reprobos,dicens,Quoniam tempus eſt,vt incipiat iudicium à domo Dei.Si autem primum à nobis quis finis eorum,qui non credunt Euangelio? Et ſi iuſtus quidem vix ſaluabitur,impius & peccator vbi parebunt?Vbi Petrus illud Prou.11.tangit,Si iuſtus in terra recipit,id eſt, retribuitur ei ſicut peccatori & impio,quanto magis impius & peccator.Quod Ebr.9. dicit,Ecce iuſto in terra retribuitur ira,quoniam impius & peccator.Vult autem Petrus illud Ezech 9 vbi Dominus miſſo viro,qui atramentarium Scriptoris in lumbis ſuis habuit,induto lineis, mandat, vt interficiat omnes vſq; ad internitionem,*A ſanctuario*(inquit)*meo incipite*.Hoc Petrus dicit tempus iudicij,quod inchoat à domo Dei. Quomodo & Iere.49.Ecce quibus non erat iudicium,vt biberent calicem,bibentes bibent,&tu innocens relinqueris? Non eris innocens,ſed bibens bibes.Ecce idem calix,ſed diuerſo fine bibentes,alius hinc purgatur & conuertitur,alius reprobatur & damnatur. Sic Deut.32. Iudicabit Dominus populum ſuum,& in ſeruis ſuis deprecabitur. Par itaque iudicium omnibus,ſed impar euentus. *Prou.11.* *Iere.49.* *Deut.32.*

Locus ex cap. Ezech 9.

Par iudicium omnibus,ſed impar euentus.

Et factus eſt Dominus refugium pauperi,adiutor in opportunitatibus in tribulatione.

HIc alterum exercitum deſcribit victorem, ſcilicet, piorum, ipſam Almuth. Eadem dictio ebraice eſt refugium & adiutor, quam Hieronymus reddit, Et erit Dominus eleuatio oppreſſo, eleuatio oportuna in anguſtia. Vult enim Propheta populum pauperem Apoſtolorum & Martyrum, eſſe eleuatum & victorem factum, futurumq; ſuper mundi Magnates & gygantes per verbum Chriſti. Quo tropo Iſa. 7. dicitur. Et leuabit Dominus hoſtes Rezin ſuper eum, id eſt, victores faciet hoſtes Rezin. Ita hic prophetat futurũ, vt perſecutores Eccleſiæ victi, victrici Eccleſiæ victoriam cedant. Quod cum fieret, erat incredibile, nunc autem factum eſt mirabile, ſicut erat cum & prædiceretur, Hoc totum increpante, iudicante, ſedente Chriſto in throno ſuo.

Iſa. 7. — *Exercitus Apoſtolorum & Martyrum victor.*

Quod in oportunitatibus dictum eſt, ebraice Leithoth, in temporibus dicitur, eadem dictione, qua Pſal. 1. Et fructum ſuum dabit in tempore ſuo. Satis autem tranſtulit bene, In oportunitatibus, In quo & impatientes arguuntur, & nos omnes conſolamur. Impatientes enim, quibus omnis mora longa eſt, diem & modum Deo præſcribunt, quo velint iuuari, vt Iudith. 8. arguuntur, Qui eſtis vos, qui in arbitrium veſtrum diem conſtituiſtis ei? Promiſit omnia petentibus, pulſantibus, quærentibus ſe daturum, ſed locum, tempus, modum, id eſt, oportunitates ſibi reſeruauit ſoli. Si enim mox, vt clamamus, exaudiret, magno noſtro malo exaudiret. Primo, quod fidei, ſpei, charitatis nullus locus, nullusq; vſus reliquus fieret, ſtatim ad ſenſum expleto deſiderio noſtro.

Pſal. 1. — *Non ſtatim exaudiendi peccantes.* — *Impatientes tempus & modum liberationis Deo præſcribunt.* — *Iudit. 8.*

Pſal. 78.

Sicut Pſal. 78. In deſerto Iudæi ſcribuntur non fraudati deſiderio ſuo, cum poſtulaſſent carnes increduli & impatientes moræ, verum & ira quoque Dei ſimul aſcendit mox ſuper eoſdem, & perierunt. Deinde, vbi fidei, ſpei, charitatis nullus vſus eſſet, nulla quoq; ſequeretur purgatio peccatorum, & mortificatio vitioſorum affectuum, quibus in res præſentes & ſenſibiles inſanimus. Non purgatis autem affectibus & rebus carere non aſſueti, nihil boni operis facere poſſumus, nec Deo vnquam placere, quare nec ſalui fieri.

Adeo ſolicita eſt diuina miſericordia pro nobis, adeo propter nos differt dare, quod tamen præcipit poſtulare, quo poſſit multo lucro & cumulo nobis donare. Proinde Iſa. 64. Oculus non vidit abſq; te, quæ præparaſti expectantibus te. Verbum obſerua, expectantibus, & ea quæ oculus non vidit, quibus Apoſtolus 1. ad Cor. 2. addit: Nec in cor hominis aſcenderunt, & pro expectantibus, reddit diligentibus, Nam hi demum vere diligunt Deum, qui expectant promiſſoris veritatem. Qui vero deficiunt, ſeipſos potius diligunt. Sic Pſal. 27. Expecta Dominum, viriliter age, confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum. In hanc rem multa præclare Iohannes Taulerus in ſermonibus vernaculis. Nam hi ſunt recti corde, de quibus Pſal. 73. Quam bonus Deus Iſrael, his, qui recto ſunt corde, & cætera, quæ pulchre huc conſonant. Rectum enim cor diximus, quod non quærit quæ ſua ſunt, nec in ſeipſum deprauatum eſt. Et huic bonus eſt Dominus, quia ipſi guſtant & vident, quoniam ſuauis eſt Dominus.

Locus ex Iſa. 64. — *1. Cor. 2.* — *Qui vere diligunt Deum.* — *Iohannes Taulerus.* — *Pſal. 27.* — *Rect. in cor.* — *Pſal. 73.*

Ex his duobus nominibus proprie exprimitur conditio Almuth noſtræ, id eſt, abſconditæ iuuentutis, ſeu populi noui, in myſterio fidei viuentis, quod pauper & tribulatus deſcribitur. Vt enim impios inimicos famoſi nominis, magnæ poteſtatis & phrameæ, & multæ turbæ, in ciuitatibus eſſe, ac per hoc foris ſpecioſos & apparentes deſcripſerat. Ita econtra, pios oportuit deſcribi contraria ſua forma paupertatis, tribulationis, infirmitatis, ignobilitatis, & tamen huic contemptibili dari victoriam aduerſus magnificos illos, & ſuperbiam Iordanis, vt ſtet quod dixit, ſe mirabilia Dei narraturum, gaudens in Domino, qui deponit potentes, & exaltat humiles. Et humilia reſpicit in cœlo & in terra.

Populus nouus in myſterio fidei viuens.

Et ſpe-

Et ſperent in te,qui nouerunt nomen ſuum,quoniam non dereliquiſti quærentes te Domine.

Pij in nomine Dei, impij in ſuo nomine gloriantur.

QVid ſit noſſe & diligere nomen Domini, & ſperare in eo, abunde Pſal.5.dictum eſt eo verſu:Et gloriabuntur in te omnes,qui diligunt nomen tuum &c. Pertinet autem tam ſpes quam notitia nominis Dei ad formam Almuth depingendam, quod vita eius ſit in ſpe abſcondita,& nomen ſuum non agnoſcat,Glorietur autem in ſolo Dei nomine, vbi impij in re apparente,& in ſuo nomine gloriantur. *Pſal.5.*

Hoc autem poteſt intelligi Indicatiuo futuro dictum: Et ſperabunt in te, qui nouerunt &c. Vt ſit ex præterito exemplo liberationis,confortatio ſpei in futura tribulatione, Quo affectu Pſal.4.incipit: Cum inuocarem,exaudiuit me Deus iuſticiæ meæ,in tribulatione dilataſti mihi,vt ibi dictum eſt, Loquitur n. hic verſus ad conſolationem infirmorum,vt ſperent in Deum omnes, qui inuocant nomen eius,viſis tot eius mirabilibus præteritis. *Pſal.4.*

Et illud aduerſus ſenſum carnis dicitur. *Quoniam non dereliquiſti quærentes te,* vt opportunitatem diſcant expectare,apparet enim omni ſenſui, Deum dereliquiſſe quærentes eum,contra quas procellas cogitationum,huius verſus rupes eſt firmanda,& dicendum cum fiducia:Non dereliquiſti quærentes te Domine.

Pſallite Domino,qui habitat in Zion,annunciate inter Gentes ſtudia eius.

ECce & hic verſus declarat,quos nomine Almuth intellexerit in titulo,nempe reliquias Iſrael,qui relicta vetere Synagoga,quæ in ſplendoribus mundi & ſanctis ſecularibus ſpectabilis erat,per fidem nati ſunt in nouum populum,& iuuentutem ſpiritualem,quæ ambulent non in pompis cæremonialibus literæ, ſed in ſpiritu nouitatis, ſub cruce & paſſionibus contempta laborans.Hoc nimirum indicat,quod habitatori Zion pſallere iubet,& annunciare in gentes ſtudia Dei.Nec enim alij prædicauerunt gentibus, ſacramenta illa Dei,niſi Apoſtoli & alii ex Iudæis conuerſi,vt Iſa. vlt.prædixit:Et mittam ex eis,qui ſaluati fuerint,ad Gentes,in mare,in Aphricam & Lydiam, & ſagittarios in Italiam & Græciam,ad Inſulas longe,ad eos,qui non audierunt de me, nec viderunt gloriam meam, & annunciabunt Gentibus gloriam meam,& aducent Fratres veſtros de cunctis gentibus &c. Idem ex Mich.5.ſupra retulimus,de reliquijs Iacob,in medio populorum multorum. *Iſa.66.* *Mich.5.*

Reliquiæ Iſraelis Apoſtoli & alij ex Iudæis conuerſi.

Zion,ciuitas Ieruſalem.

Eccleſiæ regnum.

Nec oportet hoc loco Zion allegorico ſenſu trahere ad Eccleſiam per orbem diffuſam,ſed ipſam ad literam,ciuitatem Ieruſalem (in qua Chriſtus inſtituit,cœpit & perfecit Eccleſiam ſuam)intelligimus,cum de his loquatur, ſcilicet,primitiuis Apoſtolis & Sanctis,qui in monte Zion & Ieruſalem habitauerunt. De Zion autem Pſal.2.dictum eſt,quomodo Chriſtus conſtitutus eſt rex ſuper Zion montem ſanctum eius,Non enim fecit & abijt, ſed conſtitutus habitat in Zion,præſentiſſimus nobis factus. *Pſal.2.*

Iuxta illud.Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus &c.

Quod dictum eſt aduerſus laruas eorum,qui in hominum facies intenti, Eccleſiæ regnum(quaſi Chriſtus in triumphante Eccleſia regnet ſolum,militantemq; hominibus reliquerit) pene vendicant humanæ temeritati & potentiæ, Si enim credimus verum eſſe,quod hic dicitur,Chriſtum habitare in Zion, Quid tam anxie pro noſtris iuribus, titulis, ditionibus laboramus? Cur tot traditionibus, fœderibus, pactis, imo bellis ac,diſcordijs tumultuamur?

mut? Et cui animas in Baptiſmo in æternum victuras concredimus, Cur corpora & res noſtras hominum ſtudijs ita tenemus, roboramus, tuemur? Verum non credunt iſtiuſmodi Chriſtum in nobis habitare, ideo digna incredulitatis mercede donati traduntur in ſenſum reprobum, vt faciant ea quæ non conueniunt. *Rom. 1.*

Subindicat vero Propheta futurum, vt deſertis Iudæis, Chriſtus inter gentes prædicaretur, dum inter gentes annuncianda prædicit ſtudia Dei. Et iam incipit eas quoq; paſſiones & victorias recenſere, quæ fidelibus inter Gentes contigerunt, Vt videbimus ordine ſuo.

Studia, quæ hoc loco ebraice ee'liloth dicuntur, alij opera, alij mirabilia, alij conſilia tranſtulerunt. Mihi præ omnibus placet, quod noſtra translatio habet, ſtudia, quo generaliſſimo nomine comprehenduntur, opera, exercitia, negotia cuiuſq; hominis, præſertim ea, quæ data opera molitur. Vnde non inepte ſtudium Ebræis ſimul inuoluit & conſilium & opus. Dei itaq; ſtudia ſunt proprie opera illa mirabilia, quæ conſulto facit, Ea ſunt quæ diximus, humiliare ſuperbos, & exaltare humiles, conuertere impium retrorſum, & refugium eſſe pauperi. Hæc quia Iudæi reſpuerunt & contempſerunt, ecce (inquit Acto. 13.) conuertimur ad Gentes, Quæ annunciata & ex Gentibus multos conuerterunt, & multos offenderunt, vtrobiq; enim Chriſtus ſignum eſt contradictionis, poſitus in ruinam & reſurrectionem multorum. *Studia Dei.* *Act. 13. Luc. 2.*

Quoniam requirens ſanguinem, eorum recordatus eſt, non eſt oblitus clamorem pauperum.

EXponit ſtudia Dei clarius, quæ annuncianda docuit, ſcilicet in conſolationem tribulatorum, Deus enim tardus eſt redditor, vt Sapiens dicit Eccle. 5. Et multæ diuitiæ bonitatis, patientiæ & longanimitatis eius. Apparet neq; requirere ſanguinem Sanctorum, neq; memor eſſe pauperum ſuorum, In qua longanimitate opus eſt, vt his Pſalmis ſpiritualibus nos exhortemur. *Deus tardus eſt vltor.*

Et iterum Almuth noſtræ perſonam deſcribit, pulchre exponens rationem tituli Nam dum ſanguinem pauperum & clamorem recenſet, nonne indicat imaginem mortis & omnium paſſionum portari ab iſta Almuth? Vere nouum genus hominum, quod ſub morte viuit, ſub paſſione gaudet, ſub oppreſſione vincit, ſub obliuione ſui clamans exauditur. Quomodo potuit profundius abſcondi, quam ſub ſanguine? Itaq; ſi quis hucuſq; dubitauit Martyres hoc Pſalmo loqui, hunc verſum legat, & ſanguinem eorum obſeruet. *Nouum hominum genus.* *Populus noui Teſtamenti.*

Ita videmus quoq;, quibus viribus vicerint Martyres, ſcilicet, ſanguine & clamore. Et quam longe à facie primitiuæ Eccleſiæ receſſerit Eccleſia hodierna, quæ vel Babylone cruentior, potius aliorum ſanguinem fundit, & clamores in cœlum contra ſe concitat, arbitrata ſe obſequium præſtare Deo. Siue autem hunc verſum aptes ad præterita mala, quibus à Iudæis afflicta eſt iuuentus Martyrum, ſiue ad præſentia & futura inter Gentes ferenda, parum refert, quanquam priori ſenſui magis conuenit ſequens textus, cum in hos ſtudia Dei declaret, quibus à Iudaico furore liberata eſt, vt oſtendat, quid prædicandum ſit inter Gentes de ſtudijs Dei, & ob quod pſallendum ei ſit, nam ſtatim dicet de malis inter Gentes ferendis. *Victoria Martyrum primitiuæ Eccleſiæ, ſanguine & oratione parata.*

Recordationem vero ſanguinis Sanctorum, & memoriam clamoris pauperum, primo intelligimus ſuauiter de conuerſione impiorum, merito ſanguinis & clamoris Martyrum facta. Sicut S. Stephanus Paulum, Laurentius Hippolytum, & in ſumma, Eccleſia totum mundum ſanguine & oratione *Mundus conuerſus ſanguine & oratione Eccleſiæ.*

cōuertit. Deinde ſeueriter in eos, qui contempta hac ſuauitate, manent in ſua impietate, de quibus Chriſtus Luc. 18. Audite quid Iudex iniquitatis dicat, Deus autem non faciet vindictam Electorum ſuorum clamantium ad ſe die ac nocte? Dico autem vobis, quia cito faciet vindictam illorum. *Luc. 18.*

Patientia in propria cauſa.

Præceptum olim, nunc conſilium.

Vide, quam ſibi vbiq; conſtet euangelica doctrina & vita. Chriſtianorum eſt, non reddere malum, nec retaliare, nec vindictam facere. Ita hoc verſu Martyres fundunt quidem ſanguinem, nec tamen aliud faciunt, niſi quod clamant, vt & nos erudiamur, Oportere quemlibet in ſua cauſa patientem & vacuum vindictæ eſſe, ac ſola oratione ad Deum conuerti. Sicut Rom. 12. dicit: *Rom. 12.* Non defendentes voſmetipſos chariſſimi, ſed date locum iræ. Scriptum eſt enim: Mihi vindictam, & ego retribuam. Verum hoc olim erat præceptum neceſſarium, quando Euangelium florebat, nunc regnantibus opinionibus, factum eſt Conſilium perfectis datum. *Deut. 32.*

Miſerere mei Domine, vide humilitatem meam de inimicis meis, qui exaltas me de portis mortis.

Humilitas. Inimici.

DIuus Hieronymus ſic: Vide afflictionem meam ex inimicis meis. Quare humilitas hoc loco manifeſte vilitatem, oppreſſionem, laborē ſignificat, quod & frequenter pro pauperibus accipitur in Scripturis, Q. d. triſticiā ac moleſtiā animi, qua laborat ſub inimicis. Inimici proprie hoc loco, ab odiendo, oſores ebraice dicuntur. Tum illa locutio Latinis inſolita eſt, humilitatem meam de inimicis meis. Eclypſis enim eſſe videtur, in hunc modum ſupplenda: Vide humilitatem meam, quam patior ab oſoribus meis.

Eccleſiæ forma.

Eſt itaq; huius verſus affectus in his, qui victis aliquot malis, iterum premuntur, clamant & orant, vt liberentur. Vt non modo indicet, Sanctos, aſſidue tribulationibus expoſitos eſſe, verum & Eccleſiæ formam præſcribat, in cuius perſona pſallit, quæ in præcedentibus Martyribus confitetur & gloriatur, In præſentibus gemit & clamat, pro futuris orat & optat. Vnde & hic cum petit reſpici ſuam afflictionem per miſericordiam Dei, recenſet priora Dei mirabilia, quod etiam à portis mortis eam exaltarit.

Pauli afflictiones in Aſia.

Exemplum autem huius verſus, pro mea ruditate, pulchrum exhibuit Apoſtolus Paulus, in tribulationibus, quibus grauabatur in Aſia, ſcribens 2. Cor. 1. ſic: Nolumus ignorare vos Fratres de tribulatione noſtra, quæ facta eſt in Aſia, Quoniam ſupra modum grauati ſumus ſupra virtutem, ita, vt tæderet nos etiam viuere, Sed ipſi in nobiſmetipſis reſponſum mortis habuimus, vt non ſimus fidentes in nobis, ſed in Deo, qui ſuſcitat mortuos, qui de tantis periculis eripuit & eruit, in quem ſperamus, quoniam adhuc eripiet, adiuuantibus vobis in oratione pro nobis. Itaq; arguit à maiori tam Apoſtolus quam Propheta. Si (inquit) à portis mortis exaltaſti antea, etiam nunc, cum moleſti mihi ſunt oſores mei, & in afflictione mea, miſereri mei. Facile fidelis eſt & ſperat in minori malo, qui in maximo expertus eſt ſpei fructum. *2. Cor. 1.*

Portæ mortis.

Porta pro curia.

Hanc portam mortis, grauiſſimam eſſe perſecutionem credo, quam Apoſtolus reſponſum mortis in ſeipſo videtur appellare. Scio quidem in Scripturis portas ſolere accipi pro curijs, aut conſiſtorijs, vbi iudicium accipiebatur, vt verſu ſequente videbimus. Alios autem Tropologiam ſecutos, per portas mortis intelligere vitia ſeu peccata, quibus peruenitur ad mortem.

At ſimplici ſenſu contenti, mortem iſtam corporalem, vt dixi, accipiemus, & portam, ingreſſum eiuſdem, vt ſit porta mortis, introitus mortis, ſeu mors inſtans & vrgens. Quæ etſi parui momenti ſit ad mortem æternam,

tamen niſi victrice gratia Dei ſuperetur, prorſus nihil differt ab æterna morte, imo eſt vere initium æternæ mortis, Alioqui vix dormitio vocatur & ſomnus, ſeu requies Sanctorum. Quare Epitaſin obſeruemus in porta iſta mortis, vt intelligamus Apoſtolum & ſanctos Martyres cum morte ſic pugnaſſe, vt ſenſerint quendam guſtum æternæ mortis, Quem & Chriſtus Matth. 16. per portas inferi ſignificaſſe videtur, Niſi enim atrocius aliquid ſenſibili morte indicaret, non tam ardentibus & potentibus verbis vteretur, dicens de portis mortis.

Matth. 16. — *Portæ inferorum.*

Vt annunciem omnes laudes tuas in portis filiæ Zion, exultabo in ſalutari tuo.

SIc enim ebræus verſus finit, Et quod hic annunciem, ſupra verſu primo dixit, Narrabo, Idem vtrobiq; verbum. Potuit autem & ſic transferre, Propterea enarrabo omnes laudes tuas. Omnes laudes dicit, eodem tropo, quo ſupra omnia mirabilia dixit. Affectus autem iſte Pſal. 5. tractatus eſt, vbi dictum eſt, quomodo glorientur in Domino, qui diligunt nomen eius, Delectantur enim eius laudem annunciare & prædicare, Ideo petunt adiuuari, & ſuſtinent viriliter Dominum futurum adiutorem, qui niſi veniret, laus quoq; eius penitus periret, Sicut Pſal. 6. dictum eſt, Quoniam non eſt in morte qui memor ſit tui. Ita & hic dicit, Se exaltatum à portis mortis, vt laudes eius enarret, & exultet in ſalutari eius.

Omnes laudes. — *Pſal. 5.* — *Pſal. 6.*

Vnde videmus hunc Pſalmum in perſona totius Almuth cantari. Martyres enim occiſi, non enarrant laudē Dei in Eccleſia militante, ſed reliqui, qui data pace, aut victis impijs, ſuperſunt aut ſuccedunt, Cum ideo narrentur laudes eius, vt nota fiant opera Dei, & nomen eius cognoſcatur, in conſolationem & ſpem fidelium, atq; in conuerſionem infidelium. In cœlo enim, vbi omnes vident gloriam Dei, non indigent prædicante. In terra autem, vbi gloria Dei nullo modo capitur, dum ſub tam aduerſa forma operatur, vt magis oblitus, quam memor eſſe videatur, opus eſt ſaltem verbo eam commendari & fide intelligi.

Laudes Dei cur enarrentur.

Hic portas filiæ Zion, ebræo tropo, ſignificari loca, in quibus fideles conueniunt ad verbum Dei, ad orationem, ad Sacramentum, ad pœnitentiam, & ad vel ligandos, vel ſoluendos peccatores, ſatis clarum puto. In portis enim, olim ſedebant iudicaturi. Vt Prou 31. Nobilis in portis vir eius, quando ſederit cum Senatoribus terræ. Nec abſurdum videtur, iuxta Synecdochen ciuitates intelligi, per portas in lege Moſi, quando Deut. 17. & ſimilibus locis, dicit: Si fuerit repertus intra vnam portarum tuarum vir, aut mulier &c. Quo nomine ciuitates credo appellatas, ob myſterium Eccleſiarum futurarum, in quibus introitus & exitus, tum patens, tum tutus eſt. Exitus, inquam, ad bella & labores, introitus ad pacem & quietem, In his portis vtiq; laudes Dei annunciantur, ſicuti vidimus & videmus.

Portæ filiæ Zion. — *Prou. 31.* — *Deut. 17.* — *Ciuitates intelligi per portas.*

Filiæ Zion dicit, vt ſupra, quod Eccleſia in monte iſto cœperit, & inde promouerit in omnem terram. Et forte non ſine cauſa adiecit, filiæ, non contentus, in portis Zion, dicere, quod præuiderit Zion & Ieruſalem vaſtandas. Nihilominus Eccleſia per orbem, quæ filia illius eſt, habet ſuas portas, in quibus prædicatur laus & gloria Dei in ſalutem gentium, & agitur iudicium ad mortificandum peccatum veteris hominis, vt dictum eſt.

Filiæ Zion.

Exultabo in ſalutari tuo. Frequens eſt vocabulum, Salutare tuum in ſacris literis, & fere ad Chriſtum refertur, Recte quidem, ſed non ſatis aperte. Aliud enim ſonat Saluator, aliud ſalus, aliud ſalutare. Salutare enim Latinis id dicitur, quo vſus Saluator ſalutem confert, ſicut cibum, potum, medi-

Saluator, Salutare, Salus, differunt.

cinam,& ſimilia dicimus ſalutaria. Quæ cũ ita ſint, Chriſtus aptiſſime ſalutare vocatur, cum ipſe ſit ª remedium illud, quo nos ſaluamur, Ipſe eſt panis, qui dat vitam mundo, Et omnino idem medicus & medicamentum, quo ſanantur peccata animarum, quo & liberamur ab omni malo.

Alij medium.

Eſt itaq; ſenſus: Ego ſalutem, neq; in me, neq; vllis hominibus quæro, vana enim ſalus hominis, Libens à me & ab illis deſtituor, vt liceat mihi in Chriſto filio tuo ſaluum fieri ab omnibus peccatis & malis. Ipſe enim eſt ſaluberrimum vnguentum, ipſe conſolatio noſtra, ſeu vt Apoſtolus 1. Cor. 1. Ipſe iuſticia, ſapientia, ſanctificatio, redemptio noſtra, à Deo nobis factus. Quibus verbis optime energiam huius nominis, ſalutare, & vſum Chriſti, & incorporationem noſtri in Chriſtum expoſuit. Modo vites ſomniatores Sophiſtas, qui Chriſtum nobis ſic iuſticiam & ſapientiam faciunt, vt ſemper, vel obiectũ, vel cauſam iuſticiæ noſtræ ſtatuant, vſum vero eius, qui eſt per fidem in eum, penitus ignorantes, de quo ſolo loquitur Paulus: Fides enim in Chriſtum facit eum in me viuere, & moueri & agere, non ſecus atq; ſalutare vnguentum in ægrum corpus agit, efficiturq; cum Chriſto vna caro & vnum corpus per intimam & ineffabilem tranſmutationem peccati noſtri in illius iuſticiam, Sicut nobis repræſentat venerabile altaris Sacramentum, vbi panis & vinum in Chriſti carnem & ſanguinem transformantur.

1. Cor. 1.

Sophiſtæ vſum Chriſti ignorant.

Hæc qui nouerit & expertus fuerit, mox faſtidit ſaluari ab hominibus, libenter damnatur ab illis, exultat in ſolo Dei ſalutari, gaudens & gratias agens, ſe talem eſſe, cui Chriſtus ſit ſalutaris, donec plene ſaluus factus, ſimilis ſit ei, qui ſe ſaluum fecit ſuo ipſius impendio. Ita verbum, ſalutare, quia vſum & vim ſalutis includit, aptius conuenit militanti Eccleſiæ, quam ſalus, quæ potius futuri ſeculi res conſummata erit. Interim Chriſtus fermentum eſt, abſconditum in ſatis tribus farinæ, donec fermentetur totum, hoc enim agit, hoc iudicium eius eſt, hic eſt thronus eius in hoc tempore (vt diximus) quod expurgat peccatum in fidelibus ſuis, & imbuit iuſticia per ſeipſum, Sicut Ebræ. 1. dicit: Portans omnia verbo virtutis ſuæ, purgationem peccatorum per ſemetipſum faciens, ſedet ad dextram maieſtatis in Excelſis.

Iudicium Chriſti.

Ebræ. 1.

ET pulchre, licet Paulo obſcurius, hic verſus ſacrificium altaris, id eſt, Miſſam, videtur tractare. Hoc enim agi debet in Miſſa, Primum, vt enarrentur laudes Dei, (id eſt, Euangelium) in quo mirabilia ſtudia, opera, beneficia Dei prædicantur, idq; in portis filiæ Zion, id eſt, in conuentibus fidelium. Deinde, vt fermententur populi ſalutati fermento, id eſt, imbuantur & reficiantur Chriſto, vt exultare diſcant in ſalutari Dei. Eſt enim menſa iſta, menſa conuiuij magni & iucundi, è qua veſci debemus cum lætitia: Verum hoc illi sconueniet, qui tribulationem & humilitatem ex inimicis patiuntur, ſicut præcedente verſu dicitur.

Quid in miſſa agendum.

Cum autem & alijs locis omnibus Scripturæ, iſtud ſacrificium, in, & pro conuentu multitudinis celebrari ſtatuatur, Ego ſæpius paſſus ſum, & adhuc patior, miras cogitationes, Quidnam de ſingularibus & priuatis miſſis ſentiendum ſit, in quibus prorſus id non agitur, ad quod inſtitutum eſt hoc myſterium, neq; prædicatur ibi, nec communicatur. Niſi id laudes Dei enarraſſe dixeris, quod eſt Euangelium ab vno lege & audiri, rariſſimeq; intelligi, & id communicari putes, quod eſt vnum ſolitarium hominem (qui communitas dici nón poteſt) Sacramento iſto vti. Nam illos euidenter errare pronuncio, qui in hoc tantum celebrant, vt opus bonum aliquod faciant, Quaſi hoc myſterium ad faciendum opus bonum inſtitutum ſit, ac non multo maxime & ſolum, ad vſum iuſticiæ Chriſti, & vim ſalutaris Dei exercendam, ſi.

Priuatarum miſſarum abuſus.

Pſal. 116.

dam,ſicut canimus:Calicem ſalutaris accipiam,& nomen Domini inuocabo. *Quomodo celebrantes Miſſam errent.*
Pſal.116. Non quod damnem Miſſas priuatas,quas etiam cum noui,tum expertus ſum, multis fuiſſe ſaluberrimas, non tamen niſi magnis tentationibus vexatis, ſed quod vſum earum,qui paſſim regnat,vix paucis credo ſalutarem eſſe.

Infixæ ſunt Gentes in interitu quem fecerunt, In laqueo iſto quem abſconderunt,comprehenſus eſt pes eorum.

PRo infixæ ſunt, Hieronymus habet. Demerſæ ſunt,quod pulchre conueniret,ſi pro interitu,foueam quoq; reddere vellemus. Significat enim eadem dictio,interitum,foueam & laqueum,forte quod fouea
Pſal.7. & laqueo pereant homines. Atq; iterum tropus ille,cuius Pſal.7. meminimus,hoc loco ponitur,vbi omiſſo pronomine,quem,Ebræus ſimpliciter dicit: In interitu fecerunt,ſicut,Incidit in foueam,fecit. Deniq; eadem dictio,quæ illic,fouea,hic interitus verſa eſt. Eſtq; per omnia fere ſimilis cum illo verſus & ſimilis ſententia,vt appareat vice Prouerbij hanc ſententiam fuiſſe vulgo notiſſimā,quæ illic& hoc verſu traditur. Nam & quod hic dicitur,In laqueo iſto,quem abſconderunt, comprehenſus eſt pes eorum, diſtat in verbis & nihil in ſententia,ab eo,quod illic dicitur: Conuertetur dolor eius in caput eius,& in verticem ipſius iniquitas eius deſcendet. *In interitu fecerunt.*

Senſus autem apertus eſt,Quod impij Martyrum perſecutores dupliciter
Pſal.7. demerguntur,aliqui ſuauiter,aliqui ſeueriter. Seueritatis exemplum, Pſal.7. monſtratum eſt in Abſolon, qui in foueam cecidit, quam Patri ſuo parauit. Quod contigit & Iudæis vaſtata Ieruſalem,cum ipſi paraſſent vaſtare Eccleſiam. Sicut & Roma hoc merito vaſtata eſt. Idem neceſſe eſt tandem pati omnes
Prou.11.27. piorum perſecutores,etſi ad tempus modicum ſuperiores ſunt. Sicut ſcriptum eſt Prou.11. Iuſtus liberatus eſt,& tradetur impius pro eo. Et 27. Qui in altum mittit lapidem,ſuper caput eius cadet. Quæ omnia & ſimilia,ſicut & hic verſus,prouerbialiter dicuntur,in conſolationem patientium & infirmorum, vt certi ſint,id quod patiuntur,reuerſurum ad aduerſarios,ſeq; liberandos. Abſq; hoc,quod aduerſarij non modo corporali huic ſuo malo obnoxij erunt, ſed ſimul peiori malo in ſpiritu conterantur,dum & peccant in pios homines, &
Ier.17. pœnam pro peccatis incurrunt. Quod Ieremias dicit, Duplici contritione con-
Gen.4. tere eos. Sic & Cain Gen.4. ſcribitur,peccatum ſuum adhærere, ſimul tamen pœnam non euadere. *Perſecutores Martyrum demerguntur dupliciter.* *Demerſio perſecutorum Eccleſiæ ſeuera.*

Verum hoc loco magis benignitatis exemplum intueri decet, quia Pſalmus iucundiſſimus eſt,& verba increpationis omnia geri dicuntur, idq; conſonat ſequentibus,vbi Dominus iudicia faciens cognoſci, & peccatores in infernum conuerti,& legiſlatorem conſtitui,vt gentes ſciant ſe homines eſſe,dicitur,non tamen reiecto ſeueritatis exemplo. Quod,vt etiam rudioribus planum faciamus,conſtituamus ſibi contraria duo bella,carnis& ſpiritus,quibus pij & impij in hoc mundo congrediuntur. Carnale bellum dico, quo impij aduerſus pios inſaniunt,vt in Almuth iſta Martyrum oſtenſum. Hic impij ſemper ſuperiores ſunt,imo apparent eſſe ſuperiores,dum Sancti non niſi patiuntur,non reuerberant,non vindicant. Vnum eſt quod faciunt,quod ſinunt impios furere & facere quæ volunt,ſola patientia pugnantes. *Duo contraria bella, carnis & ſpiritus.*

Verum non in finem patientia iſta pauperum peribit,ſed mors & quæcunq; mala impijs eis intulerint,tandem in caput impiorum redibunt & demergentur in interitu,quem fecerunt. Morientur enim & viros iniuſtos mala capient in interitu,nec inde vnquam liberabuntur,ſicut iuſti liberati ſunt.

Digitized by Google

Igitur iſte eſt congreſſus carnalis piorum & impiorum, hic finis & victoria vtriuſq;. Sic maior ſeruit minori,& qui præualet rubeus & cruentus Edom, ſupplantatur à poſteriore Iacob.

Spirituale bellum.

Spirituale bellum eſt de pietate & impietate. Hic iterum impij imaginem maioris & prioris Edom habent, pij vero minoris & poſterioris Iacob, hic de religione, de fide, de opinione, de ſenſu ſpiritus, & omnino de his rebus bellatur, quæ ad Deum pertinent, propter quas & carnale bellum oritur & geritur, dum impij ſua pertinaciſſime ſtatuunt, piorum autem impetuoſiſſime perſequuntur & damnant. Hic proprie colliduntur in vtero Rebeccæ duo paruuli, vt mater ipſa periculo territa, dicat, Si ſic mihi futurum erat, quid neceſſe fuit concipere? Acerrima eſt hæc congreſſio. Talis fuit Apoſtolorum contra Iudæos, Pſeudoapoſtolos, Martyrum contra Idolorum religioſos & cultores, Doctorum contra Hæreticos, & ſemper & vbiq; humilium aduerſus ſuperbos mente cordis ſui. Hic impij multitudine & fortitudine præſtant potentibus, ſapientibus, iuſticiarijs, à ſua parte fideliter ſtantibus. Sicut Arrianæ hæreſis exemplo pulcherrime cognoſci poteſt. Tum ratio, ſenſus, opinio vulgi in illorum copijs regnant, ſuntque vndique armatiſſimi. *Gen. 25.*

Paruuli in vtero Rebeccæ colliduntur.

Arriana hæreſis.

Pij confeſſione ſola certant.

Pij vero, præter confeſſionem, quæ fit in ſalutem, pene nihil habent, pauci ſunt, ſimplices, ſtulti & peccatores, ab eorum parte ſtant. Tum quæ loquuntur, quia ſupra ſenſum, rationem opinionem vulgi ſunt, eo ipſo quo loquuntur, victi videntur, deniq; contempti & ridiculi. Tum illi opinione & plauſu vulgi & magnatum ſuorum freti inflatiq;, mox implent illud Pſal. 14. Conſilium inopis confudiſtis, quoniam Dominus ſpes eius eſt. Hucuſq; ſuccumbunt, ſeu ſuccumbere videntur iuſti, vſq; ad oportunitatem. *Pſal. 14.*

Maior ſeruit minori.

Vbi autem perſeuerauerint in confeſſione hac ſalutari, ſiue interim moriantur, ſiue patiantur, venit Dominus in oportunitatibus, dicens, Non ſic, ſed maior ſeruiet minori, hoc eſt, victor victo ſubijcietur, Sicut ex Iſa. 14. ſuperius adduximus, Et erunt capientes eos, qui ſe ceperant, & ſubijcient exactores ſuos. Dicit autem & fit ita, Ipſe enim dixit & facta ſunt. Tunc autem fiunt, quando (vt infra dicet) Dominus cognoſcitur iudicia faciens, & corruit impius in operibus ſuis. Reuelatione enim veritatis cognoſcitur, ſicut ſupra dixit, Increpaſti gentes, & perijt impius. Non enim nobis prædicantibus, ſed Deo increpante, iudicium faciente, & incrementum dante, vertuntur impij. *Iſa. 14.*

Interitus impiorum qualis.

Mutatis autem ac victis hac ratione impijs, iam verum eſt, eſſe captum pedem eorum laqueo, quem ipſi abſconderunt, & demerſos in interitu, quem fecerunt, Quia interitum & laqueum, quem pietati iuſtorum intentarunt, vt perderent eam, paſſa eſt potius eorum impietas, & perijt ipſa. Non autem eodem interitu perierunt, quem fecerunt, ſed ſimili, quia interitus pietatis & impietatis non ſunt idem interitus, ſed ſimilis formæ. Vnde hic locus ad tropum Apoſtoli Rom. 5. intelligendus eſt, vbi dicit, Adam eſſe formam Chriſti, cum tamen ille peccati, hic autor ſit iuſticiæ, Verum forma eſt ſimilis originis, non ſimilium rerum. Ita hic impij demerguntur in interitu, quem pijs fecerunt, Cum piorum interitus ſit impios fieri, & impiorum interitus pios fieri, forma itaq; eadem, ſed res longe diuerſiſſima. Hæc duo bella forte ſignat Apoc. 13. vbi cum altera beſtia pugnantibus dicit, Hic eſt patientia & fides Sanctorum. Cum altera vero pugnantibus, Hic eſt Sapientia. *Rom. 5.* *Apoc. 13.*

Adam forma Chriſti.

Sunt autem qui tropologiſſent penitus hoc loco, volentes, Demergi in interitu quem fecerunt, eſſe conſcientiam illaqueari & capi peccato, quod perpetrarunt. Alij argutius, hæreticos & impios proprio ſermone capi &

conſtringi. Sicut enim mendacem non eſt poſſibile ſatis eſſe memorem, ita nec ſatis prudentem, Quo fit, vt ab ijs, qui acute obſeruant, facile capiantur. Sicut Dauid Goliath ſuo gladio peremit. Et Chriſtus fortiorem alligans, diſtribuit arma, in quibus confidebat. Et fere videmus, Iudæos, Hæreticos, ſuperbos quoq; hac arte ſuperatos. *Hæretici proprio ſermone capiuntur.*

1. Reg. 14. Sic 1. Reg. 14. Ionathas hoc ſignum futuræ victoriæ ſibi præſumpſit, ſi ad Philiſtinos ipſi irent vocati, Secus, ſi ad ipſos Philiſtini venirent. Nam & rei militaris periti, Canonem hunc habent, Non eſſe bellum differendum, donec hoſtis obſideat muros, Sed occurrendum adhuc longe agenti, aut melius in terra ſua moranti, Qualia fuere ferme bella Dauid regis contra gentes. Sed & Romani Hannibalem vincere in Italia non poterant, In Aphrica vero Hannibal quoq; vincere non potuit. *Canon peritorum rei militaris.* *Romani. Hannibal.*

Quid his luſibibus rerum diuina potentia oſtentat? Niſi, quod hic dicitur, Hoſtem tutiſſime & optime poſſe vinci ſuis viribus, ſuis armis, ſuis artibus, ſuis præſidijs. Quin & mortem Chriſtus morte ipſa mortiſq; viribus vicit, & peccatum de peccato damnauit. Sicut & maledictum maledicto ſuperauit, & poteſtatem nobis dedit diabolum, mundum, carnem, non niſi proprijs eorum ſtudijs vincendi, dum fide & patientia firmatos & inuictos reddit aduerſus omnem vim & aſtutiam eorum. Pulchra eſt hæc & iucunda ſententia, ſed neſcio an huic verſui apta. Simplicior enim videtur eſſe ſenſus prior, de occubitu impiorum & impietatis, quem intentarunt pijs & pietati, ſiue de ſeueritate, ſiue de bonitate, ſiue de vtraq; ſimul intelligas, cum ſit idem Domini iudicium & opus vt ſupra retulimus, ſed non omnibus eadem faciens, quia non eodem ſtudio ſuſceptum. *Rom. 8. Gala. 3.* *Optimus modus vincendi hoſtis. Chriſtus mortem morte vicit.*

AD vim verborum veniamus, quæ videmus omnino eſſe Allegorica. Quo (vt Pſal. 2. diximus) etiam rem allegoricam ſpiritus ſignificare voluit. Aliud enim agitur, & aliud agi videtur, quando impij oppugnant pios, ſeu carnali, ſeu ſpirituali bello, videntur enim victores & maiores, ſed vincuntur & ſeruient minoribus. Quam allegoriam & verbum hoc, Maior ſeruiet minori, pulcherrime & breuiſſime commendat. Maior & minor apparent, ſcilicet, illius victoria, huius ſeruitus. At vera ſeruitus, quam Deus cenſet, non apparet, ſed verbo Dei nunciatur, ac fide ſola percipitur. *Pſal. 2.* *Maior ſeruit minori.*

Vbi iterum vides, ſpiritum magis in verbo quam nomine obſeruandum. Atq; vtinam omnes tribulati hoc Prouerbij vice haberent ſibi vſitatiſſimum, quo ſæpius conſolari & aduerſus, ſiue peccata, ſiue pœnas quaſcunq;, dicere aſſueſcerent. Maior ſeruiet minori. Maiora ſunt nobis, quæ nos premunt, Sed confide, verbum Dei omnipotens eſt, quod dicit, Maior ſeruiet minori, Quod adeo verum eſt in futuro & adepta victoria, vt & præſenter nobis ſeruient & proſint. Qui Maiores nobis ſunt, id eſt, qui nos perſequuntur, vt eorum ipſa tyrannis ad noſtrum malum, ſit nobis ſeruitus ad noſtrum bonum. Ita ſunt iudicia alia Dei, alia hominum.

Exod. 15. *Demerguntur*. Sumptum videtur ab Aegyptijs Exod. 15. vbi dicitur, Submerſi ſunt ſicut plumbum in aquis vehementibus. Sed & totus verſus eandem Hiſtoriam non parum ſimulat. Sicut enim Aegyptij conati Iſraelem perdere, longe maiores illo facti ſunt, ipſi potius eo ipſo perierunt, ita impius ſpiritualem Iſrael perſecutus perijt. Demerſio autem, ſiue defixio indicat perpetuum interitum, vnde non liberentur, ſiue ſeueriter, ſiue benigniter intelligas. Nam damnati non reuocabuntur, & fideliter conuerſi non reuertentur ad vomitum in æternum. Chaos enim magnum inter vtroſq; firmatum eſt, vt non poſſint hinc, aut inde tranſire ad ſe inuicem. *Impij perſequentes pios pereunt ipſi.*

Sic ſupra

Sic ſupra Pſalmo 7.diuerſi ponderis verba poſuit. Lacum aperuit & in- *Pſal. 7.*
cidit in foueam quam fecit. Grandius eſt incidere in foueam,quam facere fo-
ueam. Ita hic,defixæ,ſeu demerſæ ſunt in interitum,quem fecerunt. Maius eſt
demergi in interitum,quam facere ſeu parare interitum. Q.d. Mala,quibus
impij petunt pios,videntur eſſe eorum caſus & perditio,ſed reuera ſunt ſolum
apparatus quidam & magis intentatio caſus & perditionis. Tentantur enim
morte & malis,ſed viuunt & bene habent,Sicut Pſal. 118. Impulſus, euerſus *Pſal. 118.*
ſum,vt caderem,& Dominus ſuſcepit me. Contra impij videntur erigi,ſtabi-
liri,eleuari ſuper pios,& demergere in interitum,Sed reuera apparatus,ſpecies,
& tentatio eſt erectionis,& verius demerſio,qua interitum patientur,imo pa-
tiuntur præſenter.

Idem dicemus de altera Verſus parte,vbi grauius eſt, laqueo
Impiorum conatus comprehendi,quam laqueum abſcondere,Et tamen pij videntur comprehen-
irriti. di,cum ſolum paretur laqueus vt comprehendantur, Tentantur inquam,
non comprehenduntur, Nec vltra promouent impij,niſi quod abſcondunt
laqueum,tenduntq; inſidias,ſed incaſſo labore. Rurſum ipſi videntur liberi,
tuti & comprehendere pios,cum reuera ipſi comprehendantur.

Et verſus hic,niſi tautologiam habet,poteſt pro priore parte aptari bello
carnali,pro poſteriore bello ſpirituali,Quod impij pro impietate ſua pugnan-
tes,pleni ſunt aſtu & inſidijs aduerſus pietatem doctrinæ,ſua non ſyncere pro-
ducunt,& aliena inſidioſiſſime calumniantur,Donec detectis verſutijs com-
prehendantur,operante Deo mirabilia ſua,aut in æternum confundantur re-
Impius mendaciter uelatis coram omnibus conſilijs ſuis. Impoſſibile eſt enim,vt impius non agat
agit. ſubdole & mendaciter,cum ſit mendax à planta pedis vſq; ad verticem. Dein-
de pro mendaci ſuo ſenſu ardeat zelo impotentiſſimo, Sicut in Iudæis mon-
ſtrum habemus. Cum autem aperto negotio videat ſibi victoriam non poſſe
Magi Pharaonis. obuenire,ad inſidias vertitur,& cum magis Pharaonis ſciens & prudens reſi-
ſtit veritati Moſi,Talem dolum ſæpius infra audiemus,qualem & in Euange-
lio quoq; Chriſtum videmus vbiq; paſſum.

Quod ſi ſimpliciore ſenſu,laqueum,inſidias mortis corporalis intelligere *1. Theſſ. 5.*
quis velit,non reſiſtemus, Sic enim ipſis inſidiantur Sanctis in mortem,& ta-
men Sanctis liberatis,ipſi capiuntur in mortem antequam intelligant, Cum
Captio pedis. enim dixerint pax & ſecuritas,repentinus eis ſuperuenit interitus.

Notum relinquo,captionem pedis in laqueo,ſumptam eſſe ab auibus aut
beſtijs,quas aucupes & venatores hac arte capiunt. Quibus rebus pulchre figu-
rantur,ſcandala,inſidiæ,pericula & lapſus animarum,maxime Ebræis. Et vt
Ebraiſmum hunc inculcemus in Ebræo neutra parte verſus habetur relati-
uum,quem,ſed ſimpliciter: In interitu fecerunt. In laqueo iſto abſconderunt.

*Cognoſcetur Dominus iudicia faciens, In operibus manuum ſua-
rum comprehenſus eſt Peccator.*

Impius quis ſit hoc DIuus Hierony. & Ebræus ita: Agnitus eſt Dominus iudicium
loco. faciens,in opere manuum ſuarum corruit impius, meditatio ſemper. Et
vere in præterito dicit, Agnitus eſt,non in futuro cognoſcetur. Et impius,
quem noſter tranſtulit peccatorem,ipſe eſt iuſticiarius ille cæremonialis. Pha-
riſæus ſuperbus in virtute ſua,glorians in operibus ſuis,qui ad obſequium Dei
pro veritate fidei & honore ſanctæ Eccleſiæ,occidit filios Dei magna fiducia.
De quo abunde dictum eſt in ſuperioribus,qui Ebraice raſcha dicitur. Quod
vero Hieronymus,corruit,Ebræus & noſter rectius comprehenſus eſt, habet.
Quanquam non ita multum refert ad ſenſum.

Pergit autem Propheta narrare mirabilia Dei,quod non modo gentes Idolatræ,perſecutrices,demerſæ ſunt in interitu,quem fecerunt, Verum & hi, qui ſibi Sancti,& bene viuere viſi ſunt,inuenti ſunt peccatores. Niſi forte, hunc Verſum præcedentis lucem eſſe dixeris,& hic declarari quod ibi obſcurius dictum eſt. Ego magis huc feror,vt credam,Prophetam voluiſſe vim diuini operis & iudicij extendere ad omnia, vt gentes non modo inuenirentur maleagere,pijs hominibus reſiſtendo propter ſua ſtudia,ſed etiam ipſa ſtudia inueniri peccata & mala. Sicut in Paulo licet exemplum petere,qui cum cognouiſſet iuſticiam, quæ ex lege eſt,eſſe meram impietatem, quæ inflet, non modo vniuerſa mala,quæ Sanctis fecerat,id eſt, interitum, quem parabat, & laqueum,quem abſconderat, agnouit eſſe peſſima facta, quæ prius zelo legis ardens,optima iudicabat. Verum & ipſam,quæ ex lege eſt iuſticiam,mox damnauit comprehenſus in his operibus manuum ſuarum,tanquam impijs & malis,quæ credebat eſſe ſummæ iuſticiæ. *Exemplum Pauli. Iuſticia legis.*

Eſt ergo ſenſus,Quando Dominus cognoſcitur & ſic cognoſcitur,quod eſt iudex,ſeu iudicium faciat,nullus ſubſiſtere poteſt ante faciem eius,quantumlibet iuſtus,ſapiens & potens. Aliud enim eſt cognoſcere Dominum iudicem,aliud Dominum miſerentem. Cui Dominus iudicij notus fit,corruit territus,& ad nihilum redigitur à facie iræ eius inſuſtentabilis. Cui autem notus fit Dominus miſericordiæ,ſurgit lætus,& ſuper omnia tollitur à facie bonitatis eius incomprehenſibilis. Cognoſcitur autem iudicium faciens externe & interne. Externe verbo Euangelij & exemplo Sanctorum,quos iuſtificat, demerſis gentibus in interitu quem fecerunt. Verum hæc nõ mouent ſatis,donec & interne cor aſpiciat & tremefaciat, Sicut ſupra dictum eſt in verbo, A facie tua. *Cognoſcere Dominum iudicem, & miſerentem.*

Vnde, Opera manuum impij,dixit,non peccata impij, Omnino ſignificans ea opera,quæ impius facit velut bona,in quibus & confidit,propter quæ incorrigibilis eſt,nec audit verbum Dei,nec ſi audit,ad ſe pertinere credit,ſine timore,ſecurus ſibi de regno cœlorum. Hunc ergo nemo conuertit,niſi agnitio iudicantis Domini corã quo nemo nocens eſt. Nahum.1. Dominus mundans non facit innocentem, Et Exod.34. Nulluſq; apud te per ſe innocens eſt &c. Vide ergo miram & terribilem vim iudicij Dei, impius præſumſit ſeſe operibus manuum ſuarum ſtabilire & liberare,& ecce noſcitur iudicium Domini,ac mox comprehenditur & corruit in eis inuentus,impius & peccator. *Impiorum præſumptio.* *Nahum.1. Exod.34.* *Inueſtigabilia iudicia Dei.*

Poteſt etiam verſus accipi pro generali ſententia, Etiamſi ipſe impius non credat ſe comprehendi, In hunc modum, Prædicatus eſt & cognitus Dominus iudicium faciens in gentibus,& ſimul cognitum eſt, neminem inter homines eſſe non plenum & comprehenſum in peccatis,quando & illi comprehenſi ſunt,qui præ cæteris ſunt magnorum operum & virtutum, quæ omnia in peccatum coram Deo computantur. Sic Rom.3. Non iuſtificabitur in conſpectu eius ex operibus legis omnis caro, Sed omnes peccauerunt,non eſt qui faciat bonum. Et hic mihi ſenſus magis placet,quod impius ſit proprie, qui cum ſit peccator,operibus bonis inflatus,non credit ſe eſſe peccatorem, ideo non habet rectam de Deo opionem,nec de ſeipſo, Quod ſi ipſe non ſentit, ſentiunt hi qui cognoſcunt. *Nemo omnium non plenus peccatis.* *Rom.3.* *Impius propriè quis ſit.*

QVod ſequitur,meditatione ſemper, Ebraice higgaion, Sela, dicitur. Eſtq; dimidius verſus,huius totius poſterior pars, quam nullus Interpretum videtur reddidiſſe. Auguſtinus indicat,Sela (id eſt, diapſalma) in ſuo codice poſitum fuiſſe,ſed de meditatione, ſiue higgaion, nihil. *SELA.*

Mirumq;

Mirumq; quid velit ea dictio, præſertim cum tanta ſit, vt ſola medium verſum abſoluat, priore parte tam longa. Nam de Sela diximus Pſalmo 3. Nec hoc certum eſt, an in nominatiuum, ablatiuum, aut vocatiuum reddi debuerit, Meditatio, meditationem, aut ô meditatio. Significationem eius Pſal. 1. dedimus, vbi dicitur, In lege eius meditabitur die ac nocte. Significat enim loqui, diſſertare, garrire, & omnino negotium verbi, aut cantus, ſic tamen, vt meditate fiat, vnde frequenter cum corde coniungitur Pſal. 19. & meditatio cordis mei in conſpectu tuo, vbi eſt eadem dictio, quæ hoc loco. *Pſal. 3.* *Pſal. 1.* *Pſal. 19.*

Meditari quid.

Ego meam iterum ignorantiam confiteor, niſi quod ſuſpicor, Prophetam de bona meditatione loqui, Proferam ignota primus, & ſi id Poeta parum tutum iudicet. Quid ſi Propheta præ abundanti affectu, verbi Dei efficaciam & fructum vna hac dictione voluerit, velut exclamando, commendare? Ac ſi dicat, Ecce gentes demerguntur in interitu quem fecerunt, capiuntur laqueo quem abſcondunt, agnoſcitur Dominus iudicia faciens, & in operibus ſuis comprehenditur impius, Atq; hæc omnia, meditatione, id eſt, verbi miniſterio. O meditatio, ô verbi miniſterium, tu res tam vilis, tam deſpecta, tam infirma, tam ſtulta coram hominibus & tanta per te fiunt, Tu enim ſola cooperaris Deo in omnibus mirabilibus iſtis, non poteſtas, non ſapientia, non iuſticia, non gratia mundi. Sic enim & in vernacula noſtra cum vehementiſſime admiramur aliquod geſtum, per id quod non ſperabatur, nimia vel indignatione, vel admiratione ipſum vix nominamus, dicentes, Ille, iſte ne fecit?

Verbi Dei efficacia & fructus.

Sic Num. 16. Et ecce Core &c. Sequitur, Et reſurrexerunt. Vbi primum & ad ſolam admirationem referri poteſt. Quo affectu & Dauid 2. Reg. 18. locutus videtur, Fili mi Abſolon, Abſolon fili mi. Tā grandis autem hic eſt affectus, vt ſi quid verborum amplius addatur, minus moueat audientes, ſtupor enim quanto maior, tanto paucioribus verbis vtitur. Et reuera ſtupendum eſt, verbo ſolo tantas mundi moles ſubrui & humiliari, qualis erat Chriſti temporibus, cum maxime floreret, potentia, diuitijs, artibus, iuſticia, ingenijs, ſapientia, prudentia, eloquentia. *Num. 16.* *2. Reg. 18.*

Core.

Stupor paucis verbis vtitur.

Quare meo ſenſu potius in nominatiuo redderem, Meditatio Sela, (licet Hieronymi tranſlationem in ablatiuo, non damnem) quod admirabundus iſte affectus potius nominatiuo vti ſolet. Diximus autem Pſal. 3. Sela, noſtro iudicio poni in Pſalmorum locis, in ſignum magni & rari alicuius affectus, Qualis hic eſt, qui ob hoc ipſum merito dimidium verſum vna dictione occupat, qui nullis verſibus ſatis digne exprimi queat. Scriptum eſt enim. 2. Reg. vltimo, Dauid ipſe quaſi tenerrimus ligni vermiculus, ſcilicet, quod vir fuerit totus tenerrimis, candidiſſimis, ſecretiſſimis affectibus plenus. Vnde qui Pſalmos eius legimus, donec affectibus inanes ſumus, Aſini ad lyram canimus. Non enim niſi fidem, ſpem & charitatem, in Pſalterio tractat, eaſq; non in deſerto ſterili ſpeculationis, ſed vbertate exercitatiſſimorum affectuum. *Pſal. 3.* *2. Reg. 23.*

SELA.

Dauid tenerrimus ligni vermiculus. Quid Dauid in Pſalmis tractet.

Conuertantur peccatores in infernum, omnes gentes quæ obliuiſcuntur Deum.

ITerum peccatores transfert pro impijs. Loquitur enim de ſuperbis (vt dixi) iuſticiarijs, quos nemo mutat, niſi cognito Deo iudicium faciente, & iram intentante, ad infernum conuertantur, in ſui ſcilicet cognitionem perfectam. Nam ad infernum conuerti, non credo, hic pro damnatione accipi (licet ſi quis id contendat, non reſiſtam) quia de conuerſione impiorum & gentium mirabilia Dei cantat.

Conuerti ad infernum.

Atq; ab hoc loco iam incipit orare Propheta ad finem vſq; Pſalmi, vt mirabilia mirabilibus addat Deus, & qualia geſſit in conuerſis impijs, talia adhuc gerat in his, qui adhuc ſunt impij, ſuperbi, obliti & contemptores Dei, eodem verbo conuertendi. Conuerſionem ad infernum, quid ſit, Pſal. 6. vidi-
66. mus, & ſupra in increpationis verbo & facie Dei, & agnitione Domini facientis iudicium, ſatis commemorauimus. Neq; enim quiſquam perfecte conuertitur, donec infernum & cœlum guſtauerit, hoc eſt, donec experiatur, quam malus & miſer ſit ipſe, & quam dulcis & bonus Dominus. Quod intentato mortis periculo & horrore iudicij extremi potiſſimum ſentitur, & in ſpe ac fiducia miſericordiæ Dei agnoſcitur.

Guſtare infernum & cœlum.

Obliuio Dei.

Obliuio Dei iterum hic non ea debet intelligi, quam vulgus intelligit, ſed quam Pſal. 8. ſuper nomine Enos dedimus. Nemo enim magis audaces & aſ-
.8. ſidui Dei memoratores quam impij, ſuperbi, & peccatores, vt eius nomen quotidie polluunt & peruerſa opinione omni momento irritant & blaſphemant, dum non ſentiunt de eo ſecundum veritatem. Imo ſibi tribuunt quæ Dei ſunt, & Deo quæ ſua ſunt, hoc eſt, Deum & opera eius & iudicia, humano ſuo metiuntur ſenſu & affectu, de quibus ſatis multa diximus.

Hypocritæ ſemper habent nomen Dei in ore.

Inueteratam autem impietatem gentium notat, dum non arguit quod Deum offenderint, aut ab eo receſſerint, ſed offenſiones diuturnitate & conſuetudine nimia, in ius & mores promouerint, vt iam offendi Deum à ſe non credant, ſed potius coli & adorari. Qualis fuit gentium Idolatrarum conuerſatio & cultus Idolorum. Qui enim ſemel offendit, non mox obliuiſcitur Dei, ſed ſcit ſe male egiſſe & reuertitur facile. Qui autem obliuiſcitur, ſine fine offendit, neſciens ſeſe offendere, quod eſt impiorum proprie. Ideo ſunt ijdem impij & gentes oblitæ Dei, vtriuſq; neceſſaria eſt conuerſio ad infernum, vt comprehendantur in operibus ſuis. Obſeruandum vero hunc verſum orari non ſimpliciter aduerſus impios conuertendos, ſed quia ipſi ſunt qui perſequuntur Almuth impietate & ſuperbia ſua, id quod verſus ſequens velut rationem reddens huius orationis oſtendit.

Inueterata gentium impietas.

Gentes oblitæ Dei.

Quoniam non in finem obliuio erit pauperis, patientia pauperum non peribit in finem.

POterat ſic reddere: Quoniam non in finem obliuiſcetur pauperis. Quod & Ebræo aptius reſpondet & affectum in Deum dulcius mouet, ſubauditur enim, Deus non obliuiſcetur, cuius dixerat in fine verſus præcedentis gentes oblitas. Quaſi verſa ſermonis figura dicat: Gentes obliuiſcuntur Deum, perſequentes Almuth martyrum. At Deus non obliuiſcetur pauperis Almuth, cum tamen ad ſenſum appareat, vtrinq; longe contrarium: Nempe quod impij videntur etiam zelo Dei furere, tantum abeſt, vt obliti Deum putentur. Rurſum Martyres penitus ad ſanguinem & mortem derelicti, nihil minus, quam in memoria Dei eſſe creduntur. Adeo in ſpiritu loquitur & fidem requirit, quæ intelligat, quomodo conſoletur his verbis tribulatos, paſſos & morientes.

Quanquam obſeruata diligentius Ebræa grammatica, id quod verſu præcedente dicitur, Omnes gentes quæ obliuiſcuntur Deum, magis eos ſonat, qui improperant Martyribus illud Pſal. 42. Vbi eſt Deus tuus? Et in-
42. fra. Dixit enim in corde ſuo, oblitus eſt Deus, auertit faciem ſuam, ne videat in finem. Vt illud quod ſuperius Almuth apud Iudæos paſſam dixit, Quoniam requirens ſanguinem eorum recordatus eſt, non eſt oblitus clamorem pauperum, Idem de eadem hic apud gentes paſſam referat. Tam

Iudæi

Impij tentant euertere Martyrum fidem & ſpem.

Iudæi enim, quam gentes conati ſunt, vt Martyres redderent puſillanimes in fide Dei, non ſolum eos perſequendo, ſed etiam de adiutorio Dei inſultando, ſicut & Chriſto in cruce fecerunt, illud Pſalmi dicentes, Deus dereliquit eum, *Pſal. 21.* perſequimini eum & comprehendite, quia non eſt qui eripiat. Adeo non ſatis habent impij, quod corpora occidunt, niſi & fidem & ſpem tentent occidere. Vnde Ebræis, verſu præcedente, obliuiſcentes Deum, poſſunt intelligi non modo qui ipſi obliuiſcuntur, ſed qui id agunt, vt credatur Deus oblitus pauperum. Quem ſenſum plane differit Hier. in ſuo commentario.

Conſolare Lector.

Dulciſſime autem nos confortat his verbis Spiritus, vt ſciamus, ſeu verba, ſeu cogitationes, quæ nobis diffidentiam, puſillanimitatem, deſperationem mouent, non eſſe ex Deo, ſed vt optime Pſalmus 42. docet, ex diabolo vel hominibus, dicens; *Pſal. 41.* Quare oblitus es mei, & quare contriſtatus incedo, dum affligit me inimicus meus, dum confringuntur oſſa mea, exprobrauerunt mihi inimici mei, dum dicunt mihi per ſingulos dies, Vbi eſt Deus tuus? Ita videmus S. Patres vehementer fuiſſe in fide & ſpe exercitatos & eo eruditos, vt non dubitent pronunciare puſillanimitatem ſuam eſſe quidem à Deo, ſed tamen per diabolum & hominem, qui verbo & cogitatione moueant hanc cordis moleſtiam. Cæterum alienum eſt opus hoc à Deo, qui operari contra ſeipſum non poteſt. Ideo ad ſe diligendum, ſperandum, credendum, lętandum, operatur, quo impleatur præceptum eius primum, quo præcepit, Non habebis Deos alienos, præter me.

Patres exercitati in fide & ſpe.

Cuiuſmodi verbis opus ſit tribulatis.

Ita & hic verſus ſancta indignatione ſe ſuſcitat aduerſus eos, qui Deum oblitum eius intentant, dicens, Non erit in finem obliuio pauperis. Talibus enim verbis opus habent, paſſi, morientes & afflicti, ne puſillanimes fiant. Scripta namq; ſunt ad noſtram doctrinam, vt per patientiam & conſolationem Scripturarum, ſpem habeamus. Obſerua, patientiam dicit. Et hic concedit obliuionem Dei, ſed negat in finem duraturam, deſerit enim nos aliquantum, vt illi fidamus, ſed non in finem, ne deficiamus.

Paupertas ſpiritus.

Patientia pauperum, id eſt, expectatio afflictorum. Aliud enim nomen paupertatis, hic, quam parte priore habetur, hoc enim, vt ſupra dictum eſt, afflictionem quoq; ſignificat, ſcilicet paupertatem ſpiritus, hoc eſt, qui ſine conſolatione ſunt. De quibus ſupra, Non eſt oblitus clamorem pauperum, id eſt, afflictorum. Ita hic dicit, id quod expectant pauperes (magis enim expectandi quam patiendi verbum eſt) non fruſtra expectant. Veniens veniet Dominus Saluator, quem expectant. Sic Pſal. 55. Non dabit in æternum fluctuationem *Pſal. 55.* iuſto. Quod enim differt non aufert, inquit hoc loco Hiero. modo ſit, qui ſuffcrat. Expectandum itaq; eſt, non tentandus Deus præſentaneo auxilio.

Quod Deus differt, non aufert.

Exurge Domine, non confortetur Homo, iudicentur Gentes in conſpectu tuo.

CONcludit Pſalmum duobus Verſibus orantibus pro ijs, quæ ſuperius & facta & futura cecinit, hoc eſt, vt impij conuertantur & pereant, cognito iudicio Dei, & augeſcat populus Chriſti. Appellat autem eos vocabulo deſpectu hominis, Non confortetur (inquit) homo, id eſt, cum ſint Enos & vere miſerabiles, vt quid inflantur, eriguntur q; aduerſus Sanctos tuos in ſuperbia & abuſione, fidentes in magnitudine potentiæ, ſapientiæ, iuſticiæ ſuæ? Deſinat ergo eorum robur & infirmentur, nec ſinas eos præualere ſanctis tuis in finem, Quin potius increpentur & iudicentur in conſpectu tuo, hoc eſt, cognoſcatur eis Dominus iudicia faciens, terrore corripiantur & trementes ſua impietate intellecta, quærant humiliter miſericordiam tuam.

Non confortetur Homo.

Aliud

Aliud enim eſt iudicari in conſpectu Dei, aliud in conſpectu hominum, Iudicium Dei ſerutatur renes & corda, & neminem inuenit innocentem, ideoque omnes pauefacit & humiliat vehementiſſime, conuertens peccatores in infernum. *Iudicium Dei.* At iudicium hominum natat in ſuperficie carnis, & neminem intus inuenit nocentem, ideoq; blanditur & decipit omnes, qui confidunt in ipſum. *Iudicium hominum.* Sicut Iſaiæ 9. dicit, Et erunt qui beatificant populum iſtum ſeducentes, & qui

Iſa.9. beatificantur, præcipitati. Mihi inquit, 1. Cor. 4. pro minimo eſt, vt à vobis iu-

1.Cor.4. dicer, aut ab humano die, nec meipſum iudico, qui autem me iudicat Dominus eſt. Ideo quando impijs fruſtra omnia dicuntur, canuntur, geruntur, cum nec verbis nec operibus nec miraculis cedant, ſintq; generatio illa adultera, de quibus Matth. 11. Cecinimus vobis & non ſaltaſtis, lamentati ſumus & non planxiſtis, Solum illud reliquum eſt, vt pro zelo eis imprecemur, argui in conſpectu Dei, hanc enim increpationem non ſuſtinent.

Conſtitue Domine legislatorem ſuper eos, vt ſciant gentes,
quoniam homines ſunt. *Sela.*

Hieronymus: Pone Domine terrorem eis, ſciant gentes homines eſſe ſe. Verum Ebræus ſic diſtinguit verſum: Pone Domine Legislatorem (ſiue terrorem) eis, ſciant gentes, homines ipſi. Sela. Dictio Ebræa, Morah, quam noſter Legislatorem, Hieronymus, terrorem vertit, vtrum germane ſignificet, non auſim definire. *Morah.* Meo tamen iudicio magis à verbo docendi videtur venire, vnde & thora dicitur, per legem ſignificat. Nam hi qui B. Auguſtinum ſecuti Antichriſtum hoc loco aut tyrannos intelligunt, mihi non ſatis faciunt. *Thora.* Videtur enim ſenſus huius verſus alius non eſſe, niſi quod optat gentibus legis ſenſum aperiri, Q.d. Imprecatus ſum, vt iudicentur gentes in conſpectu tuo, quod quo modo intelligam, dico, nempe vt ponas in eis legis verum intellectum, tunc ſine dubio agnoſcent ſeſe, Per legem enim, cognitio peccati, Rom. 7. Et iterum 4. Lex iram operatur. Et 1. Cor. 15. Virtus peccati *Vim legis ignorantes ſuperbiunt.*

7.4. lex. Quod enim impij ſine fine ſuperbiunt, alia cauſa non eſt, niſi quod legem,

r.15. & vim eius nondum intelligunt, ignorant enim eſſe ſpiritualem, & occidentem per literam ſuam omnes homines, de qua re Apoſtolus ad Rom. & Gal. multa, imo omnia tractat. Quæ niſi iam plus ſatis tractata eſſent, & vobis nota, hic quoque latius proſequeremur.

Vnde ergo, Morah, cum ſit nomen deriuatiuum ſignificans id quo velut medio quiſpiam eruditur & ſciens efficitur, transferrem legis poſſeſſionem, ſeu legis eruditionem, hoc eſt, vt legis vim cognoſcerent, ad quam mox ſequitur, terror conſcientiæ & horror iudicij. Id quod Hiero. tranſtulit. *Ad veram legis intelligentiam, ſequitur terror &c.* Non enim Legislator vllum terret, donec lex ipſa recte intelligatur. Tunc ſequitur, Sciant gentes, id eſt, ſcientes erunt, qui ante legem peccatum ſuum ignorabant. Abſolutum eſt enim verbum, quod verſum medium ſententia ſua finit ſic: Et

m.7. ſcient gentes, id eſt, poſita lege erunt eruditi & intelligentes. Sicut Rom 7. Concupiſcentiam neſciebam eſſe peccatum. Ego autem ſine lege viuebam aliquando. Cum autẽ venit lex, reuixit peccatum. Atq; id nimirum eſt, quod toties in Prophetis dicitur, Et ſcietis quia ego Dominus, & ſcient quia ego Dominus, & ſciet quoniam ego Dominus. Quod legis intelligentia hominem in ſui cognitionem perducit, cogit miſericordiã Dei intelligere & implorare.

Altera pars verſus: *Homines ipſi.* Sela, Inſigni ſcilicet affectus nota indicat, quam ſit homo res nihili & miſerrima. *Homo res miſerrima & nihili.* Q.d. Agant, quanta poſſunt, ſimulent, oſtendent, valeant, & ſi quid aliud magnificum de eis dici poteſt, tamen homines ſunt. Es ſind menſchen / id eſt, Enós & miſerabiles. Ac reuera magnum eſt ſe hominem eſſe cognoſcere, id eſt, Enos, vt hic dicit, quod

Pſal.8. *Iſaie 31.* *Iohan.2.*

Pſalm. 8. ſatis tractauimus. Eodē deſpectu loquitur & Iſaias 31. Aegyptus homo, & non Deus, & equi eorum caro, & non ſpiritus. Ac Iohan. 2. Ieſus nō credebat ſemetipſum eis, eo quod ipſe noſſet omnes, & quia opus ei non erat, vt quis teſtimonium perhiberet de homine, Ipſe enim ſciebat quid eſſet in homine. Atq; Paulus 1. Cor. 3. Nonne carnales? nonne homines eſtis? Idem cum verecunde & modeſte humanam vanitatem depingit, ſolet dicere, ſecundum hominem dico, Rom. 3. & ſecundum hominem ambuletis. *1.Cor.3.*

Secundum hominem dico.

Adeo ſcilicet apud Deum, nihil reputatur homo, vt modeſtiſſime quidem, ſed tamen ſignificantiſſime tangat humanæ naturæ miſeriā, quoties nos hominis vocabulo ſignat Scriptura, vt Gen. 11. Deſcendit Dominus, vt videret ciuitatem & turrim, quam ædificabant filij Adam. Quod orator aliquis vehementior diceret, quam ædificabant impijſſimi, potentiſſimi & ſceleratiſſimi hominū. Ita non eſt niſi contumelia hominē à Deo & in Scripturis appellari, quia filius Adæ, id eſt peccatoris, hoc nomine cenſetur, pro quo voluit nos alio nomine dignari, vt filij Dei nominentur. vt 1. Ioh. 3. Et eiuſdem 1. Dedit eis poteſtatē filios Dei fieri. Et Pſal. 82. Ego dixi, Dij eſtis, & filij Excelſi omnes. *Gen.11.* *1.Ioh.3.* *Pſal.82.*

Homini applicatio in Scriptura, &c.

SELA.

Igitur, Sela finalis indicat, quam rarus ſit & ſingularis affectus, quo quis ſentit, tum ſeipſum, tum alios eſſe homines, Lex tamen facit, vt huius rei ſcientes fiant, ſi Dominus ſurgat & ponat intellectum eius & terrorem ſtatuat in conſcientia eorum.

PSALMVS X.

SINE TITVLO.

VT Quid Domine receßiſti longe, deſpicis in oportunitatibus in tribulatione.

Hic Pſalmus naturam impiorum propriiſsime deſcribit.
Idæa impij.
&
Alia formam.

NON eſt Pſalmus (meo iudicio) qui impiorum ingenium, mores, opera, verba, ſenſus, & fortunam, tanta proprietate, copia, luce, depinxerit, vt ſi quid minus huc vſq; dictum eſt, aut dicetur, hinc liceat perfectam impietatis imaginem petere. Eſt ergo hic Pſalmus εἰκὼν, typus, forma, idæa impij & impietatis, id eſt, eius hominis, qui ſibi & hominibus, vel S. Petro præſtantior Deo abominatus eſt, Id quod mouit S. Auguſtin. & qui eum ſecuti ſunt, vt de Antichriſto intelligerent.

Scopus præcedentis & huius Pſalmi.

Verum quia ſine titulo Pſalmus eſt, generaliſſimam ſententiam amplectamur, & communem (vt dixi) idæam impietatis videamus, Non quod negemus illorum expoſitionem, imo dum generaliter ſapimus, Antichriſtum includimus. Quin nihil fuerit abſurdum, ſi hunc Pſalmum ordine ſuo præcedenti ſic ſociemus, Vt illic de impijs conuerſis ceciniſſe, de conuertendis oraſſe intelligamus: Hic vero de impijs adhuc reliquis & in poteſtate præualentibus ſuper Infirmam Almuth pſallere, de quibus vel non ſperet, vel incertus ſit, conuertendi ſunt, nec ne.

At vide zeli eius magnitudinem, Cum ipſo Deo pene expoſtulat, Quare Domine ſtas à longe, Sic enim Hieronymus transfert. Atque hic eſt affectus ille, qui in media adhuc tribulatione poſitus, nimiaque rei indignitate motus, exclamat aduerſus impiorum iniquiſſimam tyrannidem, & pro innocentiſſimorum Sanctorum cauſa, ſicut & vulgo dicitur: Quomodo hæc Deus poteſt ſuſtinere? Sic Abacuc 1. eodem exordio ſuum Librum ingreditur, quaſi indignans ſuper Dei patientia. Vſquequo clamabo, & non exaudies? *Abac.1.*

VO-I-

vociferabor ad te vim patiens,& non ſaluabis? Quare oſtendiſti mihi iniquitatem & laborem,videre prædam,& iniuſticiam contra me? Quare reſpicis contemptores,& taces conculcante impio iuſtiorem ſe? Et facies hominis,quaſi piſces maris,& quaſi reptilia non habentia ducem. Et factum eſt iudicium & contradictio potentior,propter hoc lacerata eſt Lex,& non peruenit vſq; in finem iudicium,quia impius præualet aduerſus iuſtum,propterea egreditur iudicium peruerſum.

Quid nos miramur,ſi indigna patimur,quando hi viri pleni Spiritu hæc tanto affectu ſeſe paſſos pronunciant,& legem Dei laceratam clamant,in quo manifeſte impietatis aduerſus pietatem indicant bellum,vbi maxime erit zelus? Quis non Abacuc iſtum hoc loco impatientiæ obnoxium iudicaret? Sed & infra eodem,ſic dicit,Mundi ſunt oculi tui,ne videas malum,& ad iniquitatem reſpicere non poteris. Quare non reſpicis ſuper iniqua agentes,& taces deuorante impio iuſtiorem ſe? Et facies hominis,quaſi piſces maris,& quaſi reptile non habens ducem. Eodem affectu Iſaias 43. Vbi eſt zelus tuus,& fortitudo tua? Multitudo viſcerum tuorum,& miſerationum tuarum? ſuper me continuerunt ſe &c. Idem Hiob.21. prolixius.

Impietatis bellum aduerſus pietatem.

Abac.1.

Iſaiæ 43.
Hiob 21.

Ita & hic dicit, *Quare ſtas Domine à longe?* hoc eſt,ſinis nos opprimi & deuorari,nec audis,nec ſaluas nos, Confortas manum,& conſilium impiorum adiuuas. Deniq; videtur ſibi contradicere,qui Pſalmo præcedente dixerat,Adiutor in oportunitatibus,in tribulatione, Hic deſpicis in oportunitatibus in tribulatione. Et videtur Deum tentare,dum ipſe definit tempus & oportunitatem auxilij,non plene expectans manum Dei.

Quare ſtas Domine à longe.

Pſal 9.

Verum,alio affectu aliud & aliud dicitur. Oportet enim formari hoc Pſalmo perſonam affligi & affligentis perfecte. Afflictus autem,& ſi fortiter patitur,tamen inſenſibilis non eſt,carnem & ſenſum habet, qui pro natura ſua,imo infirmitate inuincibili,erumpit & gemit,clamat,indignatur, impatiens. Sic Chriſtus Matt.26. Spiritus quidem promptus eſt,caro autem infirma. Et ipſe orauit,vt calix ab eo tranſiret, naturali ſcilicet infirmitate laborans, quam tamen ſtatim corrigens ac vincens,dicit,Verum non mea,ſed tua voluntas fiat.

Iuſtus afflictus fortiter patitur.

Matt.26.

Spiritus promptus eſt.

Talis eſt & conditio & pugna iuſtorum cum impijs,vbi & ſi perferant, tamen cum dolore & labore,nunc ſpiritus promptus audet,rurſus infirma caro gemit, In qua lucta,nonnihil donatur infirmitati carnis,vt clamet & gemat, vbi potius lætandum ſibi foret, Hæc omnia in noſtram conſolationem,vt ſciamus,Sanctos Dei fuiſſe homines ſimiles nobis,& ea quæ de ferenda cruce & morte dicuntur,intelligamus fortiter laborãte charitate vincenda,non autem etiam promptitudine carnis,& humani ſenſus poſſe aut debere ferri.

Pugna iuſtorum cum impijs.

Ita vox carnis,& inferioris & exterioris hominis in Sanctis eſt iſte verſus, Imo totus Pſalmus qui clamat,dum interim ſpiritus fortiter ſuſtinet,& Deum expectat in oportunitatibus.

Dum ſuperbit impius,incenditur pauper,comprehenduntur in conſilijs quibus cogitant.

Hieronymus: In ſuperbia impij,ardet pauper,capiantur in ſceleribus ſuis,quæ cogitauerunt. Non eſt autem hæc ſuperbia ea,qua quiſquam apud ſe inflatus,ſui & ſua opinione turget,ſed externa pompa,qua alterum ſubijcit & opprimit coram hominibus,ſuperior illo factus,vt Exo.15. Cantemus Domino,glorioſe enim honorificatus eſt, Pro eo, quod eſt, ſuperbiens ſuperbiuit,ſeu præualendo præualuit,ſcilicet,ſuper Aegyptios. Fit itaq;

Superbia.

dum Dominus recedit, & ſtat à longe & deſpicit in oportunitatibus, in tribulatione, vt interim impius eleuetur ſuper pium, eiuſq; per vim dominetur, hoc eſt, ſuper eum ſuperbiat & triumphet. Quare nos hoc verbi intelligamus pro pompa, iactantia, triumpho, quibus videmus victorem ſuper victum coram hominibus fidere & audere, & velut de victo actum ſit, ſecurum eſſe, vbi tum victoris factio id ſibi negotij habet, victi quidquid reliquum eſt vſque ad internitionem perdere. Hoc eſt quod ardere, ſeu incendi pauperem dicit.

Ebræam autem dictionem, Reuchlin ſcribit, non tantum ardere ſeu incendere, ſed & perſequi ſignificare, & hic dicendum, Perſecutionem patitur pauper. Verum non abhorret ſignificatio incendij, ſeu ardoris ab hoc loco,
Impij plus conantur quam poſſunt. Imo maioris emphaſis eſt, quod Propheta velit intelligi, pauperes triumphante impio, penitus in puluerem & nihilum redigi, ac ſi domus igne conſumpta, in cineremq; redacta, nihil relinquat veſtigij ſui. In quo impiorum ſtudium & vota pulchre oſtendit, quibus non eſt ſatis, ſuper pios ſuperbe confortari, ſed impetum ſuum eo vertunt, vt omnia eorum & quidquid ad eos pertinet, funditus perdant, plus conantes quam poſſint.

Sicut de eis dicit Iſa. 16. Audiuimus ſuperbiam Moab, ſuperbus eſt valde, *Iſa. 16.*
Superbia eius & arrogantia eius & præſumptio eius, pluſquam fortitudo eius. In quo loco ponitur hoc nomen, quod hic ſuperbiam ſignificat. Et eiuſdem *Iſa. 10.*
10. de rege Aſſur. Ipſe autem non ſic arbitrabitur, & cor eius non ſic æſtimabit, ſed ad conterendum erit cor eius, & ad internitionem gentium non pau- *Iere. 48.*
Conatus impiorum inanis. carum. Et iterum de Moab Iere. 48. Audiuimus ſuperbiam Moab, ſuperbus eſt valde, ſublimitatem eius & arrogantiam & ſuperbiam & altitudinem cordis eius, ego noui, ait Dominus, iactantiam eius, eo quod non ſit iuxta eam virtus eius, nec iuxta quod poterat conata ſit facere. Vbi iterum fere non aliud quam præſens vocabulum, toties iteratur, quo ſuperbia iſta, furor, impetus impij, vbi præualuerit, deſcribuntur, ſcilicet inſolentia & ſæuitia victoris in victos.

Magno itaq; affectu loquitur aduerſus impios, qui cum reuera non vincant, etiamſi præualeant, tamen quia omnium ſenſu apparet, victos eorum ſæuitiæ & inſolentiæ patere, queritur infirma caro, incendi pauperes, dum ſuperbiunt impij. Conatus enim tantus eſt impiorum, vt videantur vere ſuperiores in æternum futuri. Exemplis id optime capiemus. Finge Arrianis temporibus
Arriana impietas. catholicos Epiſcopos in exilium miſſos, ſuperbiente Arriana impietate iſta opnere, & intelliges affectum. Adeo ſcilicet non vult Deus noſtris viribus quemquam inimicum vinci, ſed ſolius ſua dextra, vt ſint opera & gloria eius ſolius.

Quare non eſt temere agendum cum hæreticis & impijs, more diſputantium Philoſophorum, non ſuperantur vi argumentorum, nec rationibus ducuntur, nec autoritatibus capiuntur. Superbiunt ſuper hæc omnia & præua-
Quomodo agendum ſit cum Hæreticis. lent, donec dextra Excelſi eos immutet. Quod vt faciat, non fiducia ingenij, eloquentiæ, eruditionis, præſumendum eſt, ſed humili clamore implorandus, ſicut huius verſus exemplum nos docet. Sic bella, quæ aliquot ſeculis contra Hæreticos & Turcas geri vidimus, quia viribus & hominum Decretis præſum-
Quomodo vincantur Chriſtianorum hoſtes. pſimus, retulimus illud Hiob. 41. Reputabit quaſi paleas ferrum, & deridebit *Hiob. 41.*
haſtam vibrantem. Non vincitur Satanas & Chriſtianorum hoſtis nobis operantibus, ſed duntaxat patientibus & clamantibus.

Comprehenduntur in conſilijs quibus cogitant, Quod Hieronymus, Capiantur in ſceletibus quæ cogitauerunt. Idem tamen vbiq; ſenſus manet, qui talis eſt, Impij cum ſuperbierint & pauperẽ oppreſſerint, adeo non

reſi-

reſipiſcunt,& malum ſuum agnoſcunt,vt his ipſis ſceleribus ſuis potius pal-
pentur,lætentur,inuoluantur,indurentur,& excæcentur arbitrati ſe obſequi *Captionis perditiſſimum genus.*
um præſtare Deo. Hoc enim eſt genus captionis longe perditiſſimum ,ſuis
Iſa 5. proprijs conſilijs & operibus capi & excæcari,quo non niſi impij ſunt puni-
endi,vt Iſa.5.Væ qui dicitis bonum malum,& malum bonum, ponentes te-
nebras lucem,& lucē tenebras,ponentes amarū in dulce & dulce in amarum.

Eccle.4. Nota itaq; Impiorum prima perditio eſt cæcitas,vt Eccle.4.Multo enim *Prima impiorum perditio.*
melior eſt obedientia,quam ſtultorum victimæ,qui neſciunt quantum faci-
ant mali. Wen Gott ſtraffen wil/dem thut er die augen zu.

Ebræam Emphaſin non reddunt latina verba.Nam comprehendi hoc
loco non ſignificat hoſtilem captionem,ſed blandam & amicam. Ita vt &
Gen.4. Gen.4.Iubal ſcribatur fuiſſe pater canentium (id eſt, apprehendentium, tra- *Iubal.*
ctantium,tenentium)in cythara & organo.Vt ſignificet impios ſibijpſis blan-
Prouer.1. diri in malis ſuis.Sicut & Prou.1.dicitur,Qui lætantur cum male fecerint &
exultant in rebus peſſimis,cum ipſi non niſi de optimis ſe arbitrentur gaude-
re,Deinde in conſilijs,pro quibus Hieronymus in ſceleribus tranſtulit, Ebræis
ambiguum tam ſcelera quam conſilia,ſeu propoſita ſignificare poteſt. Vt ſi
liceat in vnum componere ſignificatum,intelligamus opera ex propoſito &
de induſtria facta,Non enim impij caſu,aut impudenter agere contra pios ſi-
bi videntur,ſed ex magna ſingulariq; prudentia,conſilio,deniq; zelo Dei.

Et nimis apte id nominis Ebræi exprimit furorem illum, qui eſt fons
omnium malorum,quem hodie video dici bonam intentionem & formatum *Bona intentio fons omnium malorum.*
dictamen rectæ rationis.In hoc enim mirum eſt quam confidant,quam aude-
ant,quam præſumant,quam ſibi placeant,quam irrecuperabiliter capiantur
& excæcentur,In primis Pontifices & Religioſi,inter hos autem maxime do-
ctiores & ſanctiores,Quaſi neceſſe ſit quam primū dixerint,Formaui mihi &
habeo bonam intentionem pro gloria Dei & ſalute animarum,nihil reliquum
apud ſe eſſe ſiniſtræ intentionis,& mali ſequentis eam operis.Vbi & hanc im-
pietatem adijciunt,quod ex naturalibus viribus & lumine intellectus (vt di-
cunt)eam fingunt,ſeu formant,diuinam gratiam non niſi poſt formatam,aut
certe nunquam requirentes,& tamen pro ea intentione audent ſine vllo timo- *Notet qui ſapit.*
re,non modo contendere & æmulari,ſed & totū mundum ſanguine & cæde,ſi
Deus permittat,implere.Quibus ſi dixeris,eſſe hanc intentionem peſſimam,ſi
ſpiritu ſancto Magiſtro nō producatur,eſſeq; de naturalibus viribus deſperan-
dum,quod homo mendax,non niſi mentiri poſſit,atq; in timore & humilita-
te,intentione iſta poſita,manum Dei imploratā ſolam,clamabunt te hæreſim
ſapere,qui arbitrium liberum neges,& tam pias intentiones damnaris.

Itaq; pro noſtro ſeculo licet hunc verſum ſic reddere,Impij comprehen-
duntur & placent ſibi in ſuis bonis intentionibus, propter quas dum præua-
lent,incendunt pauperem.Hoc ego libens intelligerem appellari ab Apoſto-
lo 1.Tim.4.cauteriatam habentes conſcientiam,id eſt,vi formatam, & velut
naturaliter malæ intentionis notam huius adulterinæ intentionis ſtulto zelo
impreſſam,ſicut maleficis nota per cauterium imprimitur,induſtria & vi hu-
mana,longe contraria formæ naturali.Ita & hi cæciſſimi humanæ naturæ ma- *Cauteriata conſcientia.*
litiam ignorantes,formam eius violenter intentione bona conantur difforma-
re,dumq; hac adulterina intentione naturale cordis humani mendacium ob-
texerint,quiduis audere prompti ſunt pro gloria Dei,honore Eccleſiæ,zelo fi-
dei & animarum ſalute. Deinde quodcunq; auſi fuerint,prorſus nihil dubi-
tant eſſe Deo,merito condigni,& ſupererogationis,gratiſſimum.Quos ſi ten- *Sanctitas humana.*
tes,periculum erit,an eum S. Petri meritis velint ſua opera conferri. Adeo
amplæ ſunt palpebræ huius Behemoth,adeo capiuntur his ſuis conſilijs, ho-
minum omnium longe infeliciſſimi.

Cogitare. Iam & verbum cogitauerunt, elegantius & ſignificantius eſt in hanc rem, quam poſſit vlla lingua reddere. Significat n. Ebræis non ſimpliciter, ſed artificioſe & ingenioſe cogitare, quomodo artifices ſubtiliores in operum varietate cogitant, Pſal. 52. Tota die iniuſticiam cogitauit lingua tua. *Pſal 52.* Inde Reuchlin dicit, ab hoc verbo nominari *Theorica magiſtralis.* magiſtralem Theoricam, ſeu Mathematicam, & omnem artem quæ ratione & demonſtratione inueſtigat. In quo pulchre ſpiritus impiorum depingit cogitationes, Qui cum non præbeant ſe regendos gratiæ Dei, ſed bonis ſuis intentionibus ſibi placeant, incredibile eſt quam diligentes ingenioſiq; ſint in ſuis operibus tum faciendis, tum ſtatuendis, Es ſind eitel ſubtilitet vnd lauter Klügling. *Impiorum cogitationes. Spiritus ſanctus Orator optimus.* Accedit his & alia ſignificatio verbi, quæ eſt putare, æſtimare, in precio habere, vt intelligas impijs nihil eſſe in oculis ſuis precioſius, quam ſua conſilia, ſuas cogitationes ſuas bonas intentiones.

Vide ergo quam non deſint Spiritui ſancto, qui ſolus optimus eſt Orator, verba rem apte, proprie, aperte, plene, deſcribentia. Quis impiorum cæcitatem, etiam longa oratione felicius abſolueret, quam ipſe tribus his verbis, ſi animo attendas, tam breui copia ſic expoſuit, vt nihil addi, nihil demi poſſit? Non cæcitatem modo, ſed affectum vniuerſumq; habitum & modum eius, tam paucis verbis effinxit.

Quibus cogitant. Si quem noſtra translatio mouet, quod dicit, Quibus cogitant, pro quæ cogitauerunt, poteſt eo fugere, vt cogitare pro verbo abſoluto accipiat, vt ſit ſenſus: Quibus cogitant, id eſt, quibus ſunt cogitantes, artificioſi, ingenioſi, in oculis ſuis precioſi, & (vt vulgo dicitur) Die von inen ſelbs viel halten/in iren rchten vnd thaten/das ſie auch am meiſten betreugt/hoc eſt, comprehenduntur. Hoc eſt enim cur ſic clamet & queratur Dominum à longe ſtare, quod impij ſuis ſceleribus, etiam indurentur magis ac magis, vt non ſit ſpes eos vinci patientia pauperum, niſi Dominus adiuuet.

Quoniam laudatur Peccator in deſiderijs animæ ſuæ, & iniquus benedicitur. Exacerbauit Dominum.

Hic & ſequens Verſus fœde ſunt decerpti in translationibus, ſequens enim Verſus incipitur ab eis, ita, Exacerbauit Dominũ peccator, cũ in Ebræo à nominatiuo, peccator, incipiat, & quod præcedit, Exacerbauit Dominũ, ad hunc pertineat. Sic n. & diuus Hieronymus, Quia laudauit impius deſiderium animæ ſuæ, & auarus applaudens ſibi, blaſphemauit Dominum.

Peccator. Iterum vocabula negotium afferunt. Peccator eſt impius ille tala Sanctus diaboli. Deſiderium animæ eius, eſt placitum ſuum. Iniquus quem Hieronymus auarum tranſtulit, generale nomen eſt ad auarum & offenſorem, vt qui pro licentia ſua lædat, noceat, iniuriam faciat, quibus libitum fuerit, vt ſolent auari. Et melius noſter iniquum, quam Hieronymus auarum reddidit, cum Iniquitas & iniuria, atq; nocendi licentia, & latius pateat quam auaritia, & hic magis ad rem commoderut, vbi de oppreſſoribus loquitur pietatis.

Eſt ergo ſenſus, Poſtquam impius præualuit, & pauperibus vaſtatis, in ſuis ſceleribus induratus & excæcatus eſt, adijcit, vt ſua non niſi iactet, prædicet, *Deſiderium impij.* laudet, id quærens, vt & coram hominibus talis ſit, qualis in oculis ſuis eſt, Ideo contendit, vt ſupra placita, quæ ipſe ſentit, facit, contra pios fieri cupit omnium conſenſu probentur tanquam vtilia, ſancta, iuſta, ædificatoria, nihilq; ſit in eis, quod non omnes laudent. Contra, piorum deſideria, & quæ ipſi ſapiunt, eodem omnium conſenſu damnentur, vt noxia, impia, hæretica, & vt noſtro ſeculo aucta ſunt vocabula, ſcandaloſa, erronea, ſeditioſa, piarum aurium offenſiua. Atq; in his debet impius præualere, vt locum in eo habeat oratio & affectus huius Pſalmi.

Altera ergo perditio impij eſt, eo procedere in impietate, vt glorietur in malitia,

Digitized by Google

Pſal.52. malitia,& potens ſit in iniquitate,Pſal.52.Vt ſtet abominatio in loco ſancto. *Impius in malitia gloriatur.*
Huius verſus ſenſum iam à multis annis Eccleſiaſtica tyrannis impleuit imple- *Eccleſiaſtica tyrannis.*
bitq; poſteris temporibus amplius.Hic enim quia nomen Chriſti velamentum
nequitiæ factum eſt, quidquid pro libidine ſua nocuerint populo Chriſti, *Nomen Chriſti velamen nunc eſt nequitiæ &c.*
2.Theſ.2. quidquid ſtatuerint,quidquid placuerit,ſi quiſpiam non benedixerit & lauda-
uerit,hæreticus erit,ſeditioſus,blaſphemus,vt impleatur Scriptura, quæ dicit:
Mittet eis operationem erroris,vt credant iniquitati , qui charitatem veritatis
non acceperunt,vt ſalui fierent.Oportet enim Antichriſtum hoc Pſalmo de-
pictum cum ſuo corpore,ſub nomine Chriſti adorari & timeri, ſicut merita
ingratitudinis noſtræ exigunt.

Nec abhorret,quod pro iniquo,auarum Hieronymus tranſtulit,niſi quod
atrocior eſt iniquitas quam auaritia,Tum auaritia impijs iſtis Pontificibus &
Iſa.5. idolis Antichriſti,vel in primis tribuitur in Scriptura, præſertim Iſa.5.& Pſal.5.
Pſal.5. vbi ſepulchro patenti guttur eorum comparat. Eritq; tum in ſummo ſuo ro-
bore & virtute,vt nunquam tanta viſa fuerit,neq; futura ſit,vt cum fine mun-
di pariter finiatur.

Exacerbauit,quod blaſphemauit Hiero.tranſtulit, Tertium malum im- *Impius quomodo Deum blaſphemet.*
piorum explicat, quod eſt irritare, amaricare, blaſphemare Deum, De quo
Pſal.5. Pſal.5.dixit: Secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos,quo-
niam irritauerunt te Domine,Non autem intelligendum,fore vt impius, atq;
adeo ipſe Antichriſtus aperte & ad ſenſum blaſphemet Deum, cum nomine
Domini maximè ſit vſurus ad erroris operationem Hoc enim ipſo præualent
Iſa.36. impij pauperibus,quod ſicut Rapſaces Iſa.36.gloriantur ſe à Deo veniſſe,Dei *Rapſaces,Iſa.36.*
eſſe quod dicunt,faciunt,volunt,ſtatuunt,vbi neceſſe eſt ſeduci,quotquot ſpi-
ritu Dei non aguntur.Sed hæc eſt blaſphemia,quod impietatem & iniquita- *Blaſphemia impiorum.*
tem ſuā nō modo non agnoſcunt,ſed pro pietate & bonitate Dei iactant,per
hoc Deo tribuentes opus peſſimū & nomē abominatiſſimū,quo Deus vehe-
menter irritatur,qui alioqui confitentibus peccatū ſuū ſuauiſſimus Pater eſt.
Rurſus verbum & opus Dei,quod in pauperibus ſuis poſuit,non ſolum non
reuerenter,ac nomine Dei dignantur,ſed diabolo & iniquitati deputant, per
hoc Deo auferentes quod ſuum eſt,& diabolo tribuentes.

Sic Apoſt.2.Theſſ.2.de impiorum principe Antichriſto dicit, quod extol- *Antichriſtus extolletur ſuper dictum Deum.*
letur,,non ſimpliciter ſuper Deum,Sed ſupra id quod colitur aut quod dicitur
Deus,ſeu,vt græce dicitur,ſuper omnem dictum Deum & cultum, Vt indicet
ſupra Deum vt in ſua natura eſt,nihil poſſe extolli,ſed vt eſt prædicatus,cultus,
adoratus,id eſt,ſuper culturam Dei,hoc eſt,in opinione & affectu hominum,
apud quos ſolos prædicatur & colitur per verbum & fidem. Quod ego non
aliter intelligo, quam verbum hominis impij præferendum eſſe aliquando
verbo Dei, & hominem in loco Dei ſedentem,ſupra Deum timeri & coli. Ad
quod hi conari videntur,qui Romanum Pontificem dubitant eſſe purum ho-
minem,& eius verba præferunt ſacro Euangelio Chriſti,quæ eſt vere blaſphe- *Summa blaſphemiarum.*
miarum ſumma.

Peccator ſecundum multitudinem iræ ſuæ non quæret,Non eſt Deus in conſpectu eius.

HIeronymus Impius ſecundum altitudinem furoris ſui non
requiret,nec Deus in vllis cogitationibus ſuis.Vbi id primo obſeruandū,
quam vehemens ſit hic Pſalmi ſpiritus,qui toties vocabulum,impius,in-
geminat & repetit.Deinde pro multitudine iræ ſuæ, rectius Hieronymus ,Se-
cundum altitudinem iræ ſuæ,id eſt,præ ſuperbia & elatione tumoreq; furoris
Pſal.101. ſui.Significat enim dictio ebræa,Gauah proprie altitudinem ſeu ſuperbiam, *Gauah.*
131. vt Pſal.101. Superbo oculo & inſatiabili corde,cum hoc non edebam. Et
131.Domine non eſt exaltatum cor meum,neq; elati ſunt oculi mei. Meoq;

iudicio, Caph, pro Beth, legentes tranſtulerunt, Secundum altitudinem, ſeu ſecundum multitudinem, cum dicendum fuerit: In altitudine. Quod autem ad Deum iſta multitudo iræ, ab illuſtribus Patribus relata eſt, diſtinctio verſus male poſita, in cauſa fuit, refertur enim ad impium.

Et quod, In conſpectu eius, noſter dixit, & Hieronymus, In omnibus cogitationibus ſuis, non multum officit ſenſui. Tamen in Ebræo eadem dictio eſt, quam ſuperius verſu ſecundo, in conſilijs, & Hieronymus, in ſceleribus, tranſtulerunt. Vt videat Lector me ſuperius recte in vnum conflatis omnibus ſignificationibus, hoc vocabulo intellexiſſe monſtrum illud & laruam impiorum, quam vocant bonam intentionem, pium zelum, amorem veritatis. *Bona intentio, pius Zelus impiorum.* Contra hanc enim hypocriſin inuehitur ſpiritus Pſalmi huius, qua excæcati non videntur ſibi blaſphemare Deum, ſed maxime laudare, nec ſuperbire, aut incendere pauperes, ſed perſequi ſuperbos & impios. Nec comprehendi ſuis conſilijs & falli, ſed libertima & certiſſima veritate agi. Ita Deum eſſe in ſuis conſilijs & bona intentione, certiſſimi ſunt, & in vniuerſum, quidquid hoc Pſalmo eis imponitur, adeo à ſe alienum eſſe ducunt, vt contumeliæ & conuitij loco habeant, contra quæ, pro ſancta veritate & honore Dei & gloria Eccleſiæ ſummum meritum ſperent, ſi pugnent omnibus maledictis, dolis, artibus, viribus, eſſeq; potius hæc eorum, quos perſequuntur.

Ita fit, vt cæcitas impiorum primum malum, ſit cauſa totius huius belli, *Athanaſius.* & omnium malorum. Exempla abunde ſunt ad manum in Chriſto, in Apo- *Lucius Arrianus.* ſtolis, in Martyribus. Inter confeſſores pulchre Athanaſius Epiſcopus, & Lucius Arrianus, qui etiam ſtricto gladio, & vi armata perſequebatur Catholicos, vt libro 11. Eccleſiaſticæ hiſtoriæ legimus. Simile, ſi nondum actum eſt, agetur per Epiſcopos & Religioſos futuris temporibus, pro ditionibus, iuribus, priuilegijs ſuis, vt impleant menſuram Patrum ſuorum.

Altitudo iræ. Quarta itaq; virtus ſanctiſsimorum & doctiſsimorum hominum, (id eſt, impiorum) eſt altitudo iræ, id eſt, ſuperbia, elatio, inflatio, tumor *Theologorum noſtrorum doctrinalium virtus.* animi. Quos Apoſtolus 2. Tim. 3. quoq; prædixit, dicens: Erunt homines ſuperbi, elati &c. *2. Tim. 3.* Ac vim pondusq; verborũ vide. Non ſimpliciter iram, ſed ſuperbiã iræ eis tribuit, Quod aduerſus pios ſuperbiſſimi contemptores de ira & furore tanquã ſummis meritis inflentur, efferantur, glorientur, tantũ abeſt, vt pauperũ miſereantur, ſuiq; mali eos pœniteat, quo inſaniunt. Cauſa huius ceruicis ferreæ & frontis æreæ (vt Iſa. 48. vocat) eſt hæc, quod non pro pecunia, ne- *Iſaiæ 48.* que pro rebus alijs corporis, ſed pro Deo, pro veritate & iuſticia (id eſt, pro conſilijs ſuis, quibus comprehenſi ſunt) pugnant, in quo nihil fieri poteſt, quod eorum iudicio nimium ſit.

Non quærens. Proinde recte dicit: Impius ſecundum altitudinem, ſeu multitudinem iræ ſuæ non quæret. 𝔈𝔯 𝔣𝔯𝔞𝔤𝔱 𝔫𝔞𝔠𝔥 𝔫𝔦𝔢𝔪𝔞𝔫𝔡𝔰. Eſt enim verbum, quæret, abſolutum, ſignificans, id quod germanice iam dixi, 𝔈𝔯 𝔞𝔠𝔥𝔱 ſ𝔢𝔦𝔫 𝔫𝔦𝔠𝔥𝔱. 𝔈𝔯 𝔣𝔯𝔞𝔤𝔱 𝔫𝔦𝔠𝔥𝔱𝔰 𝔡𝔞𝔯𝔫𝔞𝔠𝔥. *Quærens.* Non facit inquiſitionem, non curat, non eſt ſolicitus. Qui enim quærit, ſolicitus eſt, & timoratus & rationem ſui habet. Hic fertur præceps, ſuperbus, ſine timore, ſecurus, quocunq; intentio ſua bona rapuerit, nec patitur ſuperbia iræ ſuæ, vt conſideret, deliberet, aut inquirat quid faciat. Hanc enim incogitantiam præcipitem ſignificat, quando dicit: Præ altitudine iræ ſuæ non quæret, ſcilicet, non ſolum hominem non reueritus, ſed etiam nec Deum habens in omnibus ſuis conſilijs, ſeu in conſpectu ſuo.

Pictura impiorum. An non hoc eſt impium graphice ſuis pingere coloribus & affectus eius, moresq; omnes tam certo ictu tangere, vt nec à capillo aberret? Sicut Iud. 18. *Iud. 18.* de filijs Beniamin dicitur. Quæ omnia ſi obſerues, & in quas perſonas inuehatur, nempe potentes, principes, magiſtratus, ſacerdotes, ſanctos, ſapientes, qui coram hominibus & in oculis ſuis longe aliud ſunt, cogeris dicere, ſpiritum

Prophetæ

Prophetæ eſſe hæreticum, conuitiatorem, maledicum, ſcandaloſum, ſeditioſum, piarum aurium offenſiuum. Ac ſi tres colores impiorum hic verſus habet, Superbiam ſeu iracundiam elatam, præcipitem incogitantiam, & contemptum ac neglectum Dei. Sic tamen vt (quemadmodum dixi) neminem ſinant de modeſtia, prudentia, pietateq; præ ſe gloriari aut celebrari. Oportet n. impios monſtroſiſſimo vitæ genere eſſe, quod non ſunt, & non eſſe quod ſunt.

Spiritus Prophetæ hæreticus putabitur.

Tres colores impiorum.

Inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore, Auferuntur iudicia tua à facie eius, omnium inimicorum ſuorum dominabitur.

PRo inquinatæ ſunt, Hieronymus & Ebræus, Parturiunt. Ac poterat latinus aliquis Scriptor, pro inquietæ, ſcripſiſſe videri inquinatæ, quaſi Interpres parturientis affectum per inquietudinem reddiderit, niſi Auguſtinus & veterum exemplaria vna cum Græcis reſiſterent. Auguſtinus enim legit, Contaminantur viæ eius. Senſus noſtri textus erit, Etſi impius ſibi mundus videtur in vijs ſuis, tamen cum ſit ipſe inquinatus, inquinatæ ſunt viæ eius omni tempore. Sicut Prouer. 30. Generatio quæ ſibi munda videtur, & tamen non eſt lota à ſordibus ſuis. Generatio, cuius excelſi ſunt oculi, & palpebræ in altum ſurrectæ, Generatio, quæ pro dentibus gladios habet, & commandit molaribus ſuis, vt commedat inopes de terra, & pauperes ex hominibus. Quibus verbis idem, qui hoc Pſalmo, impius deſcribitur.

Impiorum viæ inquinatæ.

Prouer. 30.

Sunt ſane impij etiam ea præſumptione, vt ſi quid patiantur, aut ſiniſtre ceciderit eorum ſtudium, de patientiæ corona glorientur, adeo nunquam non optima de ſe ſentiunt, contra quos dicit, In omni tempore, id eſt, tam proſpero quam aduerſo, ſiue quid bene geſſerint, ſiue mala paſſi fuerint, pollutum & inquinatum eſt. Quaſi cum Apoſtolo Tit. 1. dicat, Cum ſint abominati & increduli, & ad omne opus bonum reprobi. Et iterum, Omnia munda mundis, Inquinatis autem & infidelibus nihil eſt mundum, ſed inquinatæ ſunt eorum mens & conſcientia. Siquidem impij, qui iuſticiam ſuam in opera diuidunt, & ſuis ſe regunt conſilijs, non poſſunt eſſe homines omnium horarum, omnium operum, omnium rerum, liberi ſcilicet & indifferentes. Sed certis adhærent, in quibus fidunt, propter quæ & belligerantur. Ideo dicit, quod in omni tempore ſint viæ eius inquinatæ, volens, quod maxime eo tempore, quo ſibi puriſſimi videntur. Et hic locus valet in eos, qui bona moraliter facta reponunt inter opera non mala, propter vim naturalem liberi arbitrij in bonum. Sed ſtat ſententia: Inquinatæ ſunt viæ eius in omni tempore.

Tit. 1.

Impij non ſunt homines omnium horarum.

Ebræus non longe diſtat ab hoc ſenſu, quia parturire eſt inquietum eſſe, & in doloribus agere, In quo ſignificat impiorum ſtudia quamlibet bona, non fieri animo hilari & gratuito, ſed inquieto, triſti & dolente, quia dum ſpiritus pinguedinem non habent, non niſi cum legis odio & difficultate bona faciunt, difficultas autem & inuita voluntas conſcientiam quoq; triſtem reddit. Atq; hoc ipſum inquinat eorum omnia opera bona, quod inquieto, rebelli, inuito, triſtiq; corde ea faciunt. Aut ſi libenter ea faciunt, iam ſubtiliori pollutione fœdantur, dum affectu commodi ea faciunt. Ac per hoc vere omni tempore pollutis vijs incedunt, ſiue minis adacti, ſiue commodis allecti, cum nunquam Dei amore & affectu iuſticiæ ea faciant. O quam grande hoc verbum, Quantos hodie capit, & non capitur, qui faciendo quod in ſe eſt, & moralibus virtutibus intenti, hanc ſuam cordis inquinationem non obſeruant.

Impiorum ſtudia inquieta.

Facere quod in ſe eſt.

In Ebræo, Omni tempore, iungitur ei quod ſequitur: Auferuntur iudicia tua à facie eius. Simpliciterq; dicitur, Inquinatæ ſunt, ſeu parturiunt viæ

eius.

eius. Q. d. Quidquid facit boni, & laborioſum eſt, & tamen immundum ſimul. Atq; vt ſupra Pſal. 1. diximus, vias vocat, cum tamen potius ſint errores, *Pſal. 1.* quia foris bona videntur hominibus eorum opera, dum in veſtimentis ouium incedunt, ſed intus vbi inquinati ſunt, Lupi ſunt rapaces.

Huic infeliciſſimo impiorum nomini, quod ſpecioſiſſima eorum vita coram Deo inquinata pronunciatur, additur & hoc, Quod iudicia Dei ſint longe à facie eorum. Quo exprimit quod dixit: Non eſt Deus in conſpectu eius, Volens oſtendere, quomodo ſint ſine timore Dei. Iudicia (inquit) tua, quibus pro pauperibus tandem ſurgens iudicabis, & omnes reos facies, qui ſuperbiunt, adeo longe ſunt à facie eorum, vt nunquam ſuper ſeſe ventura certiſſimi ſint. Ad eoſdem Iſa. 10. Quid facietis in die viſitationis & calamitatis de longe venientis? *Eſa. 10.*

Pius veretur omnia opera ſua.

Vide ergo, pius enim Hiob veretur omnia opera ſua, cum tamen ſint munda, tam prope ſunt ei iudicia Dei, coram quo non iuſtificatur omnis viuens, ſi intret in iudicium cum eo, Pſal. 143. At impius, cum ſint omnes viæ eius inquinatæ, nunquam tamen veretur opera ſua, tam longe ſunt ei iudicia Dei, Quin ſuperbiens habet, vnde Deum debitorem ſuum expectet, operibus ſcilicet condignis vita æterna, & tum congruis, & ſupererogationis, ſicut noſtro ſeculo docuere Magiſtri, qui vni momentaneo actui meritorio tribuunt dignitatem meriti æternæ gloriæ, Quæ quis Turca apud nos doceri crederet? *Iob. 9.* *Pſal. 143.*

Omnium inimicorum ſuorum dominabitur, Hieronymus omnes inimicos ſuos deſpicit. Nec ſatis ſcio, quæ ſit huius verbi, Iapiah, germana ſignificatio. Nam Pſal. 12. ſic reddit, Fiducialiter agam in eo. Aba. 2. Et apparebit in ſinem. At Prouer. 13. Profert mendacium teſtis doloſus. Quomodo ergo conueniunt, deſpicere, dominari, fiducialiter agere, & proferre? Noſter ſane ſibi conſtans, pro dominari idem intellexiſſe videtur, quod per fiducialiter agere, quod expreſſius Hieronymus deſpicere dixit, qui enim deſpicit, fiducialiter agit, ac velut ſuperior in victum dominatur. *Pſal. 12.* *Abac. 2.* *Prouer. 13.*

Superbia impiorum.

Iohannes Reuchlin dicit Ebræos peritiores eo verbo intelligere, id quod eſt aliquid intra ſe meditari, & muſſitando ſecum parare, diſponere, loqui. Quod interim ſequamur, Vt ſit ſenſus, Impios eſſe adeo ſuperbos & contemptores omnium in vita ſua, vt etiam omnes tribulatores, ſeu aduerſarios ſuos cum fiducia deſpiciant, & cum deſpectu in eos loquantur, tanquam nihil nocituros. Vbi ſi per neutrum ſeu imperſonale Interpres reddidiſſet, clarior ſenſus fuiſſet, ac tam præcedentibus quam ſequentibus pulchre congruiſſet, in hunc modum: Omnes tribulationes ſuas deſpicit, hoc eſt, adeo ſecurus eſt, adeo longe ſunt iudicia Dei à conſpectu eius, vt etiam derideat ſibi denunciatas futuras peccatorum pœnas, cum ad ſe eas non pertinere arbitretur, ideo contemptim in eas ſecum meditatur & loquitur.

Hunc ſenſum iuuat, quod iudicia Dei præmiſit contempta, per quæ impijs intentatur & infertur tribulatio. Deinde, quod, Zorraſ, non inimicos, ſed tribulatores ſuos ſignificat, ſcilicet, qui anguſtient & affligant, vt Pſal. 3. & 6. dictum eſt, Hunc contemptum pœnarum paſſim tribuit impijs Scriptura, Amos. 9. In gladio morientur omnes peccatores populi mei, qui dicunt, non appropinquabit & non veniet ſuper nos malum. Iſa. 28. Dixiſtis, percuſſimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum, Flagellum inundans cum tranſierit, non veniet ſuper nos. Mich. 2. Ne loquamini, dicunt, non ſtillabit ſuper iuſtos, non comprehendet confuſio, dicit domus Iacob. Ita verbum hoc loco omnino ſignificat, non modo loqui, ſed cum fiducia & deſpectu loqui, ſicut ſolet Dominus & ſuperior. Sic poteſt illud Prouer. 14. nunc intelligi; Profert mendacium teſtis doloſus, id eſt, cum fiducia & deſpectu loquitur mendacium, non metuens pœnam mendacij, Sed & verſus ſequens indicat hanc eſſe huius partis ſententiam, dicens. *Pſal. 3.* *Amos 9.* *Iſa. 28.* *Mich. 2.* *Prouer. 14.*

Contemptum pœnarum tribuit Scriptura impijs.

Dixit

Dixit enim in corde ſuo, Non mouebor à generatione in generationem ſine malo.

ECce contemptorem tribulationis futuræ, iudiciorumq; Dei, Intetpres Ebræum non exprimens, contrarium ſenſum edidit, quem textus non habet. Sonat enim, quaſi Impius proponat ſemper malum facere, cum velit nullo ſe vnquam malo moueri. Quare & diſtinctionem & Ebræum ſenſum, ſic reddamus ad verbum: Dixit in corde ſuo, Non mouebor in generationem & generationem, quod non in malo. Sic & Hieronymus, licet aliter diſtinguens, Dixit in corde ſuo, non mouebor à generatione in generationem, ero ſine malo. Adijciens verbum ſubſtantiuum, ero, quod Ebræis ſubauditur.

Eſt ergo ſenſus apertus, Quod impius in tribulationes ſibi denunciatas contemptim loquitur, dicens, Non mouebor in æternum, eroq; ſine malo per omnes generationes, Eſtq; eadem ſententia vtriuſq; partis verſus per tautologiam. Eſt & idiotiſmus ebraicus in verbo, mouebor. Vt Pſal. 15. Qui facit hæc, non mouebitur in æternum. Et Pſal. 124. Qui confidunt in Domino ſicut mons Zion, non commouebuntur in æternum. Subindicatur enim pauor ille fugaq; conſcientiæ. De quo Iſa; 28. Qui crediderit, non feſtinabit, ſeu non confundetur, non perturbabitur. Et Pſal. 1. Non ſic impij, ſed tanquam puluis, quem proijcit ventus.

Non mouebor in æternum.

ſal. 15. *ſal. 124.* *a. 28.* *ſal. 1.*

Cuius maledictione os plenum eſt, & amaritudine, & dolo, ſub lingua eius labor & dolor.

HIeronymus ſic: Maledictione os eius plenum eſt, & dolis, & auaritia, ſub lingua eius dolor & iniquitas. Primum erraſſe interpretem noſtrum in nomine, vmirmos, amaritudine, perſpicuum eſt ex ebræa lingua, Proptereq; pro eo Hieronymus reddidit: Et dolis. Sic enim Pſal. 15. quoq; translatum eſt, Nec iurauit in dolo proximo ſuo. Cum amaritudinis vocabulum non habeat, Mem, ſubſtantialem literam, ſicut iſtud. Quod noſter dolum, Hieronymus auaritiam poſuit. vſuram alias reddunt, Pſal. 72. Ex vſura & iniquitate redimet animas eorum. Et ambæ dictiones Pſal. 55. ſic redduntur, Et non defecit de plateis eius vſura & dolus.

ſal. 15. *ſal. 72.* *ſal. 55.*

Scio varie hunc verſum tractatum, & tamen obſcuriſſimum relictum. Id mihi perſuadeo, dum oris & linguæ officium arguit, cum de operarijs verbi, hoc eſt, de ſacerdotibus, pontificibus, doctoribus, & miniſtris verbi in populo loqui, Proinde non poſſe intelligi de his, qui maledictis priuatim & conuitijs inſaniunt, Sed de maledictione, quæ in docendo contingit, & populo nocet, ſub ſpecie benedictionis. Quando enim vere verbum Dei prædicatur, gratia & benedictio prædicatur. Sicut Rom. 1. Euangelium virtus Dei eſt in ſalutem omni credenti. Quæ benedictio olim Abrahæ promiſſa eſt Gen. 12. Quamuis autem Pſal. 5. huius verſus ſententiam abunde tractauerim, vbi dicitur: Quoniam non eſt in ore eorum veritas &c. Tamen quia tam potens monſtrum eſt ad nocendum, doctor impius, dignum eſt ſæpius ipſum tractari.

Maledictio in docendo.

om. 1. *en. 12.* *ſal. 5.*

Primum, ſicut cætera omnia, ita & hunc verſum vehementi ſpiritu loquitur, appellans maledictionem & execrationem doctrinam eorum, quam ipſi benedictionem eſſe populo perſuadent. De quibus Apoſtolus Rom. 16. Qui per dulces ſermones & benedictiones corda ſeducunt innocentum. Iſa. 3. Popule meus, qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt. Sed & Apoſtolus 2. ad Tim. 4. prædixit futuros Magiſtros prurientes auribus. Has itaq; blandiloquas prædicationes (ſicut reuera ſunt) appellat maledictiones, Sicut & Malach. 2. Maledicam benedictionibus veſtris.

In impios Doctores.

Rom 16. *Iſa. 3.* *2. Tim. 4.*

Deinde, quanti ſpiritus vox eſt, quod dicit: Os eius plenum eſt? Mitius

tlus erat, ſi os eius loqueretur maledictionem. At nunc plenum eſt, aliud non
Cuius os maledictiones plenum eſt. loquitur, niſi vnde maledicatur à Deo populus. Moueret & meipſum hic verſus, vt Pſamum de Antichriſto intelligerem, niſi viderem hodie ex humanis
Magnates Eccleſiarum admonendi. Decretis & terrena Philoſophia magnates Eccleſiarum & electiores Iſrael eadem impietate impeditos, non aliud agere, quam vt populum ſuis doctrinis (id eſt, maledictionibus) imbuant, Chriſti Euangelio ſubter ſcamnum (vt vocant) poſito. Nam ſi mihi Eccleſiaſticorum & dominantium in Eccleſia ad-
Horrenda noſtri ſeculi impietas. miniſtratio hodierna eſſet oratione propria, apta, commoda, plena, perfectaq́; diſſerenda, hunc Pſalmum recitarem, Quando eo deuenerit etiam impudens noſtri ſeculi impietas, vt ſi quæras, Cur nolint audire Euangelium, reſponde-
Quare Pontificij nolunt docere Euangelium. ant, Fabam hanc in ſe cudi, multū de cenſu & tyrannide periturū, tum multas iniquiſſimas leges tolli, & quod maxime omnium ſit horrendum, Eccleſiam & Eccleſiaſticos oportere reformari, vbi poſitis pompa, faſtu, regnis & mundi negotijs, miniſterio verbi & orationi inſtandum ſit, & Apoſtolorū exemplo in penuria & periculo vitæ pro veritate viuendū. Quod ne fiat, potius omnia prædicemus, ſiue hinc populorum animæ maledictionē capiant, ſiue quid peius.

Ita fit, vt ego quidem Antichriſtum veniſſe non auſim dicere, negare ta-
Antichriſtum veniſſe. men non poſſim, ea quæ geruntur, omnia referre pleniſſime Antichriſtum, Mouetq́; me non parum Sanctos ferme omnes & Præceſſores noſtros vno conſenſu, velut Spiritu ſancto Magiſtro, hunc Pſalmum Antichriſto dediſſe, quem tamen, niſi velimus ſenſum negare, non poſſumus non fateri, hodie impletum eſſe vſque ad minimum apicem & iota.

Amaritudine & dolo, ſeu rectius dolis & avaritia, ſeu vſura &
Impij Doctores ventri ſuo ſeruiunt. fraude. Diximus Pſal. 5. impios Doctores ita docere, vt populum fallant, & *Pſal. 5.* doloſe agere, tantum vt ventri ſuo ſatisfaciant. Sicut & Paulus dicit, Exiſti- *1. Tim. 6.* mantes quæſtum pietatem eſſe. Et iterum Rom. vlt. Hi enim ventri ſuo ſerui- *Rom. 16.* unt, quorum guttur eſt ſepulchrum patens. Voluit forte Spiritus ſanctus dice-
Simonia. re, Simoniam, ſed præuidit acutiſſimos Gloſſatores futuros, qui Simoniam eſſe de iure humano inuenirent. Ideo auaritiam, ſeu fraudem, ſeu vſuram potius dixit, quæ ſunt iuris diuini, quod non poſſunt negare. Qui hæc non intelligit, Decreta, Decretales, Magiſtrorum noſtrorum diſtinctiones obſeruet, in quibus præter auaritiam, dolum tyrannidem, vix aliud ſpirare ipſi fatentur. Hoc enim exemplo verſum hunc intelligemus facilius, cum ſit præſens & ob oculos poſitum, Non reiecerim vocabulum, Amaritudinis, tanto tempore &
Amaritudo. vſu receptum, non ſine Dei voluntate, quod hæc blandiloquentia & humana traditio, quantum palpat & placet carnis ſenſui, tantum amaricabit poſtea conſcientiam, vbi ignorato Chriſto, cœperint iudicari ſecundum opera ſua.

Auen. Amal. Laborem & dolorem (id eſt, Auen & Amal) Pſal. 7. tractaui- *Pſal. 7.*
Doctrinæ hominum. mus, quod Auen proprie dolorem, quod hic laborem, & Amal laborem, quod dolorem tranſtulit, ſignificet. Optime doctrinas hominum hic commendat. Quid enim ex his omnibus homo habet, niſi inquietam, miſeram, ex-
Theologia Scholaſtica. carnificatamq́; conſcientiam? Vere & proprie ſub lingua horum dolor & labor. At tales heu innumerabiles facti ſunt ex iuribus & Theologia iſta Scholaſtica, per hos trecentos annos. Sic enim exempli vice loquimur, ſi fieri poteſt, vt Antichriſtus alius futurus ſit, & peiora faciat. Et recte, vt, quantum foris titillantur impietatis doctrina, qua per opera hominum ad cœlum facilem aditum ſibi parant, tantum intus, vacui fide, vexentur ſtudio infelici bene viuendi, ſudentq́; multum, & fruſtra laborent, vt cum ſua generatione, (Sap. 5.) laſſentur in via perditionis & iniquitatis, & ambulent vias difficiles, *Sap. 5.* Et (vt Pſal. 14. dicetur) viam pacis non cognoſcant, & ſit contritio & infe- *Pſal. 14.* licitas in vijs eorum. Et (vt ſupra dixit) parturiant viæ eius, Iſte eſt populus

Amon.

Amon, populus mœroris, qui natus eſt ex abuſu Patris ſui, id eſt, doctrina ebria & deprauata legis, quæ cum teſtificetur iuſticiam Dei, quæ eſt ex fide Chriſti, ipſi eam humanis opinionibus aptant ad iuſticiam ſuam, & in liberum arbitrium reponunt.

Docere populum ſine Chriſto.

Vide ergo, quid ſit docere populum ſine Chriſto, Nam id quod hic dicit, Maledictione os eius plenū eſt, ſupra Pſal. 5. dixit, Quoniam non eſt in ore eorum veritas, ſeu rectum & bonum. Et quod hic, dolis, ſeu amaritudine, illic, Interiora eorum inſidiæ, ſeu cor eorum vanum eſt. Et hic, auaritia, ſeu, vſura, ſeu dolo, illic, Sepulchrum patens eſt guttur eorum. Hic, ſub lingua eius, labor & dolor, illic, Linguam ſuam leuificant, ſeu linguis ſuis doloſe agebant. Nam hic non fruſtra, ſub lingua dicit, oſtendens quod ſuper linguam, ſeu in ſpecie, vbi ſentitur, bonus videtur ſermo in oculis eorum, ſic enim blanda & leuis eſt lingua, ſed ſubtus & in re ipſa, labor & dolor. Adeo hic verſus cum illo verſu per omnia conuenit, ſed & vehementia ſpiritus non impar eſt vtrinq;, vt oſtenſum eſt, in pondere & vi verborum vtriuſque Pſalmi.

Sedet in inſidijs cum diuitibus in occultis vt interficiat innocentem, Oculi eius in pauperem reſpiciunt.

Hieronymus ſic: Sedet inſidians iuxta veſtibula, in occultis interficit innocentē, Oculi eius robuſtos circumſpiciunt. Proinde mirum, quo ſpiritu interpres noſter, cum diuitibus dixerit, cum nec in Ebræo ſit præpoſitio cum, neq; iuxta, neq; vt, Et dictio, hazerim, ſimpliciter poſita ſit, quæ villam vel atriū ſignificat, autore Reuchlin. Quod & Hieronymus indicat, transferens veſtibula. An forte quod diuitū atria ſeu veſtibula ſolent frequente populorum turba obſideri? aut quod atria & veſtibula proprie diuitum ſunt? Rurſus, nec ſatis placet, quod Hierony. robuſtos pro paupere tranſtulit.

Sepoſitis interim, quæ alij hoc loco tradiderunt, afferam ſpiritum meum. Videtur mihi Propheta proſequi deſcribendo perditum ſtudium & mores impiorum, quos in docendo habent. Dixerat enim verſu præcedente, quæ ſit & cuius fructus, doctrina eorum, ſcilicet, maledictio, auaritia, dolus, mœror & labor. Iam hoc verſu deſcribit, quomodo ſe habeant aduerſus pios Magiſtros, ſibi contraria docentes. Oportet enim Doctorem non modo ſua docere, ſed etiam aliena confutare, quod impij ſtrenue conantur & implent. Verum vbi id ratione & veritate non poſſunt, (ſicut vere non poſſunt) ad vltimum ſuæ virtutis conuertuntur, ſcilicet ad vim & aſtum, vt prohibeant, ne quis contradicat, aut aliud doceat, Deinde, ſi quis contradixerit, interficiant, nulla alia cauſa, niſi quod contra prohibitum docuerit, Tandem adhibeant vbiq;, qui obſeruent huiuſmodi docentes, vt eos tradant, ac ſic per vim Euangelium Chriſti extinguant, & ſolius hominis regnet doctrina.

Quomodo impij Doctores piorum doctrinam refutent.

Quam pulchre poſſem huius exemplum præſentiſſimum adducere, niſi meruerem eos non niſi peiores, veritate fieri. Et certe (vt de Turca taceam interim) ſi noſtri hæreticæ prauitatis inquiſitores & humanæ ſcripturæ interpretes, hunc verſum iam non diu impleuerunt, aut implent, fortiter tamen Antichriſto præludunt, & exemplo ſuo nobis ſenſum eius clarum reddunt, quod cum bona venia eorum dixerim.

Inquiſitores hæreticæ prauitatis.

Primum Antichriſtus ſoli ſibi ius interpretandæ Scripturæ arrogabit, ſicut Turca cœpit, & omnium aliorum ſenſum coget ſuo ſummitti, quin

Habere nos illũ Antichriſtum ipſiſſimum qui dubitat?

dubitari non volet ſuam vocem eſſe Chriſti vocem, cui non liceat dicere, Cur ita facis? etiam ſi ſexcentis Apoſtolis contra pugnes. Et hanc eius impietatem fouebunt plurimi, & præſertim hi, qui aliquid ſunt in hac vita, nempe Magnates, Doctores, Religioſi, Non enim aperte tollet Euangelium, ſed ſubdola hac arte & occulte operante vi.

Eccleſiæ perſecutiones tres, iuxta Auguſtinum.

Vnde beatus Auguſtinus dicit hoc loco, Primam Eccleſiæ perſecutionem fuiſſe violentam per mundi principes. Secundam fraudulentam per hæreticos. Tertiam fore violentam & fraudulentam ſimul, vbi ſcilicet, temporalis & ſpiritualis poteſtas, in vnum conuenient aduerſus Dominum & Chriſtum eius. Hoc eſt, quod dicit, Sedet in inſidijs, id eſt, Doctor eſt inſidioſus & peſtilens. Sicut Pſal. 1. In ſeſſione illuſorum non ſedit. Non enim Chriſtum docet, *Pſal. 1.* ſed hoc inſidioſiſſime & omnibus artibus agit, vt ipſe ſolus ſedeat, ipſum ſolum omnes audiant, magiſterium omniũ ſibi ſoli vendicet, arbiter fiat omnium quæ in Eccleſia docentur, damnaturus & probaturus quæcunq; placuerint, maxime quæ contra, & pro tyrannide ſua valuerint, nam cætera non magnopere curabit.

Doctrina humana vi & potentia ſtabilita.

Hanc autem inſidioſam autoritatem docendi, vi & potentia ſtabillet, alioqui fraudulentia non diu perſiſteret, niſi violentia muniretur, ſi liberum relinqueretur bonis hominibus de eius autoritate & doctrina iudicare, diſputare, dubitare. Quare vt vice articulorum fidei eius ſententia (qualis qualis ſit) dominetur, hanc ſeſſionem inſidioſam in atrijs iuxta veſtibula, ſeu (vt noſtrum Interpretem non infeliciter in vocabulo fecit errare Spiritus Sanctus) cum diuitibus, in propatulo & publico mundi theatro firmabit. Quid enim voluit, non atrium, ſed atria pluraliter dicere, ſeu veſtibula, niſi quod in omnibus Eccleſijs, Scholis, Vniuerſitatibus, Conſiſtorijs, & omnino in omnibus locis, vbi vel res diuinæ fiunt, aut verbum miniſtratur, aut hominum cauſæ aguntur, huius ſeſſio, autoritas, doctrina, mandatum, approbetur, roboretur, & adoretur, non à rudi tantum vulgo, ſed à potentibus, diuitibus, ſapientibus, ſacerdotibus? Atria enim ſeu veſtibula in Scripturis certe locum ſignificant externum, in quo populi conuenire poſſunt, ab adytis & altaribus, & ſacerdotum choro ſeparatum, vt in Exodo & alijs locis patet.

Atria diuitum.

Romanæ artes. Atria.

Sedet in inſidijs atriorum.

Ego ſi quid auderem in lingua ebræa, ſic transferrem hanc partem verſus: Sedet in inſidijs atriorum, Cum Hazerim abſolute ſine titulo aut vllo conſignificatiuo ponatur, vt ſit ſenſus: Atria quæ ſunt arte & inſidijs occupata, ſeu ad inſidias & fraudes eius explendas parata, erunt eius cathedra, & in omnibus ipſe ſolus Magiſter erit. Siquidem, ſedere Pſal. 1. diximus id eſſe, quod *Pſal. 1.* magiſtrum ſeu doctorem eſſe, Nam per hæc atria ſuam autoritatem inſidioſiſſime ſtabiliet. Quis enim audeat contradicere omnibus Eccleſijs, Scholis, iudicijs? cum ſit ſpecioſiſſimum argumentum, à multitudine, magnitudine hominum, & longitudine temporum, quo vel ſolo ſatis inſidiarum habebit, vt ſecure ſedeat & dominetur. Quod ſi quis per inſidias atriorum intelligat inſidias diuitum (ij enim atria habent & amplas poſſeſſiones) forte non inepte noſtrum Interpretem tuebitur, qui videatur loqui de Eccleſiarum & pontificum diuitijs, pompa & faſtu, quibus impius ille ſedem inſidioſam firmabit.

Argumentum à multitudine, magnitudine, longitudine &c.

Deinde, in occultis interficiet innocentem (id eſt, ſuo iudicio hæreticum, ſchiſmaticum, rebellem, inobedientem, ſeditioſum piarum aurium offenſiuũ, quia veritatem Euangelij profeſſus eſt, cum crimine læſæ maieſtatis, & irreuerentia ſedis Antichriſti) interficiet autem in occultis, Nam nec violenter ſtabilita fraus ſatis tuta eſt à luce Euangelicæ veritatis, ſi

In occultis interficiet innocentem.

paſſa fuerit eam cordibus hominum inſinuari. Ideo ſic occidendus eſt innocens, vt cauſæ ſuæ iuſticia non reueletur, nec conuincendus autoritate verbi Dei, ſed autoritate ſedis inſidioſæ atriorum. Sicut Iohannes Baptiſta in carcere ſua corporali morte præfigurauit, Ita vox Euangelii in occultis, non cognita cauſa, nec reddita ratione, obtruncetur, & prædicator eius interficiatur, aut etiam comburatur. Quid enim eſt aliud, in occultis occidere, ſicut quidam Martyres occiſi ſunt, nempe Geruaſius & Prothaſius, quam ſine cauſa aut falſa cauſa occidere, dum timetur tumultus in populo, ſi rei veritas prodatur? Sicut enim de occiſo occulte dicitur, Neſcitur vbi & quo modo perierit, ita & de inique occiſis idem poteſt dici.

Geruaſius. Prothaſius.

Verum ſpiritus in occultis dicit, quantum eſt in oculis piorum hominum, id eſt, illorum, quibus cauſa ignota eſt, in qua pereunt innocentes. Cæterum impius in ſua tyrannide obſtinatus, ſatis apertam iactat eſſe cauſam, quod ſibi contradictum eſt. Ideo nemo audet dicere, in occultis aliquem eſſe occiſum ab eo, ſed in luce apertæ veritatis omnia ab illo geſta. Ex his occultis germanice prouerbio dicitur: Es gehet vnter dem hütlin zu. Vt intelligas occulta hoc loco non corporum, aut rerum, ſed artis, cauſarum, iudiciorum, quibus non ſenſus carnis, ſed intellectus fallitur, Das man einem ein naſen macht / vbi cauſa externe prætexitur, & intus in occulto nulla cauſa eſt. Hæc portenta, an ſolus Turca hodie operetur, prudenti Lectori relinquo.

Tertio: Oculi eius in pauperem reſpiciunt. Adeo, ſcilicet, meticuloſa eſt fraudulentia, vt etiam pauperem metuat, licet ipſa cum diuitibus ſedeat, & omnibus potentibus ſtabiliatur. Quod conſcientia malæ fidei, veritatis gratiam & vim non ignoret, quæ quamprimum reuelata fuerit, omnium animos in ſe rapit, & fraudem nudam & ignominioſam relinquit. Ideo tyrannidi Antichriſtianæ non ſatis eſt ſe potentia Regum, Principum, ſapientum, doctorum, Sancticulorum, diuitum, ſtabiliuiſſe, Non ſufficit innocentes occidiſſe, ſed ſtatio Philiſtinorum ponenda, & vigiliæ excubiæq; paſſim locandæ, quæ ſic obſeruent pauperem, ne quid mutiat, & denuo negotium faciat Sedi inſidioſorum atriorum.

Inquiſitores hæreticæ prauitatis exemplo ſunt.

Ac ſic imitatur Vniuerſitatum ritus, in quibus iuratur, Ne quis dogmatiſſet, quod ſit contra ſacroſanctam Eccleſiam, & articulos quoſdam hominum, quos pro oculis Eccleſiæ haberi conuenit, & non pro auribus Chriſti, dum vbiq; ad Euangelium ſurdi, tam acute obſeruant, quid contra opiniones ſtatutaq; hominum prodierit, vt Chriſtus, qui ianuas clauſas penetrauit, tamen aciem oculorum iſtorum euadere non poſſit, quin in multis inueniatur Hæreticus, & aduerſus ſedem ſanctam locutus. Vnde verbum, reſpiciunt, non ſimplicem reſpectum ſignificat, ſed eum, qui ſit cum obſeruatione & diligentia, quo modo ſpeculatores obſeruant, & reſpiciunt, ne quid moliantur hoſtes. Inde ſpeculator, quem Græci Epiſcopum vocant, Ezech. 3. Fili hominis, ſpeculatorem dedi te domui Iſrael. Quæ verbi Emphaſis, impiæ tyrannidis meticuloſitatem hoc loco indicat. Nec minus nomen, Oculi eius, & pauperem, quod tota cura, ſcilicet intentus ſit, & oculis (qui præ cæteris membris valent) obſeruet, ne aliunde periculum ſuum erumpat.

Iuramentum Vniuerſitatum.

Chriſtus hæreticus.

Speculator.

Inſidiatur in abſcondito, ſicut Leo in ſpelunca ſua, Inſidiatur (in laqueo ſuo) vt rapiat pauperem, Rapere pauperem, dum attrahit eum.

HÆc omnia vnus verſus in Ebræo, quæ apud nos tribus verſibus diſtributa ſunt, Solœciſmus iſte, Rapere pauperē, ſatis à multis taxatus eſt,

eſt, cum dicendum fuerit: Rapiet pauperem. Satis antem facilis eſt intellectus ex præcedentibus tribus virtutibus tyrannidis, verſu iam dicto expoſitis. Exponit enim, quid faciant oculi eius, dum reſpiciunt pauperem. Nempe ſicut leo auidus rapiendi & deuorandi in cubili ſuo obſeruat occaſionem, ſi qua beſtia imprudens occurrat, & ſua ſecuritate in manus eius ruat.

Euangelij præcones periclitantur.

Ad ignem.

Ita Antichriſti tempore erunt, qui non modo prohibeant pauperem mutire Euangelium, Sed ſic eum obſeruabunt, vt ſi quid vel imprudenter dixerit aut fecerit, quod vel vi vel aſtu queant torquere, & violenter interpretari in eum ſenſum, qui ſit contra ſanctam ſedem beſtiæ illius, mox more noſtrorum clament, Ad ignem, quem is, qui dixit aut nunquam cogitauit, aut nunquam voluit proferre, Imo ſi quid, vel cautiſſime dixerit, vt non poſſit timere periculum, tamen illorum officium erit, rectiſſimę dicta calumniari, cum Iudæis Chriſtum capere in ſermone, & in ſyllabis innoxijs venenum inuenire, Sicut araneus in roſa.

Tyranni Antichriſti in pios graſſatur.

Hoc autem facient non ſtulto conſilio, vt qui compertum habeant, & experientia doceantur, Regnum tyrannidis parum tutum felixq; conſiſtere, ſi eos duntaxat perdant, qui vel vera cauſa conuicti, vel ſimulata ſuſpecti, traduci poſſunt, Sed oportet in exemplum & terrorem omnium aliorum, etiam eos vexari, qui ſimpliciter & quiete inceſſerunt, nihil minus timentes, quam in has aliquando ſymplegadas rapi, Vt ſic nullus ſit, qui Tyrannum non metuat etiam optima conſcientia fretus, & omnis conſilij contra Tyrannum ignarus, Sic Mich. 2. Eos qui tranſibant ſimpliciter, conuertiſtis in bellum. *Mich. 2.*

Eo conſilio fiet, vt non modo nemo pauperum audeat mutire, aut vel'e mutire pro Euangelio, ſed ſecuritas parabitur tyrannidi, vt quidquid docere, ſtatuere, mutare, remutareue voluerint, pro ſuis tum opinionibus, tum affectibus, omnes neceſſe ſit tanquam Chriſti vocem ſub nomine Chriſti acceptare. Deinde etiam ea cauſa ſic graſſabuntur, ne ocioſum ſit officium eorum, & parum gloriæ apud homines obtineat, Tum ſi ocio rubigineq; pereat, metuendum, ne in futura vita priuetur aureola Doctoribus, & tutoribus veritatis merito condigni debita. Quod ne contingat, curandum, vt vel innocentiſſimos excarnificent pro ſancta veritate.

Inſidiari in abſcondito.

Occultum.

Vide nunc, quid ſit inſidiari illos in abſcondito, ſicut Leo in ſpelunca, vt rapiant pauperem, Nempe, animo perdendi occaſionem obſeruare vt rapiant pauperem, vt in eo verbo aut opere eum capiant & damnent, quod ſibi ignorum penituſq; occultum fuit eſſe damnabile. Diximus n. occultum hoc loco eſſe, quod arte & ingenio occultatur, dum aliud prætexitur, quo accuſetur pauper, & aliud intus reuera eſt, quo accuſari non poſſit, imo quo laudari debuit, ſeu, vt Chriſtus dicit: Qui oderunt lucem, vt Apoſtolus: In hypocriſi loquentes mendacium, de quo plura in ſequentibus Pſalmis. Sed furor leoninus ad tyrannidem roborandam paratus, his artibus rapiendi opus habet. *Iohan. 3. 1. Tim. 4.*

Fuga Chriſtianorum tempore Antichriſti in ſpeluncas.

Itaq; tempore Antichriſti nemo tutus erit in publico, nec audebit Chriſtum profiteri, ſicut nec hodie ante faciem hæreticæ prauitatis. Atq; id forte eſt, quod toties prædictum eſt viſionibus & prophetijs, fugituros eſſe Chriſtianos in ſpeluncas petrarum & deſerta ſyluarum. Quis enim tutus erit, quando hi periclitabuntur, qui nec cogitant aduerſus Antichriſtum loqui, & quod forte imprudenter & ignoranter effuderunt, cogentur, negato Chriſto, reuocare, & ſedem ſanctam inſidiarum in atrijs ſuis adorare?

Deinde ſatis indicat, Principes, Reges, Sacerdotes, Religioſos, & quidquid erit alicuius nominis, à parte Antichriſti ſtaturos, dum non niſi pauperem & oppreſſum memorat iſta paſſurum, Nec eſſet magna nec digna Anti-

chriſto

chriſto deceptio atq; tyrannis, ſi non nobiliorem & meliorem partem Eccleſiæ in ſua ſtudia ſeductam haberet. Regnabit enim in Babylone, ipſaq; Roma, & omnia vaſa deſiderabilia, Regem & Reginam, & eunuchos, pueros regios, in ſuam captiuitatem ducet. Sicut figurat captiuitas Babylonica Iſraelis. *Sedes Antichriſti.*

Id quod ſequitur: Rapiet pauperem dum attrahit eum in rete ſuum, explicandi gratia dictum videtur, ne quis pauperem rapi intelligeret aliter quam dictum eſt. Hoc eſt, captabunt eum in ſermone, ſi non poterunt inuenire, quo eum manifeſte contra ſedem ſanctam Antichriſti dixiſſe probent. Non enim de corporali captione hic loquitur, quam verſus ſequens tractabit, ſed de ſpirituali (vt dixi) quam per inſidias in abſcondito parauerunt. Et has inſidias, rete ſeu laqueum vocat. Exemplis iſta probaremus pulchre, niſi noſtro ſeculo per ſe abundarent. *Captio Antichriſti ſpiritualis.*

Humiliabit eum, inclinabit ſe, & cadet cum dominatus fuerit pauperum.

ET diſtinctionis & interpretationis confuſio fecit, vt hunc verſum paſſim de caſu Antichriſti intelligant. Verum Hieronymus ſic reddit, Et confractum ſubijciet, & irruet viribus ſuis valenter. Nec male reddidit Interpres priorem partem, ſi omittantur pronomina, eum, & ſe, quæ non ſunt in Ebræo, interponaturq; coniunctio, & (licet propter idiotiſmum non ſit in Ebræo) inter vtrumq; verbum ſic: Humiliabit & inclinabit, ſcilicet pauperem, ſignificat enim, Daka, prius verbum, conterere, confringere, conquaſſare, poſterius, ſaſcha, inclinare, incuruare, humiliare, vt Reuchlin dicit.

Altera pars ebraice ſic: Et cadent in fortitudinibus ſuis in pauperes. Quem ſenſum pene reddidit Interpres, Quod cadere in fortitudinibus, ſeu irruere in viribus, ſit præualere & dominari. Niſi quod pro pauperibus, Iohannes Reuchlin putat, dictione compoſita dici congregationem dolentium & oppreſſorum, vbi Hieronymus aduerbium, valenter, poſuit, Sicut ſupra in ſimili dictione pro pauperibus, robuſtos tranſtulit. Sed ad aliud forte reſpexit vocabulum. *Cadere in fortitudinibus.*

Eſt itaq; ſenſus, Vbi Antichriſtus & exenbitores eius pauperem traxerint in rete ſuum, & in ſermone ceperint, hic nulla miſericordia prorſus, leuiuſq; ſit peccatum negaſſe Deum, & opera & verba eius, quam hanc ſedem inſidiarum laceſſiſſe. Hic conteritur, & ad nihilum redigitur pauper, Hic irruitur omnibus viribus in populum oppreſſum. Ad hanc Antichriſti inſaniam, quidquid ſit de Turca, iam diu peruenerunt virtualis & repræſentatiuæ Eccleſiæ ſatellites & adulatores, ſiquidem peccata in Deum perpetrata rident, & pro peccatis iam non habent, tantum abeſt, vt in ea irruant, aut vt hic obſeruent, vt hic vel milleſimam officij ſui, aut virium ſuarum, partem impendant. *Peccata contra Deum commiſſa hoſie ridentur.*

Cæterum vbi dubites de ſtatutis eius, & an ſit mixtus Deus & homo, an Dominus terrenus mundi, hic ſi ſyllaba vel imprudens labaris, tractus in rete contereris, & irruent in te omnibus viribus, non contenti gladio, & fulminibus latæ ſententiæ, eũ tot maledictionibus, vt vix ſufficias perlegere, auxilium etiam brachij ſecularis, & totius mundi vires inuocantur, tanti negotij eſt Sedem tyrannicam tueri, Vt mihi Propheta his verbis, Irruet viribus ſuis, videatur hanc noſtrorum tyrannidem, vel pro Antichriſto, vel in Antichriſto, expreſſiſſe. Contra quam, cum videamus omnes ea tantum, quæ ſua ſunt, perditiſſimis ſtudijs quærere & ea, quæ Dei ſunt, contemptiſſime negligere, non tamen audemus mutire. *Peccatum in ſedem Apoſtolicam irremiſſibile.*

Niphlim.

Nimroth.

Igitur, Humiliabit & Inclinabit, non de perſona Antichriſti intelligitur, ſe de opere eius tyrannico in pauperes. Sicut & illud: Cadet cum dominatus fuerit, æque vim eius ſignificat. Nam ab hac violentia irruendi appellantur gigantes, Gene. 6. Niphlim, id eſt, cadentes, ſeu irruentes. Quia (inquit) erant viri potentes in mundo & famoſi (hoc eſt, tyranni) qui irruerunt & oppreſſerunt vi propria pauperes, Sicut & de Nimroth Gene. 10. dicitur, Iſte cœpit eſſe potens (id eſt, violentus) in terra & robuſtus venator coram Domino. *Gen. 6.* *Gen. 10.*

Dixit enim in corde ſuo, oblitus eſt Deus, auertit faciem ſuam, ne videat in finem.

Epicurei noſtra ætate multi.

ITerum non hoc dicunt impij (vt aliqui putant) quod arbitrentur Deum non eſſe vindicem malorum, aut res hominum non curare, cum ſub nomine Domini omnia perpetrent, ſicut Chriſtus Matt. 24. prædixit: Multi venient in nomine meo, Sed quod tam ſecuri ſint, adeoq; ſine timore Dei, vt Deum arbitrentur oblitum eſſe pauperum, & pro ſe, contra pauperes ſtare, vt verſus ſequens indicat, dicens: Ne obliuiſcaris pauperum. Nec ſolum oblitum, ſed etiam abſcondiſſe, & auertiſſe ab eis faciem, vt nunquam in æternum ſit reſpecturus ad eos. Quanquam ſint reuera hodie quam plurimi, qui non credunt animam immortalem, & retributionem futuri iudicij. Hanc inſignem obſtinationem & induratam præſumptionem impiorum hoc verſu arguit, qua pios ad blaſphemiæ ſpiritum prouocant. Sicut Chriſto in cruce dixerunt: Si filius Dei eſt, liberet eũ, ſi vult. Nõ enim ſatis habent pios perdidiſſe, inſuper blaſphemantes, & inſultantes diuini auxilij deſperationem obijciunt, aut ſaltem præſumunt, de quo Pſal. 3. latius. Atq; hic finis & vltimum eſt, quod impij poſſunt, ideo nunc ſequitur alia pars Pſalmi, in quo pro pijs contra impios orat & prophetat, dicens: *Matt. 24.* *Pſal. 3.*

Exurge Domine Deus, & exaltetur manus tua, Ne obliuiſcaris pauperum.

Oratione nobis bellandum.

Leuare manum.

DIcunt impij te pauperum obliuiſci. At tu exurge, & exalta potentiam tuam, qua deſtruis ea quæ ſunt, exaltas ea quæ non ſunt, & conuincantur impietatis ſuæ. In qua re iam ſæpe admonuimus nos doceri, vt vindicta poſita, ac Deo relicta, ſola oratione quæramus iuuari ſolius Dei virtute de noſtris viribus deſperantes. Tropum iſtum, leuare ſeu exaltare manum, notum arbitror, pro oſtendere & exercere virtutem, de quo Pſal. 4. dictum eſt, quem deinceps ſæpius habebimus, vt, Leua manus tuas in ſuperbias eorum, Et Iſaias, Ecce ego leuo manum meam ad gentes. *Pſal. 4.*

Præcedentis & huius Pſalmi ſcopus.

Credo autem, vt ſicut Pſalmus præcedens fere ſimili materia tempora Martyrum deſcripſit, Ita hunc Pſalmum deſcribere tempora vſq; ad finem mundi, vt non modo Antichriſtum, ſed & omnes impios in Eccleſia tyrannos poſt tempora Martyrum & Doctorum in finem mundi, graſſantes tractet. Quales Apoſt. 2. Tim. 3. prædixit homines, habentes ſpeciẽ pietatis & virtutem eius abnegantes, quos nemo ſit correcturus aut reformaturus, niſi ille qui aduentus ſui illuſtratione deſtructurus eſt impium, interim proficient impij in peius ſemper vſq; in finem. *2. Tim. 3.*

Luther. ante 30. annos deſperauit de reformatione Eccleſiæ.

Proinde ego velut certus deſperaui reformationem generalem Eccleſiæ, Nam quantis quæſo Concilijs poſt tempora Martyrum & Doctorum, tentata eſt Eccleſiæ reformatio? Quid Conſtantienſi? Quid Baſilienſi promotum eſt in hanc rem, Vt taceam iſtud nouiſſimi Concilij ludibrium? Quis eſt

iſte

Iſte Spiritus ſanctus, qui legitima (vt iactant) Synodo coacta, nihil curat Eccleſiæ ſuæ correctionem, ſed tantum cæremonijs perdit omnes dies Concilij? Ideo quod hic verſus inuocat Dominum, vt exurgat & potentiam oſtendat, ad diem extremi iudicij pertinere puto. Quod & ſequentia iuuabunt; Vt non ſit dubium noſtro ſeculo, imo iam pluſquam tribus ſeculis huius Pſalmi rem pleno curſu geri & geſtam eſſe.

Propter quod irritauit impius Deum? Dixit enim in corde ſuo, non requiret.

SCilicet blaſphemia, ſeu inſultatio maxime vrit, ideo eam ante omnia mouet & accuſat. Paſſiones enim ſi in Dei conſcientia ferantur non adeo graues ſunt, At vbi conſcientia de Deo auerſo vexatur, iam importabiles ſunt. Reddit autem hoc verſu ac refert illud quod impius dixerat: Auertit faciem ſuam, ne videat vnquam ſicut obliuionem Dei præcedente verſu repulit. His enim verſibus ſpiritualibus opus habemus exhortari, quando in tribulationibus conſcientiam noſtram blaſphemia & deſperatio vexant, Tunc enim conſilio & exemplo huius verſus, blaſphemia regerenda & retorquenda eſt in ipſum ſuggerentem & in caput eius, ſicut & tradiderunt harum rerum vſu edocti & periti. Nam reuera blaſphemum eſt dicere, Deum obliuiſci pauperum, & auertere faciem & non requirere, cum in ſe præceperit credi & ſperari in præcepto primo, & inuocari nomen ſuum in ſecundo & expectari opus ſuum in tertio, propter quid ergo irritat impius Deum, tribuens ei obliuionem pauperum, contra expreſſum eius voluntatis præceptum.

Paſſiones quæ tolerabiles, quæ non.

Conſilium contra blaſphemiam & deſperationem.

Illud leuiculum, quod in Ebræo ſecunda perſona dicitur, Non requires, niſi quod ardentior affectus eo commendatur & robuſtior exhortatio, aduerſus ſpiritum blaſphemiæ, dum cum fiducia ad Deum ſeſe conuertit, accuſans & deteſtans diabolum, iuſtificans Deum & mandata eius, beneuolentiam ita captans, & mouens inuidiam parti aduerſæ, non quod Deus his indigeat vt moueatur, ſed nos ne in fide & ſpe ſuccumbamus, his artibus nos armemus & roboremus.

Vides, quoniam tu laborem & dolorem conſideras, vt tradas eos in manus tuas, Tibi derelictus eſt pauper, orphano tu eris Adiutor.

ABſolute dicit: Vides, pro erigenda fiducia aduerſus impij blaſphemiam, Ac ſi dicat: Tu es videns & inſpector omnium, non oblitus noſtri nec auerſus, vt impius nobis intentat, ideo & conſideras & attendis in laborem & dolorem, adeo ſcilicet vides, vt etiam attente conſideres, nedum auerſus obliuiſcaris.

Laborem & dolorem pleriq; ad pauperes. Auguſtinus etiam ad Deum refert. Meo ſpiritu ad impium refero. Labor enim, hic Amal eſt, de quo ſupra, Sub lingua eius labor. Verum pro dolore ebræus furorem, habet. Sicut & Hieronymus reddidit, Et Auguſtinus iram in ſuo textu legit, id quod fecit cum de labore & ira Dei cogitare. Igitur mea ſententia, Laborem vocat vanum & negotioſiſſimum inſidiarum & doli ſtudium, quo ſua (vt diximus) parat, Dolorem autem, ſeu furorem, vim & impetum, quibus Tyrannidem doloſam ſtabilit, Q. d. ſpiritus, Tu attentiſſime conſideras impij tam dolum quam vim, dolum in verbis (vt Auguſtini verbis vtar) vim in imperio, quo in Sanctos tuos furit, & multo labore ſuas inſidias tuetur.

Amal.

Labor.

Dolor.

Neceſſaria doloſis violentia.

Eſt enim neceſſaria doloſis & inſidioſis violentia,imo dolus tam impotens eſt,vt non poſſit non furere & vim mouere ſi cœperit releuari. Si enim Principes tenebrarum poſtquam mundum poſſideant diuturna idolatria per multam operationem erroris & dolum,vehementer ſuccenſi ſunt & furere cœperunt in Apoſtolos & Martyres,qui dolum hunc detegere aggreſſi ſunt. Sic facit omnis impius pro ſuo dolo tuendo, quemadmodum noſtri quoq; ſeculi exempla monſtrant. Itaq; ne puſillanimes nos reddat Impiorum præſumptio, exhortatur nos Spiritus,docens,quod non eſt abſcondita Deo,impiorum tum fraus tum vis,quacunq; arte in Sanctos moliantur & furant.

Ac ſic conſiderat,vt non conſideraſſe ſatis ſit & inultus tranſeat Impius; Sed vt tradas eos in manus tuas. Hieronymus aptius,vt detur in manu tua. Nam pronomen,eos,non eſſe in textu,& de impio in ſingulari numero loquitur. Horrendum autem eſt incidere in manus Dei viuentis,vt Apoſt. Ebræ. 10. intonat,Quia hic non eſt qui eripiat,ſicut Pſal. 50. Intelligite hæc,qui obliuiſcimini Deum,nequando rapiat,& non ſit,qui eripiat. Eodem tropo & Pſal. 21. dicitur, Inueniatur manus tua inimicis tuis. Et ſumptum videtur ex lege Moſi & alijs veteris Inſtrumenti libris,in quibus ſæpiſſime legimus, Hoſtes tradi in manus filiorum Iſrael. & rurſus Iſrael in manus hoſtium,quoties vindictam ſumptam aut ſumendam legimus. *Ebræ. 10. Pſal. 50. 21.*

Tradi in manus Dei.

Quare & hoc loco tradi in manus Dei,eſt Deo vindicante puniri,qui punit æterna vindicta. Quo intelligimus id quod dixi,Prophetam loqui hoc Pſalmo de his,qui extremo iudicio apprehendentur in fine mundi,poſtquam impietas eorum præualuerit per orbem,in deſperatam vſq; emendationem. Nam corrigibiles non tradit in manus ſuas,ſed (vt Pſal. 89. dicitur) viſitat in virga iniquitates eorum,& in verberibus hominum peccata eorum,de quibus nunc dicit. *Pſal. 89.*

Vocabula quibus Ebræi pauperes appellant.

Tibi derelictus eſt pauper. Vbi iterum Hieronymus transfert,robuſtus, Inter multa vocabula , quibus lingua ſancta pauperes appellat (adeo convenit ſanctitati & paupertati) tria hoc Pſalmo ponuntur Aebion, quod ſimpliciter pauperem ſignificat, Oni , quod magis dolentem ac afflictum,& helæcha, quod oppreſſum & vim paſſum proprie ſignificat. Præter hæc ſunt dach,quod Pſalmo præcedente ponitur: Et factus eſt Dominus refugium dach,id eſt,pauperi. Item dal & raſch,& miſchen,quorum omnium differentias dare fore nō eſt opus,nec huius loci.

Dach. Dal. Oni. Aebion. Miſchen. Raſch. Helæcha.

Ebræi autem pulchre id poſſunt,obſeruata etymologia,Dach enim à contritione & confractione,Dal,ab attenuatione & exiccatione,Oni,ab afflictione & mœrore cordis,Aebion,à volendo ſeu deſiderando, vt cui deſit,quod cupit,Miſchen ,ab apothecis & promptuarijs,quod ſine eis ſit,Raſch,à pereundo & ad miſeriam redigendo.

Eximius ebraicæ veritatis Antiſtes Lutherus hic.

Et iſto Pſalmo peculiariter repetitum Helæcha,quod Hieronymus ab Hail,quod robur ſignificat,robuſtum facit. Alij ab eodem hail,vel hel, quod exercitum & congregationem,& Caph,quod mœrorem triſtitiamq; ſignificat,compoſitum volunt,velut Eccleſiam triſtantium & mœrentium intelligentes,quod mihi valde placet,cum hic proprie loquatur de ijs, qui ab impijs ſub prætextu nominis Domini vim & dolum patiuntur, vbi nomini Domini reſiſtere non licet,& tamen res propoſita vehementer contriſtat,atq; ita in occultis patiuntur,Quales fuerunt Apoſtoli in cœna Domini,qui eum Iudam non auderent reprehendere,eius tamen dolo per Chriſtū indicato,cruciabantur. Felicior n. erat Martyrum & Doctorum conditio,vbi contra Idola & gentes & alienos pugnabant. Sed Antichriſtus noſtris Epiſcopis & eccleſiaſticis Rectoribus vtetur,ſicut in Hæreticis cœpit, quibus cum in omnibus obedien-

Antichriſtus nocentior Eccleſiæ hoſtis quam idolatra.

obediendum ſit vice Chriſti, perículoſiſſimum erit non obediſſe. Rurſum idem periculum obediſſe, cum & electi hic in errorem duci queant.

Quare cum audimus pauperem ſoli Deo relictum, ſine dubio intelligere debemus, contra eos ſtaturos Magnates & vtriuſq; ſtatus Rectores. Quæ res cum ſit popularis & in oculis vulgi magna, facile perſuadebit, vt totus orbis ruat in obſequium Antichriſti, & argumentum veritatis non ex Euangelio, ſed ex multitudine & opinione vulgi petant, Sicut & hodie aliqui faciunt.

Pauperum illorum vnus eſt Lutherus.

Idem indicat, *Orphano tu eris adiutor*, Nihil refert pupillo (ſicut infra transfert) ſiue orphano dixerimus, Eum intelligit, qui ſine patre eſt in terra, cuius pater in cœlo eſt. Nemo itaq; Euangeliſtam tempore Antichriſti tuebitur ex omnibus hominibus, niſi ſolus Deus. Horribilia hæc ſunt valde. Nam Epiſcopos & magnates Eccleſiarum non fore in numero pupillorum, quales hodie ſunt in curribus & eqnis & armis, facile quiuis intelligit, niſi redigerentur primum in priſcam ſacerdotum & Epiſcoporum ſortem. Sed neceſſe erit eos pro temporalibus ſuis & patrimonijs Chriſti & ſanctorum, ſecundum iura ſua ſacerrima, Antichriſto adhærere, aduerſus pauperem & orphanum.

Periculum Euangeliſtarum tempore Antichriſti.

Contere brachium peccatoris & maligni, quæretur peccatum illius, & non inuenietur.

PEccatorem & peccatum pro impio & impietate dixit, vt Hieronymus rectius: Contere brachium impij & maligni, quæres impietatem eius, & non inuenies. Ebræa diſtinctio talis eſſe videtur, Contere brachium impij, & malignum quærens, impietatem eius non inuenies, Vt malignum in neutro genere accipias pro malitia, & duo illa componas, brachium & malitiam impij, non autem impium & malignum, illud conterendum, hanc requirendam, id eſt, in iudicium vocandam, vt ſit ſenſus: Vim & potentiam Antichriſti deſtrue, & malitiam require, ſeu in iudicium voca, vt dolus & nequitia eius reueletur & damnetur, quibus velut inſtrumentis vtitur ſua impietas. Deſtructa autem potentia & inquiſita malitia eius, ac ſic exuto eo, tam vi quam dolo, facies vt impietas eius penitus deſinat, erit inermis impietas & ad nihilum redacta. Hoc eſt, quod dicit, Impietatem eius non inuenies, non vt non ſit, ſed vt nihil poſſit, eo tropo, quo Deut. 32. dicitur, Et dixi, vbi nam ſunt? ceſſare faciam ex omnibus memoriam. Et Iſa. 14. Quomodo ceſſauit exactor? quieuit tributum. Sic enim de perditis & vulgo quæritur & dicitur inſultando, Vbi ſunt? quo abierunt?

Inſtrumenta Antichriſti, dolus & nequitia.

Antichriſti potentia deſtruetur.

Impietatem eius non inuenies.

Quare obſeruanda ſunt verba aptiſſime poſita, Brachium conteritur, malignitas quæritur, & vtrunq; tollitur, ſed impietas manet, niſi quod ablatis his armis, vi & dolo non inuenitur, hoc eſt, perditur cum impio. Hunc ſenſum mihi extorquet Ebraica (vt dixi) diſtinctio. Ad eundem tamen vtrumq; duci poteſt & noſter textus, Quæretur peccatum illius, & non inuenietur, id eſt, inſultabitur perdito impio, & quæretur à dicentibus, Vbi nam eſt, qui irruebat viribus ſuis & valebat dolis ſuis? Atq; hic quoq; verſus opus iudicij nouiſſimi, hoc Pſalmo cantari & inuocari demonſtrat, Quod in hoc tempore impij quidem conteruntur & conuertuntur, at in illo, conteretur ipſa potentia & malignitas, cæterum impius in impietate ſua manet, nec inuenietur. quia tollet eum Dominus.

Opus iudicij nouiſſimi.

Et apte ſingula ſingulis tribuit, Contere brachium, quære malitiam.

Quia

Dolus. Potentia. Quia vis aperta eſt Iudicioq; inquiſitionis non eget, iam iudicata eſt digna contritione. At fraus & dolus malignus, primum reuelandus eſt, cuius ipſa inquiſitio, perditio eius eſt. Dolus enim quam primum cognitus fuerit, mox ſine viribus, ac iam non dolus eſt, ſed ſua ipſius ignominia. Potentia autem etiam ſi cognoſcatur, non ideo deſinit, imo cognita maxime valet, ideo conterenda & frangenda eſt. Et dolus in ſe ipſo reuelato confundendus, tum dicetur ad nudum infirmatum confuſumq; impium, Vbi nunc eſt, ô impie, miſera tua impietas.

Dominus regnabit in æternum & in ſeculum ſeculi, peribitis
Gentes de terra illius.

Hieronymus & Ebræus, Dominus Rex ſeculi & æternitatis, perierunt Gentes de terra eius. Eſt tamen idem ſenſus, quo exhortamur, ne dubitemus Chriſtum eſſe Regem in æternum, qui ſaluos nos faciat, & impios perdat, quantumlibet impij contrarium & ſperent & opprobrent. Quod maxime circa finem mundi neceſſarium eſt noſſe, quando omnia per Antichriſtum ſic agentur, vt quidquid ipſe contra pios tentauerit autoritate & nomine Dei fieri vniuerſo vulgo (vt ſat diximus) perſuadebit.

Autoritati humanæ præferendum eſt Chriſti verbum. Proinde ſatis ſumus præmoniti, abundeq; nobis eſt prædictum, ne ſtatim ampiectamur, quidquid ſub autoritate Chriſti, Apoſtolorum eius Petri & Pauli, ſiue à ſede Apoſtolica Romana, ſiue cuiuſcunq; Epiſcopi prodierit promiſſum vel comminatum, nec ſtatim verum aut ſalutare credendum, quantumlibet multitudine aut magnitudine ſapientum & potentum accedente roboretur. Sed Euangelium Chriſti ſolum & vnicum, pro iudice & duce ſpectemus, Iuxta illud Pauli: Omnia probate, quod bonum eſt tenete. Si enim diſcipuli Apoſtolorum, adhuc viuentibus Apoſtolis auſi, aut lapſi ſunt, vt populum ſeducerent in ſuas opiniones, quid non timendum in eorum ſucceſſoribus poſt mortem eorum, ac per tanta iam ſecula creſcente perfidia & ſapientia carnis? Receſſit olim Edom ſub Rege Ioram, ne eſſet ſub Iuda, quem tamen Iſaac ſubiecerat Iacob longe ante, Quid mirum ſi figura impleatur in Eccleſia, vt mundus à Chriſto recedat? 1. Theſ.

Conſolatio pij. Verum ſi hoc coneris, non diu Chriſtianus Catholicusq; habeberis. Quare vna hæc interim conſolatio tua erit, futuri iudicij dies & fides, qua credis Dominum tuum regnare in perpetuum, & perituros eſſe tandem omnes impios. Niſi enim hac fide præſtes & hoc ſpectes, præſentium rerum ſpecies, quæ eſt apud impios, cito te ſubuertet, falſo ſcrupulo & impietatis inani terriculamento, te læſæ maieſtatis Dei, & hominum accuſans.

Terra Dei dicitur. *De terra illius.* Quæ nam illa, Nam cœlum cœli Domino, terram autem dedit filijs hominum? Vis & intentio in pronomine, Illius, forte ſpectanda eſt, ac ſi dicat: Vos impij ſic agitis in terra, quaſi eſſetis dij & domini eius ſoli, nec Deum, nec imperiũ eius reſpicitis, cum non veſtra ſed illius ſit terra & omnia, qui eſt Rex ſeculi & æternitatis, Quo regnante, ſcitote vos tandem perituros eſſe de hac terra eius. Sic Hiob. 12. Abundant tabernacula prædonum, audacter prouocant Deum, cum ipſe dederit omnia in manu eorum. Et Ezech. 29. Ecce ego ad te Pharao rex Aegypti, Draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum, & dicis, Meus eſt fluuius & ego feci memetipſum &c. Hiob 12. Ezech. 29.

Ita & impij, in terra ſine Dei timore agunt, ac ſi ipſi ſeipſos feciſſent & ſua omnia eſſent, Contra quos vltimum iudicium intentat, perituros eſſe de terra Dei, quam ſibi ſuperbiſſima impietate ſubiecerunt. Sic & Petrus 2. Pet. 2. dicit, cœlos & terram repoſita, igni reſeruati in diem perditionis impiorum hominum, quaſi cum hoc verſu colludens. 2. Pet. 2.

Forte

Forte & gentes emphaſin habet & quandam ſpiritus indignationem, aut Tapinoſin, in hunc modum, Vos qui populus Dei & electus Iſrael eſſe debuiſtis, nunc ſummo dedecore veſtro in gentes degenerati, ac iam non populus, ſed hoſtes Dei, peribitis. Hoc locutionis genere prædixit Moſes Iudæis ſæpiſſime, quod eſſent cito perituri de terra, quam ingrederentur, ſi mandata Dei non cuſtodirent. Quare & hic gentes in terra Dei, oportet intelligi Chriſtianos, qui ſpecie Chriſtum confitentur, reuera autem gentes, factis enim negant, terram eius indigne poſſidentes. *Gentes in terra Dei.*

Deſiderium pauperum exaudiuit Dominus, præparationem
cordis eorum audiuit auris tua.

Hieronymus, Deſiderium pauperum audiſti Domine, præparaſti vt cor eorum audiat, ſeu attendat auris tua. Eadem dictio eſt deſiderium, quæ in principio Pſalmi poſita eſt, Quoniam laudatur peccator in deſiderijs animæ ſuæ, ideo eodem modo exponenda. Præparationem, noſtra tranſlatio tribuit cordi pauperum, Hieronymus & Ebræus, Deo. Vtrinq; autem ſignificatur inæſtimabilis promptitudo Dei ad exaudiendos pauperes, in hunc modum. Adeo paratus & promptus es exaudire, vt etiam antequam clament, ſola deſideria cordis audias, imo impatientior tu es moræ vt audias, quã illi, vt clament, optasq; clamare, vt locũ habeas exaudiendi, adeo præuenit & parata eſt voluntas tua exaudiendi, deſiderium eorum clamandi. Sic Iſa. 65. Eritq; antequam clament, ego exaudiam, adhuc loquentibus illis (id eſt, nondum finito clamore, aut ſermone) audiam. Tunc inuocabis & Dominus exaudiet, clamabis, & dicet: Ecce aſſum, quia miſericors ſum Dominus Deus tuus. *Vtiliſſima conſolatio.*

Quibus verbis non modo ſperare iubemur orantes, ſed prouocamur etiam ad orandum negligentes, dum nobis exauditorem tam paratum proponunt. Et quanquam frigida ſint hæc, dum extra locum & opportunitatem ſuam (id eſt, in anima ſecura & ſatura) ſonant, tamen animæ pauperum & afflictorum (vt hic dicit) ſimul ſunt ſumme neceſſaria & vehementiſſime conſolatoria. Omnia enim tunc machinis impij blaſphemiiq; tyranni contraria ſimulantur & ſentiuntur. Ideo longe vltra ſenſum & captum, in puriſſima à fide rerum non apparentium, ſolumq; ſperandarum, deinde præſentium contemnendarum, dicuntur & intelliguntur. Sicut iam ſæpe dixi, Pſalterium eſſe gymnaſium fidei & ſpiritus, vt qui ſine fide legat, tenebras ſolum & gelu legat, ſine luce, ſine calore manens. Fides autem non niſi in paſſionibus vigeat, quanto acrioribus, tanto ſpecioſior. *Verus vſus Pſalterij cum fide.*

Iudicare pupillo & humili, vt non apponat vltra magnificare ſe
Homo ſuper terram.

GRæciſſantem Interpretem, vbi iudicare pro vt iudicet dixit, alij taxauere. Pupillum quoq; vocat, quem ſuperius orphanum. Et humilis eſt, confractus ille Dach, quem ſuperius Pſal 9. pauperem. Hieronymus hic oppreſſum vocat, vt intelligamus derelictum, & paſſionibus obrutum populum Chriſti. Ebræus ſic dutioguit, ad iudicandum orphanum & pauperem, non addet vltra, ſeu in ſempiternum, ad magnificandum homo de terra. Vbi verbum addet vel apponat, abſoluto ſtatu mihi poni putatur, in hunc modum, Non addet, id eſt, non erit additio, non augebitur, ſed hic ſiſtet & finietur, non erit hoc amplius, vt fortis & terribilis ſit homo de terra. *Humilis.*

Habentq; verba in Ebræo, decorum & miram gratiam. Primum, homo dicitur Enoſch, qui, vt Pſal. 8. diximus, miſer, oblitus & deſperatus ſua Etymologia *Enoſch.*

mologia dicitur,cui componitur mira rerum Antitheſi & repugnantia, Laaroz,id eſt,ad magnificandum. Quaſi rei indignitatem deteſtetur,quod Enos infelix tantum ſibi arroget in hoc mundo, vt tyrannica violentia, magnus, fortis,terribilis & glorioſus aduerſus pios haberi velit. Deinde pulchra vocum alluſio eſt, Magnificare,& de terra laarozæ nos min haaretz, magnam Antitheſin includens,vt dignum ſit hominem vltra hoc quod Enos eſt, de terra natus, & in terram reuerſurus,in terra & de terra ſic ſuperbire,quaſi illud Eccleſiaſtici dicat, Quid ſuperbis terra & cinis?

Magnificare. Eſt etiam verbum,magnificare,æquiuocum Ebræis,ſignificans(vt Reuchlin ait)terreri,pauere,horrere,ſicut fortes & magni Tyranni formidantur. Et ab eo tremore paſſiue ſignificantur altera ſignificatione terribiles illi & magni,ſuperbi & fortes, Vt non inepte queamus hunc verſum etiam ſic vertere, Non erit vltra,vt formidet (ſcilicet pupillus & pauper) hominem de terra, Quo ſenſu Zach. Luc. 1. loquitur, Vt ſine timore de manu inimicorum noſtrorum liberati,ſeruiamus illi, In ſanctitate & iuſticia coram illo, omnibus diebus noſtris. Et vtrumq; ſenſum & ſignificatum in vnum cogamus, ſic intelligentes totum verſum. Ad hoc exaudiſti Domine cor eorum, vt vindices cauſam orphanorum & afflictorum, Et tandem finis ſit tyrannis ipſis infelicibus hominibus ſuperbiendi & magnificandi aduerſus pauperes, Rurſum pauperes aliquando liberati,te exauditore & iudice,deinceps non metuant,neq; terreantur, neq; opprimantur ab homine de terra. Ita vides Pſalmum hunc finem ſuum, in finem mundi & iudicij diem conſtituere.

Zacharias Luc. 1.

PSALMVS XI.

Ad victoriam Dauid.

IN Domino confido,quomodo dicitis animæ meæ,tranſmigra in montem ſicut paſſer.

Eccleſia hodie plena Hæreticorum.

HVnc Pſalmum de Hæreticis S. Patres intellexerunt, & recte,modo Hæreticos intelligamus omnes qui alienam à iuſticia Dei docent iuſticiam,quales Iudæi & omnes operarij ſeu iuſticiarij, quorum hodie Eccleſia referta eſt,hi maxime qui Hæreticos perſequuntur. Nam primo verbo quo Pſalmum inchoat(*In Domino confido*) ſatis euidenter indicat ſcopum Pſalmi,nempe ſe locuturum pro iuſticia fidei,quæ eſt in Deum aduerſus ſubdolos operum Magiſtros,& blandam humanæ iuſticiæ ſpeciem. Itaq; nihil hoc Pſalmo de perſecutionibus, ſed omnia de fallacijs dicuntur, quas Paulus Coloſſ. 2. copioſe perſequitur, inter alia dicens, Videte ne quis vos ſeducat per Philoſophiam & inanem fallaciam,ſecundum traditionem hominum,ſecundum elementa mundi,& non ſecundum Chriſtum &c.

Scopus huius Pſalmi.

Coloſſ. 2.

Sic autem tractat hos fallaces Magiſtros,vt eos incorrigibiles aſtruat, ſolius Dei iudicio reſeruatos, nec alia re conſolari pios poſſe in hac cauſa, niſi iudicio iuſto Dei, interim exemplo Chriſti ſinendos eſſe, vt cæci cæcos ducant, & iuxta Paulum,proficiant ſemper in peius, ſeducti & ſeducentes, Referendus tamen maxime eſt Pſalmus ad initium Eccleſiæ, quo ſpectant

fere

ſere omnium Prophetarum oracula, in quo maximus (propter Chriſtum) mundi tumultus excitatus eſt. Dicit itaq;

IN *Domino confido*, Hoc eſt, hæc mea eſt iuſticia, credidiſſe & ſperaſſe in Domino. Sicut Rom. 1. *Iuſtus ex fide ſua viuet.* Hæc eſt enim Petra, ſupra quam *Rom. 1.* ædificaui Domum meam. Vos autem, qui aliud docere præſumitis, animam meam, dum hoc & illud opus iactatis, in quo me ſaluum fieri confidam, ſic accipio, ac ſi me iubeatis profugum & incertum volare, vt nuſquam mihi ſit fixa & firma conſcientia, ſicut auis, quæ dimiſſo nido in montes vaga volat, & *Prouerb. 27.* huc, illucq; mouetur, nuſquam certa manſione conſiſtens. Sic Prouer. 27. Sicut auis transmigrans de nido ſuo, ſic homo, qui reliquit locum ſuum.

Non autem putandum eſt, operarios illos fallaces ſic dicere, cum contra ſua potius ſtudia pro firmiſſimis certiſſimisq; ſaluris haberi velint fundamen- *Abdiæ. 1.* tis, longe etiam amplius præ veræ fidei & ſolidæ iuſticiæ petra, Nihil enim certius ſibi perſuadent neq; firmius, quam ſua opera, Sicut eos Abdias taxat, Si inter ſydera poſueris nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus. Ibidem: Superbia cordis tui exaltauit te, habitantem in ſciſſuris petrarum &c. Imo nihil aliud iactant ſe docere, quam fidem, ſpem, & charitatem, voluntq; ſoli eſſe qui confidunt in Domino, ac pro hoc pugnant. Sed quod reuera ita ſit, ſi quis eis obtemperet, vt pro ſolida petra, vagos montes, & pro ſecuro nido, inſtabiles fluctus cordis inueniat. Nam hæc eſt origo litis incomponibilis, & aſſidue inter veraces & fallaces, quod vtriq; ſua ſtudia aſſerunt ſolida eſſe, donec Dominus ipſe iudicet. Sicut inter Eſau & Iacob in vtero Rebeccæ. Et inter mulieres *Eſau. Iacob.* *3. Reg. 3.* meretrices, de filio mortuo & viuo, Salomon. Neq; enim hic determinatio Eccleſiæ ſatis eſt, Sicut probauit Arriana & omnium hæreſium factio, donec ſuo tempore Dominus finem faciat, vt hoc Pſalmo conſolamur.

Igitur quicunq; omiſſo Chriſto, in Eccleſia docent ſuas operatiunculas, à ſe repertos viuendi modos, vt hodie ſunt magni harum perditionum gurgites (ſicut & Iohannes Taulerus ſæpius & egregie monet) non aliud faciunt, *Iohannes Taulerus.* niſi quod conſcientias excarnificant, ſemper diſcentes, & ad ſcientiam veritatis nunquam peruenientes, tantum ſpeciem pietatis habentes & virtutem eius abnegantes, captiuas ducentes mulierculas, oneratas peccatis: Reuera enim peccatis magis onerant & inquietant, quam exonerent & conſolentur. Huc *Quid humanarum traditiuncularum Magiſtri faciant.* pertinent Doctores ſatisfactionum, indulgentiarum, modorum confidendi, & infinitarum eiuſmodi inſaniarum. Vos ergo (ait Dauid) me docebitis veſtra, quos ſi ſequar, ero amiſſa fiducia in Domino, ſicut profuga auis amiſſo nido? Abſit, non ſequar. Vnde dictio, tranſmigra, in Ebræo eiectionem, profu- *Gen. 4.* gam, vagamq; motionem ſignificat, vt Gen. 4. Vagus & profugus eris in terra. Et infra: Habitabat in terra Naid (id eſt, profugus) Vnde & ſignum quod *Signum à Domino in Cain poſitum.* Dominus in Cain poſuit ne interficeretur, tremor ſcilicet, his ipſis conuenit phrenapatis, id eſt, mentium deceptoribus, quod nunquam non habeant trepidam & pauidam conſcientiam, quantumlibet operentur ſua bona, qui in imagine ſui Patris, metuunt à quouis occidi, quodlibet ad fulmen pallent, & *Iſa. 48.* ſonitu folij volantis terrentur. Non enim eſt pax impijs, ait Dominus Iſa. 48. Sed ſicut mare feruet impius, & redundant fluctus eius.

Ebræum ergo ſic redderem: *In Domino ſperaui, quomodo dicitis animæ meæ, Moue montis auis?* id eſt, Eſto in montibus profuga quædam auis. Aduerbium, ſicut, non eſt in textu, vult enim dicere: Eſto vaga auis montis. *Montis.*

Eſt enim Allegoria. Et mons, hoc loco proprie ſignificat multitudinem montium, quales ſunt in deſerto & ſyluis, à cultu & frequentia hominum remoti. Vt indicet proprie animam profugam & à fiduciæ ſuæ nido, in deſerto eiectam, Eadem enim dictio hîc ponitur, quæ Iſa. 40. Aſpera (id eſt, montoſa) in vias planas, cum talia montoſa ſint & inuia & impedita. Vbi ſatis indicat per Chriſtum reduci animas à montibus iſtis, id eſt, montuoſis, & inuijs iuſticijs, ad facilem & planam in fide iuſticiam. *Iſa. 40.*

Deinde cum ſint hæ iuſticiæ difficiles & anfractuoſæ & diſpendioſæ, ſicut montium talium via, nihilominus tamen inflantur & ſuperbæ ſunt, vt eas altitudine montium neceſſe fuerit ſignificari. Ac ſic Propheta eodem verbo ſimul & miſeriam & ſuperbiam expreſſit eorum. Vt qui de ea re glorientur, in qua laborant miſertime, cum lamentari potius debuerint. Hanc iuſticiæ infelicitatem ſuperius audiuimus dici, Auen & Amal, id eſt dolorem & laborem. Hoc parum refert, quod Ebræus Auen generali nomine non paſſerem ſpecialiter habet, Zipot. *Zipor.*

Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, parauerunt ſagittas ſuas in pharetra, vt ſagittent in obſcuro rectos corde.

Hieronymus ſic, Quia ecce impij intenderunt arcum, poſuerunt ſagittam ſuam ſuper neruum, vt ſagittent in abſcondito rectos corde, Mediam particulam verſus ego libens ſic verterem, Direxerunt ſagittam ſuam ad ſignum. Mihi enim Ebræus videtur dicere de ijs, qui ſagittas emiſſuri dirigunt ad metam propoſitam, Quod ex verbo direxerunt apparet, Nam nec pharetram, nec neruum proprie inuenio.

Patet autem Pſalmum loqui de impijs & hypocritis, quos iam ſæpius diximus nominari Raſa, in iuſticia propria incedentes, inimicos iuſticiæ Dei, propter Deum & zelum veritatis. Reddit autem rationem iam dicti, dicens: Dixi impios velle, vt fiam auis montium profuga, dimiſſo nidulo fiduciæ meæ in Chriſto, Vere dixi, Quia ecce dum optime docent, ſeducunt rectioordes & deſtruunt ea, quæ tu perfeciſti, Quo quid aliud faciunt quam inquietas & trepidas animas?

Allegoria arcus & ſagittarum. Celeberrima eſt Allegoria iſta arcus & ſagittarum, non modo in ſacris literis, ſed & quotidianis vulgi prouerbijs Arcum ſcilicet eſſe linguam, ſeu oratorem, ſeu orandi artificium, Sagittas, verba, ſuggeſtiones & ſimilia Itaq; impij linguam ſuam eo inſtituunt, & verba impij dogmatis eo dirigunt, tantum vt noceant & perdant, Sicut Iohan. 10. de furibus eiſdem dicit, Quotquot venerunt, fures & latrones fuerunt. Fur non venit, niſi, vt mactet & perdat, Ego autem veni, vt vitam habeant, & abundantius habeant. Putas eut Euangeliſta, cum hæc dixiſſe Chriſtum ſcriberet, adderet de ſuo, Illi non cognouerunt, quid loqueretur eis, Niſi quod impij non poſſunt intelligere ſe eſſe Lupos rapaces ſub veſtimentis ouium? Ideo enim ſecure docent, atq; adeo pugnaciter inſtant, quod ſeſe rectiſſima docere arbitrentur, ita vt niſi Dominus ſolus hic iudicet, nullus hominum iudicare poſſit. Vnde Pſal 5 non alium iudicem niſi Deum eis imprecatur, dicens, Iudica illos Deus. Quanquam hodie ſunt qui determinationibus Eccleſiæ (id eſt, vnius hominis) tribuant omnia, quaſi impoſſibile ſit ipſum errare. *Impij Doctores.* *Iohan. 10.* *Pſal. 5.* *Papa non errat.*

Vt ſagittent in obſcuro rectos corde, Id eſt, vt mactent oues. Impiorum enim doctrina, quia in populo Dei verſatur, non niſi pias animas perdere quærit, quæ alioqui recta & ſimplici fide in Deum viuunt. Sicut in Galatis exem- *Impiorum doctrina quid quærat.*

Abac.1. Pſal.7.9. tis exemplum Apoſtolus poſuit. Cibus enim eius electus eſt, ait Abac. 1. Quid enim ſit rectum cor, abunde dictum eſt Pſalmis præcedentibus, præſertim 7. & 9.

In obſcuro, aliud vocabulum eſt, quam Pſalmo præcedente poſitum eſt. In occultis interficit Innocentem. Hic enim ſignificat caliginem, quæ arte aut ingenio non fit, ſed natura & vſu venit. Sicut ſi quis in nocte, & per tenebras imprudens vulneretur, vbi non fecit obſcurum, ſed vſus eſt obſcuro malignus aduerſarius, quo modo & lupus nocte vtitur ad oues inuadendas. Quare obſcurum hoc loco, eſt ipſa ignorantia & ſimplicitas populi, expoſita ad ludibrium peſtiferis magiſtris. Sicut Apoſtolus Rom. vlt. Qui per dulces ſermones, & benedictiones corda ſeducunt innocentum, qui cum ſine iudicio ſint prompti pro ſua ſimplicitate credere omnia, quodlibet pro quolibet admittunt. Atque hoc eſt, quod facit montium aues & inquietas conſcientias, dum multa audiunt, & (vt Apoſtolus Ebræos præmonuit) doctrinis varijs & peregrinis abducuntur, & alibi, Omni vento doctrinæ circumferuntur. Hi enim omni ſpiritui (id eſt, vento) credunt contra ſapientis conſilium. *Obſcurum. In, Doctores malignos.* Rom. 16. Ebræ. 13. Ephe. 4.

Odioſe autem appellat arcum & ſagittas, quæ mortifera ſunt inſtrumenta, ad terrendos nos, & præmonendos aduerſus blanditias & ſpeciem dogmatum. Non enim impij ſe arcum & ſagittas habere putant, ſed plumas, puluillos & ceruicalia (vt eſt apud Ezech. 13.) loquuntur enim placentia & blanda, quibus erudimur, vt mortiferum eſſe ſciamus, quidquid docetur, quod nobis blanditur. Apparet enim blandum ſenſui & opinioni noſtræ, ſed reuera mortiferæ ſagittæ ſunt. Sicut Prouer. 5. Fauus diſtillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius, nouiſſima autem illius amara quaſi abſynthium, & acuta quaſi gladius biceps. Ezech. 13. *Blanda doctrina impiorum mortifera eſt.* Prou. 5.

Sicut econtra, Chriſti ſagittæ ſunt acutæ ad ſenſum, ſed in nouiſſimo quouis fauo dulciores mortificant enim, vt viuificent, illæ autem viuificant, vt mortificent. Vt in Ezech. 13. dicitur, Violabant me ad populum meum, propter pugillum ordei & fragmen panis, vt interficerent animas quæ non moriuntur, & viuificarent animas quæ non viuunt, mentientes populo meo, credenti mendacijs. Quid eſt populum credere mendacijs, quam obſcurum eſſe & ſimplicem populum ludibrio ſuperſtitionum expoſitum? Quare vt ſupra dictum eſt, Allegoriam verborum intelligamus, & Allegoriam rerum nobis indicare, quod aliud geritur, aliud videtur. Plumæ & fauus videntur dogmata fallacia, cum ſint reuera arcus & ſagittæ mortis. Econtra ſagittæ Chriſti, mortis eſſe putantur inſtrumenta, cum ſint vitæ. *Sagittæ Chriſti acutæ.* Ezech. 13.

Quod autem dicit eos arcum intendiſſe & ſagittam poſuiſſe ſuper neruum, ſeu direxiſſe ad ſignum, ſtudium eorum ſignat & impium zelum. Quia ſicut Iudas eum cohorte vigilantior fuit contra Chriſtum in obſcuro noctis, quam Apoſtoli pro Chriſto, qui etiam dormierunt, Ita peſtilentes Doctores diligentiſſimi ſunt, vt abutantur ſimplicitate populi ad eius perniciem, dum veri Paſtores vix ſpirant ac viuunt pro populo, quin vere ſtertunt omnes, & dum dormiunt homines, ſuperſeminat zizania inimicus homo. Quando enim tanta cura (niſi Apoſtolos exceperis & paucos ſucceſſores) pro populo & ſalutari doctrina vigilatum eſt, quanta impij pro ſua impietate vigilarunt? Nempe gloria & quæſtus præſentis vitæ fortius hos monet quam illos gloria & honor vitæ futuræ. Dicit enim Paulus etiam pro ſuo tempore, *Omnes quærunt quæ ſua ſunt.* Quanto magis hoc pro ſequenti tempore dixiſſe, *Studium & Zelus magiſtrorum peſtilentium.* Matt. 13. Philip. 2. *Omnes quærunt quæ ſua ſunt.*

xiſſe,intelligendus eſt? Et hodie,quis eſt qui tanta cura Chriſtum, quanta Apoſtolicæ ſedis & hominum Decreta prædicet?nempe quod in Chriſti doctrina ſit,præſens egeſtas,crux,ignominia,In hominum fallacijs, gloria, opes & vita.

Siue ergo Sagittas eorum in pharetra paratas,ſiue ſuper neruum poſitas,ſiue ad ſignum directaa dixeris,idem ſtudium intelligas,quo non fruſtra docere parant,ſed vt tangant & ad certum iaciant,& plurimos in ſuam ſententiam vulneratos trahant. Adornant enim verba ſua,& ita colorant, magnificant,dilatant,inſtruunt,dirigunt, vt impoſſibile ſit ſimplicem animam ijs non capi.Exempla ſunt manifeſta,quæ taceo. Sat eſt, verbo intendendi & parandi & dirigendi,ſignificari impiorum Magiſtrorum nimiam diligentiam, qua cupiunt,quam minime fruſtra loqui ſimplicibus,quin ſi vnus eſt qui clabatur,inſaniunt.Sicut multos audiuimus noſtra ætate.

Quoniam quæ perfeciſti deſtruxerunt, Iuſtus autem quid fecit.

Semper in populo Dei ſunt Magiſtri impÿ.

HIeronymus,Quoniam leges diſſipatæ ſunt,Quo videmus vere Pſalmum per ſagittas intelligere dogmata impiorum Magiſtrorum, *2.Pet.2.*
qui nunquam non ſunt in populo Dei.Sicut 2.Pet.2.dicit.Fuerunt vero & Pſeudoprophetæ in populo,ſicut & in vobis erunt Magiſtri mendaces &c. *Actor.20.*
Et Paulus Acto.20. Ego ſcio,quoniam intrabunt poſt diſceſſionem meam, Lupi rapaces in vos,non parcentes gregi,Et ex vobis ipſis ſurgent viri loquentes peruerſa,vt adducant diſcipulos poſt ſe.Hæc & multa alia terribilia nobis tanta cura prædicta,ridemus hodie ſecuri,& quodlibet docere miſerum vulgum ſumma temeritate audemus.Intrant & inter nos ſurgunt mendaces Magiſtri,Quis obſecro tutus eſſe poteſt?

Ebræus proprie ſic habet,*Quoniam poſitiones euerterunt*.Significat autem id verbi,ſtatuta,inſtituta,conſtructa,poſita.Vnde noſter interpres non inepte molitus videtur Antitheſin,Quoniam quæ tu ſtruxiſti,illi deſtruxerunt.Quomodo Malach.1. Quod ſi dixerit Idumea, deſtructi ſumus,ſed reuertentes *Malach 1.*
ædificabimus quæ deſtructa ſunt,Hæc dicit Dominus exercituum,Iſti ædificabunt,& ego deſtruam.Et Iſa.9.Et ſciet omnis populus Ephraim, & habitan- *Iſa.9.*
tes Samariam in ſuperbia & magnitudine cordis,dicentes.Lateres ceciderunt, ſed quadris lapidibus ædificabimus,Sycomoros ſucciderunt,ſed cedros immutabimus.

Structura doctrinarum.

Diximus autem ſupra Pſal.5.per ſtructuram iſtam intelligi doctrinarum *Pſal.5.*
ſtructuram.Sicut in turre Babylonis figuratum eſt,vbi ſemper Dominus contra homines deſtruens quæ illi ædificant, & hi rurſum deſtruentes, quæ ille ædificat.Vnde recte hic dicit,Deſtruxerunt quæ à te poſita & inſtituta ſunt,id eſt(vt Iere.23.)Peruertunt verba Dei viuentis.Et Mich.3.Audite Principes do- *Iere.23.*
mus Iacob,& Iudices domus Iſrael,qui abominamini iudicium,& omnia re- *Mich 3.*
cta peruertitis,qui ædificatis Zion in ſanguinibus,& Ieruſalem in iniquitate. Hoc enim fit,dum ſacra Dei verba cogimus ſeruire noſtris affectibus & opinionibus.Hoc eſt ex inauribus filiarum Iſrael,& auro Domini,conflare vitulum & Idola,vt frequentiſſime in Prophetis arguuntur,Quos ſi hodie arguas Hæreticus eris,cum ſoli hi ſint eccleſia Dei hodie,qui talia faciunt,ſicut & tempore Prophetarum erant.

Ebræus autem abſolute & impersonaliter dicit,Quoniam quæ poſita ſunt,ſeu,quoniam poſita euerterunt,non quæ tu poſuiſti. Quod neſcio quid

maioris

maioris Emphaſis habeat, Quaſi ea ſola velit eſſe poſita & ſtatuta, quæ Deus poſuit & ſtatuit, & nefas ſit alia vel cogitari, vt differentia nulla ſit opus. Quomodo & Apoſtolus dicit, Placuit in Chriſto omnia inſtaurare. (Ephe. 1.) Quaſi aliud placitum non ſit niſi diuinum, Sicut de Sole, cum ſit vnus, ſine differentiæ nota loquimur.

Iuſtus quid fecit. Iuſtus quid fecit? Auguſt. ad Chriſtum trahit pugnans cum ſuis Donatiſtis. Idem Hiero. ſi tamen eius eſt Commentarius. Mea diuinatione generaliter Iuſtum accipio, pro omnibus qui cum impijs Magiſtris negotium habent, quocunq; ſeculo. Et quæſtionem hanc pro eis fieri, primum dolentis affectu in hunc modum, (Abac. 1.) Quando contradictio impiorum potentior eſt (vt Abacuc dicit) & præualet aduerſus iuſtum, ſicut fere fit, non eſt inter homines qui pro eo iudicet aut vindicet, ſed damnatur tanquam reus & malus. Hic dicitur, (1. Pet. 2.) Quid faciat iuſtus, vbi reſiſtere non poteſt, veritas eius non auditur, cogitur ergo cauſam tradere ei, qui iuſte iudicat. Sicut de Chriſto Petrus dicit, 1. Pet. 2. Quid enim prodeſſet ſi etiam inſaniret? Quare cum gemitu & patientia diuinum iudicium expectabit, ſinens interim impios furere & proficere in peius, vt qui ſordent, ſordeſcant adhuc.

Secundo, poteſt quæſtio iſta fieri, velut diſputantis & expoſtulantis affectu, qui eſt multo vehementior. Quo Paulus 1. Cor. 15. aduerſus negantes reſurrectionem loquitur. (1. Cor. 15.) Quid faciunt, qui baptiſantur pro mortuis? Si omnino non reſurgunt mortui, vt quid periclitamur omni hora? Si ſecundum hominem ad beſtias pugnaui, Epheſi, quid mihi prodeſt, ſi mortui non reſurgunt? (Pſal. 73.) Et Pſal. 73. cum vidiſſet peccatores florere, dixit: Ecce ipſi impij abundantes in hoc ſeculo obtinuerunt diuitias: Et dixi, Ergo ſine cauſa iuſtificaui cor meum, & laui inter innocentes manus meas.

Ita & hic, Si ſic præualent impij, ſi non eſt iudex alius quam ipſi, Quid operatus eſt iuſtus? cur fruſtra laborauit? cur non quieuit & ſine periculis vixit? Adeo ne fruſtra omnia geſſit? Abſit, Non fruſtra operatus eſt: Eſt iudex qui iudicet iuſte, vt ſequitur. Hic ſenſus mihi placet, quia verbum fecit, præteriti temporis eſt paal, (*Paal.*) quod operatur, ſignificat, vt includat omnem piorum vitam. Ac ſi dicat, Cur fruſtra iuſtus tam operoſus fuit? Deinde & ſequentibus aptiſſime quadrat, & afflictum illum affectum iuſtorum, quo in oppreſſa iuſticia & veritate laborant, & diſputant, pulcherrime exprimit, qui cum certiſſimi ſint iuſtum non derelinqui, tamen pro multitudine opprimentium & præualentium veritati, ſimul indignantes, ſimulq; dolentes incipiunt contradictionis quæſtionem, & Apoſtrophen ardentiſſimam ad impios faciunt. Et quod vltimum habent, ad iudicium recurrunt dicentes:

Dominus in templo ſancto ſuo, Dominus in cælo ſedes eius. Oculi eius in pauperem reſpiciunt, palpebræ eius interrogant filios hominum.

Dominus in cælo ſedes eius. Hic verſus apud nos in duos diuiſus eſt. Ebraiſmum iſtum: Dominus cœlo ſedes eius, potuit Interpres omiſſo pronomine, eius, & nominatiuo in genitiuum verſo, ſic mutaſſe, Domini in cœlo ſedes. Non enim latine dicitur: Mons in quo beneplacitũ eſt Deo habitare in eo (Pſal. 98.) Pſal. 68. Ita nec Dominus in cœlo ſedes eius. Poſſet & talis diſtinctio eſſe, Dominus in cœlo ſedes ſua, ſubaudi, eſt. Nec eſt in Ebræo, in pauperem, ſed abſolute, & longe ſignificantius, Oculi eius vident, Vt ſit ſenſus huius verſus, Non fruſtra

operatur iuſtus, quod etſi impij præualent in terra, & viſibili imperio, ſolatur tamen me, Dominum eſſe in templo ſuo ſancto, vbi impij non vident, & in cœlo thronum eius, quem illi ignorant. Nec ſolum ibi eſt, ſed vident oculi eius, aperti ſunt ſuper omnia, quia omnia nuda oculis eius, non enim ſtertit, nec dormitat qui cuſtodit Iſrael, illinc iudicium meum expecto. Ita docemur ſuperbire & præſumere in Domino, aduerſus eos, qui ſuperbiunt & præſumunt in homine.

Templum Dei quod ſit.

QVæritur, Quod eſt templum Domini? Quod enim non voluerit Salomonis corporale templum intelligere, ex eo colligitur, quia id nondum erat tempore Dauid, Deinde adiunxit, *In cœlo ſedes eius.* Vt aliud templum intelligeremus, quod ſanctum, id eſt, ſeparatum eſt ab omni prophano vſu, hoc enim ſanctum vocatur. Non diſplicet etiam hoc loco dici, quod Pſalmo 5. dictum eſt. Templum Domini appellari quemuis locum, in quo populus Dei conuenit ad verbum, qui cum ſint vere templum Dei, locum à ſe non inepte denominant, Sic Eccleſia & populum & domum ſignificat.

Sanctum. *Eccleſia.* *Pſal. 5.*

Tunc ſenſus erit, ſine eos, cæci ſunt, & duces cæcorum, Dominum non cognoſcunt, ſunt alij qui eum cognoſcunt, ſi non eſt in prophanis illis, eſt tamen in templo ſuo, id eſt, in ſuis & in loco, vbi ſui ſunt congregati, Vbi enim duo fuerint in nomine meo congregati, in medio eorum ſum, dicit Dominus, Quam Emphaſin adiecto nomine, ſancto, voluit illuſtrare. Quid enim, ſi quidam non credunt? an incredulitas illorum euacuabit fidem Dei? Abſit. Non ideo nulli erunt, qui in Domino confidunt, quia impij multos ſagittant in obſcuro iſto, & ſubuertunt quorundam fidem, manet ſanctum Domini & ipſe in illo. Quaſi illud 2. Tim. 2. dicat: Fundamentum Dei firmum ſtat, habens ſignaculum hoc, Nouit Dominus qui ſint eius, & diſcedat ab iniquitate omnis, qui inuocat nomen Domini. *2. Tim. 2.*

Dominus in cœlo ſedes eius.

Idem eſt quod repetit, *Dominus in cœlo ſedes eius.* Quia dum populus eius templum ſanctum (id eſt, ſeparatum) eſt, in cœlis conuerſatio eius eſt, vbi Chriſtus eſt, & ipſe cum in terris eſſet, tamen dicebat, Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo, Filius hominis, qui eſt in cœlo. Audi, Filius hominis in terra, eſt in cœlis. Et quæ eſt ſedes Dei, etiam in cœlis alia quam ſpiritualis & ſancta creatura? At anima pia, ſancta, & cœleſtis eſt. Atq; ſic in ſpiritu cœlum & terra conueniunt in vnum, & nihil differunt, niſi fide & ſpecie. Excellentius autem Angeli in cœlo (quorum Sancti ſunt in ænigmate ſocij) ſunt ſanctum templum & ſedes Dei. *Iohan 3.*

Oculi eius vident.

Eſt autem Emphaſis ſententiæ potiſſimum in eo, quod dicit, *Oculi eius vident*, Et idem ſenſus cum illo Pſal. 53. De cœlo reſpexit Dominus, vidit omnes filios hominum, de præparato habitaculo ſuo reſpexit ſuper omnes, qui habitant terram. Et Pſal. 102. Quoniam proſpexit Dominus de excelſo ſancto ſuo, Dominus de cœlo in terram aſpexit, vt audiret gemitus, &c. Fidei enim ſunt hæc verba & ſpiritus. Non enim impij negant, ſi dixeris, Oculi eius vident, imo id præ omnibus iactant & prædicant. Sed contra ſe dici non credunt, cum arbitrentur obſequium ſe præſtare Deo, dum deſtruunt leges Dei, & ſeducunt in occulto rectos corde, videnturq; ſibi leges ſtatuere, & errantes recta docere, perpetuo hanc Allegoriam ludentes contrariam piorum Allegoriæ. Cum ergo omnia prætereant ſurda aure, ad oculos Domini referenda eſt vniuerſa cauſa. Sicut Iere. 11. Tu autem Domine Zebaoth, qui iudicas iuſte, & probas renes & corda, videam vltionem tuam ex eis. Tibi enim reuelaui cauſam meam. *Pſal. 53.* *Pſal. 102.* *Iere. 11.*

Palpebræ

Digitized by Google

Palpebræ eius interrogant ſeu probant filios hominum. Applicat particulariter, quod dixerat generaliter. Oculi eius vident, id eſt, ſunt aperti, & omnia vident, tum præcipue filios hominum non modo vident, ſed etiam examinant, probant & diſcernunt. Palpebras has Dei Auguſtinus ad Scripturas Sanctas refert, quæ in alio loco aperte, in alio clauſæ ſunt, pulchra tropologia. Alij aliud. Mihi pro ſimplicitate literæ Allegoria placet, ex hominibus ſumpta, præſertim magnatibus, quorum eſt potiſſimum oculorum nutu agere, quos enim fauore dignantur, clementer apertis oculis intuentur, quos vero abominantur, clauſis oculis, & preſſis palpebris, aut trueulenter in altũ ſurrectis auerſantur. Itaq; palpebræ Dei ſuper pios clementer apertæ ſunt, ſed ſuper impios aut clauſæ, aut truces ſurrectæ. Quæ duo Pſal. 34. ſic dicuntur: Oculi Domini ſuper iuſtos, & auris eius in preces eorum. Vultus autem Domini ſuper facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum. Aliter ergo ſe habent palpebræ Dei ſuper iuſtos, & impios, vt mox ipſe ſe exponet, quia examinat & videt omnes filios hominum, ſed iuſtos approbat, impios damnat. Quod tamen iterum in ſpiritu dictum, donec impleatur, ſola fide capitur, cum impij loge contraria de ſe opinentur.

Palpebræ Dei.

Pſal. 34.

Palpebræ Dei per pios & impios.

Dominus interrogat iuſtum & impium, qui autem diligit iniquitatem, odit animam ſuam.

Aliter habet diſtinctio in Ebræo, ſcilicet, Dominus iuſtum probat, & impium & diligentem iniquitatem odit anima ſua. Et nomen, iuſtum, ante verbum, interrogat, ponitur, vt incertum ſit, an Dominus iuſtus, iuſti, iuſtum, transferre debeamus. Nam & Hieronymus priorem partem ſic abſoluit, Dominus iuſtum probat, deinde impium copulat cum diligente iniquitatem, ad verbum, odit, non ad verbum probat, vt mihi prope ſuſpicio fiat, hanc partem (Dominus iuſtum probat) abſoluta ſententia id valere, Dominus iuſtus probat (id eſt, probator eſt) hoc eſt, ille, qui probat omnes & examinat, non eſt homo qui mentitur, ſed ipſe Dominus, qui iuſte iudicat, quem nemo fallit, nemo corrumpit, nihil latet. Quomodo Pſal. 7. dictum eſt in verſu, Conſummetur nequitia peccarorum & diriges iuſtum, ſcrutans corda & renes Deus iuſtus. Vt idem ſit, Scrutans corda & renes Deus iuſtus, quod hic Dominus iuſtus probat. Verbum enim, Bohan, probat & interrogat, à verbo ſcrutandi nihil differt in ſignificato, cum eam ſignificet probationem, qua aurum in igne probatur, exploratur, interrogatur, quod vtrinq; eſt ſcrutari. Ita Deus, quia non ſecundum faciem iudicat, ſed ſpirituum ponderator eſt, palpebras ſuas aperit, aut claudit, ſecundum quod probus vel reprobus fuerit inuentus ſpiritus filiorum hominum, ideo merito iuſtus probator vocatur.

Pſal. 7.

Deus non ſecundum faciem iudicat.

Quare mea temeritate verſum per cola & commata ſua ſic diſtinguo, Dominus iuſtus, probat, & impium & diligentem iniuriæ odit anima ſua. Vt ſit ſenſus, Dominus eſt iuſtus, & ipſe probat, ideo anima eius odit & impium, & eum, qui amat lædere aut iniuriari. Qui enim iuſtus eſt, non poteſt inter probandum non odiſſe impium & iniquitatis amatorem. Quo ſenſu hic verſus per auxeſin præcedentem explicat, Quod oculi Domini vident, & palpebræ eius probant filios hominum, Sed ſic vt iuſte probet. Ac ſi quis pre nimia fiducia ſeſe conſolatus aduerſus impij potentiam, dicat, Age, faciat quod facit, Scio quod omnia Dominus videt & probat, nec ſolum probat, ſed iuſte probat, & cum iuſtus ſit, impium meum & amantem iniuriæ non

Digitized by Google

poterit diligere, me vero patientem non poterit odiſſe, Sicut Iere. audet 17. *Iere.17.*
Quod egreſſum eſt de labijs meis, rectum in conſpectu tuo fuit, Et ipſi dicunt ad me, Vbi eſt verbum Domini? veniat. Hunc acutum & ſecurum affectum, & illa quæſtio, *Iuſtus quid fecit?* ſupra indicauit.

Iniquitas. Hamas. Iniquitas hoc loco nomen eſt, quod Pſal. 7. diximus ſignificare *Pſal.7.* iniuriam, offenſam, læſionem, Vt, in verticem ipſius iniquitas deſcendet, quod dicitur hamas. Loquitur enim de iniuria, quam impij faciunt pijs, ſagittando rectos corde, & deſtruendo leges Dei. Cui hoc peſſimum accedit, quod non ſolum lædunt, ſed amant lædere. Sicut Pſal. 4. Diligunt vanitatem, & quærunt *Pſal.4.* *Amant lædere impij.* mendacium, impius enim pro ſuo ſenſu in id maxime incumbit, vt noceat pietati, quod vbi poteſt, gaudet ſeſe feciſſe & facere. Sicut Prouer. 1. dicit, Læ- *Prouer.1.* tantur, cum male fecerint, Sic enim Deo obſequium præſtitiſſe ſibi videntur.

Et illud Emphaticum eſt, quod non ſimpliciter dicit, odit, ſed anima ſua odit, vt exprimat, quam magno & toto affectu Deus illos odiat, videlicet tota *Anima ſua odit, id eſt, toto affectu.* vita & ſenſu ſuo. Non quod Deus animam habeat, ſicut nec oculos, Sed quod allegorice loquatur, iuxta illud Num. 21. Anima noſtra nauſeat ſuper cibo *Num.21* iſto leuiſſimo. Videmus enim, quam toto motu & geſtu, atq; adeo omnibus ſenſibus auerſetur, qui nauſeat, rurſum, quam conuertatur, ſi diligat & appetat, Appetitus enim, vt nauſea, proprie tribuuntur animæ in Scripturis. Sic Le- *Leuit.26.* uit. 26. Abominabitur vos anima mea. Ita hic, cum impij ſeſe tales arbitrentur, quos Deus etiam magno æſtu deſideret, vere ſunt, quos abominetur potius & odiat anima eius.

Noſtra tranſlatio, Animam ſuam, refert ad impium & diligentem iniquitatem. Quæ ſententia vera eſt, ſed violenta, nec vſitata in Scripturis ſanctis, ſapitq; humanum dicem, qua argute magis quam apte dicitur, odiſſe bonum, qui diligit (id eſt, faciendo diligere videtur) malum. Nemo enim ſponte amat malum, vt malum. Quod ſi quis totum verſum noſtri interpretis velit ſequi, ſenſus erit, Dominus qui videt omnia, & cuius palpebræ interrogant filios hominum generaliter omnes, ſine dubio & quemlibet iuſtum & impium ſeorſim interrogat, Iuſtum, vt eruditum coronet, Impium, vt reprobatum damnet, nec ſua culpa, quia tua eſt perditio Iſrael (Hoſ. 13.) Qui enim diligit iniquita- *Oſee 13.* tem, ipſe odit & perdit animam ſuam, faciens hoc animæ ſuæ, quod nulli ſuo hoſti, quamuis acerrimo, faceret.

Pluet ſuper peccatores laqueos, ignis & ſulphur, & ſpiritus procellarum, pars calicis eorum.

Quid pluuia & calix in Scripturis. FRequens in Scripturis pluuiæ & calicis mentio. Atq; de pluuia ſatis conſtat ſignificari per eam ſermonem doctrinæ, vt Deut. 32. Con- *Deut.32.* creſcat vt pluuia, doctrina mea, fluat vt ros eloquium meum. Inde illud *Iſaiæ 45.* Iſaiæ vſitatum, Rorate cœli, & nubes pluant iuſtum, A quo doctores Eccleſiæ, nubes & cœli vocantur paſſim in Scripturis. Nec eſt obſcurum, hunc verſum eſſe ſumptum ex hiſtoria Gen. 19. de Zodomis, igne & ſulphure de cœlo con- *Gen.19.* ſumptis, cuius rei Allegoriam hoc loco tractat, Et verba ſingula ſunt multæ intentionis.

Pluet, quo ſignificat abundantiam mali, mitius erat, ſi ſtillaret, aut rigaret. Vt multitudinem Magiſtrorum impietatis intelligamus, imo nihil aliud, quam impietatis Magiſtros (iraſcente Deo) audituros eſſe peccatores, id

al.81. res,id eſt,impios,reſchoim.Quod imprimis contigit Iudæis, ſicut dixit Pſal.
81.Et non audiuit populus meus vocem meam,& Iſrael non intendit mihi.Et
dimiſi eos ſecundum deſideria cordis eorum,Ibunt in adinuentionibus ſuis. *Nubes & pluuia impietatis.*
Quid enim Iudæorum infelix populus hodie habet,niſi nubes & pluuias im-
pietatis?Tales hæretici,tales omnes humanarum legum tyranni,& quicunq;
veritati non acquieſcunt, hi ſunt immiſſiones & Angeli mali,qui percuſſe-
runt Aegyptum,Quæ figura fuit pereuntis Synagogæ,Sed & Zodoma eiuſ-
dem figura fuit.

Laqueos,ſcilicet plurali numero,vt diuerſi generis errores acci-
piamus,quibus tamen ſic capiuntur,vt nihil minus quam laquei eis videan-
Theſſ.6. tur,ita fulgente ſpecie veritatis & pietatis,Sic Paulus quoq; prædixit, Fore in
al.69. nouiſſimis diebus,vt Deus mittat operationem erroris.Sic Pſal.69.Fiat menſa *Laqueos animabus ponere.*
coram eis in laqueum & in retributionem,&in ſcandalum,Quid enim aliud
eſt Verbum Dei peruertere,&opinionibus hominum contaminare,quam la-
queos animabus ponere,vbi veritatis Dei intuitu errorem ſequitur?

Ignis,melius in accuſatiuo ignem & ſulphur, vt ad verbum,
rom.17. pluet,conſtruatur.Sicut ſuper Zodomam pluiſſe ſcribitur ignem & ſulphur. *Zelus impiorum pro sua doctrina.*
Zelum & furorem indicat impiorum pro ſuis doctrinis inſanientium. Expe-
dit enim(magis)occurrere vrſæ raptis catulis,quam ſtulto confidenti in ſtulti-
tia ſua,id eſt,ſapientia ſua,in laqueis ſuis,in erroribus ſuis. Hæc enim ſunt ſi-
gna iræ Dei,& palpebrarum eius,Quod impius non ſolum non agnoſcit,nec
illuminat oculis ſuis,ſed palpebris clauſis,ſinit ire in errores toto affectu & ar-
dente furia,ſi quis aut reſiſtat,aut non ſequatur.Hinc iræ,inuidiæ, rixæ,& (vt
Tim.6. Apoſtolus hunc verſum 1.Tim.6.pulchre interpretatus,dicit) Languentes
circa quæſtiones & pugnas verborum,ex quibus oriuntur inuidiæ, contentio-
nes,blaſphemiæ,ſuſpiciones malæ,contentiones hominum mente corrupto-
rum,&qui veritate priuati ſunt,&c.

Sulphur,propter grauem fœtorem,non male Patres,malam *Sulphur,mala fama.*
Cor.2. famam eſſe arbitrati ſunt. Hoc n.conſtat,odorem figurato ſermone famam
ſignificare.2.Cor.2. Nos bonus odor Chriſti ſumus,alijs odor vitæ in vitam,
alijs odor mortis in mortem.Vnde & vſu dicimus & iubemus odorari,aut ol-
facere,dum explorare aut inquirere famam aut rumorem alicuius iubemus. *Fœtor diaboli impius doctor.*
Ita impiorum Doctores & diſcipuli non ſunt odor bonus Chriſti, ſed fœtor
Satanæ,& ſulphur graueolentiſſimum,quod pluente in ira ſua Domino,in
eis abundat.Sic obtinuit in Eccleſia,vt non ſit peior infamia & peſtilentius no-
men,quam hæreſis & perfidiæ,vt etiam commertium,aut quæuis conuerſa-
tio,ſuſpicioni grauiſſimæ obnoxia ſint,& ei cum ſulphure multum conueni-
at,quantum eſt in vi odoris.

SEd Ebræum videamus,qui ſic diſtinguit, Pluet ſuper impios
laqueos,ignem & ſulphur,& ventus tempeſtatum,ſors calicis eorum.Vbi
Iohannes Reuchlin arbitratur pro laqueis carbones dicendum, Quod ſi
verum eſt,augurari licet,laqueos ignẽ eſſe id,quod carbones ignis,id eſt pru-
Pſal.18. nas.Sicut Pſal 18.Grando & carbones ignis,pro carbones igniti.Videtur autẽ
fulgura,tonitrua & omnem illam tempeſtatis vim allegorice tractare.Sicut in
Aegypto & Zodoma factũ legimus,in tempeſtatibus n.fremunt ignis fulmi-
nũ,& ventus procelloſus.Deinde fulmina & fulgura odorẽ ſulphuris habẽt,&
lux

Plinius lib.35. cap.15.

lux ipſa eorum ſulphurea eſt, ait Plinius lib.35.cap.15.vt non abſurde verſum ſic reddere poſſim, Pluet ſuper impios carbones ignis & ſulphuris, id eſt, ignitos & ſulphuratos, vt quos fulmina igne ſuo ſulphureo ſuccenderint. Signat enim eam vim & effectum fulminum & tonitruorum, quibus quidquid apprehenditur, in prunas, fauillas & cineres reſoluitur. Sic enim Exod.9. plaga ſeptima ſcribitur diſcurriſſe, grandinem, tonitrua, fulgura & ignem, mixta pariter ſuper terram, vt Pſal.18. latius videbimus. Et Exod.9. Tollite manus plenas cineris de camino, Vbi dictio conſanguinea huius loci ponitur, quam cinerem tranſtulit, ſcilicet, qualis eſt prunis & fauillis mixtus. *Exod.9.* *Pſal.18.*

Doctrina Dei & hominum.
Imber temporaneus qui.

His omnibus ego non aliud intelligo, quam impiorum & iuſtorum doctrinas allegorica comparatione conferri, Vt ſuper pios plui accipias, imbrem temporaneum, matutinum & ſerotinum, quo terra feliciter perfuſa fœcundatur ad germinandum fructum ſuum. De quo imbre frequentiſſimus ſermo in Prophetis, hoc eſt, verbum Dei ſalutare, quod germinare facit iuſticiam & iudicium. De qua benignitate Pſal.85. dicitur: Dominus dabit benignitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum. Quod verbum, quia impij auerſantur, imo perſequuntur cum fructibus ſuis, Deus verſa benignitate in iram, mittit in eos iram & indignationem & immiſſiones per Angelos malos. Vt Pſal.78. dicitur de Aegyptijs, ſcilicet pro ſalutari pluuia, fulmina, ventum tempeſtatis, grandinem, quibus non modo non fœcundatur terra, ſed ſuccenditur & vaſtatur, hoc eſt, verbum impietatis mortiferum, quo redduntur vaniloqui, & mentium deceptores, & ad omne bonum opus reprobi, vt ad Titum Apoſtolus ait; Contritio enim & infelicitas in vijs eorum, & viam pacis non cognouerunt. Pſal.14. Neq; enim aliud poteſt verbum hominis quam ſcrupuloſam, pauidam, inquietam, erroneam, deinde inutilem, vaſtam & ſterilem conſcientiam facere, eoq; magis, quo diutius ſub eo magiſterio agit, vbi cum Hæmorrhoiſſa, conſumptis ſubſtantijs, in hos homicidas medicos, non emit, niſi peius habere. *Pſal.85.* *Tit.1.* *Pſal.14.* *Luce 8.*

Allegoria impiæ doctrinæ aptiſſima.

Nec eſt præſentior allegoria impiæ & humanæ doctrinæ, quam tempeſtas fulminum, fulgurum, ventorum, grandinis, & id genus iræ ſupernæ. Sic tamen, vt non ſolum deſurſum mugiat cœlum & minetur, ſed ad terram ferantur & feriant, vaſtent, ſuccendantq; omnia, reddantq; terram inutilem victui humano. Quod vt indicaret, carbones ignis & ſulphuris, non ignem ſimpliciter dicere voluit. Quod fulmen, ſi ſolū luceat, nihil ſuccendit, nec ignem, nec carbones facit, nec odorem ſulphuris excitat, ſed ſolum comminatur talia. Quare propter Emphaſin per carbones, ignem & ſulphur, exprimere voluit fulminum & tempeſtatis vim, effectu & reipſa nocentem, ſeu fulmen ſuccendens, comburens, & carbones, cineres, fauillas faciens, ſulphureo odore graueolens, omnia vaſtans, & in nihilū redigens, ſicut Aegyptiaca plaga monſtrat.

Locus eſt cap.16. Apocal.
Triſte ſpectrum vaſtandæ Eccleſiæ.
Templa fulmine feriuntur.

De iſtis doctrinis Apocalyp.16. Caput plenum eſt, vbi ſeptem Angeli (id eſt, Pontifices ſeu Doctores) tuba canunt, & varia deinde monſtra in Eccleſia ſequi ſcribuntur. Vide ergo, quam malum omen ſit triſteq; ſpectrum, quoties tempeſtate cœleſti, vrbes, regiones, agri, & quidquid in eis eſt, incenditur & vaſtatur, quam ſæuus quoq; ſit is ignis, præ vſitato noſtro, deinde ſulphure graueolens, Feriatq; frequentius & ipſa delubra noſtra, magno certe prodigio, impiam hominum in Eccleſia doctrinam deſtaure. Contra, quam iucundum eſt, vbi verno tempore, datis opportunis pluuijs, renaſcentis ieſtatur gratia mundi, omnia cum Domino dona rediſſe ſuo, omnia virent, florent, creſcunt, & dulci odore tota terra perfuſa, recreat omne animantium genus,

genus,magno ſine dublo Sacramento Enangelicæ doctrinæ gratiam commendante,Eſt enim huius vtriuſq; rei Scriptura paſſim refertiſſima allegorijs.

Verum hæc omnia ſic geruntur in ſpiritu,vt ſola fide percipi- *Impij ſpecioſi coram hominibus ſed non Deo.*
antur.Non enim qualesſunt impij coram hominibus, hoc Pſalmo ſcribuntur,ſed quales coram Deo in ſpiritu & ſeipſis. Nam quid ſpecioſius in terra hoc Saule & Abſolon? Nonne regio Zodomorum eſt ſicut Paradiſus Domi-
Gen. 13. ni? Gen.13.Hi enim ſunt,qui mundo omnium vtiliſſimi, fructuoſiſſimi, integerrimi,& odoratiſſimi,nihil hic carbonum, ignium, ſulphuris, tempeſtatis,
Pſal.37. Sed omnia floribus,fructibus,odoribus vernantiſſima. Vidit Pſal.37. Impium eleuatum & exaltatum,ſicut cedrum Libani,Et;Tranſiuit, & ecce,non erat, & quæſiuit,& non eſt inuentus locus eſt.

Itaq; tranſeuntibus à conſpectu hominum,ad conſpectum Dei, apparet quid ſint,& non ſint impij.Coram Deo ſunt omnia eotum,in carbones, cineres,fauillas,ignem,ſulphur redacta,Quem conſpectum Abraham Gen.19.fi- *Abraham, Gen. 19.*
gurauit,vbi dicitur, Abraham conſurgens mane, vbi prius ſteterat cum Domino(ecce conſpectus Domini)intuitus eſt Zodomam & Gomorrham, & vniuerſam terram regionis illius,viditq; aſcendentem fauillam, quaſi fornacis fumum,Talis ſcilicet,eſt impiorum conditio,in oculis piorum, & in veritate,cum tamen in mundo glorioſiſſime fulgeant. Vnde dicitur,quæ ad mare *Mare mortuum profert inania.*
mortuum creſcunt,in inſolitam ſpeciem,atra & inania,velut in cinerem vaneſcunt,Quo portento naturæ,quid,niſi id quod hoc verſu de impiis dicitur, monſtratur?

Contra pij,quia verbo crucis,ſecundum carnem omnibus malis ſubiecti *Impij plus metuunt à verb. Chriſti, quam à fulmine & tempeſtate.*
ſunt,ſuper ipſos potius videtur Deus pluere laqueos,prunas,ſulphur, & quid-
Pſal. 2. quid eſt tempeſtatis & turbinis. Sic enim Pſal.2. Vincula & iugum appellant verbum Chriſti,à quo plus metuunt,quàm à fulmine & tempeſtate. Quibus tamen,vice illius,reuera obruuntur,& vaſtantur per impios ſuos Magi-
Oſee 8.12. ſtros. Ad eundem ſpiritum procellarum,Hoſ.8.Quia ventum ſeminabunt,& turbinem metent.Et iterum 12.Ephraim paſcit ventos,& ſequitur æſtum tota die,mendacium & vaſtitatem multiplicat. Quibus verbis Prophetæ impiorum vanitatem,deinde & inquietam conſcientiam,& ineptitudinem ad bonum depingunt,quiſque ſuo tropo.

Calix,vſitatiſsimo Scripturæ tropo,vaſa doctrinæ,id eſt verba *Calix ſignat vaſa doctrinæ.*
ſeu eloquentiam ſignificat,quibus ſenſus in animam,ſicut vaſe in corpus vi- *Fauſtus Manichæus.*
num funditur,Sic beatus Auguſtinus de Fauſto Manichæo,& eloquentia eius,
Confeſ.5 Quid mihi & ad meam ſitim precioſiſſimorum poculorum decentiſſimus miniſtrator? Et infra:Sapientia & ſtultitia perinde ſunt,ſicut ſunt cibi vtiles & invtiles,verbis autem ornatis & inornatis,ſicut vrbanis & ruſticanis, *Calix aureus Babylonis.*
vtraq; cibi poſſunt miniſtrari. Hinc apud Patres paſſim celebratus aureus calix Babylonis,inebrians omnem terram. Iere.51. Et poculum aureum in manu
Iere.51. meretricis magnæ,plenum abominatione & vino proſtitutionis. Apocal.17.
Apoc.17. Deinde & vaſa tabernaculi & templi,omnia figurant,ſiue libros, ſiue ſermones doctrinarum. Et in lege potiſſimus erat vſus phialarum ad excipiendum, fundendum,ſpargendum ſanguinem,quia legis doctrina,peccatum tractat &
Pſal.16. reuelat. De quibus myſterijs iam non eſt locus dicendi.Sic infra Pſal.16. Dominus pars hæreditatis meæ,& calicis mei.

Verum

Verum non ſic calix tantum eſt intelligendus, vt vocale, aut ſcriptile verbum tantum ſignificet, ſed etiam id quod ſignificatur. Sic enim Chriſtus orauit pro calice auferendo, quem omnes intelligimus paſſionem eius eſſe. Et Iere. 25, Sumit calicem vini furoris Domini, de manu Domini & propinat omnibus gentibus & regibus ex eo. Et Iſa. 51. dicit, Ieruſalem bibiſſe calicem iræ Domini vſq; ad fundum & feces. *Iere. 25.* *Iſaie 51.*

Calix prædictio eſt pœnarum iræ Dei
Calix Chriſti.
Calicem propinare.

Ex his & alijs Scripturæ locis, in vnum ſignificatum coacta vtráq; ſignificatione, Calix aliud non eſſe videbitur, quam prædictio & denunciatio pœnarum & iræ Dei. Ita & calix Chriſti, eſt ira Dei, & paſſio eius, in lege & Prophetis præfinita. Mic. 7. Iram Domini portabo, quia peccaui ei. Sicut & 1. Pet. 1. dicit, Prophetas prænunciaſſe priores in Chriſto paſſiones, & poſteriores glorias. Quare is dicendus eſt calicem propinare, qui ſeu dicendo, ſeu ſcribendo pœnas denunciat. Sicut Prophetæ paſſim & Apoſtoli faciunt, Vnicuique enim ſuus calix ebibendus eſt, id eſt, crux & paſſio ſuper eum definita in Scripturis ſeu apud Deum, ferenda. *Mich. 7.* *1. Pet. 1.*

Duplex genus calicis, piorum & impiorum.

Hinc iam duo genera calicis naſcuntur, Alterum piorum, alterum impiorum. Calix piorum, eſt paſſio definita ſuper eos carnalis & temporanea, vſq; ad peccati deſtructionem, quo hauſto, anima magis ſeruatur & renouatur, Licet is, qui exterior eſt homo, corrumpatur de die in diem, iſta prænalida purgatione calicis, donec tandem anima à corpore liberetur. *2. Cor. 4.*

Calix impiorum.

Contra, Calix impiorum, eſt paſſio interna & ſpiritualis, vſq; ad deſtructionem iuſticiæ & pietatis, quo hauſto, animæ eorum perduntur de die in diem, Licet homine exteriore floreant & vigeant, multa ſpecie & abundantia, donec in anima & corpore ſimul pereant, fecem calicis in ſempiternum bibituri, vt Pſal. 75. Calix in manu Domini vini meri, plenus mixto, inclinauit ex hoc in hoc, veruntamen fex eius non eſt exinanita, bibent omnes peccatores terræ, Id eſt, ſi iudicium (vt 1. Pet. 4.) Dei primum à nobis inchoat, quis finis erit eorum, qui non credunt Euangelio? Itaq; calix, verbum eſt, ſed verbum paſſionis præfiniens & crucem, ſeu paſſio verbo præfinita. Sic Pſal. 116. Calicem ſalutaris accipiam (id eſt, paſſiones ſalutares, quas Paulus appellat paſſiones Chriſti, libenter feram) & nomen Domini inuocabo. *Pſal. 75.* *1. Pet. 4.* *Pſal. 116.*

Hunc ſenſum ſi ſequimur, calix impiorum, hoc verſu non ipſa eorum doctrina erit, vt ſupra diximus, ſed verbum Dei prænuncians eorum vaſtitatem, ignem, ſulphur, ſpiritum procellarum. Et ne longe diſcordent omnia, Calix eorum eſt impietatis doctrina, & omne malum, quod ipſa facit, comburendo, vaſtando, inquietando animas eorum, certa Dei definitione & verbo Scripturæ, pronunciata, denunciata, parata.

Pars vſu Scripturæ.

Pars, more Scripturæ, non philoſophice, ſignificat particulam, vt contra totũ diſtinguatur, ſed idẽ eſt, quod ſors, hæreditas, portio, quod olim hæreditates in tribus duodecim diſtributæ ſunt. Sic illud, Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei. Et portio mea Domine in terra viuentium. Et Iere. in Thren. Pars mea Dominus, dixit anima mea. Atq; huius calicis & partis ſignificationi aſſueſci oportet, propter Scripturæ ſanctæ vſum. Eſt ergo ſenſus, Impij hæreditabunt id, quod eis præfinitum eſt à Deo, nempe pluuiam carbonum ignitorum & ſulphureorum & ſpiritum procellarum, hoc eſt, impietatem & mercedem impietatis, vaſtitatem & contritionem ſpiritus, & inquietudinem ſempiternam. *Pſal. 91.*

Quoniam iuſtus Dominus iuſticias dilexit, æquitatem vidit vultus eius.

Hierony-

Pſal.7.9. Hieronymus: Rectum videbit facies eius (ſi caret mendo cō-dex) De rectitudine & æquitate abunde dictum eſt Pſal.7.& 9. Et hic incertum eſt, an maſculino genere rectum pro rectos ſynecdochice, & iuſtos pro iuſticias dicendum ſit. Verum parum habet hoc momenti, qui reſpicit iuſticiam & æquitatem, etiam iuſtos & æquos reſpicit.

Concludit ergo Propheta Pſalmum aduerſus præſumptionem impiorum, dicens, Homo iudicat inique, & impios laudat, Verum Dominus eſt, qui non fallitur ſpecie, nec mouetur magnitudine aut multitudine iniquorum, tenax & amans eſt iuſticiæ, & facies eius ad rectos corde reſpicit, Ideo nihil eſt, quod ſibi impij coram eo præſumant, & pios ab eo contemni ſperent. Aliud vultus eius videt, & aliud vultus hominum, diuerſiſſimi, imo aduerſiſſimi ſunt conſpectus Dei & conſpectus hominum. Quod in hoc altum eſt, in illo abominabile eſt, vt Christus ait Lucæ.12. *Vultus Dei & hominum.*

Lucæ 12.

PSALMVS XII.

Ad victoriam ſuper octauam Pſalmus Dauid.

De octaua ſeu ogdochorda cithara, Pſal. 6. abunde dictum.

Saluum me fac Domine, quoniam defecit Sanctus, quoniam deminutæ ſunt veritates à filijs hominum.

IRata charitas hoc Pſalmo loquitur, quam zelum Dei dicimus, ſicut Apoſtolus 2. Cor. 11. eodem affectu loquitur: Aemulor vos æmulatione Dei. Loquitur autem in eos, qui in populo Dei miniſterio verbi præſunt, & ſua cum magna pernicie animarum, pro Dei verbis docent, abuſi poteſtate docendi, deprauanteſq́; puram & ſyncetam legis diuinæ doctrinam. Quales Dauid ſuo tempore & paſſus eſt, & tempore aduenientis Christi futuros præuidit. In quos Christus Matth.23. inuehitur dicens: Væ vobis Scribæ & Phariſæi, Hypocritæ, qui clauditis regnum cœlorum ante homines, Vos enim non intratis, nec introeuntes ſinitis intrare Et Luc.11. Væ vobis Legisperitis, qui tuliſtis clauem ſcientiæ (id eſt, poteſtatem docendi) Vos non intratis, & eos qui intrabant, prohibuiſtis. *Irata charitas hoc Pſalmo loquitur.* 2. Cor. 11. Matt. 23. Luc. 11. *Clauis ſcientiæ.*

Quo patet, non de hæreticis agi, nec de perſecutoribus hoc Pſalmo. Niſi hæreticos cenſeri oportet eos, qui cæremonijs, & à ſe repertis opuſculis bonis, hominum capiunt animas, fide Dei (quæ vna docenda eſt) neglecta, quales hodie ſunt, magiſq́; futuri ſunt, ſi mundus durabit, Theologi, Iuriſperiti, Religioſi, Pontifices, humanis ſcientijs & traditionibus, id eſt, tam ſpeculabilibus quam moralibus ſuis perditi, & perdentes. Nec hoc ſolum indignatur Propheta, quod ſint tales Magiſtri viliſſimi, ſed quod tam multi ſunt & ſoli, vt nullus ferme ſit reliquus, qui recta doceat, Quo indicat Pſalmum ipſum, ad perditiſſimum aliquod ſeculum pertinere, quale fuit tempore Christi, & nunc eſt noſtro. *Hæretici qui cenſeri poſſint.*

Mich. 7. Ideo tanto æſtu exorditur, dicens, Saluum me fac Domine, quoniam defecit Sanctus. Ac ſi dicat illud Mich.7. Væ mihi, quia factus ſum ſicut qui collegit in autumno racemos vindemiæ, nō eſt botrus ad comedendum, præcoquas ficus deſiderauit anima mea, Perijt Sanctus de terra, & rectus in *Locus ex Michea cap. 7.*

hominibus non eſt; omnes in ſanguine inſidiantur, vir fratrem ſuum ad mortem venatur, Malum manuum ſuarum dicunt bonum, Princeps poſtulat, & Iudex in reddendo eſt, Et magnus locutus eſt deſiderium animæ ſuæ, & conturbauerunt eum, Qui optimus in eis eſt, quaſi paliurus, & qui rectus, quaſi ſpina de ſepe &c.

Quibus verbis non modo idem quod hic Pſalmus ſentit, ſed & ſpeciem ſimul taxat eorum, qua hæc mala veſtiunt, & bona videri volunt, in ſpiritu enim loquitur, quam fide ſola intelligi oportet. Agitur enim hic illud Prou. 20. Sicut aqua profunda, ſic conſilium in corde viri, ſed homo ſapiens exhauriet illud. Multi homines miſericordes (id eſt, ſancti, ſeu homines gratiæ & viri miſericordiæ, quales tamen non ſunt) vocantur, Fidelem autem virum (id eſt, fide, ac reuera iuſtum, ſeu miſericordem) quis inueniet? Adeo ſcilicet ſpecies regnat, & profunda eſt aqua iſta conſilij & affectus eorum, quam non niſi ſapiens exhaurit (id eſt, quos non niſi vere iuſti queant diſcernere) cæteris omnibus per ſpeciem & multitudinem magnitudinemq; falſis. Et hæc perditio multitudinis diſcruciat Prophetæ huius ſpiritum, vt ſic exclamet & ſine vlla præfatione, aut captatione beneuolentiæ inchoet, & Deum imploret pro ſalute populorum. *Prou. 20.*

Species regnat.

Ebræus abſolute habet, Hoſia, id eſt, ſalua, ſeu da ſalutem, Non ſaluum me fac. Vehementius autem ſonat, Salua, ſeu da ſalutem, quam ſaluum me fac. Sicut & vernacula noſtra affectu pereuntis ac iam morientis dicitur, Hilff du barmhertziger Gott. Vbi omiſſa præfatione in præſentiam periculi intenti, validiſſime clamant & inuocant. Sic & Propheta pereuntis populi affectu ardens, ſine præfatione erumpit, valida oratione Dei auxilium implorans.

Sanctus.

Sanctus hoc loco, haſid, eſt, quem Pſal. 4. Hieronymus miſericordem tranſtulit, Mirificauit Dominus Sanctum ſuum, id eſt, miſericordiam conſecutum, ſeu gratia Dei iuſtificatum, qui in fide ſeruatur, non in operibus & viribus ſuis, nec hominum vllorum. *Pſal. 4.*

Veritates diminutæ ſunt à filijs hominum, id eſt, non ſunt inter homines veritates, id eſt, fidelitas. Ebræa lingua poteſt dicere plurali numero, Non ſunt in hominibus fides, ſicut & Deus ſalutarium noſtrorum, vbi nos Deus ſalutis noſtræ, & inter homines non eſt amplius fides, dicimus, ſicut dicitur: Nuſquam tuta fides. Neq: veritas plurali numero in vſu eſt, Quod dico, ne quis diminutas veritates intelligat à filijs hominum, quaſi filij hominum diminuerint veritates, quanquam hoc verum ſit, Sed quod præpoſitio, à, debet exponi per inter, vel de, vel ex, vt ſit ſenſus ille Iſa. 56. Iuſtus perit, & nõ eſt qui recogitet in corde ſuo, & viri miſericordiæ colliguntur, & non eſt qui intelligat. A facie enim malitiæ collectus eſt iuſtus. Et quod ex Michea retulimus: Perijt ſanctus de terra &c. Vult enim dicere non eſſe amplius fidem in hominibus (quæ Ebreis eum vocabulo veritatis conſonat) & viros, qui gratia iuſtificantur, defiiſſe, Abundare vero iuſticiarios hypocritas, qui ſuis viribus, ſuis operibus, ſuis legibus, ſuis meritis ſeſe & omnes alios perdant, magno titulo & nomine ſalutis. *Iſaie 56.*

Fidem amplius non eſſe in hominibus.

Abundant Hypocritæ.

Hyperbolen facit vehementia affectus, non enim aliquando non ſunt Sancti & fideles Chriſti in terra, & tamen dicit: Defecit ſanctus, finiti ſunt iuſti, conſummati ſunt Deo grati. Qua figura & vulgo hodie omnes queruntur, Non eſſe in hominibus vllam fidem, & omnia fraudulenter geri. Quæ infidelitas teſtimonium eſt & Argumentum interioris fidelitatis extinctæ, ſic ex fructibus arbor cognoſcitur. Qui enim fidelis Deo eſt, & hominibus fidelis eſt, ſine fide enim & gratia Dei, impoſſibile eſt hominem non quærere

Defecit Sanctus.

Fidelis Deo & hominibus fidelis eſt

quæ ſua

Digitized by Google

Mich.7. quæ ſua ſunt,id eſt,infidelem etiam hominibus eſſe, Vnde Mich.7.cum dixiſ-
ſet, Nou eſſe rectum In hominibus,mox & fructus malæ arboris perſecutus,
dicit;Nolite credere amico,nolite confidere in duce, Ab ea,quæ dormit lu ſi-
nu ruo(eccc periphraſiu vxoris)cuſtodl clauſtra oris tui, Quia filius cōtumeli-
am facit Patri.& filia conſurgit aduerſus matrem ſuam, uurus aduerſus ſo-
crum ſuam, & inimici homiuis domeſtici eius, Et impij cum tales ſiut,uihil
minus tamen eſſe & videri voluut.

Vana locuti ſunt, vnusquiſque ad proximum ſuum labia doloſa,
in corde & corde locuti ſunt.

DIſtinctio verſus ebræi eſt poſt, doloſa. Quæritur ergo, Quo
pertineant grammatica ſyntaxi,labia doloſa? Nou enim labia doloſa lo-
cuti ſunt,ſed locuta ſunt, dicendum erat, ſi noſtri textus diſtinctio
ſeruanda fuit. Niſi dixeris,quod locuti ſunt labia doloſa iu accuſatiuo figura-
tiue pro eo,quod eſt,locuti ſunt verba doloſa,quæ labijs proferuntur. Poterat
ſic reddi: Locuti ſunt labijs doloſis. Puto ambiguitatem hic libertatem quoq;
parere,vt poſſimus verſum in tria membra partiri, hoc modo Ebræum red-
dendo: Vanum locuti ſunt,viri cuiuſq; proximo ſuo labium blanditiarum,
corde & corde locutl ſunt,hoc eſt,quilibet Doctor vana docet, & eſt vnicui-
que viro ad proximum ſuum labium blandum,& duplici corde loquuntur.

Primum, Vana loquuntur,id eſt,fruſtranea,vt quæ non pro- *Vana prædicant.*
ſunt ad ſalutem,quæ tamen ipſis(vt ſæpe diximus) vtiliſſima ſola & ſaluberri-
ma videntur, Quod enim hic uon de vaniloquio priuato & confabulationi-
bus,ſed de miniſterio verbi loquatur,ex ſequentibus patebit,vbi eloquia Do-
mini opponit his vauiloquis mentium deceptoribus. Et illud: Vnuſquiſq; ad *Vir tropo ebraico pro vnusquisq.*
Cant.3. proximum ſuum labia doloſa,ebræo tropo vſitato dicitur, Sicut illud Cant.3.
Lectulum Salomonis ſexagiuta fortes ambiunt,vir,gladius eius ſuper femur
ſuum,quod uos dicimus,vniuſcuiuſq; gladius ſuper femur ſuum. Ita hic: Va-
na locuti ſunt,vir ad proximum ſuum labium blanditiarum, quod nobis di-
cendum eſt, Et vuiuſcuiuſq; ad proximum ſuum labium blandum,hoc eſt,
Quilibet blanditur proximo ſuo,dum uon dicit verbum crucis vere, alioqui
vana non perſuaderent,uiſi blanda & placentia loquerentur. Nam quod hic
Pſal.5. doloſa ponitur,& Pſal,5,doloſe agebant. Hieronymus illic reddidit, Et lin-
guam ſuam leuificant,id eſt,mollem,blandam,adulatricem faciunt.

Hi ſuut,qui homines pruriunt auribus,quos exemplo huius Pſami Pau-
2.Tim.4. lus non aliquot,ſed accruandos eſſe prædixit,id eſt multiplicandos, vt defici-
Pſal.5.9. ant Sancti,de quibus abunde dictum Pſal,5.& 9.Nec tamen ſatis dici poteſt,
adeo profunde malus eſt affectus naturæ,præſertim In rebus his ſpiritualibus,
& quæ ad Deum pertinent,non enim eſt ſubiecta prudentia carnis Deo, ſed
Rom.8. nec poteſt,ait Apoſtolus Rom.8.

Corde & corde poteſt referri ad eandem perſonam,vt is dica- *Corde duplici loqui.*
tur duplici corde loqui,qui aliud ſentit & aliud fingit, quo modo hic accipi
permitto. Verum ego ad dluerſas perſonas refero,quia ſicut verbo Dei ſynce-
Pſal.68. ro facit Chriſtus habitare vuius moris in domo, Pſal.68. Et habitare fratres in
Pſal.133. vnum. Pſal.133. Et credentium cor eſt vnum, & anima vna iu Domino,
Acto.4. Epheſ.4. Acto.4. Eſt enim vna fides,vnus Dominus, Epheſ.4.

Ita econtra apud impios,quia vera & vnica fides deeſt,impoſſibile eſt,
vt vno corde ſint,ſed neceſſe eſt partium ſtudia, factionesq; inter eos abun- *Sectæ fecundæ ſunt.*
dare. Nunquam enim orta eſt ſecta,ex qua non mox aliæ ſiut uatæ. Sic Sy-

Eunomiani. Macedonij. Donatiſtæ. Maximianiſtæ.

nagoga tempore Chriſti habuit Phariſæos, Zaducæos, Eſſeos. Arriani pepererunt Eunomianos & Macedonios. Donatiſtæ Maximianiſtas. Et hodie Ariſtoteles Scotiſtas, Thomiſtas, Occaniſtas. Sic Apoſtolus Ebræ. 13. Varijs & peregrinis doctrinis nolite abduci. Qui alibi eos omni vento doctrinæ circumferri, & ſemper diſcentes, nunquam ad veritatem peruenientes, ſcribit. In his omnibus nunquam eſt vnum cor, & ſi in hoc conueniant, vt omnes vana loquantur, & quiſq; ſuæ factioni blandiatur, ſuas opiniones dogmataq; corroboret. Quare diuiſionem iſtam Sectarum per diuiſionem cordis intelligendam puto. Sicut Dan. 11. Cor duorum regum ad vnam menſam mendacium loquentium deſcribit. *Ebræ. 13.* *Dan. 11.*

Ideo & plurali numero loquitur, ne de vna aliqua ſolum Secta loqui intelligatur, cum Pſal. 10. Antichriſtum ferme ſingulari numero expreſſerit. Et Epitaſis eſt, in corde & corde, quia ſecundum faciem aliquando conueniunt, ſcilicet, contra veritatem. Sic Pſal. 2. Aſtiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius. Qui tamen inter ſe diuerſiſſimi Phariſæi, Zaducæi, Romani, Gentiles & alij fuerunt. *Pſal. 2.*

Hoc Sampſon in vulpibus oſtendit, quarum caudas coniunxit, faciebus in diuerſa verſis. Vulpium enim facies, eſt impiorum conditio apud Deum & ſpiritu cognita, vbi ſunt factioſiſſimi. Cauda eſt extremitas, & qua perſona ſunt in oculis hominum, vbi conueniunt in vnum in igne perſecutionis ad perdendas ſegetes terræ, id eſt, doctrinæ & operum fidei, ſeu ſpiritus vaſtationem. De his & Hoſ. 10. Diuiſum eſt cor eorum, nunc interibunt. Cum præmiſiſſet, ſecundum multitudinem fructus multiplicauit Altaria vitis Iſrael, id eſt, in ſectas diuiſa eſt. Hoc eſt, quod Prophetam exclamare coegit, Sanctum defecere. Quod multæ eſſent Sectæ, & tamen omnes contra veritatem fidei deuorantes vniuerſum populum Dei. Quis omnibus reſiſtet, quando vni vix reſiſti poteſt? Sic Eccleſia & hodie habet. Sectis quotidie nouis repertis, veteribusq; auctis, in minutiſſimas partes conſciſſa, interim charitatis vnitate proſſus neglecta. *Oſe. 10.*

Moderna Eccleſiæ ſtatus.

Diſperdat Dominus vniuerſa labia doloſa, & linguam magniloquam.

SCilicet, niſi Deus diſperdat, locuſtas, erucas, bruchos iſtos, vt Ioël 1. vocat, fruſtra pugnat Sanctorum induſtria. Et aptius dixiſſet Interpres (quandoquidem per verbum ebræum licuit) Excidat Dominus. Solent enim lingua & labia excidi. Alioqui (vt Iacobus ait) nullus hominum linguam domare poteſt. Sed ſpiritualem exciſionem imprecatur, quæ eſt, vt mutatis impijs, aut ab officio motis, aliud doceant, veram ſcilicet crucis ſapientiam. *Ioel. 1.*

Cur non fuit ſatis dicere, *Labia doloſa* (id eſt, leuia & blanda) ſed addit, vniuerſa? Niſi quod ad multitudinem factionum reſpexit, non vnius tantum, ſed vniuerſarum labia & blanditias petens diſperdi, cum vniuerſæ vana loquantur. Recte interpres coniunctionem, &, adiecit, quæ in Ebræo non eſt. Et linguam magniloquam, quod ebraice duobus vocabulis dicitur, Locutricem magnorum, quod non tantum de rebus magnis (vt iactare ſolent impij) intelligitur, ſed de ſuperbia, qua piam doctrinam contemptim opprimunt, & ſuam cum gloria ſtatuunt. Velut caudam vulpis interpreteris, quæ magna eſt & piloſa, minime tamen corpulenta & carnoſa, plus quam toti corpori, præſertim capiti, congruat. Ita impietas maior in ſpecie & pompa; quam

Vniuerſa labia doloſa.

Cauda vulpis.

Digitized by Google

quam reipſa. Es iſt ein Fuchsſchwantz. Quæ beſtia dolis & aſtutia inſignis, non fruſtra in Scripturis aſſumitur, in argumentum prudentiæ carnis aſtutiſſimæ & doloſiſſimæ, quæ in rebus ſacris & miniſterio verbi omnia monſtra perpetrat in Scripturis prædicta.

Qui dixerunt: Linguam noſtram magnificabimus, labia noſtra à nobis ſunt, Quis noſter Dominus eſt.

Lingua magnifica.

EXplicat, quæ ſit, & quid dicat lingua magniloqua, ſcilicet, quæ ſuperbiſſime & contemptiſſime in piorum doctrinam loquitur. Primo magnificemus, id eſt, roboremus, ſtabiliamus, confortemus noſtra dogmata. Econtra: Dirumpamus vincula eorum, & proijciamus à nobis iugum illorum, deſtruamus quæ pij ædificant, linguam eorum infirmemus & compeſcamus, nobis attrahamus populos populiq; Principes. Non quod contra pios ſeſe agere putent, ſed obſequium Deo præſtare ſibi videntur, ſi linguam ſuam magniloquam & doloſam roborent, inq; multos propagent, tanquam ſynceram & humilem. Ita, vt ſolum Deum hic iudicem habere oporteat.

In Magiſtros noſtros.

Deinde, Labia noſtra à nobis ſunt, quod Hieronymus, Nobiſcum ſunt, Auguſtinus, Apud nos ſunt. Ego vellem dicere, Labia noſtra, noſtra ſunt, vt Emphaſis ſit in poſteriore pronomine, noſtra, quo intelligatur iactantia poteſtatis, & clauis ſcientiæ, ac ſi dicant: Nemo audiat alios præter nos, Nos ſumus Magiſtri populorum, noſtra audire oportet, & (vt in Eccleſia turgent inflati Pontifices Pontificumq; Bullæ) noſtrum eſt interpretari Scripturas, noſtrum condere leges, noſtrum probare & damnare, cuiuſcunq; dicta & Scrīpta, vel ſola potentia clauis. Vt ſic per pronomen, Noſtra, ſignificentur impij, omnibus adimere facultatem docendi, iudicandi, dicendi, & ſibi ſolis rapere ac vendicare, etiam ſi ſint iuxta Indoctiſſimi & impijſſimi omnium.

Impietas & inſcitia Eccleſiaſticorum gubernatorum.

Quod ego tribuerem & noſtri ſeculi hominibus, niſi illis deeſſet ſpecies & cauda vulpis. Nam inſcitia & impietas eorum eſt omnibus manifeſta, nec apparet vel pilus huius caudæ, id eſt, ſcientiæ & ſanctitatis, præter nomen & opinionem vulgi, qua tamen fortius confidunt, quam vlli fecerunt, qui ſpecioſiſſima tum ſcientia tum ſanctitate fulſerunt. Vnde non parum peius noſtro ſeculo habet Eccleſia, quam hoc verſu dicitur, vbi mera vi & tyrannide, nulla adhibita ſpecie negantur labia eſſe piorum.

Matt. 21. Sic ad Chriſtum docentem Matth. 21. dixerunt: *In qua poteſtate hæc facis?* Quaſi dicerent. Non tua, ſed noſtra ſunt labia, noſtra poteſtas docendi. Et
Act. 5. Acto. 5. Præcipiendo præcipimus vobis, ne in Nomine iſto doceretis. Sic ſacerdotes Anathot Ieremiæ, ſic Achas Iſaiæ, ſic Amos Amaſias, & omnibus Prophetis, fecerunt, prohibentes loqui, tanquam quorum non eſſent labia & poteſtas docendi. Contra quos veri Prophetæ, cum non negarent eorum eſſe poteſtatem, dicerent autem eos errare & male docere, Oppoſuerunt argumentum præſcriptionis & poteſtatis ſimul, dicentes (Iere. 18.) Non peribit Lex à *Iere. 18.*
Sacerdote, nec conſilium à Sapiente, nec ſermo à Propheta. Eadem prorſus forma, qua hodie arguunt, ex multitudine Doctorum, ex magnitudine auditorum, ex longitudine temporum, ex indefectibilitate fidei Petri, ex ritu vniverſalis Eccleſiæ, id eſt, eorum, qui ſua audiunt. His omnibus inflati dicunt: Noſtra ſunt labia & præualent, cum his ſpecioſiſſimis plauſibiliſſimisq; Rationibus popularem ſenſum facile capiant, ſicut olim populum capiebant, hæc tria, lex in Sacerdote, conſilium in Sapiente, & ſermo in Propheta.

Argumentum præſcriptionis & poteſtatis oppoſitū Prophetis, Chriſto & Apoſtolis.

Quis noſter Dominus eſt.

Quis noſter Dominus eſt: Non hoc dicunt Impij, quod negent ſe habere Dominum Deum, quem vnice iactant aduerſus pios, cuius titulo & ſua colorant, & piorum blaſphemant. Sed quod pios nolint ſibi præferri & audiri, poteſtate docendi ſibi tantum arrogata. Habetq; iſta oratio interrogatiua inſignem inflatiſſimamq; contentionem, qua ſibi & ſuis fortiter perſuadent, ſeſe recte agere, & pios accuſant magnæ temeritatis, hoc modo: Ecce nos diuinitus poſiti Paſtores populi, & pro eis rationem reddituri, ſoli poteſtatem habemus docendi, & ea quæ dicta ſunt à quocunq; iudicandi, quos oportet ab omnibus audiri, & nos nullos audire, *Quia vbi eſt* (vt dicunt) *maioritas, ibi eſt mandandi autoritas, cæteros vero manet obediendi neceſſitas.* Hic vero nouus Propheta, in cœlum ponens os ſuum, nosq; docere paratus, detrahit poteſtati, eſtq; irreuerentialis ſuis maioribus (ſicut hodie loquimur) non habet ſatis nec audiſſe nec obediſſe, nec contentus alios nobis ſubtrahere, etiam ſuper caput noſtrum vult aſcendere, nosq; Diſcipulos ſuos facere, & plane noſtri dominari.

Vbi eſt maioritas, ibi eſt mandandi autoritas, &c.

Nos ergo iſta feremus? Hunc patiemur nobis dominari? Iſte nobis leges ſtatuet & modum præfiget? Et ſicut Iudæi Ioh 9. ad cæcum natum dixerunt: Tu doces nos? Et Pſal. 4. Quis oſtendit nobis bona? Et Gen. 37. Fratres Ioſeph ad eum: Nunquid Rex noſter eris, & ſubijciemur ditioni tuæ? Hac, inquam, turgentiſſima & immaniſſima ſuperbia Moab iſte ſuperbiæ & temeritatis accuſat piorum humilima pro verbo Dei ſtudia, interpretans id fieri, dominandi & poteſtatis minuendæ aut opprimendæ gratia. Aut enim nihil veritatis eſt dicendum Magnatibus, & offendetur diuina Maieſtas aut ſi dicetur, non veritatis dictæ gratia, ſed læſæ Maieſtatis & imminutæ poteſtatis crimen obtinebitur. Adeo neceſſe eſt, veritatis nuncium ſemper offendere, vel Deum vel magnates homines.

Nuncium veritatis neceſſe eſt offendere.

Quis noſter Dominus eſt.
Amaſias.
Am. 7.

Idem ergo eſt dicere, *Quis noſter Dominus eſt?* Ac ſi dicant, Deſine tu velle nos docere, & noſtra non audire, aut damnare, ne videaris non tam Magiſter quam Dominus noſter velle fieri. Sic Amaſias (Amos 7.) miſit ad regem Iſrael, dicens, Rebellauit contra te Amos in medio domus Iſrael, non poterit ſuſtinere terra vniuerſos ſermones eius, hæc enim dicit Amos: In gladio morietur Hieroboam &c. Ecce rebellionis reus & vſurpati dominij ob ſolam veritatem prædicatam. Quid hodie fieret ſi veritatem Theologi (ſicut deberent) palam profiterentur?

Simul tamen verum eſt, impios recuſare ſimpliciter etiam Dei dominium, etſi contrarium fortiter ſimulant, Primum, quod omnis ſuperbus & prudens prudentia carnis Deo ſubijci non poteſt. Deinde cum nuncios verbi Dei reijciunt, & confundunt, ſimul Deum reijciunt, qui miſit eos. Sicut Chriſtus ait Matt. 10. Qui vos recipit, Me recipit, qui me recipit, recipit eum qui miſit me. Et 1. Reg. 8. Non te, ſed me abiecerunt ne regnem ſuper eos. Hoc modo Iere. 5. dicit, Negauerunt Dominum, & dixerunt, Non eſt ipſe, neq; veniet ſuper nos malum, gladium & famem non videbimus.

Matt. 10.
1. Reg. 8.
Iere 5.

Impij recuſant Deo ſubijci.

Ita fit, vt ſimul pertinaciſſime iactent ſe habere Deum pro Domino, ſimul immaniſſima ſuperbia eum abijciant in ſeruis ſuis & verbo ſuo. Atqi ita ſpecies humilitatis apud eos, ſuperbiæ apud pios fortiter patens, mouet ſtultum vulgum ad odium pietatis. Quare in ſpiritu Propheta nos iubet impios inſpicere, ibi enim, quia ſuperbi verbum crucis contemnunt, dicunt: Quis noſter Dominus eſt? quantum libet foris ſonent ad laudem Dei, Soli Deo gloria, &, In nomine Domini, &c.

Propter

Propter miſeriam inopum & gemitum pauperum,nunc exurgam,dicit Dominus,Ponam in ſalutari,ſi ducialiter agam in eo.

EX iſto verſu duos fecimus. Pro miſeriam aptius fuiſſet interpretatus,vaſtitatem,vt ad verſum primum referatur,vbi Sanctos defeciſſe,& veritates diminutas,ſeu finitas,hoc eſt,vaſtatas eſſe dixit,vſq; ad reliquias iſtas propter quarum gemitum dicit ſe ſurrecturum, atq; ideo non omnes Sanctos defeciſſe certum eſt,& hyperbole manifeſta in verſu primo, apparet. Conſolatur itaq; ſeipſum Propheta,promiſſione Dei in fide, certus quod ſuperbiam contemptricem verbi Dei & vaſtitatem Sanctorum & veritatis ſit viſitaturus,& populum ſuum ſeruaturus,vt ſequentia oſtendent.

Sæpe iam dictum eſt ſanctos Dei, Aenym & æbionim,id eſt,pauperes,& inopes dici in Scripturis,ob quam perſonam maxime contempti ſunt ſuperbis,& ſuſpecti de affectata poteſtate & magiſterio ſuper eos,& odibiles ob rebellionem,irreuerentiam & inobedientiam,vt dicunt.

Pſal.3. *Exurgere Dominum* Pſal.3.dictum eſt quid ſignificet,ſcilicet effectum ſalutis oſtendere.Exurge Domine,ſaluum me fac Deus meus.Sic & hic. Exurgam,& ponam in ſalutem.Nec ſine pondere adiectum eſt dicit Dominus,quo promiſſio diuina commendaretur ad excitandam fidem & ſpem noſtram in afflictione eiuſmodi Nihil enim precioſius in tota ſcriptura quam promiſſio Dei,quæ niſi eſſet,nec orationi nec operationi,nec fidei,imo nec vitæ,nec vlli rei locus eſſet,Promiſſio enim Dei ſuſtentat,& ſolatur nos in omni anguſtia carnis & ſpiritus. *Exurgere Dominum.* *Nihil precioſius in Scriptura promiſſione Dei.*

Hieronymus ſic dicit,Ponam in ſalutari auxilium eorum.Quo miror quid velit,cum auxilium eorum mihi Ebræus non videatur habere, & ipſe idem vocabulum Pſal.10.vertertit, Deſpicit.Ego non habeo quod tradam,ſudam interea pro meo ingenio.Vbi nobis,*Fiducialiter agam*, Ebræis eſt eadem Pſal.10. prorſus dictio,quæ Pſal.10.dominabitur,verſa eſt ibi: Omnium inimicorum ſuorum dominabitur,vt eo loco diximus. Quare non poteſt hoc loco in prima perſona dici: Agam fiducialiter.

Demus ergo huic medio verſui ſua duo membra. Prius hoc,Ponam in ſalute,Poſterius illud,Loquitur ei,ſeu ad eum,Prioris ſit iſte ſenſus, Ad hoc exurgam,vt ponam,ſeu erigam,ſeu ſtatuam ſalutem, hoc eſt firmam, ſtabilem,& quam nec portæ inferi queant conuellere,parabo ſalutem,& ſic ſaluabo,vt nemo mihi damnare,vaſtare,conſummare Sanctos meos vltra poſſit. Sic enim abſoluta eſt oratio in Ebræo,Ponam,id eſt,firmiter ſtatuam,firmum fundamentum iaceam,ero fundator. In ſalute id eſt,vt fundatio iſta non ſit diuitiarum,aut rerum mundi,ſed ſalutis, vt qui in ea ponentur, ſalui ſint in perpetuum,& nemo rapiat eos de manu mea. *Ponam in ſalute.*

Iſai.28. Quæ ſententia vera,fere ſimilis eſt illi Iſai.28.Ecce ego mittam in fundamentis Zion lapidem angularem Qui crediderit non feſtinabit,niſi quod breuior & obſcurior eſt,Ac ſine dubio de Chriſto loquitur. qui fundamentum ſalutis eſt firmum,petraq́,inuicta omnibus qui credunt in eum,cuius nomen etiam à ſalute venit,quod hic dicitur,Aſchith beieſa,ponam in ſeſu Cui pet Antitheſin opponi ſubaudiuntur impij,non ponendi,ſed propellendi ſicut ventus,Nec in ſalutem,ſed in perditionem & ruinam, ſicut domus ſuper Matt.7. arenam fundata. Promiſſionis enim verbum eſt hæc pars verſus,conſolans inopes & terrens impios,vt dixi. *Chriſtus fundamentum ſalutis omnibus credentibus.*

Poſterioris membri ſenſus erit iſte,quem altera pars Iſaici verbi habet.

Qui crediderit non cõfundetur, Iſ. 28.

Qui crediderit non confundetur, Ita hic, loquitur ei, id eſt, deſpicit illos, & cum fiducia loquitur verbum crucis & fidei. Sicut Pſal. 116. Apoſtolus 2. Cor. 4. *Pſal. 116.*
inducit, Credidi propter quod locutus ſũ. Et nos credidimus, propter quod & *2. Cor. 4.*
loquimur. Fide enim ſaluati, & in Petra Chriſto fundati animantur ad prædicandum verbum Dei cum fiducia omni volenti credere, nihil metuentes, quantumlibet multas, ac potentes ſectas hypocritarum, quod referente Luca Act. 4. in Apoſtolis completum eſt, Qua fide qui carent, nec hiſcere audent. *Act. 4.*

Ponam in ſalute, Loquitur ei.

Quare hanc partem Verſus obſcuriſſimam breuiſſimamq́; oportet, tanquam ſpiritus ſuſurrum accipere, in aures Dauid acceptum, cui cum gemeret pro vaſtatione populi & fidei, reſponſum eſt breui oraculo, quidnam Deus in remedium eius mali cogitaſſet, ſcilicet hoc, Ponam in ſalute, loquitur ei. Hoc eſt, ſcito me aduerſus vaſtationem Sanctorum id moliri, vt fidei ponam fundamentum, Chriſtum, in quo ædificabo & ſaluabo Eccleſiam meam, contra quam illi nihil præualebunt, neq; aliquem credentem vaſtabunt, Nec hoc contentus ſum, erit enim, vbi ſic ſaluati fuerint, vt audeant prodire in publicum, & loqui verbum cum fiducia, quo non modo ſeſe tuebuntur, ſed etiam ſuos vaſtatores vaſtabunt, multosq́; conuertent qui ſe auerterant.

Fiducialiter agere, eſt verbum cum fiducia prædicare.

Et ſic concordari iam omnia facile poterunt. Fiducialiter agam in eo, id eſt, faciam eos fiducialiter agere in verbo fidei. Quod modo Lucas in Actis dedita opera vſus videtur hoc verſu, dicens. Act. 9. Paulum in Damaſco fiducialiter egiſſe in nomine Ieſu. Et 14. Multo tempore demorati ſunt, fiducialiter agentes in Domino. Et 18. de Apollo. Hic cœpit fiducialiter agere in Synagoga. Eſt eidem Lucæ proprium, fiduciam prædicandi verbum Dei commendare, Vt appareat eum, hunc verſum ſibi hauſiſſe aſſiduo velut prouerbio. *Act. 9. 14. & 18.*

Quo autore pene moueor, vt credam verbum Ebræum Iaphiah (quod Pſal. 10. expoſuimus ſignificare, id quod proferre, apparere, dominari, deſpicere, & hoc loco per Hieronymum, Auxilium eſſe, ſecum meditari & loqui) omnium propriiſſime ſignificare, fiducialiter agere, quod noſter Interpres poſuit, cum Lucas per fiducialiter agere, non aliud intelligat, quam verbum cum fiducia prædicare. Hoc eſt iuxta Pſal. 116. credere & propter hoc loqui. Atq; id idem eſt, licet obſcurius & breuius, deſpicere, dominari, apparere, meditari, loqui, auxilium noſtrum eſſe. Qua enim alia vi deſpicimus, dominamur, apparemus, loquimur, auxilium habemus, quam verbo fidei cum fiducia euangelizato? Proinde ſicut impius inimicorum ſuorum dominatur, & cum fiducia contra eos loquitur verbum ſuum, ita pius ſuorum dominatur, & cum fiducia contra eos loquitur verbum Dei. *Pſal. 10.* *Pſal. 116.*

Credere & propter hoc loqui.

Virtus Eccleſiæ eſt verbum Dei.

Quibus iterum docemur, virtutem Eccleſiæ, non eſſe aliam, quam verbum Dei, quod virtus Dei eſt in ſalutem omni credenti Rom. 1. Et virga virtutis Dei, Pſal. 110. Sic Oſeæ 1. Saluabo eos in Domino Deo ſuo (ſcilicet prædicato per verbum) & non ſaluabo eos in arcu & gladio & bello, & in equis & in curribus. Quare, in ſumma, huius verſus ſenſus eſt, Piis aduerſus impios dari duplex auxilium, ſcilicet fidem & verbum. Fidem, qua ſaluantur ipſi. Verbum, quo vaſtant impios, & multiplicant Sanctos & veritates in hominibus, quos illi vaſtarunt. Fides tangitur, cum dicit, Ponam in ſalute, ſeu ſalutari. Verbum, cum dicitur, Fiducialiter agam in eum, ſeu loquitur ad eum (vt Ebræus habet.) *Rom. 1.* *Pſal. 110.* *Oſeæ. 1.*

Pii aduerſus impios habent duplex auxilium, fidem & verbum.

In quem & quis loquitur? Nulla hic perſona ſignificatur, adeo abſoluta & generalis eſt ſententia, Ac ſi dicat, Ponam in ſalute, ſeu fide firmabo: Et ecce hoc ipſo eſt, qui loquitur. Quam primum enim aliquis credit, mox & loquitur Actor. 2. Repleti ſunt Spiritu ſancto, & cœperunt loqui *Act. 2.*
Nec

Nec illum cui ſit locutio deſignat, propter eandem generalitatem. Loquitur ei, ſeu in eum ſcilicet impium, ſeu impios vaſtatores. Atq; ita poſita fide, eſt qui loquitur & qui audit, ſequiturq; fidei donum tam locutio, quam auditio, quibus duobus multiplicantur miſericordia & veritas. *Loquitur ei.*

Obſerua autem & illud, Quod ponere in ſalutem, eſt operatio ſolius Dei, Loqui autem impio, cooperatio noſtra eſt, Ideo illud ſibi, hoc homini tribuit, quod tamen ipſum noſtra translatio Deo tribuit, dum perſona prima dicit, Fiducialiter agam. Vide ergo quam breue, obſcurum, plenumq; verbum ſit, hic medius verſus. Conueniebat autem, vt coniunctio &, interponeretur ſic, Ponam in ſalutari, & loquitur ei, pro vitando Ebraiſmo. *Ponere in ſalutem. Loqui impio.*

Similem ſententiam Pſal. 120. tractat, Quid detur tibi? aut quid apponetur tibi ad linguam doloſam, ſcilicet quæ facit, vt deficiat Sanctus, & veritas in hominibus? Reſpondet, Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus iuniperorum, id eſt, verba Euangelicæ gratiæ, cum exemplis antiquorum Patrum, qui Euangelio conſonant. Scriba enim doctus in regno cœlorum, profert noua & vetera. Et Chriſtus cibat turbas, quinq; panibus legis Moſi expoſitæ in ſpiritu, & duobus piſcibus, id eſt, Patrum exemplis eadem ſpirituali lege mortificatis, & geminæ charitatis igne aſſatis. *Locus ex Pſalmo 120.* *th. 13.* *n. 6.*

Verum nemo ordinis obliuiſcatur, Quod prius eſt, poni in ſalute, quam loqui in eum, ſeu fiducialiter agere, quia prius eſt credere & ardere, quam docere & lucere, ſi modo cum fructu & fiducia velis docere. Sine fide enim ſalutis verbum non docebitur, Tempore perſecutionis credidi, inquit, propter quod locutus ſum. *Prius eſt ardere quam lucere.*

Eloquia Domini caſta, argentum igne examinatum, probatum terra, purgatum ſeptuplum.

PEr Antitheſin & contentionem hæc accipienda ſunt, qua verba hominum & verba Dei componit, illorum vana, blanda & varia, quibus tamen non caſtificantur, ſed magis polluuntur in ſpiritu, per quæ deficiunt miſericordia & veritas in hominibus. Dei autem, caſta, pura ſeu munda, tum aſpera, ſed proba, fidelia & ſolida, quibus mundantur homines, & rurſũ multiplicantur miſericordia & veritas, vaſtanturq; vanitas, dolus & diſcordia. *Verba hominum & Dei, qualia.*

Aperit autem hic verſus Allegoriam, argenti, qua & vtitur in paradigma, vocans eloquia Domini, argentum examinatum, probatum, purgatum, ſeptuplum, Cum reuera in oculis impiorum, vix ſcoria, peripſima & purgamenta mundi ſint, quibus ſe inquinari & dehoneſtari arbitrantur. Sic contra verba eorum, vana, blanda & varia eſſe pronuntiauit, quibus perdunt miſericordiam & veritatem, quæ illis longe aliud videntur, vtrobiq; in ſpiritu loqnutus. *Argenti allegoria.*

Non autem eloquia Domini tantum ea, quæ in Libris ſcripta ſunt intelligit, ſed multo maxime quæ voce proferuntur. Sicut de impiorum verbis dixit, Vana locuti ſunt, & labium blandum vnicuiq; ad proximum ſuum, & diuiſo corde locuti ſunt. Ita non ſcripturam Dei, ſed eloquia Dei, potiſſimum caſta vocat. Non enim tantum nocet, aut prodeſt Scriptura, quantum eloquium, cum vox ſit anima verbi, Nec eſt neceſſe, eloquia Domini tantum ea intelligi, quæ de Scripturis in vocem aſſumuntur, ſed quæcunq; Deus per hominem loquitur, ſiue idiotam, ſiue eruditum, etiam citra Scripturæ vſum: Sicut in Apoſtolis locutus eſt, & adhuc loquitur in ſuis. Quare eloquia Domini ſunt, quando Dominus loquitur in nobis, non autem quando Scripturam quilibet adducit, quod etiam dæmones & impij poſſunt, in quibus tamen Deus non loquitur, Nec iam ſunt eloquia Dei, ſed ſpuma eloquiorum Dei, ſicut ſcoria argenti. *Eloquia Dei quæ voce proferuntur.* *Vox eſt anima verbi.* *Spuma eloquiorum Dei.*

Igitur

Verbum Dei remedium ſaluti.

Igitur remedium ſalutis, aduerſus vaſtatores inopum, & conſumptores Sanctorum in terra, eſt verbum Dei, contra verbum hominum ſuſcitatum. Quod cum ſit puriſſimum, ſicut argentum defæcatum, probatum, & ſepties purificatum, purificat, conſolidatq́; ac probat cor hominis, faciens ſibi ſimile, vt nihil ſapiat eorum, quæ ſua ſunt, & ſuper terram, ſed quæ Dei ſunt in cœlis.

Verbum hominum eſt ſcoria.

Verbum autem hominum ſcoria & argenti huius ſpuma, ſpecie aliqua argentum mentitur, ſed vanum. Deinde non ſolum non mundum ſed ipſa immundicia eſt, eum ſit purgamentum argenti, hoc eſt, eloquia Dei ſimulant ſe docere, cum omiſſo eius puro, vero, germanoq́; ſenſu potius ſpumam, ſeu ſcoriam, reliquamq́: fæcem doceant, Quæ vt eſt ipſa immundicies, ita nihil mundat, nec probatum fide leue facit. Sic Iſa. 1. Argentum tuum verſum eſt in ſcoriam, & vinum tuum mixtum eſt aqua. *Iſaiæ 1.*

Non occides.

Exemplo aliquo id monſtremus. Non occides, non mœchaberis & ſimilia eloquia Dei (vt taceam cæremonias humanas) ſi ſic doceas, Vt non occidiſſe, nec adulteratum fuiſſe quenquam dicas, niſi patrato opere ipſo occiderit, aut adulteratus fuerit, ſcoriam impuram, vanam, vagamq́; pro ſolido, probo, puroq́, argento docuiſti, cum ſpiritu & voluntate opus homicidij & adulterij interim affectet, & ab alijs factum, non doleat, nec arguat, ſed rideat, vel cantet potius, Sicut eſt mos, imo mors communis hominum, quo omnes ſunt viri ſanguinum.

Scoriam pro argento docere.

Econtra, ſi orantem, ieiunantem, aut quodlibet opus bonum ſecundum facti ſubſtantiam (vt nunc loquuntur) operantem, doceas Dei cultorem eſſe & ſabbatum ſeruaſſe, Iterum doloſo labio, ſcoriam pro argento docuiſti, Cum hæc omnia vel inuito corde, vel ſui commodi affectu, hoc eſt, ſine ſpiritu fecerit, ac per hoc non fecerit, ſed vir doloſus inueniatur, Sicut & hic mos ſiue mors eſt hominum communis, quo ſunt viri doloſi, non ſolum non arguentes iſta, ſed pro virtutibus iactantes, cantantes, gloriantes. Ac per hæc iam deficit Sanctus, finiturq́; veritas in hominibus. Lex n. ſpiritualis eſt. Ideo his vanis labijs & doloſis non docetur, ſed extinguitur potius. Similia de omnibus alijs quilibet obſeruet in tota Scriptura. *Rom. 7.*

Apte autem hic verſus ſequitur præcedentem (vbi dixerat: Et loquitur ei) demonſtraturus quis, & quæ loquatur, nempe Deus ſua eloquia munda. Et, vt ad gramatica veniamus, non eſt in Ebræo caſta proprie, ſed munda, licet metaphorice, caſtum, pro mundo ſæpius accipiatur. Nec de mundicia grammatica loqui putandus, quanquam & hæc non deſit eloquijs diuinis, nec de ſenſuali aut mortali, cum ſæpius de rebus fœdis ac pudendis (vt videtur) tractet. Sed de Theologica & affectuali, qua hominem, ſimilem ſibi factura, ab impuris affectibus ſola purgat, quibus nemo fœdius polluit hominem, quam humani doloſi Doctores, iuſticā ſuam docentes, & immundos affectus etiam augentes, inſuper & inflantes, vt de ſordibus ſuis glorientur, nedum purgentur. Non enim mundatur vllius cor, niſi verbo Dei fide ſuſcepto. Act. 15. Fide purificans corda eorum. Et Pſal. 19. Lex Domini immaculata conuertens animas. Pſal. 51. Aſperges me Domine hyſopo, & mundabor. *Act. 15. Pſal. 19. Pſal. 51.*

Doctores impij.

Igne examinatum. Noſter adiecit, igne, In Ebræo tantummodo eſt, Argentum ſublimatum, ſeu liquatum, ſeu probatum, quod quia per ignem fit, adiecerit Interpres lucis gratia, Probatum terræ, Omnes fere volunt græce dictum, dicentes, probum ſyncerumq́; terra, ſeu à terra, ſicut dicitur mundus à ſanguine. Et Hieronymus transfert, ſeparatum à terra, Vbi terram varia tropologia tractant.

Verum

Verum ego prorſus hic cæcutio; Certum eſt, terræ in Ebræo eſſe datiui caſus, qui transferri poſſit ad terram, melius quam à terra. Deinde Reuchlin dicit ælil (quod noſtri probatum tranſtulerunt) eſſe vaſculi nomen, in quo liquantur metalla, cui additur præpoſitio, in, quaſi ſic vertas hanc partem: Argentum liquatum in liquatorio terræ, ſiue ad terram, quod ſonat in rem, & ad vſum terræ, hoc eſt, quo vtantur, qui in terra ſunt, ſcilicet homines. Quæ ſi vera eſſent, opinari liceret Prophetam à re argentariorum ſumpſiſſe Allegoriam (ſicut vere fit in Prophetis omnibus) & myſterium eius in eloquijs Dei luſiſſe. Argentum enim nullius eſt vſus in terra, niſi liquetur & probetur, primum, vt argentum terræ, diſtinguas ab argento fouearum, venarum, & minerarum. Liquari autem ad hunc vſum non poteſt, niſi per ignem, nec per ignem, niſi in vaſe. *Argentum liquatum*

HArum rerum nunc reuelemus Allegoriam. Eloquia Dei in craſſa litera & ſenſu carnis, citra crucis ſenſum dicta, aut ſcripta, argentum eſt in venis. Sicut Hiob. 28. ludit: Habet argentum venarum ſuarum principia, aut repoſitum in maſſa rudi. Sicut Dauid figurauit, quando Salomoni omnes præparabat impenſas ad templum ſtruendum. Sed nihil vtilitatis eſt hominibus terrenis in iſto thezauro abſcondito, vt Eccle. ait 20. Sapientia abſcondita, & thezaurus inuiſus, quæ vtilitas in vtriſq;? Donec proferantur in medium, & impugnantibus impijs, hæreticis, dæmonibus probentur. *Argentum in venis.* Hiob 28. Eccle. 20.

Credentes autem ſunt vaſculum iſtud fictile liquatorium, in quo portatur thezaurus iſte, probaturq;, Quia certamen forte dedit ei, vt vinceret, & ſciret quoniam omnium fortior eſt ſapientia Sap. 10. Sic autem probato per ignem verbo Dei, & fideli inuento, multis prodeſt hominibus per prædicationem eorum, qui probati ſunt. Hoc Apoſtolus 1 Cor. 11. tetigit, vbi dixit, Oportet hæreſes in vobis eſſe, id eſt, ignes liquatores, vt qui probati ſunt (id eſt, vaſcula in quibus argentum eloquiorum Dei exercetur) manifeſti fiant inter vos, Facti ſal terræ & lux mundi, id eſt, terræ luceant hominibus ad laudem Dei prouocatis, & ſic eiuſdem argenti vſu adiutis ac locupletatis. Hoc eſt certe quod dicit hic terræ, ſeu in rem terræ. *Credentes vaſculum fictile.* Sap. 10. 1. Cor. 11.

Hanc liquationem & probationem verborum Dei, quia impij in ſeipſis exhorrent, & ſcandalum crucis non ſuſtinent, quærunt hominibus placere, facti vaniloqui, doloſi, deceptores, inconſtantes, Sicut Apoſtolus ad Gal. diſputat, & hic Pſalmus dicit. Non ergo intelligitur, nec fructificat eloquium Dei, niſi mortificatis & tribulatis nobis, hoc eſt, niſi propter verbum fortiter impugnatis & tentatis, non enim tam nos, quam verbum patitur in nobis. *Eloquium Dei quando fructificet.*

Ad hunc ſenſum noſtra translatio poteſt duci, præteritis aliorum gloſſis. Ita, probatum terræ, id eſt, fidele, gratum, placitum inuentum hominibus in terra, qui experimento, fidelitatem, virtutem, puritatem eius cognoſcentes, confidunt in eo, & amiſſa fœda illa omnium rerum fiducia, quam illi docent impij, ſolius verbi puriſſimi, puriſſima fide purificantur. Et ſic terræ manet propriiſſime datiui caſus, ſicut eſt tam in Græco, quam in Ebræo. *Probatum terræ.*

PVrgatum ſeptuplum. Hic de ſeptenario donorum ſpiritus profundius tractant, quam mea tenuitas, ac negotium literæ ferat. Ego ſeptuplum ſimpliciter pro perfectiſſime accipio. Septem n. numerus vniuerſitatis eſt, Et neſcio, an eam hic argenti purgationem tangat, qua non in vaſe liquatorio, ſed in cinere oſſium, appoſito plumbo purgatur ad plenũ & puriſſimum. Et quam mirabiliter ludit ſapientia Dei in orbe terrarũ, vt plumbum argenti purgatio fit? Nempe, quod hypocritarũ eloquia, cum ſicut plumbum *Septuplum.* *Purgatio argenti.*

argenti,

argenti, Ita & ipſa diuinorum eloquiorum ſimilia ſint tamen in igne perſecutionis, ſic exerceant & exercentur ſimul vt ſicut plumbum euaneſcit, & argentum purgatur, ita in fine tandem eluceſcat vera ſapientia, & nihil fiat inſipientia eorum (vt Apoſtolus ad Tim. ait) ſic enim proficit ſpecioſiſſima impiorum doctrina, dum reſiſtit pietati, ad gloriam veræ doctrinæ & ſuam ignominiam. Quare non fuit abſonum priorem purgationem liquatorij, perſecutoribus tyrannis, poſteriorem plumbi, hæreticis & falſis Fratribus dari, qui nobiſcum, vt plumbum cum argento in eodem cinere & vaſe, ita in eadem Eccleſia, & mortuorum Patrum, Martyrumq; veſtigijs exercentur, Tyranni autem foris, ſicut folles, liquatorium exercent. 2. Tim. 3.

Purgatio liquatorij & plumbi.

Fides purgat & paſſio, non opera.

Ita videmus, quam Propheta operibus detrahat & omnia fidei tribuat, dum eloquia Dei munda aſſerit, Simul argutiſſime reprehendens eos, qui operibus mundari volunt. Quid enim prodeſt multa operari, ſi non munderis? At nuſquam eſt mundicia, niſi in eloquijs Dei, & eloquijs Dei nemo mundatur, niſi credens, nemo autem credit, niſi patiatur magis quam operetur. Quibus efficitur, quod vita puriſſima & ſine peccato, non ſtet in operibus, ſed in fide verbi & paſſionibus.

Aurum.

Sed cur argentum magis quam aurum eloquijs Dei comparat? Aurum proprie charitati in Scripturis comparatur, cuius natura in igne alia eſt, quam argenti, de quo dicemus infra.

Tu Domine ſeruabis nos, & cuſtodies nos à generatione hac in æternum.

POterat melius per optatiuum dicere, ſerues, cuſtodias, cum reuera ſit oratio Prophetæ aduerſus generationem iuſticiariorum. Et quanquam non differant adeo, ſeruare & cuſtodire, tamen Ebræus, ſeruabis in poſteriore, & cuſtodies in priore parte ponit, ſicut Et Hieronymus facit. Petit enim ſeruari à generatione, prohibendi modo ſic, vt nos prohibeamur ne conſentiamus eis, & cuſtodiri eloquia ſua protegendi modo, ne illi ea polluant. Pro ſeruabis nos, ſeruabis ea, in Ebræo eſt, & ad eloquia Dei pertinet, vt Hieronymus transfert. Sed poteſt forte ad Sanctos etiam referri, cum ſit generis maſculini, ſeruabis eos. Nec hoc reiecerim, ſi quis, ſeruabis eos, de impijs accipiat, vt Deus eos ſeruet, & prohibeat, ne deinceps vana loquantur, & perdant Sanctos à filijs hominum.

Videmus autem non noſtræ virtutis eſſe, vt eloquia Domini caſta maneant, & Sancti non deficiant à terra, ſed diuinæ. Tu Domine, non nos homines ſeruabimus. Sicut docuit Chriſtus, Meſſis multa, operarij autem pauci, rogate Dominum meſſis, vt mittat operarios in meſſem ſuam. Idem nos in oratione Dominica iuſſit orare, dum panem noſtrum quotidianum, id eſt, eloquia Dei docuit petere, Nos vero poſita oratione, fidentes literis, ingenio & ſtudio, ſecure agimus, donec ipſi facti ſimus qui vana loquimur & generatio impia, à qua hic cuſtodiri petit Propheta. Matt. 9.

Panis quotidianus.

Hic Pſalmus ad noſtra & omnium ſecula pertinet.

Vnde colligitur, Pſalmum iſtum, & ſi ad tempus Chriſti proprijſſime, ſicut omnia, referatur, tamen, quia generatio iſta non præteribit, donec omnia fiant, etiam ad noſtra & omnium ſecula pertinere. Noſtro ſane ſeculo Turcæ, Iudæi, Cæremonijſtæ hanc generationem ſtrenue augent, & fere omnem fidem & vniuerſum verbum fidei ſupplandauerunt, Contra quos non eſt, quod agamus, niſi, vt oremus Dominum meſſis, vt exurgat poſiturus ſalutem, & locuturus ad eos.

In circuitu Impij ambulant, ſecundum altitudinem tuam multiplicaſti filios hominum.

VErbum,

VErbum, Multiplicaſti, in Ebræo non eſt; Hieronymus ſic, In circuitu Impij ambulant, cum exaltati fuerint viliſſimi filiorum hominum. Ego hunc verſum arbitror nondum eſſe de tenebris ab vllo erutum, ſicut nec illud, quod ſuperius dictum eſt, Probatum terræ, Vtriuſq; huius loci ignorantiam confiteor, & omnibus alijs tribuere eandem nihil vereor, qui hucuſq; ſcripſerunt.

Pro altera parte, noſter dixit, Secundum altitudinem, ſed pronomen, Tuam, ſuperfluit, & Hiero. ait, cum exaltati fuerint. Omnino ergo altitudinis vocabulum hic eſſe oportet: Mihi videtur eſſe verbum primitiuum actiuum, Rom, id eſt, exaltauit, ſeu eleuauit, inde me iudice vertitur ſic, Sicut exaltauit viliſſimos filijs hominum. Nam vbi nos multiplicaſti habemus, Ebraice Zylloth fœminino genere dicitur, quod ſignificat, viles, abiectos, leues homines, quales ſunt epulones & ganeones, nam Ebræis & hi, qui conuiuijs & luxu vacant, Zollelim dicuntur maſculino genere.

Rom. Zylloth.

Vt ſit ſenſus, Generatio iſta circumdedit impios Magiſtros & ambulant ſimul, ſicut ipſa eleuauit & voluit eos, qui viliſſimi ſunt etiam filijs hominum ſeu inter filios hominum, hoc eſt, impios diſcipulos congregat, & viliſſimos Magiſtros exaltat, quales diſcipulos, tales Magiſtros, vt cæci cæcos ducant, & ambo in foueam cadant. Quæ verſus ſententia, ſi vllo tempore impleta eſt, nonne hodie impletiſſima eſt? Quis n. hodie Eccleſiaſticis gubernaculis præficitur, niſi fæx mundi? Scilicet quibus mundus vel vti, vel frui non poteſt, Atq; id merebatur impia ingratitudo noſtra.

Eccleſiarum gubernatores hodie quales.

Iterum hic videmus impijs magiſtris tribui, ventris curam ſi-
.5. cut Pſal. 5. Sepulchrum patens guttur eorum, dixit. Et Apoſtolus. Ventrem
p.3. Deum eorum ſignauit, dum Zylloth, id eſt, Epulones odioſiſſimo nomine
eos appellat, qui non niſi victum quærant. Nec fruſtra videtur vnum lamed
deficere, in vocabulo Zylloth, & litera vaf, in verbo Crym, quaſi vtrinq; ſpe-
ciem eſſe, reipſa deficiente, cum reuera non ſint exaltati, & ipſi longe aliud
quam epulones haberi velint, Sed hæc Cabaliſtis, ſeu potius curioſis & ocioſis.

Magiſtri impij ventrem curant.

Noſtra tranſlatio poteſt huic ſententiæ ſic aptari, *In circuitu Impij ambulant*, id eſt, Multi vndiq; circundantes & circundati, tam diſcipuli, quam Magiſtri Impij, ambulant & perſeuerant in vijs ſuis, Quia tu multiplicaſti filios hominum ſecundum altitudinem tuam, id eſt, in locum poteſtatis tuæ conſtituiſti non filios Dei, ſed filios hominum, eoſq; non qui rari & boni ſunt, ſed multos & qui viliſſimi inter eos ſunt. S. Patres, filios hominum, ad filios Dei referunt. Et altitudinem, alij ſecretum conſilij, alij gratiam & miſericordiam Dei ſine merito hominum datam putant, Quorum ſententiam non damno, ſed literalem eſſe non credo.

PSALMVS XIII.

Ad victoriam Pſalmus Dauid.

VSquequo Domine obliuiſceris mei in finem?
Vſquequo auertis faciem tuam à me?
Vſquequo ponam conſilia in anima mea, dolorem in corde meo per diem?
Vſquequo exaltabitur inimicus meus ſuper me?

SIMplicitas iſta Ebræa magis placet, & nonnihil ad affectum facit, qua repetit quater idem vocabulum, vſquequo, pro quo varietatis amans Interpres, in tertio loco, quam diu poſuit, nec ſine affectus iniuria. Generalis ſententia Pſalmi eſſe videtur, in perſona eorum dict, qui ſimilia Dauid patiuntur, hoc eſt, mortem & infernum. qui affectus Pſalmo 6. ſimilis eſt; Nam & hic mortem allegat, & pugnat cum deſperatione, miſericordiam Dei prædicans. Quod & indicat vehementiſſimum exordium, quod quatuor quæſtionibus contentioſis & acribus prorũpit, Cum enim in omni tribulatione mora ſit grauis, in hac ſpirituali eſt grauiſſima, Adeo vt Pſal. 6. dicat: Inueteraui inter omnes inimicos meos, Et Pſal. 32. Quoniam tacui, inueterauerunt oſſa mea, dum clamarem tota die. Ita & hic quater expoſtulans nimiam dilationem diuini auxilij, queritur ſeſe in finem derelictum, imo obliuioni datum, hoc eſt, deſperatum & nunquam recipiendum, ſic enim apparet in hac preſſura æternæ mortis conſtitutis.

Mora in omni tribulatione grauis, &c. — *Pſal. 6.* *Pſal. 32.*

Emphaſis itaq; eſt in ſingulis verbis, quibus iratum Deum exprimit, quantum eſt in ſenſu & affectu ſpiritus. Non ſolum me derelinquis tanquam probaturus & obſeruaturus, ſed etiam obliuiſceris tanquam extinctum, deletum de Libro vitæ & memoria tua, reprobatum penitus nunquam viſurus, nec hoc ad tempus, ſed in finem & æternaliter, vt nihil reliquum ſit ſpei, quin ſim cum damnatis perdendus in æternum. Quod ſi etiam hic clamem validiſſima voce, & inuocem te, ecce non modo non exaudis, ſed etiam ne audias, auertis faciem tuam à me, factus inexorabilis.

Obliuiſci. *Auertere faciem.*

Nonne apertis verbis hunc aſperrimum & amariſſimum affectum pingit, qui Deum vndiq; auerſum, aduerſarium, implacabilem, inexorabilem, æternaliter iratum ſentit? Hic enim ſpes deſperat, & deſperatio ſimul ſperat, viuitque ſolus ille gemitus inenarrabilis, quo ſpiritus interpellat, incubans ſuper aquas tenebris opertas, vt Gene. 1. dicitur. Nemo hæc intelligit, qui non guſtarit, non aguntur hæc obiectis & phantaſmatibus, ſicut ſpeculatores ludere poſſunt quieti, ſed intimo immortalis vitæ, id eſt, animæ ſenſu: immortalis eſt quæ patitur, immortalia ſunt, quæ premunt, ſcilicet peccata, immortalis finis, propter quam fiunt, ſcilicet Deus reprobans, & immortales qui vrgent, nempe dæmones accuſantes coram Deo, vt Apo. 12. dicit.

Rom. 8. *Gene. 1.* *Apoc. 12.*

Atq; ita ex omnibus cauſis (vt vocant) materiali, finali, efficiente, formali, æterna & ineuitabilis eſt iſta tribulatio. Mitius enim patitur anima ex ea parte, qua temporalis & mortalis eſt, id eſt, per carnem & ſenſum: At ea parte, qua immortalis eſt, inconſolabiliter cruciatur. Voco mortalem & immortalem animam pro exprimenda rei natura, ne quis me capiet in verbo: Moritur enim anima huic vitæ, quæ tamen viuit immortaliter futuræ vitæ, ita mitius patitur ab hominibus, mundo, carne, quam à dæmonibus, qui peccatis, morte & inferno intentatis premunt. Mitius in paſſionibus ſenſualibus, quam conſcientiæ pauoribus & confuſionibus. Mitius propter ſatisfactionem pro peccatis & reconciliationem Dei ſperatam, quam propter æternam & immobilem præſcientiam Dei reprobantem.

Mortalis, immortalis anima.

Quare nemo putet eſſe vulgaris tribulationis verba iſta, Obliuiſceris, auertis in finem, non exaudis, nec exaudiri ſtatuis, deles me de memoria tua nunquam reſpecturus, atq; etiam (vt Hiob 9. ait) & cum inuocantem me exaudierit, non credo quod audierit vocem meam. Ac ſi dicat, adeo mihi inexorabilis apparet, vt ſi etiam quis præſumere poſſit me eſſe exauditum, adeo id non credo, vt nec auditam nedum exauditam vocem meam ſperem.

Hiob. 9.

Talem

Talem itaq; ſibi Deum ſentiens,ſibi relictus miſer facit,quod ſequitur,id eſt,æſtuat varijs conſilijs vndiq; tentans quo liberetur,multa conſilia molitus, *Conſilia quærere.*
Iſaie. 38. ſemper tamen manens ignarus conſilij.Sicut Ezechias apud Iſa.38. Quid dicam?aut quid reſpondebit mihi,cum ipſe fecerit? Deprehenſus enim inter anguſtias neſcit quo ſe vertat.Si ad Deum velit fugere,audit hoc,Auertis faciem tuam. Et,quid reſpondebit mihi,cum ipſe fecerit,Si ad alium,nullus alius eſt, qui poſſit eruere,quin omnia cum Deo contra eum ſtant atq; ita anguſtiæ vndiq; cogunt multa conſilia quærere,nec tamen ſinunt inuenire.Hoc eſt quod dicit,Quam diu ponam conſilia in anima mea? Eſt enim ea dictio,quæ Pſal.1.
Pſal. 1. conſilium impiorum dicitur,ſcilicet,ſtudia cordis,quibus ſeſe gerere & regere debeat.

Quæ autem ſint iſta conſilia afflictæ huius animæ,nemo nouit,niſi qui *Non hoc Sorbona docet.*
Hiob 9. patitur,Exemplum tamen nobis egregium præbet Hiob 9.per totum, vbi recenſet opera Dei magnifica & mirabilia,oſtendens,quomodo anima, in hac hora conſtituta varia cogitet,nunc aſſurgit videre,quæ in impijs fecit Deus, ſe conſolatura.Rurſum,dum ſua ſperat præterita bona conſiderari,iterum decidit dicens,Si innocentem oſtendero,prauum me comprobabit, Imo & hoc aſſerit,ſi etiam innocens coram eo quis ſit,poterit eum conſumere (ſic enim ſentitur)Vnde dicit,iuſtum & impium ipſe conſumit.Quaſi diceret,nihil refert,Iuſtus ſiue iniuſtus hic ſis,poteſt quemq; abijcere,nec poteſt hic inuenire, quid ponat inter pium & impium diſcriminis,cum omnia intelligat eſſe Dei libere data.Sed nec locus,nec virtus ſinunt,idem Caput digne tractare. Chri-
Matt. 8. ſtus eandem in cruce tulit tribulationem,quando ſe non habere dicit,vbi caput reclinet,Et perijt fuga à me,& non eſt qui requirat animam meam, Inquietudo enim,pauor,fuga,confuſio,hic regnant.

Dolorem in corde meo per diem,id eſt,triſtitiam,afflictionem,abiectionem(ſic enim Ebræus ſonat)per totum diem.Pauet enim, omni *Metuens pauet omni momento.* momento metuens abijci in æternum,dolorem facit ipſa anguſtia,quæ tribu-
Rom. 2. latum non ſinit fugere. Vnde Paulus,hæc omnia his verbis exprimit Rom.2. ijs,qui ſunt ex contentione,ira & indignatio,tribulatio & anguſtia,in omnem animam operantis malum,Iudæi primo & Græci.

Ponam conſilia in anima mea, Ebraice dictum eſt,ſicut poſui in ore tuo verba mea,Et,pone hoc in corde tuo. Poſui animam meam in manu mea. Quod latine diceremus:Capiam conſilia. Et in anima mea (id eſt ,cum meipſo) Quia non erat,à quo conſilium acciperem,cum nullus hominum hunc gemitum noſcat,nedum cõſulere poſſit.Solus ergo vt patitur,ita ſolus ſecum varia anxie conſultat,non eſt hic communicare conſilia, ſicut nec dolorem cordis,atq; idipſum vehementiſſime diſcruciat.In cæteris enim vſitatis tribulationibus inuenire eſt,qui ſimilia paſſi ſciant conſulere & conſolari.

Vſquequo exaltabitur inimicus meus ſuper me. Prius hoc tribuit Deo obliuiſcenti & auertenti,non exaudienti, Nunc tribuit inimico.Atq; hic iam in- *Exaltari inimicum.* cipit victoria inclinare ad tentatum,& finis fieri tentationis,Pars enim victoriæ,eſt ſenſiſſe inimicum in hac tentatione, ac illo ſuperiorem iam fieri. Etſi enim ordinante Deo inimicus exaltatur,tamen in media tentatione non apparet inimicus,ſed ſolus Deus omnia facere. Atq; id etiam ſatagit inimicus, vt tentatus non ſibi, ſed Deo tribuat ſoli. Sicut in Chriſto crucifixo oſtenſum eſt,quem blaſphemijs eo pulſabant,vt Deo odibilis eſſe videretur.
Pſal. 3. Sic Pſal.3. Multi dicunt animæ meæ,non eſt ſalus ipſi in Deo eius. Inimicum autem non nominat,ſed generaliter loquitur, diabolum tamen intelligit, & *Chriſti anguſtia.* eius ſtudia,ipſe enim in hac tentatione proprie regnat. Vnde ſunt qui &

Chriſtum arbitrentur ſæpe paſſum eſſe hanc tentationem, præſertim in horto.

Locus ex capite Iohan. 12.

Et Iohan. 12. vbi dixit: Et nunc anima mea turbata eſt, & quid dicam? Pater ſaluifica me ex hac hora, ſed propterea veni in hanc horam, Pater clarifica nomen tuum. Mira verba, & certæ anguſtię plena. Vide, vt & hic ponit conſilia in anima ſua turbata. Primo, Quid dicam? Deinde orat, Saluifica me, Rurſus negat, Propterea veni in hanc horam, donec diceret, Pater clarifica nomen tuum, Hic tandem finita eſt pugna, quæ à Diabolo facta eſſe, nulli debet eſſe mirum. Nam Lucas 4. ſcribit, Diabolum, cum eum in deſerto tentaſſet, ab eo receſſiſſe ad tempus. Ex quo eliciunt illi, nec inepte, fuiſſe eum deinceps ſæpius tentatum, Nec enim audiendi ſunt, qui nobis ipſum, quaſi inſenſibilem truncum fingunt, quem oportet omnibus tentationibus, ſicut purum & verum hominem, credere, ſubiectum fuiſſe ſicut & ad Diſcipulos dicit, Vos eſtis, qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis. *Luc. 4.*

Chriſtus ſæpius tentatus &c.

Itaq; cognitio inimico iſta operante, incipit mox diuinæ miſericordiæ radius micare, & animam confortare ad accuſandum inimicum, & bene ſperandum de Deo, quod in turbine procellæ medio non potuit, Ideo & hæc vltima pars eſt querelæ, inimicum exaltari ſuper eum.

Reſpice, & exaudi me Domine Deus meus, Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte.

Perſeuerantia in oratione.

Diſtinctionem verſuum (quæ apud nos confuſa eſt) Ebræam ſequor, Quam longe ecce alius affectus, qui prius querebatur ſeſe fruſtra oraſſe, Deum oblitum & auerſum non exaudiſſe, nunc perſeuerans obtinuit fiduciam exaudiendæ orationis ſuæ. Sicut Chriſtus Luc. 11. de perſeuerantia orationis docuit, inter amicum recuſantem, & alium perſeuerantem. Sic enim & Deus aliquantulum recuſat, niſi enim fideret ſe exauditum iri, non oraret. Quare iam pene victor emergens, finem orat tentationi & ſeſe reſpici, cum iam reuera reſpectus ſit & exauditus. Neq; enim nos ante reſpici oramus, quam ille reſpiciat, ſed vt reſpicientem ſentire per cordis pacem & fiduciam valeamus, qui nos per gratiam præuenientem reſpiciens, fecit vt reſpici & exaudiri peteremus, Vt ſit non ſolum gratia Dei miſerentis, ſed & pax miſericordiam intelligentis hominis. *Luc. 11.*

Contra quatuor mala postulat 4. bona.

Reddit autem ſingula ſingulis, Quatuor queſtus eſt mala, ita quatuor poſtulat bona. Reſpice pertinet ad illud, Vſquequo obliuiſceris, Q. d. non modo non videbas me, ſed nec memor eras, At nunc non ſolum memento mei, ſed etiam propius accede, & reſpice, vt tanto ſit amplius redditum bonum, quanto fuit atrocius malum, Reſpice autem tropo Scripturæ, effectum Dei miſerentis ſignificat, ſicut de verbo, Exurgere, dictum eſt Pſalmo præcedente, & præſentiorem gratioremq; effectum reſpicere, quam meminiſſe ſignificat, ſicut aſperiorem non meminiſſe, quam non reſpexiſſe, tam pulchra & propria Antitheſi componit mala tolerata bonis accipiendis.

Exaudi me Domine Deus meus, pertinet ad illud, Vſquequo auertis faciem tuam à me? Ac ſi dicat, Auerſus eras ac inexorabilis, tanquam ſtrictus ſeuerus iudex nihil aliud facturus, quam damnaturus me, Non modo non audiebas, ſed ne audires, auertebas faciem. At nunc factus Dominus Deus meus, eſto non tantum conuerſus, vt audias, ſed etiam exaudias, nihil aliud facturus, quam me ſeruaturus, vt ſic pro irato iudice clementiſſimum Deum habeam.

Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte, Pertinet ad illud

Quam

Digitized by Google

Quam diu ponam conſilia in anima mea, dolorem in corde meo per diem?
Auerſa enim facie Dei à nobis, ſtatim ſequitur, turbatio, confuſio, caligo men- *Caligo mentis.*
tis & conſilij ignorantia, qua velut in tenebris palpamus, & vndiq; quærimus, *Illuminatio conſiliorum.*
quo effugiamus. Ita ſi leuet lumen vultus ſui ſuper nos, & conuerterit faciem
ſuam ad nos exauditurus, rurſus illuminantur oculi noſtri, & plena ſunt o-
mnia conſilijs vberrimis, Ambulans enim in die non offendit, quia videt lu-
cem huius mundi. Accedimus ſic ad eum & illuminamur, & facies noſtræ
non confunduntur.

Ad illud, Vſquequo exaltabitur inimicus meus ſuper me? per- *Exaltabitur inimicus meus.*
tinet quod ſequitur: Nequando dicat inimicus meus, præualui ei. Hic vero ad-
Pſal. 4. dit, Ne quando obdormiam in morte, periculum commemorans. Dormiam
enim, ea dictio eſt, quæ Pſalmo 4. requieſcam, & per Hieronymum, dormiam
reddita eſt ibi, In pace ſimul requieſcam, & dormiam, Id eſt, iacebo mortuus
in pace cum Patribus meis. Ita enim, quia in ſpiritu loquitur, & vſus Scriptu-
ræ ſic habet, dormiendi verbo, non ad corporalem ſomnum, ſed ad mortem
ſignificandam vtitur.

Et vt dixi, hoc verſu tangitur vis huius tentationis, quæ eſt intentatio *Intentatio mortis & inferni præſentiſſima.*
mortis & inferni præſentiſſima, & intolerabili amaritudine vrgens, & (vt Eze-
Iſaie 38. chias dicit Iſa. 38.) Portæ inferi iamiam abſorpturæ in puteum æternum. Sicut
alio loco dicit, Neq; vrgeat ſuper me puteus os ſuum. Quare petit, ne dormi-
at in morte, id eſt, ne moriatur, & iaceat mortuus, æterna morte. Quod latius
Pſal. 6. Pſal. 6. ſic dicit, Quoniam non eſt in morte, qui memor ſit tui, in inferno au-
Pſal. 4. tem quis confitebitur tibi. Cuius contraria ſententia eſt illa Pſal. 4. In pace in
idipſum dormiam & requieſcam, Dum enim lumen vultus Dei ſuper eum
eſt, lætus eſt, & in pace moritur, At vbi auerſa facie ſinit eum conſilijs in ani-
ma ſua æſtuari, dolens metuit ne in morte moriatur, Id eſt, inquietiſſima &
æterna confuſione, ſicut puluis turbine raptus agitetur.

Proinde hic verſus, lux eſt huius Pſalmi, clare oſtendens hanc tentatio- *Tentatio fidei, ſpei, &c.*
nem eſſe in rebus ſublimibus, fidei, ſpei, charitatis, vbi diffidentia, deſperatio,
odium, blaſphemia, & ſimilia inferni damnatorumq; portenta acerbiſſima
certant contentione, cum fide, ſpe, & charitate. Nihil eſt libidinis, iræ, ſuper-
biæ, auaritiæ, cum caſtitate, mititate, humilitate, largitate, negotium, imo rabi-
es perſecutionis corporalis, ſiue ſit ignis, fames, gladius, ignominia, ad hoc
malum comparata, Vnde & hic intelligi oportet, ideo ſe timere mortem,
quod non ſit in ea laus & memoria Dei, ſed odium & blaſphemia, id quod
vnice exhorret.

Ne quando dicat inimicus meus, præualui aduerſus eum, Qui
tribulant me, exultabunt ſi motus fuero.

CVm hic ſit vnus verſus in Ebræo, ſententia clarior erit, ſi in
medio ponatur coniunctio, Et, pro Tautologia, elucidanda, hoc modo:
Ne forte dicat inimicus meus, potui ei, & tribulatores mei exultent, quod
Pſal. 129. motus fuerim. Nam verbum, potui ei, ſeu præualui aduerſus eum, Pſalmo 129.
ſic reddidit: Etenim non potuerunt mihi, Sic enim Ebræis dicitur, id quod
prævalere aduerſus quempiam, nos dicimus. Idem ergo eſt inimicos iactare *Præualui aduerſus eum.*
ſe præualuiſſe, & tribulatores exultare illum eſſe victum, quod vtiq; fieret, ſi
Pſal. 6. in morte obdormiret. Eandem ſententiam & Pſalm. 6. in eoſdem dicit, Di-
ſcedite à me omnes, qui operamini iniquitatem (id eſt, Auen ſeu dolorem)
Pſal. 38. quoniam exaudiuit Dominus deprecationem meam. Et 38. Ne quando
ſupergaudeant mihi inimici mei, & dum commouentur pedes mei ſuper me

magna loquantur, Vbi eiſdem pene verbis eadem ſententia dicitur, vt patet.

Inſultatio dæmonum grauiſſima.

Iſta eſt iactantia & inſultatio dæmonum, quales in Chriſto crucifixo per Iudæos euomebant, Si filius Dei es, deſcende nunc de cruce, Saluum fac teipſum, Liberet eum ſi vult. Vbi exaltatur inimicus, vt verſu quatto queſtus fuit, Quod ne fiat, aut non in perpetuum irrecuperabiliter fiat, hoc deprecatur. Quod cum ab hominibus fieri moleſtiſſimum ſit in victorijs his nugacibus rerum temporalium, Incomparabiliter atrocior eſt confuſio, ſi fiat à dæmonibus in his victorijs rerum æternarum. Quod & vltimum eſt malorum, quod dicitur, Væ victis, vbi malis & afflictionibus additur ignominia, inſultatio & iactantia, quæ acrius ſolet vrere, quam ipſa pugna, imo quam ipſa cædes & caſus, Quo ſymbolo docemur, quid faciat æterna confuſio victis. Quomodo autem dæmones exultent, quos credimus damnationem ſuam vbiq; ſecum ferre, alijs relinquo explicandum. Satis abundant exempla, fuiſſe eos ad lapſum Sanctorum gauiſos, Et ſi exempla non eſſent, tamen huius Scripturæ autoritas ſufficit ad rei veritatem aſtruendam fidelibus.

Væ victis.

Dæmones ad lapſum Sanctorum gaudent.

Ego autem in miſericordia tua ſperaui, exultauit cor meum in ſalutari tuo, Cantabo Domino, qui bona tribuit mihi, & Pſallam nomini Domini altiſſimi.

HÆc vnus verſus in Ebræo ſunt, Et particula vltima, Et Pſallam nomini Domini altiſſimi, aſſuta eſt ex Pſalmo 7. Ebræus enim alteram partem verſus ſic finit: Qui bona tribuit mihi, ſeu, vt ad verbum reddam, Quoniam reddidit ſuper me. Itaq; tria membra habet prior pars, Speraui in miſericordia tua, Exultauit cor meum in ſalutari tuo, Cantabo Domino, de quibus affectibus Pſal. 5. abunde dictum eſt.

Pſal. 7. *Pſal. 5.*

Opponere autem videtur hæ inimicorum ſuorum iactantiæ, Ac ſi dicat: Illi iactant ſe præualuiſſe, exultant me ſuccubuiſſe. At ego non de mea virtute, ſed de tua miſericordia me iacto, & exulto non in mea victoria, ſed in tuo ſalutari, id eſt, ſalute, qua me indignum, longeq; alia meritum, ſaluum feciſti per miſericordiam tuam. Vt Emphaſis ſit fortis in dictionibus, miſericordia tua, & ſalutari tuo.

Omnes coram Deo peccatores.

Quibus iterum inculcatur, quod ſæpius inculcandum eſt, propter ignaros Dei, & ſuperbos hypocritas, Neminem ſcilicet non inueniri peccatorem damnabilem coram Deo, nec poſſe ſubſiſtere ante faciem aquilonis huius dæmonum, quantumlibet ſanctus & plenus bonis operibus ſit, quæ in illo ſubito faciunt ſordere ſuis accuſationibus potentiſſimis, Niſi ſyncera fide & ſpe, de ſuis meritis & dignitate deſperans, puriſſimam gratuitamq; miſericordiam Dei apprehendat, & firmiter teneat, eaq; ſola ſeſe confidat ſalutem conſecuturum, Vt ſic ſtet occaſio cantandi ſoli Domino, non nobis, qui indignos mera miſericordia ſaluos fecit, in qua ſalute exultare cor poſſit. Nam ſi aliud prodeſſet ad ſalutem, quam miſericordia Dei, idipſum ſine dubio & hic poſuiſſet, Imo queſtus fuit, vniuerſa conſilia animæ ſuæ, inter quæ & de meritis ſuis tractauit, non niſi dolorem ei præbuiſſe, Adeo miſericordia ſola neceſſaria, & nihil ſecum patitur, in quo ſimul ſperet homo. Hoc enim eſſet diuaricari pedes, & claudicare in duas partes, & more Samaritanorum ſimul Deum & idolum colere, quem nemo colit, niſi fides ſyncera & vnica in vnicam miſericordiam ſuam, Alioqui non ſoli Domino cantabitur, gratiæq; agentur, ſed & idolo noſtro, quod cooperatum fuerit, quod abſit.

Non nobis, ſed Domino cantandum.

Miſericordia Dei nihil ſecum patitur.

Quoniam

Quoniam reddidit, Non hic merita digni,condigni,congrui
oporter ſomniare,ſicut hoc verbum retribuere,ſeu reddere accipimus, Quod *Retribuere.*
enim per miſericordiam ſolam redditur,indignis & gratuito redditur,cui de-
betur cantus,laus & gratiarum actio, Quod vero meritis redditur,ſine miſeri-
cordia,imo exigente iuſticia,vbi laus debetur & cantus operanti,non redden-
ti,Quia impij Doctores his peſtibus doctrinæ ſuæ, extinguunt exultationem *Contra Doctores,*
Mich.2. cordis & ſuauitatem Dei in hominibus,& auferunt laudem eius,Sicut Mich.2. *merita iactantes.*
dicit: Mulieres populi mei eieciſtis de domo delitiarum ſuarum,id eſt,de con-
ſcientia exultante in ſalutari dulcis miſericordiæ Dei,& laudem meam tuliſtis
à paruulis earum in perpetuum. Stat ſententia, omnium hominum more *Qui in Benefactore*
quoq; firmata,eos in Benefactore lætari,cantare,benedicere,qui ſe gratis ad- *lætentur.*
iutos intellexerint,quod quãto magis in Deo præſtandum eſt,vt intelligamus
& faciamus,Sciendum,quod ea quæ in tentationibus amiſerat, ſiue amiſiſſe
videbatur,poſt cumulatius,reddente Deo,receperit.

Proinde retribuere potius amiſſionem meritorum,quam acquiſitionem *Retribuere.*
reſpicit,ſi Scripturæ vſum obſerues,ſeu mutationem potius rerum, dum De-
us occidit & viuificat,peccatores facit & iuſtificat. & omnino aufert omnia,
vt omnia reddat, Quam crucis ſcientiam qui non habent,coguntur iſtis ſo- *Somnia de meritis*
2.Tim.4. mnijs agitari de congregandis meritis, quæ præmijs congruis, condignis, di- *& præmiis eorum,*
gnis compenſentur,etiam apud Deum.Nam & illud Apoſtoli: Repoſita eſt *qui ſcientiam cru-*
mihi corona iuſticiæ,quam reddet mihi in illum diem iuſtus Iudex,potius re- *cis neſciunt.*
feram ad aduerſarios pertinere,quam ad ſua merita,hoc modo: Deus cum ſit
iuſtus Iudex, reddet mihi in illo die coronam pro ſtercore. quo me in hoc
die confundit mundus,Huic vero pro ſua gloria,qua in hoc die ſuperbit ini-
quus,reddet & mutabit ignominiam in illo die. Vt omnino ſignificet aliud
auferendum & aliud reponendum,vtrunq; gratuita miſericordia,ſicut Ieſus
Zach.3. ſacerdos apud Zachariam 3.exuitur veſtibus ſordidis,in quibus aduerſabatur
ei Satanas,& induitur mutatorijs,vt ibidem dicit.

Id quod mihi & ebraice, Alai,ſuper me,dicitur,eadem dictio eſt,quæ ſu-
Pſal.7. pra: Vſquequo exaltabitur inimicus meus ſuper me? Et Pſal.7.Secundum in-
nocentiam meam ſuper me. Vbi rectius dixiſſemus,Secundum innocentiam
meam mihi,quam ea quæ ex Hieronymo docuimus & præſumpſimus cum
eadem dictio motum ad locum duntaxat ſignificet,vt & Pſal.38.Dum com-
Pſal.38. mouentur pedes mei,ſuper me magnificauerunt.ita & ibi: Iudica ſecundum
innocentiam meam ſuper me,ſeu iudica ad me,ſeu mihi, Vt ſuper me ad ver-
bum iudica,non ad innocentiam, copuletur.

PSALMVS XIIII.

Ad victoriam Dauid.

Dixit inſipiens in corde ſuo, Non eſt Deus, Corrupti ſunt & abominabiles facti ſunt in ſtudijs ſuis, non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum.

HI duo verſus ſunt vnus Ebræus, Et particula, non eſt vſq; ad vnum, ſuperfluit hoc loco, quæ tertio verſu ſemel ponitur. Ebræus ſic: Dixit ſtultus in corde ſuo, non eſt Deus, Corrupta & abominabilia fecerunt ſtudia, non eſt faciens bonum. Vbi ſtultus ſingulari numero per Synecdochen ponitur proroto populo, quia ſequitur, fecerunt, pluraliter.

Pſalmus hic ex Gene. cap. 6. ſumptus eſt.

Eſt autem hic Pſalmus ex Gene. 6. ſumptus, vbi ſimilibus verbis dicitur, Corruptam eſſe terram à filijs hominum, & Dominum reſpexiſſe ſuper filios hominum, & iniquitatem ſeu malitiam, quæ hamas ebraice dicitur, id eſt, iniuriam, vim, oppreſſionem præualuiſſe, Quod hic dixit plebem deuorari. Quare eiuſdem hiſtoriæ ſeries hunc Pſalmum pulchre illuminabit, quia generationem impiorum ſimili corruptela, ſiue deſcribit in præſenti ſiue prophetat in futurum præualere, Semper enim talis generatio durat, licet aliquando atrocius ſæuiat. *Gen. 6.*

Scopus huius Pſalmi.

Nihil ergo hoc Pſalmo de perſecutione piorum, nec de falſis Magiſtris loquitur, ſed ſcopus eius eſt, mores & vitam peccatorum, ſiue generationis prauæ, deſcribere & oſtendere. Omnes homines eſſe peccatores & malos, qui extra gratiam agunt, Vt qui non niſi in ſuperbia, libidine, rapina, fraude, cæde, & ſimilibus peccatis viuunt, licet hæc omnia nitantur colorare, aut negligant obſeruare. Et in hunc ſcopum, adducit eum Paulus Rom. 3. *Rom. 3.*

Ignorantia Dei fons omnium malorum.

Primum malum, fons ſcilicet omnium malorum, eſt ignorantia Dei. Qui enim in primum præceptum peccat, nullum aliorum non præuaricatur. At cum in primo præcepto omnia præcepta pendeant, indeque regulentur & agantur, deinde nullum aliud pluribus modis, nec pluribus hominibus violetur, Ex eo ipſo facile eſt intelligere, quam pauci ſint boni, & inter filios hominum non eſſe vnum qui faciat bonum. Nam vt non omnes adulterentur, aut libidinentur in opere, aut occidant, omnes tamē eadem communi incredulitate in primum præceptum peccant, & data occaſione libidinantur, occidunt, omneq; malum faciunt, Itaq; omnis filius Adam, eſt Nabal iſte, id eſt ſtultus & idolatra, ignarus Dei, vt hic dicitur,

Nabal.

Locus ex cap. ad Rom. 1.

Non autem hoc intelligendum eſt, quaſi prorſus nihil de Deo ſciant, cum Rom. 1. doceat, Nomen Dei eſſe manifeſtum omnibus, Niſi enim eſſet notitia diuinitatis inextinguibiliter omnibus hominibus indita, nunquam fuiſſet idolatria inuenta Cur enim idola coluerunt, niſi quod diuinitatem aliquam eſſe omnes perſuaſum habuerunt? Quomodo eam tribuerent hominibus, dæmonibus, & ſic veritatem Dei in mendacia verterent, ſi eam non eſſe putaſſent? Aut quomodo eos honorare præſumpſiſſent, quibus nihil, id eſt, diuinitatem nuſquam exiſtentem, tribuiſſent? Cognouerunt ergo, Sed in hoc errauerunt, quod veritatem Dei commutauerunt in mendacium, & econtra, mendacium in veritatem Dei, hoc eſt, id quod vere Deus eſt, tribuerunt homini, aut creaturæ, Et è diuerſo, quod non eſt Deus, ſed mendacium, tribuerunt Deo; Quod fecerunt, & adhuc faciunt, qui opus & verbum Dei non intelligentes, blaſphemant, & dæmonibus tribuunt, Rurſum placita ſua, ſiue verbum ſiue opus, etiam ex dæmone ſuggeſtum, Deo tribuunt, frequentiſſimum omnium malorum. *Rom 1.*

Spiritus meus non indicabit &c. Gene. 6.

Nam nec illi Gen. 6. ſcribuntur Deum ſic ignoraſſe, quod nihil de eo ſcierint, cum iuſticiæ Præco Noe illis Deum prædicaret, Sed Spiritus meus inquit, non permanebit in hominibus iſtis in æternum, quia carnes ſunt, ſeu vt Ebræus, Spiritus meus non iudicabit, non diſceptabit cum eis, non habet

operatio-

operationem ſuam in eis, quia crucifixionem carnis reſpuunt. ideo Spiritus mei iudicium non ſuſtinent. Quibus verbis ſiue per Noe, ſiue (quod magis credo) per alios quoq; dictis idem voluit, quod hic Pſalmus, ſcilicet publice arguens eos eſſe carnes, & ſine ſpiritu, id eſt, abominabiles & corruptos, non facientes bonum vſque ad vnum.

Ita hic in ſpiritu loquens, facie contempta, & renes ſcrutans ac corda dicit, Nabal iſtum negare Deum, non in ore & geſtu & pompa externis, vbi Deum etiam præ veris Dei amatoribus iactat ſe noſſe ſed in corde, id eſt, intimo *Inſipiens negat Deum eſſe corde &c.*
affectu, cuius cæcitatem mox ſequitur cæcitas quoq; mentis, vt nec recte de Deo cogitet, nec loquatur, nec operetur. Sicut Pſal. 11. dictum eſt, Et Paulus
ſl.11 Tit. 1. Dicunt ſe noſſe Deum, factis autem negant Hi ergo ſoli habent Deum, qui in Deum credunt fide non ficta, Cæteri omnes ſunt ſtulti, & dicunt in corde ſuo, Non eſt Deus.

ALterum malum (ſcilicet riuus, imo gurges malorum, qui ex hoc incredulitatis fonte prorumpit) eſt omnia eorum ſtudia (id eſt, quid *Studia hominum omnia praua, &c.*
quid cogitant, ſapiunt, dicunt, faciunt, ſtatuunt, aut quouis modo agunt)
t.1. eſſe praua & abominabilia Quaſi iuxta Paulum Tit. 1. dicas. Immundis nihil eſt mundum, ſed inquinata eſt eorum mens & conſcientia. Atq; ita vno ver-
om.14. bo breuiter pronunciat vniuerſam vitam incredulorum, vt Rom. 14. *Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt.* Dictio enim, ælila (quæ hic pro ſtudijs eſt red-
ſal.9. dita, ſicut & Pſal. 9. Annunciate inter gentes ſtudia eius) generale nomen eſt, vt omnia ſignificet, quæ quis gerere poſſit conſilia, conatus, verba, opera, vt omnia aut per fidem probata & grata, aut per incredulitatem praua & abominata eſſe intelligamus, quæcunq; homo poteſt, aut facit. Nam & Apoſtolus Tit. 1. cum rationem redderet, quare nihil eſſet mundum immundis, & inquinatæ eſſent eorum mens & conſcientia, non aliam dedit, quam quod eſſent increduli, & per hoc abominari, & ad omne opus bonum reprobi.

Quid ergo hic dicturi ſunt, qui opera moraliter bona, & neutralia commenti ſunt? Profecto aliud nihil, quam quod corrupta ſtudia & abominata & *Opera moraliter bona & neutralia.*
immunda & inquinata & infidelia fingunt ſibi, idem eſſe quod non meritoria, nec demeritoria nec peccata, nec tamem merita. Sic enim miſeri loquuntur deceptores, timorem Dei extinguentes, hominibus palpantes, & gratiam
om.14. fidei minorantes. Sed reſiſtit eis etiam ipſorummet ſenſu Apoſtolus Rom. 14. vbi omne, quod non eſt ex fide peccatum vocat. Hic enim ipſi fidem conſcientiam intelligunt, optime loquentes, nec minus ſalubriter quam Caiphas prophetauit, niſi quod ſuum optimum verbum, ſicut & ille, non intelligunt. Si enim homo aliquid faciens, aut viuens, quod non credit Deo placere, id eſt, contra conſcientiam ſuam eſt, ædificat ad gehennam, iam vere omnia eo- *Quod non ex fide peccatum eſt.*
rum opera & ſtudia, quæ contra conſcientiam faciunt, id eſt, quæ non ſunt ex fide, ſeu quæ non credunt Deo placere, ædificant ad gehennam, Quod & veriſſimum eſt, Oportet enim Chriſtianum hominem credere ſeſe in omnibus placere Deo.

QVAndo autem hic locus nos vocat de fide & operibus loqui, paululum verboſitati dandum eſt. Sicut fecimus de ſpe & *Digreditur, de fide & operibus &c. dicturus.*
paſſionibus, Pſal. 5. Facturi idem de charitate & beneficijs vbi locus fuerit.

Principio hoc certum eſt, inter præcepta Dei ſummum, maximum *Primi præcepti opera.*
& primum eſſe id, quod in decalogo Moſi primo loco ponitur: Ego Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti, Non habebis Deos alienos

coram

coram me, &c. Cuius præcepti opera ſunt propria, & (vt vocant) elicita & immediata, credere, ſperare, diligere, timere Deum, & ea quæ Dei ſunt. Quæ opera noſtri appellant habitus & actus elicitos, Ideo in mortuam literam lapſi, deputant eis opera externa, vt labijs orare, genu flectere, & id genus alias cæremonias. Qua Theologia excæcati non poſſunt intelligere verba diuinæ Scripturæ, vbi de opere Dei, fide, ſpe, charitate, timore, docent. Maior enim Scripturæ totius pars hoc agit, vt opus Domini, id eſt, fidem commendet, Vt Iſa. 5. Opera Domini non reſpicitis. Et Iohan. 6. Hoc eſt opus Dei, vt credatis in eum, quem ille miſit. Et Pſal. 81. Iſrael, ſi audietis me, non erit in te Deus recens, nec adorabis Deum alienum. Q. d. hoc erit opus, cultus Dei, ſi audias, ſeu credas, id eſt eſt, fides, vere latria & primi mandati primum opus.

Scriptura fidem maxime commendat.

Eſaiæ. 5.
Iohan. 6.
Pſal. 81.

Quare qui Scripturas volet intelligere, oportet, vt relicto philoſophico Theologorum ritu, vocabulum, opus Domini, tanto ſtudio diſcat introrſum trahere ad actus animæ, quos illi elicitos uocant, quanto illi extrorſum traxerunt ad actus (vt dicunt) imperatos & mediatos, aut quo magis excæcantur, ad opera creationis extra à Deo perfecta.

Sicut autem nihil facit, qui primum præceptum omittens, omnia alia inferiora tam diuina, quam humana ſeruat, Ita nihil facit, qui quæcunq; bona facit, & mala omittit, ſi non credit in Deum. Cum ſicut primum præceptum eſt, metrum, menſura, regula, virtus omnium aliorum præceptorum, in quo tanquam in capite, omnia membra pendent, viuunt, vegetantur: Ita fides, opus eiuſdem præcepti, eſt caput, vita & virtus omnium aliorum operum & veriſſime vniuerſale illud reale, quod eſt vnum in omnibus, vt nullum opus ſit bonum, niſi fides ipſum operata fuerit, imo niſi fide, vt fermento nouo, penitus imbutum ac perfuſum fuerit.

Fides eſt virtus & caput omnium operum.

Fides autem eſſe nullo modo poteſt, niſi ſit vivax quædam & indubitata opinio, qua homo certus eſt ſuper omnem certitudinem ſeſe placere Deo, ſe habere propitium & ignoſcentem Deum in omnibus quæ fecerit, aut geſſerit, propitium in bonis, ignoſcentem in malis. Quid enim eſt fides, quæ non eſt talis opinio? Talem probat Apoſtolus Ebræ. 11. multis exemplis. Et Chriſtus in Euangelio facturus, Virtutem fere explorat primum, an credant eum poſſe & velle facere, Qui ob hoc ipſum ſcribitur Matth. 13. In patria ſua non potuiſſe multas virtutes facere propter incredulitatem eorum. Et 17. diſcipulos propter incredulitatem eorum dicit, non potuiſſe eijcere dæmonium lunaticum.

Fides quid ſit.

Ex his intelligitur vnde fluat illud Apoſtoli Rom. 14. Omne quod non eſt ex fide peccatum eſt. Et Tit. 1. Inquinatæ ſunt eorum mens & cõſcientia. Quare, quia ſunt increduli, cum ſola fides purificet cor (Acto. 15.) & impleat omnia mandata Dei. Et Eccle. 32. In omni opere tuo crede ex fide animæ tuæ, hæc eſt enim conſeruatio mandatorum Dei. Nota, in omni opere tuo crede: &, Fides eſt mandatorum Dei conſeruatio. Nonne noua noſtris Theologis ſententia? Idem Eccle. 9. Vade & comede in lætitia panem tuum, & bibe in bono corde vinum tuum, quia placent opera tua Deo. Vbi Ebræus dicit, kikebar raza ha ælohim eth maæſecha. Bar autem varie transferri poteſt: quoniam ſicut filius (ſiue electus, ſiue purus) placens Deo opera tua, vel ſic: Quoniam ſicut filij placentis Deo, opera tua. Vt ſit ſenſus. Eſto ſemper lætus & iucundus ſciens quod quidquid feceris, tale eſt apud Deum, qualis eſt dilecti & electi filij coram patre ſuo operatio, quomodo Malach. 3. dicitur. Et erunt mihi in die, qua ego faciam in peculium, & parcam eis, ſicut

Fide purificatur cor.

Rom. 14.
Tit. 1.
Actor. 15.
Eccle. 32.

Locus ex cap. 9 Eccle. expoſitus.

Eccle. 9.

Malach. 3.

ſicut parcit vir filio ſuo ſeruiendi ſibi. Sequitur, Omni tempore ſint veſtimenta tua candida, & oleum de capite tuo non deficiat, fruere vita cum vxore, quam diligis cunctis diebus vitæ vanitatis tuæ, qui dati ſunt tibi ſub ſole omni tempore vanitatis tuæ. Hæc enim eſt pars in vita & labore tuo, quo laboras ſub ſole. Vbi veſtimenta & oleum, licet multi non indigna tropologia pro operibus & lætitia accipiant, tamen ad literam puto dictum, quod diebus lætitiæ candidis veſtibus, ſicut in luctu, pullis & atris ſeu ſacco vti ſoleant, ſaltem eius Regionis homines, vt lætitiæ apparatum tam in victu, quam amictu ſignificet. Sicut & Chriſtus Matth. 6. Tu cum ieiunaueris, vnge caput tuum, & laua faciem tuam, id eſt, eſto lætus, &c.

Matth. 6.

PErnicioſiſsime ergo docent, qui illuminatos fidei Magiſtros ſeſe profeſſi, negant neceſſariam eſſe hanc fidem in omni tempore, imo in omne opus, fingentes nobis generalem quandam fidem in habitu, ſtertentem, ſeu mortuam potius, quæ pro tempore actum credendi eliceat. Quod enim tempus huic actui dabunt? an tantum inquiſitionis tempus? Verum ſtultitia poſſedit eos nimia, qua fidem & opus eius, cum cæterarum virtutum vſu contulerunt, vt quia non omni tempore orare, legere, pauperes viſitare, infirmos iuuare, imo nullum opus perpetuo & aſſiduo facere poſſumus, arbitrantur & fidem ſimili viciſſitudine, aliquando operari, aliquando quieſcere. Non intelligentes, quod in omni operum varietate manet ipſa eadem fides, in omni opere credens & confidens Deo ſeſe placere, ſeu potius illum ignoſcere, & propitium eſſe.

Sophiſtarum opinio de fide.

Fides ſemper manet, in omni opere credens Deo.

Error ergo eſt, fidem & opus eius, iuxta alias virtutes & opera collocare, quam oportet ſupra omnia eleuare, & tanquam inceſſabilem quandam & generalem influentiam ſuper omnia opera exiſtimare, qua mouente & agente, omnia moueantur, agant, vigeant, placeant, quæ ſunt in homine. Sic Samuel ad Saul 1. Reg. 10. nullum præſcripſit opus, ſed ait, Et inſiliet in te ſpiritus Domini, & prophetabis cum eis. Quando ergo euenerint omnia hæc ſigna tibi, fac quæcunq; inuenerit manus tua, quia Dominus tecum eſt. Itaq; in fide omnia opera ſunt æqualia, vtcunq; ſeſe obtulerint. Ipſa enim ſola eſt opus operum omnium. Vbi autem differentia operum fuerit, hic, vel fides deeſt, vel in oculis inſipientium apparet differentia operum aliqua eſſe. Credenti enim Deo, idem eſt, ſiue ieiunet, ſiue oret, ſiue fratri ſeruiat, in omnibus enim Deo ſe ſeruire nouit, & placere æqualiter, ſiue magna ſiue parua ſint opera, precioſa, ſiue vilia, breuia, ſiue longa. Nec eligit proprie aliquod opus, rurſus nec reprobat vllum, ſed, vt Samuel ait, facit, quodcunque inuenerit manus eius. Vbi autem fides non eſt, ibi feruet miſerrimum negotium, diſtinguendorum, eligendorum, reprobandorum operum, dum ſtulta & impia opinione credunt, ſe hoc opere minus, & illo magis placituros eſſe, quæ iniquitas plena labore, cura & ſolicitudine, Ebraice, Auen & Amal dicitur, Vt ſupra ſatis dictum eſt.

Omnia opera in fide æqualia.

1. Reg. 10.

Auen. Amal.

Horum impia ſtultitia eſt, quandam ſpirituali Simonia velle donum Dei emere. Hoc enim agunt, vt per & poſt opera fidem in Deo habeant, ſuiſq; ſtudijs propitium Deum faciant, dum econtra Deum propitium habere oportcat in fide primum, deinde in eadem fide operari bona, Vt ſit gratiæ præuenientis, non noſtræ virtutis merentis, quod placemus Deo. Non enim placere poteſt vllus Deo, quia operatur bona, ſed operatur bona, quia placet Deo. Vt cauſa operum bonorum ſit fides placendi Deo, non autem opera ſint cauſa fidei placendi Deo. Vnde & impoſſibile eſt eos non magis fidere in ſua opera, quam in Deum, & ſi (vt ſolent hypocritæ mentiri) iactent ſeſe in Deo

Donum Dei velle emere operibus.

Placens Deo operatur bona.

Simulatores fidei. Deo ſolo fidere. Ita ſemper circa fidem reprobi manent, ſimulantes perpetuò ſeſe confidere Deo: Incredibileq́; eſt, quam occultum, profundum magnumque malum ſit hoc vitium cordis humani, quod non modo bonis operibus ſeſe veſtit & alit, vſq; in inſuperabilem ac deſperatam peruerſitatem, ſed & ipſius fidei, cui ex diametro pugnat, titulo & precio ſeſe tum vendiiet, tum palpet in ſeipſo. Dauid in illud orat, Pſal. 51. Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis. Et 19. Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, & emundabor à delicto maximo. *Pſal. 51.*

Subtilis præſumptio. Si quis videre poſſet, quot ſpecioſiſſimos operarios perdat hæc nequitia, intelligeret illud Eccle. 8. Vidi impios ſepultos, qui etiam cum adhuc viuerent, in loco ſancto erant, & laudabantur in ciuitate quaſi iuſtorum operum. Deniq; vix eſt aliud naturalius homini vitium, & maiore cura eradicandum, quam ſubtilis iſta præſumptio, quæ ſemper nititur Deum præuenire & per opera ſua propitium facere. Ex quo monſtro naturali fluxerunt etiam impia illa dogmata in Eccleſia, quibus homines pro placando Deo & ſatisfaciendo pro peccatis, ad opera & indulgentias impelluntur, fide Dei penitus omiſſa. *Doctrina impia de ſatiſfaciendo pro peccatis.* Quin ego credo, id radicatiſſimi mali & ſpecioſiſſimi idoli in ſpiritu (vt Pſal. 32. vocat) non extingui, imo nec cognoſci quidem vnquam, niſi homo maioribus illis mortis, inferni, conſcientiæ, ſeu fidei, ſpei, prædeſtinationis, & id genus tentationibus vexetur. Cætera omnia augent potius, quam tollant, quantumlibet ſint magnæ virtutes, aut opera? *Pſal. 32.*

Opera omnia extra fidem peccata. EAdem pernicies eſt eorum, qui negant omnia opera extra fidem, facta, peccata eſſe, quam ſupra tetigimus. Quibus ſi dicas, An opus bonum factum in adulterandi, occidendi, furandi ſtudio, aut in rebellione, ſeu inobedientia, ſit peccatum, Sine dubio reſpondent peccatum eſſe. Cur ergo peccanti in primum præceptum, & faciendi opus bonum in obedientia Dei (id eſt, in incredulitate) tantum tribuunt, vt peccatum eſſe negent? An non eſt inobedientia Dei & incredulitas tantum peccatum, quantum eſt fornicandi ſtudium, ſeu caſtitatis neglectus?

Peccatum incredulitatis. Verum peccatum incredulitatis arduum & omnium naturaliſſimum eſt, imo natura ipſa factum, de qua dicitur, *Omnis homo mendax*, non poteſt in ſeipſo homo agnoſcere, ſed peccatum carnis & furti & homicidij, & rebellionis humanæ, quia in craſſa parte ſua, ſenſu & corpore geritur, facile intelligitur in parte ſua ſubtiliore, ſcilicet anima & intellectu, Sed ipſa anima ſuum incomparabiliter maius vitium & trabem in oculo ſuo non ſentit, ideo feſtucam corporis ſui facile videt, Sicut eſt ingenium hypocritarum, & omnium qui ſunt ſpiritu immundi, donec robuſtis & ſpiritualibus periculis mortis & inferni examinentur. *Pſal. 116.*

Calx aqua perfuſa. Sicut in ſimili, Calx friget, donec aqua perfundatur. Vnde recte Sapiens dicit. Initium, ſeu caput peccati, ſeu potius princeps & ſummum omnium peccatorum eſt apoſtatare à Deo. Cuius capitis velut membra ſunt rebelliones, libidines, cædes, furta, & quidquid peccatorum nominari poteſt, Quibus nos Deus velut monet, vt cogitemus, ſi hæc tam magna & fœda ſunt, quam magnum & fœdum ſit caput & regulus ille multipes & multiceps glirium iſtorum, incredulitas ipſa, imo Baſiliſcus, vt quod ſolo conſpectu omnia opera mortificet. Quid ergo ſunt multa opera bona ſine fide, niſi (vt Chriſtus ait) ſepulchrum dealbatum, intus plenum omni ſpurcitia & iniquitate? *Opera ſine fide, Matth. 23.*

Obicem ponere. COrruit & illa peruerſitas de obice ponẽdo vel tollendo vulgata, Si n. adulterari, aut furari, aut occidere, eſt obicẽ ponere quantulibet ſimul

ſimul quis bona operetur,aut ſeſe diſponat. Quanto magis non credere, eſt obicem ponere,etiamſi omnia interim opera bona faciat. Multo enim rigidius præceptum eſt,vt credamus in Deum,quam ne fornicemur, aut ne occidamus. Quare fidei,in prima tabula præceptæ,omiſſio,longe præpõderat iſtorum peccatorum commiſſioni in ſecunda tabula prohibitorum. Itaq; ſicut incredulitas fons omnium malorum, nullum ſinit opus bonum fieri,aut ſi fit,polluit,& ad omnia peccata pronum facit. Ita econtra. Fides fons omnium bonorum,non ſinit fieri malum,aut ſi fit,ſtatim tollit & purgat,& ad omnia bona opera pronum facit. Inde cum Adam & Heua incredulitate peccaſſent, mox libidinem ſeu fructum in membris ſenſerunt, Contra Iohan.7. Qui credit in me,ſicut dicit Scriptura,flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Et 2.Tim.2. Et diſcedit ab iniquitate omnis,qui inuocat nomen Domini.

Incredulitas fons omnium malorum, fides omnium bonorum.

Primi parentes incredulitate peccantes.

Quare nos fortiter teneamus primum præceptum eſſe caput & initium omnium præceptorum, & opus eius eſſe caput & initium omnium operum, totaq; via errare Philoſophiam moralem Peripateticorum,quæ dicit, Faciendo iuſta,temperata,efficimur iuſti,temperati,&c. Non ſic impij non ſic, Sed iuſti,temperatiq; facti,facimus iuſta & temperata. Iuſti autem efficimur per fidem,quæ credit Deum eſſe nobis propitium,quod vt crederemus, præcepit, dicens, Ego Dominus Deus tuus. Non habebis alium Deum coram me. Sicut autem credimus,ſic fiet nobis,neq; enim fides hæc fallitur,fallitur potius qui hoc timet,aut dubitat credere.

1. Præceptum caput eſt omnium præceptorum.

DIces autem, Quomodo poteſt fieri, vt in omnibus operibus credam me placere Deo,aut Deum mihi eſſe ſemper & perpetuo propitium,cum aliquando cum proximo loquar,bibam,comedam, rideam, ſed & iocer aliquoties,& iucundis ſermonibus mutuo nos conſolemur? Iam quid ſi peccem manifeſtario peccato,& ruam etiam grandi aliquo lapſu, vt iræ,libidinis,cupiditatis? Atq; quis eſt ille perfectus vir, qui non offenderit in verbo, vt Iacobus in ſua Epiſtola ait? Sed & tu ipſe doces, In omni opere bono eſſe vitium, Nunquid vitium Deo placere poteſt?

In omnibus operibus placere nos Deo, credendum eſt.

Reſpondeo,primum de operibus familiaritatis Hypocritæ qui opera Dei concluſerunt in ſuas triſtes anguſtias,rigidi & implacabiles cenſores ſunt eorum operum,quæ familiaritas honeſta facit,vt ſunt hilares conuictus,acute aut facete dicta,riſus & iocus humaniores. Nam de ſcurrilibus,cachinno,turpiloquio hic nihil dico,quando hæc humanitus inſtituta viuendi ratio probat. Verum cum vita iſta ſine conuictu non tranſeat,certe credere te oportet, Deo etiam placere,ſi fratrem hilariore vultu alloquaris,blandioſculo riſu inuitaris,nonnunquam & facetulo,aut arguto Dicterio delecteris.

Opera familiaritatis Deo nõ diſplicẽt.

Nam hæc nimirum eſt χρηστότης illa à Paulo ad Gallat.5.commendata, quam benignitatem ſeu ſuauitatem conuerſationis vocant, quam idem 2. Cor.6.exhibere nos iubet,dicens, Sed in omnibus exhibeamus noſmetipſos, ſicut Dei miniſtros,in multa patientia. Et Infra, In ſuauitate, In Spiritu ſancto, Vbi in ſpiritu ſancto addit,ne comitas iſta ſeu hilaritas, ſicuti vere ſolet, degeneret in leuitatem & effuſam ſcurrilitatem, ac licentiam quandam, quodlibet dicendi & faciendi,donec ex ſuauitate fructifera Spiritus ſancti, faciant ſuauitatem mortiferam ſpiritus immundi. Sic de S. Bernardo legitur, Qui fratrem triſtiorem ſolaturus,iocatus eſt in eum,ponens ei pedem in inſidijs,vt caderet,dicensq;, Factum ocioſum,ſed nõ ocioſe. Quod ſi quid etiam peccati (ſicut timendum eſt) per ignorantiam irrepſerit, vincitur tamen fide Dei,qua credimus nos ita placere,vt ignoſcat quod peccatum eſt, qui talem nobis ſe præbet,qualem credimus.

Galat 5. 2.Cor.6.

Suauitas conuerſatorum à Paulo commendata.

Bernardi iocus.

Digitized by Google

Peccata manifeſta. *Prouer. 24.*

De peccatis vero manifeſtarijs illud Prou. 24. dico: Septies cadet iuſtus & toties reſurget, Impij vero corruent in malum. Hoc enim diſtat iuſtus ab impio, Quod impius per opera præſumit Deum placare & vincere, vnde vbi ceciderit, nunquam reſurgit, quia aliam viam reſurgendi non habet, quam opera, quibus Deum flectat, ſicuti putat. Quod quia non poteſt fieri, pacem cordis non inueniens vnquam, neceſſario deſperat. Iuſtus autem, qui ſcit Deum non modo promiſiſſe & præueniſſe, ſed etiam præcepiſſe ante omnia opera in ſe credi & ſperari, nec ideo reſurgit, quia operibus nititur, nec ideo iacens manet, quia cecidit, ſed promiſſi & præcepti Dei memor miſericordiam propitiam ante oculos habet, quam ſolam ante oculos habere iuſſit, quando dixit: Ego Dominus Deus tuus. Sic Pſal. 26. facit, Quoniam miſericordia tua ante oculos meos eſt, & complacui in veritate tua. Ideo verbo & præcepto Dei ſuſtentatur, ne corruat cum impijs in malum deſperationis.

Impius. *Iuſtus.* *Pſal. 26.*

Impius & iuſtus contrario ſtudio nituntur & cadunt.

Sicut ergo diuerſo, imo contrario ſtudio nituntur, ita contrario fine cadunt. Impius nititur operibus in Deum currere. Iuſtus autem ſtudet, fide ex Deo venire & naſci. Ille proponit iuſticiam Dei ſuperare viribus ſuis, Hic miſericordiam Dei proponit, quæ ſanet omnes infirmitates eius. Et in hac re exemplum Patris & Filij prædictum adhibere oportet. Filius enim, ſi quando peccauerit, Patrem quidem timet, ſed fiduciam non ponit paternæ benignitatis, paratus tamen eſt humili confeſſione peccati portare diſciplinam paternam. Sicut ex Mala. 3. retulimus: Parcam eis, ſicut parcit vir filio ſuo ſeruienti ſibi. Et Pſal. 89. Viſitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus hominum peccata eorum, miſericordiam autem meam non diſpergam ab eo, neq; nocebo in veritate mea.

Malach. 3. *Pſal. 89.*

Quæſtio recentium Theologorum de peccato.

Prudens ac ſciens hic prætereo Theologorum recentium quæſtiones, An fides pereat per peccatum mortale, & quid ſit peccatum mortale? quod hæc res nondum maturuit, ignorantibus illis quid ſit fides, aut mortale peccatum, & ſibijpſis arrogantibus, Deoq; arbitrium pronunciandi rapientibus. Cum quanto peccato ſtet aut non ſtet fides. Secretum meum mihi, ait Iſaias, & ſecretum Domini timentibus eum, Pſal. 25.

Tertio, De peccatis in operibus bonis, concedo nullum eſſe opus bonum, quo Deo placere queamus, ſicut orat Eccleſia, dicens; Domine ſecundum actum meum noli me iudicare, nihil dignum in conſpectu tuo egi. Et iterum: Vt quid tibi placere de actibus noſtris non valemus, &c. Atque hæc ipſa eſt gloria & gratia fidei, quod ſola ipſa eſt opus placidũ, quod noſtra omnia placita facit, & omnia diſplicita tollit. Si enim cetera non eſſent peccata, nec diſplicerent, fide non eſſet opus, quæ interpellaret. Quare ex ipſius fidei, tum vi, tum neceſſitate diſcimus nobis eſſe deſperandum de vniuerſis operibus noſtris, & propoſita miſericordia Dei, cum iudicio Dei pugnare. Sicut Iacobus 2. dicit: Superexaltat miſericordia iudicium, id eſt, miſericordia gloriatur aduerſus iudicium, & plus poteſt fides miſericordiæ Dei pro iuſtificatione, quam timor iudicij Dei pro damnatione conſcientiæ noſtræ.

Gloria & gratia fidei, &c.

Miſericordia gloriatur aduerſus iudicium, Iacob. 2.

Proinde ſemper timendi cauſam habemus, dum omnia quæ facimus, mala ſunt, & per ſe damnabilia. Rurſum eodem timore occaſionem quoque habemus ſemper credendi, & contra timorem iudicij per fidem miſericordiæ pugnandi, triumphandi, & gloriandi, Vt ſtet illud Pſalmi: Beneplacitum eſt Domino ſuper timentes eum, & ſperantes ſuper miſericordiam eius. Sic 1. Iohan. 2. Sed & ſi quis peccauerit, Aduocatum habemus apud Patrem, Ieſum

Pſal. 147 *1. Iohan. 2.*

Digitized by Google

Chriſtum iuſtum,& ipſe eſt propiciatio pro peccatis noſtris. Eiuſdem 3. Si reprehenderit nos cor noſtrum, maior eſt Deus corde noſtro, & nouit omnia.

De cæremonijs.

EX his omnibus ſua ſponte noteſcit, quid de cæremonijs ſentiendum, & quatenus eis vtendum ſit, De quibus cum varie ſit diſputatum, etiam antiquis Patribus, & hodie multis penitus adorentur, rurſum alijs omnino contemnantur, pauca dicenda ſunt.

Sacramentum Eucharistiæ quo fine inſtitutum ſit.

Primum, certum eſt, in nouo Teſtamento vnas tantum cæremonias eſſe diuinitus inſtitutas, ſcilicet Sacramentum Euchariſtiæ, quod tamen & ipſum non alio fine factum eſt, niſi vt populus ad verbum Dei, & orationem conueniret, In quo ſimul, qui per verbum eſſent conuerſi & inſtructi, baptiſarentur, & accepto ſancto pane confortarentur, Cæteræ omnes Eccleſiaſticis decretis inſtitutæ & auctæ ſunt, donec Eccleſiam hodie aliud non eſſe permitterent, quam meras cæremonias, extinctis prorſus omnibus Dei mandatis.

Quare hic diſcere debemus, ne ad dextram, nec ad ſiniſtram declinemus, hoc eſt, ne cæremonias aut nimio æſtimemus, aut nimio contemnamus, ſed recta via & medio incedentes, pro tempore tum eas obſeruemus tum deſeramus, In qua re non erit, quod nos fidelius, certius, tutiusq́; ducat, quam ipſa fides & charitas, longe, inquam, certius, & fidelius & tutius, quam vniuerſæ omnium Pontificum & Doctorum diſpenſationes, Epijkiæ & interpretationes,

Cæremoniæ in hac vita neceſſariæ.

Sit ergo hoc poſitum, Quod hanc vitam ſine cæremonijs agi eſt impoſſibile, cum enim ſimus in corpore & medio temporalium rerum, differentias
Rom. 12. operum, locorum, officiorum, temporum, perſonarum, aliarumq́; rerum
1 Cor. 12. non poſſumus euitare, & (ſicut Paulus Rom. 12. & 1. Cor. 12. dicit) multa membra & vnum corpus, ſed non omnes eundem actum habent. Nam ſi tollas cæremonias omnes, vbi ſtabit vllum imperium, regnum, principatus, magiſtratus, aut vlla deniq; adminiſtratio mundi? Neq; enim domum aut familiam, nec liberos regere poſſis, niſi tempora, loca, officia, operaq́; diſtribuas, & ſtatis cæremonijs adminiſtres, ſed neq; teipſum, niſi certis horis, certis ſtudijs, certis locis tete exerceas; Neq; enim aliter corpus tuum te viuere ſinit, ſaltem quod ad fructum & ſalutem pertinet. Quid enim facias aut viuas, ſi nihil operis, loci, temporis, officij, perſonæ, tibi propoſueris.

Opera externa mandatorum Dei etc.

Deinde quid ſunt opera externa ipſa mandatorum Dei & totius Euangelij, quam quædam cæremoniæ? Quid eſt orare, ieiunare, vigilare, laborare manu, iuuare proximum, niſi cæremoniæ? Veruntamen cæremoniæ prophanæ, ſeu ritus politici & ſecularium rerum iura, ſiue conſuetudines, aut quocunq; nomine cenſeri debent, vt ſunt multo quidem neceſſariores & neceſſario plures variæq́;. Ita ſacræ cæremoniæ & ritus Eccleſiaſtici, ſeu iura rerum (vt vocant) ſpiritualium, ſunt multo periculoſiores, quod in his factis procliue ſit fiduciam vanam, aut omiſſis ſtultum timorem (id eſt peſſimam vtrinque conſcientiam) concipere.

Non fidendum cæremonijs.

Ipſa enim fides, quæ eſt in Deum, magnis fluctibus hic periclitatur, vbi non affuerit ſeruus Domini fidelis & prudens, qui ſciat ſeparare precioſum à vili. Si enim cæremonijs cœperit fidere, aut extra cæremonias diffidere, iam fides perijt, quæ cæremonijs vti debuiſſet, ſicut ſeſſor equo. Sed regnant ipſæ
Eccle. 10. ſolæ, ſeruiles, ſcilicet perſonæ, & (vt Eccle. 10. dicitur) ſeruus in equis, & principes ambulantes ſuper terram ſicut ſerui, periculum, inquam, eſt, ne cæremonijſta confidat ſeſe placere Deo per cæremonias, falſus earum ſacra ſpecie, & quod in his agantur, quæ ad Deum pertinent. Quod periculum in prophanis, aut nullum aut paruum eſt, & ita craſſum, vt qui in eo inflatus ſuperbierit,

bierit,etiam hominibus ſtulta confidentia, ſeu vt dicitur, Philautia notetur cum agantur in his,quæ ſunt mundi.

Cæremoniæ ſine fide & charitate,noxiæ ſunt,&c.

Quare cæremonijs in fide & charitate vtendum eſt,vt ſint vtiles,ſine quibus non poſſunt non eſſe noxiæ & perditionis occaſiones.Si enim omnia alia opera bona ſunt pernitioſa extra fidem,quanto magis opera cæremoniarum humanitus ſtatuta? Tunc autem fiunt in fide & charitate,quando non neceſſitate fui,nec quia bonæ,nec quia præceptæ ſunt, fiunt, ſed libertate ſpiritus, hoc eſt,ſi quis confidit ſe etiam in his Deo placere,quæ ex ſeipſis indifferentia ſunt,faciens hac fide ſua ſibi lucrum,ex re,quæ nec lucrum,nec damnum eſt, & ex non bona bonam.

Ad quod faciendum non mouetur,quod multa ſibi merita cogitet in his parare,Sed vna hac ſola cauſa,quod ei neceſſario viuendum ſit in corpore, quod cæremonijs carere non poteſt,licet ipſe eis prorſus non indigeat, abundet ſatur meritorum ex ſola fide ſua. Deinde,quod neceſſario ei conuerſandum ſit illis,qui vel prophanis cæremonijs opus habent, ſeculi huius perituram ſubſtantiam admiſtrare,vel ſacris cæremonijs tanquam paruuli & infirmi in Chriſto,tanquam ſub pædagogo legis corporalis,alendi fouendiq; ſunt, donec creſcant & ipſi in cognitione Domini noſtri Ieſu Chriſti,vt Petrus ait, 1.Pet.2.

Attemperandum moribus.

Vtriſq; enim debitor eſt ex charitate, vt ſeſe moribus eorum attemperet, cum quibus viuit,imo non ſolum attemperet,ſed etiam per hæc ſeruiat eis,ne ſtulta fiducia ſua infirmos aut ſecularem politiam contemnat, & ſic vtroſq; ſcandalizet,quod eſt contra charitatem.

Sic Chriſtus Matth.17.Ne ſcandalizaret publicanos Romanæ poteſtatis, Matt.17.
iuſſit Petro,vt ſtaterem ſolueret. Et Paulus Tit.3.mandat,vt poteſtatibus ſub- Tit.3.
diti ſint,dicto obediant,ad omne opus bonum parati ſint. Idem Rom.13 & Rom.13.
1 Pet.2.Subiecti eſtote omni humani creaturæ(id eſt,inſtitutioni)ſiue Regi,tã- 1.Pet.2.
quam præcellenti,&c.Non quod hæc neceſſaria ſint ad iuſtificationem fidelium,quorum iuſticia Chriſtus eſt,ſed vt in charitate ſeruiant omnibus hominibus,& hoc bono modo prouocent,alliciantq; ad Chriſtum infideles &

Alij exemplo.

malos,hoc eſt,(vt Tit.2.dicit)doctrinam Domini noſtri Ieſu Chriſti ornent Tit.2.
in omnibus.Et 1.Cor.10.Per omnia omnibus placeant. Sicut Apoſtolus ſe 1.Cor.9.
omnibus per omnia placere dicit,non quærens quod ſibi,ſed quod multis vtile ſit,vt ſalui fiant.

Cæremoniæ obſeruandæ propter adoleſcentes & imperitos.

Et ad noſtras cæremonias veniendo,Cum quotidie vtraq; generatione pueri & adoleſcentes in Eccleſia multiplicentur,quos impoſſibile eſt præ feruore ætatis & rerum imperitia per ſeipſos bene viuere,Opus eſt vt ſint parentes vtriq; eorum pædagogi,& daris cæremonijs eos ad pietatem exerceant,ne ocio aut licentia pereant. Vbi neceſſe eſt, vt & ipſi eaſdem cum illis ſeruent cæremonias exempli boni cauſa, & ea quæ ſibi ſuperflua quidem,ac neceſſaria non ſunt, propter illos tamen faciant, quibus neceſſaria
ſunt.Sic Apoſtolus 1.Cor.9.dicit,ſe factum eſſe Iudæum Iudæis,& Gentilem 1.Cor.9.
Gentibus,vt omnes lucrifaceret, & ijs,qui ſub lege erant, factus eſt ſub lege,
cum ſub lege non eſſet.Sic Deut.32.de Chriſto quoq; dicitur. Quod ſit ſicut Deut.32.
Aquila prouocans ad volandum pullos ſuos,& ſuper eos volitans.Si enim parentes aut maiores in Eccleſia omittant cæremonias in totum, aut eas contemnant,quomodo non ſcandalizabitur puer aut adoleſcens imperitior, qui hoc lactis exemplo alendus erat vſque ad perfectum & ſolidum cibum.

Iuſticia in fide ſita, non in cæremonijs.

Itaque hi,qui in Eccleſia maiores ſunt & ſpirituales,qui iam veritatem cognouerunt, Eſſe ſcilicet in fide ſola iuſticiam ſitam, & cæremonias eſſe nihil,

nihil, ſicut de circumciſione Paulus 1.Cor.7. dicit, debent hoc ſentire, quod in Chriſto Ieſu, & formam ſerui accipere, non faſtidire infirmos, qui cæremonijs adhuc indigent, aut aliquid eas eſſe credunt, ſed cum eis ire etiam duo alia millaria, & pallium adijcere, libertatem ſuam exinanire. Nec alio fine cæremonias ſeruare etiam ſtrictiſſime, quam ne offendant infirmos, aut ſcandalizent paruulos, quibus potius debent præire exemplo bono in ipſis adeo cæremonijs, donec perducant eos in eandem libertatis cognitionem. *Iuſticia in fide ſita, non in cæremonijs.*

NEc eſt quod iactet vllus ſeſe ſcire, Omnia eſſe neutralia & indifferentia & licita, ſolamq; fidem iuſtificare, cum hoc iam diu Apoſtolus præuenerit, dicens 1.Cor.8. Omnes ſcientiam habemus, ſcientia inflat, charitas autem ædificat. Et 10. Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt. Omnia mihi licent, ſed non omnia ædificant. Et iterum: Vt quid libertas mea iudicatur ab aliena conſcientia? Cur non expediunt nec ædificant omnia, cum liceant omnia? Scilicet, quod non omnes ſciunt omnia licere. Ideo mea ſcientia non poteſt quidem iudicari & damnari ab alterius ignorante conſcientia, Debet tamen ſeſe ſubmittere, & illius ignorantiæ ad tempus ſeruire, nec aduerſus eam inflari, vt potior ſit charitas ſeruiens illius ignorantiæ, ſeu infirmæ conſcientiæ, quam ſcientia inflata dominans eius ignorantiæ. Sicut Chriſtus pro nobis ad tempus mortuus eſt, ſeruiens peccatis & infirmitati noſtræ, ſicut Rom.5. dicit, *Scientia inflat, charitas ædificat.* 1.Cor.8.10.

Ad quod nos debet mouere, quod ſcientia iſta noſtra nos tutos reddit, vt opera cæremoniarum nobis non noceant, qui fide nos iuſtificari nouimus. Deinde, quod nos noſtra bona in Chriſto omnia habemus, nec iam curandum ſit, quo modo iuſtificemur. Ideo quidquid deinceps viuimus, proximo viuere debemus, ſicut Chriſtus nobis fecit, & cum omnia facere in bonum eorum debeamus, multo magis has cæremonias indifferentes. Atq; ita nulli quidquam debebimus, niſi vt inuicem diligamus, & ea charitate fit, vt omnia ſint bona, quæcunq; facimus, & tamen propter opera non quæramus iuſtificari, quod eſt vere Chriſtianum eſſe. *Proximo viuendum.*

QVod autem de paruulis & adoleſcentibus, per cæremoniarum vſum & exemplũ alendis diximus obſeruandum, Idem dicendum de peccatoribus conuerſis, quibus infirmam facit conſcientiam nimis magna illa cæremoniarum Eccleſiaſticarum tyrannis, ſine fine traditarum & adminiſtratarum. Imo hi forte, vt ſunt magis pueri & puſillanimes, ita magis indigent, vt opinio eorum, quã in cæremonijs iſtis habent, non ſcandalizetur, ſed paulatim ſanetur potius interim exemplo & opere earundem cæremoniarum cum eis ſtrenue impleto, donec adoleſcant & ipſi in eandem noſtram ſcientiam. *Tyrannis cæremoniarum Eccleſiaſticarum ſine fine cumulatarum.*

Quanquam tenera omni ſint maledictione digni Pontifices iſti Romani & Eccleſiaſtici tyranni, qui tacita fide Chriſti, ſuis legibus in infinitum multiplicatis, ſic illaqueant miſerrimas conſcientias Chriſtianorum fratrum, & his ſcrupulis, infirmitatibus, ſcandalis, quæ ſanare & tollere debebant, ſeu per legum ſuarum abrogationem, ſeu per fidei eruditionem, non niſi ad ſtabiliendam tyrannidem abutuntur. Atq; cum ipſi quotidie nihil eorum ſeruent in grauiſſimum ſcandalum infirmorum, non tamen omittunt inanibus, imo peſtilentibus traditionibus animas pauidas terrere, ſibi ſubijcere, expilare, & Chriſto penitus ſubtrahere.

Ferendæ ſunt quidem illorum leges, per fidem & charitatem, quantumlibet tyrannicæ & multæ, ſicut leges ciuilis politiæ, vt dictum eſt, & earum exemplo infirmis præeundum. Veruntamen deteſtandi ſunt ipſi impij *Conditores legum humanarum deteſtandi, &c.*

 conditio-

conditores legum, qui turbæ tantę non miſerentur, quaſi tantum ad condendas leges, tetendaſq; ſuis peſtiferis ſtatutis animas poſiti ſint. Ita fit, vt maiores, pontifices in Eccleſia aliud officium hodie non agant, quam quod conſcientias perplectunt, confundunt, illaqueant. Nobis autem imponitur, vt perplexas componemus, confuſas ſolidemus, pauidas quietemus. Sic tamen, vt tyrannidi eorum carnifici non reſiſtamus, volunt enim ius, imo opus conſcientiarum perturbandarum prorſus illæſum haberi. Et impletum eſt illud Sap. Vnus ædificans, & alter deſtruens. Quid prodeſt illis, niſi labor? Vere enim quidquid verbi Dei inferiores præcones ædificant, hoc ſuperiores verbi hominum tyranni deſtruunt. En tibi, Petre, primatum tuum, & monarchiam Eccleſiaſticam. *Eccl. 34.*

Paruuli ætate & Adoleſcentes cæremonijs opus habent. FAciamus Epilogum, Cæremonias operantur primum paruuli in Chriſto (id eſt, pueri, adoleſcentes, iuuenes) hos oportet à maioribus non contemni in his operibus, ſed exemplo, licet ſibi ipſis non neceſſario, iuuari. Sic enim charitas eorum in Spiritu quidem ab his libera eſt, nec confidit, ſi ea fecerit, nec diffideret ſi omitteret. Sed exterius in corpore ſeipſam in ſeruitutem dat proximis, vt eos lucrifaciat, & à peccatis quibus feruent, exemplo bono & regimine cuſtodiat, & ſic implent legem Chriſti. Ab ijs qui tolleret cæremonias, aliud non faceret, quam ſi gladium poteſtatis mundanæ tolleret, & mundum aduirteris, homicidis, furibus & omnibus ſceleſtis impleret, Nam hi timore & legum carcere concludendi ſunt, vſq; ad Chriſtum, vt Paulus Gallat. 3. docet. *Gal. 3.*

Paruuli in fide. Infirmorum habenda ratio hærentium adhuc in cæremonijs. Secundo, paruuli in fide, etiam ſi ſint ſenes qui timore peccati & conſcientiæ ea faciunt, nondum habentes hanc ſcientiam libertatis, hi inſtruendi ſunt in fide, & ſinendi in operibus eiuſmodi hærere, quæ ſubito dimittere non poſſunt, Donec agnoſcant non in eis, ſed in ſola fide iuſticiam eſſe. Proinde valde cauendum, ne cæremonias horum vituperemus antequam erudiantur, ſicut quidam ſolent nimium confidenter. Optime faciunt, quod cæremonias & humanas traditiones vituperant, ſed peſſime faciunt, quod animarum, quæ in eis hærent infirmæ, non magis rationem habent ſanandarum & molliter explicandarum, quam cæremoniarum vituperandarum.

Similes ſunt hi fatui illis, qui ſi amicum funibus implicitum collo cernant, præcipiti zelo in funes ferantur, & toto impetu eos detrahant, & amicum ſuffocant potius, quam expediunt, vbi potius oportuiſſet funus molliter *Recte legibus humanis vtendum.* & lente, primum diſſoluere, & ſic amicum liberare. Ita cum leges hominum vi tollere nequeamus, ſenſim ipſe animus erudiendus eſt, quomodo eis recte vtatur. Ita Paulus 1. Tim. 1. dicit, legem eſſe bonam, ſi quis legitime vtatur, ſcilicet, ſi ſciat quod iuſto non eſt lex poſita. Cum enim credentibus etiam peſſima quæq; cooperentur in bonum, quanto magis traditiones, quantumlibet noxiæ, his qui ignorantes ſunt, cooperantur in bonum, ſi quis eis legitime vtatur.? *1 Tim. 1.*

Vſus cæremoniarum verus, fides & charitas. Vſus autem non eſt alius legitimus, niſi fides & charitas, vt dictum eſt. Non tamen per hoc Legiſlatores ſunt excuſati, Sicut quod ego morte, contumelia, rapina, & omnibus malis legitime vtor in bonum meum, non ideo occiſor, calumniator, raptor, perſecutor meus excuſatus erit. Ita Pontifices eccleſiaſtici ſuis legibus peſtiferis, rei ſunt omnium animarum, etiam earum, quæ legibus eorum legitimæ vſæ, bonum ſuum operatæ ſunt.

Leges hominum in Eccleſia, quo loco habendæ ſint. Nec dubites, formeſq; tibi conſcientiam ſecuram. Leges hominum in Eccleſia, non alio loco eſſe habendas, quam inter plagas & phialas iræ Dei, ſicut gladium Turcarum, ſicut peſtem corporis, ſicut famem terræ. Et quo-

modo

Digitized by Google

modo in his malis te habere doceris, ita te habe in legibus hominum. Quomodo enim te habes in malis iſtis? Primo, vteris eis, tanquam remedijs peccatorum tuorum, in patientia ferens hoc flagellum Dei. Deinde vteris tanquam præſeruatorijs medicinis, quod his malis preſſus multa facis & omittis, quæ liber nec faceres, nec omitteres. Ita leges hominum multiplicatas in flagellum tuum non dubites, & ex paſtoribus tuis factos eſſe carnifices tuos certus eſto, quorum violentia preſſus & vexatus, ſi patiens fueris, multa omittes & facies, nunquam alias omiſſurus & facturus. Quis eſt enim, qui noceat vobis (ait S.
1. Pet. 3. Petrus) ſi boni æmulatores fueritis? boni, id eſt, Bonæ rei, ſeu bonitatis, ſeu id quod bonum eſt (ne amphibologia quenquam fallat) Verum hoc faciunt ij, qui ſcientiam legis habent legitimumq; eius vſum, boni ſcilicet æmulatores, Paruuli autem & infirmi hæc non capiunt, ideo pereunt per hos Animicidas pontifices & Seminiuerbios.

Tertio faciunt opera cæremoniarum Moab & Amon, & cultores vitulorũ Beth Auen, & qui confidunt in monte Samariæ. Hoc eſt, qui de operibus & in operibus ſuis gloriantur, cæci cæcorũ duces, nec opus habentes eruditione fidei, ſicut primi, præ nimia ſapientia & iuſticia ſua, quibus ſicut Elihu
Tertio cæremonias faciunt, qui in ſuis gloriantur operibus.
Hiob 32. (Hiob 32.) pleni ſunt, ceu vas plenum muſto & abſq; ſpiraculo. Nimirũ diſrumpuntur hi præ ſapientia & iuſticia, quos proprie hic & omnes Pſalmi arguunt, de quibus ſæpe diximus. Hi ſoli ſunt arguendi dure ſecundum Apoſtolum, nec petunt vnquam doceri, ſicut ſecundi, ſed ipſis totus mundus minor eſt, quam vt ſufficiat eorum eruditioni. Hic eſt populus ille Behemoth, cuius
Populus Behemoth.
Hiob 41. Prouer. 30. cor induratur ſicut incus, Hiob 41. Et palpebræ in altum ſurrectæ, Prouer. 30.

Quarto, Faciunt iſta operarij, de quibus diximus, ſpirituales, viri in fidei libertate & charitatis ſeruitute, vtentes illis non niſi ad exercitandum corpus in hac vita, ſicut quolibet alio artificio prophano, aut ad prouocandos, promouendosq; paruulos & infirmos, exemplo bono, cauendumq; à ſcandalis eorum, donec formetur Chriſtus in eis. Hoc nimirum eſt, quod Paulus, vbi differentes Dei donationes commemorat, tantum curat, vt vnitatem
Quarto viri ſpirituales cæremonijs incumbunt.
perſuadeat, Quod ſciat nedum diuerſas cæremonias, ſed & ipſa dona ſpiritus, ſi prudentia carnis & Satan inter filios Dei fuerit, fortiſſime contra vnitatem pugnare. Ex omnibus his colligimus, quod coram hoc genere hominum, cæremonias nec laudare nec vituperare opus eſt.
Vnitas eſt ſeruanda.

At coram tertio vehementer ſunt deteſtandæ & vituperandæ, quod in eis infeliciſſimi homines fidunt, Quo fiunt ſtulti iſti, qui dicunt in corde ſuo, non eſt Deus, abominabiles & corrupti in omnibus ſtudijs ſuis, vt nec ſemel bonũ operentur. Quod vbi feceris, irritabis contra te vniuerſum corpus Behemoth cum omnibus ſquamis ſuis, tibiq; dicent: Tu es Hæreticus, ſeditioſus, irreuerentialis, ſcandaloſus, Quia negaſti bona opera, & Canones ſacros Patrum, & conſilia Eccleſiæ, quæ non poteſt errare.
Cæremoniæ quando, & coram quibus laudandæ, aut vituperandæ.

Coram ſecundo genere ſunt modeſtæ laudandæ, & ad tempus, ne ſcandalizetur infirmitas eorum, quæ cum prompta ſit meliora facere, nondum tamen poteſt nec capit, in gremio materno ſouenda eſt, ei conniuendum, & quæ laudant laudanda, quæ faciunt facienda, qua beneuolentia capti, credant & ſequantur meliora.

Coram primo genere ſunt vehementer laudandæ, & exigendæ, quod rudes illi timore ſolo poſſunt moueri ad bonum, & terreri à malo, Simul tamen ingerenda ſyncera fidei & libertatis doctrina, quam ſpiritus hauriat, olim fructiferam futuram, vbi corpus cæremonijs attritum & exercitum, didicerit

Digitized by Google

ſpiritui mollius ſubijci & ſeruire, ſedatis affectibus, iuueniliter inſoleſcentibus & furentibus.

Nec iſta ſint mirabilia in oculis noſtris,eaſdem cæremonias tam varie tractari.Nonne & cibus ac potus aliter crapuloſis, aliter infirmis, aliter ſanis, ac temperatis,aliter ſuperſtitioſe ieiunantibus docetur ac tractatur? Crapuloſis vituperandus,infirmis molliter ſuadendus,ſuperſtitioſis vehementer laudandus,ſanis ac temperatis in arbitrio relinquendus. Atq; vt pernicioſiſſimus eſt œconomus,qui ſine delectu ab omnibus domeſticis exigat eandem ciborum voraginem aut parſimoniam: Ita peſtilentiſſimus eſt Eccleſiarum magiſtratus,qui eaſdem farragines legum ſuarum,ab omnibus æquali obedientia extorqueat.Hic enim plurimos occidat neceſſe eſt.

Ex his omnibus prudens Chriſtianus accipiat,qua Regula in cæremonijs viuere debeat,quoq; alijs conſilio prodeſſe in eiſdem. Primum,vbi non eſt certus de tertio genere hominum,caueat ne cæremonias vituperet,aut eum,quem videt in his incedere,iudicet. Quis enim ſcit,an ex neceſſitate (vt primi)aut ex infirmitate(vt ſecundi)aut ex libertate(vt quarti) in eis incedat? Iudicaſſe autem aliquem horum,nonne Chriſtum iudicaſſe eſt? Quod ſi monaſteriorum greges bis tribus generibus abundarent, nihil eorum multitudo noceret. At nunc fere abundant,tertio & infeliciſſimo genere Cæremonijſtarum,quorum in Eccleſia oportuit,ne vnum quidem monaſterium,aut Collegium eſſe,cum non niſi onus & ſcandalum ſint populo Dei, Sed quis omnes malos de terra auferet? In terra ſumus,terræ quoq; hominibus conuerſari cogemur.

Lutheri conſilium de vſu cæremoniarum. Addemus vnum & finem faciamus. Si quis ſentiat ſeſe in operibus cæremoniarum fiduciam habere,audax ſit,& ea aliquando intermittat,nec in hoc requirat Pontificum diſpenſationem aut poteſtatem. In his enim quæ ſunt fidei,quilibet Chriſtianus eſt ſibi Papa & Eccleſia,nec poteſt ſtatui,aut ſtatutum teneri aliquid, quod in fidei periculum cedere quoquo modo poſſit. Quod ſi conſilium in hac re cum proximo voluerit communicare, quo audentior ſit virtute verbi illius, Si duo ſuper terram conſenſerint ſuper quacunque re,&c. optime facit. *Matt. 18.*

Hæc dico, Quod ſciam quam pertinax malum ſit fiducia operum noſtrorum & periculoſa legum humanarum ſuperſtitio in fidei ſynceritatem. Vide *Omnia libera, omnia ſerua.* ergo,quam omnia ſunt libera nobis per fidem, & tamen omnia ſerua per charitatē,vt ſimul ſtet ſeruitus libertatis,& libertas ſeruitutis,quod nulli quidquam debemus,niſi vt diligamus inuicem. Sic Chriſtus Iohan. 10. dicit: Ego ſum oſtium,per me ſi quis introierit,ſaluabitur,& ingredietur & egredietur,& *Iohan. 10.* *Ingreſſus in Chriſtum & egreſſus.* paſcua inueniet. Ingreſſus in Chriſtum eſt fides,quæ nos colligit in diuitias iuſticiæ Dei,qua Deo iam ſatis facientes iuſti ſumus,nullorum operum egentes ad iuſticiam parandam. Egreſſus autem eſt charitas, quæ nos iuſticia Dei indutos diſtribuit in obſequia proximi,& exercitium proprij corporis,ad ſuccurrendum alienæ paupertati,vt & ipſi per nos attracti nobiſcum ingrediantur in Chriſtum. Sicut enim Chriſtus exuit à Deo,& attraxit nos, nihil quærens in omni vita ſua quod ſuum eſſet,ſed quod noſtrum: Ita vbi fide ingreſſi fuerimus, & nos exire oportet,attractuti & alios,nihil quærentes, niſi vt omnibus ſeruientes,multos ſaluemus nobiſcum.

Autor redit ad inſtitutum. VT autem ad Pſalmum redeamus. Satis conſtat,incredulis nihil eſſe mundū,ſed quia caro ſunt,& ſpiritus Domini non regnat in eis, ſtudia quoq; eorū putrida,ac talia prorſus eſſe qualis eſt caro,fœda ſcilicet corrupta & abominata,id quod ipſa non tantū in morte,ſed etiam in vita

ſatis

ſatis oſtendit ſuis multiuarijs corruptionibus. Eſt autem in Ebræo vtrunque verbum actiuum, Corruperunt & abominauerunt (ſi ſic liceret dicere) ſtudia ſua, ſeu melius in tranſitiuo tertij, Corrupta & abominata ſtudia fecerunt, cum ſit idem verbum Gen. 6. Omnis caro corrupit viã ſuam, id eſt, fecit vt eſſet corrupta. Vbi ne noſtri (vt dixi) Neutralenſes negent omnem viam ſtultorum eſſe corruptam & abominatam, addit, Non eſt qui faciat bonum, vt prorſus nihil boni, ſed omnia mala eſſe in hominibus doceat.

Dominus de cælo proſpexit ſuper filios hominum, vt videat ſi eſt intelligens, aut requirens Deum.

Gen. 6. ÆMulatione Moſi (Gen. 6) hic verſus dicitur, Ille enim dicit, Videns autem Deus, quod multa malitia eſſet hominum in terra, Et iterum: Cumq; vidiſſet Deus terram eſſe corruptam. Vult enim æmulatione verbi, etiam æmulationem morum exprimere, Vt ſicut iſti, illos ante diluuium, moribus referunt, ita eiſdem verbis arguantur, ſed alio fine. Illi enim diluuio perditi ſunt, Hi vero in agnitionem peccatorum ſuorum prouocantur, vt meliore Baptiſmi diluuio ſeruentur. Sic enim agit Paulus,
Rom. 1. 2. 3. Rom. 1. 2. & 3. cauſans omnes eſſe peccatores, Iudæos & Græcos, vt omnium Deus miſereatur. Vnde & hic Pſalmus finit dulci promiſſione dicens: Quis dabit ex Zion ſalutare Iſrael? Cum auerterit Dominus captiuitatem plebis ſuæ, exultabit Iacob & lætabitur Iſrael.

Dicitur autem, Deus de cœlo proſpicere ſuper filios hominum, contra inſipientiam ſtulti, qui dicit, Deum non eſſe, Ac ſi dicat, Non ſolum eſt Deus, ſed etiam videt, imo proſpicit omnia, hoc eſt, viſu penetrat & pertingit ad omnia. Deinde ne quis ſtultos illos & corruptores ſtudiorum putet eſſe vnius alicuius angeli homines, inter quos ſolos non ſit qui faciat bonum, extendit ſententiam generaliter ad omnes, dicens, De cœlo Dominum proſpicere, vnde omnes homines in terra proſpicit, ac nullus eum latet Sic Gen. 6, vidit terram totam corruptam eſſe. *Proſpicit de cœlo Dominus ſuper filios hominum.*

Et filios hominum dicit, in quo æque vniuerſitas hominum intelligitur, In quibus verbis duo occulte innuuntur, Primum, vnus filius hominis, in quo ſolo omnes filij hominum iuſtificentur, propter quem & Scriptura tropum hunc ſeruat, vt filios hominum pro hominibus frequentiſſime dicat. Quod & ille ſit homo, ſed non filius hominum, cæteroſq; omnes eſſe & filios hominum & peccatores, in peccatis hominum conceptos & natos. Verecundum eſt enim, & mite os ſpiritus ſancti, qui cum peſtilentiſſimos dicere poſſit homines, mitiore titulo accuſat, quod ſint filij hominum, in quo ſatis eſt comprehenſa, licet tenui vocabulo, vniuerſa miſeria & malitia hominum. *Filius hominis. Filij hominum.* *Mite os Spiritus ſancti*

Alterum, Quod aliter apparent homines in conſpectu Dei, & aliter in conſpectu hominum, In conſpectu Dei non gloriatur omnis caro, ait Apoſtolus, Rom. 3. Pulchre indicans vtrumq; hunc conſpectum intelligi, in hoc verſu, cum dicitur, Dominus de cœlo, non homo de terra, hoc vidiſſe & iudicaſſe. Nam homines inuicem non modo non vident (ſaltem in omnibus) ſtudia ſua eſſe corrupta, ſed etiam laudant quandoq; & prædicant magna gloria, qualia ſunt, ingenia, artes, facinora, moraleſq; virtutes (vt vocant) Inter cætera vero omnia, nonne id quod omnium peſſimũ eſt, omnium maxime celebrant? Quis n. bellorum gloriam (id eſt, humani ſanguinis effuſionem) non ſummam virtutis inter homines poſuit? Quid ſunt Homerus, Virgilius, & reliqui Heroici Poetæ, niſi incitatores, inflammatores, iactatores cruentiſſimi crudeliſſimiq; homicidarum, tyrannorum, truculentiſſimorumq; hoſtium ſanguinis *Rom. 3.* *Peſſime celebratur gloriam malorum.* *Homerus. Virgilius.*

ſanguinis & generis humani? Ita vt periculum ſit Chriſtiano homini, ſi hoſtium libros legat, ne vel affectum cruente huius gloriç imbibat, aut cædibus tantis humani generis, mellita titillatus eloquentia, imo innata ſanguinis humani ſiti perditus, delectetur.

Filij hominum inſaniſſimi.

Vt ergo taceam, ſpurciloquos Poetas & carmina venerea, Si in omnibus alijs hominum filij eſſent integri, Nonne ſola belli libido eos ad vnum omnes inſaniſſimos merito probaret? Quantus eſt quæſo iſte furor? quanta caligo, de ſtrage, clade, ſanguine, cæde & omni malorum chao, quod bellum infert, etiam gaudere, cantare, laudare, vbi ſanguineis lachrymis, omnes plorare conueniebat, præſertim vbi non mandante Deo, ſed inſaniente libidine dominandi & poſſidendi belligeratur, ſicut gentes fecerunt, & faciunt, & hodie, proh dolor, Chriſtiani, populi pacis, filij Dei, crudelius omnibus gentibus faciunt.

Furioſa laus furioſorum

Poetæ ſunt hominum peccatorum laudatores.

Sit ergo iſta laus Homero & ſimilibus, vbi Horatius dicit, Poſt quos inſignis Homerus, Tyrtæuſq; mares animos in martia bella, Verſibus exacuit. Modo Chriſtianus ſciat hanc furioſam furioſorum laudem eſſe in conſpectu filiorum hominum inſignem, cæterum in conſpectu Dei abominantiſſimam. Atq; id eſt quod Poetis hominum peccatorum laudatoribus accidere omnes confitentur, vt pleniore & feliciore vena inſaniant, quando aut Martis, aut Veneris opera tractant, quam ſi pacis, aut caſtitatis, aut quæuis diuina tentant, adeo impatiens eſt ſpiritus ille, quiſquis eſt quo agitante caleſcunt, pacis & quietis: Ac ſi aquas Siloah, quæ fluunt cum ſilentio, compares ad aquas fluminis fortes & multas, vt Iſa. 7. & 8. facit. *Iſa. 7. 8.*

Prophetis reuelantur opera hominum.

Ebræus, & hic verbo tranſitiuo dicit, Dominus proſpicere fecit. In quo oſtendit, non ſolum proſpexiſſe Dominum ipſum, ſed & alios feciſſe proſpectores, hoc eſt, Prophetis reuelauit, qui filijs hominum annunciarent, quid eſſent & facerent coram Deo, alioqui quomodo potuit Noe ſcire, terram eſſe coram Deo corruptam, niſi Deus reuelaſſet? Nec hoc tacuit Scriptura, cum dixit, Corrupta eſt autem terra coram Domino. Coram Domino inquit, quod coram filijs hominum longe aliud videretur, ita, vt fide opus fuerit in his verbis, ſicut & Paulo opus eſt credi, quando omnes in vniuerſum peccato- *Rom. 3.*
res arguit, & inanes gloria Dei, eadem loquens ex reuelatione.

Incognita cauſa nemo iudicandus eſt.

SImul hic commendatur locus ille communis, Ne quem iudicemus temere incognita cauſa, aut non conuicta, Quod nec ipſe Dominus filios hominum inutiles pronunciet, niſi prius proſpiceret, nec ſolum proſpiceret, ſed videret & cognoſceret, Sic enim ait, Dominus proſpexit, vt videret, ſicut Gen. 11. Deſcendit Dominus, vt videret ciuitatem & turrim, quam *Gen. 11.*
ædificabant filij Adam. Et 18. Deſcendam, & videbo, an clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint, an non eſt ita, vt ſciam. Semper enim Dominus præmiſit nuncios, qui hominibus peccata eorum aperirent, & minas intentarent, quoties aliquod inſigne facere voluit. Sic Ionas Niniuitis miſſus eſt, Sic Elias ante iudicium venturus creditur, & multa talia. Vnde Amos 3. Non fa- *Amos. 3.*
ciet Dominus Deus verbum, niſi reuelauerit ſecretum ſuum ad ſeruos ſuos Prophetas.

Ionas.
Elias.

Si eſt intelligens aut requirens Deum. Non eſt coniunctio, aut in Ebræo, maleq; ponitur. Ponenda autem fuit potius coniunctio, &, licet nec ipſa in Ebræo ſit, pro linguç idiotiſmo, cum ſit ſenſus copulatiuus, Intelligens & requirens Deum. Fœcunda eſt Ebræa lingua verbis intelligendi, ſciendi, ſapiendi, quorum exactam & conſtantem differentiam ego non auſim profiteri.

Tales

Tales inquam ſtultos hoc vocabulo pingere videtur Propheta, quod nullus ſit in filijs hominum eruditus ſeu ſapiens, Ac ſi dicat: Non ſolum ij, qui præ cæteris rudiores ſunt, non ſunt intelligentes, Sed & ij, qui multa garriunt, ſicut amici Hiob, Elihu, Balaam (quorum ſapientiæ, aliorum ruditati comparatæ, non eſt numerus) nihil intelligunt, quia nunquam ea guſtu aliquo vitæ & experientiæ cognouerunt. *Amici Hiob. Elihu. Balaam.*

32. Ad hanc ſignificationem verbi mouet, quod & Pſal. 32. in titulo ſcribitur: Intellectus, ſeu eruditio Dauid, & multis alijs Pſalmis, in quibus ipſa vita & experientia eruditi videntur loqui, experientia inquam, non naturæ vitio, ſed gratiæ dono exercitata. Eſt autem abſoluta locutio, Non eſt intelligens, neq; enim addit, quid non intelligat, Deum ne an alia, vt hanc abſolutam eruditionem vitæ vſu paratam intelligamus, quæ facit, vt homo in omni rerum & doctrinarum ſorte, & prudenter iudicet, & recte ſapiat de Deo & omnibus, Quare fit vt idoneus ſit & alios recta docere, vt non inepte hoc vocabulo imprudentes & garrulos Magiſtros argui intelligeremus, Sicut ſequenti, Non eſt requirens Deum, auditores ſeu imitatores. *Abſoluta eruditio vita vſu parata.*

Requirens Deum. Hoc verbo prauitatem affectus taxat, ſicut præcedente cæcitatem mentis, quod vbi non eſt vera Dei notitia, nec verus amor eſt, omnes enim quærunt quæ ſua ſunt, ait Apoſtolus, excepta ſola charitate, quæ quærit non quæ ſua ſunt. Et hoc vitium cordis humani ſubtilius eſt, quam vt cognoſci ab homine poſſit, de quo ſæpe diximus. Hæc n. duo, non intelligere, non *Charitas non q... ſua ſunt, quær...*
d.5. quærere Deum, includunt omnia illa monſtra, quæ Pſal. 5. dicta ſunt, Impietatem, malignitatem, iniuſticiam, mendacium, quia per hæc, inquinata eſt eorum mens & conſcientia. *Non intelliger... non quærere Dei...*

Caueamus ergo, ne intelligere hoc loco accipiamus, pro iſtis ſpeculationibus hominum, qui multa, grandia, ſingularia de rebus diuinis fabulari didicerunt, ſed qui pauca multo vitæ vſu ſic apprehenderunt, vt de omnibus omnium iudicent, &, vt vocant, animam legis intelligant. Nec requirere Deum ſit, oratiunculis, aut repertis opuſculis, quouiſue alio proprio ſtudio ad Deum comprehendendum niti, &, vt dicunt, pro æterna ſalute facere bona meritoria. Sed hoc eſt quærere Deum, in omnibus nihil ſuorum quærere, omnia in gloriam Dei & commodum proximi, tam facere, quam pati, id quod eſt abnegare ſemetipſum cum omnibus ſuis, ſeruum aliorum fieri, ſumma ſcilicet in Deum & homines pietas. Contra quam nemo acrius pugnat, quam viri ſanguinum & doloſi, qui Deum qu⸗rere ſibi videntur, & ſeipſos qu⸗runt. *Requirere Deum. Abnegare ſeipſ... Pieta ſumma in Chriſtum & homines.*

Quare non ad opera, ſed ad effectum & votum hominis, h⸗c verbum quærendi aptemus, & videbimus in filijs hominum non eſſe qui quærat Deum, ſed omnes eſſe aut manifeſtis peccatis malos, aut doloſa ſpecie peiores. *In filijs hominum nemo eſt qui Deum quærit.*
a.3. In hunc modum Paulus hunc locum Rom. 3. inducit, tam contra gentes manifeſtarios peccatores, quam contra Iudæos vmbratiles ſanctos dicens: Cauſati ſumus Iudæos & Græcos omnes ſub peccato eſſe, ſicut ſcriptum eſt: Quia non eſt iuſtus quiſquam, non eſt intelligens, non eſt requirens Deum, Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum. Vbi Apoſtolus per hanc particulam: Non eſt iuſtus quiſquam, quæ hoc Pſalmo non ponitur, colligere & exponere videtur ſenſum primi verſus, Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus: Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in ſtudijs ſuis, non eſt qui faciat bonum. Niſi per non eſſe quenquam iuſtum, voluit idem, quod non eſſe qui faciat bonum. Et videmus, quod non adducat ſcripturam ad verbum, ſed ad ſenſum tantum.

Vbi

Digitized by Google

Liberum arbitrium.

Vbi nunc eſt liberum arbitrium? vbi virtutes morales? vbi prudentia & ſcientiæ practicæ directrices hominum in agibilibus? Vitia ſcilicet ſunt naturæ, ſeu potius dona Dei, per vitia naturæ, id eſt, cæcitatem mentis nihil intelligentis, & prauitatem affectus non quærentis quæ Dei ſunt, inquinata, abominata & reprobata.

Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum.

QVantis ecce ſuperfluis verbis intonat, vt omnes homines inuoluat & neminem excipiat. Primo, omnes ait, Deinde, ſimul, Tertio, non eſt etiam vnus. Eſt autem aduerbium ſimul, Ebraiſmus, quo multitudinem in vnum collectam ſignificat, vt Pſal. 122. Cuius participatio eius in idipſum, id eſt, Ieruſalem aſſociatur ei ſimul cum omnibus qui in ea ſunt. Et Pſal. 34. Exaltemus nomen eius in idipſum, id eſt, omnes in vnum ſimul congregati, ita hic, ſimul inutiles ſunt, id eſt, omnes in vnum ſumpti. *Pſal. 122.* *Pſal. 34.*

Simul inutiles facti ſunt.

Et reſpectum Prophetæ obſeruare oportet, qui inter homines videbat alios quidem videri recte incedere, Deo appropinquare, vtiles eſſe, bona facere, vt ſpecioſos iuſticiarios, operarios legis, qui à vulgo manifeſtario peccatorum, Phariſæi, id eſt, ſeparati, & ſeparata longeq; diſſimili vitæ & morum conſuetudine inſignes cenſentur. Propter hos potiſſimum ſic repetit & ingeminat, omnes, ſimul, nec vnus, vt peccatis feliciter inuoluat, & reos faciat, ſeu, vt Apoſtolus ait, vt omne os obſtruatur, & obnoxius fiat omnis mundus Deo, qui nimium infeliciter ſeſe explicuerunt, ne fœdis titulis, declinandi, inutilitatis, non facti boni, communicate viderentur.

Phariſæi.

Peccatis feliciter inuoluit omnes.

Tria dicit: Declinauerunt omnes, Inutiles facti ſunt, Non faciunt bonum. Declinatio pertinet ad impietatem ſeu incredulitatem, quæ fons & caput eſt malorum, Sicut econtra, pietas ſeu fides eſt initium bonorum, qua ad Deum propinquamus. Oportet enim accedentem ad Deum credere, vt dicit Apoſtolus Ebræ. 11. Atq; quod hic declinantibus tribuit, ſeu recedentibus, ſeu diſcedentibus (eſt enim idem hoc loco verbum, quod Pſal. 6. Diſcedite à me, &c.) ſuperius inſipientibus dedit, dicentibus in corde ſuo: Non eſt Deus. Declinare enim à Deo, & dicere in corde, non eſſe Deum, idem ſunt, ſcilicet, non credere Sic Ebræ. 3. Videte fratres, ne forte ſit in aliquo veſtrum cor incredulitatis, diſcendi à Deo viuo. *Ebræ. 11.* *Pſal. 6.* *Ebræ. 3.*

Declinatio. Incredulitas. Pietas.

Declinare à Deo.

Et hunc fidei defectum in Eccleſia futurum, videtur Apoſtolus 2. Theſſ. 2. appellare Apoſtaſiam, dicens, Niſi primum venerit diſceſſio ſeu defectio, (id eſt, apoſtaſia) fidei inquam, non Romani imperij defectionem ego intelligo dictam à Paulo, ſcilicet, vbi deſerto principe & Autore fidei Ieſu Chriſto, hominum operibus Eccleſia vaſtabitur, Sed & ipſe ſeipſum exponit 1. Tim. 4. Spiritus manifeſte dicit, quod in nouiſſimis temporibus diſcedent quidam à fide, attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, in hypocriſi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium conſcientiam, prohibentium nubere & abſtinere à cibis, quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus. Dura verba, aſpera ſententia in Romanarum legum tyrannidem, quam ſuis coloribus graphice depingit. *2. Theſſ. 2.* *1. Tim. 4.*

Niſi primum venerit diſceſſio, optime his exponitur.

Omnes autem declinaſſe dicit, vt eos quoq; inuoluat, qui maxime propinquare Deo videntur. Sicut & Apoſtolus 2. Tim. 3. inuoluit eos, qui ſpeciem pietatis habent, & virtutem eius abnegant, cum ſuperbis, blaſphemis & cæteris, quos in nouiſſimis periculoſiſq; temporibus futuros prædicit. Imo *2. Tim. 3.*

Omnes declinauerunt.

propter

Digitized by Google

propter hos hypocritas (vt dixi) omnia potiſſimum dicuntur hoc Pſalmo, quod ij, qui manifeſte peccant, minus noxij ſint, quam hypocritæ iſti, cum ſpecie ſua, qui nihil eorum ad ſe pertinere, tum ipſi credunt, tum alijs pernicioſe perſuadent, quæ de malis & impijs dicuntur. *Notent hæc hypocritæ.*

Simul inutiles facti ſunt. Eadem ſententia eſt, quam ſupra dixit: Corruperunt & abominata fecerunt ſtudia ſua, id quod pertinet iam ad mores & opera apoſtatarum ſeu declinantium, Quid enim impius & infidelis faciat, niſi inutile, abominabile, corruptum & putridum in oculis Dei, licet in oculis hominum omnia vtilia & bona videantur? Sic Iſaiæ 59. Telæ eorum non erunt in veſtimentum, neq; operientur operibus ſuis, opera eorum, opera inutilia, & opus iniquitatis in manibus eorum. Et iterum addit (ſimul) vt vtramq; hominum impiorum turbam comprehendat, eorum, ſcilicet, qui manifeſtis peccatis impietatem cordis produnt, & eorum qui bona ſpecie impietatem veſtiunt, venientes in veſtimentis ouium, intus Lupi rapaces. *Iſaiæ 59.* *Turba hominum impiorum duplex.*

Non eſt qui faciat bonum, non eſt vſq; ad vnum. Quo arguit eorum omiſſionem, Vt qui non tantum mala faciant & increduli ſint, ſed etiam nunquam bona faciant & nunquam pij ſint, Vt ſic per affirmationem malorum & negationem bonorum, abſolute & penitus comprehendat omnes eſſe peccatores, filios hominum. Nam quod & hic addit, Non eſt vſq; ad vnum, vniuerſalem negatiuam facit, ſicut in prioribus duobus vniuerſalem affirmatiuam. Iterum propter hypocritas, ne putent ſeſe bona facere, præ cæteris manifeſte malis, Nullus (inquit) eorum facit bonum, id eſt, nullus eorum habet fidem & bona opera, ſed aut mala manifeſte, aut tantum ſpecie. *Nullus facit bonum.*

Proinde quando ſpiritus, tanta verborum vi, affirmationes & negationes componat, & vniuerſaliter omnes pronunciet eſſe malos & non bonos, Mirum eſt, qua ſubtilitate Neutralis illa Ariſtotelis Theologia per medium affirmationis & negationis vniuerſalium repere queat, & ſic elabi, vt libere audeat ſpiritui contra pugnare & dicere, Non omnia ſunt mala hominum opera, ſed quædam ſunt bona, licet hæc omnia ſint non meritoria, ſeu nec meritoria nec demeritoria. Verum oportet Scripturam eſſe ſignum cui contradicatur, & aquam contradictionis, iuxta quam iurgantibus filijs Iſrael, iudices & electi Iſrael abſorbebantur. *Neutralis Theologia.* *Scriptura ſignum eſt, cui contradicitur.*

Tit. 1. Hæc tria Paulus Tit. 1. breuibus ſic explicat, Cum ſint abominati, & incredibiles, & ad omne opus bonum reprobi. Abominati hic inutiles, putridi & corrupti dicuntur, Incredibiles, ſeu inobedientes, hic declinantes, ſeu recedentes, impij & infideles, Reprobi vero ad omne opus bonum, hic non facere vllum bonum, dicuntur. Cōfitentur tamen ſe noſſe Deum, factis autem negant, in quo hypocritas pariter inuoluit, ſicut & hoc loco Pſalmus facit.

Iam vide, quod eadem tria repetita ſunt, hoc tertio verſu, quæ primo dicta ſunt, ſed hoc intereſt, quod primo verſu ſuam ſententiam Propheta profert, Tertio confirmat eam ſententia diuina, quæ non modo ſecum concordat, ſed etiam latius & vniuerſaliter loquitur, quod idem ſcilicet de cœlo Dominus, quod ipſe in terra viderit. Hinc Apoſtolus Rom. 3. ſolum adducit id, quod Dominum de cœlo proſpexiſſe & definijſſe Propheta dicit, quod & magis ad inſtitutum Pauli faciebat, qui vniuerſaliter omnes & omnium opera, ſub peccato comprehendere propoſuerat, vt humiliati gratiam neceſſariam agnoſcerent. *Abominati. Incredibiles, Reprobi ad omne bonum.* *Rom. 3.*

Sepulchrum patens eſt guttur eorum, linguis ſuis doloſe agebant, venenum aſpidum ſub labijs eorum.
Quorum os maledictione & amaritudine plenum eſt, veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem.
Contritio & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognouerunt, non eſt timor Dei ante oculos eorum.

Translatio 70.

HOs tres verſus ebraica veritas non habet, nec mihi certum eſt, an 70. Interpretes ab initio ſic verterint Pſalmum hunc, quos Apoſtolus deinde ſecutus credi poſſit, cum non eſſet tum alia Translatio apud gentes, quam 70. ſaltem vulgatior. Mihi veriſimilius eſt Apoſtolum ipſum, proprio ſpiritu de plenitudine ſapientiæ ſuæ eructaſſe hanc ſanctam crapulam, ex diuerſis locis Scripturarum congeſtam, quam ſiue quis poſtea huic Pſalmo interſeruerit, ſiue ipſi 70. reddiderint, non me magnopere ſolicitat.

Prima pars, Sepulchrum patens eſt guttur eorum, linguis ſuis doloſe age-
bant, Pſalmi quinti eſt, vt ſatis claret. Sequens, Venenum aſpidum ſub labijs *Pſal. 5.*
eorum, Pſal. 140. Tertia, Quorum os maledictione & amaritudine plenum *Pſal. 140.*
eſt, Pſal. 9. Quarta, Veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem, Pro *Pſal. 9.* *Prou. 1.*
uer. 1. & Iſa. 9. Quinta, Contritio & infelicitas in vijs eorum, & viam pacis *Iſaiæ 59.*
non cognouerunt, Iſa. 59. Sexta & vltima, Non eſt timor Dei ante oculos eo *Pſalm. 36.*
rum, ex Pſal. 30. eſt.

In impios verbi miniſtros.

Quæ Pſal. 5. & 9. explanata ſunt, hic non ſunt repetenda, ſed monendum tantummodo & inculcandum eſt, eos qui ſine fide ſunt, hoc eſt, impij omnibus his vitijs eſſe inquinatos, aut data occaſione inquinari, cum eis deſit virtus reſiſtendi vlli peccato, & aſſit pronitas in omne malum, vt Gen. 6. & 8. ſcribitur. *Gen. 6. 8.* Quare omnes ad vnum vſq;, ſunt ſepulchrum patens & inſaturabiles voragines diuitiarum, animalia ventris, quorum Deus (vt Paulus ait) venter eſt. *Philip. 3.* Deinde omnes, linguam doloſam, blandam, adulatricem habent, veritatem nec docentes, nec defendentes, ſed quæ placita ſunt magnatibus loquentes, ne ſcilicet pereat venter, & eſca & guttur. Quod malum cum omnibus ſit commune, poriſſimum tamen ab eo laborant, qui verbi miniſterio præſunt, Quod dico, ne repugnet quod Pſal. 5 diximus hunc verſum ad populorum Magiſtros pertinere, quem Paulus omnibus videtur tribuere, nec male, cum quales ſunt Magiſtri, tales fiant & dicipuli, & eodem verbo vtriq;, aut pereant, aut ſeruentur.

Aſpis. Nullum remedium contra ictum aſpidis.

Venenum aſpidum ſub labijs eorum. Hoc proprijſſime ad dogmata pertinet, ſiue de tradentibus, ſiue accipientibus dixeris, Omnes enim venenata doctrina infecti ſunt, qui fide imbuti non ſunt. Verum Epitaſis eſt, in hoc verſiculo, Aſpis enim ſerpentis genus eſſe in Africa dicitur, cuius ictui nullum ſit remedium, Quo ſignificatur, quam inſanabilis ſit impietatis doctrina, bona ſpecie commendata, quod & ipſa Hæreticorum & impiorum pertinacia ſatis probat, Ebræis videtur pro veneno, poculum. ſeu lagena dici, Qua metaphora, aptius exprimitur dogmatis ſignificatio, quod vaſa, vt iam ſæpe diximus, vocale verbum, liquor ipſe, ſenſum verborum ſignificet.

Peſtilens dogma.

Sub labijs Eodem myſterio dictum eſt, quo Pſal. 10. Sub lingua eius labor & dolor, *Pſal. 10.* Quod peſtilens & venenatum dogma aliud ſuper linguam, aliud ſub lingua habeat, hoc eſt, blandum, rectum, ſanumq; appatet, cum ſit aſperrimum, peruerſiſſimum, mortiferumq; in rei veritate.

Quorum os maledictione & amaritudine plenum eſt. Pſal. 10. expoſitum eſt. Cum vero hic conſtet Paulum non adducere ebraicam veritatem, ſed 70. & vſitatam inter Gentes translationem, quæ pro dolis habet, amaritudine, permittamus imo credamus, maledictionem & amaritudinem hic pro maledicentia & iracundia accipi, cum Pſal. 10. maledictionem, pro doctrina impia acceperimus, ſimpliciter ne an violenter, Lectoris eſto iudicium. Quanquam vbi obſcuritas eſt, nihil officit varios ſenſus tenere, Vt vtrobiq; maledictio, pro maledicentia, vel mala doctrina accipiatur. Hoc tamen loco, quia ſequitur, pedes eorum veloces ad effundendum ſanguinem, pro verbis iræ & furoris (vt dixi) fas eſt, maledictionem intelligere.

Maledictio.
Amaritudo.

Itaq; omnis homo, eſt vir ſanguinum, etiam ij qui ſanctiſſima pompa fulgent, imo ij omnium maxime ſunt maledici, amarulenti, virulenti, Non ſemper, nec in omnes (nam hoc operenlo tegunt nequitiam ſuam) ſed in eos, quibus offenduntur, aut non honorantur, Sicut ſunt ad manum exempla noſtro ſeculo copioſiſſima, inter eruditos & ſacris initiatos paſſim graſſantia. Non eſt ergo, quod neget ſe maledicum eſſe & amarulentum, qui aliquot amiculis dulciſſime conuerſatur, ſi vel vnum, ſi vel aduerſarium odit, aut criminatur. Hic enim ex fructibus ſuis cognoſcitur arbor, non illic ex veſtimentis ouium.

Qui potiſſimum viri ſanguinum ſint.

Prou. 1.
Iſai. 59.

Veloces pedes eorum &c. Prouer. 1. Quorum pedes ad malum currunt, & feſtinant, vt effundant ſanguinem. Eodem pene modo Iſa. 59. non ſolum verbis ſunt cruenti, ſed & opere, data enim occaſione occidunt, aut ſi non occidunt, ta!em gaudent occiſos eſſe, quos oderunt, ſicut ſi etiam non maledicunt tamen gaudent maledici eos, quos oderunt. Quo vitio, cum omnes ſint filij Adam perditi, quot rogo ſunt, qui ſe eodem perditos eſſe agnoſcant, aut hæc ad ſe pertinere credant, cum dicitur; Veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem? Nec enim fruſtra dixit, Veloces eſſe pedes ad effundendum ſanguinem, non autem, eſſe effuſores ſanguinis, Vt reos faceret ſanguinis effuſi quotquot probarint, læti fuerint, non prohibuerint, non reſtiterint, non ſaltem doluerint, ſanguinem effuſum aut effundendum, affectum ſcilicet non tantum opus eorum arguens. Quis ergo eſt, qui hic ſeſe reum queat negare, in vitio communi, tam late patenti, vt vix iuſtos ſinat immunes eſſe.

Rei ſanguinis omnium multi.

Contritio & infelicitas in vijs eorum. Hic verſiculus optime declarat impiorum operum conditionem, & ſemel exponit, quid ſit, ea Auen & Amal toties appellari, Quid enim faciunt impij in omnibus ſuis operibus, præſerim ijs, quæ bona vocant, niſi quod fruſtra conſumunt, quidquid virium impendunt, & vt dicitur, oleum & operam perdunt, nec ſolum perdunt, ſed & vaſtant, & conterunt ſeipſos, hoc eſt, cum hæmorroiſſa erogant ſubſtantiam ſuam in medicos, & ſemper peius habent.

Auen.
Amal.
Impiorum miſeria.
Hæmorroiſſa. Marc. 5.

Ponamus exempli cauſa pro vtroq; genere impiorum ante oculos hanc ipſam hæmorroiſſam ſubſtantiæ conſumptricem, & filium prodigum itidem ſubſtantiæ ſuæ conſumptorem, Vt hic ſit exemplar eorum, qui in rebus mundi, honoribus, voluptatibus, diuitijs, volunt ſuauiter viuere: Illa vero eorum, qui viribus & operibus ſuis ſeſe pacare & conſcientiam confirmare. Hic experientiam conſulamus, & videamus, an non vtrunq; hoc hominum genus ſit, Martyres diaboli, qui maiore infelicitate, contritione, vaſtitate, ægritudine animi, ad inferna deſcendunt, quam ij, qui per fidem omnibus malis & peccatis aſſidue vexantur.

Impiorum miſeria.
Luc. 15.
Martyres diaboli.

Ita certe habet, vt quo quis abundantius carnalibus bonis fruitur hoc in-
felicius in anima conteratur, dum conſcientia eius aſſidue concutitur. Quia
quo plus peccat, eo magis fiducia in Deum perit, & augeſcit ſcrupulus, mor-
ſus, inquietudo, pauor, turbatio conſcientiæ, Ita dum videtur foris, proſpere in
omnibus agere, & ſuauiter creſcere, Interim intus medullitus exugitur virtus
bonæ fiduciæ, exhauſtoq; omni robore miſerrime vaſtatur, vt demum coga-
tur deſperare in æternum. Sic & illi qui ignorata fide, operibus nituntur pec-
cata & conſcientiam ſuperare, quo plus nituntur, eo infelicius conteruntur,
Donec illud Sap. 5. dicant: Laſſati ſumus in via iniquitatis. Recte ergo dicit:
Contritio & infelicitas in vijs eorum, ſeu (vt Hieronymus tranſtulit) Vaſtitas
& contritio in vijs eorum. Sic & Iere. 2. Contriuit Dominus confidentiam *Ierem 2.*
tuam, & nihil habebis proſperum.

Duo itaq; mala ſunt, vaſtitas & contritio, ſeu contritio & in-
felicitas, Prius quod fiducia conteritur, quæ contrita & vaſtata, quidquid facit
aut conatur, magis affligit quam ſolatur, magis infelicitat quam promouet. *Pſal. 1.*
Quæ omnia ex ſua Antitheſi melius intelliguntur. Iuſtus enim (ſicut Pſal. 1.
ſcribitur) ſicut lignum plantatum ad riuos aquarum, creſcit, fructificat, floret,
Collatio pij & impij. & multiplicatur, proſperaturq; in omnibus, quæ facit. Et iterum: Iuſtus vt pal-
ma florebit, ſicut cedrus Libani multiplicabitur. Contra impius, ſicut ficus *Pſal. 92.*
maledicta, & palmes extra vitem areſcet, deinde minuitur aſſidue & perit vſq;
in puluerem. Quæ omnia in ſpiritu aguntur in conſcientia, adeo vt redun-
dent etiam in corpus, & infirment etiam vires naturales. Quia ſicut ſecura *Prouerb. 15.*
mens, iuxta ſapientiam, eſt velut iuge conuiuium, ita triſticia cordis occidit
multos, & non eſt vtilitas in ea, vt idem dicit. Atq; idipſum etiam videmus ita
fieri, vt opera impiorum, ferme cum eis ſepeliantur.

Et viam pacis non cognouerunt, Quare? quia rem ſequuntur, & ſicut equus
Vera pax in fide verbi eſt. & mulus non habent intellectum, quia eſt fides rerum inuiſibilium. Senſuales
enim homines pacem in rebus huius mundi quærunt. Hypocritæ autem in
ſuis conſilijs, ſtudijs & operibus, vtriq; in his quæ ſentiunt, & capiunt. At *Iohan. 8.*
pax vera eſt in fide verbi, & his rebus quæ nec ſentiuntur nec capiuntur, ſed
capiunt credentem eis, ſicut Chriſtus dixit Iudæis, Sermo meus non capit in
vobis. Piſces enim non capiunt, ſed capiuntur reti. Proinde vbi ſenſualibus de-
fecerint opes, fauor, voluptas, honor, ingruerintque paupertas, ignominia,
morbi, dolor, contemptus, quam inquieti ſint videmus. Nec hoc ſolummo-
do inquietantur externa inquietudine, ſed & interna, amiſſa enim fiducia Dei,
per proſpera ſua, inquieti & contriti ſunt miſera conſcientia, vt ſic nec coram
Deo, nec in ſeipſis, nec coram hominibus pacem habeant.

Hypocritæ vero, vbi operibus ſuis defecerint, ſiue in morte ſiue in peri-
Hypocritæ nec in ſeipſis, nec coram hominibus pacem habent. culo (ſicut oportet fieri) inuentaq; fuerint omnia eorum eſſe peccata, contun-
duntur & perturbantur inconſolabiliter, Quo argumento & ipſi oſtendun-
tur ſuis operibus aliud nihil feciſſe, quam vaſtaſſe & contriuiſſe fidem cordis,
quæ eſſet vita, virtus, gloria, ſubſtantia eorum. Nec hoc ſolum modo confun-
duntur, ſed etiam, ſi coram hominibus opera & ſtudia eorum periclitantur &
arguuntur aut calumniantur, cœlum & terram miſcere & turbare conantur,
quia amiſſa fiducia Dei, & in ſua ſtudia nixi, nec apud Deum, nec in ſeipſis,
nec coram hominibus pacem habent. Ita vtrunq; hoc impiorum hominum
genus vtrinq; pacem non habet, nec intus, nec extra, deſcenditq; omnis ille
tumultus mundi ex interiore tumultu, qui enim intus quietus eſt, foris nihil
tumultuatur, qui autem intus turbulentus eſt, foris quoq; non poteſt qui-
eſcere.

Dicit

Dicit vero, non modo eos pacem non habere,ſed viam pacis neſcire, *Crux eſt via ad pacem.*
hoc eſt,ignorant qua via ad pacem eatur,nempe per crucem.Crux enim,quæ
mortificat omnem ſenſum & affectum,ipſa ducit ad pacem.EtChriſtus dum
crucifixus eſt,ſecum pacem noſtram abſcondit in Deum.qui ſub cruce iatet,
nec alibi inuenitur. At impij vtriuſq; generis,quiduis aliud quærunt,quam
Crucem, ſed ſenſum & affectum ſuum in rebus & conſilijs ſuis nituntur ſer- *Non eſt pax impijs. Iſai. 57.*
uare,ideo fieri non poteſt,vt pacem cognoſcant, nedum vt habeant. Quare
via pacis,eſt via crucis,& pax,non eſt pax,ſicut Prophetæ dicunt. Econtra,
crux,non eſt crux.ille enim pacem habet,qui pacem non quærit,ille crucem
habet,qui crucem fugit. Verum hic niſi vius vitæ doceat, verba nihil faci-
unt.

Non eſt timor Dei ante oculos eorum. Sæpe dictum eſt in ſuperioribus, *Titulus impiorum.*
hunc eſſe titulum impiorum,vt ſine timore Dei agant ſecuri,freti, vel rerum
copia,vel bona ſua intentione.Sicut & in Prophetis olim arguebantur dicere,
pax,pax,cum non eſſet pax.Dabit forte ſe occaſio,de timore & pace latius di-
cendi.Hic breuiter ſatis fuerit noſſe,pium hominem ſic diſtribuere vitam, vt
in proſperis & paceDeum metuat,eleuatus per fidem ſuper omnia,quæ habet *Pius in proſperis Deum metuit,in aduerſis in eum confidit.*
tam interne,quam externe.Ideo eſt timor Dei ante oculos eius,ne rebus pro-
Philip. 4. ſperis peruerſe affectus,ſecure cum eis fornicetur.In aduerſis vero & in inqui-
etudine,in Deum fidat,æque eleuatus per fidem ſuper omnia,quæ ſentit tam
interne quam externe. Ideo dicitur noſſe viam pacis,quæ exuperat omnem
ſenſum,vtrinque æquabilis permanens, nec apponens cor,ſi affluant diuitiæ,
nec recedens,ſi inſtet tempus belli. Sic de eis dicitur,pro vtroque tempore,
Pſal. 145. Beneplacitum eſt Domino ſuper timentes eum, & in eis, qui ſperant ſuper
miſericordia eius.

Impij,quia fide carent,neceſſe eſt,vt rebus affectis ſuper harenam po-
ſiti ſint,quo ſequitur,vt quocunque ferantur cadantque res eorum ,ipſi reſpi-
antur ſimul cum eiſdem,ita ſit,vt etiam tunc pacem non inueniant, dum
eam quærunt in rebus,cum res ipſæ ſtare natura nequeant.

Nonne cognoſcent omnes,qui operantur iniquitatem,qui deuorant plebem meam,ſicut eſcam panis? Dominum non inuocauerunt.

Hic verſus & ſequens probare mihi videntur, tres proximos eſſe ſuppoſititios,cum eandem ferme habeant ſententiam,quam non eſt veriſimile,ſuperfluis verbis eſſe iteratam præſertim eodem loco.

Cognoſcent,abſolute dicitur,pro eo quod eſt, an non ali- *Cognoſcere.*
quando efficientur cognoſcentes? vt ſciant & ſentiant,quantum malorum
faciant,qui præ ſecuritate & timoris Dei neglectu,etiam bene ſeſe facere ar-
bitrantur,excæcati affectu rerum,quas ſolas cognoſcunt? Porro ipſi nihil mi-
nus de ſe dici credunt,quam quod ſint ignari quid faciant.Scimus(inquiunt)
quid faciamus, Quin aliorum omnium quoque Iudices & Magiſtri fieri
prompti ſunt.

Operarios iniquitatis Poele Auen,abunde diximus, eſſe qui ea operen-
tur,vnde pax cordis non acquiratur,quæ ex ſolius opere fidei & pietatis(vt di-
xi)poſſidetur,ſed potius dolor,miſeria,& vt Eccleſiaſt. ſolet appellare, vani- *Operarij iniquitatis Auen.*
tas,labor,afflictio,contritio,ſeu abſumptio ſpiritus.Diximus enim Auen pro-
prie ſignificare dolorem,qui fructus eſt contrarius paci,omnium qui extra fi-
dem operantur,ſiue ſint bona in oculis hominum,ſiue mala.

Itaq; verbum longanimitatis vel tædij, vel etiam commiſerationis eſt, cum dicit, Nonne cognoſcent? Ac ſi dicat, quam diu miſeri iſti different cognoſcere ſuam miſeriam, & quod aliud nihil ſint quam operarij Auen? Non ſentient aliquando ſeſe non niſi conteri, triſtesq; magis fieri in vijs ſuis, vt tandem viam pacis, quæ exuperat omnem ſenſum, quærant? Hanc certe ſententiam, præcedens verſus ſic dedit, Contritio & infelicitas in vijs eorum, & viam pacis non cognouerunt. Cum Auen illa, ſiue dolor, aliud non ſit, quam contritio & infelicitas. Tum quod viam pacis non cognouerunt, idem eſt, quod hic dicit, Nonne cognoſcent aliquando, ſe eſſe operarios Auen. *Nonne cognoſcent.*

Aptior etiam fuiſſet quæſtio per ſimplicem negationem, vt optantis affectu dicatur, Non cognoſcent? Nam nonne, vel nunquid, prophetantis affectum indicat, alterum affirmatiue, alterum negatiue, vt Grammatici docent, Tamen ſi quis contendat, affirmatiuo quæſitiuo, Nonne, oſtendi quod impij aliquando ſaltem in morte & iudicio extremo cognoſcent, & per negatiuum, nunquid, quod nunquam ſalubriter cognoſcent, non repugno. Poteſt forte Ebraicum Halo, omnibus tribus his quæſitiuis dari. *Nonne. Nunquid.*

Qui deuorant plebem meam, ſicut eſcam panis, Voratores populi, tyrannos ſcilicet hoc verbo arguit. Deuorant (ait Auguſtinus) populum, qui ſua commoda ex illo capiunt, non referentes miniſterium ſuum ad gloriam Dei, & eorum, quibus præſunt, ſalutem. Taxat igitur inexplebilem auaritiam & rapacitatem magnatum, qui dolis ac vi omniq; arte populum exhauriunt, ſicut hodie cernimus in Romanæ curiæ & Epiſcoporum monſtris potius quam exemplis. Sic Amos 2. Super tribus ſceleribus Iſrael, & ſuper quatuor non conuertam eum, pro eo quod vendiderit pro argento iuſtum & pauperem pro calciamentis (hoc eſt, vt Ebræus habet, pro moneta vel frumento) qui conterunt ſuper puluerem capita pauperum, & viam humilium declinant. Et Micheæ 3. Nunquid non veſtrum eſt ſcire iudicium, qui odio habetis bonum, & diligitis malum, qui violenter tollitis pelles eorum deſuper eis, & carnes deſuper oſſibus eorum? qui comederunt carnem populi mei, & pellem eorum deſuper excoriauerunt, & oſſa eorum confregerunt & conciderunt ſicut in lebete, & quaſi carnem in medio ollæ. *Voratores populi. Monſtra Eccleſiæ. Amos 2. Mich. 3.*

Quibus artibus hoc illi egerint in populo Iſrael, tacemus, In Eccleſia certe idem agitur, pallijs Epiſcoporum, annatis, indulgentijs, indultis, priuilegijs, exemptionibus, ſacerdotiorum impudentiſſimis nundinis, Vt taceam, quid reditibus, reemptionibus, mendicitatibus deuoretur, quæ omnia, ſi quis exigat ad ſupputationem, vna cum tributis, quæ magiſtratibus prophanis dantur, inueniet, Primo, nec tertiam partem, populi pro victu & ſubſtantia laborare, reliquos omnes partis frui, deinde vnum eundemq; populum, plus ſexageſies ſingulis annis exactionem pati. Ita longe plures ſunt comeſtores & voratores, quam operatores, Vt mihi omnium ſit miraculorum maximum, homines vno anno ali poſſe ex ijs, quæ proueniunt, imo credo prouentus omnes inuiſibili miraculo aſſidue augeri, non aliter quã panes Chriſtus multiplicauit in Euangelio. Atq; hanc gratiam referre debemus acceptam Romanæ tyrannidi, quæ ſuis legibus aliud non fecit, quam vt ocioſorum deuorantiumque hominum vbiq; ſuperaret numerus, ſub ſpecie religionis & nomine Eccleſiæ, eſſetq; vnum in Eccleſia negotium, auaritia, rapacitas, exactio. ſicut eſt dies hæc. Quid ergo miramur Turcas, aut Iudæos opulentos eſſe? laboratur enim apud eos, apud nos voratur. *Nota Lector & non contemne.*

Diximus autem & ſupra Pſalm. 5. eos qui veritatem ſyncere non docent, ſed *Pſal. 5.*

cent, ſed ſuis traditionibus animas illaqueant, in Scripturis appellari canes in-
ſaturabiles, auaros, guttur patens, deuoratores domorum, animalia ventris,
quorum Deus venter eſt, Vbi enim non paſcunt mentem, reliquum eſt vt ſo-
lum paſcant ventrem, vbi non quærunt quæ Dei ſunt, quærant quæ ſua ſunt,
& vbi non ſapiunt, quæ ſurſum ſunt, ſapiant quæ ſuper terram ſunt. Vbi au-
tem Paſtores tales ſunt, nec ſyncere quæ Dei ſunt docent, neceſſe eſt defectu
verbi Dei, talis ſit populus, qualis eſt ſacerdos (ſicut Iſaias ſolet dicere) & omnes
quærant, quæ ſua ſunt (vt Paulus dicit) donec in populo aliud non ſit, quam
mutua rapina, auaritia, dolus, vis, iniuria, & vt hic dicitur, deuoratio populi
Iſaie 56. Dei, donec antiqui illius populi mores repræſentent, Iſai. 56. Omnes declina-
uerunt in viam ſuam, vnuſquiſq; ad auaritiam ſuam, à ſummo vſq; ad nouiſ-
Iere. 8. ſimum. Et Iere. 8. A minimo vſq; ad maximum omnes auaritiam ſequuntur.

Appellat ones impiorum Doctorum in ſcriptura.

Hi ſunt Chriſtianorum mores.

Interim tamen nihilominus iactent iuſticias & virtutes, doceant, tractentq;
leges tum ciuiles, tum Eccleſiaſticas, quibus ius & iuſticia putantur admini-
ſtrari, Deinde moralia & ſummas virtutum, vitiorumq; prædicent. Sic enim
& illi faciebant, vt ibidem Ieremias proſequitur, dicens: Et ſanabant contritio-
nes populi mei ad ignominiam, dicentes: Pax, pax, cum non eſſet pax. Sicut
videmus hodie per diocœſes, monaſteria, collegia, auaritiam furere, & tamen
multa interim bona (ſicuti putant) doceri & fieri. Quare hæc duo pulchre
coniungit: Operantur iniquitatem, & deuorant plebem, Quod ſint auari, & ta-
men bona operari, aut ſaltem humanitatis (vt vocant) officia vel paucis exhi-
bere videntur, cum fides, quæ Dei cultus eſt, iuxta auaritiam, quæ idolorum
cultus eſt, conſiſtere nequeat, ita excæcat eos malitia, vt vtrumq; non videant,
Sicut dicit: Nonne cognoſcent?

Pax pax, & non eſt pax, Iere. 8.

Igitur ad locum auaritiæ pertinet hic verſus, imo auaritiæ Periphraſis eſt,
deuorare plebem, propter eſcam panis, qualem neceſſe eſt eſſe communem
vitam omnium, qui fiducia Dei vacui, filij diffidentiæ vocantur, apud Paulum
Coloſ. 3. Coloſ. 3. Mortificate membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram, fornicationem,
immundiciam, libidinem, concupiſcentiam malam, auaritiam, quæ eſt idolo-
rum ſeruitus, propter quæ venit ira Dei in filios diffidentiæ ſeu incredulitatis.
Fœdiſſimum ſane incredulitatis genus eſt, non tantum Deo confidere quod
corpus alere poſſit & velit, qui volucres cœli paſcit, fœnum agri ſic veſtit, vt
Matt 6. Chriſtus Matth. 6. in idem monſtrum loquitur. Quid enim ij Deo crederent in
rebus ſpiritualibus & tentationibus maximis, qui ventrem fœditum non cre-
dunt à Deo paſcendum eſſe? Aut quomodo in morte credent in manus eius
animas ſuas, quas in ſempiternum paſcat (ſi debent viuere) qui corpora ſua ad
Ebræ. 13. incertum momentum ei non credunt? Vnde Ebræ. 13. pro fœda hac puſillani-
mitate dicit: Sint mores ſine auaritia, contenti præſentibus. Ipſe enim dixit,
Non te deſeram nec derelinquam, Ita, vt confidenter dicamus, Dominus mi-
hi adiutor, non timebo, quid faciat mihi homo?

Auari, filij diffidentiæ.

Quo vitio (vt dixi) vt careant, maxime refert, paſtores, qui non modo (ſi
auari ſint) exemplo, ſed & autoritate, deinde, quod extremum eſt, malorum,
verbo nocens ſubiectis, dum aliud nec docent, nec doceri ſinunt, niſi quod
quæſtum vel auget vel ſeruat. Harum rerum exempla, non eſt neceſſe mon-
ſtrare, cum iam in mores, imo in articulos fidei tranſierint, & hæreticus ſit,
qui auaritiam Pontificum & Monachorum taxat, quam hodie pulchro no-
mine poteſtatem regitiuam, monarchiam, vicariatum Dei in terris appel-
lant, adeo verum eſt quod Paulus ait, Exiſtimantes quæſtum eſſe pietatem,
ſiue, vt hic dicit, operarios Auen, & tamen deuoratores plebis. Vnde & Exo.
18, Iettro Moſi conſulturus, quos populo præficeret, ait, Prouide de omni

Paſtores perniciosi.

Pontificum & monachorum auaritia.

Ietro conſilium, Exod. 18.

plebe viros ſapientes & timentes Deum, in quibus ſit veritas, & qui oderint auaritiam, & conſtitue ex eis Tribunos & Centuriones, &c.

Ebræus dicit: Comeſtores populi mei comederunt eſcas, explicandi gratia, ne quis de ſpirituali deuoratione eum loqui crederet, ſicut noſtra translatio videtur ſonare, quæ per ſimilitudinem dicit, eos deuorare plebem, ſicut eſcam panis. Hic autem dicit, Quod in populo aliud non faciunt, quam, quod comedunt panem, ſeu eſcas, hoc eſt, quod ſeipſos paſcunt, & ventri inſaturabili auaritia ſeruiunt, quam comeſtionem malo populi faciunt, cuius ſubſtantiā infinitis modis deuorant. Et ſic deuorantes populum, in hoc deuorant, vt comedant & ſeipſos ſaturent, aliud nihil pro deuoratione reponentes, ſicut hodie Romana Romaniſtarumq́; facit furioſa auaritia.

Radix auaritiæ incredulitas.

Dominum non inuocauerunt. Hic cauſam & radicem iniquitatis auaritiæ ponit, nempe diffidentiam, ſeu fœdam incredulitatem, quod in Domino non confidunt. Fides enim, quia ſolo verbo Dei viuere docet, aſſidue inuocat Dominū in quacunq́; neceſſitate, pendetq́; ex ſolius Dei bonitate. Cū itaq; paſtores fidem non doceant, nec eam populi ſciant, nihil iam reliquum eſt, niſi vt operentur Auen, & auari ſint, dicantq́; auro, fiducia mea, & obrizo, robur meum, Hiob. 31 & congregent aurum, in quo confidunt homines. Baruch. 3. *Hiob. 31.*

Auaritia ſeruitus Idolorum.

Cum ergo Deus præceperit præcepto primo, vt non habeatur alienus Deus, hoc eſt, vt in nihil aliud confidatur, ipſeq́; ſolus in omni neceſſitate inuocetur, patet, auaritiam eſſe Idolorum ſeruitutem, quæ facit, vt Dominum non inuocent, nec ei credant, credant autem & inuocent potius aurum, Qua impietate perditi, quidquid bonorum facere videntur, operationes ſunt fruſtraneæ, doloris, iniquitatis, id eſt, Auen, vnde non habeat conſcientia, niſi inquietudinem & vanum laborem.

Illic trepidauerunt timore, vbi non erat timor. Quoniam Dominus in generatione iuſta eſt.

Mores impiorum.

PArticula iſta, Vbi non erat timor, non eſt in Ebræo, viderurq́; explicandi ſenſus gratia, adiecta. Apte autem ſpiritus & proprie depingit ingenia & mores impiorum, Impoſſibile eſt enim, vt cor hominis ſit ſine timore, quia ſi amor fuerit rectus, & ipſe rectus eſt, cum peruerſo autem peruertitur & ipſe, Cum autem impij amiſſa fiducia in Deum, inhæreant auro & operibus ſuis, neceſſe eſt, vt miſera ſolicitudine & timore amittendi auri diſcrutientur, Deinde quia fide iuſtificati non ſunt, oportet, vt traditiunculis anxie & ſcrupuloſiſſime vexentur: Vt ſic duplici timore vexentur, altero ne peccent, altero ne egeant.

Impij vexantur duplici timore.

Quam miſeriam hodie in Pontificibus & Eccleſiaſticis omnibus ſic videmus inualuiſſe, vt hunc verſum nulla gloſſa adhibita, ſolo illorum intuitu quilibet planiſſimum habeat. Quid enim hodie metuitur aliud apud eos, quam ne res Eccleſiæ alienētur, minuantur, occupentur, ne patrimonia Crucifixi, S. Petri, B. virginis & aliorum periclitentur? Quantis ſtatutis hic cautum eſt, ne contra hæc aliquis loquatur? quantis fulminibus terrent, ne contrectentur? quantis indultis, priuilegijs, immunitatibus ea munierunt, ne temporalia temporalia ſint? Quantis benedictionibus, promiſſis, indulgentijs, titulis, bullis, & infinitis machinis hic actum eſt, & agitur aſſidue, vt multiplicentur, roborentur, perpetuentur?

Patrimonia crucifixi S. Petri, B. virginis.

Vnde hæc omnia curarum examina? nempe quod Deum non inuocant,

Digitized by Google

tant, Deo non credunt, ideo timent hic, & ſuis ſeſe conſilijs ac viribus ſtabili-
unt, ne aliquando egeant, Canes impudentiſſimi (vt Iſaias ait) qui neſciunt ſa-
turitatem. Cum autem vel communis ſenſus hominum hos craſſos & inuti-
Iohan 11. les prætextus ferre tandem nequeat, ſimul aliquot pij & ſpirituales, nequitiam
hanc irreprehenſam non ſinant, fit vt ſemper timendi, ſemperque veritatem
odiendi occaſionem habeant, ſicuti Iudæi, quando dixerunt contra Chriſtũ,
Si dimittimus eum ſic, omnes credent in eum. Tales fuiſſe, eſſe, foreq́; omnes
impios, præſertim magnates populi ab initio mundi in finem, facile eſt intel-
ligere, ſi conſideremus cor hominis oportere eſſe in his quæ Dei ſunt, aut in
ijs quæ ſua ſunt, Et vel aurum pro Deo, vel Deum pro auro habere. *Timor hypocritarum de traditionibus hominum.*
Iſai. 29. Idem exempli vide, in altero timore, ſcilicet traditionum ſuarum. Si-
cut Iſaias ait. Timuerunt me mandatis hominum & doctrinis. Quantis quæſo
hic laqueis legum irretitæ ſunt conſcientiæ fidelium? Quantis exactionibus
præfecti iſti Pharaonis, operibus duris luti & lateris premunt, & ad amaritu-
dinem perducunt vitam filiorum Iſrael? Quis ſic timet in mandatis Dei, ſicut
in mandatis Papæ? Neque enim Auen ipſam aptius explanes, quam ſi filio-
rum Iſrael in Aegypto ſeruitutem applices.

Sic plena eſt Eccleſia perturbatis, confuſis, ſcrupuloſiſſimiſque con- *Caſus reſeruati.*
ſcientijs, quas quotidie augent tyranni Romaniſtæ ſuis Caſibus reſeruatis, ex-
emptionibus, minis, cenſuris, & mille his artibus perdendæ eccleſiæ Dei. His
adde Monaſteriorum & Collegiorum ritus, ſtatuta, cæremonias, peruerſo
ſenſu intellectas, peiore vſu ſeruatas, vt vbique in mercedem diffidentiæ & ne-
glectæ fidei, operetur in his Deus huius ſeculi hanc iram Dei, vt auari ſint &
operarij triſtes, vtrobique inquieti, pauidi, & (vt Ieremias ait) duplici contri-
tione contriti magiſque in ſempiternum conterendi, vbi tam auro, quam o-
peribus, timore & ſcrupulo poſſeſſis, deſperatione æterna priuabuntur.

Hæc contingent, quia Dominum non inuocauerunt, fides enim ſola vni- *Fides iræ & miſeriæ remedium.*
cum huius iræ & miſeriæ remedium erat, qua dum carent, nec Dominum ha-
bent, qui ſolum in generatione iuſta eſt, hoc eſt, apud eos, cum eis, & in eis,
qui credunt ei, & hac fide iuſtificantur, ſiue ſit aliquis Iudæus, ſiue Gentilis,
magnus, aut paruus, ne quis de perſona, aut genere glorietur. Sicut Samuel ad
1 Reg. 10. Saul dixit: Fac quodcunque inuenerit manus tua. Dominus enim tecum eſt. *Libertas fidelium.*
2. Cor. 3. Et Paulus 2. Cor. 3. vbi Spiritus Domini, ibi libertas. Hic enim, nec opera Auen
nec cura rerum, nec conſcientia traditionũ, ſed omnia libera, iucunda, quie-
1. Tim. 1. ta, quæcunque facit, placere confidit, quæcunque poteſt, plebi Dei facit, quo-
modocunque vult, traditionibus vtitur, cum iuſto non ſit lex poſita, nullius-
que egeat, ſolo Domino contentus, quem in hæreditatem accepit loco omni-
Pſal. 119. 16. um. Sicut ait Pſalmus 119. Portio mea Domine in terra viuentium, & 16.
Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei, tu es, qui reſtitues hæreditatem
meam mihi.

Sic enim dum omnia diſcedunt, & nos relinquunt, ſimul nos labor,
cura, timor eorum relinquunt & appropinquat ſuſcipitq́; nos ipſe Dominus,
& ſimul inuenimus requiem, ſecuritatem, libertatem animabus noſtris, vt
Matth. 11. Matth. 11. dicit. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego refi-
ciam vos, Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum; &
humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris. Iugum enim meum
Pſal. 27. ſuaue eſt, & onus meum leue. Sic Pſal. 27. gloriatur. Quoniam pater meus &
mater mea dereliquerunt me, Dominus autem aſſumpſit me.

Videmus

Generatio iuſtorum. *Deus per fidem habetur.* *Locus ex cap. 4. ad Philip.*

Videmus ergo & hic, Quod iuſtus ex fide ſua viuet, dum per Antitheſin operarijs Auen, auaris, luſticiarijs, & Deum nõ inuocantibus, opponit generationem iuſtam, quæ Dominum habet, cum Deum habere nemo poſſit, niſi per fidem, quia iuſtorum generatio Deum in omnibus inuocat, ideo non timet, non eſt ſolicita, non eſt auara, non operatur inutilia, ſed eſt in omnibus, eadem, æquabilis, indifferens, vt Philip. 4. Gaudete in Domino ſemper, iterum dico, gaudete, modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus, Dominus enim prope eſt, nihil ſolieiti ſitis, ſed in omni oratione & obſecratione, petitiones veſtræ cum gratiarum actione innoteſcant apud Deum. Ecce quam pulchre concordat his verbis Apoſtolus cum ſententia horum duorum verſuum, vbi tollit ſolicitudinem, iubet inuocari Dominum, promittit Dominum eſſe prope, docet gaudere non in rebus, ſicut auari, ſed in Domino, &c.

Illud: *Trepidauerunt timore.* Idiotiſmus eſt Ebræus, ſicut Pſal. 132. Et ſancti eius exultatione exultabunt. Et 20. Lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo. Vt indicet eos timere nulla cauſa, cum non ſit quod eos terreat. Sicut Prouer. 25. Fugit impius, nemine perſequente. Et Leuit. 16. Terrebit eos ſonitus folij volantis. Et Deut. 32. Dabit tibi Dominus cor pauidum. Itaq; à ſuo timore timent: Si enim Paupertas, quam auari metuunt, & traditio hominum, aut quæcunq; mala, ſua natura terrerent, etiam iuſtos terrerent. At nunc vitio cordis eorum, non ſua natura eos terrent. Sicut econtra Dominus beneficio fidei cor lætificat, ideo exultatione exultat, cum tamen Dominum non videat, niſi per fidem, ac ſic de nulla re, quam de hac fiducia gaudet.

Pſal. 132. 20 *Prouer. 25.* *Leuit. 16.* *Deut. 32.*

At dices, Forte impij cognoſcerent, & facerent eadem ſi quis eos moneret, ac recta doceret, Nunc quia non audiunt, quid mirum ſi non cognoſcant, maneantq; operarij Auen, auari, Dei ignorantes, timoribus vndiq; inquieti? Reſpondet: Non eſt ita, ſunt qui monent, quos non modo non audiunt, ſed irrident, afficiunt contumelijs & perſequuntur, vt ſequitur.

Conſilium inopis confudiſtis, quoniam Dominus ſpes eius eſt.

Generatio iuſta.

NOn ait, Conſilium generationis iuſtæ, ſed inopis, cum tamen eoſdem vtroq; vocabulo ſignificet. Quod reuera generatio iuſta, & qui rebus omnibus contemptis coram hominibus nulla perſona fulgent, pariter ſine autoritate habeantur, coram buccis iſtis & perſonatis Idolis generationis prauæ atq; peruerſæ, in cuius medio (ſicut Apoſtolus dicit) lucent ſicut luminaria mundi, verbum vitæ retinentes. Itaq; coram Deo ſunt generatio iuſta, ſed coram hominibus indigni quibus credant, imo (vt Sap. 5. dicitur) in deriſum eos habent & in ſimilitudinem improperij, vitam illorum æſtimant inſaniam, & finem ſine honore. Confunditur autem eorum conſilium, dum non modo nõ ſuſcipitur (ſicut oportuit) ſumma reuerentia, ſed etiam damnatur, exibilatur, irridetur tanquam hæreticum, ſeditioſum, ſcandaloſum, temerarium, erroneum, blaſphemum. Sic enim & hodie, ſi magnatum tyrannides monueris, appellaberis & excipieris.

Philip. 2. *Sapien. 5.*

Ebræus verbo tranſitiuo dicit: Confundi feciſtis, hoc eſt egiſtis vt conſilium eius erubeſceret, & ignominia, à vobis & omnibus, affectum haberetur, tanquam Chriſtus veritas ipſa, inter latrones, inter ſcelerata dogmata, quod fit determinationibus, damnationibus, mandatis hominum. Sicut de Iudæis Apoſtolus ad Theſſal. ſcribit, eos prohibuiſſe, ne Apoſtoli loquerentur gentibus, quo ſalui fiant. Id quod noſtro ſeculo faciunt hæreticæ

Inquiſitores hæreticæ prauitatis. *1. Theſſ. 2.*

prauitatis

Digitized by Google

prauitatis inquiſitores, impiiſſimi veritatis oppreſſores cum ſuis. Et Emphaticum verbum ſane poſuit: Confudiſtis, non extinxiſtis. Siquidem verbum Dei etiam hi extinguunt, vel in ſeipſis, qui ei non credunt, vel ſi ad tempus credunt, curis tamen vitæ huius euntes ſuffocant. ſicut Dominus de ſemine inter ſpinas ſeminato docet, qui non confundunt conſilium iuſti, quia verum, ſanctum, bonum eſſe credunt, vel opinantur. At cruenti & furioſi illi non extinguunt, niſi prius nomine peſſimo ipſum fœdauerint, hoc eſt, quod dixi, turpiſſima morte ipſum damnant, vt hæreticum, erroneum, ſeditioſum &c.

Semen inter ſpinas.

Lucæ. 8.

Cum ergo Scriptura tam proprie mores impiorum hominum deliniat, oportet eos qui proni ſunt aliena pro hæreticis damnare, omni ſtudio obſeruare, præſertim ſi autoritate perſonæ & nomine in populo valeant. Nam hi proprie ſunt quos hoc verſu pingi videmus, nec oportet terreri ab illorum inſania nos, qui hac Dei ſcriptura præmuniri ſumus, ſic ſolere facere eos, qui ignorant Deum, ſed potius miſereri eorum, & pro eis orare.

Obſeruandi inquiſitores illi.

Nec hoc eorum ſegniter taxat ingenium, quod dicit, *Quoniam Dominus ſpes eius eſt*. Ac ſi dicat, nulla alia cauſa damnatis, niſi quod multitudine & magnitudine hominum non nititur, ſicut vos. Nunc vero quia ſolus eſt, & non niſi in Domino nititur, vos autem turba magnorum & minorum ſtipati eſtis, confidenter damnatis. Diximus enim & ſuperius, hoc eſſe omnium plauſibiliſſimum argumentum impiorum, quod ab autoritate maiorum & multorum, tum longitudine temporum ducunt, Rurſum à deſpectu & vilitate & paucitate dicentium recta. Qua larua vtraq; ſic excæcati ſunt, vt clauſis auribus, ne audire quidem, nedum conſiderare velint, quæ dicuntur. Sic enim & Phariſæi ſeſe armabant multitudine & magnitudine Herodianorum & ſuorum contra Chriſtum Itaq; & hoc Emphaticum eſt: Inopis, Oni, id eſt, afflicti & humiliati, ac per hoc contempti in oculis Behemoth, qui non niſi ſublimia vident.

Argumentum impiorum plauſibile.

Conſilium autem vocat, non verbum aut reprehenſionem, quo exprobat eorum inſaniam, & aggrauat culpam, mitlus enim peccarent, ſi reprehenſionem eius damnarent, nunc autem vtile & ſalutare verbum, quo eorum ſaluti conſulitur, damnant. Miſerationis autem affectu hic verſus dicitur, in hunc modum, Eſtis ne vos omnium hominum miſerrimi, qui multitudine & magnitudine hominum freti, non modo non auditis, ſed extinguitis, imo peſſimo impoſito nomine, perditis verbum, quod non niſi veſtræ ſalutis gratia vobis, pio remedio & conſilio, affertur, offenſi duntaxat paupertate, vilitate, & humilitate nuncij, Nec vos hoc mouet, quod etſi multitudine & magnitudine hominum circundatus non ſit, Dominus tamen ei aſſiſtit, & ſpes eius eſt.

Conſilium inopis.

Sane ſunt multi inter homines, qui verbum, propter quod certamen eſt, pro nihilo habentes, ſolo fauore huc aut illuc feruntur, quocunq, viderint multitudinem inclinari, Qui ſi rurſum in alteram partem res inclinarit, iterum ſequentur multitudinem Sic multi Chriſtum ſunt ſecuti, qui poſtea ipſo crucifixo ſcandalizati retrorſum ad Iudæos redierunt. Arundines hi ſunt vento agitatæ, tantum ad perniciem veritatis in tempore tentationis vtiles, vt qui ſcandalo ſui, veritatis hoſtes confortant, cui prius autoritatem & robur ſua obſequentia infideli pepererant, plus iam nocentes quam prius profuerant. De qualibus Pſal. 78. Filij Ephraim intendentes & mittentes arcum, conuerſi ſunt in die belli, quia non fuit Dominus ſpes eorum, ſed gloria præceptoris, de qua ſibi placebant. Sic Chriſtus in cruce, Elongaſti à me amicum

Arundines vento agitatæ.

Pſal. 78.

amicum & proximum,& notos meos à miſeria. Et iterum, Factus ſum oppro-
brium vicinis meis valde, & timor notis meis.

*Quis dabit ex Zion ſalutare Iſrael? Cum conuerterit Do-
minus captiuitatem plebis ſuæ, exultabit Iacob, & lætabi-
tur Iſrael.*

HOc video ab illuſtribus Patribus intelligi ſuper Iudæos in fi-
nem conuertendos. Quod ſi verum eſt, oportet Pſalmum referri ab Ini-
tio ſui ad tempus Chriſti, quando Synagoga ſic erat excæcata, vt multi
(nempe Zaducæi) etiam ſpiritum & angelum negarent, & reſurrectio-
nem carnis, vt Lucas Acto. 23 refert. Et Chriſtus eiuſdem 22. Erratis, neſcien- *Acto. 23.*
tes virtutem Dei, neq; Scripturas &c. Sic enim dixerunt in corde ſuo, Non eſt *Matt. 22.*
Deus, deinde auaritia, hypocriſi, incredulitate, erant corrupti & abominabiles
in ſtudijs ſuis, & conſilium Chriſti inopis ac pauperum Apoſtolorum, non
modo non ſuſceperunt, ſed etiam per ſummam ignominiam damnauerunt.
In quam ſententiam & Paulus Rom. 3. de hoc Pſalmo videtur dicere. Scimus *Rom. 3.*
quod quæcunq; lex loquitur, ijs qui in lege ſunt loquitur. Hoc ſenſu Pſalmus
totus à B. Auguſtino tractatur.

Quis dabit ex Zion ſalutare Iſrael.

Tunc ſequitur eodem filo ductus ſenſus, Quis dabit ex Zion ſalutare Iſ-
rael? Q. d. Fruſtra prædicatur eis, non noſtrum eſt vt ſaluentur, etſi conſula-
mus & oremus ſedulo, vt Paulus Rom. 10. Voluntas cordis mei & obſecratio *Rom. 10.*
ad Deum pro illis fit in ſalutem. Vt ſit iſta quæſtio anxij affectus, ac velut
parturientis & optantis eſſe anathema à Chriſto pro eis (Sicut Paulus Rom. 9.) *Rom. 9.*
vbi omnia agat, & tandem myſterio inſuperabili prohibitus dicat. Sed quid
facio? quid laboro? quis poterit eos ſaluare? Illuc tandem veniendum eſt,
quod myſterium hic Deus operatur, quia cæcitas ex parte contigit in Iſrael,
donec plenitudo gentium intraret, & ſic omnis Iſrael ſaluus fieret. Sicut ſcri-
ptum eſt, Veniet ex Zion, qui auertet impietatem à Iacob, Et hoc à me Teſta- *Rom. 11.*
mentum illis, cum abſtulero peccata eorum. Rom. 11. Aſperrimus enim eſt *Iſaiæ. 59.*
iſte locus, nec ab ipſo Paulo ſatis aperte explicatus, nam & Iſaiæ locum 59.
quem inducit, non parum mutat, Vnde nec ego hoc myſterij, ſeu ſecreti con-
ſilij hucuſq; ſatis intellexi.

Quod ſi generaliter (vt cœpimus) Pſalmum de omnibus hominibus in-
Iudæi exemplum omnium impiorum. telligimus, nec ſic male intelligimus, quia ſi ad literam de Iudæis ſolis loqui-
tur, ſicuti vere cogit Paulus dictis iam locis ad Rom. Hoc tamen verum eſt, eos
in hoc eſſe exemplum omnium impiorum, qui in Eccleſia quocunq; ſeculo,
Sodomitæ. Balaam. Cain. & præſertim in diebus nouiſſimis futuri, fuerunt & ſunt. Sicut 2. Pet. 2. Sodo- *2. Pet. 2.*
mitas dicit poſitos exemplum eorum, qui impie acturi ſunt. Item & Balaam
eorundem exemplum, & Iudas, imo & Iohannes 1. Iohan. 3. Cain exemplum *1. Iohan 3.*
ponunt eorum, qui ex maligno erant. His ergo omnibus, cum omnia fruſtra
dicantur, atq; fiant, tandem tradita cauſa diuino ſecreto, non habetur niſi reli-
quus gemitus qui optet, nec tamen deſperet, futuram in fine Dei miſericordi-
Eccleſia captiui-tas. am, ſicut & nos hodie Eccleſiæ captiuitatem optamus & ſperamus conuerti.
Salus in Zion pri-mum data. Quis ergo dabit ſalutem Iſrael? dabit autem ex Zion, Nemo, donec
ipſe Dominus conuertat captiuitatem plebis ſuæ, ſcilicet eius quæ ſecundum
carnem Iſrael eſt, & iam in maxima & longiſſima & peſſima omnium capti-
uitate tenetur, tam corporaliter quam ſpiritualiter captiua: Similiter exem-
plo huius, captiuitatem plebis ſuæ cuiuſcunq;, etiam ſi non ſit ſecundum car-
nem

Digitized by Google

nem Iſrael & plebs Dei: Niſi enim Dominus ædificauerit domum, invanum laborauerunt qui ædificant.

Addit autem ex Zion, Vt oſtendat non aliam illis, aut vllis hominibus, ſalutem dandam eſſe, niſi eam quæ in Chriſto eſt, quæ in Zion data eſt, & inde in omnem terram propagata, ac per hoc eſſe Iudæos ad Chriſtum conuertendos, quantumlibet in eum nunc inſaniant: Non eſt enim impoſſibile apud Deum omne verbum. Et Rom. 11. Potens eſt Deus iterum inſerere illos. Quocirca damnabilis eſt furor quorundam Chriſtianorum (ſi Chriſtianos oportet appellare) qui ſe in hoc arbitrantur obſequium Deo præſtare, ſi Iudæos odioſiſſime perſequantur, omne malum eis cogitent, ac eorum deploratis malis extrema ſuperbia & contemptu inſultent, cum huius Pſalmi exemplo & Pauli Rom. 9. ſummo affectu pro eis triſtari & dolere & orare continue oporteat. Hi certe viderint, quam audiant Paulum Rom. 11. Noli gloriari aduerſum ramos: Quod ſi gloriaris non tu radicem portas, ſed radix te. Et iterum: Noli altum ſapere, ſed time. Faciunt autem hac tyrannide ſua impij iſti nominetenus Chriſtiani, non leuem iacturam Chriſtiano tum nomini, tum populo, ac rei ſunt participesq; impietatis Iudaicæ, quam hoc crudelitatis exemplo, velut repellunt à Chriſtianiſmo, cum eos omni ſuauitate, patientia, prece, cura, debeant attrahere. Et horum furori patrocinantur, inſtant Theologi quoq; quidam inſulſiſſimi, qui faſtuoſiſſimo ſupercilio Iudæos garriunt eſſe ſeruos Chriſtianorum, & ſubiectos Cæſari, cum ipſi interim tam vere ſint Chriſtiani quam vere vllus eſt Romanus Cæſar hodie.

Salus in Zion primum data.

Rom. 11.

Rom. 9.

Rom. 11.

Nominetenus Chriſtiani.

Quis rogo ad noſtram religionem tranſeat, vel benigniſſimæ patientiſſimæq; mentis, qui tam atrociter & hoſtiliter, & non modo non chriſtianiter, ſed pluſquam feraliter ſeſe à nobis videat tractari? Si odium Iudæorum & Hæreticorum & Turcorum facit Chriſtianos, vere nos etiam furioſi ſumus omnium Chriſtianiſſimi: Si autem amor Chriſti facit Chriſtianos, ſine dubio nos peiores Iudæis, Hæreticis & Turcis ſumus, cum nemo Chriſtum amet minus quam nos. Similis eſt horum inſania, ſtultis illis pueris, qui Iudæis in parietibus pictis, velut patienti Chriſto auxiliaturi, oculos effodiunt, Nec aliud etiam agunt paſſionis dominicæ Declamatores plurimi, quam vt Iudæorum in Chriſtum ferociam aggrauent, & in eos exaſperent fidelium corda, cum Euangelium hoc agat, vt charitatem Dei & Chriſti in ea re nobis vnice & ſumme commendet, cuius illi ne verbo quidem vnquam meminerunt.

Nemo contemnendus à Chriſtiano, nec infidelis.

Pſal. 3.

Igitur Epitaſis in nomine, DOMINVS, ſicut Pſalmo 3. Domini eſt ſalus. Ita nemo dat ſalutem, nemo conuertit captiuitatem, niſi Dominus ſolus. Et affectus illi. Exultabit, & lætabitur, Pſalmo 5. tractati ſunt, ſed nomina Iacob & Iſrael, Pſalm. 4. vidimus.

PSALMVS XV.

Pſalmus Dauid.

DOmine, quis habitabit in tabernaculo tuo? & quis requieſcet in monte ſancto tuo?

Ratio ordinis.

OPTimo ordine hic Pſalmus præcedentem ſequitur, Sicut enim in illo, deſcripta eſt idea ſiue exemplar impiorum, quale Iudæi tempore Chriſti, etiam adhuc exhibent, Ita hoc deſcribitur exemplar piorum, Vt ſic non ſolum declinare à malo, ſed etiam facere bonum doceat, prius veterem hominem exuat cum actibus ſuis, deinde induat nouum, qui ſecundum Deum creatus eſt. *Epheſ. 4. Coloſ. 3.*

Imago pij populi.

Et primo notandum, quod abſolute imaginem pij populi ponit, non monſtrans vnde petenda ſit aut veniat, quo ſit, vt inſipiens, ea quæ hoc Pſalmo dicuntur, poſſe moralibus virtutibus & libero arbitrio tribuere, quæ omnia ſunt gratiæ operantis, Ita vt Pſalmus hic vnus ſit de facilimis, dum ſimpliciſſime mores iuſtificantis gratiæ, ipſa penitus tacita, depingit, Simul tamen ſit intelligibilis ijs, qui gratiæ notitia non ſunt præmuniti, Sicut & Pſalmus præcedens apertiſſimus eſt, cum mores impiorum & opus paterni peccati, ipſo tacito, arguat, obſcuriſſimus autem ijs, qui peccati illius ſcientia inanes, liberum arbitrium illic ſolummodo conſiderant, cui tribuunt conuerſionem captiuitatis, & ignorantiam Dei, cum reliquis malis.

Contra perſonarum ſpectatores.

Iudæi generis & iuſticiæ gloriam iactarunt.

Pugnat vero hic Pſalmus maxime aduerſus perſonas perſonarumq; ſpectatores, deinde aduerſus Cæremoniſtas. Iudæi enim præ cæteris gentibus vtraque perſona mire ſuperbiebant, quod ſoli eſſent Patrum ſemen & ſoli legem Dei haberent, Ita de generis gloria, de ſapientia & iuſticia præſumebant ſeſe ſolos habitaturos in tabernaculo Dei, ſicut Lucæ. 3. dixit eis Baptiſta, Et ne dixeritis ſemen Abrahæ ſumus, potens eſt Deus, de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ, Et Rom. 2. Tu qui glorìaris in lege & probas vtiliora &c. Ab horum ergo præſumptione Propheta faciem vertens in ſecretum conſpectum Dei, vbi non eſt reſpectus perſonarum, veritatem allaturus, accuſat eos, ſimul tamen eorum cæcitati compatitur dicens. *Lucæ. 3.* *Rom. 2.*

Tabernaculum Dei.

Tabernaculum.

Vt quid iſti Domine iactant gloriam generis, ſapientiæ & iuſticiæ, quæ ex lege eſt, & præ ſe ſolis neminem in tabernaculo tuo admittunt? Sic enim iudicant homines. Tu vero, apud quem nullus eſt perſonarum reſpectus, longe aliter. Nam quod altum eſt coram hominibus, abominabile eſt apud Deum. Tabernaculum autem Dei & montem ſanctum Dei, eccleſiam Dei ſignificat, non Chriſtianam tantum, ſed omnium iuſtorum, etiam in Synagoga. Non tamen fruſtranea eſt iſta ingeminatio ſeu repetitio tabernaculi & montis. Tabernaculum enim ſeu tentorium militaris habitatio eſt, Vt ſignificet populum Dei in Eccleſia ſic habitare, vt aſſidue cum peccatis, mundo & dæmonibus pugnet, & in hac parte ſine timore & inquietudine non ſit, quæ res pertinet ad mortificationem veteris hominis. *Lucæ. 16.*

At requieſcere, quod in Ebræo etiam habitare eſt, ſed pacifice & quiete, ſicut in ciuitate vel caſtro, id quod noſter Interpres per requieſcere vtcunq; expreſſit, ſignificat per fidem in Chriſto ſecuram quietamq; conſcientiam

tiam habere in medijs etiam pugnæ tumultibus, quæ res pertinet ad iuſtificationem noui hominis, vnde rectius poſita fuiſſet coniunctio, &, quam, aut, ſicut eſt in Ebræo.

Videmus ergo hic non de quouis quæri, qui in Eccleſia Dei ſit, cum ſint multæ paleæ cum tritico in area, Sed de ijs duntaxat, qui vere de Eccleſia ſunt, quibus Eccleſia eſt tabernaculum belli & mons pacis, qui ſemper pugnant in ea ſemperq; triumphant. Audiamus ergo quid ad quæſtionem communiſſimam reſpondeat, qua omnes quærunt, quid ſit eſſe bonum, iuſtum, ſanctum hominem? *Quæſtio communiſſima.*

Qui ingreditur ſine macula, & operatur iuſticiam, qui loquitur veritatem in corde ſuo.

EX fructibus eorum, ſcilicet cognoſcetis eos, quorum tres hoc verſu primo iuxta ebraicam diſtinctionem ponit. Primus eſt eſſe immaculatum in via. Sic & Pſal. 119. incipit. Beati immaculati in via, Quod eſt, *Immaculatus in via.* *Pſal. 119.* *Iacob. 1.* vt Iacob. 1. dicitur, Immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſeculo. Non autem de puritate loquitur carnali, quæ in veſtibus, cibis, potibus, membris, alijsq; iuſticijs carnis, ſiue in ſacerdotio Leuitico, ſiue in apparatu mundano ſeruatur. In ſpiritu enim loquitur de ſpirituali munditia, quæ eſt duplex: Siquidem Paulus inquinamentum carnis & ſpiritus diſtinguit. Et Tit. 1. inquinatas impiorum mentem & conſcientiam profitetur, quo vitio nihil eis mundum eſſe *Tit. 1.* proclamat. Hæc impuritas eſt ipſa impietas, opinio, ſenſus peruerſus de Deo, oculus ſcilicet nequam, qui totum corpus tenebroſum facit, etiam ſpecioſiſſima eorum opera, verba, conſilia, cogitata, tam efficax eſt malum huius immunditiæ ſpiritualis. Altera eſt immunditia carnis, libido & voluptas, quæ etſi cor & voluntatem immundis deſiderijs polluit, carnis tamen dicitur, quia de carnis libidine venit.

His duplex opponitur munditia, ſpiritus & carnis, Spiritus eſt ipſa pietas, *Munditia ſpiritus & carnis.* quam Hiob & Baruch ſapientiam vocant, Petrus & Paulus fidem, Sic enim *Acto. 15.* Acto. 15. Petrus dicit. Fide purificans corda eorum. Hæc enim facit, vt ſit mens & conſcientia pura, recte de Deo ſentiens. Vnde in Prophetis frequentiſſima eſt fornicationis mentio, qua populum Iſrael pollutum, contaminatum, maculatum, corruptum, proſtitutum, adulterum arguunt. Rurſus virginem vocant populum ſynceræ fidei, vt caſtitas & maculatio carnis, fere pro figura pietatis & impietatis habeantur. Sic enim Oſeæ. 1. & 2. ſumit metaphoram ab *Oſe. 1. 2.* vxore & viro, Dominus inter ſe & Synagogam.

Munditia carnis, ipſa caſtitas eſt ſiue pudicitia, quæ ſatis cantata & nota *Munditia carnis fructus fidei.* *Iſa. 11.* eſt, & hanc quoq; ipſa fides facit, ſicut Iſa. 11. dicitur, Et erit fides cingulum lumbrorum eius, & fides cinctorium renum eius. Vocatur autem & hæc puritas carnis, cum intret & maxime ſit in ſpiritu hominis, quod ſit in rebus & operibus carnis. Sicut illa, puritas ſpiritus, cum prodeat & maxime in omnia opera ſeſe fundat, totam vitam purificans, quod ſit de rebus & operibus ſpiri- *1. Tim. 2.* tus. Has duas pulchre compoſuit Paulus 1. Tim. 2. vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & caſtitate, Græce εὐσεβείᾳ ϗ σεμνότητι, qua Deo ſeruitur, & honeſte viuitur.

Vide itaq;, fidem tacet, ſed fructus eius commendat, cum immaculatus ingredi nemo poſſit, niſi qui credit, ſitq; idem ingredi ſine macula, quod viuere in fide, ac ſic à primo mandato incipit.

OPeratur iuſticiā, Hic iuſticia abſolute dicitur abſq; pronomine, tuā vel meā, quia iuſticia Dei eſt (vt ſatis diximus) qua ex eius gratia *Iuſticia Dei.*

coram ipſo iuſti ſumus, de qua hic non loquitur, ſed de iuſticia, qua inter homines viuimus, nulli nocentes, omnibus ſua tribuentes, quo modo & Apoſtolus Tit, a. ſobrie & iuſte & pie viuamus in hoc ſeculo. *Tit. 2.*

Operator iuſticiæ.

Obſerua autem, operator iuſticiæ, non ait, qui loquitur, cogitat, audit iuſticiam, quia non auditores, ſed factores legis iuſtificabuntur. Quid autem debemus alijs? Illud quod Chriſtus Matth. 7. docet: Quæcunq; vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis, etiam hoſtibus ſcilicet, Nulli nocere, nulli *Matt. 7.* reddere malum, patientibus iniuriam ſuccurrere, omnibus benefacere. Magis tamen (vt dixi) hæc in perſonarum reſpectum dicuntur, Quaſi dicat: Non quia ſacerdos, non quia religioſus, non quia oras multum, non quia facis miracula, non quia eximie doces, non quia titulo Patrum ſpectabilis es, nullius deniq; operis operator, niſi iuſticiæ, habitabis in monte ſancto Dei, qua ſe careas, non proderunt etiam omnia alia opera, nec ipſæ indulgentiæ, nec ipſa ſuffragia, nec ipſæ intereeſſiones. Stat ſententia, Ambulator immaculatus & operator iuſticiæ habitabit in tabernaculo Domini.

Apud Deum non eſt reſpectus perſonarum.

Hypocritarum opera.

Quam multi enim ſunt, qui Eccleſias, collegia, monaſteria, altaria, vaſa, veſtimenta, ædificant, augent, ornant, qui tamen interim iuſticiam ne cogitant quidem, imo hæc vt operentur, iuſticiam conculeant, tandem per ipſa, iniuſticiæ ſuæ veniam ſperantes, quam plurimis hoc negotio deceptis, Sic in extremo die dicturus eſt, Eſuriui, ſitiui, nudus fui, captiuus fui, infirmus fui, peregrinus fui. Nihil de operibus, quæ hodie iactantur & ſpectantur. Rurſus nihil refert, ſi laicus, pauper, æger, contemptus & quantumlibet vilis, ſi operaris iuſticiam, ſaluus eris. Vnicum hoc ſperandum ſpectaculum, operatio iuſticiæ, cæteris fruſtra irritantibus allicientibusq; ſpecie pietatis.

Perſona. Opus. Veritas.

QVi loquitur veritatem in corde ſuo. Pulcher ordo, primo perſona grata requiritur, per mundiciam, Deinde opus, per iuſticiam, Tandem verbum, per veritatem: Sic reſpicit Deus ad Habel primum, deinde & ad munera eius. Et qui potens eſt in opere, erit & in ſermone. Et lignum quod fructum ſuum dat, in tempore ſuo; eius folium quoq; nunquam defluet. Ne ſint, qui dicunt & non faciunt.

Loqui in corde ſuo veritatem.

Loqui in corde ſuo veritatem, Aug. putat, dictum de eo, qui neſciens loquitur veritatem, cum aliud voluerit quam ſignificatum ſit. vt Caiphas Iohan. 11. Expedit vobis, vt vnus homo moriatur pro populo, Hic enim expedire voluit, ne periret populus de terra, quanquam hoc ſciret non ſecuturum, vel ſaltem ignoraret. Veritatem ergo in ore dixit, non in corde ſuo, ſed in corde Iohannis, Quia hoc, quod ille mendaci corde, veraci ore protulit, hoc Iohannes veraci corde intellexit. *Iohan. 11.*

Tales ſunt & illi, qui apud Paulum 1. Tim. 1. dicuntur neſcire, quid loquantur & de quibus affirment: Frequentiſſimum ſcilicet malorum, etiam *1 Tim. 1.* multis ſanctis Patribus inſidiatum, dum ſcripturas ſanctas, ipſam ſcilicet veritatem, aliquando torſerunt pro affectibus ſuis. Et hodie, quis hoc vitio ſe gloriabitur carere? abundat enim deprauatores verbi Dei ſupra modum, Non quod omnes ſcienter mentiantur, ſed quod non cognoſcunt cor ſuum ſatis, quod verbis ore prolatis veriſſimis, contraria ſapit, nec ſeipſum nec verba oris ſui intelligit. Quod fit, quia loquuntur ea, quæ fidei mundicia, & vita iuſticiam operante, non ſunt conſecuti, ideo neceſſe eſt, vt diuinent de omnibus, & nihil intelligant.

Deprauatores verbi Dei noſtra ætate multi.

Idem dicendum de ijs, qui non docent, ſed familiariter colloquuntur.

Rariſſime

Rariſſime enim ita loquimur inuicem, vt ſentimus, timentes offendere. Vt neſciam an vnum hominem ſim excepturus ab hoc peccato, præter ſolum Chriſtum. Sicut nec operatorem iuſticiæ, nec immaculatum ambulatorem eſſe credam vllum niſi vitio, ſine Chriſtum ſolum, qui ſolus peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius. Si enim omnes vt ſentimus inuicem loqueremur, quantis nos oneraturi eſſemus aduerſarijs? quantæ amicitiæ hoc gladio veritatis diuiderentur, quæ nunc arctiſſime coniunctæ videntur. Ita quantum manet in nobis humanitatis, tantum manet & mendacijs & vanitatis. Nemo igitur ſine fictione & adulatione, nec ſine falſa verbi Dei opinione. *Omnes peccatores ſumus.*

Iterum, vt dixi, perſonæ reſpectum hic taxat, quæ plurimos fallit, ne hoc vitio ſeſe laborare deprehendant. Adeo nemo eſt apertus & ſimplex ſatis. Nec tamen curamus, vt hoc malo careamus, ſed interim opuſcula noſtra facimus, quibus confidimus, quaſi cum vitio, habitare in monte ſancto Dei.

Qui non egit dolum in lingua ſua, nec fecit proximo ſuo malum,
Et opprobrium non accepit aduerſus proximum ſuum.

NOn eſt dubium, quin id quod dixit, Ambulator immaculatus, operator iuſticiæ, totam iuſticiam ſignificet, quam deinceps ſuis partibus exequitur, quarum vna eſt, Veritatem loqui in corde, non aduiari, *Veritas corde.*
non conniuere, non indulgere, quo vitio peccamus in amicis & ſodalibus. Alia pars eſt, Dolum non agere in lingua, quod ebraice: Qui non detraxit ſeu *Dolum non agere*
detulit, dicitur. Hierony. Qui non eſt facilis in lingua. Significat autem id vi- *in lingua.*
tij, quo peccamus in aduerſarijs, deferentes ad amicos, quæcunque ab inimicis eorum audiuerimus, eaque in peiorem partem interpretamur, quotidieque exploramus, vt ſimilia deferamus, à quo verbo Ioſeph exploratores Aegypti appel-
Gen.42. lauit fratres ſuos Gen. 42. Vitium ſane late patens & communiſſimum, ſimul ad diſcordias excitandas potentiſſimum. Deinde quod nonnunquam ſpecie & titulo conſilij & monitorij ſeſe pulcherrime veſtit. Pulcherrima vero larua eſt, quando in angelum lucis ſeſe transferens zelo Dei defert, explorat, accuſat proximum de hæreſi, errore, impia vita. Hic enim præmium expectat pro obſequio Dei, quod præſtitit occidendo pios, & damnando pia dogmata.

Vult ergo Propheta, vt ea quæ mala ſunt proximorum, apud alium proximum taceamus, etiam ſi ſit inimicus & meritus de nobis, nec niſi bona lo- *Bona tantum lo-*
quamur, & ea tantum quæ ad reparandam, ſeruandam & augendam concor- *quamur de proxi-*
diam valens, id enim vellemus nobis fieri. Quin maxime caueamus, ne cuius *mo.*
verbum & opus temere iudicemus & damnemus, ne in veritatem impinga- *Auguſtinus libro*
mus, pro qua videmur maxime conari. Sic matrem ſuam Auguſtinus feciſſe *Confeſſ.9.*
inter mulieres inimicas ſcripſit Confeſſ. 9.

Ideo inſignis pars iuſticiæ in hoc abſoluitur, multa ſunt in hoc vitium in Scripturis teſtimonia, quæ omittimus, cum ſit vitium per ſe notiſſimum, hominumque doctrinis damnatum. Verum nec illo caret vllus hominum in hac vita, tanta eſt miſeria huius vitæ. Quia etſi ſint qui non exigunt ſibi mala nunciari aduerſarij, & eius omnia in peius interpretari, tamen ſi ita nuncientur & interpretentur, non inuiti audiunt dicique permittunt, nec repellunt nec reſiſtunt dicenti, nec in bonum interpretantur, ſuſpicionique ſaltem locum fa-
ciunt. Hac virtute clarus fuiſſe ſcribitur Godolias filius Alcham Iere 40. qui *Godoliæ exem-*
cum Iohannan Careæ ei nunciaret & vere nunciaret, Iſmael Nathaniæ ei in- *plum, Iere.40.*
ſidiari vt occideret, noluit audire nec credidit, dicens, Falſum tu loqueris de Iſmael. Et hac pia opinione perſeuerans occiſus eſt, malens periclitari

Digitized by Google

vita, quam mala (quæ tamen vera erant) ſuſpicari de proximo ſuo & credere delatori.

Nec fecit proximo ſuo malum, id eſt, damnum vel nocumentum. Quod vitium ſi in latitudinem ſuam extendas, nec ipſo carebit penitus vllus hominum, ſicut nec præcedente. Nam etſi ſunt, qui manum non extendunt, tamen Nemeſi, peripatetica virtute, malis mala fieri gaudent nec prohibent, quin iuſtitiam Dei laudent, quod dignis digna intulerit, Interim non videntes, quam nollent ſibi talia optari à quoquam aduerſario. Et hanc legem naturæ, lumen illud naturæ Ariſtoteles non vidit, quando ethica ſua, Nemeſi iſta & multis alijs vitijs pro virtutibus poſitis, fœdauit.

Sed & hoc monſtrum non raro induit angelum lucis, vt ſit incognoſcibile, dum exurit & occidit ſanctos Dei, & perſequitur veritatem & iuſtitiam in obſequium Dei, & zelo veritatis, ſicut hodie furunt Sophiſtæ & Pontifices, Idola, nihil curantes, quod ſibi talia fieri nollent. Ita vides, quod in perſonarum reſpectum maxime inuehatur, Quod ij præſumunt potiſſimum in tabernaculo Dei habitare, qui ſunt ijs vitijs inquinatiſſimi, falſi ſpecie bonæ intentionis, nominis & perſonæ, coram ſe & hominibus.

Et opprobrium non accepit aduerſus proximos ſuos. Verbum accepit, melius leuauit, fuiſſet redditum, ſic & Pſal. 24. Qui non accepit (non leuauit, non exaltauit, non iactauit) in vano animam ſuam. Ita hic, qui non iactauit, exaltauit, exaggerauit, magnificauit, dilatauit malum nomen, opprobrium, ignominiam, conuitium, blaſphemiam contra proximum ſuum, id quod ſolent inimici mutuo facere. Maxime autem illi, contra quos maxime loquitur, perſonati zelo Dei & amore veritatis, in ſpiritu enim loquitur. Nam craſſi illi conuitiatores, mox ſeſe agnoſcunt male feciſſe, Sed illi pergunt in merito, digno zeli ſui, quos, hæreticum ſit, non bene feciſſe dicere. Itaque horum eſt contra proximos clamare, hæreticos, ſchiſmaticos, erroneos, & ſexcenta mala nomina, eaque in vulgus propagare, eleuare, magnificare, coram magnatibus, manibus, voce, & toto corpore teſtari, donec cœlum & terram, ſi poſſint, miſceant & conturbent profundum maris.

Pſal. 24.

Perſonati zelo Dei amore veritatis.

Verum vide, ſpiritus non omittit, quin proximos appellet, quantumuis ſint inimici inuicem, potentiſſimo verbo eos ad pacem & concordiam vocans, & inſignem inſaniam eorum taxans. Quis enim deferat, noceat, conuitietur proximo ſuo, niſi inſanus? Quomodo excuſabuntur, quod digna fecerint inimicis, negantes eos proximos eſſe, contra ſpiritum, qui proximos eos eſſe affirmat? Sed hic fieri oportet, vt legis naturæ obliti, faciant quod ſibi fieri nollent.

Contra proximos ſuos.

Ordinem quoque obſerua pulchrum, nam totus hic verſus de inimicis, agit. Primum eſt enim, mala proximi explorare, deferre, accuſare. Deinde accuſatum, nocere, occidere, exurere. Vltimo, ne inique geſſiſſe aut gerere videantur, blaſphemare, eleuare opprobrium, iactare crimina, & ſic pœnam dignam redditam oſtentare. Sic in Chriſtum primo explorabant falſa teſtimonia, detulerunt & accuſauerunt, accuſatum dehinc & damnatum crucifixerunt, crucifixum vero peſſimis nominibus blaſphemauerunt. Tam proprie, apte, breuiter impiorum vitam depinxit.

Pictura impiorum.

Contra boni viri eſt opprobrium proximi non admittere, extinguere, contraria prædicare, tueri, & ſi non poteſt tueri, excuſare, aut ſaltem dolere & compati, etiam inimico & malo, ſic enim ſibi quiſq; fieri vellet. Ita non modo non nocebit aut malum faciet proximo, ſed etiam bene faciet ſiue ſic

Officium boni viri.

amicus

Mat.6. amicus ſiue inimicus, vt eſt ſententia Chriſti Matth.6. Nec explorabit nec deferet, ſed deferenti reſiſtet, ſuſurronem compeſcet. Magna & ardua ſunt hæc, quod in his offendi oportet montes Iſrael, & ipſam ſuperbiam Iordanis, ſummos Epiſcopos, magiſtratus, potentes, ſapientes, ſanctos. *Montes Iſrael.* Nam hi longe amplius quam vulgus ijs vitijs ſunt impliciti, longeq; magis ſæuiunt ac nocent, cum ſit apud eos ſpecies bona & autoritas metuenda, hoc eſt quod dicit,

Ad nihilum deductus eſt in conſpectu eius malignus, timentes autem Dominum glorificat.
Qui iurat proximo ſuo, & non decipit.

DIxiſſet ad nihilum deductus eſt, ſummus ſacerdos, Rex, Propheta, Principes, Seniores, Scribæ, Phariſæi, Epiſcopi, & quidquid eſt magni nominis in conſpectu eius, niſi diſtinguendum eſſet inter perſonas & vitia, inter poteſtatem & abuſum poteſtatis. *Diſtinguendum inter perſonas & vitia.* Nomina enim poteſtatum metuenda ſunt, ſed vitia eorum contemnenda, nec propter poteſtatem vitia diſſimulanda aut probanda. Nec propter vitia poteſtas offendenda aut contemnenda, cũ poteſtas nulla ſit, niſi ex Deo, nec ſit hominum, ſed Dei, Rom.13. *Rom.13.* Vitia vero non ſunt Dei, ſed hominum. Prudentia itaq; hic opus eſt, ſimul & magno animo, ne poteſtas terreat vitia contemnentem, nec vitia ſubuertant poteſtatem ſtulta humilitate ſuſpicientem.

Eſt ergo ſenſus, Etſi delatores, malefactores, & blaſphematores ſint magni, & iniquitas egrediatur de maioribus Babylonis, qui videntur regere populum, non eorum magnitudine terretur, deſpicit eos vt malignos, & fiducialiter agit, defendens proximos ſuos, licet reuereatur vt magnos, humiliter cedens eorum poteſtati. Hunc verſum ſi ſeruaſſent Chriſtiani in Romanos proceres, minus malorum hodie haberet Eccleſia.

Ebræus elegantius hoc loco dicit, Contemptus eſt in oculis eius contemptor, ſcilicet ingenium magnatum & ſuperborum indicans, qui fiducia poteſtatis & larua perſonæ inflati, ab omnibus volunt metui, Ipſi vero omnes contemnere, omnia ſibi licere, alijs citra eorum conſilium nihil licere, ſicut Romæ de Germanis dicunt Idola noſtra, Quantos ſtabularios habemus Romani. Et iterum, Todeſcola beſtia. Sic enim ſanctiſſimi paſtores ouium Chriſti, nos paſcunt, pro pallijs & tota ſubſtantia noſtra, quam rapiunt robuſtiſſimi latrones. Nonne & ipſi ſunt magnifici & ſecuri Dei, hominum & omnium contemptores? At quis hos turſum contemnit? num adulatores? qui id etiam habent negotij, vt poteſtatem læſam aſſerant, vbi vitia tantum arguuntur, quo poteſtatem æternæ ſalutis miniſterium, faciant iniquitatis cædiumq; patronum & perditionis officinam.

Contra, Timentes autem Dominum glorificat. Pulchra Antitheſis, Illi ſunt contemptores Dei, hi timentes Dei. illos contemnit, hos glorificat. An non mouetur perſona paupertatis, paucitatis, humilitatis, ruditatis, ignobilitatis, oppreſſionis eorum? Non, Sed ſicut Moſes Ebræ.11. reliquit Aegyptum, non veritus animoſitatem Regis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere iucunditatem, maiores diuitias exiſtimans theſauro Aegyptiorum, improperium Chriſti. *Moſes elegit affligi cum populo Dei &c. Ebræ.11.* ſicut Achimelech, nihil veritus Saulem & principes eius, cum fiducia pro paupere Dauid locutus eſt 1.Reg.22. *1.Reg.22.*

Emphaſis autem inſignis eſt, quod permutato affectu gloriam paruis & contemptis, contemptum magnis & glorioſis tribuit, Magnos & qui *Timentes Dominum glorificat.*

 paruo-

paruorum ſunt contemptores, non ſolum non honorat in malitijs eorum, ſed etiam contemnit, Paruos & ab illis contemptos, non ſolum reſpicit in bonitatibus eorum, ſed etiam glorificat, Cum longe ſecus agat mundanus affectus, vbi vitia magnorum, vel pro virtutibus prædicantur, vel omnia mitius interpretantur, Contra paruorum virtutes vel pro criminibus accuſantur, vel omnia in peiorem partem interpretantur, Sicut erudite fingit fabella Vulpis & Leonis, item Lupi & ouis. Itaq; audacis ſpiritus animoſum opus eſt, honoratos contemnere & contemptos honorare. *Eliſeus 4. Reg. 3.* Sic 4. Reg. 3. Eliſeus ad Ioram regem Iſrael, intrepidus dixit: Quid mihi & tibi eſt? Viuit Dominus in cuius conſpectu ſto, quia niſi vultum Ioſaphat regis Iuda vererer, non attendiſſem te nec reſpexiſſem.

Qui iurat proximo ſuo.

Hieronymus, Iurat, vt ſe affligat, & non mutat. Poteſt quidem Hebraicum verbum, cum ſit æquiuocum, ad afflictionem & amicum, pro afflictione transferri, ſed noſtræ translationis ſenſus magis placet, cum de operibus erga proximum in totum agat, excepto verſu ſecundo, qui de operibus erga ſeipſum purificandum ſatis egit.

Infidelitas commune vitium. Commune autem hominum vitium tangit, de quo omnes queruntur, ſcilicet, infidelitatem, quod venit ex radice illa, qua quilibet quærit quæ ſua ſunt, maxime in commercijs & negotijs, ſine quibus vita hæc non agitur, Vt enim affectus ſui commodi eſt intimus, quem nemo ſatis in ſeipſo agnoſcit, cum ſit aſtutiſſimus & doloſiſſimus, Ita arduum & rarum eſt ſeruare & non mutare, *Seruare iuramentum.* quod promiſſum iuratumq; fuerit. Quod ſi qui etiam ſeruant, tamen corde non ſatis prompto ſeruant, præſertim arridente quopiam, quod interim acciderit, vel lucro, vel occaſione maioris commodi, quod pœnitentiam promiſſi ſimul commoueat. Sed eſto & hic ſuperet (quanquam ſine gratia Dei natura id non faciat) tamen etiam præſente gratia pauci ſuperant, ſi inimico vel iurent coacti, vel interim inimico facto ſeruare iuramentum debeant, Itaq, nullus filius Adam hoc præceptum implet, & filius Dei vix implet vel potius incipit implere, Ideo nullus illorum habitat in tabernaculo Dei, cum hic etiam vix habitet, & vt Petrus ait, iuſtus vix ſaluabitur.

Proinde quiſq; ſibi caueat ab inſulſis, imo impijs & hæreticis Decretalibus, tit. de votis & voti redemptione, vbi Romanus Pontifex, vel potius Scriba eius aliquis indoctiſſimus audet ſtatuere, *Papa diſpenſat & mutat vota & iuramenta.* In manu ſua eſſe diſpenſare & mutare vota & iuramenta, ſeu (vt quidam mitius loquuntur) declarare, quæ ſint & non ſint vota, Dicens contra expreſſum textum Deut. 23. cum voti tranſgreſſi *Deut. 23.* reum non eſſe, qui mandato Romani pontificis implere diſtulerit, Non paſtor, ſed perditor ouium Chriſti, adducens in operculum impietatis ſuæ, ſeu fundamentum ſententiæ ſuæ, quod Exod. 13. & 34. ſcriptum ſit. Aſini primo- *Exo. 13. 34.* genitum mactandum, ſeu redimendum oue, Non contentus, quod ea ſcriptura nihil de iuramento aut voto ſonet, Deinde quæ mutatio non hominum arbitrio, ſed Dei mandato, ſtatuta ſit, ſic deprauatis verbis Dei in ſuam tyrannidem ſtabiliendam, verum etiam magnum crepãte bucca, ſe os obſtruxiſſe loquentium iniqua, cum fiducia gloriatur, oſtendens ſe in hoc quaſi ſit Deus in *2. Theſſ. 2.* templo Dei, idem potens, quod Deum potuiſſe legit, imo ſoluere audens, quæ Deus præcepit. Si vero declaratio tantum quæritur, non poteſtas, ſed ſcientia hic locum habet, quæ diſcernat, ſit votum nec ne, ideo melius declarabit pius aliquis & eruditus vir, quam omnipotens & omniuolens ſedes Apoſtolica, plerunq; inerudita & in ſacris literis imperita.

Cum

Iuramenta ſeruanda.
Ioſue. 9.

Cum itaq; hoc loco Propheta exigat iuramenta hominibus præſtita, vt neceſſaria ad ſalutem, multo magis nem[illegible] vota ſeu iuramenta Deo oblata. Vnde Ioſuæ 9. Filij Iſrael etiãſi decepti, Gabaonitis iurauerint, & poſtea recognita pœnituerint, tamen ſeruauerunt iuramentum. Contra Rex Zedechias à Prophetis, præſertim Ezechiele, acriter reprehenſus eſt, quod iuramentum non ſeruarit regi Babylonis, & tandem miſerabiliter captus, excæcatus & punitus eſt, Id quod & ſeculo ſuperiori contigit regi Hungariæ, rupto cum Turcis pacto fœdere, mandato Legati Apoſtolici: Nec ſic tamen exempla tanta, hæreticam iſtam ſententiam mitigant, & hæreticæ prauitatis inquiſitores hic libenter dormiunt.

Zedechia. Ezech. 17.

Promiſſio ſeruanda.

CRedo autem ea, quæ de iuramento ſeruando hic præcipit, etiam de quauis promiſſione ſimul intelligenda eſſe. Mens enim eius eſt fidem inter homines docere, fidem inquam, non qua creditur in Deum, ſed qua inuicem fideles & promiſſi tenaces eſſe debent, quomodo Dei fides, Ro. 3. dicitur, Nunquid incredulitas illorum fidem Dei euacuabit? Quod alibi. 2. Tim 2. ſic dicit, Si non credimus, ille fidelis permanet, Vt ſic ſimus filij Dei, & alter alterius Deus, fideles credenti nobis, ſicut Deus nobis omnibus credentibus fidelis eſt.

Rom 3.
2. Tim. 2.

Apprebendit autem potiſſimum iuramentum, quod in hoc operis genere fides inſignius vel ſeruatur vel violatur, ſicut & caſtitas in probibito adulterio, & mititas in prohibito homicidio docetur, & multa ijs ſimilia. Verumtamen in omnibus ijs commendatur gratia Dei, non enim humanæ, ſed diuinæ virtutis eſt, non peierare, ſicut & non adulterari, non occidere, Inſpexit enim communem hominum vitam, quam Oſeas 4. ſic deſcribit, Non eſt veritas, non eſt miſericordia, non eſt ſcientia Dei in terra, maledictum, mendacium, homicidium, furtum, adulterium inundauerunt, & ſanguis ſanguinem tetigit. Et quis hodie ſeſe tutum glorietur à periurio, cum ſinguli aſtringamur tot iuramentis? primo Eccleſiaſticis, deinde prophanis magiſtratibus. Quis enim nulli iurauit, niſi infans in cunabulis? quis autem ſeruauit omnia iuramenta? Ita fit, vt nube iuramentorum vere inundent periuria in Eccleſia, & legum multitudo peccatorum plurimorum cauſa exiſtat. Nemo itaq; non iuratus, nemo vel pauciſſimi, qui ſe iuratos eſſe non pœniteant, aut ex animo iuramento ſatisfaciant. Ita vndiq; vita iſta peccatis nos inuoluit miſeros.

Oſe. 4.
Periurium commune malum.

Matth. 5.
An liceat iurare Chriſtiano.

QVæritur autem hic, An Chriſtiano liceat iurare, cum Chriſtus Matth. 5. doceat: Ego dico, non iurate omnino. Multis ac magnis Libris hic actum eſt, ſatis periculoſe & tarde definiunt, poſtquam omnes ſumus implicati captiq; iuramentis, & communis vita hominum vſum iurandi tam celebrem habeat, vt nihil fere celebrius, nec hodie inter eos conuenit. Certe hic verſus indicat iurare licitum eſſe, etiam proximo ſeu amico ſuo, ne quis tantum ſuperiori exactori iurandum eſſe putet, Nec loquitur de periurio ſeu falſo iuramento tantum, quo quis ſciens falſum iurat, ſed potius de implendo iuramento, quod Ebræus clarius, quam noſter exprimit, vbi pro non decipit, legitur, non mutat, non deficit, non rebellat, hoc eſt, qui fidem præſtitam non frangit. Cum ergo verba Chriſti prohibentis iuramentum tam aperta ſint, vbi dicit, Sit ſermo veſter, eſt, eſt, non, non, quod his abundantius eſt, à malo eſt. Rurſus non minus apertum ſit ipſum ſæpiſſime iuraſſe, cum in Euangelijs toties dicat, Amen, amen, dico vobis. Et Paulus toties iuret, qui tamen nuſquam prohibuit iurare, vbiq; autem fidem & veritatem præcepit, neſcio quid dicam & cui credam.

Chriſtus & Paulus ſæpe iurant.

Volo

Digitized by Google

Volo interim meo ſenſu nugari, qui tamen non longe ſit alienus ab omnium aliorum ſenſu, Sequar autem imprimis communem hominum vitam & ſenſum. Deinde verba Chriſti, quo ſimplicius potero, accipiam, Omnium ſenſus in hoc eſt, vt multa vitia damnet, quæ tamen non omittit, vt teſtatur cuiuſq; conſcientia. Ita etiam Deos damnat, qui facile iurant communi ſermone ſeu colloquio, quod tamen difficile eſt cauere, vt experientia teſtis eſt, Cæterum extra colloquium, vbi fœdera, pacta, aut fides exiguntur, nemo iuramentum damnat, Vt ſic diſtinguendum ſit inter familiarem ſermonem, narrationem, ſiue colloquium, quo recitantur, nunciantur, dicuntur varia, & inter contractus, pacta, fœdera, promiſſiones, fidem & ſimilia.

Quando licitum ſit iurare.

Ita Chriſtus & Paulus iurant, quoties fidem ſuadent, ac cum hominibus paciſcuntur pacto ſancto fidei, At Chriſto de communi ſermone loquitur, *Matt. 5.* Vnde ſignanter dicit, Sit ſermo veſter, eſt, eſt, non, non, vt leuitatem iurandi prohiberet, cum ſit nulla neceſſitas in ſermone communi, Hoc puto & Auguſtinum ſenſiſſe, cum prohibitam dicit pronitatem iurandi. Ita ſtat verbum Chriſti ſimpliciſſimo ſenſu verum, Quod abundantius his eſt, à malo eſt, vt non ſit neceſſe malum non credentis fingere, cum ſit reuera malum iurantis in communi ſermone (vbi nulla promiſſio, nullum pactum, nulla fides ac per hoc nulla neceſſitas eſt) iurare prompti.

Hac ſententia minus multas conſcientias illaqueabimus, quæ vt dixi, vitam ſeu ſenſum communem hominum, à quo Chriſti doctrina, ſi recte comparetur, non abhorret multum, quantum ad mores ſpectat, exprimit, & verbo Chriſti, ſimpliciter accepto conſonat, ſed & originali ſuo, vnde Chriſtus accepit, non abludit, Dicitur enim Leuit. 19. Non mentiemini, nec decipiet *Leuit. 19.* vnuſquiſq; proximum ſuum. Non periurabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui, Vbi de communi & familiari ſermone loquitur, vt videtur, dum mendacium & falſiloquium (quæ mitiora ſunt communis colloquij peccata, quam periuria, perfidia in pactis & contractibus) tractat.

Perfidiam & periurium taxat Propheta.

Sed & hic verſus Pſalmi non de communi ſermone ſeſe loqui oſtendit, dum dicit, Et non mutat, manifeſte perfidiam & periurium taxans, ſiquidem mendacium & falſiloquium, ſeu periurium in quotidiano ſermone, ſuperius taxauit, Qui loquitur veritatem in corde ſuo. De eodem iuramento Pſal. 24. *Pſal. 24.* ſic dicit, Et non iurauit in dolo proximo ſuo. Ita ſtat vtraq; ſententia, Quod Chriſtiano ſimpliciter præceptum eſt, nullo modo per aliam rem diuinam vel humanam iurare in ſermone quocunq;. Et tamen ſeruandum eſt iuramentum præſtitum in quacunq; cauſa aut pacto. Quare iuramentum ſimile eſt operi carnali, quod extra matrimonium non licet, & intra matrimonium & petitur & redditur iure. Ita extra pactum & fidei negotium iurare non licet, intra vero optime licet, imo expetit.

Qui pecuniam ſuam non dedit ad vſuram, & munera ſuper innocentes non accepit.
Qui facit hæc, non mouebitur in æternum.

Auguſtinus.

Hieronymus.

ISte verſus non indiget expoſitione, ſed impletione, Et Auguſtinus dicit, hæc non eſſe magna & incipientium, quia Propheta à ſuperioribus & maioribus incepit. Idem ſentit diuus Hieronymus & alij. Verum ſi ſpiritu loqui Prophetam aduertimus, quis eſt hominum, qui non ſit inuolutus his peccatis? *Eſto, non dent omnes ad vſuram, Omnes tamen odiunt*, non licere ad vſuram dare, gauderentq; licere, ſua non aliorum commoda ſpectantes.

Deinde

Deinde ſi & hic ſe tegit Adam veteris nequitia, ſi tamen penuria vrgeret, & alia via non pateret quam vſura, nemo non fieret vſurarius, Quare omnia illa verba huius Pſalmi, Habitabit, requieſcit, ingreditur, operatur, loquitur, non egit dolum, non fecit malum, non accepit opprobrium, iurat, non mutat, non dedit, non accepit, facit, ſic ſunt de operibus intelligenda, vt ex pura ſpiritualiq; voluntate manare omnia intelligantur, Cum hypocritæ talia vel omnia vel multa ſimulare ad tempus poſſint, ſed in tempore malo contraria faciunt. Alioqui reuera parum eſt operis, non dediſſe pecuniam ad vſuram, cum iubeamur & inimicis benefacere, gratis omnibus mutuum dare.

Sed nonne Propheta contradicit Moſi, qui filiis Iſrael Deut. 23 dicit,
Deut. 23. Non fœnerabis fratri tuo ad vſuram pecuniam, nec fruges, nec aliam quamlibet rem, ſed alieno, fratri autem tuo abſq; vſura commodabis, id quo indiget? Non eſt negandum, quin mores gentis ſuæ arguerit, quod non contenti alienis fœnerare, etiam fratribus ſuis fœnerabant, vt erat, eſtq; etiamnum populus iſte vnus omnium longe auariſſimus & vſuræ ſtudioſiſſimus, in *Iudæi, auari & vſuræ ſtudioſi.*
Amos. 8. quem Prophetæ varie ſunt inuecti, quorum vnus Amos 8. Audite hoc, qui côteritis pauperem, & deficere facitis egenos terræ, dicentes: Quando tranſibit meſſis, vt venundemus merces? Et ſabbatum, vt aperiamus frumentum, vt imminuamus menſuram & augeamus ſiclum, & ſupponamus ſtateras doloſas, vt poſſideamus per argentum egenos & pauperes pro calciamentis (Ebraice per fruges) & quiſquilias frumenti vendamus? Idem primo Cap. Venditis pro argento iuſtum, & pauperes pro calciamentis (id eſt, pro frugibus veſtris) Qui conterunt vſq; ad puluerem terræ capita pauperum, & viam humilium declinant (id eſt, ſubuertunt)

Verum non hoc ſolum agit (vt dixi) ſed omnes affectus vſuræ etiam ſecretiſſimos eradicare proponit, Vt loco vſuræ ponat beneficentiam, vt facile *Affectus vſuræ eradicandus.*
1. Tim. 6. tribuant (ſicut Apoſtolus 1. ad Tim. 6. docet) & gratis mutuo dent, ſicut Chri-
Luc. 6. ſtus Luc. 6. præcipit, & Matth. 5. Noſtro autem ſeculo feliciſſima eſt vſura, fa-
Mat. 5. cta, Romano pontifice autore, iuſticia, & licitus contractus, ſubmoto nomine vſuræ & appoſito nouo, quo nunc dicitur, contractus reemptionis. Hæc enim nunc pulchra dicitur figura, & hac iuſticia iuſtificatur hodie totus orbis, maxime Clerus, regnatq; monſtrum illud ſecure, extincto per hunc modum Euangelio & vniuerſa iuſticia eius cum regno Dei, nec ſic tamen Antichriſtum adeſſe vllus credit. Valet item ſecundo idem contractus nouo miraculo ad hoc, vt res temporales, temporales non ſint, quia Intereſſe illud, quod eſt neruus, ſubſtantia, virtus huius contractus, eſt immortale, etiam ocioſæ & ſterili pecuniæ. *Vſura autore Romano Pontif. nunc licitus contractus.*

Has craſſas Satanæ nequitias, quas religioſe admittimus & colimus ſolum ob hoc, quia Romani pontificis nomen prætexitur. Vnde inter omnia miracula, quæ hodie Deus operatur, hoc mihi vel primo loco habetur, orbem poſſe ſubſiſtere & huius cenſus incomprehenſibilem vſuram ferre. Sit ergo non dediſſe pecuniam ad vſuram parum, hodie certe magnum & rarum eſt, de quo alias abundantius dixi.

Et munera ſuper innocentem non accepit. Et hoc parum videtur, ſed rarum & magnum hodie quoq;, vt Iudæos omittam. Hic peccant iudices, & qui cauſas defendunt, tuentur, impetunt, hoc eſt, Papa, Epiſcopi, Officiales, Procuratores, Rabulæ forenſes, & fex illa hominum, quæ alitur populorum peccatis, ſicut Lenones ſtupris mulierum. Facile eſt forte cauſæ ſolius intuitu quenq; conſulere, ſententiam dictare & ferre, Verum vbi irruerint affectus, ſcilicet ſpes lucri, fauor amici, odium inimici, contemptus humilium, *Peccatum eorum qui populorum peccatis aluntur.*

metus

metus magnorum.non modo videbis illud Deut.16.& Exod.23.Munera excæcant oculos Sapientum,& ſubuertunt verba iuſtorum. Et Iſa.1.Omnes diligunt munera,ſequuntur retributiones,Sed quod & omnes alij iam dicti affectus idem facient,nemo nouit niſi tentatus,quam ſit blandum & potens hoc malum.

Deut.16. Exod.23. Iſai.1.

Iam ſunt,qui alterius cauſam etiam gloriæ ſtudio peruertunt,quo acutiores doctioreſq́; videantur.Quid autem refert.ſi non munus accipias aduerſus innocentem,gloriam tamen aut vindictam aut gratiam accipias? Quod ſi hunc verſum Principes & Epiſcopi ſeruarent,putas tot monſtra pareret Romana furia(Curia volui dicere)Verum ſicut illic omnia portenta ſcelerum ſummo gradu regnant,ita oportet vt & hoc nefas illic regnet,Vt iterum Satanas ſedem ſuam & Pantheon obtineat,vnde in orbem totum inundet omne malum.

Ne autem vlla pars hominum hoc vitio ſit libera,fit vt plurimi etiam fidei cauſam & verbi Dei damnent,pars muneribus,pars fauore,inuidia, odio, ambitione,gloria capti,non pauci etiam metu magnorum,aliqui & contemptu.Nonne ij omnes contra innocentes accipiunt aliquid? præter hos aliqui etiam ignorantes,zelo Dei & amore(vt iactant)veritatis.Quis collegia,Monaſteria,Vniuerſitates,ab hoc malo liberabit? qui(vt ignorantiam taceam)aperte etiam confitentur,ſeſe dicturos facturoſq́; omnia pro veritate, niſi metuerent cenſibus,honoribus,fauoribus,aut etiam vita priuari? Quid hoc eſt aliud, quam non accipere quidem,ſed tamen bene accepta,male ſeruare munera ſuper innocentem,Væ nobis.

Accipientes munera contra innocentes.

Quis auderet dicere omnium Collegiorum, Monaſteriorum, Vniuerſitatum,cenſus,honores,dignitates fieri munera accepta ſuper innocentes,vnius hominis Papæ tyrannide formidata? Vel ex hoc vno intellige,quid periculi ſit eſſe Papam,Deinde quantorum ſceletum per orbem ſit autor,ſi ſemel abvſus fuerit poteſtate contra veritatem.At nunc cum non niſi abutatur in perniciem veritatis.quid aliud quam ſedem Satanæ & Antichriſti negocium Romæ eſſe & agi,credere poſſumus? cuius vnius metu,veritas tanto terrarum & ſpacio extinguitur,error & mendacium ſtatuitur,innumerabilibus animabus tam facile tam cito perditis:Obſecro,quis non metuat,viuere in tantis periculis horum dierum,in tantis voraginibus animarum? Hæc tempora ſunt,quæ prædixit Paulus,Inſtabunt tempora periculoſa,erunt enim homines amantes ſui,&c. 2.Tim.3.

Cenſus,honores, Collegiorum. Monaſteriorum quales.

Papa abutitur poteſtate in perniciem veritatis.

2.Tim.3.

Recte ergo concludit,Qui facit hæc,non mouebitur in æternum. Nota bene,facit,ſi ille non ſtabit,qui hæc dicit & oſtendit, nec tamen facit,vbi parebunt illi,qui etiam ſi ſciunt & cogitant hæc eſſe recta, non tamen audent mutire? Vbi & illi qui indocto zelo contra hæc agunt? Vnde in Ebræo diſtinctio verſus ſic ponitur,vt qui facit hæc,pertineat ad partem priorem ſic:Argentum ſuum non dedit ad vſuram,& munera ſuper innocentem non accepit faciens hæc,Non mouebitur in æternum, Quaſi dicat, Non tantum ſciens aut loquens hæc, Vt vltima pars verſus ad totum Pſalmum pertineat,& prior oſtendat quam ſit rarum & arduum,ſine vſura,ſine precio ſanguinis viuere.Imó nõ eſſe poſſibile niſi quis ſit promptus ponere cenſum, honorem & vitam,extremaq́; omnia pro veritate pati.

Ex quibus videmus quam fallax ſit,omne quod ſpecie & nomine fulget, nam Chriſtianiſmum hodie arbitrantur potiſſimum in Clero eſſe,& ecce vſuris & precio ſanguinis,metu Romani pontificis,omnes viuunt per orbem.

Romæ

Digitized by Google

Romæ iactatur contentione indomita, Papam paſcere omnes oues, & ecce
ipſe Lupus eſt omnes oues iugulans. En quod dixit Apoſtolus, Mittet illis o- *Papa lupus oues*
perationem erroris, vt credant iniquitati, qui charitatem veritatis non accepe- *iugulans.*
runt, vt ſalui fierent. Interim tamen legimus horas Canonicas, ſacrificamus
multas Miſſas, & ea facimus ac dicimus, quæ citra noſtrum periculum dici fi-
erique poſſunt. Veritas & fides, cum Euangelio, de ſuo periculo viderint.
Quid ad nos, qui pro Chriſtianis facti ſumus Romani, pro credentibus ope-
rarij, pro Euangelicis Decretalici, pro ſpiritualibus, cæremoniarij. Et in totum
pro populo Dei libero, ſerui hominum impijſſimorum?

PSALMVS XVI.

Michtham Dauid.

NOmen hoc Michtham, varie tractatum eſt. Antiqua
iuxta Auguſtinum, habet tituli inſcriptio, quod eadem dictio *Michthem.*
ebraica Chethem, etiam ſignificet notam vel ſignum, inde *Chethem.*
Michtham, ſignatum, notatum ſine titulo inſcriptum, ad ti-
tulum autem crucis, id referri, etſi pium eſt, coactum tamen
eſt. Hieronymus duabus dictionibus velut etymologiſans, red-
dit, humilis & ſimplicis Dauid. Lyra facit ex ipſo nomen cantilenæ de-
centioris, cuius ſententia mihi omnium magis pene probatur. Nam Burgen-
ſis erudite Hieronymi ſententiam reprobat. Ipſe vero Burgenſis, dicit hoc vo-
cabulo, aurum vel aureum ſignificari, quod Cant. 5. dicitur, Caput eius aurum
Can. 5. optimum, præpoſita ergo litera Mem, fit Michtham, id eſt, ex auro vel aure-
um, dicitq; eo ſignificare paſſionem Chriſti, quæ hoc Pſalmo canitur.

Ex omnibus iis adiutus, opinabor interim Michtham eſſe nomen Pſalmi
huius. Sic enim iuxta autoris cuiuſpiam nomen, ſolet poni nomen Pſalmi
quoq;, vt canticum Dauid, Pſalmus Dauid, teſtimoniũ Aſaph, intellectus Da-
uid, & ſimilia, ſicuti vidimus & videbimus. Ita hic, quia inſignis eſt Pſalmus
iſte de inſigni materia, nempe Chriſto omnium capite tractans, noluit com-
muni, ſed inſigni nouo & blando vocabulo eum inſignire & appellare Mich- *Michtham Dauid.*
tham Dauid, Quaſi diceret aureolum Dauid. Sic Lyra & Burgenſis in vnam
veniunt ſententiam, quam vtriq; ex Ebræis fontibus hauſerunt.

Sunt autẽ ſex in vniuerſum Pſalmi hoc titulo inſignes: Hic ſextusdecimus,
& quinquageſimus ſextus, cum quatuor ſequentibus. Verum illi multa alia
in titulis ſuis habent, hic vt præ omnibus ſingularis ſimpliciter Michtham vo-
catur. Neq; enim vllus alius tam clare de paſſione & reſurrectione perſonali *Hic Pſalmus ab*
Chriſti loquitur, Vnde & Apoſtoli hunc Pſalmum, præ omnibus ferme Scri- *Apoſtolis citatur*
Actor. 2. 13. pturis, allegant ad confirmandam reſurrectionem Chriſti, vt Act. 2. & 13. legi- *ad confirmandam reſurrectionem*
mus. Vbi Petrus dicit: Quem Deus ſuſcitauit ſolutis inferni doloribus, iuxta *Chriſti.*
quod impoſſibile fuit teneri eum ab illo. Dauid enim in eum dicit: Prouide-
bam Dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam à dextris eſt mihi, ne
commouear. Propter hoc lætatum eſt cor meum, & exultauit lingua mea, in-
ſuper & caro mea requieſcet in ſpe, Quoniam non derelinques animam me-
am in inferno nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi fe-
ciſti vias vitæ. replebis me iucunditate cum facie tua delectationes in dextra
tua vsq; in finem.

Ex his facile patet ſenſus totius Pſalmi, nec noſtra indiget, quantum ad ſummam ſententiæ pertinet, interpretatione, ſed magis fide & æmulatione, vt quem S. Apoſtoli per ſpiritum ſanctum interpretati ſunt tam clare, verbis tamen obſcuriſſimis plenus eſt: Et in eo fundatur articulus ille fidei, Deſcendit ad inferos, tertia die reſurrexit à mortuis, vt mirum ſit, auſos quondam fuiſſe magni nominis Theologos negare, cum articulum in ſacris literis inueniri, quo ad eius priorem partem, deſcenſum ſcilicet ad inferos.

Deſcendit ad inferos.

Conſerua me Domine, quoniam ſperaui in te.

HÆc eſt verſus poſterior pars in Ebræo, nam prior pars, titulo conſtat. Sunt autem verba Chriſti per totum Pſalmum, Incipit enim affectu iam pereuntis ac derelicti ab omnibus, & morientis, hoc modo. Ecce ego morior, dereliquit me virtus mea, dereliquerunt angeli & homines, quin dæmones & omnes homines perdunt me, Periji fuga à me, & non eſt qui requirat animam meam, deſperatus deploratuſque ſum omnibus, Itaque tu qui ſolus es mihi Seruator, qui perditos ſeruas, viuificas mortuos, exaltas afflictos, ſerua me. Quaſi dicat illud, Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum. Non autem pro ſolo paſſionis tempore ſic petit conſeruari, verum tota vita ſeſe in ſeruatore Deo pendere confitetur, ac quotidie mori, vt Paulus gloriatur, ita ſemper perit, ſemperque ſeruatur pius, Atque hæc eſt vita noua fidei & ſpei hoc Pſalmo commendata, vita ſcilicet crucis, hoc eſt, mortis, nec huius niſi turpiſſimæ.

Chriſtus per totum Pſalmum loquitur. *Pſal. 142.* *Pſal. 31.* *Semper perit, ſemperq́ ſeruatur pius.*

Qui ergo in pace agit, vel ſe ſuis aut hominum viribus ſeruat, nunquid poteſt dicere Deo, Conſerua me Domine? Reſpondebitur enim ei, quid conſeruem, cum nondum pereas nec perditus ſis? Diſcamus ergo tunc potiſſimum eſſe clamandum, quando perimus, vbi homines minime omnium clamant, ſed deſperant potius.

Quoniam ſperaui in te, Ecce fiducia & ſpes inuocante, Quomodo inuocaret, qui non confideret? Ipſa fiducia allegatur pro merito congruo & condigno (vt videmus) ſalutis æternæ, Cur non allegat opera, & virtutes pro meritis? Nempe quod in hoc exceſſu nihil ſubſiſtit, nihil ſeruat, niſi pura & firma fides in ſolam miſericordiam Dei nitens, quæ nihil de ſe ſed omnia de Deo præſumit, Vt monſtrat hic Chriſtus ſuo pulcherrimo exemplo, de quo affectu & emphaſi verborum iſtorum, ſperaui, & in te, abunde dictum eſt Pſal. 5. Si enim in aliud quam in Deum ſperetur, iam non poterit dici, ſperaui in te. Et quis de ſuis meritis præſumat, quando hic caput omnium Chriſtus, tacitis meritis, in fide & ſpe miſerentis Dei ſolummodo nititur, Deſperatis itaque in omnibus & per omnia hic affectus congruit.

Non credunt non inuocant. *Pſal. 5.*

Dixi Domino, Deus meus es tu, bonorum meorum non indiges.

HIeronymus ſic reddit partem poſteriorem: Bene mihi non eſt ſine te, Mihi potius ſic reddendum videtur: Bonus fui non ad te, vt tobathi ſit verbum abſolutum, quod, ſi liceret dicere, bonaui diceretur, hoc eſt bonus & pulcher fui, Vt ſit ſenſus, ideo dixi ad Dominum, quod mihi eſſet Deus à quo omnia haberem, & ipſe nihil à me (id quod vere eſt eſſe Deum) quia non fui bonus in eum, nihil enim in eum beneficij contuli, Quis enim prior dedit illi & retribuetur ei? Rom. 11. Quoniam ex ipſo & per ipſum & in ipſum ſunt omnia. Hunc ſenſum noſter Interpres vidit, cum dixit, Bonorum meorum non indiges, Et Hieronymi ſententia ſic conſonat, quod non modo nos nihil poſſumus date Deo, ſed omnia bona ex ipſo habemus, & ſine ipſo nihil boni habemus.

Rom. 11.

Dicit

Dicit hæc autem Chriſtus in commendationem crucis. Intuitus duas contrarias hominum generationes, quarum alteram, ſcilicet piorum, vidit ex ſeſe naſci & ſibi parari in regnum & hæreditatem. Alteram ſcilicet impiorum, quia in cruce ſcandaliſatur, relinquendam eſſe. Ac ſi dicat, Ecce morior, & in oculis hominum impiorum nihil minus apparet, quam vt tibi placeam, aut Rex & Hæres tuus ſim futurus. Sed hoc faciunt, quia rebus & viribus & meritis ſuis freti, te Deum non eligunt ſibi, nec ex te omne bonum accipere, verum potius tibi benefacere præſumunt, Id ſibi vendicantes, erga te, quod expectare debuerant ex te, Cum tu ideo mihi omnia auferas, vt oſtendas non aliquid ex nobis tibi, ſed omnia nobis ex te venire, ſi in te ſperemus, & in manum tuam nos proiecerimus. *Duæ contrariæ hominum generationes.*

Atque ita noui populi Dux, hic ſuo exemplo docet & eloquitur, quibus bonis nouus populus ſit abundaturus, ſcilicet diuinis tantum, cæteris omnibus in nihilum redactis. Id quod Iudæus & vetus populus, temporalis abundantiæ promiſſionibus aſſuetus, non capiebat, ſed & natura ipſa impatientiſſime, imo nullo modo ſuſtinet, Cum tamen interim nemo non garriat, Dominum eſſe Deum ſuum, & vbi ſe ſolum cœperit oſtendere bonum eorum, cætera omnia auferre, nihil minus inueniuntur ſenſiſſe, Neq; n. opum, nominis, vitæ, iuſticiæ & eorum quæ habent ferre poſſunt ablationem, ſola ſide & ſpe clamantes, Conſerua me Domine, quoniam ſperaui in te. Et, dixi Domino, Deus meus es tu, nihil boni confero in te. Id enim facit beneficium crucis mortificans nos & noſtra omnia, vt conſortes efficiamur diuinæ naturæ, vt 2. Pet. 1. dicitur. *Bona noui populi ſpiritualia.* *2. Pet. 1.*

Et vere arduiſſimum eſt, imo ipſe infernus, ſentire omnia apud Deum eſſe bona noſtra & in nobis nihil eſſe ſitum, quo cum demereamur, placemus aut mitigemus. Ruitque hic funditus impia illa Theologia eorum, qui faciendo quod in ſe eſt, præſumunt miſericordiam Dei emereri, aut pro peccatis ſatiſfacere ſuis opuſculis, Ignorantes hæc omnia fieri fide ſolius miſericordiæ Dei, extinctis maxime ijs ipſis opuſculis ac penitus deſperatis, quibus nitebantur ſatiſfacere & parare ſeſe ad gratiam Dei. *Facere quod in ſe eſt.*

Atque hinc apparet quid proſit pompa illa ſatiſfactionum & Indulgentiarum, per Magiſtros noſtros hæreticiſſimos in Eccleſiam Dei introducta, ſuis impijs ſtatutis, deciſionibus, reſeruationibus, indultis conceſſionibus, & id genus peſtilentiſſimis nugis, totius orbis animas perditiſſime illaqueantes, Quibus quid aliud diſcimus, quam vt credamus Deum noſtris egere bonis, & nos non conſortio diuinæ naturæ, ſed Deum noſtræ naturæ conſortio beatum fore, dum non fide nos in illum paramus transformare, vt ſit nobis Deus, ſed operibus illum in nos conamur mutare, & noſtris votis ſimilem facere, vt ei nos Idola ſimus? ſicut dicit apud Iſaiam: Cui aſſimilaſtis me? aut quam imaginem ponetis mihi? An non eſt hoc Deum velle mihi conformare, ſi huc nitar, vt meæ opinioni, meo affectui, meo ſenſui, & deſiderio ſeſe attemperet, niſi id faciat, non ſiſurus in eum, nec laturus eius manum, Cum contra oporteat in nihilum nos ire, & eum facere in nobis compotem ſui ſenſus, ſui voti & deſiderij, hoc eſt, mori, damnari, & in nihilum redigi. *Pompa ſatiſfactionum & indulgentiarum, &c.* *Iſa. 66.*

Recte ergo huius Pſalmi titulus eſt, Aureolum, qui de hoc ſummo & principe affectu loquitur, idque de ſummo & optimo eius genere, qualis in principe omnium Chriſto fuit, Nam hoc affectu diſcernitur populus Chriſti à non populo ſuo, contemptis omnium perſonis & nominibus, vt ſequitur. *Titulus huius Pſalmi.*

Sanctis qui in terra ſunt eius, mirificauit omnes voluntates meas in eis.

Hierony. Sanctis qui in terra ſunt & magnificis, omnis voluntas mea in eis. Ebræus ad verbum ſic, Sanctis qui in terra ſunt ipſi & magnificis, omne deſiderium meum in eis. Debuit itaque omitti pronomen, Eius & in eis, quod Ebraico idiotiſmo ſolet, poſt relatiuum, Qui, ſubiungi. Et tertium eſt, verbum, Mirificauit, per interpretem, pro nomine poſitum, quod Adiri, in Ebræo, magnificos, grandes, admirabiles, ſignificat, vt Pſal. 8. Quam admirabile eſt Nomen tuum in vniuerſa terra. *Pſal. 8.* Deinde omiſit coniunctionem, Et, quæ facile prohibuiſſet ne ex magnificis faceret, mirificauit.

Stet ergo verſus ſine ebraiſmo. Sanctis ſeu ad ſanctos, qui ſunt in terra, & magnificos, omnis voluntas mea, Vt ſit ſenſus, Cum in me omnes ſcandalizentur, qui perſona rerum capiuntur, & ſint inimici crucis, ego viciſſim eos relinquo cuiuſcunque ſint ſiue generis ſiue nominis, nec moueor quod ſint ſemen Abrahæ, Eos vero amplector, qui ſunt ſancti & magnifici in ſpiritu, contempti mundo & illis. In his mea voluntas, meum deſiderium, mea hæreditas, hi mihi erunt populus à Patre datus, vbicunque fuerint in terra, Nec enim in Ieruſalem aut Zion aut Roma erunt neceſſario, ſed vt Petrus ait, Actor. 10. In veritate cognoui, quoniam non eſt acceptio perſonarum apud Deum, Sed in omni gente qui timet eum, & operatur iuſticiam acceptus eſt illi. Hoc Iudæi nolebant, hoc eorum hodie æmuli Romaniſtæ negant, qui nos Romæ alligare conantur & præualuerunt, Hunc ſenſum ſequentia iuuabunt.

Populus Chriſti à Patre ei datus.

Actor. 10.

Populus Dei quo fundamento nitatur.

Dicit ergo Chriſtus, Si me qui caput ſum, oportet omnibus contemptis, ſoli Deo inhærere, & ſic per paſſionem intrare in gloriam meam, Oportebit & eum populum, qui mihi in hæreditatem datur, talem eſſe, vt nullo loco, nullo genere, nullo nomine nitatur, niſi hoc vno, vt mecum Deum habeat, cui nihil tribuat, ſed omnia ex eo recipiat, qui redigatur in nihilum, vt fiat omnia, Hoc eſt quod Matth. 24 dicit, Si dixerint vobis, Ecce hic eſt Chriſtus aut illic, nolite credere, Neſcit enim locum Chriſtianus homo, nec vllum temporale, Licet hodie impij Pontifices Romani cum ſuis adulatoribus nobis hanc ſententiam damnarint vt hæreticam, & Romam nobis aſſignarint, pro loco, in quo Chriſtum oporteat inuenire, affirmantes Deum ſuis ſtultis votis. Verum ipſe pulchre contrarium non modo hic docet, ſed & reipſa oſtendit, dum non niſi Satanam Romæ ſub ſuo nomine regnare permittit, vt omnium palpat manus, & totus cernit mundus.

Matth. 24.

Sanctum quid ſit.

Diximus in ſuperioribus, ſanctum illud eſſe, quod in ſeparato & abſcondito eſt & conſpectu ſolius Dei, non illud prophanum ſanctum, quo hodie rantum, domus, veſtes, clerus à Pontificibus ſancta vocantur, ad fallendos animos hominum, Sed quo ſpiritus ſanctus ſua vnctione ſanctificat, ita ſancti ſunt non Iudæi, non clerus, non vllius nominis homo, niſi fide inhærens Deo, per eam particeps eius naturæ factus, cuius vita abſcondita eſt cum Chriſto in Deo, ceteris omnibus dat Chriſtus libellum repudij hoc verſu & ſequentibus, dum dicit, Voluntas mea ad Sanctos terræ & magnificos. Quaſi illud Pſal. 101. dicat, Oculi mei ad fideles terræ, vt ſedeant mecum, Quo repudio & Malach. 1. ad Iudæos dicit, Non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, quia magnum eſt Nomen meum in Gentibus.

Pſal. 101.
Malach. 1.

Magnifici.

Eſt autem eadem dictio voluntas hoc verſu, quæ Pſal. 1. In lege Domini voluntas eius. Magnificos ſimiliter in ſpiritu appellat, cum coram hominibus, cum

Digitized by Google

bus,cum ſceleratis & viris ignominiæ & infirmitatem ſcientibus, ſicut & eorum caput Chriſtus habeantur, Verum fide ſanctificantur, fide & magni ſunt, & admirabiles in oculis Dei, ipſi enim animo magno contemnunt omnia bona & mala. *Sancti terræ.* Dicit autem Sanctis terræ, non ſanctis cœli, vt de hominibus in terra loqui ſe ſignificet, Simul vt promiſſione certa confirmet corroboretque eos, qui in ſe credunt, vt quantumlibet patiantur mala, ſciant tamen ſeſe placere Chriſto ſuo Domino, aduerſarios vero diſplicere, Itaque verbum dulcis promiſſionis eſt hic verſus, fidem excitans & conſeruans, ſicut ſequens verbum aſpere comminationis eſt, infidelitatem damnans.

In quibus omnis voluntas mea eſt. Facile eſt hic noſtram translationem concordare, vt ſit ſenſus, Deus meus fecit in Sanctis meis omnia quæ volui & quæ ego deſidero, Volui autem nihil aliud, quam vt mei ſimiles eſſent, mecum mortificati ſecundum carnem & viuificati ſpiritu, Id quod mirabile eſt in oculis omnium, vt mortui viuere, ignominia perditi glorificari, prophanati Sancti dici & eſſe debeant, Verum per ſpiritum has mirabiles voluntates meas impleuit & perfecit, Solum ergo in his Sanctis, non etiam in alijs voluntas mea eſt, vbi enim omnes voluntates meæ eſſe dicuntur, oſtenditur in cæteris nulla mea voluntas eſſe. Ita fit, vt qui crediderit ſaluus fiat, qui non crediderit, damnetur, quia omnis voluntas Chriſti in illis, in his nulla.

Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum, poſt ea accelerauerunt, non congregabo conuenticula eorum de ſanguinibus. Nec memor ero nominum eorum per labia mea.

Generatio altera crucis inimica. HOc verſu alteram generationem deſcribit & repudiat crucis inimicam, in qua nulla ei voluntas eſt, quia ſe caput propter humilitatem mortis eius non recipit, nec per fidem in Deum transformari patitur, vt Dominum habeat Deum cum Chriſto, ſed Idolis cordis ſui, & operibus ſuis ſeſe fatigat. Vnde ebraica verba videnda ſunt, quod eorum vim non reddere poſſit latinitas. Et Hieronymus ſic variat à noſtro. Multiplicabuntur Idola eorum poſt tergum ſequentium, Non libabo libamina eorum de ſanguine, nec aſſumam nomina eorum in labijs meis. Hunc enim verſum in duos nos diuiſimus.

Azab. Quod Hiero. Idola eorum, nos infirmitates eorum, Ebræus habet Azebothan. Azab autem verbum ſignificat, cum triſticia & labore aliquid formare, ſicut fabri argentarij laborant, vt imagines forment, Inde Pſal. 115. ab *Pſal. 115.* hoc triſti diligentique labore, ſimulachra gentium dicuntur, Azabim, ſcilicet *Azabim.* ab arte & labore, quibus formantur. Et Pſal. 127. Qui manducatis panem doloris, id eſt, Azabim, quod alij panem laborantium cum dolore, alij panem ærumnoſum. *Pſal. 127.* Quidquid ſit in iſta varietate, in hoc omnia conueniunt, Azabim eſſe id, quod arte & dolore paratur & formatur.

Magiſtri impiorum dogmatum. Quo nomine, ſpiritus appellat impiorum dogmatum & operum Magiſtros, quæ & Idola eorum ſunt, quod mendacium multo labore & cura opus habeat, vt verum appareat, cum econtra prudentum doctrina facilis, vt Prou. 14. & veritas ſimplex ſit, nec hoc modo ſolum ærumnoſi & miſeri ſunt, ſed *Prouer. 14.* & operibus ad eadem dogmata factis, cum enim fide vacui ſint, doctrinis & operibus hominum fatigentur aſſidue neceſſe eſt, hos ſuperius in vocabulis Auen & Amal, & Pſal. 10. in verſu comprehenduntur in conſilijs quibus cogitant, ſatis deſcripſimus. *Pſal. 10.*

Locus ex Iſaia cap. 44. Horum ſtudia Iſaias falſiſſima parabola taxat 44. longo ſermonis textu inducens plaſten Idoli, qui locus maxime valet ad hunc verſum, qui volet, legat.

legat. Itaquè ſiue Idola ſiue infirmitates dixeris, rectè dixeris, modo impium, inutile, triſte, & infirmum ſtudium eorum intelligas, qui extra fidem ſuis

Nemo rectè de Deo ſentit ſine fide.

operibus & doctrinis, Deo, neſcio quæ reddere volunt, non formari à Deo, ſed formare Deum volentes. Dixi enim ſuperius, qui aliter de Deo ſentit, quam ſentiendum eſt, Deum ſibi, non ſe Deo afformat, At ſine fide nemo rectè de Deo ſentit, Ideo rectè Iſaias ibidem dicit, plaſtæ Idoli omnes nihil ſunt, Quis formauit Deum & conflauit ſculptile ad nihilum vtile? Ecce omnes participes eius confunduntur, fabri enim ſunt ex hominibus: cum enim per

Idola, Infirmitates impiorum.

hæc ſeſe firmare præſumant, magis infirmantur, & conſcientia de die in diem peius habet, Ideo Idola eorum in quibus confidunt ſunt infirmitates eorum, quibus magis ac magis aſſueſcunt Deo diffidere, atque quo plus diffidunt, eo plura ſibi formant Idola.

Vnde Ebræus dicit, Multiplicabunt Idola ſua, actiuo verbo, vt peruer- *2. Tim. 2. Rom. 9.*
ſum & infelix ſtudium eorum exprimat, qui ſemper diſcunt & nunquam ad veritatem perueniunt, ſemper iuſticiam ſectantur & in legem iuſticiæ non perueniunt, infinitis hac cauſa repertis doctrinis, ſectis, operibus, ſeruiendi Deo, vt in Iudæis hodie cernitur, multo magis autem in papalibus Chriſtianis. Cum enim conſcientia eorum non ſit quieta, nec aliam viam pacis norit, quam opera & dogmata ſua, neceſſario miſcet ſe varijs & infinitis quæſtionibus & ſtudijs, in nullo eorum fixa & contenta, vt teſtatur nimis abunde experientia vbique.

Collegia & Monaſteria carnificinæ conſcientiarum.

Sic hodie Collegia & Monaſteria, cum fidei ſint ignorantiſſima, quid ſunt niſi carnificinæ conſcientiarum infeliciſſimæ? qui deinde miſerum vulgum, cuius moderatores ſunt, ſuis impijs opinionibus excæcant, pro fide opera ſua docent, Ita cæcus cæcum ducit, & ambo in foueam cadunt, Vt longe ſit eligibilius ac tutius hodie bubulcum aut fabrum cuiuſuis artis fieri, & vxore ducta communi vita agere, quam Religioſum aut Sacerdotem fieri,

a Hæc addita ſunt in editione Baſilienſi.

(*a* aut literis tantummodo vacare) quia hi à fide omnium minime ſunt remoti, præſumentes de alijs illis optima, de ſe nihil. Quod ſi fides reſurgeret, nullum tum vitæ genus ſpernendum aut periculoſum foret.

Poſt ea accelerauerunt. Varie & hoc tranſlatum & expoſitum, alij ac-

b Alias poſtquam.

clamauerunt, alij dotauerunt, Hiero. poſt tergum ſequentium, Ego noſtrum Interpretem ſequor, vt ſit ſenſus, *b* Poſteaquam omnia impij infelici ſtudio laborauerint, tandem nihil conſequuntur, niſi maiorem fugam, pauorem, confuſionem cordis. Sicut ex Iſaia retuli, participes eius confundentur omnes, *Iſa. 44.*
Solus enim is, qui confidit in Domino, non feſtinabit, ſed ſicut Leo confidet, & ad nullius pauebit occurſum, vbi impius fugit & feſtinat ad ſonitum folij *Pſal. 1.*
volantis, vt ſuperius dictum eſt Pſal. 1. Impij ſicut puluis ante faciem venti. *Iſa. 30.*
Sic Iſai. 30. Si reuertamini & quieſcatis, ſalui eritis, In ſilentio & ſpe erit fortitudo veſtra, Et noluiſtis, & dixiſtis, Nequaquam, ſed ad equos fugiemus, Ideo fugietis, Et ſuper veloces aſcendemus, Ideo velociores erunt qui perſequentur vos, Mille homines à facie terroris vnius, & à facie terroris quinque fugietis, Donec relinquamini, ſicut malus nauis in vertice montis, & quaſi ſignum ſuper collem.

Mala conſcientia.

Talis feſtinantia, fuga, & pauor, eſt ipſa mala conſcientia, quæ ſemper fugit & nunquam effugit, ſemper timet & ſemper accidit quod timet, nunquam quieta, Quia non eſt pax impijs. Ideo rectè dicit, quod pro pace conſcientiæ multiplicant Idola ſibi, & tamen poſt hæc omnia non niſi accelerationem, ſeu melius fugam & feſtinantem pauorem auxerunt.

Non congregabo conuenticula eorum de ſanguine.

HIc plane ipſe Chriſtus quæſtiones illas infinitas de Eccleſia ſua dirimit, quam alij virtualem, alij repræſentatiuam, alij aliam finxerunt. Chriſtus dicit, ſe non congregare eos, qui ſunt ex ſanguinibus, ſicut Iohan. 1. dicitur. Qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt. Eundem locum Paulus, vt vbique, ita ad Rom. & Galat. ex profeſſo & magnifice tractat, vbi probat, Non omnes filios carnis eſſe Iſrael, ſed ſolos filios promiſſionis, & filios liberæ Saræ, non ancillæ Agar eſſe ſemen Abrahæ, vt Eccleſiam Chriſti prorſus omni perſona exuat, vt ſicut alibi dicit, In Chriſto neque ſit maſculus neque fœmina, neque Iudæus, neque Græcus, neque liber, neque ſeruus: Ita neque Romanus neque Germanus, ſed qui ex fide ſunt, benedicentur cum fideli Abraham. *Quæſtiones de Eccleſia infinitæ, Chriſtus his dirimit.* *Iohan. 1.*

Quare deteſtanda eſt impietas Romana, quæ de Eccleſia ſomniat ſua mendacia, Cum Eccleſia aliud eſſe non poſſit quam congregatio ſpiritualis hominum, non in aliquem locum, ſed in eandem fidem, ſpem & charitatem ſpiritus: Nec hoc contenta, Eccleſiam alligat loco ſcilicet Romæ, neminem eſſe Chriſtianum permittens, niſi fuerit Romanus, impudenti temeritate contra articulum fidei ſtatuens ſuum mendacium, Credimus enim Eccleſiam ſanctam catholicam eſſe communionem Sanctorum, Non dicimus communionem Romanorum aut aliorum quorumcunque locorum. Chriſtus quoque dixit Lucæ 17. Non veniet regnum Dei cum obſeruatione, nec dicent: Ecce hic, aut ecce illic, ecce enim regnum Dei intra vos eſt. Idem Matth. 24. Multi venient in nomine meo, dicentes: Ego ſum Chriſtus, & ſeducent multos. Tunc ſi dixerint vobis, Ecce hic eſt, aut ecce illic, nolite credere, Contra tam manifeſta verba audent impij iſti dicere, Ecce Romæ eſt Eccleſia, Romæ eſt Chriſtus, Romæ eſt vicarius Chriſti. *Eccleſia.* *Eccleſia ſancta catholica.* *Luc. 17.* *Matth. 24.*

Quando ergo tempora iſta iam currunt, de quibus Chriſtus locutus eſt, & furor impietatis Romanæ Euangelio tam manifeſte reſiſtit, nec intelligens, nec intelligere ſinens, quid ſit Eccleſia, Armemus noſtras intelligentias verbo Dei, firmiter credentes & certiſſime ſcientes, Eccleſiam Chriſti eſſe aliud nihil quam ſpiritualem fidelium collectionem, vbi vbi terrarum fuerint, & quidquid eſt carnis & ſanguinis, hoc eſt, quidquid eſt perſonæ, loci, temporis, & eorum, quibus caro & ſanguis vti poteſt, non pertinere ad Eccleſiam Dei. *Eccleſia Chriſti.*

Ideo caueamus omni ſtudio ne cum Lupis vlulemus, & cum Romaniſtis romaniſemus, hæreticos eos blaſphemando, qui ſub Romanæ Eccleſiæ ſeu Curiæ potius collectione non fuerint. Chriſtus enim & Apoſtoli, Petrus, & Paulus, quia viderunt neceſſarium eſſe, vt corpora & nomina eorum in aliquo certo loco haberentur in terris: Et hanc neceſſitatem futuram eſſe occaſionem ſuperſtitioni & impietati huic, vt Eccleſiam eiſdem locis affigerent, & ſic Eccleſiam è ſpirituali collectione in temporalem traherent, præuenerunt ac ſedulo nos monuerunt, Inſuper ne Chriſtum ipſum, in hoc ipſum impietatis, ſibi pro patrocinio haberent, curauit incomprehenſibili conſilio, vt Ieruſalem vaſtaretur & conculcaretur à gentibus, quod niſi fuiſſet factum, nemo prohibere potuiſſet, quin locum Ieroſolymitanum tanta ſpecie & titulo præditum, pro Eccleſiæ capite erexiſſent. *Ieroſolyma quare deſtructa.*

Vbi hoc prohibitum eſt, cœptum eſt Romæ id mali, titulo S. Petri & Pauli, verbis Chriſti, Tu es Petrus, & paſce oues meas, magna ſpecie huc detortis. Verum & hic reſtitit Chriſtus potenter, nec enim permiſit vnquam *Paſce oues meas.*

 fieri,

ſieri, vt Rom. Pontifici eſſet ſubiectus totus orbis, quod tamen fieri oportuiſſet, ſi iure diuino ſtaret ille Primatus, quia verbo & promiſſioni diuinæ nemo poteſt reſiſtere, Nec ſic tamen aperimus oculos, vt figmenta Satanæ videamus. Vnde Petrus has fictiones pulchre prædixit, 2. Pet. 2. *2. Pet. 2.* Erunt in vobis Pſeudomagiſtri (pene dixiſſet Magiſtri noſtri eximij) in auaritia fictis verbis de vobis negociantes. *Petra & poteſtas regitiua Petri.* Quid enim magis fictum eſt, quam dicere, Quod petra ſignificet poteſtatem regitiuam Petri, & paſcere, monarchiam Papæ? Aut ad quid valet iſta monarchia, niſi ad auaritiam, quæ ſuum quæſtum in nobis exercet?

Quare vt meam redimam conſcientiam, neue in hora mortis meæ & extremo iudicio rationem impij ſilentij expoſtuler, *Confeſſio Lutheri.* His ſcriptis coram omnibus, qui legunt & audiunt, & coram cœlo & terra, affirmo & confiteor, Articulos iſtos, quos Lipſiæ Euangelicos & Chriſtianiſsimos ſuſcepi defendendos, Eccleſia vniuerſalis eſt prædeſtinatorum vniuerſitas, & eos qui ex hoc ſequuntur, dicoque & proteſtor, eos fuiſſe impie damnatos, Conciliumq; Conſtantienſe, quantum in hanc partem, fuiſſe conciliabulum Satanæ, dum eos damnauit, Damno, excommunico, deuito, deteſtor omnes, qui huic Concilio affuerunt & conſenſerunt, aut adhuc conſentiunt, ſiue ſint Papa, Epiſcopi, Reges, aut quicunque dehinc, ne ſanguine innocenti polluar.

Vlterius proteſtor, Si Iohannes Huſs & Hierony. de Praga, *Iohannes Huſs. Hiero. de Praga.* ſunt ob nullam aliam cauſam (ſicut videtur) exuſti, quam propter hos articulos, factam eſſe eis iniuriam, & Papam cum ſuis eſſe & fuiſſe crudeliſsimos & impijſsimos homicidas, inimicos Chriſti & Eccleſiæ eius. Teſtes erunt mihi huius fidei & confeſſionis meæ quicunque hæc legerint, Ego ſane ignorabam Lipſiæ ſenſum articulorum eorum, quorum verba vidi eſſe Chriſtianiſsima, Ita non potui tum ſenſum, quem adulator Papæ dedit, *Liber Iohā. Huſs. de Eccleſia.* confutare. At nunc cum extet Iohannis Huſs liber, ex præcedentibus & ſequentibus video, & ſenſum eorum eſſe Chriſtianiſsimum. Quid eſt Papa? quid mundus? quid Princeps mundi? vt propter eum veritatem Euangelij, pro qua Chriſtus mortuus eſt, negem? Valeat qui valet, pereat qui perit, Ego ſic ſentiam, Deo propicio ſemper.

Gloriatio Iudæorum de tribus. AD Pſalmum reuertamur. Chriſtus aduerſus præſumptionem Iudæorum primo loquitur, omnino extinguens omnia, in quibus fidebant, Fidebant autem in tria, Primum, Quod eſſent ſemen Abrahæ *1. Quod ſemen Abrahæ eſſent.* & de ſanguine Patriarcharum, ideo ſoli volebant eſſe populus Dei. Contra (inquit) hoc ipſum quod vos pro argumento ducitis pro vobis, verto contra vos, vt per hoc ipſum non ſitis populus meus, per quod præſumitis eſſe populus meus, vsq; ad me etenim fuiſtis populus meus externa ſynagoga, At nunc impleta promiſſione & lege, populus meus non eſt ex ſanguine, ſed ex ſpiritu.

Alterum quod eſſent multi, nec enim credibile eis erat, totum populum *2. Quod multi eſſent.* aut tam magnam eius partem relinquendam eſſe, Dictio enim Ebræa hoc loco teſte Reuchlino, ſignificat ſummam quandam hominum congregatorũ, vt & Pſal. 42. *Pſal. 42.* Quoniam tranſibo in locum tabernaculi, id eſt, tranſibo cum quadam ſumma hominum congregatorum, Q. d. manebo in communione

Sancto-

Sanctõrum. Ita hic, Non congregabo eos, qui ſe magna ſumma agglome-
rant, quaſi ob multitudinem velint digni haberi qui recipiantur. Sed non ſic *Conſummationem*
Iſa. 10. impij. Conſummationem enim & abbreuiationẽ faciet Dominus. Et Iſa. 10, *faciet Dominus.*
ita vt ſi fuerit populus tuus Iſrael, ſicut arena maris, reliquiæ tamen ex eo con-
uertentur. Contra argumentum à multitudine, quo non minus quam gene-
ris & ſanguinis argumento pertinaciter nitebantur, multa paſſim in alijs quo-
que Prophetis dicuntur. Iactabant enim Pax, pax, & Deum non eſſe iratum
tantæ multitudini, & quod tanta multitudo ſaperet & crederet, non poſſe fal-
ſum eſſe, hoc eſt quod dicit: Non congregabo conuenticula eorum, non aſ-
ſumam eos, etiam ſi ſe vt arenam maris multiplicent.

Tertium erat, Gloria & nomen iuſticiæ & religionis, quibus cele-
brabantur maxime inter ſeipſos, pro populo Dei, vt qui ſolus legem accepiſ- 3.
Rom 3. Pſal. 147. ſet, & cui credita ſint eloquia, ſicut Paulus dicit Rom. 3. & Pſal. 147. Qui an- *Quod populus Dei eſſent.*
nunciat verbũ ſuum Iacob, iuſticias & iudicia ſua Iſrael, Non fecit taliter omni
Nationi, & iudicia ſua non manifeſtauit eis. Quanto impetu Paulus hanc eo-
rum fiduciam expugnet, Epiſtolæ ad Romanos & Galatas præ cæteris mon-
ſtrant. Et in hac parte plus quam in prioribus duobus confidebant, vt etſi cre-
derent, ſe propter peccata iram meruiſſe, quantumlibet eſſent Iſraelitæ & mul-
ti, iuſticiæ tamen fiduciam nunquam ponere potuerant, quæ & omnium eſt
pertinaciſſima, contra quam dicit: Non ero memor nominum eorum per la-
bia mea, Extinguam potius nomina eorum, non cenſebuntur mihi populus,
quia iuſti, ſapientes, religioſi, magni, alijſque quibuſcunque nominibus vo-
cantur, ſed is erit populus, qui ſpiritu fidei ex me natus fuerit.

NVnc vide an non idem iudicium terribiliſsimum in Eccleſia *Tria fulcra vanæ*
agatur in oculis noſtris. Nonne & nos poluimus hæc tria fulcra fiduciæ *fiduciæ Papiſta-*
ſuperbiſſimæ? Primum, iactant ſe de ſucceſſione ac velut genere Apo- *rum.* 1.
ſtolico, & de ſanguine pompaque hac inani volunt pro populo Dei exiſtima-
ri, cum ſint fide & ſpiritu vacui. Et dicunt: Papa eſt caput Eccleſiæ, Eccleſiam
appellantes hanc congregationem de ſanguine, quidquid Apoſtolis debetur,
etiam ſibi deberi arrogantes.

Deinde quanta bucca extollunt multitudinem, quæ ab eorum parte 2.
Matth. 24. ſtat? Quaſi ideo recte ſapiant, quia cum multis ſapiunt, quaſi non Chriſtus
2. Pet. 2. prædixerit: Et ſeducent multos. Et Petrus, Multi ſequentur eorum perniciem,
vtique paucos relinqui ſignificantes, qui non ſeducuntur. At hoc argumen-
tum hodie ſeruat Papam non minus potenter, quam primum, quantumlibet
ſine fide & ſpiritu agant.

Tertium vero potentiſſimum, ſuperſtitio, quam legibus & cæremonijs 3.
ſic fundauerunt, vt licet ſint impijſſimi, tamen iuſticias & merita ſua, quaſi
ſoli ſint Chriſtiani, cæteris vendunt, pro tota ſubſtantia mundi, nec enim niſi
nominibus ipſis, ſine vlla re, hic regnant, Sed Chriſtus non aſſumit eorum no-
mina per ſua & ſuorum labia. Non docet has eorum iuſticias & cæremonias,
quin damnat & pugnat contra eas, vt ſtatuat iuſticiam Dei, quam nos ope-
rante lege & ſuperba fiducia Deo offerimus, vt ſtet verbum, Bonorum meo-
rum non indiges, nec benefecimus tibi, ſed tu nobis. Et hæc voluntas eſt Chri-
ſti in ſuis Sanctis, vt ſic ſapiant & agant, cæteris omnibus cum ſuis idolis & ia-
ctantia reprobatis.

Ita videmus ſcopum Pſalmi eſſe, Quod Chriſtus cum ſit prædictus, ma- *Reges moriũ, re-*
gnus Rex & Dominus futurus in magno & glorioſo populo, contra omnium *gna amittunt.*
ſenſum incipit regnare, Cæteri enim Reges naſcuntur vt regnent, hic mo- *Chriſtus regnum non amittit, Ergo Chriſtus moriturus*
ritur vt *reſurget.*

ritur vt regnet, alijs quoque populi naſcuntur, quibus imperent. Vt ſit regnum admirabile,quod non ex generis ſanguine & dignitate, nec ex multitudine & potentia mundi,nec ex iuſticijs & viribus proprijs,nec ex vlla re,quæ videtur in mundo,ſed è ſpiritu in conſpectu Dei ſubſiſtat. Sic Pſal.22. Et animam ſuam non viuificabit,& ſemen ſeruiens ei annunciabitur Domino generatio ventura. Et Iſa.53. Si poſuerit pro peccatis animam ſuam,videbit ſemen longæuum,& diſpartiam ei plurimos. Sic & Iſa.11.Et erit requies eius gloria, In quibus omnibus locis mors & reſurrectio Chriſti deſcribitur,ſicut & hoc toto Pſalmo, Nec enim capit ratio, vt gloria regni cedat mortuo & quieſcenti in ſepulchro,& generatio noua ſit ſemen ſeruiens ei, qui animam ſuam ponit & non viuificat, & ponens animam pro peccatis, videat ſemen longæuum,Quis enim morienti dicit,Ecce Rex eris & populi ſub te cadent in æternum? Naſcenti ſane hæc ſolent optari,neceſſe ergo fuit eum à mortuis reſurgere,vt Scripturæ iſtæ implerentur. *Pſal 22.* *Iſa.53.*

Ita hic cum moriens petat ſe conſeruari,tradens animam in manu Patris,tamen dicit? Voluntatem ſuam eſſe in Sanctis,& hæreditatem ſuam non fore ex ſanguinibus,ſed ex præclaris,vt dicetur manifeſte hoc miraculo verborum,reſurrecturum ſeſe docens,neque enim mortuus regnaret, & tamen moriens dicit ſeſe regnare. Recte ergo Paulus 2.Tim.2.ſcribit,vt meminerit Dominum Ieſum reſurrexiſſe,addens ſecundum ſcripturas,ſicut & canimus in Symbolo,ſcilicet quod vehementer abhorreat ab omnium ſenſu, mortuum regno potiri,& opus ſit his Scripturis nos niti, quas tamen niſi ſpiritus fuiſſet interpretatus quis intellexit? Quis enim in his verſibus Chriſtum reſurrecturum legiſſet? aut quot ſunt,qui etiam hodie legunt hoc ſenſu hunc locum? *2.Tim.2.*

Dominus pars hæreditatis meæ,& calicis mei.
Tu es,qui reſtitues hæreditatem meam mihi.

Dominus hæredita Leuitarum. Hieronym.poſteriorem partem ſic vertit, Tu poſſeſſor ſortis meæ.Pronomen Mihi,ſuperfluit.Eſt autem verſus hic ſumptus ex lege Moſi,vbi Leuitis & Sacerdotibus ſcribitur,non eſſe datam hæreditatem inter filios Iſrael,ſed Dominus (ait) eſt eorum hæreditas. Cuius æmulatione & hic dicit: Dominus eſt pars mea hæreditaria, Et arbitror ex figura iſta,diſtributæ inter filios Iſrael terræ,& ſacerdotibus negatæ, Prophetam, illuſtrante ſpiritu, Pſalmum hoc loco hauſiſſe, Scilicet non fore Chriſti hæreditatem communem hominibus,nec de ſanguinibus & terrenis acceptam,ſicut Leuitarum nulla erat inter filios Iſrael. Puto autem hic eſſe Ebraiſmum, pars hæreditatis,pro pars hæreditaria,ſeu portio mihi diſtribuenda,Multi enim per hæreditatem intelligunt Eccleſiam,cuius ſortem eſſe Dominum certum eſt,Sed pro perſona ſua loqui Chriſtus mihi videtur de hæreditaria portione, quæ ſe contingat,quod confirmat id quod ſequitur,Et calicis mei. Diximus enim Pſal.11.Calicem vſu Scripturæ,ſignificare,menſuram vnicuique diuinitus definitam & reddendam pro meritis ſuis,& Calicem bibere,ſit pati, vel accipere hanc definitam menſuram. Et hic quoque Ebraiſmus eſt,Dominus pars calicis mei,pro Dominus,calix meus,ſeu id quod mihi definitum eſt reddi, vt nihil aliud quam ipſum Dominum accipiam pro retributione. *Hæreditas Chriſti.* *Calix in Scripturis.* *Calicem bibere.* *Pſal.11.*

Qui habeat Dominum. Mirum itaque,moriturus gloriatur ſe habere hæreditatem,eam quæ ſit ipſe Dominus, Iterum indicans ſeſe ſuſcitandum à mortuis,quo accipiat hæreditatem hanc promiſſam,Quid autē non habet,qui ipſum omnium Dominum habet? Quis autem habet Dominum omnium? qui nihil aliorum habet,&

bet, & non quærit, niſi ea quæ Dei ſunt, etiam per mortem & omnia mala, ita fit, vt dum omnia amittit, omnia inueniat, dum nihil hæreditatis elegit, omnia ſua ſponte veniant. Ideo ſecure dicit. *Tu es qui reſtitues hæreditatem meam.* Melius Eb. Tu ſtatues hæreditatem meam, non enim de reſtitutione, ſed conſtitutione loquitur. Ac ſi dicat. Meum eſt omnia facere & pati, omnia amittere & relinquere, vt tibi obediam: Tu ſine mea cura, ſtatues & firmabis, quæ mea eſſe debeat poſſeſſio. Ego non quæro eam, contentus quod tu ſis hæreditas & portio mea, quem vbi habuero, hæreditas mea bene fundata, & poſita in tuto eſt.

Ita videmus quam nihil Chriſtus ſibi arroget, quamque nihil ſit pro ſe ſolicitus, tantum cupit, vt Deo patri obediat, cætera omnia curata ſecure præſumunt. Et nos homunculi quam miſere hodie tumultuamur, pro Dioceſibus & Eccleſiaſticis Ierarchijs, in quibus tamen ſerui ſumus alieni, quaſi in manibus noſtris ſita ſit vel ſalus vel perditio Eccleſiæ, Cur non Romanenſes ſui ſeruilis Primatus cauſam, ſimili fide committunt Deo, cum Chriſtus hæres & Dominus omnium, commendet tamen eam Patri, nihil pro ea ſolicitus?

Funes ceciderunt mihi in præclaris.
Etenim Hæreditas mea præclara eſt mihi.

PRæſtat in vſu Scripturæ, quo funes ſeu funiculi dicuntur menſuræ diuiſiones ſeu limites, quibus diuiduntur hæreditates terræ, vt Pſal. 78. Et forte diuiſit eis terram in funiculo diſtributiones. Et 105. dicens, Tibi dabo terram Canaan, funiculum hæreditatis veſtræ, Vnde Hieron. tranſtulit, Lineæ ceciderunt mihi in pulcherrimis, etenim hæreditas ſpecioſiſſima mea eſt, Deut. 32. Conſtituit terminos populorum iuxta numerum filiorum Iſrael, Pars autem Domini populus eius, Iacob funiculus hæreditatis eius, Quod hic ſpiritualiter tractat. Q. d. Sicut ibi funes ceciderunt non vltra, quam vbi erat numerus filiorum Iſrael, & vbi finiebatur numerus filiorum Iſrael, ibi incipiebant termini populorum, ex quibus nullos elegit, ſed pars eius & funiculus erat iſte populus: Ita nunc quoque, non aſſumam quamlibet fecem hominum de ſanguine, Sed ſicut illic feci corporalem ſeparationem limitum populi mei à gentibus, ita nunc magis multo conſtituti ſunt mihi termini ſpirituales populorum, iuxta numerum filiorum ſpiritualium, vt vbi per orbem deſinunt eſſe fideles mei, ibi incipiunt eſſe populi infidelium, neq; miſceantur ſpiritu, licet miſceantur corpore.

Funes. *Pſal. 78. & 105.* *Locus ex Deut. 32.*

Fides autem eſt limes, ſeu funiculus iſte diſtributor hæreditatis, ipſa enim terminat fidelium numerum, extra quam quidquid fuerit, termini ſunt populorum, & appellantur termini impietatis, Malach. 1. Qui enim crediderit ſaluus erit; Qui non crediderit condemnabitur. Ita videmus Eccleſiam prorſus non poſſe dici, niſi eam quæ credit, Quare pontifices Romani cum ſua Eccleſia vere ſunt Idola & figmenta hominum impiorum, Contendunt enim hos funes rumpere & extendere, quo volunt, nempe etiam vſque ad non præclara, imo ad tenebroſiſſima, ſed fruſtra, Non enim ait: Extenſi ſunt, ſed ceciderunt, non, vos extendetis, ſed de cœlo cadent.

Fides funiculus hæreditatis. *Malach. 1.* *Eccleſia eſt cœtus credentium.*

Deſcribit ergo hæreditatem, quam ei Dominus ſtatuit, loco eorum, qui ſunt de ſanguinibus, Non congregabo, inquit, illos de ſanguine, Quos ergo? Præclaros, pulchros, iucundos, dulces, Qui ſunt hi? Non habent nomen nec perſonam, non ſunt Iudæi nec Gentes, non Romani, non Babylonij,

Non hic aut illic, Sed in ſpiritu ſunt, fide puri, pulchri, dulces mihi. Nam Ebræa dictio, in præclaris, proprie dulces & iucundos ſignificat, vt Chriſti beneplacitum in ſuis fidelibus exprimat, Rurſus abominationem eius in infidelibus, & qui in carne & ſanguine gloriantur.

In præclaris.

Iterum, vt dixi, reſurrectio teſtificatur, cum dicit, Mihi, cui mihi? nonne tu dicis, Conſerua me Domine? ita vere morior, ſed reſurgam, & erit mihi hæreditas mea dulciſſima. Dicit autem pluraliter funes, quod Eccleſia tota cum ſit vna, diſperſa tamen eſt per orbem propter miniſterium verbi & baptiſmatis, cum vnus omnibus non queat adminiſtrare, Vt ſinguli funes, ſint ſingulæ Eccleſiæ, in quibus idem Chriſtus, idem baptiſma, idem verbum eſt. Ceciderunt, quia non humano ſtudio & opere, ſed virtute gratiæ Dei multiplicantur fideles Chriſti, Suntque nobis omnes fortuiti, & quos præuidere nequieramus, qui conuertuntur, ſicut dicit Iſaias 49. Et dices in corde tuo, Quis genuit mihi iſtos? ego ſterilis & non pariens, & iſtos quis enutriuit? Sic enim & hic Chriſtus omnia ex Patre accipere ſe oſtendit ſine ſua cura, & cecidiſſe ei quaſi ſorte funes iſtos in dulciſſimis. *Iſa. 49.*

Cur funes pluraliter dicat.

Nec hoc ſine Emphaſi eſt, quod dicit, Ceciderunt mihi, & ſpecioſa mihi, ſeu ad me, Totum ſcilicet contra laruam eorum, qui Eccleſiam ſecundum externam faciem metiuntur, & locis affigunt temporalibusq; diocœſium limitibus definiunt: Sic enim hodie Eccleſiam alia maiorem dicimus, terreno ſpacio & populi multitudine, cum reuera ſit ſolum fide, ſpe, charitate, ſiue magna, ſiue pulchra, ſiue fortis: Imo quia in oculis Chriſti eſt iucunda & formoſa (vt hic dicit) intelligitur per antitheſin eſſe mundo & ſibi amara & deformis, ſicut ait, Nigra ſum, ſed formoſa, Nolite me conſiderare quod fuſca ſum, quia decolorauit me ſol, id eſt, Chriſtus ſubijcit me cruci & malis, & ſic externe ſum nigra, interne formoſa: Oportet enim eum, qui vult Chriſto placere, ſibi diſplicere, ſibi obſcurum eſſe, ſi Chriſto præclarus eſſe velit. Qui enim ſibi placet, pertinet ad conuenticula ſanguinis & carnis. *Can. 1.*

Eccleſia non metienda ſecundum externam faciem.

Vt quid ergo præſumimus in mundo & carne magni eſſe, Epiſcopus ſuper Epiſcopum, Eccleſia ſuper Eccleſiã, Cum Chriſtus hic non in hoc probet Eccleſiam, quo in oculis hominum videri poteſt, ſed in eo, quod ipſe videt, id eſt, in fide, quæ eam humiliet ſub omnibus & crucifigat? Sed ſinamus, Hierarchia noſtra, nomen habet ſacri principatus, ideo pertinet illuc, Nec memor ero nominum eorum per labia mea, opera enim hominum ſunt, ideo hominibus placent.

Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum,
Inſuper & vſq; ad noctem increpuerunt me renes mei.

HIeron. & Ebræus ſic, Benedicam Dominum, qui dedit mihi conſilium, inſuper & noctibus erudierunt me renes mei. Magnum certe & arduum hic ſignatur opus, quod eſt eſſe Conſiliarium, hoc eſt, qui in morte & paſſionibus, cum vndique anguſtiatur & pauet, ſciat, quid ſibi faciendum, quo fugiendum, Qui enim hoc conſilio carent, fugiunt, & non effugiunt. Vnde Iſa. 11. componit conſilium cum fortitudine, dicens: Requieſcet ſuper eum Spiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilij & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & timoris Domini, Quod niſi conſilio polleas, nulla fortitudo ſubſiſtet in morte. Itaque non ſolum hoc donum Dei eſt, tuliſſe malum & mortem, ſed etiam noſſe quo modo ferenda ſint, & vnde petendum, ſicut Sap. 9. Et vt ſciui, quoniam aliter non poſſum eſſe continens, niſi Deus det, Et hoc ipſum erat ſapientia ſcire, cuius hoc donum eſſet. *Iſa. 11.* *Sapien. 9.*

Quod

Quod ergo fuit conſilium Chriſto donatum? Vtiq; quod non fugit in morte, non retro abijt, ſed dixit: *Conſerua me Domine*, tradita in manu Dei tota ſua cauſa. *Conſilium Chriſti in morte.* Ita enim ſolemus exuberanti affectu geſtire à periculis erepti, non tam quod erepti ſumus, quam quod nos ita geſſerimus, vt eripi poſſemus, Ibi iucunda narratione recitantur, euitata pericula, repulſi caſus, fruſtratæ inſidiæ hoſtium, & omnia illa ſtudia ſolicitudinis, quæ prudentes nos fecerant in periculo præſenti. Ita Chriſtus quoq; gloriatur ſeſe prudentem fuiſſe in malis ferendis, idq; diuino munere, Quod blaſphemijs non reſponderit, mortem non fugerit, & nullis verbis aut factis moueri ſe permiſerit, Dulce eſt enim eius meminiſſe, quo te ſentis fuiſſe adiutum.

Inueniuntur ſane qui cum valent, recte conſulant ægrotis, & extra periculum nihil non ſapiant, neminem non docere poſſint, At vbi aſcendunt fluctus in cœlum & deſcendunt in abyſſum, anima eorum in malis tabeſcit, *Deus adiutor in tempore opportuno.* turbantur & commouentur ſicut ebrij, & omnis eorum ſapientia deuoratur, *Pſal. 107.* vt Pſalm. 107. dicitur, vt nemo magis indigeat conſilio, quam ij conſiliorum principes. Proinde inſigniter & excellenter hic elucet diuina miſericordia, quæ in tempore tantæ neceſſitatis prope eſt, & illuſtrat cor pauidum, inops & egenum conſilio, quod ſupra rogauit, dicens: Conſerua me Domine, Eo enim conſilio ſeruatur anima in medio iſto vmbræ mortis, Sed & ipſe quale fuerit hoc conſilium, ſequente verſu dicet.

Ex ijs intelligi poteſt, quomodo noſtra Tranſlatio ad eundem ſenſum queat aptari, vt intellectus ſit idipſum conſilium, quo intelligat quid faciat & omittat in medio malorum, ne offendat Deum, ſed vnde gaudeat, exultet, benedicatque Dominum ereptus.

SEd quid eſt, Inſuper noctibus erudierunt me renes mei? Qui ſunt renes Chriſti, qui eum ſiue emendant, vt Aug. legit, ſiue increpant, vt noſter, ſiue erudiunt, vt Hieronymus & Ebræus? Niſi illud Apoſtoli *Ebræ. 5.* Ebræ. 5. velit, Didicit ex his, quæ paſſus eſt, obedientiam, & conſummatus, fa- *Matt. 26.* ctus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ, Et illud Matt. 26. *Tentatio erudit.* Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma. Licet enim eſſet plenus conſilio, ſenſit tamen reluctantem ei conſilio naturam infirmitatis noſtræ, qua lucta experimento didicit obedire, Sicut & nos eo magis erudimur, quo tentationibus magis impetimur, ſi prudenter & conſulte eas ferre poterimus, vt quod videtur contra promptum conſilij ſpiritum facere, vbi victum fuerit, inuenitur eum magis excitaſſe ac vegetiorem reddidiſſe, ſicut Paulus gloria- *2. Cor. 12.* tur 2. Cor. 12. *Cum infirmor fortior ſum, Nam virtus in infirmitate perficitur.* Et *Pſal. 68.* Pſal. 68. Infirmata eſt, tu vero perfeciſti eam.

Ita renes Chriſti, etiam ſi ſancti & immaculati, tamen infirmi exhorruerunt quidem paſſionem & mortem, cum magis viuere & bene habere cu- *Renes Chriſti.* piat infirma natura, Tamen hoc horrore conſilium cogebat magis vigilare & *Pſal. 7.* ſolicitum eſſe pro ijs, quæ Dei erant, Dictum eſt ſupra Pſal. 7. Renes ſignificare delectationes ſeu vim concupiſcibilem, quæ triſtitias odit, delitias ac *Renes quid ſignificent.* quietem amat, quæ in omnibus hominibus etiam Chriſto facit, vt dura & amara ſit paſſio & mors, quam ſpiritu conſilij & fortitudinis oportet ſuperari.

Inſigniter addit, noctibus, melius quam nos, vſque ad noctem, vbi licet noctes allegorice poſſint accipi, pro aduerſitatibus, Nam renes ſeu vis concu- *Tempus nocturnum aptum Dei operationibus.* piſcibilis, ſi deſint aduerſitates, nihil erudiunt, quia non vrget nec vrgetur, vt ſit proprium eius in tentationibus erudire & excitare ſpiritum, Tamen

nos hic ſimpliciter ſine Allegoria tempus nocturnum accipimus, quod aptum eſt pauoribus & terroribus, omnibusque Dei occultis operationibus, vt ſic tempus reſpondeat & operi.

Sic legimus Gene. 15. poſt occaſum ſolis inuaſum eſſe Abraham te- *Gen. 15. 32.*
nebroſo & magno horrore. Et 32. Iacob luctabatur duriſſime cum Angelo

Abraham. Iacob.

vſque mane. Sic Pſalm. ſequente, Probaſti cor meum, & viſitaſti nocte, Sicut *Pſal. 17.*
enim nox eſt optimum tempus ad orandum, ſicut Chriſtus frequenter oraſſe nocte legitur, ita & ad meditandum & omnia diuina patiendum, Sic & Chri-

Pauor Chriſti in horto.

ſtus ſuum pauorem cœpit cum noctis initio. Sic Iob 4. In horrore viſionis *Hiob 4.*
nocturnæ, quando ſolet occupare ſopor homines, pauor tenuit me & tremor, & omnia oſſa mea perterrita ſunt, &c. Multa in ſcripturis talia legimus, Nox enim, quia tunc homo vacat & omnia ſilent, reddit hominem aptiſſimum operationibus illis diuinis, hoc eſt, paſſionibus internis, quæ ſunt pauor & horror mortis, quibus vehementer eruditur ſpiritus hominis, ſi prudens fuerit & ſuſtinuerit, Vnde & in Prouerbium iſta ceſſere Prophetæ huic, qui ſine dubio multa experientia iſta ſibi cognita loquitur, ſicut dicit Pſal. 91. Non timebis
à timore nocturno, Non exprimens quid ſit timor nocturnus, quod experi- *Pſal. 91.*

Tauleri ſermones.

entia ſolum cognoſcatur qui plura de iſtis noctibus velit allegoricis, Tauleri ſermones legat.

Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam à dextris eſt mihi ne commouear.

HIc aperit myſterium conſilij ſui, pro quo Dominum benedixit, ſcilicet, Quod Dominum ſolum propoſuerit in conſpectu ſuo, ſed talem, qui ſit à dextris eius ne commoueatur, id eſt, propitium & miſericordem, Quod principium Pſalmi indicauit, Conſerua me Domine, quoniam ſperaui in te, hoc eſt, quod in ſuperioribus toties dictum eſt, neminem poſſe ſuſtinere paſſionem aut mortem, niſi hoc conſilio vtatur, & Dominum quam poteſt miſericordiſſimum ſibi præfigat, Sicut Sap. 1. dicit, Sentite de Domino in bonitate. Et Pſal. 3. Multi dicunt animæ meæ, non eſt ſalus in Deo *Prouerb. 1.*
eius. Tu autem Domine ſuſceptor meus es, gloria mea, &c. Et Pſal. 26. Quo- *Pſal. 3.*
niam miſericordia tua ante oculos meos eſt, & complacaui in veritate tua, Di- *Pſal. 26.*

Spei obiectum miſericordia Dei, gratuito promiſſa.

ximus enim obiectum ſpei non eſſe niſi puram & immeritam Dei miſericordiam gratuito promiſſam, & ab indignis inuocandam, Ideo peſſimos iſtos & dæmoniacos eſſe conſultores, qui paſſis aut morientibus vel peccata inculcant, aut ſatisfactionibus & bonis operibus propoſitis Deum velut exactorem eis proponunt. Non dedit illis Dominus hoc conſilium, ſed Satan, ideoque deſperationi & blaſphemiæ propiores fiunt, quã benedictioni & gratitudini.

Proponere Dominum in conſpectum.

Ebræus, & Hierony. Proponebam Dominum in conſpectu meo ſemper. Facit autem hæc propoſitio Domini, cor animoſum, hilare & ſpontaneum ad omnia bona opera facienda & mala ferenda, & ab hoc propoſito, ſicut ſæpius dictum eſt, ordienda eſt bona vita, & bonum opus. Quid n. non libentiſſime faceret & auderet, qui confidit ſeſe placere Deo, & Dominũ

Fiducia in Deum retrahit à peccato.

eſſe ſibi fauentem ac propitium? Quod peccatum quantumuis blandum non contemneret eadem fiducia in Deum nixus? vere non facit nec facere poteſt malum hæc fides, ſicut nec vinci ab vllo malo. Nemo credit quam retrahat à malo, & moueat ad bonum iſta fiducia, niſi expertus. Quare hoc verſu ipſam naturam, affectum & opus fidei quæ eſt in Deum, nobis pulcherrime pingit ſpiritus. Quid eſt enim fidere in Deum, niſi proponere ſibi firmiter Dominum eſſe à dextris eius, ne commoueatur? Et qui manet in eo propoſito, quo-

modo

modo non ſemper bene viuet & operabitur? Quis turbo malorum eum ſubuertet? fundatus eſt ſupra firmam Petram.

Vnde Ebræus verbis Emphaticis vtitur, primo, *Ponebam*, ponere enim firmitatem ac fundamentum ſonat, vt fidem oſtendat eſſe affectum conſtantem ac firmiſſimum, qui nullo tempore nutet aut vacillet.

Deinde, *Dominum*, Non enim fides eſt in noſtra opera, imo vllam creaturam, ſed in ſolum Deum, vnde & Theologica virtus vocatur, quia circa diuinam miſericordiam verſatur, Mala vero conſcientia & impietas circa peccatum proprium & liberum arbitrium. *Theologica virtus.*

Tertio, *In conſpectu meo*, vbi fidei viuacitatem & vigilantiam exprimit, non enim, vt illi ſomniant, fides eſt habitus in anima ſubiectus & ſtertens, ſed perpetuo & directo intuitu in Deum verſus, Vnde fit, vt ſit vt autor & origo operum, imo primus & nouiſſimus in omnibus operibus bonis, & tota vita. *Fides.*

Semper addit, propter vtrunq; tempus., Quia fides tempore pacis bona facit, tempore belli mala patitur, nunquam ocioſa, imo ſemper negotioſiſſima, ita videmus quam egregius dialecticus ſit Dauid, qui fidem Dei tam propria definitione differit. Et quid aliud ſunt omnes Pſalmi, quam quædam definitiones, fidei, ſpei & charitatis? per hos enim affectus verſantur vniuerſi & ſinguli, oſtenduntque fidem, ſpem & charitatem eſſe proprie quoſdam optimos & diuinos affectus. *Semper.* *Breuis Pſalmorum ſumma.*

Quoniam à dextris meis eſt, id eſt, In occultis, in ſpiritu præſens eſt, dum à ſiniſtris in aperto, in carne me perſequuntur inimici. Eadem
Pſal. 20. ſententia Pſal. 20. dicitur. Et in potentatibus ſalus dexteræ eius, id eſt, dextra eius potenter ſeruatur, quãtumlibet infirmetur ſiniſtra eius. Ita & hic derelinquitur Christus in infirmitate à ſiniſtris, ſed ſuſcipitur in virtute à dextris eius. *A dextris.* *A ſiniſtris.* Dextræ & ſiniſtræ tropo vtitur ſcriptura, pro interiore & exteriore homine, vt Chriſtus Matth. 6. Te faciente eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua, quid faciat
Matth. 6. dextra tua, vt ſit in abſcondito eleemoſyna tua, Vbi ſeipſum exponit, eleemoſynam eſſe in abſcondito dextræ, eſſe in aperto, ſiniſtræ tribuens, de qua re alias forſan plura.

Ne commoueat, non dicit, ne tangar, ne tentet, ne ſentiam: Nam fides potens affectus eſt, exerceri vult & quieſcere, non poteſt nec ſinitur, verum victor manet ſemper & non mouetur, non deturbatur. Hæc eſt enim victoria *Ne commoueat.*
1 Iohan. 5. noſtra fides (vt 1. Iohan. 5. dicitur) noſtra. Et Paulus dicit, nos à Deo ſemper triumphari (id eſt, triumphatores fieri) in Chriſto.

Propter hoc lætatum eſt cor meum, & exultauit lingua mea: Inſuper & caro mea requieſcet in ſpe.

HOc eſt quod dixi, Ad fiduciam iſtam cordis bonam de Deo, infallibiliter ſequi lætitiam cordis, & dulciſſimum affectũ erga Deum & omnem creaturam. Sic enim credenti Spiritus ſanctus diffunditur in cor, quo rurſum cor hominis diffunditur & dilatatur in omnem promptitudinẽ, omnia gratuito faciendi & patiendi, tam coram Deo quã hominibus, Ibi inimicos non minus quam amicos diligit, efficiturque libens omnium ſeruus, vt omnibus queat prodeſſe, ſuijpſius non modo incurioſus, ſed etiam prodi-
Pſal. 4. gus factus. Sic Pſal. 4. cum dixiſſet: Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui *Fiduciam in Deum ſequitur lætitia cordis.*

Domine, mox ſecutus dicit. Dediſti lætitiam in corde meo, Itidem duo iſta connectens fidem & lætitiam cordis, ſicut & hoc loco facit.

Exultabit lingua mea. Ad hanc autem lætitiam mox ſequitur, laus, prædicatio, gratitudo & iactantia diuinæ miſericordiæ, idque cum ſummo cordis gaudio. Ideo non ſimpliciter dicit, Confitebitur lingua mea, ſed exultabit, id eſt, exultans & tripudians loquetur. Quem affectum Ebræus etiam altera nominis Epitaſi & *Gloria Dauid.* Emphaſi ſic eloquitur, Exultauit gloria mea, Nos lingua, pro gloria, habemus, Videturque mihi Dauid hoc ſibi præ cæteris proprium habere, vt gloriam ſuam appellet, vocalem & exteriorem laudem & iactantiam, in qua non modo Deum glorificet, ſed præ teneritudine affectus, etiam glorietur in ea glorificatione, Sic enim loquitur Pſal. 106. Vt confiteamur nomini ſancto tuo, & glorˈemur in laude tua. Et 40. Vt cantet tibi gloria mea, & non compungar, Domine Deus meus in æternum confitebor tibi. Et 108. Cantabo & pſallam in gloria mea. Et 57. Exurge gloria mea, exurge pſalterium & Cythara, exurgam diluculo. *Pſal. 106. Pſal. 40. Pſal. 108. Pſal. 57.*

In his omnibus claret, gloriam meam eſſe idem, quod canticum meum, vel vocem meam, qua gloriatur & glorificat. Quare & hoc Pſalmo canere *Gloria Chriſti.* debemus, ne gloriam ſuam Chriſtus credatur appellare famam ſuam, ſed potius officium, quo in Deo gloriatur, imo glorians & lætus Deum glorificat, Nec memini hoc vſu gloriam meam alibi legiſſe in ſcripturis, Itaque erumpentis lætitiæ & exuberantiſſimi affectus hæc verba ſunt, quod iterum experientia docet, non lingua nec calamus.

AN autem iſta omnia in Chriſti perſona dicantur pro tempore paſſionis ſuæ quæri poteſt? Si enim id dederimus, manifeſtum eſt, Chriſtum in media paſſione ſumma fuiſſe exultatione gauiſum, vt hæc verba Pſalmi probant, de qua re multi multa quæſierunt, & neſcio an inuenerint. Ego vero arbitror non eſſe neceſſarium ad tempus paſſionis referri, Prophetæ enim neque ordinem rei geſtæ à Chriſto ſeruant, neque omnia vno loco canunt, multaque in medio relinquunt. Nec eſt neceſſe rem geſtam ordine texere, dum prophetia in perſona Chriſti aut alterius formatur, Satis eſt omnia vera dici, ordinemq; rebus gerendis relinquere: Nec Euangeliſtæ vbique ordinem ſeruant.

Regula ſcripturæ intelligendæ. Eſtq; celebrata Regula ſcripturæ intelligendæ, præſertim propheticæ, Multa dici per anticipationem & recapitulationem. Ita & hic dum Chriſtus ſeſe confitetur in Patre lætum eſſe & gloriari & prædicare, tacitis omnibus operibus & virtutibus, quas in eodem gaudio fecit, ad vltimum tranſilit, Ac ſi dicat: Non modo prædicabo & glorificabo, verum etiam vt taceam opera & virtutes & totam vitam meam, libens etiam moriar, & eadem fiducia certus ſum, quieturam quidem carnem meam mortuam, ſed in ſpe & expectatione certiſſimæ reſurrectionis.

Caro mea requieſcet in ſpe. Verbum Ebraicum, Requieſcet, idem eſt quod præcedenti Pſalmo dictum eſt: Requieſcet, ſeu habitabit in monte ſancto tuo, vnde Hieronymus hic vertit: Caro mea habitabit confidenter, Significatque, vt dictum eſt, quietam & pacificam habitationem, Quaſi illud Pſalm. 4. dicat: In pace ſimul dormiam & requieſcam, Alia quoq; ſignificatione, ſignificat ſepelire, Pſal. 7. Et gloriam meam in puluerem deducat, id eſt, ſepeliat, Vt poſſit etiam ſic verti aut ſaltem intelligi, Caro mea ſepeliet in ſpe. Verum Petrus Actor. 2. hunc verſum non iuxta Ebræum, ſed iuxta 70. citat, nec ſepeliendi verbum, nec gloriam meam tangens, ſenſum tamen neutra tranſlatio vitiat. *Pſal. 4. Pſal. 7. Actor. 2.*

Igitur

Igitur noua eſt hæc Prophetia de nullo antea audita, Vnus enim hic & ſolus Chriſtus generalem illam totius generis humani dirumpit pœnã, Gen 3. ſtatutam. In puluerem reuerteris, neque de vllo alio Scriptura tale quid loquitur, quæ omnes homines puluer tradit, Solus hic nouo & vere aureo Michtham lætiſſimum affert nuncium, Carnem ſuam non in puluerem ituram, ſed in pace morituram & expectaturam.

Gen. 3.

Singula ergo verba & aurea ſunt & ponderanda, Mea caro, ſcilicet ſuam vnicam excipiens ab omnium carne, quorum nulla manſit aut quieuit, ſed omnis omnium abijt in puluerem, Vbi mortem indicat, quia ſeparato ſpiritu vere ſicut omnium aliorum, mortua fuit. Ingens ergo miraculum, ſimiliter mori & non ſimiliter corrumpi. Et caro requieſcet, id eſt, etiamſi ſepelietur, ſicut & aliorum, tamen quietem & pacem habebit, non enim tangetur vlla putredine aut verme, quæ pax & quies nullius eſt alterius carnis. In ſpe, non enim in finem ita quieſcet, ſed expectabit, vt rurſum excitetur & viuat. Ecce quam proprijs verbis Chriſtum prædixit reſurrecturum, quo indicat, ſe clariſſimam & plenam habuiſſe cognitionem Chriſti morituri & reſurrecturi. Et merito hunc locum Apoſtoli inſigniter præ cæteris extulerunt.

Caro Chriſti non abijt in puluerem.

Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.

EXplicat quod dixerat, Requieſcet in ſpe, iſta eſt ſpes, ſcilicet quod non derelinques nec corrumpi ſines, hoc eſt, abſque dubio intestabis. Et placet dici, non ſpiritum meum, ſed animã meam, Ebraice Naphſi, quod anima pro vita in ſcripturis accipi ſoleat, ſeu pro anima, in quantum viuificat & vegetat corpus, vt oſtendat ſpiritus, Chriſtum vere ad vitam corporalem reuocandum eſſe.

Non derelinques animam meam.

Sanctus hoc loco, Haſid eſt, qui gratia ſpiritus ſanctificatus eſt, & Chriſtus proprie & paſſim in ſcripturis appellatur, ſanctus Dei, ſicut Chriſtus Domini. Nec inuenitur in ſingulari numero facile vllus, qui ſanctus Dei dicatur, ſeu ſanctus tuus, præter Chriſtum ſolum, quem & hic ſolum prædicat Dauid. Ebraiſmum illum notum exiſtimo, Videre corruptionem pro corrumpi, ſicut videre mortem, pro mori, Non videre mortem, pro non mori, vt eſt apud Lucam 2. & Iohan. 8. quo forte ſcriptura vtitur ad indicandam diuinam virtutem, cui omnia viuunt & nihil perit aut corrumpitur, ſed nobis perimus & nobis morimur ac corrumpimur.

Haſid. *Sanctus Dei.* *Chriſtus Domini.*

Luc. 2. Iohan. 8.

Videre corruptionem. *Videre mortem.*

S*Enſus ergo apertiſſimus eſt, per Apoſtolos tanta copia & diligentia explicatus. Verum & hic cœperunt homines, de ingenijs ſuis nihil non præſumentes, diſputare.* An Chriſtus ſecundum animam ſeu ſubſtantiam fuerit in inferno. Et quid ſit eum fuiſſe in inferno. Magna pars aula eſt ſpiritui contradicere. Animam Chriſti non fuiſſe in inferno, niſi per effectum, optimi ſcilicet gloſſatores verbi Dei, Animam meam, id eſt, effectum animæ meæ, non derelinques in inferno. Deſcendit ad inferos, id eſt, effectum fecit apud inferos. Verum, contemptis his friuolis & impijs nugis, verba Prophetæ ſimpliciter dicta, ſimpliciter intelligamus, & ſi intelligere non poſſumus, fideliter credamus. Maior eſt huius ſcripturæ autoritas, quam totius humani ingenij capacitas, ait Auguſtinus. Vere enim anima Chriſti ſecundum ſubſtantiam deſcendit ad inferos, Quid autem fuerit aut ſit iſte deſcenſus, credo nondum eſſe reuelatum ſatis, ſaltem omnibus.

Deſcenſus Chriſti ad inferos.

Auguſtini dictum

Petrus Acto. 2. dicit, Quem Deus ſuſcitauit, ſolutis doloribns inferni, ſeu vt Græcus habet, mortis, In quo videtur ſignificare, Doloribus mortis, ſeu inferni Chriſtum fuiſſe ſolutum in reſurrectione. At dolores mortis & inferni, pro eodem ego habeo. Infernus enim eſt pauor mortis, Id eſt, ſenſus mortis, quo horrent mortem, & tamen non effugiunt damnati, nam mors contempta non ſentitur, eſtq; velut ſomnus. Videmus autem ſcripturam duo loca tribuere mortis, foueam corpori, & infernum animæ. At Petrus hic non dicit, ſolnm infernum ſeu mortem eſſe ſoluta in Chriſto, ſed dolores inferni ſeu mortis, quia etſi multi Sancti in ſepulchro & inferno abſq; dolore fuiſſe credantur, qui & in pace mortui ſunt, tamen Chriſtus ſicut cum ſummo dolore mortuus eſt, ita videtur & dolores poſt mortem in inferno ſuſtinuiſſe, vt nobis omnia ſuperaret. *Acto. 2.*

Dolores mortis & inferni.

Scriptura duo loca tribuit mortui.

Animæ Chriſti in inferno dolor.

Ita ego interim verbis Petri inhærebo, donec meliora doctns fuero, vt Chriſtnm præ cæteris omnibus, non ſolum mortem, ſed etiam dolores mortis ſeu inferni ſenſiſſe credam, caro quidem eius requieuerit in ſpe, ſed anima eius infernum guſtauerit. Atq; hoc eſſe quod hic dicit, Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis &c.

Iſtæ autem negatiuæ, Non derelinques, nec dabis &c. vehementiores ſunt affirmatiuis, & robuſtius reſurrectionem teſtantur, quam ſi dixiſſet, Educes de inferno animam meam, & ſeruabis ſanctum tuum, Sicut ibi, Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea, Id eſt, certiſſima manebit. Ita hic: Non derelinques, id eſt, velociſſime reduces, Et non dabis Sanctum tuum videre corruptionem, id eſt, feſtinabis me reducere in ſanitatem & vitam corporis, Videtur enim mihi ſpiritus in his verbis ſimpliciter loqui & magis ad tempus reſpicere, quam ad locum vel aliam circumſtantiam, Vt ſit ſenſus, Non derelinqnes me tanto tempore, quanto naturaliter ſolent corrumpi cadauera, ſed intra tempus, quo ſolent incipere corrumpi, me ſuſcitabis, Alioqui poſſit ſermo videri de aliquo dictus, qui vſq; in diem iudicii per miraculum in inferno & ſepulchro ſeruaretur incorruptus, quamuis nullus ita ſit ſeruatus, ſaltem ante Chriſtnm, de quo hæc primo loquitur. Etſi enim ſunt (vt in Aegypto) corpora myrrha, quæ contra putrefactionem valet, peruncta & ſeruata, caro tamen conſumpta eſt & exhauſta, contra quod hic dicitur, Caro mea requieſcet in ſpe. *Luc. 10.*

Negatiuarum robur.

Non derelinques animam meam.

Notas mihi feciſti vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo, Delectationes in Dextera tua vſq; in finem.

Hierony. Oſtendis mihi ſemitam vitæ, plenitudinem lætitiarum ante vultum tuum, decores in dextera tua æternos, Vbi videtur ab vno verbo, oſtendis, tres accuſatiuos regi, quorum vnum Noſter mutauit in verbum, adimplebis, & tertium in nominatiuum, delectationes, nihil tamen de ſenſu perit. Nam & Petrus Acto. 2. noſtrum ſequitur.

Deſcribit autem gloriam reſurrectionis tribus partibus, Vita immortali, lætitia interna, & iucunditate æterna. Via vitæ dicitur, quod ſit à morte ad vitam, quaſi illud Apoſtoli Rom. 6. dicat, Chriſtus reſurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur. Chriſtus enim antea non nouerat viam vitæ experimentaliter, cum hæc vita ſit, non niſi via mortis, ſeu curſus potius ad mortem, ſed reſurgere ad vitam immortalem, hoc vere eſt noſſe viam vitæ, quod ſolius eſt virtutis & dexteræ Dei, ſicut hic dicit, Notas mihi feciſti vias vitæ, & Pſal. 89. Quis eſt homo qui viuet & non videbit mortem, eruet animam ſuam de manu inferni? Q. d. nullus. Sic Pſalm. 68. vocatur Dominus, Dominus exitus mortis, & Deus ſaluos faciendi; Quod *Acto. 2.* *Rom. 6.* *Pſal. 68.*

Reſurrectionis triplex gloria.

Vita noſtra eſt curſus ad mortem.

abſorpta

Oſee 13. abſorpta morte per victoriam, educat in vitam æternam, ſicut promiſit Oſeæ 13. De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos, Ero mors tua, ô mors, morſus tuus inferne. Conſolatio abſcondita eſt ab oculis meis, quia ipſe inter Fratres diuidet, Adducet ventum vrentem Dominus de deſerto aſcendentem, & ſiccabit venas eius, & deſolabit fontem eius, id eſt, peccatum, quod eſt vena, fons, ſtimulus, virtusque mortis &c.

Lætitia interna, quam Hieronymus plenitudinem lætitiarum ante vultum Dei, non male intelligit, Ea eſt, qua videtur Deus deorum in Zion, ſicuti eſt à facie ad faciem, vbi eſt ſatietas plena cordis noſtri, vt digna Emphaſi, plenitudo lætitiarum appelletur, In hac enim vita ex parte cognoſcimus, ex parte prophetamus, ita ex parte lætamur, & omnia ex parte habemus. Cum autem venerit, quod perfectum eſt, euacuabitur quod ex parte eſt 1. Cor. 13. vbi non miſcebitur riſus dolori, nec luctus conſolationi, ſicut neceſſe eſt in hac vita fieri, dum peregrinamur à Domino, & per ſpeculū videmus in ænigmate. *Lætitia interna.* *1. Cor. 13.*

Quare lætitiam huius vitæ, lætitiam ænigmatis, illius vero lætitiam, vultus ſeu faciei Domini, appellare poſſumus. Sic enim Ebraice, ſine præpoſitione, eum, & ante, dicitur, Plenitudinem lætitiarum faciei tuæ. Vt plenitudinem lætitiarum è facie & reuelata gloria Dei pendere intelligamus, ſicut Pſalmo ſequente dicet, Satiabor cum apparuerit gloria tua. Et Chriſtus Iohan. 14. Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum. Hæc eſt lætitia æterna, quia plenitudo lætitiarum, cum lætitiæ in hac miſeria Sanctis impartitæ, ſint ſtillæ quædam & tenues præguſtus, qui cito tranſeant, Plenitudo autem reuelata facie Dei, perfecta eſt manens in æternum. Hæc enim eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum, Iohan. 17. *Lætitia huius vitæ & futuræ.* *Pſal. 17.* *Iohan. 14.* *Iohan. 17.*

Iucunditates in dextera tua in finem, quas Hieronymus decores æternos poſuit, ſignificare mihi videntur dotes reliquæ corporis & animæ & omnium rerum, ſeu, vt noſtri vocant, obiectiuas delectationes, quas Chriſtus ex ſua gloria habet, Sicut enim in ſiniſtra Dei, id eſt, in hac vita in omnibus eſt triſtatus, ita in dextera, id eſt, futura vita in omnibus delectatur. Qui enim in Dei viſione beatus eſt, in omnibus ſimul iocundatur, nullum hic triſte ſpectaculum, ſed omnia iucunda, omnia cooperantur, applaudunt, fauent, arrident. Sicut canit Lactantius: Ecce renaſcentis teſtatur gratia mundi, omnia cum Domino dona rediſſe ſuo. *Iucunditates in dextera tua æterna.* *Lactantius.*

Eadem hic dictio eſt fœminino genere Neimoth, quæ ſuperius maſculino Neimim poſita eſt, Funes ceciderunt mihi in pulchris ſeu iucundis, vtrobique Chriſti iucunditatem in rebus extra Deum exiſtentibus, docens. Ac Ebræus vltimam dictionem Nezah, quod nos, in finem, Hieronymus, æternos reddidit, ambigua conſtructione habet, vt ad omnes tres partes queat aptari; ad vias vitæ, ad plenitudinem lætitiarum, & iucunditates in dextera Dei, vt ſingulas æternas accipere poſſimus, vel ad ſolas iucunditates, quas decores Hieronymus vocat, forte quod decoris & formoſis delectemur & iucundemur. Hæc erunt, cum corpora noſtra, cœlum & terra in nouam creaturam mutabuntur in fine mundi, vbi omnia erunt iucunda & dulcia. Interim expectatio creaturæ ingemiſcit & parturit, donec & ipſa liberetur à corruptione & vanitate in libertatem gloriæ filiorum Dei, Rom. 8. *Nezah.* *Rom. 8.*

Dextera Dei (vt diximus) futuram vitam, ſeu eam, quæ eſt in conſpectu Dei ſignificat, quæ nunc incipit per fidem, conſummanda per ſpeciem, Amē. Videmus ergo, hic Pſalmus vnus omnium quam clare reſurrectionē & gloriam reſurrectionis prædicet, vt merito Miebtham aureolus dictus ſit Dauid, qui hoc loco inſigniter ſuam in rebus diuinis cognitionem ſignauit. *Dextera Dei.*

PSALMVS XVII.

ORATIO DAVID.

NOuus titulus, Oratio Dauid, quo ſatis indicatur Pſalmi materia, quæ mihi non diſſimilis videtur ei, quæ Pſalm. 5. & multis alijs tractatur, Generalis ſcilicet querimonia populi iuſti aduerſus nocentiſſimos perſecutores ſpiriticidas hypocritas, cum quibus ei aſſidue bellum eſt, ſicut inter Iacob & Eſau, de iuſticia & verbo veritatis, Itaque ex prædictis ſæpius tractatis facilis erit & huius Pſalmi ſenſus.

EXaudi Domine iuſticiam meam, intende deprecationem meam, auribus percipe orationem meam. Non in labijs doloſis.

Pios magis vrit dolus, quam vis tyrannorum.

MAgnum affectum & lachrymas multas indicat ter repetita & ingeminata petitio, Quia reuera ſpirituales homines magis vrit dolus, quam vis impiorum, Quod vim manifeſtam licet cognoſcere & periculis cognitis vtcunque occurrere. At dolus ante perdit quam intelligatur, Vnde & Paulus 2. Corin. 12. cum dixiſſet, Quis infirmatur, & ego non infirmor, grandius in ſcandalum dixit, Quis ſcandaliſatur, & ego non vror? Non ait, Infirmor, ſed vror, quod minus ſit cum infirmantibus, id eſt, patientibus pati, quã propter ſcandaliſatos vri. Et Actor. 20. proteſtatur ſeſe per triennium non ceſſaſſe cum lachrymis monens vnumquemque, vt cauerent à Lupis rapacibus, qui poſt diſceſſionem eius erant intraturi & locuturi peruerſa. Et Phil. 3. Multi enim ambulant, quos ſæpe dicebam vobis, nunc autem & flens dico, Inimici crucis Chriſti, quorum finis interitus: Quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione.

2. Cor. 12. — Actor. 20. — Philip. 3.

Si ſic Prophetæ, ſic Apoſtoli arſerunt & fleuerunt ſuper ſui temporis hypocritis, quando ſpiritus adhuc plenior erat in Eccleſia, Quid non metuendum nobis? Quæ lachrymæ nobis eſſe poſſunt ſatis in his perditis temporibus, tantæ ſecuritatis, in quibus dæmones mortuos eſſe aut dormire credimus, cum regnent horrenda tyrannide, nomine Chriſti & Sanctorum in ſuas partes rapto & iactato? Verum prædicta ſunt ſatis abunde talia tempora, nos autem inſenſati ſumus, & ſicut Iudæi, ignorantes implemus ipſi omnia, quæ prædicta nobis ſunt ab Apoſtolis præſente impietate, quæ futura eſſe de alijs ſomniamus, Væ ſeculo huic nouiſſimo & peſſimo.

Exaudi Domine iuſticiam.

Ebræus, ſine pronomine, meam, abſolute dicit, Exaudi Domine iuſticiam, quo verbo, vt Iudaicas tenebras omittam, qui Dauidem hic iactatæ iuſticiæ peccato meruiſſe fingunt, vt poſtea caderet in peccatum adulterij, etiam noſtri offenſi ſunt, vt ſoli Chriſto hanc vocem tribuerent. Mihi autem vehementior eſt petitio, quod abſolute petit iuſticiam exaudiri, quam ſuam iuſticiam, Oſtendit enim hoc verſu pene per ſingula verba, quos intutus ſit, & vnde motus, vt ſic æſtuaret. Intutus enim eſt multitudinem & magnitudinem hypocritarum, qui ſibi ſolis, vt omnia bona opera & iuſticiam, ita & orationem & miſericordiam Dei arrogant, cum tamen omnia hæc doloſe & in deceptionem plurimorum imbecillium non niſi ſimulent, Vt remedio alio non queat rebus veris ſuccurri, quam oratione lachrymoſa, quæ Deum pro-

Contra gloriationem Hypocritarũ.

uocet,

Digitized by Google

nocet, vt iuſticiam ſeu id quod vere iuſtum eſt, ſeu iuſtam cauſam, qualis eſt fides, verbum & opera fidei, audiat, ſuſcipiat & defendat, contra impiam & noxiam illorum ſimulationem. Eſt ergo affectus pietatis & charitatis eiuſmodi: Etſi ego indignus ſum, qui peto, tamen ipſa cauſa cum ſit verbi tui & fidei cauſa vereque iuſticia, digna eſt, quam non ſinas opprimi in deceptionem infelicium animarum, quas Lupi illi rapaces ſuis fictis verbis vorare non ceſſant. *Quid vocet hic iuſticiam.*

Pſal. 4. Sunt qui velint ſic vertere: Exaudi Domine iuſticiæ, ſicut Pſal. 4. Exaudiuit me Deus iuſticiæ meæ, quod iudicio cuiuſq; relinquo. Ebræus quidem textus non reſiſtit, ego tamen priore ſenſu contentus ſum. Reliquæ duæ, Intende deprecationem meam, auribus percipe orationem meam, ad modum Pſal. 5. intelligamus. Quid deinde interſit inter orationem & deprecationem, Pſal. 6. dictum eſt ſatis.

Non in labijs doli, ſeu doloſis. Manifeſte hic accuſat hypocritas, quorum & dogmata & orationes, labijs doloſis deputat. Poteſt autem & aſſerentis & optantis eſſe hoc modo, Ideo nos exaudi Domine, quia tu noſti cor noſtrum, quod non eſt dolus in labijs noſtris, ſicut oramus ore, ita ſentimus corde, & ſicut docemus, ita ſimpliciter viuimus, cum illi contra nihil non ſimulent. Vel hoc modo, Exaudi Domine iuſticiam, & fac, ne & nos, ſicut illi, doloſis labiis, tum oremus, tum doceamus. Ita hic videmus micare zelum & odium hypocriſis, quam Sancti tanta deteſtatione deprecantur & accuſant. *Zelus & odium hypocriſis in pijs.*

De vultu tuo iudicium meum prodeat, oculi tui videant æquitates.

IVdicium, hoc loco, non arbitror eſſe ſenſum ſeu acumen illud ingenij, quo de omnibus recte maleue ſentimus, vt aliquibus viſum eſt, Sed ipſam cauſam, de qua diſceptant partes aduerſariæ. Quomodo Pſal. 140. *Pſal. 140.* Ego cognoui, quoniam faciet Dominus iudicium inopis, & vindictam pauperum. Et Hiob 23. Proponat æquitatem contra me, & ad victoriam perueniet iudicium meum. Et 31. Si contempſi ſubire iudicium cum ſeruo meo, cum diſceptaret aduerſum me. Iudicium mortis eſt viro huic, Non eſt viro *Hiob. 23.* *Iere 26.* huic iudicium mortis, dixerunt de Ieremia, eiuſdem 26.

Eſt ergo ſenſus, Iuſticia cauſa mea & iudicium meum, obſecro, vt exeat de conſpectu tuo, Quia coram & in oculis tuis ſcio iuſtum eſſe, quod in oculis hominum damnatur tanquam impium & iniquum. Quare fac, vt quale eſt coram vultu tuo te iudicante, tale fiat, reuelante te etiam coram hominibus. Non maneat iudicium cauſæ meæ tale, quale egreditur à conſpectu *Abac. 1.* hominum damnatum, Quia vt Abac. 1. dicitur, Ab eo conſpectu egreditur iudicium, peruerſum, & non peruenit ad finem iudicium, laceratur etiam lex. Quæ verba & hodie orari oportet aduerſus hæreticæ prauitatis inquiſitores, & tyrannos Eccleſiaſticos, à quorum conſpectu non egreditur veritatis iudicium, niſi damnatum. Neque enim & ipſis reſiſti poteſt, niſi queruloſa & lachrymoſa oratione. Idiotiſmum hunc ſatis notum arbitror, Egredi iudicium, egredi ſermonem, egredi verbum, egredi cauſam, &c. *Iudicium Dei & hominum.* *Egredi iudicium.*

Pſal. 9. *Oculi tui videant æquitates.* Ebræus habet Rectitudines, ſeu id quod rectum eſt, de quo ſuperius abunde Pſal. 9. Damnat enim Propheta hypocritas ſanguinarios prauitatis, hoc eſt, quod in omni cauſa quærũt quæ ſua ſunt, Ideo iuſtorum cauſam, cum quærat quæ Dei ſunt, damnant, vt ſuas prauitates ſtatuant. Sic enim oculi hominum reſpectum habent & intendunt in *Hypocritæ ſanguinarij iuſtorum cauſam damnant.*

prauita-

Digitized by Google

prauitatem, Sed tui, ô Domine, oculi, cum non videant, niſi quod rectum eſt, oſtende & idipſum coram omnibus, Quod facies, ſi cauſam meam defendas & illorum opprimas, donec enim id non feceris, illi iactant ſine fine ſuperbientes, Oculos tuos reſpicere ad ſe & ad ſuas prauitates, tanquam rectitudines, ac negligere & abominari noſtram rectitudinem, tanquam prauitatem.

Eſt autem idem huius verſus ſenſus, qui Abac. 1. Mundi ſunt oculi tui, ne videas malum, & reſpicere ad iniquitatem non poteris, Quare ergo reſpicis ſuper iniqua agentes, & taces deuorante impio iuſtiorem ſe? Ita iterum aliud eſſe Dei, aliud hominum reſpectum oſtendit, & aliud eſſe quod in oculis hominum, & aliud quod in oculis Dei iudicatur.

Impij verbis & ſapientia non vincuntur, ſed oratione. Simul obſeruemus, vt dixi, non viribus noſtris, neque ſapientia noſtra eſſe nitendum, Nemo enim vnquam peruerſum hominem, verbis aut ſapientia vicit, nec fidei cauſam ſuis viribus vllus vnquam defendit, Vt in omnibus hæreticis monſtratum eſt, quando nec Apoſtoli, nec Prophetæ, neque adeo ipſe Chriſtus ſuos hypocritas potuit ſuperare, cum impij etiam victi, victi eſſe nolint. Quid ergo nos præſumeremus vermiculi contra Antichriſtos omnium robuſtiſſimos Eccleſiæ hoſtes, omiſſa oratione queruloſa, præſtare?

Dixi ſuperius æquitatem abſtractum, noſtro Interpreti placuiſſe, pro rectitudine, cum tamen vbiq; non æquum, ſed rectum transferat in concreto. Aequitas magis ad moderationem legis pertinere nobis permittatur, quam ad rectitudinem, quæ perfecta legis plenitudo eſt.

Probaſti cor meum & viſitaſti nocte, igne me examinaſti, & non
eſt inuenta in me iniquitas,
Vt non loquatur os meum opera hominum, propter verba labiorum
tuorum, ego cuſtodiui vias duras.

EBræus non parum diſſonat, quem Hieronymus ita vertit: Probaſti cor meum, viſitaſti nocte, conflaſti me, non inueniſti cogitationes meas tranſire os meum, In opera hominum propter verba labiorum tuorum ego obſeruaui vias latronis. Sed quis erit ſenſus? Certe Hieronymus omiſit aduerbium negandi ante verbum tranſire, nec ſeruat diſtinctionem verſus Ebraicam. Noſtra autem translatio, etſi abundet ſuo ſenſu, Ebræo tamen an quadret videbimus, Non quod ideo damnandum cenſeam, aut eccleſiam Dei calumniari velim, quod vſa ſit hac translatione tanto tempore. Quid n. nocet verbis male redditis alium ſenſum, quam ſit natiuus in Eccleſia haberi, modo ſit pius, Quando multa ſunt, optime quoq; reddita, quorum tamen ſenſum nondum habuit & explicauit Eccleſia, vt ſunt Prophetię Chriſti

Prophetiæ Chriſti & Apoſtolorum, de nouiſſimis temporibus. & Apoſtolorum de nouiſſimis temporibus, Quis n. in Eccleſia intelligit illas? Et tamen verba ſunt proprie reddita. Quin quis dubitet Eccleſiam habere ſenſum proprium huius loci, etiamſi ignoret eundem hoc loco ſignificari? Id quod in multis alijs quoq; accidit. Quid enim non habeat, quæ ſpiritum Chriſti habet? cui non ſit neceſſarium omnem locum ſpiritus in Scriptura noſſe.

Hæc dixerim contra moroſos, qui ſtatim vt aliter quam receptum eſt quippiam fuerit inuentum, calumniam Eccleſiæ interpretantur. Nos aliorum induſtrias laudamus, ſed & nos in partem agri dominici excolendi, non tan-

Veteres non potuerunt omnia. tum veſcendi gratia, vocatos arbitrari debemus, cum ſcriptum ſit, Superereſcentibus nouis vetera proijcietis, Non potuerunt illi omnia, quædam & nobis re-

Digitized by Google

bis relicta. Alioqui ſi ſatis eſt illos docuiſſe, cur non ſatis quoq; eſt eos bene vixiſſe? Si eadem verba ſufficiunt, cur non eadem & opera, vt ſic tam verbis quam operibus eorum contenti, nemo aliud doceat & faciat, quam S. Hieronymus docuit & fecit?

Ad Pſalmum, cuius hos duos verſus ad verbum ſic reddo.
Probaſti cor meum, viſitaſti nocte, conflaſti me, non inuenies, cogitationes meas non tranſibit os meum.
Ad opera hominum, In verbo labiorum tuorum, Ego obſeruaui vias corruptoris.

DE priore prius. Petierat, vt Dominus iudicium & cauſam eius iudicaret, & rectitudinem eius intueretur, Nunc qua fiducia ſic audeat petere, exponit, Tentaſti, inquit, me varijs modis, & probaſti, vt ſci-
Pſal. 139. res an eſſet via iniquitatis in me, vt Pſal. 139. dicit, An quærerem ea, quæ mea
Exod. 16. ſunt, ſicut & in lege Moſi, Exod. 16. Vt tentem eum, vtrum ambulet in lege
Deut. 8. mea an non. Et Deut. 8. Duxit te Dominus per deſertum quadraginta annis, vt affligeret te atque tentaret. Nec tamen inueniſti, ſed Perſeucraui in omnibus rectus in oculis tuis, ſemper quærens quæ tua ſunt. Hanc igitur rectitudinem dignentur oculi tui videre, & cauſam meam iudicare ſecundum conſpectum tuum, cum illi nunquam tentati & probati, ea quæ mea ſunt, nulla alia cauſa damnant & perſequuntur, niſi quia non intelligunt, ſuis prauitatibus excæcati & obnoxij.

Copia & auxeſis illa orationis, *Probaſti cor meum, viſitaſti nocte conflaſti me*, non modo diuerſi generis tentationes ſignificat, ſed & ad Emphaſin facit, & magnitudinem affectus monſtrat, tanquam ſi quis in Deum fretus pura conſcientia, longo tentationum vſu probatus, & ſpe firma iam inconfuſibilis,
Rom. 5. vt Rom. 5. Apoſtolus præſcribit, tædio, tamen aduerſæ partis, ſua pertinaciter contra eum mouentis, & plurimos ſeducentis prouocatus, incipiat corã Deo, cum fiducia contra illos ſuam cauſam iuſtificare, & dicere, Ecce tu ſcis Domine, quoniam ea, quæ dixi & feci, recta fuere coram te, & tamen impij illi, ac ſi damnata eſſent, deteſtantur, & ſuis prauitatibus fallunt plurimos. Tale &
Ierem. 17. Ierem. 17. in ſe expertus eſt, dicens, Ego non ſum turbatus te paſtorem ſequens, & diem hominis non deſideraui, tu ſcis, quod egreſſum eſt de labijs meis, rectum in conſpectu tuo fuit, Non ſis mihi tu formidini, Spes mea tu, in die afflictionis.

QVando autem hunc verſum omnes tranſeunt, ſomniare nos oportet, & propria afferre, donec alius attulerit meliora. Prima pars, *Probaſti cor meum*, Mihi videtur pertinere ad eas tentationes, quibus homo exercetur in ſeipſo ſcilicet penuria rerum, ægritudine, alijſque rerum & corporis incommodis & periculis temporalibus, Hic enim exploratur homo, an plus in Deum quam in aurum aut quamlibet fortunam confidat. *Probaſti cor meum.*

Altera, *Viſitaſti nocte*, ad ſpirituales, quibus homo in peccatis, conſcientia, timore mortis, pauore inferni vexatur, vt probetur, an plus in ſua opera, ſapientiam, conſilia confidat, quam in putam Dei miſericordiam. Dixi-
Pſal. 16. mus enim Pſalmo præcedente, noctem eſſe idoneum tempus harum tentationum, quibus proprie Deus ipſe viſitat & dure arguit. *Viſitaſti nocte.*

Tertia, *Conflaſti, ſiue igne examinaſti, ſicut aurum*, ſit externa perſecutio, vbi virulentis linguis infamatur, peſſimis hominibus & ignominia fœda- *Conflaſti ſicut aurum.*

tur, ſi-

tur, ſicut Chriſtus in cruce cum Sceleratis teputatus, & coram omnibus dignus viſus, qui omnia extrema patiatur, vt vndiq; excoctus & probatus ſpem, quæ non confundit, obtineat, qua audeat iu fiducia Dei ſeſe iuſtificare in cauſa verbi & fidei, contra ſupetbos hypocritas, licet non ſuperbiat de iuſticia & vſu perfecto verbi & fidei. Cauſa enim fidei ſemper iuſta & recta eſt, quantumlibet ſiue malus ſiue perfectus ſit, qui eam agit.

Non inuenies.

Non inuenies. Hic eſt medius verſus, cui addidit de ſuo Interpres, in me. Et ex altera parte verſus, Iniquitas, vero quidem ſenſu, ſed confuſa diſtinctione, Nam ea dictio ſignificat & iniquitatem & cogitationem, conſilium ſeu intentionem, qua in corde quippiam ſtatuimus, vt Pſal. 10. Comprehenduntur *Pſal. 10.* in conſilijs ſuis. Poteſt ergo dici, Orationem eſſe eclipticam. Non inuenies, ſcilicet in me eſſe viam prauitatis, iuxta illud Pſal. 139. Et proba me Deus, & *Pſal. 139.* ſcito cor meum, interroga me, & cognoſce ſemitas meas, & vide ſi via iniquitatis in me eſt, & deduc me in via æterna. Ideo enim probat cor, vt videat an prauum ſit, id quod negat apud ſe inuentum. Dicit autem in futuro, Inuenies, Quo oſtendit non ſolum non inuentum eſſe prauum, ſed etiam ſic perſeueraturum proponit, vt nunquam inueniat. Tamen ſequente parte implet Eclipſin iſtam.

Præterire os cogitationes.

Cogitationes meas non tranſibit os meum. Nec fingere quidem poſſum, cur interpres, pro, Non tranſibit os meum, voluerit dicere, Vt non loquatur os meum, annectens de principio ſequentis verſus: Opera hominum, Ego, etſi non memini iu ſcripturis hoc dictionis genus legiſſe, quod cogitationes tranſeat os, opinor tamen ſenſum eſſe eundem, qui primo verſu dictus eſt, Non in labijs doloſis, Tranſit enim ſiue præterit os cogitationes, quando amplius & vltra loquitur, quam cor cogitet, vt cor & os ſibi non conſtent, quod potiſſimum in vaniloquos & multiloquos Magiſtros mentium deceptores quadrat, qui vt ſcandalum crucis non patiantur, quiduis docent, quo hominibus placeant, Deſiderant enim diem hominis, & volunt hominibus placere, & in eos, qui metu perſecutionis aut ſpe commodi veritatem negant, inter hos enim ſunt, quorum cor cum ſciat ſecus rem habere, adhuc tamen os eorum tranſit has cordis cogitationes, ne patiantur, magna pars conniuet & tacet, eodem metu vel ſpe lucri, Adeo neceſſe eſt, vt aut pereat ſi contradicat, aut Deum offendat, ſi non contradicat homo hominum traditionibus & operibus.

Veritatem negantes, metu perſecutionis vel ſpe lucri.

Hieronymus pulchre effugit per Amphibologiam, Vt neſcias, an voluerit quod cogitationes tranſeant os, vel os tranſeat cogitationes, dum verbum indicatiuum mutat in infinitiuum, dicens, Non inueniſti cogitationes meas tranſire os meum, confuſa diſtinctione, vt dixi, & omiſſo aduerbio, non, Sed verbum eſt futurum indicatiuum, numero ſingulari, non tranſibit, ſicut non inuenies, eademq; ratione perſeuerantiam commendans. Hunc ſenſum etiam noſtra translatio poteſt habere, ſcilicet probatum eſſe, & non inuentam iniquitatem in eo, vt loquatur opera hominum, hoc eſt, Nullis eum tentationibus eo potuiſſe cogi, vt relicto crucis ſcandalo & improperio Chriſti opera hominum doceret, & hominibus hac iniquitate placeret, Si enim hominibus *Gal. 1.* placeremus, Chriſti ſerui non eſſemus, Ideo petit exaudiri iuſticiam & reſpici ad rectitudinem.

Cogitationes ¶ Idem nomen eſt, quod Pſalm. 10. Comprehenduntur *Deut. 19.* in conſilijs ſuis, quæ vulgo vocamus, propoſita ſeu intentiones, vt Deut. 19. Sicut fratri ſuo facere cogitauit. Et ſatis acuta vrbanaque phraſis eſt, tranſit os cogitationes, Wenn das Maul mehr weſcht denn das Hertze weis. Vel

tranſit,

tranſit,id eſt,contemnit,inſignis enim prauitatis malum eſt,cordis proprij cogitationes bonas contemnere ob merum verborum & operum hominum. Sequitur alius verſus.

In opera hominum,in verbo labiorum tuorum,ego ſeruaui vias corruptoris. Dictio Pariz,quam noſter,duras, Hieronymus latronis reddidit,à verbo parez venit,quod diruere,diuidere, dirumpere ſignificat, vnde Reuchlin pro duras dirutas dicendum fuiſſe,ſcribit. Diruptor ergo iſte impius eſt Magiſter(qui opera hominum docet, quibus anima magis corrumpitur, diruitur,& in infinitas viarum varietates diuiditur, ſicut Iſa. 28. de eis dicit, Manda,remanda,expecta,reexpecta,modicum ibi, modicum ibi. Et Paulus, non circumferamur omni vento doctrinæ. Et Ebræ. 13. Doctrinis varijs & peregrinis nolite abduci, optimum eſt enim gratia ſtabiliri cor, non eſcis, quæ non profuerunt ambulantibus in eis. Obſecro,quid aliud eſt, quā dirumpi & in infinitas partes diuidi,ſi dimiſſa vnitate fidei tradamur in opera hominum, nunc illud,nunc iſtud,nunc iterum illud, & ita ſine fine.

Pariz. *Impia docens, diruptor eſt.* *Iſa. 28.* *Ephe. 4.* *Ebre. 13.*

Huc pertinent noſtri ſeculi cæremoniæ & quotidie noue excogitata ſtatuta,ritus,loca,feſta,pompæ,ſectæ,preces, & id genus arenæ maris innumerabiles, Vt ſi ipſi deberemus fingere nomen,quo hos Magiſtros appellari oporteat,aptius inuenire non poſſemus,quam parizim,diruptores, latrones,graſſatores,qui publica via contempta,vagantur ſuis vijs, vere diruptores ſunt,ſeu,vt Chriſtus & Paulus,Lupi rapaces,qui nos à fide Chriſti rapiunt, & in tot ſectas dirumpunt,quas nemo numerare poteſt.

Noſtri ſeculi cæremoniæ. *Magiſtri noſtri Parizim.* *Quid ſi inde Phariſæos nuncupemus.*

Eſt ergo ſenſus, Ad opera hominum,quæ per verbum labiorum tuorum fingunt doceri,cum nihil minus doceatur eiſdem,ſic me habui, vt obſeruarem,ne vias rapacium iſtorum graſſatorum ambularem. Et magna profecto obſeruatione hic opus, quod verbis diuinis huc detortis, procliue ſit in iſtam diruptionem & rapacitatem concedere. Id quod & Iſaias pulcherrima copia proſequitur,dicens, Et erit eis verbum Domini (ecce ipſum verbum Domini) Manda,remanda,manda,remanda,expecta,reexpecta,expecta,reexpecta, modicum ibi,modicum ibi,vt vadant & cadant retrorſum, & conterantur & illaqueentur & capiantur. Sic 2. Pet. 2. In auaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur Pſeudomagiſtri, per quos via veritatis blaſphemabitur.

2. Pet. 2.

Nam & hodie illud Chriſti, Qui vos audit,me audit, quod de verbo Euangelij dixit,tractum eſt ad ſtabiliendum vniuerſam lernam(ſcrinium volui dicere) pectoris Romani Pontificis. Item illud Matth. 23. Quæcunq; dixerint, facite,quod de lege Domini dictum,ſimiliter ad arbitrium vaſtandi Eccleſiam per leges hominum tortum eſt, Præ omnibus vero illud ſaluberrimum, Tibi dabo claues &c. huic legum tyrannidi patrocinium factum eſt. Ita nunc claues regni cœlorum,ſunt poteſtas multiplicandarum legum. Sic dum nemo obſeruat vias rapacis Lupi & diruptoris,omnes in opera hominum, tanquam in verba labiorum Dei mandata,ſumus miſerrime tracti & illaqueati.

Qui vos audit, me audit. *Matth. 23.* *Tibi dabo claues.*

Ebraiſmus & Eclipſis hic locum habent,vbi relatiuum & verbum aliquod omittitur, quæ ſic expleamus: Ad opera hominum, quæ in verbo labiorum tuorum docent. Quaſi diceret,ego vidi,quod dum ad opera hominum nos ducunt,quæ in tuis verbis mandari mentiuntur, ad vias rapacitatis ſuæ nos trahunt. Taxat autem eorum fictionem pulchre,quia non ſimpliciter verbum tuum,ſed verbum labiorum tuorum dicit in operibus hominum

Verbum labiorum tuorum.

trahi, Vere enim ſine iudicio, non ſenſum, ſed ſonum verborum velut è labijs arripiunt, & ſuis affectibus, vt libidum eſt, attemperant, ſicut eſt videre in facultate Iuridica & Theologica qualificatrice & graduatrice.

Noſtra translatio hunc ſenſum poteſt tenere hoc modo, Propter verba labiorum tuorum ego cuſtodiui vias duras, Q.d. Hoc magis obſeruaui, ne vias eorum ſequerer, quod verbis labiorum tuorum, ad eas ſtabiliendas vterentur, & ita fictis verbis (vt Petrus ait) de me negociarentur, cum reuera eſſent viæ duræ & difficiles, vt quibus miſere dirumperer vagus in omnia, & in nullo conſiſterem ſolide, Quod quo labore non eſt durius? ita quod aliis eſt cauſa, qua eos ſequuntur, id erat cauſa cur non ſequerer, ſciens quod nulla res pluribus pateat abuſibus, quam verbum & nomen tuum, ideo propter verba tua magis eſſe neceſſariam obſeruationem, quam propter quæcunq; alia. 2. Pet. 2.

Schamar. Simul hic ſignabimus verbum ebræum Schamar eſſe genericum ſeu æquiuocum ad cuſtodiam, qua aliquid ſeruatur, vt verſu primo, & qua aliquid declinatur, vt hoc verſu, quod latine rectius obſeruare quam cuſtodire aut conſeruare diceretur, Obſeruare enim in vtramq; partem accipi poteſt, ſicut alemanice, acht haben/ vel proprijſſime, quo Taulerus ſæpe vtitur, warnemen. *Taulerus.*

Perfice greſſus meos in ſemitis tuis, vt non moueantur veſtigia mea.

Hieronymus melius, Suſtenta greſſus meos, videlicet quod aſtutia Satanæ, qua corrupit Heuam, nullis queat viribus caueri, quin corrumpat ſenſus noſtros à ſimplicitate, quæ eſt in Chriſto, niſi Dominus ſuſtentet greſſus noſtros, prouocatus humilitate orationis noſtræ, Non ergo liberum arbitrium hic aliquid valet, nec ſatis eſt prima (vt dicunt) gratia, ſed perſeuerantia opus eſt, quæ eſt non volentis hominis, ſed ſuſtentantis Dei, Et Emphaſin obſerua, quod maius eſt perſeuerare, quam inchoare, quia perſeueraturis neceſſaria eſt ſuſtentatio diuinæ manus. Multi enim incipiunt, pauci proficiunt, pauciſſimi perueniunt, vt in Euangelio Dominus docet de ſemine in diuerſas terras iactato. Et Moſes cœpit orare leuatis manibus, ſed grauatus perſeuerando opus habuit ſuſtentatoribus, Vr, & Aaron. Qui enim perſeuerauerit in finem, hic ſaluus erit. Perſeuerantia autem quid eſt, niſi continua inchoatio & indefeſſa reſiſtentis, tum diaboli, tum peccatis grauatæ naturæ tolerantia? 2. Cor. 11. *Lib. arbitrium* *Prima gratia.* Luc. 8. Exod. 17. Matt. 24. *Perſeuerantia.*

Semitis tuis, Satis dictum eſt per Antitheſin dici, contra ſemitas hominū. Omnia enim facere promptiores ſumus, quæ vel ipſi elegimus vel homines ſtatuerunt, quam quæ Deus mandauit, Quia in mandatis hominum natura manet vetere homine intacto, imo vetus homo alitur hominum mandatis, At in mandatis Dei oportet vt mortificetur, mutetur & innouetur. Homo n. in ſuis vijs non eligit nec ſequitur quod contra vel ſupra ſenſum ſuum eſt. In Dei autem mandatis non poteſt ambulare, niſi faciat & patiatur multa, quæ nolit, fugit, odit, & non capit. Hic enim exuitur vetus homo, & induitur nouus. *Mandata hominum.* *Mandata Dei.*

Vt non moueantur veſtigia mea. Non eſt in Ebræo, vt, ſed Tautologia eſſe videtur, Idem enim eſt non moueri pedes & ſuſtentari greſſus. Confitetur autem veſtigia, ſeu pedes omnino moueri, id eſt, inſtabiles fieri, & in diuerſas diruptoris vias duci, niſi in ſemitis Dei ſeruentur, Sic enim mouentur, qui hominū traditionibus, ſicut arundo vento, agitantur, quod experientia omnium

eorum

eorum probatur,qui operibus ſuis ſeſe tentant quietos facere, ſemper diſcentes,nunquam ad ſcientiam veritatis peruenientes , & tamen ſpeciem pietatis habentes,

Aliud periculum perſeuerantiæ multo grauius,ex alio latere,ſcilicet à dextris,quod eſt ipſa ſecuritas,proſperitas,& pax impiorum, de quo Pſal. 73. Mei autem pene moti ſunt pedes,pene effuſi ſunt greſſus mei,pacem peccatorum videns.In labore hominum non ſunt,& cum hominibus non flagellantur. Hic vere cadunt à dextris decem millia,vbi illic cadunt à latere ſiniſtro vix mille. Non enim de proſperitate impiorum eorum loquitur tantum, qui craſſis,libidinis, crapulæ, luxus & opum, peccatis, proſperi & ſecuri ſunt, Nam ij non fallunt,niſi voluntarios & ſcientes,Sed multo maxime de Hypocriſis,qui operibus hominum ſpecioſe fulgentes,nulla cruce vexati, videntur optimam vitam agere,qui verba labiorum Dei,ſuis operibus aptant, Qualis & hodie eſt, Pontificum,Sacerdotum,& Religioſorum vita, Ab ijs nemo ſatis tutus eſſe poteſt,hic in errorem ducuntur,ſi fieri poteſt,etiam electi. Nam hac via,Papa & Epiſcopi facti ſunt Domini orbis terrarum, quibus ſtrenue adulantur reliqui Clerici & Religioſi.

Pſal. 73.

Proſperitas Hypocritarum.

Qua via Pontifices creuerint.

In his omnibus,ne tantillum quidem videmus crucis Chriſti & veræ pietatis,imo vero maximi omnium crucis inimici hi ſunt, & tamen opinione & nomine pietatis celebres ſunt,ob ſola opera hominum , Putamus enim inſenſati,quia proſperantur in ſuis vijs,ita vt etiam Reges magnos humiliarint, & vt quiſque fuit doctiſſimus & optimus damnarint, omnia eorum ex Deo eſſe,Cum tamen ea proſperitas non niſi erroris operatio ſit ab Apoſtolo prædicta. Iſta eſt vorago & ianua patens inferni,In hanc tanto æſtu orat hic Propheta,vnde & ſequitur cœptam orationem proſequens.

Ego clamaui, quoniam exaudiſti me Deus, Inclina aurem tuam & exaudi verba mea.

DVo pronomina, te, & mihi, noſter vel aliquis Scriptorum omiſit,vnde Hieron,melius ita vertit,Ego inuocaui te,quia exaudies me Deus,Inclina aurem tuam mihi,audi eloquium meum, Incipit autem à gratitudine & confeſſione præteritæ exauditionis,Hoc ipſo captans beneuolentiam,& parans impetum orandi,Quia vt videbimus,inſtanter vrgebit affectum orationis, motus magnitudine & multitudine diruptorum & Luporum,quibus vellet reſiſtere,& tot miſeras animas ſeruare,nec poteſt, Ac ſi ardenti & præſumptuoſa quadam indignatione dicat,Ecce audiſti me antea ſæpius,cum te inuocarem,etiam nunc oro,Inclina ad me aurem tuam, & audi verba mea,dum tam magna & neceſſaria,pro tot millibus pereuntium, contra tot inſidias perdentium peto,

Nec obſtat,quod Ebræus futuro dicit, Audies me Deus,Et noſter , Exaudiſti me Deus,præterito,Quia more prophetico inuoluit vtrunque, præteritum & futurum,Videturque eſſe is ſenſus,quo nos vulgo diceremus, Confido me non fruſtra dicturum,qui ſciam quam ſoleas(quæ tua eſt clementia) me dignanter audire. Ebræus coniunctiuum modum non habet,ſed indicatiuo futuro pro eo vtitur. Hoc modo Chriſtus Iohan.11.dicit: Pater gratias tibi ago,quoniam audiſti me. Ego autem ſciebam,quia ſemper me audis. Atque hinc ſoluitur iſta difficultas, quæ Auguſtinum etiam aliquoties torſit, cum dicendum videtur inuerſa ſententia: Tu exaudiſti me,quia ego clamaui ad te, Sed longe pulchrius,Ego clamaui,quoniam tu audis, vt commendetur miſericordia,ſiue promittentis,ſiue audientis,quæ mouet & cauſa eſt, vt audeamus clamare potius,quam clamor orantis,cui per ſe nihil debetur,

Iohan.11.

Auguſtinus.

Inclina aurem, tropus familiaris Pſalterio, quo tamen (vt dictum eſt in ſuperioribus) humilitas orantis exprimitur, & exaudientis maieſtatis altitudo, quæ reſpicit humilia in cœlo & in terra, hoc eſt, inclinat aurem ad preces humilium, ſine dubio auertens faciem à ſuperbis.

Mirifica miſericordias tuas, qui ſaluos facis ſperantes in te.
A reſiſtentibus dextra tua, Cuſtodi me vt pupillam oculi.
Sub vmbra alarum tuarum protege me.

Saluator ſperantium.

SIc enim diſtinguuntur ij duo verſus in Ebræo, multoq; pleniori energia dicit Ebraice Moſchia hoſim, Saluator fidentium, ſeu ſperantium, abſolute, quam qui ſaluos facis ſperantes in te. Nam in te, additum eſt ab Interprete. Vide itaque vim & impetum orationis in ſingulis verbis, quanto affectu, quantaque ſolicitudine inſtet & vrgeat.

Primum, Mirifica, non oſtende tantum, hoc eſt, Fac vt videant quam mirabiles ſint miſericordiæ. Quomodo? Videte vocationem veſtram Fratres, quia non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, ſed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, vt confundat ſapientes, & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia & ignobilia mundi & contemptibilia, & ea, quæ non ſunt, elegit Deus, vt deſtrueret ea quæ ſunt, & non glorietur in conſpectu eius omnis caro. 1. Cor. 1. *1. Cor. 1.*

Et rurſus idem Paulus 1. Timoth. 1. Fidelis ſermo & omni acceptione dignus, quia Ieſus Chriſtus venit in hunc mundum, peccatores ſaluos facere. *1. Tim. 1.*

Mirabilia miſericordiarum Dei.

Hæc enim ſunt mirabilia miſericordiarum Dei, quod peccatores quos damnare oportuit, ſaluat, & indignos, quos contemni oportuit, glorificat, & in ſumma, humiles, abiectos, viles exaltat, Quæ Dei cognitio dulcis eſt, corda ſancto ſpiritu inflat, exhilarat & confortat.

Impij non ferunt argui ſapientiam ſuam.

Miſericordias tuas, Non Iuſticias, potentias, ſapientias illorum, ſicut Pſalmo præcedente dixerat, Non congregabo conuenticula eorum de ſanguinibus &c. Hoc enim non modo eſt mirabile & iucundum in oculis noſtris, ſed etiam irritabile & damnabile in oculis impiorum, qui nolunt eſſe ſtulti, peccatores, & mali, Ideo vt non poſſunt ferre, ſuam ſapientiam, potentiam, iuſticiam argui, contemni, damnari, ita nec miſericordias Dei prædicari, Vnde ſemper reſiſtunt Deo, quem iactant, non niſi iuſtorum eſſe Deum, nec ſaluare niſi iuſtos, nec damnare niſi peccatores, Nec quid peccatum, nec quid iuſticia, nec quid miſericordia, nec quid Deus ſit vnquam intelligentes, ſicut & noſtra Theologia Scholaſtica, id eſt, impia, inſipiens & illuſoria, errat. Deus enim non fictos, ſed veros peccatores ſaluat, quia non ficta, ſed vera eſt eius miſericordia, non agit nobiſcum verbis, ſed rebus. Iuſtus enim eſt, qui ſe agnoſcit vere eſſe peccatorem, ſicut Paulus dicit 1. Timot. 1. Quorum primus ego ſum. *Pſal. 16.*

Theologia ſcholaſtica.

Saluator ſperantium ſeu fidentium. Pulchre Deum commonefacit operis & gloriæ ſuæ, Opus enim eius eſt ſaluos facere, qui in ſe confidunt, ſicut dicit Pſalm. 91. Quoniam in me ſperauit, liberabo eum, protegam eum, quoniam cognouit nomen meum. Et Ierem. 39. Vade & dic Abedmelech Aethiopi, dicens, Hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſrael, Ecce ego inducam ſermones meos ſuper ciuitatem hanc in malum & non in bonū, & erunt in conſpectu tuo in die illa, & liberabo te in die illa, ait Dominus, & non traderis in manus virorum, quos tu formidas, ſed eruens liberabo te, & gladio *Pſalm. 91.*

Opus Dei ſaluare confidentes in ſe.

Abedmelech Ierem 39.

non

Digitized by Google

non cades,ſed erit tibi anima tua in ſalutem,quia in me habuiſti fiduciam,ait Dominus.

Pſal. 48. Obſecro quem non moueat ad fidendum,tam larga Maieſtatis promiſſio vni homini tot verbis commendata? Vere dulcis Dominus,ſed ijs, qui experti ſunt. Secundum opus ergo eius, ita & nomen eius,ſecundum nomen eius,ita & laus eius,ſecundum laudem eius,ita & amor eius,ſecundum amorem eius,ita & ſalus noſtra. Non ergo Saluator eſt ſapientum, potentum, iuſtorum,ſanctorum,ſed ſolum fidentium,quiqui fuerint. Non refert,peccator,publicanus,meretrix, latro fueris. Confide fili, remittuntur tibi peccata tua,hac ipſa fiducia tua. Nec ſolum remittuntur,ſed amorem Dei quoque pariet eadem fiducia,quo deinceps peccatum vitabis,vinces, & mortem omniaque mala contemnes. *Dulcis Dominus, ſed expertis.*

A reſiſtentibus dextræ tuæ. Hoc ad nomen,Saluator,referendum eſt, ſcilicet,Saluator ſperantium à reſiſtentibus dextræ tuæ. Quo acriter mouet inuidiam aduerſarijs,vt quorum inſania iam non in ea quæ ſua, ſed in ea quæ Dei ſunt,graſſetur. Dexteræ tuæ reſiſtunt,tua res agitur. Vide ergo quam repente faciat affectus egregium Rhetorem. Nonne partes Rhetoris belle agit, Cauſam ſuam commendat,ſibi gratiam conciliat, aduerſarios accuſat,eis inuidiam mouet,& Iudicem mira arte non modo beneuolum,ſed & ardentem & zeloten facit,idque verbis(quod ſummum eſt Rhetoricæ decus)breuiſſimis & ſententioſiſſimis:Non quod his opus ſit Deo,vt flectatur, ſed fides noſtra, quæ quo ardet magis,hoc plura per eam Deus operatur. Diximus autem impios,qui Deum non cognoſcunt, nec opera eius, vt quem non mirabilem, ſed ſecundum ſuum ſenſum cogitant,neceſſario reſiſtere dextræ Dei. *Affectus facit Rhetorem.* *Fidei efficacia.*

OMnium fere vnanimis eſt ſententia,brachio & dextera Dei ſignificari,potentiam & virtutem Dei,ſumpta ex hominibus allegoria, qui dextera pro membro,organo corporis maxime operoſo & potenti vtuntur. Auguſt.tamen fauorem Dei per dexteram pene vbique accipit,quod non alienum eſt à veritate,Siquidem dextera potentia ſeu virtus Dei eſt ipſa gratia,fauor,miſericordia Dei, qua nos potenter inuitis omnibus hoſtibus ſeruat. Hine Iſa.53. Chriſtum appellat,brachium Domini. Et Pſal.98. Saluabit ſibi dextera eius & brachium ſanctum eius, Paulus 1. Corinth.1. Virtutem & ſapientiam Dei, Rom.1. Euangelium virtutem Dei vocat. *Dextera ſeu brachium Dei.* Pſal. 98. 1 Cor. 1. Rom. 1. *Chriſtus brachium Domini, Iſa. 53.*

Summa, verbum Dei,quod Chriſtus eſt prædicatus nobis,eſt quo veluti dextera inuicta, petra immobili, fundamento inconcuſſo, lapide angulari, cornu victorioſiſſimo,ſeruamur,conſiſtimus,ædificamur & copulamur, vincimus in omnibus & per omnia. Hoc ſemel pro omnibus, de dextera Dei dictum ſit. Nec enim alio quopiam quam verbo ſuo nos viuificat, gignit, alit, educat,exercet,protegit,ſeruat & triumphat in æternam vitam. Sic Pſal. 118. Dextera Domini fecit virtutem,dextera Domini exaltauit me &c. Neſcio tamen an Auguſtini ſententia ſit perpetua & conſtans vbique propter Pſal. 21. qui dicit, Dextera tua inueniat omnes,qui te oderunt, in quo loco, pro gratia,miſericordia,ſeu verbo gratiæ accipi non videtur, niſi eo modo ſentias, quo Chriſtus Iohan. 12. dicit, Sermo, quem locutus ſum ego ipſe,iudicabit eum in nouiſſimo die. *Verbo ſuo Deus omnia facit.* Pſal. 118. Pſal. 21. Iohan. 12.

Alius Verſus.

Deut. 32. CVſtodi me, vt pupillam oculi. Hoc ex Deut. 32. ſumptum eſt: Circumduxit eũ & cuſtodiuit,ſicut pupillã oculi. Ex eodẽ & altera pars,

Sub vmbra alarum tuarum protege me. Dicitur enim illic, ſicut aquila prouocans ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans, expandit alas ſuas, & aſſumpſit eum & portauit in humeris ſuis, Sic & Chriſtus Matth. 23. Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum congregat gallina pullos ſuos ſub alis ſuis? *Matth. 23.*

Cauenda pericula humanarum traditionum quam maxime.

Tautologicus autem verſus eſt, In quo magnificat periculum & affectu magnæ ſolicitudinis ſic agit, ac ſi non ſatis poſſet cuſtodiri ab inſidijs impiorum, Quod & reuera ita eſt, & id in Apoſtolis quoque videmus Petro & Paulo, qui toties inculcant & repetunt pericula humanarum traditionum, vt videantur non tantum potuiſſe, quantum voluerunt nos cautos reddere. Quare hic affectus eſt timentis & fugientis à periculo maximo, qualem videmus in infantibus, qui ad parentum ſinus & colla ſeſe magno conatu recipiunt, vbi quippiam periculi timent.

Talis & nobis eſſe affectus debet ad Deum Patrem, à timore hypocritarum & iuſticiariorum, à quibus attendere etiam Chriſtus iuſſit, vt diligentiſſime & intime nos cuſtodiat, Vere enim non ſatis poteſt caueri hoc malum. Cum etiam ab exemplo proprie vereque piorum & S. Patrum, originem & autoritatem ſumat, quorum opera imitari, cum nemo non pijſſimum putet, nemo ſimul obſeruat, quod non opera ſed fidem eorum, quæ operum fuit autor, oportuerit imitari, etiam ſi longe alia oporteat opera facere. Nam opera Patrum imitari, ſit gentilium virtutum, iactetque Virgilius, cælata in auro fortia facta patrum, & Cicero glorietur domeſticis virtutum ſe abundare exemplis. Nos Chriſtianos certe fidem oportet magis ſpectare, ſicut 2. Corin. 4. Habentes autem eundem ſpiritum fidei, & nos quoqꝫ credidimus, propter quod & loquimur, Et Ebræ. 13. Mementote præpoſitorum veſtrorum, qui vobis locuti ſunt verbum Dei, quorum intuentes exitum, imitamini fidem, Idem cap. 11. non niſi fidem Patrum vocat in exemplum, ſicut & Rom. 4. fidem Abrahæ dicit ſcriptam eſſe, propter nos, vt & nos credamus.

Matth. 7. — *Patrum fidem imitari.* — *2. Cor. 4.* — *Ebræ. 13.* — *Opera Patrum imitari.* — *Rom. 4.*

Patrum opera perniciosa eſſe, ſi in exemplum trahantur abſqꝫ fide.

Cum ergo S. Patrum quoque opera ſanctiſſima, ſint periculoſa & pernicioſa, ſi in exemplum trahantur abſqꝫ fide, qua ſunt ſanctificata, quid non periculorum & malorum inuehant tot Regulæ, Statuta, Decreta, Leges hominum impijſſimorum, quorum opera nullis exemplis Patrum poſſunt probare, ſed de ſuo capite proprio omnia fingunt & animas hominum fallunt. Et hinc vide, quæ ſit neceſſitas, tam diligentis cuſtodiæ petitæ, tam prolixæ orationis, tam inſtantis & vrgentis ſolicitudinis huius Prophetæ, imo populi Dei in hoc Pſalmo. Vere cadunt à latere mille, & decem millia à dexteris, quia plures aſtus Draconis, quam vis Leonis, perdit, Et nunc in Eccleſia vulgus illud concionatorum, reprobum circa fidem, quid aliud nobis è Sanctorum geſtis proponit, quam opuſcula quædam? donec fide extincta, non niſi ſuperſtitio gentilis ſit, vbi quondam eccleſia Dei fuit, relicto nomine tantum Eccleſiæ, re penitus amiſſa.

Plures perdit aſtus Draconis, quam vis Leonis.

Pupilla oculi.

Non tamen vacat myſterio, pupilla oculi cuſtodiri petita, fides enim oculus Imo pupilla oculi eſt, quam quia facillimum eſt lædi, diligentiſſime eſt cuſtodienda, Sicut enim extincta pupilla oculi, homo cæcus in tenebris ambulat, ita ſine fide homo totus in tenebris eſt, Sic Luc. 11. Lucerna corporis tui, oculus tuus eſt, ſi oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit, Sin autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebroſum erit. Idem myſterij in vmbra alarum liceat inuenire, Alæ enim duæ, verba ſunt vtriuſque teſtamenti, vmbra vero fides ipſa verbi Dei, caligo ſpiritualis animæ, in qua tuto latet à facie vulturum & rapacium Magiſtrorum. *Luc. 11.*

A facie

A facie impiorum,qui me affixerunt.
Inimici mei animam meam circumdederunt.

COhæret hic verſus præcedentibus verbis. Cuſtodi me,protege me à facie impiorum(id eſt,ſanctorum,iuſtorum,magnorum operibus,non fide)Hieron.rectius,pro affixerunt,dedit, vaſtauerunt, Hoc enim quæritur,quod per Magiſtros impios potiſſimum vaſtatur eccleſia Dei, Sic & Paulus dicit de ſe Galat.1,Perſequebar & vaſtabam eccleſiam Dei,Perſecutio enim,vt manifeſtius malum minus nocet,quam vaſtatio,quæ eſt malum ſpecioſum,nomine maximi boni.Tamen affixerunt ſtare poteſt,pro dolore,quem populus Dei habet ex vaſtatione eccleſiæ Dei,quo vix alius maior eſt. *Perſecutio & vaſtatio Eccleſiæ.* *Galat.1.*

Ebræus ſignificantius dicit,A facie impiorum,ipſi vaſtauerunt me. Q.d. Cum tyrannis,tanquam cum extremis hoſtibus pugnaui,& hic creſcebam& roborabar.At impij iſti,domeſtici hoſtes,qui pro paſtoribus lupos agunt, pro angelis lucis,angeli Satanæ,pro miniſtris Chriſti,miniſtri Antichriſti ſunt,ij tandem ſunt,proh dolor,qui me miſerrime vaſtant, Hic opus eſt magna & diligenti cuſtodia,ſicut pupillæ oculi,qua vice tyrannos & mundum vaſtaui, vincor & vaſtor à meis ipſius domeſticis. *Domeſtici hoſtes.*

Inimici mei,animam meam circumdederunt.

Ebræus non habet, meam,ſed ſic,Inimici mei in anima obſederunt aduerſum me,Vbi mihi videtur,Anima, ad inimicos pertinere, quia addit in fine aduerſum me,Vt anhelum impetum impiorum deſcribat, quo in fidei diſcipulos,pro ſuis iuſticijs inſaniunt. Diximus enim Pſal.10. Animæ in ſcripturis proprie tribui affectum deſiderij & nauſeæ, ſiue cupiditatis & abominationis,vt Gen.34.Sichem filij mei adhæſit anima filiæ veſtræ, Contra Leuit.26. Et abominabitur vos anima mea. Et Num.21.Anima noſtra nauſeat ſuper cibo iſto leuiſſimo. *Pſal.10.* *Gen.34.* *Leuit.26.* *Num.21.*

Quare ſenſus eſt huius partis,*Inimici in anima*,id eſt,cupidiſſime & ardentiſſime,circundederunt ſeu circuitum contra me fecerunt,quomodo Ezechi.25.dicitur,Pro eo quod fecerunt Palæſtini vindictam, & vlti ſe ſunt tota anima interficientes & implentes veteres inimicitias.Eandem impatientis cupiditatis inſaniam & nos Alemani ſic ſolemus arguere. Er thut als gülts jm das leben.Exemplum eſto in Iudæis,Chriſtum & Paulum quærentibus,& noſtro ſeculo,in prauitatis hæreticæ Magiſtris,Sophiſtis,adulatoribus papalibus, & ſectis monaſticis.Hanc animam ſeu flagrantem cupiditatem Lucas in Paulo ſic eloquitur,Acto.9.Paulus adhuc ſpirans minarum & cædis in diſcipulos Domini.Videmus enim eos,qui hac anima flagrant,quam acuto & feſtinato anhelitu ſpirent,donec efficiant quod ardent facere,vt animam agere videantur,ſed & latinis,Anima pro anhelitu accipitur,vt apud plautum, An fœtet anima vxoris tua? *Ezech.25.* *Acto.9.*

Illud circundederunt,ſeu obſederunt aduerſum me,parum ſonat latine,Ebraice tamen bene & multum ſonat,verbo circundederunt abſoluto ſtatu accepto,in hunc modum. Inimici mei incredibili cupiditate & maiore auſu quam viribus obſidionem fecerunt,& in gyrum ſeſe poſuerunt, & hoc totũ aduerſũ me,vt me vaſtent & tollant è medio.Ita vides,quam aptis & breuibus verbis,impiorum Magiſtrorum vim,multitudinem & conatum deſcribat,vt ſeſe agglomerant,vt vndiq; pios quærunt, vt mutuas operas tradunt, vt in vnum omnes ſperant & ferociunt contra doctrinam pietatis, *Impiorum Magiſtrorum vis & conatus.*

 ſicut

Digitized by Google

ſicut hæc omnia magis exemplo & experientia intelligi poſſunt, quam verbis doceri.

Adipem ſuum concluſerunt, os eorum locutum eſt ſuperbiam.

Adipem claudere.

PAulo aliter ex Ebræo Hierony. Ore ſuo locuti ſunt ſuperbe, Idem tamen ſenſus eſt. Obſecro, quid eſt adipem claudere? Litera nos deficit, ad Allegoriam ergo eundum eſt. Dicitur Pſal. 78. Et occidit pingues *Pſalm. 78.* eorum, & electos Iſrael impediuit, Et ante hunc Deut. 32. Incraſſatus eſt dilectus, impinguatus & dilatatus, Vbi clarum eſt, pingues ſignificare, diuites, magnates, potentes, die groſſen Hanſen/ qui præ cæteris eminent. Item Ezech. 34. Quod craſſum erat occidebatis. Et germanica quoque allegoria, Diuites, & eos, qui pinguiora ſunt (vt vocant) fortuna appellamus pingues, quos figurant Agag rex Amalechitarum pinguiſſimus 1. Reg. 15. & Aeglon rex Moabitarum iidem pinguiſſimus Iudic. 3. Inde Leuit. 3. Omnis adeps Domini dicitur iure perpetuo, nec licuit Iudæis comedere, neque ſanguinem, neque adipem, hoc eſt, forte ſignificante ſpiritu, quod nec proſperis inflari, nec aduerſis turbari debemus, nec illic quieſcere & lætari, nec hic iraſci & triſtari, nec adulatores magnates ſuſpicere, nec terrores eorum formidare.

Pingues in Scriptura. *Deut. 32.* *Ezech. 34.* *Agag. Aeglon. Adeps. Leuit. 3.* *1 Reg 15. Iudic. 3.*

Igitur adipem, habemus impiorum Magiſtrorum, diuites & potentes huius ſeculi, Ita enim agitur cum doctrina impietatis, vt potiores mundi ei adhæreant. Electa eſt enim eſca Behemoth, Abac. 1. vbi pauperes & humiles tantum pietatis verbo adhærent. Clauditur iſte adeps impiorum meo ſenſu, quando diuites & fortes conſpirant, ſeſe inuicem complectuntur, idem ſentiunt & faciunt, ſicut circulus vel corona clauditur & in ſemetipſam colligitur, Sie treten zuſamen vnd halten vber ein hauffen die groſſen Hanſen. Hoc figuratum eſt 1. Reg. 24. vbi Saul & viri eius cingebant Dauid in modum coronæ vt caperent eum. Hoc ſenſu dicitur Pſal. 119. Etenim ſederunt principes, & aduerſum me loquebantur, Et iterum, Principes perſecuti ſunt me gratis, Et 54. Fortes quæſierunt animam meam. Exempla in Eccleſia ſunt manifeſta.

Potiores mundi adhærent doctrinæ impietatis. *Abac. 1.* *1. Reg. 24.* *Pſal. 119.*

Ore ſuo locuti ſunt ſuperbe vel ſuperbiam, de quo Pſalm. 10. in verſu, Dum ſuperbit impius, & 12. in verſu, Linguam noſtram magnificabimus, Freti n. adipe ſuo, non ſolum non audiunt conſilium inopis, vt ψ. 14. appellat, verum etiam cum fiducia confundunt & palinodiam mandant, aut ſilentium imperant. Nos, aiunt, ſumus populi Magiſtri, nos recta docemus, cæteros manet obediendi neceſſitas. Cur autem dicit Ore ſuo? An aliquis naſo loquitur? Verum diſcernit os eorum ab ore Dei. Qui enim veritatem loquitur, ore Dei loquitur, qui ore ſuo loquitur, mendacium loquitur, Chriſtus Iohan. 8. Cum loquitur mendacium, ex proprijs loquitur.

Pſalm. 10. *Pſal. 12.* *Pſal. 14.* *Ore ſuo locuti ſunt.* *Iohan. 8.*

Proijcientes me, nunc circundederunt me.
Oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram.

HIeron, Incedentes aduerſum me, nunc circundederunt me oculos ſuos poſuerunt declinare in terram. Prorſus non capio quid hæc velint, non eſt in Ebræo aduerſum me, nec proijcientes me. Verto & ego in hunc modum, Ambulauerunt, nunc circundederunt me, oculos ſuos poſuerunt ad declinationes in terra. Aliorum omiſſa ſententia, ego ſic periclitor, Poſtquam dixit, impios flagranti animo, contra populum Dei obſidionem molitos, deinde multitudine magnatum huius ſeculi ſeſe muniuiſſe & ſuperbe ac contemptim de eo & in eum locutos fuiſſe, iam ex his partam ſecuritatem & præſumptionem eorum impiam recenſet, dicens.

Ambula-

Ambulauerunt, hoc eſt,indurati ſunt fiducia adipis ſui, & ſuperbi ac ſecuri incedunt. Vt ſit verbum,ambulauerunt ſeu inceſſerunt,abſolutum, pro incedentes ſunt, Sie tretten einher/ſind jr Sachen gewis/haben mich ſchon gefangen/manent in vijs & conſilijs ſuis certi, Quod quidquid moliantur, rectum,& quidquid contra fuerit,impium ſit. Atque ita etiam ante victoriam canunt epinicion. *Et nunc circundederunt me*,id eſt,Iam me arbitrantur captum & victum etiam antequam capiant,adeo ſecuri & certi ſunt. Sic etiam mihi videtur aduerbium, Nunc,certitudinis ſeu præſumptionis indicandæ gratia poni,quaſi deſperatum & actum ſit de populo Dei,Talis eſt enim fiducia & cogitatio & ſermo impiorum, vbi ſeſe multitudine magnorum viderint munitos,aduerſus pauperem paucum & humilem,dicens: Es iſt nu geſchehen/ es iſt aus. *Ambulauerunt.* *Et nunc circundederunt me.*

Nec video,quomodo aduerbium,Nunc,poſſit aliud,quam dixi, hoc loco facere,Cum enim futuram recitet,imo deprecetur vim & dolum,vt ſatis
1 Cor. 4. liquet,non poteſt præſentem ſignificare,niſi quantum eſt in opinione & præ-
1. Reg. 24. ſumptione illorum, ideo infra petet, præueniri impium, Reuera enim, niſi Deus præueniret,idem eſſet,ac ſi præſens eſſet,quæ tam certa futura omnium ſenſu apparet.

Quomodo noſter,cum ſuo,*Projicientes me*,huic conſonet,ignoro,niſi velimus dicere,incedentes illos, præ nimia ſecuritate habere populum Dei, pro re proiectili,quæ ſcilicet & facile & viliter proijcitur foras,ſicut Apoſtolus ſeipſum,peripſima & purgamentum huius mundi appellat,1.Corinth.4. Et certe videtur Dauid hunc Pſalmum ex hiſtoria ſua hauſiſſe.1.Reg.24. vbi Saul cum Zipheis ad deſperationem vſque eum perſecutus eſt, & figuram vertiſſe in prophetiam,verba enim pulchre quadrant. *Projicientes me.*

Oculos ſuos poſuerunt declinare in terra.

ID ego intelligerem de reſpectu perſonarum dictum, vt eſſet
Exod. 23. querimonia pij populi, ſuper impios pertinaciter inhærentes perſonis, alta ſapientes, & humilia contemnentes,contra præceptum Domini, Exod.23. Non ſequeris turbam ad faciendum malum, nec in iudicio plurimorum acquieſces ſententiæ,vt à vero denies.Non ergo oculos ſuos in ſimplicem veritatis cauſam dirigunt,ſed declinabiles & ſequaces præbent in omnem voluntatem magnatum & multorum,qui dominantur in terra. Eſt ergo ſenſus: Me iam victum arbitrantur,& contempta cauſa eo ſpectant & illuc oculos intendunt,vbi adeps eorum clauditur,quidquid illi moliuntur, hoc rapit & ducit eorum oculos,huic annuunt & applaudunt,& in hoc pertinaces ſunt, quia poſuerunt & ſtatuerunt ita declinabiles habere,penitus auerſi à cauſa veritatis tanquam Deo obſequium præbituri,

Addit autem,*In terra*,quod non ad oculos,ſed ad cauſas referri debet, Vnde ego verti, *ad declinationes in terra*,id eſt,terrenas. Hoc eſt,ſequuntur ad nutum magnatum in terra,& quo illi declinant & intendunt, eo & ipſi declinant,obliti omnium cœleſtium mandatorum Dei, declinationes terrenas & terrena ſapientium pertinaciter ſequuntur,Ideo fruſtra monentur, fruſtra rationem reddo,fruſtra oro,mouentur magis adipe ſuo, quam meis verbis: Quare non eſt reliquum,niſi vt ad te confugiam,qui recte iudicas.

Suſcepe-

Digitized by Google

Suſceperunt me ſicut Leo paratus ad prædam,
Et ſicut catulus Leonis habitans in abditis.

Conatus impiorum contra pios.

MAnifeſtus lapſus Interpretis, quia Ebræus non habet, ſuſceperunt me, ſed ſimilitudo eius, Non enim hoc Pſalmo agit de comprehenſione, ſed de conatu impiorum, quo vellent pios eſſe extinctos. Vnde Hieron. Similitudo eius ſicut Leonis deſiderantis prædam, & quaſi catuli leonis ſedentis in occultis. Et patet ſenſus facilis, quem & Pſal. 10. habuimus, *Pſalm. 10.* Inſidiatur in abſcondito, ſicut Leo in ſpelunca ſua. Vbi, ſicut & hic, inſidiæ & obſeruationes crudeles impiorum accuſantur. Dictum eſt enim abdita iſta eſſe ea, quæ arte & dolo abduntur, vt capiantur ſimplices & pij. Vere pulchra & apta ſimilitudo, quia ſicut Leo obſeruat, vt corporaliter occidat animalia. Ita impius Magiſter, vt animas perdat, omnia tentat, Et hunc verſum Chriſtus *Locus Matth. 7.* Matth. 7. ſic exponit, Attendite à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium (ecce inſidiæ in occultis) intus autem ſunt lupi rapaces.

Inſidiæ impiorum Magiſtrorum.

Ita videmus, Pſalmum non loqui de perſecutione tyrannica, ſed impiorum, quæ plurimos seducit in perditionem, Simul tamen ſi eis reſiſtatur, minantur, & ſi poſſunt, etiam occidunt ſanctos Dei, Veruntamen maior eſt ſuperbia & arrogantia Moab, quam fortitudo eius, pluraque cupit quam poteſt, ſicut ibidem eſt dictum.

Exurge Domine, præueni eum, ſupplanta eum, eripe animam meam ab impio, frameam tuam, ab inimicis manus tuæ.

VIx eſt locus in Pſalterio æque obſcurus ac iſte, mea ſententia, etiam in Ebraico, nobis autem accedit, primum obſcurior translatio, deinde & diſtinctionis confuſio, Quare verſum hunc ad Ebraicam diſtinctionem reuocemus, autore Hieron. ſic, *Surge Domine, præueni faciem eius, incurua eum, ſalua animam meam ab impio, qui eſt gladius tuus.* Patet ergo, ab inimicis manus tuæ, ad ſequentem verſum pertinere, & , frameam tuam, male in accuſatiuo redditum, male ad animam meam, referri, cum ad impium referendum ſit. Quanquam, ſi cui animam ſuam alicubi frameam libeat appellare, ſuus ei ſenſus non pertinaciter negabitur.

Dicit ergo, Cum Lupi iſti rapaces omnia tentent & multos magnoſque habeant adiutores, vt impoſſibile ſit nos paucos illorum machinas ſuſtinere aut euadere, Aliud non habemus, quam vt ad te oculos leuemus, vt tu exau-

Deus ſic anteuertit impium, vt nocere non poſſit.

diens, anteuertas eum, & nos cautos prudenteſque ſpiritu tuo reddas, quo cogitationes mortiferas eius vitemus, ac ſic vbi venerit incurues eum per nos paratos & nos triumphes ſuper eum, Nec enim ſic præuenit & ſupplantat Deus, vt non ſit impius, ſed vt non noceat, Sicut non aufert baſiliſcum & draconem, ſed tamen dat ſuper eos ambulare & conculcare. Pſal. 91. Non tollit tentatio- *Pſal. 91.* nem, ſed non inducit in tentationem. Sic Epheſios Paulus docet, eſſe debere *Epheſ. 6.* armatos galea ſalutis, ſcuto fidei, gladio ſpiritus & calceatos pedibus, præparatione Euangelij.

Salua, ſeu eripe, animam meam ab impio, qui eſt framea tua.

Plaga iræ diuinæ Hæretici.

Hic ſignandus locus, Hæreticos & falſos Magiſtros, eſſe plagam iræ diuinæ, nõ ſecus ac olim populi carnalis, plaga erat gladius carnalis Gentium in circuitu eorum, Ideoq; magis oratione humili apud Deum, plaga auertenda, & Deus placandus, quam viribus ingenij aut eruditionis, cum eis congrediendum, Vt victoria ſit Dei miſerentis, prouocati noſtris lachrymis, non noſtrorum operum,

operum, Non enim noſtrum eſt animam noſtram ab impijs iſtis ſaluare, quanto minus eos ſuperare, vt hic dicit. Eripe animam meam ab impio, Quod ſi oratione hac contempta, vi, igne & contumelijs eos inuaſerimus (ſicut hodie fit) dubium non eſt, inuaſores eſſe bis hæreticos, & imcomparabiliter peiores ijs, quos inuadunt, quia iram Dei, ſuis conuitijs, ſuaq́, vi & mera ſuperbia inuadunt, qua inſania, quæ poteſt eſſe maior?

Impius eſt Dei gladius.

Obſerua autem vocabuli atrocitatem, quod impium appellat, gladium Dei, Virga enim aut baculus mitior ira eſt, Virga percutit & animam liberat ab Inferno, vt Salomon dicit, Vnde ex magna miſericordia Pſal. 89. dicit: Viſitabo in virga iniquitates eorum, &, in verberibus hominum peccata eorum. At gladius occidit & ſeparat animam, &, vt magnus eſt Deus, ita magnus eſt gladius eius, Et magnus gladius magnos & plurimos perdit.

Pſal. 89.

Perſecutiones Eccleſiæ.

Eccleſia ſana primitiua, percuſſa eſt frequentius paterna virga, rarius gladio, eratq; facies illius percuſſionis in oculis carnis, duriſſima & aſperrima, ſed reuera & in oculis Domini, mitiſſima omnium. Secuta eſt poſtea hæreticorum perſecutio, quæ viſa eſt in oculis carnis longe mitior, Verum erat longe cruentior & nocentior, quod multo plures perdebat. Erat tamen adhuc aliquid miſericordiæ Dei reliquum, quod pugnantibus per ſcripturam Patribus veritas prodebatur, & verbum Dei regnabat in multis.

Hodie ſæuiſſima omnium perſecutio.

Nouiſſimis iſtis diebus peſſimis, ſub imperio Eccleſiaſtico, gladius ille impiorum, ſolus, ſine repugnantibus graſſatur horrenda tyrannide, Hic apparent omnia eſſe pacatiſſima & mitiſſima, vbi tyranni non perſequuntur, cum hæreticis non pugnatur. Sic vtraq; perſecutione liberi, gladio impiorum pene omnes perimus, non videntes, ſub hac pace regnare perſecutionem omnium atrociſſimam, vbi verbo Dei extincto, verbis hominum trahimur ad infernum toto cumulo.

Pelagiana impietas nocentiſſimus gladius.

Pelagianus error omnium ſeculorum error eſt.

Inter omnes autem gladios impiorum, maximum & nocentiſſimum, meo iudicio, merito Pelagianam impietatem cenſebimus, Nam in hanc, vt videmus, potiſſimum æſtuat hic Pſalmus, imo tota Scriptura. Quid enim Prophetæ? Quid Apoſtoli potius agunt, quam quod pro iuſticia fidei, contra iuſticiam hominum pugnant? Vnde Pelagianus error vere omnium ſeculorum error eſt, Sæpius oppreſſus quidem, ſed nunquam extinctus, cæteri omnes temporum ſpacio extincti ſunt, Hunc vero Prophetæ percuſſerunt, percuſſit eum Chriſtus & Paulus, nihilominus ſemper iuxta ſerpſit, donec Pelagius natus caput eius erexit, & libere eum tueri cœpit, vbi rurſus Deus nobis miſertus, Auguſtinum ſuſcitauit, qui eum ad tempus percuteret. Sed poſt Auguſtinum reſurgens tandem præualuit, non modo nemine contra ſtante, ſed etiam Romana Eccleſia imperante & cogente, Vniuerſitatibus palam docentibus, Epiſcopis, Principibus & toto orbe imitantibus, tanquam rem optimam & Chriſtianiſſimam, Nam quod aliqui aduerſus eum mutire cœperunt Parrhiſijs & alibi, nihil promotum videmus.

Pelagij hæreſis, poſt Auguſtinum præualuit.

Pelagij error, fons eſt omnis idolatriæ.

Deniq; hic error, fons eſt vniuerſæ idolatriæ, ſemper alia & alia facie, pro alio & alio ſeculo procedens. Qui enim fuerunt idolatræ, qui non arbitrarentur, ſuis ſe ſtudijs & viribus Deo placere? Et quid aliud agit Pelagianus error? Recte ergo à pelago Pelagius dicitur, Quod hic error, ſit mare quoddam erroris inundans in omnem terrarum orbem, Ipſe enim eſt vera ipſamet prudentia carnis, ſemper inimica Deo, & nunquam ei ſubiecta, Rom. 8.

Rom. 8.

Ab ini-

Ab inimicis manus tuæ Domine, à paucis de terra diuide eos in vita eorum, de abſconditis tuis adimpletus eſt venter eorum, ſaturati ſunt filijs,
Dimiſerunt reliquias ſuas paruulis ſuis.

VNus eſt iſte verſus in Ebræo, proſequamur ergo, vt cœpimus, locum hunc obſcuriſſimum, ſi quid poſſumus. Primum translationes videamus, Ex noſtra nihil poteſt accipi, multo minus ex Hieronymi, qui ſic tranſtulit. A viris manus tuæ Domine, qui mortui ſunt in profundo, quorum pars in vita, & quorum de abſconditis tuis repleſti ventrem, qui ſaturabuntur filijs, & qui dimittent reliquias ſuas paruulis ſuis. Obſecro, quid audimus? peſſimo cogor vt Magiſtro, id eſt, meipſo, ideo ſine præiudicio & remeritate fabulabor, iuuet me, qui habet meliora, qui non habet, mea æquus iudicet. Verto primum ad verbum.

A viris manus tua, Domine, à viris de ſubſtantia, portio eorum in vitis, & abſconditis tuis replebis ventrem eorum, ſaturabuntur filijs, repoſuerunt reliquias ſuas paruulis ſuis.

Quinque membris conſtat prior pars Verſus, poſterior vno abſoluitur, Exponit autem his verbis mira tapinoſi refertis, quis ſit impius ille gladius Dei, à quo eripi petijt animam ſuam, & ſex notis eam depingit.

A viris manus tuæ Domine.

PRima eſt, A viris manus tuæ Domine, Quod idem eſt, ac ſi dicat, A viris perditis & reprobis in æternum damnandis. Sic enim viros manus Domini videtur appellare, propter id quod Exod. 14. dicitur, Viderunt Aegyptios mortuos ſuper littus maris, & manum magnam, quam exercuerat contra eos. Et Deut. 32. Si acuero vt fulgur gladium meum, & arripuerit iudicium manus mea, reddam vltionem hoſtibus meis, & ijs, qui me oderunt, retribuam. Iſai. 9. In his omnibus non eſt auerſus furor eius, ſed adhuc manus eius extenta, Hiob. 19 Quia manus Domini tetigit me. Hinc & alemanice in eos, qui apoplexia percutiuntur, dicitur. Die Hand Gottes hat jn gerüret. Videtur autem Prophetæ huic familiare, manum Dei pro vindicta Dei accipere, vt Pſal. 10. vidimus, Vt tradas eos in manus tuas, ſicut & Pſal. 21. Inueniatur manus tua inimicis tuis. Et 39. A fortitudine manus tuæ ego defeci. Hinc & Apoſtolus Ebræ. 10 tonat, Horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis, vt Pſal. 10. latius dictum eſt.

Exod. 14. Deut. 32. Iſai. 9. Hiob. 19. Pſal. 10. 21. & 39. Ebre. 10.

Manus Dei.

SEcunda, A viris de ſubſtantia, Pro quo Hieron. Qui mortui ſunt in profundo. Eadem enim per omnia dictio eſt, hic, à viris, quæ prima nota, à viris manus tuæ, quanquam nonnihil vtraque cum mortis vocabulo affinitatis in Ebræo habeat, Vt nulla ſtet ratio Hieronymo, cur illic, à viris, hic, qui mortui ſunt, reddere voluerit, aut enim vtrobique à viris, ſeu ab ijs qui mortui ſunt, aut vtrobique à viris reddendum fuit.

Iſch. Gibor.

Eſt ſane vocabulum Ebræum vtrobique mimethim, non iſch aut gibor, aut aliud quo vir egregius aliquis queat ſignificari, Sed quod aliquando pro paucis & contemptis transfertur, ſicut Deut. 4. Et remanebitis pauci, Quaſi fecem populi velit ſignificare, & viliſſimos inter homines, Sicut Pſal. 12. dixit, Cum eleuati fuerint viliſſimi filiorum hominum, Et Iſa. 3. Pueri erunt principes eorum & effœminati dominabuntur eorum, Id forte mouit Interpretem, vt diceret, A paucis, Non quod pauci ſint numero, ſed multo magis conditione, quorũ eſt numerus omniũ maior, inter quos nullus aut pauci ſint egregij

Deut. 4. Pſal. 12.

gij operis & nominis viri,vt Iſa.3.dicit. Auferet Dominus à Ieruſalem & Iuda fortem & validum & virum bellatorem,& reliqua,quæ pulchre huius vocabuli vim explicant.Igitur viri viles ſunt & tantum ad vindictam Dei reſeruati,inter quos non ſit vir dignus Deo,& ſi vehementer multi ſunt. *Viri. Varii.*

De ſubſtantia,Quod noſter de terra, Hieron. in profundo tranſtulit,dictio eſt eadem,quæ Pſal.39.ponitur ab eodem Dauid: Ecce menſurabiles poſuiſti dies meos,& ſubſtantia mea tanquã nihil ante te, Vbi ſubſtantiam volunt ſignificare certam durationem temporis, Q.d.ſubſtantia mea,id eſt,id temporis,quo hic ſubſiſto & viuo,coram te nihil eſt.ſicut & Hiob 7.Nihil enim ſunt dies mei,quæ ſignificatio mire placet Sumpſit enim Dauid eum locum ex illo Pſal.Moſe 90 Quoniam mille anni ante oculos tuos, tanquam dies heſterna, quæ præterijt,& cuſtodia in nocte,quæ pro nihilo habentur eorum anni erunt.Vnde & illud:Ecce menſurabiles poſuiſti dies meos,In Ebræo,à menſura breui,ſcilicet palmæ dicitur,Quaſi illud.Hiob.14.dicat.Homo natus de muliere breui viuens tempore,& infra:Breues dies hominis ſunt. *Locus ex Pſal 39.* *A viris ſubſtan.* *Hiob.7. Pſal.90.* *Hiob.14.*

Eſt ergo ſenſus.Eripe animam meam à viris de ſubſtantia,ſiue à viris ſubſtantiæ(id eſt,ab hominibus viliſſimis,qui huius tantum vitæ ſunt breuiſſimæ,hoc eſt,à filijs ſeculi huius incertiſſimi, qui nihil habent, niſi breuem & incertam huius vitæ ſubſtantiam ſeu durationem) quia viri ſunt reprobi & manus tuæ.Et id potuit interpres noſter velle videri, quando dixit,à paucis terra,id eſt,ab ijs,qui viliſſimi ſunt & de terra,terrena ſapientes tantum huic vitæ temporali dediti.

TErtia,Portio eorum in vitis, Pluraliter enim vitas dicit, Sic & Pſal.præcedente,Oſtendis mihi ſemitam vitarum.Eſt ergo ſenſus Sors & beatitudo eorum non eſt in futura vita,ſed in præſentibus bonis, Ducunt enim in bonis dies ſuos,vt Hiob ait:His contenti ſunt,& pro nihilo habent terram deſiderabilem,recipiunt hic mercedem ſuam,quia viri ſunt manus tuæ. *Pſal.65.*

Vitas pluraliter dicit,propter varios vſus huius vitæ,vt egregie Augu. ſuper illud Pſal.63.Melior eſt miſericordia tua ſuper vitas, Multæ, inquit, ſunt vitæ humanæ,alius vitam ruſticandi, alius negotiandi, alius militandi, alius aliam eligit,Sic & hodie varios(vt vocant)ordines ſeu ſtatus viuendi eligimus, Sed pauci,qui ad mortem ſeſe parent & æternam vitam deſiderent, omnes mallent in eo,quo ſunt,ſtatu manere,tanquam portione vitæ ſuæ contenti, quam mori,In qua cruditate,maxime ſunt impij illi hypocritæ,qui omnium maxime ſunt vitæ cupidi,mortem formidantes & æternæ vitæ incurioſi, ſicut Iudæi in deſerto. *Pſal.63.* *Multæ vitæ humanæ ſunt,inquit Auguſtinus. Varij ordines & genera viuendi.*

Nonne ergo tapinoſis mira eſt,eſſe impios viros huius miſerrimæ tantum vitæ cupidos?in qua contenti ſunt,quam inuite deſerunt, Nec mirum, cum fide,peccati & mortis victrice, quæ eſt miſericordia Dei melior ſuper omnes vitas,non ſolũ careant,ſed eam etiã impugnent totis viribus, licet non aliud faciant,quam quod ſe ſimulent appetentes vitæ, mortis contemptores, electos,& æternæ vitæ cupidos,verum dolus eſt in Spiritu eorum,& factis negant. *Fides peccati & mortis victrix.*

QVarta, Et abſconditis tuis replebis ventrem eorum. Quid eſt hoc aliud,niſi quod ſunt animalia ventris, & fruges conſumere nati? Dictũ eſt n.Pſal.4.5.10.14.Magiſtris impietatis,paſſim in ſcripturis tribui auaritiam & curam ventris,de quibus & Apoſtolus dicit,Quorum Deus *Impij Doctores auari & animalia ventris.* *Pſal.4.5. 10.14.*

venter eſt, Deus vero, qui incredulitatem & impietatem odit, facit vt & ira *Pſal.78.*
ſua aſcendat ſuper eos, vt Pſalm.78. de eiſdem dicitur, Et vt Paulus Col.3. ira *Coloſ.3.*
De abſconditis ſuis replet Deus homines. Dei venit ſuper filios diffidentiæ, Ideo replet eorum ventrem abſconditis ſuis,
& affert deſiderium eorum ipſis, nec ſinit fraudari eos deſiderio ſuo, vt eodem
Pſalmo dicit, Hoc eſt, replet ventrem eorum, dat quæ cupiunt, & retribuit eis
in hac vita mercedem, quia non expectant futuram. De abſconditis vero ſuis
dicit, id eſt, reſeruatis. Ita appellat ſubſtantiam huius mundi, qua paſcit homines
Deus in hac vita. Singulis enim annis eam prouenire facit, ac velut de
penu abſcondito promit, Nec n. homo ſcire poteſt vnde veniat, nec ſi quæreret,
inuenire poſſet, niſi ſponte Deus omnia mirabiliter donaret. Eſt ergo ſi-
Qui producit ventos de theſauris. milis hæc locutio, illi Pſal.135. Qui producit ventos de theſauris ſuis, (id eſt, *Pſalm.135.*
de occultis) quia ventus ſpirat vbi vult, & neſcis vnde veniat aut quo vadat.
Ita eſt & de pane, vino & omnibus rebus, quibus vtitur hæc vita, veniunt o-
Miranda rerum propagatio. mnia, & vtimur eis, & neſcimus vnde. Quo ſimul verbo inſigniter impietatis
ſtultitiam taxat, vt quæ ſentiat, ſua non eſſe quibus vtitur, nec in ſua poteſtate,
Nec ſic tamen fidere in Deum diſcit, Imo quod verbum huius totius verſus,
non multis figuris ſtultam impietatem inſectatur? omnia ſunt propriiſſime,
efficaciſſime, & pleniſſime dicta, ſi attento corde penderentur.

QVinta, Saturabuntur filijs, hoc eſt, replebuntur prole, hoc
enim quærunt & inter cætera, vt pulchras, fœcundas, diuites vxores habeant,
multos formoſos, laudatoſque ex omni parte filios & filias procreent,
vt affectum ſuum expleant, & cedat res filiorum in omnia vota ſua.
Non enim verbum, ſaturabuntur, ad ſolum numerum filiorum, ſed multo
magis ad conditionem eorum pertinet, ſcilicet vt opulentos, honoratos, vo-
Affectus parentum impiorum erga filios. luptuarios, & ad omnem huius ſeculi pompam idoneos habeant, Hunc enim
affectum paſſim videmus in parentibus, quod vitium in impijs Iudæis ſuis
Dauid regnaſſe hic dicit.

Et longe copioſius Pſalm.144. vbi hunc verſum ſic exponit, De gla- *Pſalm. 144.*
dio maligno eripe me, & erue me de manu filiorum alienorum, quorum os
locutum eſt vanitatem, & dextera eorum dextera iniquitatis, Quorum filij ſi-
cut nouellæ plantationes in iuuentute ſua, Filiæ eorum compoſitæ, circum-
ornatæ vt ſimilitudo templi, Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in
illud, Oues eorum fœtoſæ, abundantes in egreſſibus ſuis, boues eorum craſſæ,
Non eſt ruina maceriæ neque tranſitus, neque clamor in plateis eorum. Bea-
tum dixerunt populum cui hæc ſunt, Beatus populus cuius Dominus Deus
eius. Nonne hic idem rhetorica copia dicit, quod hoc verſu dialectico com-
pendio perſtringit?

Sic & Paulus Phil.3. breuiſſime, Flens dico, Inimici crucis Chriſti, quo- *Philip.3.*
rum Deus venter eſt, quorum finis interitus & gloria in confuſionem ipſo-
rum, qui terrena ſapiunt. Et quæ oratio, vitam Epiſcoporum religioſorum, &
Vita Epiſcoporum & omnium Clericorum graphice depicta. omnium Clericorum, aptius potuiſſet depingere? An non ij omnes hæc o-
mnia plusquam mundus ipſe, quærunt? At filijs non ſaturantur? verum id
dolet quoque non licere, ſuperarent ſine dubio, & in hac parte mundanos
homines, Quanquam quid refert, filios & vxores non habere, quando vice
horum habent ſuas ſpirituales creaturas & adulatores in omnes voluntates
ſuas, quibus nihil non impendunt? Non quod non ſit filijs prouidenda ſub-
ſtantia honeſta, ſed ſaturari filijs, placere ſibi in filiorum lauta & opulenta
prouiſione, & inter pios velle cenſeri, hoc arguit.

SExta, Et dimiſerunt reliquias ſuas paruulis ſuis. Hoc eſt, id cogitant, quomodo multa, quæ ſibi ſunt ſuperflua (non enim neceſſarijs tu contentu ſunt) reponant & reſeruent, quæ relinquant hæredibus ſuis, tantum vt filij eorum poſt ſe opulenti & voluptuarij ſint. Quod & Perſius poeta gentibus taxauit. Sic Epiſcopi & Clerici, non niſi vt patrimonia Chriſti augeant, & aucta poſt ſe relinquant, ſatagunt: Nec tamen hoc ipſum faciunt, niſi optimi & ſancti, id eſt, impij. Hodie enim bene regere Eccleſias, eſt opes augere, domos ædificare, Filijs, id eſt, poſteris ſuis luxuriandi materiam parare. Mira itaque ingenium impiorum depinxit hoc verſu, qui cum non niſi terrena ſapiant, boni tamen videri volunt, & ſpecie ſua, deinde dogmatibus ſuis hypocriticis plurimos perdunt. *Bene regere Eccleſia hodie.*

Reliquia, hoc loco, ſuperflua & ea quæ ſuperant intelligenda ſunt, ſcilicet abundantia parentum, Ne quis intelligat dictum de reliquijs minutiatum, quæ rebus optimis ablatis, tanquam fæces relinqui ſolent, cum hic opulentas hæreditates intelligat. Vnde & in Ebræo à verbo excellendi & abundandi dicitur. Et dimiſeruut, pro repoſuerunt, hoc eſt, dedita opera theſaurizauerunt ſuperflua ſibi, pro filijs & hæredibus locupletandis.

His cognitis facile eſt & noſtram & Hieronymi translationem concordare, Nam ab inimicis manus tuæ, nihil niſi vocetenus diſſonat, á viris manus tuæ, ſunt enim reuera inimici & reprobi. A paucis de terra, concordatum eſt, quos Hieronymus mortuos in profundo fortaſſis ideo dicit, quia in ſumma pace viuunt, & huius tantum temporis fruuntur ſpacio, intus coram Deo mortui. Illud, *Diuide eos in vita eorum*, ſic conſentiet, partire eos, hoc eſt, da eis mercedem in vitis ſuis, ſicut eligunt ſortem huius vitæ ſibi, cætera non diſſentiunt.

Ego autem in iuſticia apparebo conſpectui tuo,
Satiabor cum apparuerit gloria tua.

HIeronymus rectius, Ego in iuſticia videbo faciem tuam, cum euigilauero ſimilitudine tua. Opponit hæc, iis, quæ de impijs dixerat: Illi ſapiunt terrena, ſaturantur filijs, & portionem ſuam in hac vita ponunt, Mihi vero contempta eſt hæc vita, ad futuram feſtino, vbi non in diuitijs, ſed in iuſticia, videbo, non terrena hæc tranſitura, ſed ipſam faciem tuam. Nec ſaturabor in filijs carnis, ſed cum euigilauero tua ſimilitudine, ſicut 1. Iohan. 3. dicit, Scimus quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus, Vt ſimilitudine tua, non ad euigilauero, ſed ad ſatiabor componatur, facie enim Dei reuelata, quæ eſt gloria & claritas Dei, ſatiabimur. Et pulchre verbum reſurrectionis poſuit, cum euigilauero, ſcilicet à ſomno mortis, Vt non in hac, ſed in futura vita, ſatietatem noſtram eſſe doceat. Nihil eſt, quod diſcordat ſenſui in noſtra translatione, apparebit enim gloria Dei, cum nos reſurrexerimus à ſomno mortis, & ſimiles ei facti fuerimus. Ebræus tamen reſurrectionem clarius oſtendit quam noſter.

1. Iohan. 3.
Satietas noſtra in futura vita.

PSALMVS XIIX.

Ad victoriam, ſeruo Domini Dauid, qui locutus eſt Domino verba Cantici huius, in die qua liberauit eum Dominus, de manu omnium inimicorum ſuorum, & de manu Saul.

Et dixit.

Diligam te Domine, Fortitudo mea.

MVLta ſunt in hoc Pſalmo quæ de Chriſto, multa rurſus quæ de Dauid, cum cogant intelligi, Nec ipſe hactenus certus factus ſum, vtra intelligentia ſit germana & propria, vt citra periculum non queam hic verſari. Auguſtinus libere de Chriſto & corpore eius, id eſt, Eccleſia cum tractat, & videtur Paulus Rom. 15. in hoc conſentire, vbi pro Chriſto huius Pſalmi verſum penultimum inducit dicens: Propterea confitebor tibi in gentibus, & nomini tuo cantabo. Quem interim & nos ſequemur, cum ſit tutius in Chriſtum ipſum, quam Chriſtianum Dauid, abundare, & ex veritate figuram facilius intelligere. Nec enim dubium eſt Dauidis bella & victorias Chriſti paſſionem & reſurrectionem figuraſſe. Dicit enim B. Auguſtinus quæcunque in hoc Pſalmo dicta ſunt, quæ ipſi Domino proprie conuenire non poſſunt, ad Eccleſiam referenda ſunt, Totus enim Chriſtus hic loquitur, in quo ſunt omnia membra. Rom. 15.

Bella & victorias Dauidis fuiſſe imaginem paſſionis & reſurrectionis Chriſti.

Arbitremur ergo Dauidem, dum de ſuis victorijs gratias agit, ſimul texere prophetiam in perſona Chriſti, peccatorum, mortis, mundique victoris, vt titulum ſic intelligamus. Qui locutus eſt Domino verba Cantici huius, id eſt, qui hoc Canticum edidit in Chriſtum futurum, idque eo die, quo victis omnibus hoſtibus ſuis, quieta vita frueretur. Vnde & totus Pſalmus Chriſti reſurgentis verba habet. Hanc intelligentiam forte ſubindicare voluit, dum nouiſſimum hoſtem nominat Saul, qui tamen reuera primus hoſtis Dauid fuit, vt hoc prapoſtero ordine doceret, ſe non de ſuis, ſed Chriſti victorijs agere.

Dicit itaque.

Diligam te Domine, fortitudo mea.

VErba ſunt reſurgentis & virtutem Dei in tribulatione experti, Sic enim ſolemus dulci & hilari affectu in eos rapi, quorum beneficio, nos à magnis malis erutos cognoſcimus: Puritas enim dilectionis ſignificatur, cum dicit, *Te Domine*, non creaturam aliquam, de quo latius Pſalm. 5. dictum eſt. *Pſal. 5.*

Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus,
Deus meus, adiutor meus, ſperabo in eum.
Protector meus & cornu ſalutis meæ, & ſuſceptor meus.

Omnia

Digitized by Google

OMnia hæc vnus verſus in Ebræo. Hieron. ſic, Dominus petra
mea & robur meum & Saluator meus, Deus meus, fortis meus, & ſpe-
rabo in eum, ſcutum meum, & cornu ſalutis meæ; & ſuſceptor meus. *Spiritus non eſt*
1. Reg 22. Eiſdem verbis tranſtulit idem canticum 2. Reg. 22. niſi quod pro, ſuſceptor *cioſus in verbis*
meus, rectius ibidem, eleuator meus, dixit. Quis digne hos vehementiſſimos *ſuis.*
affectus diſtribuat & definiat? Neq; enim ocioſus eſt ſpiritus in verbis ſuis, vt
aliquid hic ſuperfluere credi poſſit. Ego, ſicut dixi, ſub hoc Pſalmo ſuccumbo
& cæteri omnes, aut nihil dicunt, aut ego nihil intelligo, nedum aliquid con-
ferunt adiumenti, Sed pergendum eſt tamen, accepta & data licentia pro cu-
iusq; captu dicendi.

Fortitudo mea, quæ primo verſu dicitur, ea eſſe mihi videtur qua ho- *Fortitudo mea.*
Pſal. 147. mo interne confortatur conſolidaturq́;, indutus virtute ex alto, ſic Pſal. 147.
Iſai. 54. Quoniam confortauit ſeras portarum tuarum. Eſa. 54. Et clauos tuos conſo-
lida, Vt ſit firmitas ea, quæ molles & delicatos animos induraт, quæ fortitudo
non niſi ex Deo nobis eſt, qui ex nobis, tam aduerſis quam proſperis facilime
diſſoluimur & liqueſcimus, ſicut cæra ante faciem ſolis.

Firmamentum meum, Quod proprie petra Ebraice dicitur, fundamen- *Firmamentum meum.*
Matth. 16. tum rupes ſcilicet eſt, ſuper quam ædificatur, vt Matth. 16. Super hanc petram
ædificabo Eccleſiam meam. Ita Dominus non modo induit Chriſtum, & ſu-
os virtute interna & ſoliditate, ſed eſt ſimul ipſum fundamentum, ſuper quo
nituntur, ſicut ſolida domus ſupra ſolidam petram.

Refugium meum, ſeu robur meum, Quod proprie arcem, turrim, domum *Refugium meum.*
Pſal. 31. refugij, aut locum munitum ſignificat, vt Pſalm. 31. Eſto mihi in Deum pro-
tectorem & in domum refugij, vt ſaluum me facias, Vt præcedente collato,
Dominus non tantum ſit fundamentum, firma petra, ſed & domus ipſa mu-
nita ſupra petram ædificata, ſeruans & protegens eum, qui ad eum confuge-
rit.

Liberator meus, Quod proprie euaſionem ſignificat, & eam virtutem, *Liberator meus.*
qua ſi quis vndique anguſtatus & concluſus ſit liberatur & euadit, ſicut filij
Iſrael euaſerunt Pharaonem.

Adiutor meus, ſeu fortis meus, Iterum in Ebræo, petram ſeu ſilicem *Adiutor meus.*
ſignificat, quod frequenter pro forti redditur, Eam puto virtutem eſſe, quo
euadens & in domum refugij receptus, tuto manet & perſeuerat contra
omnes inſultus inſequentium.

Et hæc quinque ad virtutem paſſiuam, ſeu ad tolerantiam malorum *Virtus tolerantiæ*
pertinent. Primum eſt enim interne roborari: Deinde vbi hæc virtus impu- *in quinq;.*
gnatur, ne deficiat, habere Petram in qua nitatur & conſiſtat. Poſtea ne mul-
titudine ſaltem vincatur, habere locum munitum, quo ſe recipiat. Et ne inter
anguſtias capiatur obſeſſus concluſuſque, exitum & tutam euaſionem ha-
beat, tandem ne tædio, quod vltimum eſt, dæmonum & malorum hominum,
fractus cedat, perſeuerantiæ vi firmetur.

Breuius hæc quinque diſtribuemus, ſi primum ad aduerſitatem ſimpli-
citer conferatur, Secundum ad magnitudinem, Tertium ad multitudinem, *Reſiſtendum magnitudini, multitudini, potentiæ*
Quartum ad fortitudinem, Quintum ad aſſiduitatem aduerſariorum. Vbi n. *mundi & Principis eius.*
hoſtis primo ſibi ſenſerit reſiſti, magnates & potentes ſibi ſociat, Deinde mul-
tos ſibi aggregat, Vbi nec ſic proficit, omnem vim & artem cum eis & per
eos tentat. Vltimo cum alio non poſſit, aſſiduitate ſolet Sanctos infirmare,
Qui autem perſeuerauerit in finem, hic ſaluus erit. Hæc quinque Paulus Ro-
Rom. 8. ma 8. ſed alio ordine poſuiſſe credi poteſt, Neq; inſtantia, neq; futura, neque

fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poteſt nos ſeparare à charitate Dei.

Sequuntur virtutes actiuæ & propulſiuæ.

Virtutes actiuæ. Scutum. Prima eſt ſcutum ſeu protector meus. Oportet enim inuaſurum hoſtes, eſſe ſcutatum, quo tela ignita inimici excipiens poſſit penetrare & cædere hoſtes, Scuto enim non eget, qui ad refugium currit.

Cornu ſalutis. Altera eſt cornu ſalutis, virtus ipſa quæ pugnat & vincit, Quæ mihi videtur eſſe poteſtas verbi ſiue fiducia prædicandi, Sic enim apud Mich. 4. dicitur, Surge & tritura filia Zion, quia cornu tuum ponam ferreum, & vngulas tuas ponam æreas, & comminues populos multos, & interficies Domino rapinas eorum, & fortitudinem eorum Domino vniuerſæ terræ. Triturare eſſe idem quod prædicare, Apoſtolus 1. Cor. 9. probat, Non alligabis os boui trituranti. At cornu ferreum & vngulæ æreæ, quid ſunt, niſi illud Chriſti, Ego dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt contradicere & reſiſtere omnes aduerſarij veſtri? Itaque cornu ſalutis dicitur, quia hoſtes ſuperat, & ſalutem ex inimicis facit. Luc. 2. Sunt qui ex cornu regnum faciunt, Nec id abſonum eſt, cum regnum Chriſti non niſi in verbo veritatis conſiſtat, hoc vere eſt regnum ſalutis, quod vincit omnia. *Mich. 4.* *Triturare eſt prædicare.* *1. Cor. 9.* *Cornu ſalutis.* *Luc. 2.*

Tertia, Suſceptor meus, ſeu exaltator meus, id eſt, In quo ſuper hoſtes eleuatus triumpho, ſicut Paul. dicit. Qui triumphat per nos ſemper in Chriſto, Eo modo dicitur Iſa. 7. Et eleuabit Dominus hoſtes Razin ſuper eum. Videmus autem quam mira ſit virtus Chriſti & Sanctorum eius, Prior eſt virtus paſſiua, quæ perficit actiuam, vt Paulus dicit, Virtus in infirmitate perficitur, Ita mundus non alijs armis victus eſt, quam patientia & verbo Dei, ſicut in Iſa. 14. dicit. Et erunt capientes eos, qui ſe ceperant, & ſubijcient exactores ſuos. Et Ioel. 3. Infirmus dicat, quia ego fortis ſum. 2. Reg. 22. huic verſui additur, Et refugium meum & Saluator meus, de iniuria liberabis me, quod quare in hoc Pſalmo omiſſum ſit, ignoro. *Iſai 7.* *2. Cor. 12.* *Patientia & verbo Dei mundus vincitur.* *Iſai. 14.* *Ioel 3.* *2. Reg. 22.*

Laudans inuocabo Dominum, Et ab inimicis meis ſaluus ero.

VBi titulus, qui dicit, hoc Canticum eſſe dictum, liberato ab omnibus inimicis Dauid, & recitatum in perſona reſurgentis Chriſti? Certe hic aliud dici non poteſt, quam quod Auguſtinus cenſet, totum Chriſtum, id eſt, Chriſtum cum corpore & pro corpore ſuo loqui, quod eſt Eccleſia, quæ ſemper vincit, ſemperque pugnat, & ſuperatis præteritis malis paratur ad futura mala ſuperanda. *Eccleſia ſemper pugnat, ſemper vincit, &c.*

Aut ſi in perſona Chriſti ſiſtendum eſt, conuenit hæc intelligi dicta pro magnitudine affectus erga Deum, quo offert promptitudinem animi ſui ad plura ferenda, ſi Deus velit, ſicut Pſalm. 108. Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum. Et 26. Proba me Domine & tenta me, vre cor meum & renes meos: Sic enim liberatus à malis, & diuinam virtutem expertus, non aliud cupit quam iterum pati, vt iterum virtutem diuinam experiatur, naſciturque ex his quædam mirabilis patiendi ſitis, & inæſtimabilis fiducia in dulcedine Dei. *Pſal. 108.*

Omnia tamen ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, vt per patientiam & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus, Ideo enim quintuplicem virtutem patientum, & triplicem agentium deſcripſit, vt nos erudiret, nihil eſſe tam malum, tam multum, tam magnū, tam potens, tam diuturnū, quod non queat vinci per virtutem Dei, ſi in eam confidimus. Et tunc potiſſimum eſſe *Ad patientiam apparatus.* *Virtute Dei vincuntur omnia mala.*

locum

locum ſperandæ virtutis in nobis,quando irruunt in nos mala multa,magna, fortia,aſſidua,cum proprium diuinæ virtutis ſit infirmos,paucos,paruos, imbecilles,puſillanimes iuuare, non ſolùm in malis pœnæ, ſed & culpæ, Nam quæ eſſet Dei virtus,quæ ſolum pœnas,ac non etiam peccata in nobis vinceret? Adeo plenus eſt hic locus conſolationis,cum naturæ contrarium videatur,& omnino deſperatum,ſi irruant non modo mala,ſed multa mala, magna mala,potentia mala,& prolongata mala,Sic enim in Apoſtolis vidimus, qui mox vt induti erant virtute ex alto,non ſolum mali in eos inſurrexerunt, ſed & multi,& magni,& potentes ad nocendum,deinde & pertinaces,& aſſidui,ſicut Pſal.129.ſupra dorſum meum fabricauerunt peccatores, prolongauerunt iniquitatem ſuam.

Deus iuuat in malis pœnæ & culpæ.

Pſal. 129.

Eodem modo, & in quolibet homine operatur Satanas in quacunq; priuata tentatione,libidinis,iræ,ſuperbiæ,auaritiæ aut cuiuſcunque mali. Vbi enim firmatum caſtitatis aut mititatis propoſitum inuenerit, non ſolum libidinem aut iram contra mouet,ſed & varias ſpecies adhibet cogitationum,tum eas magnificat,& incredibili aſtutia efficaces facit, Tandē quos nec multitudine,nec magnitudine,nec efficacia vincere poteſt,ſæpius aſſiduitate & tædio vincit,vt feſſos ſupplantet.

Tentationes ſemper ingruunt.

Aſtutia Diaboli.

O ſtulti & temerarij nos liberi arbitrij & actuum elicitorum iactatores, qui Satanam dormire credimus,nec cogitationes eius, ex his locis Scripturæ nobis oſtenſas,intelligere & prauidere diſcimus, ac ſine pugna, ſecuri ſolis actionibus bonis ſalui fieri præſumimus. Non ſic impij non ſic,hoſtis adeſt, multus,magnus,præualidus & infatigabilis,cuius vt multitudinem, magnitudinem,virtutem & pertinaciam taceamus, ſimplicem etiam impugnationem non poſſumus ferre,niſi Dominus fuerit virtus noſtra, cum nos per nos ipſos,citra hoſtis impetum,ad omne malum proni ſimus.

Inuehitur in iactatores liberi arbitrij.

QVa autem fiet arte,vt in hac hoſtili multitudine, magnitudine,potentia pertinacia, Dominus ſit virtus noſtra, firmamentum noſtrum,refugium noſtrum,liberator & adiutor noſter? Reſpondet, Ita fiet,Si laudans inuoces Dominum, hac enim laudatrice inuocatione ſaluus erit ab omnibus Inimicis,ſicut Rom.10.ex Ioele 2. *Omnis qui inuocauerit nomen Domini,ſaluus erit,Et Prouerb.18.Turris fortiſſima nomen Domini*,ad ipſam currit iuſtus & exaltabitur. Hæc ſane omnium nobiliſſima eſt in tribulatione, & tota aurea doctrina,optimumque conſilium, quo ab omnibus malis erui poſſumus,ſi in tribulatione poterimus Deum iuſtificare,benedicere, & prædicare, ſicut exemplum trium puerorum monſtrat, Dan. 3. Deo noſtro iuſticia,nobis autem confuſio,ſicut eſt dies hæc. Incredibile eſt, quam efficax ſit iſta laus Dei in periculis remedium,mox enim vt cœperis laudare Deum,miteſcit malum,creſcit fiducia,& ſequitur fidens inuocatio.

Rom. 10.
Ioel. 2.
Prou. 18.

Dan. 3.

Remedium efficax in periculis.

Cauendum itaq; omnibus ſeruis Dei,ne alio modo,vel alio ordine, aut conſolari,aut vincere tentent,quam hoc verſu præſcriptum eſt, Non primo inuocabis,ſed primo laudabis,Sunt enim qui clamant & non exaudiuntur, vt hoc Pſalmo infra,Clamauerunt,nec erat qui ſaluos faceret,ad Dominum, nec exaudiuit eos. Quare? quia non laudando,ſed indignando clamauerunt, non dulcem Dominum ſibi propoſuerunt,ſed ſuam tantum amaritudinem conſiderauerunt. At nemo liberatur à malis,intuendo horreſcendoue mala ſua,ſed ſuperando & inhærendo Deo,& eius bonitatem intuendo,ſicut Pſal. 16. vidimus. Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam à

Modus vincendi mala,&c.

Non indignando, ſed laudando, clamandum ad Dominum.

Laudare Deum in medijs malis, ardua res eſt.

Inuocator laudans ſaluatur.

dexteris mihi eſt, ne commouear. O arduum conſilium & ratum, facere ſibi dulcem & laudabilem Dominum in medijs malis, & robuſtius intueri abſentem & incomprehenſibilem, quam mala præſentia & ſiinm intueri prohibentia, Non poſſum ſatis commendare huius optimi Verſiculi gratiam & virtutem, tam apte & ſignificanter poſitis verbis.

Qui vero ab hac laude Domini non incipiunt vincere, ſed ad hominum reſpectant conſolationes, vel ad merita ſua conuertuntur, ſeu futuræ vitæ melioris ſpem apprehendunt, non vincent vnquam, quia ſtat firma ſententia, Laudans inuocator ſalvus fit ab Inimicis ſuis, & nullus alius. Sic ſuperius ex Iſa. 48. ierulimus, Infrenabo os tuum laude mea, ne intereas. Et Iſa. 51. Dominus dedit mihi linguam eruditam, vt ſciam ſuſtentare eum, qui laſſus eſt, verbo, Hoc eſt quod ſecundo præcepto nobis mandatur, Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum, Et oramus, Sanctificetur nomen tuum. Hoc eſt quod tot laudibus Dei hunc Pſalmum incipit, & amore Dei geſtit, Vt hoc verſu videatur rationem reddere, cur ſic in Domino glorietur & ſperet. Q. d. ſic enim oportet ab amore & laude incipi & inuocari nomen Domini. *Iſai. 48. 51.*

Sola laus Dei erigit perturbatum.

Experiatur modo quiſpiam, & apprehendat laudem aliquam Dei, vbi fuerit male affectus, & ſentiet mox releuamen Nam quæuis alia conſolatio, aut non prodeſt, aut falliaciter prodeſt, id eſt, maxime nocet, imo idem facit, ſi vel beatam Virginem, aut aliquem Sanctum, denique ſi pium hominem adhuc in terra viuentem, in nomine diſcipuli Domini laudaueris, tanta eſt virtus & benedictio hominis Domini, Sic Gen. 12. ad Abraham dicitur, Benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi, Qua promiſſione certi ſumus, nos benedici à Deo, ſi Sanctos eius benedixerimus, Quanto magis ſi ipſum Dominum benedixerimus, Ego fateor me ſæpius hac ratione leuaſſe cor meum moleſtia ſua. *Geneſis 12.*

Circundederunt me dolores mortis.
Et torrentes iniquitatis conturbauerunt me.

HIerony. Quoniam circundederunt me funes mortis, torrentes Belial terruerunt me 2. Reg. 22. pro funes, alia dictio eſt ebraica quã hoc loco, quam Hieron. tranſtulit, contritiones, mihique Reuchlin rectius hic, pro funes, collectiones ſeu cumulos, vt 1. Reg. 10. Obuiam habebis gregem Prophetarum, Vt ſit ſenſus, Circundedit me mors multis & magnis copijs, Vt copiæ mortis, componantur cum torrentibus Belial, poſteriore parte verius. Vt vtrinque magnitudinem & multitudinem malorum exprimat, quæ ceu vaſtis torrentibus & multis exercitibus irruerint. *2. Reg. 22.* *1. Reg. 10.*

Mors. Infernus.

Dixerat & docuerat, Inuocandum eſſe Dominum cum laude & amore, iis qui ab inimicis ſalui velint fieri, Iam ita ſe feciſſe recitat, & Hiſtoriam ſuam narrat, in exemplum doctrinæ, quam dederat, incipiens ab Inimicis omnium peſſimis & vltimis, morte & inferno. Et licet verum ſit, ipſum Dauid fuiſſe has pœnas mortis & inferni ſæpius paſſum, vt crebro in diuerſis Pſalmis confitetur, imprimis Pſal. 116. Circundederunt me dolores mortis, & pericula inferni inuenerunt me, tribulationem & dolorem inueni, & nomen Domini inuocaui, Vbi pene eadem verba, nedum ſententia, cum hoc loco conueniunt, Tamen nos de Chriſto hunc Pſalmum cœpimus intelligere, ſenſu interim generali omiſſo, ideo mortem & infernum Chriſti hoc loco accipimus. *Pſal. 116.*

Hic autem verſus de morte, ſequens de inferno loquitur, vterque eandem rem reperita ſententia eloquens, Idem enim eſt, circundederunt me dolores mortis,

mortis, quod, torrentes iniquitatis conturbauerunt me, Et idem, Circundederunt me dolores inferni, quod præoccupauerunt me laquei mortis. Ita nos ſentimus, non refragantes, ſi quis hæc quatuor voluerit diuerſa facere.

Circundederunt me. Sunt etiam verba proprie & grauiter poſita, Circundederunt, non tantum occurrerunt aut inſectati ſunt, ſed vndique tenuerunt & vallauerunt, ſolitarium & vnicum concluſerunt, quod vel maxime in morte diſcrutiat. Si enim gradiendum eſſet magna turba comitante & apparente, mitius malum eſſet mors.

Funes ſeu cunei mortis. Funes ſeu cunei, quos dolores, noſter vocat, Non ſcilicet vnus aliquis me circundat, mortis miniſter, ſed multi imo multæ copiæ, multæ turbæ, quo iterum ſolitudo amariſſima ſignificatur in morte. Hos funes ſeu cuneos poſſe intelligi, impios homines, quorum miniſterio mors & dæmones vtuntur, admittimus, iuxta illud Pſal. 22. Circundederunt me Vituli multi, Tauri pingues obſederunt me. Et iterum. Erue à framea Deus animam meam, & à cornibus Vnicornium humilitatem meam.

Pſal. 22.

Horror mortis. Noſter tamen non inepte has copias intelligit, multitudinem dolorum in hora mortis irruentium, vbi nulla creatura eſt, quæ non morti & pauori ſeruiat, Omnia enim quæ aſpiciuntur, ſunt mors & non vita, Ita mors armatur orbe terrarum, & pugnat vniuerſa creatura contra morientem ſeu morte pauentem, derelictum, vnicum & omnibus circundatum, Inde fit, vt non poſſit ijs nomen dare, niſi metaphoricum, Cuneos ſeu copias appellando mortis, Mors enim vltimum malorum, mitius erat, ſi copiæ alterius cuiuſpiam mali circundarent. Dictum eſt autem in Pſalmis ſuperioribus, Chriſtum vere paſſum eſſe pauores & tædia mortis pro nobis, licet non omnes nos ſimilia patiamur.

Dolor mortis ineffabilis. *Torrentes Belial,* Itidem metaphora eſt, impetum & exercitum malorum ſine nomine edifferens, Reuera enim tantus eſt dolor mortis, vt nominari cogitariq; non poſſit, ſed tantum pati poſſit. Sentiunt ſeſe peſſime habere, nec quid ſit poſſunt indicare, ideo & nullum ibi remedium eſt. *Guſtus æternæ vitæ.* Sicut econtra guſtus æternæ vitæ tantus eſt, vt ſentiant quidem ſeſe optime habere, non tamen dicere aut indicare, quid ſit, poſſunt, Vnde hic, torrens voluptatis Dei dicitur Pſalm. 16. Inebriabuntur vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos; Ille autem torrens Belial ſeu malitiæ, vt hoc loco dicit.

Pſal 36.

Belial. Filij Belial. Belial frequens dictio in Scripturis, Ebræis dicitur ſignificare malitiam, licet fere vbique iniquitas transferatur, idque improprie, inde filij Belial (id eſt, malitiæ) Iud. 19. Böſe Buben/die kein nütz ſind. Etymologiam habet à bli (id eſt, non) & iaal (id eſt, profuit) vt qui ad nocendum alijs tantummodo viuunt. Inde datum eſt & Diabolo nomen Bli iaal, quem Belial dicimus. *Mors, malorum pelagus.* Hic autem pro malitia accipi certum eſt, ſcilicet mortis, quæ male afficit multis modis eos, qui moriuntur, ac torrentibus malorum inuadit, Siquidem mors ipſa malorum pelagus & ſumma eſt. Ita vides, quam proprie mala mortis, licet innominabilia, deliniet, quod mori aliud non ſit (ijs qui fide carent) quam copias & gurgites malorum pati, ijſque vnicos & ſolitarios circundari, & vndique terreri, vt cogantur dicere, Anguſtiæ mihi vndique.

Iudic. 19.

Dolores inferni circundederunt me,
Præoccupauerunt me laquei mortis.

EAdem dictio, Dolores inferni, quæ præcedente verſu, dolores mortis dicitur, Ideo & idem de ea ſentiendum, eſſe videlicet funes ſeu cuneos in-

ſerni,

ferni,non niſi copias omnium rerum mundi,quæ omnes armantur ad vltionem damnatorum,Eiuſdem ſignificationis & ſententiæ eſt, verbum circundederunt,cum præcedente.Infernus autem & mors parum differunt, quo ad ſenſum dolentis,Mors enim amara ſeparatio eſt à vita,Sed infernus eſt, quod ſtatim mortem comitatur æternæ pœnæ & irreparabilis animæ ſenſus, Capitur enim hic anima & vere circundatur,vt non poſſit aliud ſentire, quam ſe in æternum damnandam eſſe,Si enim vel pilo latum videret exitum, circundata non eſſet, nec infernum ſentiret nec mortem, ſed ſpe plena & fiducia gauderet.

Mors. Infernus.

Scholaſtici Theologi rerum ſpiritualium imperiti.

Atq; id eſt,quod Theologi Scholaſtici,verba iſta ſcripturæ, Circundederunt,præuenerunt,parum diligenter obſeruantes, deinde nihil harum rerum vnquam experti,ſecure de Purgatorij pœna diuinant,quidquid volunt, ponentes in ea nullam deſperationem,ſed tantum ſatisfactionem,Qui tamen rurſus fatentur eandem eſſe pœnam purgatorij & inferni, niſi quod duratione differunt. Verum vt ſunt ſubtiles diſtinctores,garriunt,eandem eſſe pœnam vtrobique non omnem,ſed tantum quæ ſimul non ſit culpa,deſperationem autem & ſeruilem timorem eum culpas eſſe doceant,è purgatorio penitus tollunt,Nos vero,quia rei iſtius cognitio in experientia,non in ſpeculatione ſita eſt,non contendemus, verbisque Scripturæ ſimpliciter inhærebimus, etiam ſi non intellexerimus,quibus circundari & præueniri ſe doloribus mortis & inferni,Sancti queruntur,Experti viderint,quid ea velint, inexpertis nihil prorſus credemus,qui necdum,quid ira & libido ſit, craſſiſſimæ ſcilicet & beſtialiſſimæ affectiones,intelligunt.

Infernus. Purgatorium.

Idem eſt per repetitionem,vt dixi, *Præoccupauerunt me laquei mortis*, vbi ſe captum morte ſignificat,& ſic captum,vt præuentus ſit à laqueis eius, hoc eſt,laquei mortis ei præualuerunt & fortiores eo fuerunt, vt quos euadere non poſſit; Id quod eſt in inferno eſſe, vnde non patet reditus, Sicut auis, quæ laqueo capitur non reuertitur Hæc omnia in Chriſto,etſi mirabiliter, tamen contigiſſe credimus,vt vere captus ſit mortis & inferni doloribus,laqueis & cuneis.

In inferno eſſe.

In tribulatione mea inuocaui Dominum,& ad Deum meum clamaui,& exaudiuit de Templo ſancto ſuo vocem meam.
Et clamor meus in conſpectu eius,introiuit in aures eius.

Prophetæ tempora verborum confundunt non abſque cauſa.

VNus hic in Ebræo verſus eſt, & incedit per futura verba per totum,Inuocabo,clamabo,exaudiet,introibit, ſicut & Hierony. tranſtulit,& 2. Reg. 22. legitur,Quanquam hoc parum refert, cum Prophetæ hoc peculiare habeant,vt tempora plerunque confundant,non tamen abſque cauſa,vt ſæpius diximus. Pergit itaque exemplo ſuo oſtendere verum eſſe,quod docuerat,ſaluari eos omnes, qui laudantes inuocant Dominum, Fui, inquit, & ego in maximis malis,id eſt,doloribus mortis & laqueis inferni,Saluus autem factus ſum ab omnibus malis iſtis,quia inuocaui Dominum, & ad Deum meum clamaui,ideo exaudiuit vocem meam, & clamor meus introiuit in aures eius,Quare non eſt dubium,non eſſe aliam liberandi viam, quam per inuocationem Domini,& confeſſionem Dei. Dictum eſt Pſal. 16. Deum meum eſſe,quid habeat energiæ & ſignificationis, Nemo enim dicit, Deus meus,niſi laudans & amans, etiam in media morte & inferno, ſicut ſcriptum eſt,Fortis,vt mors dilectio & c. 2 Reg. 22.

Vnica liberationis via,inuocare Dominum.

Repetitionibus præ animi iucunditate abundat,cum ſit idem ferme,

Inuoca-

Inuocaui Dominum,quod,ad Deum meum clamaui. Item, Exaudiuit de templo ſuo vocem meam,quod,clamor meus introiuit in conſpectum eius, in auribus eius,ſic enim in Ebræo dicere videtur, Omnia autem ſunt plana, ſed plena quoque iucundiſſimis affectibus.

Commota eſt & contremuit terra,fundamenta montium conturbata ſunt,
Et commota ſunt,quoniam iratus eſt eis.

QVid velit Dauid ab hoc Verſu ad decimum vſque, non poſſum conſeqni.Nuſquam legitur terram motam,montes concuſſos, & alia,quæ hic recenſet,propter Dauid eſſe facta, ſed nec propter Chriſtum.Cæteri per allegorias,contempta conſequentiæ ratione, perfacile eludunt, quid enim facilius,quam ſingulis partibus allegoriam ſuam affingere?

Lyra nonnihil dicit,cum dicit,Morem eſſe Scripturarum,vt pro laudando aliqno ſingulari beneficio Dei,repetantur ab initio,vel omnia generaliter,vel multa ex eis populo Dei exhibita beneficia,Iuxta illud Pſal.119. Memor fui iudiciorum tuorum, & conſolatus ſum. Et 77. Memor fui operum Domini, quia memor ero ab initio mirabilium tuorum, Et meditabor in omnibus operibus tuis,& in adinuentionibus tuis exercebor.Sic Dibora Iud.5. cantura Domino, incipit ab exitu Aegypti, dicens: Domine cum exires de Seir,& tranſires per regiones Edom,terra mota eſt,cœliq; ac nubes diſtillauerunt aquis,Montes fluxerunt à facie Domini,& Sinai à facie Domini Dei Iſrael. Aemulatione huius dicit & Pſal.68.Deus cum egredereris in conſpectu populi tui,cum pertranſires in deſerto,Terra mota eſt,etenim cœli diſtillauerunt à facie Dei Sinai,à facie Dei Iſrael. Et Pſal. 76. Viderunt te aquæ Deus, viderunt te aquæ & timuerunt,& turbati ſunt abyſſi,multitudo ſonitus aquarum,vocem dederunt nubes,Etenim ſagittæ tuæ tranſeunt,vox tonitrui tui in rota.

Pſal.119. *77.* *Pſal.68.* *Pſal.76.* *Scripturæ mos,alte repetere mirabilia Dei.*

Eſto itaque,ſolere confeſſores Dei,altius repetere mirabilia Dei, præcipue.illud præ cæteris inſigne,quod in exitu Aegypti fecit, cuius præ omnibus arguuntur filij Iſrael immemores fuiſſe, Pſalm,78.Et ex cuius memoria ſine dubio,multa didicerunt ſpiritu illuſtrante, ita vt Prouerbij vice habuiſſe videantur vſitatiſſimum,& iam diuerſas eius partes in diuerſis allegorijs tractatam,Non tamen capio Lyram,dum verba huius Pſalmi ad eandem hiſtoriam aptat.

Mirabilia in exitu Aegypti facta. *Pſal.78.*

TEmerandum itaque & mihi eſt, Placet primum,repetita hic dici præterita mirabilia in exitu Aegypti facta, & miſceri mirabilibus præſentibus,per iucundam expatiandi & digrediendi libertatem, quando talem in Scripturis vſum videmus.Nam & ſeculi Rhetores, docent in genere demonſtratiuo recenſeri oportere non modo præſentia,ſed ſimul omnia præterita facta Maiorum eius qui laudatur. Nec tamen hoc ſolum agi à Dauid credo,ſed ſimul præ exuberanti lætitia, ludere allegorijs hiſtoriæ Aegyptiacæ in laudem Chriſti videtur,quem ſignificare ea figura elate cognouit. Et videmus eos,qui nimio gaudent,ita geſtire allegorijs & nouis figuris loquendi,vt inſanire putentur,delectat enim eos ſua gaudia veſtire pulchris & feſtiuis verborum & ſententiarum figuris,alius aureum,alius mellitum,alius manna ſuum, alius aliter appellat,quod laudat, Nemo hic non poeticatur, ipſo gaudio docente figurare loqui.

Rhetores mundi.

Ita hic Chriſtus,cum ſeſe ab inferis exaudiente Patre gaudeat reuocatum, non modo repetit & miſcet mirabilia Dei antiqua, ſed eadem ſimul iucun-

Mirabilia Dei,antiqua & noua.

iucundiſſima allegoria immutat & innouat, ſicut orat Eccleſ. 36. Innoua ſi- *Eccle/36.*
gna & immuta mirabilia, Vnde nec totam hiſtoriam ordine tractat, ſed vt-
cunque ad rem facit, quamlibet partem delegit. Quare hic noſſe oportet alle-
Lex. goriam hiſtoriæ eiuſdem, præſertim eam, quæ ad fructum reſurrectionis
Gratia. Chriſti pertinet, quæ in duobus iſtis comprehenditur, lege & gratia, Lex hu-
miliat ſuperbos, gratia exaltat humiles, vtrumque miris & varijs modis, ſunt-
que hæc vere Dei mirabilia noua, quæ non alijs armis, quam miniſterio verbi
perficit, per abiectos idiotaſque piſcatores & ſucceſſores eorum, quæ omnia,
niſi fallor, his figuris & allegorijs ſuauiſſime ludit Propheta.

Promulgatio legis in monte Sina. Legimus itaque Exod. 19. & 20. Cum eſſet Dominus legem *Exod 19 20.*
daturus, tertia die cœperunt audiri tonitrua ac micare fulgura, & nubes den-
ſiſſima operire montem, totus mons fumabat, eo quod Dominus Deus de-
ſcendit ſuper eum in igne, & aſcendit fumus ex eo quaſi ex fornace, Eratque
omnis mons terribilis, & ſonitus buccinæ paulatim creſcebat in maius, & pro-
lixius tendebatur. Moſes loquebatur & Dominus reſpondebat ei, deſcendit-
que Dominus ſuper montem Sinai, in ipſo montis vertice, & vocauit Moſen
in cacumen eius.

Ditior eſt hæc figura, quam vt verbis eam conſequi poſſim, quam nec
intellectu ſatis capio, Et tamen Propheta digniſſime eam tractat, multa enim
ex ea & alij ſumpſere Prophetæ, vt quæ ſit denſiſſima refertiſſimaque myſte-
rijs Chriſti, opera enim naturæ, legis & gratiæ, hoc eſt, ſumma totius Theolo-
giæ hic tractatur. Apoſtolum ergo ex Romanis, primum & optimum Inter- *Rom. 4.*
pretem inuocemus, qui Cap. 4. dicit. Lex iram operatur, Et 1. Cor. 15. Virtus *1. Cor. 15.*
peccati lex. Rom. 1. Reuelatur ira Dei de cœlo ſuper omnem impietatem & *Rom. 1.*
iniuſticiam hominum, qui veritatem Dei in iniuſticia detinent. Et Roma. 5.
Lex ſubintrauit, vt abundaret delictum.

Legis opus. Legis itaque opus eſt terrere, conſcientiam concutere, & omnem fi-
duciam demoliri. Atque id eſt, quod agitur figura magnæ alicuius tempeſta-
tis, ita proprie, vt non alia allegoria magis apte poſſit monſtrari. Tonitrua n.
& fulgura commouent & tremefaciunt terram, concutiunt & conturbant
fundamenta etiam montiū, &, ſicut ille ait, feriunt & ſummos fulgura mon-
tes, In qua re, iratum cœlum omnes formidant, ſicut Pſal. 77. dicit, A voce *Pſal. 77.*
tonitrui tui formidabunt, hoc eſt, quod dicit, Quoniam iratus eſt eis. Talem
autem tempeſtatem fuiſſe in monte Sina, cum Lex daretur, ex prædictis ver-
Lex exigit impoſſibilia, terret & oſtendit peccatum. bis ſatis liquet cuiuis, vt ſimul figura ſimilaretur, quod reuera tum agebatur,
& tale eſſet ſignum, qualis erat res ipſa.

Itaque legis doctrina & cognitio, cum agat æternis comminationibus,
& exigat ea quæ ferre non poſſumus, ſicut Ebræ. 12. dicit, Non enim porta- *Ebræ. 12.*
bant ea, quæ dicebantur, terribilis eſt & importabilis peccatrici conſcientiæ,
& tanto magis, quanto prolixior & clarior eius ſonus ſeu cognitio, hoc eſt,
vere per legem fieri cognitionem peccati, & iram per legem concitari, hoc
eſt, ream inueniri & æterna ira dignam, omnium hominum conſcientiam.
Quæ cognitio intus in corde, omnem illum tumultum & impetum tempe-
ſtatis implet, qui in Sina monte deſcribitur viſus eſſe. Hic vere commoue-
Terra. tur & tremefit terra, id eſt, terrena corda, quæ ſapiunt ea, quæ ſuper terram
ſunt, & non modo montes ipſi, ſed fundamenta montium conturbantur &
Montes. commouentur, id eſt, diſperguntur ſuperbi mente cordis ſui. Montes enim
ſuperbi ſunt, Fundamenta ſunt, fiducia poteſtatis, ſapientiæ, iuſticiæ, & qua-
rumcunque rerum. Eruditus enim vera legis cognitione intelligit, quod non
ſubſiſtit coram Deo omnis caro, quia ex operibus legis non iuſtificatur ho-
mo, Nec potentia, nec ſapientia, nec quæcunq; ſubſtantia hic prodeſt, omnia
turbantur

turbantur & corruunt,Quia iratus eſt eis,hoc eſt,per legem reuelatur ira Dei,
ſuper eos maxime, qui fiducia illorum fundamentorum ſuperbiunt præ cæ-
teris.

Montes antem hic abſolute dicit,quia ſunt & montes ſancti, Pſalm.87. *Montes ſancti.*
Pſal.87. Fundamenta eius in montibus ſanctis,Et alio, Iuſticia tua ſicut montes Dei. *Fundamenta*
Potiſſimum antem, fundamenta montium intelligenda ſunt, fiduciæ ope- *montium.*
rum,ſeu opera legis,ſeu lex & doctrinæ,quibus homines ſeſe confidunt iuſti-
ficari,Hoc enim potiſſimum agitur verbo & cognitione legis, vt peccatores
faciat,& omnis mundus obnoxius fiat Deo, Sic enim Apoſtolus lege vtitur,
Rom. 3. potiſſimum contra operum ſuperbiam dicens,Rom.3.Sed concluſit Scriptu-
ra omnia ſub peccatum,vt omnium miſereatur.Et Chriſti gratia maxime con-
tra iuſticiam hominum pugnat,nam hæc omnium pertinaciſſime reſiſtit iu-
Rom. 10. ſticiæ Dei,vt Rom.10.dicit,ignorantes enim iuſticiam Dei,& ſuam quæren-
tes ſtatuere,iuſticiæ Dei non ſunt ſubiecti.

Eſt & hoc mirabile & ſignandum, Quod tonitruis non tantum cacu- *Cacumina & fun-*
mina,ſed ipſa fundamenta montium concutiuntur,nam terra tota tremeſit, *damenta montium*
etiam radices montium.Ita Lex non modo ſuperbiam externe percutit,quod *concuſſa.*
& hominum poſſunt increpationes,ſed penetrat,& intima cordis conturbat,
ipſam conſcientiæ ſecretiſſimam fiduciam pauefaciens, quia lex ſpiritualis eſt
& ſermo viuax,penetrantior omni gladio ancipiti,nec eſt, qui ſe abſcondat à
Ebræ. 4. calore eius.

Ebræus iucunda vocum alluſione dicit, vatigeas,vatireas haarez,quod
noſter forte non potuit reddere,ſed dixit,Commota eſt & contremuit terra, *Fuga.*
Significat autem pauidum illum motum, quo ad fugam & curſum aliquis
commouetur,ſignificantiſſime vim legis,& conſcientiæ metum exprimens,
Ita Propheta non modo iucundus eſt ſententijs,ſed & verbis & conſtructio-
ne,ſi quis vacaret omnia obſeruare.

Aſcendit fumus in ira eius,& ignis à facie eius exarſit.
Carbones ſuccenſi ſunt ab eo.

HIeronym. Aſcendit fumus in furore eius, & ignis ex ore eius
deuorans,carbones incenſi ſunt ab eo, Hoc inuiſibilibus tempeſtatibus
fit,quoties fulmine tacta conflagrant,hic enim fumus ignis & carbones
viſuntur,At in monte Sina fumum & ignem quidem fuiſſe ſatis oſtendit Mo-
Exod. 19. ſes,Exod.19. Nuſquam autem carbones illic leguntur, niſi carbones intelli- *Carbones igniti.*
gat,montem ignitum & ardentem, Certum eſt enim omnia igne micuiſſe,
fumaſſe,arſiſſe,caligaſſe,quæ in monte & iuxta montem fuerunt, vt Deut.5.
Deut. 5. dicit. Et montem ardere vidiſtis,Terribile enim fuiſſe, quod videbatur, Apo-
Ebræ. 12. ſtolus ſcribit Ebræ.12. vt & Moſes diceret, Exterritus ſum & tremebundus.
Itaque quos carbones Moſes non expreſſit,Propheta vna cum igne intelligit
& eloquitur.

Totum autem hoc facit,vt manifeſtis indicijs oſtendat,ſeſe ab Hiſtoria
illa ad allegoriam diuerti,& myſterijs ludere,ideo non ſolum carbones adij-
cit,ſed & alia quædam, quæ in Hiſtoria non leguntur, aut non eo modo le-
guntur,Quale eſt,quod fundamenta montium concuſſa dicit, cum illic nec
plures montes,nec fundamenta memorentur,Volens vno monte Sinai mul-
tos illos ſuperbos,cum ſuis præſumptionibus figuratos,videri. Tale eſt, quod
iratum eis Dominum dicit,cum nihil de ira Domini in montem Sina hiſtoria
habeat.Tale & hoc,ꝙ fumus in ira eius aſcendit,cum nihil illic de fumo iræ

eius ſit dictum, Et quod manifeſtiſſime allegoriam Hiſtoriæ indicat, quod di-
cit, ignem à facie eius exarſiſſe, ſeu, vt Ebræus plenius habet, ex ore eius deuo-
raſſe, nec enim ignis ille, quo ardebat mons Sina, ex ore Dei proueniſſe ſcribi-
tur, niſi ideo dicamus ex ore eius veniſſe, quia fulgure deſurſum velut ex ore
cœli miſſo conflagrarit.

Opus legis, fuga, pauor, anguſtia, &c.
Ignis à facie eius exarſit.

Lex igitur eſt, quæ ex ore eius, id eſt, ex ore prædicantium, infantium & lactentium procedens, accendit, exurit, deuorat, vaſtat, quidquid eſt ſuperbiæ in vanitate humana, vt locum paret gratiæ, Ad increpationem enim legis ſequitur pauor & terror, fuga, atq; cum fuga nuſquam pateat, oritur anguſtia, atq; hæc eſt ignis iſte, qui concoquit & deuorat omne malum, exurit concupiſcentiam, vt iam non libeat quod delectabat antea, Sic incenduntur carbones ex eodem igne, vt peccatores, exuſta per vim legis mala cupiditate ardeant, nondum quidem charitate ſuauiter, ſed fornace anguſtiæ ſuæ fortiter, in qua conflantur & parantur & purgantur, ſicut aurum in igne.

Fumus ante ignem.

Fumus.

Sed fumus ante ignem ponitur, cur hoc? Quis priorem igne fumum vnquam vidit? Sed fumus ſignum eſt præſentis ignis, & licet prior non ſit, prior tamen apparet. Auguſt. Fumum intelligit lachrymoſam deprecationem pœnitentium, cum cognouerint quid minetur impius Deus. Quem non repudiemus, ſed augeamus, Vt fumus ſit & confeſſio foris peccatorum & omnia illa argumenta, quibus proditur interna conſcientiæ fuga & anguſtia, Sicut illi Act. 2. compuncti & conterriti verbis Petri, dixerunt, Viri fratres, quid faciemus? *Actu.* His enim verbis ſignificant, quid intus patiantur. Aſcendit ergo fumus in ira eius, quia ira Dei, cognita per legem, humiliat in profundum ſuperbos, & ex eo profundo ſurſum fumum hunc pœnitentiæ ſuæ emittunt.

Os Domini.
Ignis ex ore eius.
Nares Domini.

2. Reg. 22. dicitur, Aſcendit fumus de naribus eius, & ignis de ore eius vorauit, Vbi vitio Scriptoris, volauit, noſtri codices habent, In quo videtur loqui de fumo iraſcentis, non de fumo pœnitentis. Sed cum allegoriam tractet, conuenit, vt ſicut os Domini, os prædicantium, & ignis ex ore eius, virtus legis in peccatore dicitur, Ita & nares Domini iidem prædicantes ſint, quod per eos indicat & reuelat iram ſuam. Quare ſicut ignis in peccatoribus vorat, licet de ore Domini procedat, ita fumus in eiſdem aſcendit, licet de naribus Dominus procedat, Neque enim poſſibile eſt, hiſtorico & literali ſenſu, vel ignem de alicuius ore vorare, vel fumum de alicuius naribus aſcendere, cum ſternutans flatum potius demittat. Verum in ebræo vtraq; dictio æquiuoca eſt, quam Interpres varie reddit, vt hic ignem exardentem & fumum iræ, quod illic ignem vorantem & fumum naris dicat. Ego dicerem, quod hoc Pſalmo dicitur, ignem ardentem & fumum iræ.

Inclinauit cœlos & deſcendit, Et caligo ſub pedibus eius.

Deut. 5.
Ebræ. 12.
Exod. 19.

HOc hiſtoria confitetur dicens, Cœpit nubes denſiſsima operire in montem, Et Deut. 5. & Ebræ. 12. eiuſdem caliginis mentio fit, Dicitque Exod. 19. Deſcendit Dominus ſuper Sinai in ipſo montis vertice, & vocauit Moſen in cacumen eius. Multi multa de iſta caligine cõmenti ſunt, præſertim Dionyſius ille quiſquis fuerit, Nos cœpto itinere proſequamur allegoriam noſtram, qua diximus, ſuperbos humiliari per miniſteriũ legis, idq; hoc loco tractari. Virtus itaq; legis & ira Dei per eam reuelata, non ſentitur, non conturbat fundamenta montium, nec tremefacit terram, non ſuccendit carbones, nec deuorat peccatores, nec ſuſcitat fumũ, niſi Domino ipſo intus mouente, docente & incrementũ dante, Quã multi n. audierunt Iohannem Baptiſtam.

Dionyſius.

Virtus legis non ſentitur, niſi Domino cor mouente.

Digitized by Google

Baptiſtam, Chriſtum, Apoſtolos fulgurantes & tonantes tonitruis iudicij & iræ Dei futuri, qui tamen indurati corde, ſicut incus Behemoth, nihil ſunt commori, Sicut multos videmus, qui tonitrua corporalia contemnunt & rident, etiamſi videant alios eiſdem examinari.

Hoc eſt quod dicit, & illic figuratum eſt, vbi deſcendiſſe Dominus ſuper montem Sinai ſcribitur. Inclinauit enim cœlos, hoc eſt, Apoſtolos dimiſit in mundum contra ſuperbos filios Adam, Et ipſe deſcendit, cooperans & *Inclinauit cœlos & deſcendit &c.*
Gal. 2. confirmans ſermonem eorum, ſicut Gala. 2. dicit, Qui operatus eſt Petro in Apoſtolatu circumciſionis, operatus eſt & mihi inter gentes. *Et caligo ſub pedibus eius*, id eſt, quod opera & viæ eius cognoſci non poſſunt, Hoc fit, dum alienum opus operatur, vt operetur opus ſuum, dum damnat vt ſaluet, dum *Caligo ſub pedibus eius.*
conſcientiam conturbat, vt pacificet, Contraria enim ſunt opera iuſtificationis omni ſenſui humano, qui ſeſe humiliari & in nihilum redigi, per virtutem legis non ſuſtinet, quia non capit quam bene ſecum agatur, putat enim ſeſe conſumi, cum reuera oriatur, ſicut Lucifer, & diſpergatur vt congregetur, *Opera iuſtificationis rationi contraria.*
Hiob 3. euellatur vt plantetur. Fide ergo opus eſt in iſta caligine, ſicut Hiob 3. Viro cuius abſcondita eſt via & circumdedit eum Deus tenebris. Ierem. 10. Scio
Iere. 10. Domine, quia non eſt hominis via eius, Corripe me in iudicio & non in furore &c.

Et aſcendit ſuper Cherubim & volauit.
Volauit ſuper pennas ventorum.

DE hoc nihil legitur in Hiſtoria, niſi illud tangat, quod Exod. 25. præcipitur Moſi, vt inſpiciat & omnia faciat, ſecundum exemplar, quod ei monſtratum erat in monte, Inter quæ erant & Cherubim ex auro productiles, in quorum medio Propitiatorium, vnde loqueretur Dominus ad Moſen, ſicut ibidem dicitur. Quo ſimul Propheta præ vbertate voluptatis etiam myſteria tabernaculi copulat, cum myſterijs montis Sinai. Incredibile eſt enim, quam copioſe colludant Scripturarum myſteria & aceruatim irruant, ſi quando ſerenitatis turbis periculorum, in libertate & gaudio ſpiritus homo verſatur, nihil enim tunc non nouit, nihil non audet, omnia poteſt, *Myſteria Scripturarum.*
quia Vnctio præſens docet eum. Vſus autem ſcripturæ poſtea inualuit, vt
Pſal. 99. 80 Deum appellaret, ſedentem ſuper Cherubim, vt Pſal. 99. Dominus regnauit iraſcantur populi, qui ſedes ſuper Cherubim, moueatur terra. Et 80. Qui ſedes ſuper Cherubim manifeſtare, coram Ephraim, Beniamin & Manaſſe (id eſt, ſuper arcam quæ erat ad occidentem, in quo tres illæ tribus locabantur) exſcita potentiam tuam. *Deus ſedens ſuper Cherubim.*

Voluit enim Dominus, & ab initio ſemper id curauit, vt eſſet aliquod monumentum & ſignum memoriale externum, quo alligaret fidem credentium in ſe, ne abducerentur varijs & peregrinis feruoribus in ſpontaneas reli- *Externum fidei memoriale.*
Gen. 22. 35. giones ſeu potius idolatrias. Sic Gen. 22. Mons Morija appellatur, id eſt, Dominus videbitur, quod illic reſpexerit ad oblationem Abrahæ. Et 35. præcipitur Iacob, vt altare faciat Deo, qui ei apparuerat in Bethel. Hinc Moſes præcepit ne locum, niſi quem Dominus elegiſſet, ſibi erigerent pro cultu Dei, Quod tamen, excelſis & lucis poſtea erectis, ſæpius tranſgreſſi ſunt: Ita & Tabernaculum fœderis, Propitiatorium, Cherubim, pro loco eis dedit, in quo eum inuenirent & inuocarent, quæ omnia in Chriſtum figurata ſunt. *Mons Morija.*

Nos enim nunc locum non habemus, non tamen ſine ſignis & monumentis ſumus, vt ſunt Baptiſmus & Cœna Domini, ſed nec ipſa villi ſunt loco affixa, Chriſtus enim nunc vbiq; regnat, & vbilibet licet baptiſari, prædicare & ſacro pane veſci. Quare noſtrum Propitiatorium, noſter Cherub, in *Chriſtus propitiatorium noſtrum.*

abſcondito ſunt, & myſterio verbi fidei tantum comprehendi poſſunt, Chriſtus eſt propitiatorium, vt Rom. 3. docet Paulus, quem propoſuit Deus propitiatorium in ſanguine eius, In quo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Et Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi. Duo Cherubim cum alijs ſuis ſeſe ſuperne contingentibus, & propitiatorium operientibus, in propitiatorium mutuis vultibus proſpicientes, duo ſunt Teſtamenta, quorum alterum eſt verbum legis, alterum verbum gratiæ, Quæ inter ſeſe etiam aduerſa videntur, dum lex auget peccatum, gratia tollit, Tamen in Chriſto conueniunt, quia quod erat impoſſibile legi, Deus mittens Filium ſuum, damnauit peccatum de peccato, vt iuſtificatio legis impleretur in nobis. Rom. 3. Duo Cherubim. Rom. 8.

Cherub. Hoc volunt etiam, qui dicunt, Cherub ſignificare multitudinem ſeu plenitudinem ſcientiæ, quod miniſterium vtriuſq; verbi, legis ſcilicet & promiſſionis ſeu gratiæ, ſi recte tractetur, omnia doceat. Equitat ergo ſeu vehitur Dominus ſuper Cherubim in ſpiritu & veritate, quando per fidem in nobis regnat, quæ miniſterio vtriuſq; verbi in nobis paratur. Nam quod noſter, Aſcendit ſuper Cherubim, Ebræus aptius dicit, Vehitur ſeu equitat, vt vocale regnum fidei in nobis exprimat, Non ergo noſter Cherub vlli loco affixus eſt, ſed vbi vbi verbum fidei fuerit, ibi ſuper Cherubim ſedet Dominus per Chriſtum & regnat in nobis. Vnde & in figura illud ſeruatum eſt, Quod ſuper Propitiatorium & Cherubim, nihil erat poſitum, quod videretur, ſed ſola fide credebatur illic ſedere Deus, & inde (inquit) loquar ad te, Ita nobis non niſi fide creditur Deus in Chriſto habitare, quod credimus teſtimonio Cherubim vtriuſq; teſtamenti, nec licet nobis vndelibet expectare verbum Dei, niſi ex iſto propitiatorio Chriſto. *Vehitur Dominus ſuper Cherubim. Regnum Chriſti eſt regnum per verbū.*

Idem videtur per Tautologiam dici, *Volauit ſuper pennas ventorum ſeu ſpiritu=um*. De ſpirituali enim vento loquitur, quod eſt ipſum verbum ſpiritus, legem interpretans & gratiam demonſtrans. Hoc enim verbum, ſicut ventus, velociter venit, ſpirans vbi vult, vocemq; eius audis, & neſcis vnde veniat aut quò vadat. Pennæ autem horum ventorum, ipſa ſunt verba vocalia, in quibus volant ſpiritus iſti. Nam & gentes, ſuum Mercurium, quo volunt ſignificari ſermonem diuinum, fingunt eſſe alatis pedibus, Adeo naturaliter inſita eſt humanæ menti allegoriæ affectio. Volat ergo ſuper pennas ventorum, id eſt, miniſterio verbi vocalis, quo fides docetur, volat ſuper nos, Vt vbi ſit verbum vocale, ſpiritu fidei apprehenſum, ibi ſine dubio Dominus eſt, & volat ſuper eos. Iohan. 3. *Mercurius. Pennæ ventorum.*

Volare autem dicitur, cum Cherubim ex auro producti non volarent, quia vidit alas non fruſtra Cherubim apponi in lege, cum alæ ad volandum datæ ſint, Intellexit ſignificari futurum quendam volatum verbi per totum orbem terrarum, qui eſt ipſum miniſterium verbi & ſuper hunc volatum, ſuper has pennas volaturum, & vbiq; verbo ſuo præſentem futurum Dominum, ſicut Marc. vlt. dicit, Domino cooperante & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis. Quare volatus iſte mihi velocitatem verbi per orbem ſignificat, ſicut & Pſal. 147. dicit, Velociter currit ſermo eius. Non ſolum autem hoc, verum etiam, vt neq; verbi, nec cooperantis Domini quietem in Eccleſia ſignificet, Non enim ceſſandum eſt vnquam à verbo, ſed ſemper in vſu, motu, volatu eſſe debet, vt Dominus ipſe ſemper volare, mouereq; in nobis fidem poſſit, Qui etſi omnia per ſe poſſit, non tamen niſi miniſterio verbi facere ſtatuit, vt fidei locus ſit & noſtræ infirmitati conſulatur, quæ ferre non poteſt diuina, niſi verbo inuoluta, quo velut in vtero ſuo nos portat, vt Iſa. 46. dicit. Mar. 16. *Volatus verbi Dei.* Pſal. 147. Iſa. 46.

Quare

Quare non ſpernendum eſt, quod volandi verbum geminauit, vt nos erudiret, ſpiritum Domini non ferri ſuper aquas populorum, nec præſenti Numine regere, niſi eos qui verbo catechiſantur, Vt deſtrueretur præſumptio humanæ virtutis, & liberi arbitrij, commendareturque gratia & humanitas Saluatoris noſtri Dei, in eos, qui audiunt verbum Dei & cuſtodiunt illud, Sic

Deut. 32. & Deut. 32. ſcribitur. Dominus volaſſe ſuper populum Iacob, ſicut Aquila prouocans ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans.

Si quis autem volatum ſuper pennas ventorum petere volet, ex hiſtoria montis Sinai, non magnopere contendo, Poteſt forte dici, Dominum quando in montem deſcendit, ſuper pennas venti volaſſe, Non enim monte ceu ſuſtentaculo vſus eſt, cum in aëre potius ſubſtitiſſe dicendus ſit, vt qui non portatur ab vllo, ſed portat ipſe omnia verbo virtutis ſuæ, quod eo volatu ſignificatum ſit.

Et poſuit tenebras latibulum ſuum, in circuitu eius tabernaculum eius.
Tenebroſa aqua in nubibus aëris.

QVia obſcuritas ſemper eſt fœcunda, ſicut & imperitia, Ideo Propheta poteſt iterum videri, gemellam figuram tangere, & Sinai, & tabernaculi, ſaltem parte priore, quæ de tenebris Sancti ſanctorum & tabernaculo videtur loqui, Quod enim in Sancto ſanctorum nullum fuit lumen, ſignificabat inhabitante Eccleſiam ſuam Deo per Chriſtum fidem eſſe in cordibus eorum, quæ nec comprehendit, nec comprehenditur, nec videt nec videtur, & tamen omnia videt. Eſt enim argumentum rerum, valde quidem præſentium, ſed nequaquam apparentium, ſicut arca fœderis erat præſentiſſime in Sancto ſanctorum, non tamen apparebat. Ita tabernaculum eius fuit in circuitu eius, quia in medio Sancti ſanctorum ipſe ſedebat, Quo ſignificatum eſt, vt Pſalm. 46. dicit. Deum eſſe in medio Eccleſiæ ſuæ, ideo non poſſe eam commoueri, quam & ſimiles prophetias ex ea figura hauſerunt. — *Fides.* — *Pſal. 46.*

Non enim Deus in nobis regnat ſuperficietenus, lingua & verbo, ſed in virtute, nec ſunt ſtabiles, qui in lingua & verbo in eum credunt, ſed qui corde credunt, iuſti ſunt, in quorum medio ipſe habitat, Hi ſunt fortes & adiuuantur in omnibus vultu Dei (id eſt, præſentia Dei) vt Pſal. 46. Adiuuabit eam Deus vultu ſuo, ſeu mane diluculo, id eſt, præſenti valde numine & ipſo vultu. — *Corde credentes iuſti ſunt.*

Sed ad montem Sinai quoque veniamus, de quo ſcriptum eſt, Quod deſcendente Domino, mons operiri cœpit caligine, Et ipſe in vertice & medio montis, recte dicitur poſuiſſe tenebras latibulum ſuum, Quo eadem fides eſt ſignificata, per quam habitat in medio Eccleſiæ ſuæ in cordibus noſtris, vbi non videtur. Hæ autem tenebræ dum extra nos ſunt, litera occidens eſt, terribilis prudentiæ carnis, quæ vehementer exhorret occidi, & tamen occidi oportet, ſicut lex occidendam docet, vt cum Moſe aſcendat ad verticem montis, ingreſſo in caliginem ad Dominum, Neque enim ad Dominum intra caliginem venitur, niſi mortificata per legem prudentia carnis. — *Caro occidenda per legem.*

In circuitu ſuo tabernaculum ſuum, ſcilicet poſuit, idem eſt per repetitionem, Quanquam in Ebræo non ſit præpoſitio, in, ſed ſic, circuitum ſuum, tabernaculum ſuum, hoc eſt. Sicut poſuit vt tenebræ eſſent latibulum ſuum, ita poſuit vt & circuitus ſuus eſſet tabernaculum ſuum. Quod mihi videtur in eum ſenſum dici, Quod fides ſeu Eccleſia fide ſanctificata, ſit illud in quo Deus — *Eccleſia fide ſanctificata, templum in quo Deus habitat.*

moratur, Nam ideo ponit tabernaculum ſuum, non niſi id quo circuitur, id eſt, clauditur & abſconditur, ſicut Sancto ſanctorum circumibatur & claudebatur, & in monte Sinai nube & caligine circuibatur.

Et valet aduerſus perſonarum reſpectum, quod dicit Tabernaculum ſuum eſſe id quo circuitur. Quidquid illud tandem ſit, nec nomen nec perſonam habet, Quicunque enim eum circundant eique adhærent, ſiue gentes, ſiue Iudæi, fiunt eius tabernaculum, non eſt enim diſtinctio Verum aſpera (vt dixi) hæc carni ingreſſuræ ſunt, ſuauia ſpiritui ingreſſo, Non enim homo niſi per tenebras fidei, fides non niſi per mortificationem carnis ingreditur, Vnde tenebræ iſtæ donec ſunt exteriores, mors & infernus ſunt, vbi fuerint factæ interiores, vita & ſalus ſunt, Litera enim opponit caliginem & crucem, ſed ſpiritus fidei perrumpit, & ingreſſus caliginem inuenit Dominum, Ideo qui fugit & horret caliginem, ſicut populus Iſrael, excuſans ſe, ne fieret eis verbum legis, non peruenit ad Dominum. Niſi enim legem audieris, quæ te humiliet & crucifigat, Dominum intus cum Moſe loquentem non audies, ſed nec Moſes intrat, niſi vocante Domino, ſicut habent verba Exodi.

Lex pædagogus in Chriſtum.

Tenebroſam aquam in nubibus aëris. Hieron. In nubibus ætheris. Certe poteſt ex Ebræo etiam dici, In nubibus nubium, Vtraque enim dictio, nubem ſignificat, vt denſam & coactam nubem intelligamus, qualis eſt tempeſtatũ, Meliusq; in accuſatino, tenebroſam aquam, & ſine præpoſitione, In, hoc modo, Poſuit tenebras latibulum ſuum, circuitum ſuum, tabernaculum ſuum, tenebroſam aquam, nubem nubium, vt ſequentia declarent præcedentia, Ac ſi dicat, Latibulum ſuum voluit eſſe tenebras, in quarum circuitu habitaret, quæ fuerunt aquæ illæ nigræ in denſiſſima nube tempeſtatis, Quibus omnibus ſignificatur mortificatio veteris hominis, quam in ſuis exercet per verbum legis Dominus, Et tamen hoc non facit crudeliter, cum ſit prope omnibus, quibus hæc mala facit, vt benefaciat, Ideo in circuitu ſuo fiunt.

Mortificatio veteris hominis per legem.

Quare licet paſſim, hanc tenebroſam aquam in nubibus aëris, ſpeculationibus dederint in obſcuritatibus propheticis, Nos tamen conſequentiam verborum & ſententiarum obſeruantes, per aquam tenebroſam, opus legis intelligimus, id eſt, mortificationes carnis, triſtitias conſcientiæ, & iram iudicij, quibus caro affligitur, Sicut & ad ſenſum, tenebroſæ illæ nubes tempeſtatum, aquoſæ ſunt ſimul & triſtes & moleſtæ, Nam & aqua & caligo, triſtitiam perſecutionemque ſignificat in Scripturis ſanctis.

Aqua tenebroſa.

Nubes autem nubium, ſeu nubes aëris, ipſi ſunt Apoſtoli, triſtia mundo nunciantes, dum omnes ſub peccato concludunt per legis verbum, ipſi enim ſunt circuitus Domini, & in medio eorum ipſe latet præſens, & per eos operatur omnia in verbo, Sic Iſa. 5. de vinea Domini, quam vocat Iſrael, dicit, Et nubibus meis mandabo ne ſuper eam pluant imbrem. Et 40. Qui ſunt ij, qui vt nubes volant, & quaſi columbæ ad feneſtras ſuas? Sed dum atræ nubes ſoluuntur pluunt ſalutarem imbrem, quæ prius nigredine ſua minari videbantur interitum, Ita prædicator legis occidit, & tamen viuificat, vbi legem ſpiritualiter in Chriſto impletam docet. Frequens eſt allegoria iſta nubium, & pluuiæ in Scripturis pro miniſterio verbi.

Nubes aëris.

Allegoria nubium & pluuiæ.

Præfulgore in conſpectu eius, nubes tranſierunt.
Grando & carbones ignis.

SEnſum huius verſus, quo præcedentibus cohæreat, fateor me prorſus non intelligere, Itaq; gloſa mea prima eſto, hoc verbum, Neſcio. Verum vt me-

lioribus

lioribus occaſionem demus,in incertum diſputemus. Auguſtinus & Hiero- *Auguſtinus. Hieronymus.*
nymus intelligunt ſignificari, tranſitum Apoſtolorum à Iudæis ad gentes,
ſed conſequentiam non tradunt, qua hoc factum intelligatur à fulgore in *Caſſiodorus.*
conſpectu Domini. Et ne putemus nos ſolos torqueri hoc loco, ipſe Caſſio-
dorus, præ fulgore, putat vnam eſſe dictionem numeri pluralis & referendam
ad nubes, quaſi præfulgidæ nubes dixeris, Scilicet nihil mirum nos labi, quan-
do tanti viri, tam inſigni lapſu, pene delirant.

Delitabo & ego interim, hactenus namque miniſterium verbi cecinit,
quo ad priorem eius partem, quæ eſt doctrina legis, qua, vbi præſens Dominus
cooperatur, peccatores humiliantur, Nunc poſteriorem & alteram partem
canit, qua poſt virtutem legis, verbum gratiæ humiliatos exaltat & conſola-
tur, Ita erit ſenſus, Nubes illæ nigræ & terribiles, quibus per verbum legis, ita
Dei reuelatur, tranſeunt, prætereunt & euacuantur, præ nimio ſplendore &
claritate, quæ in conſpectu eius eſt, hoc eſt, reuelatio & cognitio Dei, qua co- *Cognitio ſui, ſine cognitione Dei &c.*
gnoſcitur eius miſericordia, tam dulcis eſt, vt prior tumultus verbi legalis am-
plius non contriſtet. Sicut enim (vt Bernhardus ait) cognitio ſui, ſine cogniti-
one Dei, deſperationem, ita cognitio Dei, ſine cognitione ſui præſumptio-
nem, operatur, ſi modo cognitio Dei dicenda eſt, quæ ſine ſui cognitione eſt,
cum ſpeculatiua tantum ſit neceſſario.

2. Cor. 3. Sic Paulus 2. Cor. 3. tribuit fiduciam & ſpem cognitæ gloriæ Dei, dicens, *Cognita gloria Dei.*
Si miniſtratio damnationis in gloria eſt, multo magis abundat miniſterium
iuſticiæ in gloria, Nam nec glorificatum eſt, quod claruit in hac parte propter
excellentem gloriam. Habentes ergo talem ſpem, multa fiducia vtimur. Et
infra, Nos autem reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eandem ima-
ginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domino, qui eſt
ſpiritus. Vides Apoſtolum gloriam reuelatæ faciei enarrantem, pene eadem
verba huius verſus ponere, præ fulgore conſpectus eius, Quid eſt fulgor con-
ſpectus eius, quam gloria ſeu claritas faciei reuelatæ Dei?

Quid ergo eſt gloria Domini? quid reuelatio faciei? diximus Pſal. 4.
Pſal. 4. & alijs, Vultum Domini & conſpectum Dei ſuper nos, & in conſpectu no-
ſtro poſitum, aliud non eſſe, quam præſentem & propitium Dominum ha- *Vultus Domini ſuper nos.*
bere, in eum confidere, &, vt vſus habet ſcripturæ, noſſe Dominum, quod non
Ierem. 31. niſi per fidem fit in hoc ſeculo, Sic ex Ieremia Apoſtolus Ebræ. 8. Et non do-
Ebræ. 8. cebit vnuſquiſque proximum ſuum, dicens, Noſce Dominum, Omnes enim
Iſa. 11. ſcient me à minore vſq; ad maiorem. Et Iſa. 11. Quia repleta eſt terra ſcientia
Domini, ſicut aqua maris operientis. Hæc notitia Dei lætificat cor, ſicut notitia
Pſalm. 26. ſui contriſtat, quia illa proponit miſericordiam ante oculos, vt Pſal. 26. dicit. *Notitia Dei lætificat cor.*
Hæc peccatum contra nos ponit ſemper, & cogitare de peccato ſemper co
Pſalm. 51. git, vt Pſal. 51. dicit, Conſpectus itaq; Dei, eſt notitia reuelata Dei, in qua vi-
detur gloria ſeu claritas Dei. Gloria autem Dei eſt noſtra iuſtificatio, quam
videmus non eſſe currentis hominis, ſed miſerentis Dei, vnde non nobis, ſed *Conſpectus & gloria Dei &c.*
Domino damus gloriam, qui, vt Apoſtolus dicit, Omnia facit in laudem glo
riæ gratiæ ſuæ, Vt qui gloriatur in Domino glorietur, euacuata penitus noſtra
gloria, reuelataq; ignominia noſtra per verbum legis.

Tranſitis autem nubibus iſtis, & ſatis humiliatis peccatoribus per peccati
cognitionem, miniſterio legis paratam, & in conſpectum Dei adductis, vbi
gloriam gratiæ Dei agnoſcentes pacificantur, exultant & laudant, ſimul
tranſeunt & grando & carbones ignis, Sic enim ego arbitror, ad verbum,
tranſeunt, referendas eſſe & nubes & grandinem & carbones ignis.

Grando autem allegorice, dura & aſpera legis verba ſignificat, ſiue, vt

alibi dicit,increpationes in populis. Ignitos autem carbones, quos idiotiſmo Ebræo carbones ignis vocat,intelligimus vel eoſdem,quos ſupra dixit, ſucceſos eſſe ab igne,ipſos ſcilicet peccatores anguſtiæ,igne exuſtos,ſiue eadem legis verba,quibus ignis ille pœnitentiæ in conſcientia ſuccenditur, Quod magis probo,omnia enim illa tranſeunt,vbi dulcis miſericordiæ Dei notitia reuelata fuerit,Tum enim nubes prius odioſæ,fiunt gratæ,& prædicatores legis,quos abominabamur,diligimus,& verba eorum dura & vrentia tandem probamus. Non ſecus atque paruulus pædagogum ſuum & diſciplinam eius odit,donec hæreditatem adeptus,intelligat,quæ fuerit duri pædagogi vtilitas, quo paradigmate ad Galatas Paulus vtitur,non inepto,ad hunc locum intelligendum. *Gal.4.*

Grando. Ignisi carbones.

Hæc omnia puto Prophetam accepiſſe ex ea parte Hiſtoriæ, vbi ſcribitur Moſes aſcendiſſe in montem,& ingreſſus fuiſſe caliginem, ſcilicet in conſpectum Domini. Neque enim coram Domino hanc tempeſtatem fuiſſe, ſed in circuitu eius duntaxat intelligimus, vt & verſu præcedente dixit. Sicut ergo Moſi ingredienti in conſpectum Dei,gloria Domini apparuit,vnde & retulit ex eodem conſortio ſermonis Domini,gloriam vultus ſui,vt Exod.34.ſcribitur,ſimul nubes grando & carbones igniti tranſierunt,& iam in eius conſpectu non fuerunt,præ fulgore conſpectus Dei,Ita & nobis,docente Apoſtolo, reuelata facie Domini gloriam ſpeculantibus, & in eandem eodem claritatis conſortio,imaginem transformatis, multa eſt ſpes & fiducia, ceſſat exactor, ſuperatum eſt iugum oneris eius, ſceptrum exactoris eius & virga humeri eius,per paruulum,qui natus eſt nobis,& filium,qui datus eſt nobis Iſa.9. *Exod.19.*

Locus ex 2. ad Corinth.3.

Iterum hic Propheta,vel auget Hiſtoriam,vel proprio ſpiritu allegoriam ludit. Non enim expreſſe legimus in Exodo, grandinem & ignitos carbones in monte Sinai de cœlo miſſos, Sed quia valida tempeſtas fuit, intelliguntur & ibi ignis,grando,nix,ſpiritus procellarum,non minus mixta fuiſſe,quam in Aegypti plagis mixta fuerunt,cum vtrobique idem legis officium figuratum fuerit,

Hæc pro meo captu dixerim,alius abundet ſuo ſenſu,nam verbum,tranſierunt ſignificare mutationem,illud Matt.24.probat, Cœlum & terra tranſibunt,verba autem mea non tranſibunt,Quam ſignificationem hoc tempore & loco apprehendi. Quod ſi quiſpiam volet intelligi, Nubes, grandinem, carbones,tranſire præ claritate conſpectus Dei,id eſt, verbum & increpationes legis valere & pertingere,nec impediri,quin efficiant id in peccatoribus, propter quod prædicantur,ob præſentiam gloriæ Dei prædicatæ,quæ confundit ſuperbiam hominum,ſicut Pſal.77.videtur loqui. Etenim ſagittæ tuæ tranſeunt,non damno,Poteſt & hic tranſitus pulchre quadrare præcedentibus & ſequentibus,quo efficacia verbi monſtretur,vt Ebræ.4. Viuus & efficax eſt ſermo Dei, & penetrantior omni gladio ancipiti, nec meum eſt definire,vtra ſententia præſtet, *Pſal.77.* *Ebræ.4.*

Et intonuit de cœlo,Dominus, & altiſſimus dedit vocem ſuam. Grando & carbones ignis.

HIc verſus prope cogit,poſteriorē ſententiam præcedentis verſus acceptari. Tamē vtramq; videamus,de priore prius. Ex hiſtoria videtur illud referre,quod Exod.19. ſcribitur, Dominum reſpondiſſe Moſi loquenti,deinde voces auditas & Dominum locutum decem præcepta Quorum allegoria eſt,ſolius Domini voce impleri legem, Quid eſt enim Moſen loqui, *Exod.19.*

loqui, & Dominum reſpondere? niſi per Moſen legem dari, per Chriſtum au-
tem, qui legi reſpondeat, & eam ſolum impleat, gratiam & veritatem fieri, vt *Nemo poteſt Moſi*
Ioh. 1. Iohan. 1. dicit, Lex per Moſen data eſt, Gratia autem & veritas per Ieſum Chri- *reſpondere, præter*
ſtum facta eſt. Intonat ergo de cœlo Dominus, id eſt, de choro Apoſtolico *Chriſtum.*
Pſal. 29. prædicat verbum gratiæ, & idem dat vocem ſuam, per repetitionem dictum,
Pſal. 68. Vox enim Domini, vox virtutis eſt, vt Pſal. 29. videbimus, & Pſal. 68. Ecce
dabit voci ſuæ, vocem virtutis.

Pſal. 147. Qua figura & Pſal. 147. pulchre ludit, Qui dat niuem ſicut lanam, nebu-
lam ſicut cinerem ſpargit. Mittit criſtallum ſuam (id eſt, grandinem) ſicut bu-
cellas, ante faciem frigoris eius qui ſuſtinebit? Emittet verbum ſuum, & lique-
faciet ea, flabit ſpiritus eius, & fluent aquæ. Quibus omnibus ſignificatur, mi-
niſterium prædicationis, quod aſperum eſt priore legis, dulce autem poſterio- *Grando & carbo-*
re verbi officio. Hoc ſenſu, oportet grandinem & carbones ignis alia ſignifi- *nes ignis.*
catione accipere, quam præcedente verſu accepimus, Nam illic aſpera & vren-
tia legis verba diximus, hic iucunda & refrigerantia ſignificari dici oportebit.
Quod etſi aliquo ſtudio poſſimus vtcunq; aſſerere, vt verbum gratiæ aſperum
ſit vrens carni & ſanguini (Neſcit enim homo precium eius, ſicut Iudæis Io-
Ioh. 6. han. 6. Sermo Chriſti, qui erat ſermo vitæ, durus erat & ſermo mortis. Et Pau-
2 Cor. 2. lus fatetur ſeſe eſſe bonum Chriſti odorem, alijs tamen in vitam, alijs in mor-
tem) apparet tamen eſſe violentum & coactum.

Erit ergo tunc verborum ordo, Dominus dedit vocem ſuam, quæ eſt *Dominus dedit vo-*
Ebr. 4. grando & carbones ignis, id eſt, aſpera & vrens, Deus enim noſter ignis con- *cem ſuam.*
Iere. 23. ſumens eſt, imo vt Iere. 23. dicit. Nonne verba mea ſunt quaſi ignis dicit Do-
minus, & quaſi malleus conterens petram? Quare & alteram ſententiam ſub
iudicium cuiuſq; tractemus, vbi etſi ſatis in præcedentibus dixerat, terram
commotam, fundamenta concuſſa, iraſcente Domino, & ipſum volaſſe ſuper
Cherubim, & alia, quibus virtus verbi legis declarata eſt, & præſentia Domini
in miniſtris verbi, Tamen hoc ipſum etiam his verſibus tractat, idem inculca-
turus & explicaturus, dicens, Nubes ipſas præ fulgore eius fuiſſe efficaces, &
Dominum in eis de cœlo tonaſſe, dediſſe ſuas voces grandineas & igneas, Ne
id operis, quod lex minando, terrendo, turbando, iurgando, increpando, ar- *Legis opus.*
guendo, vrendo, & conſumendo (hæc enim omnia vidimus in his verſibus da-
ri miniſterio legis) operatur, ipſis nubibus, Apoſtolis & prædicatoribus tribua-
tur, ſed ſoli Domino, qui dat nubes, grandinem, ignitos carbones tranſire, Ipſe
enim dat hanc vocem ſuam de cœlo. Sic enim & in Hiſtoria legimus, fuiſſe
ſonitum tempeſtatis, ante vocem buccinæ, vt clarior & clatior legis intelli-
gentia detur, aſſiduitate docendi.

Patet ergo & Translatores non intellexiſſe hos verſus, dum per Solœcum
verterunt, Dedit vocem ſuam, grando & carbones ignis, Vbi vertendum erat,
vocem ſuam, grandinem & carbones ignis in accuſatiuo, à verbo dedit, pen-
dente, Vbi, ſiue vocem diſtinguas à carbonibus & grandine, ſiue coniungas,
nihil refert, Modo per vtrunq; intelligas vocem prædicationis, quæ vt varia eſt *Vox prædicationis*
& varijs affectibus ſerulens, ita numeroſis illis cœli impreſſionibus figuratur, *varia &c.*
vt ſunt ſtellæ, pluuiæ, grando, nebula, nix, fulmen, fulgura, & omnibus quæ è
cœlo labi poſſunt, ſiue viuificantia, ſiue mortificantia, quorum priora verbo
vitæ, poſteriora verbo legis accomodanda ſunt, Cœli enim ſunt Apoſtoli, vt *Cœli.*
ſequente Pſalmo videbimus.

2. Reg. 22. 2. Reg. 22. Nonnihil variant hi verſus, ſic enim leguntur, Poſuit tene-
bras in circuitu ſuo latibulum ſuum (vbi omittitur latibulum ſuum, & pro ta-
bernaculum ſuum, latibulum ſuum ponitur) cribrans aquas de nubibus cœ-
lorum

Digitized by Google

lorum (pro denſitas aquarum in nubibus nubium, denſæ enim nubes cribrare videntur aquas) Præ fulgore in conſpectu eius, tranſierunt carbones ignis (pro quo noſter textus, ibidem habet, præ fulgore in conſpectu eius nubes, ſuccenſi ſunt carbones ignis, nubes enim ſuperfluunt, & ſuccenſi ſunt, idem verbum eſt, quod tranſierunt, vtrunq; ſignificans) Et intonuit de cœlo Dominus, & Altiſſimus dedit vocem ſuam (vbi non repetitur, grando & carbones ignis) Quam diuerſitatem, ocioſis & ſtudioſis relinquo.

Et miſit ſagittas ſuas, & diſſipauit eos.
Fulgura multiplicauit, & conturbauit eos.

EVidens eſt allegorice Prophetam loqui de ſagittis, cum nihil in Hiſtoria de eiſdem legatur, quare ſagittas appellat ipſa fulmina, de quibus dicit, Exod. 19. Et cœperunt micare fulgura, ſic & Pſal. 77. vocat, Etenim ſagittæ tuæ tranſeunt, vox tonitrui in rota. Hinc verba, quibus configitur conſcientia, ſagittæ vocantur, Pſal. 38. Quoniam ſagittæ tuæ infixæ ſunt mihi. Et Hiob 6. Sagittæ Domini in me, quarum indignatio ebibit ſpiritum meum, & errores Domini militant contra me. Multa de ſagittis eiuſmodi paſſim legimus, vt & Pſal. 7. Sagittas ſuas ardentibus effecit.

Exod. 19. *Pſal. 77.* *Pſal. 38.* *Hiob. 6.* *Sagittæ Domini.* *Pſal. 7.*

Sunt ergo iſta fulgura, fulmina, ſagittæ, eadem verba legis, terrentia, turbantia & configentia cor peccatoris, Perſeuerat enim Propheta adhuc, in explicando & inculcando officio legis. Vnde & hic verſus argumento eſt, verſus præcedentes, poſteriore ſententia intelligendos eſſe de miniſterio verbi legalis, magis quam de verbo gratiæ, vt ſtet ratio conſequentiæ, Diximus enim, verbum legis eſſe varium & multiplex in opere ſuo, quod in corde peccatoris operatur, terrendo, minando, arguendo, vrendo &c. Ideo & varijs in Sina monte ſymbolis tempeſtatis & hoc alijsq; locis, varijs verbis tempeſtatis, explicatur, quæ omnia magis ac felicius experientia intelliguntur, quam verbis edifferuntur, Quandoquidem & Propheta quaſi ſuis verbis ea nequierit conſequi, ad Hiſtoriam ſeſe recepit, & allegoricis verbis voluit indicare magis quam explicare.

Verbum legis varium in opere ſuo.

Quare & nos, ſi alia non poſſumus complecti, hoc ſimus contenti, vniuerſa illa tempeſtate montis Sinai & omnium verborum, quibus illa refertur, nobis tradi totum illum tumultum, quem ſuſcitat verbum Dei in corde peccatorum, quo ad odium ſui & mundi mutantur, ſalubriterq; occiduntur. Hæc enim ſunt bella Domini virtutum, qui de cœlo dimicat contra eos, ſicut Iud. 5. dicit Dibora. Vt ſtet ſumma, ſcopus & intelligentia huius Pſalmi in hoc, quod Chriſtus paſſus, reſuſcitatus, per Spiritum ſanctum prædicatus, creditus & cultus, humiliat ſuperbiam mundi. Hic eſt enim ſummarius & breuis intellectus huius totius Pſalmi, vt facile quiuis intelligit, qui obſeruat.

Summa breuis huius 18. Pſalm. *Iud. 5.*

Dicit autem, Diſſipauit eos, hoc eſt, dirupit atq; diuiſit, Non enim venit pacem mittere ſed gladium, quo non modo à domeſticis ſuis, ſed etiam à ſeipſo diuideretur homo odio animæ ſuæ in hoc mundo. Et fulgura non tantum miſit, ſed multiplicauit, vt multitudine prædicantium mundum tumultu crucis inuolueret, ſic & Pſal. 68 Dominus dabit verbum Euangeliſantibus virtute (exercitu) multa, Mittam, inquit, piſcatores multos & piſcabuntur eos. Salutaris ergo diſſipatio & conturbatio iſta, qua ad veram vnitatem & pacem ducuntur. 2. Reg 22. ſic dicit, Et miſit ſagittas ſuas & diſſipauit eos, fulgura & conſumpſit eos. Aliqui per fulgura intelligunt miracula, quibus Dominus ſermonem Apoſtolorum confirmauit, quos permitto in ſuo ſenſu abundare, neq; enim inepte dicitur.

Fulgura multiplicauit. *Pſal. 68.* *Iere. 1.* *Fulgura.* *2. Reg. 22.*

Et appa.

Et apparuerunt fontes aquarum, & reuelata ſunt fundamenta orbis terrarum.
Ab increpatione tua Domine, Ab inſpiratione ſpiritus iræ tuæ.

HOc ad Hiſtoriam nullo modo pertinere poteſt, in qua nihil de fontibus aquarum, & fundamentis terrarum dicitur, niſi illud Exod. 15. alleget, Venerunt in Helim filij Iſrael, vbi erant duodecim fontes & ſeptuaginta palmæ, Quibus figurati ſunt duodecim Apoſtoli & ſeptuaginta diſcipuli Chriſti, communi omnium iudicio, Vt ſic Propheta totius exitus Hiſtoriam carptim tractet, & pro libertate ſpiritus ſui, myſteria noui teſtamenti cantet. Reuera enim per miniſterium verbi, cognouit mundus, Apoſtolos eſſe fontes aquarum, Principes orbis terrarum, ſicut promiſſum erat Abraham & ſemini eius. Sic & Pſal. 45. Pro Patribus tuis nati ſunt tibi Filij, conſtitues eos Principes ſuper omnem terram. Idem Pſal. 68. dicitur, In Eccleſijs benedicite Domino, de fontibus Iſrael.

12. fontes. 70. Palmæ.

Pſal. 45. Pſal. 68.

Siue ergo viuos Apoſtolos & Prophetas, ſiue eorum Libros intelligamus, idem erit. Sicut enim Apoſtolos & Prophetas nemo tales ac tantos iudicaſſet, niſi eos Dominus per verbi miniſterium & miraculorum virtutes reuelaſſet & magnificaſſet, Ita nec Libros & intellectus eorum, niſi reuelante ſpiritu Chriſti, vllus tales ac tantos arbitraretur, qui fontes & fundamenta eſſent terrarum, At intellectus & ſenſus Apoſtolicus, optimum, quod in Apoſtolis fuit, eſſe recte creditur, Vt nihil ſint reliquiæ veſtium, oſſium, locorum, quæ ſimplicis vulgi fidem parum alunt, ad reliquias Librorum ſeu potius ſenſus, qui nullis Libris relinqui poteſt, ſed ſolius Spiritus beneficio ſeruari in cordibus fidelium ſuorum. Hæc ſunt fundamenta, de quibus Paulus Ephe. 2. dicit. Iam non eſtis hoſpites & aduenæ, ſed eſtis ciues Sanctorum & domeſtici Dei, ſuperædificati ſupra fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum.

Veræ reliquiæ Apoſtolorum quæ ſint.

Quare & hic verſus, pars argumenti eſt, Prophetam hoc Pſalmo loqui in ſpiritu, & de hiſtoria ſumptam allegoriam literaliter tractare, in Chriſto.

Hoc totum autem factum dicit, non arbitrio humano aut prouidentia noſtra, Quis enim verbo ſuo tantam virtutem vnquam tribuit, vt hæc fierent, quæ miniſtrato Euangelio per mundum facta ſunt, incredibilia magnalia Dei, hoc Pſalmo prædicta & nunc impleta? Facta ergo ſunt hæc ab increpatione tua Domine, quia increpaſti gentes, & perijt impius, ſalubriter increpati, in melius ſunt mutati, ſic Ioh. 16. Ille arguet mundum de peccato. Et Rom. 11. Concluſit enim Deus omnia ſub incredulitate, vt omnium miſereatur, Et 3. vt obſtruatur omne os, & ſubditus fiat mundus Deo, quia ex operibus legis non iuſtificatur omnis caro coram illo.

Increpatio ſalutaris.

Pſal. 9. Ioh. 16. Rom. 11.

Altera pars verſus, Ab inſpiratione ſpiritus iræ tuæ, ſic enim in Ebræo diſtinguitur, Spiritum iræ Dei componit cum inſpiratione, qua viuificatur homo vel animal viuum, vt Gen. 2. Spirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ. Nonne ſpiritus iræ potius occidit, quam inſpiret vitam? Ita ſane, Spiritus eſt qui arguit mundum de peccato, & reuelat iram Dei ſuper omnem hominem, vt Rom. 1. dicitur, Sed hoc ipſo illis, qui hac ira humiliantur, inſpirat vitam gratiæ, Sic Iſa. 11. Percutiet terram virga oris ſui, & ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impium.

Spiritus Dei inſpirat vitam gratiæ.

Gen. 2. Ioh. 16. Rom. 1. Iſa. 11.

Habemus ergo miniſterium prædicationis Eccleſiaſticæ hic deſcriptũ & fructum reſurrectionis Chriſti crucifixi, quæ omnia per Spiritum ſanctificationis facta eſſe dicit, quemadmodũ & Paulus Rom. 1. loquitur in Epigrapha ſua,

Rom. 1.

ſua, qua breuiſſime & pulcherrime omnia comprehendit, quæ de miniſterio verbi & fructu reſurrectionis Chriſti, hoc Pſalmo dicta ſunt, vt facile eſt videre diligenter vtraque conferenti & obſeruanti.

Miſit de ſummo & accepit me, Et aſſumpſit me de aquis multis.

CVm in ſuperioribus Chriſtus confeſſus ſit, ſeſe paſſum, clamaſſe & exauditum, deinde miracula per reſurrectionem ſuam per orbem verbi miniſterio, facta, cecinerit, merito quæritur. Cur denuo glorietur ſe aſſumptum de multis aquis? Nec enim poſtquam ſuſcitatus & prædicatus eſt, de aquis aſſumptus eſt. Ego non arbitror reuerti eum ad id quod cœperat de ſua liberatione, quaſi de mirabilibus verbi prædicta interſeruerit, Sed pro ſimplici ratione conſequentiæ, opinor eum nunc loqui in perſona Eccleſiæ ſuæ. Poſtquam enim prædicatum eſt verbum Crucis, turbati peccatores & ad fidem conuerſi fuerunt, mox cœpta eſt perſecutio, prima omnium apud Iudæos, donec ad gentes ire cogerentur Apoſtoli, propter incredulitatem & furorem eorum.

Prædicationem verbi, mox ſequitur crux.

Quare eam ipſam Hiſtoriam hic canit, quam de Apoſtolis & fidelibus in actis Lucas ſcribit, Ad quod pulchre colludent ſequentia, vbi populum humilem opponit, ſuperbo populo Iudæorum, & gentium obedientiam contra illius inobedientiam iactat, & confiteri ſe dicit in gentibus, quod vtique non in perſona propria poteſt intelligi dictum. Facit & hoc aliquid ad rem, quod ab hoc verſu, in finem Pſalmi ferme omnia verba ſunt futuri temporis, cum hactenus fuerint præteriti, Vt Chriſtum de Eccleſia & in Eccleſia loquentem intelligamus. Nam & Actor. 9. Chriſtus de cœlo ad Paulum dixit: Saule, Saule, quid me perſequeris? cum tamen ſolum Eccleſiam Chriſti perſequeretur. *Actor. 9.*

Chriſtus de & in Eccleſia loquitur. Saule, quid me perſequeris?

Sic & 4. Reg. 19. in regem Sennacherib dicit Dominus, habitaculum tuum & egreſſum tuum, & introitum tuum & viam tuam ego præſciui & furorem tuum contra me, Inſaniſti in me, & ſuperbia tua aſcendit in aures meas, cum tamen populum Iſrael perſequeretur. Hinc Pſal. 83. audet dicere, Quoniam inimici tui Domine ſonuerunt, & qui oderunt te extulerunt caput. Et tamen ſequitur, Super populum tuum, malignauerunt conſilium. Hoc enim promiſit Exod. 23. Inimicus ero inimicis tuis. Et Zachar. 2. Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei. Et Geneſ. 12. Maledicam maledicentibus tibi. *4 Reg. 19. Exod. 23. Zach. 2. Gen. 12.*

Inimici Eccleſiæ, Dei ſunt inimici.

Eccleſia gloriatur ſe aſſumptam, &c.

Dicit itaque Chriſtus in perſona Eccleſiæ ſuæ, ex Iudæis collectæ, *Mittet de ſummo & accipiet me, & aſſumet me de aquis multis.* Hoc fecit, quando Spiritum ſanctum de cœlo miſit, & congregauit ſibi de Iudæis furibundis, quotquot præordinauerat. Aquæ enim multæ, hoc loco, populi Iudæorum ſunt, vt Apocal. 17. Aquæ, quas vidiſti, populi ſunt & gentes, quæ & multis alijs locis ſcripturarum, allegorice populos ſignificant. Neque enim hæc verba accipiendi, ereptionem à malis ſignificant, id quod ſequens verſus dabit, ſed electionem & ſeparationem ab alijs, vt de Enoch. Gene. 5. Quia tulit eum Dominus. Et 20. propter mulierem quam tuliſti. Videturque Propheta alludere ad illud Exod. 2. Vocauitque nomen eius Moſe, dicens, quia de aqua tuli eum. Idem enim verbum, Maſa, hoc loco, quod illo, ponitur. Et Moſes figura fuit eorum, qui de aquis ſumuntur, id eſt, de cæteris eliguntur, Vnde Moſes, interpretatur non à Moys, quod eſt aqua, vt ſomniant quidem, ſed ab aſſumendo, aſſumptus ſeu extractus, quia de aqua ſumptus eſt. *Apoc. 17.*

Moſes, id eſt, extractus.

Eripuit

Eripuit me de inimicis meis fortiſſimis,
Et ab ijs qui oderunt me, quoniam confortati ſunt ſuper me.

ERipiet (vt dixi) Ebræus, vt Eccleſiæ vocem agnoſcas per Chriſtum, prædictæ, Sunt autem verba fiduciæ & ſpei in Deum, quia inimicos fortiores & oſores robuſtiores ſe fore profitetur, vt deſperandum eſſe nobis ſciamus, de humano quocunque præſidio, qui Chriſtiani eſſe volumus. Non enim brachio ſeculari & fulminibus vaniſſimis Idolorum iſtorum defenditur Eccleſia vera & germana, ſed ficticia iſta, & quæ nomen Eccleſiæ oſtendit, virtutem autem eius negat. Legimus autem in actis Apoſtolorum, quam ferox & potens fuerit populus Iudæus cum ſuis principibus in Apoſtolos & diſcipulos Domini, Verum liberati, glorificabant Deum, & vel in vno Paulo conuerſo hunc verſum impleuerunt.

Eccleſia vera non defenditur brachio ſeculari.

Præuenerunt me in die afflictionis meæ,
Et factus eſt Dominus protector meus.

EXplicat modum ereptionis, qui fuit, quod in medio perſecutionis non deſeruit Eccleſiam, ſed affuit protegens eam, ne fortiores hoſtes, eam extinguerent, Nec hoc ſolum, ſed eduxit quoque eam in latitudinem, vt ſequens verſus docet. Hoc eſt, quod dicit, in die afflictionis, id eſt, nec in ipſo tempore perſecutionis, quando videbar penitus derelicta, & illi ſuperiores, me dereliquit, ſed protexit me. In quo iterum fides commendatur nobis eſſe rerum non apparentium, ſed oportere nos credere tunc eſſe, 2 Cor. 12. præſente Domino fortiſſimos, quando ſumus omnibus inferiores, ſicut Paulus dicit, Cum infirmior, tunc fortior ſum. Ioel. 2. Et Ioel 2. Infirmus dicat, quoniam fortis ſum. Non enim hoc prudentia carnis capit.

Deus Eccleſiam non deſerit in medio perſecutionis. *Fides.*

Et eduxit me in latitudinem,
Saluum me fecit, quoniam voluit me.

DE anguſtia afflictionis educet in latitudinem conſolationis. 2. Cor. 1. Sic Paulus 2. Corinth. 1. Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra &c. Latitudo enim & anguſtia allegorice, conſolationem & tribulationem ſignificant, Pſal. 4. In tribulatione dilataſti mihi. Triſtitia ſiquidem contrahit, gaudium Prou. 15. 17. dilatat cor, & frontem, Prouerb. 15. Cor gaudens exhilarat faciem, in mœrore animi deijcitur ſpiritus. Et 17. Animus gaudens ætatem floridam facit, ſpiritus triſtis exiccat oſſa. Et ſecura mens quaſi iuge conuiuium.

Latitudo. Anguſtia.

Saluum me fecit, Melius Hiero. Liberabit me, Item, Quoniam voluit me, Hiero. quia placui ei. Eſt autem ſenſus, Voluntas & beneplacitum ſuum in me fuit, ſicut de Chriſto dicitur Matt. 3. Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Et Luc. 2. Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis, id eſt, beneplaciti. Eſt autem puriſſima confeſſio, fidentiſſimaq́; gratitudo in eo verbo, fecit mihi hæc Dominus, non quia digna, aut vllis operibus merita fui, ſed gratuita ſua miſericordia, Quia ſic placitum fuit ante eum, vt humilia reſpiceret & liberaret, vt non glorietur coram eo omnis caro, Sed qui gloriatur, in Domino glorietur, quia non currentibus nobis, ſed complacente & miſerente illo, ſalui erimus.

Saluum me fecit. Matth. 3. Luc. 2.

Et retribuet mihi Dominus ſecundum iuſticiam meam,
Et ſecundum puritatem manuum mearum retribuet mihi.

OPortuit & hoc verbum, Retribuet in præterito, ſimiliter cæteris, aut cætera quoque in futuro, reddi, ne intelligentia & ordo confundetur. Hic enim ſeſe Eccleſia comparat impiæ Synagogæ, cuius comparatione digna fuit liberari & educi in latitudinem, etſi in conſpectu Dei non haberet, in quo gloriaretur, niſi gratuitum beneplacitum Dei, Quo affectu vidimus & Pſal. 7. & 17. peti iudicium à Deo ſuper iuſticia, Etſi enim nos non niſi accuſatione noſtri, coram Deo iuſtificamur, tamen impij multis modis nobis iniuriam faciunt, præſertim in verbo Dei. Hoc eſt, quod hic allegat iuſticiam ſuam, propter quam ſibi retributam gloriatur, liberationem ab inimicis. Aliud eſt enim iudicium inter Deum & nos, aliud inter hos & impios aduerſarios, De qua re inter Hiob & amicos ſuos grandis diſputatio eſt, volentibus illis, hominem poſſe eo peruenire, vt & iuſtus coram Deo ſit, ſi coram hominibus nullo ſit peccato pollutus, Ille contra, iuſticiam coram hominibus arrogat, ſed coram Deo peccatorem ſeſe confitetur, cui omnes peccant & egent gloria Dei. *Pſal. 7. 17.*

Eccleſia allegat iuſticiam ſuam.

Diſputatio inter Hiob & amicos.

Retribuit, non pro merito præmium, ſed pro paſſione gaudium.

Diximus Pſal. 13. Retributionem in ſcripturis magis ſonare, mutationem paſſionis quam dignitatem meriti: Nihil enim ſunt merita noſtra apud Deum, ſed ipſe gratuita miſericordia, dum reddit, mutat noſtram triſtitiam in gaudium, anguſtiam in latitudinem, ſicut dicit Iſa. 61. Vt darem eis coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis, pro ſpiritu mœroris. Caueamus ergo, iuſticiam meam & puritatem ſeu innocentiam manuum mearum, ab Eccleſia iactatas intelligere, coram Deo, ſed impij, in Eccleſiam peccata ſua confitentem, iniqui ſunt, quia iuſticia meretur recipere contraria, quam ab impijs patitur, & impij contraria, quam ſperant. *Pſal. 13.* *Iſai. 61.*

Sic Deut. 9. prohibet dicens Ne dicas in corde tuo, cum deleuerit Dominus Deus tuus eos in conſpectu tuo, propter iuſticiam meam introduxit me Dominus, vt terram hanc poſſiderem, cum propter impietates ſuas iſtæ deletæ ſint Nationes, Neque enim propter iuſticias tuas & æquitatem cordis tui, ingredieris, vt poſſideas terras eorum, Sed quia illæ impie egerunt, introeunte te, deletæ ſunt, vt compleret verbum ſuum Dominus, quod ſub iuramento pollicitus eſt Patribus tuis Abraham, Iſaac & Iacob, Scito ergo, quod non propter iuſticias tuas Dominus Deus tuus dederit tibi terram hanc optimam in poſſeſſionem. Gloriari ergo aduerſus impios, de iuſta cauſa poſſumus & debemus, ſed coram Deo ſubdi & tacere, eique ſoli gloriam tribuere oportet. *Deut. 9.*

Quomodo gloriandum.

Arbitror autem, Iuſticiam meam, pertinere ad patientiam, Puritatem manuum ad innocentiam, hoc eſt, quod inique eſt læſa, mala ferens propter iuſtam cauſam, & nulli malum reddens aut faciens, propter iniuriam, hoc ipſo ſcilicet merita educi in latitudinem, quia placitum eſt Domino, pro ſua gratuita miſericordia, in talibus hominibus.

Quia cuſtodiui vias Domini.
Nec impie geſſi à Deo meo.

PErſtat in comparatione ſui ad Synagogam, vt probabunt ſequentia. Iuſti enim etſi in carne ſua peccatum habent, & corpus eorũ propter peccatum ſit mortuũ, Spiritus tamen viuit propter iuſtificationẽ, vt Apoſtolus Ro. 8. dicit, Contra, impij in carne ſua iuſticiã ſuam oſtentãt, in ſpiritu *Rom. 8.*

Iuſti.

Impij.

ritu tamen eorum eſt dolus,propter impietatem. Ita iuſti foris agunt vt peccatores,intus vero ſunt iuſti. Impij autem foris ſunt iuſti,intus peccatores. At nulla comparatio peccati ſpiritus(quæ eſt impietas) ad peccatum carnis(quæ eſt rebellis concupiſcentia) Ita nulla eſt comparatio iuſticiæ carnis (quæ eſt operatio legis)ad iuſticiam ſpiritus (quæ eſt fides in Chriſto.)

Hoc eſt,quod dicit,Sese cuſtodire vias Domini. Quo autem modo cuſtodiuntur?in ſpiritu,non in carne,fide,non operibus,gratia,non libero arbitrio. Ideo adiungit, Nec impie geſſi à Deo meo, id eſt, hæc eſt cuſtodia viarum Domini,non eſſe impium in Deum. Impietas autem(vt ſæpe dixi)incredulitas eſt,quæ per ſua opera nititur iuſtificari,quæ vbi fuerit, nulla eſt cuſtodia viarum Domini. Ebræus ſimplici dictione, Raſathi dicit, id eſt, ſi liceret dicere,Impiaui,impius fui à Deo meo. Impietas autem eſt diſceſſio & declinatio à Deo,Sicut Pſal.14.vidimus. Et Iere.17. Maledictus vir, qui confidit in hominem,& recedit cor eius à Deo,Ideo ebraico idiotiſmo dicit, Nec impius fui à Deo meo,non receſſi à Deo meo per impietatem. *Via Domini, quomodo cuſtodiantur.* *Impietas.* *Pſal.14. Iere.17.*

Cum ergo tam magnum ſit peccatum impietatis collatum reliquijs concupiſcentiæ in carne piorum,recte gloriatur Eccleſia,ſe non transgreſſam vias Domini,nec impiam fuiſſe in eum,ſicut ſunt aduerſarij eius, qui tamen propter iuſticiam & zelum Dei in eam ferociunt.

Quoniam omnia iudicia eius in conſpectu meo,
Et iuſticias eius non repuli à me.

Svgillat impios, de quibus Pſal, 10. Auferuntur iudicia tua, à facie eius,Talis fuit & æmula eius Synagoga,quæ omnium maxime vioeri voluit,iudicia Dei ſe ante oculos habere,non repellere iuſticias eius à ſe, quin Eccleſiam huius criminis ream faciebat ſemper, Quæ concertatio manet, donec caro & ſanguis manet,cuius prudentia, dum iuſticiam ſpiritus non capit,& ſuam argui non patitur, Contra, prudentia ſpiritus iuſticiam carnis laudari non patitur, & iuſticiam fidei prædicat, fit, vt perpetuo bello conterantur hi duo paruuli Eſaū & Iacob in vtero Rebecæ. *Pſal.10.* *Prudentia carnis. Prudentia ſpiritus.* *25.*

Beatus ergo vir, qui meditatur in lege Domini, die ac nocte,hic enim ante conſpectum ſuum habet omnia iudicia Dei, nec repellit à ſe iuſticias eius(in Ebræo,iuſtificationes eius)hic eſt,qui cuſtodit vias Domini,quæ in iudicijs & iuſticijs eius præcipiuntur. Haberi autem in conſpectu iudicia Dei, indicat ea diligi: Vbi enim eſt theſaurus tuus,ibi & cor tuum erit. Matth. 6. Opus autem habemus aſſidue legem Dei ante oculos noſtros verſare, quia multis turbamur & diſtrahimur rebus & caſibus, Hoc tamen ſua ſponte faciet,voluntas in lege Domini,quæ niſi aſſit, cito proijciemus retrorſum ſermones Domini ad quod mox ſequitur,neglectus viarum Domini,& impietas in Deum &c. *ſal.1.* *tth. 6.*

Iudicia & iuſtificationes,hoc loco,ſic differre credo,vt iudicia ad prohibitiones pertineant, quibus iudicatur vetus homo, & iuſtificationes ad præcepta,quibus iuſtificatur ſpiritus, nouus homo. *Iudicia. Iuſtificationes.*

Et ero immaculatus cum eo.
Et obſeruabo me ab iniquitate mea.

HIc plane confitetur reliquum veteris hominis,contra quod ſe pugnaturum promittit,ſicut Apoſtolus Gal.5.& Ro.8.& alijs locis docet mortificare carnē & membra,quę ſunt ſuper terram.Itaq; cuſtoditis omnibus *al. 5. m. 8. oſſ. 3.*

Crucifigenda ſemper caro.

vijs Domini & euitata impietate, ſemper manet negotium crucifigendæ concupiſcentiæ in nobis, quo emaculemur & renouemur de die in diem coram Deo, & obſeruemus noſipſos ab iniquitate noſtra, ne nos ſuperet, Peccatum enim non nobis dominabitur, quia ſumus ſub gratia, nec concupiſcentijs carnis obediemus, vt regnet peccatum in mortali noſtro corpore, licet non ceſſet ſolicitare, vt regnet & dominetur.

Hypocritæ videntur ſibi mundi.

Hanc renouationem aſſiduam & obſeruantiam peccati, impij contemnunt, mundi enim ſibi videntur, quia iudicia & iuſticias Dei non habent in conſpectu ſuo, nec intelligunt quam grandem & abſolutam munditiam exigant. Emphaſin etiam ob eandem cauſam addit, cum eo, id eſt, coram eo, Nam impij, qui has maculas contemnunt, immundi fiunt, de die in diem coram Domino, hoc ipſo quod mundiſſimi coram ſeipſis & hominibus ſunt.

On.

Dictionem, On, quam hoc loco iniquitatem reddidit, nondum habuimus, neſcio qua ratione diſcernam ab alijs nominibus iniquitatem ſignificantibus. Libenter ego, opera carnis eo ſignificari admitterem, vt ad originale peccatum referatur, vt ſit, On, malum quod effrenis concupiſcentia perpetrat, hoc eſt, quando peccatum regnat & dominatur in opus proruens. Cætera enim vocabula, magis legem prohibentem, quam originem mali furentem reſpicere videntur, ſic Pſal. 51. Ecce in iniquitatibus conceptus ſum &c. *Pſal. 51.*
Quæ ſi vera eſſent, valde noſtro propoſito commoda forent, vbi Eccleſia ſe cuſtodire proponit, ne peccatum reliquum in carne prodeat in opus.

Et retribuet mihi Dominus ſecundum iuſticiam meam,
Et ſecundum puritatem manuum mearum, in conſpectu
oculorum eius.

Hypocritæ Eccleſiæ perpetuo imputant immunditiam & damnationem.

REpetit idem, quod dixit ſupra, vt clarius dicat, & plura addat. Hoc totum, id aduerſarios impios, qui & hæc non credunt, & longe alia de ſe opinantur. Perpetuo enim ſugillat ex obliquo impiam Synagogam, quæ eſt generatio illa, quæ ſibi munda videtur, & tamen non eſt lota à ſordibus ſuis. Prou. 30. Ideo pijs ſeu Eccleſiæ perpetuo imputat immunditiam & damnationem, tanquam quæ maxime pugnet contra Deum, nedum immaculata ſit coram eo & cuſtodita ab iniquitate ſua. *Prou. 30.*

Iudicium Dei & [illegible]

Contra quam (vt dixi) ſuam cauſam iuſtificat, & longe alia de ſe pronunciari, iudicante Deo, prædicit, quam ab impijs pronunciantur, Etſi enim non eſt iuſta nec pura manibus coram impijs eſt tamen in conſpectu oculorum Dei, id eſt, Dei & omnium, qui oculos Dei habent, hoc eſt, qui ſpirituales ſunt. Impij enim omnia peruerſe iudicant, Deus recte iudicat, ideo fit, quod hic ſequitur, quod mundis omnia munda, immundis nihil mundum, Impio etiam ſanctus eſt pollutus, & innocens eſt nocens, electus eſt reprobus, & diuinus eſt dæmoniacus, prorſus cum peruerſo omnia peruerſa, quod accidit, quia iudicat ſecundum conſpectum oculorum ſuorum, non ſecundum conſpectum oculorum Dei. Vnde ſequitur.

Cum ſancto ſanctus eris, & cum viro innocente innocens eris.
Et cum electo electus eris, & cum peruerſo peruerteris.

Vt quiſque eſt, ita iudicat.

REddit hic cauſã, qua fit, vt impij piorũ omnia damnent, Cauſa eſt, quod immundi & peruerſi ſunt ipſi, & talia quiſq; iudicat, qualis eſt ipſe.

Digitized by Google

ipſe,vt ex Apoſtolo ad Titum retuli, Immundis nihil eſt mundum, quia in-
Tit. 1. quinata eſt eorum mens & conſcientia. Dixit ergo, Puritatem manuum ſe habere,& iuſticiam,ſed non in conſpectu impiorum, in quo potius iniquitas & immundicia abominabilis & intolerabilis eſt,quidquid eſt & facit plus,pro quo tamen contemptu reponet el Deus gloriam & honorem, Interea fide & ſpe ſeipſum ſolatur,dicens.

Sine,vt qui ſordidus eſt,ſordeſcat adhuc. Permittenda ſunt hominibus peruerſis peruerſa ſua ſtudia,Nos in hoc gloriamur, quod in conſpectu illorum reprobi,in tuo ſancti ſumus,Quia cum ſanctis ſanctus es tu, Hoc eſt, vt nouam & admirabilem afferamus gloſam,cum peccatore ſanctus eris. Nam ſanctus ille,cum quo Deus ſanctus eſt,nullus eſt,niſi qui ſibi negat, Deo ſoli tribuit,ſanctitatem,retento,per veracem confeſſionem, ſibi ſoli peccato, Sicut illi Dan.3.Deo noſtro iuſticia,Nobis autem confuſio, ſicut eſt dies hæc, Atque hæc ipſa veritatis confeſſio,qua in Deum referunt ſanctitatem, facit, vt eadem refluente in eos,ſanctificentur & ipſi,Veritas enim vere ſanctificat, veritas autem eſt,nos eſſe immundos omnes,& ſolum Deum ſanctum.

Cum ſanctis ſanctus eris.

Dan. 3.

Confeſſio veritatis Sancti.

Proinde,qui ſic ſunt ſancti,hoc eſt, vere humiles & in oculis ſuis viles, ij quidquid Deus dicit & facit,pro re ſacra & optima habent, Et dicunt illud Pſal.119. Iuſtus es Domine,& rectum iudicium tuum,Et iterum 145. Fidelis Dominus in omnibus vijs ſuis,& ſanctus in omnibus operibus ſuis, Mortificata enim voluntate non delectantur,niſi in voluntate Dei,qua quidquid eis acciderit,laudant & benedicunt & venerantur.

Impius.

Pſal. 119.

Contra peruerſus & impius,cuius voluntas viuit in omnibus, nihil non damnat quod Deus dicit & facit,Vult enim omnia ſecundum ſuum ſenſum cadere,quem ipſe Sanctum ſanctorum arbitratur,quod cum fieri non poſſit, id quod reuera ſanctum Dei eſt, peruertit atque velut prophaniſſimum & execratiſſimum damnat. Exemplum eſt,pius homo,in quo Deus eſt,loquitur & operatur,quem impius ferre non poteſt, Ita neceſſario cum peruerſo Deus peruertitur,& pro ſancto execratus haberet,At qualis habetur Deus, talis & in habente operatur,ideo omnia peruerſi peruerſa ſunt, etiam quæ ex Deo habet.

Pſal. 18.

Peruerſi omnia peruerſa.

Vides ergo,Deum,non quo ad ſuam ſubſtantiam & naturam ſuam,ſanctum,electum,innocentem, peruerſum fieri, ſed ſecundum verbum & opus ſuum quod operatur in bonis & malis ſpiritibus, & vtroſque recipere in ſeipſos,quod in Deum referunt,Nam vt pius eo ipſo quo ſe polluit, & Deum ſanctificat,optime in omnibus, quæ viuit & operatur, ſanctificatur,Ita impius eo ipſo,quo ſe ſanctificat,& Deum polluit, peſſime polluitur in omnibus,quæ viuit & operatur. Qui enim ſeipſum ſanctificat, non poteſt Deum non polluere in omnibus ſuis verbis & factis. Qui autem Deum ſanctificat in omnibus verbis & factis ſuis, non poteſt ſeipſum non polluere,Eſt ne igitur mirabilis iſta pollutio & ſanctificatio, vt alius ſanctitate polluatur,alius peccato ſanctificetur? Eſt ne impius omnium infeliciſſimus,qui ipſa ſanctitate polluitur? Eſt ne pius omnium feliciſſimus, qui ipſo peccato ſanctificatur? Qua cauſa? infra dicet,Quoniam tu populum humilem ſaluum facies,& oculos ſuperborum humiliabis. Non eſt ergo ſanctitas tam magna quin polluat,ſi homo ſibi eam arroget,nec ſoli Deo referat, Nec eſt peccatum tam magnum, quin ſanctificet, ſi homo vera confeſſione ſibi idipſum tribuat & Deo auferat.

Sanctificans ſeipſum,Deum polluit,&c.

At arduiſſimum eſt ſibi non arrogare ſanctitatem & Deo non tribuere peccatum. Quis enim in omnibus,quæ Deus nobiſcum operatur, ſic affectus eſt conſtanter,vt omne opus & verbum eius ſanctificet,id eſt,ceu rem ſacram

Hiob. 1.

reuereatur & amplectatur? Quis pœnas, ignominias, mortes & omnia mala pro ſanctis rebus ducit, quas cum reuerentia ſuſcipiat? Hiob ſanctus erat vnus ex illis, cui omnia, quæ Deus intulit, ſancta erant, dicens, Si bona ſuſcepimus de manu Domini, mala autem quare non ſuſtineamus? Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit, ita factum eſt, ſit nomen Domini benedictum.

Impio nihil ſanctum.

Quære impium cui vel pilus (quod aiunt) tangitur, contra quam ipſe elegerit, & vide, an non ter centum tonet ore Deos, iniqua, impia, noxia eſſe vociferans, quæ ſibi contigerunt, nec ex Deo, ſed Diabolo veniſſe, quidquid acciderit ſibi tam ſancto, innocenti & electo viro, His enim nominibus perverſus ſeſe ornat & vendit, Deo vero contra (id eſt, diuino operi & verbo) nocentiam, iniquitatem, & quidquid mali eſt, tribuit hac ipſa inſipientia ſua.

Cum innocente innocens eris.

Ex his iam facile intelliguntur toti hi duo verſus, Nam cum innocente innocens eris, aliud non eſt, quam in oculis piorum videri innocentiam quidquid Deus dicit & facit, omnia enim illius laudant & iuſtificant. At hac ipſa ſua confeſſione & affectione coram Deo quoque ſunt innocentes in omnibus, quæ faciunt & dicunt: Mutuum enim feliciſſimum habent cum Deo, vt qualem ipſi Deum habent, tales habeantur à Deo. Innocens autem hoc loco tham, id eſt, integer, probatus, perfectus, immaculatus dicitur, vt Pſal. 119. Beati immaculati in via, Et Can. 5. Columba mea, immaculata mea, Theutonice, from/ qui neminem lædit, omnia facit quæ debet.

Tham. — *Pſal. 119.* *Can. 5.*

Cum electo electus eris.

Ita & illud, Et cum electo electus eris, eodem ſenſu, aliud non eſt quam pios ſic eſſe affectos, vt quidquid Deus cum eis fecerit, pro re electa habeant, & aliter fieri nollent, optime in ea contenti laudantes & benedicentes Dominum, hoc ſolo ſibi complacentes, quod Deo ſic placitum eſſe intelligant, Sicut Matth. 11. Chriſtus exultaſſe ſcribitur, & confeſſus fuiſſe, quia reuelarit Pater hæc paruulis, & abſconderit ſapientibus, non alia cauſa, quam quia ſic placitum fuerit ante eum. Hac autem affectione & ipſi ſunt electi coram Deo, & ſicut eligunt ita & eliguntur.

Matth. 11.

Pij damnantur ab impijs.

At hæc ita habere non capit caro, nec impij intelligunt, quibus potius contrarium videtur, ſcilicet nec cuſtodiri vias Domini à pijs, nec ſeruari eos ab iniquitate, nec retribui puritati manuum eorum, nec eſſe Deum cum eis ſanctum, innocentem, electum, Sed potius quidquid egerint, hoc totum eſſe impium in Deum & hominem, vnde & totum damnant pro ſtultitia, errore, peccato, hæreſi, quidquid pij ſenſerint & fecerint, Vt hæc omnia verba Eccleſiæ non niſi fide capiantur, vera eſſe eum longe aliud in ſpecie & oculis hominum appareat, ſicut ſæpius diximus.

Hic de præmio perſeuerantiæ loquitur, non de principio iuſtificationis.

EX quibus intelligimus, Prophetam hoc loco non de electione æternæ prædeſtinationis, nec de prima iuſtificationis gratia, ſed de ipſo fructu, vſu, opere & præmio gratiæ loqui, Vult enim oſtendere quid operetur & impetret verbum & fidei gratia in hominibus, Sicut & illud 1. Reg. 2. Quicunque honorificauerit me, glorificabo eum, Qui autem me contemnunt, erunt ignobiles. Neque enim homo prior Deum honorificat, quàm à Deo per gratiam viſitetur & honoretur, Sed accepta iam gratia laborat, ne propter homines ſiue amicos ſiue inimicos à gratia excidat, & faciat quod Deum offendat, vbi ſi propter Deum ſuſtineat ignominiam ab hominibus, perſeuerans in Deo honorificando, reponet ei Deus gloriam pro ignominia, & contra omnium ſenſum, cum ſancto ſanctus erit, & cum electo electus.

1. Reg. 2.

Hunc eſſe intellectum præcedentia & ſequentia clare oſtendunt, dum

dicit

dicit ſibi retribui ſecundum puritatem ſuam, quo oſtendit ſe iam in prima gratia conſtitutum, iniqua patientem, à Deo tandem eligendum, & honorandum. Et infra, Quoniam tu populum humilem ſaluum facies, vbi declarat ſe cum ſuperbis, in vſu acceptæ gratiæ verſari.

Dixi autem & ſuperius, Oportere ſacræ ſcripturæ tractatorem diligenter obſeruare, ne verba Dei, quæ de vſu & opere gratiæ loquuntur, ipſius gratiæ principio aptet, & hinc venenum hæreſeos illius hauriat, quæ tribuit libero arbitrio virtutem diſponendi ſe ad gratiam recipiendam, qualem faciunt in illo Zach. 1. Conuertimini ad me & conuertar ad vos, & ſimilibus.

Zach. 1.

Quare, ſanctum, innocentem, electum, hoc loco debemus imaginari pium hominem, qui propter verbum & fidem Dei, ſceleratiſſimus, nocentiſſimus, reprobiſſimus in oculis ſuis & hominum habetur, & plane indignus, qui viuat, nouiſſimus virorum & deſpectus. Eſt autem Dominum cum eo ſanctum, innocentem, electũ, aliud non intelligi, quam eum eſſe contemptorem perſonarum, reſpicere autem ſolum ad humiles iſtos & contemptos, vt eos ſanctos, innocentes & electos tandem declaret, quia ipſi eum ſanctum innocentem & electum confeſſi ſunt & tulerunt.

Sanctus, innocens.

Ita dupliciter potes Dominum intelligere, ſanctum eſſe cum ſanctis, actiue & paſſiue, quod & ab eis ſanctificatur, & eos rurſum ſanctificat; hoc eſt, quod Chriſtus quoque dicit, Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo. Et iterum, Qui mihi miniſtrat, honorificabit eum Pater meus. Quomodo autem honorificat, niſi quod ſanctum, innocentem electumque eſſe declarat, quem impij prophanum, noxium & perditum habuerunt & declarauerunt? Sunt enim verba conſolationis ad eos, qui pie viuentes in Chriſto, contempti ſunt in hoc ſeculo.

Matth. 10.
Iohan. 12.

Cum peruerſo autem peruerteris, Wie es Gott macht / ſo iſts nicht recht / ideo econtra, Wie ſie es machen / ſo iſts auch nicht recht. Hic eſt Moab ille ſuperbus, paratus ſemper docere Deum, & iudicare omnia, quæ in ſuis dicit & facit Deus, Interea tamen non aliud quam Deum ore ſonans & bona ac ſancta docere ac facere præſumens, Id quod Iudæorum, præ omnibus gentibus, vitium proprium fuit. Non enim Deus in natura ſua peruertitur, ſed in verbo & opere ſuo, quibus regnat in pijs hominibus.

Cum peruerſo peruerteris.

Deus in verbo & opere ſuo peruertitur, non in natura ſua.

Quare & hic in ſpiritu locutum Prophetam obſeruantes, peruerſum iſtum intelligimus eum, qui in oculis ſuis & hominum non modo peruerſus non eſt, ſed ſolus ſanctus, innocens, electus, plane ſanctus ſanctorum, inter ſydera nidum ſuum collocans, & ſe annulum in dextera Dei arbitrans, cui omnia ſordent, quæ dicunt & faciunt pij, ſua vero omnia fulgent, At hac ipſa peruerſitate, quia peruerſe de Deo & ſeipſo & omnibus ſentit, meretur, vt ſicut ipſe Deum peruertit, rurſus peruertatur à Deo, & oſtendatur omnibus peruerſus.

Peruerſus.

B. Hieronymus ſic transfert, Cum peruerſo peruertes, Et illud, Cum innocente innocenter ages, Quo indicat, actiue verſus hos intelligi, quo ſtudio dicendum quoque fuit, Cum ſancto ſanctificabis, & cum electo eliges, vel ſic, Sanctum ſanctificabis, innocentem innocentem facies, electum eliges, peruerſum peruertes, Niſi quod Ebræus idiotiſmus neſcio quid negotij tribuere videtur Deo, cum dicit, Cum ſancto ſanctus eris, cum peruerſo peruertes, Q. d. negotium ſanctificandi, perficiendi, eligendi, peruertendi tibi dant impij, dum omnia tua peruertunt, & ſe ſolos iuſtificant.

Quoniam tu populum humilem ſaluum facies,
Et oculos ſuperborum humiliabis.

Populus Chriſti. VIdes in perſona populi Chriſti hæc dici, qui ſanctus, innocens electus eſt, ſed humilis, vt dixi, hoc eſt, deſpectus, & qui nihil minus quam ſanctus & probus, & electus ſit coram peruerſis iſtis & ſuperbis. Ita reddit optime rationem omnium prædictorum & iuſtum Dei iudicium prædicat, Ideo enim ſanctos ſanctificat, quia humiles ſaluos facit, ergo ſancti ſunt humiles, id eſt, viles & abiecti, ideo & peruerſos peruertit, quia oculos ſuperborum humiliat, Ergo peruerſi ſunt ſuperbi & honorari & magnificari, Q. d. Hæc iudicij tui æquitas imo natura tua, humiles exaltare, & cum illis eſſe, ſuperbos autem humiliare & contra eos eſſe, de qua te multa diximus, & plena eſt Scriptura. *Sancti ſunt humiles.*

Oculi ſuperborum. Proprie autem dixit, Oculos ſuperborum, non ſuperbos, Vitium enim ſuperborum in oculis eſt, quia alta ſapiunt & ea etiam vident de ſe, quæ nuſquam ſunt, Vt non ſit neceſſe res ipſas, de quibus ſuperbiunt humiliare, cum nullæ ſint, ſed oculos tantum, quibus faſtidiunt humiles & ſeſe mirantur Prouer. 30. de eiſdem Iudæis, Generatio, cuius oculi ſunt excelſi, & palpebræ in altum ſurrectæ. Contra Paulus Rom. 12. Non alta ſapientes, ſed humilibus conſentientes, Hiob 22. Qui humiliatus fuerit, erit in gloria. & ſi Inclinauerit oculos ſuos, ſaluabitur. Ita impij oculos habent arrectos ad virtutem, iuſticiam, ſapientiam, Pij vero inclinatos ad infirmitatem, peccatum, ſtultitiam, Ideo ſuperbum ſequitur humilitas, & humilem ſuſcipiet gloria Prou. 29. Et contritionem præcedit ſuperbia, & ante ruinam exaltatur ſpiritus, Eiusdem 16, O qualia verba, quantæ ſententiæ. *Prou. 30. Rom. 12. Hiob. 22. Prou. 29. 16.*

Quoniam tu illuminas lucernam meam,
Domine Deus meus illumina tenebras meas.

ET hoc ad populum Chriſti pertinere ſatis clarum eſt, Chriſtus enim tenebras illuminandas non habet, Quod autem dicit, hoc eſt, illi habent oculos excelſos, & ſuperbus quiſque ſibi ipſi eſt dux & lux, neminem audit, nemini ſenſu cedit, nec Deo ipſi, quem cum omnibus ſuis etiam peruertit. Sed populus humilis tuus, ſtultus fit, vt ſapiens ſit, de ſe deſperans, tibi dat manum, & magiſterio tuo ſe ſubdit, dirigi vult lumine tuo, ſicut Pſal. 89. Domine in lumine vultus tui ambulabunt. Et 4. Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine. Et 32. Firmabo ſuper te oculos meos. *Superbus ſibi dux & lux eſt. Pſal. 89. Pſal. 4. Pſal. 32.*

Sic figura Exodi quoque docet, vbi per deſertum horribile, in quo erant ſerpentes flatu vrentes, ſcorpiones & dipſades, vt Deut. 8. dicitur, filij Iſrael ducti ſunt non ſuo magiſterio, ſed columnæ nubis & ignis, id eſt, diuina illuminatione. Ita in Chriſto ſurrexit Ieruſalem & illuminata eſt, quia venit lumen eius, & gloria Domini ſuper eam orta eſt, vt in lumine eius etiam ambulent Gentes, & Reges in ſplendore ortus eius. Iſa. 60. vbi dicitur quoque, Non erit amplius tibi Sol ad lucendum, & ſplendor Lunæ non illuminabit te, ſed erit tibi Dominus in lucem ſempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam. *Deut. 8. Iſa. 60.*

De hac luce abunde Pſal. 4. dictum eſt, quod ſit verbum Euangelij, Sicut Petrus dicit 2. Pet. 1. Habemus firmiorem propheticum ſermonem, cui bene facitis attendentes tanquam lucernæ lucenti in loco caliginoſo, donec dies eluceſcat, & lucifer oriatur in cordibus veſtris. In tot enim perturbationibus *2. Pet. 1.*

vtriusque

vtriusque fortunæ, ceu in quadam tenebroſiſſima tempeſtate non habemus aliam Cynoſuram aut Elicen, id eſt, ſtellam maris, quam verbum Dei, quo *Verbum Dei ſtella maris.* dirigimur quotquot ſeruamur. Quæ eſt ergo lucerna noſtra, quæ hoc verbi lumine illuminatur? Sine dubio cor noſtrum, ſiue id conſcientiam, ſiue intellectum voces, nihil refert.

Ac vide, quod penitus nihil tribuatur dictamini naturali & vniuerſæ *Tenebræ illuminandæ verbo Dei.* prudentiæ carnis, quod apertis verbis, tenebras ſuas appellet, quidquid abſente verbo Dei in nobis fuerit, quas illuminari petit lumine verbi Dei, quod facile capit, qui in tentationibus verſatur. Nam hic intelligit, quod nihil poſſit conſulere ratio vniuerſa, imo quo quis ſapientior eſt, eo fit in periculis inſipientior. Solum verbum Dei ſuſtentat & conſulit quid faciendum ſit, nempe fidendum & expectandam à Deo ſalutem, vt ſequitur.

Quoniam in te eripiar à tentatione,
Et in Deo meo transgrediar murum.

IN te, non in me, te rectore, teque illuminatore, non me curſore & operatore, euadam tentationes, ſciens, quod manu tibi tradita, conſi-
Pſal. 44. lium tuum expectandum ſit. Sic Pſal. 44. Nec enim in gladio ſuo poſſederunt terram, & brachium eorum non ſaluauit eos. Sed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui, quoniam placuiſti in eis. Tu es ipſe Rex meus & Deus meus, qui mandas ſalutes Iacob. In te inimicos noſtros ventilabimus cornu, & in nomine tuo ſpernemus inſurgentes in nos. Non enim in *Vera Eccleſia neſcit brachium ſeculare.* arcu meo ſperabo, & gladius meus non ſaluabit me &c. Ecce vera Chriſti Eccleſia neſcit brachium ſeculare, quod hodie impij Pontifices vnice amplectuntur, inuocant & metuunt. Quam pulchre concordat eorum vita & ſenſus cum diuinis ſcripturis?

2. Reg. 22. Hieronymus & 2. Reg. 22. rectius, Quoniam in te curram accinctus, & in Deo meo tranſiliam murum. Metaphoram enim trahit à militibus animo-
4. Reg. 24. ſiſſimis in bello. Nam accinctus, qui Gedud ebraice dicitur. 4. Reg. 24. latrunculus dicitur, quem nos militem dicimus. Sic enim dicitur ibidem, Immiſitq; *Gedud.* Dominus ei latrunculos Chaldæorum, & latrunculos Syriæ, & latrunculos Moab, & latrunculos filiorum Ammon. Vult ergo dicere, In fiducia tui tuæq; illuminationis ad nullius pauebo occurſum, pugnabo aduerſus quodlibet genus inimicorum, ſuperabo murum & quidquid oppoſitum mihi fuerit, hoc eſt, Qui in me infirmor, in te ero inuictus, & ſicut Paulus gloriatur,
Philip. 4. Philip. 4. Poſſum omnia in eo qui me confortat. Et 2. Cor. 2. Deo gratias, qui
2. Cor. 2. nos ſemper triumphat in Chriſto.

Quare murus hoc loco, non peccata ſignificat ſaltem ſola, ſed potentiam quoque inimici, contra quam pugnat Eccleſia Chriſti per fidem verbi Dei, ſicut in re militari pugnatur contra muros hoſtium. Nam turres & muri *Turres.* in ſcripturis allegorice ſignificant duces & protectores & maiores in populis,
Pſal. 122. vt Pſal. 122. Fiat pax in muris tuis, & abundantia in turribus tuis, id eſt, in ma-
Iſa. 49. ioribus & rectoribus Eccleſiæ. Iſa. 49. Ecce muri tui in oculis meis ſemper. Ita *Muri.* hic, Murum pro muros, id eſt, omnem potentiam huius mundi, in qua Fortis ille cuſtodit atrium ſuum, donec veniat Fortior & vincat eum.

Et proprie dicit, Tranſiliam ſeu transgrediar, non diruam aut deſtruam, *Poteſtas mundi non per verbum fidei tollitur, ſed ſuperatur.* quia poteſtas mundi non tollitur per verbum fidei, ſed ſuperatur tantum. Non enim Chriſtus Cæſaris regnum ſuſtulit, ſed ſublimius Regnum veritatis condidit. Et Paulus ſubijcit omnem animam poteſtatibus ſublimioribus,
Rom. 13. Ro. 13. ſecundũ carnem, qui tamen ſecundum ſpiritum omnes aſſerit liberos

eſſe

eſſe in Chriſto. Similiter & Petrus 2. Pet. 2. increpat futuros illos dominationum contemptores, qui & ipſe libertatem Chriſtianam prædicat. Ita vincimus omnia, tunc maxime quando omnibus ſubiacemus.

Deus meus, impolluta via eius, eloquia Domini igne examinata.
Protector eſt omnium ſperantium in ſe.

Dei impolluta via. MEus, non eſt in Ebræo, ſed abſolute, Deus, quod idiotiſmo ebraico dicitur, pro eo quod nos diceremus, Dei impolluta via. Ebræus enim dicit, Dei impolluta via eius, vt Pſal. 68. Mons in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo. Et Gen. 2. de ligno, quod eſt in medio paradiſi, non comedes ex eo, quem loquendi morem & noſtra vernacula habet, dum dicimus, Von dem Holtz mitten im Paradis/ſoltu nicht eſſen. Item/ Einem Regenten der Kirchen/dem gebürt nicht zuſtreiten/etc. *Pſal. 68.* *Gen. 2.*

Pergit autem dulci affectu, quo delectatur in Deo, diuina etiam verba commendare, ſicut hactenus opera commendauit, aduerſus tam opera quam verba ſuperborum & impiorum. Nam quod Deus cum ſancto ſanctus eſt, & corroborat eos, qui in eum confidunt, hoc facit per conſcientiam puram, Pura enim conſcientia læta & animoſa eſt. Pura autem non fit, vllis operibus aut doctrinis hominum, ſed lege & via Domini, vt Pſal. 19. Lex Domini immaculata, conuertens animas. Quale enim eſt verbum Domini, talis & via, id eſt, vita ſecundum verbum, qualis vita, talis conſcientia. At verbum Domini, ſicut argentum igne examinatum, purgatum ſeptuplum Pſal. 12. Atque hoc facit, vt impij in Deo lætari non poſſint, ſed omnia eorum ſint peruerſa, quia inquinatæ ſunt viæ eorum, quibus omni tempore, in doctrinis & mandatis hominum ambulant, & ſibi in eiſdem placent, etiam ipſa lege Domini tracta in ſuas eaſdem opiniones. *Pura conſcientia.* *Pſal. 19.* *Pſal. 12.*

Quare comparationem oportet obſeruare, qua Eccleſia ſe Synagogæ per totum comparat, glorians in Deo, qui non modo omnia opera Eccleſiæ probat, ſed & doctrinam verbi puriſſimam ei dedit, iuxta quam ſancta, electa, innocens viuit. Contra impiæ Synagogæ, & opera & verba polluta facit, quantumlibet aliud in oculis hominum appareat. Nam vt impij vitam, ita & doctrinam piorum pollutam eſſe iudicant, ignorantes iuſticiam fidei, quæ ex Deo eſt, & ſuam quærentes ſtatuere, quæ ex operibus eſt, Ex qua deinde non poteſt aliud ſequi quam fiducia & præſumptio. Contra quos dicit hic. Protector eſt omnium ſperantium in ſe. Qui enim in via Dei ambulant & verbo eius inhærent, non in ſeipſis confidunt, ſed in Deo, à quo etiam ſolo proteguntur, cum illi ſuis ſe viribus, operibus, doctrinis protegant, Opus enim habent pij protectore Deo, cum propter impollutam viam Domini & pura eloquia Dei ſemper ab impijs patiantur, & ad perditionem quærantur. *Doctrina Eccleſiæ Dei puriſſima.* *Protector eſt omnium ſperantium in ſe.*

Quoniam quis Deus præter Dominum,
Aut quis Deus præter Deum noſtrum?

PRotector eſt omnium ſperantium, quia eſt vnde poſſit protegere, cum præter eum non ſit Deus alius, qui noceat. Sic 1. Reg. 2. Non eſt ſanctus, vt eſt Dominus, neque enim alius eſt extra te, & non eſt fortis ſicut Deus noſter, Ex quo loco Dauid huius verſus partem poſteriorem accepit, ſunt enim eadem verba. Hieronymus quoque Ebræum Zur, non vertit, Deus, ſed Fortis, dicens, Et quis Fortis, ſicut Deus noſter, Non etiam coniunctio diſiunctiua *1 Reg. 2.* *Zur.*

diſiunctiua, aut, ſed copulatiua, &, poni hic debet, Eſt enim verſus Tautologicus.

Eſt igitur ſenſus conſolatorius Eccleſiæ aduerſus inſultationem & iactantiam Phenennæ iſtius Synagogæ, Q. d. Si illi protegit, quis nocebit? Si Deus pro nobis quis contra nos? Quis eſt qui vobis noceat, ſi boni æmulato-
1.Pet.3. 1.Reg.1. res fueritis? Sic & Anna 1.Reg.1. contra ſuam æmulam præſumptuoſam eadem dixit, & addit. Nolite loqui ſublimia gloriantes, quia non in fortitudine ſua roborabitur vllus.

Deus qui præcinxit me virtute,
Et poſuit immaculatam viam meam.

ITerum Ebraiſmus, Deus qui præcinxit, pro Deus præcinxit, vel, Qui præcinxit, ſicut, Deus meus, impolluta via eius. Et idem vocabulum hic, immaculatam, quod illic impolluta, ſcilicet Thamim, id eſt, innocentem, vt ibi, Cum innocente innocens eris. Supra dixit, Impollutam viam Domini, hic impollutam viam ſuam iactat, Atque cum ſuperius abunde dixerit, ſe non impie geſſiſſe à Deo, & iuſtitiam ſuam ac puritatem manuum ſuarum confeſſa ſit, quid denuo eadem toties repetit & ingeminat, velut ſuperfluis verbis battologiſans?

Dixi, meo ſenſu, Prophetam hoc Pſalmo Eccleſiæ primitiuæ ſtatum in perſona Chriſti canere, vsque ad vocationem gentium, Ideo in principio caput eius Chriſtus introductus eſt, deinde Euangelij prædicatio & Eccleſiæ ortus in Iudæis, & comparatio eiusdem cum reproba relictaque parte Synagogæ, quæ ſuis iuſticijs ſuperbiens, Eccleſiæ fidem irriſit atque contempſit, denique & prohibuit & perſecuta eſt, ſicut Pharao filios Iſrael in Aegypto oppreſſit, ne multiplicarentur. *Continuatio & ratio.*

Nunc vero profectum & multiplicationem eius canere videtur, quod quo magis impij prohiberent, hoc magis fideles multiplicarentur. Hunc eſſe ſenſum & verba ſequentia monſtrabunt. Virtus enim qua hoc loco ſe cinctam dicit, ea eſt, quæ multitudini & exercitui tribuitur, ſicut Iſa. 60. Quando conuerſa fuerit ad te multitudo maris, & fortitudo gentium venerit tibi, id eſt, magna vis, hoc eſt, grandis multitudo gentium. Exo. 15. Pharaonem & virtutem eius proiecit in mare, Vnde hæc dictio, Heil, ſæpius pro exercitu, quæ hic & alijs locis, pro virtute transfertur, Sie & Latini magnam vim pecuniarum, hominum, equorum & c. dicunt, quando multitudinem ſignificant.

Iſa.60. Exod.15. *Heil.*

Igitur cingi & circundari Eccleſiam virtute, eſt illud quod Lucas Act. 2.
Act.2.5. dicit, Dominus autem augebat, qui ſalui fiebant, quotidie in idipſum, Et 5. Magis autem augebatur credentium in Domino multitudo virorum ac mulierum. Idem ſignificat quod cum prius viam Domini impollutam dixiſſet, nunc ſuam viam impollutam dicit, cum tamen eadem ſit via ſua & Domini, ipſa enim viam Domini ambulat, non ſuam quæ non ſit Domini, hanc enim ſynagoga ſua ambulat, Vt Iſa. 53. dicit, Nos omnes errauimus, vnusquisque in viam ſuam. Et Gen. 6. Omnis caro corruptam fecit viam ſuam, Quare viam Eccleſiæ poni ſeu dari (vt Ebræus dicit) immaculatam, eſt probari & confirmari talem multorum imitatione, quod niſi fieret cum tot ſint impij, qui eam noxiam & immundam criminantur, tandem deficeret. *Circumdari virtute.* *Via Eccleſiæ Chriſti impolluta.*

Iſa.53. Gen.6.

Exod.1. Quare oportuit in Eccleſia fieri, id quod Exod. 1. figurate dicitur, Filij Iſrael creuerunt, & quaſi germinantes multiplicati ſunt, & roborati nimis impleuerunt terram. Et iterum, Quanto magis opprimebant eos, tanto magis multiplicabantur & creſcebant. Ideo aptius hic dixit, Viam meam, quod *Via Eccleſiæ, & Dei eadem.*

exemplo

exemplo Eccleſiæ ambulantis in via Domini multos attraxit in eandem viam, Ipſa enim in Apoſtolis abſque medio ex Deo habuit viam Domini, cæteri autem miniſterio & exemplo Apoſtolorum & prædicantium diſcipulorum, Id quod etiam perpetuo in Eccleſia ſeruat Deus, vt omnes quidem habeat à ſolo ſeipſo doctos, & tamen omnes per hominum miniſteria, verba & exempla trahat, & per viam Eccleſiæ in viam ſuam, quæ eadem eſt, ducat. Hieron. 2. Reg. 22. reddit. Et complanauit perfectam viam meam, quod facile in eandem cadet ſententiam. 2. Reg. 22.

Qui perfecit pedes meos tanquam ceruorum,
Et ſuper excelſa ſtatuens me.

Pedes. Hierony. hic & 2. Reg. 22. Coæquans pedes meos ceruis, & ſuper excelſa mea ſtatuens me. Scio in ſuperioribus me per pedes expoſuiſſe affectus animi & motus cordium, vt Pſal. 14. Veloces pedes eorum Pſal. 14.
Pedes Eccleſiæ. ad effundendum ſanguinem, quæ expoſitio in multis locis ſcripturæ, fortaſſis & hoc valet. Sed audebo meo iterum ſenſu abundare, & Eccleſiæ pedes ſic intelligere, vt cohærentia aptius quadret, in ſpiritu enim verſamur cum Propheta, Hic enim verſus rationem mihi reddere videtur præcedentis, in quo viam ſuam dixit auctam & roboratam imitatione multorum, Quod nullis alijs viribus factum eſt, quam miniſterio Euangelij, quod non ſine magno miraculo virtutis diuinæ, tam multos, tam velociter ad Eccleſiam congregauit, cum via Domini, quam Eccleſia ambulat, aduerſaria ſit omni prudentiæ carnis, nec poſſit impolluta iudicari ab vllis hominibus, niſi Deus illorum corda mutarit, id quod incredibili velocitate perfecit miniſterio verbi.

Pedes ergo Eccleſiæ ſunt ipſum miniſterium verbi, ſine quod parum re-
Pedes Eccleſiæ ſunt ipſum miniſterium. fert, ipſi Euangeliſtæ. Sic Paulus ſe curſum conſummaſſe ad Timotheum 1. Tim 4. Actor. 20.
ſcribit. Et Act. 20. Dummodo conſummem curſum meum, & miniſterium
verbi quod accepi, Et ad Galatas, Ne in vanum currerem aut cucurriſſem. De Gal. 2.
Ezechiel viſio. ijs pedibus loquitur Ezechielis viſio, vbi pedes quatuor animalium ſcribit Ezech. 1.
fuiſſe pedes rectos, & Iſa. 52 quem Rom. 10. Paulus adducit, Quam ſpecioſi Iſa. 52.
ſuper montes pedes euangeliſantis, prædicantis pacem, annunciantis bonum Rom. 10.
&c. Id eſt, quam dulcis prædicator, qui prædicat gratiam & remiſſionem peccatorum, Et Mich. 5. Surge tritura filia Zion, quia cornu tuum ponam ferre- Mich. 5.
um, & vngulas tuas ponam æreas, iterum Iſa. 32. Beati qui ſeminatis ſuper Iſa. 32.
omnes aquas, immittentes pedem bouis & aſini. Et multa ſimilia paſſim in
Bos triturans. Scripturis, Inde bos in area pedibus triturans, Euangeliſtam ſignificat Paulo
1. Cor. 9. Non alligabis os bouis triturantis. 1. Cor. 9.

Celeritas ceruorum. Nota autem eſt, ceruorum illa inſignis celeritas, quæ & verbo tribuitur, Pſal. 147. Velociter currit ſermo eius. Quæ autem ſunt excelſa iſta ſuper quæ Pſal. 147. ſtatuit eum Dominus? & quæ conuenientia pedum & excelſorum? deinde velocitatis & ſtatus? Alij cœleſtia intelligunt, in quibus poſita eſt Eccleſia, Mihi adhuc de pedibus loqui videtur, Ebræus enim dicit, Stare me fecit, id quod pedum eſt proprium. Quare ſimpliciter ſentio, idem hic dici quod Iſa. 40. dicit, In montem excelſum aſcende tu, qui euangeliſas Zion. Exalta Iſa. 40.
Cerui fortius ſuis corpus exercent. in fortitudine vocem, tu qui euangeliſas Ieruſalem, Exalta, noli timere, dic Iſa. 52. ciuitatibus Iudæ, Ecce Deus veſter. Eodem conſilio & 52. dicit, montes, dicens, Quam ſpecioſi ſuper montes pedes euangeliſantis, Forte & hoc à ceruorum ingenio ſumptum eſt, qui fœtus ſuos exercent curſu, fugamque meditari docent, ad prærupta ducunt ſaltumque monſtrant.

Nihil

Ezech.1. Nihil ergo pugnanr curſus & ſtatus pedum iſtorum, quando & Ezech. 1.
ſcribuntur & ambulaſſe & ſteriſſe. Excelſa autem ſiue montes ſiue prærupta, *Excelſa.*
non intelligo niſi turbas populorum multorum, In quorum medio prædica-
tor ſtat, & cum fiducia conſtanter annunciat verbum Dei, quod non eſt virtu-
Lucæ 24. ris humanæ, ſicut Chriſtus indicat, dicens Luc. vlt. Induemini virtute ex alto,
Act. 2. Ideo dicit, Stare me fecit. Sic Petrus ſtat Act. 2, & eleuat vocem ſuam ad Iudæ- *Stare in montibus.*
Pſal 82. os, Et Paulus varijs locis. Et Chriſtus Pſal. 82. Stat in medio Deorum. Hunc
Iſai. 40. ſtatum Iſa. 40. ſua magnifira exhortatione ſatis clare exponit. Turbas autem
populorum montes vocari ex multis locis patet. Sic enim Babylonem Iere. *Montes.*
vlt. montem vocat, & quælibet Eccleſia mons dicitur, ſicut vniuerſalis Eccle- *Montes Domini.*
Ierem. 2. ſia, mons Domini dicitur Pſal. 68. & Iſa. 11. & c. Mea autem excelſa Ebræus di-
Pſal. 68. cit, in quo vel prouidentiam Dei ſignat, quæ fecit, vt miniſterium verbi non
Iſai. 11. profuerit, niſi ijs, qui ad Eccleſiam vocandi erant, vel ſimpliciter ipſas Eccleſi-
as partiales ſic appellat.

Qui docet manus meas ad prælium,
Et poſuiſti vt arcum æreum brachia mea.

PErſtat in commendandis eloquijs Dei & virtute eorum, non *Potentia verbi Dei.*
enim ſolum impolluta & igne probata ſunt, nec ſolum docent & conuer-
tunt multos ad fidem per miniſterium prædicantium, ſicut hactenus dixit,
2. Cor. 10. ſed & potentia Deo ſunt (vt Paulus 2. Cor. 10. docet) ad deſtructionem mu-
nitionum, conſilia deſtruentes, & omnem altitudinem extollentem ſeſe ad-
uerſus ſcientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in
obſequium Chriſti. Sic & ad Titum præcipit, Epiſcopum eſſe potentem, non
modo vt exhortetur in doctrina ſana, ſed & contradicentes redarguat, nec id
niſi ſermone fideli, qui eſt ſecundum doctrinam, non argutijs humanis aut
ratiunculis Philoſophicis, Hoc eſt quod dicit.

Qui docet manus meas prælium. Neq; enim Eccleſia munda- *Eccleſiæ prælium.*
no prælio implicita eſt, ſuum habet ipſa prælium, quod iam ex Paulo retuli,
Aduerſarios ſcilicet verbi, quibus, niſi Dominus doceat manus ad prælium, &
ærea nobis brachia ponat, fruſtra congredimur, Neq; Moſes & Aaron pote-
rant Iannē & Mambrem ſuperare niſi in digito Dei. Ex humanis rationibus, *Iannes*
non niſi noxiæ oriuntur contentiones, inuidiæ, ſectæ, vt idem Paulus docuit. *Mambres.*
Credo autem allegoriam iſtam ex re bellica ſumptam, in qua manibus *Tim. 3.*
& brachijs potiſſimum res geritur, facile intelligi, nihil aliud velle, quam præ-
dicatoribus diuinitus eruditis dari infatigabilem & inuictam verbi docendi
Lucæ 21. virtutem ad redarguendos omnes aduerſarios, ſicut & Chriſtus promiſit: Ego
dabo vobis os & ſapientiā, quibus non poterunt reſiſtere & contradicere o- *Os & ſapientia*
Actor. 7. 5. mnes aduerſarij veſtri, ſic Act. 7. Non poterant reſiſtere ſapientiæ & ſpiritui, *Apoſtolorum.*
qui loquebatur. Hoc & Gamaliel Act. 5. affirmabat dicens: Si opus illud ex
Deo eſt, non poteſtis diſſoluere.

Et dediſti mihi protectionem ſalutis tuæ, & dextera tua ſuſcepit
me.
Et diſciplina tua correxit me in finem, & diſciplina tua ipſa me
docebit,

NEſcio vnde iſte venerit verſus in Ebręo pro ijs omnibus vnus
verſus ſic habet. Et dediſti mihi clypeū ſalutis tuę, & dextera tua confor-
tauit me, & māſuetudo tua multiplicauit me. Nihil hic de diſciplina, de

correctione, de fine, de doctrina dicitur, Sed & 2.Reg 22. omittitur particula iſta, Et dextera tua ſuſcepit, Vbi vitio ſcriptoris legimus, Et manſuetudo mea, pro manſuetudo tua. 2.Reg.22

Salus tua, protectio mea.

Totum itaq; victoriam, quam doctis ad prælium manibus, & æreis brachijs retulit ex aduerſarijs, Eccleſia non ſibi, ſed pia gratitudine ei, cuius eſt, refert acceptam, Ac ſi dicat, Quod non ſuccubui in prælio iſto pietatis, ſaluaq; mihi manſit doctrina ſynceræ fidei, fecit, quod ſalus tua fuit protectio mea, & fauor tuus ſeruauit me, Atq; hoc miraculo video, tuæ fuiſſe ſolius benignitatis, victis aduerſarijs auctum eſſe numerum menm.

Prælium doctrinarum periculoſum.

Quod autem grande & periculoſum ſit prælium iſtud doctrinarum, nemo niſi expertus facile credit, Paulum videmus in Galatis & omnibus Epiſtolis, quanto ſpiritu, quantaq; ſolicitudine in hoc prælio ſudet ipſe, & nos armet, Aſtutiſſimus enim eſt Serpens antiquus, & ſimplicium corda facilime fallit, imo quem non fallit? Accedit ad difficultatem, quod Eccleſiæ doctrina ſupra captum hnmanum eſt, quam niſi Deus ſolus doceat, ſeruet, triumphet, augeat, omnia alia ſtant à parte aduerſarij, multitudo, magnitudo, vis, eloquentia, ingenia, eruditio, ſpecies, opes. Vt vere ſit ſolius protegentis Dei & ſuſtentantis dexteræ, vt hi ſeruentur, qui iam credunt, & hi aggregentur qui contradicunt.

Eccleſiæ doctrina ſupra captum humanum.

Paulus pro Eccleſia orat.

Vnde & Paulus plus orationibus agit apud Deum pro Eccleſijs, vt Deus cuſtodiat fidelium corda & intelligentias, ne corrumpantur ſenſus eorum, Serpentis aſtutia & hominum nequitia, quam quod ſolis verbis, licet & ipſa ex Deo, tanquam arma Dei habeat, præſumat. Gratia ergo eſt eſſe inſtructum ad prælium, ſed maior gratia vincere in prælio & ſeruare ciues ac ſubiugare hoſtes, rem augere, non ſolum tueri. Qui ergo ſumus nos, vt vel præſumamus veritatem tueri, & aduerſarios ſuperare, aut ſi id non præſtiterimus, indignemur? Manſuetudinis diuinæ eſt ſeruari & augeri, non noſtræ præſumptionis, vt ſtet gloria ſoli Deo.

Iam quid de noſtra faciemus tranſlatione? Poterit idem ſenſus eſſe, corrigi per diſciplinam Domini in finem, & doceri per diſciplinam Domini, quod eſt, multiplicari per benignitatem Dei. Sed tanta opus eſt vi & tortura, quibus eum ſenſum repugnantibus vocabulis exprimamus, vt præſtet prorſus tranſire, contentos Ebraico & textn & ſenſu.

Dilataſti greſſus meos ſubtus me,
Et non ſunt infirmata veſtigia mea.

VIctis ſcilicet aduerſarijs verbi, & ſermone Dei confirmato atque per ipſum ſeruatis & auctis fidelibus, non modo non ſunt coartati & imminuti, quod aduerſarij volebant, ſed dilatati & confortati greſſus eius, quod fecit manſuetudo Dei multiplicantis eam, etiam inuitis oppreſſoribus, quia multo plures per eos incedunt, quam antea dum opprimerentur, vt ſupra ex figura filiorum Iſrael in Aegypto monſtraui.

Negatiua vehementior affirmatiua in Scripturis.

Idem eſt per tautologiam, Veſtigia mea non ſunt infirmata, id eſt, robuſtiſſime firmata, quæ impij conati ſunt infirmare. Negatiuam enim diximus ſæpe eſſe vehementiorem affirmatiue in ſacris literis. Tropum hunc Ebræum eſſe notum credo, quod firmare ſignificet, ſtatuere, implere, ſeruare, quomodo Apoſtolus Rom. 3. Legem per fidem non deſtrui, ſed ſtatui, Rom. 3. quam Rom. 8. dicit infirmari per carnem, Et iterum 4. promiſſionem dicit Rom. 8. firmari per fidem, Rurſus non ſolum non firmari ex lege, ſed etiam exinaniri, Eodem modo & hic dici oportet, veſtigia firmari, eſſe viam Dei, qua Eccleſia

cleſia incedit, corroborari,quod fit dum multiplicantur, fideles, qui perambulent ſimul in ea.

Quare appellent autem ſuos greſſus,& veſtigia ſua,cum ſint greſſus Dei & viæ Domini ſupra dictum eſt. Eccleſia enim exemplo ſuo facit vias Domini eſſe ſuas,& coram hominibus,vbi exemplum valet,non videtur niſi via Eccleſiæ eſſe,ſed in fide cognoſcitur,totum id,quidquid eſt,diuini operis eſſe.

Alijs videtur dilatari greſſus ſubtus Eccleſiam,eſſe eam hilari charitate operantem,qua anguſtijs perſecutionem ſuperior eſt, Latitudo enim hilaritas & conſolatio eſt,ſed conſequentia non ſatis decora eſt.

Perſequar inimicos meos,& comprehendam illos,
Et non conuertat donec deficiant,

EXperta benignitatem Dei mirabilem, qui multiplicat, dum aduerſarij minuunt,dilatat dum illi artant,firmat dum infirmant, concipit fiduciã etiã perſequendi & vitro inſectandi,donec ad internitionẽ aduerſarios deleat, Atq; ita factum eſt,& fit in omni victoria populi Dei, vt in principio belli videantur hoſtes ſuperiores & inſuperabiles, At facta impreſſione confortatur,hoſtes cedunt & cæduntur,tum ipſa perſequi prælium captum non deſinit,donec conſumat omnes aduerſarios, Quare hic verſus perſeuerantiam belli ſeu victoriæ,& infatigabilem vſq; ad finem virtutem Eccleſiæ deſcribit, Quod & verba perſequar,item comprehendam, non conuertar, donec deficiant,ſeu vt Hiero, vertit donec conſumam eos,ſatis probant, Perſequar enim hic non nouum belli initium,ſed profectum cœpti ſignificat, ſicut Pſal,34. Inquire pacem & perſequere eam,id eſt,in finem vſq; ſequere, Et comprehendam eos,ſignificat in totum capi & penitus occupari eos. *Victoria populi Dei.* *Pſal.34.*

Hoc figuratum eſt in bello Ioſuæ contra Aitas,in quo filij Iſrael primum cæſi & infirmati ad deſperationem,deinde inſidioſe fugientes, donec hoſtes longe ab vrbe traherent, verſa facie in eos vſq; ad internitionem eos deleuerunt. Quo ſignificabat ſpiritus fore, vt Eccleſia principio ſimulata fuga,id eſt, paſſionibus ſecundum carnem infirmata,credere videretur, cum ſecundum ſpiritum fidei fortis,tandem vinceret & penitus deleret hoſtes. Sic Arriani primo fortes,tandem ad nihilum vſq; conſumpti ſunt. Non ſic in libris Iudicum,vbi toties ſcribitur, filios Iſrael non potuiſſe delere Iebuſæos. *Bellum Ioſuæ contra Aitas, Ioſ 6.* *Eccleſiæ ſimulata fuga.*

Confringam illos,nec poterunt ſtare,Cadent ſubtus pedes meos.

PLanus eſt ſenſus ex prædictis, ſcilicet quod aduerſarios comprehenſos cædit & conterit,vt ipſa omiſſa virtute nequeant ſurgere neque reſiſtere cædenti, Deſcribit enim hic verſus aduerſariorum infirmitatem, ſicut præcedentes, Eccleſiæ fortitudinem. Cadere ſub pedibus, ſimplici tropo dictum puto, pro eo quod eſt humiliari aduerſarios & conuerti ad fidem, Arbitrium tamen eſto Lectori,& hic pedes Eccleſiæ miniſterium verbi intelligere,ſicut Lucas dicit in Actis, Multa turba ſacerdotũ obediebat fidei, Tunc cadere ſub pedibus,idem erit,quod obedire Euangelio, *Cadere ſub pedibus.* *Act. 9.*

Et præcinxiſti me virtute ad bellum,
Et ſupplantaſti inſurgentes in ſubtus me.

Præcinx. me virtute ad bellum.

ITerum virtus hoc loco ea eſt, quæ ſupra memorata eſt, Et præcinxiſti me virtute, id eſt, multitudine fidelium coronaſti me. Hic vero addit, ad bellum, In quo gloriatur ſeſe non modo auctum fidelium multitudine, ſed etiam multitudine bellatorum. Ex cæſis enim & victis aduerſarijs quam plurimi conuerſi ſunt & facti duces & paſtores Eccleſiarum, potentes in doctrina ſana ædificare ſimul & pugnare, tenentes altera manu gladium, altera ædificantes, vt de Nehemia dictum eſt. *Nehe. 4.*

Auctis autem hoc modo bellatoribus, facile fit ſupplantare quoſcunque inſurgentes & extollentes ſe aduerſus ſcientiam Dei, hoc eſt, aucta Eccleſia ſemper augetur magis & ſuccreſcit germinans, id quod in primitiua Iudæorum Eccleſia vidimus impleri.

Subtus me.

Illud, ſubtus me, ad verbum ſupplantaſti pertinet, ſicut ſuperius, Dilataſti greſſus meos ſubtus me, ad verbum, dilataſti. Porro ſolœcum hunc, ſubtus me, pro ſub me, vel ſubter me, relinquo Grammaticis iudicandum.

Et inimicos meos dediſti mihi dorſum.
Et odientes me diſperdidiſti.

HActenus de ijs locutus eſt Iudæis, qui per verbum victi & humiliati in Eccleſiæ augmentum venerunt. Nunc de reprobis & in incredulitate perſeuerantibus loquitur, Quos inimicos & oſores vocat neque enim atrocius odium paſſa eſt Eccleſia, quam ab ipſis fratribus Iudæis. Vide autem proprietatem verborum, Dediſti eos mihi dorſum, & diſperdidiſti, Terribilia ſunt hæc, Synagoga vincitur & fugit, Eccleſia vincit & inſequitur, hoc enim eſt inimicos dari in dorſum, vt Gen. 49. Iuda manus tua in ceruicibus inimicorum tuorum. *Gen. 49.*

Inimicos dari in dorſum.

Sed & illud miſerabile eſt. Synagogam manere ſemper auerſa facie ab Eccleſia, hoc eſt, perpetuo odio, Agnoſcere non vult nec poteſt, & odium non ponit, nec tamen quidquam contra eam promouet, ſed ſemper fugit & cedere cogitur, Hæc vſque in hodiernum videmus ad oculum in Iudæis fieri, ita vt aptius eorum conditio non poſſit exprimi paucis verbis, quam quod ſunt poſiti dorſum, tantum ad odiendum & mala ferenda dati.

Ita & diſperditos eſſe clarius videmus quam legamus, ſed longe miſerabilius eſt quod ſequitur.

Clamauerunt, nec erat qui ſaluos faceret,
Ad Dominum, nec exaudiuit eos.

SIc & Prouer. 1. de eiſdem dicit. Tunc inuocabunt me, & non exaudiam, mane conſurgent, & non inuenient me. Synagogæ vaniſſima ſtudia & irrita vota deſignans, quibus ſeſe Deo ſeruire & eum placere credunt. Cum ille annunciato eis Chriſto neminem niſi in Chriſto audire & ſaluare velit, Neque enim eſt datum aliud nomen ſub cœlo, in quo oporteat nos ſaluos fieri. Act. 4. Ita fruſtra omnia laborant, fruſtra inuocant, fruſtra orant, non eſt eis Saluator nec exauditor, nec tamen ceſſant à ſua præſumptione indurati, de qua miſeria paſſim in Prophetis multa & horribilia. *Prou. 1.* *Act. 4.*

Iudæorum miſeria.

Et comminuam eos, vt puluerem ante faciem venti, vt lutum platearum delebo eos.

ISta contuſio & comminutio Pſ. 1. tractata eſt ſatis, quod Iudæi duplici cōtritione cōtriti ſunt, & facti ſicut puluis, quē proijcit ventus. Videmus enim *Pſal. 1.*

Duplex contritio & conculcatio Iudæorum.

mus enim eos toto orbe diſperſos,nuſquam ſede quieta & certa habitantes, nullum regnum,nullum principatum,nihil prorſus virium habentes. Multo autem magis in varias impietates ſpiritualiter diſperſi ſunt,dum omiſſa fide Chriſti varijs & peregrinis doctrinis circumferuntur. Sic & in conculcationem dati ſunt omnibus gentibus per orbem, ſicut lutum platearum,quod
Iſai 10. euacuatum,prorſus nulli vtile eſt,niſi ad contaminandos pedes. Sic Iſa.10. erit in conculcationem quaſi lutum platearum. Et Ebræus dicit, Vt lutum
Matth 5. platearum euacuabo eos,hoc eſt,ſicut Matt.5.de Sale infatuato dixit,Ad nihilum valet vltra,niſi vt mittatur foras,& conculcetur ab hominibus. *Sal infatuatum.* Iudæis vero & hic duplex eſt conculcatio, quod & corporaliter omnibus ſubiecti ſunt & contempti,ſicut inutile lutum,deinde & ſpiritualiter à dæmonibus per ignominioſam doctrinam.

Obſerua emphaſes,Puluerem & lutum platearum,Electi ſunt,terra ſolida,bona & fœcunda,non puluis ſterilis vento expoſitus, Et lapides precioſi, *Electi.* honorabiles,expoliti,non lutum ignobile & vacuum omnia vtilitate. At ſicut è puluere & luto omnia euacuata ſunt,quæ aliquid ſunt,ita vt à reprobis, *Reprobi.* vt nihil in eis ſit reliquum,quod vſum habeat in rebus.

Eripies me de contradictionibus populi,Conſtitues me in caput Gentium,Populus quem non cognoui ſeruiet mihi.

HIc Chriſtus in perſona ſua loquitur,Quanquam & ſuperius dicta omnia ad perſonam eius pertinere poſſint,eo,quod ipſe omnia fecit,& Eccleſiam facere eadem fecit.Clare autem prophetat reiectionem *Reiectio Synagogæ.*
Hag.2. Synagogæ,& aſſumptionem Eccleſiæ gentium.Sic & Haggæi.2.Chriſtus vo- *Gentium aſſumptio.*
Gen.49. catur deſideratus gentibus,& Gen.49.Et ipſe erit expectatio gentiū. Et Iſa.11.
Iſa 11. Radix Ieſſe,qui ſurget regere populos,ipſum gentes deprecabuntur, Et mul-
Rom.15. tis alijs locis,ſicut & Rom.15.aliquod cum iſto præſenti Paulus recenſet.

Odioſe autem dicit,De contradictionibus populi.In quo iuſticiam Dei commendat,& culpam Iudæorum aggrauat,Ac ſi dicat,Nihil in iſto amarulento & indurato populo,niſi contradictio eſt.Parum fuiſſet,ſi non crederent, *Contradictio populorum.* aut contēnerent,At nunc oblatam miſericordiam etiam vi perſequuntur,& indomito furore reſiſtunt ac contradicunt,Quo cogunt ſe derelinqui, & me
Pſal.110. fieri gentium caput,vt Pſal.110.Iudicabit in nationibus,implebit ruinas.

Et hic obſeruandum,loqui Prophetam non de initiali,ſed perſeuerante impietate & eius retributione, quemadmodum ſuperius de perſeuerante pietate locutus eſt,Nam miſericordiæ & indurationis principia nemo nouit,
Rom.11. quæ ſunt inſcrutabilia iudicia Dei,Rom.11.

Et ne quis eum putet fore caput gentium eiuſdem populi contradictoris, ſeipſum exponit clarius,& à Iudæis penitus diſtinguit,dicens, Populus quem *Populus quem non cognoui,ſeruiet mihi.*
Pſal.76. non cognoui,ſeruiet mihi,Ne vlterius glorientur, quod ſolum in Iudæa ſit
Deut.32. notus Deus.Sic Deut.32.Ipſi me prouocauerunt in eo,qui non eſt Deus, & irritauerunt in adinuentionibus ſuis?Et ego prouocabo eos in eo, qui non eſt
Hoſ 2. populus,& in gente ſtulta irritabo illos.Sic Oſe.2.Vocabo non populum meum,populum meum.Et erit in loco vbi dictum eſt eis,Non populus meus,dicetur,filij Dei viuentis.

Quod autem dicit,Non cognoui,refert Auguſt.ad corporalem præſentiam Chriſti,qua viſitauit Iudæos,Poteſt autem referri melius & ad omnia alia,quæ huic populo familiariter exhibuit, Qualia ſunt lex,promiſſa,mira-
Rom.9. cula,& quæ Roman.9, etiam Paulus commemorat, quæ gentibus non exhibuit,

hibuit,quibus illos ſolos agnouiſſe dicitur,Contra virginibus Matt.25.& hypocritis Matth.7.dicit, Neſcio vos. *Matt.25.7.*

In auditu auris obediuit mihi,
Filij alieni mentiti ſunt mihi.

Iudæorum perfidia obſtinata.

COmparat obſtinatam Iudæorum perfidiam, cum prompta Gentiũ fide,Illi multis ſignis virtutibusq; honorati,lege & Prophetis inſtructi,demum ipſo Chriſto& Apoſtolis docentibus vocati,nec ſic ad fidem venire voluerunt, Nihil horum Gentibus exhibitum, ſed tantum auditus & ſonus Euangelij ad eos peruenit,& mox obedierunt, quia ſic præordinauerat Deus,Hoc eſt,quo inſigni emphaſi,fidei promptitudinem commendat, In auditu auris audient mihi(vt Ebræus habet)quia ſolo verbo,aure percepto crediderunt Gentes cum Prophetas & legem non habuerint. *Prompta gentium fides.*

Auditus. Auditus ſeu auditio,tropo linguæ proprie vtitur ſpiritus,pro ipſo verbo vocis,vt Iſa.53,Domine,quis credidit auditui noſtro?id eſt, verbo quod nos prædicamus audiendum. Aba,3. Domine audiui auditionem tuam (id eſt, verbum tuum audibile)& timui, Mireq; placet iſta proprietas, qua duplex myſterium indicare videtur Spiritus, Primum,quod verbum Dei tale eſt, quod niſi omnibus ſenſibus clauſis,ſolo auditu percipias,& ei credas,non capias,vt Iſa.7.dicit.Niſi credideritis non permanebitis, Stultificat enim & excæcat verbum Dei,ſed vt Apoſtolus dicit,captiuat omnem intellectum in obſequium Chriſti.Quo tropo & Chriſtus ad Phariſæos dixit.Sermo meus non capit in vobis. Quod nemo intelligit,niſi in die tribulationis, vbi deſtitutus homo prorſus omni conſilio,ſimpliciter hæret in verbo & ductilem ſeſe præbet auditui diuino. *Iſa 53.* *Aba.3.* *Iſai.7.* *2.Cor.10.* *Iohan.8.*

Querel in Scripturis de populo Iudaico. Hinc illa querela in Scripturis de populo Iudaico,quod auribus grauiter audierunt,nec inclinarent aures ſuas,nec obedirent voci Domini,Quia in die tribulationis non ſeſe præbuerunt ductiles verbo Dei, ſed ſuis ſe conſilijs & oculis regere volebant,hoc eſt,non crediderunt,ſed ſicut equus & mulus ſentire voluerunt.

Actum igitur credenti(vt vocant)neſcio quibus verbis poſſis aptius eloqui,quam iſta periphraſi diuina,Auditu auris audiuit mihi,hoc eſt,Stultus ſibi fuit populus gentium,vt mihi crederet in his,quæ non videret, nec caperet Quam pulchre huc fabula illa Gallici Herculis trahi poſſit, quis non videt?Quid aureæ catenulæ populos per aures molliter trahentes, quam verbum vocale Dei,quo credentes trahuntur ad Chriſtum?Sed eſto hæc gentilia,non tamen non ideo Chriſto ſubiecta & ſeruientia. *Gallicus Hercules.*

Chriſtus nihil ſcripſit,ſed omnia dixit. ALterum myſterium eſt,in Eccleſia non ſatis eſſe,Libros ſcribi & legi,ſed neceſſarium eſſe,dici & audiri, Ideo enim Chriſtus nihil ſcripſit,ſed omnia dixit,Apoſtoli pauca ſcripſerunt,ſed plurima dixerunt,Ita cum poſſet Pſal.19.dicere,In omnem terram exiuit Liber eorum,potius dixit,Exiuit ſonus eorũ,id eſt viua vox,Et in fines orbis terræ,nõ ſcriptura ſed verba eorum,Item.Non ſunt loquelæ,neq; ſermones,quorum non audiantur voces eorum,Nota,audiantur voces eorum,non ait,legantur Libri eorum.Noui enim Teſtamenti miniſterium,non in lapideis & mortuis tabulis eſt deformatum,ſed in viuæ vocis ſonum poſitum, Inde & alibi dicit, Deus locutus eſt in Sancto ſuo,Nunc enim loquitur in Eccleſia,qui olim ſcripſit in Synagoga,per Scripturas ſanctas promiſit Euangelium,Rom.1.ſed per verbum viuum perficit & implet Euangelium. Vnde magis conandum,vt multi *Pſal 19.* *Miniſterium noui Teſtamenti.* *Rom.1.*

ſunt

ſunt Concionatores quam boni Scriptores in Eccleſia, Quo ſenſu & Paulus ad Gala. ſcribit, Vellem modo præſens eſſe apud vos, vt mutarem vocem meam, Quod multa poſſint & efficacius voce tractari, quæ ſcriptis non poſſunt. *Galat. 4.*

Filij alieni mentientur mihi. Alienos vocat, qui ipſi ſe alienauerunt à Chriſto, incredibiles facti, Id enim vox ebraica hoc loco ſignificat. Suboccultè autem Patres commendat, & degeneres filios arguit, Filij enim ſunt Patrum ſecundum carnem, ſed alieni ſecundum ſpiritum, cum non ſequantur Patrum veſtigia, De quibus Pſal. 4. dictum poteſt videri: Filij viri (id eſt, filij virorum & patritiorum per ſynecdochen) vſq; quo gloria mea ad ignominiam? Porro, mentiti ſunt, id eſt, mendaces facti ſunt mihi, dum iactant ſeſe Patrum hæredes & populum Dei, cum nihil minus exhibeant. Contra Gentium populus, nec de Patribus, nec de cultu Dei glorians, factus eſt filius domeſticus, veritatem faciens per fidem, qua ſe exhibet populum Dei. Qui autem non credunt, veritatē Dei non habent, ideo mendaces ſemper manent, cum ſola fides faciat veraces. Significat ergo Iudæorum futuram perfidiam & pertinaciam, quod non tantum errant, ſed errorem etiam pro veritate ſtatuant atq; defendant. *Alieni filij.* *Filij viri, Pſal. 4.* *Filij domeſtici.*

Filij alieni inueterati ſunt,
Et claudicauerunt à ſemitis ſuis.

DVm enim mentiuntur, & veritati pertinaciter contradicunt, non modo non renouantur ſenſu mentis ſuæ, ſed indurantur etiam & irrecuperabiliter inueteraſcunt in ſuis opinionibus, Errantem enim facile eſt reuocare, ſed mendacem, qui ſtudioſe veritatem impugnat, quis queat reuocare? Sic Pſal. 4. Vt quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium? Hoc in Iudæis impleri abunde videmus. *Pſal. 4.* *Errans. Mendax.*

Et claudicauerunt à ſemitis. Quod 2. Reg. 22. & apud Hiero. ſic legimus, Et contrahentur in anguſtijs ſuis. Alij ſic. Et claudicabunt à vinculis ſuis. Et 2. Reg. 22. per metatheſin literarum verbum Hagar, quod hic Harag ponitur, forte quod voluerit ſpiritus parum referre, ſiue claudicare, ſiue contrahi vinculis eos diceret. Eſt enim ſenſus, Iudæos, qui contempta fide libertatem Chriſti reſpuerunt, dati ſunt in reprobum ſenſum, vt ſeſe ſuis proprijs doctrinis, ceu vinculis quibuſdam illaqueent, affligant, & excarnificent, nec tamen vnquam rectè incedant, ſemper autem claudicent, vt ſit contritio & infelicitas in vijs eorū. Idem ſenſus eſt, Pſal. 81. Et non audiuit populus meus vocem meam, & Iſrael non intendit mihi, Et dimiſi eos ſecundum deſideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus ſuis. Et Prou. 1. Et comedent fructus viæ ſuæ, ſuiſq; conſilijs ſaturabuntur. *2. Reg. 22.* *Iudæi in ſenſum reprobum dati* *Pſal. 81.* *Prouer. 1.*

Nec poſſet res iſta iuſticiaria impiorum aptius & ſignificantius dici, quam quod contrahuntur in anguſtijs ſuis, Videmus enim omnes tales, quam ſint ſcrupuloſi & captiuæ conſcientiæ, vt etiam ibi timeant, vbi timor non eſt, & ibi peccatum ſuſpicentur, vbi forte meritum eſt, Adeò anguſtam ſibijpſis, tum opinionibus, tum traditionibus ſuis, faciunt viam, ſemper inquieti, ſemper ſcrupuloſi, ſemper meticuloſi, quos Coloſ. 2. Paulus pulchre tangit, vbi eorum verba irridet, dicens, Ne tetigeris, ne guſtaueris, ne contrectaueris, quæ pereunt ipſo vſu, rationem quidem ſapientiæ habentia. Ita enim ſuis ſtatutis imbuuntur, Hoc non licet, & hoc non licet, deniq; nihil eis licet, niſi eſſe impios in Deum & homines, Exempla ſunt noſtro ſeculo, ſacerdotum & religioſorum mores & ritus. *Iuſticiarij, ſcrupuloſi & inquieti ſemper.* *Coloſ. 2.* *Ne tetigeris.*

Hi ergo ſemper errant corde, & non cognouerunt vias Domini, vt Pſal. 10. dicit, quos 3. Reg. 18. Elias figurat, dum Baalitas increpat, dicens, Vſq; quo claudicatis in duas partes. Claudi enim ſunt, dum altero pede tantum, aut vtroq; non ambulant, & tamen quia mouentur, ſimiles ſunt ambulantibus, hoc fit, dum affectu impio incedunt in litera ſeruitutis, operibus ſuis & ſemitis ſuis Deo ſeruire præſumentes. *Pſal. 10.* *3. Reg. 18.*

Viuit Dominus & benedictus Deus meus,
Et exaltetur Deus ſalutis meæ.

FInita ſua & Eccleſiæ hiſtoria ſeu prophetia, reuertitur ad laudandum & benedicendum Deum, Poteſt autem laudantis affectu intelligi dictum, Viuit, id eſt, eius ſit vita & benedictio, ſicut dicitur, Soli Deo gloria & honor. Sic & Apoſtolus 1. Tim. 6. Qui ſolus habet immortalitatem, ita ſolus viuit & ſolus eſt benedictus, ita ſolus eſt, qui exaltari debet, vt eius ſolius ſit gloria. Hoc modo in Iudaicam perfidiam dicitur, qui ſuis anguſtijs, vitam, benedictionem & gloriam quærunt, quas oportuit ſoli Deo tribui & acceptas referri, Vnde dicit, Deus ſalutis meæ, id eſt, qui ſaluum me facit, non ego meipſum meis viribus, tropo vſitato, quo Deus iuſticiæ meæ, Pſal. 4. dicitur, id eſt, qui me iuſtificat. In Ebræo autem, Benedictus Deus meus, Zuri dicitur, quod aliquando pro petra, aliquando pro fortitudine transfertur, vt in principio Pſalmi huius vidimus, Deus meus, fortitudo mea, ſperabo in eo. Ita & hic, Deum laudat, vt in quo fortitudinem ſuam ſitam confitetur non in ſeipſo. *1. Tim. 6.* *Deus ſalutis meæ.* *Pſal. 4.* *Zuri.*

Poteſt etiam glorian tis affectu hic verſus dici, in deſpectum eorum, qui contrahuntur ſuis anguſtijs, quod neq; vitam, neq; fortitudinem, neq; gloriam Dei habeant, ac per hoc nec ſalutem, quæ non niſi in Domino habetur per libertatem fidei.

Deus, qui das vindictas mihi, Et ſubdis populos ſub me.

DEus qui das, pro, qui das, more ſuo, Duplici ſenſu poteſt hoc dici, Primo, das vindictas mihi, id eſt, vindicas me, vt Pſal. 110, Donec ponam inimicos tuos, ſcabellum pedum tuorum. Secundo, das mihi vindictam facere, quia conſtitutus eſt Iudex viuorum & mortuorum. Et Ioh. 6. Dedit ei poteſtatem iudicium facere, quia filius hominis eſt, Vbi non ſeipſum clarificaſſe docetur, nec ſeipſum vindicaſſe, Nobis in exemplum, ne arrogantes & ambitioſi ſimus. Ita vindicat Chriſtus in Iudæos impios, & regnat ſuper Gentium populos credulos, Dextera Dei in hoc exaltatus, & Dominus omnium factus. *Das vindictam mihi.* *Pſal. 110.* *Ioh. 6.*

Liberator meus, de inimicis meis iracundis, ab inſurgentibus in me.
A viro iniquo eripe me.

VIdentur hi quatuor verſus vltimi, Epilogus quidam eſſe eorum, quæ toto Pſalmo dicta ſunt. Quare ſatis ex præcedentibus apertus eſt eorum ſenſus. Id quod, A viro iniquo (id eſt, viris iniquitatis, per ſynecdochen) dicit, Ebræis eſt, Hamas illa, id eſt, iniuria, quæ lædit & malum facit proximo, quod ſatis proprie iniquitatem diceret, niſi alibi variaret Interpres. *Hamas.*

Propte-

Propterea confitebor tibi in nationibus Domine.
Et nomini tuo cantabo.

Rom. 15. HVnc verſum Paulus Rom. 15. citat, vt diximus, qui & cogit hunc Pſalmum de Chriſto proprie intelligi. Igitur Chriſtus à Iudæis liberatus, iracundis, hoſtibus, inſurgentibus, iniquis, in gentium eccleſia per fidem cognitus laudat, & cantat nomen Domini, hoc eſt, datis donis ſpiritus ſui, facit nos confiteri & cantare. Porro ipſum confiteri, & cantare indicat, nos non noſtris iuſticijs, ſed gratuitis Dei beneficijs viuere & eſſe in Eccleſia, vt ſoli fidei & miſericordiæ Dei gloria maneat.

Magnificans ſalutes Regis ſui, & faciens miſericordiam Chriſto ſuo,
Dauid & ſemini eius vſq; in ſeculum.

MAgnæ autem ſunt ſalutes, quibus Chriſtum Regem ſuum & Chriſtianos ſaluos facit, quia à morte, à peccatis, ab inferno & omnibus malis ſaluat, æternæ enim ſunt iſtæ ſalutes, vita, iuſticia & gloria, Salutes autem corporales, paruæ, imo nihil ſunt, In quo docemur, ſalutem corporis contemnere, & Chriſtianum eſſe, vt magnas ſalutes, æternaſq; ſpectemus, Nouo enim teſtamento conuenit magna, ſalutes habere, ſicut veteri congruebant paruæ. Idem eſt quod dicit, Et faciens miſericordiam Chriſto ſuo, hic finis verſus medij. Salutes enim illæ nullis merentibus, ſed ſolo miſerente Deo donatæ ſunt, Vnde Chriſtum ſuum hic intelligit, vnicum illum, in quo promiſſa eſt miſericordia donanda, cui ob id & factam hic dicit, id eſt, impletam in eo. *Salutes per Chriſtum.*

Dauid & ſemini eius vſq; in ſeculum. Cum ſit altera pars verſus hoc mihi videtur dicere, quod ſalutes in Rege illo & miſericordia in Chriſto Domini ſint impletæ, vt ſatisfieret Dauid & ſemini eius, cui facta eſt promiſſio de rege & Chriſto Dei Iacob, vt 2. Reg. vlt. dicitur, Totum ergo, quod priore parte factum dicitur in Chriſto, Dauidi & ſemini eius factum intelligatur in æternum, vt Iſa. 55. Miſericordias Dauid fideles dabo vobis, quod Actor. 13. dicit Lucas, Dabo vobis ſancta Dauid fidelia, hoc eſt, æternas ſalutes & miſericordias, Fortiter enim hæſerunt Prophetæ in promiſſionibus Dei, & ſæpe eaſdem repetunt & inculcant, quin & dilatant & explicant, Quod & omnibus, qui ſalui fiunt, neceſſarium eſt, cum in his ſolis ſita ſit ſalus, non in præceptis aut operibus vllis.

2. Reg. vlt. Iſai 55. Acto. 13.

PSALMVS XIX.

Titulus ad victoriam. Pſalmus Dauid.

COeli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat Firmamentum.

HVnc

Digitized by Google

HVnc Pſalmum eſſe de miniſterio Euangelico intelligendum, docet & cogit Paulus Rom. 10. dicens, Nunquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Vnde cœlos, firmamentum, ſolem, dies, noctes & ſimilia, allegorice oportet accipere, quibus iucundis inuolucris, nos ſpiritus trahit, ab hoc viſibili mundo, ad ſpectaculum, cuiuſdam noui mundi, in quo, alij cœli, noctes, dies ſint, quorum in hoc mundo figuram & vmbram videmus. Cogit ergo nos hic ipſa euidens circumſtantia & conſequentia dictorum, tum autoritas noui Teſtamenti, allegoriam apprehendere, quæ alioqui tractatori Scripturarum fugienda eſt, quantum fieri poteſt, ne ſimplicitate ſenſus amiſſa, vagetur in meris ſuis ſomnijs. Sic enim ſæpe dicimus, Non licere in Scripturis allegorijs ludere (ſaltem in contentione) niſi alijs Scripturæ locis euincatur allegoria. Rom. 10.

Allegoria ſcripturarum vitanda, quantum fieri poteſt.

Diximus autem in ſuperioribus quoq;, Spiritum ſolere aliquando verbis allegoricis vti, dum res quaſdam allegoricas (vt ſic dixerim) tractat. Sic Pſal. 2. Reges eos in virga ferrea &c. Cum Euangelium ſit dulce & molle, apparet tamen carni ferreum, rem glorioſam tenuibus & humilibus verbis eloquens. Contra hic, velut in ſublimi genere dicendi, res quæ in oculis hominum viles ſunt, magnificis & potentibus verbis eloquitur, figurata incedens oratione, pene per totum cœlos appellans eos, qui peripſima & feces mundi erant, ac vere quædam allegoria viua, quæ aliud gerebat & aliud erat. Pſal. 2.

Euangelium apparet carni ferreum.

Cœli.

Cœli igitur ſunt, Apoſtoli, & quotquot funguntur Apoſtolico miniſterio, id eſt, officio verbi. Atq; hic egregia eloquentia videbimus nobis differi, quid ſit Euangelium, quid ſit eſſe Apoſtolum ſeu Epiſcopum in Eccleſia, tum qualis eſſe debeat, qui Epiſcopum agere velit. Primum, Cœli eſſe debent & firmamentum, Obſecro, quid hic non virtutis in Eccleſiaſtico miniſterio exigitur? Cœli ſunt thronus & habitaculum Dei, ſicut Iſa. 66. dicit, Cœlum mihi ſedes eſt. Inhabitantem ergo Deum habeat, pontifex eccleſiæ Dei, vt ſit ſine crimine, & omnibus dotibus ornatus, quibus eum Paulus Tit. 1. & 1. Tim. 3. deſcribit, cœleſti ſcilicet vita, & Deo digna conuerſatione degens in terris, Qua puritate mereatur erudiri deſurſum & docibilis Dei eſſe, vt terrenis hominibus, non ſua, ſed diuina tradat. Deinde firmamentum ſit medium aquarum, ſic enim cœlos appellare placuit Gen. 1. propter futura myſteria, Quia Epiſcopus & verbi miniſter firmus eſſe debet in fide, cum in medias perſecutionum aquas propter verbum Dei ponatur, ne vel ſuperioribus vel inferioribus cedat, nec proſperis, nec aduerſis commotus, Atq; hæc quidem perſonam abſoluunt, quibus erit ſanctus Deo, firmus hominibus, Si enim mercenarius fuerit, fugiet, & non firmamentum, ſed nubes ſine aqua, aut vapor modicum parens erit. Iſa. 66. Tit. 1. 1. Tim. 3. Gene. 1.

Epiſcopus ſeu miniſter verbi, qualis eſſe debeat.

Vnde erudiendus Epiſcopus.

Nubes ſine aqua.

Officium Epiſcopi.

OFficium vero eſt, enarrare gloriam Dei, & annunciare opera manuum eius. Id quod puris, citra figuram, verbis deſcribitur, quo & cogimur cœlos intelligere quoſdam homines, cum enarrare & annunciare cœli viſibiles non poſſint, neq; enim os, linguam aut vocem habent, niſi allegoriſare vellemus, Quare vides Apoſtolis apoſtolicisq; viris, non ſcripturas, ſed voces viuas in Eccleſia ſonandas mandari. Atq; hac ratione Epiſcopos & ſacerdotes non eſſe, qui hodie ſic vocantur, etiamſi vna die omnes Preculas & omnes Miſſas abſoluerint. Non enim officium eorum eſt legere Horas canonicas, Miſſas frequentare, in templis boare, organis muſicis ſtrepere, & ſurdis ac mutis vocibus omnia implere, denique neque miracula facere,

Epiſcopos & Sacerdotes non eſſe qui noſtro tempore ſic vocantur.

aut

aut optimis operibus,ſtudijs,exercitijs vitam exornare, exemploq; bono alijs
lucere ſatis fuerit,Sed enarrare & annuntiare & alijs in verbo ſeruire,quod qui
faciunt vbi ſunt? Nec ſatis eſt enarrare aut annuntiare quoduis,ne ſcilicet glo-
riam hominum,aut opera manuum hominum annuntient,ſed gloriam Dei *Euangelium quid*
& opera manuum eius,hoc eſt,non niſi Euangelium. Quid n.eſt Euangeli- *ſit.*
um,niſi annuntiatio gloriæ Dei & operum eius? id eſt, Ieſus Chriſtus filius
Dei,Quod videbimus,ſi quid gloria Dei,& opera manuũ eius ſint,viderimus.
1.Cor.1. Paulus 1.Cor.1.dicit,Nos prędicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis
ſcandalum,gentibus ſtultitiam,Ipſis vero vocatis ſanctis,Dei virtutem & ſa- *Dei eſt iuſticia &*
pientiam.Solius enim Dei eſt iuſticia,veritas,ſapientia,virtus, ſanctitas, ſalus, *noſtra iniquitas.*
& omne bonum,Noſtra autem eſt iniquitas,inſipientia,mendacium,infirmi-
tas,& omne malum,vt hæc omnia abunde in ſcripturis probantur, & nos in
Pſal.116. ſuperioribus ſæpius docuimus.Omnis enim homo mendax, & perditio tua
Iſrael.Hinc omnes vacui ſunt gloria Dei,& non poteſt gloriari in conſpectu
Rom.3. eius omnis caro,vt Paulus Rom.3.dicit.At Chriſtus factus eſt nobis à Deo iu-
ſticia,ſapientia,ſanctificatio & redemptio,& per eum gloria Dei habitat in
terra noſtra,& iuſticia de cœlo proſpicit,vt qui gloriatur in Domino glorie-
tur.Benedixit enim nos Deus & Pater miſericordiarum omni benedictione
cœleſti in ſpiritualibus,verum non niſi in Chriſto Ephe.1.
Ephe.1. Quare gloria Dei enarrari non poteſt, niſi ſimul ignominia hominum *Gloria Dei ſine ho-*
enarretur.Nec Deus verax & iuſtus & miſericors prædicatur,niſi nos menda- *minum ignominia*
ces & peccatores & miſeri prædicemur,Quæ ſi crediderimus vtraq; ſalui eri- *non poteſt enarra-*
Pſal.51. mus,& miſericordia Dei in nobis regnabit in gloriam eius.Sic Pſal.51. Ti- *ri.*
bi ſoli peccaui,vt iuſtificeris in ſermonibus tuis.Ita nihil in nobis eſt vnde glo-
riemur,ſed omnia abundant vnde confundamur, Eſt autem in Deo vnde
gloriemur,& nihil vnde confundamur.
Ex quibus colligitur,gloriam Dei eſſe duplicem,eam qua nos in ipſo glo- *Gloria Dei duplex.*
riamur,pura conſcientia per miſericordiam eius gratuitam donata, & eam
qua ipſe in nobis & à nobis glorificatur.Et enarrari gloriam Dei,aliud non eſ-
ſe,niſi prædicari id,in quo Deus glorificatur & nos gloriamur, hoc eſt, vni-
uerſa inæſtimabilis miſericordiæ ſuæ mirabilia & diuitias gloriæ miſeratio-
num ſuarum,ſuper nos effuſas,quod eſt vere Ieſum Chriſtum & Euangelium
pure doceri.
Vide ergo quam ſpiritus breuiſſimo verbo tantas res elocutus ſit,nec ſo-
lum breuiſſimo,ſed aptiſſimo quoq;,Nam non ſolum res,ſed & vſum rerum
exprimit,Multi enim Chriſtum prædicant ſed ita,vt vſum & beneficium eius *Chriſtum prædica-*
nunquam intelligant aut dicant,Vt facit vulgus illud Concionatorum, qui *re vere quid ſit.*
non niſi hiſtorias Chriſti prædicant,dum optime prædicant.At non eſt Chri-
ſtiana prædicatio,ſi hiſtorice Chriſtum prædices,non hoc gloriam Dei prædi-
care eſt,Sed ſi docueris hiſtoriam Chriſti eo pertinere,vt nobis proſit creden- *Hiſtorice Chriſtum*
tibus ad iuſticiam & ſalutem,vt non ſibi,ſed nobis omnia fecerit, voluntate *prædicare &c.*
Dei Patris,& omnia quæ in Chriſto ſunt,noſtra eſſe ſciamus.Hæc fides & ſci-
entia Domini facit nos amare,gloriari & glorificare.Hanc gloriam & Moſes
& Prophetæ etſi cognouerunt,non tamen enarrauerunt,ſed enarrandam ali-
quando prædixerunt,cum doctrina legis potius gloriam hominum & igno- *Doctrina legis.*
miniam Dei operaretur,dum per opera legis aut ſuperbi præſumerent,aut de-
ſperati Deum odirent homines,cœlorum eſt hæc enarratio.Vnde & hic Pſal-
mus vnus eſt locorum,in quibus Rom.1. Apoſtolus dicit, Euangelium eſſe
promiſſum in Scripturis ſanctis per Prophetas.

Si omnia gratia Dei tribuuntur non opus eſt operari bonum.

Cum ergo omnia Chriſti noſtra ſint, Euangelio docente, & iuſticiam non operibus legis, ſed gratiæ Dei tribui, ſequi putatur, ꝙ & ad Apoſtoli prædicationem ſequi putabatur, ſcilicet, Nos iam non debere operari bonum, imo facere mala, vt veniant bona, Peccare vt glorificetur Deus, manere in peccato, vt gratia abundet, & ijs ſimilia, Sic enim ſapit prudentia carnis, quæ gloriam Dei non capit, ſuffocata in gloria ſua. quam Apoſtolus pulchre confutat Rom. 6. & 8. De quo nunc non eſt tempus dicendi. *Rom. 6. 8.*

Opera manuum Dei quæ.

OPera manuum eius, Hic Maeſæ, id eſt facturę, fabricæ, dicuntur, non actiones aut operationes, quas vocant, transeuntes. in quo iterum virtus gratiæ Dei commendatur, & noſtra confuſio reuelatur, Sunt enim opera manuum Dei, ipſæ nouæ creaturæ, ipſi fideles, de quibus Iacob 1. Voluntarie n. genuit nos verbo veritatis, vt eſſemus initium aliquod creaturæ eius, Et Paulus Gal. 6. In Chriſto enim Ieſu, neq; circumciſio, neq; præputium aliquid valet, ſed noua creatura. Non enim verbum Euangelij, actus agentis mutat, nec reſpicit ad munera, ſed offerentem, Quia non opera gratum faciunt apud Deum, ſed gratus facit opera, nec ſtat gloria Dei niſi in operantibus, nequaquam in operibus. Moſes quidem per legem opera mutat, non operantes, Ideo hypocritas facit, & in ſpeciem iuſtificat. Euangelium autem viuificat & veritatem facit in hominibus. *Iacob. 1.* *Galat. 6.*

Opera non gratum faciunt coram Deo, &c.

Creatio. Recreatio.

Quod autem de operibus recreationis loquatur, non de creationis, ex eo capi poteſt, quod de Euangelio prophetat, in quo docetur, quid ex nobis fieri oporteat, Quanquam reuera nihil differat creatio & recreatio, cum vtraq; ex nihilo operetur, Et omnis creatura ſit opus manuum Dei, præter impios omnia enim alia, non ſibi ſeruiunt, non agunt, ſed aguntur & ſoli Deo ſunt ad gloriam, ad quorum imaginem & nos fieri oportet. Quid ergo eſt annunciari opera manuum Dei, niſi docere, veterem hominem crucifigi & nouum indui, mori Chriſto, & reſurgere cum Chriſto, & ſic impleri in nobis gloriam Dei?

Annunciari opera Dei.

Fruſtra hiſtoriam paſſionis Chriſti prædicant, qui eius vſum non docent.

Vbi iterum vides, quam breui & apto verbo eloquatur ſpiritus, non ſolum myſteria crucis Chriſti, ſed & vſum & beneficium eius. Vt & hic diſcas, meros eſſe fabulatores, qui Chriſti paſſionem prædicant hiſtorico more, nullum eius vſum & fructum docentes, qui eſt, vt opera manuum Dei efficiamur. Vbi ergo manebit Lib. arb. vbi facere quod in ſe eſt? cum hic fieri nos doceamur, non facere, & non nos operemur, ſed Deus nos operetur, facturæ non factores ſimus, Funditus ſcilicet ruit omnis Theologia ſuperborum. Atq; hæc eſt cauſa, quare cœlos & Firmamenta eſſe oporteat eos, qui hæc enarrant, cum ſint aduerſaria toti mundo, maxime ſapientibus, ſanctis & potentibus, quorum furijs & turbinibus ne cedant neceſſum eſt.

Dies diei eructat verbum,
Et nox nocti indicat ſcientiam.

MIra varietate hic verſus tractatus eſt, qua dimiſſa, noſtro ſpiritu abundemus. Videtur enim declarare, quod dixit verſu primo, ne carnalis quiſpiam gloriam Dei & opera manuum eius ſic enarrari intelligat aut expectet, vt ſimul rem ipſam videamus, ſeu viſibilia ſint, quę narrantur, quo modo gloriæ & opera hominum ſe habent & narrantur, ſic n. fides euacuaretur. Ideo talem gloriam, & talia vult opera Dei intelligi, quę niſi verbo & fide capiantur, non capiantur, Non n. videtur ſolius Dei gloria eſſe, nedum quid ſimus in opere Dei apparuit, ſed fide interim credimus, Alioqui quid

Gloria & opera Dei verbo & fide intelliguntur.

quid erat vt diceret,enarrant,annuntiant? Quod enim narratur,non exhibetur viſui,ſed auditui,non oſtenditur in re,ſed in verbo,Ideo dicit,Cœlos enarrando non proferre rem,ſed verbum, non indicat id quod cognoſcitur, ſed ſcientiam ſeu cognitionem,Vt oculos effodiat,ſenſum captiuet, ſtultos faciat,& ſolo auditu fidei ſaluos faciat.Apud Philoſophos enim enarratores videntur ſibi res ipſas indicare,non verbum,cum ſcientia non indicetur,ſed indicet rem,ideo ſtulti fiunt in his eloquijs Dei.

Matt.5. Componit autem iucunda antitheſi,dies & noctes, Dies ipſi cœli,Apo- *Dies diei.*
Ephe.5. ſtoli,Firmamentum,quibus Dominus dicit Matt.5.Vos eſtis lux mundi. Et
1.Theſſ.2. Paulus ad Ephe.5.Nunc autem lux in Domino eſtis.Et 1.Theſſ.2. Inter quos luceris ſicut luminaria mundi,verbum vitæ retinentes. Hic dies nono ſole Chriſto ſactus,eructat alteri diei,id eſt,mundo,ſeu hominibus mundi,luce ſa- *Eructat verbum.* pientiæ ſuæ fulgentibus,verbum, id eſt, non exhibet quod videat,ſed quod credat & deſinat eſſe dies,& ſapiens in oculis ſuis, Ac ſi dicat,Sapientia ſpiritus prædicat ſapientiæ carnis,& ita prædicat,vt captiuet verbo, & ſtultam fa- *Sapientia ſpiritus & carnis.*
1.Cor.1. ciat.Nam ſapientia ſpiritus,dies eſt coram Deo,ſapientia carnis,dies eſt coram mundo,id eſt,vtraq; in loco ſuo,celebris, clara & glorioſa eſt. Sic 1. Cor. 1. Nonne Deus ſtultam fecit ſapientiam mundi? Scriptum eſt enim,Perdam ſapientiam ſapientium,& prudentiam prudentium reprobabo.

Hic ſenſus ex eo mihi placet,quia ſcriptum eſt,Euangelium prædican-
Rom.15. dum eſſe ijs,qui ignorant,Rom.15.Quoniam quibus non eſt nuntiatum, de eo videbunt,Cum ergo dies eructet verbum diei,non vtiq; ei, cui eructatum eſt,nec ſibiipſi eructanti,ſed alteri & contrariæ,cui non fuit eructatum.

Eſſe autem dies & noctes hic allegoricos,cogit id quod dicit, Eructat *Nox nocti indicat* verbum,indicat ſcientiam,Neq; enim dies iſti naturales eructant verbum,aut *ſcientiam.* indicant ſcientiam,aut audiunt & cognoſcunt,cum verbum,auditio,ſcientia, eruditio,ſed & eructare & indicare ſit hominum viuentium in terra,Sed & ſequens verſus de ſermonibus & loquelis,confirmat idem.Ita nox,id eſt, Apoſtoli fideles,nocti infideli indicat ſcientiam. Eſt enim eiuſdem repetitio ſiue geminatio, Sicut enim fideles ſunt lux coram Deo,in Deo,ita ſunt nox coram & in mundo,ſcilicet obſcuri & contempti,imo & in oculis ſuis nihil & tenebræ ſunt,quia ſibipſis non placent,Contra impij & infideles,vt ſunt lux in
Epheſ.5. mundo & oculis ſuis,ſibi placentes & apparentes,ita in ſpiritu & in oculis Dei ſunt nox & tenebræ,Sic Apoſtolus enim dicit,Eratis aliquando tenebræ.

Quatuor itaq; limites hic digerit Propheta,vocans homines,quales ſunt, ſecundum diuerſos conſpectus & partes ſuas,Impij ſunt dies in oculis ſuis, ſecundum exteriorem hominem,Nox in oculis Dei, ſecundum interiorem hominem.Pij ſunt dies in oculis Dei,ſecundum interiorem hominem, Nox in oculis hominum ac ſuis,ſecundum exteriorem hominem.

Obſerua obſeruantiam Prophetæ, quomodo verbum tribuat diei, & nocti ſcientiam.Quod nocti,id eſt,mundo ſecundum interiorem hominem ſcientia indicatur,ſed diei,id eſt,eidem ſecundum exteriorem hominem verbum eructatur,Verbum enim ad auditum foris,ſed ſcientia ad notitiam intus pertinet,Quanquam qui velit poſſit per ſcientiam æque verbum vocale *Verbum.* intelligere. Eſt igitur ſenſus,Prudentes ſpiritu indicant prudentibus carne *Scientia.* ſcientiam,id eſt,notitiam dant per verbum de rebus abſconditis, quas non
Luc.1. indicant.Sic Luc.1.Iohan.ſcribitur,præire ante faciem Domini,ad dandam,

non ſalutem ipſam, ſed ſcientiam ſalutis, Quia ſalus noſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo, ſed ſcientia eius manifeſtara eſt verbum fidei.

Non ſunt loquelæ neq́; ſermones, quorum non audiantur voces eorum.

QVorum eorum? cœlorum, dierum & noctium, qui enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius. Sed vbi iſtos cœlos audiemus? aut, in qua gente? aut quibus linguis loquentur? Reſpondet. Omnium gentium linguis loquentur, & in omni terra, vt ſequens verſus dicet. Id impletum eſt, vbi Apoſtoli loquebantur varijs linguis magnalia Dei, & adhuc impletur in orbe terrarum, Quia Euangelium per Apoſtolos varijs linguis euulgatum, adhuc ſonat in eiſdem linguis, vſq; in finem mundi, Licet non omnes varijs linguis loquantur, nec eſt neceſſe.

Apoſtoli omnium gentium linguis locuti.

Quomodo differant loquelæ & ſermones, nondum ſatis mihi liquet, viſum eſt multis, Loquelas pertinere ad linguas, Sermones ad differentias ſeu proprietates eiuſdem linguæ, Sicut in Ebræa lingua, Galilæi à Iudæis diſcernebantur, vt in Euangelijs legimus dicentibus ad Petrum, Galilæus es nam & loquela tua te manifeſtum facit, Ego contentus ſum hoc verſu doceri, Apoſtolos fuiſſe omnium linguis locutos.

Loquelæ. Sermones.

Obſtruit autem verſus hic os eorum, qui dicunt, Apoſtolos vna lingua locutos ebræa, cæterum auditas ab alijs ſuas proprias, Hic enim dicit, Non eſſe loquelas, quarum non ſunt auditæ voces eorum. Si enim voces Apoſtolorum erant, & hæ omnium linguarum hominibus ſunt auditæ, certe varijs linguis ſonuerunt, Aut ſi non ſonuerunt, voces non eorum fuerunt, ſed vel audientium vel aeris intermedij.

Apoſtoli quomodo varijs linguis locuti.

Quo miraculo autem varias voces ediderint, vt auditus non confunderentur (neq; enim eadem auris ſimul poteſt varijs vocibus ſeruire) quis nouit? Is qui dedit varijs linguis loqui, potuit etiam facere, vt ſingulæ ad ſuæ linguæ homines ſine ſtrepitu & mixtu aliarum peruenirent, ſicut Chriſtus de cœlo loquebatur Sauli & tamen à ſolo Paulo audiebatur, Id quod Lucas indicat fere, vbi dicit, Turbam mente confuſam & vnumquemq; audiuiſſe eos ſua lingua loquentes, Q. d. vnumquenq; ſua ſolum tangebat lingua, & tamen ſinguli eoſdem audiebant, & varijs illi loquebantur, non enim dicit, Audierunt linguam ſuam, ſed vnuſquiſq; audiebat eos lingua ſua loquentes, id eſt, quod loquerentur, non tantum audirentur lingua ſua, Alioqui quid erat neceſſe Apoſtolos græcam ſcire, in qua ſcripſerunt? Suffeciſſet Ebræa, nec tunc varijs linguis locuti, ſed varijs auribus auditi debent dici, nec miraculum in linguis prædicantium, ſed in auribus audientium ponetur.

Locus ex 2. capit. Actor.

Iterum vide vt commendet fidem, non enim videntur quæ narrantur, ſed audiuntur voces eorum, auditus ſolus requiritur in Eccleſia Dei. Hiero ſic vertit, Non ſunt ſermones, non ſunt verba, quibus non audiatur vox eorum, Vbi verba debarim dicuntur, quod aliquoties res ſeu hiſtorias ſignificat, ſeu famam, quo modo hic non credo accipi. Nec ſolum fides, ſed efficacia & fructus verbi ſimul commendatur, quod non in ventum locuti dicuntur, ſed audiuntur voces eorum, id eſt, admittuntur & ſuſcipiuntur, quod fit per fidem. Omitto hic quæſtionem, quam aliqui mouent, Sit ne hic verſus impletus, cum nondum omnes gentes Euangelium audierint, Facile hic quiuis reſpondere poterit.

Commendatio fidei & fructus verbi.

In omnem terram exiuit ſonus eorum,
Et in fines orbis terræ verba eorum.

Locum

Deut. 30. Rom. 10.

LOcum (vt dixi) hic deſignat vbi ſonent iſti cœli, Ne quis queratur aut ſeſe excuſet, quod non poſſit transfretare, aut in cœlum aſcendere ad audiendum, Prope eſt verbum in ore tuo, & in corde tuo, ait Moſes Deut. 30. Ad hoc enim varijs linguis donati fuerunt, vt in omnem terram ſonus eorum exiret. Et vide quam vigilanter aptet ſpiritus verba ſua, ne Apoſtoli putarentur eſſe verbi autores, facit eos miniſtros & inſtrumenta. Sicut dicit Chriſtus, Non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis. Et iterum, Ille me clarificabit, & teſtimonium perhibebit de me, & vos teſtimonium perhibebitis. Ideo dixit, voces eorum audiuntur, ſed alius eſt qui loquitur. Exit ſonus eorum, ſed alius eſt qui efflat & emittit, vſus voce & verbis eorum, pro inſtrumentis ſuis.

Apoſtoli verbi ſunt miniſtri, non autores.

Auguſtinus hunc locum torquet in Donatiſtas, qui Eccleſiam in Affricæ angulum artabant, Sed multo magis torqueri debet in noſtros nouos Donatiſtas, qui negant in India & Perſide & Aſia eſſe fideles, Vbi enim ſonus & verba ſpiritus ſunt, ibi Eccleſia ſine dubio vera eſt Chriſti. Non enim loquitur ſpiritus Chriſti, niſi in Eccleſia ſua. Quare cum hic ſit apertus textus, ſonum Apoſtolorum exiuiſſe in omnem terram, nec dum ſegatur reuocatus, Timendum eſt nobis, ne cum impijs Donatiſtis, ſiue illis, ſiue iſtis, nos ſolos iactemus, pro fidelibus, qui forte nihil minus ſumus quam fideles, cum verbum & ſonum Apoſtolorum nuſquam audiamus.

Noui Donatiſtæ.

Vbi vox Euangelij ſonat, ibi Eccleſia eſt.

Rom. 10.

Et quanquam Ebræus habeat. In omnem terram exiuit Regula eorum, Tamen Apoſtolus Rom. 10. ſonum dicit, & in idem recidit, Sonus enim Euangelicus, regula illa eſt, iuxta quam ædificatur Eccleſia. Non enim ædificatur armis corporalibus fabrorum, ſed verbo vitæ, Simul tamē eo verbo certa menſura ſignificatur, qua cuiuſq; Apoſtoli miniſterium diſperditum eſt in orbem terrarum, Non enim omnes eodem loco prædicauerunt, ſed diuiſi ſunt in totum mundum, non vt diuitias eius ſibi aggregent, ſed vnuſquiſq; portionem ſuam ad Chriſtum reducat.

Regula iuxta quā ædificatur Eccleſia, vox Euangelij eſt.

In Sole poſuit tabernaculum ſuum.

HÆc in Ebræo pars eſt poſterior præcedentis verſus, hoc modo habens, Soli poſuit tabernaculum in eis. Solem alij proprie accipiunt, pro iſto ſole viſibili, in quo Eccleſia ſeu humanitas Chriſti, tabernaculum Dei, manifeſtatum ſit, Sed melius arbitror Prophetam perſtare in allegoria cœpta, & Solem eſſe eum, qui in iſtis cœlis poni & habitare poſſit, quod & ſequens verſus indicat, Et ipſe tanquam Sponſus procedens. Et ſatis violenter Interpres Ebraicum, Bam, quod ſonat in eis (id eſt, cœlis prædictis) mutarunt in, ſuum, imo fere omiſerunt, Quanquam reuera allegoria iſta ſumpta ſit ex cœlis & ſole viſibilibus iſtis, in quibus ſol habitat & currit ab oriente in occidentem iucundiſſimo curſu. Igitur ſenſus eſt, Chriſtum qui eſt Sol iuſticiæ (vt Malach. 4. dicitur, orietur vobis timentibus nomen meum, Sol iuſticiæ, & ſalus ſub pennis eius) poſuit in Apoſtolis. Ipſe enim illuminat eos, loquitur, operatur, & eſt omnia in eis.

Sol.

Bam.

Chriſtus Sol eſt iuſticiæ, Mala. 4.

Videmus enim & in his cœlis Solem eſſe gloriam ac vniuerſam eorum ſubſtantiam, cum merſo ſola ac tenebris præſentibus, Chaos quoddam potius triſte appareat quam cœlum. Ita Apoſtoli, aut eorum ſucceſſores, ſi ſine inhabitante Chriſto forent, vere chaos & non cœli eſſent. Vnde hic verſus cauſam reddit prædictorum, Quod omnia, quæ de cœlis glorioſa dicta ſunt, & quæcunq; poſſunt, non ſua virtute, ſed inhabitantis Chriſti poſſunt. Tabernaculum vero iſtud, fides Chriſti eſt, per quam in nobis habitat, ſicut Ephe. 3.

Epheſ. 3.

Per fidem habitat Chriſtus in nobis.

Chriſtum habitare per fidem in cordibus veſtris, De quo Iſa. 4. Super omnem gloriam protectio & tabernaculum erit in vmbraculum diei ab æſtu in ſecuritatem & abſconſionem à turbine & pluuia, id eſt, fides protegit vtrinq; à proſperis & aduerſis.

Et ipſe tanquam Sponſus procedens de thalamo ſuo, exultauit vt
Gigas ad currendam viam.
A ſummo cælo egreſſio eius, & occurſus eius vſque ad ſummum
eius.
Nec eſt, qui ſe abſcondat à calore eius.

ID eſt, Euangelium parauit, ſiue id, de quo in Euangelio enarrarent Apoſtoli, Deſcribit enim his duobus verſibus, Solem, cui in Apoſtolis, tabernaculum poſitum dixerat, de quo totum ſonat Euangelium, & ipſe eſt gloria Dei, in quo & omnia repoſuit. Omnium fere ſententia eſt, hos duos verſus, de incarnatione, conuerſatione, aſſūptione Chriſti loqui, quā priore loco ſequamur. Thalamum Chriſti, quod ebraice, occultum, velatumque ſignificat, omnes intelligunt virginem Mariam, è cuius vtero prodijt, ſicut Sol ex aurora, imo ex noctis occulto. Pulchra certe ſententia, qua ineffabilis illa natiuitas ſignatur, in qua ſola virtus Altiſſimi obumbrauit virginem, & in abſcondito operata eſt hunc fœtum ſalutis, quod natura neſciuit, nec attingere potuit. Sicut enim ſol oriens prodit omnibus viſibilis, & tamen nemo noſcere poſſit vnde veniat. Ita Chriſtus natus ad omnium conſpectum venit, & tamen natiuitatem ſuam (vt Iſaias prædixit) habuit inenarrabilem, cum naſci ex Virgine ſine viro, viſum & captum ſuperet naturæ.

Thalamus Chriſti.

Sponſum autem vocat, quod indutus humanitate, ſit cum Eccleſia copulatus in vnam carnem, Quod ſacramentum magnum & iucundum eſt, in quo conuenerunt in vnum diues & pauper, iuſtus & peccator, beatus & damnatus, filius gratiæ & filius miſeriæ, Neq; enim poteſt vno alio verbo, magnificentius illa miſericordia commendari, quam quod ſponſus Eccleſiæ vocatur, in quo omnia ſua nobis donata, omnia noſtra ablata prophetantur.

Chriſtus Eccleſiæ Sponſus.

Sed quomodo procedit Sponſus de thalamo ſuo? Et cur hunc ſolem Chriſtum ea comparatione prædicat? Forte, quod Sponſus ornatus & coronatus procedit, geſtiens amore Sponſæ ſuæ. Ita Chriſtus amore Eccleſiæ proceſſit de ventre Virginis ornatus & coronatus, in ſpiritu, cum ſecundum carnem venerit in ſumma paupertate & contemptu. Plenus enim ornamentis & coronis gratiæ Dei venit, geſtiens in amorem Eccleſiæ ſuæ, Ideo exultauit vt Fortis ad currendam viam, hoc eſt, magna charitatis & ſpiritus fortitudine, erenit, operatus eſt, pugnauit in agone cum Diabolo & peccatis noſtris, paſſus & mortuus eſt.

Sponſus procedens de thalamo ſuo.

A ſummo cœlo egreſsio eius, Dictum volunt, de natiuitate æternitatis, quia à Patre exiuit, & venit in mundum, vt Ioh. 16. dicit, Et occurſus eius, viq, ad ſummum eius, De aſcenſione eius exponūt, deinde, Colorem eius, Spiritum ſanctum intelligunt, qui repleuit orbem terrarum, clarificans Chriſtum eſſe Dominum omnium, & omnia ſubiecta ſub pedibus. *Iohan. 16.*

Vere inquam horum ſcientia, ſed non ſuo loco dicta. Deſideratur enim in ea, ordo & conſequentia. Et nihil de Chriſti incarnatione, conuerſatione, aſſumptione, ſed de glorificatione & prædicatione eius, mihi loqui videtur. Cœlos enim deſcribit, & vniuerſum illud myſterium Pentecoſtes, & miniſterium Euangelicum. Quare ſuſpicor non eum retrogredi ad ea, quæ ante Penteco-

Deſcriptio myſterij Pentecoſtes & miniſterij Euangelici.

Digitized by Google

Pentecoſten geſta ſunt,ſed potius ea proſequi,quæ ſecuta ſunt, ad cælorum narrationes & linguarum donum,ſcilicet,regnum fidei in toto orbe dilatatum.Id quod & ordo & verba mihi præſtare videntur,modo allegorice Prophetam loqui,pro maieſtate ſacri myſterij accipiamus.Sic enim cœlos,firmamentum,dies,noctes, Solem, tabernaculum ſolis, allegorice accepimus, de myſtico & prædicato Chriſto per Apoſtolos.Ita eadem continente ſeu continua allegoria,proceſſus Sponſi de thalamo,egreſſio & occurſus, & exaltatio ad currendam viam,non niſi regnanti & per Euangelium prædicato & credito Chriſto conuenire debebunt. Sic enim ego meditor, ſalua cuiuſq; meliore ſententia,cum de nouo quodam mundo Pſalmus agat,vt diximus.

Igitur exeunte in omnem terram ſono cœlorum,Ipſe qui in eiſdem cœlis tabernaculum ſuum poſuit,hoc ipſo eorum miniſterio procedit,& reuelatur in cordibus terrenis per fidem,qua deſponſat ſibi Eccleſiam totius orbis terrarum,Sicut in Oſe.2.dicit.Et ſponſabo te mihi in ſempiternum, & ſponſabo te mihi in iuſticia & iudicio, & in miſericordia & miſerationibus,Et ſponſabo te mihi in fide.Neq; enim Chriſtus ſola incarnatione ſua ſponſus proprie & plene factus eſt,ſed aſſenſu eius pacto per fidem Eccleſiæ ſuæ .Qui enim ſponſam habet,ſponſus eſt(ait Baptiſta Iohan.3.)Conſenſus enim facit matrimonium,ante quem verius procus quam ſponſus dicitur. Quare proceſſus eius tanquam Sponſi,eſt reuelatio eius in fidem Eccleſiæ, hoc eſt, dum creditus eſt apparuit eſſe Sponſus.

Oſee.2. — *Deſponſatio Chriſti cum Eccleſia.* — *Proceſſus Chriſti tanquam Sponſi.*

De thalamo autem,ſiue de abſcondito,quid ſit,non capio,Niſi velit intelligi,Chriſtum in cordibus fidelium per fidem ſic oriri,vt neſcias vnde veniat,Sicut Iohan.3.dicit,Spiritus ſpirat vbi vult,& vocem eius audis,& neſcis vnde veniat,aut quo vadat.Quo ſignificaretur gratuita miſerentis Dei dignatio,Non enim nobis cogitantibus,ſapientibus,volentibus,oritur in nobis fides Chriſti,ſed incomprehenſibili & occulto opere Spiritus præuenitur quiſquis fide donatur in Chriſto,ad ſolum verbi auditum,citra omnem noſtram aliam operam.

Thalamo Chriſtus egreditur. — *Iohan.3.*

Quod ſi hic recte ſapio,eiuſdem tropi erit hæc locutio,quo dicitur, Qui producit ventos de theſauris ſuis. Et Pſal.17.de abſconditis tuis adimplebis ventrem eorum,Si enim res,quæ ad victum pertinent carnis,prodeunt de occultis Dei,vt nullius induſtria præueniri,capi aut parari poſſint, Quanto magis res illæ diuinæ & æternæ,quæ in fide & per fidem donantur, miniſterio & auditu verbi,abſq; noſtro ſtudio parantur? Neceſſario ergo addit, Chriſtum procedere & oriri,in cordibus noſtris,ſicut Sponſum de occultis,vt gloria Dei & opera manuum eius,non noſtri liberi arbitrij ſuperbia enarrentur.

Pſal 135. Pſal.17. — *Qui producit ventos de theſauris ſuis.*

Pulchrum tamen eſt,occultum hoc Dei thalamum Sponſi vocari,Cum ipſa Eccleſia,in ſcripturis paſſim vocetur Almuth,id eſt, abſcondita, quæ eſt thalamus Chriſti,è quo Chriſtus(id eſt,quidquid eſt Chriſti, ſiue fides, ſiue verbum,ſiue virtus)proceſſit & in mundo apparuit. Dum enim hæc in Eccleſia manifeſtantur,ſimul Chriſtus manifeſtatur,vt cuius tanquam ſponſi omnia ſunt,quæ Eccleſia habet.Sic Ephe.3, dicit Paulus, Vt innoteſcat principatibus & poteſtatibus in cœleſtibus per Eccleſiam multiformis ſapientia Dei,ſecundum præfinitionem ſeculorum,quam fecit in Chriſto Ieſu Domino noſtro.Ita procedente Eccleſia & fide Chriſti, certe Chriſtus procedit in Eccleſia,& per Eccleſiam & ex Eccleſia,in conſpectum mundi, quomodo & 1 Timot.3,dicit,Manifeſte magnum pietatis Sacramentum eſt,quod manifeſtatum

Eccleſia vocatur in Scriptura abſcondita. — *Chriſti omnia ſunt quæ Eccleſia habet.* — *Ephe.3.* — *1.Tim 3.*

feſtatum eſt in carne,& iuſtificatum eſt in ſpiritu, apparuit angelis, prædicatum eſt gentibus,creditum eſt mundo,aſſumptum eſt in gloria.

Chriſti & Eccleſiæ vnitas.

Et neſcio,quæ energia in verbis huius verſus ſit,maior quam ego conſequi poſſim,quod Chriſtus inducit procedentem,vt ſponſum de thalamo ſuo. Videtur enim,Eccleſiam & Chriſtum,breui verbo, facere vnam carnem, & vnum ſpiritum & omnia communia, Ad quod & cantica Salomonis alludunt, *Can. 6.* dum Eccleſiæ ortum & proceſſum deſcribunt,dicentia. Quæ eſt iſta,quæ progreditur quaſi aurora conſurgens,pulchra vt luna,electa vt ſol. Deniq; familiare fuit Dauid,Chriſti & Eccleſiæ ortum,auroræ ſeu ſolis ortui comparare, vt Pſal.110. Ex vtero auroræ tibi ros infantiæ tuæ, Vbi nos habemus, Ex vtero *Pſal. 110.* ante luciferum genui te. Quid enim vterus auroræ,niſi thalamus Eccleſiæ, ex quo proceſſit Chriſtus,dum prædicato per Apoſtolos Euangelio, aucti ſunt Chriſtiani,in quibus Chriſtus & ipſi in Chriſto? Sic de eodem 2.Reg.23. vltima verba Dauid habent, Sicut lux auroræ oriente ſole,mane abſq; nubibus rutilat,& ſicut pluuijs germinat herba de terra. Sed & Hiob 3. Imprecatur diei ſuo,ne videat lucem,nec ortum ſurgentis auroræ. *2. Reg. 23.* *Hiob. 3.*

Vterus auroræ.

Vtero,id eſt,ex verbo Apoſtolorum proceſſit Eccleſia.

Siue igitur Thalamum,vocemus,occultum Dei,ſiue vterum Eccleſiæ, vnde procedit & creſcit Chriſtus,non refert,vtrunq; verum eſt. Et ex natiuitate carnis Chriſti,facile intelligitur hæc natiuitas ſpiritus, Sicut n. in beata virgine vtrunq; occultum fuit,ſcilicet vterus virginis, & occultum opus Dei, quo Chriſtus formatus & natus eſt, Ita & in Eccleſia, vtrumq; fuit. Nam ex vtero Apoſtolorum,qui primitiua Eccleſia fuerunt & ſecreto opere Dei proceſſit Chriſtus,natiuitate ſpiritus,& manifeſtatus eſt mundo. Nihil enim eſſet Chriſtus,ſi carne ſolum natus eſſet in perſonam ſuam,niſi natus eſſet & ſpiritu in corpus ſuum,quod eſt Eccleſia,de qua potiſſimum natiuitate,allegoricum Prophetam loqui intelligimus,vt dixi,qua proprie,ſicut Sponſus prodijt.

Exultauit,vt Gigas,ad currendam viam.

Eccleſia verbo nata,contra omnem potentiam inferorum creuit.

Gigas ebraice Gibor,dicitur potens & dominator,ſed in ſpiritu,Quo ſignificat Propheta,Eccleſiam & Chriſtum in ea,per verbum Apoſtolorum,proſpere proceſſiſſe,& aduerſus omnem potentiam inferorum creuiſſe, Licet ſecundum carnem infirmaretur varijs ac multis perſecutionibus, Neq; enim imminutus eſt Chriſtus,ſed etiam cum gaudio encurrit, magnificatus & eleuatus eſt,per totum orbem,ſicut ſol viſibilis videtur, quodammodo geſtire,oriens & aſcendens.

Chriſtus gigas in Eccleſia alacriter pugnans,vincens &c.

Verum Propheta regius peculiari & regio ſermone loquitur,vt ego fateat,me verba eius non poſſe vlla interpretatione conſequi,etiam ſi rem ipſam nonnihil capiam meditatione. Breui enim verbo,pugnam Eccleſiæ, in verbo potentiſſimo & ſuperbiſſima fide conſtantis,aduerſus omnes poteſtates mundi deſcribit,dum Chriſto in ea pugnanti omnia tribuit,tanquam Giganti,alacriter pugnanti & vincenti,& proſpere agenti, cum longe contraria omnia apparerent ſenſui. Sicut enim magnificis cœli, firmamenti, diei, noctis allegorijs,viliſſimos Apoſtolos celebrauit, Ita eadem pompa verborum allegorica,potentiam Chriſti gigantis in Eccleſia currentis & late ſeipſum multiplicantis per Euangelium,in ſumma infirmitate, & (vt apparuit) imminutione eiuſdem Eccleſiæ,deſcribit, Vt non Sponſus,ſed hoſtis eius appareret,nec procedere,ſed interire videretur, Ideo de occulto & thalamo eum procedere dicit,id eſt,ſacramento crucis,& crucifixæ Eccleſiæ.

A ſum-

Digitized by Google

A ſummo cælo egreſsio eius, & occurſus eius vſque ad ſummum eius.

EBræus aptioribus verbis, A fine cęlorum exitus eius, & ambi-
tus eius ad finem eorum. In quo mira proprietate, Eccleſiam vniuerſo or- *Latitudo Eccleſiæ.*
be multiplicatam ſignificat. Fines enim cœlorum appellat, quos horizon-
tas noſtri vocant, permanens in allegoria cœpta ſolis viſibilis, Sicut enim vbi-
que terrarum, ſol idem ab oriente in occidentem vergit, quaſi ab vno cœli fine *Ortus ſolis.*
ad alium (ſic enim apparet ſenſui) Ita Chriſtus vbiq; terrarum oritur & Eccle-
Matt. 8. ſia eius, ab oriente & occidente congregatur, vt dicit Matt. 8. Multi ab oriente *Ortus Chriſti.*
& occidente venient, & recumbent cum Abraham, Iſaac & Iacob, in regno
Iſa. 49. cœlorum. Iſa. 49. Ecce iſti de longe venient, & ecce illi ab aquilone, & mari, &
Iſa. 43. iſti de terra Auſtrali. Et 43. Ab oriente adducam Semen tuum, & ab occiden-
te congregabo te, Dicam aquiloni, Da, & auſtro, noli prohibere, affer filios
meos de longinquo, & filias meas ab extremis terræ, & omnem qui inuocat
Nomen meum, in gloriam meam creaui eum, formaui eum, & feci eum.

Pſal. 2. Hanc ſententiam Pſal. 2. ſic poſuit, Dabo tibi gentes hæreditatem, & poſ-
Pſal. 72. ſeſſionem tuam terminos terræ. Et 72. Et dominabitur à mari vſq; ad mare, *Summum cælorũ.*
& à flumine vſq; ad terminos orbis terrarum. Quare ſummum cœlorum, &
ſummum eorum, hoc verſu dicitur eodem tropo, quo Chriſtus Matt. 24. di-
Matt. 24. cit, Et congregabunt electos eius à quatuor ventis, à ſummis cœlorum, (id eſt,
ab oriente) vſq; ad terminos eorum (id eſt, vſq; ad occidentem) Sic enim *Chriſtus vbiq; præ-*
Chriſtus collectus eſt ex hominibus terræ, ab oriente vſq; ad occidentem, vbi- *catus, creditus.*
que prædicatus, vbiq; creditus, vbiq, ſponſus Eccleſiæ factus eſt, quod ſolo ver-
bi miniſterio factum eſt, etiam non cogitantibus nec præuidentibus prædica-
Iſai. 49. toribus. Sic enim Apoſtoli audierunt, Samariam recepiſſe verbum Dei, ante- *Samaria*
quam prædicare illi decreuiſſent. Et Iſa. 49. Eccleſia ſe præuentam miratur, *Act. 8.*
inopinata fidelium multitudine dicens, Quis mihi genuit iſtos? Ego ſterilis &
non pariens, tranſmigrata & captiuata, & iſtos quis enutriuit? Ego deſtituta &
2. Cor. 2. ſola, & iſti vbi hic erant? Ita enim odor Chriſti bonus in Apoſtolis adducebat
ex vniuerſo circuitu terrarum ad verbum & fidem Chriſti, hoc eſt, à ſummo
cœlorum, ad ſummum eorum.

Nec eſt qui ſe abſcondat à calore eius.

CAlorem ſolis allegorice, Spiritum ſanctum dici non eſt dubi- *Calor ſolis, ſpiritus ſanctus.*
um. Hic autem nullum perſonarum reſpectum habuit, nec diſcreuit inter
gentes & Iudæos, cum ſit idem Dominus omnium, etiam de lapidibus
iſtis ſuſcitans filios Abrahæ. Vt enim omnes peccauerunt, ita omnes gratuito
calore ſpiritus miſerente iuſtificati & viuificati ſunt. Calorem autem potius
voluit appellare, quam alio nomine, vt virtutem ſpiritus viuificatoris ſignaret:
Gen. 1. Calor enim vitæ qualitas eſt, frigus mortis. Sic Gen. 1. Spiritus Domini fereba- *Spiritus Domini*
tur ſuper aquas, id eſt, incubabat & fouebat calore ſuo viuificaturus, ſicut gal- *ferebatur ſuper*
lina incubat & viuificat oua ſua. *aquas.*

Ebraice non eſt, Qui ſe abſcondat, quod fugam abſcondentis ſe præten-
dit, ſicut Adam in paradiſo ſe abſcondit, Sed ſimpliciter, Non eſt abſconditus
à calore eius, quo potius inueniri miſericorditer intelligitur abſconditus, &
Luc. 2. illuminari ſeu reuelari, ſicut Luc. 2. Chriſtus ad reuelationem gentium para-
tus dicitur. Eſt enim expreſſio eius, quod dixerat vbiq; terrarum Chriſtum *Chriſtus vbiq; re-*
regnare & nullum eſſe locum, in quo ſpiritus eius non iuſtificet & viuificet *gnat.*
homines. Ne impij loco alicui Eccleſiam Chriſti affigant, & in ſuum angulum

coarcent, qui ſoli volunt calore ſpiritus animati videri, cum potius frigore Babylonis ſint exanimes.

Hoc etiam vult Propheta, quod ad ſolius Euangelij ortum datus & effuſus ſit in totum orbem Spiritus ſanctus, Lex enim calorem neq; dat, neq; habet, quæ potius frigus eſt, faciens & inuitos, pigros, imo mortuos ad opera bona, ſicut dicitur Pſal. 147. Ante faciem frigoris eius, quis ſuſtinebit? Emittet verbum ſuum & liquefaciet ea, flabit ſpiritus eius & fluent aquæ. Verbum, inquam, Euangelici caloris emittet, id eſt, ſpiritus, hoc enim liquefaciet, ſicut & Pſal. 129. Conuerte Domine captiuitatem noſtram, ſicut torrens in auſtro. *Pſal. 147.* *Pſal. 126.*

Lex Domini immaculata, conuertens animas, teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans paruulis.

Fructus miniſterij Euangelici, dilectio, &c.

Deſcripto miniſterio Euangelico & opere eius, quod eſt enarrare gloriam Dei, & eodem verbo fidem Chriſti plantare ac ſpiritum dare, Proſequitur fructum eiuſdem, qui eſt dilectio legis, id eſt, plenitudo legis, ſicut Rom. 13. dicit, Plenitudo legis dilectio. Neq; enim lex operibus, ſed amore impletur, nec vult operibus fingi, ſed affectu amari. Ideo Propheta eos intuens, qui per verbum fidei accepto ſpiritu hilares & amantes facti ſunt, ad facienda ea quæ legis ſunt, docet, quam ſit ſancta & iuſta & bona lex, quæ his qui ſine ſpiritu ſunt, amara, iniqua & dura videtur, cum non ſit culpa legis, ſed affectuum, ac ſi Chriſtum & Moſen compararet dicens, Moſen odiebant & cornutam eius faciem fugiebant, denique lapidibus eum impetebant, ſemperq; aduerſus eum murmurabant. In his enim figurata eſt legis & affectus mali mutua habitudo, At Moſes reuera erat mitiſſimus omnium, qui erant ſuper terram, quod tamen non cognoſcebant. Et lex Domini amabiliſſima eſt quod prauitas cordis non intelligit, donec ad vocem Sponſi ſublata prauitate & dato ſpiritu, lex cognoſcatur & ametur. *Rom. 13.*

Lex ſancta, iuſta & bona credentibus.

Lex ſine ſpiritu.

Lex immaculata.

Quare etſi de lege Domini, quæ litera eſt, loquitur, quæ in Decalogo ſcribitur, non tamen niſi de amata & iam è litera in ſpiritum rapta loquitur. Sic enim Iere. 31. promiſit, Scribam legem meam in cordibus eorum, & dabo in viſceribus eorum. Id quod indicat, vbi dicit, Lex immaculata, id eſt, integra, ſeu innocens, hoc eſt (vt in Ebræo dicitur) Themima, quæ facit bonum & innocentem, Quod non facit, niſi dum ſpiritus digito ſcribitur, & calore verbi docetur, ideo & calorem præmiſit verſu præcedente. *Iere. 31.*

Diximus autem abunde alias, quomodo lex litera ſit, ſiue ſcribatur, ſiue dicatur, ſiue intelligatur, Donec ametur, quod non eſt legis ipſius docentis, ſed caloris iuſtificantis & animas conuertentis, In ſumma, hac ratione tribuit his verſibus tam eximia munera legi, vt ſit immaculata, conuertens animas, & reliqua, vt eam diſcernat à lege ſine verbo fidei & calore ſpiritus docta, quæ non niſi polluit & auertit animas, infideles facit & inſipientes, Vt omnia quæ de lege hoc loco prædicat, Spiritus calefactoris per verbum fidei eſſe intelligantur. Qua cauſa & tanta verborum copia geſtit toties (nempe ſexies) Legem repetens alijs & alijs verbis, & duodecim Epithetis, velut duodecim fructibus ligni vitæ eam celebrans, Ipſo plane verborum geſtu id oſtentans, quod reuera in anima legem amante & geſtiente geritur. Amans enim legem non poteſt ſatis eam laudare, adeo placet quæ prius adeo diſplicuit. Quare omnia hæc per antitheſin videamus, quo facilius intelligamus, quid lex ſine ſpiritu, & ſpiritus ſine lege operetur in nobis.

Lex ſine verbo fidei docta.

Primum, Lex eſt immaculata per fidem, non modo in ſeipſa, ſeu (vt vocant)

cant)obiectiue,ſed & in nobis,ſen(vt dicunt)effectiue (nam formaliter nunquam non eſt immaculata)quia & facit nos bonos & immacnlatos,& amatur ab immaculatis & bonis factis,vt immaculata,hoc eſt,vere cognoſcitur qualis eſt. At ſine fide,non modo immaculatos ſeu bonos facit,aut non amatur, ſed etiam reos & malos facit,& vt mala oditur, Quia lex iram operatur & mortem,quam nemo non odit,& prohibet concupiſcentiam,qua nemo non irritatur & indignatur,etſi metu pœnarum ſimulet obedientiam,quæ hypocriſis tangitur & tollitur per id,quod ſequitur. *Lex amabiliſſima fidelibus per fidem.* *Lex ſine fide oditur,vt mala.*

Secundum,Conuertens animas,Lex enim (vt dixi) ante ſpiritum conuertit manum timore pœnæ,ſed magis auertit cor odio earundem & indignatione prohibitæ concupiſcentiæ,conuertit etiam os,oculos & aures,& omnes vires,ſed cor non eſt rectum,& ſpiritus nō eſt fidelis. Quare ne quis his verſibus legem abſolute laudari intelligat,opus eſt,vt ſubintelligat,legem eſſe talem factam per fidem,non autem ipſam eſſe ſe ſolam,factricem talem, Non talia facit lex,ſed talis fit per calorem Solis,in fide verbi orientis, Fit,inquam,talis in nobis,in quibus ante fidem longe contraria erat. Hoc enim ſenſu plane intelligitur fructum fidei Euangelicæ,eſſe legem amabilem factam, & talem,qualem hic deſcribit. *Lex ante ſpiritum.*

Tertium,Teſtimonium Domini fidele,Idem per teſtimonium,Domini per legem,intelligi non eſt dubium,ſicut & per ſequentia quatuor nomina,iuſticiæ,præceptum,timor,iudicia,aliis & aliis cauſis. Nam lex dicitur à docendo ſeu inſtruendo ea,quæ ignoramus. Teſtimonium à teſtificando, quod ſit ceu ſignum & memoriale per alios velut teſtes & nuntios datum ab eo,qui abſens eſt & non apparet, De reliquis ſuo loco,hic duas iſtas obſeruatas videmus rationes. *Lex. Teſtimonium.*

Nam lex docendo facit Thamim (id eſt,bonos viros) & conuertit animas, ſi tamen in ſpiritu doceatur. Teſtimonium fidele,quia etſi ſit abſentis & nuſquam apparentis,non tamen fallit aut decipit, Neq; enim fruſtra impletur, nec in obliuione eſt opus noſtrum coram eo,qui non videtur, Sic enim fides fidele credit eſſe teſtimonium Dei. Quæ cauſa ſolet homines reddere ſuſpicioſos de fidelitate,deinde pigros de præſtanda fide, Oculata enim & græca fide negotiantur homines. Neq; hoc modo ſolum fidele eſt paſſiue,verum & fideles facit actiue,vt ii,qui fidem habent non ſegnius faciant abſentes, quam ſi præſentes eſſent ei,cuius eſt teſtimonium. Contra,vbi ſpiritus fidei non fuerit, ibi nec fidele habetur,nec fideles facit,imo infideles facit. Agunt enim ac ſi is,qui præcepit,nullus ſit,aut non exacturus,nec redditurus ſit,ita fit teſtimonium eis vanum & falſum,quia ipſi vani & falſi ſunt. *Oculata & græca fides.*

Quartum,Sapientiam præſtans paruulis. Paruuli hic proprie ſunt ſimplices & hi qui perſuaſibiles ſunt facile,vt Pro.1. Vſquequo paruuli diligitis infantiam? Et 14. Innocens credit omni verbo, Id quod proprie ad teſtimonium quadrat, Neq; enim audiunt teſtimonium Domini,niſi perſuaſibiles & dnctiles velut paruuli,cum denuntietur per viles & abiectos teſtes, ab eo,qui tam longe remotus eſt ab omni ſenſu. Sapientes autem ſiunt teſtimoniis,id eſt,earum rerum cognitores,quæ excedunt omnem captum,& remotæ ſunt à nobis,id eſt,fidei,quam dum cognoſcunt,ab omnibus ſe ſubtrahunt,quæ videntur & comprehenduntur, ſtudentes illi placere, quem non vident. Hoc modo,dum docet cœleſtia,fit per fidem teſtimonium Domini, ſapiens & ſapientes faciens. *Paruuli.* *Prou.1.14.*

Contra maiores illi imperſuaſibiles rebus præſentibus potius inhærent, *Maiores.*

quibus

Quibus excæcati, imprudentes fiunt, nihil de abſente Deo ſapientes, quod ſi etiam timore pœnæ de Deo loqui, audire, cogitareve cogantur, affectu tamen eo longius abeunt, & ijs quæ vident, immerguntur, Id quod facit, teſtimonium Domini nondum factum tale, quod ſapientiam præbeat patuulis, id eſt, ſine ſpiritu doctum. In Ebræo collectiue accipi poteſt eduth edonai, id eſt, ſumma teſtimoniorum, ſeu quidquid eſt teſtimoniorum Domini, quomodo Almuth iuventutem, id eſt, ſummam iuuentutem, ſeu quidquid eſt iuuenum dicimus, tamen hoc parum ad rem, niſi quod elegantia regij Prophetæ obſeruanda eſt.

Iuſticiæ Domini rectæ, lætificantes corda, præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.

Pikudim. QVintum, Iuſticias (quas alibi iuſtificationes vertit, cum hic non ſit Zidekoth ſed pikudim, quod ſtatuta, mandata quoq; redditur) rectas commendat, factas Euangelio gratiæ. Lex autem Domini, iuſtificationes dicuntur ab effectu, quod iuſtificent & in iuſtificando exerceant, ſeu, vt Ebræo conſonemus, ordinent & dirigant hominem in faciendis, quibus pulcherrime conuenit laus rectitudinis & lætitiæ. Antequam enim lex Domini ſpiritualiter intelligitur, vehementer inquietas perplexaſq; facit conſcientias, & multis operum ambagibus fatigat, dum ſectantur iuſticiam legis, & tamen ad iuſticiam legis nō perueniunt, Sicut figurat ambitus ille filiorum Iſrael in deſerto ad littus maris rubri, vbi murmurabant præ dolore, & tædere eos cœpit laboris & itineris, Neq; enim operibus ſaturatur lex, ſed operatores ſuos infinita exactione penitus exhaurit & varie trahit, Vnde & contriſtat, tædio afficit, & difficiles, curuos inuiroſq; reddit, At verſa in ſpiritum, id eſt, amata, miro compendio expedit & recto curſu ad finem dirigit, facitq; homines hilares ad omne bonum opus, dexteros, inſtructos & paratos.

Ambitus filiorum Iſrael in deſerto.

Litera moleſtat & occidit corda. Sextum ergo eſt, quod corda lætificat, cum carni longe contraria faciat, Litera enim occidit, & moleſtat corda, dum nullis viribus nec operibus ſentiunt ſatisfieri exactioni legis, atq; quo magis ſtudent & operantur, eo magis debere ſe intelligunt. Aut ſi in hac parte non laborant, vana & peruerſa operum fiducia lætantur, quia non in Deo, nec in pura conſcientia & lege Domini, ſed in ſeipſis delectantur, quæ non eſt lætitia cordis, ſed corporis & ſenſuum, latente intus inquieta tamen conſcientia, ſuo tempore proditura, quomodo & ſapientiam præſtant teſtimonia, ſuperbis ſcilicet in litera, qua ſibi ſapientes videntur, Lex enim dum litera eſt, ſemper operatur vtrum illorum, aut enim ficte conuertit, aut vere magis auertit, ita vel dat fictam ſapientiam, vel magis facit inſipientes, ita vel ficte lætificat vel magis contriſtat. Ideo ſpiritus tres legis habitudines tangit, dum non ſimpliciter dicit, Conuertens, ſed addit, animas, ita non contentus, dicere, Sapientiam præſtans, addit paruulis, Et lætificantes, non quodlibet, ſed corda, Sic de ſequentibus quoque videbimus, Triplex enim hominum genus indicat, Alios ignorantes, alios ſcientes & odientes, alios ſcientes & amantes legem.

Lex ſine ſpiritu.

Triplex hominum genus.

Ignorata & odio habita lex. Ignorata lex facit ficte conuerſos, conuertit enim, ſed non animas eorum, Odio autem habita, facit magis auerſos, idq, ex animo, Quomodo? qui enim viribus ſuis præſumunt eam implere, nondum cognouerunt, quam ſpiritualis ſit lex, Ideo ſtatuunt ſuam iuſticiam, arbitrantes præ cæcitate ſua, ſe legem impleuiſſe, ſeq; bonos, conuerſos, & immaculatos factos, cum hac impie-

Bn peruerſi.

tate bis

tate bis ſint maculati,& bis peruerſi,ſitq; eis lex bis maculata,& bis auertens animas eorum,hac ipſa ſtulta innocentiæ & conuerſionis ſimulatæ opinione, Semel quod reuera nocentes & auerſi ſint, Secundo quod ſpecie operum hanc nocentiam & auerſionem veſtiunt,& iactant ſuperbientes de ipſa vanitate & mendacio.

Qui vero nouerunt legem quam ſpirituall, ſit,poſita iſta præſumptione, agnoſcunt à ſe per legem exigi ea,quæ nec poſſunt nec habent, vnde diſcruciantur conſcientia,aut odiunt prohiberi ſuas concupiſcentias,& exigi quod non habent,Hoc odio cum legem bonam odiant,magis auertuntur & peiores fiunt,vt & ipſis lex non fit immaculata,alia tamen cauſa quam prædictis, Illi enim nec agnoſcunt eſſe immaculatam,nec fiunt per eam immaculati, Hi autem agnoſcunt,& tamen non fiunt per eam immaculati. Amantes vero, & agnoſcunt,& fiunt immaculati.

Teſtimonium Domini ignoratum.

Ita teſtimonium Domini ignoratum,facit ficte ſapientes,facit enim ſapientes,ſed non eos,qui ſunt paruuli,odio autem habitum,facit magis inſipientes,Quomodo? Dum eum præſumunt operibus ſatisfacere, ignorantes quam nihil faciant,videntur ſibi ſapere & omnia intelligere,ſeq; fideles & veraces factos,cum his contraria ſint omnia per hanc hypocriſin impiam. At qui cognoſcunt,quam ſint ipſi infideles & vani,nec habentes quo ſatisfaciant, odiunt teſtimonia Domini,nollentq; ſe illis attingi,Qua mala voluntate magis inſipientes fiunt,& ad ea,quæ ſuper terram ſunt ſapienda, magis trahuntur, quia mallent illa inuiſibilia non eſſe,tantum abeſt,vt ea ſapiant,Ita neutris eſt teſtimonium Domini fidele & ſapientes faciens,ſed diuerſa cauſa,illis, quod nec intelligunt quam fidele ſit,ipſi vaniſſimi,nec ſapientes per ipſum fiunt, His,quod videat quidem eſſe fidele,ſeq; vanos,non tamen per ipſum erudiuntur vt ſapiant,At amantibus & fidele eſt,& erudiens ſapienter,

Iuſticiæ Domini ignoratæ.

Sic iuſtitiæ ignoratæ ficte lætos faciunt,lætificant enim,ſed non corda eorum,inflant gaudio ſuperbos in operibus ſuis,vt ſibi recti & iucundi videantur,cum reuera(vt Salomon Eccle.4.ait)ignorent,quantum faciant mali, & intus habeant conſcientiam confuſiſſimam & minime omnium directam. At qui cognoſcunt ſe rectos quidem non eſſe,& lege exigente,in varia ſolicitantur,odiunt legem,& multis moleſtijs agitantur,ſemper triſtes coram Domino in omnibus vijs ſuis,ſicut Malach.3. Ambulauimus triſtes coram Domino. Ita neutris,iuſtitiæ Domini ſunt rectæ,& lætificantes corda.

Eccle.4. *Malach.3.*

Septimum,Præceptum Domini lucidum,Mihi videntur Interpretes,lucidum,reddidiſſe,quod in Ebræo,mūdum ſeu electum dicitur, Eſt enim eadem dictio,quæ Pſal.18.ponitur,Et cum electo electus eris,forte moti eo quod ſequitur,Illuminans oculos,quod magis lucido,quam electo competat,Tum,quod forte nugationem vitare voluerunt, cum ſuperius, immaculatam legem,verterint,Neutra autem cauſa ſatis eſt, Cur enim & iuſtitias non potius lætas,quam rectas,dederunt,cum ſequatur,Lætificantes corda,aut teſtimonium ſapiens,pro fidele,cum ſequatur,Sapientiam præſtans? Sic & in cæteris,nullius conuenientiæ ratio habetur. Immaculatam autem diximus proprie ſignificare in Ebræo, innocentem, aut id quod Paulus Rom.7. legi tribuit iuſtam,ſanctam,bonam. Sit ergo præceptum Domini electum.

Pſal.18.

Præceptum.

Præceptum autem dicitur proprie ab eo,quod exigat & prohibeat, ideoq; ea parte legem Dei comprehendit, qua eſt moleſtiſſima & odioſiſſima, Siquidem doceri & ordinari & dirigi(quæ legis,teſtimonij & iuſticiarum eſſe diximus)

augeret, & iram operaretur, idem faceret charitas, legis amica, & illi per omnia conſentiens, Quod & facit, vbi extra voluntatem fuerit, ſicut Lex ſemper extra voluntatem eſt, vbi charitas præſens non eſt. Nam quid operabatur charitas Chriſti in Iudæis, niſi maiorem iram & peccatum? Sic lex quoq; operatur in omnibus hominibus, donec extra voluntatem eorum eſt, non eſt autem in voluntate eorum, nec voluntas eorum in ea, donec diligatur, & hoc ametur quod lex præcipit.

Timor Domini ſanctus, permanens in ſeculum ſeculi, Iudicia Domini vera, iuſtificata in ſemetipſa.

EBræus proprie habet; Timor Domini purus ſeu mundus, Nec hoc dicitur, velut Epitheto (vt vulgo ſentiunt) quo diſcernatur à timore ſeruili, quantum ego capio. Sed timor Domini ſimpliciter hic accipitur, pro timore Dei, quem titulo laudis demonſtrat, per Euangelium fieri in cordibus calore verbi ardentibus, purum, qui in omnibus alijs eſt impurus, Id eſt, habetur impurus, Quod facilius intelligimus, ſi de timore & puritate eius obiectiue verſum hunc dictum accipiamus, ad modum quo de omnibus prædictis diſputauimus. Sic enim & lex Domini ſimpliciter accepta, immaculata eſt, ſed non niſi immaculatis, nocentibus autem eſt nocens & odibilis. Sic teſtimonium Domini fidele pijs, ſed impijs infidele, Ita præceptum Domini, electum electis, reprobum autem & abiectum reprobis. Ita & hic, purus referri debet, non ad timorem ipſum, ſed ad effectum eorum, quibus purus iudicatur, Qualis enim quisq; eſt, talis eſt ei & lex, & quæ legis ſunt. *Timor Domini.* *Lex immaculata eſt pijs.*

Nonum igitur eſt, Timorem Domini eſſe purum, vbi hypocritæ & ipſi fingunt ſe timere Deum, & puros eſſe in timore Domini, cum ſint bis impuri, & in corde reuera eum contemnant. Alij vero impuritatem ſuam non ignotantes, ſentiunt ſe non timere Deum, mallentq, licere, non timere, eligentes impuritatem cordis ſui Deum contemnentis & non videntis. Amantes vero, oculos illuminatos habentes, & Deum cognoſcentes, vident quam pura res ſit timor Domini, quam nihil negligat, qui timet Dominum, & declinet à peccato, delectatur in hac puritate, quia & ipſe ſic ſentit, vt timor exigit, factus concors per omnia.

Quæritur autem, Vnde timor inter leges & præcepta numeretur, & non potius vel æque amor? Neſcio quid dicam, conabor tamen, Quia ſolus amor eſt, qui legem & ea quæ lex operatur, facit ſalutaria & bona, Lex autem potiſſimũ ſuſcitat timorem Dei, vt Exod, 19. monſtratur in filijs Iſrael coram monte Sinai, & in omnibus, qui exactrice & comminatrice lege redeunt ad cor, & compunguntur. Hic timor, quia foris eſt & extra voluntatem, ſicut & lex, quæ eundem ſuſcitauit, id eſt, non amatur, ideo non ſuo, ſed voluntatis vitio impurus eſt, vbi autem amatus fuerit, purificatur, Tunc n. timet Deum, ſicut & amans voluntas deſiderat, factus eidem concors per omnia. Amor n. delectatur, ſi Deũ timeri videat, id quod lex non ſolũ iubet, ſed & facit. *Cur timor inter leges numeratur.* *Exod. 19.*

Cum ergo hic de timore Dei, quem lex ſuſcitat, loquatur, qui amatus, eſt purus, oditus eſt impurus, non male inter legis nomina cenſetur, imo & ipſe videtur eſſe lex literæ, cum reuera litera legis non cognoſcatur, niſi territa conſcientia à facie legis, & lege quodammodo in timorem terribilem verſa, ſicut mons Sinai, figura legis demonſtrat.

Decimum, Permanens in æternum, Sicut n. lex per amorem impleta, firmatur in æternum, ita & timor è lege natus, dum amore imbuitur, æternus fit. Atq; vt lex dum non amatur nec impletur, temporalis eſt & ſæpius obliuioni traditur, Ita timor quoq; niſi ametur, temporalis ad horam manet, *Timor è lege natus æternus fit, cum amore imbuitur.*

& nunquam firmus nec verus eſt. Inde hypocritis illis,timor iſte permanet ficte,permanet enim ad horam externa ſpecie. Apud odientes vero,nunquam eſt nedum permanet,quia nunquam eum in cor admittunt,neq; amant,& ſic timentes Deum ſemper magis ac magis contemnunt,vnde & magis impurio-res ſunt. Qui enim non volens timet,bis contemnit. Amantes vero,quia volenter timent,id quod lex præcipit,in æternum & ſtabiliter timent, & legi per omnia conſentiunt.

Lex vocatur iudicium Domini ab officio ſuo.

Vndecimum,Iudicia Domini vera. Hæc iudicia intelligi poſſunt,imo debent,tam ipſa lex,quam id quod efficit in nobis. Sic enim lex Domini,iudicium Domini vocatur ab officio ſuo,quia iudicat & damnat carnē, ſeu veterem hominem decernit, & ea quæ ad mortificandam carnem pertinent,Inde & iudicia quoq; recte dicuntur,vniuerſæ aduerſitates,quæ veterem hominem occidunt,vt legi ſatiſfiat. Nam ſicut lex, ſi non docet,nec intelligitur,nec lex quidem dici debet,& teſtimonium ſi non cognoſcitur,& ſentitur, nec teſtimonium quidem eſt, Vbi enim non mouetur animus hominis verbo legis,narrabitur ſurdo fabula,ſicut contingit in hypocritis inſenſatis verbum legis contemnentibus. Ita iudicium,niſi ſentiatur in effectu mortificandæ carnis,nec iudicium dici debet. Quare vt lex,dum terret,timorem Domini ſuſcitat ita dum iudicat,carnem mortificat,recteq; ſequitur iudicium timorem, vt impiæ carni accidat,quod timet,timet autem iudicium legis, quo cum iudicata fuerit & mortificata,nouus homo,qui intus eſt per fidem natus, iudicium iſtud amat & laudat,ſitq; iucundum,quod ante in carne erat moleſtum.

Hypocritæ itaq;, qui iudicia Domini ignorant,omnia tamen ſimulant, bis vani ſunt,dum nunquam ex animo iudicari & humiliari volunt,omnium tamen ſe humilimos & viliſſimos,& vera iudicia Domini iactant. Odientes vero etſi vera eſſe non negent,ſibi tamen vera non ſunt, quia veraces per ea non fiunt,hoc eſt,iudicari nolunt per ea,nec mortificari,malléntq; non eſſe. Amantibus autem,vera intelliguntur & ſunt,qui illud Daniel. 3. cantant Domino, Omnia quæ feciſti nobis Domine,in vero iudicio feciſti , Non enim percutit quenquam vane & fruſtra,cum ſit in carne ſemper, quod vere iudicio & morte dignum eſt,id eſt,peccatum. *Daniel. 3.*

Iudicia Domini iuſta ſunt,amantibus ea.

Duodecimum,Iuſta in ſemetipſa. Ebræum enim verbum abſolutum eſt zadeku , id eſt, iuſta ſunt. In ſemetipſa eadem dictio eſt,quæ Pſal. 4 In idipſum,dicitur, In pace in idipſum , quæ collectiuæ & aggregatiuę ſignificationis eſt , Vt in ſemetipſa ſit idem , quod omnia ſimul ſeu omnia in vnum, Vt ſit ſenſus, Iudicia Domini iuſta ſunt omnia,quod dicitur,quia cum ſint iudicia vera,& habeant in carne quod iudicent,iuſte iudicant eam, ac per hoc ipſum iuſtificant amantes ea,& qui agnoſcunt ea eſſe iuſta , Odientibus vero iniuſta ſunt,quia nec per ea volunt iuſtificari. Hypocritis autem ficte iuſta ſunt,iuſtificant enim eos,ſed non omnia,quæ enim ipſi elegerint , his volunt iudicari & iuſtificari. *Pſal. 4.*

Id obſerua , Quod numero plurali, Iudicia dicit, & addit omnia, ſeu ſimul ipſa. Magnus neceſſe eſt amor ſit,qui iudicia Domini amat, quæ multa & varia ſunt,dum abundant paſſiones Chriſti in nobis. Deinde omnibus tribuere iuſticiam arduum eſt , Vbi perſeuerantia amoris indicatur, Sunt ſane quam plurimi,qui vnum aliquod iudicium Domini, ſine murmure portent & iuſtificent,plures qui multa portent & varia,ſed pauci qui omnia , & quæ velut ſine fine augentur,& in idipſum quotidie cumulantur , cum gaudio & laude portent. Hi enim ſunt,qui gloriantur in tribulationibus & omne gaudium exiſtimant,cum in tentationes varias inciderint , id quod verſu ſequente docet.

Deſide-

Deſiderabilia ſuper aurum & lapidem precioſum multum, & dulciora ſuper mel & fauum.

EBræus non habet lapidem precioſum multum, ſed pazrab, id eſt, obriznm mulrum, nam & Hieronymus, obrizum precioſum multum *Indicum aurum*
dixit. Volunr enim, paz anrum eſſe nobiliſſimum, qnale eſt Indicum, ſeu *nobiliſſimum.*
Gen.10. ophiriſum, ab Ophir & Heuila nepotibus Eber, Gen.10. Vnde Gen.2. dicitur, *Obrizum.*
2.Par.8. Anrum terræ Heuila eſſe optimum. Hinc Salomon 2. Paral.8. Per mare rubrum naues in Ophir miſiſſe dicitur & aurum attuliſſe. Idem de Ioſaphat.
3 Reg.22. 3, Reg.22. Vſu tandem præualente, vocatum eſt obrizum, quaſi ophiriſum.
Hiob,31. Hiob 31. Si putaui aurum robur meum, & obrizo dixi, fiducia mea. Iſa.13. Pre-
Iſa.13. cioſior erit vir auro, & homo obrizo mundo, Vbi ponitur chetem ophir. In
Pſal.16. Hiob autem ſolum, chetem, de quo Pſal.16. in titnlo dictum eſt. Ita in mnltis *Omæologia.*
locis apparet hunc Interpretem quiſquis fuerit, data opera timuiſſe omæologiam, id eſt, eiuſdem vanam iterationem, quam nugationem vocant, & ſæpius autoritate propria ſuum ſenſum attuliſſe.

Omiſit etiam dictionem integram, Zuphim, quod cum fano Ebræus habet, ſicut Rab. cum obrizo, hoc modo, Aurum & obrizum mulrum, mel & fauum redundantem, ſicut Hieronymus retulit, forte quod & hic omæologiam vitare voluerit. Nam Zuph, quod hic pluraliter dicitur, zuphim, & fauum *Zuph.*
ſignificat & inundantiam, vt abſurdum ſit viſum, fauum fauorum dicere. Ego tamen Hieronymum ſequor, vt quemadmodum priore parte aurum & obrizum multum, ita poſteriore, mel & fauum multum, ſeu copioſum Prophetam dixiſſe credam.

Iam de fauo quæſtio eſt, cum ea dictio, quæ eſt nophet, magis aromata *Nophet.*
putetur ſignificare, licet & pro fauo accipiatur. Vbi iterum ego mea ſimplicitate ſuſpicor, Prophetam, ſic voluiſſe cum melle communi copnlare mel illud nobilius, quod fauū dicimus, ſicut cum auro compoſuit obrizū nobilius.

PRobat autem hic verſus ea, quæ dixi, ſcilicet Pſalmum loqui *Lex per Euangeliū*
de lege Domini per Euangelium facta amabili, ſeu qualis eſt in oculis non *facta amabilis, de*
operantium, ſed credentium, Sicut enim amanti eſt, deſiderabilis ſuper o- *qua hic Pſalmus loquitur.*
mnes theſauros, & dulcis ſuper omnes voluptates (qnod per copiam anri & *Lex ãte Euangelium & fidem.*
faui lactat) Ita eſt etiam immaculata, fidelis, recta, electa, pura, vera, conuertens animas, ſapientiam præſtans paruulis, lætificans corda, illnminans oculos, permanens in æternum, iuſta in omnibus. Contra, ante Euangelium & fidem, odienti eſt prorſus per omnia contraria. Grande itaq; miraculnm ſpiritus & mutationis huius dexteræ Excelſi, vt ea ſuper omnia placeanr, quæ prius ſuper omnia diſplicuerunt, Quid enim ardentius homines qnærunt, quam diuitias & voluptates? Et tamen maior eſt cupiditas Spiritus in lege Domini, quam ſit carnis in diuitijs & voluptatibus ſuis.

Deniq; quo magis clareat virtus, Spiritus in iſto miraenlo auxeſin facit in commendanda laude legis Domini. Primo enim mitiſſima eſt Lex docendo, licet & hoc ipſum impatienter ferat caro, quæ audire ſibi aduerſa ægre ſuſtinet. Durior eſt, dum vt teſtimonium teſtificatur, & de non parentibus docet, fidelitatem exigens, magis dum varijs iuſtificationibus moleſtat, Creſcit deinde & præceptum fit, ſeuere vrgens & inſtans, Poſt hæc terret & timore concutit, Tandem fit grauiſſima, iudicio ſuo penitus ad occidendam & damnandam carnem procedens, Hic enim caro omnium impatientiſſima eſt, & cum legem in omnibus prædictis odiat & exhorreat, in hoc vltimo ſumme odit & exhorret. Et tamen Spiritus veniens, hæc omnia non ſolum facit tole- *Spiritus.*
rabilia, ſed amata & deſiderabilia & dulcia, ſuper omnia quæ deſiderari poſſunt, & ſuper omnia quæ delectare poſſunt.

Ex his omnibus arbitror patere, quam inſignis ſit Propheta Dauid, quam habeat propriam phraſin, propriaſq; figuras & tropos, tam verborum quam ſententiarum, qui verbis apertiſſimis, tam profunda & occulta, breui compendio tradere potuit, vt nemo conſequi poſſit. Habemus ergo fructum Euangelicæ prædicationis, Amorem iuſticiæ, & odium iniquitatis, id eſt, plenitudinem omnium legum, Quæ cum nullis viribus, nullis operibus, nullis legibus, nullis ſtudijs, obtineri poſſint, Supereſt, vt deſperatis omnibus, per ſolam fidem Chriſti ad ea perueniamus.

Fructus Euangelicæ prædicationis.

Etenim Seruus tuus cuſtodit ea, in cuſtodiendis illis retributio multa.

EBræus, pro cuſtodit ea, dicit, Prouidus vel cautus vel doctus eſt in eis, quod Hieronymus vertit, Docebit ea, Sed propius Noſter, qui dicit, Cuſtodit ea, iterum ſequente dictione motus, ad præcedentis diuinandam potius ſignificationem, quam proprie reddendam, more ſuo, parum tamen diſtat. Puto autem ad omnia prædicta pertinere, quod dicit; non tantum ad iudicia. Quanquam reuera, quid eſt lex, dum paulatim proficit; in teſtimonium, iuſticias, præceptum, timorem, iudicia, quam hæc ipſa iudicia, id eſt, mortificatio veteris hominis? in qua vna re Lex conſumatur, Deſtructo enim peccato, impleta eſt lex, & ſola iuſticia dominatur, Quare vna cura eſt, his qui ſunt ſerui Dei, vt in eo, quod potiſſimum & nouiſſimum eſt legis, id eſt, iudicijs, exerceant ſeſe & prouidi cautiq; ſint veteris fermenti obſeruatores, qua ſententia & Paulus Gala. 5. Qui Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs & concupiſcentijs eius.

Iudicia. *Gala. 5.*

Nec fruſtra ſane admonet, vt cauti obſeruatores ſint, propter aſtutiam Serpentis, quę facile ſeducit incautos, vt de Corinthijs timet Apoſtolus, Prudentia enim carnis, quam ſit nequam, & quam habeat oculum nequam, quam ſubtili ſtudio quærat quæ ſua ſunt, & ſancta ſpecie ſeſe ornet, nulla ſatis poteſt obſeruatione deprehendi, de qua pulchre Taulerus in ſuis ſermonibus, vbi toties naturam arguit aſtutiſſimam in ſuis affectibus, quibus omnibus reſiſtitur iudicijs & lege Domini, donec plene occidatur & deſtruatur corpus peccati, & abſorbeatur mortale hoc à vita immortali. Interim quantumlibet ſpiritu ſeruiamus, condelectemur lege Dei, tamen corpus quod corrumpitur aggrauat animam, vt carne ſeruiamus legi peccati, Et hæc cauſa eſt, vt cautos nos eſſe oporteat obſeruatores iudiciorum Dei, quibus damnatur illa ſeruitus peccati.

2. Cor. 11. *Prudentia carnis.* *Taulerus.* *Rom. 7.*

Et quanquam hoc moleſtum ſit & laborioſum, tamen exercitatis per ea pacatiſſimus fructus iuſticiæ reddetur, vt Ebræ. 12. docet Apoſtolus. Et hic Dauid, In cuſtodiendis illis retributio multa. Eſt enim merces operi tuo, ait per Ieremiam. Quæ omnia dicuntur in conſolationem laborantium, non in mercenariam præmiorum ac ſeruilem cupiditatem ſtabiliendam, qualis eſt eorum, qui opuſculis quibuſdam ſuis, Deum neſcio quem negotiatorem faciunt, cum nihil prorſus in iudicijs Domini laborare velint. Sic & 1. Cor. 15. Conſolatur laborantes, Scientes, quoniam labor veſter non eſt inanis in Domino. Oportet enim ſeruos Dei ſcire, ſeſe placere Deo in labore ſuo, ne deficiant, atq; contriſtato ſpiritu deſperent, cum ille velit hilares gratuitos operarios in lege ſua, placentes autem Deo, ineuitabiliter ſequitur, etiam ſi hoc non quærant, merces multa, cum non poſſit ſeipſum Deus negare, qui ad Abraham dicit, Gen. 15. Ego merces tua magna nimis.

Ebræ. 12. *Iere. 31.* *1. Cor. 15.* *Serui Dei ſtatuere debent ſe Deo placere ere.* *Abraham.* *Gen. 15.*

Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me.

Digitized by Google

DOmine,& meis,in Ebræo non ſunt,Et delicta,errores ſunt vt Hieronymus transfert,ſeu ignorantiæ.Sic Pſal.7.titulum omnes ſunt in-
Pſal.7. terpretati. Ignorantia Dauid,Quo ſignificantur etiam ea peccata,quæ nos occulto præſumptionis & ſuperbiæ vitio pro bonis actibus habemus, ſci- *Carnis nequitia.*
licet ea eſt carnis nequitia, vt ſæpius in ipſa media tribulatione & humilitate nos fallat,vt de humilitate ipſa nobis placeamus,ac de ipſo noſtri contemptu, de ipſa peccati confeſſione,de ipſa ſuperbiæ accuſatione, ſuperbiamus. Ideo non poſſunt non eſſe vera iudicia Domini & iuſta perpetuo,etiamſi perpetuo illis iudicemur,& quidquid ſumus & facimus per ea damnetur.

QVæritur,Vnde iſta delicta & errores ſeruo Dei,qui cuſtodit iudicia Domini,& cui lex innocens,fidelis,recta, electa, & omnibus modis amabilis eſt? An & dilectio non eſt plenitudo legis? An non cu-ſtodit ſeruus Dei iudicia Dei,aut mentitur ſeſe cuſtodire? Reſpondet Apoſto-
Rom.8. lus Rom.8.Corpus mortuum eſt propter peccatum,ſpiritus autem viuit propter iuſtificationem.Vnde & in hoc Prophetæ ſpiritus docet fideles Chriſti,
Rom.7. ſimul eſſe peccatores & ſanctos, & condelectati ſeruireq́; eos mente legi Dei, *Credentes peccatores & ſancti ſunt.*
& carne legi peccati,Quantum enim credunt,tantum iuſti ſunt,quantum ve-
Gal.5. ro carnem habent,tantum peccatores ſunt. Caro enim concupiſcit aduerſus ſpiritum,& ſpiritus aduerſus carnem.

Carnem autem (vt dixi)non craſſam hanc partem noſtri intelligimus, ſed affectum carnis occultiſſimum & aſtutiſſimum , caput ſcilicet Serpentis *Caro quid ſit.*
antiqui,à quo nemo ſatis ſibi cauere poteſt, Qui & facit,vt nemo errores ſuos intelligat & in multis offendamus omnes,& occultis inquinemur, vt non ſit iuſtus in terra,qui faciat bene & non peccet.Stat ergo ſententia,Donec in car-
Hiob.9. ne ſumus,nemo ſuos errores intelligit.Ideo cum Hiob.9. omnia opera noſtra vereri oportet,& ſcire,quod in conſpectu Dei non iuſtificabitur omnis viuēs.

Proinde deſperando de ſeipſo & omnibus ſuis,vnum hoc remedium apprehendat,vt ad thronum miſericordiæ confugiat,petatq́; mundari ab oc-
Ierem.18. cultis,Hac ſola humilitate & fide ſaluus erit,cor enim hominis prauum eſt & inſcrutabile. Et quis gloriabitur ſe habere mundum cor? Et Auguſtinus hic *D. Illum Auguſtini.*
vere dicit,Peccatum ita tegit oculos,vt etiam hoc non videas, vnde teguntur, Imo hoc minime omnium videas,vt in oculis quoque carnalibus cernere eſt. Non ergo dicit,Quis delicta habet? omnes enim habent, ſed non omnes intelligunt,imo nemo intelligit.

Cum autem hæc ſcientia ſit vniuerſalis, prorſus omnibus hominibus tribuens delicta,quæ non intelligant, Quid audent noſtri Sophiſtæ, qui præ- *Sophiſtæ ſuis nugis homines ſecuros faciunt.*
textu ignorantiæ inuincibilis,obicis oblati,primi motus, faciendi quod in ſe eſt,& aliarum multarum nugarum,homines ſecuros & mundos faciunt, incautos & incurioſos reddunt,in iudicijs Dei obſeruandis, & aliquando ſine peccato ſaltem veniali eſſe poſſe ſomniant?

Propheta certe ſine mortali peccato fuit,& eſſe affirmat,qui ſecum hæc dicunt(vt illi de peccato loquuntur mortali)imo & ſine veniali,cum hæc dicat in ſpiritu ardens,Neq;n. hæc ad Deum oraret, niſi ſpiritu ferueret, Et tamen nemini dicit ſuos errores eſſe cognitos, & tales errores, quos niſi Deus mundaret,ſaluum fieri non permitterent,neq; ſuper venialibus tam ardenter oraret,& mundari ab eis peteret,quæ illi tam vilia habent, vt neſciam quibus
1.Cor.4. pene ludicris ea tolli doceant. Sic Paulus 1.Cor.4.dicit, ſe nullius eſſe conſcium,ſed non in hoc iuſtificatum.Et Iacobus, In multis offendimus omnes. Has omnes veritatis & humilitatis ſententias, hypocritæ illi ſuperbi ſimul extinguunt ſuis impijs cogitationibus,quibus opera bona, & merita excogitauerunt,& venialia peccata à mortalibus diſtinxerunt,de quibus nunc dicit,

Et ab alienis parce ſeruo tuo, ſi mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero & emundabor à delicto maximo.

EBræus ita, Etiam à ſuperbis retine ſeruũ tuũ, non dominentur in me, tunc integer ero, & mundabor ab iniquitate multa. Interpretes vi- dentur legiſſe literam Res, pro daleth, ideo Miſerim pro Miſedim, id eſt, alie nos pro ſuperbis tradiderunt. Et quod, parce, hic dicitur, Ebræis ſonat, in cuſto- diã, qua retinetur aliquis, ne faciat, vel patiatur, Gen. 20. Cuſtodiui te, ne pec- cares in me, id eſt retinui. Cuius verbi Emphaſis indicat periculum illud maxi- mum, & certamen periculoſiſſimum, quo lupi rapaces hypocritæ, ſub veſti- mentis ouium, quærunt deuorare animas ſimplices, & de pietate fidei (qua ſo- la lex impletur & amatur) in ſuperſtitionem impietais & operum abſtrahere, quibus magis offenditur lex, Adeo ſcilicet magna res eſt, in pietate fidei perſe- uerare, vt Spiritus non poſſit ſatis monere & inculcare, vt à ſuperborum hypo- critarum blandis doctrinis caueamus

Ardua res eſt in pietate fidei perſeuerare.

Fiducia operum ſiue ſine ſuperbit, vbi fides non eſt.

Quanta vero fiducia pronunciat eos, ſuperbos eſſe, Reuera enim, vbi fides non eſt, ibi operum fiducia ſine fine ſuperbit, ſed tam occulto & ſpirituali dolo, vt prorſus intelligere ipſi nequeant, qui ſuperbiunt, omnia enim, quæ humilitatis & pietatis ſunt ſpecioſius oſtendant, quam vere fideles, Vt nemo queat eſſe tutus, niſi cui Dominus pepercerit, & ne rapiatur eorum exemplis & verbis, retinuerit, ſicut hic oratur & orari docetur, Hi ſunt de quibus Rom. vlt, dicit, Qui per dulces ſermones & benedictiones corda ſeducunt innocen- tum. *Rom. 16.*

Dicit ergo, Contine ſeruum tuum, ne ſuperbi iſti me rapiant, & fallant. Si enim à te retentus fuero, vt nihil in me præualeant, quantumli- bet ſpecioſis exercitibus & pompis operum ac verborum, tunc vere innocens, perfectus, integer, & ſimplex ero, germanice, Ein fromer Man. Vbi ſimul à contrario ſignificat ſeſe futurum impium, ſi retentus non fuerit, & illi in eum præualuerint. Amiſſa enim fide, in operibus confidet, & vlulabit eum Lupis, qui antea fuit ouis ſimplex Chriſti.

Tham.

Locus ex cap. 16. ad Rom.

Dixi ſuperius, Interpretem noſtrum, ſolere vocabulum Tham, pro imma- culato transferre, quod Apoſtolo Rom. 16. Innocentes ſeu ſimplices, græce ἄκακος, ſignificat, Verba Apoſtoli, hunc verſum clare illuminantia ſunt hæc, Obſecro vos Fratres, vt obſeruetis eos, qui diſſenſiones & offendicula, iuxta doctrinam, quam vos didiciſtis, faciunt, & declinetis ab illis, Huiuſmodi enim Chriſto Domino noſtro non ſeruiunt, ſed ſuo ventri, & per dulces ſermones & benedictiones ſeducunt corda innocentum. Hic ſane locus innumeras [illegible] Prophetarum & Pſalmorum loco elucidat, & in vniuerſas hominum tradi- tiones, mira energia, epitaſi & emphaſi verborum graſſatur, ideo tenaci & præſenti memoria tenendus omni Chriſtiano pectori.

Impietas delictum maximum.

Impij colant culicē, camelum deglutiunt.

Et emundabor à delicto maximo, Hoc delictum maximum multis ſuperbia eſſe putatur, idq; non male, ſed obſcure & improprie, ſiquidem impietas, ſuperbia eſt. Verum hoc vult Propheta, quod impij, à minutis illis peccatis mundantur, dum non occidunt, non furantur, non mœchantur, ſicut Phari- ſæus ille in Euangelio iactat (Nam & hæc præcepta Chriſtus Matt. 5. vocat minima) Cæterum à magno illo & multo, per quod omnia polluuntur, et- iam bona Impiorum opera, adeo non mundantur, vt per ea ipſa opera magis etiam illo contaminentur, Hæc eſt impietas illa & incredulitas, Ideo Prophe- tam comparatiue loqui intelligamus, intuentem duas munditias diuerſas duorum peccatorum, diuerſo iudicio æſtimatorum, Impij enim mundant ſe- ſe à peccatis minimis, id eſt, ijs quæ per corpus, viliorem partem hominis fieri poſſunt, neglecto maximo, id eſt, eo, quod per animam maiore parte ſua, in- durati committunt nec vident, *Luc. 18.* *Matt. 5.*

Digitized by Google

Pij contra parum habent, ſeſe mundos eſſe, à minutis illis, niſi & ab illo magno mundi ſint, quod vnum multa peccata facit, imo nihil non peccat. Et credo, Prophetam, impietatem iſtam, data opera inſignire voluiſſe epitheto illo, vt multum & magnum appellaret (vtrunq; enim Rab Ebræum ſignificat) Quod cætera peccata ſic ſe habeant, vt quodlibet ſeorſum ſit vnum duntaxat peccatum, Hoc autem monſtrum qui habet ſimul multa & magna habet, eo quod omnia opera noſtra (quæ multa eſſe neceſſe eſt) peſſima (vt vocant) circumſtantia & vitio, inficiat, quæ eſt impietas in Deum, ideo licet ſit vnum, ſimul tamen plurima & maxima peccata eſſe, rectè dicitur. *Impietas in Deum peccatum maximū.*

Et erunt vt complaceant eloquia oris mei, & meditatio cordis mei in conſpectu tuo ſemper.

Domine adiutor meus, & Redemptor meus.

HIc vnus verſus eſt, Aduerbium ſemper, ſuppoſitiuum eſt. Eſt ergo ſenſus, Si à delicto maximo mundus fuero, & ſuperbi in me nihil præualuerint, hoc eſt, ſi fide purificatrice cordis, non operibus contaminantibus iuſtus fuero, vere placitus ac gratus ero in oculis tuis. Vbi autem ego gratus fuero, tum & eloquia mea, & meditatio mea, placita erunt, Arboris enim bonæ, fructus boni erunt, Econtra, nemo præſumat eloquia ſua placere, quantumlibet ſpecioſa, ſi citra fidem, iuſtus fuerit, quia maculatus eſt delicto multo & magno.

Eloquia autem & meditatio cordis, quanquam poſſint de communi ſermone aut orationibus intelligi, mihi tamen de verbo doctrinæ intelliguntur, qui enim pure credunt, pure ſtatim docent, iuxta illud, Credidi propter quod locutus ſum. Neq; enim latet otioſa fides, ſed prodit & confitetur Deum in ſalutem ſuam & aliorum, ſicut ſuperius, de Sole procedente dixit. In hunc ſenſum arbitror adiecisse, oris mei & cordis mei, vt docendi ſignaret miniſterium. Quare ſenſus vere eſt is, qui Pſal. 1. dicitur, Et folium eius non defluet, & omnia quæ faciet proſperabuntur, [illegible] enim & ibidem de bona arbore dicitur, ita hic, ſi mundi ſumus nos, placebunt Deo conciones noſtræ, cooperabitur & confirmabit, facietq; eas proſperas procedere & conuertere etiam aduerſarios, vt Prou. 16. Si Deo placuerit vita hominis, etiam inimicos eius conuertet ad pacem. Si mundi non erimus, quid reſtat, niſi vt diſplieeant, & nihil habeant proſperum, etiam amicos conuertant ad bellum. *Eloquia & meditatio oris & cordis. Fides non eſt otioſa. Pſal. 116 Pſal. 1. Prou. 16.*

Nec fruſtra addit in conſpectu tuo, Eloquia enim puræ fidei odio ſunt omnibus hominibus, ſicut Chriſtus prædixit Matt. 5. & 13. Quia crucifigunt veterem hominem, arguuntq; mundum de peccato, id quod gratum eſt in conſpectu Dei, intolerabile autem in conſpectu hominum, & tamen, quia placent Deo, proſperantur, inuito etiam mundo. *Matt. 5. 13.*

In hoc ipſum, in fine appellat Dominum adiutorem ſuum (quod Ebræ, Zuri. id eſt, petra mea dicitur) & redemptorem ſuum, non ſolum quod à peccatis & hypocritarum ſtudijs redimeret, & cum in puræ fidei petram poſuerit, ſed quod & perſeuerantem & vincentem cum fecerit, aduerſus verbi aduerſarios, data ei ſpiritus fiducia ad loquendum, Sicut Iere. 1. dicit, Ne timeas à facie eorum, quia tecum ego ſum, vt eruam te. Sic & Acto 4. orabant Apoſtoli, vt eum fiducia verbum poſſent loqui, contra Iudæos, Et ſtatim locus eſt motus, repletiq; Spiritu ſancto loquebantur cum fiducia. *Zuri. Iere. 1. Acto. 4.*

Meditationem Pſal. 1. & 9. abunde vidimus, Eſt enim exercitatio verbi ad docendum parata, ſicut infra dicetur Pſalm. Os meum loquetur ſapientiam & meditatio cordis mei prudentiam, quare hic vel per Tautologiam idem geminatur, vel alterum per alterum magis explicatur. *Pſal. 1. 9.*

PSALMVS XX.

Ad victoriam, Pſalmus Dauid.

E*Xaudiat te Dominus in die tribulationis, protegat te nomen Dei Iacob.*

Orandum pro magiſtratibus.

HVNC Pſalmum ferme omnes de Chriſto exponunt, Mihi autem videtur ea expoſitio remotior eſſe, quam vt literalis dici poſſit. Vnde ſimpliciore & planiore ſenſu Pſalmum arbitror eſſe Litaniam quandam generalem pro magiſtratibus, & ijs, qui in ſubiimitate conſtituti ſunt, Pro quibus & Apoſtolus 1. Tim. 2. iubet primum omnium orare, vt quietam & tranquillam vitam agamus. Et vt dicam, quod ſentio, videtur Dauid, hunc Pſalmum edidiſſe, pro quodam religioſo & ſacro Claſſico, quo ſe & populum animaret, & formaret ad orandum & pie gerendum in re bellica, aduerſus hoſtes pietatis, quales nos Turcas arbitramur. 1. Tim. 2.

Princeps populorum primum oratione pugnet, &c.

Totus autem Pſalmus per ſingulos ferme apices hoc vult, vt Princeps populorum, nullis præſumat viribus, nullis confidat opibus, nullis nitatur ſuis conſilijs, iuxta illud Pſal. 33. Non ſaluatur Rex per multam virtutem, & Gigas non ſaluabitur in multitudine virtutis ſuæ, Fallax equus ad ſalutem, in abundantia autem virtutis ſuæ non ſaluabitur, Sed de cœlo expectet adiutorium, de cœlo venire ſciat victoriam, & in ſolo nomine Domini ſperet, & oratione, ſicut Moſes, pugnet. Pſal. 33.

Orandum potius quam cædendum.

Ita Propheta ſimul orat & docet neceſſariam ſane doctrinam, quam rari obſeruant Principes, Minus enim eſſet bellorum & feliciores victoriæ, ſi ad Regulam huius Pſalmi in Domino præſumerent, fortius orantes quam cædentes, eſſentq; vere tum Elohim, ſimulachra Dei in terris & diuini principes, nec pugnarent, niſi vocati & coacti [illegible] cauſa, in humilitate cordis, Ideo ſtatim orditur Pſalmus, Exaudiat te Dominus, principem ſurſum ducens in conſpectum Dei, vt huius conſilio & auxilio agat, quidquid agit.

Principes debent ex animo quærere populi ſalutem.

In die tribulationis, Et hic monentur Principes officium ſuum, vt ſciant, ſeſe poſitos in ſublimitate, pro ſalute populi, pro qua multa patiantur & laborent, & ſit Principatus eorum vere dies tribulationis eorum, Neq; enim ocioſi & voluptuarij, qui propter ſeipſos tantum principantur, digni ſunt, pro quibus hæc Dei magnalia petantur, imo nec Principes ſunt, ſed porci in volutabris ſuis. Qui autem ex animo populi ſalutem quærit, nunquam ſine tribulatione erit, aduerſabitur enim ei Satanas & totus orbis.

Protectio piorum principum.

Protegat te nomen Dei Iacob. Non gladius, non clypeus, non thorax, nec vllum aliud præter nomen Dei, Pſal. 44. Non enim in arcu meo ſperabo, & gladius meus non ſaluabit me, Quomodo autem & quibus armis protegit nomen Dei? Scilicet fide & inuocatione ſui, ſicut Ioel dicit, Omnis qui inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit, Et Prouerb. 18. Turris fortiſſima nomen Domini, ad ipſum currit iuſtus, & exaltabitur, Sic enim inuiſibili virtute protegetur, ſeu exaltabitur, Eadem enim hic & illic dictio eſt, quæ magis exaltationem ſignificat, quam protectionem, Iſa. 7. Eleuabit Dominus hoſtes Razin ſuper eum. Pura ergo fiducia in Deum opus eſt Rectori populorum, vt nec præſumat in viribus, nec deſperet in impotentia ſua. Idem eſt apud Dominum, ſaluare in multitudine & in paucis, vt 1. Reg. 14. & 2. Paralip. 14. ſcribitur. Pſal. 44. Ioel. 2. Prou. 18. 1. Reg. 14.

Appo-

Appoſite autem & tempeſtiue dicit, Nomen Dei Iacob. Non Iſrael aut alio epitheto, nomen Dei commendans, Iacob enim à planta, ſuppiantator dicitur, quod proprie ad aduerſarios & diem tribulationis pertinet, vt per nomen Dei, princeps populi protectus euadat victor & ſupplantator hoſtium ſuorum. *Nomen Dei ...*

Mittat tibi auxilium de Sancto,
Et de Zion tueatur te.

PRo, tueatur te, Hieronymus, Roboret te, Quod magis exprimit fiduciã & virtutem cordis, qua qui robuſtus fuerit, omnibus malis ſuperior facile erit. Ab intus n. tuetur & roborat ſuos Dominus. Contra mundus ab extra ſeſe tuetur & roborat. Hoc eſt quod dicit, De Sancto & de Zion. Sanctum enim ſatis diximus, ſeparatum, abſconditum, & inuiſibile ſignificare, vbi ſenſus non attingit, & ratio nihil comprehendit, vt de Sancto ſit, de cœlo, & de ſolo Deo, qui in Sancto habitat, Quo pulchre fidei naturam indicat, quæ credit quod non videt & expectat fortiter auxilium, neſciens tamen vnde veniat. Homo autem de prophano & eo, quod patet, auxilium petit & expectat, Sed vana ſalus hominis. *Sanctum ... Fiant ...*

Pſal. 60.

Idem per repetitionem eſt, Et de Zion roboret te, auxilio enim robotamur, vt repetita oratio & affectum augeat, & certum auxilium promittat. Quid autem de Zion dicitur? Vtiq; non de Aegypto nec Babylone, Pro ſuo enim tempore loquitur, cum Dominus in Zion habitaret & coleretur. Ac ſi dicat, Non extra te curras, ſed intra te robur Domini expectes, veniet, ſi tu non diſcedas, roborabit, ſi nuſquam robotari quæras, Non enim fugientibus, ſed fortiter expectantibus venit, Nec hoc verſu aut vllo alio, fuga conſulit tribulationem euadere, ſed conſtantia & occurſu, in fide nominis Dei vincere. Sic enim Deus quemlibet ſuum hominem tutatur exipſomet, non per auxilium hominum. Cuius rei exempla ſunt, quod populum Iſrael ſæpius liberauit, nullis in circuitu gentibus adiuuantibus, ſed cunctis aduerſantibus, ſola præſentia ſui in Ieruſalem & Zion per verum cultum ſuum. Et quoties non de Zion, ſed Aegypto aut Aſſyrijs auxilium expectauerunt, toties ceciderunt, & baculo arundineo innixi peius colliſi ſunt. *De Zion.* *Conſtantia & occurſu in fide nominis Dei, hoſtes vincendi.*

Et vox de Zion, emphaſin ſuam habet, Specula enim dicitur non tantum, quod nos per fidem ſpeculemur, ſeu præſentem Deum habemus, ſed quod & ipſius Domini oculi ſuper nos aperti ſunt, ſicut dicit Pſal. 34. Oculi Domini ſuper iuſtos, Et 32. Firmabo ſuper te oculos meos, id quod olim, ſuper ſolam Zion, tunc electum ſibi locum faciebat. Nunc Zion eſt totus orbis, vbicunq; enim creditur in Deum, ibi videt & videtur Deus Deorum in Zion, ſicut & Pſal. 4. diximus, de lumine vultus Domini ſuper nos leuato. Recte autem verſus hic ſequitur præcedentem, quia exaltari in nomine Domini ſuper hoſtes non contingit, niſi de cœlo roboretur cor Principis, vt hoc verſu velut cauſam & modum reddat præcedentis verſus. *Zion nunc eſt totus orbis.*

Pſal. 34.
Pſal. 32.
Pſal. 4.

Memor ſit omnis ſacrificij tui,
Et holocauſtum tuum pingue fiat.

ET hic verſus Tautologicus eſt, quales ferme omnes huius Pſalmi ſunt. Prædicti autem duo perſonam Deo commendauerunt, quæ non niſi fide pura gratificatur in conſpectu Dei, His duobus ſequentibus opera eius commendat, recto & pulchro ordine, Sic enim reſpexit Dominus prius ad Habel, & poſtea ad munera eius. Inſuper hic verſus ſacrificium, Sequens conſilia & ſtudia commendat, Vt prius ſit facere quam dicere, prius ſacrificare, quam petere. Multi enim dicunt, Domine domine, non autem faciunt voluntatem Patris, imo contraria faciunt, Ideo & oratio eorum fit in peccatum. *Summa piorum 4. verſuum huius Pſalmi.*

Gen. 4.
Matt. 7.
Pſal. 109.

Et

Princeps impius non orat.

Et videmus hic non orari, niſi pro bono & pio Principe, neq; enim impius orat, vt exaudiatur, neq; credit, vt de ſancto roboretur, etſi foris ſacrificet opere ſeu ſimulet potius ſe ſacrificare. At hunc ſuum Principem non facit ſacrificare, ſed ſacrificanti optima precatur, Niſi dixeris, quod ſacrificium principis, ſit commune populi quoq;, in quo pij aliqui ſunt, quorum precibus & ille poſtuletur bonus & ſaluus fieri cum illis.

Sacrificia in noua lege abrogata.

Euincit autem hic verſus, Dauid feciſſe hunc Pſalmum, vt pro ſe oraretur à Cantoribus à ſe inſtitutis, quia ſacrificium & holocauſtum ritus Molalei memorat, quæ in noua lege abrogata ſunt, Non quod mala fuerint, ſed quod impleta ſunt per Chriſtum, & fiduciam iuſtificationis præſtabant ſuperbis, Nihil enim peccaretur, ſi hodie ritu eodem quiſquam ſacrificaret, modo id faceret, nulla fiducia iuſticiæ, aut neceſſitate conſcientiæ, libera enim & licita ſunt omnia, quæ contra fidem non ſunt.

Eadem fides ſpiritus in veteri & nouo teſtamento.

Non tamen ideo Pſalmus hodie & alijs orandus non eſt, ſicut enim alia perſona, alia cauſa, aliud tempus, alius locus, In noua lege ſunt, Ita & aliud ſacrificium, eadem tamen fides, & idem ſpiritus, per omnia ſecula, loca, opera, perſonas manent. Externa variant, interna manent, Non enim in omnibus eſt 1. Cor. 12.
vnum opus, ſed vna fides, nec vbiq; vnus ſeruus, ſed vnus Dominus. Et diuiſiones gratiarum ſunt, idem autem ſpiritus, & diuiſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus, & diuiſiones operationum ſunt, idem autem Deus, qui operatur omnia in omnibus. Sic qui in Abraham circumciſionem voluit, idem in nobis baptiſmum voluit, eadem prorſus voluntate, & in eadem prorſus noſtra fide, diuerſa tamen operatione, Oportet enim Eccleſiam ab initio mundi aſtare Chriſto circundatam varietate, & diſpenſatricem eſſe multiformis gratiæ Dei, ſecundum diuerſitatem membrorum, temporum, locorum, & cauſarum, quæ mutabilia ſint & varia, ipſa tamen vna ſemper eademque perſeueret Eccleſia.

Templum & ſacrificium hoc tempore.

Quod ergo noſtrum ſacrificium eſt? Aliquot ſeculis Sacramentum panis & vini, pro ſacrificio ſummo habitum eſt, Sed impia (vt alias diximus) opinione. In noua enim lege, nec templum eſt, vt in Apocalypſi viſum eſt in noua ciuitate Ieruſalem, nec ſacrificium, quod Daniel. 9. defecturum prædictum eſt, Sed nos ipſi ſumus templum Dei, vt Paulus 1. Cor. 3. docet, Ita ſumus etiam 1. Cor. 3.
ciuitas Dei, ita & ſacrificium, & omnia quę olim & nunc corporalibus templis & oblationibus figurata ſunt. Vnde Rom. 12. Apoſtolus, Obſecro vos, per Rom. 12.
miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra, hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem, rationale obſequium veſtrum.

Varias autem ſacrificiorum antiquorum interpretationes omitto, contentus duobus illis, quæ docet Dauid Pſal. 50. Sacrificium laudis honorificabit me, Pſal. 4. Sacrificate ſacrificia iuſticiæ, Pſal. 51. Sacrificium Deo, ſpiritus contribulatus. Ad idem Dan. 3. In anima contrita & ſpiritu humilitatis ſuſcipiamur, ſicut in milibus agnorum pinguium, ſic fiat ſacrificium noſtrum hodie in conſpectu tuo, vt placeat tibi, quoniam non eſt confuſio confidentibus in te. Et Oſeæ 14. Omnem aufer iniquitatem, & accipe bonum, & reddemus vitulos labiorum noſtrorū. Ebræ. 13. Per ipſum ergo offeramus hoſtiā laudis ſemper Deo, id eſt, fructum labiorum confitentium nomini eius. Et Pſal. 116. Tibi ſacrificabo hoſtiam laudis, & nomen Domini inuocabo. Et 53. Voluntarie ſacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum eſt, Et his ſimilia.

Pſal. 50. Pſal. 4. Pſal. 51. Daniel. 3. Oſeæ 14. Ebræ. 13. Pſal. 116. Pſal. 53.

Sacrificium in die tribulationis noſtræ.

Sacrificium itaq; noſtrum, quod in die tribulationis offerimus, cor contritum eſt, & confeſſio peccati, hoc eſt, nos ipſi in tribulatione ad Deum gementes, tribulationē iuſtam agnoſcentes, patienter ferentes noſtri mortificationem, inq; omnem voluntatem Dei nos offerentes, Hoc n. ſignat vniuerſus

ille

Digitized by Google

Ille tumultus figuralium hoſtiarum,cum ſuis cædibus,ſanguine,exuſtione,& ſimilibus in lege Moſi præceptis. Ignis ille comſumptor,ardor Spiritus ſancti eſt,diffundens charitatem,in noſtris,quæ deuorat,quidquid eſt carnis& veteris natiuitatis in nobis;id quod eſt holocauſtum, id eſt, in totum igne conſumptum offerri,,vt nobis mortui, Deo viuamus,& membra prius iniquitati ſeruientia,iuſticiæ nunc ſeruiant,Et in his omnibus, Deo confiteamur,laude-
Rom. 6. mus & gratias agamus.Ligna quibus ignis ille alitur, verba Euangelij ſunt. Cultri quibus cæduntur animalia,verba legis ſunt,occidentia veterem hominem & detracta pelle vetuſtatis,ſuper altare Chriſtum imponentia, In fide enim Chriſti omnia fieri oportet.

Pulchra hoſtiarum in lege allegoria. Holocauſtum. Ligna. Cultri. Altare.

Quid vero eſt,pingue fieri holocauſtum? Sine dubio allegorice,plenum,
Gen. 49. delicatum,placitum ac iucundum ſignificat.Pinguedo enim myſterio abun-
Pſal. 17. dantiæ & iucunditatis ſeruit,Gene. 49. Aſer pinguis panis eius, & præbebit delitias Regibus,Sic Pſal. 17. diximus, Adipem impiorum eſſe, proceres eorum,diuites,electos,& delicatos voluptuarios.Sumitur ſcilicet allegoria ab vſu hominum,qui pinguibus & bene paſtis pecudibus,ceu electioribus, dele-
Pſal. 63. ctantur.Sic & Pſal. 63.Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea,& labijs exultationis laudabit os meum. Inde in Scripturis paſſim pinguis ager, pinguis mons,quem latine,lætum & iucundum dicimus. Ebræa autem dictio,hoc loco ambigua eſt,vt poſſit etiam ſic transferri, Et holocauſtum tuum incineretur Sela,Quod,ad holocauſtum ſatis apte dicitur, poteſt autem vtrunq; ſimul accipi.

Pinguedo ſacr. Adeps impiorum. Pinguis ager, mons.

Sela,quod in fine huius verſus additur,quid ſit,in ſuperioribus diximus, indicium ſcilicet,cuiuſdam inſignis affectus occulti,per Spiritum pro tempore excitatum ſuper pinguedine & incineratione holocauſti huius, quem nemo nouit,niſi qui accipit.

SELA.

Tribuat tibi ſecundum cor tuum,& omne conſilium tuum confirmet.

CErte ſumme cauendum,ne pro tyrannis,& qui non niſi ſua quærunt,ſic oremus, Niſi in hoc cum illis ſentiamus, quod nullus princeps non velit ſua florere & in pace abundare,cum propter pacem & bella gerantur,& ita pro ciuili eorum bonitate precemur. Magis tamen pro bono Principe intelligitur orare. Qui enim talis eſt, multis impetitur aduerſarijs, præcipue ab illis ipſis malis Tyrannis,indigetq; diuino auxilio,quo ſua conſilia & deſiderio contra illos impleantur,Non enim pro Tyrannis,ſed pro eo, quem tyranni premunt inique,orandum eſt. Neq; filij Iſrael pro hoſtibus ſuis, ſed pro Dauid rege ſuo orabant,in debellandis aduerſarijs laborante.

Pro bon. principe orandum.

Ita & noſtri illi Turciuoræ Martes,qui contra Turcas inſaniunt,orationibus magis niti deberent quam viribus,quod cum non faciant,ſintq; ipſi peiores Turcis,populum Chriſti vaſtantes,neſcio an fortius contra eos,an contra Turcas orare debeamus. Certe,vt hodie res habent,non modo pro Imperatore,Regibus & principibus,orari oportet,vt eorum cor & conſilium impleatur,ſed vt cor eorum aperiatur,& intelligant,qui ſint veri hoſtes Eccleſiæ, in quos conſuliare,&cor commouere debeant, Donec enim cæci non vident, quam nos ipſi egeamus caſtigatione,quomodo conſultare poſſunt, pro quo eorum conſilio implendo,orare debemus? Inuenire tamen eſt aliquot inter eos,qui cæci non ſunt,& rebus noſtris conſultum velint,Pro his dicamus, & ardenter dicamus,Tribuat tibi Dominus ſecundum cor tuum,& omne conſilium tuum impleat,ſiue vt noſter dicit,confirmet.

Orationi plus quam viribus contra Turcas pugnandum.

Lætabimur in ſalutari tuo,& in nomine Dei noſtri magnificabimur.

Digitized by Google

Impleat Dominus omnes petitiones tuas.

IMpleat, hic dicit, cum idem verbum ſuperius, confirmet, reddiderit varius Interpres. Verbum hoc, Lætabimur, Pſal. 5. diximus ſignificare, *Pſal. 5.* lætitiam vocalem, ſeu iucunditatem verborum, qua ſolent homines gaudium ſuum iactare, Sonatq; hoc loco in exhortationem, tanquam ab ijs dictum ſeu dicendum, qui prælium ineunt, & ſuperba fiducia iactant auxilium Domini ſuper ſe in ſalutem, Sicut illi Iud. 7. clamauerunt, Gladius Domini & *Iudi. 7.* Gedæonis. Et quomodo Ioſuæ 6. Clamauerunt filij Iſrael, & mox ceciderunt *Ioſue. 6.* muri Hiericho. Et rex Abia 2. Para. 13. eodem exemplo cum ſuis vociferans, *2. Par. 13.* quingenta milia occidit de filijs Iſrael. Sed & nunc etiam perſeuerat vſus militum iactantium Ducis ſui nomen & gloriam, ad animãdos ſeſe aduerſus hoſtes, Prorſus eum affectum & ritum, ſed pium & religioſum, hic verſus docet.

Lætari.

Gedæon. Hiericho. Abia.

Hunc ſenſum confirmat verbum ſequens, magnificabimur, quod perperam à noſtro redditum, à Hieronymo vertitur, ducemus choros, Nec hoc ſatis, Alij, Inſignes & nobiles erimus, dicunt. Volunt alij verbum caſtrenſe eſſe, Dægel enim vexillum, ſeu inſigne exercitus ſignificat. Inde hoc verbum Nidgol, ſignificare id, quod vexillum erigemus, ſeu ſi ſic liceret dicere, vexillabimur, wöllen panir auffwerffen/ quod & ipſum eſt, opus prælium ineuntium, vt non ſolum voce clament, ſed & ſigna ſua iactent, ſicut viri Gedæonis non ſolum tubis ſonabant & vociferabantur, ſed & lagenas, vice vexillorum, complodebant & iactabant.

Dægel. Nidgol.

Igitur in ſalutari tuo, id eſt, inuocata ſalute tua per fidem, lætabimur & clamabimus lætantes, & in nomine tuo, id eſt, inuocato nomine tuo, eadem fide vexilla erigemus, hoc eſt, in virtute tua, non noſtra, cum fiducia inibimus certamen cum omnibus hoſtibus noſtris, Domini enim eſt ſalus & victoria. Idem autem eſt ſalus, quod ſalutare, licet Interpretes libenter ſalutare ſoleant transferre. Quod ſi in bello prophano adeo neceſſarium eſt, in ſalute Dei vociferare, & in nomine eius vexilla ſuſtollere, Quanto magis hoc facto opus eſt noſtris Chriſtianis ducibus, dum aduerſus ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus, contra prudentiã carnis & hæreſes præliantur, ne noſtra inſignia, noſtros titulos, noſtraſq; imagines, & in nomine ac ſalute noſtra iactemus, id eſt, philoſophiam, humanas traditiunculas, decreta, & alia portenta noſtri nominis & virtutis proferamus, ſicut modo faciunt Pontifices ridiculi. Noſtrum vexillum, verbum crucis eſt, triumphale ſignum, ſanguine Chriſti purpuratum, quod Eccleſia Chriſti, quæ eſt terribilis ſicut caſtrorum acies ordinata, opponit omnibus poteſtatibus tenebrarum. Extuliſſe enim aliud verbum, eſt nihil aliud, quam puerorum more ludere in ferijs ſeu furijs carnalibus.

Duces Chriſtiani quales eſſe debent.

Noſtrum vexillũ.

Impleat Dominus omnes petitiones tuas. Et hæc vox eſt exhortatoria cum fiducia euntis in prælium, Ac ſi dicat. Noſimus & in nomine Domini, ſub tuis ſignis militamus, tibiq; Regi & Duci noſtro paremus, Dominus autem faciet quod ſuum eſt, & impleat petitiones tuas. Noſtrum eſt neſcire, quod futurum eſt, & tamen tibi obedire. Sic 2. Reg. 10. Ioab princeps militiæ Dauid inſtructa vtrinq; acie, in manu Dei victoriam ponens, ait, Pugnemus pro populo noſtro, & pro ciuitate Dei noſtri, Dominus autem faciat quod bonum eſt in conſpectu ſuo.

Ioab 2. Reg. 10.

Nunc cognoui, quoniam ſaluum fecit Dominus Chriſtum ſuum, Exaudiet illum de cælo ſancto ſuo.
In potentatibus ſalus dexteræ eius.

EA quæ

EA quæ hactenus orauit, nunc in ſpem certiſsimam erectus plane promittit Propheta, Sic enim ſibijpſi infallibiliter perſuadet fore affectus in Deum pleniſſime fidens, qualem hæc verba indicant, Ac ſi dicat, En rem aggrediamur, & ſcimus certiq; ſumus, quia Dominus ſaluabit Chriſtum ſuum, Neq; enim poſſibile eſt, vt non exaudiat eum, qui tanta fide, talibusq; affectibus de Deo præſumit, Quia non eſt confuſio confidentibus in te,
Dani 3. Daniel 3. Et ipſe ſaluator ſperantium, *Pſal.17.* Pſal.17. Ideo dicit, Nunc ſcio, quoniam ſaluum faciet. Eſſe enim verbum futuri temporis, cogit id quod ſequitur, Exaudiet illum de cœlo ſancto ſuo, Quanquam poſſit per modum participij præſentis temporis vel nominaliter verius ſic verti. Nunc ſcio, quoniam ſaluans ſeu ſaluator Dominus Chriſti ſui exaudiet eum. Et ex ſupra dictis, notum arbitror, ebræam linguam frequentiſſime ac idiotiſmo proprijſſimo vti verbo præteriti temporis, pro præſenti, vt hic, Nunc cognoui, id eſt, iam ſcio, ſeu nunc factus ſum ſciens, ſi abſoluto ſtatu accipi placet.

Eſt autem verſus exhortatorius fidei conſtantiſſimæ ſeipſam perſuadentis, imo ex affectu prædicto perſuaſæ, Qui enim ſic animatus eſt, vt audiat dicere, Lætabimur in ſalutari tuo, &in nomine tuo vexilla tollemus, Simul certiſſimus eſt, ſeſe non derelinquendum, ſicut reuera & certiſſimum eſt id quod *Certitudo fidei* *Rom.8.* ſolus ipſe ſentit. Sic Paulus audet, Rom. 8. Certus ſum, quod neq; mors, neq; vita &c. nos ſeparabit à charitate, quæ eſt in Chriſto, Et alibi, Certus ſum, *2.Tim.1.* quia potens eſt depoſitum meum ſeruare in diem. Cuius enim cor, dicit, Ego credo, infallibili ſimul ſequela dicit, Certus ſum ita fore, ſicut credo, Fides *Fides vera.* enim ſi vera eſt in corde, adeo certe affirmat, id quod credit, vt nihil certius futurum eſſe perſuaderi poſſit, atq; adeo iam ſcit ac ſi factum ſit, Ideo hic non dicit, opinor, aut cogito, aut intelligo, ſed ſcio, ſeu cognoui, quoniam ſaluum faciet, id eſt, certus & perſuaſus ſum, Vt ſuo more Paulus loquitur, eodem tamen ſenſu.

Hoc iterum argumentum eſt aduerſus impios illos Sophiſtas, qui nos incertos faciunt, de gratia & charitate Dei in nobis, garrientes, temerarium eſſe *Opinio certitudinis Sophiſtarum.* aſſertu, nos diligere aut credere aut certos eſſe de opere Dei ſuper nos, Cum nihil ſit abominantius iſta incertitudinis opinione. Vnde placet, ebræus idiotiſmus, quo hic verbum, Cognoui præteritum (quo fides commendatur) cum verbo futuro, Exaudiet (quo opus creditum ſignificatur) componitur, Vt obſtruatur os loquentium iniqua, & ſciant, opera Dei ſuper nos futura, per fidem eſſe credentibus debere, ceu præſentia, imo præterita, Hinc enim Prophetiæ frequentiſſime vtuntur verbis præteritis, præſertim in lingua ebræa, non tantum propter certitudinem (vt dicunt) prophetiæ, ſed magis propter oſtendendam & docendam fidei naturam.

Et ſatis miror, cum fateantur in vniuerſum omnes articulos, de ſecundo aduentu Chriſti, de extremo iudicio, de æterna vita & inferni igne, eſſe certiſſime futuros, & hæreticos aſſerant, qui in his dubitent, aut incerti ſint, Similiter, *De præteritis & futuris Sophiſtæ credunt Deo, non de præſentibus.* ſi quis de creatione, incarnatione, & toto myſterio Chriſti præterito, dubitet, aut incertus ſit, hæreticum ſtatuant, Cur audeant Catholicam aſſerere, ſi quis dubitet, ſe eſſe in gratia, ſe conſequi fide miſericordiam in Sacramento, certiſſime & infallibiliter habere propitium Deum, cum hic articulus ſit primus omnium, vbi dicitur, Credo in Deum Patrem omnipotentem? Cæci, cæci ſunt, & duces cæcorum, De præteritis & futuris Deo credunt, de præſentibus non credunt. Nos autem cum Propheta conſtanter & præſenter dicamus, Nunc cognoui quoniam ſaluum faciet Dominus Chriſtum ſuum. De verbis cognoſcendi, ſciendi, intelligendi, aliquando latius dicemus, De cœlo & ſancto, dictum eſt verſu 2.

In potentatibus, ſalus dexteræ eius.

In potentatibus ſalus dexteræ eius.

ET hoc verbum eſt animoſæ fidei euntis & exhortantis, de auxilio Dei futuro ſecuræ, vt ſi noſtro more & ſenſu diceremus, Scio quod exaudiet illum, & potenter ſaluabit eum. Eſt enim tropus ebræus, In potentatibus ſalus dexteræ eius, Idemq; ſenſus, qui Pſal. 118. Dextera Domini fecit virtutem, Hoc eſt, quando dextera Dei ſaluat, non eſt vlla virtus aduerſaria, *Pſal. 118.*
quæ perdat, quia non ſolum potens eſt, ſeu in potentia ſalus, quam dextera eius facit, ſed etiam in potentatibus, id eſt, multis modis potens. Nomine enim iſto plurali, licet barbare & abſurde ſonet latinis, exprimitur eximia illa fides, quæ Deo tribuit tantam virtutem & ſapientiam, vt non vna, ſed multis vijs poſſit ſaluare, etiamſi ijs, qui laborant, nulla appareat, Miramq; emphaſin & epithaſin habet ea vox, plena affectu ſuperbiſſimo, & de Dei virtute præſumentiſſimo, Ey las jn nur machen/er wird vnd kan wol helffen.

Poteſt ex Ebræo ſic reddi, Nunc cognoui, quoniam ſaluans Dominus Chriſtum ſuum, exaudiet illum de cœlo ſancto ſuo, in potentatibus ſalutis dexteræ ſuæ, vt omnia pendeant à verbo, Exaudiet, quod reſpondebit etiam Ebræis ſonat, vt ſit ſenſus, Exaudiet illum potenter ſaluando, ſua ſolius dextera, non hominum virtute, Et ſic ſonat in abnegationem auxilij humani, & emphaſis eſt in voce, dexteræ ſuæ, qui ſenſus mihi valde placet, tamen non longe variat à priore.

Chriſtus generaliter hic accipitur pro Rege.

Chriſtum ſuum, Hic generaliter accipi oportet, pro Rege, quod reges olim vngebantur. Auget autem & hoc ipſum verbum orationis exaudiendæ & ſalutis dandæ fiduciam. Noſſe enim ſe eſſe diuinitus ad aliquod opus vocatum, addit fortiter & inflat ſpiritum, Scit enim volente & mandante Deo, ſe agere quod agit, Tantum cauet, ne ſuis viribus ſuperbis, Deo mandante contentus, non etiam humiliter & in timore quærat Deum adiutorem, Sic enim Pſal. 7. *Pſal. 7.*
erigit ſe idem Propheta dicens, Exurge Domine Deus in præcepto, quod mandaſti, Quod hic breui verbo dicit, Chriſtum ſuum, id eſt, quem ipſe vnxit & regem conſtituit, & hoc quod agit, agere voluit. Inde Dauid ſcribitur præliari bella Domini, id eſt, voluntate Dei impoſita & ſibi demandata. Contra, qui vocati non ſunt, prorſus infeliciter omnia tentant, ſicut filij Iſrael monſtrauerunt exemplo ſuo, Numer. 14. Ideo potius Chriſtum ſuum, quam regem noſtrum voluit dicere, vt ſeſe animarent Dei mandato, non ſuo commodo, vt nunc vulgus ſolet pugnatorum.

Non vocati omnia infeliciter tentant.

Vtinam tales eſſent & noſtri illi Turcarum voratores, qui populum Chriſti, impijs ſuis Indulgentiarum præſtigijs illudentes impellere ſolent in perniciem rerum, corporum & animarum: Quam enim feliciter pugnauerimus hactenus, auctum hoſtium Imperium cum ſumma noſtra ignominia ſatis declarat. Præſumimus enim impij tam de viribus, quam de iuſticia, coram Deo & hominibus ſuperbientes, Deinde prorſus non niſi gloriam mundi quærimus, & ijs omnibus portentis, nomen ſanctum Dei prætexim*u*s, fictiſq; tum verbis, tum factis, omnia præſumimus, & tamen coronas Martyrum ſecure pro his omnibus promittimus, O furor.

Turcarum voratores infeliciter pugnant.

Certe Dauid rex religioſiſſimus, licet potens eſſet viribus, tamen hunc Pſalmum edidit, quo erudiret populum, qua fiducia, quibuſq; viribus vellet de ſe præſumi, ſtultum vulgi plauſum, qui Regibus ſuis nihil non arrogat, coercens, & ad diuinam miſericordiam conuertens. Ideo ſalus dexteræ Dei, in virtutibus cum eo fuit, Nobiſcum autē pernicies ſiniſtræ noſtræ in infirmitatibus perſeuerat. Verum quid mirum, in hac re bellica nihil cum Dauid, noſtris Regibus eſſe commune, cum in fide Chriſti, forte noſtra prima, nihil nobis cum illo conueniat?

Hi in curribus & hi in equis,
Nos autem in nomine Domini Dei noſtri inuocabimus.

PVlchra Eclipſis, quæ in Germanica lingua apte redditur, Sie mit roſſen vnd wagen/ſubintelligitur enim verbum, pugnant vel præſumunt. Contentio quoq; inſignis eſt, fide pura & firma incedens, Illi in equis, nos in nomine Domini, Illi in virtute viſibilium, nos in nomine inuiſibilis, Illi ſenſu, nos fide nitimur &c. Quando autem Interpres voluit reddere, Inuocabimus, rectius dixiſſet, Nomen Domini inuocabimus, licet enim Ebræus dicat, Inuoco in nomine Domini, & audio in voce Domini, video in turba, latine tamen, Inuoco nomen Domini, & audio vocem Domini, video turbam, dicemus. Hoc loco autem, pro inuocabimus, Ebræus dicit, memores erimus. Et Hieronymus, Nominis Domini Dei noſtri recordabimur.

Mira congreſſio piorum & impiorum in prælio.

Mira vere exhortatio & congreſſio belli, vt hoſtes equis & curribus iuſti ſolius nominis Dei memoria, armati pugnent. Magna certa fides, quæ tanta audet memoria nominis Domini. Habet & ipſum quoq; vſus bellatorum vſque hodie, vt congreſſuri in memoriam reuocent, vel fortia facta patrum, vel priores victorias, & alia quibus corda ſua exhortentur & concitent. Noſtrorum autem principum eſt, nominis Dei meminiſſe, in quo vniuerſa ſalus &

Memoria nominis Dei.

Prou. 18. victoria conſiſtit. Prou. 18. Turris fortitudinis nomen Domini, in ipſo currit, (ſicut accinctus in bellum) iuſtus & exaltabitur, id eſt, ſuperabit & victor erit, Currit autem in ipſo, id eſt, in memoria & fide eius.

Bellum internum.

Emphaſis autem inſignis eſt in verbo, Memores erimus, nulli cognita, niſi experto, Sine dubio enim Propheta hic experientiam ſuam ſignat. Quis enim putet quenquam ſola memoria nominis Domini victorem fieri, niſi expertus fuerit? Sed & quam arduum idipſum ſit, vt nominis Domini non obliuiſcatur? quis credat? cum ibi vrgeat mors, ignominia, conſcientia, & mille pericula, quibus vt multo violentioribus copijs intus oppugnatur cor, quam corpus foris, vt diſtractum in præſentia & circumſtantia & truculentia, amittat nomen Domini. Neq; ſatis eſt, ſemel ab initio cogitaſſe & inuocaſſe, ſed perſeueranti atq; conſtanti memoria meminiſſe oportet, vſq; in finem victorioſum aduerſus omnia terribilia & periculoſa occurſantia Sicut enim impoſſibile eſt, vt nomen Domini ſuccumbat, cum ſit in æternum & omnipotens, ita impoſſibile, vt is cadat, qui in ipſo hæſerit & perſeuerauerit.

Fidemus ſibi ipſi.

Verum impius, in cuius auribus nomen Domini, apparet vile, vt quod ſit, non niſi flatus & literæ tranſeuntes, hæc tam grandia & inſignia eius magnalia non capit, Ideo relicto ipſo, ponit carnem brachium ſuum, confidit in homine, recedit cor eius à Domino, confugiens ad baculum arundineum Aegypti, Sicut de Saule dicitur, quod mortuus ſit in peccatis ſuis, quia in Dominum Deum Iſrael non ſperauerit. Cætera mirabilia nominis Domini, affectibus & experimentis relinquenda ſunt, quãdo verbis & auribus ea nemo poteſt conſequi.

Ipſi obligati ſunt & ceciderunt,
Nos autem ſurreximus & erecti ſumus.

Encomium ante victoriam canunt ſoli fideles.

HOc non dicitur hiſtorice, vel non ſolum hiſtorice, ſed magis prophetice, imo fideliter, Soli enim fidei, de Deo præſumendi, licet canere Encomium ante victoriam, & rumorem ponere ante ſalutem, vt cui prorſus omnia licent, Deum n. credit, iam habet quod credit. Quia fides non

Exod. 14. fallit, ſicut credit, ſic fiet ei. Sic Moſes Exo 14, trepidantem populum ab inſequentibus Aegyptijs roborat certiſſima victoria, dicens, Nolite timere, ſtate

& videte magnalia Domini,quæ facturus eſt hodie, Aegyptios enim, quos nunc videtis,nequaquam vltra videbitis vſque in æternum, Dominus pro vobis pugnabit,& vos tacebitis. Et ita factum eſt,Pharaone in curribus & equis præſumente,per aquam conſumpto.

Incuruari. Surgere.

Pro,obligati ſunt,melius Hieronymus & Ebræus,Incuruati ſunt,ſeu incuruauerunt, abſoluto verbo, vt ſonet defectum præſumentis de ſe virtutis, quæ,ſubtracta manu Dei,in ſeipſa deficit & incuruatur,aduerſario etiam non incuruante.In quo & Antitheſis pulchrius apparet,Incuruari enim & ſurgere oppoſita ſunt,ſicut & cadere & ſtare,quod erecti ſumus hic dicitur. Porro per incuruari & cadere,ita defectum, ſicut per ſurgere & ſtare,profectum ſignificat.Incurnari enim eſt,infirmari & cadere penitus,vinci,ſurgere eſt præualere,& ſtare eſt vincere,Quibus verbis,rem velut ob oculos ponit, & velut coram geſtam deſcribit,ad prouocandam fidem in Deum,ſic enim res habet, vt primum incuruentur, & tandem cadant, primum ſurgant,& tum ſubſiſtant.

Fides contra ſenſum ſe illuſtrat.

Sed quid hoc? qui fatetur aduerſarios curuari & cadere,certe ſimul ſatetur eos prius ſurrexiſſe & ſteriſſe.Nunquid & pios, dum ſurrecturos & ſtaturos facit,ſimul indicat,prius curuatos & lapſos? Abſit, verba enim ſunt fidei,de futuris tanquam præteritis,ſecuriſſime præſumentis & rem vt geritur, in oculis hominum pronuncianis,In congreſſu enim hoſtium,dum impij fidunt in curribus & equis,videntur certe ſurgere & ſtare, Contra pij in nomine Domini fidentes,videntur velut longe impares curuari & cadere. At fides huic phantaſmati ſenſuali reluctata ſic tactat,Etiam ſi illi ſurgant & ſtent in curribus & equis,nos vero curuemur & cadamus, ſicut apparet, certi tamen ſumus,mutata paulo poſt rerum facie,eos,qui ſurgunt & ſtant, curuandos & caſuros,Nos autem,qui videmur curuati & cadere,vere ſurrecturos & ſtaturos,imo iam ſurreximus & erecti ſumus.O pulchrum fidei exemplum.

Domine ſaluum fac Regem,
Et exaudi nos in die, qua inuocauerimus te.

IN noſtra translatione hic verſus poteſt,velut Epilogus,vel confirmatio haberi,ſed Ebræus ſic diſtinguit,Domine ſalua,Rex exaudiat nos, die qua vocabimus. In quo neſcio quid myſterij lateat,non enim exaudi nos,ſed exaudiat nos in tertia perſona dicitur,ſicut in principio Pſalmi,Exaudiat te,eadem perſona,eodemque verbo dixit. Rex etiam in nominatiuo ponitur,non in accuſatiuo,Pronomen,te,in fine verſus non habetur, Ego ſi quid ſecreti habet,ſpiritualibus relinquo,ſimpliciſſimo ſenſu contentus, quo Deum ipſum,hic Regem vocari arbitror in tertia perſona,more ebraico,ſicut & in principio Pſalmi,Exaudiat te Dominus,Et Moſes Nume. 14. Magnificetur fortitudo Domini,ſicut iuraſti,pro fortitudo tua. Et Pſal. 3. Domini eſt ſalus,& ſuper populum tuum benedictio tua. Et Num. 27. Prouideat Dominus hominem,qui ſit ſuper hanc multitudinem,id eſt,prouide tu Domine. Et Geneſ. 30. Ioſeph ad Pharaonem,prouideat Rex virum ſapientem. *Num. 14. Pſal. 3. Num. 27. Geneſ. 30.*

Regentes hoc agant,vt ſubiecti ſciant ſe Deo parere,non Regibus. Sic Dauid non erat Rex,ſed erat regni Dei miniſter.

Ita & hic,Exaudiat nos,ille Rex,Ponitur enim articulus notæ inſignis, hoc eſt,Tu exaudi nos,qui vere es ille Rex noſter,Nam Dauid, qui miniſtrat tibi,non eſt Rex,nec ſuum regnum regnat,ſed tuum,Tuum enim ſumus nos regnum,& tu Rex noſter es,quo affectu vehementer mouet,hoc eſt, mouere nos docet Deum,qui tunc mouetur,quando nos mouemur.Quomodo enim non exaudiat,quando regnum ſuum,res ſua,gloria ſua periclitatur? Hoc eſt, tunc nos ardentiſſime oramus,quando nos regnum & partem rerum Dei eſſe confidimus,

Digitized by Google

confidimus. tunc enim non noſtra quærimus, & certi ſumus, non derelictu-
rum eum, rem quæ ſua & regnum quod ſuum eſt, præſertim inuocantibus
Pſal. 7. nobis, De quo affectu Pſal. 7. latius dictum eſt. Petit ergo hic verſus, genera-
lem & perſeuerantem ſalutem à Deo hoc modo, Sicut iam ſaluaſti & exau-
diſti nos. Ita fac, vt ſemper & quaecunq; die inuocauerimus, ſalues & exaudi-
as. Sic enim, qui ſemel expertus eſt, auxilium Domini, optat illud perpetuum
eſſe, metuens ne quando ſe deſerat.

EXpoſuimus hunc Pſalmum, pro exemplo fidei, de Rege quoſ- *Alia expoſitio Pſalmi de Chriſto.*
cunq;, nec dum certum habeo, an legitimum ſenſum attigerim, Quam-
uis enim vexilla, equos, & currus ſonet quæ cogere videntur, vt ad exter-
nam pugnam trahas Pſalmum, Non tamen auſim negare de Chriſto intelli-
gendum, vt de vexillis in ſpiritu eum loqui. Mouet me, quam maxime cum *Summa breuis Pſal. 110.*
multis alijs Pſal. 110. in quo Chriſtus Rex ſedere iubetur & in medio inimi-
corum dominari, & ſceptrum eius emitti ex Zion, item Reges terræ conquaſſa-
ri. & reliqua, quæ etſi carnaliter ſonent, tamen penitus in ſpiritu dicuntur &
Pſal. 72. intelliguntur. Similia Pſal. 72. liceat adducere, Et Pſal. 2. Virga ferrea, in ſpiri-
tu dicitur. Ita & hic vexilla facile fuerit in ſpiritu accipere, Nihil enim obſtat
mihi, quo minus de Chriſto exponam, niſi quod allegoriam vitare propoſi-
tum eſt, quantum fieri poteſt, tum quod in nouo teſtamento, non allegatur
hic Pſalmus, quemadmodum cæteri. Rurſus Pſalmus ſequens, valde vrget ſe
de Chriſto intelligi, & veriſimile eſt eum de eodem Rege loqui, de quo hic
loquitur, vt videbimus.

Tutius forte fuerit, in iudicium & arbitrium Lectoris, & alte-
ram de Chriſto breuiter afferre intelligentiam, qua in populi fidelis perſona,
qui carnalia bella neſcit, Propheta orat, pro ſuo quoq; Rege, qui cum eodem
populo ipſe dux belli ſpiritualis, pugnat aduerſus poteſtates & portas inferi,
Incomparabiliter enim maioris momenti res eſt, certamen verbi & fidei, quo *Certamen verbi & fidei.*
colluctamur non contra carnem & ſanguinem, ſed contra ſpiritualia nequi-
tiæ in cœleſtibus, non pro vita aut rebus iſtis momentaneis, ſed æternis, hoc
eſt, pro iuſticia contra peccata & errores.

Præterea quis nouit, an Pſal. generali ſententia vtriſq; aptetur? quemad-
3 Reg. 7. modum illud 3. Reg. 7. Ego ero ei in Patrem, & ipſe erit mihi in Filium, de Sa-
Matth. 2. lomone ſimul & Chriſto intelligitur, Et quædam alia Matth. cap. 2. Vt vox in
Rama, de filijs tranſmigrationis, & ſimul de paruulis ab Herode interfectis.

Ponamus ergo ob oculos Chriſtum cum turba Martyrum, pro veritate &
regno Dei certantes & morientes, aduerſus violentiam Tyrannorum, qui viri-
bus & armis ſuperiores fuerunt, & tamen victi ſunt, & ex prædictis facilis erit
ſenſus. Eadem enim eſt fides, ſed diuerſa cauſa, Hic enim corporaliter ſuc-
cumbunt Chriſtus & Martyres, illic ſuperant, vtrobiq; eodem ſpiritu operan-
Rom. 8. te, qui pro Chriſto & Sanctis interpellans gemitibus inenarrabilibus, ſimul
adiuuans eorum infirmitatem dicit.

Exaudiat te Dominus in die tribulationis.

CVm enim nullus ſit qui conſoletur, ſolusq;, patiaris in die iſta
paſſionis tuæ, & tecum Sancti tui, ſoletur te Dominus & exaudiat, ſal-
uum facturus ab inimicis, hoc enim affectu inenarrabili Chriſtum & San- *Gemitus Chriſti & Sanctorum.*
ctos ſuos gemuiſſe per Spiritum, non eſt dubium, quo & nos in morte & tri-
bulationibus gemere oportebit.

Protegat te nomen Dei Iacob.

Nihil enim reliquum eſt, niſi ſolum nomen Dei, cuius inuo-
catione, velut tenuiſſimo filo, ægerrime pendere & ſeruari putatur ſalus pati-
entis, cum omnia alia, non modo non ſeruent, ſed perdentibus cooperentur.

Mittat tibi auxilium de Sancto.

At hoc ipſum mire diſcrutiat,ſolo nomine Dei hærere,& auxilium expectare non niſi inuiſibile & ab inuiſibili Deo,qui in ſancto ſeparatiſſimo habitat. Et tamen ſpiritus hoc gemitu adiuuat patientes,vt ſe expectare(& ſi maximo cum labore)auxilium ineffabile & innominabile ſentiant.

Et de Zion tueatur te.

Idem Zion,quod ſanctum,vt diximus. Expectat enim,& nihil aliud poteſt,quam quod ſentit ſe expectare robur de Zion, habitaculo abſcondito Dei,quo non modo ferat,ſed ſuperet tandem tribulationem.

Memor ſit omnis ſacrificij tui.

Eius ſcilicet,quo te ipſum offers Deo in mortem. Nam & hic,niſi gemebundus ſpiritus vtcunq; ſuggereret,nondum eſſe eos in obliuione Dei penitus, certe infirmitas ipſorum, hoc ipſum quod patiuntur,& quo ſe offerunt reprobari & damnatum obliuioni tradi crederet. Sic n. caro murmuraret,dicens, Fruſtra pateris,non erit aliquando Deus memor huius ſacrificij tui.

Holocauſtum. *Et holocauſtum tuum pingue fiat.*

Id eſt,abundans,fructiferum & plenum fiat, Holocauſtum autem hic,ſicut & ſacrificium in ſpiritu accipi oportet,vt diximus, Sic enim Chriſtus ſe totum in cruce obtulit abſumendum igne charitatis. Poteſt hic, pro omnis ſacrificij dici,totius ſacrificij,ſicut holocauſtum,totum igne combuſtum,quo gemitu ſpiritus eos erudit,vt orent & ſperent,nihil fruſtra ſeſe paſſuros,ſed omnia grata,memorata & plena fore,id quod tam tenui ſpe expectant tribulati,maxime infirmi, vt magis optare quam ſperare videantur ſibijpſis.

Tribuat tibi ſecundum cor tuum,
Et omne conſilium tuum confirmet,ſeu impleat.

Et hoc expectare eos facit ſpiritus,licet infirmitas eis dictet tam deſideria irrita,quam conſilia vana fore. Puto his quatuor verſibus vim & naturam gemitus illius inenarrabilis pulchre tradi,velut praxi & exemplo quodam. Sequuntur nunc lætiora,vergente tribulatione in victoriam.

[illegible] inenarra- bilis

Lætabimur in ſalutari tuo,& in nomine Dei noſtri magnificabimur.
Impleat Dominus omnes petitiones tuas.

De iſta iactantia & vexillorum erectione & ſuperius diximus. Sic enim Chriſtus & Martyres ſui etiam ſi moriantur,confidunt ſeſe in ſalute Dei ouare,iactare, & vexillum ſuſtollere, eo maiore fiducia prædicare & confiteri Chriſtum,quo magis præmuntur. Atq; etiam ſi ipſi occidantur,alios,vice eorum,idem facturos confidunt,cum quibus vt vnum corpus,ita eandem hanc vocem communem habent. Nec dubitant impleri etiam inuitis tyrannis, quæ poſtulauit Chriſtus. Quæ poſtulat autem Pſal.2. Poſtula à me,& dabo tibi gentes in hæreditatem,& poſſeſſionem tuam terminos terræ. Hanc enim poſtulationem obtinuit,ouantibus & vexillificantibus (vt ſic dixerim) Martyribus,id eſt,cum fiducia confitentibus,prædicantibus, morientibus. Pſal.2.

Nunc cognoui,quoniam ſaluum fecit Dominus Chriſtum ſuum,
Exaudiet illum,de cælo ſancto ſuo.
In potentatibus ſalus dexteræ eius.

Exponatur, vt ſupra, Saluum enim fecit Chriſtum & exaudiuit, dum multi-

multiplicata Eccleſia,impleuit poſtulationes eius.Exaudiuit autem,In fortitudine ſalutis dexteræ ſuæ,id eſt,quomodo ſolet dextera eius ſaluare,quæ non ſaluat,niſi impotentes,Potens enim eſt Deus in infirmis,bonus in malis blandus in aduerſis.Sic præſumi de Deo docet ſpiritus adiutor infirmorum.

Hi in curribus & hi in equis,
Nos autem in nomine Dei noſtri memores erimus.

Satis ex prædictis patet ſenſus.Tyranni enim viribus,Martyres ſola nominis Dei memoria & aſſidua inuocatione vincunt.

Ipſi curuati ſunt & ceciderunt,
Nos autem ſurreximus & ſtamus.

Sic enim Eccleſia creuit & firmata eſt,eo ipſo,quo expreſſa eſt, Et Impij tyranni vaſtati,dum potentiſſimi erant, Vt omnia hæc experientia videmus impleta,Quanquam alij ſint,qui cadunt Martyres,& alij,qui ſurgunt fideles, tamen quia vnus populus eſt,per Synecdoch en vſitatiſſimam figuram in ſacris literis,id quod partis eſt,totum ſibi vendicat,quanquam reuera & Martyres in ſpiritu ſurgunt,dum multi in eorum fidem ſuccedunt.

Domine ſaluum fac,
Rex exaudiet in die,qua vocauerimus.

Senſus idem,qui ſuperius datus eſt.

PSALMVS XXI.

Ad victoriam Pſalmus Dauid.

D*omine in virtute tua lætabitur Rex,& ſuper ſalutare tuum exultabit vehementer.*

Similis fere per omnia Pſalmus eſt præcedenti, vt & hic non ſatis certus ſim,de ſolo ne Chriſto,an quouis Rege intelligi debeat, mirumq; tam apertis inſiguratisq; verbis, tam obſcuram ineſſe intelligentiam. Omnino tamen videtur eſſe gratiarum actio quædam ſuper acceptis his, quæ præcedente poſtulata ſunt,Vt ſit Epinicion quoddam Chriſti à mortuis reſurgentis.Atq; vt Pſalmum præcedentem interpretati ſumus, primum de Rege figurali,ita hunc contra,primum de Rege figurato Chriſto interpretemur,cum reuera Dauid,& quiuis Rex,bellis & victorijs ſuis Chriſti paſſionem & reſurrectionem figurauerint,& facile ſit,figuram & rem figuratam, ex ſe inuicem intelligere,Forte & hic Pſalmus generali ſententia de vtroque Rege ſimul loquitur,ſicut in præcedente viſum eſt. *Scopus Pſalmi.*

Rex Chriſtus,victa morte lætabitur,in virtute tua, qua eum reſuſcitaſti & victorem feciſti,qui in infirmitate carnis mortuus,omnibus ſub- 2.Cor. 13. iectus fuit,ſeu,vt Apoſtolus ait 2.Cor.vlt.Nam etſi crucifixus eſt ex infirmitate,tamen viuit in virtute Dei. *Si lætabitur in virtute Dei,ergo contriſtatus fuit per infirmitatem ſuam.*

Virtus & ſalus Dei. Idem eſt, quod altera pars dicit *Et in ſalutari tuo exultabit vehementer*, id eſt, vbi à morte ſaluus factus fuerit. Interpres noſter, libenter vertit, ſalutare, pro ſalute, neſcio quare. Virtus autem & ſalus Dei, ſicut vbiq; fere pro ea re accipitur, quæ nos Deus ſaluos & validos facit, Vt ſint donorum Dei vocabula magis quam autoris, ſicut ſæpius dixi de ſapientia Dei, de iuſticia Dei & ſimilibus.

Multa autem ſunt nomina, non ſolum in Ebræa lingua, ſed & græca & latina & teutonica, forte & in omnibus alijs, quibus vires ſeu fortitudo ſignificantur, quorum differentiam alio forte loco, inquiremus, Et verba lætitiæ & exultationis, Pſal. 5, & 9. tractauimus. *Pſal. 5. 9.*

Deſiderium cordis eius tribuiſti ei, & voluntate labiorum eius, non fraudaſti eum. Sela.

Oratio mentis & oris. PEriphraſis gemina orationis, prior cordis, altera oris Rhetoricatur enim Propheta. Quid eſt oratio mentis, niſi deſiderium cordis? Quid oratio oris, niſi voluntas labiorum? Alij tamen pro voluntate labiorum eloquium ſeu prolationem labiorum, ſed ſegnius orationis vim ſignificant, hoc enim labiorum eloquium, oratio dicetur, quo aliquid peti ſignificatur. Aptius ergo noſter, voluntatem ſeu deſiderium labiornm dixit, vt reſponderent labia cordi, & eorum voluntas illius deſiderio, Vt exprimat orationem *Oratio vocalis.* vocalem, ne orationem quidem dici, niſi & ipſa deſideret, è cordis deſiderio & affectu prolata. Voluntas enim labiorum, viua & feruens eſt oratio, quid enim viuacius voluntate ſeu deſiderio? Neſcio ſi hunc tropum Dauidici eloquij vſquam in ſcripturis inuenire liceat.

Oratio cordis. Ordo ſane pulcher eſt, quod oratio cordis, primo loco habenda ſit, ſine qua labiorum oratio inutile murmur eſt, Et vt vocalis oratio negligenda non eſt, ita curandum, vt ab oratione cordis proficiſcatur, Pſallam ſpiritu, Pſallam & mente, ait Apoſtolus. *1. Cor. 14.*

Non fraudaſti, Intelligitur non priuaſti, non remouiſti, hoc eſt, curaſti, vt non fruſtra oraret, nec orationem eius auertiſti, vt non exaudires, per negatiuam, maxime affirmatiuam orationem faciens. Quid autem deſiderauit cor? quid voluerunt labia? Sequitur.

Quoniam tu praueniſti eum in benedictionibus dulcedinis, poſuiſti in capite eius coronam de lapide precioſo.

Paz. INterpres noſter perpetuo, lapidem precioſum reddit pro paz, id eſt, auro ophirizo & optimo, vt Pſal. 19. quoq; vidimus. Deniq; Pſal. 119. *Pſal. 19.* ſuper aurum & topaſion, dicit, vbi eadem dictio paz, alluſione ſui, fecit eum *Pſal. 119.* Topaſion cogitare, cum dicendum fuerit, Super aurum & ophirizum, ſunt enim prorſus eadem ibidem vocabula, quibus Pſal. 119. dicitur, Super aurum & lapidem precioſum. Et hoc loco coronam de obrizo, Hiero. transfert, id *Corona Regum.* quod cogit communis omnium ſenſus & vſus. Neq; enim coronæ regum gemmæ, ſed aurum ſunt, Manifeſtum autem eſt, quod de regia corona loquatur, Reddimus itaq; ad verbum ſic, Quoniam præuenies eum in benedi- *Corona ophirizi.* ctionibus bonitatis, pones in caput eius coronam ophirici, id eſt, auri precioſiſſimi.

Verbum, præueniſti, quid velit non ſatis intelligo, Quantum ex Ebræo augurari licet, comparatiue dicitur, hoc eſt, Chriſtum ſic eſſe benedictum, vt Princeps eſſet omnium, qui benedicuntur, eiusq; benedictiones tales, quales nullorum aliorum, iuxta illud Pſal. 45. Vnxit te Deus, Deus tuus, præ conſor- *Pſal. 45.* tibus tuis. Et Paulus Rom. 8. Vt eſſet primogenitus in multis fratribus. Et *Rom. 8.* iterum, 1. Cor. 15. Chriſtus reſurrexit primitiæ dormientium. Et Pſalm 89. *1. Cor. 15. Pſal. 89.*

Quis

Quis ſimilis erit Deo in filiis Dei? Omnino ad perſonam iſta præuentio refertur. Quanquam & hoc pulcherrimo & veriſſimo ſenſu dicatur, quod Chriſtus primus omnium reſurrexerit, Vt & hic locus ſit vnus eorum, qui de reſurrectione Chriſti prædictus ſit, vt non ſolum ad dignitatem perſonæ, ſed ſimul ad præuentionem temporis pertineat. Neq; enim Paulus eum primitias dormientium & primogenitum vocat, dignitatis tantum perſonalis reſpectu, ſed & temporis. *Chriſtus primitiæ dormientium & primogenitus vocatur.*

Sit ergo ſenſus, præueniſti eum, id eſt, primum feciſti in benedictionibus illis optimis, Quod confirmat pars ſequens, quæ eum Regem coronatum eloquitur, velut explicans iſtam præuentionem.

Diximus enim hoc verſu incipere Prophetam, vt reciter quæ ſint illa quæ cor Regis huius deſideraſſet, & voluntas labiorum eius poſtulaſſet, nempe ſalutem ex morte, & virtutem ex infirmitate, hoc eſt, optimas benedictiones. Oportet enim Ebraiſmo iſti aſſueſcere, quo benedictiones bonitatis dicuntur, quæ latine dicerentur, benedictiones bonæ vel potius optimæ, Nam Interpres noſter, non raro, Tob, Ebraicum vertit dulce, quod proprie bonum ſignificat, Et hoc verſu, dulcedinem vertit, quod Latinus quid ſit, vix intelliget, Cum latine benedictionem dulcedinis dicamus eam, quando dulcedo conferat vel habeat, ſicut iuſticiam Dei vocamus quam Deus largitur. *Benedictiones bonitatis.* *Tob.* *Iuſticia Dei.*

Gen. 49. 1. Reg 25. Gen. 1. Benedictiones vero, item Ebraico idiotiſmo dicuntur, quæ nos beneficia vocamus, Sicut Iacob. 49. Gene. dicit, De benedictionibus vberum & vuluæ, & e. 1. Reg. 25. Suſcipe benedictionem hanc, quam attulit ancilla tua, Quod omnia benedicente Deo proueniant, vt Gene. 1. ſcribitur, Diſcernit itaq; Propheta, benedictiones has Chriſti ab omnibus alijs dum eas appellat, Tob, id eſt, bonas aut ſuaues, cum nuſquam hoc epitheto benedictiones commendentur, In quo abſq; dubio de bonis futuris ſe loqui oſtendit, in quibus nulla triſtitia, nulla amaritudo ſit, Nam quæ hoc vitæ tempore poſſidemus quantumlibet optima, non ſine malitia poſſidemus, dies enim mali ſunt. Et ſufficit *Mat. 6.* diei malitia ſua, ait Chriſtus, quando & electis ſuis prædixit, quod in mundo preſſuram eſſent habituri, nec ipſam gratiam Dei ſuauiſſimam, ſine labore poſſeſſuri. Quo verbo præoccupat, ne quis coronam auream Chriſti intelligere præſumat temporalem, cæteris ſimilem faciens eum Regem verbis allegoricis, ſed non niſi in rebus bonis, hoc eſt, futuris & ſpiritualibus. *Benedictiones Chriſti.* *Futura bona.* *Chriſtus in rebus ſpiritualibus rex.*

Allegoriam ergo nobis extorquet ipſa circumſtantia conſequentia & ſententiæ vis, vt per impoſitionem aureæ coronæ, aliud nihil periphraſticos intelligamus, quam eum Regem eſſe conſtitutum in rebus ſacris, ſpiritualibus & optimis, Quæ periphraſis non rara eſt in ſacris literis Iud. 5. Qui aſcenditis ſuper nitentes aſinas, id eſt, Patricij & optimates, Item, Qui ſedetis ſupra in iudicio, id eſt, vos iudices. Et, qui ambulatis in via, id eſt, proletarij, vulgus & plebes, Gen. 49 Inuiderunt ei habentes iacula, id eſt, baliſtarij. Ita hic pones in capite coronam obrizi, id eſt, conſtitues eum Regem regum, & Dominum dominantium. *Periphraſis in ſacris literis frequens.* *Iudic. 5.*

Quæ enim eſſet iſta magnificentia Dei? Quæ tam grandiloquo ſermone cœpit deſcribi, vt Regem hunc non in hominum, ſed Dei virtute & ſalute vehementer lætantem, Deinde præuentum in optimis beneficijs ac donatum longitudine vitæ, poſitumq; in benedictionem perpetuam fecerit, Et inter medias has diuinas pompas, caderet in eas ſordes, vt & auri iſtius corruptibilis iactaret gloriam, Cum tales coronas paſſim poſſideant, propria virtute & arrogantia, vt quiq; ſunt impijſſimi & ſceleratiſſimi, Digni non quos in ſua virtute & ſalute Deus lætificet cum vultu ſuo, ſed in ira ſua conturbet & deuorandos igni tradat, vt proſequetur Pſalmus. Quare maieſtas tum coronantis, tum

tum coronati,aliæq; circumſtantiæ monere debent, coronam hanc auri eſſe etiam Maieſtatis inſolitæ,& nulli Regum aliorum attributæ.

Vitam petijt à te,& tribuiſti ei longitudinem dierum in ſeculum & in ſeculum ſeculi.

ARbitror hic partiri Prophetam, vt prædictas benedictiones dulcedinis ordine percenſeat,& quid per auream coronam voluerit,exponat. Enumerat enim,vitam,gloriam,regnum,ſacerdotium,beatitudinem,& hæc omnia æterna,Deinde victoriam & vindictam ſempiternam in hoſtes eius,his enim expeditis,clarum erit,quid deſiderarit cor Regis,& quid voluerit voluntas labiorum eius,nempe has optimas benedictiones. Prima ergo benedictio eſt,quā petijt,vt à morte eum ſaluum faceret. Et fecit ſic, Non ſolum enim ſuſcitauit eum,ſed & longitudinem dierum didit ei,in ſeculum & vltra,id eſt,vitam æternam. Et hinc intelligimus de Chriſto Pſalmum loqui,quod vitam petijſſe ſcribitur & datam ei æternam. Morituri enim eſt iſte affectus,qui vitam petit,quod Chriſtum feciſſe ſcribit Apoſtolus ad Ebræ.5. &exauditum pro reuerentia,habenti enim vitam non datur,ſicut nec petitur.

Prima benedictio. *Affectus morituri.* *Ebræ.5.*

Explicat autem ſeipſum Propheta,dum vitam petitam & datam eſſe longitudinem dierum,non aliquo fine terminandam,ſed in ſeculum & in ſeculum ſeculi dicit.

Longitudo dierum.

Duas iſtas dictiones,Olam & Ed,varie transferunt,quæ mihi tropo Ebræis proprio,æternitatem videntur ſignificare,ſicut nos alemanice dicimus. jmer vnd ewigklich/ De olam quidem ſuperius diximus,quod incertum tempus ſignificat,quā tamen ipſa ſignificatione æternitatem intelligimus,ſicut in Melchiſedech,nullam originem nullumq; finem habente,æternus ſacerdos Chriſtus Paulo intelligitur. Poſſet qui vellet, alteram dictionem, olam referre ad regnum Chriſti in Eccleſia militante, Alteram, Ed, ad Eccleſiam triumphantem. Hoc autem obſerua,quod maiora reddi,quam petamus à Deo, Prophetam voluiſſe oſtentare,dum ſimplicibus verbis vitam petitam,& mox auguſtioribus longitudinem dierum in ſeculum & in æternum tributam dicit. Ita ſemper petitio noſtra minor eſt,quam dona accipienda,vt Apoſtolus ad Epheſ.3.docet.

Olam. *Ed.* *Deus maiora dat quam petamus.*

Magna eſt gloria in ſalutari tuo,gloriam & magnum decorem imponens ſuper eum.

MIra varietas & inconſtantia interpretationis. Has Ebræas dictiones,Hod ve hadar,hoc loco,Gloriam & magnum decorem, Pſal. 45.Specie tua & pulchritudine tua Et 97. Confeſſio & pulchritudo. Et 104.Confeſſionem & decorem induiſti,Pſal.110.In ſplendoribus ſanctorum. Interim nos dicimus, Laudem & ſplendorem, Splendorem enim dicimus regium illum apparatum & abundantiam rerum, ſicut in Euangelio Lucæ, Diues ille quotidie epulabatur ſplendide. Et Poeta, Et domus interior regali ſplendida luxu,quem & megaloprepiam,magnidecentiam dicere poſſumus,quod noſter Interpres voluit,cum magnum decorem, duabus dictionibus,vnam Ebræam Hadar imitatus eſt. Eſt autem ſplendor & magnidecentia Chriſti,quod in regno ſuo,magnos, multos, nobiliſſimosq; principes & populos,omni ſapientia,veritate,alijsq; ſpiritualibus dotibus ornatiſſimos habet,ipſe omnium ſplendidiſſimus & ornatiſſimus,quibus omnes precioſiſſimæ res abundant largiſſime,tamen cum decore & reuerentia,quales Apoſtolus Corinthios laudat,dum dicit eos diuites factos in omnibus. Laus autem eius eſt, quod ab his omnibus honoratur, omnes ei confitentur, & gratias agunt,quod illius dono hæc omnia habeant,

Pſal.45. *Pſal.97.* *Pſal.104.* *Pſal.110.* *Epulo,Lucæ.16.* *Splendor Chriſti.* *1.Cor.1.*

Eſt ergo

Eſt ergo ſenſus, Chriſtus rex, qui in morte ſua fuit omnium deſpectiſſimus, nouiſſimus virorum, ab omnibus derelictus. In ſalute tua, ſeu dum tu cum à morte ſaluum facis, recipit pro hac ignominia, ſolitudine, deſpectu, ſummam gloriam, quia ponis in eum laudem & ſplendorem, Iſai. 53. Propterea diſpartiam ei plurimos, & fortium ſpolia diuidet. Prou. 18. In multitudine populi dignitas regis. Vbi eadem dictio, hadar, dignitas transfertur, ſicut eiuſdem 20. Exultatio iuuenum, fortitudo eorum, & dignitas ſenum canicies. Ego germanice Hadar dicerem, pracht vnd herrligkeit / magnidecentiam, venerabilem pompam, ſplendorem. Nam Gabod, proprie doxam & gloriam, Peer autem, καύχημα, iactantiam, gloriationem, actiuam ſignificat, vt ſupra, Exultatio iuuenum, pro gloriatio iuuenum, fortitudo eorum. Et Pſal. 89. Quoniam gloria virtutis eorum tu es, id eſt, in te & tua virtute gloriantur. Summa, laudem & decorem ſuper eum poſuit, id eſt, inclytum & Principem & Regem gloriæ fecit. Quod de Dauid non facile intelligas, tot malis aſſidue vexato, quare de Chriſto glorificato & prædicato & credito & adorato intelligemus.

Iſai. 53. Prou. 14. Pſal. 89. — Hadar. Gabod. Peer.

Quoniam dabis eum in benedictionem in ſeculum ſeculi, lætificabis eum gaudio, cum vultu tuo.

REgem glorioſum audiuimus, Nunc ſacerdotem ſalutarem & æternum audimus. Aliqui putant Chriſtum datum in benedictionem, quod ab omnibus in æternum benedicitur. Quo tropo ſæpius in Prophetis de populo Iſrael dicitur, quod in fabulam, in prouerbium, in ſibilum, in ſimilitudinem tradatur. Et Gene. 12. ad Abraham, Eriſq; benedictio (ſic enim Ebræus habet) quod noſter dicit, Eriſq; benedictus. Iſa. 19. Erit Iſrael in medio terræ benedictio, cui benedixit Dominus 65. Quomodo ſi inueniatur granum in botro, & dicetur, Ne diſſipes illud, quia benedictio eſt. Sic faciam propter ſeruos meos, vt non diſperdam totum. In quibus locis & alijs multis, benedictio paſſiue accipitur.

Gen. 12. Iſai. 19. Iſai. 65.

Ebræus autem ſic dicit, Quoniam dabis eum benedictiones in æternum, numero plurali, quod etſi paſſiue accipi poſſit, quod hic Rex à plurimis benedicatur, & à Deo multis benedictionibus repleatur, tamen puto actiue accipiendum, iuxta illud Gen. 22. Et in ſemine tuo benedicentur omnes gentes. Nam benedictiones, quibus in perſona ſua à Deo benedictus eſt, ſuperiori verſu abunde cecinit, vbi ait, Quoniam præueniſti eum in benedictionibus optimis.

Gen. 22. — *Dabis eum benedictiones in æternum.*

Quare benedictiones æternales & cœleſtes hic intelligo, quibus Chriſtus, vt Sacerdos æternus, accepto Spiritu, benedicit ſuos, ſicut 2. Cor. 1. Apoſtolus dicit, Benedictus Deus & pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui benedixit nos omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus in Chriſto. Idem enim arbitror, In Chriſto nos benedici ſpirituali benedictione cœleſtium rerum, & Chriſtum dari benedictiones in æternum. Sacerdotis autem eſt benedicere, hoc genere benedictionis, quo bona conferuntur. Cæterum vulgare illud benedicere, quo laudamus bona habentes, & felicitatem imprecamur, omnium eſt, etiam inferiorum, & omnino illa maiorum, iſta minorum eſt.

2. Cor. 1. — *Benedictiones ſpirituales Chriſti.* — *Benedicere.*

Atq; hæc noſtra eſt gloria & iactantia, quod Epiſcopum habemus, per quem maledicta, quibus in Adam ſumus mulctati, mutantur & abſorbentur, adeo, vt nulla nobis maledictio temporalis, ſiue ſit illa peccati, ſiue hominum maledicentium nocere poſſit, quin potius prodeſſe per abundantem & æternam illam in Chriſto benedictionem cogatur. Certe dulciſſimum verbum omnibus, qui in Chriſtum credunt, habere proprium Pontificem, & omnia nobis benedicentem.

Gloria credentium.

Lætificabis

Lætificabis eum in gaudio vultus tui.

Gaudium vultus Dei.

Hoc non poteſt intelligi, niſi de beatitudine, quā reuelata gloria Maieſtatis habet. Gaudium enim vultus Dei, gaudium eſt de reuelata facie Dei, noſter autem Interpres, præpoſitionem, eum, recte omiſiſſet.

Quoniam Rex ſperat in Domino, & in miſericordia Altiſsimi non commouebitur.

Spei propria definitio. Sperare in Domino.

HÆc omnia dicta venient ei, quia ſperauit & non eſt motus. Atq; hic pulchra & propria ſpei periphraſis, ſeu potius definitio ponitur, ſola omnes impias opiniones de ſpe traditas, confutare potens. Sperare enim in Domino, idem eſt quod non moueri in miſericordia Altiſſimi, ſed ſtare & expectate. Sane, gaudere & delectari in miſericordia præſente, facilimum eſt, ſed abſente, & malis vndiq; præſentibus quæ tribulant, impellunt, commouent, ad deſperationem non moueri, non cedere, ſed contraria expectare, hoc demum eſt vere ſperare, Sed ardua res iſta, de qua Pſalmo 5. plura. Pſal. 5.

Spes miſericordiam Dei ſpectat.

Quocirca caueant, qui ſpem ex meritis prouenientem docent, Spes certe, vt hic docemur, miſericordiam Dei ſpectat, ſicut timor iram & iudicium. Sperans enim in miſericordia Dei non commouetur, Timens autem ab ira Dei non quieſcit. Si ergo Chriſtus innocentiſſimus in Domino ſperare, & in miſericordia Dei non motus ſcribitur, qui ſumus nos, qui iudicium Dei, noſtris viribus & ſtudijs, ac non potius ſola miſericordia Dei ſuperare conamur? Scripta ſunt hæc ad doctrinam noſtram. Auertendus ergo timentibus nimium à iudicio & ira Dei oculus mentis, & ad miſericordiam vertendus. Rurſus in phrynitis & duris frontibus à miſericordia ad iudicium vertendus, vt humilientur.

Inueniatur manus tua omnibus inimicis tuis, dextera tua inueniat omnes, qui te oderunt.

PRoſequitur Regis huius victoriam in hoſtibus ſubiectis, Noſter Interpres varietate ſolita, idem verbum actiuum vtrobiq; inueniat, paſſiuum fecit, inueniatur, eſt enim tautologia, Sicut Pſal. 2. Qui habitat in cœlis irridebit eos, & Dominus ſubſannabit eos. Potius autem inimicos & oſores Dei, quam Chriſti eos appellat, ea cauſa, qua ſæpius dixi, vt ſciremus Deum pro nobis vindicare & pugnare, ſicut dicit, Mihi vindicta, & ego retribuam. Et Pſal. 110. Donec ego ponam inimicos tuos, ſcabellum pedum tuorum. De manu Dei, Pſal. 17. abunde diximus in verſu, A viris manus tuæ. Potentiam enim & opus vindictæ ſignificat. Igitur de Iudæis Chriſtum occidentibus loquitur, qui aduerſus Dominum & aduerſus Chriſtum eius conuenerunt, & adhuc in eadem impietate perſeuerant. Pſal. 2. Pſal. 110. Pſal. 17.

Manus Dei.

Securitas impiorum.

Sed quid hoc? Amiſit ne eos manus Dei, vt neceſſe ſit eos inueniri à manu Dei? Verum hoc tropo apte oſtenditur præſumptio & ſecuritas inimicorum Dei, qui ita ſecure & confidenter agunt, ac ſi non eſſent in poteſtate Dei, Quin zelo ſtultitiæ ſuæ promittunt ſibi, non tantum impunitatem, ſed & præmium, arbitrati ſe obſequium præſtare Deo, vt iam nihil minus quam manum Dei ſuſpicentur, ſed in ſinu Dei ſibi nidum collocaſſe videantur. His ergo continget ſicut impijs, qui ſubito dum non ſperant inueniuntur. Sic 2. Cor. 13. Timeo ne cum venero, non quales volo, tales inueniam, & ego inueniar à vobis, qualem non vultis. 2. Cor. 13.

Pones eos vt clibanum ignis in tempore vultus tui. Dominus in ira ſua conturbabit eos, & deuorabit eos ignis.

Ponit

PONit rem pulchre ob oculos Propheta, Sic enim agitur, quando impij ſubito inueniuntur, viſitantur, & comprehenduntur inter anguſtias, vt fugere conſpectum illum iræ, ſeu reuelationem iudicij iuſti Dei velint, & effugere non poſſint, dicantque illud Oſeæ 10. Montes cadite ſuper nos & colles operite nos, Sed fruſtra, coguntur enim diem illam & reuelationem æternam ſuſtinere, ibi tum incipit pauor, fuga & horror intolerabilis, qui facit eos æſtuare igne illo interno inæſtimabili, Nihil eſt externus ignis ad hunc ignem internum comparatus, Ita, vt propriiſſime eos figuret, per clibanum ignis, ſeu, vt latine dicimus, clibanum ardentem, qui non igne circumpoſito, ſed intus æſtuante & ardente ſæuit, Sic & Abraham Geneſ. 19. Videbat Zodoma & Gomorra, ſicut fumum fornacis. *Clibanus ardens.* *Abraham Gen. 19.*

Hanc principem & intolerabilem pœnam, ſolo vultu ſuo inferet Deus, id eſt, reuelatione iræ ſuæ, ſicut hic dicit, In tempore vultus tui, pones eos clibanum ignis. Et 2. Theſſal. 1. Qui pœnas dabunt in interitu ſempiternas, â facie Domini, & à gloria virtutis eius. Et Pſalm. 34. Vultus autem Domini ſuper facientes mala. Denique hæc eſt pœna illa, quam niſi damnati, qui ſentiunt, nemo comprehendit, ita vt ſit horrendum etiam cogitare verba huius verſus, adeo proprie eam depingunt, nec memini alium locum veteris ſcripturæ, tam clare damnationis malum referentem. Clibanus eſt à ſolo conſpectu Dei intolerabili ſuccenſus, in æternum perſeuerans. Neque enim dies iudicij ad momentum durabit, ſed in æternum ſtabit, nunquam deinceps in occaſum itura, perpetuo iudicabuntur, & perpetuo cruciabuntur, & perpetuo clibanus ignis erunt, hoc eſt, ſumma anguſtia & tribulatione torquebuntur intus. *2. Theſſ. 1.* *Pſalm. 34.* *Pœna damnatorum.*

Non quod impij Deum videant aut vultum eius, quomódo pij videbunt, ſed præſentiam virtutis ſuæ ſentient, quam ferre nequibunt, & ferre cogentur. Sicut & nunc eſt videre in iudicijs temporis huius, Iuſtus vt Leo confidit, veritatem etiam cum gaudio expectans reuelari, quam tamen iniuſtus ſummopere exhorret. Ita dulcis erit illa dies Sanctis, horribilis autem impijs.

Dominus in ira ſua turbabit eos. Eadem ſententia, cum prædicta, ac velut expoſitio clibani, quia reuelabitur ira eius, quo vultu (vt dixi) ſuccendit eos igne illo clibani, Ebræus diceret, Dominus in ira ſua abſorbebit eos, quia comprehendit eos, vt effugere nullo modo poſſint. Non enim mordebit tantum, ſed totum quod ſunt, deuorabit, vt nulla ſui parte effugere queant. Magnæ certe & hoc ipſum verbum epitaſis & emphaſis eſt, deuorari ab ira Dei, & hæc omnia ad internam pœnam pertinent. Sequitur altera pars verſus. *Deuorari ab ira Dei.*

Et deuorabit eos ignis. Ebræus, Et comedet eos Ignis, Hoc iam de externo igne intelligitur, in quem mittentur cum diabolo & angelis eius, Matth. 25. Ite maledicti in ignem æternum, qui præparatus eſt Diabolo & angelis eius, ſic cum corpore & anima intus & foris arſuri. Quis huic Prophetæ tam clare omnia dixit? Neque enim vllus alius infernum tam clare deſcripſit. Sed priorem partem experientia cognouit, poſteriorem reuelatione, Qui enim in hac vita poſuerunt ſeſe, vt hortum refrigerij & quietis, illic clibanus ardens erunt & cibus ignis. *Matth. 25.*

Fructum eorum de terra perdes, & ſemen eorum à Filijs hominum.

ET hic verſus cogit hunc Pſalmum de Chriſto & ſuis hoſtibus intelligi, quē ad ſenſum videmus vbiq; impleri. Fructum eorum ſiue prolē ſiue quidquid in hac vita poſſederunt (quæ fructus manuum dicuntur)

Iudæorum miſeria. imo & bona ſi qua faciunt in lege Domini laborantes, licet intelligere, Omnia enim per Romanos vaſtata ſunt, & de terra patria diſperſa in omnem terram, Nec hoc ſatis, Etiam ſemen & poſteritas eorum, non tantum de terra illa perditur, ſed vbiq; ab hominibus propellitur, vt impleatur illud Oſeæ. 7. Abijciet eos Dominus Deus meus, quia non audierunt eum, & erunt vagi in nationibus, Et Mich. 7. Lingent puluerem ſicut ſerpentes, & velut reptilia terræ turbabuntur de ædibus ſuis. Vbicunque enim homines ſunt, ſi Iudæi ibi ſunt, incertam ſedem habent, atque ſi etiam non aſſidue corpore vagentur, aſſiduo tamen timore vagandi & migrandi carere non poſſunt. *Oſee 7.* *Mich. 7.*

Quoniam declinauerunt in te mala, cogitauerunt conſilia, quæ non potuerunt ſtabilire.

EBræus ſic, Quoniam declinauerunt ſuper te malum, cogitauerunt cogitationem, non potuerunt. Vbi pronomen, quam, pro idiotiſmo vitando adiectum, & infinitiuus, ſtabilire, appoſitus eſt pro clariore ſenſu. Significantius tamen verbum abſolute ponitur in Ebræo, Non potuerunt, id eſt, nihil potuerunt efficere, ſeu impotentes facti ſunt, quomodo & Pſal. 140. Audient verba mea, quoniam potuerunt, id eſt, quia valida & potentia facta ſunt, Mala autem & cogitationes, illa ſunt, quæ Pontifices ad Chriſtum abolendum cogitauerunt, meditantes inania, vt Pſal. 2. eſt dictum, dicentes, Venite occidamus eum, & noſtra erit hæreditas. Sic & Ierem. 11. Cogitauerunt ſuper me conſilia, dicentes, Venite & mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra. *Mala & cogitationes contra Chriſtum.* *Pſalm. 14* *Pſal. 2.* *Ierem. 11.*

Commode autem dicit, Declinauerunt, vt ſignificet magis conatum quam effectum impiorum, id quod altero verbo exponit, Non potuerunt. Sic enim profuit mari terminum ſuum, vt in littore confringerentur tumentes fluctus eius, vt in Hiob dicit, Ita impijs, vt velint & tamen non poſſint mala facere, ſicut in Iſaia dicit. 41. Bene quoque aut male, ſi poteſtis, facite, & loquamur & videamus ſimul. *Iſa. 41.*

Quoniam pones eos dorſum, in reliquijs tuis præparabis vultum eorum.

HIeronymus, Quoniam pones eos humerum, funes tuos firmabis contra facies eorum. Mira ſignificatio & proprietas, Si quæras, quid ergo agetur deinceps cum Iudæis incredulis? Reſpondetur, tantum ad onera viuent, vt ſele, multis, vanis, grauibusque operibus legis fatigent fruſtra ſectando iuſticiam & ad iuſticiam non perueniendo, Vno verbo breuiſſime laborioſum & inutile ſtudium eorum, in lege & operibus eius ediſſerens. Poteſt Ebraicus dupliciter reddi, quoniam pones eos humerum in reliquijs tuis, diriges contra faciem eorum. Vel ſic, Quoniam pones eos humerum, in neruis tuis, diriges contra faciem eorum, Nam quod noſter dicit, Præparabis vultum eorum, non placet, cum præpoſitionem, ad, omiſerit, & verbum hoc poſitum loco, frequentius dirigere aut firmare ſignificet. Vnde Hier. ſic reddidit, Quoniam pones eos humerum, & funes tuos firmabis contra facies eorum. Funes autem appellat, neruos tenſos in arcu ad ſagittandum, vt Pſalm. 11. Intenderunt arcum, direxerunt ſagittas ſuas ſuper neruum, iam quis erit ſenſus? Quamcunque translationem ſequaris, difficultatem inuenies. *Iudæi noſtro tempore.* *Funes.* *Pſalm. 11.*

Ego cum Hierony. pro reliquijs, neruos hic accipio, Ad quod me mouet verbum, diriges, ſeu firmabis contra facies eorum. Videturq; mihi duplicem pœnam impiorum Iudæorum ſignare. Quarum prior eſt, quod ponuntur in dorſum, hoc eſt, in fugam, Gene. 49. Manus tuæ in ceruicibus inimicorum tuo- *Iudæorum duplex pœna.* *Gen. 49.*

rum tuorum. Altera eſt incurſus maioris mali, quod fugientibus & faciem ponentibus vt effugiant, occurrat & intentat neruos ſuos Dominus, ſicut ante & retro puniantur, onera cogunt eos fugere & arcus occurrens cogit eos retrocedere, ita comprehenduntur inter anguſtias, Et ſic poſiti ſunt, vt aſſidue, dum fugiunt ſcyllam cadant in charybdim.

Nihil aliud ergo hac humeri & vultus antitheſi mihi velle videtur, quam eos, quoquo ſeſe vertunt vt effugiant, magis inuolui malis, dorſum ſit eorum fuga, facies neruis directis obiecta ſit incurſus. Exempla ſunt, Aegyptij in mari rubro ſubmerſi, quos poſuit dorſum, dum reſpexit ſuper eos & ſubuertit eos. Deinde fugientibus ac dorſum dantibus occurrerunt aquæ, & ſic inuoluti ſunt in medijs fluctibus. Item aliud Ioſuæ 8. de viris Hai, quibus ad vrbem fugientibus occurrerunt ex inſidijs armati filij Iſrael in faciem, & medios ad internitionem deleuerunt, Sic & Iud. 20. filijs Beniamin contigit, Et quis nouit, an Propheta ad hæc exempla reſpexerit, dum hunc verſum ederet?

Exod. 14. — *Aegyptij in mari rubro ſubmerſi.* — *Ioſue 8.* — *Iud. 20.*

Videmus enim ita Iudæis contingere, quod nunquam infelicius ruunt, quam dum aliquid pro ſe contra nos moliuntur, ſicut eis prædixit & Moſes, dicens, Et nihil habebis proſperum, Quo ſignificat, eos multa conari pro ſua ſalute, & tamen magis inde perire, Ita nihil vſq; in hodiernum diem omittunt pro ſua liberatione, & tamen ſemper magis incurrunt, & implent illud cap. Leuit. 26. per totum, vbi pertinacia illa incurrendi late deſcribitur.

Infelices Iudæorum conatus.

Verum, dum hæc in re ſpirituali fiunt, atrociora ſunt, videlicet, vbi per iuſticias operum & ſapientiam ſuam conſcientias ſuas coram Deo à peccatis, morte & inferno liberare, & ſatisfacere anhelant. Hic vere in dorſum ponuntur miſerrime, multis ſtudijs Auen & Amal ſeſe fatigantes, quibus ſalui fiant, cum hinc nihil, niſi martyres diaboli fiant & duplici contritione conterantur. Occurret enim eis neruus & arcus diuini iudicij, & repellet eos in æternum, dicens, Diſcedite à me omnes operarij iniquitatis. Hanc duplicem contritionem ſuperius Pſalm. 14. ſic poſuit, Contritio & infelicitas in vijs eorum &c. Sic vrgentur multis malis, poſiti in dorſum, Et tamen bonis ſuis infelices incurrunt in neruos, qui firmantur & diriguntur contra faciem eorum, quocunque ſeſe vertunt.

Studia Auen & Amal Iudæorum. — *Pſal. 14.*

Hæc meæ temeritatis ſit ſententia in hoc verſu, quæ ad conſequentiam ſatis mihi facere videtur Cum enim dixiſſet, perdendos eos à filijs hominum, & omnibus malis onerandos vrgendosq; eo merito, quod mala in Chriſtum cogitarint, quæ tamen efficere non potuerunt, Recte ſequitur eos poni in dorſum, & neruos in faciem eorum firmari. Quia non ceſſant mala in eum cogitare, ſicut ſemel cœperunt, & eo magis cogitant, quo magis premuntur, aliud non quærentes, quam vt Chriſtus aboleatur, & ipſi ſeruentur, Ita non ceſſant illis occurrere iudicium Dei, & neruos ſuos in hanc faciem & hoc ſtudium eorum dirigere, vt ſemper multa conentur, & fruſtra, imo in maius malum ſuum laborent.

Iudæi non ceſſant in Chriſtum mala cogitare.

De quo Oſeas 5. Et ego quaſi tinea Ephrahim, & quaſi putredo domui Iuda, & vidit Ephrahim languorem ſuum, & Iudas vinculum ſuum, & abijt Ephrahim ad Aſſur, & miſit ad Regem vltorem, & ipſe non poterit ſanare vos, nec ſoluere poterit à vobis vinculum veſtrum, Quoniam ego quaſi leæna Ephrahim, & quaſi catulus leonis domui Iuda, & capiam & vadam & tollam, & non eſt qui eruat, Vadens ad locum meũ reuertar, donec deficiatis & quæratis faciem meam. Sic Pſalm. 8. deſtruendum inimicum & vltorem prædixit. Quid enim aliud quam vltionem in Chriſtum vſq; hodie quærit populus iſte induratus? Et tamen nihil habet proſperum, Sentit dorſi onus, ſentit reſiſtentiã faciei ſuæ, nec ſic tamen ſapere volunt, quia poſuit eos ſic Dominus.

Oſea 5. — *Pſal. 8.*

Nunc locutionem videamus, In neruis tuis diriges, Ebraice dicitur, per

verbum abſolutum, hoc modo, Tu diriges, director eris, ſeu directionem facies, neruis tuis in faciem eorum. Et quod magis neruos quam arcum directum dicit, velocitatem & præſentiam mali ſignificat, ſic Pſalm. 7. quoq; dixit. Arcum ſuum tetendit & parauit illum, & in eo parauit vaſa mortis. Velociter enim reddit malum ſuper eos, vt experientia videmus. Quomodo autem arcus, neruus, ſagitta, diuinam ſententiam & iudicium ſignificant, Pſal. 7. abunde dictum eſt. *Pſal. 7.*

Reliquiæ Iſrael ſaluatæ. Noſtra translatio poteſt hoc modo concinnari, ſi reliquias acceperimus non feces & villiſſima quæque, ſolita relinqui, ablatis melioribus, vt fere vſus habet, quo modo reliquias Iſrael ſaluas factas Apoſtolus dicit, id eſt, feces & abiectos populi eius, vt Iſaias vocat, Sed pro ſuperfluis & ſuperabundantibus, quomodo Pſal. 17. diximus. Dimiſerunt reliquias ſuas paruulis ſuis. Has enim proprie ſignificat verbum Ebræum hoc loco, Tunc erit ſenſus, In reliquijs tuis præparabis, id eſt, parata habebis abunde indicia & vindictas, quibus in facies eorum reddes, quoquo ſeſe verterint, vt non tantum poſſint illi conari contra te quin tu ſuperes & plura eis reddere queas, ſicut Pſalm. 109. de eis dictum eſt, Fiant contra Dominum ſemper &c. Verum hoc ſenſu, addenda eſt noſtro textui præpoſitio, in, vel contra, vt in faciem eorum. Niſi voles dicere, quod præparet vultum eorum in reliquijs ſuis, id eſt, parat eos, vt quidquid moliuntur, in vindictis ſuis copioſis aſſidue vexentur, vt ſicut ponit eos dorſum, ſic ponat faciem eorum in reliquijs ſuis. *Pſal. 17.* *Pſal. 109.*

Exaltare Domine in virtute tua, Cantabimus & pſallemus virtutes tuas.

HOc in fauorem Chriſti dicitur contra Iudæos, & pulchro Epiphonemate Pſalmum claudit, Ac ſi dicat, Illi volunt te oppreſſum in impotentia, vt ipſi exaltentur in virtute ſua, vellentque regnum tuum & potentiam tuam omnibus vituperijs & blaſphemijs humiliatam, ſed fruſtra & impie, quia hæc eſt ſumma rerum omnium, Tu exaltaberis in virtute tua, & glorificaberis in Regni tui potentia, id quod nos optamus & gaudemus, Vlulent illi, nos cantabimus, & ſtrideant illi & fremant dentibus, nos pſallemus, Deſiderium peccatorum peribit, virtus tua & Regnum tuum ſtabit, Quia regnum tuum, regnum omnium ſeculorum, & dominatio tua in omni generatione & generatione, Pſal. 145. *Pſalm. 145.*

Nomina potentiam in ebræa lingua ſignificantia. Inter multa Ebrææ linguæ nomina, quæ potentiam ſiue virtutem ſignificant, duo hoc verſu obſeruata mihi ſunt, oz & gibura, Quorum prius proprie vim ſeu naturalem virtutem, qua quælibet res potens eſt in ſuo genere ſignificat, hanc græcus Interpres dynamin aliquoties, ſed non conſtanter reddit, Latinus & ipſe inconſtans, frequentius virtutem, Alemanice, Krafft, hoc modo de viribus ſeu virtutibus, gemmarum, metallorum, herbarum, aliarumque rerum loquimur, Sic Pſalmo 46. Deus noſter refugium & virtus. Et Paulus 1. Corinth. 1. Chriſtum appellat virtutem Dei. Et Roma. 1. Euangelium virtus Dei, eſt in ſalutem omni credenti, Rurſus Daniel. 8. de Antichriſto. Stabit rex fortis faciebus, id eſt, cuius virtus & totum (quod aiunt) poſſe erit in faciebus, non in armis nec verbo, ſed in ſpecie, pompa, & externa conuerſatione & ſuperſtitione, quod Hieronymus vertit, Rex impudens facie. *Chriſtus virtus Dei.* *Pſalm. 46.* *1. Corint. 1.* *Rom. 1.* *Daniel. 8.*

Virtus Dei. Ex quo patet, quod virtus Dei hoc loco, ea eſt, qua in Sanctis ſuis per ſpiritum potens eſt, per quam omnia poſſunt Sancti, quæcunq; poſſunt, eum ſit eorum hæc velut naturalis & verbo Dei ingenita virtus, ſicut calor igni & lapidi grauitas, & ſimilia. Sic 2. Corint. vlt. de Chriſto, Qui non infirmatur in vobis, ſed potens eſt in vobis, Ephe. 3. Ei qui potens eſt facere omnia ſuperabundanter, *2. Cor. 13.* *Ephe. 3.*

abundanter, quam petimus aut intelligimus, hoc eſt, ei, qui vim & virtutē habet, ſeu cuius proprium eſt facere, pluſquam petimus aut intelligimus. Non enim arbitrij, ſed naturæ modum in Deo commendat, quando dicit, Ei qui potens eſt, vnde nec verbum poſſe reſpondet apud Latinos, huic vocabulo, ad contingentiam, ſeu arbitrium, vt Græcis exuſia ſua, ſæpius refertur. Multo

Pſalm. 24. minus recte verſum eſt, vbi pro fortitudine vertitur, vt Pſal. 24. Dominus fortis, Dominus potens in prælio. Fortitudo enim aliquid impetus & concitationis animi, vltra virtutem illam naturalem importat. *Fortitudo.*

At hæc virtus quietam illam & genuinam rerum vim, qua velut ſponte ſua omnia poſſunt & faciunt, quæ ſuæ naturæ conueniunt, ſignificat, vt ſic

Luc. 2. virtus Dei ſignificet totum quod nos ſumus & poſſumus, illius dono nos poſſe. Sic beata virgo, Fecit mihi magna qui potens eſt, id eſt, cuius ſunt *Maria.* omnes omnium vires.

Gibura vero alterum verbum quod Græcus aliquoties, nec male, dynaſtian, Latinus potentatum reddit, vt Pſalmo præcedente: In potentatibus ſalus dexteræ eius, Pſal. vlt: Laudate eum in firmamento virtutis, id eſt, viribus eius, Laudate eum in virtutibus eius, id eſt, dynaſtijs eius, ad dominum ſpectat, *Gibura.*

Gene. 10. alemanice, Macht/ Sic Gene. 10. Iſte cœpit eſſe Gibor in terra, id eſt, potens, vt Hierony. tranſtulit. Et iterum: Hic fuit Gibor venator coram Domino, id eſt, cœpit dominari alijs robuſtus venator, latina enim vocabula, robuſtus, fortis, potens, fere ſunt impetuoſiora & ferociora, quam vt his verbis Ebræis componantur, ſicut congruit ferreo illi imperio & populo tyrannico, quem *Gibor.*

Iſa. 33. ſiue Iſaias, ſiue interpres eius, populum alti ſermonis mihi appellare videtur *Populus alti ſermonis.*

Pſal. 12. 24. cap. 33. Et Pſal. 12. dictum eſt. Linguam noſtram magnificabimus, quod Hieron. vertit, roboremus, aptius autem, dominari faciemus, ſcilicet vt ſola regnet & poſſit omnia, Sequitur enim: Quis noſter dominus eſt? Et Pſal. 24. Dominus potens in prælio, id eſt, in cuius poteſtate eſt ſita victoria & omnes belli euentus, Idem enim apud eum eſt ſaluare in multis & in paucis, vt Pſalmo præcedente viſum eſt.

Pulcherrimus itaque ordo, Prius exaltatur virtus & poſterior cantatur gibura, ex virtute enim naſcitur & facile cum augetur, tum ſeruatur potentia ſeu gibura, ſicut econtra nulla ſtat gibura, vbi nulla eſt vz ſeu virtus. Et Pſal.

Pſal. 24. 24. prius dicit, Fortis Dominus, deinde potens in prælio. Ab hac virtute Pater-

Gen. 16. familias vocatur gibir, & materfamilias gibira, Gen. 16. A facie Sarai gebirthi, *Gibir.* id eſt, Dominæ meæ, ego fugio. Et iterum: Reuertere ad gibirtha tuam, id eſt, *Gibira.*

Pſal. 19. 33. Dominam tuam. At Pſalm. 19. Exultauit vt gibor, ad currendam viam. Et 33. Non ſaluatur Rex per multam virtutem, & gibor non ſaluatur in multitudine virtutis ſuæ, Teuto. Ein mechtiger Herr/ inde Gabriel fortitudo Dei, ſed *Hezek.* non ſatis apte.

Pſal. 18. Aliud vocabulum Ebræis, hezek, quod Pſalm. 18. vidimus: Diligam te Domine hezki fortitudo mea, Hoc proprie mihi eam virtutem ſignificat animi quam Latini fortitudinem, Græci andrian vocant, De qua inter virtutes morales ſermo frequens, quæ quia exhortationibus & vſu rerum difficilium

Deu. 31. paratur, fere vbiq; transfertur, pro confortatione. Deute. 31. Viriliter agite, & confortamini, nolite timere. Item ad Ioſue ibidem, Confortare & eſto robu-

Ioſue. 1. ſtus. Et Ioſuæ 1. Tu ergo confortare & eſto robuſtus. Et Daniel. 10. ſæpius co

Dan. 10. vtitur, confortaſti, conualui & c. Item confortare & eſto robuſtus, Vbi idem

Pſalm. 27. verbi geminatur, ac ſi dicat: Confortare confortare. Et Pſal. 27. Expecta Dominum viriliter age & confortetur cor tuum, Ecce hoc ſac. viriliter age trans-

2. Paral. 16. fert. Sic Anani Propheta Aſa regem Iuda. 2 Paralip. 16. Oculi Domini contemplantur vniuerſam terram, & præbent fortitudinem his, qui perfecto corde credunt in Eum. Hinc Hezechielis Prophetæ nomen, fortitudo Dei vel *Hezechiel fortitudo Dei.*

virilis audacia Dei. Et Hezechias rex Iuda, audacia Domini, cui nomini pulchro opere ſatisfeciſſe legitur 4. Regum 18. dum auſus fuit in fiducia Dei ſui, rebellare regi Aſſyriorum. Patet ex his omnibus heſer fortitudinem eſſe, aduerſus timorem, puſillanimitatem & ſcrupulos animi. *4. Reg. 18.*

Coah. Quartum eſt, Coah, & ipſum frequentiſſime occurrens, verſum pro virtute, quam audeo affirmare eam eſſe proprijſſime, quam Apoſtolus operationem, Græce, energiam vocat, vbi dicit 2. Theſſal. 2. Nam myſterium iniquitatis operatur. Et mittet illis Deus operationem erroris. Et Galat. 2. Qui operatus eſt Petro, operatus eſt & mihi, Hanc latine efficaciam, ſeu vt vulgo dicitur, vim executiuam dicemus, vt ſit effectus virtutum prædictarum prodiens in opus, Sic Ezechias 4. Reg. 19. Venerunt filij ad partum, & vires non habet parturiens, Ebraice, Et virtus non eſt ad pariendum, Daniel. 8. Et roborabitur virtus eius non in virtute eius, Hiob. 30. Quorum virtus manuum mihi erat pro nihilo. Pertinet hæc virtus ad felicitatem potentis & fortis viri, vt conficiat quæ tam viribus quam animo præſumpſit. Ita enim Paulus operationem erroris Antichriſtianam prædixit felicem. Et Daniel. 8. de eadem, Proſperabitur & faciet.

2. Theſſ. 2. *Ezechias. 4. Reg. 19.* *Dan. 8.* *Hiob. 30.* *2. Theſſa. 2.* *Daniel. 8.*

Quintum eſt generale illud, quod hoc Pſalmo dicit: Quæ non potuerunt ſtabilire, Gen. 45. Non poterat ſe continere Ioſeph. Hoc mihi proprie videtur reſpondere noſtro latino, quod eſt facultas vel poſſibilitas, & Græco δυναμῶν, in quo, ius, arbitrium, euentus, contingentia includitur, vbi etiam ſi virtus ſit vel non ſit in perſona operante, multis tamen alijs impeditur vel iuuatur, quo fiat vel non fiat quod molitur, Pſalm. 129. Sæpe expugnauerunt à iuuentute mea, etenim non potuerunt. Sunt & alia quæ à petra, oſſibus, duritia deriuantur, quæ paſſim reperiuntur & pro firmitate, conſtantia, robore, transferuntur, Sed ea relinquo, cum ſint ferme allegorica, vt & alius ſuæ induſtriæ fructum faciat, ſi volet.

Gen. 45. *Pſal. 129.*

FINIS.

FINEM HIC FACIO, ET INGENVE ac fideliter confiteor, me plurima tentaſſe ſupra vires, nec habere hanc Apoſtoli gloriationem, qua ad Romanos ſcribit, Non audeo aliquid loqui eorum, quæ non effecit Chriſtus per me. Nam vitæ ſanctimonia nihil conſecutus ſum, quod tamen ſcio, quam fuerit & ſit neceſſarium ne docerem antequam facerem, Eruditione vero parum, cum & ipſe Diſcipulus hactenus fuerim, non ſolum in Linguis, ſed & propheticis ſpiritibus diſcendis, Vtrunque enim tractatori Scripturarum neceſſarium eſt, magis tamen ſpiritus quam lingua. *Rom. 15.*

Vnde etſi in lingua Ebraica, non vno loco me videam erraſſe, metuo tamen ne pluribus in ſpiritu errauerim, Quanquam mihi conſcius non ſim, ſynceram & catholicam fidem à me vſpiam læſam, Vt gloriari poſsim, errores meos eſſe prorſus ſine periculo, cum in lingua iſta peritiſsimi & maximi, in ſpiritu autem & ſummi & ſanctiſsimi viri, errauerint.

Hoc

Hoc didici, Scripturam eſſe eam, quæ nullius ingenium, nullius eruditionem, nullius diligentiam, nullius ſanctimoniam, non in multis partibus fallat & ſuperet, atque cum omnibus etiã paruulis ſit expoſita ad ſatietatem vſque, magnis tamen ſemper repoſita eſt ad eſuriem. Vt veriſsime & ſapientiſsime dixerit Gregorius, Scripturam eſſe fluuium, in quo agnus peditat, & elephas natat, Nec in ea fœdius nec pernicioſius errauerunt, quam qui ſe nihil in ea erraſſe præſumpſerunt. Nec felicius & ſalubrius in ea profecerunt, quam qui timuerunt ſe in omnibus errare. Sapientia enim eſt, cuius principium timor Dei, quæ intellectum dat paruulis, & ſapientiam ſapientum reprobat.

Quare meos errores ſic iudicet Frater meus quiſque, vt ſeſe etiam alicubi errare non dubitet, ne forte ſuperbus nuſquam non erret, Porrigamus potius ſummis viribus mutuas operas in Domino, præſertim in Scripturis ſanctis tractandis, etiam ſic errores non euademus, donec in vita hac ſumus immunda. Solus hic ſe glorietur non errare in vlla parte, qui ſine peccato fuerit in hac vita, Vale Chriſtiane Frater, & gratia Chriſti ſit tecum, AMEN.

PSALMVS XXII.

Ad victoriam ſuper ceruа matutina, Pſalmus Dauid.

DEus Deus meus reſpice in me, quare me dereliquiſti, longe à ſalute mea verba delictorum meorum?

TItulum huius Pſalmi, 70. ſic verterunt, In finem pro ſuſceptione matutina, Pſalmus Dauid. Qua vero occaſione ſuſceptionem ſiue aſſumptionem, è cerua fecerint, conſequi non poſſum. Certe Ebræus, Ceruam auroræ in fœminino genere habet, licet Hieron. ceruum matutinum maſculine verterit. Niſi ſpiritus apertius in 70. forte voluerit id explicare, quod Propheta occultius ſignificauit. Chriſtus enim in paſſione ſua, (quæ hoc Pſalmo canitur) vtique aſſumpſit ſiue ſuſcepit in ſeſe omnium peccata. Et hæc ſuſceptio matutina, id eſt, prima omnium fuit, quam æmulantur omnes Sancti, inuicem onera portantes, Sed negotioſum fuerit tam remota petere, pro illorum defenſione, cum ipſum Ebræum textum habeamus. *Paſſio Christi hoc Pſalmo canitur.*

Notum autem eſt præpoſitionem Ebraicam, al, Græce reddi, *εἰς* vel *ἐπι*, Latine, ad, in, & ſuper. Ideo hic recte ad propheticum morem diceremus. Ad victoriam in ceruam auroræ, ſicut Petrus, Actor. 2. Dauid enim dicit in eum, licet non male vertatur, De cerua, omnia enim dicuntur in eum, & omnia pertinent ad eum, quæ hoc Pſalmo canuntur, vt veniens ea impleret. *Actor. 2.*

Ceruam autem abſq; dubio, Chriſtum paſſum appellat, quia Iudæis in die carnis ſuæ captus, & gentibus ad dilaniandum traditus eſt. *Cerua Chriſtus paſſus ſignificatur.*

Sicut cerua à canibus venaticis capitur & venatoribus traditur excarnificanda,
Hac inquam ratione ego hoc loco arbitror ceruam eum dici, ad quod totus
Natura Cerui. Pſalmus facit, præſertim vbi dicit, *Circundederunt me canes multi, concilium ma-*
lignantium obſedit me. Nam quod Hieronymus huc trahit naturam cerui, ſer-
pentes naribus extrahentis & interficientis venenaque conſumentis, egregie
dicitur in Chriſtum, ſed non loco ſuo, vt mihi videtur, licet reuera per paſſio-
Comparatio ceruæ ad canes, ſerpentes &c. nem ſuam id fecerit Chriſtus, Paſſionem enim ſimpliciter, non fructum paſ-
ſionis mihi Titulus indicare videtur, alia eſt comparatio ceruæ ad canes, alia
ad ſerpentes, hac vincit, illa patitur.

Cur Ceruam dicat & non ceruum. Ceruam autem dicit potius quam ceruum, ſatis tempeſtiue, vt Chri-
ſtum ſignificet paſſionem ſubijſſe, Apoſtolis & Diſcipulis velut hinnulis ſuis
iam congregatis, hoc eſt, iam prædicantem, paſcentem & ſaluantem, de qui-
bus Prouerb. 5. Cerua chariſſima & hinnulus gratiſſimus, vbera eius inebrient *Prou. 5.*
te omni tempore, & in amore eius delectare ſemper. Quæ enim cerua amanti-
Vbera ceruæ. um (ſic enim Ebræus dicit) niſi Chriſtus amantiſſimus ſuis? Et qui hinnuli
gratiæ ſeu fauoris, niſi diſcipuli eius? Vbera autem huius ceruæ verba ſunt vitæ
æternæ, quibus omnes paſcit & inebriat, in quibus delectari mandat Salomon,
nec meretrix illa & aliena, Synagoga adultera, cuius guttur nitidius oleo & la-
bia fauus diſtillans, vllos ſeduceret ſecum in mortem, in hanc ſententiam
enim toto illo Cap. mihi videtur loqui, ideo Dauid & tempus & ætatem &
ſtudia Chriſti patientis vno verbo comprehendit.

Cerua auroræ ſeu matutina. Auroræ autem ſeu matutina, quid eſt quæſo? Illuſtriores Pa-
tres hinc ſuſceptionem illam, de reſurrectione Chriſti intellexerunt, quæ in
aurora vnius Sabbati facta eſt. Alij ſuſceptionem matutinam, captionē Chriſti
hora matutina factam, Alij ceruam matutinam, id eſt, primam & principem
omnium ceruarum, hoc eſt, Chriſtum caput & principem Martyrum, Iam
qui ad mane trahunt matutinam illam cognitionem in verbo, iuxta Auguſt.
ſuper Geneſin, poſſent ceruam matutinam facere Chriſtum hominem & De-
um vt filium Dei in hoc titulo ſignificent paſſum & mortuum, nullum ho-
rum mihi placet ſatis, & tamen in iſta caligine quid faciam neſcio.

Aurora ortus ſolis. Meditabor & ego. Videntur mihi Prophetæ ferme omnes delectati in
aurora & ortu ſolis, & myſteria Dei in ijs cognouiſſe, Inter quæ inſigne illud
eſt Gen. 32. vbi Iacob cum viro luctabatur, donec aſcenderet aurora & bene- *Geneſ. 32.*
diceretur ab eo. Et Dauid 2. Reg. 23. Dominator hominum iuſtus, Dominator *2. Reg 23.*
in timore Dei, ſicut aurora oriente ſole, mane abſque nubibus rutilat. Et Pſal.
110. Ex matrice auroræ tibi ros infantiæ tuæ, quæ omnia Paulus magnifico *Pſal. 110.*
ſenſu Chriſti, Rom. 13. ſic exponit. Nox proceſſit, dies autem appropinquauit, *Rom. 13.*
Veſpera. Abijciamus ergo opera tenebrarum & induamur arma lucis. Quare, veſper
eſt tempus legis, peccati, mortis, veteris teſtamenti & ipſa Synagoga, in qua
Mane. opera peccati per legem abundant. Mane autem, tempus Euangelij gratiæ, vi-
tæ & noui Teſtamenti, indeq; aurora Eccleſiæ, ſeu populus nouus Euangelij.

Quare Dauid, Sicut ceruam, ita & auroram allegoricam poſuiſſe vide-
tur, vt fidelem Lectorem traheret à cerna carnali ad ſpiritualem, quæ Chriſtus
eſſet. Quid enim diceretur, Cerua auroræ potius quam cerua cuiuſque alterius
Chriſtus cerua auroræ. temporis? Chriſtus autem, Cerua auroræ eſt, quia paſſus, legem ſuperauit,
peccatum deleuit, mortem vicit, & nouum oriri ſeculū, nouumq; diem fecit,
in quo incepit gratia, vita & ſalus. Eſt ergo ſenſus, Hunc Pſalmum eſſe dictum
Chriſtus autor renouationis omniū. in Chriſtum autorem renouationis omnium, per paſſionem ſuam ſuperata
vetuſtate. Sic nox proceſſit & aurora adeſt, & dies appropinquauit. Tranſi-
tum autem, & mutationem iſtam noctis in diem, & veſperæ in auroram Iu-
dæi neq; hodie cognouerunt, & ante impleuerunt quā impletam audierunt.

Ideo

Ideo ſic obſcure eam Dauid ſignificauit, vt cæcitatem eorum hoc titulo præfiguraret, quem legerent & non intelligerent, niſi Spiritu Magiſtro velamen cordis eorum auferretur. Qualis enim erat cordis eorum facies, talis & Scripturæ eis propoſitæ, obſcuris enim omnia obſcura & dicuntur & fiunt, illuminatis autem nihil obſcurum, Ideo nos rirulum hunc intelligimus facile, quem illis nulla opera poſſemus illuſtrare vt caperent, illuminarenturque & ipſi.

Hæc de titulo, Ad Pſalmum veniamus.

Matth. 27. Marci. 15. VErſum primum huius Pſalmi, ne quis dubitaret, totum de CHRISTO intelligendum eſſe, ipſemet in cruce orauit, quando, vt in Ebræo eſt, clamauit, Eli, Eli, lama azabthani, hoc eſt, Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me? Vbi clarum eſt, per noſtros Interpretes omiſſum eſſe pronomen, Meus, primo loco, & adiectum illud, reſpice in me, Et vbi nobis tradiderunt, *Longe à ſalute mea verba delictorum meorum*, Ebræus dicit, *verba rugitus mei*, decepti ſcilicet vocabuli ſimilitudine, quod ſine Aleph medio, delictum & ignorantiam ſignificat, vt in titulo Pſal. 7. & Pſal. 19. vidimus, Delicta quis intelligit? *Verba rugitus mei.*

Pſalm. 7. 19.

Eſſe autem aliquid ſingularis affectus & ſenſus in his verbis, argumento eſt, quod Euangeliſtæ data opera, hunc verſum Ebraicis verbis repoſuerunt, pro inſigni emphaſi indicanda, Deinde non memini alio Scripturæ loco eiuſdem huius nominis, Eli, Eli, ingeminationem. Nam quod ab alijs dicitur, non derelictam, id eſt, non ſeparatã fuiſſe humanitatem à diuinitate, ſed ſubtractum auxilium diuinitatis, rectiſſime dicitur, Sed pro rudioribus, quibus expedit pro captu eorum inuolui tam ſublimia verbis humilioribus. Reuera enim obſcurius eſt dictum, humanitatem auxilio Dei eſſe deſtitutam, quam id quod verba ipſa habent, ſcilicet à Deo ſe eſſe derelictum, Quis enim illud auxilium ſatis aperiet, quod rudes ſolum id cogitant, ſi Deus Chriſtum de manibus Iudæorum per miracula eripuiſſet, ſed hoc nihil ad Verſum iſtũ. *Ingeminatio Eli.*

Ego video quoſdam ſatis moroſos, qui vt quæq; arduiſſima & reconditiſſima elegerint vel audierint, ita ſtatim ea ſola paſſim coram omnibus iactant, tantum vt noua & mira afferre videantur, nullo prorſus habito neque rerum neq; auditorum neq; locorum delectu & reſpectu, Quorum intempeſtiua ſapientia, dum non ſapit ad ſobrietatem, plurimos ſine cauſa offendit, & verbo ac miniſterio noſtro non parum vituperij parit, Qui ſi in menſura donationis ſuæ ſeruirent Chriſto, haberent abunde quod vtiliter docerent, & multiformem Dei gratiam, ſicut boni diſpenſatores honorarent. Fecerunt ij ſane, vt inceperim timere & tædere, in ijs verſari, quæ communem captum excedunt, præſertim quæ ſcitu neceſſaria adeo non ſunt vulgo.

Scimus quidem Theologiam eſſe omnibus fidelibus communem debere, ſed rurſus ſcimus alios lactis eſſe participes tantum, alios capaces ſolidi cibi, & vnam eandemq; veritatem capi diuerſis modis, quos omnes attemperari omnium capacitati poſſibile non eſt, cum interim tamen ipſa veritate non fraudentur, Paulus etiam infirmos cæremoniarum ſcrupulis vexatos, non vult robuſtæ fidei exemplis & doctrinis offendi, Sed quid moror? longum iter per præcepta, compendium habet charitas, quæ facile nos omnia in omnibus erudiret. *Lac. Solidus cibus.*

DIcam tamen nonnihil, ne penitus tranſeamus tam diuitem verſum, Primum, quid ſit derelinqui à Deo, non intelligitur melius, niſi antea ſciamus, quid ſit Deus. Deus autem eſt, vita, lux, ſapientia, veritas, iuſticia, bonitas, potentia, lætitia, gloria, pax, beatitudo, & omne bonum. *Deus.*

Dere-

Derelinqui à Deo

Derelinqui ergo à Deo,eſt in morte,tenebris,ſtultitia,mendacio,peccato, mali-
tia,infirmitate,triſtitia,confuſione,turbatione,deſperatione,damnatione , &
in omnibus malis eſſe. Quid hinc ſequitur? Nunquid Chriſtum faciemus
ſtultum,mendacem,peccatorem,malum,deſperatum,damnatum? Hoc eſt,
quod dixi,recondita & ardua hæc eſſe.

In Chriſto ſimul ſunt gaudium & triſtitia &c.

Verum tu ipſe vide. Conceditur ab omnibus,in Chriſto ſimul fuiſſe,
ſummum gaudium & ſummam triſtitiam , item ſummam infirmitatem &
ſummam virtutem ,Ita ſummam gloriam , & ſummam confuſionem , ita
ſummam pacem & ſummam tribulationem,ita ſummam vitam,& ſummã
mortem,Quod ſatis & hic Verſus indicat,vbi velut contradicens ſibi ſeſe de-
relictum à Deo clamat,& tamen Deum ſuum vocat , ac per hoc non dereli-
ctum ſeſe confitetur.Nemo enim dicit ad Deum , Deus meus , qui omnino
derelictus eſt.Si ergo aliquæ partes Dei(vt ſic dicam)dereliquerunt Chriſtum,
cur non omnes & totus Deus eum dereliquiſſe dicetur? Neque enim hic ob-
ſtat,niſi vſus & ſenſus vulgi,alioqui,quid abſurdius etiam Gentibus erat , an- Iſa.53.
tequam perſuaſio præualeret, quàm dici , eundem hominem ſimul viuere
ſumma vita,& ſimul mori ſumma morte?

Quid ergo dicemus? ſimul Chriſtum ſumme iuſtum & ſumme peccato-
rem,ſimul ſumme mendacem & ſumme veracem,ſimul ſumme gloriantem
& ſumme deſperantem,ſimul ſumme beatum , & ſumme damnatum? Niſi
enim hæc dixerimus,non video quomodo à Deo derelictus ſit , quando hoc
modo multi Sanctorum,Iob,Dauid,Ezechias? Iacob, derelicti ſunt,multo
ergo magis Chriſtus caput Sanctorum,qui portauit omnes languores noſtros
in ſemetipſo.

Chriſtus per omnia, ſimilis nobis factus.

HIc diuinat meus animus , Chriſtus reuera iuſtus fuit & per-
manſit,qui nec peccatum fecit,nec inuentus eſt dolus in ore eius,In hoc
enim de Virgine per Spiritum Sanctum concipi & naſci voluit , vt eſſet
ſine omni peccato,alioqui,quomodo nos à peccatis liberare potuiſſet ? Sed
hoc temporis,quo paſſus eſt,ita ſuſcepit noſtra omnia,ac ſi reuera fuiſſent ſua
propria,paſſus etiam ea,quæ pro peccatis nos pati oportuiſſet,& quæ damna-
ti iam patiuntur,ſicut Paulus è Pſal.69.dicit,Improperia improperantium ti- Pſal.69.
bi ceciderunt ſuper me.Et Iſa.53.Vere languores noſtros ipſe tulit,& infirmi- Rom.15.
tates noſtras ipſe portauit,Propter peccata populi mei percuſſi eum,eo quod Iſai.53.
peccatum non fecit,nec eſt inuentus dolus in ore eius.

Cum autem percuſſio Dei,qua pro peccatis percutit, non ſolum pœ-
na mortis ſit,ſed & pauor atque horror perturbatæ conſcientiæ, quæ iram æ-
ternam ſentit,& ſic habet,ac ſi in æternum eſſet derelinquenda & proijcien-
da à facie Dei, ſicut Dauid confitetur dicens Pſalm. 31. Ego dixi in exceſſu Pſal.31.
meo,proiectus ſum à facie oculorum tuorũ,certe pronum ſequitur,& ipſum
fuiſſe paſſum pauorem,horroremque conſcientiæ perturbatæ & iram æter-
nam guſtantis,Dicit enim Apoſtolus ad Ebræ.4.quod tentatus ſit per omnia Ebræ.4.
in ſimilitudinem abſque peccato,Et iterum,Debuit per omnia fratribus aſſi-
milari,vt miſericors fieret.

Chriſtus factus pro nobis maledictum. Galat.3.

Hoc & Apoſtolus docet Gal.3.Factus ſub lege,vt eos,qui ſub
lege erant,redimeret.Et rurſus,Chriſtus factus pro nobis maledictum,vt nos à
maledicto legis redimeret.Neq; n.ſub lege cæremoniali factus eſt tantũ,alio-
qui redemiſſet ſolos Iudæos,& non Gentes,quæ ſub illa non continebantur,

Eſſe ſub lege.

Neq; ſic ſub lege Decalogi etiam factus,vt eam impleret ſolum,ſed vt patere-
tur ea,quæ patiuntur ij,qui ſub lege ſunt.Eſſe enim ſub lege ſpirituali & do-
minante,eſt occidi & damnari,ſiue in morte & inferno eſſe,hoc eſt, mortẽ &
infernum ſentire,quæ res ſummum odium legis & blaſphemiã commouet.

Eſſe maledictum.

Ita eſſe maledictum,non tantum hoc facit,vt coram hominibus male-

dictus

Gal.3. dictus ſit. Nam Paulus ibidem indicat, Moſen dicentem generali ſententia et-
iam in Chriſtum dicta) Maledictus Deo omnis qui pendet in ligno) ſed quod
P.3. & à Deo ſe maledictum ſentiat in conſcientia, quo affectu illud Pſal. 3. dicit.
Multi dicunt animæ meæ, non eſt ſalus ipſi in Deo eius? Verbum enim male-
dicorum queritur animã ſuam penetraſſe, quod non fieret, niſi anima Deum
ſentiret iratum. Quid enim conſcientia metuens, non cogitat mali de ſe? Quæ
autem abſurditas Chriſto tribuiſſe conſcientiam metuentem ad paululum
tempus, vt noſtram hanc miſeriam, licet innocens ſentiret.

Nos quidem eadem pœna torquemur, ſed iuncta culpa tenera, quod vt *Chriſtum ſenſiſſe conſcientiam peccati.*
Ro.7. clarius dicamus, Peccatum habet duplicem in nobis habitum, dum enim in
actu eſt, non ſentitur eſſe peccatum, id quod peſſimum eſt in peccato, ipſa ſci-
licet obliuio & contemptus Dei, hic enim lex adhuc quieſcit & peccatũ mor-
tuum eſt, At veniente lege peccatum reuiuiſcit, conſcientia mordetur, & non
eſt pax oſſibus à facie inſipientiæ noſtræ. Hæc eſt cognitio peccati per legem & *Cognitio peccati per legem.*
reuelatio ſpiritualis legis. Hanc habent damnati, hæc eſt mors & deſcenſus ad
Co.5. inferos, Hoc peccatum Chriſtus paſſus eſt, non illud prius, de quo Paulus 2.
Cor. 5. Eum qui peccatũ non nouit (ecce conſcientia innocens à peccato illo
priore) peccatum fecit (ecce conſcientia peccati facta & aſſumpta pro nobis.)

Verum in hoc quoq; à nobis Chriſtus differt, nos enim magis *In ipſo ſenſu tamen non murmuraſſe aduerſus Deum.*
autem damnati, hanc peccati & legis iram ſic ferimus, vt ſimul peccemus,
quia peccato illo priore infecti, prauo noſtri ſtudio, malum & iniquum iudi-
camus, quod patimur, & ſicut in quolibet alio peccato ignoranter peccamus,
id eſt, non ſentimus, quam male ſic iudicando faciamus, Chriſtus vero nullo
peccato infectus, nec prauo ſui ſtudio dolet & auerſatur id, quod patitur, ſed
pura meraq; innocentis naturæ teneritudine, Sicut in craſſo exemplo. Nos fri-
gus carnis & obiecta ſenſuum triſtia, prauo voluptatis affectu vitioſi exhorre-
mus, non tam naturæ quam voluptati & vitio naturæ concedentes, Chriſtus
vero, ſine malo affectu, ſolius naturæ incorruptiſſimæ ſenſu exhorruit eadem
obiecta. Nos eſcas electiores ſine vitio voluptatis male ignatæ non percipi-
mus, Chriſtus eaſdem ſine vitio voluptatis, ſed ſolius naturæ dulcedine perce-
He.4. pit, per omnia qualiter Adam in Paradiſo egiſſet, ac paſſus fuiſſet omnia ſine
peccato. Hanc formam in Chriſto, Paulus appellat paſſionem in ſimilitudine
abſq; peccato. Similia plane ſunt omnia, ſed in illo non fuit peccatum ſimul,
quod in nobis ſimul eſt per omnia.

Ita illud, Deus meus, quare me dereliquiſti, & omnem illam iram legis, *Deus meus.*
nos ſine murmure & blaſphemia non ferremus, vitio ſcilicet occultiſſimo, *Chriſtus factus eſt*
quærentes quæ noſtra ſunt. At Chriſtus eadem ſine blaſphemia & murmure & *pro nobis peccatum, maledictum &c.*
dixit & tulit, ac per hoc, quod in nobis murmur & blaſphemia eſt, in Chriſto
per omnia ſimile, non tamẽ murmur nec blaſphemia fuit, Vt poſſimus dice-
re, id quod in Chriſto fuit, ſi per omnia ſimiliter in nos poneretur, blaſphemia
& murmur eſſet, cum in illo non fuerit, niſi naturæ infirmæ motus quidam,
per omnia ſimilis noſtræ blaſphemiæ & murmuri, Neq; enim potuit peccare
aut malum facere CHRISTVS, etſi ea quæ fecit ipſe, vere peccata fierent, ſi nos
faceremus, nec hoc mirũ, cum vt dixi & opera quæ ipſe fecit, peccata eſſent, ſi
nos faceremus, licet ſimilima per omnia eſſent. Cœdit ille, dormiuit, iuit, vi-
gilauit, & omnia fecit, ſine peccato, Nos ſimilia facientes, in omnibus pecca-
mus, quia ille arbor erat bona, nos arbores malæ, Qualis perſona, talia & o-
pera. Vox ergo illa, Deus meus, quare dereliquiſti me? ſimilis eſt blaſphe-
miæ in Deum, ſed blaſphemia non eſt. Si ergo diceremus, Chriſtum eſſe fa-
ctum blaſphemiam Dei, ſicut quidam illud Deutero. vertunt, Dei blaſphe-
mia ſuſpenſus, ſeu contumelia Dei ſuſpenſus, de quo abunde Hiero. ſuper Ga-
latas, Eodem ſenſu diceremus, quo illud, Factus eſt maledictum & peccatum,
quod blaſphemiam, maledictum, peccatum, in ſe ſenſerit, ſine blaſphemia, ſi-
ne maledicto, ſine peccato, quæ in nobis blaſphemia, maledictũ, peccatũ ve-
re blaſphemans, maledicens, peccans eſſet, adeo in omnia (noſtra) immerſus
eſt Chri-

eſt Chriſtus,ſicut Pſal.69.& Rom.15.dicit.Improperia improperantium tibi ceciderunt ſuper me. *Pſal 69. Rom.15.*

Quare me dereliquiſti.

HIc obijcitur illud,Quod ſi hæc vera ſint,videtur Chriſtus non dilexiſſe Deum ex omnibus viribus,dum enim dicit,*Quare me dereliquiſti*,certe ſuam voluntatem opponit voluntati Dei,ſicut & in horto dicit. Non quod ego volo,ſed quod tu, Vbi manifeſte ſe velle dicit contraria Dei voluntati,adeo fortiter,vt eandem voluntatem,multa vi,etiam ſanguineo ſudore frangat & ſubijciat voluntati Dei,Hoc ſi nos faceremus,nonne ſumma rebellione & inobedientia in Deum peccaſſe merito argueremur. Verum & hic motus ſummus & maximus eſt, innocentis, infirmæ naturæ, quem nos, quia vitioſo noſtri ſtudio fermentati ſumus,habere non poſſumus,& ſi haberemus,eodem fermento interueniente,mox rebellio & inobedientia fieret, Munda manus,mundam ſyndonem tangit nec polluit, immunda non polluere non poteſt,Quia mundis omnia mũda,immundis autẽ nihil mundum. *Tit.3.*

Chriſtus dilexit Patrem ex omnibus viribus.

Dilexit ergo Chriſtus Patrem ex omnibus viribus,ſed cruciatus illi, quia ſupra vires erant,coegerunt naturam innocentem & infirmam, gemere, clamare,horrere & fugere,ſicut ſi trabem ſupra vires onercs, neceſſitate naturæ, nullo vitio ſuo,crepat. Nos autem etiamſi ſupra vires patiamur, tamen quia vires mundæ non ſunt,non ex totis viribus,etiã ſupra vires, patiendo, Deum diligimus,Nonne damnati ſupra vires patiuntur? & tamen id quod crepant blaſphemia eſt, Et Chriſtus,quod patitur ſupra vires eſt, & tamen quod crepat, blaſphemia non eſt,ſed innocens clamor,ſimilis tamen noſtræ blaſphemiæ.

Chriſtus vere derelictus per omnia ſicut peccator.

Non autem per hæc negamus,quin Chriſtus non aliter in anima ſit pauefactus & diſcruciatus,quam nos,vel damnati dum ſe ſentiunt horrere & fugere Deum,Similis enim fuit Chriſtus etiam in ſuis ipſius oculis derelicto, maledicto,peccatori,blaſphemo,damnato,licet ſine peccatis,ſeu culpa, Non enim ludicra aut iocus aut hypocriſis eſt, quod dicitur. *Dereliquiſti me*, vere derelictus eſt per omnia,ſicut peccator derelinquitur poſtquam peccauit,licet non derelictus fuerit ſicut peccator derelinquitur antequam peccet. Veritas eſt,quæ in Chriſto geſta ſunt,nec licet extenuare & euacuare,humanis temeritatibus verba manifeſta Dei,Quod ſi quis hoc non comprehendit, maneat cum turba in hoc loco campeſtri,ſinatq; Diſcipulos accedere ad Chriſtum in montem. Neq; enim pro omnibus iſta huius Pſalmi dicta ſunt,cum non ſint omnium eadem dona,nec eædem omnium paſſiones.Habet Scriptura in ſuis locis lac pro infantibus habet Vinum & ſolidum cibum pro robuſtis. Vt infirmioribus ſua debentur ſolatia Scripturarum,ita robuſtis & magna patientibus,ſua quoq; danda fuerunt. *Luce 6.* *Ebre.2.4.*

Lac. Vinum. Solidus cibus.

Verboſius hæc egimus,quo fidei gratiam & Dei miſericordiam commendatiorem haberemus, & Chriſtum plenius cognoſceremus, Nam hoc Verſu erudiuntur ij,qui profundis abyſſi & portis mortis vexantur, ne deſperent. Rurſum ij,qui in cœleſtibus verſantur,& inter ſydera nidos ſuos collocant,ne præſumant.Si enim ira legis,quæ mors eſt & infernus,quempiam comprehenderit & pauefecerit,hoc verſu ceu baculo fideli ſuſtentabitur, memor Chriſti Domini ſui,qui in eadem tentatione probatus, didicit compati omnibus. qui tentantur,cum non pro ſua,ſed pro noſtra hac ipſa neceſſitate,hæc mala ſuſceperit,volens & ſciens per gratiam, in quæ nos merſi ſumus inuiti & ignari per natiuitatem.

Ira legis.

Remedium præſens contra terrores mortis.

Neq; enim præſentius tutiuſq; remedium habent, mortis & inferni doloribus circundati,quam huius victricis Infirmitatis, & Chriſti memoriam, fidem &

Eſai 59. Rom. 15. fidem & inuocationem, fidem inquam, qua credas, pro te, tuaq; hac neceſſitate cum talia paſſum, vt tuis mederetur malis, & tu eum fiducia eum in hoc
Eſai. 49. ipſum inuocares, ne de te dicat illud Iſa. 49. In vanum laboraui, fruſtra fortitudinem meam conſumpſi. Quomodo enim non in vanum laborauit & opera ſua fruſtra perfecit, ſi non in ea confidimus nec in tempore oportuno inuocamus? Euangeliſtarum ergo conſilio, verba iſta huius etiam Verſus, velut commendata inſigni nota, Ebraicis etiam verbis, imis ſenſibus reponamus, in tempus oportunum. *Eli, Eli, Lama aſabthani.*

Longe à ſalute mea, verba rugitus mei.

QVid ſi hypallage ſit hoc loco? pro eo quod dici debuit, Longe à verbis rugitus mei ſalus mea, cuius ſenſus foret, Salus non audit nō venit vocata rugitu meo, tam longe eſt, quia tu dereliquiſti me, Ita enim exigere videtur Verſus ſequens, *Deus meus clamabo per diem, & non exaudies*, hunc velut explicans. Sed ſine figura, & melius pro conſequentia ſenſus ſic intelligitur, quod is qui à Deo derelinquitur, longe fit à Deo, in quo ſolo eſt ſalus, Deus autem à nemine fit longe, qui vbique præſens eſt, Ideo & CHRISTVS deſerente Deo, tam ipſe quam ſua verba longe fiunt à ſalute ſua, quæ in Deo fuit & manſit prope. Vt imagineris quendam diſceſſum CHRISTI à Deo deſerente longiſſime vergentis, Derelinqui enim à Deo, hoc eſt à vita & ſalute ire in regionem longinquam mortis & inferni, quod nemo, niſi ſimiliter affectus capit. Quis enim capiat, ſimul poſſe conſtare, vt ſalus in Deo ſit proxima, & in nobis remotiſſima? Niſi enim prope eſſet, non diceret, *Deus meus*, Niſi eſſet longe, non diceret, *Dereliquiſti me*, Itaq; nos longe ſumus à ſalute dū patimur, ſed ille eſt prope, vt auxilietur, Quia quod nobis impoſſibile & deſperatum eſt, illi poſſibile & facile eſt, vt vniuerſa longinquitas ſit ex parte infirmitatis noſtræ patientis, id eſt, derelictæ, quæ aliud non eſt, quam ipſe ſenſus cruciatuum, Sed vt dixi, demus iſta affectis & affectibus, neq; enim ſatisfacit, quod aliqui Patrum, nunc diuinitatem, nunc humanitatem Chriſti faciunt hic loquentem, & ſalutem, non Chriſti, ſed populi intelligunt, Chriſtum enim hominem, toto Pſalmo loqui credendum eſt.

Hypallage. — Tit. 3. — *Derelinqui à Deo.* — *Salus in Deo proxima, in nobis remotiſſima.* — Luc. 6.

Sed cur non dicit, Longe à ſalute mea ego, ſed verba rugitus mei, cum non dixerit, dereliquiſti verba rugitus mei, ſed me? Forte vt caſtiget vel exponat id, quod dixit, dereliquiſti me, Cum enim Deus ſit è propinquo &
Ebr. 2. 4 non à longe, vt in Ieremia dicit, non ſic derelinquit, vt non prope maneat, &
Pſalm. 139. in manu ſua retineat, ſicut Pſal. 139. dicit. Si aſcendero in cœlum, tu illic es, Si deſcendero ad infernum, ades, ſi habitauero in extremis maris, illic tenebit me dextera tua &c. tantum affectus & verba rugitus talia ſunt, vt indicent ſe eſſe longe à Deo, hoc eſt, etſi præſentiſſimum, non tamen ſentiunt. Sic nos longe nobis eſſe videmur, dum ſolus affectus, rugitus & verba longe ſunt à Deo, id eſt, dum non ſentiunt, quod volunt & petunt, Verum, vt teſtatus ſum, ego ſuccumbo verbis huius Pſalmi, neque ſatis capio, neque ſi caperem ſatis tradere poſſum.

Longe autem potius dicit quam diu, Quia intenſionem non durationem cruciatus Propheta prædixit, ſciens quoniam minueretur paulomi-
Pſalm. 8. nus ab angelis, nempe triduo, Pſalm. 8. Veruntamen ictus oculi & momentum huius derelictionis & longinquitatis, intolerabile malum, cogit rugire, & fortiter vlulare, ideo non verba clamoris, ſed rugitus dixit, amariſſimum illum & inenarrabilem ſpiritus gemitum ſignificans. Et hac parte Verſus promicat id quod diximus, Chriſtum pro nobis factum eſſe peccatum, quod deſerente Deo, ſine culpa, factus eſt ſimilis per omnia nouiſſimo *Chriſtus factus pro nobis peccatum.*

peccatori, cui non niſi ira Dei in conſcientiam irrueret, & in deſperationem vrgeret.

Verba delictorum meorum. Qui Verba delictorum meorum legunt (id quod forte poſſunt, cum litera Aleph queat hic accidentalis eſſe ſicut in alijs locis) ſic intelligunt, quod noſtra delicta, ſua delicta fecit, vt ſuam iuſticiam noſtram iuſticiam faceret, vt Auguſtinus ait, Sic verba delictorum meorum ferme id valebit, quod nunc dicitur, oratio peccatoris, Niſi quod cauendum fuit, ne Chriſtus peccator diceretur, etiam ſi delicta ſua confiteatur, & vere ſua facta ſint. Quod ſi quiſpiam verba hoc loco pro re & negotio accipiar, more Ebraico, vt verba delictorum Chriſti ſint, negotia & merita delictorum ſuorum, non reſiſterem, merita quidem noſtra ſicut & delicta, ſed Chriſti ſunt delicta & non merita. Mala enim pro delictis debita ipſe tulit; & ſic aliena delicta fecit ſua, ſicut dicit Iſaiæ 43. Seruire me feciſti in peccatis tuis, & laborem mihi præbuiſti in iniquitatibus tuis. *Iſai. 43.*

Peccata noſtra Chriſti, iuſticia Chriſti noſtra eſt. Atque hoc eſt myſterium illud opulentum gratiæ diuinæ in peccatores, quod admirabili commercio peccata noſtra iam non noſtra, ſed Chriſti ſunt & iuſticia Chriſti, non Chriſti, ſed noſtra eſt. Exinaniuit enim ſe illa, vt nos ea indueret & impleret, & repleuit ſe noſtris, vt exinaniret nos eiſdem, Ita vt iam non modo obiectiue (vt dicunt) ſit noſtra Chriſti iuſticia, ſed & formaliter, ſicut non tantum obiectiue Chriſti ſunt peccata noſtra, ſed & formaliter. Quo modo enim ille in noſtris peccatis dolet & confunditur, hoc modo nos in illius iuſticia lætamur & gloriamur, at ipſe reuera & formaliter in illis dolet, vt hic videmus.

Et ego, licet ſoli 70. mecum faciant ex omnibus Interpretibus, pene malim dici, *Verba delictorum meorum, quam verba rugitus mei.* Hic enim ſponſus & ſponſa ſiunt vna caro, quod Sacramentum nunquam ſatis dici, prædicari, audiri, cogitari, intelligiq́; poteſt, præ magnitudine diuitiarum & gloriæ eius, abſconditum prorſus omnibus ſæculi huius, etiam prudentibus & ſapientibus, nec reuelatum niſi paruulis, quibus ſolis aſſiduum eſt memoriale, quo viuunt, gaudent & gloriantur, In cuius comparatione fœdiſſime ſordet, ſtercus & detrimentum eſt iuſticia, quæ ex lege eſt etiam ſine querela incedens, vt Phil. 3. dicitur. *Phil. 3.*

Deus meus, clamabo per diem & non exaudies, Et nocte & non ad inſipientiam mihi.

ET hic miror vnde 70. acceperint, εἰς ἄνοιαν, ad inſipientiam, ſeu amentiã, cum nihil hoc loco, neq; analogiæ neq; etymologiæ Ebræus habeat, q̃ amentiam indicare poſſit, Violenta autem ſit allegoria, per ſilentium intelligi amentiam, Vbi amens & ſtultus eſt qui paſſionibus victus, tacet laudem Dei, cum Deus mandarit nocte canticum ſuum, & in tribulationibus inuocari & laudari velit, ſicut dicit Pſal. 50. Inuoca me in die tribulationis. *Pſalm. 50.*

Auguſtinus. Maiores noſtri, præſertim Auguſtinus ſic intellexerunt, Quod hæc vox non capitis, ſed membrorum ſit, quæ cum tribulantur non exaudiantur, Sed hoc non audiri proficit eis ad ſalutem & ſapientiam, non ad damnationem & inſipientiam, hoc eſt, Bonum eſt non exaudiri, vt homo per experientiam diſcat, Deum eſſe medicum, quod non diſceret, ſed amens maneret, ſi ſtatim exaudiretur & non derelinqueretur.

Omitto alia multa, quæ huc congeſta ſunt à Patribus, omnia plane inconſtantia ſibiq́; pugnantia, Laborauerunt enim & ipſi, ſed non elaborauerunt, illaborataq́; nobis reliquerunt huius Pſalmi, rum verba tum ſacramenta, Ego ſimplicem ſenſum quæro, quã & Chriſto capiti dari liceat, cui

profuit

profuit non exaudiri, nec ad inſipientiam, ſed ad ſapientiam, ceſſit clamor non exauditus. Didicit enim ex ijs, quæ paſſus eſt (vt ad Ebræos Apoſtolus docet) obedientiam, Neq; enim, vt Auguſtinus putat, homo diſcit ſapientiam, quando non exauditur, imo contra, tribulatus & exauditus diſcit, quam bona ſit tribulatio. Tentati enim & liberari cognoſcunt quam bonus ſit Dominus, Tentati autem & derelicti (quod hic Verſus ſonat) non cognoſcunt.

Quare ad Ebræum veniamus, qui dicit, *Et nocte, & non ſilentium mihi*, Quod Hieronymus per Aquilam Iudæum deceptus, multa & infelici copia verborum, eo trahit, quod Deus non tacuerit Chriſto, ſed exaudierit eum, faciens ſenſum poſterioris partis contrariũ prioris, quaſi dic non exaudiat, nocte autẽ exaudiat Deus. Quod dico, vt homines fuiſſe ſanctos Partes nouerimus. Cum ſilentium hoc ad Chriſtum pertineat, & ſenſus ſit, Enim clamaſſe die & nocte, & neutro tempore exauditum eſſe. Vult n. dicere, *Non eſt ſilentium mihi*, id eſt, nõ eſt qui me exaudiat, conſoletur, & faciat, vt ſileat & ceſſet rugitus & clamor meus, ſed cogor inceſſanter clamare die & nocte, velut ad te inexorabilem & implacabilem, Tu non audis, & ego clamare non ceſſo, vt ſit Verſus tautologicus. *Non eſt ſilentium mihi.*

Rectius ergo Auguſtinus, de gratia noui Teſtamenti ad Honoratum, ſaltem generalem ſententiam Pſalmi tangit (quamuis mire torqueat & retorqueat, pene ſingulos Verſus ſingulaque verba) Hoc Pſalmo, differentiam deſcribi rerum noui & veteris Teſtamenti, paſſiones enim nouo Teſtamento propriæ ſunt, non ſuſcipere redemptionem, vt meliorem inueniat reſurrectionem, & vſq; in mortem relinqui, vt futuram vitam adipiſcatur, ſicut & Pſal. 44. dicit, Propter te mortificamur tota die, æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis. Ita res noui Teſtamenti ſunt duæ, mors huius vitæ & vita futuræ gloriæ, Contra res veteris Teſtamenti erant, paſſiones quidem, ſed ſubſtantiæ & corporum vſq; ad vitæ, & penuriæ periculum, Sed dabat illis Deus, Patres, Iudices, Duces, Reges, per quos liberauit eos, & in vita iſta & ſubſtantia huius mundi conſeruauit, Vt Duces illorum, duces vitæ, diuitiarum, gloriæ huius, ſicut Eccleſiæ duces, duces mortis, penuriæ & ignominiæ poſſis dicere. *Auguſt. de gratia noui Teſtamenti.*

bræ. 11.
lm. 44.

Non quod & in illo Teſtamento nulli fuerint, qui noui Teſtamenti rebus excelluerint, ſed quod totius populi ſtatus ſic haberet, in quo nonnullos ſibi habuit ſimiles noui Teſtamenti formæ, vt Prophetas, ab impijs illis occiſos, denique Habel primum noui teſtamenti membrum fuit. Sicut econtra in nouo Teſtamento multi rebus veteris Teſtamenti excellunt, dum patiuntur multa, & tamen ſuperant in hac vita, ipſe tamen ſtatus noui Teſtamenti talis eſt, vt non niſi victos, occiſos, confuſos & derelictos habeat. Hoc eſt, quod hic ſeſe clamat derelictum, longe à ſalute, non exaudiri, non ſilere, Et tamen inferius ſibi veteris Teſtamenti res comparans, dicit illos clamaſſe & exauditos ſperaſſe & liberatos, ſperaſſe & non confuſos eſſe, quorum omnia contraria ſibi & ſuis eueniant. *Habel primum noui Teſtamenti membrum.*

Cum autem Chriſtus ſit Princeps & principium noui Teſtamenti & caput populi illius noui, id eſt, occidendi, deſerendi & confundendi, & vt Titulus habet, Cerua huius auroræ, oportuit & ipſum primo omnium hæc experiri & pati, vt derelinqueretur & non exaudiretur, Et ſic nouam rerum faciem, & nouam populi formam oſtenderet mundo, quod ante eum nullus potuit, quantumlibet ſimilis formæ fuerit, Huic enim repoſitum erat, vt Spiritu ſancto miſſo in mundum, non ſolum ipſe moreretur, ſed vniuerſi populi ſui ſtatum, ſibi ſimilem, totamque Eccleſiam ſuam, non vt Synagogam ad tempus patientem, ſed penitus ſecum morientem & conſepultam exhiberet. Ex quo *Chriſtus principium noui Teſta.*

In papatu nullum Eccleſiæ veſtigium &c.

patet horrendum illud ſpectaculum, quo hodie ſub imperio Papæ, ne veſtigium quidem Eccleſiæ reliquum ſit in orbe toto, quod ſaltem appareat, ſed omnia ille vaſtator Antichriſtus vaſtauerit, & ne Synagogæ quidem faciem reliquerit, & pluſquam mundi formam vbiq; reſtituerit & Hiericho damnatam olim rurſus exædificauerit, amiſſo filio primo & nouiſſimo.

Illud ſupereſt, Quomodo Chriſtus clamaſſe per diem & noctem intelligatur, cum non niſi ſemel circa horam nonam in cruce iſta clamauerit, Nec admitto vllam partem huius Pſalmi in perſona membrorum ſuorum, à Chriſto dictam eſſe, quod multi Patrum contenderunt, Sed omnia in propriam perſonam volo quadrare, Poſſumus dicere, quando Ebræis futurum indicatiuum pro optatiuo habetur, hoc loco potentialem eſſe optatiuum, affectum derelicti epithatice ſignificantem hoc modo. Adeo me derelinquis & adeo longe à ſalute mea verba rugitus mei, vt ſi etiam die ac nocte clamem, aut clamare queam, fruſtra tamen clamem, quia nec exaudis, nec ſilentium mihi erit, ſed omnino moriendum & ad inferos deſcendendum eſt mihi, in quo iterum æternam illam iram ſeſe ſentire profitetur.

Tu autem in Sancto habitas, laus Iſrael.

EBręus ad verbum ſic. Et tu ſanctus, habitator, laudes Iſrael, Vbi idiotiſmo Ebraico, coniunctio, &, interponenda eſt, in altera verſus parte, hoc modo. Habitator & laudes Iſrael, plurali enim numero dicit, Tehilloth, laudes ſeu hymni, carmina, cantica. Tribus nominibus Deum prædicat, *Tu es ſanctus, & habitator, & laudes Iſrael.* Quis vero erit ſenſus? Ego per contentionem dici arbitror, hoc modo. Ego derelictus & longe factus, datus ſum in manus peccatorum, omnibusq; malis ſubiectus, & vt infra dicit, Ego vermis & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis. Tu autem ſanctus, reuerendus & inacceſſus, qui Altiſſimum poſuiſti tabernaculum tuum, vt non ad te acced at malum.

Sanctum in Scripturis.

Sic enim ſanctum in ſcripturis dicitur, quod ſeparatum eſt, & à quo cum timore ac reuerentia abſtinetur, nec temere appropinquatur. Sicut Moſi ad rubum, Exod 3. Solue calciamenta tua, locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt. *Exod. 3.*
Et 1. Reg. 6. Quis poteſt ſtare in conſpectu Domini Dei ſancti huius? Ioſuæ *1. Reg. 6.*
vlt. Non poteritis ſeruire Domino, quoniam Deus ſanctus eſt ipſe. Ebraice ki *Ioſue. 24.*
Elohim kidoſchim plurali numero. Vehementer ergo contraria ſunt, eſſe ſanctum & vermem, ſeparatum & non hominem, inacceſſum & opprobrium hominum abiectionemq; plebis, quæ eſt exaggeratio querelæ.

Habitator.

Simile eſt, *Quod habitatorem eum nominat*, id eſt, talem, qui in pace & quiete ſedeat ſecure, cum ipſe derelictus econtra, pauore, fuga inquietudine ſit perturbatiſſimus, nuſquam certo conſiſtens, & ſicut dicit. *Non eſt ſilentium mihi*, non enim fuit pax oſſibus eius. Magnus & huius tentationis proprius eſt affectus anguſtiæ, nec niſi expertis cognitus, ſicut & Iſaiæ 38. Ezechias eadem paſſus queritur dicens: Dixi non videbo Dominum in terra viuentium, non *Iſa. 38.*
aſpiciam hominem vltra cum habitatore quietis.

Laudes Iſrael.

Laudes vero Iſrael, dixit, quia vt diximus, & Verſibus ſequentibus patebit, cum populo Iſrael ſic egit, vt eos liberaret ſemper in vita, nec in mortem & infernum ire ſineret, Et hunc locum ex illo Moſi Exo. 15. ſumpſiſſe videtur, *Exod. 15.*
Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem. Chriſtum vero ſic dereliquit, vt in mortem, in qua nō eſt qui memor ſit eius, & in infernum iret, in quo nemo confitetur & laudat Deum, Sic & Ezechias vbi ſupra; Quoniam non infernus confitebitur tibi, neq; mors laudabit te.

Atq;

Atque hic clare videmus, Chriſtum paſſum eſſe pœnam peccatis proprie debitam, & guſtaſſe mortem & infernum, Qua enim cauſa & neceſſitate, Deum appellaret laudes Iſrael? niſi quia ſenſu præſentiſſimo inferni tactus timuit, ne non eſſet ſimilis Iſrael laudatori, nec poſſet dicere, Fortitudo mea & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem? Hæc enim paſſis hanc anguſtiam eſt ſumma cura, ne cum damnatis, quibus ſeſe aſſimilari ſentiunt, Deum maledicant & blaſphement, ſicut Pſal. 6. vidimus, Et eum hic laudes alienas alleget & ſuam taceat, indicat quam prope & ſimilis ſit damnatis maledicentibus, atque idipſum quoque auget querelam & dolorem, quod Iſrael, toties ſaluatus Dominum laudarit, Ipſe vero penitus derelictus, in periculum veneriт, non laudandi ſed maledicendi.

Chriſtus paſſus eſt pœnam peccati debitam.

Pſal. 6.

Coartatur ergo, magno agone, vt Laudator perſeueret cum Iſrael, etiamſi non ſeruetur cum Iſrael, vtque faueat Deo ſanctitatem, licet ipſe manibus peccatorum, hominum & dæmonum, ceu viliſſima pars rerum contaminetur, & vt habitatorum quietum Deum prædicet, licet ipſe vagantiſſimis pauoribus, inquietiſſimisque affectibus ſit perturbatiſſimus, puluis ante faciem venti, nuſquam habitans ſiue conſiſtens.

In hanc ſententiam & noſtra translatio facile venit, cum idem ſit, In ſancto habitare, quod ſanctum & habitatorem eſſe, Quod autem Ebræus laudes Iſrael, vbi nos laus Iſrael habemus, linguarum facit proprietas, Vult enim oſtendere, Iſraelem ſæpenumero fuiſſe ſeruatum, vt laudaret Deũ, ſe vero prorſus derelinqui, vt mortuus & damnatus non poſſit laudare, cum à mortuo (vt Sap. ait) tanquam ab eo, qui non eſt, pereat confeſſio. Atque hanc querelam latius & copioſius proſequitur, dicens.

In te ſperauerunt Patres noſtri, ſperauerunt & liberaſti eos,
Ad te clamauerunt, & ſalui facti ſunt,
In te ſperauerunt, & non ſunt confuſi.

QVam ſimilima verba inuidiæ & murmuris aduerſus Deum, Nam cum idem ſit Deus, tamen Patres ſperantes & clamantes exaudiuit, liberauitq;, Hunc autem ſperantem & clamantem auertit & dereliquit. Grauiſſimum eſt enim & ad deſperationem & maledictionem vehementer ſolicitans, Quod idem Deus, aliter cum illis, quam cum iſtis agit, nulla prorſus eorum culpa, ita enim ſentit, qui hac tentatione vrgetur. Apparet robuſta & magna ſpecie, non parum iniquitatis in Deo eſſe, Ita enim & damnati accuſabunt Deũ, quod eum in hominibus ſint omnia paria, tamen hos ſeruat, & illos derelinquit mera voluntate ſua. Vides ergo, quam hic in Chriſto promicet tentatio blaſphemiæ, & maledictionis, Tentatus enim eſt per omnia. Et ipſe ſenſus, ſine tamen conſenſu tentatationis huius, cogit eum prorumpere in hæc verba, quo noſtram iſtam tentationem in ſemetipſo vinceret.

Exod. 3. 1. Reg. 6. Ioſue. 14.

Igitur merito, *Tu es laus Iſrael,* qui toties eos in te ſperantes liberaſti, quo feciſti, vt eſſes eorum Pſalmus & Hymnus. At mihi qui itidem ſpero & clamo, quid es? Non audet dicere, Non es laus mea, & tamen id non ſit, vnde ſit laus eius, ita videtur in ſemetipſo abſorbere tentationem blaſphemiæ, quæ pene eruptura videbatur, velut inter laudem & blaſphemiam fluctuans & obmuteſcens. Corruit n. hic baculus ille ſolatij, quo populus Iſrael nixus cantabat, Pſal. 119. Memor fui iudiciorum tuorum, & conſolatus ſum. Et Pſalm. 77. Memor fui operum Domini, quoniam memor ero ab initio mirabilium tuorum. Et meditabor in omnibus operibus tuis, & in adinuentionibus tuis exercebor. Pſalm. 143. Memor fui dierum antiquorum, meditatus ſum in omnibus

Heb. 4.

Eccl. 15.

Pſal. 119. 77.

Pſalm. 143.

omnibus operibus tuis,& in factis manuum tuarum meditabar. His enim cō-
gitationibus armati,vincebant omne malum,ſicut & illi 1.Mach.4.Memen- *1.Mach. 4.*
tote quomodo ſalui facti ſunt Patres noſtri.

At Chriſto & Chriſtianis ea ſpes præciſa eſt velut à texente, & dicitur
eis,Illi ſalui facti ſunt,ſed vos derelinquemini,ſeu vt Petrus 1. Petri 4. Chriſto *1. Pet. 4.*
Paſſio,conſolatio &c. noui Teſta. in carne paſſo,& vos eadem cogitatione armamini. Alia paſſio,alia conſola-
tio,alia ſalus noui Teſtamenti,Ita hic Chriſtus recurrit quidem ad opera Do-
mini,& memor eſt mirabilium eius ab initio,exercetur q; in adinuentionibus
eius,Sed non hinc conſolatur,imo magis contriſtatur, cum contraria ſint o-
mnia,id quod pauidam conſcientiam inæſtimabiliter cruciat, Sicut enim te-
Gaudium eſt miſeris &c. uera dicitur. Gaudium eſt miſeris ſocios habere pœnarum,& exemplum ſi-
milia paſſi vehementer conſolatur,ſicut & Petrus dicit 1.Pet.5. Scientes can- *1.Pet. 5.*
dem paſſionem ei,quæ in mundo eſt,fraternitati veſtræ fieri. Ita econtra ſoli-
Paſſio ſine exemplo. tudo & paſſio ſine exemplo,præſertim Deo autore illata(quod ſentit qui pati-
tur)inconſolabilis eſt cruciatus.Hic enim oculus(vt dicitur)iniquitatis,aliena
felicitate & ſua miſeria male vexatur,& contra Deum fortiter irritatur, quale
& Hiob legimus contigiſſe, qui tamen & ipſe in ijs omnibus non peccauit,
nec ſtultum aliquid contra Deum locutus eſt, ingens certe præconium fidei
inæſtimabilis.

Quod autem toties ingeminat,ſperauerunt,ſperauerunt,cla-
mauerunt,ſperauerunt,liberaſti eos,ſalui facti ſunt,non ſunt confuſi, Puto
ego præ vehementia tentationis fieri, quæ nouum hoc ſuæ paſſionis genus,
collatum priſcis Patrum aduerſitatibus,non queat ſatis deplorare. Tamen ſi
quis ea velit diſtribuere diuerſis Patrum ſeculis,non reſiſtam. Poteſt forte iſte
verſus,In te ſperauerunt Patres noſtri,ſperauerunt & liberaſti eos, ad Patriar-
Patres in Deo ſperantes,liberati ſunt. chas,Abraham, Iſaac & Iacob referri, qui in Domino ſperantes mirabiliter
ſeruati & cuſtoditi ſunt,Sicut Pſal.105.dicit.Et tranſierunt de gente in gen- *Pſalm. 105.*
tem,& de Regno ad populum alterum,Non reliquit hominem nocere eis &
corripuit pro eis Reges. Nolite tangere Chriſtos meos,& in Prophetis meis
nolite malignari. Et Deut.13.Circunduxit eum & cuſtodiuit eum,ſicut pupil- *Deut. 13.*
lam oculi &c.

Alter Verſus,Ad te clamauerunt,& ſalui facti ſunt,ad exitum
Exitus populi ex Aegypto. populi de Aegypto & ad iudices Iſrael pertineat.Nam de filijs Iſrael in Aegy-
pto ſcribitur, Quod clamauerint ad Dominum & clamor eorum peruenerit
ad Dominum. In Iudicum autem libro ſæpius dicitur, Et clamauerunt ad
Dominum & miſit eis Saluatorem,qui liberaret eos.Ita vt Pſal.78.de eiſdem *Pſalm. 78.*
dicatur,Sæpe liberauit eos.

Reliquum vero, *In te ſperauerunt,& non ſunt confuſi*, pertineat ad tem-
Tempora Regum. pora Regum,præcipue Samuel,Saul & Dauid,quando præclara multa feli-
citer gerebat populus iſte in fiducia Domini ſui,nec ſolum non premebatur
vt clamaret,ſicut tempore Iudicum ſed vt victor vbiq; imperium ſuum pro-
pagabat, Vnde & dicit, *Non ſunt confuſi*,id eſt,excellenter glorificati & exal-
tati, Vt ſic Chriſtum,per hæc tria intelligamus comprehendere omnes hiſto-
rias Patrum ab Abraham vſque ad ſeipſum, in quibus mirabilia Dei claruе-
runt,vt fieret laudes Iſrael.

Patres noſtri. Obſcurum eſt & illud,quod Patres noſtri dicit,ſeſe faciens ſicut vnum
è populo illo,propter aſſumptam carnem, qua verus & naturalis filius Pa-
trum erat,ſed non carnaliter nec naturaliter genitus.

*Ego autem ſum vermis & non homo, opprobrium hominum & ab-
iectio plebis.*

Chriſtum

Digitized by Google

CHriſtum hoc loco vermem dici (id eſt) ſine Patre, ſine concubitu de ſola Matre natum, & non hominem (id eſt) Deum, vt aliqui Patrum volunt, arbitror intempeſtiue dici. Cum hic non natiuitatis nec naturæ, ſed paſſionis ſuæ modum velut purus homo indicet. Sed tropum illum vulgarem aſſumpſit credo, quo prouerbialiter vermes & putredinem appellare ſolemus eos, quos vehementer contemptos & abiectos ſignificamus, ſicut & Hiob. 15. dicitur. Quanto magis homo, putredo, & filius hominis vermis? Et Iſa. 41. Noli timere vermis Iacob, qui mortui eſtis ex Iſrael. Rurſus Hiob 17. Putredini dixi, pater meus es, mater mea & ſoror mea vermibus. Vermis enim (vt meum ſpiritum ſequar) non modo res eſt nullius ſpei aut vſus, ſed etiam nauſea & abominatio, in putredine & fœtore natus, viuens & morans.

Vermis pro contemptiſſimo.

Hiob. 15. 17. Iſai. 41.

Ita Chriſtus derelictus in paſſionibus ignominioſis, ceu vermis in putredine, nullius ſpei & vſus amplius erat in oculis hominum, imo nauſea & abominatio, propter vehementem putorem & ignominiam crucis. Sicut & tota Eccleſia ſimilibus paſſionibus deſperata, vermis apud Iſaiam dicitur, vt vidimus. Affectum enim hominum pingit iſte vermis in paſſionibus Chriſti ſcandaliſatum & offenſum, his enim, etiam ſi boni videantur, putet, ſordet, ſicut vermis & putredo, & abominabilis eſt paſſio & crux Chriſti & ſuorum, ſicut figurat Moſes, fugiens virgam ſuam in ſerpentem verſam, Exod. 4.

Eccleſia vermis dicitur.

Exod. 4.

Eodem tropo vulgi dicit, *Et non homo*. vbi cauit ſpiritus, ne naturæ nomen Adam, ſed virtutis Aiſch, poneret, ne quis veritatem naturæ humanæ hic negari calumniaretur. Sic enim & vernacula noſtra dicimus de vehementer infirmis aut contemptis, Jſt nicht eins Menſchen mehr werd. Et Iſa. 53. dicit eum nouiſſimum virorum, vt infirmitatem & inutilitatem eius inter homines declaret, Vbi iterum loquitur pro affectu hominum contemplantium paſſiones Chriſti, in quorum oculis, iam nullius virtutis, ne homo quidem cenſendus ac deſperatus omnino videbatur.

Nouiſſimus virorum. Eſai. 53.

Hæc autem dicit, per contentionem (vt cœpit) Patres (inquit) ſperauerunt & liberaſti & ſeruaſti eos. Me vero clamantem & ſperantem ſic derelinquis, vt vermis & non homo ſim in omnium oculis, quia illi, (vt Auguſtinus recte exponit hunc locum) in hac vita ſperauerunt ſalutem. Dominus autem flagellabatur & nemo ſubueniebat, ſputis deturbabatur, & nemo ſubueniebat, ſpinis coronabatur, & nemo ſubueniebat, leuabatur in ligno, nemo eruit. Hæc ille. nihil enim virtutis in eo fuit, vt nullus hominum adeo fuerit derelictus. Nec id ſatis.

Auguſtini narratio.

Patres ſperauerunt & non ſunt confuſi, imo honorificati & celebres in orbe facti, ſicut de Dauid dicit, 2. Reg. 7. Feci tibi nomen grande, iuxta nomen magnorum, qui ſunt in terra. At Chriſtus, factus eſt opprobrium hominum & abiectio plebis, id eſt tale, quod homines ceu vituperium fugere & alijs imprecari ſolent. Ac ſi dicat, Sum factus in prouerbium & exemplum male imprecationis. Actiue enim & paſſiue hic opprobrium accipiendum eſt, quo homines opprobrantur, & opprobrant ſeu conuitiantur & imprecantur inuicem. Sic abiectio, qua abijciuntur, & abijciunt, ſiue contemnuntur & contemnũt, quod Paul. 1. Corinth. 4. clarius dicit, Facti ſumus tanquam purgamenta huius mundi & periſpſima omnium vſque adhuc.

2. Reg. 7.

Chriſtus opprobrium hominum factus.

1. Cor. 4.

Sic Chriſtus maledictum factus eſt, vt non maiore opprobrio Diſcipuli eius maledicerentur, quam quod eſſent Chriſtiani, ſicut Pſal. 31. dicit, Factus ſum opprobrium vicinis meis valde, & timor notis meis. Et 88. Longe feciſti Notos meos à me, poſuerunt me abominationem ſibi. Et Pſal. 69. Extraneus factus ſum fratribus meis & peregrinus filijs matris meæ. Vſque hodie enim & in finem mundi perſeuerat hoc opprobrium & abiectio eius, quod

Pſal. 31. 88.

Pſalm. 69.

Scandalum crucis.

ſcandalum crucis Paulus appellare ſolet, ita vt pauci ſint, qui non erubeſcant eum coram hominibus, & non ſcandaliſentur in eo, id quod in Patribus non contigit, qui à morte præſeruati, præſertim ignominioſa, ſemper in gloria & reuerentia hominum permanſerunt.

Pondus verborum.

OBſeruemus autem pondus, horrorem ſimul & ſolatium, verborum, Homines & populum allegat, quibus opprobrium & abiectio factus ſit, Quis non homo? quis non eſt de populo? quis ergo in Chriſto ſcandaliſatur? Horror eſt verbis iſtis intendere, & tamen ſolatium eſt, ſimilia paſſis ea nouiſſe, Prudentia carnis, lib. arbitrium, ratio ad optima deprecans, vires naturales, & id genus hominum ſtudia, quid faciunt? Chriſtum habent pro ſummo conuitio, opprobrio, contumelia, maledicto. Hæc eſt præparatio eorum ad gratiam, Vbi hic argumentum multitudinis, magnitudinis, longitudinis, quo nituntur Sophiſtæ illi gratiæ Dei inimici?

Natura Chriſtum habet pro opprobrio

Sophiſtæ gratiæ Dei inimici.

Vides ergo confeſſorem Chriſti & prædicatorem Euangelij Dei talem eſſe oportere, qui non miretur, ſi omnes homines & totus populus eum exhorreat & abominetur, imo niſi abominetur, nondum eſſe perfectum Chriſti confeſſorem, Argumentum enim ſalutis ſuæ eſt, eſſe opprobium hominum & abiectionem plebis, Sic enim & Iere. 20. queritur. Et factus eſt mihi ſermo Domini in opprobrium & in deriſum tota die, Et Chriſtus, Eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum, Et Matth. 5. Beati eſtis cum maledixerint vobis homines, & eiecerint nomen veſtrum tanquam malum propter me.

Ierem. 20.
Matth. 24. 5.

Et notandum, quod homines & populum per extenuationem & tapinoſin dicit, quo modo Iohan. 2. Ipſe enim ſciebat quid eſſet in homine, De ijs enim loquitur, quos communi ſenſu, bonos & pios arbitramur, quos & veritati videmus applaudere & adhærere, quales erant tempore Chriſti turbæ laudantes & magnificantes Deum in omnibus, quæ glorioſe fiebant ab eo, vt habent Euangelia, Donec enim veritas in gloria regnat & proſpere procedit, mire ardent eius ſtudio & fauore, quos Chriſtus ſignificauit ſemine parabolico in petroſa iacto, quod natum aruit, quia non habebat humorem Lucæ 8. Sic enim eos ipſemet depingit, dicens. Qui ſupra petram, ij ſunt, qui cum audierint, cum gaudio ſuſcipiunt, & hi radices non habent, quia ad tempus credunt & in tempore tentationis recedunt. Et Iohan. 2. egregie eos deſcribit, Cum eſſet Hieroſolymis in paſcha in die feſto, multi crediderunt in nomine eius, videntes ſigna eius quæ faciebat. Ipſe autem Ieſus non credebat ſemetipſum eis, eo quod ipſe noſſet omnes, & quia opus ei non erat, vt quis teſtimonium perhiberet de homine, Ipſe enim ſciebat, quid eſſet in homine.

Iohan. 2.
Semen in petroſa iactum.
Luc. 8.
Iohan. 2.

Hi ergo licet non perſequantur veritatem, doleantq́; eam opprimi, non tamen ei aſſiſtunt, ſed erubeſcunt, formidant, derelinquunt, tacent, ſinuntque eam opprimi, ſicut diximus Pſal. 68. Factus ſum timor notis meis, de quibus Chriſtus Matth. 10. Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo, Lucæ 9. Qui me erubuerit coram hominibus, erubeſcam & ego eum coram angelis Dei. Ideo eos appellat homines & populum, ac ſi diceret, Es ſind Menſchen/vnd der vnnütze hauffe, Vbi ſimul diſcimus, quam ſit ignominioſum coram Deo, non eſſe pluſquam hominem & populum, & quam pauci, qui in cruce Domini noſtri glorientur, hi enim non homines, ſed Dij, non populus, ſed exercitus ſunt. Vnde dictus Dominus exercituum, hoc eſt, electiſſimorum è populo bellatorum, populus autem fex & vulgus hominum ignauorum.

Pſal. 68.
Matth. 10.
Lucæ 9.
Opprobrium hominum.

Debet ergo opprobrium hominum & abiectio plebis accipi, tam in genitiuo quam datiuo caſu, vt Chriſtus ſit opprobrium hominibus & hominũ, & abiectio

Digitized by Google

& abiectio plebi & plebis, vt tam actiuam quam paſſiuam ſignificationem comprehendamus. Et apte, plebis magis, quam populi dicitur, latino ſaltem vſu, quod plebs ſit pars & infimum vulgus multitudinis alicuius, populus vero totam multitudinem, in qua principes & nobiles includuntur, ſignificat. Et Propheta quoque, non hic vocabulum virtutis Aiſch, ſed naturæ Adam poſuit, non dicens, opprobrium iſchim, ſed opprobrium Adam, id eſt, terrenæ iſtius maſſæ hominum, in qua non niſi naturæ ſenſus viget, expers virtutis & gratiæ. Igitur his Chriſtus eſt opprobrium & contemptus, ſic enim hæc nomina tranſtulit Pſalm. 119. Aufer à me opprobrium & contemptum, perſecutoribus vero & oppreſſoribus, quid ſit, ſequitur.

Plebs. Populus.

Pſalm. 109.

Omnes videntes me, deriſerunt me,
Locuti ſunt labijs, & mouerunt caput,
Sperauit in Domino, eripiat eum,
Saluum faciat eum, quoniam vult eum.

HIs non eſt opprobrium neque contemptus, quia non erubeſcunt enim, quem nunquam acceperunt, ſed deriſio & ſubſannatio, quorum furor facit, vt infirmis illis ſit opprobrium & contemptus. Et inſigniter notandus ordo, quod antequam mala recitet, quæ patitur, blaſphemias queritur, & ante has contemptum publicum hominum, ante omnia vero deſertionem Dei, quia reuera & hic ordo grauitatis eſt paſſionum, quod atrocior eſt blaſphemia perſecutorum, quam ipſa perſecutio, quam auget contemptus hominum publicus, cum nõ ſit qui ſaltem conſoletur. Super omnia vero affligit, quod ne Deus quidem taliter paſſum, blaſphematum, contemptũ & abominatum ſolatur, qui tamen nouiſſimum eſt miſerorum refugium. Licet itaque nullus ferme ordo fuerit paſſionum Chriſti, furentibus in eum & omnia confuſe agentibus Iudæis, Ipſe tamen pulchre eas in ordinẽ redigit, incipiens à grauiſſimis, procedens ad finem vſq; omnium paſſionum ſuarum, reſurrectionem ſcilicet & gloriam regni. Vnde & apte ſequitur Verſus hic præcedentem, dum dicit.

Blaſphemia perſecutorum atrocior quam ipſa perſecutio.

OMnes videntes, deridebunt me, Non quod etiam mater & noti eius eum deriſerint, ſed affectu illo communi id dicit, quo videt ſeſe publicum opprobrium & abominationem eſſe, quem nemo audebat conſolari aut tueri. Quo tropo Pſal. 6. dicitur, Inueteraui inter omnes inimicos meos. Ita hic. Non eſt qui me tueatur aut conſoletur adeo me omnes non modo affligunt, ſed afflictum etiam derident. Hoc affectu & nos diceremus. Ey ſpotten ſie mich denn alle/ Iſt denn niemand der mich tröſtet? Non quod nullus aliſit qui faueat, ſed quod non ſentiat, nec experiatur eum fauorem, & eius ſenſus ſeu experientiæ vox eſt, *Omnes videntes me deriſerunt me*, Poſſis & hic Synecdochen facere, Omnes, pro multi ex illis, quæ figura frequens eſt in ſacris literis, Sed meo iudicio, affectum patientis prior ſententia plenius tradit.

Pſalm. 6.

Omnes pro multi ex illis, per Synecdochen.

Emphaſin habet & Epitaſin, verbum, *Videntes me*, quod nouiſſimum blaſphemiæ genus ſit, palam in faciem derideri, & in os contumelias congeri, Leuius enim audiuntur irriſiones & contumeliæ ad abſentem per alios relatæ, Sed videre & videri, nec poſſe declinare faciem à deriſoribus vehementer angit. Quæ autem fuerit deriſio ſequitur, *Locuti ſunt labijs, & mouerunt caput.* Aptius Hieronymus, Demittunt labium, ſignificat enim hoc verbum proprie geſtum deridentis, qui demiſſo porrectoq; labio inferiore os detorquet in eum quem deridet. Noſter autem, quia os aperire, in ſacris literis ſignificat loqui, ideo tranſtulit, *Locuti ſunt labijs*, Verum aliud aperiendi verbum hic

Videntes me.

Locuti ſunt labijs & mouerunt caput.

locus

locus habet, Nimia autem his verbis exprimitur fiducia furentium, quæ & ipſa non parum auget afflictionem, vbi furori iam velut parta victoria, nullũ negotium eſt perſequi patientem, qui tamen ipſe vexetur ſummis anguſtijs.

Blaſphemia & deriſio inſultantium Chriſto.

Sunt autem iſti duo Verſus ab Euangeliſtis de Chriſto manifeſte adducti, vt non ſit in hoc neceſſaria noſtra opera, Dicit enim Matth. 27. Prætereuntes autem blaſphemabant eum, mouentes capita ſua, & dicentes, Confidit in Deo, liberet eum nunc, ſi vult, dixit enim, quia filius Dei ſum. *Matth 27.*

Ironia iterata.

Et obiter notandum, quod Euangeliſtæ nullam ferme paſſionis dominicæ portionem pluribus & grauioribus verbis tractant, quam hanc ipſam deriſionem & blaſphemiam & inſultationem & quidquid his Verſibus dicitur. Sed & verba ipſa verſuum iſtorum ſatis indicant, vim ignitam & atrociſſimam iſtorum iaculorum violentiam, Dicunt enim repetitis & inceſſanter vrgentibus vicibus, Sperauit in Domino, Et iterum, Eripiat eum, Et iterum, *Saluum faciat eum*. Et iterum, *Quoniam vult eum*, Per iteratas iſtas ironias affirmatæ ſalutis, inſuperabilem molem negatæ ſalutis opponentes. Incredibile enim eſt, quot ictibus ijſque validiſſimis concuſſum ſit cor eius, per has voces.

Hæc ſunt illa tela ignita ponhru (id eſt) nequiſſimi aduerſarij, de quibus Paulus Eph. 6. docet. Quid enim violentius, quam ſpem in Deum labefactare, nec labefactare modo, ſed velut labefactam & prorſus inanem, non ſaltem narrare ſed gaudere, inſultare & deridere? *Epheſ. 6.*

Porro vltimum ſuppliciorum, intentare immobilem Dei prædeſtinationem ſeu potius odium, dum dicunt, *Quoniam vult eum*, Nam & hoc non ſimpliciter denunciant, quod abunde ſatis erat mali, ſed inſultant & rident, Neque enim hæc nequiſſimorum ignitiſſima iacula Chriſtum, non niſi antetenus attigiſſe, ſed in medullas & ima cordis penetralia, impetu præualido irruiſſe credendum eſt, Id enim neceſſarium erat, propter nos, vt mala hæc victa in CHRISTO, nobis innoxia redderentur.

Chriſtus omnes paſſiones ſanctas & ſalutares reddidit in ſeipſo, &c.

ET quando hic locus vocat & res vtilis eſt, digrediendum eſt paulum, quo nobis ex hoc Pſalmo, vſum paremus harum rerum in tempus oportunum. Atq; inprimis intelligere nos & gratias agere oportet, quod Chriſtus has omnes paſſiones non modo innoxias, ſed & ſanctas, ſalutareſque reddiderit in ſemetipſo, ſui cordis optimi & ſanctiſſimi amplexu & ſenſu, vt deinceps, qui Chriſtianus eſt, eo ſit felicior & beatior, quo ſimiliores & plures pertulerit. Infelix autem & plane à Chriſto alienus, qui pertinaciter eas abiecerit & fugerit. Hic enim impletum eſt, quod dictum eſt Malach. 2. Benedicam maledictionibus veſtris, & maledicam benedictionibus veſtris, Si enim per contactum mundiſſimæ carnis omnes aquas ſanctificauit ad Baptiſmum regenerationis, Quanto magis, voluntatis & ſpiritus ſui puriſſimi contactu, ſanctificaſſe credendus eſt, omnes has aquas fluminis fortes, paſſiones & mala, ad introitum æternæ ſalutis? *Malach. 2.*

Paſſiones Chriſti & Sanctorum vere ſanctæ Reliquiæ.

Et breuiter, Totus mundus Chriſtiano ſanctarum Reliquiarum theſaurus eſt, Quod ſi reliquias vulgares paſſim, feſtis pompis & diebus celebramus, Quanto magis has multo ſanctiores, quæ & illas Reliquias ſanctas eſſe fecerunt, ſuis pompis celebrabimus, pompis inquam ſpiritualibus, quæ ſunt laus & gratiarum actio in medijs his malis, ſeu potius optimis bonis, ſicut dicit Pſal. 34. Benedicam Dominum omni tempore, his enim ſolis pompis honorantur iſtæ Reliquiæ, non auro, non purpura, non gemmis. *Pſalm. 34.*

Nouiſſimum bellum in morte cum Diabolo &c.

DEpicta eſt itaq; nobis in hac tabula, bellum illud nouiſsimũ quo in morte cum diabolo, atq; adeo cum ipſo Deo vniuerſaq; creatura pugnamus, vbi Satan, vt vltimis ita inſtructiſſimis copijs nos impugnat.

Non

Non enim hic ad deſperationem vrget,ſciens hoc impulſu nos excitari ad re-
ſiſtendum ſibi,ſed ipſam reſiſtentiam aggreditur,atque velut iam diu victam
ſpem irridens,conatum ad ſpem excitandam opprimere molitur,Hoc non fit
in alijs tentationibus,vbi ſpes & fides pugnant,Hic fides & ſpes, quæ pugnare
debent,impugnantur,& de certamine certamen eſt,bellum alio bello defen-
dendum,hic pugnandum vt pugnare liceat, & reſiſtendum ei qui reſiſtere
diſſuadet,maioreque labore ſuperandus, qui à bellando retrahit, quam qui
bellare cogit.

O Deus quid hic facient operarij illi & Legiſtæ juſticiarij,qui
fidem & verbum quid ſint,nunquã cognouerunt, quando hic iuſtus vix ſal-
uus erit, qui vim & verbi & fidei probe callet? Quid igitur faciet anima iuſta
his circundata anguſtijs?Domini ſui recordetur,qui dixit,Non eſt ſeruus ma-
ior Domino ſuo,ſi ipſe clamauit & non eſt exauditus,& omnia hæc audiuit, *Non eſt ſeruus maior Domino ſuo.*
quæ hic dicuntur,gaudium aut ſaltem patientia ſit,& ſeruo talia contingere.

Et totam laruam Satanæ,qua deſperationem molitur operari in mori-
turis,videamus,Primum eſt,*videri omnibus*,Secundum,*derideri*,Tertium, *la-*
Iob. 5. *bium torqueri*,Quartum,*caput moueri*,Quintum,*audire,ſperat in Domino, eri-*
piat eum,Sextum,*ſaluum faciat eum,quoniam vult eum*.Hic queas illud Iob 5.
dicere. E ſex tribulationibus liberabit te,& in ſeptima non tanget te malum.

Primus terror eſt,dum aperiuntur oculi animæ, & ſentit ſeſe
nudari reuelarique in conſpectu vniuerſæ creaturæ,cum ignominia totius ſuæ
geſtæ malæ vitæ. Et hic etiam ea, quæ optima & honorabilis in mundo fuit,
fœda & ignominiæ plena inuenitur,nec inuenit latibulum aut refugium,quo
ſe occultet aut tegat. Egreditur enim iam & egreſſa omni corporali creatura *Omnes videntes ME.*
ceu veſtimento quodam exuitur,cogiturq́; videre & videri permittere, quæq́;
occultiſſima dedecoris ſui,Tunc impij,veſtimenti huius ſui tenaces & cupidi,
Oſea 6. nudari ſumma auerſione recuſantes,& tamen reſiſtere non potentes, dicunt,
Montes cadite ſuper nos & colles operite nos. Tunc ſentit quid ſit dicere,
Omnes videntes me,Nihil enim opertum,quod non reueletur,& occultum,
quod non ſciatur,quoniam quæ etiam dixiſtis in tenebris (nedum feciſtis) in
lumine dicentur,& quod in aure locuti eſtis in cubili,prædicabitur in tectis.

Secundus cum derident,Non ſolum enim non tegunt,ſed ir-
rident,Non quod creaturæ Dei bonæ derideant, ſed quod impijs animabus,
aut talia patientibus,omnia ſic videntur ſeſe deſerere adeoque non miſereri,
vt etiam deridere videantur,Sicut monſtratur Matth.25.in virginibus ſapien- *Prudentes virgines ſtultas ridentes, Matth.25.*
tibus,ſtultas irridentibus,dum dicunt: Ne forte non ſufficiat nobis & vobis,
ite potius ad vendentes & emite vobis. Cum enim anima,operibus malis, &
vita impia ſit ignominioſa,ſinguli vniuerſæ creaturæ aſpectus actiui & paſſi-
ui,erunt velut voces,malam vitam eius deteſtantes, exprobrantes, & inſipien-
tiam eius ridentes,quod non alia fecerit & meliora meruerit, dum in vita li-
cuit,Atque ita ſuæ iuſticiæ & illius iniquitatis intolerabili comparatione, fœ-
diſſime deriſam ſtatuent in medio omnium,Sicut Iudæi Chriſtum, erga ſe ve-
lut iuſtos, inter ſceleratos velut iniquiſſimum ſtatuerunt, deriſum coram
omnibus,maxime vero dæmones hic inſtant,diriſſimis eius generis cogitatio-
nibus animam fatigantes,

Tertius eſt,Si hæc duo parum ſunt,& anima fortis fide,hæc aut
Matth. 12. tulerit aut ſuperarit,Ad maiora venitur,& terroribus potentiſſimiſq́, Scriptu-
ræ diuinæ ſagittis res incipit agi, Allegant autem non niſi minaces, terribileſ-
que Sententias cum Exemplis horrendis iræ Dei, Quales ſunt illæ, De omni *Exempla iræ Dei horrenda.*
verbo ocioſo,quod locuti fuerint homines,reddent rationem in die iudicij,
Item, Virum iniuſtum mala capient in interitu. Item, Væ vobis hypocritæ,

Et o-

Et omnia illa in impios iaculata dura verba & facta. Poſita autem hac Maioꝛe, facile & pronum eſt, cooperante vniuſcuiuſque propria & naturali conſcientiæ infirmitate & ſcrupuloſitate, Minorem ſubſumere & dicere, Tu autem es talis, Hoc eſt, quod hic dicit, Demittunt labium.

Duo labia 2. Teſtamenta inferius verbum legis.

Sequor enim hic elegantem eorum ſententiam, quia duo labia interpretantur Duo Teſtamenta, Labium inferius, verbum legis, quod cum per ſe operetur iram, augeat peccatum, & ſit verbum mortis, romphœa Cherub terribilis prohibens ingreſſum paradiſi, aſtu tamen & nequicia Dæmonum in hac tentatione, diſtorquetur & in ſpeciem longe quam per ſe ſit, deformiorem & terribiliorem deformatur, Ideo enim & Leuiathan vocatur, quod peccata noſtra augeat & benefactis etiam addat reprehenſionẽ, nihil relinquens non accuſatiſſimum, quantis viribus poteſt. Qui aliquando hæc ſenſerit, facile intelligit, quæ dico, Sicut Iob qui dicit, Sagittæ Domini in me, quarum indignatio ebibit ſpiritum meum, cum tamen eſſet innocens etiam Dei ipſius teſtimonio, Et rurſus, inimicus meus intuitus eſt me oculis terribilibus. Huic poteſt & noſtra translatio aptari, Locuti ſunt labijs, id eſt, tantum litera mortis, & terroris, non etiam ſpiritu vitæ & ſolatij.

Leuiathan.

Superius labium verbum Euangelij.

Quartus, Dum mouet caput, hoc eſt, ſi anima nitatur & ſuperioris labij ſolatio ſeſe iuuare, id eſt, verbo Euangelij Chriſti, qui caput omnium eſt, aduerſus violentam legis iratæ & occidentis ſagittam inique & deprauate intentatam, occurrit Satan & mouet hoc caput ac dubium reddit. Quanquam enim labia & capita Iudæorum impiorum mala eſſent, tamen rei bonæ malum vſum non inepte ſignificant, cum vtraque ſint bona opera Dei, licet vſu malo, per impios occupata. Ita lex bona, Euangelium bonum, poteſt per dæmones male & peruerſe, tum tractari, tum obtrudi, præſertim in hac hora nouiſſima, in qua nihil vellent ſalutare & integrum relictum miſeræ animæ.

Chriſtus iuſticia noſtra.

Non autem abijciunt ſed mouent caput. Chriſtus enim iuſticia noſtra eſt 1. Corinth. 1. in qua per fidem conſtanter gloriamur, tanquam noſtra propria, quando noſtra ſatisfacere legi & ſtare in hac hora non poteſt, Et tamen hoc caput nobis audet mouere, & labium infernum legis in tantum porrigere, vt præmineat ſuperno labio Euangelij, & anima in Chriſto incipiat nutare, Non quod credat ipſam non eſſe caput, ſed vt dubitet ſibi eſſe caput, cum hoc motu & dubio iam ſimile ſit abijciendo capiti. Solent enim deriſores illi ſimul labium porrigere & ſimul caput mouere, vt monſtretur, quomodo ira legis exaggerata & vehementer amplificata, etiam fidem Chriſti robuſtiſſimã concutiat & tremefaciat, vt videmus in morituris. At iſta concuſſio cum ſit periculum amittendi Chriſti, in quo vno ſita eſt ſalus eius, incredibili cruce torquet animam, Sic & Chriſto ſuum caput, id eſt, Deum mobile fecerunt, vt ſimilis nutanti clamaret, Eli Eli lama azabthani. *1 Cor. 1.*

Infernum & ſupernum labium.

Nec ſolum per verbum legis, quod infernum labium eſt, caput hoc mouent, ſed multo maxime per Euangelium quod ſupernum labium eſt, quod fit iſtis & ſimilibus verbis, Nemo venit ad me, niſi Pater meus traxerit eum, Et iterum, Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus, eradicabitur. Item Semen, quod cecidit ſuper petroſa. His enim fulminibus ſic concutitur anima, vt dubitet an fides ſua ſit ex Deo plantata, vel ex naturalibus ſimulata, Sic enim retrahitur ab ea Euangelij ſolatium in Chriſto, quod ſignificant deriſores, quando porrecto inferno labio ſupernum ſimul reductum, dentibus inuoluunt. *Iohan 6. Matth 15. Luca 8.*

Quintus, Quando cogitat anima Chriſtum non facere niſi quæ Deus ordinarit, & audit illud, Non ſum miſſus, niſi ad oues quæ perierunt domus *Matth. 15.*

Iſrael

Iſrael. Et iterum Non eſt bonum ſumere panem filiorum & dare canibus. Hic ablatus negatur Chriſtus eſſe caput, & in ſolo Deo ſperatur, qui faciat Chriſtum ſibi reddi, Hic ſine Mediatore agitur res, & diſputatur de Dei beneplacito ac voluntate, in quam ſeſe Chriſtus refert, illud dicens, Et qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo, Et dixit mihi, in Iacob inhabita, & in Iſrael hæreditare, & in electis meis mitte radices. Concluditur hic, quod Chriſtus non niſi in electis, idque immutabili Dei præcepto, ſit caput, vbi iam ad ſummum itur prædeſtinationis periculum, hoc eſt, quod hic dicunt. Confidit in Domino, eripiat eum, ac ſi dicant, Chriſtum non eſſe tuum, iam vides, quia deſereris, & dubium an te Deus de numero eorum habeat, quibus Chriſtus caput eſt. De hoc dubio proceditur ad nouiſſimum malum, quod ſequitur.

Confidit in Domino &c.

Sextus & nouiſsimus, eſt dubij prædicti concluſio, Non eſſe eum prædeſtinatum, Et vt præcedenti terrore portæ inferi aperiuntur, & guſtus inferni ſentitur, Ita hoc nouiſſimo iamiam intruditur & abſorbetur, vrgetque puteus ſuper eum os ſuum, & paulominus habitat in inferno anima ſua. Hoc faciunt, quando dicunt, Saluum faciat eum, quoniam vult eum. Neque enim ſimpliciter dicunt, Quoniam vult, poteſt aut nouit, ſed vult, nec ſolum vult, ſed addunt eum, cum nemo dubitet, Deum poſſe noſſe, velle ſaluũ facere, ſed an, & eum velit, hoc moliuntur illi dubium, imo nihil facere. Hic igitur cum ſceleratis & perditionis filijs reputatur, nec tunc aliud ſentit homo miſer. Hic blaſphemiæ & murmura, & maledicta prope ſunt in ianuis, & Deus incipit iudicari iniquus, ſæuus & crudelis, & ea quæ his malis comitantur.

Pſal. 69. *Saluum faciat eum.* *Iſa. 53.*

Quid ergo hic faciet anima anguſtijs pleniſſima & victa penitus? Ante omnia caueat, ne cum cogitationibus & dæmonibus ſuper ijs rebus diſputet nec reſpondeat, ſed obſurdeſcat ad iſta obiecta, ſinatque præterfluere. Sicut illi Dan. 3. cum rex Babylonis dixiſſet, Et quis eſt Deus, qui eripiat vos de manu mea? Dixerunt, Non oportet nos de hac re reſpondere tibi. Ecce enim Deus noſter, quem colimus, poteſt nos eripere de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, ô Rex, liberare, Quod ſi noluerit, notũ ſit tibi Rex quia Deos tuos non colimus. Sic oportet piam animã velle neſcire Dei ſecretum ſuper ſe, nec ſcrutari maieſtatẽ, ne opprimatur à gloria Prou. 25. nec permittere, vt inducatur ad hoc impoſſibile, quo pelagus inſcrutabile diuinæ ſapientiæ exhauriat & Deum teneat. Hoc n. conantur dæmones, dum vrgent, vt homo certus eſſe cupiat & curet de ſua prædeſtinatione, Ein ſchrecklicher fürwitz iſt das.

Socij Danielis. Daniel. 3. *Prou. 25.*

Ita & Chriſtus prorſus tacet, & ne ſyllabam quidem ijs blaſphemijs reſpondet, Nobis in exemplum, vt & nos ita faciamus. Neque enim alia via vincemus hoc mali, quam qua Chriſtus vicit, Etſi arduum ſit hic tacere, quieſcere & ſinere, vt irritantiſſimæ & acerrimæ voces præterfluant, Tamen cum non ſit alia ratio, laborandum & audiendum illud Eſa 7. Vide vt ſileas. Et 30. In ſilentio & ſpe erit fortitudo veſtra. Et Thren. 3. Bonum eſt præſtolari cum ſilentio ſalutare Dei, ſedebit ſolitarius & tacebit, quia leuauit ſuper ſe, ponet in puluere os ſuum, ſi forte ſit ſpes. Hoc n. ſilentium ſaluberrimum Satan iniquiſſime ferens, ſummo illo tumultu interturbare nititur, ne ergo Chriſti exemplo ab oculis vnquam ſeponat.

Chriſtus ad blaſphemias Iudæorum tacet. *Eſai. 7. 30.* *Thren 3.*

Deinde fide contra fidem pugnet, Cum enim fides ſit rerum non apparentium & ſubſtantia ſperandarum, vehementer repugnat, imo fidem expugnat curioſitas iſta ſcrutandæ maieſtatis, poſſe & noſſe ſaluare Deum, non eſt fides in hac hora, id enim experimento euidentiſſime ſentit. Item S. Petrum ſaluum fieri Deo volente, & omnes Sanctos & Electos æque, iam non credit, ſed ſcit, Verum te & me velle ſaluũ facere, hoc non apparet, nec apparere debet, Hæc voluntas incomprehenſibilis eſt & eſſe debet. Ideo ſola fide hic opus eſt, & ea fide, quæ non dubitet Deum facere & facturum eſſe ſecum, quod iu-

Fidei pugna contra fidem. *Fides non dubitans.*

ſtiſſimum fuerit, ſiue ſeruet, ſiue perdat. Hic enim manet gloria & laus Dei in ore noſtro, cum Deo non niſi iuſticiam tribuimus in omni voluntate eius, etiamſi hanc ipſam iuſticiam non videamus, ſed tantum credamus, tam potenter contrarium ſuadente humano affectu & dæmonum perſuaſione. Impoſſibile autem eſt eum perire, qui Deo gloriam tribuit & eum iuſtificat in omni opere & voluntate ſua, ſicut 1. Reg. 2. Quicunque glorificauerit me, glorificabo eum. 1. Reg. 2.

Tentatio de prædeſtinatione. Manifeſte ergo patet, nequitiam Satanæ eſſe hanc tentationem de prædeſtinatione, tantum vt fidem extinguat, cui conſilio Apoſtoli, ſcuto fidei occurrendum, & tela huius iniqui ignita in eo extinguenda. Vere iniquus, id eſt, verſutus eſt, & ignita ſunt eius iacula in hac hora nouiſſima, quia aſtutiſſime hominem retrahit ab ijs, quæ non apparent, vt ſtatuat eum in ijs, quæ apparent. Vult enim hominem facere & iudicare ſecundum quod ſentit, non ſecundum id quod non ſentit. Sentit autem ſeſe derelinqui, & non ſentit ſeſe prædeſtinati. Si ergo ſecundum ſenſum agat, ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus, non poteſt fieri vt ſeruetur. Agat ergo ſecundum fidem, id eſt, inſenſibilitatem, & fiat truncus immobilis ad has blaſphemias, quas in corde ſuo ſuſcitat Satanas. Non enim ſua ſunt, ſed Satanæ eiuſmodi obiecta & ſenſa cordis. De hoc ſatis.

Quoniam tu es qui extraxiſti me de ventre, ſpes mea ab vberibus matris meæ.

In te proiectus ſum ex vtero, de ventre matris meæ Deus meus es tu.

Hic incipit miteſcere tribulatio & ad victoriam inclinare ſpes, ſatis tenui, anxieq; quæſito & inuento ſuſtentaculo. Poſtquam enim ſine exemplo ſeſe pati ſenſit, vt nihil eum iuuerint inſpecta mirabilia Dei patribus exhibita. Ad propria venit, & in ijs apprehendit Dei beneuolentiam, quæ ſibi ſoli ſingulariter aliquando exhibuit. Vt qui ſingularis fuit præ toto Iſrael in omnibus alijs, etiam ſingulariter paſſus, ſingulariter ſaluaretur. Itaq; inuenit tandem omnibus fruſtra luſtratis, mirabilia Dei in ſeipſo geſta, & his ſeſe animat ad fiduciam orandi & deprecandi, vt ſequetur, ſcilicet tam acute & exquiſite quærere docet anguſtia & tam tenues rimas. *Mirabilia Dei patribus exhibita.*

Sententia ingeminata. Duobus autem verſibus repetit & inculcat hoc opus Dei, quo eum de ventre eduxit, vt ſpem firmet & ſeſe corroboret. Sic enim ſolet anxius repetere id quo nititur, vt fixa mente in Deo perſeueret. Hic enim vere ingeminatur ſententia propter vehementiam affectus. Quo autem efficacius infigat opus Dei in corde ſuo, non ſimpliciter natiuitatem & educationem ſuam recitat, ſed periphraſi, imo definitione alijsque figuris eas explicat. Natiuitatem appellans extractionem ſui de ventre, & educationem ſui, ſpem ad vbera matris &c. Credendum eſt enim hoc dici in ſingulare miraculum Dei commendandum, quo ſupra naturam conceptus eſt de ſpiritu ſancto, natus ex virgine matre. Vt emphaſis ſit in verbo, extraxiſti, & epitaſis in ventre, hoc modo.

Natiuitas filiorum hominum. Cæteri filij hominum de mare & fœmina naſcuntur, vtrinſq; ventre, non modo non inuito & renuente, ſed libidinoſo impetu cogente & confluente, fœtumq; effundente e penetralibus naturæ. Me vero de ventre caſto & ſterili (quia virgine) qui non modo nõ fluxit ſponte, ſed non niſi repugnante natura, tuamq; ſolius manum patiente extraxiſti. Sicut enim apis e flore trahit fauum prudentiſſime, florem non violans, ita Spiritus ſanctus e ventre virginis, non violans, extraxit Chriſtum, Ita habentem vere naturam carnis ſine peccato, ſicut fauus habet naturam floris ſine corruptione. Non ergo natura effudit hunc partum, ſed Deus extraxit & ſuxit e natura, incorrupta & inuiolata ipſa. De nobis vero dicitur craſſum illud Iob. 10. Sicut lutum feciſti me, nonne ſicut lac mulſiſti me? & ſicut caſeum coagulaſti me. *Chriſtus ex ventre virginis extractus.* Hiob. 10.

Vbi

Vbi carnis generationem pene impudenter, niſi ſpiritus pudiciſſimus loqueretur, ediſſerit.

Et de ventre inquit, Non vtique de lumbis viri extraxiſti me, Vt mater *Generatio carn…* virgo fuerit illæſa in conceptu & partu, & ego ſingularis præ cæteris ſine peccato & merito tantarum tribulationum conceptus & natus. Innocentiam enim hic ſuam intuetur, qua & conſolatur ſeipſum, videns quod nihil in eo eſſet quare pateretur, ſed aliorum tantum peccata ferret, ſicut alio Pſal. dicit, Congregata ſunt ſuper me flagella & neſciui, id eſt, non eram mihi conſcius meritorum flagellorum.

Spes mea ad vbera matris meæ, id eſt, Qui me feciſti ſperantem etiam tum, cum ad vbera matris meæ penderem & alieno officio alerer, velut impos mei ipſius, hoc eſt, ab initio mei, Quanto magis nunc me non deſeres in finem, qui tunc mei curam habuiſti ſolus, etiam nunc idem & ſolus habebis, quando *Spes gratiæ opus non naturæ.* iterum mei impos & ſolus ſum. Iterum hic Chriſtum ſine peccato iſte Verſus facit, dum eum ſperaſſe docet, etiam infantem, cum ſpes ſit gratiæ non naturæ opus, id quod non conuenit cæteris filijs hominum, qui naſcuntur filij iræ & *Ephe. 2.* diffidentiæ, Quos cum & ipſe curet gratuito munere, non tamen ſperantes & ſpiritu plenos facit, donec alia natiuitate immutentur & extrahantur denuo de ventre Eccleſiæ, tum ad vbera eiuſdem ſperent in eum, vt id in ſpiritu quod Chriſtus carne & ſpiritu.

Idem eſt quod ſequitur, *In te proiectus ſum ex vtero*, per repetitionem (vt dixi) poſitum, niſi quod clarius explicat ſpem Chriſti in Deum, Proijci enim ſuper Deum, eſt prorſus ſeſe committere & (vt dicunt) reſignare cum fiducia *Proijci ſuper Deu.* *Pſalm. 55.* in manus Dei, ſicut Pſal. 55. docet. *Iacta ſuper Dominum cogitatum tuum* (id eſt, *1. Pet. 5.* curam ſeu ſolicitudinem tuam) & ipſe te enutriet. Et 1. Pet. 5. Omnem curam *Pſal. 40. 27.* proijcientes in eum, ſcientes quoniam ipſi cura eſt de vobis. Et Pſal. 40. Ego autem egenus & pauper ſum, & Dominus ſolicitus eſt mei. Et 27. Pater meus & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem ſuſcepit me. Tale eſt quod & hic Chriſtus ſeipſum exhortans commemorat Deum fuiſſe curatorem & tutorem ab infantia, quam dulcibus & intenſis periphraſibus recitat, ventrē, vterum, vbera nominans. Valde enim conſolantur hæc opera Dei, intento ſtudio ruminata, Vt ſi diceres in Chriſti Perſona, adeo mei fuiſti ſolicitus Deus, vt in ventre matris me formares, Deinde mox vt haberem vnde formatus viuerem & alerer, lacte repleuiſti vbera matris, & gremio ſinuque eius me fouiſti.

Similibus affectibus pulchre ludit Aug. ſuarum Confeſſ. 1. laudans & admirans creationem ſui (vt dicit) ſuſcipientes ſe miſerationes Dei *Auguſtinus Lib. 1. Confeſſ.* *Pſal. 139.* per miniſterium matris. Et Pſal. 139. Non eſt occultatum os meum, quod feciſti in occulto, & ſubſtantia mea in inferioribus terræ. Imperfectum meum viderunt oculi tui &c. Quæ cogitationes licet pueriles ſint & muliebres, tum vehementer intempeſtiuæ, vt quæ non loco ſuo memorentur in tantis malis (ſic enim ſapientia carnis de neglecto decoro cauſatur, quæ virilia cogitare doceret) Tamen experientia, imo exemplum Chriſti hoc loco nos recte inſtituit, in mollibus iſtis & delicatiſſimis operibus Dei memoriam noſtram inuoluere &, inter duriſſimas robuſtiſſimasque offas iræ & flagelli Dei, recurrere ad molliciem lactis, ventris, affectus materni, & omnium tenerrimarum illarum *Mollia & delicatiſſima opera Dei.* miſerationum, infantili ætate exhibitarum, Vt ſicut in die malorum, memores eſſe iubemur bonorum, Ita in die robuſtorum memores ſimus tenerrimorum, & dum patimur viri, recordemur eorum, quæ accepimus pueri.

Breuiter, quam potens & efficax ſit iſta memoria lactis, affectus & ventris materni, & quam tunc omnia fiant caſtiſſima & electiſſima, quæ extra tentationem, vel fœda vel contempta ſunt, experientia & affectus ſolum docent,

Chriſtus ad vbera matris pendens.

Chriſtus ad vbera matris pendens vel in præſepio poſitus, ſi intento corde cœperit ſpectari, quod malum non mox fugat, quam infirmitatem non confortat? Fac periculum & intelliges, quid ſit diuinam illam Maieſtatem videre verſantem in puerilibus, id eſt, infirmis & fere ludicris operibus, & ad ſpectaculum magis, quam ad ſerium aliquod paratis.

Solus tamen Chriſtus dicit, In te proiectus ſum ex vtero,

Nos in diabolum proijciamur ex vtero &c.

cum nos in diabolum proijciamur ex vtero, quo ad vitam ſpiritus, licet & nos in Deum proijciamur, quo ad vitam naturæ, Ipſe enim vult omnes homines ſaluos fieri, Et multiplicat gratiam ſuam, vt ſaluet homines & iumenta, aperiens manum & implens omne animal benedictione, Ita & ſolus Chriſtus dicit, *De ventre matris meæ Deus meus es tu*, cum nos idolatræ naſcamur in peccatis concepti & aliti. Sic innocentiam ſuam & Patris tenerrimam ſolicitudinem contemplans, paulatim tecedentibus maioribus cruciatibus animi, venit ad cruciatus corporis, iam longe fortioribus affectibus orans quam à principio, vbi ſe derelictum & non exaudiendum conqueſtus eſt, Iam vero & orare incipit & ſperare exauditum iri ſeſe, licet alio modo, quam à principio narrauit, eruditus enim, ſcit ſeſe exaudiri non ad hanc vitam ſeruandam, ſed meliorem reddendam, dicit itaque. 1.Tim. 2.

Ne diſceſſeris à me, quoniam tribulatio proxima eſt, quoniam non eſt qui adiuuet.

HIerony. & Ebræus, Ne longe ſis à me, Non enim ſignificat Deum diſcedentem quaſi prope fuerit, cum ſuperius derelictum ſeſe clamarit, ſed id potius vult, Ne Deus perſeueret longe eſſe, ſed approperet tandem, qui iam nimio diſceſſerat, id quod & ſequens ſequentia indicat, Quoniã tribulatio proxima eſt, quæ proxima non eſſet, niſi Deus longe diſceſſiſſet. Accedat ergo Deus vt diſcedat tribulatio, prope fiat ipſe, vt iſta longe fiat. Nã

Tribulatio propinqua.

tribulatio propinqua, non intelligitur de tempore quaſi futura ſit de proximo, ſed de violentia, intenſione & vehementia ceu loco, quod non ſit amota ab eo, imo violenter inſtet, & premat eum, vt ſequitur, ſeipſum exponens, Quoniam non eſt adiutor. Sicut ſuperius, ſalutẽ longe poſitam queritur, non tempus ſed intenſionem paſſionis ſignificans, Ita & hic ſentiendum. Et hic vides, quomodo omnes videntes, qui deriſerunt eum, pertineant ad perſecutores, Quia licet mater & amici præſentes eſſent, tamen quaſi non eſſent, videbantur, cum nullus eorum adiuuaret, quod & ipſam auxit tribulationem potius quam mitigauit, eum iam & ſuper eos pateretur, & illi ſecum cruciarentur animo.

Circundederunt me vituli multi,
Tauri pingues obſederunt me.

HIc incipit ordine narrare, quæ ſit tribulatio illa proxima, & quomodo non ſit qui adiuuet. Quia, inquit, ſolus ſum in medio multorum vitulorum & pinguium taurorum, id eſt, ferocientis populi iudaici & principum eius. Non ſolum enim non eſt qui adiuuet, ſed nec fugere poteſt vndique obſeſſus, vt Pſal. 2. Quare fremuerunt gentes & populi meditati ſunt inania, Aſtiterunt Reges terræ & Principes conuenerunt in vnum, Populum enim vitulos vocat, & tauros Baſan, principes, vt e Pſalm. 68. patet, Congregatio taurorum in vaccis populorum.

Vituli & pingues Tauri.

Pſal. 2.

Pſal. 68.

Sed nunquid impatiens Chriſtus, contumelijs retaliat ſuos perſecutores, dum eos vitulos & tauros vocat? Nequaquam, ſed allegoricis nominibus breuiſſime & mores & violentiam eorum, tum cauſam quoque paſſionis ſuæ oſtendit. Vitulus enim & taurus, Doctorem & verbi miniſtrum ſignificat, vt 1. Cor. 9. probatur, Non alligabis os boui trituranti, Nam & ſeſe Chriſtus videtur

Non alligabis os boui trituranti. 1.Cor. 9.

videtur eadem allegoria hic vitulum & taurum ſubindicare, dum ſe vnicum vitulum inter multos vitulos & vnicum taurum inter pingues & craſſos tauros pati queritur. Sic enim Gen. 49. de eo ſcribitur. In furore ſuo occiderunt Virum, & in voluntate ſua ſubneruauerunt Taurum, quod corrupte legimus, ſuffoderunt murum, vitio Scriptoris facile taurum in murum vertentis. Et Pſal. 68. Placebit Deo ſuper vitulum nouellum, cornua producentem & vngulas (id eſt, ſuper Chriſtum paſſum, & Euangelica prædicatione clarificatū.)

Gen. 46. *Pſal. 68.*

Cauſa ergo paſſionis, eſt verbum doctrinæ ſiue miniſterium Euangelicum, propter quod ab initio mundi in finem inſaniunt Magiſtri humanarum legum & miniſtri operum, ita & Chriſtus ob ſolam doctrinam occiſus eſt, non niſi ab impijs illis Magiſtris populorum. Porro quod illos multos, craſſos & pingues facit, ſeſe vnicum tenellumque ſine adiutore, hoc eſt quod diximus ſæpius, Impios adipem ſuum concludere. Pſal. 17. multitudine & magnitudine niti, vbi veritate inanes ſeſe viderint, & cum ratione vincere nequeant, vi & tumultu opprimere pauperes & ſolitarios verbi miniſtros. Id vnicum enim habent ſuæ impietatis argumentum. Quod multi & magni ſtent à ſua parte, & ſolus ſit verbi miniſter, cum Scriptura contra hoc ipſum accuſet, & ſuum argumentum faciat contra ipſos ſtare. Itaque verbi Apoſtolos erudit ſpiritus, hoc exemplo Chriſti, vt ſciant multitudinem vulgi, & altitudinem mundi aduerſarios ſeſe habituros, ne in hoc ſcandaliſentur. Sic Pſalm. 119. Principes perſecuti ſunt me gratis. Et iterum. Etenim ſederunt principes, & aduerſum me loquebantur.

Cauſa paſſionis Chriſti. *Pſal. 17.* *Argumentum impiorum doctorū.* *Pſal. 119.*

Apte autem ſingulis ſua tribuit, Populum vocat par, quem & alemanice dicemus phar, bouem ſcilicet iuuenem, iuuencum, robuſtum & laſciuum atque adeo indomitum, quod vulgus & multitudo populi robur ſit ſine intellectu, ſine iudicio, ſineque diſciplina, Quis enim beluam illam commotam domet aut ſedet? Vnde & Pſal. 2. fremitum & tumultum illis tribuit dicens, Quare fremuerunt, id eſt, tumultuatæ ſunt gentes, Deinde multos vitulos dicit, quod vulgus ſola multitudine conſtet ſine iudicio (vt dixi) tantum ad incurrendum & tumultuandum idonea, moderationis plane impatiens & expers. Principes vero tauros baſan, id eſt, pingues appellat.

Multitudo populi. *Pſal. 2.* *Multi vituli. Tauri Baſan.*

Et ſatis infamis eſt Baſan, ſiue terræ vocabulum proprium, ſiue generale pinguedinis acceperimus, Diuitias enim, opulentiam, voluptatem, potentiam, gloriam, & quidquid in mundo craſſum & eminens eſt ſignificat, vt rex Moab, Eglon, Iud. 3. Amalech, & Agag, 1. Reg. 15. Et pingues Iſrael. Pſalm. 78. & Og rex Baſan figurant, Igitur multitudo, magnitudo, altitudo, opes, fauor, delitiæ, gloria, hoc eſt, totus mundus aduerſatur Euangelio Dei & miniſtris eius, ſolitarijs, paruis, paucis, humilibus, pauperibus, afflictis, contemptis & odioſis. Epithaſin illam, Circundederunt, obſederunt, ſatis in Pſalmis ſuperioribus diximus, ne vbique omnia eadem repetamus.

Baſan. *Iud. 3.* *1. Reg 15.* *Pſal. 78.* *Aduerſarij doctrinæ Euangelij.*

Aperuerunt ſuper me os ſuum.
Sicut Leo rapiens & rugiens.

HOc fecerunt, quando clamauerunt, Tolle, tolle, crucifige eū, de quo & Iere. 12. Facta eſt mihi hæreditas mea quaſi Leo in ſylua, dedit contra me vocem, ideo odiui eam, Indicat enim Propheta impetuoſam & præcipitem iram Iudæorū, Quod ſicut Leo rugiens & rapiens aperto ore, nō tentat aut cogitat, quid facturus ſit, ſed anhelo impetu id vnum agit, vt rapiat, laceret & deuoret, ita impij in Chriſtum pontifices, præ furia, neq; cogitant, neq; vident, neq; audiunt quid faciant, aut faciendum ſit, Sed hoc vnum anhelant, vt quantotius & quā crudeliſſime perdant, Maioris enim furoris ſignificatio eſt, quod os Leonis apertum, quam vngulas porrectas dicit, non

Ierem. 12. *Ira Iudæorum contra Chriſtum.* *Os leonis apertum.*

enim laceraſſe & occidiſſe Chriſtum ſatis erat Iudæis,ſed deuoratum & abſor-
Affectus impiorum contra pios. ptum voluerunt,vt eius memoria aboleretur de terra penitus. Sic eſt omnis
impius affectus contra pium. Prouerb.1. Deglutiamus innocentes,ſicut infer- *Prou. 1.*
nus viuentes & immaculatos,ſicut deſcendentes in lacum. Sic Pſalm.7. Ne *Pſal. 7. 10.*
quando rapiat ſicut Leo animam,& 10. Sicut Leo in ſpelunca ſua,& 17. Simi- *Pſal. 17.*
litudo eius ſicut leonis deſiderantis rapinam. Hoc autem verſu in Ebræo non
additur aduerbium, ſicut, ſed abſoluta allegoria appellat populum Iudæo-
rum,leonem rapientem & rugientem, forte propter epitaſin furoris Iudaici
indicandam.

Sicut aqua effuſus ſum,& diſperſa ſunt omnia oſſa mea, factum eſt cor meum ſicut cera liqueſcens in medio ventris mei.

HAnc effuſionem Chriſti aptant multi ad ſanguinem eius,
quod præ cæteris liquoribus aqua ad nouiſſimas vſq; guttas penitus ef-
funditur,ita ſanguis Chriſti penitus ſit de corpore exhauſtus. Verum hoc
hominis commentum eſſe videtur,ad craſſos tantum olei & mellis liquores
reſpicientis,cum & vinum & alij multi liquores non minus quã aqua penitiſ-
ſime effundantur. Melius diceretur,ſi hunc ſenſum acceptes,ſanguinẽ Chriſti
copioſiſſime,prodigaliſſime & viliſſime eſſe effuſum ſicut aquam, qua nihil
vilius & prodigalius effunditur,vt intelligas ſanguinem Chriſti contemptiſſi-
Sanguis Christi & sanctorum viliſſime effunditur. mum & nullius precij fuiſſe in oculis fundentium illum,Sicut Pſal. 79. eodẽ *Pſal. 79.*
ſenſu dicitur, Effuderunt ſanguinem ipſorum tanquam aquam in circuitu Ie-
ruſalem,Cæteri enim liquores cum cura & obſeruatione & alijs vaſis excipi-
entibus funduntur,vt vinum,oleum,balſamum,myrrha & ſimiles.

Mea tamen ſententia, etiam vel magis propriè ad totum Chriſtum iſta
pertinet effuſio, Quo modo 2. Reg. 14. dicitur, Omnes morimur, & quaſi *2. Reg. 14.*
aquæ dilabimur in terram,quæ non referuntur, Et Gene. 49. Sicut aqua effu- *Gen. 49.*
ſus es,non creſcas,Quo ſignificetur Chriſtus,ſicut aqua viliſſime proiectus,&
omnibus paſſim ad proijciendum expoſitus, Et quod magis affectum præſen-
tem attingit,qui à nullo exceptus & reſeruatus,ſed velut deſperata reſurrecti-
one irrecuperabiliter proiectus ſit,ſicut aqua profuſa denuo non colligitur.
Deſpectus & nouiſſimus virorum. Eſa. 53. Quibus verbis ſignificat,qualis eſſet in oculis hominum præſertim iuſtorum
& optimorum,nam illis videbatur actum eſſe de eo, quod à nemine vel ſer-
uandum vel denuo reducendum ſperabant,ſicut illi Lucæ vlt. Nos ſperaba-
mus,quod ipſe eſſet redempturus Iſrael.

Quod ſi & hoc velit quiſquam his verbis ſignificari,quod effuſus ſit viri-
bus,hoc eſt,vt Daniel loquitur,nihil in eo relictum ſit virium, ſed exinanitus
profuſiſſime,& viliſſime,ſicut aqua, omnibus viribus effuſis, fuerit non niſi
inane infirmitatis vaſculum,qui ante erat omni virtute pleniſſimus, Sic enim
& Petrus appellat mulierem vaſculum infirmius. Et hoc verbo velut generali *1. Pet. 3.*
themate incipiat paſſiones ſenſuales narrare,quas deinceps ordine ſingulatim
perſequebatur. Hic Lectoris arbitrium eſto,mihi hic ſenſus pene omnium
potior eſt.

Diſperſa ſunt omnia oſſa mea,id eſt,diuiſa,ſeparata ab inuicem, Quod
etſi ad crucifixionem videatur pertinere, arbitror tamen infra de hac re dici,
Dinumerauerunt omnia oſſa mea, Et hic effuſam virtutem declarari,quæ erat,
quod oſſa tum terroribus prædictis ex interna ſpiritus anguſtia, tum externis
paſſionibus eſſent infirmata,vt nullum os alterum iuuaret, ſed velut ſeiun-
ctæ eſſent compages,quodlibet per ſe infirmaretur, Sanis enim ac robuſtis
oſſa ſic ſunt compacta,quo alterum altero mutuis officijs iuuatur. Et experi-
entia docet,vehementer ægrotis aut ſupra modum exercitis,oſſa debilitari &
grauari,

grauari, vt nulli operi ſint idonea. Non ergo ſunt oſſa Chriſti diſperſa, quod ab inuicem fuerint ſeparata, ſed officia oſſium ſeparata ſunt, & mutuo ſeſe dereliquerunt in toto corpore.

Factum eſt cor meum ſicut cera liqueſcens in medio ventris mei, Non eſt proprie venter in Ebræo, cum cor non ſit in ventre, ſed in viſceribus ſeu inteſtinis, in ijs enim cor ſub pectore reconditum eſt. Pertinet autem & hæc afflictio non ad ſpiritum, ſed ad ſenſum, qua cor, organum ſcilicet primum ſpiritus, ſpiritualibus illis & ſenſualibus cruciatibus contritum, tremit, nutat, ac fluctuat etiam ſenſibili motu. Quæ frequens eſt querela per Pſalterium, Pſal. 40. Et cor meum dereliquit me. Et 38. Cor meum conturbatum eſt, cuius verbi mira eſt emphaſis, quæ liquentis ceræ allegoriam hoc loco tributam cordi, abunde implet, ſignificans cor verti, reuerti, volui & agitari, inſtar trochi, vt nuſquam inuenire poſſit quietem. Medici tremorem cordis habent, ſed diſſimilem huic quantum ad affectus & cauſas attinet, Hi enim qui confidunt & iucundi ſunt, dicuntur corde confortari, velut rupes ſolida indurari & immobiliter ſtare, vt Pſal. 27. Expecta Dominum, viriliter age & confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum. Ita econtra contritis & exterritis cor molleſcit & labaſcit, vt ſimilis ſit ceræ liquenti. Econtra de impijs tabeſcentibus & conturbatis Mich. 1. Sicut cera à facie ignis, & ſicut aquæ decurrunt in præceps. Et Pſal. 68. Sicut fluit (id eſt) liqueſcit, tabeſcit eodem hoc verbo) cera à facie ignis, ſic pereant impij à facie Dei.

Pſal. 40. 38. — *Sedes cordis.* — *Tremor cordis.* — *Læti corde confortantur, Triſtibus cor molleſcit.* — *Pſal. 27.* — *Mich. 1.* — *Pſal. 68.*

Quam tabeſcentiam Pſal. 39. ſic eloquitur, Propter iniquitatem corripuiſti hominem, Et tabeſcere feciſti, ſicut araneam animam eius, vbi idem verbum liqueſcendi ponitur, hoc modo, Tabefeciſti ſicut tineam deſiderium eius. Volunt autem id verbi proprie ſignificare exuſtionem, areſactionem, exiccationem, qualia fieri ſolent ab igne magno, Sic Iſa. 64. à facie tua montes defluerent, & ſicut exuſtio ignis tabeſcerent, & aquæ arderent igni, Vt & hoc verſu dici poſſit, factum eſt cor meum ſicut cera tabeſcens, quod cera ſit ignis impatientiſſima, nec niſi ad conſumptionem exiccationemque ſui ad ignem adhiberi poſſit. Ita hic Chriſtus cordis ſui defectum, imminutionem, tabeſcentiam ante faciem internæ illius & externæ paſſionis indicare putandus eſt.

Pſal. 39. — *Iſa. 64.* — *Cera ignis impatiens.*

Quod autem, In medio inteſtinorum addit, periſſologia eſſe videtur, qua vti ſolent queruloſi & afflicti, niſi dictum ſit ad differentiam earum paſſionum, quæ ab extra inuadunt, & per obiecta & ſenſum affligunt, ab ijs, quæ ab intra torquent, ſpiritualibus illis prædictis, quæ ſine obiectis ſenſu perceptis, incomprehenſibili tamen modo, cor intus comprehendunt, tabefaciunt & ad nihilum redigunt, Vt ſentiat ſeſe perire quidem & tabeſcere, nec poſſit tamen dicere aut intelligere, vnde veniat aut quo vadat ſpiritus ille procellarum, Id quod facit, vt nec fugam nec remedium quærere poſſit, ſed in medio ſeſe relinquere cogatur.

Paſſiones externæ & internæ.

Aruit tanquam teſta virtus mea, & lingua mea adhæſit faucibus meis,
Et in puluerem mortis deduxiſti me.

PRoſequitur paſsiones ſenſuales (vt dixi) Mira autẽ metaphora teſtæ aridæ ad virtutem infirmatam, Eſt hoc loco virtus mea, Cohi, id eſt, energia, efficacia, operatio ſeu virtus executiua, Vt ſit ſenſus, Effuſis omnibus oſſibus, humiliatis viribus, corde tabefacto, inutilis factus ſum ad omne opus, prorſus nihil facere poſſum vniuerſis membris meis, vt ſi etiam aliquid cogitauero & dictauero faciendum, deeſt tamẽ virtus, quæ id impleat, & faciat. Quando enim ſpiritus præſens fuerit, exultat homo & germinans germinat, ceu arbor fructuoſa fructus plurimos & proſpere agit, & virtus eius roboratur,

Cohi.

ratur, Sicut Prouerb. 20. dicit, Exultatio iunenum virtus eorum, At ſpiritu re- *Prou. 20.*
cedente & corde tabeſcente, areſcit & deſinit operari, ſicut arbor areſcens deſinit fructificare.

Chriſtus exhauſtus ſucco teſtæ aridæ comparatur.

Chriſtus vero vehementem ſuam infirmitatem notam facturus, comparat ſuam ariditatem non arbori areſcenti, ſed teſtæ aridæ, qua nibil eſt aridius & ſucco inanius & ſiticuloſius, Sic enim exhauſtus fuit omni vitali ſucco & incremento naturali, vt totus aridus & ſiticuloſus eſſet, de qua re Iſa. 53. videtur loqui. Et ſicut virgultum coram eo, & ſicut radix de terra ſitienti. Nam ex hac arida teſta & infirma infirmitate creuit illa arbor ſucculentiſſima, florentiſſima, fructuoſiſſima Eccleſia, Non ergo hæc arida virtus infirmitatem, morbum aut aliquod poſitiuum, ſed impotentiam operandi, priuatiue ſignificat, ad quam mox ſequitur illud. *Iſa. 53.*

Chriſtus in cruce ſitiuit &c.

Lingua mea adhæſit faucibus meis, quod non eget interpretatione, Teſta enim arida, ſiticuloſa & bibula eſt, Ita Chriſtus in cruce præ ariditate ſitiuit Venit autem & iſta ſitis & ariditas magis ex ſpiritualibus illis anguſtijs, quam ex corporalibus afflictionibus. Incredibile eſt enim, quam extorreat, exiccet, tabefaciat ſubito omnem ſuccum vitalem ea tribulatio per omnia membra præſertim in lingua, in qua potiſſimum ſentitur ea ſiccitas, Vt non inepte hoc verbum tabeſcendi à nomine hamaſim, quod magnum & excellentem ignem, vel econtra hamaſim ab hemes, quod liqueſcere, tabeſcere, extorreri, exiccari diximus ſignificare. Eſt enim hic ignis, quem ſenſerunt illi qui dixerunt Deut. 18. Vltra non audiam vocem Domini Dei mei, & ignẽ hunc maximum amplius non videbo, ne moriar. Et 5. Probauimus hodie quod loquente Deo cum homine, vixerit homo, Cur ergo moriemur & deuorabit nos hic ignis maximus, Hinc Deus noſter, ignis conſumens vocatur, Deut. 4. & Ebr. 12.

Hamaſim. *Deut. 18. 5.* *Deut. 4.* *Ebre. 12.*

Puluis mortis.

Et in puluerem mortis deduxiſti me, ſeu poſuiſti me, Hoc velut Epiphonema dici videtur, quo in ſumma concludit, omnes paſſiones eo pertingere, vt in puluerem mortis iret. Quis eſt autem iſte puluis mortis? Puto figurate hoc dici pro eo, quod eſt ad nihilum, quod eſt in morte, vt puluis metaphorice nihilum ſignificet Sic Pſal. 7. Puluerem ignominiæ indicare videtur, dum dicit, Et gloriam meam in puluerem deducat. Et 3. Reg. 16. Puluerem paupertatis ſonat dicens. Exaltaui te de puluere & poſui te ducem populi mei &c. Et Hiob. 7. puluerem ægritudinis, Indutа eſt caro mea putredine & luto pulueris &c. Sic videtur eſſe Scripturæ tropus proprius, puluerem accipere pro re ad nihilum redacta.

Pſal. 7. *3. Reg. 16.* *Hiob. 7.*

Quoniam circumdederunt me Canes multi,
Concilium malignantium obſedit me,
Foderunt manus meas & pedes meos.

ENumeratis duobus paſsionum generibus, ſcilicet ſpiritualium & ſenſualium, Hic tertium & vltimum enumerat corporalium ſeu membrorum, & ad membra pertinentium, ſcilicet veſtium & nuditatis. Nomen multi, ſuperfluit, Et Hiero. pro canibus, venatores reddidit. Forte gratia explicandi & ſatisfaciendi titulo, vt canes venaticos & Ceruam captam & laniatam intelligamus. Plana autem ſunt omnia ex Euangelijs abunde cognita. Circundederunt enim corpus eius, ceperunt, tenuerunt, & illuſerunt, tandem & foſſis manibus & pedibus eius crucifixerunt.

Sed nunquid & hic conuitiatur Chriſtus appellans eos canes & malignos? Sed conuitia non ex nominum ſpecie aut ſono, ſed affectu animi æſtimanda ſunt. Conuitium enim non eſt, quod ſine ira & odio profertur. Nam & Paulus Iudæos vocat canes, malos operarios, inimicos crucis, *Philip. 3.*

Canes.

Et

Et Chriſtus ſtultos Apoſtolos, Sic è diuerſo laudes & præconia, ex animo, non voce probantur. Ideo canes hic appellat, qui cum iniquis latratibus, morſibusque corã Pilato accuſauerunt, lacerauerunt, & in manus Gentium ad mortẽ crucis tradiderunt, cum hoc non niſi ex mera malitia ſeſe facere ſcirent & ipſi, *Canum rabies & ira.* Nota eſt autem huius animalis rabies & ira, quo ingenio ferme differt ab alijs animantibus, vnde & Iudæorũ furor & rabies ea metaphora fuit ſignificanda.

Locus hic à Iudæis impie deprauatus. T*Ractemus autem parumper & nos contentioſum hunc locum, Foderunt manus meas & pedes meos*, ne penitus intactum præterijſſe videamur, Iudæi pertinaciter hic legendum contendunt, non foderunt, ſed ſicut Leo, cauſati, quod verbum, foderunt, Ebraice ſcribatur per caph & res & he, ſine aleph, cum hoc loco aleph ponatur inter caph & res, & legatur Caari, non caru. Caari autem ſignificat, ſicut leo, Caru foderunt. Ad hæc affirmant, vocabulum Caari, non niſi bis in tota Biblia repeтiri, hoc Pſalm. & Iſaiæ 38. vbi dicitur. Sicut leo ſic
Iſai 38. contriuit omnia oſſa. In cæteris omnibus locis dicitur, Carie non Caari, vt
Pſal. 7. 10. Pſal. 7. Ne quomodo rapiat Carie animam meam, Et 10. Inſidiatur in abſcondito Carie, id eſt, ſicut leo. Et hoc Pſal. verſu ſuperiore Carie rapiens & rugiens. Nec video quomodo poſſint per grammaticam cogi, Caari, hoc loco, pro
Eſa. 38. foderunt accipere, quando eandem dictionem Iſai. 38. Ipſi nos cogunt pro, ſicut leo, accipere, Certe ſpecies ab eorum parte ſtat fortis, pro nobis nulla, quantum ad grammaticam attinet. Et durum eſt dicere omnes Libros eorum eſſe hoc loco deprauatos, Nam quod punctis aliter variatis legi poteſt Caari & Caaru, non ſatis facit, cum punctis non eſſe credendum ſatis conſtet, vt quæ ſunt recens inuentum.

Nobis qui in Chriſtum credimus, & hunc Pſalmum totum de Chriſto dictum, autoritate Euangelica tenemus, facile eſt probare legendum, foderũt, non ſicut leo, Nos enim non rem geſtam è ſcripturarum myſterijs, ſed ſcripturarum myſteria è re geſta, hoc eſt, veterem ſcripturam Euangelio illuſtramus, & non econtra, & illius ſenſum huius ſenſu comparamus, & in Chri-
Ierem. 23. ſtum ceu duos Cherubim in propitiatorium ſpectare facimus, ſicut dicit Ierem. 23. In nouiſſimis intelligetis conſilium eius. Et ad Moſen, Poſteriora mea videbis. Cum ergo certum habeamus, Chriſti manus & pedes eſſe perfoſſos in cruce, nec minus certum, hunc Pſalmum in Chriſtum quadrare, tum *Chriſti manus & pedes perfoſſi in cruce.* ſenſus mire conſentiat, ac omnino exigat, foderunt legendum eſſe, præſertim cum nullus etiam grammatice rigor huic reſiſtat, abſque contentione & cunctatione legimus, foderunt.

Aduerſarios vero primum vrgebit ſenſus ipſius abſurditas. Quid enim ſonat, Sicut Leo manus meas & pedes meos? Quod ſi etiam repetendum dixerint verbum, obſedit, hoc modo. Concilium malignantium obſedit me, Sicut Leo obſedit manus meas & pedes meos, non effugient, imò maius incurrunt abſurdum, Quomodò leo obſedit manus & pedes, cui ſcriptura ſolet os apertum, rugitum & rapinam tribuere, vt totum deuoret? aut quæ nugatio ſpiritus iſta, vt totum obſeſſum concilio malignantium, addat etiam manus & pedes obſideri à Leone. Quaſi manus & pedes non obſideat, qui totum corpus obſidet. Eadem manent, ſi quodlibet aliud verbum ſubaudiant, Quicquid enim Leoni tribuerint in manus & pedes, ipſe communis ſenſus coget tribui eidem in totum corpus, Noſtræ autem intelligentiæ nihil prorſus abſurdi obſtrepit, ſed omnia aptiſſime quadrant, vt etiam ſi nec Caari nec caru poſitum fuiſſet, tamen res geſta ſubintelligi doceret.

Deinde & hoc negotij manet illos, quod hunc Verſum cogentur dictum admittere, de aliqua inſigni paſſione iſtarum manuum & pedum *Mardocheus. Eſter.* cuiuſcunque fuerint, Proferant ergo ſiue Mardocheum ſiue Eſter, quæ eſt iſta inſignis paſſio, quam in manibus & pedibus, vter illorum tulerit?

Sed

Sed nec vniuerſa ſcriptura vllius iuſti meminit,qui inſignem perſecutionem manuum & pedum paſſus ſit. Aliam enim hanc paſſionem eſſe oportet quam reliqui corporis fuerit,ac prorſus manuum ac pedum ſeorſim propriam. Quæ nam ergo? Non dicent quod neruis & compedibus vincirentur, quia ſic non facit leo manibus & pedibus,nec aliquid ſimile quo metaphoræ ratio conſtare poſſit. Nec tale quippiam Eſter aut Mardocheus pertulit, nec amputationẽ manuum ac pedum,& prorſus nihil poſſunt leoni & manibus dare,quod vllus Sanctorum paſſus ſit. Nos autem Chriſtum habemus inſigni manuum & pedum perſecutione clarum,quam verſus tota pronitate ſequitur & capit.

Res non verbis ſed verba rebus ſubiecta ſint.

Sola ergo ſupereſt grammatica,quam decet Theologiæ cedere,cum non res verbis,ſed verba rebus ſubiecta ſint & cedant,& vox merito ſenſum ſequatur & litera ſpiritum. Primum ſine punctis legi poteſt Caare pro caarim,id eſt fodientes,pro foderunt , vt ſi nomen pluralis numeri,quod in ſtatu regiminis abijcit mem finale, & mutat i. vocalem in e, vt habet vſus Ebrææ linguæ, Tunc nihil mutato ſenſu legetur, *Conſilium malignantium obſedit me, fodientes vel fodientium manus meas & pedes meos.* Iam enim in omnibus talibus nominibus,ſoleat poſt primam literam verbi ſui originalis,addi Vaff,vel punctum holem,quo à verbo differat & deriuetur. Quis ſcit an Propheta vſus licentia ſua pro Vaff poſuerit aleph,ob inſignem rei nouæ euentum? Legimus *Eſai. 9.* enim & Iſaiam cap. 9 eadem licentia vſum mem finale in medio dictionis, Lemarbe contra totius linguæ & grammaticæ morem poſuiſſe, atque ob inſigne regni Chriſti myſterium , quod clauſum & ſterile in rebus iſtis, tamen multiplicatur & aperitur in totum orbem.

Myſterium regni Chriſti.

Ebræa vox ambigua.

Iam ſi ſola pertinacia repugnat,nihil profuiſſet,ſi etiam verbum Caaru ſuis proprijs literis & punctis poſuiſſet,Cum enim Caaru ſit ambiguum in Ebræo,ad emendi,parandi,fodiendi ſignificationem , Quis pertinaces eo cogere potuiſſet,vt fodiendi potius quam parandi & emendi ſignificationem admitterent ? Imo qui re geſta non mouentur, & literis inhærent maiori tunc ſpecie ſignificationem fodiendi declinaſſent,cum minus intolerabile ſit, manus & pedes diſponi & emi,ſicut manus laborare , capi & inuenire dicuntur. Si ergo tunc acceſſuri erant,ſi Caaru poſitum eſſet,contempta æquiuocatione propter euidentiam rei geſtæ,& modo accederent,eandem rei geſtæ veritatem vnico elemento Aleph facile præferentes. Verum vt in litera Aleph pertinaciam ſuam tuentur,ita tunc in æquiuocatione tutati fuiſſent. Et quam veritatem etiam manifeſtiſſimam pertinacia non contemnit & eludit.

Pertinacia veritatem manifeſtam eludit.

Quid autem ſi Propheta dedita opera,Aleph interpoſuit , vt æquiuocationis eluſionem ex ea parte præueniret,& per abſurditatem ex altera parte occurreret,ne Caari,id eſt,ſicut Leo dicere auderent, & tamen velut inſigni monitorio literæ Aleph,eos ab æquiuocatione reuocaret,& ſic in medio concluſos teneret , vt ſenſum germanum cum re geſta congruentem effugere non poſſent? & tamen id quod contra pertinaciam factum eſt,pertinacia pro ſe tuenda peruertit.

Et quis nouit,an ſpiritus etiam eo conſilio hanc dictionẽ mutarit,vt eſſet myſterium occultum,donec impleretur,ſicut & titulum Pſalmo dedit occultiſſimũ,quem non niſi res geſta,imo ipſemet aperiret, quem ſpiritum cum tota Eccleſia habeat eruditorem,& hoc loco foderunt, legat , cum re ipſa conſentiens,pertinacibus valedicemus,ſicut Apoſtolus monet. Hæreticum hominem deuita,ſciens quoniam ſubuerſus eſt qui eiuſmodi eſt,cum ſit ſuo iudicio condemnatus. *Tit. 3.* Satis habentes,quod noſtram fidem tenuerimus & noſtram lectionem certius defenderimus,quatenus nullo neq; grammatico rigore neque oportunitate ſenſus,neque argumento rei geſtæ nos cogere poſſunt.

poſſint, vt non legamus, foderunt. Nos autem præter hoc, quod grammatica nobis non reſiſtit, imo patrocinatur, præſertim ſyntactica, & ſenſum & rem geſtam habemus aptiſſime & amiciſſime conſpirantes, Illi contra, ſolã grammaticam eamqꝫ & rigidiſſimam & orthographicam ſolum, nec hanc niſi incertam, vnico totius exemplo Bibliæ duntaxat patrocinante, cum nulla rei geſtæ, imo contrario argumento, deinde importuniſſimo & abſurdiſſimo ſenſu, nulla denique ſyntaxeos conſtantia.

David novit omnia myſteria Christi.

De ſenſu autem verborum nulla quæſtio, cum toti orbi, etiam impijs ſit notiſſimus, Videmus tamen hic ſpiritus Dauidici incomparabilem gloriam, qui Chriſti omnia Sacramenta, adeo peruouerit, vt etiam crucifigendi modũ præuiderit. Nam in ſpiritualibus illis malis, & ipſe non parum fuit eruditus & exercitatus, vt facile fuerit, & Chriſtum ſimilia vel maiora paſſurum prænoſſe, Sed fodi manus & pedes, nunquam expertus fuerat, nec tale aliquid in alio quopiam viderat vnquam, & tamen ita pronunciat, vt nullus alius Scripturæ locus æque clare tradiderit, ne Euangelia quidem cum toto nouo Teſtamento, Et quod magis miremur, obſcuriſſimus ſimul & clariſſimus eſt, eiſdem verbis. Nam antequam impleretur, quis perfoſſionem manuum & pedum & oſſium dinumerationem intellexiſſet crucifixionem? cum tot modis poſſint fodi non crucifixo vllo poſt impletionem vero, nihil *a* aptius, nihil clarius dictum eſt, quam fodi manus & pedes, & numerari oſſa, vt & Aug. hic dicat, Non potuiſſe melius deſcribi extenſionem corporis in ligno.

a Apertius.

Dinumerauerunt omnia oſſa mea.
Ipſi vero conſiderauerunt & inſpexerunt me.

EBræus, Numerabo omnia oſſa mea, quod diceretur latine per optatiuum potentialem, hoc modo, Queam vel queas, vel queat quis numerare omnia oſſa mea, Qui verſus & vernaculæ noſtræ prouerbium vel dedit, vel inuenit, quo de vehementer macreſcentibus dicimus, Man möcht jm alle ſein gebein zelen. Neque n. Iudæi vel vlli alij negotium ſibi dederunt, vt numerarent oſſa eius, neq; ipſemet numerauit, Per ſe autem patet intelligentia, ex re geſta omnibus notiſſima, quantum ad Hiſtoriam pertinet, cæterum ignotiſſima, quantum ad Sacramentum fidei & ſpiritus, de quo inferius.

Conſiderare.

Duo iſta verba, Conſiderauerunt & viderunt ſeu inſpexerunt, ſic mihi differre, ſaltem hoc loco videntur, Quod alterum, nempe conſiderauerunt, ſignificet vertere vultum ad videndum, vt Pſal. 14. Dominus de cœlo in terram aſpexit. Gen. 19. Noli reſpicere poſt tergum tuum. Quo verbo etiam ad videndum conuocantur alij, vt Iſa. 51. Attendite ad petram vnde exciſi eſtis, Sicut Cham ſuos fratres mouit ad videndam patris nuditatem, Gen. 9. Alterũ vero, viderunt, pertinet ad moram videndi & ad affectum vel voluptatis vel moleſtiæ capiendæ ex re viſa, qua oculi paſcuntur vel cruciantur, Sic Pſal. 112. Donec deſpiciat inimicos ſuos, Et 54. Et ſuper inimicos meos deſpexit oculus meus. Contra peccator videbit & iraſcetur, Clarius Pſal. 31. Euge euge viderunt oculi noſtri. Et Mich. 7. vtroque affectu huius verbi breui textu variat, Videbo iuſticiam eius (id eſt, videns gaudebo in iuſticia eius) Et aſpiciet in me inimica mea, & confundetur (id eſt, videbit cum dolore) Oculi mei videbunt eam, id eſt, delectabuntur videntes. Hoc modo illud Pſal. 91. intelligitur. Veruntamen oculis tuis conſiderabis, & retributionem peccatorum videbis, vbi eadem verba huius verſus ponuntur.

Pſal. 14. Gen. 19. Iſa. 51. Gen. 9. Videre. Pſal. 112. 54. Pſal. 31. Mich. 7. Pſal. 91.

Eſt ergo ſenſus, Talia mihi patienti nõn modo non compatiebantur, ſed cum iam nihil ſupereſſet, quod facerent in meam ignominiam ſeſe mutuo ad videndum me, exhortati ſunt & commouerunt, Sie weiſeten mit Fingern auff mich. Deinde oculos ſuos in me cum ſummo tripudio, inſultatione, volupta-

voluptate pauerunt & ſaturauerunt compotes ſcilicet facti ſuæ nequitiæ. Hoc Pſal. 89. vocat, Lætificare inimicos. Sicut figurauit & Samſon, ludens coram Philiſtæis. Crudeliſſima ſcilicet rabies eorum arguitur, qui vltimo & tali ſupplicio etiam delectati ſunt, vere hominum oculi inſatiabiles, (vt Salomon ait) etiam in furijs exercendis. Ebræus autem hunc affectum plenius tradit, quando idiotiſmo ſuo dicit, viderunt in me, Videbo in iuſticia eius, Oculus meus videbit in hoſtibus meis, aut ſi abſolute ponatur, Peccator videbit & iraſcetur &c.

Lætificare inimicos. — *Pſal. 89.* — *Iud. 16.*

Diuiſerunt ſibi veſtimenta mea,
Et ſuper veſtem meam miſerunt ſortem.

Spolium veſtimentorum Chriſti.

MIrum, cur Euangeliſtæ hunc præ cæteris verſum adducant, cum videatur minimum & vltimum paſſionis genus indicare, nempe ſpolium veſtimentorum, præſertim Iohannes, qui omiſſo primo verſu, quem Matthæus & Marcus inſerunt, hunc minoris ponderis, verboſe & integra Hiſtoria quadam recitat, Cur non cor, oſſa, linguam, aut alia, quæ hic narrantur, allegant? Sed & Euangeliſtæ forte moti ſunt, cur nam Propheta hanc iniuriam Chriſti cecinerit, cum multa alia maioris momenti tacuerit, vt ſupra, ſpineam coronam, flagella, Obſeruantes in ea inſigne aliquod myſterium, quod prodere voluerunt. An ideo fecerunt, vt primo & nouiſſimo verſu paſſionum allegato indicarent, omnes intermedios quoque ad Chriſtum pertinere, impletosque pro allegatis haberi debere? Nam primus verſus, primam & ſummam paſſionem Chriſti, hic vltimus, vltimam & præ cæteris mitiorem tradit. De myſterio dicemus loco ſuo.

Senſus igitur Prophetæ eſt, Adeo Chriſtum traditum eſſe in manibus impiorum ac deſperatum, vt præ nimia ſecuritate, veſtibus eius illuſerint tantum abeſt, vt reſurrecturum ſperarint aut vindicandum à Deo timuerint. Neque enim arbitror milites lucri gratia veſtes diuiſiſſe, ſed velut in re ludicra iocari, ridere & ludere voluiſſe, in ſignum vaſtati, perditi, aboliti & perpetuæ obliuioni traditi, ſicut nouiſſimi virorum, vt cui poſt vitam & corpus ablata, ne veſtes quidem in memoriale reliquæ fuerint apud ſuos. Nota ſunt verba Iohannis de tunica inconſutili deſuper contexta per totum, quam hic veſtem vocat, ſuper quam proiecerunt ſortem mal oder vnmal worffen.

Tunica inconſutili cr c. Ioh. 19.

FInitis paſsionibus Chriſti, dignum eſt pro Pſalmi huius omnium principis, ampliore intellectu, paululum immorari & obſeruare in eo id quod Paulus dicit, *In Chriſto eſſe abſconditos omnes theſauros ſapientia & ſcientia.* Teniemus itaque ingredi in abſcondita illa, ſi ſpiritus nobis oſtium dignabitur aperire.

Coloſſ. 2.

Chriſtus ſuo ſimplo, reſpondet noſtro duplo.

Primum non eſt dubium, in Chriſto nobis non modo propoſita eſſe omnia exempla Chriſtianæ conuerſationis abſolutiſſima, ſed & commendata omnia Sacramenta prophetiæ, in Eccleſia ſua in finem vſq; mundi implenda. Sic n. B. Aug. lib. 3. Tri. cap. 4. docet, *Chriſtũ ſuo ſimplo reſpondere noſtro duplo*, hoc eſt, ſua hiſtoria ſimplici, nobis duplo fructu ſeruire, Exemplo & Sacramento. Verum nos hoc tempore, Auguſtinum augeamus, & procedamus noſtro filo in quatuor facies Chriſtum partientes, velut in 4. cornua crucis. Duas dabimus pijs, qui illo bene vtantur. Duas impijs, qui illo peſſime abutantur. Piorum vna ſit credentium, altera imitantium, Impiorum vna ſit apoſtatantium, altera perſequentium, Sed omnia hæc quatuor in abſconditis, vt non niſi fide percipi poſſint.

Notitia Chriſti in ſpiritu & fide.

PRIma facies Chriſti eſt notitia eius in ſpiritu & fide, hoc eſt, vt non tantum ſcias Hiſtoriam paſſionis eius, in qua hodie ſolum laboratur, vt in

nulla

nulla re ſuperſtitioſius,tot fabulis, nugis & mendacijs conſpurcata,vt ægre Hiſtoria permanſerit,Deniq; infelici ne dicam impia digreſſione expatiantes, Et ij inter eos laudatiſſimi,pene totam vel ſaltem potiorem eius partem fecerunt gladios,dolores & compaſſiones Matris,Ad hæc vituperationes Iudæorum non paruam eius partem obtinent,vt ſi quid Hiſtoriæ reliquum eſt,nihil tamen ſupereſt ſimplicitatis Euangelicæ,quæ ſola in hac te omnium maxime & valet,& ſeruanda fuit,propter fidem ſpiritus formandam,quæ curioſis & ſuperſtitioſis impeditur,imo perditur,ſola autem ſimplicitate alitur & ſaluatur,Sicut ſcriptum eſt Prouer.3.cum ſimplicibus ſermocinatio ſapientiæ, ſeu, vt Ebræus habet,ad rectos ſecretum eius.Tunc autem noſcis in ſpiritu paſſionem Chriſti,quando pleno affectu fidei in ipſam rapetis,non dubitans, pro te eſſe Chriſtum hæc omnia paſſum,pœnasque illius,tua eſſe peccata,quæ ſuper ſe accepit & tulit,Reſurgensque à mortuis in ſemetipſo abſorbuit Victor, ne tibi nocerent,modo in nomine eius credideris.

Loco paſſionis Chri. ſti fabulæ,nugæ &c. populo propoſitæ in papatu.

Prou.3.

Vſus paſſionis vera.

Nam qualis forma Chriſti patientis in oculis hominum, talis tua in oculis Dei eſt. Et quod Chriſto faciunt homines,hoc tibi faciunt tua peccata & dæmones. Niſi quod tum,cum pateris,non ſentis,imo in eis delectaris ceu furioſus in malis ſuis ridens,in quibus Chriſtus dolet ſapiens.Senties autem & tu, vbi reuelante lege, formam hanc fœdiſſimam peccati tui cognoueris, quam ignorans tibi ipſi velata lege peccans paraueras.

Sic tu es miſer ille derelictus,Vermis & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis,omnibus viſus,deriſus,ad deſperationem adactus, reprobus,damnatus,circundatus vitulis & tauris,datus Leonis ori rugientis & rapientis,effuſus ſicut aqua, diſperſa oſſa tua,cor liqueſcens,areſcens ſicut teſta, lingua faucibus adhærente,in puluerem mortis deductus,canibus & concilio malignorum obſeſſus,foſſis manibus & pedibus oſſibuſque numeratis, tandem veſtibus ablatis & ſorte diſtributis in ſempiternam obliuionem de omnium memoria abolitus.

Qualis Chriſtus patiens eſt in oculis hominum, tales nos ſumus in oculis Dei.

Hæc inquam omnia,quod in anima operetur peccatum,tibi Chriſtus ſua forma oſtendit ignaro,Cui niſi credideris,& talem tete agnoueris,atq; peccare deinceps,talemq; formã augere deſieris,veniet dies reuelationis, vt credere non poſſis,ſentire autem cogaris talem te eſſe,& tamen neq; vitare, neq; mutare poſſis. Quid autem ſingulorum iſtorum in conſcientia fit, longum fuerit inueſtigare,& inexpertis fruſtra dicitur,cum omnia ſubito fiant,& ſolius conſcientiæ confuſione peragantur. Infra tamen ẽ tertia & quarta facie,aliquid de ijs intelligi poterit.Hac igitur prima facie,ſimilis efficeris Chriſto, in ſpiritu,& fide,id eſt,credis & agnoſcis te talem eſſe,in conſcientia, qualis eſt Chriſtus in carne, Atq; hæc eſt ſimilitudo ſalutaris & bona,promouens ad ſalutẽ.

SEcunda,Eſt imitatio Chriſti,externo exemplo,quo modo ſoli tractant paſſionẽ Chriſti, qui optime tractant hodie, licet & hi rari ſint, Sic 1.Pet.4.Chriſto in carne paſſo,& vos eadẽ cogitatione armamini.Ebr. 12.Recogitate eum,qui talem aduerſus ſemetipſum ſuſtinuit à peccatoribus contradictionẽ, Sed de prima facie Rom.4.Qui mortuus eſt propter peccata noſtra,& reſurrexit propter iuſtificationem noſtram.Et Petrus 1.Pet.3. Chriſtus ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt, iuſtus pro iniuſtis, Et Epiſtola ad Ebræos Chriſtum pontificem deſcribens egregie primã illam faciem tractat.

Imitatio Chriſti.

1.Pet.4. Ebræ.12. Rom.4. 1.Pet.3.

Et in ijs duabus noticijs pendet ſapientia fidelium Chriſti,prior tamen, quia fidei eſt,principalis eſt, & has duas Auguſt. appellat Sacramentum & exemplum,Sacramentum,quo abſcondita fides alitur,Exemplum,quod vita externa imitatur.Hac facie ſimiles efficimur Chriſto in carne quoq;, id eſt, ſimilia foris patimur,& ipſa ſalutaris ſimilitudo eſt,de qua Paulus dicit,paſſiones Chriſti abundant in nobis,Neq; n.niſi ſpiritu & ipſa cognoſcitur,hoc eſt,

Sapientia fidelium Chriſti.

affectu & amare in nobis formatur, Nemo enim ſimilia Chriſto patitur, niſi ſpiritu Magiſtro erudiatur, cum interim ſine ſpiritu multa de eo loqui, multa operari, multa deniq; pati, ſed diſſimilia Chriſto poſſit. Nam & dæmones patiuntur, ſed ſua culpa; Chriſti paſſiones, innocentiæ & propter iuſticiam paſſiones ſunt.

Facies Chriſti in incredulis.

TErtia facies, Eſt apoſtatantium & incredulorum, Hæc à prima facie nihil differt, niſi penes ſenſum, Impietas enim tales facit, qualis eſt forma Chriſti, Sed inſenſati id non intelligunt, ac perſeuerant in ea, proficientes de die in diem magis ac magis in eandem formam à cæcitate in cæcitatem, de vitio in vitium. Senſati vero & reuelante lege humiliati, intelligunt & reſipiſcunt, quotidie exuentes hanc formam, proficientes de virtute in virtutem, de claritate in claritatem, donec deſtruatur corpus peccati & cum Chriſto moriatur, renouatum in eandem imaginem Chriſti.

Spiritualis vaſtatio Eccleſiæ, in corpore Chriſti præfigurata.

QVarta, de qua dicere propoſuimus, prophetica eſt, indicans ijs qui ſpiritum habent, quid paſſura ſit Eccleſia ab impijs dæmonum & hominum doctrinis, nam Eccleſia corpus Chriſti eſt metaphoricum, ſiue allegoricum, cuius ſpiritualem vaſtationem in ſuo naturali corpore præfigurauit. Non enim Eccleſia vaſtatur temporalibus perſecutionibus, quantum peſtilentibus hominum doctrinis, Imo illis augetur, iſtis minuitur. Atq; hæc

Nouiſſ. perſecutio Antichriſti.

eſt illa nouiſſima perſecutio Antichriſti prædicta per Apoſtolos, in qua ſpiritus Chriſti in reliquijs ſuis perſeuerans gemet pro Eccleſia Dei, ea quæ hoc Pſalmo Chriſtus pro ſua naturali perſona conqueritur. De qua re, citra allegoriam, apertaq; prophetia præ cęteris latius loquitur Pſal. 89. dicens, Tu vero repuliſti & deſpexiſti, distuliſti Chriſtum tuum. Auertiſti Teſtamentum ſerui tui, prophanaſti in terra Sanctuarium eius, deſtruiſti omnes ſepes eius, poſuiſti firmamentum eius formidinem, Diripuerunt eum omnes tranſeuntes viam, factus eſt opprobrium vicinis ſuis. Exaltaſti dexteram deprimentium eum, lætificaſti omnes inimicos eius, Auertiſti adiutorium gladij eius, & non es auxiliatus ei in bello, Deſtruxiſti eum ab emundatione, & ſedem eius in terra colliſiſti, Minoraſti dies temporis eius, perfudiſti eum confuſione, Hæc ille. *Pſal. 89.*

Derelinqui.

PRimum eſt derelinqui, in quo vno multa mala comprehenduntur, ſcilicet quod Pſal. 89. dicit, Repuliſti, ſpreuiſti, iratus es cum Chriſto tuo, Hoc eſt aliud nihil quam Eccleſiam ſeu regnum Chriſti deſtitui fide, ſicus Paulus prædixit. In nouiſſimis diſcedent quidam à fide, attendentes ſpiritibus erroris. Et Chriſtus Lucæ 18. Filius hominis cum venerit, putas inueniet fidem in terra? Hoc certe agitur & iam diu actum eſt, tot cæremonijs, tot Sectis, tot ordinibus, ſine fine ſeſe fruſtra conſumentibus, vbiq; terrarum, die noctuq; multus clamor, multæ preces, multę conciones, multæ Miſſæ, & ijs omnibus nihil proficitur, quotidie in peius euntibus omnibus. Neq; ij qui vere clamant gemitu ſpiritus exaudiuntur, quo iſta portenta ab Eccleſia repellantur. Tempus eſt clamandi, ſed noluit Dominus propitiari propter peccata noſtri impijſſimi Manaſſe; qui oblitus Dei, ſua cœpit curare. Ita fit vt vbiq; religionū Pompa Chriſtianiſmi ſpecies, operū hypocriſis, Euangelij vmbra ſpectetur, Sed virtus fidei & charitatis nulla, Refriguit charitas & abundat iniquitas, & conſcientiarum non niſi carnificina ſupereſt, derelinquere nos Deo. *Pſal. 89. 1. Tim. 4. Lucæ. 18.*

Vermis non homo. Chriſtiana fides mirum ludibrium eſt.

Secundum quod eſt vermis, non homo, opprobriū & abiectio plebis, deriſio, ſubſannatio, inſultatio & blaſphemia, Nam poſtquā radicea miſit ſuperſtitio & ſpecies illa pietatis, vt iam ſecuri aliam viam ne ferant quidem, nedum cogitent aut quærant, mirum ludibrium Chriſtiana fides facta eſt, quia non licet in pompas eorū loqui. Quod ſi tentes ſicut reuera tentat, ſi

aſſit, fides, mox hæreticus & ſexcentis opprobrijs abiectus profligaberis. Exempla hodie ſatis ſunt manifeſta. itaq; Christus nobis timor, opprobrium, deriſio & abiectio vulgi eſt, metu ſanctiſſimi vicarij Chriſti & totius ſui ſacerdotij, qui cum fidei doctrinam ferre non poſſit (neq; enim ſimul cũ Papali doctrina fides ſtabit, cum illa hypocriſis & ſpecies, hæc veritas & iudicium ſit) neceſſe eſt, vt ſeſe glorificet & ſub nomine Chriſti glorioſo, rem Chriſti omnibus opprobrijs conſpurcet. Vt ſit ille Chriſtianus non qui in Chriſtum credit, ſed qui Papæ obedit. Et hæreticus, non quia articulos fidei negat, ſed Papam non adorat. Actum autem eſt de re Chriſtiana, regnante vicario Chriſti. Tunc enim cœpit Deus auertere teſtamentum ſerui ſui & prophanare in terra Sanctuarium eius, id eſt, in terra conculcare diadema eius, vt non Chriſtus rex, ſed homo peccati in loco eius ſancto, ſuper nos regnaret. *Papalis doctrina.* *Pſal. 89.*

Tertio, vitulos multos & tauros Baſan, quos alios eſſe arbitrabimur, quam opulentos gigantes illos, monſtrificos Epiſcopos, qui nec ſacerdotes nec principes, ſed conflato ex vtriuſq; ordinis fuco monſtra ſunt turpiſſima, vna cum Monachis, & Eccleſiaſticis illis voluptuarijs, quos Præpoſitos, Decanos, Officiales, Canonicos, Vicarios, Dominos noſtros vocamus, His.n. ſic capta, circundata & oppreſſa eſt Eccleſia Eccleſiæq; fides, vt facilius fuerit gentium tyrannica imperia fidei ſubdere, quam iſtorum pompoſiſſimas incredibiliq; mole incraſſatas cæremonias conuellere, cum præabundantia earum nihil ſynceræ veritatis ſpectari poſſit, adeo totam Ieruſalem vſq; ad os repleuerunt. Hi ore ſare aperto aliud non docent, quam iura ſanctiſſima Papæ & Ariſtotelis rationisq; naturalis documenta, Adeo vt in huius vaſtationis proſperitatem, repererint Vniuerſalia ſtudia, in quibus per conductos, dignitatum & præbendarum & graduum titulis, operarios ſtrenue deuoraretur, quidquid è baptiſmate Chriſto naſceretur, præſertim præſtantioris ingenij & indolis. Et hanc voracitatem tartaro dignam, non rugientis & rapientis Leonis, ſed optime erudientis & docentis Paſtoris opus appellare oportet, In quo & id addunt, quod recte ſeſe facere putant, ſi fidem & fidei confeſſores abſumant & perdant cenſuris, igne & ferro, nec ſic tamen arguantur eſſe rugientes leones. *Vituli multi, & tauri pingues, qui* *Doctrina Papiſtarum.*

Quarto, Ad hæc mala ſequuntur, quæ neceſſe eſt ſequi, vt Eccleſia effundatur ſicut aqua, diſpergantur oſſa, cor liqueſcat in medio ventris, areſcat virtus, adhæreat lingua faucibus, & in puluerem mortis deducatur, Quid enim vilius habent hodie Gigantes noſtri, quam animas in Chriſto baptiſatas, & ſanguine eius redemptas? Nonne videmus, Epiſcopatus, parochias, & alias animarum curas, tanta leuitate diſtribui, imo profundi, & effundi, vt quo quiſq; fuerit indoctior & ſceleratior, hoc facilius accedat & pluribus oneretur? Vt turbas animarum non alia æſtimatione habeant, quam aquam prodigaliſſime & viliſſime effuſam. Certe penſionum illis harpijs, non commendatur, non obtruditur, ſed plane effunditur populus Chriſti, Rurſum ab illis nec excipitur neq; colligitur, ſed fluere & ire permittitur, vt pereat quod pereat, modo illi cenſus teneant. Quid rum mirum, ſi oſſa diſpergantur, & regnet in populo Chriſti ea infirmitas, vt membrum membro prodeſſe, neq; diſcat neq; ſciat vnquam, Adeo vt hoc Satanico regno & ij, qui alioqui oſſa & robur populi eſſe debent, firmiores ſcilicet in fide & verbo, nullum iuuare poſſint, Neq; enim admittuntur ad ea officia eruditi, pij & boni viri, qui vtiles eſſent, vt oſſa mutuo ſeſe & carnem iuuarent, ſed principantur vituli & tauri ſoli. Sic fit, vt tandem tabeſcant etiam optima corda & pereant, deſtituta miniſterio verbi & ſolatio fraterno, Inde virtutem areſcere neceſſe eſt, & bonorum operum exempla penitus ceſſare, vt ſic neq; fides neq; conſcientia bona, neq; opera charitatis in Eccleſia ſpectentur. *Eccleſia effunditur ſicut aqua &c.*

Adhærebit lingua faucibus &c.

Areſacta autem virtute, & ſublato operum charitatis vſu, impoſſibile eſt, feliciter Euangeliſare, adhærebit enim lingua faucibus, & Euangelium, ſicut modo fit, vix nudis verbis recitabitur, Hoc eſt, dum per experientiam fidei & vſum vitæ non guſtatur, neque vitali ſenſu cognoſcitur, fieri non poteſt, vt plene & efficaciter doceatur, Non enim eſt (vt dicitur) compos eius quod loquitur, ideo non poteſt recte tractare, Frigide enim & paruo fructu docetur, quod ſine affectu docetur, ſicut ægre loquitur, cui lingua arida faucibus adhæret.

Chriſtus in Eccleſia manet, ſed effuſus ſicut aqua &c.

Manet ergo in Eccleſia Chriſtus, ſed effuſus ſicut aqua, manent oſſa, ſed diſperſa, manet cor, ſed tabeſcens, manet virtus, ſed arida, manet lingua, ſed faucibus adhærens, quia ad finem mundi Chriſtum & ſua membra durare oportet. Et videmus Euangelium manſiſſe in publicis concionibus & priuatis Miſſis, ſed ſic, vt nec docendi, nec exhortandi ſtudio tractetur, ſolis ſyllabis pro vſu duntaxat recitandi de ſuggeſtu pronunciatis, Mox fabulatoribus illis ad alias nugas concionem vertentibus, Qua opera ipſimet volucres illæ cœli fiunt, quæ conculcant & comedunt Semen, quod iuxta viam iactauerant, Sic ergo Euangelium neglectiſſime tractare, quid eſt aliud, quam aridam Chriſti linguam faucibus adhærere? cum non deſint qui audire geſtiant, ſed non aſſit, qui alacriter & expedite dicat.

In puluerem mortis deducta Eccleſia.

Hæc via eſt, qua in puluerem mortis deducta eſt Eccleſia, vt nuſquam eius ſpecies aut veſtigium appareat, Interim tamen mundus plenus ſit labijs, linguis, vocibus concionatorum, nuſquam lingua Chriſti ſucculenta & agilis. Quantus eſt horror iſta conſiderare? quanto hiatu & voragine hic abſorbentur animæ in Chriſto natæ, vt illud Pſal. 89. dicere poſſis. Nunquid vane conſtituiſti omnes filios hominum? *Pſal. 89.*

Canes & concilium malignantium obſederunt me.

Adde iſtis, quod canes & concilium malignorum obſederunt eum, qui & perforant manus eius & pedes eius. Hi ſunt principes Eccleſiarum qui peſtilentibus ſuis doctrinis etiam vrgent, perſequuntur, venantur Chriſtianos in ſua retia, Adeo non ſatis habent, Euangelium tacuiſſe & oppreſſiſſe. Nã & Iſaias vocat tales Canes mutos non valentes latrare, & tamen ſimul impudentiſſimos & inſaturabiles, Quid n. prædicant, niſi quod ad quæſtum eorum inexplebilem faciat? Quam hic mordent, latrant, clamant & ſæuiunt in animas, vitã, & rem populi propter bona Eccleſiæ ſuæ & patrimonij Chriſti augenda & ſeruanda. His ferreis & induratis clauibus, perforant, calumniantur, damnant, excommunicant, & inutiles reddunt manus & pedes Chriſti, id eſt, vera opera & rectas opiniones ſpiritus. Nam verba doctrinæ, clauos dici, Ecclеſ. 12. probat, vbi dicit. Verba ſapientum quaſi ſtimuli & claui in altum defixi, ſicut & ſagittæ, gladius & omnia arma belli non niſi dogmata ſunt. *Eccle. 12.*

Canes muti. Eſaiæ 56.

Fodere manus & pedes.

Fodere ergo manus & pedes, eſt aliud nihil, quam ſi etiam ſuperſint, qui redargutis impijs illorum ſuperſtitionibus legitima opera & ſanum iudicium Chriſtianarum rerum docere laborauerint, Tamen ſuis Decretis, cenſuris, maledictis, crucifigant, damnent, & in totum inefficaces reddant, quo ſuas impietates ſtabiliant. Et hic auertit Deus robur gladij Chriſtiani, nec auxiliatur in iſto bello, vt Pſal. 89. dicit, Sinitq; cadere veritatem & præualere impietatem, vt operatio erroris regnet ſuper filios incredulitatis, vt credant iniquitati, qui charitatem veritatis non receperunt, vt ſalui fierent, Atque Papæ quidem & ſuæ Eccleſiæ hæc ſunt portenta. *Pſal. 89.* *2. Theſſ. 2.*

Ad hæc ſic examinãt corpus Eccleſiæ, vt omnia oſſa numerari poſſint, hoc eſt, Nullus eos latere poteſt, ſed mox vt mutierit in quouis etiam angulo orbis, in publicum protrahunt proditores, & pro libidine ſua diſten-

dunt. Nam & auricularis illa Confeſſio, quem ſinat latere à facie Papæ quantumuis longe poſiti? Itaq; iam non eſt præſumere eſſe vl plam aliquot Chriſti oſſa occulta, produntur omnia & numerantur, vbi vbi ſunt, vel per Confeſſionis ſecretæ exploratores, vel exactores & tortores, vt dixi. In ijs autem omnibus tantum abeſt, vt vllo miſerationis & compaſſionis ſenſu moueantur ſuper animas, quas hic Satanæ operationibus ſine fine perdunt, vt etiam rideant & exultent, delectati videre & audire, Eccleſiam ſic eſſe oppreſſam, manus & pedes perfoſſos, & in omnem ſuam libidinem omnia proſperari. Sic enim Papiſtæ cum idolo iſtius vaſtationis ſæpius gauiſi ſunt, victis à ſe ſuaque impietate miniſtris & cultoribus veræ pietatis. *Confeſſio auricularis.* *Deut. 5.*

Vltimum eſt, Quod veſtes partiuntur & ſortem mittunt ſuper tunicam inconſutilem. Poſtquam enim omnia, quæ verbi & fidei ſunt, oppreſſerint, vt nec vocalis verbi vigor, nec fidei fructus in Eccleſia palam floreat, Reliquũ erat vnum illud memoriale, cuius inſpectu Chriſti meminiſſe, & hac memoria nos alere, & ad verbum ac fidem inſtaurare poteramus, ſcilicet ſacra ſcriptura, non voce, ſed literis contenta. Sic enim Paulus iubet Timotheo, vt intendat lectioni, exhortationi, doctrinæ. Et ipſe Chriſtus Ioh. 5. Scrutamini ſcripturas, illæ enim ſunt quæ teſtimonium perhibent de me. Et Zaducæos, Matth. 22. arguit, Erratis, neſcientes ſcripturas neq; virtutem Dei. In ſcripturis itaq; veritas fidei inuoluta inuenitur, ceu Chriſtus in ſuis veſtimentis Neq; enim vbi vox & fides & opera Chriſti defecerunt, aliquid eius amplius habemus quam ſolas Scripturas. *Diuiſio veſtimentorum.* *1. Tim. 4.* *Ioan 5.* *Virtus fidei ſcripturis inuoluta.* *Matt. 22.*

Ideo nouiſſimo loco ea iniuria canitur. Et Euangeliſtæ ſpiritu præſente ſenſerunt quid futurum eſſet de Libris, quos nobis ſcribebant de Chriſto. Et quamuis Chriſto parum doloris afferret ea iniuria, tamen non leue, imo vltimum nocumentum Eccleſiæ hæc figura ſignificauit. Siquidem è Scriptura hauriri poterat ſpiritus fidei, ex fide fluxiſſent verba & opera, & ſalua manſiſſet ex magna parte Eccleſiæ gloria.

Duas autem iniurias Scripturæ ſanctæ prophetat, diuiſionem & ſortionem. De diuiſione prius. A multis ſeculis cœpit hoc myſterium iniquitatis operari, vt ſimpliciſſimæ Scripturæ ſimpliciſſimus ſenſus in multos diuideretur. quod malum Origeni, deinde eius ſectatori Hieronymo, ſanctis & electis (vt equidem credo) viris, acceptum referri debet. Iam tum enim cœperunt etiam Electi in errorem duci, vt verbum illud Pauli 2. Corin. 3. Litera occidit, ſpiritus autem viuificat, eo torquerent, Quod Literam, hiſtoricum, Spiritum, myſticum ſenſum, appellarent, nimium infelici æmulatione Apoſtoli Pauli, qui Gal. 4. allegoriam Abrahæ & vxorem eius ponit, ſed non literam aut ſpiritum appellat. Tale quid & Philon (vt Euſebius in Eccleſiaſtica hiſtoria recenſet) Chriſtianos Alexandriæ feciſſe ſcribit, in qua vrbe tunc erat inſignis Chriſtianorum ſchola, poſt illam quæ ſub Apoſtolis Antiochiæ fuerat, Quorum exemplum Origenes ſecutus fuiſſe videtur, & de ſuo addens prolapſus eſt nimio, donec hiſtoricum ſenſum literalem & faſtidiendum, & ſolum ſpiritualem acceptandum doceret. Reſtitit tamen ei tum ſpiritus in Eccleſia adhuc feruens, & magno tumultu orto, Libros eius damnauit. Siquidem & Porphyrio Apoſtatæ, ijs ſtudijs magnam præbuit & vetam irridendæ Chriſtianæ philoſophiæ occaſionem. *Duæ iniuriæ ſcripturæ.* *Origenes.* *Hieronymus.* *2. Cor. 3.* *Litera. Spiritus.* *Galat. 4.* *Philon.* *Schola Chriſtianorum Alexandriæ.* *Porphyrius.*

Decedentibus autem Patribus & ſuccedentium generationum rebus in deteriora labentibus, cœpit Scriptura varie lacerari, donec ad Vniuerſitates ventum eſt, & regno Antichriſti in manu Rom. Pontificis confirmato, eum iam non myſterium iniquitatis, ſed ipſa iniquitas operaretur, & abominatio *2. Theſ. 2.*

 ſtaret

ſtaret in loco ſancto palam, vtpote Chriſto iam cum fide extincto, Apoſtolus eius cum primis S. Thomas cum Lyra & ſuis, in orbem vulgare cœperunt quadrigam illam ſenſuum Scripturæ, literalem, tropologicum, allegoricum & anagogicum, ac in has quatuor partes diuidere hanc veſtem Chriſti, vt vnusquisque ſeorſim ſuos haberet Autores, Inquiſitores & Doctores, ceu milites ſtrenuos, & audaces Scripturæ corruptores.

Quadriga ſenſuum Scripturæ.

Quo ſtudio id effecerunt, vt verba Scripturæ quidem haberent, ſed ſic diſpartita & lacerata, vt prorſus nihil conſtantis intelligentiæ, qua animas induceremus, reliquum nobis fecerint. Neque enim Thomas cum omnibus Thomiſtis vniuerſisque ſcholaſticis Doctoribus vnius capituli, vel in Paulo vel Euangelio, vel quocunque Libro ſcripturæ intelligentiam germanam & legitimam vnquam aut habuit aut docuit, vt euidens eſt experientia. Vbi enim ſunt, qui Paulum vel Euangelium digno & genuino ſenſu tractauerunt? Et tamen interim celebrant horum verſiculorum Decreta.

Thomas, Schola. Doctores.

Litera geſta docet, quid credas Allegoria,
Moralis quid agas, quo tendas Anagogia.

Litera.

Nonne impijſsimum eſt ſic partiri Scripturas, vt literæ neque fidem neque mores neque ſpem tribuas, ſed ſolam Hiſtoriam iam inutilem? Sic, Allegoriæ fidem, non mores neq; ſpem, Tropologiæ mores, Anagogiæ ſpem, Quaſi non Paulus dicat 2. Tim. 3. Omnis Scriptura diuinitus inſpirata, vtilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum & ad erudiendum in iuſticia, vt perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonum inſtructus. Quid rogo his lacerationibus faciunt, niſi quod oſtendunt ſeſe prorſus nihil in Scripturis de fide, ſpe, moribus intelligere? 2. Tim. 3.

Tropologia. Anagogia.

Hinc factum eſt, vt illuſtrium patrum Abrahæ, Iſaac & Sanctorum totius populi Iſrael geſta, non ad fidem (ſicut Apoſtolus Ebræ. 11. facit) docendam tractauerint, ſed velut mortuas Hiſtorias faſtidierint, & neſcio quos fidei & morum & ſpe ſenſus ſibiipſis ſomniauerint. Qua impietate nobis veſtem hanc abſtulerunt & lacerauerunt, & loco eius telas araneorum (vt Iſa. 59. vocat) id eſt, Decreta, ſtatuta, & quod omnem ſuperat abominationem, ſceleratiſſimi nebulonis Ariſtotelis Ethica, nobis pro Chriſti veſtimentis aptauerunt. Ebræ. 11. Iſa. 59.

Hiſtoriæ patrum, Abraham, Iſaac &c. neglectæ.

Telæ araneorum Ariſt. Ethica.

Ita videmus Scripturas quidem apud hos eſſe, ſed partitas & quadruplationibus illorum in lacinias inutiles & incertas redactas, vt nec fidei nec morum doctrinis ſeruiant. Scilicet tanta ruditas inualuit, vt nec Grammaticam recte intelligerent. Et quod figurate dictum inueniebant, hoc myſticum, id eſt, nullum ſenſum fecerunt. Quod niſi ſpiritus prænunciaſſet, lacerationem iſtam Scripturæ intra limites iſtorum quatuor ſenſuum ſtaturam, certe tot finxiſſent ſenſus, quot figuris grammaticis vſa fuiſſet Scriptura, quando non tantum habuerunt ingenij & iudicij, vt Allegoriam, Anagogen & Tropologiam, poſſent pro eodem accipere. Idem eſt enim allegoria, tropologia & anagoge, quas Apoſtolus non aliquem ſenſum Scripturæ (neque enim Scriptura plusquam vnicum ſenſum ſimpliciſſimum habet) ſed myſteriorum locutiones vocat, dicens 1. Cor. 14. Spiritus autem loquitur myſteria, Res enim iſta extra Scripturam verſatur in libertate ſpiritus, & nihil ad Scripturam tractandam pertinet, ſed ſeorſim aliud genus ſtudij eſt, Scriptura manente ſimpliciſſima doctrina totius fidei, ſpei, charitatis & omnium bonorū operum. 1. Cor. 14.

Vnus ſimplex ſenſus Scripturæ.

Præter hanc quatruplationem & alterum monſtrum inuexerunt Scripturæ, quod hic Propheta ſortes vocat ſuper inconſutilem tunicam. Fatentur enim omnes, quod Chriſtus Ioh. 10. dicit. Nō poteſt ſolui Scriptura, & eius autoritatem prorſus illæſam eſſe oportere, cui neq; liceat contradicere, Iohan. 10.

Sortiri ſuper inconſutilem tunicam.

neq;

neq; eam negare. Hanc aſſumptionem ſiue maiorem theologicæ ſynthereſeos vniuerſi conſtanter affirmant. Verum vbi ad ſubſumptionē & minorem venitur, mox merum ludibrium è Scriptura faciunt Milites iſti, ea licentia gloſſandi & diſtinguendi, vt totius Scripturæ eludant vim & autoritatem. Neque enim hodie vel Papam vel Thomiſtam per Scripturas reuincas, etiamſi confiteatur ſcripturæ autoritatem. Non ſcindamus eam (Inquiunt) ſed ſortiamur de ea cuius ſit.

Gloſſandi & diſtinguendi licentia.

An non eſt hoc ſortiri ſuper Scripturam, eam pro libidine trahere quocunque viſum fuerit? Nonne hanc autoritatem interpretandæ ſcripturæ Magiſtri noſtri in Vniuerſitatibus per manus ſibi tradunt? Donec eo venerint, vt riſerint allegantem Scripturas, ipſi inuictiſſimis (vt aiunt) rationibus pugnantes. Sortiuntur ergo, dum non, quid Scriptura flagitat, docent, ſed tentat quiſque fortunam ſuam, qua ſuo ſenſui eam aptare queat, & ſibi propriam facere. Hoc enim quia pugnantibus mutuo diſputatoribus & expoſitoribus fit, non ſine periculo fit, hoc eſt vere ſortibus veſtem Chriſti obtinere, Neque enim ſua imputat, niſi victo aduerſario, ſuis ſenſibus eam aptauerit.

Autoritas interpretandæ ſcripturæ.

In hoc ſortilegio Papa (ſicut decet) Princeps eſt militum, qui ſtatuto omnibus generali Edicto, docet ad ſe tantum pertinere, Scripturas interpretari definitiue, quod alijs concedit facere magiſtraliter, diſputatiue & inquiſitiue, ſed non determinatiue. Sic enim cum ſuis Colluſoribus ludit, vt tamen ſors ad eum ſolum cadat, & in manu ſua ſit ſolius Scripturam interpretari. Quin eo proceſſit iamdudum huius luſus victoria, vt Papa ſuper Scripturas eleuetur, nec id iniuria, quia dominus rei, merito ſuper rem ſuam eleuatur (etiam quam ſorte & ludo obtinuit) Vt liceat etiam ei diſpenſare aduerſus Euangelium & ius diuinum Exempli gratia.

Princeps militum Papa in ſortilegio Scripturæ.

Huius ſortis opus eſt, quod de Votis docet, extra de votis & voti redemptione, vbi Oue aſinum mutandum trahit eo, vt votum ei mutare liceat, & prioribus quibusdam Decreti Diſtinctionibus de Primatu ſuo, Petram appellat ſeipſum, & Eccleſiam, Eccleſiam Romanam, & Claues ius condendarum legum. Et Iſa. 10. de ſerra à ſerratore tracta, facit cæteras Eccleſias à Romano Pontifice oppreſſas, Et c. ſolitæ. & c. ſignificaſti, quid faciat alibi diximus, Talibus ſortilegijs refertum eſt vniuerſum chaos Decretorum & Decretalium eius.

Papa ſuper Scripturas eleuatus. *Petra Eccleſia. Claues.* *Eſa. 10.*

Itaque nunc Scripturam ſanctam talem habemus, vt ſi etiam ſimpliciter proferatur extra quadruplationem prædictam, tamen non niſi eo ſenſu doceri permittitur, quem incertum futurum è Romana ſede expectamus, Sors iacitur & quæritur eius intelligentia. Sed quia non noſtrum eſt definire, & incertum eſt, in quam inclinaturum ſit ſacroſanctiſſimum ſcrinium pectoris illius ſanctiſſimi (niſi vbi certum eſt in ſuum quæſtum & tyrannidem tortam eſſe Scripturā) euentū & fortunæ menſam (vt Iſa. 65. ait) adorare oportet.

Huc pertinent illæ religioſæ ſubmiſſiones & proteſtationes in Scholis & templis vniuerſiſque concionibus fieri ſolitæ. Nemo audet dicere. Hæc eſt Scriptura, ſed proteſtor (inquiunt) me nihil velle dicere, quod ſacroſanctæ Eccleſiæ Romanæ aduerſarium ſit. Quid ergo docent hodie in populo Dei? Nihil niſi reſeruationes illas incertas ſacratiſſimi ſcrinij pectoralis, quod non vno dæmone obſeſſum horrendis mendaciorum abominationibus in omnē terram vaſte inundat. Sic Scripturas neque negatas, neq; diſſolutas habemus, maneiq; tunica illa inconſutilis deſuper contexta per totum, ſed ſortibus ſceleratorum Pontificum & Theologorum merum ludibrium & incerta poſſeſſio efficitur. Quomodo enim fidem certam doceas, quando ſenſum incertum facis?

Fortunæ menſa. Eſaiæ. 65.

O horrendum ſpectrum, Non ſolum extingui vocem Euangelij, ſed

S I, iiij etiam

etiam literam eiuſdem dubiam & fortuitam facere, ne qua ſpes ſit reſuſcitandæ, Atq; ij ſunt, qui optime hodie docent, dum incerta omnia docent, nihil volentes à ſe aſſertum, cum fides, niſi ſit certiſſima fides, eſſe non poſſit.

Vniuerſitates doctorum matres, Scholaſtici. Doctores ſcholaſtici. Hic iam inſpice portas illas inferi, Vniuerſitates doctorum Matres, & quam fatali nomine, Scholæ, id eſt, ludi appellentur, ipſo nomine pene ſortilegium hoc ſacrilegum præ ſe ferentes, & quam recte doctores dicti ſint Scholaſtici eodem fato, id eſt, ludicri vel illuſorij. Si neſcis igitur, qui ſint illi milites quatuor, Magiſtri illi noſtri eximij ſunt, quatuor ſenſibus ſcripturæ quadruplantes (atque hi ſunt nondum peſſimi) & ſortibus ſuarum illuſionum, (quas expoſitiones vocant) Scripturas ludibrium facientes, atque hæc milites (inquit Euangeliſta) fecerunt. Quis ſcit an iſte quaternarius & hoc voluerit, quod vniuerſitates futuræ erant quatuor Facultatibus conſtantes, quo nobis præcaueret, quam inſigni abominatione coram Deo fœteant glorioſiſſimæ illæ ſtudiorum Matres. *Locus ex cap. 9. Apocalyp.* Huc pertinet egregium illud Cap. 9. Apocalypſis, de quatuor angelis, equis, capillis, coronis, locuſtis, de puteo abyſſi venientibus, vt Vniuerſitates non alio loco plenius ſignatas habeamus. *Apoc. 9.*

Quid ſi Apoſtolus Ephæ. 4. hæc portenta voluerit? Vbi dicit, *Ephe. 4.* Non ſimus paruuli fluctuantes, & circum agitati omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in aſtutia ad circumuentionem erroris, Græce enim dicit, *Kybia.* *Ἐν τῇ κυβείᾳ τῶν ἀνθρώπων, ἐν πανουργίᾳ τῆς πλάνης.* Kybia autem à teſſerarum luſu dicitur, Vt ſit proprie aliud nihil quam verbis diuinis, ceu talis luſorijs vti, nihil certũ in eis aſſerere, ſed varijs opinionib. iactare. Quo verbo velut ſpiritu intento, ſortem hanc militum explicuiſſe, & Scripturæ illos luſores, Pontifices & Magiſtros noſtros inſignite prædixiſſe videtur. Quid enim his vagis opinionibus & incertis doctrinis faciunt, niſi quod nos paruulos velut omni vento fluctuantes agunt & cogunt quocunque volunt?

Panurgia. Iam Panurgia quoq; eorum maleficia, ſeu vt Hieronymus vocat, Circulatorum ludos taxat. Si enim tempore Hieronymi erant Panurgi, qui circulatorum more Scripturis luderent & quiduis ex ea ſimularent, quando ſolum myſterium iniquitatis operaretur, Quid interim factum eſſe putamus tot ſeculorum aucta nequitia? Et quid nunc fiat, regnante abominatione? Vide Pontificum & doctorum libros, nil niſi panurgian videbis, Atque hæc ſatis ſint de horribili hac ſorte & partitione veſtium.

VIdimus itaq; ſpiritum Prophetæ in Chriſti paſsione potiſsimum ea tractare, quę ad verbi miniſterium & vſum pertinent, de impijs Magiſtris ſcilicet & infelicibus Auditoribus, Nam quid mali mores in *Morum nequitia. Fidei vaſtitas.* Eccleſia ſint & faciant, Propheta tacet, Sed Chriſti paſſio non tacet, de qua te pro occaſione danda bonis mentibus paucula videamus. Quia morum nequitia tam eſt manifeſtaria, vt facile omnibus cognoſci poſſit, At fidei vaſtitas, verbi oppreſſio & Scripturæ temeratio ſpecioſiſſimis titulis graſſantur, Ideo nõ propheticis verbis, ſed ſolo aſpectu Chriſti nobis proponitur conſideranda.

Caput Chriſti. Capilli barba. Caput Chriſti, ipſum Chriſtum ſeu fidem & doctrinam Chriſti ſignificat, cuius capilli & barba eos ſignificant, qui proximi Chriſto ſunt, nempe populorum Paſtores, qui in verbo Dei præſunt populo. Sic enim Pſal. 68. Verticem capilli contriturum ſeſe dicit. id eſt, ſacerdotes ſynagogę. Et *Pſal. 68.* Iſa. 3. pro criſpante crine caluitium ſeſe daturum. Et in Canticis ſponſa, comã *Eſai. 3.* *Can. 5.* *Locus ex Can. 5.* ſponſi nigram eſſe ſicut coruũ, id eſt, abſconditos in ſpiritu & ſanctos Paſtores ſine vlla ſpecie, & cincinnos eius plenos rore & guttis noctium cantat, hoc eſt, laudat Apoſtolos & apoſtolicos viros paſtores in Eccleſia. Sic & per cæſariem *Cæſaries Abſalom.* luxurioſiſſimam & pulcherrimam Abſalom, ſuperbiſſimum & delicatiſſimum ſacerdotiũ Iudęorum figurauit ſpiritus. Et Pſal. 133. Vnguentum capitis *Pſal. 133.*

Aaron in Barbam, & de Barba in oram veſtimentorum eius deſcendere canitur, hoc eſt, gratiam ſpiritus, per Paſtores in populum miniſterio ſanæ doctrinæ venire.

Spinæ.

Porro, Spinas ſignificare vel impios vel auaritiam ſeu diuitias impiorum cogit Chriſtus Lucæ 8. vbi Semen ſuffocatum ſpinis, exponit verbum ſolicitudine ſeculi & fallacia diuitiarum impeditum, Et Can. 2. Sicut Lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias. Et 2. Reg. 23. Impij ſicut ſpinæ euellentur. Et Iud. 9. Ioathan appellat Abimelech rhamnum & Siccimitas ſpinas. Et Pſal. 118. Exarſerunt ſicut ignis in ſpinis. Stet ergo, ſpinas eſſe impios Magiſtros, ventris animalia, diuitijs & curæ huius vitæ deditos, quales facit eos vniuerſa Scriptura, vt ſupra ſatis diximus.

[*Lucæ 8. Can 2. 2. Reg 23. Iud 9. Pſal. 118.*]

Spinea corona poſita in caput Ieſu.

Ex quo nunc facile eſt intelligere, quæ nam ſit ſpinea iſta corona à Militibus plexa & poſita ſuper caput Ieſu, nempe, colluuies iſta hominum impiiſſimorum Papæ, Cardinalium, Epiſcoporum & quidquid eſt Prælatorum, Maiorum, ſeſe mutuis nexibus pertinaciſſime complectentes, & inuicem operas mixtas tradentes, diuitijs inæſtimabilibus incraſſati (magnas enim ſpinas fuiſſe dicunt) & inaudita luxuria & pompa huius ſeculi ſuffocati. Et tamen hos indoctos & inulſos homines paritur Eccleſia in loco ſuo ſuperiori inter capillos capitis ſui, id eſt, impoſitos ſuper Parochianos & verbi miniſtros, Hos enim obſident & opprimunt cum ad verbum & fidem nihil magis ipſi ſint idonei & vtiles, quam ſpinea corona capiti & capillis Chriſti, tantum ad vexandos & opprimendos ſuis tyrannis Iuriſdictionibus parochianos & populorum curatores præualidi.

Caput & tota facies Ieſu cum capillis & barba cruentiſsime deformata.

Interim violantes ſacrum illud caput fidei & verbi, & totam faciem cum Capillis & Barba, cruore largo fœdiſſime deformant, vt non ſit ei ſpecies, Hoc fit dum corruptiſſimis, auaritiæ, ſuperbiæ, luxus, libidinis & ſceleſtiſſimorum ſcelerum moribus impune & licentioſiſſime graſſantibus, Eccleſiæ conuerſationem totam reddunt ſanguineam, hoc eſt, ipſo mundo mundaniorem, ipſis carnalibus carnaliorem. Quid n. mundanius hodie ſanctiſſimo Chriſti vicario & ſuis Cardinalibus, Epiſcopis & Prælatis? Quis regum maiores ditiones? Quis Principū maiores opes? Quis maiores pompas, luxus, ocia, & omnia quæ excogitari poſſunt, aut vnquam fuerunt, habet, quam hoc regnum Papæ, pro honore Dei & gloria Eccleſiæ ſanctæ? Interim ij, qui verbum docere deberent, vix panem habent, nec tamen audent loqui. Adeo iſta corona ſpinea totum caput cum coma & barba oppreſſit & abſcondit.

Regnum pontificium ſuis coloribus depictum.

Si quis ſuadente diabolo &c.

Scilicet hoc voluerunt ſuis illis ſacratiſſimis Decretis, quo prohibent, Ne quis ſuadente Diabolo, peſtilentibus eorum criminibus mederetur, Ne inferior ſuperiorem indicaret, Ne laicus clerum corriperet, Ne Papam vel Concilium ipſum puniret. Omnia enim ſic poſuerunt, vt eſſet eorum impunita nequitia, & haberent ſecuram licentiam quodlibet audendi, ſicut eſt dies hæc, Sic regnat homo ille peccati, & filius perditionis Papa, Tunc illud Iſaiæ, cum Chriſti ſpecie impletum eſt, Non erat ei ſpecies neque decor Quis enim hodie in Clero aliud videt quam auaritiam, faſtum, libidinem, & omnia ſcelera, Idque impune adeo, vt ſi reſiſtas, excommuniceris, vt qui Eccleſiā Dei violaris, & miniſtros eius inuaſeris, Cum tamen ipſi, vt prima pars Eccleſiæ, ſanctimonia & doctrina Chriſti faciem dulciſſimā debebant puriſſime referre, Vbi ergo facies Eccleſiæ? non erat (inquit) aſpectus, vnde nec reputauimus eám.

Homo peccati & filius perditionis Papa.

[*Iſa. 53.*]

Romanum imperium abolitum à Papa reſtituitur.

Venimus ad purpuream chlamydem, quæ Regum veſtis eſt, regnum etiā ſignificat. Mihi plane illud inſigne opus Antichriſti videtur, quo operante Satana Imperium Romanum abolitum Papa reſtituit, & ſibi ſubiecit, transferens illud à Græcis (vt ait) ad Germanos, Quid enim abiecta illa purpura (neque enim Chriſtum induerunt aliqua inſigni & quæ eſſet in

vſu

Google

Cur Rom. imperium transtulerit Papa ad Germanos.

viſu,ſed quæ iam detrita deſijt geſtari)niſi Romanum Imperium, quod cum Papa arripuit cum iam defloruiſſet ac cecidiſſet? Nec alia cauſa ad Germanos tranſtulit,quam quod homines feroces,ſed ſimplices & fidos,hoc oſtento ſibi ſubijceret,perq; eos ſeſe tutum ac defenſum in omnes voluntates ſuas redderet,non ipſos,ſed ſeipſum imperatorem Romanum faceret, imo nomen Imperatoris & titulum Imperij barbaræ genti (vt dicunt) tribueret,ſibi vero & rem & ius retineret,ac iam non Imperator Romanus,ſed Imperator imperatoris Romani fieret,Quod vt aſtutius impleret, curauit, vt Clerus ſuus, nempe tres Epiſcopi maximi Germaniæ immiſcerentur & electores Imperij cenſerentur.

Papa, Imperator Romani Imperatoris.

Eccleſia pro Chriſti veſtibus induta gloria imperij.

Itaque pro veſtibus Chriſti, nunc Eccleſia Induta eſt gloria Imperij.Non in verbo & fide,non in Scripturis nititur,ſed in brachio ſeculari & cruento imperio confidit,tanto enim ſanguine conſtitit hoc imperium Germanis,vt non fruſtra Spiritus hanc chlamydem purpuream eſſe voluerit,Adhuc tamen in eo nititur Sanctiſſimus vicarius Dei cum Eccleſia, adhuc ſtultus populus Germaniæ ſanguinem ſuum pro ijs monſtris prodigit. Et canitur illis, Imperium non eſt extra Eccleſiam,id eſt, Chriſtus non illuditur niſi in purpura.Quin hoc imperium ſacrum appellari viſum eſt, quod non à Deo, ſed à ſanctiſſimo Vicario Dei ſit paratum,qui quidquid volet ſacrum eſt.Cogitur ergo Eccleſia Dei calamitoſiſſima huius Imperij fictiej gloria circundari & illudi,ſedetque in medio imperio horribili ſpecie.

Imperium non eſt extra Eccleſiam.

Quod arundinem dant in dextram eius, videtur mihi hoc ſignificare,quod per ſimulatum rudis Germaniæ imperium ſtabilita tyrannide Antichriſti huius Romani,introducta eſt Philoſophia & inanis fallacia,vt Apoſtolus Col.2. prædixit,& alibi operationes erroris appellat,per quam infelix populus Chriſti nouo doctrinæ genere cœpit regi, id eſt, ſeduci, & ab Euangelio Dei auocari. Acceſſit ad iſtam perniciem Decretalium Papiſticarũ editio,ſeu,vt Apoſtolus ait,traditiones hominum & elementa mundi. Et ex his duobus puteis abyſſi aſcenderunt Locuſtæ illæ vaſtatrices terræ, geminæ ſcilicet facultatis profeſſores,Theologiæ & Iuris, Horum enim ſapientia adminiſtratur tyrannis Papalis,hi ſedent in omnibus Dioceſibus. Iuriſtæ quidem conſiſtoria,Theologi cathedras templorum occupant,vtrique nihil Chriſti, ſed omnia Papæ & Ariſtotelis docent,& miſero populo inculcant. Ecce hoc eſt ſceptrum regale & virga prauitatis regni Antichriſti.

Arundo in dextram data. — *Coloſſ. 2.* — *2.Tim. 2.* — *Apoc 9.*

Iuriſtæ. Theologi.

Virga regni Antichriſti.

Nec fruſtra Matthæus arundinem datam dicit in dextram eius,non in ſiniſtram,videlicet futurum erat, vt Antichriſtus ſua dogmata, quibus Eccleſiam illuderet, ſub ſpecie regiminis Eccleſiaſtici, non tantum ferret ſuper corpora & res temporales quæ ſunt à ſiniſtris noſtris,quemadmodum ciuiles leges feruntur,Sed in conſcientias irrumperet,eaſque illaquearet coram Deo & in ſpiritualibus, quæ à dextris noſtris ſunt, & in loco Dei regnaret,fulminibus & cenſuris eo populos adigens,vt non minus peccare ſeſe crederent,ſi ſua mandata non admitterent,quam ſi Dei mandata repellerent, Imo magis quam Dei mandata timerent,vt ſola arundo in dextera Eccleſiæ imperaret.Huc enim illud torſerunt 1. Reg.15. Melior eſt obedientia quam victima, Et obedientiam hanc ſacrilegam ſic extulerunt, & ſignis mendacibus, quæ ad cenſuras illorum ſequebantur,ſic roborauerunt,vt obedientiam fidei funditus perderent,nec aliquando meminiſſent. *1.Reg.15.*

Arundo non in ſiniſtram ſed dextram data &c.

Et quid tamen eſt doctrina,Philoſophiæ,& iuris Canonici, niſi mortua, ſterilis & inanis arundo? quæ ſimilis pleno & ſolido ligno ſceptrum mentitur magis quam repræſentat,vere inanis fallacia, Nihil enim in doctrina eiuſmodi,niſi vanitas & mendaciũ, titulo & nomine ſcientiæ & pietatis, propoſita eſt,

Doctrina Philoſophiæ iuris canonici &c.

Fidei doctrina neglecta.

ſita eſt, qua fides, quæ ſola veritas eſt, non docetur, ſed veſtium, ciborum, domorum, corporum, dierum, perſonarum, aliarumque rerum, conſecrationes, obſeruationes, diuerſitates & infinita alia pompæ ſpecioſæ vaniſſima portenta, quibus ſimplex vulgus à veritate illicitur in vanitatem. Hæc eſt illa oppoſitio falſo nominatæ ſcientiæ & prophana vocum inanitas, quas Timotheum vitare mandauit Apoſtolus. *Tim. 3.*

Præter inanitatem vero, & aliud habet arundo myſterium, quod Chriſtus explicuit Matth. 11. vbi dicit, Quid exiſtis videre, arundinem vento agitatam? ſcilicet quod Euangelium conſtantis ſit veritatis. Fallacia autem inanis papiſticæ doctrinæ & philoſophicæ Theologiæ, non niſi arundo opinionum & quæſtionum ventis agitata, & conſcientias nulla vnquam pace quietas eſſe permittens, & ſicut Iſa. 28 dicit. Nihil hic, niſi manda, remanda, expecta, reexpecta, modicum ibi, modicum ibi, Donec ad ſcrinium illud pectoris ventum eſt, quo nihil inconſtantius, ſceleratius, mendacius, vanius ſub ſole ortum eſt, & tamen ad eius inconſtantiam moueri neceſſe eſt tot Regionum populos, O furor iræ Dei. *Myſterium arundinis aliud Matthæi 11.* *Manda, Remanda &c. Eſa. 28.*

Adoratio autem illuſoria, qua genu flectunt & dicunt, Aue Rex Iudæorum, mihi figurat tumultum illum confuſionis, qui hodie & in doctrinis prædictis & vſu hominum dicitur cultus diuinus, Siquidem cultus diuinus verus, eſt fides, ſpes & charitas in Deum & proximum, quibus homo vetus mortificatur, & nouus de die in diem renouatur, vbi orationes puræ, ieiunia ſalutaria & beneuolentia mutua in moribus optimis fructificant. *Cultus Dei verus, fides, ſpes &c.*

At iſto cultu veritatis iamdudum obliterato per papiſticam arundinem, alius cultus diuinus erectus eſt, qui eſt, magnas & ſumptuoſas moles templorum in cœlum erigere, eaſque infinito numero, tum intus vaſis, tabulis, picturis, imaginibus, ſculpturis precioſiſſimis repleri magis quam ornari, ad hæc ſacerdotum veſtes ſacras inæſtimabili & precio & numero augere. His tum ad cultum hunc diuinum paratis multiplicari homines raſos & digitis vnctos, qui ne tantas domus fruſtra ædificauerint, clamoribus inſanis, aut murmure inceſſabili repleant, & Horas ac Miſſas ita cantent, vt vere irridere ex animo viderentur. Niſi inſania papiſticæ doctrinæ capti non intelligerent hanc furiam aliud nihil eſſe, quam Chriſtum genu flexo illuſorie adorari, iamdudum flagellatum & coronatum ſpinis ac purpura indutum. *Cultus impij inſtituti, deletis veri.* *Chriſtum genu flexo adorare.*

Si hoc non eſt illudere Chriſtum & populum eius, qui eſt Eccleſia, rogo quid tum erit illudere? Ad orandum conueniri oportuit, & ad verbum Dei audiendum domos haberi qualeſcunque. At nunc ad clamandum ad aures & oculos paſcendos conuenitur, & ædificantur ornanturque omnia ad titillandos ſenſus carnis. Nam in hunc vſum & campanæ, organa & vniuerſa muſica, ceu altare Damaſci in templum Dei tranſlata ſunt, Quibus omnibus Deus quaſi Idolum illuſione dignum ridetur. Nam ſub ijs pompis cæremoniarum (vt dixi) fides & charitas, verus cultus non modo non alitur, ſed etiam extinguitur, vt homines loco fidei in talia opera diſcant confidere, & loco charitatis ſubſtantiam ſuam profundant, ad exornandos lapides iſtos & ligna, nihil interim habitis proximi neceſſitatibus. *Templa.*

Et augent hunc deplorandum populi errorem ſtrenui iſti & ſacrilegi Pontifices, Sacerdotes & Monachi, dum prætextu Purgatorij auaritiam ſuam infinitam totius mundi opibus deuorans ſatiare nituntur. Neque enim finis eſt Anniuerſariorum, Vigiliarum, Miſſarum, aliarumq; (quas vocant) Fundationum, In quibus tamen omnibus nihil mandati diuini reperias, imo omnia contraria mandatis diuinis, cum Deus in fide & charitate ſui cultum cõſtituerit, At iſti in ſuis cæremonijs, ritibus & operibus à ſeipſis repertis. *Anniuerſaria.* *Miſſæ.* *Vigiliæ.*

Iſte

Iſte eſt cultus Moloch in valle Ennon, Sicut enim Manaſſe oblitus (iuxta
Cultus Moloch. Manaſſe filios per ignem luſtrauit.
nomen ſuum) Dei & legis eius, filios ſuos & populi ſui per ignem luſtrauit, &
interim ne eiulatus ardentium filiorum audiretur, tympanis & alijs organis
magna confuſione ſtrepentibus (vt dicitur) parentum animi occupabantur, vt
filiorum tam crudeles & ſacrilegas mortes alacriter ferrent, & Deo ſummum
obſequium ſeſe præſtitiſſe crederent. Ita & iſto cultu noſtri Moloch agitur, vbi
Cultus noſtri Moloch.
tot pompis veſtium, vaſorum, vocum, geſtuum, organorum & horum prædi-
catione & commendatione velut tympanis & tubis capti oculis & auribus,
interim non intelligant quam ſacrilega idolatria, tot animas perdunt & igni
gehennæ immolant, Quin præ hoc inſano cultu legitimi illius & veri cultus
ne meminerunt quidem.

Percuti vero caput eius arundine, ſignificat ſacroſanctas illas,
hoc eſt, ſacrilegas determinationes Eccleſiæ in quæſtionibus fidei (vt vocant)
deſcindendis vſitatas, Vbi etſi palam non negent Chriſtum, nec caput eius
amputent, cum oporteat puram fidem in aliquibus manere in finem mundi,
Percuti arundine caput Chriſti.
tamen ab arundine iſta publicam patitur tyrannidem, & non determinatur
ſecundum Spiritum veritatis, neque per autoritatem Scripturarum, ſed per
arundinem Papæ, ſecundum inanes traditiones hominum, (ſeruato ſemper
nomine Chriſti & Eccleſiæ in ſpeciem.)

Eſſentiam Dei nec generari nec generare
Concilium Conſtantienſe.
Huius generis ſunt, Eſſentiam Dei nec generari nec genera-
re, Animam eſſe formam corporis ſubſtantialem, Panem & vinum transſub-
ſtantiari in altari, vnam tantum ſpeciem Laicis dari pro ſacramento integro,
& ſimilia portenta, qualia in Concilio Conſtantienſi multa ſunt determinata,
Denique quidquid Papiſtis libuerit, articulus fidei eſt. Vere enim tunc in ca-
put percuſſa & illuſa, imo proſtrata veritas cum Iohanne Huſs, & ſtatuta abo-
minatio traditionum papalium in loco ſancto.

Interim non ceſſauit in publico conſpui veritas, & in faciem illudi, Aſſe-
Veritatem in publico conſpui &c.
ruiſſe enim aliquid illic & Romæ, aut in Scholis damnatorum vnanimi o-
mnium furore pro execrabili conſpuenda & deteſtanda hæreſi exprobratum
eſt, & exprobratur adhue, Ita fides non modo extincta iacet, ſed opprobrium
eſt ſuis fidelibus tanquã hæretica, ſcandaloſa, ſeductoria, ſchiſmatica & eius-
modi alijs ignominiæ titulis fœdata, Vt ſicut Chriſtus nouiſſima paſſione Iſa. 53.
cum ſceleratis reputatus eſt, Ita & ipſa poſt multas tyrannorum & hæretico-
rum perſecutiones nouiſſimam hanc patitur, vt cum damnatis & abominan- Dan. 12.
dis erroribus reputetur. Ecce hæc tempora nouiſſimæ iræ, de quibus Daniel 2. Tim. 3.
prædixit, Hæc tempora periculoſa, de quibus Paulus præmonuit, vbi omnia
Tempora nouiſſimæ iræ.
Chriſtus tradendus gentibus ad flagellandum
Antichriſtus Romanus.
vaſtantur. Hoc eſt vaticinium illud horrendum Chriſti, quod non Iudæis, ſed
gentibus tradendus eſſet ad flagellandum, illudendum & crucifigendum,
Nam in gentium Eccleſiam implentur hæc omnia ſub duce Romano Anti-
chriſto, qui eſt miniſter erroris, apoſtolus Satanæ, homo peccati & filius per-
ditionis, quem ô vtinam propediem interficiat Dominus Ieſus ſpiritu oris ſui, 2. Theſ. 2.
& deſtruat illuſtratione aduentus ſui, Amen.

Sed ecce flagellationem prætermiſimus, Breuiter Pſalmus ſe- Pſal. 2.
cundus docet Chriſtũ in virga ferrea paſcere populos. Et Iſa. 11. Virga oris ſui Iſa. 11.
percutit terram, Sed & 3. Reg. 12. Salomonis duriſſimũ iugum populus que- 3. Reg. 12.
ritur, quod Roboam appellat flagella, dicens, Pater meus cecidit vos flagellis,
Flagella & ſcorpiones Papæ &c.
ego cædam vos ſcorpionibus. Quare flagella & ſcorpiones Papæ duriſſimum
iugum arbitror, quo per leges ſuas vulgi conſcientias diſcruciat & grauiſſime
affligit, Et potiſſimum ſuſpicor Carnificinam illam hic figurari, qua in Sacra-
Auricularis confeſſio.
mento pœnitentiæ tyranniſat duriſſima illa lege occultæ & auricularis con-
feſſionis & ſatisfactionis. Quis enim numeret, quot vulneribus hic læſæ ſunt
conſcientiæ populi Chriſtiani, dum tot peccatorum generibus, ſpeciebus,
differen-

differentiis,nepotibus,filiabus,membris, partibus recogitandis, diſcutiendis, inueniendis ſunt vexati? Quando res etiam ad impoſſibilia venit,vt ſcilicet omnia peccata confiteri ſub periculo ſalutis adacti ſint miſeri & perituri, ſi vnum aliquod obticuerint, Deinde exactiones illæ ſatisfactionum, precularũ, operumque aliorum turbines animorum inundauerunt, dum infelicem populum pro peccatis non fide,ſed operibus ſatisfacere docuerunt. *Exactiones ſatiſfactionum &c.*

Vbi neceſſe fuit,vt nullius conſcientia vnquam pacem haberet, ſed aſſiduis flagellis verberaretur tyrannicarum iſtarum legum violentia. Nec enim pax eſſe poteſt conſcientiæ,niſi ſciat peccatum remiſſum & ſatisfactum, At operibus in infinitum completis ſcire non poteſt remiſſum eſſe peccatum, & tamen per ea quæritur ſcientia iſta per impiorum iſtorum doctrinam,cum ſola promiſſione Dei & remiſſio & pax obtineatur per fidem in illam. Vere ergo ſine vlla cauſa flagellis cæſi ſumus, vt & de nobis illud cum Chriſto dici poſſit. *Congregata ſunt ſuper me flagella & ignoraui,* id eſt,non erat cauſa, & fruſtra flagellis ſum obrutus. Et hoc quidem eſt iugum noſtri Roboam ignauiſſimi,ob quod & Iſraël ab eo ſciſſus eſt, tota Eccleſia orientali à tyranno Romano alienata.in quibus tamen ſpes eſt relinqui ſeptem millia virorum, qui non adorent Baal, ſicut in illo veteri populo relinquebantur. Quid ſit Chriſtum ſuis veſtibus illuſum indui,felle & aceto potari & reliqua, aliis relinquo,occaſionem dediſſe contentus,ne nimio prolixus ſim. *Flagellis cæſi in Papatu.* *Iugum noſtri Roboam.* *Chriſtum aceto potari.*

Tu autem Domine ne elongaueris auxilium tuum à me,ad defenſionem meam conſpice.

EBræus, me iudice,ſic habet, Et tu ô Domine ne elongaueris, ô fortitudo mea,ad auxilium meum feſtina,ſeu vt Pſal. 70. eadem verba melius tranſtulit ad adiuuandum me feſtina, Licet hic variet & defenſionem ex auxilio & conſpice e feſtinandi verbo faciat, ſimul diſtinctionem confundens,Sic nomen Aialuthi,reddit auxilium tuum à me, cum neque tuum neque à me ſit in Ebræo, Tamen auxilium meum verti poſſet in hunc ſenſum, Tu,qui auxilium meum es vnicum,feſtina ad me adiuuandum. Sic & alemanice dicitur. Du biſt mein hülff vnd troſt/eile vnd hilff mir. Putarat n. nomen Dei El (quod aliquoties Fortem transferunt) ab iſto aialuth venire, quaſi, El ab auxiliando dicatur, quia ſolus eſt omnium Saluator,maxime autem fidelium. Abunde autem ſatis dictum eſt de verbis abſolutis,quale eſt hoc loco, Ne elongaueris,id eſt,ne ſis mihi à longe,ne tardes adeſſe &c. *Pſal.70.* *El Aialuth.* *1.Tim.2.*

Incipit hoc verſu orare & prophetare,quia emerſit iam, & finitis quere lis ad victoriam tendit agon paſſionis eius,& alijs nunc affectibus loquitur, fructum ſcilicet paſſionis ſuæ cantaturus,qui eſt conuerſio populorum ad fidem ſui per Spiritum ſanctificationis ex reſurrectione mortuorum Ieſu Chriſti Domini noſtri, vt Paulus Rom.1. dicit, per quem Spiritum, declaratus eſt miniſterio Euangelij filius Dei,in ſalutem omni credenti. Primũ ergo orat pro ſeipſo,non quidem ſui gratia,ſed ut per ipſum narretur nomen Dei,& ſic per verbum eius conuertantur populi ad Deum,& glorificetur Deus in miſericordia ſua. Tribus autem verſibus vrget hanc orationem, verbis multo & magno affectu conceptis, Quorum primus eſt hic, *Et tu Domine ne elongeris, auxilium meum,ad adiuuandum me feſtina,* Prope eſſe & feſtinare Deum petit, ſiue quod affectus patientis longe eſſe putat auxilium, ſiue quod non diu in morte relinquendum ſeſe orat, Cæteros enim omnes Deus differt vſque ad iudicij diem. Hunc vnum feſtinauit ſuſcitare à mortuis. *Orare & prophetare incipit.* *Fructus paſſionis.* *Rom 1.* *Chriſtus orat prò ſeipſo &c.*

Nec eſt cogitandum, quod adiuuari petat in vita ſeruanda, cum in prædictis patuerit, quomodo in puluerem mortis & longe aliter quam antiqui Patres derelictus ſit. Iſtæ enim ſunt preces & ſupplicationes, quas eum cum lachrymis obtuliſſe ſcribit Apoſtolus Ebræ. 5. ad eum, qui ſaluum poſſet facere à morte & exauditum pro ſua reuerentia. Quare ex conſequentia Pſalmi vim & cauſam huius Orationis capere oportet, ne ſimilis eſſe credatur noſtris aut vſitatis hominum orationibus pro huius vitæ neceſſitatibus orantium. Ebræ. 5.

Erue à framea Deus animam meam,
Et de manu Canis vnicam meam.

DEus non eſt in Ebræo, & vnicam, melius vertiſſet ſolam vel ſolitariam. Vult enim dicere, animam ſuam eſſe ſolam ab omnibus derelictam, neminem eſſe qui quærat, curet, ſoletur; vt Pſal. 142. dicit, Periit fuga à me, & non eſt qui requirat animam meam. Er conſiderabam ad dextram, & non erat, qui cognoſceret me. Scilicet quod ſolitudo per ſe quædam crux eſt, multo magis in tantis cruciatibus ſine exemplo ſineque ſocio eſſe moleſtum eſt. At tales & nos omnes in qualibet vel mortis ſaltem paſſione eſſe oportebit, & cum Pſalm. 25. clamare. Reſpice in me, & miſerere mei, quia vnicus & pauper ſum ego. Pſalm. 142. *Solitudo.* Pſalm. 25.

Framea. Frameam Pſalm. 9. & 16. vidimus ex Ebræo fonte venire, & à ſcindendo gladium dici, & tum perſecutorem tum perſecutionem ipſam ſignificare propter affectum ardentem & acutum, quo inſaniunt impij in pietatem. Conantur enim aduerſarij ſummis ſtudijs, & pios & pietatem abſcindere, & ex hominum memoria tollere. Inde & gladio tribuitur os in Scripturis, quod acie ſua deuoret viuentes, ſicut Deut. 32. dicit, Gladius meus deuorabit carnes, Et in aliis locis frequenter legimus, In ore gladij eſſe percuſſam ciuitatem, vel occiſos populos. Ita & hic Chriſtus ſeſe gladio deuorari queſtus, petit erui & à morte reduci. Idem eſt quod dicit, De manu Canis, reſpiciens ad titulum, in quo ceruа dictus eſt, quæ canibus obijceretur. Er videmus canum vehementem impetum in feras, quas, niſi ſit qui obſtet, omnino occidunt & deuotanr. Vt & hoc verbo iudaicam deuorandi Chriſti ferocitatem exprimat, atque adeo, quia ſolus erat, deuoratus eſt, Ideo erui petit de manu Canis (id eſt, canum per Synecdochen) in cuius poteſtatem ſeſe veniſſe queritur. Pſal. 9. 16. Deut. 32. *In ore gladij.* *Impetus canum in feras.*

Salua me ex ore Leonis,
Et à cornibus Vnicornium humilitatem meam.

VIde auxeſin, frameam, Canes, Leones, Vnicornes cauſatur, nec ſimpliciter frameas, canes, leones, vnicotnes nominat. Sed frameam in anima & vita iam ſæuientem, & manum Canis & os Leonis, & cornua Vnicornium, vt non conatum, ſed opus eorum oſtendat in ſeſe perpetratum. In manu enim Canis, & iam laniatus eſt, qui de manu eius petit erui, & in ore Leonis eſt, iam occiſus & deuorandus, qui ex ore eius ſaluari petit, & cornua Vnicornium expertus eſt, qui à cornibus eorũ ſaluari petit. Quanta ergo ferocia, quæ ſolus frameæ nomine & opere ſignificari non ſatis potuit, Sed laniantis Canis, deuorantis Leonis, & ferientium Vnicornium furore vix depingitur, ſcilicet nullum eſt atrocius odium; nulla crudelior inuidia, quam qua in pietatem pietatisq; & doctrinam & Doctorem graſſatur Satan. non vno enim modo neq; ſolito furore hæc præ cæteris & abolita cupit, quod per hæc ſola Regnum ſuum in mundo periclitari intelligit. *Satanæ odium in pietatem.*

De natu-

Psal. 92. De natura Vnicornium dicemus plura loco ſuo Pſal. 92. vbi in bonam partem dicitur, *Exaltabitur ſicut Vnicornis cornu meum.* Hic ſatis eſt noſſe beſtiam eam eſſe implacabilis iræ, ſicut eſt & Leo rugiens & Canis venans, Inſuper indomabilis eſt, needum enim viuens captus eſt vllus Vnicornis, Id quod & Iob 39. ſcribitur. Nunquid volet Rhinoceros ſeruire tibi? aut morabitur ad præſepe tuum? Nunquid alligabis Rhinocerota ad arandum loro tuo? aut confringes glebas vallium poſt te? Nunquid habebis fiduciam in multa fortitudine eius? & derelinques ei labores tuos? Nunquid credes illi quod ſementem reddat? & aream tuam congreget? Quæ omnia in legis populum dicta ſunt horrendo myſterio. *Vnicornis beſtia implacabilis &c.* *Legis populus.*

Hiob. 39.

Synagoga enim indomita his ſignificatur, quæ ſua iuſticia ſic inflatur, vt nec ſeruire Chriſto, nec ad præſepe eius morari & verbum eius audire, nec arare & docere ſub eo, & valles colere dignetur, Sed licet multæ virtutis ſit, & in operibus legis abundans, tamen in ea nihil fidit Chriſtus, nec ei committit ſuas res, Neque enim reddit ſementem nec congregat aream, hoc eſt, nihil ad Eccleſiam eccleſiæque augmentum facit. Hos Vnicornes, & quidem efferatos hic Chriſtus memorat. Omitto hic dicere, quod aliud putant animal Rhinocerota & Monocerota, ſeu (vt latine dicam) naricornem & vnicornem, illud enim in nari paruum, hoc in fronte magnum cornu habere dicunt, Certum eſt, quod Interpres noſter pro eodem habuit. *Naricornis. Vnicornis.*

Humilitatem meam, non hoc loco (ſicut fere nuſquam in Scriptura) pro animi illa virtute accipitur, quam Paulus vocat tapinophroſynen, id eſt, affectum humilia non alta ſapientem, vt Rom. 12. exponit, Sed afflictionem & oppreſſionem, & omnino formam illam humilitatis, in qua virtus illa tapinophroſyne exercetur, quam Bern. humiliationem non humilitatem appellat, de qua & Pſal. 9. dictum eſt. Vide humilitatem de inimicis meis &c. Quanquam ignoro, an hoc loco potius verbum ſit ſecundæ perſonæ, Humiliaſti me, id eſt, afflixiſti, oppreſſiſti, vilemque me feciſti, His quatuor generibus perſecutorum omnino ſimile eſt verbo eiuſmodi, & tropo quo dicitur Pſal. 51. Exultabunt oſſa, contriuiſti ſeu confregiſti &c. pro quo nos oſſa humiliata legimus. *Ταπεινοφροσύνη.*

Rom. 12.

Pſal. 9.

Pſal. 51.

Quatuor autem illa, frameam, manum Canis, os Leonis, cornu Vnicornis, non eſt dubium figurare vniuerſum illud Chaos impiorum Magiſtrorum in veritatem fidei graſſantium, ſicut Iudæi in Chriſtum graſſati ſunt, ſed aliorum ſit myſteriis ludere, nos Hiſtoriam proſequamur.

Narrabo Nomen tuum fratribus meis,
In medio Eccleſiæ laudabo te.

QVis eſt iſte quæſo nouus & admirabilis narrator & laudator, qui tot modis ſeſe mortuum & deuoratum profeſſus eſt, & tandē poſt mortem, & hæc omnia prophetat demū fore, vt narret & laudet nomē Dei? Verum eſt enim eum mori oportuiſſe, qui tanta de morte ſua prædixit, ne mentiretur. Rurſum verum eſſe oportet eundem narraturum & laudaturum nomen Dei. Aut ergo ſimul mortuus & viuus, aut à mortuis reſuſcitatus narrat & laudat, nō ſimul viuus & mortuus, cum hæc ſint impoſſibilia & abſurda, Neq; enim Chriſtus ſimul fuit aut eſſe potuit homo viuus & mortuus, licet ſimul eſſet homo mortuus & Deus viuus diuerſa natura in vna eademq; perſona, vt perſona quidem ſimul viua & mortua fuiſſe recte dicatur, ſed nō natura. Igitur reſurrectionem ſuam hic prædicit, imo fructum & opus reſurrectionis *Fructus reſurrectionis Chriſti.*

rectionis,quæ eſt laus & gloria Dei,quod illum exaudierit in precibus prædi-
ctis & ſaluauerit à morte,pro qua re noua & mirabili ſeſe narraturum,lauda-
turum & gratias acturum dicit.

Verum quando hunc verſum Apoſtolus ad Ebræos magni-
facit,non eſt frigide recogitandus,Nam & myſterium & miniſterium Euan-
gelicum breui compendio complectitur. Myſterium eſt, quod fratres appel-
lat,& nomen ac laudem Dei narrat. Miniſterium autem eſt ipſum narrandi
& laudandi officium,Diſcamus ergo hic iterum,quid ſit Euangelium prædi-
Prædicatio noui Teſtamenti.
care in Eccleſia,Sæpius enim diximus, quod noui Teſtamenti prædicatio eſt
prædicatio gloriæ Dei,ſicut Pſalm. 8. 9. & 19. oſtendimus, Cœli enim enar- *Pſal.8.9.19.*
rant gloriam Dei,& admirabile faciunt Nomen eius in terra. Sed ſimul dum
nomen & opera Dei prædicantur,etiam ignominia & vanitas hominum præ-
dicantur,vt obnoxius fiat omnis mundus Deo, & inueniantur omnes vacui
gloria Dei Rom. 3. Atque hoc eſt myſterium abſconditum à ſapientibus & *Rom.3.*
prudentibus,Verbum enim gratiæ,verbum crucis eſt, ſcandalum Iudæis &
ſtultitia gentibus,qui cum nomen Dei narrari,& ſuum damnari,deinde ope-
ra Dei annuntiari,& ſua reprobari non ſuſtineant, blaſphemant nomen Do-
mini,vt ſuum honorent,& iuſticiæ Dei non ſubijciuntur, vt ſuam ſtatuant,
Ita dum abominantur idola,ſacrilegia faciunt, vt hæc omnia ex prædictis fa-
cile intelliguntur.

Miniſterium eſt,quod hoc verbum ſalutis de nomine Do-
mini, poſitum eſt non in literis & Libris,ſed in manifeſta & viuæ vocis con-
feſſione,Vt non ſolum ſciatur, ſed & foris prædicetur inſtanter, oportune,
importune &c.Sic & Pſal. 8. *Ex ore, non ex calamo, infantium perfeciſti virtu-* *Pſal.8.*
tem Et,cæli non cogitant,ſed enarrant gloriam Dei. At ſic in publicum prodire
& libere prædicare,totumq; mundum prouocare, non eſt virtutis humanæ,
Ideo dicit,Ego narrabo,Ego ero qui loquar in eis, Sicut & ad Moſen Exod. *Exod.3.*
Miniſter verbi.
3. dixit, Ego ero, qui ero. Miniſtri enim verbi non ſolum eſt omnia mundi
arguere,ſed etiam exemplo ſuo idem teſtari, & pro verbo, opes, gloriam, vi-
tam, iuſticiam,ſapientiam & omnia ponere,vt oſtendat quæ docet in ſeipſo
primum.

Miniſterium verbi ardua res eſt.
Arduum itaque eſt miniſterium,ſicut incredibile eſt & myſterium quod
per ipſum miniſtratur,Ideo ad ſeipſum recipit hoc opus virtutis,vt nemo ſuis
viribus præſumat docere,ſed Chriſtum in ſe ſinat narrare.Sed & perſonaliter
ipſe narrauit Fratribus ſuis nomen Domini,vt Lucas ſcribit Act.1. per quadra- *Actor.1.*
Traditiones hominum.
ginta dies apparens eis & loquens de regno Dei.Pereant ergo omnes traditio-
nes hominum & quicquid non eſt Chriſtus.Nam ego (inquit) narrabo,quo *Heb. 10.*
ſuſtulit omnem doctrinam,quæ non eſt Euangelica,Chriſti enim vocem au-
diunt oues & non alienorum,Chriſtus autem aliud non narrat, quam nomẽ
& laudem Dei,id eſt,gratiam Dei & peccatum hominum,ſicut dicit Ioh. 16. *Iohan. 16.*
Ille arguet mundum de peccato,& de iuſticia, & iudicio. Quod autem Fra- *Ebræ.2.*
tribus meis dicit, iactat Apoſtolus Ebræ. 2. dicens. Qui enim ſanctificat,&
qui ſanctificantur ex vno omnes, Propter quam cauſam non confunditur
Narrabo fratribus meis nomen tuum.
eos Fratres vocare dicens. *Nuntiabo nomen tuum Fratribus meis, in medio Eccle-*
ſia laudabo te. Hæ ſunt enim abundantes diuitiæ myſterij huius,quod fratres
cohæredes Chriſti,filij Dei,Reges mundi,& inenarrabilium bonorum cum
Chriſto poſſeſſores ſumus.Et quis æſtimet,quid ſit eſſe fratrem Chriſti? om-
nia vno verbo comprehenſa ſunt.

Habemus

Habemus itaq; tria in iſtis verbis, officium verbi, rem verbi, fructum verbi, Officium verbi eſt narratio verbi, Res verbi, eſt gloria & nomen Dei, Fructus verbi, eſt per verbum & fidē gloriæ Dei, fieri fratres Chriſti, hoc eſt, credenti eſt Euangelium Dei virtus in ſalutem Rom. 1. Ecce fructus reſurrectionis Chriſti, Hoc eſt Alleluia illud per Pſalterium, & in nouo Teſtamento ſic celebratum, Quid eſt Alleluia, niſi laudate Dominum? At laudare Dominum, hoc eſt Euangelium prædicare, vt Alleluia ſit verum & germanū Euangelij encomium. At quanti ſunt, qui totis diebus irerent has literas & voces Alleluia, qui tamen Euangelio ſunt inimiciſſimi? Alleluia vox eſt non diuitum, non glorioſorum, non potentium, non ſapientium, non iuſtorum, non viuentium, Sed pauperum, humilium, infirmorum, ſtultorum, peccatorum, morientium, Pauperes enim euangeliſantur, peccatores cantant & audiunt Alleluia, Illi vero cantant & audiunt Allelunu, laudate nos ipſos. *Officium rei & gloria verbi.*

Idem eſt quod ſequens pars dicit, In medio Eccleſiæ laudabo te, Laus Dei enim idem eſt, quod nomen Dei, Et laudabo eundem Chriſtum, idem miniſterium, idem periculum indicat. Quæ enim de narrante dicta ſunt, eadem de laudante dicentur. Et Eccleſia idem quod Fratres, vtrobique vnitas, pax, charitas & cohæreditas eum Chriſto ſignificatur. Eccleſia enim caro eſt de carne eius, & os ex oſſibus eius, ipſa frater, ſoror & mater eius. Omnia ergo dulciſſima & iucundiſſima ſunt in hoc verſu, quia Euangelium ſuaue nuntium eſt, ſed ijs qui fratres futuri ſunt, cæteris odor mortis in mortem, Ideo & ſequitur optima conſequentia. *Laus Dei.* *Ephe. 5.* *Eccleſia.*

Qui timetis Dominum laudate eum, vniuerſum ſemen Iacob glorificate eum, timeat eum omne ſemen Iſrael.

PEr verbum laudis & nominis Dei prouocatur fides, ſed non omnes obediunt Euangelio, Minime vero omnium iuſticiarij illi ſaturi & diuites in operibus, quibus non eſt timor Dei ante oculos eorum, in ijs perit fructus verbi, Ideo conuertitur ad eos, qui timent Dominum, qui audira per Euangelium ſententia illa generali. Rom. 3. *Omnes peccauerunt, non eſt iuſtus, non eſt qui faciat bonum*, pauent à rugitu iſto Domini, & vera eſſe credunt quæ audiunt, Proinde ſibi diſplicentes & de ſe deſperantes ad propoſitam miſericordiam confugiunt, vt ſalui fiant. Ecce ij ſunt timentes Dominum, qui laudant eum, Implj vero vt non vera credunt, quæ audiunt in ſua opera dici, ita non timent, non fugiunt ad miſericordiam, Ideo nec laudant Dominum, cuius beneficia neque ſentiunt neque quærunt. Non autem poteſt prædicari gratia, niſi prædicetur peccatum, Nam exhibitio medicinæ argumentum eſt morbi euidentiſſimum, & quò maior eſt medicina, eò grauior eſſe morbus conuincitur Proinde Euangelium dum exaltat nomen & laudem Dei, ſimul exaltat magnitudinem mali & ignominiæ noſtræ, quod qui credunt, timent, & accedentes ſalui fiunt, & laudant medicum, Qui non credunt, rident & medicum & morbum ſuum, quo ſibi videntur eſſe ſaniſſimi. *Iuſticiarij. Timentes Domini.* *Rom. 3.* *Gratia. Peccatum.*

Exhortatur tamen Propheta, vt vniuerſum ſemen Iacob glorificet eum, Quod vt poſſit, exhortatur vt timeat eum omne ſemen Iſrael, optans vt credant Euangelio, quo & ſeſe cognoſcant & ſic paueant. Deinde & gratiam Dei, & ſic Deum glorificent, quia illis potiſſimum eſt promiſſum hoc verbum ſalutis, ſicut Apoſtoli in Actibus ſæpius ad eos dixerunt, præſertim Paulus. Viri fratres, filij generis Abraham, & qui in vobis timent Deum, vobis miſſum eſt verbum ſalutis huius. Et infra promiſſionē Patrum Deus adim- *Verbum ſalutis promiſſum ſemini Iacob.*

 pleuit

pleuit filijs veſtris reſuſcitans Ieſum, Sed repulerunt illud, nec timuerunt Dominum, unde facti ſunt, & adulterini filij Patrum, ſolo ſemine carnis Iſraelitæ, & domus Iacob. Proinde Propheta data opera præpoſuit, Qui timetis Dominum, Deinde ſemen Iacob & ſemen Iſrael, ut eos, qui ſine timore eſſent, etiamſi ſemen carnis eſſent, non laudare poſſe oſtenderet, Atque ut nullus ſe ſemen Iacob & Iſrael poſſit iactare, qui non timeret Dominum, Ac per hoc uniuerſum ſemen Iacob & omne ſemen Iſrael, non comprehendat omnes Iudæos, ſed timentes ſolos, Nam ij demum ſunt verum ſemen Iſrael, Quid autem timere ſit, dictum eſt.

Non timentes Deum, non laudant Deum.

Quoniam non ſpreuit neq; deſpexit deprecationem Pauperis, neq; auertit faciem ſuam à Me,
Et cum clamarem ad Eum, audiuit.

Quibus Euangelium proſit.

Vnus hic eſt verſus in Ebræo Et pronomen, me, in fine ſuperfluit. Hic cauſam laudis Dei recitat, & quibus Euangeliũ proſit, indicat, ſcilicet, ut dixi, pauperibus, oppreſſis, miſeris. Quis enim Deus ſicut Deus noſter, qui in altis habitat & humilia reſpicit in cœlo & in terra? Nam idipſum facit eum ſumme amabilẽ & laudabilem, & cum fiducia acceſſibilẽ, quod oculi eius ſunt ſuper afflictos & pauperes, & quò abiectior eſt forma hominum, eò propior & præſentior ibi Deus, alta enim à longe cognoſcit. *Pſalm. 113.*

Locus ex cap. Iſai. 58.

Hinc in præceptis ſuis nuſquam mandat, ut divites, potentes, magnos, honoratos conſideremus, Sed ſi videris nudum (inquit) operi eum, & egenos vagosque induc in domum tuam, Frange eſurienti panem tuum & carnem tuam ne deſpexeris, Dulciſſimus Dominus carnem cum non habeat, carnem tamen non deſpicit, & nos caro carnem noſtram deſpicimus. Quid faceremus ſi ipſi carnẽ, vt ille, non haberemus? procul dubio id quod dæmones. Cum ergo in humilia ille ſola ſpectet, opus eſt, ſi Euangelij gratiã debemus obtinere, fieri humiles, id eſt, agnoſcere & credere nos eſſe gloria Dei vacuos, plenos noſtra ignominia & omnibus malis, & ſic timere in hac paupertate. Tum hos pauperes non deſpicit Dominus, imo quicquid petierint, obtinebunt, Nam non deſpici deprecationem pauperis, hoc eſt, maxime gratam habere, Et non abſcondere faciem, hoc eſt, maxime illuminare faciem ſuper eos, Siquidem Ebræus aptius & melius hic habet, *Nec abſcondit faciem ſuam à me,* cum illuminare vultum Dei ſuper nos ſit vſitatiſſimum in Scripturis, & idiotiſmus quidam Ebræus, ſicut & ſuum antitheton, Abſcondere faciem.

Copia Prophetæ.

Sit ergo pauper, qui volet eſſe ſemen Iſrael & Euangelij gratia gaudere, Stat ſententia fixa, Deus noſter talis eſt, qui pauperes reſpicit. Et vide copiam Prophetæ ac diligentiam, Non ſatis eſt ſemel dixiſſe, non ſpreuit, addit, Nec deſpexit, item non auertit, item exaudiuit. Deinde ſeipſum in exemplum ponit, dicens, cum clamarem, vt noſtra tranſlatio habet. Q. d. Ecce meo exemplo diſcite, qui factus ſum nouiſſimus omnium virorum, cum ſceleratis reputatus. Et cum eſſem maxime deſpectus, abiectus, repulſus, ecce maxime ſum reſpectus, ſuſceptus & exauditus. Ea forma ergo vos meo Exemplo non terreat, Euangelium talem exigit, quem ſaluet, ſcilicet tanta copia exhortationis opus habet infirmitas noſtra, ne vel abhorreat humiliari, vel ne deſperet humiliata, & ſic ſalutem per crucem iſtam poſſideat.

Infirmitas piorum.

Ebræus

Ebræus mihi videtur abſolutam Gnomen habere in hunc modum, Quoniam non ſpreuit neq; deteſtatus eſt paupertatem pauperis, nec abſcondit faciem ſuam ab eo, Et cum clamaret ad eum, audiuit. Qui ſenſus plane eſt talis, Ideo laudabilis & metuendus eſt Dominus, quod paupertatem pauperis, neq, contemnit neq; deteſtatur paupertatem (nō deprecationem, quia de hac ſequitur) & eam, qua quis forma humilitatis laborat, præſertim ignominiæ, quæ apud homines & deteſtabilis & cōtemptibilis eſt, Diximus enim ſuperius Oni, pauperem ab afflictione & oppreſſione dici. Mira ergo dulcedo Domini, cui precioſa & grata eſt ea forma, quam exeeratur & nauſeat mundus, & exaudit clamantes, quos mundus iudicat ab eo damnatos eſſe.

Hoc totum dicitur, quia Euangelium humiliat nos, ac in nihilum redigit, tam coram Deo quàm hominibus, vt vtrobiq; peccatores & damnati inueniamur, Sed ſic vt agnitione eiuſmodi noſtri mali, gratiam ſitiamus iuſticiæ, in qua portemus coram hominibus propter Euangelium crucem, Corā Deo enim peccatores inuenimur, propter nos ipſos & propter mundum, cum quo ſenſimus, & ambulauimus, ſed corām mundo inuenimur peccatores propter Deum & Euangelium eius, cum quo cœpimus ſentire & ambulare. Et ſi coram Deo humilitas noſtra nos exaltauit, at ea exaltatio nos coram hominibus humiliat, coram quibus eum prius exaltaremur, coram Deo humiliabamur. Beatus ergo humilis iſte, beata humilitas eius, quia cum ſit propter Deum illata, precioſa eſt in conſpectu Dei. Vides ergo Euangelij virtutes, Quod nos iuſtificat coram Deo, & crucifigit coram mundo, ideo eſt verbum ſalutis & verbum crucis, verbum ſapientiæ & verbum ſtultitiæ &c. Euangelij v.

Apud te laus mea in Eccleſia magna,
Vota mea reddam in conſpectu timentium eum.

Apud te, id eſt, de te, ſic enim Ebræus habet. Hactenus dixit de laude Dei, quæ publico miniſterio verbi perſoluitur, vnde dixit: In medio Eccleſiæ laudabo te, & narrabo nomen tuum. Narrare autem & in medio Eccleſiæ laudare, eſt cæteris audientibus loqui, ſicut Eccle. 15. dicit, In medio Eccleſiæ aperuit os eius. Et Salomon, In medio magnatum ne loquaris. Eccleſ 15.

Hic de priuata cuiuſq; latria loquitur, de fructu ſcilicet fidei per Euangelium conceptæ, qui eſt, vt Apoſtolus Ebræ. 13. docet, offerre hoſtiam laudis ſemper Deo, id eſt, fructum labiorum confitentium nomini eius. Et Pſ. 116. cum ſeſe credidiſſe & prædicaſſe, ac propter prædicationem humiliatum ſele dixiſſet; ait; Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Inter cætera idem quod hic dicit: Vota mea reddam coram omni populo eius. Et iterum: Tibi ſacrificabo hoſtiam laudis. Nihil enim habemus quod reddamus niſi laudem, gloriam & gratiarum actionem pro inenarrabili dono eius, (vt Apoſtolus vocat) quod per Euangelium in nos effudit abunde. Fructus fidei. Ebræ. 13. Pſal. 116.

SEd quid hoc quod in Eccleſia magna, ſeu quod idē eſt, multa, ſeſe laudaturum dicit, & in conſpectu timentiū eum, ſua vota redditurū? Nam & Pſ. 116. Vota eadē coram omni populo eius in atriis Domini in medio Ieruſalē redditurum dicit. An non licet in angulo aut cubili laudare & vota reddere? Porro quis coram omni populo eius, & in Eccleſia illa magna corporaliter adeſſe poteſt? Proinde non eſt dubiū, quin in ſpiritu loquatur, & de Eccleſia in ſpiritu magna ſeu multa, & de populo in ſpiritu collecto, quod aliud nihil eſt, quā in vna fide, in vno ſpiritu laudare Deū, Sola enim fides eſt, in cuius vnitate vniuerſus populus Dei, totaq; Eccleſia congregatur in vnū. Eccleſia magna in ſpiritu & vnitate fide congregata

Sectæ ſcindunt Eccleſiam.

Quæ omnia dicuntur in deteſtationem hypocriſis & ſectarum, quæ Eccleſiam ſcindunt in varias pattes, & locis, perſonis aliisq; externis rebus affigunt, ad Deum in ſuis locis, id eſt, ſuis proprijs operibus laudare præſumunt. Dum ergo quisq; Deo ſeruit ſtudio à ſe reperto, & à communi totius Eccleſiæ ſtudio (quæ eſt fides) ſeparat ſeipſum, velut in illo Iuſtificandus. & ſaluandus, Nonne ſeorſim Deo Eccleſiam fabricat, & Deum laudat in minuta ſua parte, & coram ſeipſo tantum? Hæc ſunt Excelſa illa & luci & valles, quibus populus olim neglecto templo Dei communi ſeorſim quiſq; peregrinabatur in feruore ſuæ tentationis (ut Petrus appellat) Quare in Eccleſia ma-

Laudare in Eccleſia magna.

gna laudare, eſt confiteri communi omnium gratia, non proprijs ſuis ſtudijs iuſtificari & ſaluari, ut maneat unitas opinionum & cordium in fide, etiamſi varia ſint miniſteria operum foris.

Vnde Ebræus non fruſtra dicit, *De te laudabo*, nam hæretici illi, id eſt, ſectarij non poſſunt Deum niſi de ſeipſis laudare. Si enim ſna non ducerenr precioſa & laudabilia, aut in eis non quærerent Iuſtificari & ſaluari, ſine dubio ea contemnerent & relinquerent. At nunc ſtudium & feruor eorum

Studium & feruor Hæreticorum.

argumentum eſt, quid laudenr & in quo confidant, & quomodo Deum de ſeipſis laudent in ſuo loco ſeorſim, tanquam quid ſingulare & melius habentes præ toto cõmuni populo Dei, ſicut ille Phariſæus in Euangelio Deũ de ſeipſo laudauit & gratias egit, non quod accepiſſet, ſed quod dediſſet Deo *Luc. 18.*

De Te laus mea.

multa bona. At Propheta de nullo ſuo laudat, ſed, De te (inquit) laus mea, nihil duco omnia alia, præter communem illam gratiam fidei, qua omnes æqualiter iuſtificas & ſeruas. Si enim aliud eſſet quod me iuſtificaret, de hoc ipſo merito laudarem. Impij illi qui faſtidiunt alijs ſimiles eſſe, & ſingularitate gaudent, habent ſua propria, de quibus te laudent, id eſt, ſeſe delectent, quod non ſunt ſicut cæteri hominnm.

Laudare Dominũ in Eccleſia magna.

Non ergo laus Dei eſt, quia in manufactis locis laudatur, non quia In Ieruſalem, in templo, non quia in hoc & hoc loco, Ita non quia ſacerdos vel Epiſcopus, non quia diues aut pauper, Sed quia fidelis laudat, vbi vbi ſit & quicunque ſit, Sicut enim nunc tempus eſt, vt neque in monte hoc, nec in Ieruſalem adoretur Pater, ſed in ſpiritu & veritate opotteat adorare, ita & laudare, Vt ablata ſint omnia loca, tempora, perſonæ, id eſt, fiducia, quæ in eis habetur. Ecce hoc eſt in Eccleſia magna, & coram timentibus laudare, in libertate ſpiritus laudare, quæ neſcit præſcriptum, Ich wil einer von dem hauffen ſein. Et ſatis acute illos præſumptuoſos reprehendit, dum *Iohan. 4.*

Eccleſia magna quæ & vbi.

coram timentibus Deum ſeſe laudare dicit. Impij enim & ſectarij non timent Deum, Simul ſeipſum exponit, quid ſit Eccleſia magna, Vbi enim requires timentes Deum? Romæ? Ieruſalem? Nullo prorſus loco certo, ſed in fide & ſpiritu vbi libet. Ita quando inuenies? Cras? poſt annum? Non, ſed in fide & ſpiritu quando libet. Ita quos quæras? Papam? Epiſcopum? Monachum? non, ſed in fide & ſpiritu quoslibet, fideles enim timent Deum, qui locum, tempus, perſonam non habent certo.

Fidei communio.

Sic videmus & Apoſtolos, more ſimili nihil æque timuiſſe, ne fidei cõmunio degeneraret in partes ſectarum & operum, Sicut eſt dies hæc, quas Pſal. 5. vocat multitudinem præuaricationem. Rob peſchaim, Ac mihi videtur hic tropus eſſe quidam peculiaris Dauid, laudabo in Eccleſia pro, viuam *Pſal. 5.*

Vita fidelium eſt laus Dei.

& agam in Eccleſia. Quod tota fidelium vita aliud non ſit quam laus Dei, ſicut Pſal. 111. dicit, Confeſſio & magnificentia opus eius. Et Pſal. 96. Con- *Pſalm. 111.* *Pſalm. 96.*
feſſio & magnificentia in conſpectu eius. Et Pſal. 104. Confeſſionē & decorem induiſti. Et Iſa. 43. Populũ iſtum formaui mihi, laudem meã narrabit. *Pſalm. 104.* *Iſa. 43.*

QVæ vero ſunt vota illa? Nunquid Religioſorum? nunquid electitia illa vulgatorum operum? Abſit. Communia ſunt vota totius Eccleſiæ magnæ & omnium, qui timent Dominum. Quid ergo vouit Eccleſia? Certe Pſalm. 50. eadem omnia generaliſſima Regula dicit, Immola Deo ſacrificium laudis, & redde Altiſſimo vota tua, Sicut & hoc loco & Pſalm. 116. Vota cum laudibus copulantur, Vt vota aliud eſſe non videntur, quam illæ ipſæ laudes, Dum enim pactum fidei inimus cum Deo, quid aliud facimus, quam vouemus laudem & gloriam? Nam & omnia noſtra nihil eſſe confitemur, & tantum illius gratia nos ſaluari proteſtamur, debitores nos hoc pacto profeſſi, prædicandæ & confitendæ gratiæ quam accepimus, Debemus, inquam, hanc confeſſionem Deo, nos eſſe perditos in nobis, & ſolo illius dono ſeruari. *Vota Eccleſiæ.* *Pſal. 50.*

Atque hoc debitum noſtrum votum eſt, quod reddimus, dum ita laudamus Deum, & nos accuſamus, dum illum glorificamus, nos confundimus, dum illum iuſtificamus & nos damnamus, vt iuſtificetur in ſermonibus ſuis, & omnis homo ſit mendax. Et hoc poriſſimum in tempore tribulationis, quando accuſationis damnationisq́; noſtræ probationē exhibere exigimur, vt tum canamus Deo in nocte iſta Canticum ſuum, & dicamus cum illis Dan. 3. Omnia quæ feciſti nobis Domine, in vero iudicio feciſti. Et Pſal. 66. Tranſiuimus per ignem & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium. Introibo in domū tuam in holocauſtis, reddam tibi vota mea, quæ protulerunt labia mea, & quæ locutum eſt os meum in tribulatione mea. Ecce quæ holocauſta, quæ vota, quæ proferuntur in tribulatione, ſicut & ex Ebræ. 13. Fructus labiorum retulimus, & Oſeæ 14. Reddemus vitulos labiorum noſtrorum. *Daniel. 3.* *Pſalm. 66.* *Vota in tribulatione prolata.* *Ebr. 13.* *Oſeæ 14.*

Sic & Dan. 3. Sicut in holocauſto arietum & taurorum, & ſicut in millibus agnorum pinguium, Sic fiat ſacrificium noſtrum in conſpectu tuo hodie, vt placeat tibi, Sed & Pſal. prædictus holocauſta medullata cum incenſo arietum, boues cum hircis, qui offerre ſe dicit, nihil aliud facit quam laudes Dei in tribulatione, dicens, Venite & audite & narrabo, omnes qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ. Quæ ad ipſum ore meo clamaui, & exultaui, ſub lingua mea, Iniquitatem ſi aſpexi in corde meo, non exaudiet Dominus, Propterea exaudiuit Deus & attendit voci orationis meæ, &c. Nec enim alia vota habet magna Eccleſia & omnes qui timent Dominum. Et obſerua, quod coram timentibus non laudem, ſed vota reddit. Quod in tribulationibus, dum accuſationis noſtræ, & iuſtificationis Dei, res agitur, timendus ſeu terribilis eſt Deus, apparens iratus, Sed redde votum & memor eſto pacti initi, quod illum iuſtificare, te damnare perpetuo promiſeris, & ſaluus eris. Verum impij neq; vouent, neque ſi vouent, reddunt hæc vota. *Dan. 3.* *Locus ex Pſal. 66.*

Edent pauperes & ſaturabuntur, & laudabunt Dominum qui requirunt eum.
Viuent corda eorum in ſeculum ſeculi.

VIuet cor veſtrum in æternum, habet Ebræus. Et pauperes iterum afflictos illos ſignificat, id eſt, Euangelicos & fideles, quos alibi miſeros, alibi humiles, alibi mites vertit. Chriſtus hactenus dixit quæ facturus eſſet in ſuis, in Eccleſia, præſertim Apoſtolorū tempore & eorū, qui alios erant docturi. Nunc meo iudicio recitat augmentum Eccleſiæ & eorum, qui erant audituri ex vtroq; populo Iudæorum & gentium, per miniſteriū Apoſtolorū & primitiuorum dicens, Ex vtroq; populo conuertendos eſſe multos, Non enim de manducatione carnali loquitur. Sed cum prædixerit prædicationes & *Pauperū.* *Augmentum Eccleſiæ.*

nes & laudes Dei in Eccleſia fore, ac per hoc verum paſtum animorum, Euangelium ſcilicet ipſum per multos vulgaudum & proponendum dicit, nō fruſtra proponendum. Sed fore oues qui comedant, & auditores qui audiant, Sed non niſi pauperes & humiles, Vt ſtet verbum Chriſti Pauperes Euangeliſantur. Matth. 11. Et Iſa. 60. Pauperibus Euangeliſare miſit me. Igitur iſte Verſus hoc habet, quod Lucas in Actis ſæpe ſcribit, Creuiſſe verbum Dei fortiter, & auctum eſſe numerum eredentium valde.

Euangelium eſt cibus animarum. *Matth. 11. Iſai. 60.*

Et ipſe cum dicit, *Viuet cor veſtrum in æternum*, ſatis indicat ſeſe de verbi paſtu loqui, quod cor non ventrē alit, Non tamen ſegniter alludit ad Sacramētum altaris. Siquidē ideo olim Miſſa habebatur, vt & Sacramentū acciperent & verbum, eratq; reuera ibi manducatio corporalis & ſpiritualis ſimul. Corporalis, Inquam, de pane & vino altaris, ſpiritualis de Euangelio, vtroque cor hominis alebatur, non venter. Et exigebat hic Verſus dignam diſſertionem de Miſſa propter deteſtandos & horribiles abuſus, tam in doctrinis quàm operibus, de Miſſa introductis, in Eccleſia debacchantes, Sed differamus in finem. Interim qui ſint idonei auditores Euangelij videamus, Pauperes, inquit, afflicti & eſurientes gratiæ auidi, peccatis preſſi, infirmitate laborantes. Et ij ſaturabuntur, ijdem laudant Dominum, quoniam quærunt eum quo indigent, & inuento lætantur & laudant. O felices vos ait, Viuet cor veſtrum in æternum. Gratia enim, vita æterna, & iuſticia eius manet in ſeculum ſeculi. Quid ſi venter moriatur? cor veſtrum viuit cibo iſto immortali verbi.

Viuet cor paſtu verbi.

Idonei auditores Euangelij.

Videtur autem iſte verſus in populum Iudæorum electis verbis compoſitus, vt qui promiſſis terreuis aſſuetus tantum hæc temporalia expectabat à Deo, hoc eſt, ventrem & eſcam, cum tamen in illis nulla ſit ſaturitas, Ac ſi dicat. En vobis qui ventrem & eſcam ſpectatis, nec tamen expleri poteſtis, erit tempus, cum edetis & ſaturabimini, ſed non carnaliter, nec diuites & voluptuarij, quales hactenus fuiſtis & inſatiabiliter eſſe quæſiuiſtis, ſed pauperes, erit enim hic cibus, qui ſaturet vos, quod ille corporalis non pôterit. Deinde non murmurabunt amplius contra Dominum, qui eſcas petiuerunt; ſed laudabunt Dominum, quem requirent, & non eſcam. Deinde eum ſint illi mortui, hi viuent in æternum. Ita deſtruxit Deus ventrem & eſcam, quoniam eſca & potus regnum Dei non eſt, ſed apoſtrophe illa ad illos epitaſin habet, Viuet cor veſtrum in æternum, Q. d. libenter careatis iſtis ventralibus eſcis, quod hic cor veſtrum victurum ſit in æternum. *Rom. 14.*

Iudæi promiſſis corporalibus aſſueti, ſpiritualibus parum adficiebantur.

Reminiſcentur & conuertentur ad Dominum omnes fines terræ, & adorabunt in conſpectu eius vniuerſæ familiæ Gentium.

Vnus enim verſus in Ebræo hic eſt, & clara ſententia de gentium conuerſione loquitur. Et quanquam Ebræus actiua voce habeat, memorabunt & conuertent, tamē reddita eſt belle paſſiua ſignificatio, pro eo quod eſt, Fient memores & erunt conuerſæ abſoluto ſtatu, qualia frequenter habuimus. Sic illud Pſal. 51. Propterea iuſtificabis in verbo tuo, id eſt, Iuſtus eris, & recte dictum, vt iuſtificeris ſermonibus tuis &c. Sic & adorabunt in conſpectu eius, id eſt, erunt adoratores coram eo. Et gentium quoque ingenia hic verſus ſuis verbis pingit, vt quæ eſſent auerſæ & deditæ idolis & pronæ omnia adorare. Erit, inquit, vt vere conuertantur, nempe ad verum Deum, & adorent non amplius Idola, ſed in conſpectu Dei, id eſt, in ſpiritu & veritate. *Pſalm. 51.*

Conuerſio Gentiū.

Quan-

Quanquam autem gentes ad Chriſtum conuerſæ ſint, vt hic verſus mutata perſona,de Chriſto per Prophetam dictus videri poſſit,Tamen non mutabimus perſonã, donec vitare non poſſumus,& adhuc loqui putemus Chriſtum,hominem,qui in Euangelio itidem de Patre ſic loquitur, & ad eum refert,dirigitque omnes & omnia,vt ſeſe purum pene hominem oſtendat,licet per ſeſe ad Patrem omnia trahat & venire dicat. Ita & hic ad Deum gentes conuerti dicit,licet vere ad ipſum ſimul conuertantur,ſed modo per ipſum & ſuam narrationem conuerti dixiſſe contentus eſt. Hoc reminiſci gentium arbitror dictum,quod ipſi redibunt ad eor, & Deum quem diuturna ſeculorũ ignorantia penitus ac deſperate obliſæ fuerint,ſint agnitutæ. Non enim ſolum ignorabant gentes Deum,ſed & oblitæ erant inueteratæ in cæcitate & idolatria ſua,vt ſic in verbo reminiſcentur magnam vim gratiæ & Euangelij commendent,quo tam profunde indurati ſunt reducti. *Reminiſcentur gentes.*

Vtitur hoc verſu in Donatiſtas Aug. & nobis quoque valet in Rom. tyrannidem & ſectas eius,qui non ſinunt eſſe in toto orbe Chriſtianos, niſi captiui ſeruiant illi. Vbique enim Chriſtus cognitus eſt & per ipſum Deus, atq; adhuc credendus eſt vbique cognoſci, etſi à valde paucis poſtquam ſolutus eſt Satan ad decipiendas omnes gentes.

Quoniam Domini eſt Regnum,& ipſe dominabitur Gentium.

HVnc verſum Paulus Rom. 3. tangere videtur dicens. Num Iudæorum Deus tantum? Nonne & gentium? Imo & gentium, Nam idem eſt Dominus omnium diues in omnes,qui inuocant illum Rom. 10. Ideo inquit etiam gentes conuertentur, quia ipſe Dominus regnabit per ſe, qui eſt Dominus omnium. Indignum autem vt Domino omnium, ſolus populus Iſrael eſſet Regnum; ſed nonquid hactenus regnauit vel in Iudæis? Non ſed Moſes & lex regnauit, nundum erat reuelatus ſpiritus & manifeſte prædicatus. Regnauit tamen in aliquibus occulte, id eſt, regno occulto abſque gratiæ & ſpiritus diuulgatione: Igitur iam non ſumus ſub exactore legis, nec in ſpiritu ſeruitutis,ſed in ſpiritu libertatis ſub ipſomet Domino reuelato & regnante in omni creatura ſua, iudicato & eiecto Principe mundi foras, qui ſuper nos prius regnauit, habens imperium mortis, Et Dominus non erat nobis. *Rom. 3. 10.* *Idem Dominus omnium, qui credunt in illum.* *Pſalm. 70.*

Regnare autem plus eſt quam creare, facere, habere, Deus enim omnia habet ſibi ſubiecta,ſed non in omnibus regnat,eum regnum ſit ciuile & ſalutare imperium, in quo ſubditi pendent ex voluntate & opere Regis ſui. Sic Chriſtus tunc regnat in nobis, quando nos ab operibus noſtris feriatos inhabitat, & in ſabbato ſuo per nos ſanctificato, ipſe in nobis manens facit omnia opera noſtra, quod ſolius gratiæ eſſe nemo ignorat, Ideo & regnum Dei & regnum cœlorum vocatur, & ipſe Rex noſter, nos populus eius peculiaris. At vbi peccato ſeruimus, peccatum regnat in nobis, & in regno peccati & Satanæ, ſine rege Deo exules & captiui ſumus, & ſabbatum Domini proprijs operibus ſine intermiſſione violamus. Hoc eſt ergo illud tripudium, quod hic verſus iactat, Quoniam Domini eſt regnum, & Dominus eſt in gentibus, ſicut Pſalm. 97. Dominus regnauit, exultet terra, Q. d. Gentes conuertentur, quia Diabolus eijcietur foras, peccatũ abolebitur in mundo, & regnabit Rex in iuſticia & ſapiens erit, idque palam per Euangelium & docebitur & fiet. *In quibus Chriſtus regnet.* *In quibus peccatum regnet.* *Pſalm. 97.*

Mandu

Manducauerunt & adorauerunt omnes pingues terræ, in conſpectu eius cadent omnes, qui deſcendunt in terram, Et anima mea illi viuet.

Ebraice ſic. Manducauerunt & adorauerunt omnes pingues terræ, in conſpectu eius genu flectent omnes deſcendentes in puluerem, Et anima eius non viuet. Hunc verſum cum duobus ſequentibus apparet mihi vel Epilogi vel Epiphonematis vice ponere, Sed quod data opera mihi videtur obſcuratę eclipſi, aſynthetis, reticentia, periphraſi alijsque figuris, tum etiam perſonæ mutatione & diſtinctionis perturbatione, vt laborandum ſit quidem, & tamen ignorandum an ſenſum eius conſequamur, experiamur, nec nos diſtinctio moueat, nec perſonæ mutationem admittamus, ſed Chriſtum In finem loqui accipiamus, qui & in Euangelio ſæpius de ſeipſo in tertia perſona loquitur vt Iohan. 3. Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret. Et Matth. 23. Non vocemini Magiſtri, vnus eſt enim Magiſter veſter Chriſtus, qui in cœlis eſt. Iterum Iohan. 3. Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit, Filius hominis, qui eſt in cœlo. Ita hoc loco non dicit, Et anima mea non viuet, & ſemen ſeruiet mihi &c. Sed anima eius non viuet, & ſemen ſeruiet ei &c.

Chriſtus ſæpe in 3. perſona de ſeipſo loquitur.

Iohan 3. Matth. 23.

Prior itaque pars Verſus, ſit Epiphonema & ſumma (quod aiunt) ſummarum, Dixerat enim & Iudæos & gentes conuertendos & adoraturos, hic velut dilatans quod dixerat, imo inquit, tunc ceſſabit omnis reſpectus perſonarum, vt in Chriſto non tantum ſit non Iudæus neq; Græcus, ſed neq; Dominus neq; ſeruus, neq; diues neq; pauper, neq; maſculus neq; fœmina, neq; Barbarus neq; Scytha, neq; magnus neq; paruus, Sed omnes vnum in Chriſto, vno humero, vni Deo, in vna fide, in vno Euangelio ſeruient ſine diſcrimine. Quid enim ſit, manducauerunt & adorauerunt, dictum eſt, nempe, quod in verbo manducauerunt, Iudæos, in verbo adorauerunt, gentes ſignarit, Sed hic in vnitatem confuſos vtroſque aptat vtrique tam manducationi quam adorationi, vt non ſit diſtinctio Iudæi & Græci, teſte Apoſtolo, atque idem per vniuerſale illud, Omnes vult. Quaſi dicat tam Iudæi quam Gentes, tam quos manducantes quam quos adorantes feceram prius, Omnes ſine diſcrimine manducabunt & adorabunt, id eſt, erunt manducatores, auditores, cultores & adoratores Dei.

In Chriſto ceſſat omnis reſpectus perſonarum.

Idem eſt quod ſequitur. *Et in conſpectu eius cadent, ſeu coram eo genua flectent* (id eſt) curuatis & poſitis in terram genibus erunt, quo ritus adorandi figurate ſignificatur. Et pingues terræ, figurate dicuntur, quicunque ſunt in perſonatu ſpectabiliore, vt opulenti, potẽtes, nobiles, honorati, fortes, formoſi, ſapientes, iuſticiarij & ſimiles, Sic enim Pſal. 17. de apide concluſo didicimus, Et Deut. 32. dicitur. Impinguatus, dilatatus & incraſſatus eſt. Quare pingues terræ ſunt, quicquid in mundo altum & magnum, atque in oculis hominum ſpectabile. Nec in his diſcreuit Dominus quidquam, ſed reti ſuo cepit piſces magnos cum paruis, & omnis generis reptilia in mari hoc magno & ſpacioſo perambulantia.

Pingues terræ.

Pſalm. 17. Deut. 32.

Omes deſcendentes in puluerem. Non arbitror de mortuis aut de mortalibus dici, vt aliqui volunt, ſed ſit periphraſis formæ & perſonæ inferioris, per antitheſin pinguium terræ, Vt nulla tam vilis & abiecta ſit perſona ſeu forma, quam Deus In Chriſto non honorarit gratia & Euangelio ſuo, vt ceſſet omnis contemptus contemptibilium & metus terribilium & accubet Leo cum vitulo & oue, Lupus cum agno, pardus cũ hœdo, & minet eos puer

Deus in Chriſto diuites & pauperes honorat Euangelio & gratia ſua.

paruulus,

Iſai 11. paruulus, vt Iſai. 11. prædixit. Quis enim te diſcernit? ait Paulus 1. Cor. 4. ad
1.Cor.4. eos, qui hanc æqualitatem deſerebant. Quid habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis? Ita regnante Deo per Chriſtum in nobis, omnia ſunt Dei & nulla noſtra, vt nullus poſſit alteri inuidere, nullus aduerſus alterum inflati, nullus minus aut malus altero habet, Sed ſicut de Mannæ collectoribus dicitur 2. Cor. 8. Qui multum, non abundauit, qui modicum, non minorauit, omnia enim omnium ſunt omnium, propter vna illa, fidem & verbum vnum, & regnum vnum, & Dominum vnum.

Quod autem deſcendere in puluerem, ſignificet abiectam & contemptam illam formam, atq; etiam afflictam, ſicut ſolet fieri in ea forma, illud Iſa. 47. *Deſcendere in puluerem.*
Iſai. 47. probat. Deſcende, ſede in puluere, virgo filia Babylon, ſede in terra, non eſt ſolium filiæ Chaldæorum, quia vltra non vocaberis mollis & tenera. Quid hic niſi humiliationem magnitudinis Babylonicæ prophetat? Et Thre. 3. Po-
Thre. 3. net in puluere os ſuum, ſi forte ſit ſpes. Et Hiob 7. Sordibus pulueris indutam
Hiob. 7. carnem ſuam dicit. Et Pſal. 7. Gloriam ſuam in puluerem ſepeliendam per-
Pſal. 7. mittit Dauid, id eſt, in nihilum redigi, Sic Paulus 1. Cor. 1. vocatos prædicat
1.Cor. 1. eos, qui non ſunt, & ſtultos & infirmos, vt eos qui erant aliquid deſtrueret Deus, quod qui tales ſunt ferme vt mortui & qui iam in puluere iacent æſtimen-
Pſal. 113. tur, Sed Dominus Pſal. 113. Suſcitat de puluere (vt Ebræus habet) inopem, & de ſtercore erigit pauperem, vt collocet eum cum principibus &c. Rurſum depo-
1.Cor. 10. nit potentes de ſede, & exaltat humiles, vt omnes æquet. Et qui gloriatur in Domino glorietur, Et humiles confuſus non auertatur, ſed vnus panis, vnum corpus ſumus omnes, qui de vno pane & de vno calice participamus.

Et anima eius non viuet. Cuius eius? Nullius alius niſi Domini de quo iam proxime dixerat, in cuius conſpectu cadunt & manducant pingues & pulueres, Neq; enim conſequentia & ordo verborum de alio quopiam ſinunt intelligi, Atqui hoc eſt myſterium illud, quod Dauid his verborum figuris inuolutum indicare voluit, vt eſſet poſitum, & tamen non expoſitum. Vides itaq; Chriſtũ hoc loco de ſeipſo in tertia perſona eodem verbo vtrumque myſterium & diuinitatis & reſurrectionis prodere. Si anima eius fuit moritura, ergo animam ſeu vitam habuit mortalem, & de homine quodam mortali & morituro hæc dici nemo poteſt dubitare aut negare. At pronomen, eius, non poteſt referre niſi Dominum illum prædictum in antecedentibus, Cui Gentes & Iudæi in vnum ſeruiunt, vt Deo vero. Vides ergo quam apertis & pulchris verbis ſeſe declaret ſimul hominem verum ac moriturum, ſimul verum immortalemq; Deum, vt nullus alius Deus hoc verſu permittatur eſſe, quam ille, qui moriturus, & aliquando mortuus homo ſit, vna ergo perſona Deus & Homo.

Ecce hæc eſt pars vna Epiphonematis huius Pſalmi. Q. d. Summa eſt quam volo hoc Pſalmo, Deus verus, qui ſit verus homo, morietur & patietur ea, quæ prædixi, & tum ſequentur ea quæ paſſionem eius ſecutura dixi. Et hanc partem annexuit huic verſui, quæ tamen ſequenti verſui nouum auſpicata aptius hæſiſſet, ſed inuoluendum erat myſterium tantum. Omitto noſtram Translationē, quia falſa eſt & indigna tractatu, cum contraria ſit in Ebræo, Niſi velis vim facere verbis & dicere, Anima mea illi viuet, id eſt, reſurget à mortuis, vt illi viuat quæ mortua fuit hominibus, ſed hoc nihil vrget, neq; probat aliquid. *Chriſtus verus Deus & verus homo.*

Et ſemen meum ſeruiet ipſi, annuntiabitur Domino generatio ventura, Et annuntiabunt cœli iuſticiam eius, populo qui naſcetur, quem fecit Dominus.

Hos duos Verſus confuſiſſime miſcuit ac male reddidit noſtra Translatio, ideo & nos ambos ſimul ponamus in hunc modum ex Ebræo verſo ad verbum.

1. *Et Semen ſeruiet ei, narrabit Domino in generationem.*
2. *Venient & annuntiabunt iuſtitiam eius, Populo nato, quoniam fecit.*

Dixerat animam eius morituram, Hic Semen fore dicit quòd ſeruiat ei, non autem ſeruiet mortuo, cum ille nō regnet mortuus. Quis enim mortuo ſeruiat? Ergo moriturus ille neceſſario reſurrecturus erat, vt ſeruire ei poſſit Semen. Iam cum mortuus auferatur de terra viuentium, ſicut Iſa. 53. dicit, eum abſciſſum de terra viuentium. Sequitur ſic reſuſcitatum à mortuis, vt amplius non moriatur, neq; mortalis vlterius ſit, Quare & regnum eius non erit mortale aut temporale, quia anima eius non viuet in hac vita, ſed tolletur de hac vita, qui dicit. Anima eius non viuet, quod ſonat de hac vita mortali, quo modo Paulus 1. Cor. 15. Primus Adam factus eſt in animam viuentem, ſecundus autem in ſpiritum viuificantem, Appellans hanc vitam animalem, corpus animale, Illam autem ſpiritualem & corpus ſpirituale. Quare & hic Chriſtum dicit ſic moriturum, vt anima eius non viuat, id eſt, animali vita non viuet, Noluit enim ſimpliciter eum mortuum dicere, ſed eis verbis vſus eſt, quæ rem proprie redderent, ſcilicet Chriſtum moriturum, vt amplius non viueret anima eius, id eſt, animalis vita, victu, amictu, anhelitu & alijs corruptibilis vitæ neceſſitatibus. Animam ergo habet, homo eſt, ſed ea non viuet. At cum etiam ſic viuet, vt Semen habeat in quo regnet, Sequitur vt ſpiritualis homo ſit & viuat, Quod fieri non potuit, niſi animale corpus moreretur, & reſurgeret ſpirituale.

Chriſti Regnum ſpirituale & æternum. — *Isa. 53.* — *Anima eius non viuet.* — *1. Corin. 15.*

Ex illis vlterius ſequitur, quod etiam Deus ſit, quia ſeruitus iſta puro homini non conuenit, nec regnum eiuſmodi, Deinde neceſſe eſt hanc ſeruitutem quoque non eſſe animalem, cum ille iam animalis non ſit, talique ſeruitute non egeat. Erit ergo ſeruitus in ſpiritu, Synagogæ ceſſante tumultu in ſeruitute externa, Et id quoque ſequitur, ſemen eſſe non animale, noluit enim dicere, Populus ſeruiet ei, ſed ſemen, vt iactantiam ſeminis carnalis Abrahæ tolleret, & nouum ſemen induceret, quod ipſe per Euangelium genuiſſet ex ſpiritu. Erit ergo hic homo Patriarcha nouus, noui Seminis autor & origo, noua ſeruitus, nouum regnum, qualia mundus non cognouit. Sic Iſa. 53. Si poſuerit pro peccatis animam ſuam, videbit Semen longæuum, Quomodo generat mortuus? Itaque iſte Patriarcha non eſt ſimilis prioribus, Illi enim mortui ſunt, relicto poſt ſe ſemine, quod illis vt mortuis non ſeruiebat. At huic Patriarchæ non erit Semen poſt ſe relictum, ſed ita præſens ſemper cum præſente & longæuum, vt ei ſoli ſeruiat viuens viuenti, & tamen non in hac vita animæ, De cæteris enim dicit. Et ſemini tuo poſt te, Huic dicit ſemini tuo tecum, quod non poſt te erit, ſed ſimul erit, adeo vt etiam ſeruiat tibi.

Seruitus in ſpiritu. — *Semen per Euangelium genitum.* — *Isa. 53.*

Narrabit Domino ad generationem, Verbum narrabit hic impersonaliter accipitur, meo iudicio, more huius linguæ, pro narrabitur ſeu ſermo erit, Sicut Gen. 10. de hoc exiuit Prouerbium, ſicut Nimrod potens Venator coram Domino, vbi Ebræus habet, & dixit, ſicut Nimrod & c. id eſt, dixit aliquis, ſeu dictum eſt, Et 27. Nunciata ſunt Rebeccæ verba Eſau. Ebraice ſic: Et nuntiauit Rebeccæ. Item 31. Ideo vocatum eſt nomen eius Galaad pro, & vocauit eius nomen Galaad, & multa ſimilia, Ita & hic ſit, Narrabit. Id eſt,

Narrabit pro narrabitur. — *Gen. 10. 27. 31.*

narratum

narratum erit Domino ad generationem, hoc eſt, dicetur quod & Deus habeat generationem & filios filiorum, nempe qui habeat & ſemen, ſicut in Iſaia vlt. dicit. Nunquid qui alios parere facio, ipſe non pariam, dicit Dominus? Si ego qui generationem alijs tribuo, ſterilis ero, dicit Dominus? Quod ex Ebræo de generatione ſpirituali populorum dici melius videtur. Pſal. 102. Filij ſeruorum tuorum habitabunt & ſemen eorum in ſeculum dirigetur. Eſt autem ſermo totus Ebraicus. Narrabit Domino in generationem, id eſt, prædicabitur, & hac prædicatione Domino prædicabitur, & ſic prædicabitur, quod Dominus ad generationem pertineat, ſeu ſit ei generatio. Quod eſt mirabile in oculis noſtris, vt Deus etiam ſimilis hominibus habeat generationem populorum. Semel autem dicit generationem, cum vbique geminetur, generatione, generatione. Sed hoc ideo, quia in ſemine carnali generatio præterit, generatio aduenit, & eſt ſucceſſio non manentium. Hæc vero generatio eſt, vt priores non cedant ſequentibus, ſed ſimul in vnam congregentur generationem, quia ſpiritualis eſt & æterna.

Iſai. 66. *Pſalm. 102.*

Venient & annunciabunt iuſticiam eius (id eſt, iuſticiam fidei) Non iuſticiam operum & legis, annunciabunt ſcilicet ſemen & generatio eius, hæc enim erit ſeruitus eorum, vt 1. Pet. 2. dicit, Vos populus acquiſitionis, vt enarretis virtutes eius, qui vocauit vos in admirabile lumen ſuum. Non n. nunciabunt de hoc Rege gloriam huius mundi, ſicut de Salomone nunciatū eſt, Sed iuſticiā eius, vt Rex iſte & Patriarcha, victor peccati & mortis & autor æternorū bonorum intelligatur. Quo autē venient & vnde? nempe de conſpectu huius Regis procedent foras & intrabunt in mundum, vt annuncient ibi iuſticiam eius foris, in qua coram eo viuunt intus. Hoc dicitur, ne generatio iſta putetur nuſquam eſſe, quia ſpiritualis ſit, Erit, inquit ſpiritualis & tamen in mundo. Non autem vllo ſigno cognoſcentur, niſi miniſterio verbi ablata omni alia perſona, Venient enim per pedes Euangelij pacis & vocem eorum audies, ſed neſcies vnde aut quo vadant, ſpiritus enim ſunt qui ſpirat, non in perſonis ſed libere vbi vult.

1 Pet. 2. *Eccleſia prædicatrix iuſticiæ Chriſti.* *Seruitus generationis huius ſpiritualis.*

[illegible]o genito. Quid hoc? Quis eſt populus qui non naſcitur? Ego [illegible]ione hoc dici puto, quod aliorum Regum populi legibus, moribus, & conſuetudinibus formantur, ſed quibus nihil promoueas ad veram iuſticiam, fabula tantum eſt iuſticiæ & ſcena theatrica, Nam & lex Moſi non potuit Iudæorum populum formare niſi ad hypocriſin. Huius autem Regis populus non legibus formatur in ſpeciem, ſed ſpiritu & aqua generatur totus in nouam veritatis creaturam. Quæ eſt virtus illa iuſticiæ eius ſine ſpecie, quæ in ſpiritu annunciatur, Nam quod naſcitur totum immutatur & nouum fit, ſicut Chriſtus dicit, Iohan. 3. Niſi quis renatus fuerit denuo, non poteſt videre regnum Dei, Igitur populo nato eſt verbum iuſticiæ Dei donatum, quo & naſcitur & ſeruatur, non ſpecie, ſed veritate, iuſtus in ſpiritu, tamen in carne exiſtens.

Populus qui naſcitur. *Iohan. 3.*

Quoniam fecit, Hoc de Chriſto Deo rege dicitur in hunc ſenſum, ſi non fallor, Quod hæc omnia fient, quia ipſe facit, Er gehet dran. Q.d. qui hactenus multa dixit per legem, multaq; promiſit, ſed nihil eſt factū. Erit ergo tempus vt emittat virgam virtutis, & det vocem virtutis voci ſuæ, & tale verbum mittat, quod potens ſit (vt Iacobus ait) nos generare in creaturam eius, & ſaluare animas noſtras, vt iam non locutor, ſed factor ſit, Es wirds ein mal thun/ Sicut in Iſai. 52. dicit. Ecce ego ipſe qui loquebar, aſſum, Legem antea dedit, ſed non erat qui faceret, venit & dedit Euangelium, per quod facit omnia. Ecce hos duos verſus quam breui compendio & miro inuolucro omnia

Iſai. 52.

cro omnia illa myſteria Chriſti, de diuinitate, reſurrectione, regno, populo, Euangelio, iuſticia, ſalute eius complexi ſunt, vt mihi ſimilis in Scriptura locus nondum occurrerit.

VIſum eſt hic tabernaculum figere & manſionem facere, & quia video iſtos commentarios rapi ad typos & præla, cum ego mallem eos perpetuo latere, adeo multa ſunt, in quibus ipſe contentus non ſum, onus vltra vires ſuſcepi, ideo ſæpius nuto. Rogo itaque pium Lectorem, vt legat omnia cum ſummo iudicio, non quod mihi conſcius ſim vſquam praua docuiſſe. Sententia mihi per omnia placet, ſed non ſemper ſuo loco mihi venit. Erratumq; eſt aliquando in Ebræa lingua, dum occupatus & diſtractus varijs, non totus incubui, Non me excuſo difficultate & obſcuritate Libri, nec paruitate eruditionis & ingenij, cur enim non abſtinui? Nec me aliorum exemplo ſolor, quanquam hæc ſit honeſtiſſima ratio. Sed hoc anhelo, vt purus, genuinus appoſitusque ſuo quisque loco ſenſus habeatur, quod ſi potui vel ex parte tradere, libens, temerarius, erroneus, indoctus, in multis habebor præ cæteris. Et vt aliquot indicem, quæ præſenti memoria mouent.

Pſalmo 11. verſu vltimo erratum eſt in dictione Ebraica Sa- *Pſal. 11.*
bib, vbi peregrinante animo verbum tranſitiuū tertij feci, Quanquam interpretatio & ſenſus non male habeat, etiamſi circuitu
dicas, pro circundedit. Et Pſal. 13. quæ in verſu ſecundo de dicti- *Pſalm. 13.*
one Maſcil dixi, vera ſunt, ſed mallem omiſſa omnia, tamen alio loco (Deo volente) corrigetur, vbi de eiuſmodi verbis plene tra-
ctabo. Pſal. 17. verſ 11, In anima circundederunt, melius eo tropo *Pſal. 17.*
dixiſſem, quo Iacob Gen. 31 dicitur ſeruijſſe in Rachel, vt tolleret *Geneſ. 31.*
eam vxorem, Ita in anima circundederunt vt tollerent, vt noſter
habet Interpres. Pſal. 19. tertio verſu laborans, quomodo Apo- *Pſal. 19.*
ſtoli omnium linguis eſſent locuti, non cogitaui, quod dici poſſit, Apoſtolos in diuerſis locis Ieruſalem, alijs alijsq; domibus, alias & alias linguas inueniſſe, & ſic locutos ea lingua ſola, in quam pro tempore incidiſſent, vt per interualla & loca & perſonas, hanc varietatem linguarum diſpartitam intelligas, tum vt Lucas ait, populos mente confuſos, videntes, quod circumeuntes loquerentur omnium linguis, quos acceſſiſſent, & confiteretur quisq; alteri ſua auditos ei fuiſſe loquentes. Sunt multa alia præter hæc & forte maiora, ipſe non video, Accedunt ad hæc errores Librariorum, breuiter, totus commentarius mihi placeret magis, ſi recognitus à me primum fuiſſet, cum & prolixitas & verboſitas magnum in eo vitium ſit. Verum nonnihil in illis eſt ſpiritualis eruditionis & reuelationis, de qua, qui pius eſt, gratias agat Domino Ieſu Chriſto, qui eſt lux noſtra, benedictus, Amen.

D. MAR-

D. MARTINI LVTHERI

OBLATIO SIVE PROTESTATIO.

I E S V S.

Martinus Lutherus precatur omnibus hanc Proteſtationem vel lecturis vel audituris, gratiam Dei, offerens Orationes ſuas indignas.

EDitis aliquot meis lucubrationibus & libellis hactenus, vt multorum ita magnorum indignationem, odium, & iram contraxi, adeo, vt pene nunc toto triennio pro diuina & Euangelica veritate infinitas & perpetuas perſecutiones, contumelias, diſcrimina, & quidquid malorum à meis aduerſarijs excogitari potuit, paſſus, ne hodie quidem euaſerim. Neque enim mihi profuit, quod inuitus & nolens in publicum progreſſus, neq; ſecus quam meorum æmulorum vi, fraudib. & inſidijs adactus, ſcripſi quidquid ſcripſi, nihil aliud vnquam vel precatus vel ſecutus, quam vt velut homo alienæ voluntati deuotus in angulo aliquo latens & obſcurus latere poſſem.

Nec mihi fuit ſaluti, quod Deo optimo maximo, & mea conſcientia teſte vere teſtari, ſed & multorum proborum, grauium Chriſtianorum, eruditiſsimorum, & peritiſsimorum iudicio & ſententia poſsim aſſequi & obtinere, me nihil vnquam conatũ, ſicut ne nunc quidem prudens & de induſtria velim, edere aliud quam Euangelicam & diuinam veritatem, contra tam multiplices ſuperſtitioſas opiniones, errores & ſententias humanarum conſtitutionum & ordinationum, imo ſeducentium & periculoſarum inordinationum. Deum enim teſtem habeo, mihi ex animo dolere, vt volens & ex profeſſo impie vel agam, vel docere, concionari, ſcribere, loqui, ſiue pro concione ſiue in Schola profiteri velim, quod vel Deo vel ſaluti animarum eſſet contrarium.

Sed ne hoc quidem promoui, quod me ſæpenumero & multifariam obtulerim, vt Filius ſupplex & obediens ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ (qualis Deo optimo maximo adiutore mori volo) ſi per meos aduerſarios liceat, me taciturum quieturumq;, ac permiſſurum meliora & Chriſtianiora ex ſacris literis doceri & inſtitui, in publicas Diſputationes deſcenſurum, omniũ Academiarum non ſuſpectarum cognitionem & ſententiã paſſurum, corã non ſuſpectis, ſed æquis, ſacris & prophanis, ſpiritualibus & ſecularib. iudicibus, ſub fide publica, idonea & ſufficienti, Conductu libero, & libenter & humiliter compariturum, eorumq; cognitionem & ſententiam accepturum, atq; adeo ſi iuſtis & honeſtis confutationibus, rationabilibus cauſis ſacrarum literarum me vt iniuſtum inuenerint & vicerint, ſuppliciter præbiturum me docendum, & à meo propoſito, quod hactenus (quod citra iactan-

tiam dictum ſit)tantum pro gloria Dei & ſalute, commoditate, ſolatio & felicitate totius Reipub. Chriſtianæ,pro meo officio,vt immeritus ſacræ Theologiæ Doctor nominatus, ſine omni ſpe & expectatione priuatæ laudis,quæſtus & commodi habui,obedienter deſiſtendi.

Verum tantum abeſt,vt hæc omnia vel minimi apud meos aduerſarios momenti fuerint,vt hæc omnia offerentem, Hæreticum,ſchiſmaticum,ſcandaloſum,impium,errabundum, fugientem leges,& innumerabilibus alijs modis tam publice quam priuatim perpetuo criminentur , id quod tamen eis ex corde ignoſco.

Quapropter omnes per Deum obſecro,vt ſibi certo perſuadeant,hodie adhuc me eiuſdem eſſe & voluntatis & propoſiti,ſibique caueant à temerario iudicio,& diſcrimine odij & inuidiæ. Quod ſi videor ipſorum iudicio interdum vel ſcripſiſſe vel ſcripturus,maiore ſiue ſeueritate ſiue ioco quam deceat, mihi beneuolenter ignoſcant,tum quod hoc duntaxat pro Chriſtiana veritate,& non pro mea vel laude vel vtilitate factum eſt,& adhuc fit,tum quod tam inſigniter & atrociter multiplicibus, ignominioſis,indoctis,ineptis,impijs,blaſphemis, & ſacrilegis meorum æmulorum ſcriptis motus ad hæc impellor, A quibus ſi alius deſcribor,oro,vt me excuſatum habeant. Nam præter diuinam remunerationem paratus ſum & vniuerſis & ſingulis,Orationibus meis minimis referre gratiam. Ita Dei fiat voluntas,ſicut in cœlo ita & in terra, Amen.

Datum die 17. Ianuarij, Anno M. D. XX.

EXEMPLVM RESPONSIONIS SCRIPTAE A DVCE SAXONIÆ ELECTORE FRIDERICO, AD D. VAlentinum à Deitleben, eo tempore Romæ agentem.

QVOD ſcribitis,ſi forte accidat,vt hoc & alia noſtra negotia apud ſanctiſsimum Dominum Papam prægrauata laborent,id omne,veſtro iudicio,attribuendum eſſe immodeſtiæ & temeritati Doctoris Martini Lutheri,Quod,ſicut vos loquimini, neſcio, quæ noua dogmata contra ſanctitatem Pontificiam , & ipſam ſanctam Sedem & Eccleſiam Romanam ſparſerit, & erga reuerendiſsimos Dominos Cardinales non pro debita modeſtia & reue-

ſentia ſeſe ſubmiſerit, Et nos ſingillatim, quod publica fama adfirmet, illum à nobis ali, foueri & clementer haberi.

Ad hæc vobis breuiter & bono ſtudio reſpondemus, Nos doctrinam & ſcripta Doctoris Martini Lutheri nunquam conatos eſſe noſtra autoritate aut patrocinio tueri aut defendere, Ac ne nunc quidem hoc conari, Non enim nobis ſumimus iudicium pronuntiandi, quid ille recte & iure, aut contra fecerit, & quæ pie ac Chriſtiane, aut ſecus, ab eo doceantur.

Tametſi non diſsimulandum duximus, quod nos audimus huius Viri doctrinam, multorum eruditorum & intelligentium iudicio piam & Chriſtianam haberi & adprobari, Quod tamen nos in medio relinquimus, & vt de illius doctrina non præiudicamus, ita ſuorum dogmatum defenſionem ipſi Autori integram relinquimus, Præſertim cum tota hæc cauſa ad legitimam cognitionē reiecta ſit, cui ſeſe ipſe ſubiecit, ſic, vt obtulerit ſe apud Pontificiæ ſanctitatis Commiſſarium iam delectum, æquis conditionibus, videlicet impoſita cautione de aſſecuratione ſeu fide publica, obedienter compariturum eſſe, ad reddendam rationem eorum, quæ docuit aut ſcripſit, Addita etiam vberiore ſubmiſsionis & obedientiæ oblatione, ſe, ſi de quouis ſuo dogmate aliud & rectius, ex verbo Dei edoctus, & veris teſtimonijs Scripturæ de errore conuictus fuerit, vltro mutaturum ſententiam & recantaturum eſſe, vt ex ipſa forma * Proteſtationis ſeu oblationis ab ipſo edita apparet. *Supra fol. 255. a.

Etſi autem non ſatis cauſæ erat, cur ad hunc modum ſe offerenti aliquid oneris præterea imponeretur, Nos tamen priuſquā res ad has conditiones deduceretur, hoc etiam cum ipſo Doctore Martino Luthero egimus ac effecimus, vt ſua ſponte ex noſtra Ditione & Academia ſeſe ceſſurum eſſe polliceretur. Et quidem iam ceſsiſſet, niſi ipſe Nuntius Pontificiæ ſanctitatis D. Carolus à Miltitz interceſsiſſet, multis precibus à nobis contendens, ne illū dimitteremus, metuens videlicet, ne ſe in ea loca conferret, vbi multo liberius & tutius ſcribere & agere poſſet quæ vellet, quam hactenus noſtram & Scholæ noſtræ autoritatem reueritus, fecerit, Quod vt caueretur, cōſultius viſum fuit, eum à nobis retineri.

His & alijs pluribus de cauſis, iudicamus nos ita omnibus purgatos eſſe debere, vt nemo merito vel de nobis male ſuſpicandi cauſam habeat, multo minus ſuggillationibus & falſa criminatione nos prægrauādi. Quare confidimus noſtra negotia apud ſanctitatem Pontificiā hoc nomine nihil odij aut impedimentorum habitura eſſe. Vere n. hoc adfirmare poſſumus, nec nobis quidquam triſtius & acerbius accidere poſſe, quā nobis viuentibus, & noſtro patrocinio aliquos pernicioſos errores ſpargi & confirmari, vt hanc noſtram mentem datis literis ad reuerendiſsimum Dn. Cardinalem S. Georgij, Dominum & amicum noſtrum copioſius expoſuimus.

Vos tamen, vt tanquam cum Ciue noſtro, propter communem Patriæ coniunctionem, paulo liberius conferamus, etiam ea, quæ ex communibus ſermonibus hominū intelligimus, nolumus cælare. Adfirmant multi, Doctorem Martinum Lutherum, ſicut & ipſe dicitur ſcriptis & ſermone palam fateri, non ſua voluntate, ſed inuitum ad has controuerſias de Papatu deſcendiſſe, videlicet eo pertractum à Doctore Eccio, & ſæpe prouocatum ac laceſsitū quorundā ſcriptis Romæ & aliunde in ipſum editis, coactum fuiſſe reſpondere, qui ſi quieuiſſent, nunquam iſta, quæ nunc diſputantur, fuiſſent prolata, ſed prorſus ſilentio ſepulta iacerent.

Et cum nunc Germania floreat ingenijs, & multis doctrina & ſapientia præſtantibus viris, peritis linguarum & omnis generis literarum, Cumq; etiam nunc vulgo Laici ſapere incipiant, & ſtudio cognoſcendæ Scripturæ teneantur, multi iudicant valde metuendum eſſe, ſi neglectis æquiſsimis conditionibus à Doctore Luthero oblatis, ſine legitima cognitione, tantum Eccleſiaſticis cenſuris feriatur, ne hæ contentiones & certamina multo magis exaſperentur, vt poſtea non ita facile ad ocium & compoſitiones res deduci poſsit. Nam Lutheri doctrina, ita iam paſsim in plurimorum animis in Germania & alibi infixa radices egit, vt ſi non veris ac firmis Argumentis & perſpicuis teſtimonijs Scripturæ reuincatur, ſed ſolo eccleſiaſticæ poteſtatis terrore ad eum opprimendum procedatur, non videatur res ſic abitura, quin in Germania acerrimas offenſiones & horribiles ac exitiales tumultus excitatura ſit, Vnde nec ad ſanctiſsimum Dominum Pontificē, nec alijs quidquam vtilitatis redire poterit. Hæc nos vobis bono ſtudio, vt qui & Eccleſiam & Rempub. quam maxime ſaluam optamus, reſpondenda eſſe duximus, Et vobis noſtra officia clementer offerimus.

Datum Torgæ, Kalen. April. Anno M.D.XX.

LEO PAPA X. FRIDERICO SAXONIAE DVCI, SACRI ROMANI IMPERII ELECTORI.

Dilecte fili, Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

QVod ad nos grauiſsimorum hominum teſtimonijs allatum eſt, Nobilitatem tuam pro ſua præſtanti prudentia, & in ſummum Deum eiuſque fidem orthodoxam, pietate, nobilitate animi & generis Maiorumque tuorum, quorum ſingularis, ſemper extitit in Chriſtianam Rempublicam & hanc ſanctam Sedem voluntas, infenſos ſemper habuiſſe iniqui-

iniquitatis filij Martini Lutheri conatus, eiq; nec auxilio, nec fa- uori vnquam fuiſſe, id fuit maiorem in modum gratum, atq; ita, vt eam quam de tua egregia virtute habuimus opinionem, & pa- ternam noſtram erga te beneuolentiam, hæc eadem res vehemẽ- ter auxerit. Nec vero poſſumus conſtituere, vtrum hoc ſapienti- us abs te, an religioſius iudicemus eſſe factum. Fuit enim ſingula- ris ſapientiæ, hominem furentem, nequaquam congrua ſuæ pro- feſsioni, quæ humilitatem poſtulat, ambitione, veteres hæreſes Vuikleuienſium, Huſsitarum, Bohemorum, iam ab vniuerſali Eccleſia damnatas ſuſcitantem, vulgi auram manifeſte quærẽ- tem, anſas peccandi ſimplicibus animis ſuis Scripturæ interpre- tationibus præbentẽ, vinculum continentiæ & innocentiæ, potiſ- ſimũ Confeſsionem cordisq; Contritionem prophanis vocibus euertentẽ, fauentem Turcis, Hæreticorum pœnas deplorantẽ de- niq; omnia ſumma imis permiſcere cõnantem, cognoſcere, eſſe immiſſum, non illum quidem à Chriſto, ſed à Satana, qui in tan- tum ſuperbiæ atq; amentiæ ſit euectus, vt ſit auſus palam & dicere & ſcribere, ſe neq; ſanctorum Doctorum ſcriptis, neque œcume- nicorum Conciliorum decretis, nec Romanorum Pontificum inſtitutis, ſed ſibi ſe vni & opinionibus ſuis fidem habere velle, Quod nemo certe vnquam præſumpſit hæreticus.

Ergo tua Nobilitas ſapientiſsime huius peſtilentis ac venenati hominis familiaritatem aſpernata eſt, qui certe, quod potes exi- ſtimare, nonnullam, Domui veſtræ nobiliſsimæ labem, maxi- mam vero Germanicæ nationi adfert. Illud vero religioni tribu- endum eſt, quod nunquam in quenquam tantorum errorum conſenſiſti, & eis potius obſtitiſti. Nec per te occaſio vlla data eſt, à vetere & diuturno per Spiritum ſanctum, tot ſeculis conſerua- to, ordine fidei orthodoxæ deficere.

Quæ nos de te audita, & vt diximus, multorum teſtimonijs cognita, non ſolum nobiſcum, ſed cum pluribus maximis ac gra- uiſsimis viris communicantes, tuamq; nobilitatem dignis laudi- bus in Domino commendantes, eidem Domino gratias agentes, quod hominis ſcelerati & nefarij impijs conatibus tales quoque obices oppoſitos vellet. Quoniam nos eum quoque, cum diutius paſsi eſſemus, ea ratione moti, quod ad pœnitentiam redire opta- bamus, Poſtquam vero nec manſuetudo noſtra, nec monita, quidquam proficerent, fuitque periculum, ne morboſa ouis ali- quam partem Gregis dominici corrumperet, neceſſario ad acri- ora remedia deuenimus. Itaque ſacro venerabilium Fratrum noſtrorum, & aliorum in ſacris Canonibus omniumque diuina Scriptura peritiſsimorum virorum, conuocato Concilio, re mul- tum agitata atque diſcuſſa, Tandem præeunte Spiritu ſancto, qui in huiuſmodi cauſis huic ſanctæ Sedi nunquam abfuit,

Decretum fecimus, literis Apoſtolicis inſcriptum, & plumbea Bulla inſignitum, In quo ex innumerabilibus prope huius hominis erroribus eos ex ordine perſcribi iuſsimus, qui partim plane hæretici eſſent, fidemq; rectam peruerterēt, Partim laxatis apud ſimpliciores animos obedientiæ, continentiæ & humilitatis vinculis ad omne ſcandalum & nefas inuitarent. Nam quod plurimos ille idem felle iniuſti odij paratus, in hanc ſanctam Sedem euomuit, eorum Dei ſit, non noſtra, iudicatio.

Quarum literarum exempla in alma Vrbe noſtra impreſſa, ad Nobilitatem tuam miſimus, vt illa, recognitis diligentius miniſtri Satanæ erroribus, eum, ſicut in eiſdem literis pro Apoſtolica manſuetudine ſcriptum eſt, Primum hortari & monere, vt abiecto contumaciæ & ſuperbiæ ſpiritu, ad ſanitatem redire, Dei & noſtram clementiam experiri, abnegatis palam deteſtandis Opinionibus, velit. Sin autem perſtiterit in amentia, tunc elapſo termino, in eiſdem literis contento, eum declaratum Hæreticum, quantum in tua eſt autoritate & poteſtate, capi, captumq; ad noſtram inſtantiam cuſtodiri curet & ſtudeat.

In quo Nobilitas tua præclaris initijs virtutis ſuæ eximiæ pares reddiderit exitus, nec mediocrē maculā à ſua & familiæ & Germanicæ nationis claritate repulerit, hancque apud Deum & homines excelſam laudem promereberis, eſſe tuæ Nobilitatis opera ac pietate oriens incendium prauæ hæreſis à ſplendore fidei orthodoxæ & cœtu fidelium ſummotum & extinctum.

Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 8. Iulij, Anno M. D. XX. Pontificatus noſtri anno IIX.

APPELLATIO F. MART. LVTH.

IESVS.

NOtum ſit omnibus Chriſtianis, quod ego Martinus Lutherus antea à Leone X. Papa legitime & iuſte appellaui ad futurum Concilium, iniquis ad hoc coactus grauaminibus eiuſdem Leonis Papæ, Cuius Appellationis exemplum habes Tomo primo fol. 217. Quæ vero hic ſequuntur, ſunt eiuſdem Appellationis quædam appendix.

POſtquam autem prædictus Leo X. in impia ſua tyrannide induratus perſeuerat, & in tantum creſcit, vt me quadam Bulla, vt fertur, neque vocatum, neque auditum, neq; conuictū in Libellis meis, damnarit, Ad hæc Concilium Eccleſiaſticum eſſe in rerum natura neget, fugiat & vituperet, tanquam infidelis & apoſtata, ſuamque

ſuamq; tyrannidem illius poteſtati impijſsime præferat, iubeatq; impudentiſsime, vt abnegem fidem Chriſti in Sacramentis percipiendis neceſſariam, atq; vt nihil omittat, quod Antichriſtum referat, ſacram Scripturam ſibi ſubijciat, & conculcet incredibili blaſphemia, ſimq; his intolerabilibus grauaminibus grauiſsime læſus. Ego prædictus Martinus omnibus & ſingulis in Domino notum facio, me adhuc niti & inhærere Appellationi factæ & prædictæ, eamq; legitime coram Notario & fide dignis teſtibus innouaui, & his ſcriptis innouo, & innouatam pronuntio, & in virtute eiuſdem adhuc perſeuero, appellans & Apoſtolos petens iure & modo, quibus fieri poteſt & debet, melioribus, coram vobis Domino Notario publico, & autentica perſona, & his teſtibus ad futurum Concilium à prædicto Leone,

Primum tanquam ab iniquo, temerario, tyrannicoque Iudice, in hoc quod me non conuictum nec oſtenſis cauſis aut informationibus mera poteſtate iudicat. Secundo, tanquam ab erroneo, indurato, per Scripturas ſanctas damnato, Hæretico & Apoſtata, in hoc, quod mihi mandat fidem catholicam in Sacramentis neceſſariam abnegare. Tertio, tanquam ab hoſte, aduerſario, Antichriſto, oppreſſore totius ſacræ Scripturæ, in hoc, quod proprijs, meris, nudiſq; verbis ſuis agit, contra verba diuinæ Scripturæ ſibi adducta. Quarto, tanquam à blaſphemo, ſuperbo contemptore ſanctæ Eccleſiæ Dei, & legitimi Concilij, in hoc, quod præſumit & mentitur, Concilium nihil eſſe in rerum natura, quaſi ignoret etiam, ſi non ſit actu congregatum, tamen eſſe perſonas in Eccleſia nonnihil in rerum natura, imo Dominos & Iudices omniũ, qui ad Concilium pertinent pro tempore congregandũ. Neque enim ideo Imperium aut Senatus nihil eſt, quia Imperator cum Principibus aut Senatores non ſunt congregati, quorum intereſt congregari, ſicut hic inſigniter & craſſe delyrat Leo cum ſuis Leunculis. Horum omnium Rationem reddere paratus, offero me pro loco & tempore, ad comparendum & ſtandum & audiendum, quis contradicat mihi,

1. Antichriſti nota.
2.
3.
4.

Quocirca oro ſuppliciter, Sereniſsimum, illuſtriſsimos, inclytos, generoſos, nobiles, ſtrenuos, prudentes viros & Dominos, Carolum Imperatorem, Electores Imperij, Principes, Comites, Barones, Nobiles, Senatores, & quidquid eſt Chriſtiani Magiſtratus totius Germaniæ, velint pro redimenda catholica veritate & gloria Dei pro fide & Eccleſia Chriſti, pro libertate & iure legitimi Concilij, mihi mecque Appellationi adhærere, Papæ incredibilem inſaniam auerſari, tyrannidi eius impijſsimæ reſiſtere, aut ſaltem quieſcere, & Bullæ eiuſmodi executionem omittere & differre, donec legitime vocatus, per æquos Iudices, auditus,

auditus, & Scripturis dignisq; documentis conuictus fuero. In quo ſine dubio Chriſto rem facient, in die nouiſsima cumulatiſsima gratia remunerandam. Quod ſi qui hanc meam petitionem contemnentes, pergant, & Papæ impio homini plus quam Deo obediant, volo his Scriptis me excuſatum coram omnibus & vniuſcuiuſq; conſcientiam hac fideli fraternaq; monitione requiſitam, obſtrictam ſuoq; onere grauatam habere, & iudicio extremo Dei ſuper eum locum dare: Dixi.

QVare cum hæc ſua grauamina in Schedula quadam coram me publico Notario & Teſtibus infra ſcriptis legiſſet, Proteſtatus eſt ſemel atq; iterum, ſe perſiſtere eo animo, quo prius à præfato Leone X. appellauerit, Hærere ſeſe, & vti iure & patrocinio legitimo prius à ſe factæ Appellationis. Vnde petijt ſibi à me Notario publico cum debita inſtantia Apoſtolos tales, quales ſibi de iure debentur, dari atq; concedi. Cui petenti tales dedi Apoſtolos, quales à me expectare potuiſſet, nimirum teſtimoniales, potiſſimum Inſtrumento publico ex tunc exarandos. Super quibus omnibus, & ſingulis petijt à me Notario infra ſcripto vnum vel plura conficiatq; fieri publicum vel publica, inſtrumentum vel inſtrumenta.

Acta ſunt hæc Vuittembergæ Brandenburgenſis Diocœſis, Anno à natiuitate Domini & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti M. D. XX. indictione 8. die vero Saturni, 17. menſis Nouembris, Pontificatus beatiſſimi in Chriſto Patris & Domini, domini Leonis, diuina prouidentia Pontificis Romani, huius nominis X. anno 8, Regnante diuo Carolo Romanorum Imperatore, hora 10. vel quaſi in loco habitationis ſuæ, ſiue in æſtuario ſuo, intra muros & ſepta Monaſterij Auguſtinianorum ibidem ſituato.

Præſidentibus ibidem venerabilibus viris & Dominis, D. Iohanne Pockmanno Philoſophiæ Magiſtro de Curia, diocœſis Badenbergenſis, D. Valentino Klochtzer vom Geir, diocœſis Miſnenſis, imperiali autoritate publico Notario, D. Iacobo Seideler de Neuendorff, diocœſis Miſnenſis, D. Thoma Kluege à Cygnea, diocœſis Numburgenſis, Chriſti ſacerdotibus, & Caſpare Creuciger è Lipſia, diocœſis Merſburgenſis clerico, Teſtibus ad præmiſſa vocatis pariter & requiſitis.

Et ego Iohannes Sarctor de Eisleben, diocœſis Halberſtaden: publicus ſacra Apoſtolica autoritate Notarius, Quoniam prædictis appellationi atque appellationis repetitioni & innouationi, proteſtationi, iuris ſui reſeruationi omnibusq; alijs & ſingulis, dum ſicut præmittitur, fierent, vna cum prænominatis teſtibus præſens interfui, eaq; ſic fieri vidi & audiui, ac in notam ſumpſi, Ex qua hoc præſens publicum inſtrumentum manu mea propria ſcriptum exinde confeci, ſubſcripſi publicaui, & in hanc formam publicam reſignaui, In fidem & teſtimonium omnium & ſingulorum Præmiſſorum rogatus ſpecialiter & requiſitus.

DE

DE CAPTIVITATE BABYLONICA ECCLESIÆ: PRÆLVDIVM D. MARTINI LVTHERI,

Vbi præcipue de natura, numero & vſu Sacramentorum agitur &c.

IESVS.

Martinus Lutherus, Hermanno Tulichio ſuo, S.

VElim, nolim, cogor indies eruditior fieri, tot tantiſq; Magiſtris certatim me vrgentibus & exercentibus. De indulgentijs ante duos annos ſcripſi, ſed ſic, vt me nunc mirum in modum pœniteat editi Libelli. Hærebam enim id temporis magna quadam ſuperſtitione Romanæ tyrannidis, Vnde & Indulgentias non penitus reijciendas eſſe cenſebam, quas tanto hominum conſenſu cernebam comprobari. Nec mirum, quia ſolus tum voluebam hoc ſaxum. At poſtea, beneficio Syluestri & Fratrum adiutus, qui ſtrenue illas tutati ſunt, intellexi, eas aliud non eſſe, quam meras adulatorum Romanorum impoſturas, quibus & fidem Dei & pecunias hominum perderent. Atque vtinam à Bibliopolis queam impetrare, & omnibus, qui legerunt, perſuadere, vt vniuerſos Libellos meos de indulgentijs exurant, & pro omnibus quæ de eis ſcripſi, hanc Propoſitionem apprehendant.

Luth. in quadam Epiſtola ad Spalatinum, Liber de captiuitate eccleſiæ Sabbato exibit, Datum vigilia Franciſci, 1520.

Indulgentiæ.

Indulgentiæ ſunt adulatorum Romanorum nequitia.

POſt hæc Eccius & Emſerus cum Coniuratis ſuis, de primatu Papæ, me erudire cœperunt. Atque hic etiam ne hominibus tam doctis ingratus ſim, confiteor me valde promouiſſe eorum opera. Nempe, cum Papatum negaſſem diuini, admiſi eſſe humani iuris. Sed vt audiui & legi ſubtiliſſimas ſubtilitates Iſtorum Troſſulorum, quibus ſuum Idolum fabre ſtatuunt, (eſt enim mihi ingenium in his rebus non vſquequaque indocile) ſcio nunc & certus ſum Papatum eſſe regnum Babylonis & potentiam Nimrod robuſti venatoris. Proinde & hic, vt amicis meis omnia proſperrime cedant, oro Librarios, oro Lectores, vt ijs, quæ ſuper hac re edidi, exuſtis, hanc Propoſitionem teneant.

Primatus Papæ.

Papatus regnum Babylonis &c.

Papatus eſt robuſta venatio Romani Epiſcopi.

Probatur ex rationibus Eccianis, Emſeranis, & Lipſenſis Lectoris Biblici.

NVnc de vtriuſq; ſpeciei communione mihi ſchola luditur, & de nonnullis alijs maximis rebus. Hic labor eſt, ne & hos fruſtra Cratippos meos audiam. Scripſit quidam frater Cremonenſis Italus reuocationem Martini Lutheri, ad ſanctam Sedem. Hoc eſt, qua non ego (vt verba ſonant) ſed qua

Communio vtriuſq; ſpeciei.

ipſe me reuocat(ſic enim Itali hodie incipiunt latiniſare) Scripſit in me de vtraque ſpecie Sacramenti, Frater alius Lipſenſis Germanus, Lector ille(vt noſti) totius Canonis Biblici, facturus(vt audio)adhuc maiora & mira mirabilia. Italus ſane cautus, nomen ſuum obticuit, forte exemplum Calerani & Syluestri veritus. Lipſenſis contra, ſicut decet ſtrenuum & ferocem Germanum, multis Tituli verſibus nomen ſuum, vitam ſuam, ſanctitatem ſuam, ſcientiam ſuam, officium ſuum, gloriam ſuam, honorem ſuum, pene & Calopodia ſua celebrauit. Hic procul dubio non medioeria diſcam, quandoquidem ad ipſum Filium Dei ſcribitur nuncupatoria Epiſtola, tam familiares ſunt hi ſancti Chriſto regnanti in cœlis. Deinde, tres mihi Picæ hic videntur loqui, vna bene latina, altera melius græca, tertia optime ebraica. Quid hic mihi, Hermanne mi, agendum putas aliud, quam vt aures arrigam? Res Lipſiæ agitur per obſeruantiam S. Crucis.

HActenus ego ſtultus ſenſi, pulchrum fore, ſi pro Laicis vtraq; ſpecies Sacramenti porrigenda ſtatueretur Concilio generali. Hanc ſententiam frater plus quam doctiſſimus correcturus dicit. Neque præceptum eſſe neq; conſulium, ſiue à Chriſto, ſiue ab Apoſtolis, vt vtraque ſpecies porrigatur Laicis, Ideoq; Eccleſiæ relictum iudicio, quid hic faciendum omittendumue ſit, cui neceſſe ſit obedire. Hæc ille. Rogas forte, quæ intemperiæ hominem agitent, aut contra quem ſcribat. Cum ego non damnarim vnius ſpeciei vſum, & Eccleſiæ iudicio reliquerim, vtriuſque vſum ſtatuendum. Id quod & ipſe conatur aſſerere, eo ipſo contra me pugnaturus. Reſpondeo, id genus diſputandi omnibus familiare eſſe, qui contra Lutherum ſcribunt, vt hoc aſſerant quod impugnant, aut fingant quod impugnent. Sic Syluester, ſic Eccius, ſic Emſer, ſic Colonienſes quoque & Louanienſes à quorum ingenio ſi hic Frater receſſiſſet, contra Lutherum non ſcripſiſſet.

Syluester. Eccius. Emſerus. Colonienſes. Louanienſes.

Sed accidit huic homini aliquid præ cæteris felicius. Cum enim eſſet probaturus, neq; præceptum neq; conſultum, ſed arbitrio Eccleſiæ relictum, vtrius ſpeciei vſum, inducit Scripturas, quibus probet, præcepto Chriſti eſſe vnam pro Laicis ſtatutam ſpeciem. Vt ſic verum ſit, nouo hoc Scripturæ interprete, vnam ſpeciem non præceptam, & ſimul præceptam eſſe à Chriſto. Huius genere diſputationis nouæ, ſcis, vt Lipſenſes iſti Dialectici peculiariter vtantur. Nonne & Emſer, cum priore ſuo Libello profiteretur, ſeſe candide de me loqui, & à me conuictus de teterrima inuidiæ fœdiſque mendacijs, in poſteriore me confutaturus, vtrunq; plane confitetur, & nigro & candido animo ſeſe ſcripſiſſe. Bonus ſcilicet vir, vt noſti.

Emſerus.

Sed audi noſtrum ſpecioſum Speciatorem, apud quem idem eſt, arbitrium Eccleſiæ & præceptum Chriſti. Rurſus idem præceptum Chriſti & non præceptum Chriſti. Qua dexteritate probet, vnam tantum ſpeciem laicis, præcepto Chriſti, id eſt, arbitrio Eccleſiæ, dandam. Literis enim maiuſculis ſignat in hunc modum: FVNDAMENTVM INFALLIBILE. Deinde tractat caput 6. Iohann. incredibili ſapientia, vbi Chriſtus de pane cœli & de pane vitæ, qui eſt ipſe, loquitur. Quæ verba homo doctiſſimus, non modo ad Sacramentum altaris trahit, verum, & hoc facit, vt quia Chriſtus dixerat: Ego ſum panis viuus, & non: Ego ſum calix viuus, concludat, non niſi vnam ſpeciem Sacramenti pro laicis eo loco inſtitutam. Quod vero ſequitur: Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus. Item: Niſi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, cum pro vtraque ſpecie videretur fraterno cerebro inuicte contra vnam pugnare. Hui quam feliciter & docte eludit in hunc modum, Quod

Panis cœli & vitæ, Ioh. 6.

Chriſtus

Chriſtus his verbis aliud non voluit, quam qui vnam ſpeciem acciperet, ſub eadem vtrunque carnem & ſanguinem acciperet. Hæc ille pro fundamento ſuo infallibili, tam dignæ ſancta cœleſtique obſeruantia ſtructuræ.

Ex iſto nunc diſce & tu quæſo, mecum, Chriſtum cap. 6. Iohan. præcipere vnam ſpeciem, ſic tamen, vt hoc ipſum præcipere, ſit id, quod relinqui arbitrio Eccleſiæ. Ad hæc Chriſtum in eodem cap. loqui duntaxat de Laicis, non de Presbyteris. Nam ad hos non pertinet panis viuus de cœlo, id eſt, vna ſpecies Sacramenti, ſed forte panis mortis de inferno. Iam quid de Diaconis & Hypodiaconis fiet? qui neque laici ſunt, neque ſacerdotes, hos oportet, hoc eximio Autore, neque vna neque vtraque ſpecie vti. Intelligis, mi Tulliehi, morem tractandæ Scripturæ obſeruantium & nouum. Sed & hoc diſces, Chriſtum Ioh. 6. de ſacramento Euchariſtiæ loqui, cum ipſe doceat ſe loqui de fide incarnati Verbi, dicens: *Hoc eſt opus Dei, vt credatis in eum, quem ille miſit.* Verum, huic Lipſenſi Bibliorum profeſſori hoc donandum eſt, vt è quolibet Scripturæ loco probet quodlibet. Eſt enim Theologus Anaxagoricus, imo Ariſtotelicus, cui nomina & verba transpoſita eadem & omnia ſignificant. Sic enim aptat Scripturæ teſtimonia, per totum Librum, vt ſi velir probare, Chriſtum eſſe in ſacramento, auſit incipere: Lectio libri Apocalypſis beati Iohannis Apoſtoli, quam enim hoc verbum apte diceretur, tam ſua dicuntur omnia, Et exiſtimat homo prudens, copia allegatorum, ſe hanc ſuam maniam ornaturum. Cap. Ioh. 6.

Prætereo cætera, ne te enecem ſentina huius graueolentiſſimæ cloacæ.
1. Cor. 11. In fine Paulum 1. Corin. 11. adducit, qui accepiſſe à Domino ſe, & tradidiſſe Corinthijs, & panis & calicis vſum dicit. Hic iterum noſter Speciator, ſicut vbique, Scripturas egregie tractans, docet, Paulum ibidem permiſiſſe vtranque ſpeciem, non tradidiſſe. Quæris vnde probet? E capite ſuo, ſicut & illud Iohan. 6. Nam hunc Lectorem non decet rationem reddere eorum quæ dicit, cum ſit de Profeſſione eorum, qui viſionibus ſuis omnia probant & docent. Docemur ergo & hic, Apoſtolum eo loci non ad vniuerſos Corinthios ſcripſiſſe, ſed ad Laicos tantum, Ideo ſacerdotibus illic nihil permiſiſſe, ſed priuatos eſſe vniuerſo ſacramento. Deinde quod noua Grammatica, Accepi à Domino, idem ſit, quod permiſſum eſt à Domino. Et tradidi vobis, id eſt, permiſi vobis. Hoc rogo inſigniter nota. Nam hinc non modò Eccleſiæ, ſed cuilibet paſſim nebuloni licebit, hoc magiſtro, permiſſionem facere, ex vniuerſis præceptis, inſtitutis, ordinationibus Chriſti & Apoſtolorum.

Video itaque hominem hunc angelo Satanæ agitatum, & eos qui colludunt, hoc quærere, vt per me nomen aucupentur in mundo, quaſi digni fuerint, cum Luthero congredi. Sed fruſtrabitur eos ſpes ſua, & contempti non nominabuntur à me in perpetuum. Vna hac contentus ero Reſponſione ad vniuerſos eorum Libros. Quod ſi digni ſunt, quos Chriſtus ad ſanam mentem reducat, oro, vt id faciat miſericordia ſua. Si digni non ſunt, precor vt non ceſſent ſcribere tales Libros & hoſtes veritatis, vt non alios mereantur legere. Vulgo & vere dicitur: *Hoc ſcio pro certo, quod ſi cum ſtercore certo, Vinco vel vincor, ſemper ego maculor.* Deinde, quia video illis otium & chartas abundare, dabo operam, vt negotium ſcribendi habeant copioſum. Præcurram enim, vt dum glorioſiſſimi victores de vna aliqua mea hæreſi, (vt eis videtur) triumphant, ego interim nouam moliar. Cupio enim & ego hos inſignes bellorum duces multis titulis ornari. Itaq; dum illi murmurant, Hoc ſcio pro certo.

à me laudari vtriuſq; ſpeciei communionem, & in maxima iſta ſeq; digniſſima re, feliciſſime occupantur. Ego procedam, & iam conabor oſtendere, Omnes eſſe impios, qui vtriuſq; ſpeciei communionem laicis denegant. Quod vt commodius faciam, præludam de captiuitate Eccleſiæ Romanæ, ſuo tempore daturus plurima, vbi Papiſtæ doctiſſimi hunc Librum ſuperauerint.

Hoc autem facio, ne ſi pius aliquis Lector mihi fuerit obuius, offendatur ſtercoribus iſtis à me tractatis, & iuſte queratur, ſeſe nihil legere, quod aut ingenium colat & erudiat, aut ſaltem occaſionem det eruditis cogitationibus. Scis enim, quam iniquo animo ferant amici, me occupari, iſtorum hominum ſordidis ſtrophis, quas ipſa lectione dicunt abunde confutari, à me vero meliora expectari, quæ Satan per eos tentet impedire, Horum conſilia tandem ſtatutum eſt ſequi, & rixandi inuehendique negotium crabronibus iſtis relinquere.

De illo Italo fratre Cremonenſi, nihil dicam, Quod homo ſimplex & Idiota, aliquot locis rhetoricis, me conatur ad ſanctam Sedem reuocare, à qua nondum me receſſiſſe mihi conſcius ſum, nec vllus commonſtrauit. Agit enim potiſſimum locis illis ridiculis, quod gratia profeſſionis meæ, & Imperij ad Germanos tranſlati, debeam commoueri. Videturque omnino, non tam mei reuocationem quam laudes Gallorum & Romani Pontificis ſcribere voluiſſe. Cui permittendum eſt, vt hoc, qualicunque opuſculo obſequium ſuum teſtetur. Nec meretur dure tractari, cum nulla malitia videatur agi, Nec erudite confutari, cum mera inſcitia & imperitia nugetur omnia.

Quot ſint Sacramenta.

PRincipio neganda mihi ſunt ſeptem Sacramenta, & tantum tria pro tempore ponenda, Baptiſmus, Pœnitentia, Panis, & hæc omnia eſſe per Romanam Curiam nobis in miſerabilem captiuitatem ducta, Eccleſiamque, ſua tota libertate ſpoliatam. Quanquam, ſi vſu ſcripturæ loqui velim, non niſi vnum Sacramentum habeam, & tria ſigna ſacramentalia, de quo latius ſuo tempore, Nunc de Sacramento panis, omnium primo.

Sermo de Eucharistia.

Dicam itaque, quid & in hoc Sacramenti miniſterio meditatus, promouerim. Nam quo tempore Sermonem de Euchariſtia edebam, in vſu communi hærebam, nihil de Papæ, ſiue iure, ſiue iniuria ſollicitus. At nunc prouocatus & exercitatus, imo per vim raptus in hanc harenam, dabo libere, quæ ſentio, Rideant ſiue plorent Papiſtæ, vel vniuerſi in vnum.

Christus Ioh. 6. loquitur de ſpirituali, non ſacramentali manducatione.

Primum cap. 6. Ioh. in totum eſt ſeponendum, vt quod nec ſyllaba quidem de ſacramento loquitur, nõ modo, quod ſacramentum nondum eſſet inſtitutum, ſed multo magis quod ipſa ſermonis & ſententiarum conſequentia, de fide (vt dixi) incarnati verbi Chriſtum loqui clare oſtendunt, Dicit enim: Verba mea ſpiritus & vita ſunt, oſtendens ſe de manducatione ſpirituali loqui, qua qui comedit, viuit, Cum Iudæi de carnali eum intelligerent, ideoque litigarent. At nulla manducatio viuificat, niſi fidei, Hæc enim eſt vere ſpiritualis & viua manducatio. Sicut & Aug. dicit: *Vt quid paras ventrem & dentem? crede & manducaſti.* Sacramentalis enim non viuificat, cum multi manducent indigne, vt non poſſit de Sacramento intelligi hoc loco locutus.

Auguſtini dictũ.

Sunt ſane quidam his verbis ad ſacramentum docendum abuſi, vt & Decretalis dudum, & multi alij. Sed aliud eſt abuſiue Scripturas, aliud legitime intelligere, alioqui cum dicit: *Niſi manducaueritis carnem meam, &*

biberitis

biberitis ſanguinem meum, non habebitis vitam. Omnes infantes, omnes infirmos, omnes abſentes, aut quoquo modo impeditos à ſacramentali manducatione, damnaret, quacunq; fide præſtarent, ſi ſacramentalem manducationem ibi præcepiſſet. Sic Auguſtinus libro 2. contra Iulia. ex Innocentio probat, etiam infantes citra ſacramentum manducare carnem, & bibere ſanguinem Chriſti, id eſt, eadem fide Eccleſiæ communicare. Sit ergo rata hæc ſententia, cap. 6 Ioh. nihil ad rem facere. Vnde & alias ſcripſi, Bohemos non poſſe pro vtraq; ſpecie tuenda, huic loco fideliter inniti. *Auguſtinus contra Iulianum.*

DE COENA DOMINI.

DVo itaq; ſunt loci, qui de hac re clariſsime tractant, Scriptura Euangelica in cœna Domini, Et Paulus 1. Cor. 11. quos videamus. Conſonant enim ſibi Matthæus, Marcus & Lucas, Chriſtum dediſſe diſcipulis omnibus totum ſacramentum, Et Paulum, vtranq; tradidiſſe partem certum eſt. Ita vt nullus tam impudentis frontis vnquam fuerit, qui aliud diceret. His adde, quod Matthæus refert, non de pane Chriſtum dixiſſe, manducate ex hoc omnes, ſed de calice, bibite ex hoc omnes. Et Marcus item non dicit, manducauerunt omnes, ſed biberunt ex eo omnes, vterq; vniuerſitatis notam ad calicem, non ad panem ponens, Quaſi ſpiritus futurum hoc ſchiſma præuiderit, quod calicis communionem prohiberet aliquibus, quem Chriſtus omnibus voluerit eſſe communem. Quanta putas furia in nos inſanirent, ſi vocabulum omnes ad panem, & non ad calicem poſitum inueniſſent, nullum nobis prorſus effugium relinquerent, clamarent, hæreticos decernerent, ſchiſmaticos damnarent. At cum à noſtra parte ſtet, contra ipſos, nullo ſinunt ſeſe claudi Syllogiſmo, homines liberrimi arbitrij, etiam in ijs quæ Dei ſunt, mutandis, remutandis, & omnibus confundendis. *1. Cor 11.* *Bibite ex hoc omnes.*

Sed finge me ex aduerſo ſtare, & Dominos meos Papiſtas interrogare. Totum ſacramentum, ſeu vtraq; ſpecies, in cœna Domini, aut datum eſt ſolis presbyteris, aut ſimul laicis. Si ſolis presbyteris (id enim volunt) iam nullo modo licet vllam ſpeciem dari laicis. Non enim temere dandum eſt, cui Chriſtus prima inſtitutione non dedit, Alioqui ſi vnam Chriſti inſtitutionem permittimus mutari, iam vniuerſas eius leges fecimus irritas, & quilibet audebit dicere, ſe non ligari vlla eius lege aut inſtitutione. Vna enim indiuidua tollit in Scripturis maxime vniuerſalem. Si ſimul & laicis, iam ineuitabiliter ſequitur, laicis non debere negari vtranq; ſpeciem. Quod ſi denegetur dari petentibus, impie & contra Chriſti factum exemplum & inſtitutionem agitur.

Ego fateor, iſta me ratione, mihi inuicta, ſuperatum nec legiſſe, nec audiſſe, nec inueniſſe, quid contra dicam, Cum hic Chriſti verbum & exemplum ſtet firmiſſime, vbi non permittẽdo, ſed præcipiendo dicit: Bibite ex eo omnes. Si enim omnibus bibendum eſt, & illud non poſſit ſolis presbyteris dictum intelligi, certe impium eſt, laicos petentes ab eo arceri, etiamſi Angelus de cœlo hoc faceret. Nam quod dicunt. Eccleſiæ arbitrio relictum eſſe, diſtribuendam vtrã ſpeciem, ſine Ratione dicitur, ſine Autoritate producitur, & eadem facilitate contemnitur, qua probatur, Nec contra aduerſarium aliquid facit, qui verbum & factum Chriſti nobis opponit, quare verbo Chriſti eſt reſiſtendus, at hoc non habemus. *Bibite ex eo omnes.*

Si autem vtra ſpecies poteſt negari laicis, poterit eis & pars baptiſmi & pœnitentiæ tolli, eodem arbitrio Eccleſiæ, cum vbiq; ſit par ratio & poteſtas.

Totum ſacramentum laicis dandum.

Quare, ſicut totus baptiſmus totaq́ꝫ abſolutio, ita totum ſacramentum panis, eſt omnibus laicis dandum, ſi petant. Satis autem miror, eos aſſerere, presbyteris nullo modo licere, in Miſſa vnam ſpeciem accipere, ſub peccato mortali, nulla alia cauſa, niſi quod (vt omnes vnanimiter dicunt) vtraque ſpecies, ſit vnum plenum ſacramentum, quod non debeat diuidi. Dicant ergo mihi, quæſo, cur laicis licet diuidi, & ſolis eis non dari integrum ſacramentum? Nonne ſuomet teſtimonio confitentur, aut laicis dandam vtranqꝫ ſpeciem, aut vna ſpecie non dari eis legitimum ſacramentum, Quomodo in presbyteris non eſt ſacramentum plenum, vna ſpecies, & in laicis eſt plenum? Quid mihi arbitrium Eccleſiæ & poteſtas Papæ hic iactatur? Non per hæc ſoluuntur verba Dei, & teſtimonia veritatis.

Vltra ſequitur, Si vini ſpeciem poteſt Eccleſia tollere laicis, poteſt & panis ſpeciem tollere, ergo poterit totum ſacramentum altaris laicis tollere, & Chriſti inſtitutionem penitus in eis euacuare Sed qua, rogo, autoritate? Si autem non poteſt panem aut vtrunque tollere, nec vinum poteſt. Nec poteſt haberi, quod hic dici poteſt Aduerſario, cum eandem in vtra, quæ in vtraque ſpecie, poteſtatem eſſe oporteat, ſi non in vtraque nec in vtra. Opto audire, quid hic adulatores Romani velint dicere.

Hic eſt ſanguis meus &c.

Sed quod maxime omnium vrget, penitusque me concludit, Chriſtus dicit: *Hic eſt ſanguis meus, qui pro vobis & pro multis effundetur, in remiſſionem peccatorum.* Hic clariſſime vides, ſanguinem dari omnibus, pro quorum peccatis fuſus eſt. Quis vero audeat dicere, pro laicis non eſſe fuſum? An non vides, quos alloquitur dans calicem? Nonne omnibus dat? Nonne pro omnibus

Pro vobis.

fuſum dicit? Pro vobis, inquit. Eſto, ſint ij ſacerdotes, & pro multis, ij non poſſunt eſſe ſacerdotes, & tamen dicit: *Bibite ex eo omnes.* Vellem & ego hic nugari facile, & verbis meis illudere verba Chriſti, vt meus nugator facit. Sed Scripturis redarguendi ſunt, qui ſcripturis nituntur contra nos. Hæc ſunt, quæ me prohibuerunt Bohemos damnare, qui ſiue ſint mali ſiue boni, certe verbũ & factum Chriſti habent pro ſe, Nos autem neutrum, ſed tantum inane illud hominum commentum: Eccleſia ſic ordinauit, cum non Eccleſia, ſed Tyranni Eccleſiarum, citra conſenſum Eccleſiæ (id eſt, populi Dei) iſta ordinarint.

Obſecro autem, quæ eſt neceſſitas? quæ religio? quæ vtilitas? laicis negare vtranqꝫ ſpeciem, id eſt, ſignum viſibile, Quando omnes concedunt eis rem ſacramenti ſine ſigno. Si rem concedunt, quæ maior eſt, cur ſignum, quod minus eſt, non concedunt? In omni enim ſacramento, ſignum in quantum ſignum, incomparabiliter minus eſt quam res ipſa. Quid ergo prohibet,

Res & ſignum ſacramenti.

inquam, minus dari, quando maius datur, niſi quod mihi hac permiſſione iraſi Dei videtur contigiſſe, vt eſſet occaſio ſchiſmatis in Eccleſia, qua ſignificaretur, nos re ſacramenti iamdudum amiſſa, propter ſignum, & id, quod minus eſt, contra rem maximam & ſolam pugnare, ſicuti quidam pro cæremonijs pugnant contra charitatem, Imo ceptum videtur hoc monſtrum eo tempore, quo pro diuitijs mundi cœpimus contra Chriſtianam charitatem inſanire, vt Deus oſtenderet hoc terrifico ſigno, nos ſigna maioris ducere, quam res ipſas. Quæ peruerſitas, ſi baptiſando concedas fidem dari baptiſmi, neges autem ſignum fidei eiuſdem, id eſt, aquam?

Vltimo ſtat inuictus Paulus, omnium obſtruens ora, 1. Cor. 11.

Ego accepi à Domino &c, 1. Cor. 11.

Ego accepi à Domino, quod & tradidi vobis. Non dicit, vt è ſuo cerebro frater mentitur, permiſi vobis. Nec eſt verum, propter contentionem illorum,

vtranq; ſpeciem donaſſe. Primo, quod textus ipſe indicat, non de vtraque ſpecie fuiſſe contentionem, ſed de contemptu & inuidia abundantium & egentium, vt clarus eſt textus, dicens, Alter eſurit, alter ebrius eſt, & confunditis eos, qui non habent. Deinde quod non loquitur de prima ſua traditione. Non enim dicit: Accipio à Domino & do vobis, ſed accepi & tradidi, ſcilicet in initio prædicationis, longe ante hanc contentionem, ſignificans, vtranque ſpeciem eis tradidiſſe, quod tradidiſſe eſt præcepiſſe, ſicut alibi vtitur eodem verbo. Nihil ergo ſunt, quæ fraternalis ſomnus hic de permiſſione, ſine ſcripturis, ſine ratione, ſine cauſa conglomerat. Aduerſatij non quærunt, quid ipſe ſomniet, ſed quid Scriptura in his indicet, ex qua nec apicem poteſt producere pro ſuo ſomnio, cum illi tanta fulmina pro ſua fide proferant.

Surgite ergò hic vniuerſi adulatores Papæ in vnum, ſatagite, defendite vos ab impietate, tyrannide, læſa maieſtate Euangelij, iniuria fraterni opprobrij, qui hæreticos iactatis eos, qui non ſecundum metum capitis veſtri ſomnium, contra tam patentes & potentes Scripturas ſapiunt. Si veri ſunt hæretici & ſchiſmatici nominandi, non Bohemi, non Græci (quia Euangelijs nituntur) ſed vos Romani eſtis hæretici & impij ſchiſmatici, qui ſolo veſtro figmento præſumitis, contra euidentes Dei Scripturas. Eluite hæc viri.

QVid vero magis ridiculum, & fraterno iſto capite dignius dici potuit, quam Apoſtolum particulari Eccleſiæ, ſcilicet Corinthiorum iſta ſcripſiſſe & permiſiſſe, non autem vniuerſali? Vnde hæc probat? Ex ſolito penu, nempe proprio & impio capite, Cum vniuerſalis Eccleſia Epiſtolam hanc pro ſe acceptat, legit, ſequitur in omnibus, cur non etiam in hac parte? Quod ſi demus vnam Epiſtolam aliquam Pauli, aut vnum alicuius locum, non ad vniuerſalem Eccleſiam pertinere, iam euacuata eſt tota Pauli autoritas. Corinthij enim dicent, ea quæ de fide ad Romanos docet, non ad ſe pertinere. Quid blaſphemius & inſanius hac inſania fingi poſſit? Abſit, abſit, vt vllus apex in toto Paulo ſit, quem non debeat imitari & ſeruare tota vniuerſalis Eccleſia. Non ſic ſenſerunt Patres vſque in hæc tempora periculoſa, in quibus prædixit Paulus, futuros eſſe blaſphemos & cæcos & inſenſatos, Quorum vnus hic Frater vel primus eſt.

Totum ſacramentum traditum non particulari, ſed vniuerſali Eccleſiæ.

Sed demus inſaniam hanc intolerabilem, Si particulari Eccleſiæ permiſit Paulus, Recte ergo Græci, recte Bohemi faciunt, etiam te autore, Sunt enim particulares Eccleſiæ. Quare ſatis eſt, eos non agere contra Paulum, ſaltem permittentem. Porro Paulus permittere non potuit aliquid contra Chriſti inſtitutum. Oppono igitur Roma tibi, & omnibus tuis adulatoribus, hos Chriſti & Pauli ſermones, pro Græcis & Bohemis, nec poteris vno pilo monſtrare, poteſtatem tibi eſſe datam hæc mutandi, multominus alios propter tuam præſumptionem neglectam Hæreticos criminandi, Sed tu digna es, impietatis & tyrannidis crimine accuſari.

Ad hæc legimus in Cypriano, qui vnus contra omnes Romaniſtas ſatis potens eſt, qui lib. 5. Sermone de lapſis, teſtatur, multis in Eccleſia illa vſum fuiſſe laicis, etiã pueris, vtranq; ſpeciem, imo corpus Domini in manu dari, vt per multa exempla docet. Inter cætera & vulgo quoſdam ſic increpat, Et quod non ſtatim Domini corpus inquinatis manibus accipiat, aut ore polluto Domini ſanguinem bibat, ſacerdotibus ſacrilegis iraſcitur. Vides hic de laicis eum loqui, ſacrilegis, qui à ſacerdotibus corpus & ſanguinem accipere voluerunt. Habes hic adulator miſer quod gannias? dic & hunc ſanctum

Sermo Cypriani de lapſis.

Martyrem, vnum in Eccleſia apoſtolico ſpiritu Doctorem, eſſe hæreticum, & in particulari Eccleſia permiſſione vſum.

Recenſet ibidem Hiſtoriam, ſe teſte ac præſente factam, vbi Diaconus calicem infanti puellæ dediſſe, imo reluctanti eidem infudiſſe ſanguinem Domini, apertiſſime ſcribit. Idem de S. Donato legitur, cuius calicem fractum, O miſer adulator, quam frigide eludit, fractum (inquit) calicem lego, ſanguinem datum nou lego. Quid mirum? qui in ſacris Scripturis intelligit quod vult, etiam iu Hiſtorijs legat quod vult. Sed nunquid per hoc ſtabilitur arbitrium Eccleſiæ, aut confutantur hæretici? Verum hæc abunde ſatis. Non enim, vt illi reſponderem, hæc cœpi, qui dignus non eſt reſponſione, ſed vt rei veritatem aperirem.

Donatus.

Concludo itaque Negare vtranque ſpeciem laicis, eſſe impium & tyrannicum, nec in manu vllius Angeli, nedum Papæ & Concilij cuiuſcunque. Nec moror Concilium Conſtantienſe, cuius autoritas, ſi valet, cur non valet & Baſilienſe, quod contra ſtatuit, Bohemis licere vtranque ſpeciem ſuſcipere, quod multa diſputatione illic obtentum eſt, vt extantes annales, & literæ Concilij probant, Quod adulator iſte ignorans, adducit pro ſuo ſomnio, adeo prudenter omnia tractat.

Vtraque ſpecies ſacramenti laicis non neganda.

1. Captiuitas ſacramenti altaris.

PRima ergo captiuitas huius Sacramenti eſt, quo ad eius ſubſtantiam ſeu integritatem, quam nobis abſtulit Romana tyrannis, Non quod peccent in Chriſtum, qui vna ſpecie vtuntur, cum Chriſtus non præceperit vlla vti, ſed arbitrio cuiuslibet reliquit, dicens: Quoticiunque hæc feceritis, in mei memoriam facietis. Sed quod illi peccant, qui hoc arbitrio volentibus vti, prohibent vtranque dari, culpa non eſt in laicis, ſed ſacerdotibus. Sacramentum non eſt ſacerdotum, ſed omnium, nec Domini ſunt ſacerdotes, ſed miniſtri, debentes reddere vtranque ſpeciem petentibus, quotieſcunq; petierint. Quod ſi hoc ius rapuerint laicis & vi negauerint, tyranni ſunt, laici ſine Culpa, vel vna vel vtraque carent, Fide interim ſeruandi, & deſiderio integri ſacramenti. Sicut baptiſmum & abſolutionem debent petenti, tanquam ius habenti, ipſi miniſtri, quod ſi non dederint, petens plenum habet fidei ſuæ meritum, ipſi coram Chriſto ſerui nequam accuſabuntur. Sicut olim in Eremo ſancti Patres, in multis annis non communicauerunt vlla ſpecie ſacramenti.

Itaque nou hoc ago, vt vi rapiatur vtraque ſpecies, quaſi neceſſitate præcepti ad eam cogamur, Sed conſcientiam inſtruo, vt patiatur quiſque tyrannidem Romanam, ſciens ſibi raptum per vim ius ſuum in ſacramento, propter peccatum ſuum. Tantum hoc volo, ne quis Romanam tyrannidem iuſtificet, quaſi recte fecerit vnam ſpeciem laicis prohibens, ſed deteſtemur eam, nec conſentiamus ei, Tamen feramus eam non aliter, ac ſi apud Turcam eſſemus captiui vbi neutra ſpecie liceret vti. Hoc eſt, quod dixi mihi pulchrum videri, ſi generalis Concilij ſtatuto iſta captiuitas ſolueretur, & nobis Chriſtiana illa libertas è manibus Romani tyranni reſtitueretur, & cuique ſuum arbitrium petendi vtendique relinqueretur, ſicut in Baptiſmo & pœnitentia relinquitur. At nunc cogit ſingulis annis vnam ſpeciem accipi eadem tyrannide, Adeo extincta eſt libertas nobis à Chriſto donata, ſic meruit impia noſtra ingratitudo.

2. Captiuitas.

ALtera captiuitas eiuſdem Sacramenti mitior eſt, quod ad conſcientiam ſpectat, ſed quam multo omnium periculoſiſſimum ſit tangere, nedum damna-

damnare. Hic Viglephiſta, & ſexcentis nominibus hæreticus ero. Quid tum? poſtquam Romanus Epiſcopus, Epiſcopus eſſe deſijt, & Tyrannus factus eſt, non formido eius vniuerſa Decreta, cuius ſcio non eſſe poteſtatem, articulos nouos fidei condendi, nec Concilij quidem generalis.

Dedit mihi quondam, cum Theologiam ſcholaſticam haurirem, occaſionem cogitandi, D. Cardinalis Camera. libro ſententiarum 4. arcutiſſime diſputans, Multo probabilius eſſe, & minus ſuperfluorum miraculorum poni, ſi in altari verus panis verumq; vinum, non autem ſola accidentia eſſe aſtruerentur, niſi Eccleſia determinaſſet contrarium. Poſtea videns quæ eſſet Eccleſia, quæ hoc determinaſſet, nempe Thomiſtica, hoc eſt, Ariſtotelica, audacior factus ſum, & qui inter ſaxum & ſacrum hærebam, tandem ſtabiliui conſcientiam meam, ſententia priore, Eſſe videlicet verum panem verumque vinum, in quibus Chriſti vera caro verusque ſanguis non aliter nec minus ſit, quam illi ſub accidentibus ſuis ponunt, Quod feci, quia vidi Thomiſtarum opiniones, ſiue probentur a Papa, ſiue à Concilio, manere opiniones, nec fieri articulos fidei, etiam ſi Angelus de cœlo aliud ſtatueret. Nam, quod ſine ſcripturis aſſeritur, aut reuelatione probata, opinari licet, credi non eſt neceſſe. Hæc autem opinio Thomæ, adeo ſine ſcripturis & ratione fluctuat, vt nec Philoſophiam, nec Dialecticam ſuam nouiſſe mihi videatur. Longe enim aliter Ariſtoteles de accidentibus & ſubiecto, quam S. Thomas loquitur, Vt mihi dolendum videatur, pro tanto viro, qui opiniones in rebus fidei, non modo ex Ariſtotele tradere, ſed & ſuper eum, quem non intellexit, conatus eſt ſtabilire, infeliciſſimi fundamenti infeliciſſima ſtructura.

Cardinalis Cameracen.

Opiniones Thomiſtarum.

PErmitto itaque, qui volet vtranque opinionem tenere, hoc ſolum nunc ago, vt ſcrupulos conſcientiarum de medio tollam, ne quis ſe reum hæreticos metuat, ſi in altari verum panem verumque vinum eſſe crediderit. Sed liberum eſſe ſibi ſciat, citra periculum ſalutis, alterutrum imaginari, opinari & credere, cum ſit hic nulla neceſſitas fidei. Ego tamen meam nunc proſequor ſententiam. Primum, nolo eos audire, nec tantilli facere, qui clamaturi ſunt, Hoc eſſe Viglephiſticum, Huſſiticum, hæreticum & contra Eccleſiæ determinationem, Cum hoc non faciant niſi ij, quos multis modis hæreticos eſſe conuici in re Indulgentiarum, Liberi arbitrij, & gratia Dei operibus bonis & peccatis &c. Vt ſi Viglephus ſemel fuit hæreticus, ipſi decies hæretici ſint, Et pulchrum ſit, ab hæreticis & peruerſis Sophiſtis culpari & criminari, quibus placuiſſe ſumma impietas eſt. Præterea, quod ſuas ſententias non alia re probare, nec contrarias alia ratione improbare poſſunt, quam dicendo: Hoc eſt Viglephiſticum, Huſſiticum, hæreticum. Hoc enim elumbe in ſumma ſemper natat ſaliua, atque aliud nihil, vbi ſi petas Scripturam, dicunt: Nos ſic ſentimus & Eccleſia (id eſt, nos ipſi) ſic determinauit, adeo homines reprobi circa fidem & incredibiles nobis ſua phantaſmata autoritate Eccleſiæ, pro articulis fidei audent obtrudere.

Eſt autem meæ ſententiæ Ratio magna, imprimis illa, quod verbis diuinis non eſt vlla facienda vis, neq; per hominem, neq; per Angelum, ſed quantū fieri poteſt, in ſimpliciſſima ſignificatione ſeruanda ſunt, & niſi manifeſta circumſtantia cogat, extra Grammaticam & propriam accipienda non ſunt, ne detur aduerſarijs occaſio, vniuerſam Scripturam eludendi. Quo conſilio recte Origenes olim repudiatus eſt, q̃ ligna & omnia quæ de Paradyſo ſcribuntur, grammatica locutione contempta, in allegorias verterit, Cum hinc poſſit duci, ligna non eſſe creata à Deo. Ita & hic, cum Euangeliſtæ clare ſcribant, Chriſtum accepiſſe panem ac benedixiſſe, & Actorum liber, & Paulus

Origenis intempeſtiuæ allegoriæ.

Apoſtolus,

Apoſtolus,panem deinceps appellent, verum oportet intelligi panem, veꝛumq; vinum,ſicut verum calicem. Non n. calicem transſubſtantiari etiam ipſi dicunt.Transſubſtantiationem vero,poteſtate diuina factam,cum non ſit neceſſe poni pro figmento humanæ opinionis haberi, quia nulla Scriptura, nulla ratione nititur,vt videbimus.

Transſubſtantiatio.

Abſurda eſt ergo,& noua verborum impoſitio,panem pro ſpecie vel accidentibus panis,vinum pro ſpecie vel accidentibus vini accipi. Cur non & omnia alia,pro ſpeciebus & accidentibus accipiunt? Quod ſi cætera omnia conſtarent,non tamen liceret verba Dei ſic eleuare,& cum tanta iniuria ſuis ſignificationibus exinaniri.

Sed & Eccleſia vltra mille ducentos annos recta credidit,nec vſquam, nec vnquam de iſta Transſubſtantiatione(portentoſo ſcilicet vocabulo & ſomnio)meminerunt S.Patres,donec cœpit Ariſtotelis ſimulata Philoſophia in Eccleſia graſſari,in iſtis trecentis nouiſſimis annis,in quibus & alia multa perperam ſunt determinata,quale eſt, Eſſentiam diuinam nec generari nec generare,Animam eſſe formam ſubſtantialem corporis humani, & ijs ſimilia,quæ nullis prorſus afferuntur rationibus aut cauſis, vt ipſemet confitetur Cardinalis Cameracenſis.

Ariſtotelis philoſophia.

Dicent fortaſſis,Periculum idolatriæ cogere,vt non ſit panis & vinum vere.Ridiculum hoc valde, Cum ſubtilem Philoſophiam de ſubſtantia&accidentibus laici nunquam cognouerint,nec ſi docerentur, capere poſſint, & idem ſit periculum,ſaluis accidentibus,quæ vident,quod in ſubſtantia, quam non vident. Si enim accidentia non adorant,ſed latentem ibi Chriſtum, cur adorarent panem,quem non vident.

Similitudo de igni & ferro.

Cur autem non poſſit Chriſtus corpus ſuum intra ſubſtantiam panis continere,ſicut in accidentibus? Ecce ignis & ferrum duæ ſubſtantiæ,ſic miſcentur in ferro ignito,vt quælibet pars ſit ferrum & ignis. Cur non multo magis corpus glorioſum Chriſti,ſic in omni parte ſubſtantiæ panis eſſe poſſit.

Quid facient? Chriſtus ex vtero matris natus creditur illæſo. Dicant & hic,carnem illam Virginis interim fuiſſe annihilatam, ſeu vt aptius dici volunt,transſubſtantiatam,vt Chriſtus in accidentibus eius inuolutus, tandem per accidentia prodiret.Idem dicendum erit de ianua clauſa,& oſtio monumenti clauſo,per quæ illæſa intrauit &exiuit.Sed hinc nata eſt Babylonia illa philoſophiæ iſtius, de quantitate continua,diſtincta à ſubſtantia, donec eo ventum ſit,vt ignorent & ipſi,quæ ſint accidentia, & quæ ſubſtantia. Nam quis certo monſtrauit vnquam,calorem,colorem, frigus, lucem, pondus, figuras eſſe accidentia? Deniq; accidentibus illis in altari, coacti ſunt fingere nouum eſſe ac creari à Deo,propter Ariſtotelem,qui dicit,Accidentis eſſe eſt ineſſe. Et infinita monſtra,quibus omnibus eſſent liberi, ſi ſimpliciter panem ibi eſſe verum ſinerent. Et plane gaudeo,ſaltem apud vulgum relictam eſſe ſimplicem fidem ſacramenti huius,Nam vt non capiunt,ita nec diſputant, an accidentia ibi ſint ſine ſubſtantia,ſed ſimplici fide Chriſti corpus & ſanguinem, veraciter ibi contineri credunt, dato ocioſis illis negotio de eo, quod continet diſputandi.

AT dicent forte,Ex Ariſtotele doceri,ſubiectum & prædicatum propoſitionis affirmatiuæ,debere pro eodem ſupponere,ſeu(vt Beſtiæ ipſius verba ponam ex 6.Metaphyſicorum)Ad affirmatiuam requiritur extremorum compoſitio,quam illi exponunt pro eodem ſuppoſitionẽ. Quare dum dico: Hoc eſt corpus meum,ſubiectum non poſſe pro pane ſupponere,ſed pro corpore Chriſti.

Quid

Quid hic dicemus? quando Ariſtotelem & humanas doctrinas facimus tam ſublimium & diuinarum rerum cenſores? Cur non exploſa iſta curioſitate in verbis Chriſti ſimpliciter hæremus, parati ignorare, quidquid ibi fiat, contentique verum corpus Chriſti virtute verborum illic adeſſe? An eſt neceſſe, modos operationis diuinæ omnino comprehendere?

Verum quid ad Ariſtotelem dicunt? Qui ſubiectum omnibus prædicamentis accidentium tribuit, licet ſubſtantiam velit eſſe primum ſubiectum. Vnde apud eum hoc album, hoc magnum, hoc aliquid ſunt ſubiecta, de quibus aliquid prædicatur. Quæ ſi vera ſunt, quæro, ſi ideo eſt transſubſtantiatio ponenda, ne corpus Chriſti de pane verificetur, cur non etiam ponitur transaccidentatio, ne corpus Chriſti de accidente affirmetur? Nam idem periculum manet, ſi per ſubiectum intelligat quis, hoc album, vel hoc rotundum eſt corpus meum, Et qua ratione transſubſtantiatio ponitur, ponenda eſt & transaccidentatio, propter ſuppoſitionem iſtam extremorum pro eodem. *Transſubſtantiatio.*

Si autem intellectu excedens eximis accidens, vt non velis ſubiectum pro eo ſupponere, cum dicis: Hoc eſt corpus meum, Cur non eadem facilitate tranſcendis ſubſtantiam panis? vt & illam velis non accipi per ſubiectum, vt non minus in ſubſtantia quam accidente ſit, hoc corpus meum. Præſertim cum diuinum illud ſit opus, virtutis omnipotentis, quæ tantum & taliter in ſubſtantia, quantum & qualiter in accidente poteſt operari.

SEd ne nimium philoſophemur, Nonne Chriſtus videtur huic curioſitati pulchre occurriſſe, cum non de vino dixerit, Hoc eſt ſanguis meus, ſed hic eſt ſanguis meus. *Hic eſt ſanguis meus.*
1.Cor.10. Et multo clarius, cum calicis miſcet nomẽ, dicens: Hic calix noui Teſtamenti, in meo ſanguine. Nonne videtur nos voluiſſe in ſimplici fide continere, tantum vt crederemus ſanguinem ſuum eſſe in calice? Ego ſane ſi non poſſum conſequi, quo modo panis ſit corpus Chriſti, captiuabo tamen intellectum meum in obſequium Chriſti, & verbis eius ſimpliciter inhærens, credo firmiter, non modo corpus Chriſti eſſe in pane, ſed panem eſſe corpus Chriſti. Sic enim me ſeruabunt verba, vbi dicit: Accepit panem, gratias agens, fregit & dixit: Accipite, manducate, hoc (id eſt, hic panis, quem acceperat & fregerat) eſt corpus meum. *Accepit panem &c.*
1.Cor.10. Et Paulus: Nonne panis, quem frangimus, participatio corporis Chriſti eſt? *Panis quem frangimus.* Non dicit, in pane eſt, ſed ipſe panis eſt participatio corporis Chriſti. Quid ſi Philoſophia hæc non capit? Maior eſt Spiritus ſanctus quã Ariſtoteles. Nunquid capit transſuſtantiationem illorum, cum & ipſi fateantur, hic vniuerſam Philoſophiam ruere? Quod autem in græco & latino pronomen, hoc, ad corpus refertur, facit ſimilitudo generis, ſed in ebræo, vbi neutrum genus non eſt, refertur ad panem, vt ſic liceat dicere: Hic eſt corpus meum, quod & ipſe vſus loquendi & ſenſus communis probat, ſubiectum ſcilicet eſſe monſtratiuum panis, & non corporis, dum dicit: Hoc eſt corpus meum, Das iſt mein Leib / Id eſt, iſte panis eſt corpus meum.

Sicut ergo in Chriſto res ſe habet, ita & in ſacramento. Non enim ad corporalem inhabitationem diuinitatis neceſſe eſt transſubſtantiari humanam naturam, vt diuinitas ſub accidentibus humanæ naturæ teneatur. Sed integra vtraque natura vere dicitur: Hic homo eſt Deus, hic Deus eſt homo. Quod etſi Philoſophia non capit, fides tamen capit. *Et maior eſt verbi Dei autoritas, quam noſtri ingenij capacitas.* *Hic homo eſt Deus.* Ita in ſacramento, vt verum corpus verusque ſanguis ſit, non eſt neceſſe, panem & vinum transſubſtantiari, vt Chriſtus ſub accidentibus teneatur, Sed vtroque ſimul manente, vere dicitur. Hic panis eſt

corpus

Maior eſt verbi Dei autoritas, quam noſtri ingenij captiuitas.

corpus meum, hoc vinum eſt ſanguis meus, & econtra. Sic interim ſapiam, pro honore ſanctorum verborum Dei, quibus per humanas ratiunculas non patiar vim fieri, & ea in alienas ſignificationes torqueri. Permitto tamen alijs opinionem alteram ſequi, quæ in Decretali firmiter ſtatuitur, modo non vrgeant, ſuas opiniones (vt dixi) pro articulis fidei à nobis acceptari.

Miſſa opus bonum & ſacrificium &c.

TErtia captiuitas eiuſdem ſacramenti, Eſt longe impijſsimus ille abuſus, quo factum eſt, vt fere nihil ſit hodie in Eccleſia receptius ac magis perſuaſum, quam Miſſam eſſe opus bonum & ſacrificium. Qui abuſus deinde inundauit infinitos alios abuſus, donec fide ſacramenti penitus extincta, meras nundinas, cauponationes, & quæſtuarios quoſdam contractus è diuino Sacramento fecerint. Hinc participationes, fraternitates, ſuffragia, merita, anniuerſaria, memoriæ, & id genus negotiorum in Eccleſia venduntur, emuntur, paciſcuntur, componuntur, pendetque in his vniuerſa alimonia ſacerdotum & monachorum.

Rem arduam, & quam forte ſit impoſſibile conuelli, aggredior, vt quæ tanto ſeculorum vſu firmata, omniumque conſenſu probata, ſic inſederit, vt neceſſe ſit maiorem partem Librorum, qui hodie regnant, & pene vniuerſam Eccleſiarum faciem tolli & mutari, penitusque aliud genus cæremoniarum induci ſeu potius reduci. Sed Chriſtus meus viuit, & maiori cura verbum Dei oportet obſeruare, quam omnium hominum & Angelorum intelligentias. Ego mea vice fungar, rem ipſam in lucem producturus, gratisque ſicut accepi, veritatem, ſineque inuidia communicaturus. Cæterum quiſque ſuæ ſalutis rationem habeat, incredulitatis ſuæ & ignoratæ veritatis culpam in me ne vllus torquere poſſit, coram iudice Chriſto, fideliter operam dabo.

DE SACRAMENTO ALTARIS.

PRincipio, vt ad veram liberamque huius Sacramenti ſcientiam tuto & feliciter perueniamus, curandum eſt ante omnia, vt omnibus ijs ſepoſitis, quæ ad inſtitutionem huius ſacramenti primitiuam & ſimplicem, humanis ſtudijs & feruoribus ſunt addita, Qualia ſunt, veſtes, ornamenta, cantus, preces, organa, lucernæ, & vniuerſa illa viſibilium rerum pompa, ad ipſam ſolam & puram Chriſti Inſtitutionem, oculos & animum vertamus, nec nobis aliud proponamus, quam ipſum verbum Chriſti, quo inſtituit & perfecit, ac nobis commendauit ſacramentum. Nam in eo verbo & prorſus nullo alio, ſita eſt vis, natura, & tota ſubſtantia Miſſæ. Cætera omnia ſunt humana ſtudia, verbo Chriſti acceſſoria, ſine quibus Miſſa optime poteſt haberi & ſubſiſtere. Verbo autem Chriſti, quibus Sacramentum hoc inſtituit, ſunt hæc.

COEnantibus autem eis, accepit Ieſus panem, & benedixit ac fregit, deditque Diſcipulis ſuis, & ait, Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum, quod pro vobis traditur. Et accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis dicens, Bibite ex hoc omnes, Hic eſt calix nouum Teſtamentum in meo ſanguine, qui pro vobis & pro multis effunditur in remiſsionem peccatorum, Hoc facite in mei commemorationem.

Qui

1. Cor. 11. Quæ verba & Apoſtolus 1. Corinth. 11. tradit & latius explicat, quibus nos oportet niti, & ſuper ea ædificari, ceu ſupra firmam Petrã, ſi non volumus omni vento doctrinæ circumferri, ſicut hactenus circumiacti ſumus, per impias doctrinas hominum auerſantium veritatem. Nihil enim in his omiſſum, quod ad integritatem, vſum & fructum huius Sacramenti pertinet. Nihilque poſitum, quod ſuperfluum & non neceſſarium ſit nobis noſſe. Qui enim omiſſis his verbis, de Miſſa vel meditatur vel docet, monſtra impietatis docebit, vt factum eſt per eos, qui opus operatum & ſacrificium ex eo fecerunt.

Stet ergo primum & infallibiliter, Miſſam ſeu ſacramentum altaris eſſe teſtamentum Chriſti, quod moriens poſt ſe reliquit, diſtribuendum ſuis fidelibus. Sic enim habent eius verba: *Hic calix nouum teſtamentum, in meo ſanguine.* Stet, inquam, iſta veritas, vt fundamentum immobile, ſuper quod omnia ſtruemus, quæ dicenda ſunt. Hoc enim videbis, vt ſubuertemus omnes hominum impietates, in hoc dulciſſimum ſacramentum inuectas. Verax ergo Chriſtus vere dicit, *Hoc eſſe nouum Teſtamentum in ſanguine ſuo, pro nobis fuſo.* Non fruſtra hæc inculco, res eſt non parua, & imis ſenſibus reponenda. *Sacramentum quid.*

QVæramus ergo quid ſit Teſtamentum, & ſimul habebimus quid ſit Miſſa, quis vſus, quis fructus, quis abuſus eius. Teſtamentum abſque dubio eſt promiſſio morituri, qua nuncupat hæreditatem ſuam, & inſtituit hæredes. Inuoluit itaque Teſtamentum, primo mortem Teſtatoris, deinde hæreditatis promiſſionem, & hæredis nuncupationem. Sic enim Paulus Rom. 4. & Gal. 3. & 4. & Ebræ. 9. diffuſe Teſtamentum tractat. Quod & in verbis iſtis Chriſti clare videmus. Mortem ſuam Chriſtus teſtatur, dum dicit: Hoc eſt corpus meum, quod traditur, Hic ſanguis meus, qui effunditur. Hæreditatem nuncupat & deſignat, cum dicit: In remiſſionem peccatorum. Hæredes autem inſtituit cum dicit: Pro vobis & pro multis, id eſt, qui acceptant & credunt promiſſioni teſtatoris, Fides enim hic Hæredes facit, vt videbimus. *Teſtamentum quid.* *Rom. 4. Galat. 3. 4. Ebræ 9.*

Vides ergo, quod Miſſa (quam vocamus) ſit promiſſio remiſſionis peccatorum, à Deo nobis facta, & talis promiſſio, quæ per mortem Filij Dei firmata ſit. Nam promiſſio & teſtamentum non differunt alio, quam quod teſtamentum ſimul inuoluit mortem promiſſoris, & teſtator idem eſt, quod moriturus Promiſſor, promiſſor autem victurus (vt ſic dicam) Teſtator. Hoc teſtamentum Chriſti præfiguratum eſt in omnibus promiſſionibus Dei, ab initio mundi, Imo omnes promiſſiones antiquæ in iſta noua futura in Chriſto promiſſione valuerunt, quidquid valuerunt, in eaque penderunt. Inde vſitatiſſima ſunt illa in Scripturis verba, pactum, fœdus, teſtamentum Domini, quibus ſignificabatur Deus olim moriturus. Nam vbi teſtamentum eſt, mors teſtatoris intercedat neceſſe eſt. Ebræ. 9. Deus autem teſtatus eſt, ideo neceſſe fuit eum mori, mori autem non potuit, niſi eſſet homo, ita in eodem teſtamenti vocabulo compendioſiſſime & incarnatio & mors Chriſti comprehenſa eſt. *Miſſa.* *Promiſſio. Teſtamentum.* *Pactum, fœdus, teſtamentum Domini.*

EX quibus iam ſua ſponte patet, quis ſit vſus & abuſus Miſſæ, quæ digna vel indigna præparatio. Si enim promiſſio eſt, vt dictum eſt, nullis operibus, nullis viribus, nullis meritis ad eam acceditur, ſed ſola fide. Vbi *Vſus & abuſus Miſſæ.*

enim eſt verbum promittentis Dei,ibi neceſſaria eſt fides acceptantis hominis, Vt clarum ſit, initium ſalutis noſtræ eſſe fidem,quæ pendeat in verbo promittentis Dei,qui citra omne noſtrum ſtudium,gratuita & immerita miſericordia nos præuenit,& offert promiſſionis ſuæ verbum. Miſit enim verbum ſuum,& ſic ſanauit eos.Non autem accepit opus noſtrum & ſic ſaluauit nos. Verbum Dei omnium primum eſt,quod ſequitur fides, fidem charitas,charitas deinde facit omne bonum opus, quia non operatur malum, imo eſt plenitudo legis.Nec alia via poteſt homo cum Deo,aut conuenire aut agere,quam per fidem,id eſt,vt non homo operibus ſuis vllis, ſed Deus ſua promiſſione ſit Autor ſalutis,vt omnia pendeant, portentur, ſeruenturque in Verbo virtutis ſuæ,quo genuit nos,vt eſſemus initium aliquod creaturæ eius.

Verbum Dei. Fides. Charitas.

Sic Adæ poſt lapſum erigendo,dedit hanc promiſſionem,dicens ad ſerpentem, Inimicitias ponam inter te & mulierem,inter ſemen tuum & ſemen illius, Ipſum conteret caput tuum,& tu inſidiaberis calcaneo illius. In hoc promiſſionis verbo, Adam cum ſuis,tanquam in gremio Dei portatus eſt,& fide illius ſeruatus,expectans longanimiter Semen mulieris, quod contereret caput Serpentis,ſicut Deus promiſit. Et in hac fide & expectatione etiam mortuus eſt,ignarus,quando & quale eſſet futurum,futurum tamen non diffidens. Nam talis Promiſſio,cum ſit veritas Dei,etiam in inferno ſeruat credentes, & expectantes eam.Poſt hanc ſecuta eſt promiſſio alia facta Noe, vſque ad Abraham,dato pro ſigno fœderis arcu nubium, cuius fide ipſe & poſteri eius propitium Deum inuenerunt.Poſt hunc Abrahæ promiſit benedictionem omnium gentium,in Semine eius.Et hic eſt ſinus Abrahæ,in quem recepti ſunt poſteri eius.Deinde Moſi & filijs Iſrael,præcipue Dauid,apertiſſimam de Chriſto promiſſionem dedit,quo reuelauit tandem, quæ fuerit priſcis facta promiſſio.

Promiſſio Adæ data

Promiſſio facta Noe,& Abrahæ, Moſe,Dauid. Sinus Abrahæ.

Sic ventum eſt ad Promiſsionem omnium perfectiſsimam noui Teſtamenti,in qua apertis verbis vita & ſalus gratuito promittuntur,& credentibus promiſſioni donantur. Et inſigni nota diſcernit hoc Teſtamentum à veteri,dum dicit:Nouum teſtamentum. Vetus enim teſtamentum per Moſen datum,erat promiſſio,non remiſſionis peccatorum,ſeu æternarum rerum,ſed temporalium,Nempe terræ Canaan,per quam nemo renouabatur Spiritu,ad hæreditatem cœleſtem capeſcendam. Vnde & irrationalem pecudem in figura Chriſti, oportebat occidi, in cuius ſanguine idem Teſtamentum confirmabatur, vt qualis ſanguis, tale teſtamentum, qualis hoſtia,talis promiſſio. At hic dicit,Teſtamentum nouum in meo,non alieno,ſed proprio ſanguine, quo gratia per ſpiritum,in remiſſionem peccatorum,ad hæreditatem capiendam promittitur.

Promiſſio noui Teſtamenti.

Vetus Teſtamentum.

In meo ſanguine.

Eſt itaq; Miſſa,ſecundū ſubſtantiam ſuā,proprie nihil aliud, quam verba Chriſti prædicta, Accipite & manducate &c. Ac ſi dicat: Ecce ô homo peccator & dānatus,ex mera gratuitaq; charitate,qua diligo te,ſic volente miſericordiarū Patre, his verbis promitto tibi,ante omne meritum & votum tuum,remiſſionē omnium peccatorum tuorum,& vitam æternā. Et vt certiſſimus de hac mea promiſſione irreuocabili ſis, corpus meum tradā, & ſanguinem fundam,morte ipſa hanc promiſſionem confirmaturus,& vtrunq; tibi in ſignum & memoriale eiuſdem promiſſionis,relicturus. Quod

Miſſa.

cum

cum frequentaueris, mei memor ſis, hanc meam in te charitatem & largitatem prædices & laudes, & gratias agas.

Ex quibus vides, ad Miſſam digne habendam, aliud non requiri, quam fidem, quæ huic promiſſioni fideliter nitatur, Chriſtum in his ſuis verbis veracem credat, & ſibi hæc immenſa bona eſſe donata, non dubitet. Ad hanc fidem mox ſequetur ſua ſponte dulciſſimus affectus cordis, quo dilatatur & impinguatur ſpiritus hominis (hæc eſt charitas, per Spiritum ſanctum in fide Chriſti donata) vt in Chriſtum, tam largum & benignum Teſtatorem, rapiatur, fiatq; penitus alius & nouus homo. Quis enim non dulciter lachrymetur, imo præ gaudio in Chriſtum pene exanimetur, ſi credat fide indubitata, hanc Chriſti promiſſionem inæſtimabilem ad ſe pertinere? Quomodo non diliget tantum Benefactorem, qui indigno & longe alia merito tantas diuitias & hæreditatem hanc æternam, præueniens offert, promittit & donat?

Fides ad Miſſam requiritur.

Charitas.

QVocirca vna & ſola miſeria noſtra, quod multas Miſſas in orbe habemus, & nulli vel pauci has promiſſiones & diuitias propoſitas agnoſcimus, conſideramus, & apprehendimus. Cum reuera in Miſſa aliud agi non oporteat maiori, imo vnico ſtudio, quam vt hæc verba, has promiſſiones Chriſti, quæ vere ſunt ipſa Miſſa, ante oculos verſaremus, meditaremur & ruminaremus, quo fidem in ea exerceremus, nutriremus, augeremus & roboraremus, hac quotidiana commemoratione. Hoc eſt enim quod præcipit, dicens: Hoc facite in mei commemorationem, hoc ipſum agere deberet Euangeliſta, vt promiſſionem iſtam populo fideliter inculcaret, & commendaret ad prouocandam fidem eorum in eandem. At nunc, quota pars nouit Miſſam eſſe promiſſionem Chriſti? (vt taceam impios fabulatores, qui humanas traditiones vice tantæ promiſſionis docent) Quod ſi etiam hæc verba Chriſti docent, non tamen nomine Promiſſionis aut Teſtamenti, ac per hoc non ad obtinendam fidem docent.

Hoc facite in mei commemorationem.

Miſſam eſſe promiſſionem Chriſti, pauci ſciunt non vnt.

Quin quod deploramus, in hac Captiuitate, omni ſtudio cauetur hodie, ne verba illa Chriſti vllus Laicus audiat, quaſi ſacratiora, quam vt vulgo tradi debeant. Sic enim inſanimus, & verba conſecrationis (vt vocant) nobis ſacerdotibus ſolis arrogamus occulte dicenda, ſic tamen, vt ne nobis quidem proſint, cum nec ipſi ea vt Promiſſiones ſeu teſtamentum habeamus ad fidem nutriendam. Sed neſcio, qua ſuperſtitione & impia opinione ea reueremur potius, quam eis credimus? Qua miſeria noſtra quid aliud Satan in nobis operatur, quam vt nihil de Miſſa in Eccleſia reliquum faciat, Curet tamen interim omnes angulos orbis Miſſis plenos eſſe, hoc eſt, abuſionibus & irriſionibus teſtamenti Dei, grauiſſimisq; idolatriæ peccatis, mundum aſſidue magis ac magis onerari ad damnationem maiorem augendam. Quod enim idolatriæ peccatum grauius eſſe poteſt, quam promiſſionibus Dei peruerſa opinione abuti, & fidem in eaſdem vel negligere vel extinguere?

Abuſus Miſſæ in Papatu.

Neq; enim Deus (vt dixi) aliter cum hominibus vnquam egit, aut agit, quam verbo promiſſionis, Rurſus, nec nos cum Deo vnquã agere aliter poſſumus, quam fide in verbum promiſſionis eius. Opera ille nihil curat, nec eis indiget, quibus potius erga homines & cũ hominibus & nobis ipſis agimus, Indiget autem, vt verax in ſuis promiſſis à nobis habeatur, taliſq; longanimiter ſuſtineatur, ac ſic fide, ſpe & charitate colatur. Quo fit, vt gloriam ſuam in nobis obtineat, dum non nobis currentibus, ſed ipſo miſerente, promittente, donante omnia bona accipimus & habemus. Ecce hic eſt verus cultus Dei & latria, quam in Miſſa debemus perſoluere. Sed cum promiſſionis

Deus aliter cum hominibus non egit aut agit, quã verbo promiſſionis.

Deus verax in promiſſis.

verba non traduntur, quæ fidei exercitatio haberi poteſt? At ſine fide quis ſperat? quis amat? ſine fide, ſpe & charitate quæ latria? Non eſt itaq; dubium, vniuerſos hodie Sacerdotes & Monachos cum Epiſcopis & omnibus ſuis maioribus eſſe idolatras, in ſtatu periculoſiſſimo agentes, ob hanc Miſſæ, ſeu ſacramenti, ſeu promiſſionis Dei ignorantiam, abuſionem, irriſionem.

Promiſſio. Fides. Vſus Miſſæ.

Quilibet enim facile intelligit, quod hæc duo ſunt ſimul neceſſaria, Promiſſio & Fides. Sine promiſſione enim credi nihil poteſt, ſine fide autem promiſſio inutilis eſt, cum per fidem ſtabiliatur & impleatur. Ex quibus itidem facile quiuis colligit, Miſſam, cum ſit aliud nihil quam promiſſio, hac fide ſola adiri & frequentari, Sine qua quidquid precularum, præparatoriorũ operum, ſignorum, geſtuum afferrur, irritabula ſunt impietatis magis quam officia pietatis, Cum fere fiat, vt his paratis exiſtiment ſeſe legitime altaria accedere, & reuera non fuerint vllo tempore vel opere magis inepti, propter infidelitatem, quam ſecum afferunt. Quantos paſſim videas & quotidie Sacrificulos, qui ſi vel inepte veſtiti, vel illoris manibus, vel inter precandum titubantes quid leuiuſcule errauerint, ingenti ſeſe miſeri crimine reos faciunt. At, quod Miſſam ipſam, id eſt, diuinam Promiſſionem, neque obſeruant, neque credunt, prorſus ne tantillum quidem habent conſcientiæ. *O indigna religio noſtro ſeculo, omnium impijſſimo & ingratiſſimo.*

Præparatio digna ad Miſſam.

Præparatio itaq; digna & vſus legitime non eſt niſi fides, qua creditur Miſſæ, id eſt, diuinæ promiſſioni. Quocirca acceſſurus ad altare, ſiue ſacramentum accepturus, caueat, ne vacuus appareat in conſpectu Domini Dei, Vacuus autem erit, ſi fidem non habuerit in Miſſam ſeu Teſtamentum hoc nouum, Qua impietate quid poſſet grauius committere in diuinam veritatem, quam hac incredulitate ſua? Quantum eſt in ſe, mendacem arguit, & vane promittentem. Tutiſſimum itaque fuerit, ad Miſſam non alio animo accedere, quam ſi ad audiendam quamlibet aliam promiſſionem Dei velis accedere. Hoc eſt, vt paratus ſis, non multa operari & afferre, ſed omnia credere & accipere, quæ tibi illic promittuntur, ſeu promiſſa pronunciantur, per miniſterium ſacerdotis. Hoc animo ſi non veneris, caue acceſſeris, in iudicium ſine dubio accedes.

Virtus Miſſæ conſiſtit in verbis Chriſti.

Recte itaque dixi, totam virtutem Miſſæ conſiſtere in verbis Chriſti, quibus teſtatur remiſſionem peccatorum donari omnibus, qui credunt, corpus eius tradi, & ſanguinem eius fundi pro ſe. Atque ob hanc rem nulla re magis opus eſſe audituris Miſſam, quam vt ipſa verba ſedulo & plena fide meditentur, quod niſi fecerint, fruſtra omnia alia fecerint. Hoc ſane verum eſt, in omni promiſſione ſua Deus fere ſolitus eſt adijcere ſignum aliquod, ceu monumentum, ceu memoriale promiſſionis ſuæ, quo fidelius ſeruaretur, & efficatius moneret. Sic in promiſſione Noe data, de non perdenda terra alio Diluuio, dedit Arcum ſuum in nubibus, quo dixit, ſeſe recordaturum fœderis ſui. Et Abrahæ, poſt promiſſionem hæreditatis in ſemine ſuo, dedit Circumciſionem in ſignaculum iuſticiæ fidei. Sic Gedeoni dedit vellus aridum & roridum, ad firmandam promiſſionem ſuam ſuper vincendis Madianitis. Sic Achas per Eſaiam obtulit ſignum, pro vincendo rege Syriæ & Samariæ, quo promiſſioni ſuæ fidem in eo firmaret. Talia multa legimus ſigna promiſſionum Dei in Scripturis.

Deus addit promiſſionis ſuæ ſignum. Arcus. Circumciſio. Vellus aridum & roridum.

Sic & in Miſſa, hac omniũ principe promiſsione, adiecit ſignũ

memo-

memoriale tantæ promiſſionis, ſuum ipſius corpus & ſuum ipſius ſanguinem, in pane & vino, ſicut dicit: *Hoc facite in mei commemorationem.* Sic in Baptiſmo, verbis promiſſionis adiicit ſignum merſionis in aquam. Ex quibus intelligimus, in qualibet promiſſione Dei duo proponi, verbum & ſignum, vt verbum intelligamus eſſe teſtamentum, ſignum vero eſſe ſacramentum. Vt in Miſſa, verbum Chriſti eſt teſtamentum, panis & vinum ſunt ſacramentum. Atque vt maior vis ſita eſt in verbo quam ſigno, ita maior in teſtamento quam ſacramento. Quia poteſt homo verbum ſeu teſtamentum habere, & eo vti, abſq; ſigno ſeu ſacramento. Crede, inquit Auguſtinus, & manducaſti. Sed cui creditur, niſi verbo promittentis? Ita poſſum quotidie, imo omni hora, Miſſam habere, dum quoties voluero, poſſum verba Chriſti mihi proponere, & fidem meam in illis alere & roborare, hoc eſt reuera ſpiritualiter manducare & bibere.

Corpus Chriſti. — *Merſio in aquam.* — *Verbum & ſignũ.* — *Crede & manducaſti.*

HIc vides, quid & quantum Theologi ſententiarij in hac re præſtiterint. Primum, id quod ſummum & capitale eſt, nempe teſtamentum & verbum promiſſionis, nullus eorum tractat, atque ita fidem & totam Miſſæ virtutem nobis obliterarunt. Deinde, alteram eius partem, ſcilicet ſignum ſeu ſacramentum ſolum verſant, ſed ita, vt ne in hac fidem doceant, ſed ſuas præparationes, & opera operata, participationes & fructus, Miſſam, donec in profundum venerint, & de transſubſtãtiatione aliisq; infinitis metaphyſicis nugis nugarentur, & ſcientiam verumq; vſum, tam teſtamenti quam ſacramenti, cum vniuerſa fide abolerent, facerentq; vt populus
Pſal. 23. Chriſti (vt Propheta dicit) obliuiſceretur Dei ſui diebus innumeris. Tu vero, ſine alios percenſere varios fructus auditæ Miſſæ, & animum tuum huc intende, vt cum Propheta dicas & credas, hic tibi à Deo paratam eſſe menſam coram te, aduerſus omnes qui tribulant te, in qua paſcatur & pingueſcat fides tua. Non autem paſcitur fides tua niſi promiſſionis diuinæ verbo. Homo enim non in ſolo pane viuit, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.
Deut. 8. Quare in Miſſa ante omnia verbi promiſſionis te obſeruatorem eſſe curioſiſ-
Matth. 4. ſimum oportet, tanquam opulentiſſimi conuiuij, omnimodæ paſcuæ & ſanctæ refectionis tuæ, vt hoc præ omnibus maximi facias, plurimum in id confidas, & firmiſſime in eo hæreas, etiam per mortem & omnia peccata. Quod ſi feceris, non ſolum ſtillas iſtas, & minutias fructuum Miſſæ, quas quidã etiam ſuperſtitioſe finxerunt, ſed ipſum fontem principalem vitæ obtinebis, fi-
Iohan. 4. dem ſcilicet verbi, ex qua omne bonum fluit, ſicut Ioh. 4. dicit: Qui in me credit de ventre eius fluent aquæ viuæ. Item: Qui biberit ex aqua, quam ego dabo, fiet in eo fons aquæ viuæ, ſalientis in vitam æternam.

Theologi ſententiarij. — *Transſubſtantiatio.* — *Verbum promiſſionis in Miſſa, ante omnia ſeruandum.*

IAm duo ſunt, quę ſolent nos tentare, ne fructus Miſſæ percipiamus. Alterum eſt, nos eſſe peccatores & indignos præ nimia vilitate, rebus tantis. Alterum etiamſi digni eſſemus, magnitudo tamen rerũ tanta eſt, vt natura puſillanimis non audeat ea petere aut ſperare. Nam remiſſionẽ peccatorum & æternam vitam quis non ſtupeſcat potius, quam optet, ſi digne penſetur magnitudo bonorũ, quæ per ea veniunt? habere ſcilicet Deum Patrem? eſſe Filium, hæredẽ omnium bonorum Dei? Aduerſus hanc geminam puſillanimitatem oportet, vt verbum Chriſti apprehendas, ipſumq; multo fortius intuearis, quam has cogitationes infirmitatis tuæ. Magna enim ſunt opera Domini, exquiſita in omnes voluntates eius, qui potens eſt dare ſupra quam petimus aut intelligimus. Niſi enim ſuperarent noſtram dignitatem, noſtram capacitatem, noſtrum denique omnem ſenſum, diuina non eſſent.

Duo à fructu Miſſæ nos retrahũt.

Sic & Chriſtus nos animat dicens: *Nolite timere puſillus grex, placuit enim Patri veſtro, dare vobis regnum.* *Lucæ 12.* Hæc ipſa enim exuberantia incomprehenſibilis Dei in nos per Chriſtum effuſa, facit, vt eum rurſus ſuper omnia ardentiſſime diligamus, ſumma fiducia in eum feramur, omnia cõtemnamus, promptiſſimus omnia pro eo pati. Vnde & recte fons dilectionis hoc ſacramentum eſt appellatum.

In qua re exemplum tibi ſume ex hominibus, Si enim cuiquam mendico, aut etiam indigno & malo ſeruo, legaret ditiſſimus dominus mille aureos, certe cum fiducia eos poſtularet & acciperet, nec indignitatis ſuæ, nec magnitudinis teſtamenti habita ratione. Quod ſi quis ei reſiſtens, obijceret indignitatem ſuam, & magnitudinem teſtamenti, quid putas dicturus eſt? ſcilicet: Quid ad te? nõ ego merito meo, nec iure vllo proprio accipio, quod accipio. Scio me indignum, & maiora accipere quam merear, imo contraria merui. Sed iure teſtamenti & alienæ bonitatis peto, quod peto. Si illi non fuit indignum tanta tam indigno legare, cur ego propter indignitatem meam contemnam acceptare? Quin hac ipſa cauſa magis amplector gratuitam & alienam gratiam, qua ego ſum indignior. Eadem cogitatione armari oportet & cuiuſque conſcientiam, aduerſus omnes ſcrupulos & morſus ſuos, ad hanc Chriſti promiſſionem indubitata fide obtinendam, ſummopere cauendo, ne fiducia confeſſionis, orationis, præparationis quiſquam accedat, ſed his omnibus deſperatis, in ſuperba fiducia promittentis Chriſti. Quia, vt dictum eſt ſatis, verbum promiſſionis hic ſolum regnare debet, in fide pura, quæ eſt vnica & ſola ſufficiens præparatio.

Videmus ex his, quam grandi ira Dei factum ſit, vt verba teſtamenti huius nos celarint impij Doctores, atque per hoc ipſum fidem extinxerunt, quantum in eis fuit. Iam pronũ eſt videre, quid ad fidem extinctã ſequi fuit neceſſe, nempe ſuperſtitiones operum impijſſimas. Vbi enim fides occidit, & verbum fidei obmuteſcit, ibi mox ſurgunt opera in locum eius, & traditiones operum. Quibus ceu captiuitate Babylonica tranſlati ſumus de terra noſtra, captis omnibus deſiderabilibus noſtris. Ita de Miſſa contigit, quæ impiorum hominum doctrina mutata eſt in opus bonum, quod ipſi vocant opus operatum, quo apud Deum ſeſe omnia præſumunt poſſe. Inde proceſſum eſt ad extremum inſaniæ, vt quia Miſſam ex vi operis operati valere mentiti ſunt, adiecerunt, eam non minus vtilem eſſe cæteris, etiamſi ipſi impio ſacrifico noxia ſit. Atque in hanc harenam fundauerunt ſuas applicationes, participationes, & fraternitates, anniuerſaria, & id genus infinita lucri & quæſtus negotia.

Deleta fide ſequuntur ſuperſtitiones operum &c.

Opus operatum.

Abuſus Miſſæ in Papatu.

Contra has laruas, quia validæ ſunt & multæ penituſque inſederunt, niſi conſtantiſſima cura obſeruaueris, quid ſit Miſſa, & præcedentium fortiter memineris, vix ſubſiſtes. Audiſti enim, *Miſſam aliud non eſſe, quam promiſſionem diuinam ſeu teſtamentum Chriſti, ſacramento corporis & ſanguinis ſui commendatum.* Quod ſi verum eſt, intelligis non poſſe ipſum eſſe opus vllo modo, nec quidquam in ipſo fieri, nec alio ſtudio à quoquam tractari, quam ſola fide. Fides autem non eſt opus, ſed magiſtra & vita operum. Quis enim eſt vſpiam tam inſanus, vt promiſſionem acceptam, aut teſtamentum donatum vocet opus bonum, quod ſuo Teſtatori faciat accipiens? Quis eſt hæres, qui patri ſuo teſtatori exiſtimet benefacere, dum inſtrumenta teſtamenti cum hæreditate teſtata accipit? Quæ eſt ergo impia temeritas noſtra, vt diuinum teſtamentum accepturi veniamus, vt bonum opus ei facturi? Eſt

Miſſa quid.

Fides.

ne iſta

ne iſta ignorantia teſtamenti & captiuitas tanti ſacramenti, omnibus lachrymis ſuperior? vbi de acceptis grati eſſe debemus, venimus ſuperbi daturi accipienda, irridentes inaudita peruerſitate Donatoris miſericordiam, dum hoc donamus vt opus, quod accepimus vt donum, vt Teſtator iam non ſuorum largitor bonorum, ſed noſtrorum ſit acceptor. Væ impietati iſti.

Quis vero vnquam fuit tam demens, vt Baptiſmum duceret eſſe bonum opus? aut baptiſandus crederet, ſeſe opus facere, quod pro ſe & aliis Deo offerret & communicaret? Si ergo in vno aliquo ſacramento & teſtamento nullum eſt bonum opus communicabile alijs, nec in Miſſa erit, cũ & ipſa non ſit niſi teſtamentum & ſacramentum. Vnde manifeſtus & impius error eſt, Miſſam pro peccatis, pro ſatisfactionibus, pro defunctis, aut quibuſcunque neceſſitatibus ſuis aut aliorum offerre ſeu applicare. Quod facillime intelligis eſſe euidentiſſime verum, ſi firmiter teneas, Miſſam eſſe promiſſionem diuinam, quæ nulli prodeſſe, nulli applicari, nulli ſuffragari, nulli communicari poteſt, niſi ipſi credenti ſoli propria fide. Quis enim promiſſionem Dei, quæ vniuſcuiuſque ſingulariter exigit fidem, poteſt pro alio acceptare aut applicare? Nunquid poſſum alteri promiſſionem Dei dare, etiam non credenti? aut poſſum pro alio credere? aut poſſum facere vt alius credat? At hæc fieri oportet, ſi Miſſam poſſum alijs applicare & communicare? cum in Miſſa non ſint niſi iſta duo, Promiſſio diuina, & Fides humana, quæ accipiat, quod illa promittit. Quod ſi verum eſt, potero etiam pro aliis audire Euangelium & credere, potero pro alio baptiſari, potero pro alio abſolui à peccatis, potero & pro alio communicare de altaris ſacramento. Potero, vt & illorum ſacramenta percenſeam, pro alio ducere vxorem, pro alio fieri ſacerdos, pro alio confirmari, pro alio inungi.

Baptiſmus.

Miſſa credenti prodeſt.

Fides accipit quod Deus promittit.

Denique cur Abraham non pro omnibus Iudæis credidit? cur exigitur à Iudæis ſingulis fides, in eandem promiſſionem Abrahæ creditam? Stet ergo inſuperabilis veritas, vbi promiſſio diuina eſt, ibi vnuſquiſque pro ſe ſtat, ſua fides exigitur, quiſq; pro ſe rationem reddet, & ſuum onus portabit, Sicut dicit Marc. vlt. Qui crediderit & baptiſatus fuerit, ſaluus erit, Qui autem non crediderit, condemnabitur. Ita & Miſſam vnuſquiſque tantum ſibi poteſt vtilem facere, fide propria, & pro nullis prorſus communicare. Sicut ſacerdos nulli pro alio poteſt ſacramentum miniſtrare, ſed cuilibet ſeorſim idẽ ſacramentum miniſtrat. Sunt enim ſacerdotes conſecrando & miniſtrando miniſtri noſtri, per quos non offerimus bonum opus, aut communicamus actiue, ſed per eos promiſſiones & ſignum accipimus & communicamur paſſiue, Id quod in Laicis hactenus permanſit, Nam hi non dicuntur bonũ facere, ſed accipere. Sacerdotes vero abierunt in impietates ſuas, facto ſibi bono opere, quod communicent & offerant ex ſacramento & teſtamento Dei, quo bonum acceptum oportuit.

Fides ab omnibus exigitur.

SEd dices, Quid? Nunquid ſubuertes omnium Eccleſiarum & monaſteriorũ vſum & ſenſum, quibus per tot ſecula inualuerunt, fundatis ſuper Miſſam Anniuerſarijs, ſuffragijs, applicationibus, cõmunicationibus &c. hoc eſt, pinguiſſimis reditibus? Reſpõdeo: Hoc eſt quod de captiuitate Eccleſiæ ſcribere me compulit. Sic enim venerabile teſtamentum Dei in impiiſſimi quæſtus ſeruitutẽ coactum eſt, per impiorum hominũ opiniones & traditiones, qui omiſſo verbo Dei, ſui cordis nobis cogitationes propoſuerunt, & orbem ſeduxerunt. Quid mihi de multitudine & magnitudine errantium? fortior omnium eſt veritas. Si potes Chriſtum negare, qui docet,

Miſſam eſſe teſtamentum & ſacramentum, volo illos iuſtificare. Deinde, ſi potes dicere, eum facere opus bonum, qui recipit beneficium Teſtamenti, aut vtitur in hoc ipſum ſacramēto promiſſionis, volo mea libens damnare. Cum autem neutrum poſſis, quid dubitas, contempta turba ad malum eunte, dare gloriam Deo, & veritatem eius confiteri? Eſſe ſcilicet hodie ſacerdotes omnes in ſententia peruerſa, quicunque Miſſam pro opere ducunt, quo ſuccurrant ſuis aut aliorum, ſiue mortuorum, ſiue viuorum, neceſſitatibus. Inaudita & ſtupenda dico, Sed Miſſam ſi intuearis, quid ſit, vera me eſſe locutum cognoſces Hoc fecit illa nimia ſecuritas, qua iram Dei in nos graſſantem non intelleximus.

Orationes in Miſſa.

Hoc autem facile admitto, Orationes, quas ad Miſſam percipiendam congregati coram Deo effundimus, eſſe bona opera ſeu beneficia, quæ nobis mutuo impartimus, applicamus & communicamus, & pro inuicem offerimus, Sicut Iacobus nos docet: *Orate pro inuicem, vt ſaluemur.* Et Paulus 1. Tim. 2. præcepit fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus, qui in ſublimitate ſunt conſtituti, Hæc enim non ſunt Miſſa, ſed opera Miſſæ, ſi tamen opera vocari debent, orationes cordis & oris, quia fiunt ex fide in Sacramento percepta vel aucta. Non enim Miſſa vel promiſſio Dei impletur orando, ſed ſolum credendo, Credentes autem oramus, & quodlibet opus bonum facimus. Sed quis ſacerdotum hoc nomine ſacrificat, vt ſolas orationes arbitretur ſeſe offerre? Omnes imaginantur ſeſe offerre ipſum Chriſtum Deo Patri, tanquam hoſtiam ſufficientiſſimam, & bonum opus facere omnibus, quibus proponunt prodeſſe, quia confidunt in opere operati, quod orationi non tribuunt. Sic paulatim errore creſcente, id quod orationum eſt, tribuerunt Sacramento, Et quod recipere beneficium debent, id obtulerunt Deo.

Iacob. 5. *1. Tim. 2.*

Credentes orant.

Quare acute diſcernendum eſt, inter teſtamentum Sacramentumque ipſum & inter orationes, quas ſimul oramus, Nec id ſolum, ſed ſcire quoq; oportet, orationes prorſus nihil valere, nec oranti ipſi, nec ijs, pro quibus orantur, niſi primum Teſtamentum fide perceptum ſit, vt fides oret, quæ ſola exauditur, ſicut Iacobus 1. cap. docet, Adeo longe aliud eſt Oratio quam Miſſa. Orationem poſſum extendere in quotquot voluero, Miſſam nemo accipit, niſi qui per ſe ipſum credit, & tantum, quantum credit, nec poteſt dari, ſiue Deo ſiue hominibus, Sed ſolus Deus per miniſterium Sacerdotis dat eam hominibus, qui accipiunt eam fide ſola, ſine vllis operibus aut meritis, Neque enim vllus audeat tantum inſanire, vt dicat bonum opus facere eum, qui pauper & indigens venit, accepturus de manu diuitis beneficium. At Miſſa (vt dixi) beneficium eſt promiſſionis diuinæ, per manum ſacerdotum omnibus hominibus exhibitum. Eſt ergo certum, Miſſam non eſſe opus alijs communicabile, ſed obiectum (vt dicitur) fidei, propriæ cuiuſque alendæ & roborandæ.

Iacob. 1.

Oratio. Miſſa.

Miſſa quid.

Iam & alterum ſcandalum amouendū eſt, quod multo grandius eſt & ſpecioſiſſimum, Id eſt, quod Miſſa creditur paſſim eſſe ſacrificium, quod offertur Deo, In quam opinionem & verba Canonis ſonare videntur, vbi dicitur: Hæc dona, hæc munera, hæc ſancta ſacrificia. Et infra: Hanc oblationem. Item clariſſime poſtulatur, vt acceptum ſit ſacrificiū ſicut ſacrificium Habel &c. Inde Chriſtus hoſtia altaris dicitur. Accedunt his dicta S. Patrum, tot exempla tantusq; vſus per orbem conſtanter obſeruatus.

Miſſa ſacrificium facta.

Canon.

His omnibus quia pertinaciſſime inſederunt, oportet conſtantiſsime opponere verba & exemplū Chriſti. Niſi enim Miſſam obtinuerimus eſſe promiſſio-

miſſionem Chriſti,ſeu teſtamentum,vt verba clare ſonant,totum Euangelium & vniuerſum ſolatium amittimus. Nihil contra hæc verba permittamus præualere,etiamſi Angelus de cœlo aliud docuerit. Nihil enim de opere vel ſacrificio in illis continetur. Deinde & exemplum Chriſti pro nobis ſtat. Non enim Chriſtus in cœna nouiſſima,cum inſtitueret hoc Sacramentum & conderet teſtamentum,ipſum obtulit Deo Patri,aut vt opus bonum pro aliis perfecit,ſed in menſa ſedens ſingulis idem teſtamentum propoſuit, & ſignum exhibuit. Iam Miſſa quanto vicinior & ſimilior primæ omnium Miſſæ,quam Chriſtus in cœna fecit,tanto Chriſtianior. At Miſſa Chriſti fuit ſimpliciſſima, ſine vlla veſtium, geſtuum, cantuum, aliarumque cæremoniarum pompa, vbi ſi neceſſe fuiſſet eam offerri vt ſacrificium,non plene eam inſtituiſſet. *Prima Miſſa Chriſti.*

Non quod calumniari debeat vllus,vniuerſam Eccleſiam,quæ multis aliis ritibus & cæremoniis Miſſam ornauit & ampliauit,Sed hoc volumus,ne quis cæremoniarum ſpecie falſus, ac multitudine pompæ impeditus, ſimplicitatem Miſſæ amittat, Et reuera Transſubſtantiationem quandam colat, ſi amiſſa ſubſtantia ſimplici Miſſæ, in accidentibus multiplicibus pompæ hæreat. Nam quidquid vltra verbum & exemplum Chriſti acceſſit, accidens Miſſæ eſt,quorum quodlibet non alio loco ducere debemus,quam quo loco nunc ducimus,Monſtrantias (quas vocant) & pallia altaris quibus ipſa hoſtia continetur. Quare ſicut repugnat,teſtamentum diſtribui,ſeu promiſſionem accipere,& ſacrificare ſacrificium,Ita repugnat Miſſam eſſe ſacrificium,cum illam recipiamus,hoc vero demus. Idem autem ſimul recipi & offerri non poteſt,nec ab eodem ſimul dari & acceptari. Non magis certe quam oratio & impetrata res queunt idem eſſe,nec idem ſit orare & orata accipere. *Accidens Miſſæ.*

QVid ergo dicemus ad Canonem & autoritates Patrum? Primum reſpondeo: Si nihil habetur quod dicatur,tutius eſt omnia negare,quam Miſſam concedere opus aut ſacrificium eſſe,ne verbum Chriſti negemus,fidem ſimul cum Miſſa peſſundantes. Tamen,quo ſeruemus & *Canon. Patrum autoritates.*
1. Cor. 11. eos,dicemus ex Apoſtolo 1. Cor. 11. non doceri,ſolitos fuiſſe fideles Chriſti
ad Miſſam congregatos,ſecum afferre cibum & potum, quas Collectas vocabant,quæ diſtribuerentur in omnes egentes,exemplo Apoſtolorum Acto. *Collectæ.*
Actor. 4. 4. è quibus ſumebatur id,quod conſecrabatur panis & vini, pro Sacramento. Et quia hæc omnia ſanctificabantur per verbum & orationem ritu ebraico, quo leuabantur furſum,vt in Moſe legimus,relicta ſunt verba & ritus leuandi ſeu offerendi,abolito iamdudum vſu conferendi & colligendi ea quæ of-
Iſa. 37. ferrentur ſeu leuarentur. Sic Ezechias Eſa. 37. iubet Eſaiam leuare orationem
Pſal. 137. in conſpectu Dei pro reliquiis. Et Pſal 137. Extollite manus veſtras in ſancta
1. Tim. 2. Item: Ad te leuabo manus meas. Item 1. Tim. 2. Leuantes puras manus in omni loco. Quare vocabula ſacrificij ſeu oblationis referri debent non ad ſacramentum & teſtamentum,ſed ad collectas ipſas. Vnde & reliquum eſt vocabulum collectæ pro precibus in Miſſa dictis. *Leuare orationem, manus &c.*

Idem facit,quod ſacerdos mox conſecrato pane & calice,eleuat eundem, quo non ſeſe offerre aliquid Deo oſtendit, cum nullo verbo tum meminerit hoſtiæ ſeu oblationis. Sed eſt & idipſum vel reliquum ritus Ebraici, quo leuabantur, quæ cum gratiarum actionibus accepta Deo referebantur. Vel admonitio noſtri,quo prouocemur ad fidem Teſtamenti huius, quod tum verbis Chriſti protulit & exhibuit, vt ſimul & ſignum eiuſdem oſtendat, *Ritus eleuandi panem & calicem.*

& obla-

& oblatio panis propric reſpondeat huic demonſtratiuo: Hoc eſt corpus meúm, noſque circumſtantes, ceu alloquatur hoc ipſo ſigno. Sic oblatio calicis proprie reſpondeat huic demonſtratiuo: Hic calix noui Teſtamenti &c. Fidem enim in nobis ſacerdos excitare debet, ipſo eleuandi ritu. Atque vtinam vt in oculis noſtris, manifeſte eleuat ſignum ſeu ſacramentum, ita ſimul auribus noſtris aperta altaque voce pronunciaret & verbum ſeu teſtamentum, idque in qualibet populorum lingua, quo fides, excitaretur efficacius. Cur enim liceat græce & latine & ebraice Miſſam perficere, & non etiam alemanice aut alia quacunque lingua?

Ritus eleuandi, &c.

Canon maior & minor.

QVocirca obſeruent ſeſe ſacerdotes, hoc perdito periculoſiſſimoque ſeculo qui ſacrificant. Primum, vt verba Canonis maioris & minoris cum Collectis, quæ aperte nimis ſacrificium ſonant, dirigant, non ad ſacramentum, ſed vel ad ipſum panem & vinum conſecrandum, vel ad orationes ſuas. Panis enim & vinum antea offeruntur ad benedicendum, vt per verbum & orationem ſanctificentur. Poſtquam autem benedictus & conſecratus eſt, iam non offertur, ſed accipitur dono à Deo. Et in hoc negotio cogitet, Euangelium eſſe præferendum omnibus Canonibus & collectis, per homines compoſitis, Euangelium autem non ſinit Miſſam eſſe ſacrificium, vt audiſti.

Priuata Miſſa.

Deinde publice Miſſam perficiens, præſtituat ſibi non aliud facere, quam ſe & alios communicare per Miſſam, ſimul tamen orationes ſuas pro ſe & aliis offerre cauens, nē Miſſam offerre præſumat. Qui vero priuatim Miſſas parat, præſtituat ſibi, vt ſeipſum communicet. Prorſus nihil differt nec plus facit Miſſa priuata, quam ſimplex cuiuſq; Laici de manu ſacerdoris ſumpta Communio, exceptis orationibus, & quod ſibiipſi conſecrat & miniſtrat, Re ipſa Miſſæ & ſacramenti omnes ſumus æquales, ſacerdotes & Laici.

Votiua Miſſa.

Quod ſi poſtulatur ab aliis, Votiuas (quas vocant) celebrare caueat, ne mercedem accipiat pro Miſſa, aut præſumat vllam Votiuam ſacrificare, ſed ſtudeat hoc totum ad orationes referre, quas ſiue pro defunctis ſiue viuentibus offerat, ſic cogitans: Ecce ibo & mihi ſoli ſacramentum ſuſcipiam, ſed inter ſuſcipiendum pro illo & illo orabo. Sic vt orationis, non Miſſæ, mercedem pro victu & amictu recipiat. Nec moueat, quod totus orbis contrarium & ſenſum & vſum habeat. Euangelium certiſſimum habes, quo fretus facile contemnes hominum ſenſus & opiniones. Quod ſi me contemnens, pergas Miſſam offerre, non ſolas orationes, ſcito me fuiſſe monitorem tibi fidelem, & in die iudicij excuſatum, tuum portabis ipſe peccatum. Dixi, quæ tibi dicere tenebar frater fratri in ſalutem, tibi proderunt ſeruata, tibi nocebunt neglecta. Quod ſi aliqui etiam damnarint hæc, illud Pauli reſpondeo: *Mali vero homines & ſeductores proficient in peius, errantes, & in errorem mittentes.* 1. Tim. 3.

Gregorij dictum.

EX iſto nunc facile illud quiuis intelligit, quod vſitatiſſimū ex Gregorio dicitur, Miſſam mali ſacerdotis non minoris ducendam quam boni cuiuſcunq;, Nec S. Petri meliorem fuiſſe, quam Iudæ traditoris, ſi ſacrificaſſent. Hoc enim operculo ſuas impietates quidā velant, & hinc diſtinctionem operis operati, & operis operantis inuenerunt, quo ſecure ipſi male viuere & aliis tamen benefacere præſumerent. Verum Gregorius recte dicit, at illi peruerſe eum intelligunt. Veriſſimum eſt enim per impios ſacerdotes

non

non minus de teſtamento & ſacramento dari & accipi, quam per quoſque ſanctiſſimos. Quis enim dubitat Euangelium prædicari per impios? *At Miſſa eſt pars Euangelij, imo ſumma & compendium Euangelij.* Quid eſt enim vniuerſum Euangelium, quam bonum nuntium remiſſionis peccatorum? At quidquid de remiſſione peccatorum & miſericordia Dei latiſſime & copioſiſſime dici poteſt, breuiter eſt in verbo teſtamenti comprehenſum. Vnde & conciones populares aliud eſſe non deberent, quam expoſitiones Miſſæ, id eſt, declarationes promiſſionis diuinæ huius teſtamenti, hoc enim eſſet fidem docere, & vere Eccleſiam ædificare. At qui nunc Miſſam exponunt, in allegoriis humanarum ceremoniarum ludunt & illudunt. *Euangelium prædicatur etiam per impios.* *Conciones populares.*

Igitur ſicut impius poteſt baptiſare, id eſt, verbum promiſſionis & ſignum aquæ ſuper baptiſandum ferre, Ita poteſt & promiſſionem huius ſacramenti proferre & miniſtrare veſcentibus, & ſimul ipſe veſci, ſicut Iudas traditor in cœna Domini. Manet tamen ſemper idem ſacramentum, & teſtamentum, quod in credente operatur ſuum opus, in incredulo operatur alienum opus. Verum in offerendo longe aliud agitur, Cum enim non Miſſa, ſed orationes offerantur Deo, clarum eſt, oblationes impij ſacerdotis nihil valere. Sed (vt idem Gregorius ait) cum is, qui indignus eſt, ad deprecandum mittitur, animus iudicis ad deterius prouocatur. Non ergo ſunt confundenda illa duo, Miſſa & oratio, ſacramentum & opus, teſtamentum & ſacrificium, quia alterum venit à Deo ad nos per miniſterium ſacerdotis, & exigit fidem, Alterum procedit à fide noſtra ad Deum per ſacerdotem, & exigit exauditionem, Illud deſcendit, hoc aſcendit, Ideo illud non requirit neceſſario dignum & pium miniſtrum, hoc vero requirit, quia Deus peccatores non exaudit, qui nouit per malos benefacere, ſed nullius mali acceptat opus, ſicut monſtrauit in Cain, & Prouer. 15. dicitur: *Victima impiorum abominabiles Domino. Rom. 14. Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt.* *Miſſa.* *Oratio.* *Cain.* *Prou. 15.* *Rom. 14.*

Vt autem finem huius primæ partis faciamus, reliqua producturi, vbi impugnator inſurrexerit, Concludimus ex omnibus his, quibusnam Miſſa ſit parata, & qui digne communicent, nempe ſoli ij, qui triſtes, afflictas perturbatas, confuſas & erroneas habent conſcientias. Nam verbum diuinæ promiſſionis huius ſacramenti, cum exhibeat peccatorum remiſſionem, ſecure accedit quicunque peccatorum ſuorum vexatur, ſiue morſu, ſiue titillatione. Eſt enim teſtamentum hoc Chriſti, medicina vnica præteritorum, præſentium & futurorum peccatorum, modo indubitata fide ei adhæſeris, & credideris, tibi gratuito dari id, quod verba teſtamenti ſonant. Quod ſi non credideris, nuſquam, nunquam, nullis operibus, nullis ſtudijs conſcientiam poteris pacare. Fides enim ſola eſt pax conſcientiæ, infidelitas autem ſola turbatio conſcientiæ. *Qui digne communicent.*

DE SACRAMENTO BAPTISMI.

Benedictus

Baptiſmi ſacramentum in Eccleſia illibatum manſit.

BEnedictus Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui ſecundum diuitias miſericordiæ ſuæ ſaltem hoc vnicũ Sacramentum ſeruauit in Eccleſia ſua illibatum & incontaminatum à conſtitutionibus hominum, liberumque fecit omnibus gentibus, omniumque hominum ordinibus. Nec paſſus eſt, & ipſum teterrimis quæſtus & impijſſimis ſuperſtitionum portentis opprimi, Eo ſcilicet conſilio vſus, quod paruulos, qui auaritiæ & ſuperſtitionis capaces non ſunt, eo voluit initiari, & ſimpliciſſima fide verbi ſui ſanctificari, quibus & potiſſimum hodie prodeſt baptiſmus. Nam ſi adultis & maioribus donandum eſſet hoc ſacramentum, non videtur potuiſſe & eius perſeuerari virtus & gloria, præ tyrannide auaritiæ & ſuperſtitionis, quæ omnia diuina nobis ſupplantauit. Inueniſſet ſine dubio & hic prudentia carnis ſuas præparationes & dignitates, deinde reſeruationes, reſtrictiones, & ſi qua ſunt ſimilia retia pecuniarum, quibus aqua non vilior, quam nunc membranæ venderetur.

Vſus baptiſmi adultis in Papatu ignotus.

VErum, vbi virtutem Baptiſmi in paruulis non potuit Satan extinguere, præualuit tamen, vt in omnibus adultis extingueret, vt iam fere nemo ſit, qui ſeſe baptiſatum recordetur, nedum glorietur, tot repertis alijs vijs remittendorum peccatorum & in cœlum veniendi. Præbuit his opinionibus occaſionem verbum illud periculoſum diui Hieronymi, ſiue male poſitum, ſiue male intellectum, quo pœnitentiam appellat ſecundam poſt naufragium tabulam, quaſi baptiſmus non ſit pœnitentia. Hinc enim, vbi in peccatum lapſi fuerunt, de prima tabula ſeu naue deſperantes velut amiſſa, ſecundæ tantum incipiunt niti & fidere tabulæ, id eſt, pœnitentiæ. Hinc nata ſunt votorũ, religionum, operum, ſatisfactionum, peregrinationum, indulgentiarum, ſectarum infinita illa onera, & de ijs maria illa librorum, quæſtionum, opinionum, traditionũ humanarum, quas totus mundus iam non capit, vt incomparabiliter peius habet Eccleſiam Dei ea tyrannis, quam vnquam habuit Synagogam aut vllam nationem ſub cœlo.

Hieronymi dictũ.

Pœnitentiam eſſe ſecundam Tabulam poſt naufragium.

Origo votorum &c.

Pontificum officiũ.

At Pontificum erat hæc omnia tollere, & Chriſtianos omni cura ad ſynceritatem baptiſmi reuocare, quo intelligerent quid eſſent, & quid facere Chriſtianos oporteat. Verum, vnum eſt hodie eorum officium, populos quã longiſſime abducere à baptiſmo, & diluuio tyrannidis ſuæ omnes immergere, & facere, vt populus Chriſti (ſicut Propheta ait) obliuiſcatur eius in perpetuum. O infelices omnes, qui hodie Pontificũ nomine cenſentur, qui non modo nihil ſciunt nec faciunt, quod Pontifices decet, ſed ignorant quoque quid ſcire & facere eos oporteat. Et implent illud Eſa 56. Speculatores eius cæci omnes, neſcierunt vniuerſi, ipſi paſtores ignorauerunt intelligentiam, omnes declinauerunt in viam ſuam, vnuſquiſque ad auaritiam ſuam &c. *Iſa. 56.*

Promiſſio diuina in baptiſmo obſeruanda.

PRimum itaq; in baptiſmo obſeruanda eſt diuina promiſsio, quæ dicit: Qui crediderit & baptiſatus fuerit, ſaluus erit. Quæ promiſſio præferenda eſt incõparabiliter vniuerſis pompis operum, votorũ, religionum, & quicquid humanitus eſt introductũ. Nam in hac pendet vniuerſa ſalus noſtra, ſic autem eſt obſeruanda, vt fidem exerceamus in ea, prorſus non dubitantes nos eſſe ſaluos poſtquam ſumus baptiſati. Nam niſi hæc adſit aut paretur fides, nihil prodeſt baptiſmus, imo obeſt, non ſolum tum cum ſuſcipitur, ſed toto poſt tempore vitæ. Incredulitas enim eiuſmodi mendacem arguit promiſſionem diuinam, quod eſt ſummum omnium

Baptiſmus ſine fide non prodeſt.

pecca-

peccatorum, Hoc exercitium fidei, ſi apprehenderimus, ſtatim intelligemus, quam arduum ſit credere promiſſioni huic diuinæ. Humana enim imbecillitas, peccatorum ſuorum ſibi conſcia, difficillime omnium credit ſe eſſe ſaluam aut ſaluandam, & tamen niſi id credat, ſaluari non poterit, quia non credit veritati diuinæ promittenti ſalutem.

Hæc erat prædicatio, ſedulo inculcanda populo, aſſidue recantanda iſta promiſſio, ſemper repetendus baptiſmus, iugiter excitanda fouendaque fides. Sicut enim ſemel ſuper nos lata diuina hac promiſſione, vſque ad mortem veritas eius perſeuerat, ita fides in eandem nunquam debet intermitti, ſed vſque ad mortem ali & roborari, perpetua memoria promiſſionis eiuſdem in baptiſmo nobis factæ. Quare, dum à peccatis reſurgimus ſiue pœnitemus, non facimus aliud, quam quod ad baptiſmi virtutem & fidem, vnde cecideramus, reuertimur, & ad promiſſionem tunc factam redimus, quam per peccatum deſerueramus. Semper enim manet veritas promiſſionis ſemel factæ, nos extenta manu ſuſceptura reuerſos. Atque id, ni fallor, volunt, qui obſcure dicunt, Baptiſmum eſſe primum & fundamentum omnium Sacramentorum, ſine quo nullum queat aliorum obtineri. *Promiſſio. Fides.* *Baptiſmus fundamentum omnium ſacramentorum.*

Proinde non parum profuerit, ſi pœnitens primo omnium baptiſmi ſui memoriam apprehendat, & promiſſionis diuinæ, quam deſeruit, cum fiducia recordatus, eandem confiteatur Domino, gaudens ſe tantum adhuc in præſidio habere ſalutis, quod baptiſatus ſit, deteſtausque ſuam impiam ingratitudinem, quod à fide & veritate eiuſdem defecerit. Mire enim cor eius conſortabitur, & ad ſpem miſericordiæ animabitur, ſi conſideret diuinam promiſſionem ſibi factam, quam impoſſibile eſt mentiri, adhuc integram & non mutatam, nec mutabilem vllis peccatis eſſe, ſicut Paulus dicit 2. Timoth. 2. Si non credimus, ille fidelis permanet, ſeipſum negare non poteſt. Hæc inquam, veritas Dei eum ſeruabit, ita vt ſi cætera omnia ruant, hæc tamen eum credita non derelinquet. Habet enim per hanc quod inſultanti Aduerſario opponat, habet quod turbantibus peccatis conſcientiam obijciat, habet quod horrori mortis & iudicij reſpondeat, habet denique quod vniuerſis tentationibus ſolatium ſit, nempe, hanc vnam veritatem, dicens: Deus eſt verax in promiſſionibus ſuis, cuius ſignum in baptiſmo ſuſcepi. Si Deus pro me, quis contra me? *Promiſſio Dei vera & firma.* *2. Tim. 2.* *Rom. 8.*

Si enim filij Iſrael ad pœnitentiam reuerſuri, primo omnium exitum de Aegypto memorabant, & hac memoria ad Deum, qui eduxerat eos, reuertebantur, quæ memoria & hoc ipſum præſidium eis toties à Moſe inculcatur, & à Dauid repetitur, Quanto magis nos noſtrum de Aegypto noſtra exitum debemus memorare, & eius memoria redire ad eum, qui nos eduxit per lauacrum regenerationis nouæ, cuius memoria in hoc ipſum nobis commendata eſt? id quod omnium commodiſſime fieri in Sacramento panis & vini poteſt. Sic enim olim tria iſta Sacramenta, pœnitentia, baptiſmus, panis, ſimul eodem officio frequentabantur, & alterum alterum iuuabat. Ita legitur de quadam ſancta Virgine, quæ quoties tentabatur, non niſi baptiſmo ſuo repugnabat, dicens breuiſſime: Chriſtiana ſum. Intellexit enim hoſtis ſtatim virtutem baptiſmi & fidei, quæ in veritate Dei promittentis pendebat, & fugit ab ea. *Exitus Iſraelitarum & noſter, ex Ægypto.* *Chriſtiana ſum.*

Ita vides, quam diues ſit homo Chriſtianus ſiue baptiſatus, qui etiam volens non poteſt perdere ſalutem ſuam quantiſcunque peccatis, niſi nolit credere. Nulla enim peccata eum poſſunt damnare, niſi ſola incredulitas. Cætera omnia, ſi redeat vel ſtet fides in promiſſionem diuinam baptiſato factam, in momento abſorbentur, per eandem fidem, imo veritatem Dei, quia ſeipſum negare non poteſt, ſi tu eum confeſſus fueris, & promittenti fideliter adhæſeris. Contritio autem & peccatorum confeſſio, deinde & ſatisfactio, & omnia illa hominum excogitata ſtudia, ſubito te deſerent, & infeliciorem reddent, ſi *Diuitiæ credentis.*

oblitus veritatis huius diuinæ, in ipſis rete diſtenderis. Vanitas enim vanitatum & afflictio Spiritus eſt, quicquid extra fidem veritatis Dei laboratur.

Pernicioſus error pœnitentiam eſſe ſecundam tabulam poſt naufragium.

SImul vides quam periculoſum, imo falſum ſit, opinari, pœnitentiam eſſe ſecundam tabulam poſt naufragium, & quam pernicioſus ſit error, putare, per peccatum excidiſſe vim baptiſmi, & nauem hanc eſſe illiſam. Manet illa vna, ſolida, & inuicta nauis, nec vnquam diſſoluitur in vllas tabulas, in qua omnes vehuntur, qui ad portum ſalutis vehuntur, quæ eſt veritas Dei in Sacramentis promittens. Hoc ſane fit, vt multi è naue temere in mare proſiliant & pereant, hi ſunt qui deſerta promiſſionis fide in peccatum ſeſe præcipitant. Verũ nauis ipſa permanet, & tranſit integra curſu ſuo. Quod ſi qua gratia ad nauem reuerti poteſt, nulla tabula, ſed ſolida ipſa naue feretur ad vitam. Hic eſt, qui ad promiſſionem Dei ſtabilem & manentem per fidem reuertitur. Vnde Petrus 2. Pet. 1. arguit eos, qui peccant, quod obliuionem accipiant purgationis veterum delictorum ſuorum, ſine dubio ingratitudinem 2. Pet. 1. accepti baptiſmi & impietatem infidelitatis eorum taxans.

Sacramenta à Chriſto inſtituta ſunt ad fidem confirmandam.

Quid ergo prodeſt de baptiſmo tam multa ſcribere, & hanc fidem promiſſionis non docere? Omnia Sacramenta ad fidem alendam ſunt inſtituta, & hanc ipſam adeo non tangunt, vt etiam aſſerant impij homines, non debere hominem eſſe certum de remiſſione peccatorum, ſeu gratia Sacramentorum, qua impietate orbem totum dementant, & Sacramentum baptiſmi, in quo ſtat prima gloria conſcientiæ noſtræ, funditus extinguunt, nedum captiuant. Interim inſanientes in miſeras animas ſuis contritionibus, anxijs confeſſionibus, circumſtantijs, ſatisfactionibus, operibus, & id genus infinitis nugis. Eſto

Magiſter ſententiarum notatur.

ergo prudens Lector, imo contemptor Magiſtri ſententiarum lib. 4. cum omnibus ſuis Scribentibus, qui tantum de materia & forma Sacramentorum ſcribunt, dum optime ſcribunt, id eſt, mortuam & occidentem literam Sacramentorum tractant. Cæterum, ſpiritum, vitam & vſum, id eſt, promiſſionis diuinæ veritatem & noſtram fidem, prorſus intactas relinquunt.

Fides.

Vide itaq;, ne te fallant operum pompæ, & humanarum traditionum fallaciæ, vt veritati diuinæ & fidei tuæ non facias iniuriam. A fide Sacramentorum tibi incipiendum eſt, ſine vllis operibus, ſi ſaluus fieri voles, fidem autem ipſa ſequentur opera, tantum ne vilem habeas fidem, quæ opus eſt omnium operum excellentiſſimum & arduiſſimum, quo ſolo, etiam ſi cæteris omnibus carere cogereris, ſeruaberis. Eſt enim opus Dei, non hominis, ſicut Paulus docet. Cætera nobiſcum, & per nos operatur, hoc vnicum in nobis, & ſine nobis operatur.

Miniſter baptiſat & non baptiſat.

EX his perſpicue diſcernere poſſumus, quid inter miniſtrum hominem & autorem Deum interſit, in baptiſando. Homo enim baptiſat & non baptiſat. Baptiſat, quia perficit opus, dum mergit baptiſandum. Non baptiſat, quia non fungitur in eo opere ſua autoritate, ſed vice Dei. Vnde oportet nos baptiſmum de manu hominis non aliter ſuſcipere, quam ſi ipſe Chriſtus, imo ipſe Deus nos ſuis proprijs manibus baptiſaret. Non enim hominis eſt, ſed Chriſti & Dei baptiſmus, quem recipimus per manum hominis. Sicut quælibet alia creatura, qua vtimur per manum alterius, non eſt niſi Dei. Caue ergo, ſic diſcernas baptiſmum, vt externum homini, internum Deo tribuas, vtrunq; ſoli Deo tribue, nec conferentis perſonam aliam, quam inſtrumentum vicarium Dei accipe, per quod Dominus in cœlo ſedens, te in aquam ſuis manibus proprijs mergit, Et remiſſionem peccatorum promittit in terris, voce hominis tibi loquens per os miniſtri ſui.

Hoc

Hoc & ipſa verba tibi dicunt, cum dicit, Ego baptiſo te in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, Amen. Non dicit: Ego baptiſo te in nomine meo, quaſi dicat: Id quod facio, non mea autoritate, ſed vice & nomine Dei facio, vt non aliter habeas, quam ſi ipſe Dominus viſibiliter feciſſet. Autor & miniſter diuerſi ſunt, ſed opus idem vtriuſque imo ſolius autoris per miniſterium meum. Sic n. ego arbitror, In nomine referre perſonã autoris, vt non tantum ſit nomen Domini prætendere & inuocare in opere, ſed ipſum opus tanquam alienum alterius nomine & vice implere. Quo tropo Matth. 24. Chriſtus dicit: Multi venient in nomine meo. Et Rom. 1. Per quem accepimus gratiam & Apoſtolatum, ad obediendum fidei in omnibus gentibus pro nomine eius.

Baptiſo te in nomine Patris & Filij, & Spiritus ſancti.

Matt. 24. Rom. 1.

Hanc ſententiam ego libentiſſime ſequor, quod ſit pleniſſimum ſolacij & efficax fidei adiutorium, noſſe ſe eſſe baptiſatum, non ab homine, ſed ab ipſa Trinitate per hominem, qui nomine eius rem gerat apud nos. Quo ceſſat illa ocioſa contentio, qua de forma baptiſmi (quam appellant ipſa verba) litigant. Græcis dicentibus: *Baptiſetur ſeruus Chriſti*, Latinis: *Ego baptiſo.* Item alij rigidiſſime nugantes, damnant ſic dici: Ego baptiſo te in nomine Ieſu Chriſti, quo ritu certum eſt Apoſtolos baptiſaſſe, vt in Actis Apoſtolicis legimus, voluntque nullam aliam deinceps valere quam iſtam: Ego baptiſo te in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, Amen, Sed fruſtra contendunt, nihil enim probant, ſua ſomnia duntaxat aſſerunt. Quocunque modo tradatur baptiſmus modo non in nomine hominis, ſed in nomine Domini tradatur, vere ſaluum facit. Imo non dubitem, ſi quis in nomine Domini ſuſcipiat, etiam ſi impius miniſter non det in nomine Domini, vere baptiſatum eſſe in nomine Domini. Non enim in conferentis tantum, quantum in ſuſcipientis fide vel vſu, ſita eſt virtus baptiſmi. Sicut legitur exemplum de quodam Mimo, per iocum baptiſato, Iſtas & ſimiles diſputationum & quæſtionum anguſtias, fecerunt nobis ij, qui fidei nihil, operibus autem ritibusque omnia tribuerunt, cum ſoli fidei omnia & nihil ritibus debeamus, quæ nos facit liberos ſpiritu, ab omnibus iſtis ſcrupulis & opinionibus.

Forma baptiſmi.

Exemplum de Mimo.

ALterum, quod ad baptiſmum pertinet, eſt ſignum ſeu Sacramentum, quod eſt ipſa merſio in aquam, vnde & nomen habet. Nam baptiſo græce, mergo latine, & baptiſma merſio eſt. Dictum eſt enim, iuxta promiſſiones diuinas dari & ſigna quæ id figurent, quod verba ſignificant, ſeu vt Recentiores dicunt, Sacramentum efficaciter ſignificat, quod quale ſit, videbimus. Arbitrati ſunt quam plurimi eſſe aliquam virtutem occultam ſpiritualem, in verbo & aqua, quæ operetur in anima recipientis gratiam Dei. His alij contradicentes ſtatuunt, nihil eſſe virtutis in Sacramentis, ſed gratiam à ſolo Deo dari, qui aſſit ex pacto Sacramentis à ſe inſtitutis. Omnes tamen in hoc concedunt, Sacramenta eſſe efficacia ſigna gratiæ. Ad quod hoc vnico mouentur argumento, Non videri alioqui qua ratione nouæ legis Sacramenta præſtarent vetuſtis, ſi ſolum ſignificarent. Et hinc impulſi ſunt tantum tribuere Sacramentis nouæ legis, vt prodeſſe ea ſtatuerent, etiam ijs, qui in peccatis mortalibus ſunt, nec requiri fidem aut gratiam, ſed ſufficere, non poſuiſſe obicem, hoc eſt, actuale propoſitum denuo peccandi.

Merſio in aquam.

Signa addita promiſſionibus.

Ponere obicem.

Hæc autem, quia ſunt impia & infidelia, contra fidem & naturam Sacramentorum pugnantia, diligenter ſunt cauenda & fugienda. Error enim eſt, Sacramenta nouæ legis differri à Sacramentis veteris legis, penes efficaciam ſignificationis. Vtraq; æqualiter ſignificabant, Idem enim Deus, qui nos nunc per baptiſmum & panem ſaluat, ſaluauit Habel per ſacrificium, Noe per arcã,

Sacramenta veteris & nouæ legis &c.

Abraham per Circumciſionem, & alios omnes per ſua ſigna. Nihil itaq; differt Sacramentum veteris & nouæ legis, quo ad ſignificationem, modo veterem legem appelles, quidquid in Patriarchis & alijs Patribus tempore Legis operatus eſt Deus. Nam ea ſigna, quæ in Patriarchis & Patribus facta ſunt, longe ſunt diſcernenda à figuris legalibus, quas Moſes in lege ſua inſtituit, quales ſunt ritus ſacerdotales, in veſtibus, vaſis, cibis, domibus & ſimilibus. Ab his enim non modo longiſſime differunt nouæ legis Sacramenta, ſed & ipſa ſigna, quæ pro tempore Deus Patribus dedit, in lege viuentibus quale fuit Gedeonis in vellere, Manue in ſacrificio, quale & Iſaias obtulit Achas, Iſa. 7. *Iud. 13. Iſai. 7.* In ijs enim ſimul promittebatur aliquid, quo fides in Deum exigebatur.

Differunt figuræ legales à ſignis veteris & noui teſtamenti.

In hoc ergo differunt legales figuræ à ſignis nouis & vetuſtis, quod legales figuræ non habent annexum verbum promiſſionis, quod fidem exigat vnde non ſunt ſigna iuſtificationis, quia non ſunt Sacramenta fidei, quæ ſola iuſtificant, ſed ſunt Sacramenta operis tantum, Tota enim eorum vis & natura erat opus, non fides, Qui enim ea faciebat, implebat ea, etiam ſine fide operans. At noſtra & Patrum ſigna ſeu Sacramenta habent annexum verbum promiſſionis, quod fidem exigit, & nullo opere alio impleri poteſt, Ideo ſunt ſigna ſeu Sacramenta iuſtificationis, quia ſunt Sacramenta iuſtificantis fidei & non operis, vnde & tota eorum efficacia eſt ipſa fides, non operatio. Qui enim eis credit, is implet ea, etiamſi nihil operetur.

Fides Sacramenti iuſtificat.

Inde Prouerbium illud: *Non Sacramentum, ſed fides Sacramenti iuſtificat.* Sic circumciſio non iuſtificauit Abraham & ſemen eius, & tamen Apoſtolus eam appellat ſignaculum iuſticiæ fidei. *Rom. 4.* Quia fides in promiſſionem, cui iuncta fuit circumciſio, iuſtificabat & implebat id, quod circumciſio ſignificabat. Fides enim fuit circumciſio præputij cordis in ſpiritu, quam figurabat circumciſio carnis in litera, Sic ſacrificrificium Habel plane non eum iuſtificabat, ſed fides, qua ſe Deo totum obtulit, quam ſacrificium externum figurabat.

Ita baptiſmus neminem iuſtificat, nec vlli prodeſt, ſed fides in verbum promiſſionis, cui additur baptiſmus, hæc enim iuſtificat, & implet id quod baptiſmus ſignificat. Fides enim eſt ſubmerſio veteris hominis, & emerſio noui hominis.

Sacramenta noua ab antiquis non differunt.

Quare fieri non poteſt, vt Sacramenta noua differant ab antiquis Sacramentis, Habent enim æque promiſſiones diuinas, & eundem ſpiritum fidei, Licet à figuris antiquis incomparabiliter differant, propter verbum promiſſionis, quod eſt medium vnicum & efficaciſſimum differentiæ, Sicut & nunc pompa veſtium, locorum, ciborum, & infinitarum ceremoniarum ſine dubio figurat egregia in ſpiritu implenda, & tamen quia nullum adeſt eis verbum diuinæ promiſſionis, nulla ratione cum ſignis baptiſmi & panis conferri poſſunt, nec iuſtificant aut proſunt vllo modo, cum impletio eorum ſit ipſe vſus ſeu opus eorum ſine fide, dum enim fiunt, ſeu aguntur, implentur. Sicut & Apoſtolus Coloſ. 2. de eis dicit, quæ omnia ipſo pereunt vſu, *Coloſſ. 2.* iuxta præcepta & doctrinas hominum &c. At Sacramenta non implentur dum fiunt, ſed dum creduntur.

Sacramenta quo modo efficacia ſint.

Ita nec verum eſſe poteſt, Sacramentis ineſſe vim efficacem iuſtificationis, ſeu eſſe ea ſigna efficacia gratiæ. Hæc enim omnia dicuntur in iacturam fidei, ex ignorantia promiſſionis diuinæ. Niſi hoc modo efficacia dixeris, quod ſi adſit fides indubitata, certiſſime & efficaciſſime gratiam conferant.

Error ſcholaſticorum, de Sacramentorum efficacia.

At non hoc modo efficaciam illis tribui probat, quod ea prodeſſe dicunt, omnibus etiam impijs & incredulis, modo non ponant obicem. Quaſi ipſa incredulitas non ſit omnium obſtinatiſſimus & hoſtiliſſimus obex gratiæ, adeo ex Sacramento præceptum, ex fide opus facere moliti ſunt. Nam ſi

dat gra-

dat gratiam mihi Sacramentum, quia ſuſcipio, Iam vere ex opere meo, non ex fide, gratiam obtineo, nec promiſſionem in Sacramento apprehendo, ſed ſolum ſignum inſtitutum & præceptum à Deo. Ita clare vides, quam nihil Sacramenta intellecta ſunt ſententionarijs Theologis, quod nec fidei nec promiſſionis vllam in Sacramentis rationem habuerint, tantum in ſigno & vſu ſigni hærentes, & ex fide in opus, ex verbo in ſignum nos rapientes, qua re (vt dixi) Sacramenta non modo captiuauerunt, ſed penitus, quod in eis fuit, aboleuerunt.

NOs ergo aperientes oculum diſcamus, magis verbum quam ſignum, magis fidem quam opus, ſeu vſum ſigni obſeruare. Scientes, vbicunq; eſt promiſſio diuina, ibi requiri fidem, Eſſeq; vtrunq; tam neceſſarium, vt neutrum ſine vtro efficax eſſe poſſit. Neq; enim credi poteſt, niſi adſit promiſſio, nec promiſſio ſtabilitur, niſi credatur, ambæ vero ſi mutuæ ſint, faciunt veram & certiſſimam efficaciam Sacramentis. Quare efficaciam ſacramenti, citra promiſſionem & fidem quærere, eſt fruſtra niti, & damnationem inuenire. Sic Chriſtus: *Qui crediderit & baptiſatus fuerit, ſaluus erit, qui non crediderit, condemnabitur.* Quo monſtrat, fidem in Sacramento adeo neceſſariam, vt etiam ſine Sacramento ſeruare poſſit, ideo noluit adijcere: Qui non crediderit, & non baptiſatus fuerit.

Promiſſio. Fidei.

Marc. vlt.

Significat itaq; baptiſmus duo, mortem & reſurrectionem, hoc eſt, plenariam conſummatamq; iuſtificationem. Quod enim miniſter puerum immergit in aquam, mortem ſignificat, Quod autem rurſum educit, vitam ſignificat. Ita Paulus Roma. 6. exponit: Conſepulti enim ſumus Chriſto per baptiſmum in mortem, vt quemadmodũ Chriſtus reſurrexit ex mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Hanc mortem & reſurrectionem appellamus nouam creaturam, regenerationem, & ſpiritualem natiuitatem, quam non oportet allegorice tantum intelligi de morte peccati & vita gratiæ, ſicut multi ſolent, ſed de vera morte & reſurrectione. Non enim baptiſmus ſignificatio ficta eſt, Neque peccatum moritur, neque gratia ſurgit plene, donec corpus peccati, quod gerimus in hac vita, deſtruatur, vt ibidem Apoſtolus dicit, Nam donec in carne ſumus, deſideria carnis mouent & mouentur. Quare dum incipimus credere, ſimul incipimus mori huic mundo, & viuere Deo in futura vita, vt fides vere ſit mors & reſurrectio, hoc eſt, ſpiritualis ille baptiſmus, quo immergimur & emergimus.

Significatio baptiſmi.

Rom. 6.

Noua creatura.

Quod ergo baptiſmo tribuitur ablutio à peccatis, vere quidem tribuitur, ſed lentior & mollior eſt ſignificatio, quam vt baptiſmum exprimat, qui potius mortis & reſurrectionis ſymbolum eſt. Hac ratione motus, vellem baptiſandos penitus in aquam immergi, ſicut ſonat vocabulum & ſignat myſterium, non quod neceſſarium arbitrer, ſed quod pulchrum foret, rei tam perfectæ & plenæ, ſignum quoq; plenum & perfectum dari, ſicut & inſtitutum eſt ſine dubio à Chriſto. Peccator enim non tam ablui quam mori debet, vt totus renouetur in aliam creaturam, & vt morti ac reſurrectioni Chriſti reſpondeat, cui per baptiſmum commoritur & conreſurgit. Licet enim poſſis Chriſtum dicere ablutum à mortalitate, dum mortuus eſt & reſurrexit, ſegnius tamen dixeris, quam ſi in totum mutatum & renouatum dixeris, Ita ardentius eſt, per baptiſmum nos ſignificari omnibus modis mori & reſurgere in æternam vitam, quam ablui à peccatis.

Baptiſmus mortis & reſurrectionis ſymbolum.

Hic iterum vides, Baptiſmi Sacramentum, etiam quo ad ſignum, non eſſe momentaneum aliquod negotium, ſed perpetuum, Licet enim vſus eius ſubito tranſeat, tamen res ipſa ſignificata durat vſq; ad mortem, imo reſurrectionem in nouiſſimo die. Quam diu enim viuimus, ſemper id agimus, quod baptiſmus ſignificat, id eſt, morimur & reſurgimus, Morimur, inquam, non

Significatio baptiſmi.

non tantum affectu & ſpiritualiter, quo peccatis & vanitatibus mundi renunciamus, ſed reuera vitam hanc corporalem incipimus relinquere, & futuram vitam apprehendere, vt ſit realis (quod dicunt) & corporalis quoque tranſitus ex hoc mundo ad Patrem.

Baptiſmus non fit irritus.

QVare nobis cauendum eſt ab ijs, qui Baptiſmi vim eo redegerunt, tenuitatis & paruitatis, vt gratiam in eo dicant quidem infundi, ſed poſtea per peccatum effundi, tum alia via, ac iam quaſi baptiſmo penitus irrito facto, ad cœlum eundum. Non ſic tu arbitrabere, ſed intelliges eam eſſe baptiſmi ſignificationem, qua moriaris & viuas, ideo non poſſe te, ſiue per pœnitentiam, ſiue per quamcunque aliam viam redire, niſi ad vim baptiſmi ac denuo illud facere, quod baptiſatus es vt faceres, quodque baptiſmus tuus ſignificabat. Nunquam fit baptiſmus irritus, donec deſperans redire ad ſalutem nolueris, aberrare quidem poteris ad tempus à ſigno, ſed non ideo irritum eſt ſignum. Ita ſemel es baptiſatus ſacramentaliter, ſed ſemper baptiſandus fide, ſemper moriendum, ſemperq; viuendum. Baptiſmus totum corpus abſorbuit, & rurſus edidit, ita res baptiſmi totam vitam tuam cum corpore & anima abſorbere debet, & reddere in nouiſſimo die indutam ſtola claritatis & immortalitatis, itaq; nunquam ſine baptiſmi tam ſigno quam re ipſa ſumus, imo ſemper ſumus baptiſandi magis ac magis, donec ſignum perfecte impleamus in nouiſſimo die.

Impletio Baptiſmi.

Intelligis ergo, quidquid in hac vita gerimus, quod ad mortificationem carnis & viuificationem ſpiritus valet, ad baptiſmum pertinere, & quo breuius à vita abſoluimur, eo citius baptiſmum noſtrum impleamus & quo atrociora patimur, eo felicius baptiſmo reſpondeamus. Ideoque Eccleſiam tunc fuiſſe feliciſſimam, quando martyres mortificabantur omni die, & æſtimabantur ſicut oues occiſionis. *Pſalm. 44.* Tunc enim regnabat in Eccleſia virtus baptiſmi, pleno imperio, quam hodie ignoramus etiam, præ multitudine operum & doctrinarum humanarum. Quidquid enim viuimus, baptiſmus eſſe debet, & ſignum ſeu Sacramentum baptiſmi implere, cum à cæteris omnibus liberati, vni tantum baptiſmo ſimus addicti, id eſt, morti & reſurrectioni.

Virtus baptiſmi.

Intelligentia & vſus baptiſmi ignotus.

HAnc gloriam libertatis noſtræ, & hanc ſcientiam baptiſmi eſſe hodie captiuam, cui poſſumus referre acceptum, quam vni tyrannidi Rom. Pontificis? qui vt Paſtorem primum decet, vnus omnium maxime debuit eſſe prædicator & aſſertor huius libertatis & ſcientiæ, ſicut Paulus 1. Corinth. 4. dicit: Sic nos exiſtimet homo ſicut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum ſeu Sacramentorũ Dei. Ipſe ſolum id agit, vt ſuis Decretis & Iuribus opprimat, & in poteſtatis ſuæ tyrannidẽ captiuos illaqueet. Obſecro, quo iure (vt non dicam, quam impie & damnabiliter hæc myſteria omittat docere) Papa ſuper nos conſtituit leges? Quis dedit ei poteſtatem captiuandæ huius noſtræ libertatis, per baptiſmum nobis donatæ? Vnum, vt dixi, nobis in tota vita agendum eſt propoſitũ, vt baptiſemur, id eſt, mortificemur, & viuamus per fidem Chriſti, quam & vnice doctam oportuit, maxime à ſummo Paſtore. At nunc, tacita fide, infinitis legibus operum & ceremoniarum extincta eſt Eccleſia, ablata virtus & ſcientia baptiſmi, impedita fides Chriſti.

Dico itaque: Neq; Papa, neq; Epiſcopus, neq; vllus hominum habet ius vnius ſyllabæ conſtituendæ ſuper Chriſtianum hominem, niſi id fiat eiuſdem conſenſu, quidquid aliter fit, tyrannico ſpiritu fit. Ideo orationes, ieiunia, donationes, & quæcunque tandem Papa in vniuerſis ſuis Decretis, tam multis quam iniquis ſtatuit & exigit, prorſus nullo iure exigit, & ſtatuit, peccatque in libertatem Eccleſiæ, toties, quoties aliquid horum attentauerit. Hinc factum eſt, vt Eccleſiaſtici hodierni ſtrenui quidem ſint tutores libertatis Eccleſiaſticæ, id

Decreta Papæ.

cæ,id eſt,lapidum,lignorum,agrorum & cenſuum (ſic enim hodie Eccleſiaſtica ſunt idem quod ſpiritualia)ſed eiſdem fictis verbis,veram Eccleſiæ liber-
1.Cor.7. tatem,non modo captiuent,ſed peſſundent penitus, etiam plus quam Turca, contra Apoſtolum,qui dicit : Nolite fieri ſerui hominum. Hoc enim vere *Serui boni.* eſt hominum ſeruos fieri,ſtatutis & tyrannicis eorum legibus ſubijci.

ADiuuant hanc impiam & perditam tyrannidem diſcipuli Papæ,huc torquentes & deprauantes illud Chriſti: *Qui vos audit,me audit.* Magnis enim buccis hoc inflant verbum pro ſuis traditionibus, cum *Qui vos audit,me audit.*
1.Cor.1. Chriſtus hoc dixerit Apoſtolis euntibus prædicare Euangelium, & ad Euangelium tantum referri debeat , Ipſi omiſſo Euangelio, ſuis tantum fabulis id aptant. Dicit enim Iohan. 10. *Oues meæ vocem meam audiunt,alienorum autem vocem non audiunt.* Ideo & relictum eſt Euangelium , vt vocem Chriſti ſonarent Pontifices,at ipſi ſuas voces ſonant,audiri denique volunt. Apoſtolus quoque dicit,ſcio miſſum eſſe,non baptiſare,ſed Euangelizare,Itaque nemo eſt obnoxius Pontificijs traditionibus,nec oportet eum audiri,niſi dum Euangelium & Chriſtum docet,nec aliud ipſe docere debet,quam fidem liberrimam. Cum autem Chriſtus dicat: *Qui vos audit,me audit.* Cur non Papa quoque audit alios? Non n. ſoli Petro dicit: Qui te audit. Deniq;,vbi eſt vera fides, ibi & verbū fidei eſſe neceſſarium eſt. Cur ergo Papa infidelis non audit quandoque ſeruum ſuum fidelem,habentem verbum fidei? *Cæcitas,cæcitas in pontificibus regnat.* *Oues meæ vocem meam audiunt &c. Iohan. 10.*

Matth. 16. Alij vero multo impudentiores,ex illo Matth. 16. Papæ arrogant poteſtatem legum condendarum : Quodcunque ligaueris &c. cum ibi Chriſtus de peccatis ligandis & remittendis agat, non de Eccleſia tota captiuanda & legibus opprimenda. Ita omnia agit iſta tyrannis fictis ſuis verbis,tortis per vim ac deprauatis verbis Dei. Hoc ſane confiteor, Eſſe tyrannidem iſtam maledictam ferendam Chriſtianis , ſicut quamlibet aliam violentiam huius mundi,iuxta illud Chriſti: *Qui te percuſſerit in maxillam dexteram,præbe ei & alteram,* Sed hoc queror, quod impij Pontifices ſe id iure poſſe & facere iactant, & rei Chriſtianæ ſeſe conſulere , Hac Babylone ſua præſumunt,hanc ipſam opinionem omnibus perſuadentes. Si enim conſcientia impietatis & tyrannidis ea facerent,aut nos pateremur vim eorum, interea ſecuri numeraremus,quæ ad mortificandam vitam hanc , & implendum Baptiſmum valent, integra nobis relicta conſcientia gloriandi de iniuria illata. At nunc volunt ſic conſcientiam libertatis noſtræ illaqueari , vt credamus bene à ſe geri , quæ gerunt, nec licere ea reprehendi aut inique geſta querulari , & cum ſint lupi, videri volunt paſtores,cum ſint Antichriſti,volunt honorari pro Chriſto, pro hac duntaxat clamo libertate & conſcientia,clamoque fidenter. *Quodcunq; ligaueris &c.* Matth. 5.

Chriſtianis nihil vllo iure poſſe imponi legum , ſiue ab hominibus ſiue ab angelis,niſi quantum volunt,liberi enim ſumus ab omnibus. Quod *Chriſtiani à legibus liberi.* ſi quæ imponuntur,ſic ferenda ſunt , vt libertatis conſcientia ſalua ſit , quæ ſciat, & certo affirmet , iniuriam ſibi fieri, quam cum gloria ferat , ita cauens ne iuſtificet tyrannum,vt ne murmuret contra tyrannidem. Quis enim
1. Pet. 3. Rom. 8. eſt (ait Petrus) qui vobis noceat,ſi bonum æmulati fueritis , omnia cooperantur electis in bonum. Attamen quia hanc baptiſmi gloriam & libertatis Chriſtianæ felicitatem pauci nouerunt , nec præ tyrannide Papæ noſſe poſſunt,Ipſe me hic expedio,& conſcientiam meam redimo , compellans Papā & omnes Papiſtas , Quod niſi ſua iura & traditiones ſuſtulerint, & Eccleſijs Chriſti libertatem ſuam reſtituerint , eamque doceri fecerint,reos eſſe eos omnium animarum,quæ hac miſera captiuitate pereunt,Eſſeq; Papatum aliud *Papatus.* reuera nihil,quam regnū Babylonis & vere Antichriſti. Quis enim eſt homo

Homo peccati, filius perditionis &c. 2. Theſſ. 2.

peccati & filius perditionis, quam is, qui ſuis doctrinis ac ſtatutis peccata & perditionem animarum auget in Eccleſia, ſedens tamen in Eccleſia ſicut Deus? At hoc totum abunde impleuit tyrannis papalis, iam à multis ſeculis, quæ fidem extinxit, Sacramenta obſcurauit, Euangelium oppreſſit, ſuas autem non modo impias & ſacrilegas, verum etiam barbaras & indoctiſſimas leges imperauit, & ſine fine multiplicauit.

Captiua Eccleſia ſub tyrannide Papæ.

Vide ergo miſeriam captiuitatis noſtræ. Quomodo ſedeat ſola ciuitas plena populo, & facta ſit vidua domina gentium, princeps prouinciarum ſub tributo. Non eſt qui conſoletur eam, etiam amici eius ſpreuerunt eam &c. Tot ordines, tot ritus, tot ſectæ, tot profeſſiones, tot ſtudia, tot opera ſunt, quibus hodie Chriſtiani occupantur, vt obliuiſcantur baptiſmi ſui, & nemo præ hac tum locuſtarum, erucarum, bruchorum multitudine meminiſſe poſſit, ſeſe eſſe baptizatum, aut quid in baptiſmo conſecutus ſit. Decebat enim nos eſſe, ſicut paruuli baptiſati, qui nullis ſtudijs, nulliſque operibus occupati, in omnia ſunt liberi, ſolius gloria baptiſmi ſui, ſecuri & ſalui, Sumus enim & ipſi paruuli, in Chriſto, aſſidue baptiſati.

Baptiſmus paruulorum.

OPponetur forſitan ijs, quæ dicta ſunt, baptiſmus paruulorũ, qui promiſſionem Dei non capiant, nec fidem baptiſmi habere poſſint, Ideoq; aut non requiri fidem, aut paruulos fruſtra baptiſari. Hic dicô,

Fides aliena.

quod omnes dicunt, fide aliena paruulis ſuccurri, illorum qui offerunt eos. Sicut enim verbum Dei potens eſt dum ſonat, etiã impij cor immutare, quod non minus eſt ſurdum & incapax, quam vllus paruulus, ita per orationem Eccleſiæ offerentis & credentis, cui omnia poſſibilia ſunt, & paruulus fide infuſa mutatur, mundatur & renouatur. Nec dubitarem etiam adultum impium, eadem Eccleſia orante & offerente, poſſe in quouis Sacramento mutari, ſicut

Paralyticus.

de paralytico euangelicô legimus, aliena fide ſanato. Atq; hac ratione libens *Matth. 9.*
admitterem, Sacramenta nouæ legis eſſe efficacia ad dandam gratiam, non modo non ponentibus, ſed etiam obſtinatiſſime ponentibus obicem. Quid

Eccleſiæ fides & oratio.

enim fides Eccleſiæ & oratio fidei non tolleret, cum Paulum Apoſtolum Stephanus hac vi conuertiſſe credatur? At tunc Sacramenta non ſua, ſed fidei virtute faciunt, quod faciunt, ſine qua nihil prorſus faciunt, vt dixi.

Quæſtio de paruulo nondum nato.

Quæritur etiam adhuc, An paruulus nondum natus poſſit, porrecta ex vtero manu vel pede, baptiſari? Hic nihil temere iudico, meamq; ignorantiam confiteor. Nec ſcio, an id ſatis ſit, quod pro fundamento habent, Eſſe videlicet animam in qualibet parte corporis totam, Non enim anima, ſed corpus baptiſatur aqua externe. Sed nec hoc iudico, quod dicunt, Renaſci eum non poſſe, qui natus nondum ſit, etſi vehementer vrgeat. Ideo magiſterio ſpiritus hæc relinquo, interim ſinens quenque ſuo ſenſu abundare.

Vota omnia tollenda.

VNum hic addo, quod vtinam cunctis queam perſuadere, id eſt, vt vota prorſus omnia tollerentur aut vitarentur, ſiue ſint religionũ, ſiue peregrinationum, ſiue quorumcunq; operum, maneremusq; in libertate religioſiſſima & operoſiſſima baptiſmi. Dici non poteſt, quantum detrahat baptiſmo, & obſcuret ſcientiam libertatis Chriſtianæ, opinio illa Votorum, plus nimio celebris, Vt interim taceam infanda etiam, eaque infinita pericula animarum, quæ vouendi iſta libido, inconſultaque temeritas quotidie auget. O impijſſimi Pontifices & infeliciſſimi Paſtores, qui ſecure ſtertitis, & in veſtris cupiditatibus laſciuitis, & nihil compatimini ſuper iſta contritione Ioſeph peſſima & periculoſiſſima.

Oportuit hic generali Edicto, vel tollere vota, illa præſertim perpetua,

petua, & ad baptiſmi vota cunctos reuocare, vel diligenter mohere, ne quis te- *Baptiſmi vota.*
mere voueret, nullum inuitare, imo difficiles tardoſque eſſe ad vota permit-
tenda. Abunde enim voulmus in baptiſmo, & plusquam poſſimus implere,
ſat negotij habituri, ſi huic vni intenderimus. At nunc mare & aridam circui-
mus, vt multos proſelytas faciamus, mundum ſacerdotibus, monachis, moni-
alibus implemus, & hos omnes perpetuis votis incarceramus. Hic inuenias,
qui diſputent & ſtatuant, Opus intra votum eſſe præſtantius opere extra & ci-
tra votum, & neſcio quantis præmijs in cœlo alijs præferendum. Phariſæi cæ-
ci & impij, qui ex operum magnitudine & multitudine, aliane qualitate me-
tiuntur iuſticiam & ſanctitatem, quæ ex ſola fide apud Deum menſuratur,
apud quem nulla eſt differentia operum, niſi quanta eſt fidei differentia.

Faciunt hac bucca ſua homines impij, ſuis inuentionibus opinionem &
opera hominum inflant, ad alliciendum ſtolidum vulgus, quod ſpecie ope- *Vulgus ſpecie ope-*
rum fere ducitur, in magnam iacturam fidei, obliuionem baptiſmi, iniuriam *rum capitur.*
libertatis Chriſtianæ. Cum enim votum ſit lex quædam & exactio, neceſſario
multiplicatis votis, leges & opera multiplicantur, quibus multiplicatis, fides *Votum.*
extinguitur, & baptiſmi libertas captiuatur. His blanditijs impijs non conten-
ti, addunt alij. Ingreſſum religionis eſſe velut nouum baptiſma, quod dein- *Ingreſſus religio-*
ceps licet toties renouari, quoties ab integro propoſitum religionis renoua- *nis.*
tur. Ita Votarij iſti, ſibi ſolis iuſticiam, ſalutem, gloriam tribuerunt, Baptiſatis
prorſus nihil reliquerunt, quo poſſint eis conferri. Iam Romanus Pontifex, *Pontifex Roma-*
ſuperſtitionum omnium fons & autor, magnificis Bullis & Indultis, has vi- *nus autor omnium*
uendi rationes confirmat, approbat, ornat, Baptiſmum vero nemo vel memo- *ſuperſtitionum.*
ria dignatur. Atq; ijs pompis ſpecioſis, vt dixi, ſequacem populum Chriſti, in
quaſcunque volent ſymplegadas pellunt, vt ingrati ſuo baptiſmo præſumant
meliora ſuis operibus præſtare, quam alij ſua fide.

Pſal. 18. Quare & Deus rurſus cum peruerſis peruerſus, vlturus ingratitudinem
& ſuperbiam votariorum, facit, vt vota ſua non ſeruent, aut eum ingenti la- *Votarij.*
bore ſeruent, maneantq; in eis immerſi, nunquam fidei & Baptiſmi gratiam
cognoſcentes, & cum non ſit creditus cum Deo ſpiritus eorum, perſeuerent
in hypocriſi ſua in perpetuum, & tandem ludibrio ſint toti mundo, ſemper
iuſticiam ſectando, & ad iuſticiam nunquam perueniendo, vt impleant illud
Iſai. 2. Iſa. 2. Et terra repleta eſt idolis.

EGo ſane non prohibuerim nec repugnauerim, ſi quis priua-
tim arbitrio ſuo quippiam velit vouere, ne vota penitus contemnam aut
damnem, Sed publicum vitæ genus hinc ſtatui & confirmari, omnino
diſſuaſerim. Sufficit cuique vouendi priuata licentia periculo ſuo, Publicam
vero commendari rationem viuendi in votis vouendis, arbitror pernicioſum
eſſe Eccleſiæ & animabus ſimplicibus. Primum, quod non parum Chriſtia-
næ vitæ repugnet, in hoc quod votum eſt lex quædam ceremonialis & humā-
na traditio ſeu præſumptio, à qua Eccleſia per Baptiſmum liberata eſt, Chri- *Votum quid.*
ſtianus enim nulli legi addictus eſt, niſi diuinæ. Deinde quod non habeat ex-
emplum in Scripturis, præcipue caſtitatis, obedientiæ, paupertatis perpetuæ
votum. Quod autem è Scripturis exemplum non habet, periculoſum eſt, nul- *Votum caſtitatis.*
li prorſus ſuadendum, multo minus pro vulgari & publico viuendi genere
ſtatuendum, & ſi cuilibet audere ſuo periculo quod voluerit, ſit permitten-
dum. Opera enim quædam ſpiritus in paucis operatur, quæ in exemplum aut
viuendi modum neqnaqnam ſunt vocanda.

Sed & vehementer metuo, ne votiuæ iſtæ vouendi rationes reli-
gioſorum, ſint de numero eorum, de quibus Apoſtolus prædixit: *Erunt*
1. Tim. 4. *docentes in hypocriſi mendacium, probibentes nubere & abſtinere à cibis,*
quos

Digitized by Google

quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione, Nec mihi quiſquam obiecerit S. Bernardum, Franciſcum, Dominicum, & ſimiles religionum vel autores vel auctores. Terribilis & mirabilis eſt Deus in conſilijs ſuis ſuper filios hominum, potuit Danielem, Ananiam, Azariam, Miſael, in Babylonici regni (id eſt, in media impietate) adminiſtratione ſeruare Sanctos, Cur non potuiſſet & hos in periculoſo vitæ genere ſanctificare, aut ſingulari opere ſpiritus gubernate, quod tamen exemplum alijs fieri nollet? Et certum eſt, nullum illorum, per vota ſua & religionem fuiſſe ſaluatum, ſed per fidem ſolam, in qua omnes ſaluantur, contra quam maxime omnium pugnant ſpecioſæ illæ ſeruitutes votorum.

Bernardus.

Daniel.

SEd abundet hic ſenſu quiſque ſuo, Ego quod cœpi proſequar, cum pro libertate Eccleſiæ & gloria baptiſmi nunc loquar, in medium cōſulere debeo, quod ſpiritu Magiſtro intellexero. Quare conſulo, Primum magnatibus Eccleſiarum, vt omnia iſta vota ſeu vitas votariorum tollant, vel non probent & extollant. Aut ſi hoc non fecerint, ſuadeo omnibus, qui volunt ſecurius ſalui fieri, vt ſibi ab omnibus votis, præſertim magnis & perpetuis temperent, maxime adoleſcentes & iuuenes. Hoc conſulo primum, ideo, quod hoc vitæ genus, vt dixi, nullum habet in Scripturis teſtimonium & exemplum, ſed ſolis hominum Pontificum Bullis & vere Bullis, eſt inflatum. Deinde quod procliue ſit in hypocriſim, propter ſuam ſpeciem & ſingularitatem, vnde naſcitur ſuperbia & contemptus communis Chriſtianæ vitæ. Atque ſi nulla alia eſſet cauſa eadem vota tollendi, hæc vna ſatis haberet ponderis, Quod per ipſa fidei & baptiſmo detrahitur, & opera magnificantur, quæ ſine pernicie magnificari non poſſunt, Nam inter multa millia vix eſt vnus, qui non magis opera in religionibus ſuſpiciat quam fidem, qua inſania & ſeſe mutuo præferunt, tanquam ſtrictiores & laxiores, vt vocant.

Omnia vota tollenda.

Cur vota tollenda ſint.

Quare ego nulli ſuadeo, imo omnibus diſſuadeo ingreſſum cuiuscunque religionis aut ſacerdotij, niſi ſit ea ſcientia præmunitus, vt intelligat, opera quantumlibet ſacra & ardua religioſorum & ſacerdotum, in oculis Dei prorſus nihil diſtare ab operibus ruſtici in agro laborantis, aut mulieris in domo ſua curantis, Sed ſola fide omnia apud eum menſurari, ſicut Iere mi. 5. dicit: *Domine oculi tui reſpiciunt fidem.* Eccleſ. 32. In omni opere tuo crede ex fide animæ tuæ, hæc enim eſt conſeruatio mandatorum Dei, Imo frequentius contingere, vt gratius ſit ſerui aut ancillæ domeſticum & vile opus, quam omnia ieiunia & opera religioſi & ſacerdotis, ob fidei defectum. Cum ergo probabile ſit, vota hodie non niſi ad operum valere iactantiam & præſumptionem, metuendum eſt, nuſquam minus de fide & Eccleſia eſſe quam in ſacerdotibus, monachis & Epiſcopis, & eos ipſos eſſe reuera gentiles ſeu hypocritas, qui ſe Eccleſiam aut cor Eccleſiæ, item ſpirituales & rectores Eccleſiæ arbitrantur, cum ſint nihil minus. Et hunc eſſe vere populum tranſmigrationis, in quibus captiua ſunt omnia, quæ nobis in baptiſmo libera donata ſunt, relicto populo terræ paupere & modico, qui velut coniugatis contingit, viles in oculis illorum apparent.

Opera religioſorum &c.

Ierem. 5.

Eccleſ. 32.

Populus tranſmigrationis.

EX his duos inſignes errores Romani Pontificis cognoſcimus, Prior, quod diſpenſat in votis, faciteq; id, quaſi ſolus præ omnibus Chriſtianis habeat autoritatem, Tanta eſt hominum impiorū temeritas & audacia, Si enim votum diſpenſari poteſt, quilibet frater cum proximo, & ipſe ſecum, diſpenſare poteſt, Sin diſpenſare proximus non poteſt, nullo iure Papa poteſt. Vnde enim habet hanc autoritatem? Ex clauibus? At hæ omnibus communes ſunt, & ſuper peccata duntaxat valent, Matth. 18. Cum autem & ipſi fateantur, vota eſſe iuris diuini, quid miſeras fallit & perdit animas

Papa diſpenſat in votis.

Claues omnibus communes.

Matth. 18.

diſpen-

diſpenſans in iure diuino, quod eſt indiſpenſabile? Blaterat quidem tit. de vot. & voti redem. ſe poſſe mutare vota, ſicut olim in Lege primogenitum aſini mutabatur oue. Quaſi idem ſit primogenitum aſini & votum, quod tam conſtanter vbique exigit reddi. Aut ſi Dominus in lege ſua ouem pro aſino ſtatuat mutari, mox etiam homo Papa, in lege non ſua, ſed eiuſdem Dei, eandem habeat poteſtatem. Non Papa hanc decretalem fecit, ſed aſinus pro Papa mutatus, ſic inſigniter & delyrus & impius eſt.

Poſterior, quod rurſus decernit Matrimonium dirimi, ſi alter altero etiam inuito, monaſterium ingrediatur, nondum conſummato matrimonio. Obſecro, Quis Satan hæc inſpirat Papæ portenta? Deus præcipit homini ſeruari fidem, & veritatem inuicem cuſtodire. Deinde de ſuo quenq; facere bonum, odit enim rapinam in holocauſtum, vt per Iſaiam dicit. At coniunx alter alteri per pactum, fidem debet, nec ſuus eſt, quam nullo iure poteſt diſſoluere. & quicquid de ſe facit, de rapina facit, altero inuito, Aut quare non etiam hac Regula, qui ære alieno premitur, religionem intrat & ſuſcipitur, vt à debitis liberetur, vt fidem liceat negare? Cæci, cæci, Quid eſt maius? fides à Deo præcepta, an votum per hominem excogitatum & electum? Tu es Paſtor animarum Papa? & vos eſtis Doctores ſacræ Theologiæ, qui hæc docetis? Qua enim cauſa ſic docetis? Nempe quod votum meliore opere quam coniugium ornaſtis, ſed non fidem, quæ ſola magnificat omnia, ſed opera magnificatis, quæ nihil ſunt coram Deo, aut omnia æqualia, quantum ad meritum attinet.

Papa dirimit matrimonium.

Fides, Votum.

Ego itaque non dubito, in votis, ſi recta ſunt, neque homines neque Angelos poſſe diſpenſare. Sed hic non ſum plane mihi ipſi perſuaſus, an ea ſub voto cadant omnia, quæ hodie vouentur. Quale eſt illud mire ridiculum & ſtultum, quod parentes vouent prolem vel nondum natam vel infantem, ad religionem ſeu perpetuam caſtitatem, imò hoc ſub nullo voto cadere certum eſt, & videtur eſſe quædam irriſio Dei, dum ea vouent, quæ nullo modo in ſua ſunt poteſtate. Ad Religioſos venio, quorum tria vota, quo magis conſidero, eo minus intelligo, miror que vnde inoleuerit iſta votorum exactio. Iam hoc multo minus intelligo, quo ætatis anno voueri poſſint, vt legitima ſint & valeant. In hoc placet conueniſſe omnes, ante annos pubertatis nihil valere vota eorum, licet magnam partem puerorum hic fallant, ignaram tam ſuæ ætatis, quam rei quam vouent. Non enim obſeruant in ſuſcipiendis annos pubertatis, tum profeſſos dira conſcientia, quaſi conſenſu poſtea ſecuto captiuos tenent & deuorant, quaſi votum quod irritum fuit, tandem ratum fiat ſuccedentibus annis.

Stultum quorundam parentum votum &c.

Tria vota religioſorum.

At mihi ſtultum videtur, ab alijs præſtitui terminum legitimi voti alterius, qui ſibiipſis non poſſunt præſtituere. Nec video, cur valeat votum decimo octauo anno factum, & non decimo aut duodecimo. Nec ſatis facit, quod decimo octauo ſentit homo carnem ſuam, Quid ſi vix viceſimo aut triceſimo ſentiat, aut fortius triceſimo quam viceſimo ſentiat? Aut cur non definitur æque terminus, paupertati & obedientiæ? Sed quod tempus dabis, quo ſe auarum & ſuperbum ſentiat, cum etiam ſpiritualiſſimi hos affectus vix deprehendant? Ergo nunquam erit vllum votum certum & legitimum, niſi donec ſpirituales facti fuerimus, & votis iam non eguerimus. Vides itaque, res iſtas incertas & periculoſiſſimas eſſe, vnde ſalutare Conſilium foret, has ſublimes viuendi rationes votis liberas, ſoli ſpiritui relinquere, ſicut olim fuerunt, & nequaquam in genus quoddam perpetuæ vitæ mutandas eſſe. Verum hæc interim de baptiſmo & libertate eius ſatis, Suo forte venient tempore vota latius tractanda, vt ſunt reuera tractatu vehementer neceſſaria.

DE

Digitized by Google

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

TErtio loco de Pœnitentiæ ſacramento dicendum, in qua re, editis iam Tractatulis & Diſputationibus ſatis multos offendi, & quid in ea ſentirem abunde expoſui. Nunc breuiter repetenda, pro tyrannide reuelanda, quæ nō parcius hic graſſatur, quam in Sacramento panis. In his enim duobus Sacramentis, quia lucrum & quæſtus locum habenr, incredibili negotio inſaniuit auaritia Paſtorum in oues Chriſti, quanquam, vt iam de voris vidimus, & baprismus vt auaritiæ ſeruiretur, miſere occubuit in adultis.

Pœnitentiæ ſacramentum prorſus abolitum. Primum huius Sacramenti & capitale malum eſt, quod Sacramentum ipſum in totum aboleuerunt, ne veſtigio quidem eius relicto. Nam cum & ipſum, ſicut & alia duo, conſtet, verbo promiſſionis diuinæ & fide noſtra vtrunque ſubuerterunt, Nam verbum promiſſionis, vbi Chriſtus dicit Matth. 16. *Quodcunq; ligaueris &c. & 18. Quodcunq; ligaueritis &c.* Et Iohan. vlt. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis &c.* Quibus prouocatur fides pœnitentium, pro remiſſione peccatorum impetranda, ſuæ tyrannidi aptauerunt. Vniuerſis enim ſuis Libris, Studijs, Sermonibus, non hoc egerunt, vt docerent, quid Chriſtianis in his verbis promiſſum eſſet, quid credere deberēt, & quantum conſolationis haberent, ſed quam late, longe, profunde ipſi potentia & violentia tyranniſarent, Donec quidam & Angelis in cœlo cœperint mandare, & iactent incredibili & furentiſſima impietate ſe cœleſtis & terreni Imperij iura in his accepiſſe, atq; in cœlis etiam ligandi poteſtatem habere. Ita prorſus nihil de fide ſalutari populi, ſed de poteſtate tyrannica Pontificū omnia blaterant, cum Chriſtus nihil de poteſtate, ſed de fide omnia agat. Matth. 16. Matth. 18. Iohan. 20.

Clemens VI.

Chriſtus non imperia ſed myſterium conſtituit in Eccleſia. Non enim Imperia, non poteſtates, non dominationes, ſed miniſteria in Eccleſia ſua conſtituit, ſicut ex Apoſtolo didicimus, dicente: Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti & diſpenſatores myſteriorum Dei. Quare ſicut ibi cum dicit: Quicunque crediderit & baptiſatus fuerit, ſaluus erit, fidem prouocauit Baptiſandorum, vt hoc promiſſionis verbo homo certus ſit, ſi baptiſaretur credens, ſalutem ſeſe conſecuturum, vbi nihil prorſus poteſtatis tributum, ſed miniſterium duntaxat baptiſantium inſtitutum ſit. Ita hic cum dicit: Quodcunq; ligaueris &c. fidem prouocat pœnitentis, vt hoc promiſſionis verbo certus ſit, ſi ſolueretur credens, vere ſolutum ſe eſſe in cœlo, vbi plane nihil poteſtatis, ſed miniſterium tangitur abſoluentis. Et ſatis mirum eſt, quid accideret cæcis illis & arrogantibus hominibus, vt ex promiſſione baptiſmali non etiam ſibi tyrannidem arrogarint, aut ſi hinc non arrogant, cur in pœnitentiali promiſſione id præſumpſerint, cum vtrobique ſit par miniſterium, ſimilis promiſſio, eadem Sacramenti ratio, vt non poſſis negare, ſi Baptiſmus non ſoli Petro debetur, etiam claues impia tyrannide ſoli Papæ arrogari? 1. Cor. 4.

Qui crediderit &c.

Quodcunque ligaueris &c.

Hoc eſt corpus meum. Ita cum dicit: Accipite, hoc eſt corpus meum, quod pro vobis traditur, Hic eſt Calix in ſanguine meo &c. fidem prouocat manducantium, vt his verbis per fidem firmata conſcientia, certi ſint ſeſe remiſſionem peccatorum accipere, ſi manducauerint. Nec hic aliquid poteſtatis ſonat, ſed ſolum miniſterium. Sed baptiſmi promiſſio vtcunque vel infantibus permanſit, panis & calicis promiſſio extincta, in auaritiæ ſeruitutem migrauit, & ex fide

opus,

opus,ex teſtamento ſacrificium natum eſt, Pœnitentiæ promiſſio abijt in tyrannidem violentiſſimam,& imperium plus quam temporale ſtatuendum.

Non hoc contenta Babylonia noſtra,fidem quoq; adeo extinxit,vt impudenti fronte eam negaret neceſſariam eſſe in Sacramento iſto, imo Antichriſtica impietate definiret hæreſim eſſe,ſi fidem neceſſariam quis eſſe aſſereret. Quid amplius potuit tyrannis iſta facere,& non fecit? Vere ſuper flumina Babylonis ſedemus & flemus,dum recordamur tui Zion, In ſalicibus in medio eius,ſuſpendimus organa noſtra, Maledicat Dominus ſteriles iſtas ſalices fluminum iſtorum, Amen. Obliteratis itaque ac ſubuerſis promiſſione & fide,videamus quid ſubſtituerint in locum earum. Tres partes dederunt pœnitentiæ,Contritionem,confeſſionem,ſatisfactionem,Sed ſic, vt in ſingulis ſi quid boni ineſſet tollerent, & in eiſdem quoque ſuam libidinem & tyrannidem conſtituerent.

Pſal. 134.

Babylonica

Tres partes pœnitentiæ

PRincipio,Contritionem ſic docuerunt, vt eam fide promiſſionis priorem facerent,& longe meliorem,vt quæ non eſſet fidei opus,ſed meritum,imo non memorantur eam. Sic enim operibus inhæſerunt & exemplis Scripturarum,in quibus leguntur multi veniam conſecuti, propter cordis contritionem & humilitatem,ſed non aduertunt fidem,quæ contritionem & dolorem cordis operata eſt,Sicut de Niniuitis Ionæ 2.ſcribitur: Et crediderunt viri Niniuitæ in Domino,& prædicauerunt ieiunium &c. His audaciores & peiores finxerunt quandā Attritionem,quæ virtute clauium (quam ignorant) fieret contritio,eam donant impijs & incredulis,vt ſic vniuerſa cōtritio aboleretur. O iram Dei inſuſtentabilem,hæccine in Eccleſia Chriſti doceri? Sic ſecuri & fide & opere eius abolito in doctrinis & opinionibus hominū incedimus,imo perimus. Magna res eſt cor contritum, nec niſi ardentis in promiſſionē & comminationem diuinam fidei,quæ veritatem Dei immobilem intuita,tremefacit,exterret,& ſic conterit conſcientiam, rurſus exaltat & ſolatur ſeruatq; contritā,vt veritas comminationis ſit cauſa contritionis,veritas promiſſionis ſit ſolatij,ſi credatur,& hac fide homo mereatur peccatorum remiſſionem. Proinde fides ante omnia docenda & prouocanda eſt,fide autem obtenta,contritio & conſolatio ineuitabili ſequela ſua ſponte venient.

Contritio.

Ionæ 2.

Niniuitæ

Attritio

Cor contritum

Quare,etſi nonnihil docent,qui ex peccatorum ſuorum(vt vocant) collectu & conſpectu,contritionem parandam docent,periculoſe tamen & peruerſe docent,dum non ante principia & cauſas docent contritionis, nempe diuinæ comminationis & promiſſionis veritatem immobilem ad fidem prouocandam,vt intelligant,multo maiori negotio ſibi veritatem diuinam eſſe ſpectandam,vnde humilientur & exaltentur,quam peccatorum ſuorum turbam,quæ ſi citra veritatē Dei ſpectentur,potius refricabunt & augebunt peccati deſiderium,quam contritionem parent. Taceo hic inſuperabile chaos laboris,quod nobis impoſuerunt, ſcilicet vt omnium peccatorum formemus contritionem,cum hoc ſit impoſſibile,& minorum partem peccatorum ſcire poſſimus,deniq; & bona opera inueniantur eſſe peccata,iuxta illud Pſal. 143. Non intres in iudicium cum ſeruo tuo, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. Satis enim eſt,ſi ea doleamus peccata, quæ præſente conſcientia mordent,& facili proſpectu memoriæ cognoſcuntur. Nam qui ſic affectus eſt,abſq; dubio paratus eſt de omnibus dolere & timere,dolebitque ac timebit,vbi in futurum reuelata fuerint.

Principia contritionis.

Pſalm. 143.

Caue ergo in contritionem tuam confidas, aut dolori tuo tribuas remiſſionem peccatorum. Non reſpicit te propter hæc Deus,ſed propter fidem, qua minis & promiſſis eius credidiſti,quæ operata eſt dolorem eiuſmodi, Ac per hoc non diligentiæ peccatorum collectrici, ſed veritati Dei & fidei noſtræ debetur,quidquid boni in Pœnitentia fuerit. Cætera omnia ſunt opera & fru-

Contritio. Fides.

& fructus,quæ ſua ſponte ſequuntur,& bonum hominem non faciunt, ſed à bono iam per fidem veritatis Dei facto fiunt, Sic fumus aſcendit in ira eius, quia iratus montes conturbat & ſuccendit,vt Pſalm.18.dicitur,prior eſt terror comminationis,qui ſuccendit impios,hanc fides acceptans fumat contritionis nebulam &c.

Pſalm.18.

Contritio tamen minus tyrannidi & quæſtui,ſed in totum impietati & doctrinis peſtilentibus patuit.Confeſſio vero & ſatisfactio egregiæ officinæ factæ ſunt lucri & potentiæ.De cōfeſſione prius.Non eſt dubiū,Confeſſionem peccatorum eſſe neceſſariam,& diuinitus mandatam Matth.3.Baptiſabantur à Iohanne in Iordane,confitentes peccata ſua. 1.Ioh.1.Si confeſſi fuerimus peccata noſtra,fidelis eſt & iuſtus,qui remittat nobis peccata noſtra; Si dixerimus quia non peccauimus,mendacem eum facimus. & verbum eius in nobis non eſt. Si enim Sanctis non licet negare peccatum ſuum, quanto magis publicis aut magnis peccatis obnoxios oportet confiteri? Sed omnium efficaciſſime Matth.18. Inſtituta confeſſio probatur,vbi Chriſtus docet, Fratrem peccantem corripiendum,prodendum,accuſandum,& ſi non audierit, excommunicandum. Tunc enim audiet, quando agnoſcet & confitebitur peccatum ſuum, correptioni cedens.

Confeſſio peccatorum. *Matth.3.* *1.Iohan.1.* *Matth.18.*

Confeſſio occulta.

Occulta autem confeſsio,quæ modo celebratur, etſi probari ex Scriptura non poſſit,miro modo tamen placet,& vtilis imo neceſſaria eſt, nec vellem eam non eſſe,imo gaudeo eam eſſe in Eccleſia Chriſti,cum ſit ipſa afflictis conſcientijs vnicum remedium. Siquidem detecta fratri noſtro conſcientia & malo,quod latebat,familiariter reuelato,verbum ſolatij recipimus ex ore fratris,à Deo prolatum,quod fide ſuſcipientes pacatos nos facimus, in miſericordia Dei per fratrem nobis loquentis. Hoc ſolum deteſtor,Eſſe eam confeſſionem in tyrannidem & exactionem Pontificum redactam. Nam & occulta ſibi reſeruant, Deinde nominatis à ſe Confeſſoribus reuelari mandāt, ad vexandas ſcilicet hominum conſcientias,ſolum Pontificantes,officijs veris Pontificum prorſus (quæ ſunt Euangeliſare, & pauperes curare) contemptis. Quin ea potiſſimum reſeruant ſibi impij Tyranni,quæ minoris ſunt momenti, magna vero paſſim relinquunt vulgo ſacerdotum. Qualia ſunt ridicula illa & conficta in Bulla cœnæ Domini. Imo quò ſit manifeſtior peruerſitatis impietas,ea quæ contra cultum Dei,fidem & prima præcepta ſunt,non modo non reſeruant,ſed & docent & probant, Qualia ſunt diſcurſus illi peregrinationum,cultus peruerſi Sanctorum,mendaces legendæ Sanctorum, varia fiducia & exercitia operum & ceremoniarum, Quibus omnibus fides Dei extinguitur, & idolatria fouetur,ſicut eſt dies hæc. Vt Pontifices hodie alios non habeamus,quam quales olim Ieroboam in Dan & Berſabee conſtituit, vitulorum aureorum miniſtros,vt qui legem Dei,fidem, & quidquid ad paſcendas oues Chriſti pertinet,ignorantes,ſua tantum inuenta populis in timore & poteſtate inculcant.

Officium Epiſcoporum. *Bulla cœnæ Domini.* *Pontifices.*

Ego etſi violentiam iſtam Reſeruatorum ferendam eſſe ſuadeo, ſicut & vniuerſas omnium tyrannides ferre iubet Chriſtus, & his exactoribus parendum eſſe docet,Tamen ius reſeruandi eos habere, nego neque credo, Quod nec vno apice aut iota poſſunt probare, ego autem contrarium probo. Primum, Si Chriſtus Matth.18.de publicis peccatis dicit,nos eſſe lucratos animam fratris,ſi correptus nos audierit, nec prodendum Eccleſiæ, niſi audire noluerit,& ita inter fratres peccatum emendari poteſt, Quanto magis de occultis verum erit,ipſum tolli, ſi fratri frater ſponte confeſſus fuerit, vt non ſit neceſſe Eccleſiæ,id eſt,Prælato aūt ſacerdoti (vt ipſi garriunt interpretantes) idipſum prodere? In quam ſententiam & aliam habemus Chriſti autoritatem, dicentis ibidem;Quodcunq; ligaueritis ſuper terram,ligatum erit & in cœlis,

Si peccauerit in te frater tuus &c. *Quodcunque ligaueritis &c.*

& quod-

& quodcunque ſolueritis ſuper terram, ſolutum erit & in cœlis. Hoc enim omnibus & ſingulis Chriſtianis dictum eſt, vbi & iterum in idem dicit: Rurſum dico vobis, Si duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re, quamcunque petierint, fiet illis à Patre meo, qui eſt in cœlis. At frater fratri occulta ſua pandens, & veniam petens, certe cum fratre ſuper terram conſentit in veritate, quæ Chriſtus eſt. De quo adhuc clarius ibidem prædicta confirmans, dicit: Amen enim dico vobis, vbi fuerint duo aut tres in nomine meo congregati, in medio eorum ſum ego.

Proinde ego non dubito eum eſſe à peccatis ſuis occultis abſolutum, quiſquis ſiue ſponte confeſſus, ſiue correptus, veniam petierit & emendauerit, coram quouis priuatim fratre, Quidquid contra hæc inſanierit Pontificum violentia, quando Chriſtus & manifeſte dedit abſoluere cuilibet ſuo fideli. Adde & ratiunculam, Si occultorum valeret reſeruatio vlla, vt niſi eis remiſſis, non eſſet ſalus, maxime illa impedirent ſalutem, quæ ſupra memoraui, ipſa etiam bona opera & idolatriæ, quas à Pontificibus docemur hodie, Quod ſi hæc non impediunt grauiſſima, quanto minus & illa ſtultiſſime reſeruantur leuiora? Verum ignorantia & cæcitas Paſtorum operantur hæc portenta in Eccleſia. Quare ego principes iſtos Babylonis & Epiſcopos Bethauen monerem, ſibi temperent à reſeruandis caſibus quibuſcunque. Deinde de occultis audiendæ confeſſionis facultatem permittant liberrimam omnibus fratribus & ſororibus, vt peccator, cui voluerit, ſuum peccatum reuelet, veniam & ſolatium, id eſt, verbum Chriſti ex ore proximi petiturus. Nihil enim agunt his ſuis temeritatibus, quam vt conſcientias infirmorũ ſine cauſa illaqueent, ſuam tyrannidem impiam ſtabiliant, & è peccatis ac perditione fratrum auaritiam ſuam paſcant. Sic enim ſanguine animarum contaminant manus ſuas, & filij deuorantur à parentibus, & Ephraim deuorat Iudam, & Syria Iſraelem toto ore, vt Iſaias dicit.

Ignorantia & cæcitas Pontificum.

His malis adiecerunt circumſtantias, item matres, filias, ſorores affines, ramos, fructus peccatorum, excogitata ſcilicet per acutiſſimos & ocioſiſſimos homines, etiam in peccatis arbore quadam conſanguinitatis & affinitatis, tam fœcunda eſt impietas & inſcitia. Abijt enim iſta cogitatio, cuiuſcunque nebulonis fuerit, in publicam legem, ſicut & multa alia. Sic enim ſuper Eccleſiam Chriſti vigilant Paſtores vt quidquid vel ſomniauerint ſuperſtitionis aut operis noui deuotarij illi ſtultiſſimi, mox prodirum, ornent etiam indulgentijs, & muniant Bullis. Tantum abeſt vt inhibeant, & populo Dei ſynceram fidem & libertatem cuſtodiant, Quid enim libertati & tyrannidi Babyloniæ?

Peccatorum circumſtantiæ.

At ego, quidquid eſt circumſtantiarum, conſuluerim, penitus contemnere. Apud Chriſtianos vna eſt circumſtantia, quæ eſt, peccaſſe a fratrem. Nulla enim perſona fraternitati Chriſtianæ comparanda eſt, nec aliquid aliud facit obſeruatio locorum, temporum, dierum, perſonarum, & ſi qua alia eſt inflatura ſuperſtitioſa, quam vt magnificet ea, quæ nihil ſunt, in iniuriam eorum, quæ omnia ſunt, quaſi quid grauius aut maius eſſe poſſit fraternitatis Chriſtianæ gloria, ita affigunt nos locis & diebus & perſonis, vt vileſcat fraterni nominis opinio. Et pro libertate captiuitatem ſeruiamus, nos quibus omnes dies, loci, perſonæ & quidquid externum eſt, æqualia ſunt.

a Alij in fratrem.

Satisfactionem quam indigne tractarint, abunde dixi in cauſis indulgentiarum, qua egregie ſunt abuſi, ad perdendos Chriſtianos in corpore & anima. Primum eam ſic docuerunt, vt populus veram ſatisfactionem non intelligeret vnquam, quæ eſt innouatio vitæ. Deinde ſic inſtant & neceſſariam faciunt, vt fidei in Chriſtum non relinquant locum, miſerrime excarnificatis eo ſcrupulo conſcientijs, alio currente ad Romam, alio huc,

Satisfactio.

Ecce hic eſt Chriſtus.

allo illuc, illo in Carthuſiam, illo in alium locum, alio virgis ſe flagellante, alio corpus ſuum vigilijs & ieiunijs occidente, Omnibus vno furore dicentibus: Ecce hic & hic eſt Chriſtus, & regnum Dei, quod intra nos eſt, cum obſeruatione venturum putantibus. Quæ monſtra tibi debemus, Romana ſedes, & tuis homicidis legibus & ritibus, quibus mundum totum eo perdidiſti, vt arbitrentur ſeſe poſſe Deo per opera pro peccatis ſatisfacere, cui ſola fide cordis contriti ſatisfit, quam tu his tumultibus non ſolum tacere facis, ſed opprimis etiam, tantum vt habeat ſanguiſuga tua inſatiabilis, quibus dicat: Affer, affer, & peccata vendat.

Proceſſerunt ex his quidam ad eas deſperationis machinas, animabus parandas, vt ſtatuerent, omnia peccata denuo eſſe repetenda confitenti, pro quibus iniuncta ſatisfactio eſſet neglecta. Et quid non auderent, qui in hoc nati fuerunt, vt nihil non decies captiuarent? Porro, quanta, quæſo, pars ea eſt

Preculæ à ſacerdote impoſitæ.

imbuta opinione, ſe eſſe in ſtatu ſalutis, & pro peccatis ſatisfacere, ſi preculas à ſacerdote impoſitas vocetenus murmurauerit? etiamſi interim nec cogitet quidem vitæ rationem emendare. Vno enim momento contritionis & confeſſionis mutatam eſſe vitam credunt, ſupereſſe vero tantum, vt ſatisfaciant

Mortificatio carnis.

pro præteritis peccatis. Quomodo aliter ſaperent, qui aliud non docentur? Nihil hic de mortificatione carnis cogitatur, nihil valet exemplum Chriſti, qui Adulteram abſoluens dixit: Vade, & amplius noli peccare, crucem ſcilicet carnis mortificandæ ei imponens. Huic peruerſitati dedit occaſionem non modicam, quod peccantes abſoluimus ante ſatisfactionem impletam, qua fit, vt magis ſoliciti ſint de implenda ſatisfactione, quæ durat, quam de contritione, quam tranſiſſe inter confitendum credunt. Cum econtra, abſolutionem oporteat eſſe, ſicut erat in primitiua Eccleſia, poſteriorem, ſatisfactione impleta, quo fiebat, vt opere ceſſante, poſtea magis in fide & nouitate vitæ exercerentur. Verum de ijs ſatis repetitum eſto, quæ ſuper Indulgentijs latius dixi, atque hæc in totum de tribus iſtis Sacramentis interim retuliſſe ſatis ſit, quæ tam multis & noxijs Libris ſententiarijs & iuridicis tractantur & non tractantur, Supereſt, de reliquis quoque Sacramentis aliquid tentare, ne ſine cauſa videar ea reieciſſe.

DE CONFIRMATIONE.

Sacramentum confirmationis.

Mirum eſt, quid in mentem illis venerit, vt Sacramentum confirmationis facerent ex impoſitione manuum, qua legimus Chriſtum paruulos tetigiſſe, Apoſtolos dediſſe Spiritum ſanctum, ordinaſſe presbyteros, & infirmos curaſſe, vt ad Timotheum ſcribit Apoſtolus: Nemini manus cito impoſueris. *1. Timoth. 5.* Cur non ex Sacramento panis etiam Confirmationem fecerunt, quando ſcriptum eſt Actor. 9. Et cum accepiſſet cibum confortatus eſt. *Actor. 9.* Et Pſalm. 104. Et panis cor hominis confirmet, *Pſalm. 104.* *Matt. ult.* Vt ſic confirmatio tria complectatur Sacramenta, panem, ordinem, & ipſam confirmationem? Si autem Sacramentum eſt, quidquid Apoſtoli fecerunt, cur non magis prædicationem fecerunt Sacramentum?

Non hæc dico, quod damnem Sacramenta ſeptem, ſed quod è Scripturis ea probari negem. Atque vtinam eſſet in Eccleſia talis manuum impoſitio,

Impoſitio manuum.

qualis erat Apoſtolorum tempore, ſiue eam confirmationem ſiue curationem appellare vellemus, At nunc nihil eis relictum eſt, niſi quantum ipſi excogitaui-

cogitauimus, pro ordinandis officijs Epiſcoporum, ne penitus ſint ſine opere in Eccleſia. Poſtquam enim Sacramenta illa negocioſa vna cum verbo, alijs inferioribus, vt viliora reliquerunt (nempe quod quidquid diuina inſtituit Maieſtas hominibus oporteat eſſe contemptum) iuſtũ fuit, vt facile aliquod, quod tam delicatis & magnis Heroibus non eſſet moleſtum, inueniremus, & nequaquam ceu vile inferioribus committeremus. Nam quod humana ſtatuit ſapientia, oportet vt hominibus ſit honoratum. Ita quales ſunt ſacerdotes, tale habeant miniſterium & officium. Nam Epiſcopus non euangeliſans, nec animas curans, quid eſt, niſi idolum in mundo, habens nomen & figuram Epiſcopi? *Epiſcopus non docens Euangelium.*

Nos autem pro hac vice, Sacramenta diuinitus inſtituta quærimus, inter quæ vt confirmationem numeremus, nullam inuenimus cauſam. Ad Sacramenti enim conſtitutionem ante omnia requiritur verbum diuinæ promiſſionis, quo fides exerceatur. At nihil legimus Chriſtum vſpiam de confirmatione promiſiſſe, licet ipſe multis impoſuerit manus, & Marci vlt. inter ſigna ponat: Manus ægris imponent, & bene habebunt. At hæc nemo Sacramento, ſicut nec poteſt, aptauit. Quare ſatis eſt pro ritu quodam Eccleſiaſtico ſeu ceremonia Sacramentali confirmationem habere, ſimilem cæteris ceremonijs conſecrandæ aquæ, aliarumque rerum. Nam ſi omnis alia creatura ſanctificatur per verbum & orationem, cur non multo magis hominem liceat ſanctificari eiſdem, quæ tamen, quia promiſſionem diuinam non habent, Sacramenta fidei dici non poſſunt? Neque enim ſalutem operantur, At Sacramenta ſeruant credentes promiſſioni diuinæ.

DE MATRIMONIO.

Matrimonium non ſolum ſine vlla Scriptura pro Sacramento cenſetur, verum eiſdem traditionibus, quibus Sacramentum eſſe iactatur, merum ludibrium factum eſt, de quo aliquid videamus. Diximus, in omni Sacramento haberi verbum promiſſionis diuinæ, cui credi oporteat ab eo, qui ſignum ſuſcipit, nec ſolum ſignũ poſſe Sacramentum eſſe. Nuſquam autem legitur, aliquid gratiæ Dei acceptarum, quiſquis vxorem duxerit, Quin nec ſignum eſt diuinitus inſtitutum in Matrimonio, Nec n. vſpiam legitur à Deo inſtitutum, vt aliquid ſignificaret, licet omnia, quæ viſibiliter geruntur, poſſint intelligi figuræ & allegoriæ rerum inuiſibilium. At figura aut allegoria non ſunt Sacramenta, vt nos de Sacramentis loquimur. *Sacramentum Matrimonij.*

Deinde cum matrimonium fuerit ab initio mundi, & apud infideles adhuc permaneat, nullæ ſubſunt rationes, vt Sacramentum nouæ legis & ſolius Eccleſiæ poſſit dici. Non minus enim erant matrimonia Patrum ſancta, quam noſtra, nec minus vera infidelium, quam fidelium, nec tamen in eis ponunt Sacramentum. Ad hæc ſunt apud fideles quoque impij coniuges, quibus ſuis gentibus peiores, cur hic Sacramentum dici debet, & non apud gentiles? An de baptiſmo & Eccleſia ſic nugabimur, vt ſicut quidam delirant, imperium temporale non eſſe niſi in Eccleſia, ita matrimonium non eſſe Sacramentum niſi in Eccleſia, dicamus? Puerilia ſunt hæc & ridicula, per quæ noſtram inſcitiam & temeritatem infidelibus riſui exponimus. *Matrimonia fidelium & infidelium, æquè vera.*

Epheſ. 5. AT dicent, Apoſtolus dicit Epheſ. 5. Erunt duo in carne vna, Sacramentũ hoc magnum eſt. Tu ne ergo tam euidenti Apoſtoli verbo *Sacramentum hoc magnum eſt.*

contradices? Reſpondeo, & hoc Argumentum eſſe magnæ oſcitantiæ & indiligentis inconſultæq; lectionis. Non enim habet vniuerſa Scriptura ſancta hoc nomen (Sacramentum) in ea ſignificatione, qua noſter vſus, ſed in contraria. Vbiq; enim ſignificat, non ſignum rei ſacræ, ſed rem ſacram, ſecretam & abſconditam. Sic Paulus 1. Corin. 4. Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti & diſpenſatores myſteriorum Dei, id eſt, Sacramentorum. Vbi enim nos habemus Sacramentum, in græco myſterium ponitur, quod aliquando transfert Interpres, aliquando dimittit græcam vocē, vnde & hic in græco dicitur: *Erunt duo in carne vna, myſterium hoc magnum eſt.* Quæ res fuit occaſio, vt Sacramentum nouæ legis intelligerent, longe aliud facturi, ſi myſterium legiſſent, vt in græco eſt.

Sacramentum.

1. Cor. 4.

Paulus vocat Chriſtum Sacramentum.

Sic 1. Tim. 3. Chriſtum ipſum vocat Sacramentum, dicens: Et manifeſte magnum Sacramentum (id eſt, myſterium) eſt, quod manifeſtatum eſt in carne, iuſtificatum eſt in Spiritu, apparuit Angelis, prædicatum eſt gentibus, creditum eſt mundo, aſſumptum eſt in gloria. Cur non & hinc octauum nouæ legis hauſerunt Sacramentum, cum tam claram haberent autoritatem Pauli? Aut ſi hic ſe continuerunt, vbi oportuniſſime potuerunt copioſi eſſe in Sacramentis inueniendis, cur illic ita luxuriant? ſcilicet ignorantia tam rerum quam verborum eos fefellit, quo in ſolo verborum ſono, imo opinionibus ſuis hæſerunt. Cum enim ſemel Sacramentum pro ſigno accepiſſent humano arbitrio, mox ſine omni iudicio & ſcrupulo ſignum ex eo fecerunt, vbicunq; in ſacris literis legerunt. Quales verborum ſignificationes & humanas conſuetudines & alias in literas ſacras inuexerunt, eaſq; in ſua ſomnia transformauerunt, quodlibet ex quolibet facientes. Sic perpetuo deſipiunt in verbis illis, opus bonum, opus malum, peccatum, gratia, iuſticia, virtus, & fere quidquid eſt capitalium rerum & verborū. Omnibus n. his vtuntur ſuo arbitrio, ex hominū ſcriptis aſſumpto, in perniciē & veritatis Dei & ſalutis noſtræ.

1. Tim. 3.

Myſterium.

Igitur Sacramentum & myſterium apud Paulum eſt ipſa ſapientia ſpiritus, abſcondita in myſterio, vt 1. Cor. 2. dicit: Quæ eſt Chriſtus, qui ob idipſum etiam non cognoſcitur principibus huius mundi, vnde & eum crucifixerunt, & adhuc manet eis ſtultitia, ſcandalum, lapis offenſionis, & ſignum cui contradicitur. Horum myſteriorum diſpenſatores vocat prædicatores, quia prædicant Chriſtum, virtutem & ſapientiam Dei, ſed ita, vt niſi credas, non comprehendas. Ideo Sacramentum myſterium ſecretaq; res eſt, quæ verbis indicatur, ſed fide cordis capitur. Tale eſt, quod præſente loco dicitur: *Erunt duo in carne vna*, Sacramentum hoc magnum eſt, quod illi de matrimonio dictum putant, cum ipſe Paulus ea verba de Chriſto & Eccleſia induxerit, & ſeipſum clare expoſuerit dicens: *Ego autem dico in Chriſto & Eccleſia.* Ecce quam concordant Paulus & illi, Paulus Sacramentum magnum in Chriſto & Eccleſia ſe prædicare dicit, illi vero in maſculo & fœmina prædicant. Si ſic licet in ſacris literis libidinari, quid mirum, ſi quodlibet in ea vel centum Sacramenta liceat inuenire?

1. Cor. 2.

Diſpenſatores myſteriorum.

Chriſtus & Eccleſia myſterium.
Cœli
Sol.
Aqua.

Chriſtus itaq; & Eccleſia, myſterium, id eſt, res ſecreta eſt & magna, quæ figurari quidem per matrimonium ceu reali quadam allegoria potuit & debuit, ſed matrimonium non hinc Sacramentum dici debuit. Cœli ſunt figura Apoſtolorum, vt Pſal. 19. dicitur, Et ſol Chriſti, Aquæ populorum, ſed non ideo Sacramenta ſunt, Vbiq; enim deeſt & inſtitutio & promiſſio diuina, quæ integrant Sacramentum. Vnde Paulus Ephe. 5. verba illa de matrimonio Gene. 2. dicta vel proprio ſpiritu ad Chriſtum trahit, vel generali ſententia etiam ſpiritnale matrimonium Chriſti in eo traditum docet dicens: Sicut Chriſtus fouet Eccleſiam, quia membra ſumus corporis eius, de carne eius & de

Pſal. 19.
Ephe. 5.
Gen. 2.

oſſibus

Digitized by Google

oſſibus eius. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem ſuam, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna. Sacramentum hoc magnum eſt, Ego dico in Chriſto & Eccleſia. Vides vt hunc totum textum de Chriſto velit à ſe dictum, & de induſtria Lectorem monet, vt Sacramentum in Chriſto & Eccleſia intelligat, non in matrimonio. *Ephe. 5.*

Fateor quidem & in veteri lege fuiſſe Sacramentum pœnitentiæ, imo ab initio mundi. Verum promiſſio noua pœnitentiæ, & donatio clanium nouæ legis propria eſt. Sicut enim pro circumciſione baptiſmum, ita pro ſacrificijs aut alijs ſignis pœnitentiæ nunc claues habemus. Diximus enim ſuperius, Eundem Deum pro diuerſis temporibus diuerſas promiſſiones, diuerſaque ſigna dediſſe, pro remittendis peccatis & ſaluandis hominibus, eandem tamē gratiam omnes accepiſſe. Sicut 2. Corint. 4. dicit: Habentes eundem ſpiritum fidei, & nos credimus, propter quod & loquimur. Et 1. Cor. 10. Patres noſtri omnes manducauerunt eandem eſcam ſpiritualem, & eundem potū ſpiritualem biberunt, Biberunt autem de ſpirituali conſequente eos petra, petra autem erat Chriſtus. Ita Ebræ. 11. Omnes hi defuncti ſunt, non acceptis promiſſionibus, Deo melius aliquid pro nobis prouidente, ne ſine nobis conſummarentur. Chriſtus enim, heri & hodie, & in ſecula, ipſe caput Eccleſiæ ſuæ ab initio ad finem vſque mundi. Diuerſa igitur ſigna, ſed eadem omnium fides, Siquidem ſine fide impoſſibile eſt placere Deo, qua & Habel placuit, Ebræ. 11. *Circumciſio. Baptiſmus. Sacrificia. Claues.* *1. Cor. 4.* *1. Cor. 10.* *Ebræ. 11.*

Sit ergo matrimonium figura Chriſti & Eccleſiæ, Sacramentum autem non diuinitus inſtitutum, ſed ab hominibus in Eccleſia inuentum, ignorantia tam rei quam verbi abductis. Quæ cum fidei nihil obſit, ferenda in charitate eſt, ſicut & multa alia humana ſtudia infirmitatis & ignorantiæ in Eccleſia tolerantur, donec fidei & diuinis literis nō obſunt, Verum pro firmitate & ſynceritate fidei & Scripturæ nunc agimus. Ne ſi quid in ſacris literis & fidei noſtræ articulis contineri affirmauerimus, & poſtea conuicti, non contineri, ludibrio noſtram fidem exponamus, & ignorantes rerum propriarum inuenti, ſcandalo ſimus aduerſarijs & infirmis, imo ne Scripturæ ſanctæ autoritatem eleuemus. Longiſſime enim diſcernenda ſunt ea, quæ diuinitus in ſacris literis tradita ſunt, ab ijs, quæ per homines in Eccleſia, quantalibet ſanctitate doctrinaq; præpolleant, ſunt inuenta. *Matrimonium figura Chriſti & Eccleſiæ.*

HActenus de ipſo Matrimonio, Quid autem dicemus de impijs legibus hominum, quibus hoc vitæ genus diuinitus inſtitutum, eſt irretitum, ſurſum ac deorſum iactatum? Deus bone, horror eſt intendere in temeritatem Romanenſium tyrannorum, adeo pro libidine ſua dirimentium, rurſum cogentium Matrimonia, Obſecro, an datum eſt eorum libidini, hominum genus non niſi ad illudendum & quoquo modo abutendum, & pro pecunijs funeſtis quodlibet ex eo faciendum?

Vagatur paſſim non paruæ opinionis Liber ex colluuie omnium humanarum traditionum, ceu ſentina quadam collectus & confuſus, qui ſumma Angelica inſcribitur, cum verius ſit ſumma plus quam diabolica, in quo inter infinita portenta, quibus Confeſſores inſtrui putantur, dum pernicioſiſſime confunduntur, decem & octo Matrimonij impedimenta numerantur, quæ ſi æquo & libero fidei oculo inſpexeris, videbis eſſe de numero eorum, de quib. Apoſtolus prædixit: Erunt attendentes ſpiritibus dæmoniorum, in hypocriſi loquentium mendacium, prohibentiū nubere. Quid eſt prohibere nuptias, ſi hoc non eſt prohibere, tot impedimēta fingere, & laqueos ponere, ne coeant, aut ſi coierint, diſſoluere matrimonia? Quis dedit hominibus hanc poteſtatem? Eſto, fuerint ſancti & pio zelo ducti, quid meam libertatem vexat aliena ſanctitas? Quid me captiuat alienus zelus? Sit ſanctus & zelotes quiſquis volet, & quantumlibet, modo alteri non noceat, & libertatem mihi non rapiat. *Summa Angelica.* *1. Timot. 4.* *Prohibere nuptias.*

Verum gaudeo, iſtis dedecoroſis legibus ſuam tandem contigiſſe gloriam, Nempe earum beneficio hodie Romanenſes facti ſunt nundinatores. Quid enim vendunt? Ventres & ea quæ ventris ſunt. Merx ſcilicet digniſſima, mercatoribus iſtis, præ auaritia & impietate plus quã ſordidiſſimis & obſcœniſſimis. Nihil n. eſt impedimentorum hodie, quod intercedente Mammona non fiat legitimum; vt leges iſtæ hominum non alia cauſa videantur natæ, niſi vt aliquando eſſent auaris hominibus rapacibusq́ue Nimbrotis retia pecuniarum, & laquei animarum, ſtaretque in Eccleſia Dei loco ſancto abominatio iſta, quæ venderet hominibus publice vtriusq́ue ſexus pudibunda, ſeu (vt Scriptura vocat) ignominias & turpitudines, quas tamen antea per vim legum ſuarum rapuiſſent. O digna Pontificibus noſtris negotiatio, quam pro Euangelij miniſterio, quod præ auaritia & ambitione contemnunt, ſummo cum dedecore & turpitudine in ſenſum reprobum dati, exercerent.

Sed quid dicam aut faciam? Si ſingula perſequar, immodicus erit ſermo, Confuſiſſima enim ſunt omnia, vt neſcias vnde exordiaris, quo procedas, & vbi conſiſtas. Dico tamẽ, & quod in me eſt facio, monens & rogans omnes ſacerdotes & fratres, ſi viderint aliquod impedimentum, in quo Papa poteſt diſpenſare, & quod non eſt in Scriptura expreſſum, vt ea matrimonia confirment, quæ contra Eccleſiaſticas, tyrannicas, vel Pontificias leges fuerint contracta. Arment autem ſe lege diuina dicente: Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet. Coniunctio enim viri & mulieris eſt iuris diuini, quæ tenet, quocunq́ modo contra leges hominum contigerit, debentq́ leges hominum ei cedere, ſine vllo ſcrupulo. Si enim homo relinquit patrem & matrem, & adhæret vxori ſuæ, quanto magis conculcabit friuolas & iniquas leges hominum, vt adhæreat vxori ſuæ? Et Papa, vel Epiſcopus, vel Officialis, ſi diſſoluerit aliquod matrimonium, contra legem papalem contractum, Antichriſtus eſt, & violator naturæ, & reus læſæ maieſtatis diuinæ, quia ſtat ſententia: Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet.

Coniunctio viri & mulieris.

Matth. 19.

Adde his, quod homo non habuit ius leges tales condendi, & Chriſtianis per Chriſtum libertas donata eſt ſuper omnes leges hominum, maxime vbi lex diuina intercedit. Sicut dicit Marc. 2. Dominus eſt filius hominis, etiam ſabbathi, Et non homo propter ſabbathum, ſed ſabbathum propter hominem factum eſt. Deinde, quod tales leges prædamnatæ ſunt per Paulum, vbi prohibentes nubere futuros eſſe prædixit. Quare hic moderari debet rigor ille impedimentorum.

Marc. 2.
1. Tim. 4.

Ita debent iſtæ nugæ compaternitatum, commaternitatum, confraternitatum, conſororitatum, & confilietatum, prorſus extingui contracto matrimonio. Quis enim iſtam cognationem ſpiritualem inuenit, niſi ſuperſtitio humana? Si non licet baptiſanti aut leuanti baptiſatam ant leuatam ducere, cur licet Chriſtiano Chriſtianam ducere? An eſt maior cognatio iſta ex ceremonijs ſeu ſigno Sacramenti contracta, quam quæ ex ipſa Sacramenti? An non Chriſtianus eſt frater Chriſtianæ ſororis? An non baptiſatus, baptiſatæ ſpiritualis frater? Quid inſanimus? Quid ſi quis vxorem ſuam erudiat Euangelio & fide Chriſti, factus hoc ipſo vere pater eius in Chriſto? an non liceat vxorem eius manere? An Paulo non licuiſſet puellam ex Corinthijs ducere, quos omnes in Chriſto genuiſſe ſe iactat? Vide itaque quam ſit libertas Chriſtiana per cæcitatem humanæ ſuperſtitionis oppreſſa.

Nec huic impedimento conſenſerim, quod vocant religionis diſparilitatem, vt nec ſimpliciter, nec ſub conditione conuertendi ad fidem liceat ducere non baptiſatam. Quis hoc prohibuit? Deus an homo? Quis hominibus poteſtatem fecit prohibendi ſic nubere? Spiritus ſcilicet mendacium in hypocriſi loquentes, vt Paulus dicit. De quibus illud dicere oportet? Narrauerunt

riuerunt mihi iniqui fabulationes, ſed non vt lex tua. Duxit Patritius gentilis Monicam Matrem S. Auguſtini Chriſtianam, Cur non hodie liceat idem? Idem rigor ſtultitiæ, imo impietatis eſt, Impedimentum criminis, ſcilicet, vbi quis duxerit prius pollutam adulterio, aut machinatus fuerit in mortem alterius coniugis, quo cum ſuperſtite contrahere poſſit. Obſecro, vnde iſte rigor hominum in homines, qualem nec Deus vnquam exegit? An ignorare ſe ſimulant, Batſchaba vxorem Vriæ vtroque crimine impiero, id eſt, præpollutam adulterio & occiſo viro, tamen ductam à Dauid ſanctiſſimo viro? Si lex diuina hæc fecit, quid faciunt homines tyranni in ſuos conſeruos? *Impedimentum criminis.*

Impedimentum ordinis quoque merum eſt hominum commentum, præſertim cum garriant, eo dirimi etiam contractum, ſemper ſuas traditiones ſuper Dei mandata exaltantes. Ego quidem de ſacerdotij ordine non iudico, qualis hodie eſt, ſed video Paulum iubere, Epiſcopum vnius vxoris virum eſſe, ideo non poſſe dirimi matrimonium Diaconi, Sacerdotis, Epiſcopi, ſeu cuiuſcunque ordinis, quanquam hoc genus ſacerdotum & eos ordines non nouerit Paulus, quos hodie habemus. Pereant itaque maledictæ iſtæ hominum traditiones, quæ non niſi ad multiplicanda pericula, peccata, mala, in Eccleſia introierunt. Eſt ergo inter ſacerdotem & vxorem verum & inſeparabile matrimonium, mandatis diuinis probatum. Quid ſi impij homines illud prohibeant aut dirimant mera tyrannide ſua? Eſto, ſit illicitum apud homines, licitum tamen eſt apud Deum, cuius mandatum, ſi contra hominum pugnet mandata, eſt præferendum. *Impedimentum ordinis.*

De impotentia etiam ſexus dicendum, quo poſſit facilius conſuli animabus, periculo laborantibus. Hoc tamen præmiſſo, quod ea quæ de impedimentis dixi, dicta volo, poſt Matrimonium contractum, ne talibus vllum dirimatur. Cæterum, de contrahendo breuiter dixerim, quod ſupra dixi, Quod ſi vrgeat amor iuuentutis, & quæuis alia neceſſitas, propter quam diſpenſat Papa, diſpenſet etiam quilibet frater cum fratre, aut ipſe cum ſeipſo, rapta per hoc conſilium vxore, de manu tyrannicarum legum vtcunque poterit. Vt quid enim mea libertas tollitur aliena ſuperſtitione & ignorantia? Aut ſi pro pecunia Papa diſpenſat, cur non ipſe pro meæ ſalutis commoditate mecum aut cum fratre diſpenſem? Statuit leges Papa? ſibi ſtatuat, mea ſalua libertate, vel occulte ſurrepta. *Impotentia ſexus.*

De diuortio etiam verſatur quæſtio, An licitum ſit? Ego quidem deteſtor diuortium, ſed an liceat, ipſe non audeo definire. Chriſtus ipſe princeps Paſtorum Matth. 5. dicit: Si quis dimiſerit vxorem ſuam, excepta fornicationis cauſa, facit eam adulterari, & qui dimiſſam duxerit, adulterat. Concedit ergo Chriſtus diuortium, in cauſa fornicationis duntaxat. Quare errare Papam neceſſe eſt, quoties diuortium facit alijs cauſis, Nec ſtatim ſe tutum arbitrari debet vllus, qui pontificia illa temeritate verius quam poteſtate, diſpenſationem obtinuerit. Sed hoc admiror magis, cur cælibem eſſe cogant hominem, qui diuortio ſeparatus eſt à coniuge ſua, nec aliam ducere permittant? Si enim Chriſtus diuortium concedit in cauſa fornicationis, & neminem cogit eſſe cœlibem, & Paulus magis velit, nos nubere quam vri, videtur omnino admittere, vt in locum repudiatæ aliam ducat. Quæ res, vtinam plane diſcuſſa & certa eſſet, vt poſſet conſuli infinitis periculis eorum, qui ſine culpa ſua hodie cælibes eſſe coguntur. Hoc eſt, quorum vxores vel mariti aufugiunt, & coniugem relinquunt, decennio vel nunquam reuerſuri. Vrget me & male habet hic caſus, quotidianis exemplis, ſiue id ſingulari nequitia Satanæ, ſiue neglectu verbi Dei contingit. *De diuortio.* *Matth. 5.* *Diuortio ſeparatus cogitur cælebs eſſe.*

Ego ſane, qui ſolus contra omnes ſtatuere in hac re nihil poſſum, vehementer optarem, ſaltem illud 1. Corinth. 7. huc aptari: Quod ſi infidelis diſce- *1. Cor. 7.*

lis diſcedit, diſcedat. Non enim ſeruituti ſubiectus eſt frater aut ſoror in eiuſmodi. Hic Apoſtolus diſcedentem infidelem concedit dimitti, & fideli liberum facit alterum accipere. Cur non idem valeat, ſi fidelis, hoc eſt, nomine fidelis, re ipſa æque infidelis, coniugem deſerat, præſertim nunquam reuerſurus? Ego ſane nihil diſcriminis vtrinque deprehendere poſſum. Credo autem, ſi Apoſtoli tempore diſceſſor infidelis reuerſus denuo, aut fidelis factus, aut fideli cohabitare pollicitus fuiſſet, admiſſus non fuiſſet, ſed & ipſi alteram ducendi poteſtas facta fuiſſet. Tamen in ijs nihil definio, vt dixi, quanquam nihil magis optem eſſe definitum, cum nihil magis me & multos mecum vexet hodie. Sola autoritate Papæ aut Epiſcoporum hic definiri nihil volo, ſed ſi duo eruditi & boni viri in nomine Chriſti conſentirent, & in ſpiritu Chriſti pronuntiarent, eorum ego iudicium præferrem etiam Concilijs, qualia nunc ſolent cogi, tantum numero & autoritate citra eruditionem & ſanctimoniam iactata. Suſpendo ergo hic organum meum, donec conferat mecum alius melior.

DE ORDINE.

Sacramentum ordinis.

HOc Sacramentum Eccleſia Chriſti ignorat, inuentumque eſt ab Eccleſia Papæ. Non enim ſolum nullam habet promiſſionem gratiæ, vllibi poſitam, ſed ne verbo quidem eius meminit totum nouum Teſtamentum. Ridiculum autem eſt aſſerere, pro Sacramento Dei, quod à Deo inſtitutum nuſquã poteſt monſtrari. Non quod damnandum cenſeam eum ritum per tanta ſecula celebratum, ſed quod in rebus ſacris nolim humana commẽta fingi, nec liceat aſtruere aliquod diuinitus ordinatum, quod diuinitus ordinatum non eſt, ne ridiculi ſimus aduerſario, Conandumq́; ſit, vt certa & pura nobis ſint omnia, clariſque Scripturis firmata, quæ pro articulis fidei iactamus, id quod in præſenti Sacramento præſtare, ne tantillum quidem poſſumus.

Eccleſia non habet poteſtatem ſtatuendi nouas promiſſiones gratiæ. Verbum Dei eſt ſupra Eccleſiam.

Nec habet Eccleſia poteſtatem nouas promiſſiones gratiæ diuinas ſtatuere, ſicut quidam garriunt, quod non minoris ſit autoritatis, quidquid ab Eccleſia, quam quod à Deo ſtatuitur, cum regatur Spiritu ſancto. Eccleſia enim naſcitur verbo promiſſionis per fidem, eodemq; alitur & ſeruatur, hoc eſt, ipſa per promiſſiones Dei conſtituitur, non promiſſio Dei per ipſam. Verbum Dei enim ſupra Eccleſiam eſt incomparabiliter, in quo nihil ſtatuere, ordinare, facere, ſed tantum ſtatui, ordinari, fieri habet, tanquam creatura. Quis enim ſuum parentem gignit? quis ſuum autorem prior conſtituit?

Auguſtini dictũ.

Hoc ſane habet Eccleſia, quod poteſt diſcernere verbum Dei à verbis hominum, ſicut Auguſtinus confitetur, ſe Euangelio credidiſſe, motum autoritate Eccleſiæ, quæ hoc eſſe Euangelium prædicabat, non quod ideo ſit ſuper Euangelium, alioqui eſſet & ſuper Deum, cui creditur, quia Eccleſia hunc eſſe Deum prædicat. Sed ſicut alibi dicit Auguſtinus, Veritate ipſa ſic capitur anima, vt per eam de omnibus certiſſime iudicare poſſit, ſed veritatem iudicare non poſſit, dicere autem cogatur infallibili certitudine, hanc eſſe veritatem. Exempli gratia, Mens infallibili certitudine pronuntiat, tria & ſeptem eſſe decem, & tamen rationem reddere non poteſt, cur id verum ſit, cum negare non poſſit verum eſſe, capta ſcilicet ipſa, & iudice veritate iudicata magis quam iudicans. Talis eſt & in Eccleſia ſenſus, illuſtrante ſpiritu, in iudicandis & approbandis doctrinis, quem demonſtrare non poteſt, & tamen certiſſimum habet. Sicut enim apud Philoſophos de communibus conceptionibus nemo iudicat, ſed omnes per eas iudicantur, ita

apud

1. Corinth. 2. apud nos, de ſenſu ſpiritus eſt, qui iudicat omnes, & à nemine iudicatur, vt Apoſtolus ait.

Verum hæc alias. Sit itaq; certum, Eccleſiam non poſſe promittere gratiam, quod ſolius Dei eſt, quare nec inſtituere Sacramentum. Quod ſi quam maxime poſſet, non tamen ſtatim ſequeretur, Ordinem eſſe Sacramentum. Quis enim ſcit, quæ ſit Eccleſia habens Spiritum, cum in ſtatuendis his ſoli & pauci Epiſcopi, aut docti adeſſe ſoleant? quos poſſibile eſt non eſſe de Eccleſia, & omnes errare, ſicut ſæpius errauerunt Concilia, præſertim Conſtantienſe, quod omnium impijſſime errauit. Id enim ſolum eſt fideliter probatum, quod ab vniuerſali Eccleſia, non tantum Romana, approbatur. Quare permitto, Ordinem eſſe quendam ritum Eccleſiaſticum, quales multi alij quoque per Eccleſiaſticos Patres ſunt introducti, vt conſecratio vaſorum, domorum, veſtium, aquæ, ſalis, candelarum, herbarum, vini, & ſimilium, in quibus omnibus nemo ponit Sacramentum eſſe, nec vlla in eis eſt promiſſio, ita vngere manus viri, radi verticem, & id genus alia fieri, non eſt Sacramentum dari, cum nihil eis promittatur, ſed tantum ad officia quædam, ceu vaſa & inſtrumenta, parentur.

Concilium Conſtantienſe.

Ordo.

AT dices, Quid ad Dionyſium dices, qui ſex enumerat Sacramenta, inter quæ & Ordinem ponit in Eccleſiaſtica Hierarchia? Reſpondeo: Scio hunc ſolum autorem haberi ex antiquis, pro ſeptenario Sacramentorum, licet matrimonio omiſſo, ſenarium tantum dederit. Nihil enim prorſus in reliquis Patribus de iſtis Sacramentis legimus, Nec Sacramenti nomine cenſuerunt, quoties de ijs rebus loquuti ſunt, Recens enim eſt inuentio Sacramentorum. Atque mihi (vt magis temerarius ſim) in totum diſplicet tantum tribui, quiſquis fuerit, Dionyſio illi, cum ferme nihil in eo ſit ſolidæ eruditionis. Nam ea, quæ in cœleſti Hierarchia de Angelis comminiſcitur, in quo libro ſic ſudarunt curioſa & ſuperſtitioſa ingenia, Qua, rogo, autoritate aut ratione probat? Nonne omnia ſunt illius meditata, ac prope ſomnijs ſimillima, ſi libere legas & iudices? In Theologia vero myſtica, quam ſic inflant ignorantiſſimi quidam Theologiſtæ, etiam pernitioſiſſimus eſt, plus Platoniſans quam Chriſtianiſans, ita vt nollem fidelem animum his libris operam dare vel minimam. Chriſtum ibi adeo non diſces, vt ſi etiam ſcias, amittas, Expertus loquor, Paulum potius audiamus, vt Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum diſcamus. Hæc eſt enim via, vita, & veritas, Hæc ſcala, per quam venitur ad Patrem, Sicut dicit: Nemo venit ad Patrem, niſi per me.

Iudicium Lutheri de Dionyſio & libris eius.

Inuentio Sacramentorum recens eſt.

Cœleſtis Hierarchia Dionyſii.

Theologia myſtica Dionyſii.

Bonauentura.

Gerſon.

Ita in Eccleſiaſtica Hierarchia quid facit, niſi quod ritus quoſdam Eccleſiaſticos deſcribit, ludens allegorijs ſuis, quas non probat? quale apud nos fecit, qui librum edidit, qui Rationale diuinorum dicitur, ocioſorum hominum ſunt iſta ſtudia Allegoriarum. An putas mihi difficile eſſe in qualibet recreata, allegorijs ludere? Nonne Bonauentura artes liberales allegorice duxit ad Theologiam? Denique Gerſon Donatum minorem fecit myſticum Theologum. Mihi non fuerit operoſum, meliorem Hierarchiam ſcribere quam Dionyſij fit, cum ille Papam, Cardinales, Archiepiſcopos ignorarit, & Epiſcopum fecerit ſupremum. Et quis tam tenuis ingenij, qui allegorijs non queat periclitari? Nollem ego Theologum allegorijs operam dare, donec conſummatus, legitimo Scripturæ ſimplicique ſenſu fuerit, alioqui ſicut Origeni contigit, non citra periculum theologiſabit.

Eccleſiaſtica Hierarchia Dionyſii.

Rationale diuinorum.

Non ergo continuo Sacramentum eſſe debet, quia Dionyſius aliquid deſcribit. Alioqui cur non etiam Sacramentum faciunt, quam ibidem deſcribit proceſſionem, quæ vſque hodie perſeuerat? Quin tot erunt illorum Sacramenta, quot aucti ſunt in Eccleſia ritus & ceremoniæ. Huic tamen tam debili fundamento nixi, Characteres effinxerunt, quos huic ſuo Sacramento

Characteres indelibiles.

tribue-

tribuerent,qui imprimerentur ordinatis indelibiles. Vnde,quæſo,tales cogitationes? qua autoritate? qua ratione ſtabiliuntur? Non quod nolimus eos eſſe liberos ad fingendum,dicendum,aſſerendum,quidquid vel libuerit, ſed noſtram quoque libertatem aſſerimus,ne ius ſibi ipſis arrogent ex cogitationibus ſuis articulos fidei faciendi,ſicut hactenus præſumpſerunt. Satis eſt, nos pro concordia eorum ritibus & ſtudijs attemperare,ſed cogi tanquam neceſſarijs ad ſalutem,quæ neceſſaria non ſunt,nolumus. Dimittant ipſi tyrannidis ſuæ exactionem,& nos exhibebimus liberum eorum ſenſui obſequium, vt ſic in pace mutua inuicem agamus. Turpe enim eſt & iniquiter ſeruile,Chriſtianum hominem,qui liber eſt,alijs quam cœleſtibus ac diuinis ſubiectum eſſe traditionibus.

Hoc facite in mei commemorationē. Vtranque ſpeciem ſolis ſacerdotibus dandam.

Poſt hoc apprehendunt extremum roboris ſui,nempe quod **Chriſtus in Cœna dixit: Hoc facite in mei commemorationem.** Ecce hic inquiunt:Chriſtus eos ordinauit in ſacerdotes. Hinc inter cætera & hoc dixerunt,Solis ſacerdotibus vtranque ſpeciem eſſe dandam. Denique quiduis hinc ſuxerunt,vt qui liberum arbitrium ſibi arrogarint,è verbis Chriſti vbilibet dictis quodlibet aſſerere. Sed eſt hoc verba Dei interpretari? Reſponde,quæſo, Chriſtus hic nihil promittit,ſed tantum præcipit,fieri iſtud in ſui memoriam. Cur non concludunt,& ibi eſſe ordinatos ſacerdotes,vbi imponens officium verbi & baptiſmatis dixit: Ite in orbem vniuerſum,& prædicare Euangelium omni creaturæ,Baptiſantes eos in nomine &c. cum ſacerdotum ſit proprium prædicare & baptiſare? Deinde,cum hodie ſacerdotis vel primarium opus ſit, & (vt dicunt) indiſpenſabile,legere horas Canonicas, Cur non ibi Ordinis Sacramentum conceperunt,vbi Chriſtus orare præcepit,vt alijs multis locis, ita præcipue in horto,ne intrarent in tentationem? Niſi hic elabantur, quod non ſit præceptum orare, ſufficit enim legere horas Canonicas, vt ſic ſacerdotale illud opus nuſquam è Scripturis probetur,ac per hoc iſtud Sacerdotium orationale non ſit ex Deo, ſicut verè non eſt.

Sacerdotium orationale.

Quis vero Patrum antiquorum aſſeruit,his verbis ordinatos eſſe Sacerdotes? Vnde ergo iſta intelligentia noua? ſcilicet,quod hac arte quæſitum eſt, vt ſeminarium diſcordiæ implacabilis haberetur,quo Clerici & laici plus diſcernerentur quam cœlum & terra,ad incredibilem baptiſmalis gratiæ iniuriam,& Euangelicæ communionis confuſionem. Siquidem hinc cœpit tyrannis iſta deteſtabilis clericorum in laicos,qua fiducia corporalis vnctionis,quo manus eorum conſecrantur,deinde raſuræ,& veſtium,non modo cæteris laicis Chriſtianis,qui ſpiritu ſancto vncti ſunt,ſeſe præferunt, ſed ferme vt canes indignos,qui cum eis in Eccleſia numerantur,habeant. Hinc quiduis mandare,exigere,minari,vrgere,premere audent. Summa, Sacramentum ordinis pulcherrima machina fuit & eſt,ad ſtabilienda vniuerſa portenta, quæ hactenus facta ſunt,& adhuc fiunt in Eccleſia. Hic perijt fraternitas Chriſtiana, hic ex paſtoribus lupi,ex ſeruis tyranni,ex Eccleſiaſticis plus quam mundani facti ſunt.

Clerici. Laici. Tyrannis clericorum in laicos.

Omnes Chriſtiani ſunt ſacerdotes.

QVid ſi cogerentur admittere,nos omnes eſſe æqualiter ſacerdotes,quotquot baptiſati ſumus? ſicut reuera ſumus,illisque ſolum miniſterium noſtro tamen conſenſu commiſſum,ſcirent ſimul, nullum eis eſſe ſuper nos ius imperij,niſi quantum nos ſponte noſtra admitteremus, Sic enim 1. Petri 2. Vos eſtis genus electum,regale Sacerdotium & ſacerdotale regnum. Quare omnes ſumus Sacerdotes,quotquot Chriſtiani ſumus, Sacerdotes vero quos vocamus,miniſtri ſunt eo nobis electi, qui noſtro nomine omnia faciant. Et ſacerdotium aliud nihil eſt,quam miniſterium. Sic 1. Corint. 4. Sic nos exiſtimet homo,ſicut miniſtros Chriſti & diſpenſatores myſteriorum Dei.

1. Pet. 2.

1. Corint. 4.

Digitized by Google

Ex quibus fit, vt is, qui non prædicat verbum, ad hoc ipſum per Eccleſiam vocatus, nequaquam ſit ſacerdos. Et ſacramentum ordinis aliud eſſe non poſſit, quam ritus quidam eligendi Concionatores in Eccleſia. *Sacramentum ordinis.* Sic enim per *Malach. 2.* Mala. 2. definit ſacerdotem: Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem ex ore eius requirent, quia Angelus Domini exercituum eſt. Certus ergo ſis, qui non eſt angelus Domini exercituum, aut ad aliud quam ad angelatum (vt ſic dixerim) vocatur, ſacerdos prorſus non ſit, Sicut *Oſea 4.* Hoſ. 4. dicit: Quia tu repuliſti ſcientiam, repellam te & ego, ne ſacerdotio fungaris mihi. Inde enim *Paſtores.* & paſtores dicuntur, quod paſcere, id eſt, docere debeant. Quare eos, qui tantum ad horas Canonicas legendas, & Miſſas offerendas ordinantur, eſſe quidem Papiſticos, ſed non Chriſtianos ſacerdotes, *Papiſtici ſacerdotes.* quia non modo non prædicant, ſed nec vocantur ad prædicandum, imo hoc ipſum agitur, vt ſit ſacerdotium eiuſmodi, alius quidem ſtatus ab officio prædicandi. itaq; horales & miſſales ſunt ſacerdotes, id eſt, idola quædam viua, nomen ſacerdotij habentia, cum ſint nihil minus, quales ſacerdotes Ierobeam in Bethauen ordinauit de infima fece plebis, non de genere Leuitico.

VIde igitur quorſum migrarit gloria Eccleſiæ. Repleta eſt omnis terra ſacerdotibus, Epiſcopis, Cardinalibus & Clero, quorum tamen (quantum ad officium ſpectat) nullus prædicat, niſi denuo alia vocatione, vltra ordinem ſacramentalem vocetur, Sed abunde ſuo ſacramento ſe ſatisfacere putat, ſi battologiam legendarum precum emurmuret & Miſſas celebret. Deinde eas ipſas horas nunquam oret, aut ſi oret, per ſe oret, Atque Miſſas ſuas. (quæ ſumma eſt peruerſitas) ceu ſacrificium offerat (cum Miſſa ſit *Miſſa.* vſus ſacramenti) Vt perſpicuum fit, ordinem, qui velut ſacramentum hoc hominum genus in clericos ordinat, eſſe vere, mere, omninoq; figmentum ex hominibus natum, nihil de re Eccleſiaſtica, de ſacerdotio, de miniſterio verbi, de ſacramentis, intelligentibus, vt quale eſt ſacramentum, tales & habeat ſacerdotes. Quibus erroribus & cæcitatibus, id acceſſit maioris captiuitatis, quo ſe latius à cæteris Chriſtianis, tanquam prophanis, ſecernerent ſeipſos, ſicut Galli Cybelis ſacerdotes, caſtrauerunt, & cælibatu onerarunt ſimulatiſſimo.

Nec ſatis erat hypocriſi & operationi erroris huius, digamiam *Digamia.* prohibere, hoc eſt, ne quis duas vxores haberet ſimul, vt in lege fiebat (id enim digamiam ſignificare ſcimus) ſed digamiam interpretati ſunt, ſi quis duas ſucceſſiue virgines duxiſſet, aut ſemel viduam. Imo ſanctiſſima iſta ſanctitis huius ſacroſacratiſſimi ſacramenti tantum valet, vt nec ſacerdotari poſſit, qui virginem duxerit, viuente eadem vxore. Ac vt ſummum faſtigium ſanctitatis attingat, is arcetur à ſacerdote, qui ignorans & meræ infelicitatis caſu corruptam virginem duxerit. At ſi ſexcentas meretrices polluerit, aut matronas ac virgines quaſlibet conſtuprarit, aut etiam Ganymedes multos aluerit, nihil impedimenti fuerit, vel Epiſcopum vel Cardinalem, vel Papam eum fieri, Tum illud Apoſtoli, vnius vxoris vir, ſic interpretari oportet, id eſt, vnius Ec- *Vnius vxoris vir.* cleſiæ prælatus, inde incompatibilia manarunt beneficia, niſi Papa diſpenſator magnificus, vni, tres, viginti, centum vxores, id eſt, Eccleſias copulare voluerit, pecunia vel gratia corruptus, hoc eſt, pia charitate motus, & Eccleſiarum ſolicitudine diſtrictus.

O dignos Pontifices, hoc venerabili ſacramento ordinis, O Principes, non catholicarum Eccleſiarum, ſed ſatanicarum Synagogarum, imo tenebratum. Libet hic cum Iſaia clamare: O viri illuſores, qui dominamini ſuper

populum meum, qui eſt in Ieruſalem. Et illud Amos 6. Væ vobis qui opulenti eſtis in Zion, & confiditis in monte Samariæ, optimates, capita populorum, ingredientes pompatice domum Iſrael &c. O ignominiam Eccleſiæ Dei, quam ex his monſtris ſacerdotalibus contrahit. Vbi ſunt Epiſcopi aut ſacerdotes, qui ſciant Euangelium, ne dum prædicent? vt quid ergo ſeſe iactant ſacerdotes, cur alijs Chriſtianis, tanquam laicis ſanctiores & meliores & potentiores haberi volunt? Horas legere, ad quos Idiotas non pertinet, ſeu (vt Apoſtolus ait) ad lingua loquentes? Horas autem orare, ad monachos, Eremitas, priuatosq; homines, & eos laicos pertinet. Sacerdotis munus eſt prædicare, quod niſi fecerit, ſic eſt ſacerdos, ſicut homo pictus eſt homo. An Epiſcopum faciat, ordinare tales ſacerdotes battalogos? An Eccleſias & campanas conſecrare? An pueros confirmare? Non, hæc vel Diaconus vel Laicus quilibet faceret, Miniſterium verbi facit ſacerdotem & Epiſcopum. *Eſaie 26.* *Amo. 6.* *Sacerdotis munus.*

Fugite ergo, meo conſilio, quicunq; tuto viuere vultis, fugite iuuenes, nec iſtis ſacris initiamini, niſi aut euangeliſare volueritis, aut niſi vos hoc ordinis ſacramento nihilo laicis meliores factos credere poteſtis. Non enim horas legere aliquid eſt. Deinde, Miſſam offerre, ſacramentum percipere eſt. Quid ergo in vobis manet, quod non in quouis Laico maneat? Raſura & veſtis? Miſerum ſacerdotem, qui raſura & veſte conſtat. An oleum digitis veſtris infuſum? At Chriſtianus quilibet oleo ſancti Spiritus vnctus & ſanctificatus eſt corpore & anima, & olim ſacramentum manibus tractabat, non minus quam nunc ſacerdotes faciunt, Licet noſtra ſuperſtitio Laicis nunc magnum reatum inijciat, ſi vel calicem nudum, aut corporale tetigerit, nec Moniali quidem ſanctæ virgini liceat lauare pallas altaris & linteamina ſacra. Vide per Deum, ſacroſanctam ordinis huius ſanctitatem, quantum profecerit, futurum ſpero, vt nec altare liceat attingere laicis, niſi dum nummos obtulerint. Ego pene dirumpor cogitans has impijſſimas hominum temerariſſimorum tyrannides, tam nugacibus & puerilibus nugis libertatem & gloriam Chriſtianæ religionis illudentium & peſſundantium.

Esto itaq; certus, & ſeſe agnoſcat quicunq; ſe Chriſtianum eſſe cognouerit, omnes nos æqualiter eſſe ſacerdotes, hoc eſt, eandem in verbo & ſacramento quocunq, habere poteſtatem. Verum non licere quenquam hac ipſa vti, niſi conſenſu communitatis, aut vocatione maioris. Quod enim omnium eſt communiter, nullus ſingulariter poteſt ſibi arrogare, donec vocetur. Ac per hoc ordinis ſacramentum, ſi quidquam eſt, eſſe nihil aliud quam ritum quendam vocandi alicuius in miniſterium Eccleſiaſticum. Deinde ſacerdotium proprie eſſe, non niſi miniſterium verbi, verbi, inquam, non Legis, ſed Euangelij. Diaconiam vero eſſe miniſterium non legendi Euangelij aut Epiſtolæ, vt hodie vſus habet, ſed opes Eccleſiæ diſtribuendi pauperibus, vt ſacerdotes leuentur onere rerum temporalium, & orationi ac verbo liberius inſtent. Hoc enim conſilio legimus, Acto. 5. Diaconos inſtitutos. Atq; ita eum, qui vel ignorat, vel non prædicat Euangelium, non modo non eſſe ſacerdotem vel Epiſcopum, ſed peſtem quandam Eccleſiæ, qui ſub titulo falſo ſacerdotis & Epiſcopi, ceu ſub pelle ouina, Euangelium opprimat, & lupum in Eccleſia agat. *Sacramentum ordinis.* *Sacerdotium Diaconi.* *Act. 6.*

Quare ij ſacerdotes & Epiſcopi, quibus hodie referta eſt Eccleſia, niſi alia ratione ſalutem ſuam operentur, hoc eſt, niſi agnoſcant ſeſe nec ſacerdotes nec Epiſcopos eſſe, doleantq; ſe nomen gerere, cuius opus aut neſciunt, aut non poſſunt implere, ſicq; orationibus & lachrymis ſuæ hypocriſis miſe- *Sacerdotes & Epiſcopi Papiſtici.*

ram

ram ſortem deplorent, Vere ſunt populus perditionis æternæ, ac de eis illud Iſa. 5. verificabitur: Captiuus ductus eſt populus meus, eo quod non habuerit ſcientiam, & nobiles eius interierunt fame, & multitudo eius ſiti exaruit, Propterea dilatauit infernus animam ſuam, & aperuit os ſuum abſq; vllo termino, Et deſcendent Fortes eius, & populus eius, & ſublimes eius, & glorioſi eius in eum, O verbum horrendum noſtro ſeculo, quo tanta voragine abſorbentur Chriſtiani. *Eſa. 5.*

Quantum ergo è Scripturis docemur, cum miniſterium ſit, id quod nos ſacerdotium vocamus, prorſus non video, qua ratione rurſus nequeat laicus fieri, ſemel ſacerdos factus, cum à laico nihil differat, niſi miniſterio. A miniſterio autem deponi adeo non ſit impoſſibile, vt paſſim ea etiam nunc celebretur vindicta in culpabiles ſacerdotes, dum aut ſuſpenduntur temporaliter, aut perpetuo priuantur officio ſuo. Nam commentum illud characteris indelibilis, iam olim irriſum eſt. Concedo, vt characterem hunc Papa imprimat, ignorante Chriſto, ſitq; hoc ipſo ſacerdos eo conſecratus, non tam Chriſti quam Papæ perpetuus ſeruus & captiuus, ſicut eſt dies hæc. Cæterum, niſi fallor, ſi ruat hoc ſacramentum & commentum aliquando, vix ſubſiſtet ipſe Papatus cum ſuis characteribus, redibitq; ad nos læta libertas, qua nos omnes æquales eſſe quocunq; iure intelligemus, & excuſſo tyrannidis iugo ſciemus, quod qui Chriſtianus eſt, Chriſtum habet, qui Chriſtum habet, omnia quæ Chriſti ſunt, habet, omnia potens, de quo plura & robuſtius, vbi iſta amicis meis Papiſtis diſplicere ſenſero. *Characteres indelebiles.*

DE SACRAMENTO EXTREMAE VNCTIONIS.

HVic vngendorum infirmorum ritui duas additiones ſeſe dignas addiderunt Theologi noſtri. Vnam, quod Sacramentum appellant, Alteram, quod extremam faciunt, ſitq; nunc Sacramentum extremæ vnctionis, quæ niſi in extremo vitæ agentibus periculo, dari non debeat. Forte (vt ſunt arguti Dialectici) relatiuam fecerunt ad vnctionem primam baptiſmi, & ſequentes duas, confirmationis & ordinis. Verum, habent hic, quod in os mihi retundant, nempe, quod autoritate Iacobi Apoſtoli hic promiſſio & ſignum ſit, quibus ego ſacramentum conſtitui hactenus dixi. Dicit enim: Si infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, Et oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, remittentur ei. Ecce, inquiunt, promiſſio remiſſionis peccatorum & ſignum olei. *Iacob. 5.*

Ego autem dico, ſi vſpiam deliratum eſt, hoc loco præcipue deliratum eſt. Omitto enim, quod hanc Epiſtolam non eſſe Apoſtoli Iacobi, nec apoſtolico ſpiritu dignam, multi valde probabiliter aſſerant, licet conſuetudine autoritatem cuiuſcunq; ſit, obtinuerit. Tamen ſi etiam eſſet Apoſtoli Iacobi, dicerem, non licere Apoſtolum ſua autoritate ſacramentum inſtituere, id eſt, diuinam promiſſionem cum adiuncto ſigno dare. Hoc enim ad Chriſtum ſolum pertinebat. Sic Paulus ſeſe accepiſſe à Domino, dicit ſacramentum Euchariſtiæ, & miſſum non vt baptiſet, ſed vt euangeliſet. Nuſquam *Epiſtola Iacobi.*

autem legitur in Euangelio, vnctionis iſtius extremæ ſacramentum. Sed miſſa faciamus, & iſta Apoſtoli, ſiue quiſq; fuerit Epiſtolæ autor, ipſa videamus verba, & ſimul videbimus, quam nihil ea obſeruauerint ij, qui ſacramenta auxerunt.

PRimum, Si verum putant & ſeruandum, quod Apoſtolus dicit, qua autoritate mutant & reſiſtunt? Cur faciunt ipſi extremam & ſingularem vnctionem ex ea, quam Apoſtolus voluit eſſe generalem? Neq; enim Apoſtolus extremam eſſe voluit, & ſolum morituris dandam, ſed abſolute dicit: Si quis infirmatur, non dicit: Si quis moritur. Neq; enim curo, quid Dionyſij Eccleſiaſtica Hierarchia hic ſapiat, ipſa Apoſtoli verba aperta ſunt, quibus & ille & iſti pariter nituntur, & tamē non ſequuntur. Vt appareat, eos non autoritate vlla, ſed ſuo arbitrio, ex verbis Apoſtoli male intellectis, ſacramentum & vnctionem extremā feciſſe, cum iniuria cæterorum infirmorum, quibus vi propria abſtulerunt, vngendi beneficium ab Apoſtolo ſtatutum. *Iacob. 5.* *Si quis infirmatur &c.*

Oratio fidei ſaluabit infirmum. Sed illud pulchrius, quod promiſſio Apoſtoli expreſſe dicit: Oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus &c. Vide, Apoſtolus in hoc vngi & orari præcipit, vt infirmus ſanetur & alleuietur, hoc eſt, non moriatur, nec ſit extrema vnctio, quod & vſq; hodie probant preces inter vngueudū dictæ, quæ infirmum reſtitui petunt. Illi contra dicunt, non eſſe dandam vnctionem, niſi diſceſſuris, hoc eſt, vt non ſanentur & alleuientur. Niſi res iſta eſſet ſeria, quis riſum queat tenere, ſuper tam bellis, aptis, & ſanis Apoſtolicorum verborumq; gloſſis? Nonne hic aperte deprehenditur inſipientia Sophiſtica, quæ, vt hoc loco, ita multis alijs hoc affirmat, quod negat Scriptura, hoc negat, quod illa affirmat? Quin igitur gratias agimus tam eximijs Magiſtris noſtris? Recte igitur dixi, nuſquam inſignius eſſe deliratum ab illis, quam hoc loco.

Vlterius, ſi vnctio iſta ſacramentum eſt, debet ſine dubio eſſe (vt dicunt) efficax ſignum eius, quod ſignat & promittit. At ſanitatem & reſtitutionem infirmi promittit, vt ſtant aperta verba: Oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus. Quis autem non videt hanc promiſſionem in paucis, imo nullis impleri? Inter mille enim vix vnus reſtituitur, idq; nemo ſacramento, ſed naturæ vel medicinæ beneficio fieri putat, nam ſacramento contrariam vim tribuunt. Quid ergo dicemus? Aut Apoſtolus hac promiſſione mentitur, aut vnctio iſta ſacramentum non erit. Promiſſio enim ſacramentalis certa eſt, At hæc in maiori parte fallit. Quin, vt iterum Theologorum iſtorum prudentiam & vigilantiam cognoſcamus, ideo extremam eſſe volunt vnctionem, ne ſtet iſta promiſſio, hoc eſt, ne ſacramentum ſit ſacramentum. *Extrema vnctio.* Si enim extrema eſt, non ſanat, ſed cedit infirmitati. Si autem ſanat, extrema eſſe non debet. Ita fit, horum Magiſtrorum interpretatione, vt Iacobus intelligatur ſibi ipſi contradixiſſe, & ne ſacramentum inſtitueret, ſacramentum inſtituiſſe, dum ideo extremam volunt vnctionem, vt non ſit verum, ſanari per eam infirmum, quod ille ſtatuit. Si hoc non eſt inſanire, rogo quid eſt inſanire?

Confeſſio articularis. Contingit his illud Apoſtoli, 1. Tim. 1. Volentes eſſe legis Doctores, cum ignorent quid loquantur, aut de quibus affirment. Sic omnia citra iudicium legunt & ſequuntur. Eadem n. oſcitantia & confeſſionem auricularem ex hoc Apoſtolo hauſerunt dicente: Confitemini alterutrum peccata veſtra. Sed nec hoc ſeruant iſti, quod Apoſtolus iubet, presbyteros Eccleſiæ induci, & ſuper infirmum orari. Vix vnus ſacerdotulus nunc mittitur, cum Apoſtolus velit multos adeſſe, non propter vnctionem ſed propter orationem

nem, vnde dicit: Oratio fidei ſaluabit infirmum &c. Quanquam incertum eſt mihi, an Sacerdotes velit intelligi, cum dicat presbyteros, id eſt, ſeniores. Neq; enim continuo ſacerdos aut miniſter eſt, qui ſenior eſt, quo ſuſpicari poſſis, Apoſtolum voluiſſe, vt ſeniores & grauiores in Eccleſia viſitarent infirmum, qui opus miſericordiæ facientes, & in fide orantes eum ſanarent. Quanquam negari non poſſit, Eccleſias olim à ſenioribus fuiſſe rectas, abſq; iſtis ordinationibus & conſecrationibus, propter ætatem, & longum rerum vſum, in hoc electis.

Mar. 6. Quare hanc vnctionem eandem ego eſſe arbitror, quæ Mar. 6. de Apoſtolis ſcribitur: Et vngebant oleo multos ægrotos, & ſanabant. Ritum ſcilicet quendam primitiuæ Eccleſiæ, quo miracula faciebant ſuper infirmis, qui iamdudum defecit, quemadmodum & *Mar. vlt.* Mar. vlt. Chriſtus donat credentibus, vt ſerpentes tollant, & ſuper ægros manus ponant &c. Ex quibus verbis, mirum eſt, quod non etiam ſacramenta fecerunt, cum ſint ſimilis virtutis & promiſſionis, cum verbis his Iacobi. Non ergo ſacramentum eſt extrema iſta, id eſt, ficta vnctio, ſed conſilium Iacobi, quo poſſit, qui velit, vti, ſumptum ac relictum ex Euangelio Mar. 6. vt dixi. Neq; enim credo datum infirmis quibuſuis, cum Eccleſiæ gloria ſit infirmitas, & mors lucrum, Sed his tantum, qui impatientius & rudi fide infirmitatem ferrent, Quos ideo reliquit Dominus, vt in eis miracula & virtus fidei eminerent.

Vnctio ritus Eccleſiæ primitiuæ.

Infirmitas gloria Eccleſiæ eſt.

Et hoc ipſum caute ac de induſtria Iacobus prouidit, dum promiſſionem ſanitatis & remiſſionis peccatorum non tribuit vnctioni, ſed orationi fidei. Sic enim dicit: Et oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & ſi in peccatis fuerit, remittentur ei. Sacramentum enim non exigit orationem aut fidem miniſtri, cum impius etiam baptiſet & conſecret abſque oratione, Sed nititur in ſola promiſſione & inſtitutione Dei, exigens fidem ſuſcipientis. In noſtræ autem extremæ vnctionis hodiernæ vſu vbi eſt *Iohan. 16.* oratio fidei? Quis ea fide orat ſuper infirmum, vt non hæſitet eum reſtitui? Nam talem orationem fidei Iacobus hic deſcribit, de qua & in principio dixerat: Poſtulet autem in fide nihil hæſitans. Et Chriſtus: Quęcunq; petieritis, credite, quia accipietis, & fiet vobis.

Oratio fidei.

Sacramentum nititur promiſſione Dei.

Prorſus non eſt dubium, ſi hodie quoq; talis oratio fieret ſuper infirmum, id eſt, à ſenioribus, grauioribus & ſanctis viris, plena fide ſanari quotquot vellemus. Fides enim quod non poſſet? At nos fide hac neglecta (quam maxime exigit hæc Apoſtoli autoritas) deinde quoduis ſacerdotum vulgus per Presbyteros, viros ſ[illegible]icet ætate & fide præſtantes, intelligimus. Deinde extremam è quotidiana aut libera vnxione facimus, Tandem effectum promiſſæ ab Apoſtolo ſanitatis, non ſolum non impetramus, ſed etiam contrario effectu euacuamus, Nihilo tamen minus iactamus, noſtrm ſacramentū, imo figmentum, hac Apoſtoli ſententia, plus quam per bis diapaſon repuguante, fundari & probari. O Theologos.

E quotidiana & libera vnctione facta extrema.

IGitur hoc vnctionis extremæ noſtrum ſacramentum non damno, ſed hoc eſſe, quod ab Apoſtolo Iacobo præſcribitur, conſtanter nego, cum nec forma, nec vſus, nec virtus, nec finis eius cum noſtro cōſentiat, Numerabimus tamen ipſum inter ea ſacramenta, quæ nos conſtituimus, vt ſunt ſalis & aquæ conſecratio & aſperſio. Neq; n. negare poſſumus, creaturam quamlibet per verbū & orationem ſanctificari, quod Apoſtolus Paulus nos docet, ita non negamus per extremam vnctionem dari remiſſionem & pacem. Non quia ſacramentum ſit diuinitus inſtitutum, ſed quia ſuſcipiens ita credit ſibi fieri. Fides n. ſuſcipientis non errat, quantū libet miniſter erret. Si n. loco

Salis & aquæ conſecratio & aſperſio.

baptiſans aut abſoluens hoc eſt, non abſoluens (quantum ad miniſtrum pertinet) reuera abſoluit & baptiſat, ſi credat baptiſandus & abſoluendus, Quanto magis vngens extrema vnctione pacificat, etiamſi reuera non pacificet, ſi miniſterium ſpectes, cum nullum ſit ibi ſacramentum. Fides enim vncti etiam hoc accipit, quod conferens aut non potuit aut non voluit dare, Sufficit enim vncto verbum audire & credere, Quidquid enim credimus nos accepturos eſſe, id reuera accipimus, quidquid agat, non agat, ſimulet aut iocetur miniſter, Stat enim Chriſti ſententia: Credenti omnia poſſibilia ſunt. Et iterum, fiat tibi ſicut crediditi. Verum Sophiſtæ noſtri de hac fide nihil in ſacramentis tractant, ſed in virtutibus ipſis ſacramentorum totis ſtudijs nugantur, ſemper diſcentes, & nunquam ad ſcientiam veritatis peruenientes.

Credenti omnia poſſibilia.

Profuit tamen hanc vnctionem factam eſſe extremam, quia hoc beneficio minime omnium vexata ac ſubiecta eſt tyrannidi & quæſtui, relicta ſcilicet hac vna miſericordia morituris, vt libere poſſint inungi, etiam non confeſſi nec communicati. Quæ ſi permanſiſſet quotidiana, præſertim ſi & infirmos ſanaſſet, etiam ſi peccata non tuliſſet, quos putas orbes terrarum non haberent hodie Pontifices, qui vnius pœnitentiæ ſacramento & clauibus, ac ordinis ſacramento, tanti euaſerunt Imperatores & Principes? At nunc feliciter habet, quod ſicut orationem fidei contemnunt, ita nullum infirmum ſanant, & è vetere ritu, nouum ſibi finxerunt ſacramentum.

HÆc de quatuor iſtis ſacramentis nunc ſatis fuerint, quæ ſcio, quam ſint diſplicitura ijs, qui numerum & vſum ſacramentorum non è Scripturis ſacris, ſed è Romana ſede putant petendos eſſe, quaſi Romana ſedes ſacramenta iſta dederit, ac non potius acceperit è ſcholis Vniuerſitatum, quibus & omnia, quæ habet, ſine controuerſia debet. Neq; enim ſtaret tyrannis Papiſtica tanta, niſi tantum accepiſſet ab Vniuerſitatibus, cum vix fuerit inter celebres Epiſcopatus alius quiſpiam, qui minus habuerit eruditorum Pontificum Vi, dolo ac ſuperſtitione tantum cæteris hactenus præualuit, Qui n. ante mille annos in ea ſede ſederunt, tanto interuallo ab ijs, qui interim creuerunt, diſtant, vt aut illos aut hos cogaris negare Romanos Pontifices.

SVnt preterea nonnulla alia, quæ inter ſacramenta videantur cenſeri poſſe, nempe, omnia illa, quibus facta eſt promiſſio diuina. Qualia ſunt, oratio, verbum, crux. Nam Chriſtus orantibus promiſit exauditionem in multis locis, præſertim Luc. 11. vbi parabolis multis ad orandum nos inuitat. Et de verbo: Beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud, Quis autem percenſeat, quoties tribulatis, patientibus, humiliatis promittat adiutorium & gloriam? Imo quis enumeret omnes Dei promiſſiones? cum tota Scriptura hoc agat, vt nos ad fidem prouocet, Hinc præceptis & minis vrgens, illinc promiſſionibus & conſolationibus inuitans, Siquidem, omnia quæ ſcripta ſunt, aut præcepta aut promiſſa ſunt, præcepta humiliant ſuperbos exactionibus ſuis, promiſſa exaltant humiliatos remiſſionibus ſuis.

Orantibus promiſſa exauditio.

Præcepta. Promiſſa.

Proprie tamen ea ſacramenta vocari viſum eſt, quæ annexis ſignis promiſſa ſunt. Cætera, quia ſignis alligata non ſunt, nuda promiſſa ſunt. Quo fit, vt ſi rigide loqui volumus, tantum duo ſunt in Eccleſia Dei ſacramenta, Baptiſmus & Panis, cum in his ſolis, & inſtitutum diuinitus ſignum & promiſſionē remiſſionis peccatorum videamus. Nam pœnitentiæ ſacramentum, quod ego his duobus accenſui, ſigno viſibili & diuinitus inſtituto caret, & aliud non eſſe dixi, quam viam ac reditum ad baptiſmum. Sed nec Scholaſtici dicere poſſunt, ſuam definitionem poſſe conuenire pœnitentiæ, qui

Quæ ſint proprie ſacramenta.

Sacramentum pœnitentiæ.

& ipſi ſacramento ſignum viſibile aſcribunt, quod formam ingerat ſenſibus, eius rei, quam inuiſibiliter operatur. At Pœnitentia ſeu Abſolutio tale ſignum nullum habet, quare & ipſi cogentur propria definitione aut negare pœnitentiam eſſe ſacramentum, & ſic numerum eorum imminuere, aut aliam ſacramentorum afferre definitionem.

Baptiſmus autem, quem toti vitæ tribuimus, recte pro omnibus ſacramentis ſatis erit, quibus in vita vti debeamus. Panis autem vere morientium & excedentium ſacramentum, Siquidem in eo tranſitum Chriſti ex hoc mundo memoramus, vt ipſum imitemur, & ſic diſtribuamus hæc duo ſacramenta, vt Baptiſmus initio & totius vitæ curſui, panis autem termino & morti deputetur. Atq; Chriſtianus vtroq; exerceatur in hoc corpuſculo, donec plene baptiſatus & roboratus tranſeat ex hoc mundo, natus in æternam nouam vitam, manducaturus cum Chriſto in regno Patris ſui, ſicut in Cœna promiſit, dicens: Amen dico vobis, Amodo non bibam de hoc genimine vitis, donec impleatur in regno Dei. Vt aperte videatur, ſacramentum Panis ad futuram vitam acceptandam inſtituiſſe, Tum enim re vtriuſq; ſacramenti impleta, ceſſabit baptiſmus & panis. *Baptiſmus. Cœna Domini.*

Finem hic faciam huius prælud̄ij, quod pijs omnibus, qui ſynceram Scripturæ intelligentiam germanumq; ſacramentorum vſum deſiderant noſſe, libens & gaudens offero. Eſt enim non parui momenti donum, noſſe ea, quæ nobis data ſunt, vt 1. Cor. 2. dicitur, & qua ratione donatis vti oporteat. Hoc enim ſpiritus iudicio inſtructi, non fallaciter innitemur ijs, quæ ſecus habent. Has tuas res, cum nobis Theologi noſtri nuſquam dederint, quin velut data opera obſcurarint, ego ſi non dedi, certe id effeci, ne obſcurarem, & alijs occaſionem præbui meliora cogitandi. Conatus meus ſaltem fuit, vt exhiberem vtrunq;, Non tamen omnia poſſumus omnes. Impijs vero, & qui pro diuinis, ſua nobis pertinaci tyrannide inculcant, fidens & liber iſta obtrudo, nihil moratus indoctam ferociam, quanquam & ipſis optem ſanum ſenſum, & eorum ſtudia non contemnam, ſed tantum à legitimis ac vere Chriſtianis diſcernam. *1. Cor. 2.*

Auditum enim audio, paratas eſſe denuo in me Bullas, & diras Papiſticas, quibus ad reuocationem vrgear, aut hæreticus declarer. Quæ ſi vera ſunt, hunc Libellum volo partem eſſe reuocationis meæ futuræ, ne ſuam tyrannidem fruſtra inflatam querantur, Reliquam partem propediem editurus ſum talem, Chriſto propitio, qualem hactenus non viderit nec audierit Romana ſedes, obedientiam meam abunde teſtaturus,
In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti,
Amen.

Hoſtis Herodes impie,
Chriſtum venire quid times?
Non arripit mortalia,
Qui Regna dat cœleſtia.

ADVERSVS EXECRABILEM ANTICHRISTI BVLlam, Martinus Lutherus, 1. Decembris, Anno M.D.XX.

IESVS.

MARTINVS LVTHERVS CHRISTIANO Lectori, gratiam Chriſti in ſalutem æternam optat.

FAma peruenit ad me, Chriſtiane Lector, Exijſſe Bullam quandam aduerſum me, pene in omnem terrã, priuſquam ad me, in quem vnice furit, & cui maxime erat inferenda, veniret. Forte quod noctis & tenebrarum ſcilicet filia, timuit lucẽ vultus mei. Hanc tamẽ ipſam Noctuam vix tandem multum adiuuantibus amimicis, in imagine ſua datum eſt videre. Quę cauſa eſt, vt adhuc incertus eſſe cogar, ludent ne in me Papiſtæ mei, Libello quodam famoſo & anonyma, an ſerio & vere ſic Romæ inſaniant. Neq; enim hic ſtylus(vt dicitur(neq; proceſſus Romanæ Curiæ ſeruatus eſt, Tum quod maxime vrget Articulos, & imponit, & damnat, plane ac manifeſte Chriſtianiſsimos, vt mihi omnium veriſimilimum ſit, hanc prolem eſſe monſtri illius Iohannis Eccij, hominis ex mendacijs, ſimulationibus, erroribus hæreſibuſque confuſi & conſuti. Auget ſuſpicionem, quod idem Eccius talis Bullæ Apoſtolus fuiſſe dicitur Romanus, Neq; enim tali Apoſtolatu dignior vllus Apoſtolus. Atq; ſuperioribus diebus audieram, parturiri in Vrbe contra me Bullam quandam, diram & ſæuam, eodem coartifice Eccio, id quod ſtylus & ſaliua indicant, Sed quæ illic bonis & eruditis quibusq; viris ſumme diſpliceret, eoq; differretur, imo opprimeretur.

Verum quidquid ſit, mihi incredibile non eſt, vbi Apoſtolus Eccius auditur, & valet, ibi Antichriſti regnum eſſe, & nihil non inſaniarum homines audere. Interim tamen agam, ne credam, Leonem X. Romanum Epiſcopum cum ſuis eruditis Cardinalibus eſſe harum inſaniarum autores, quod non tam facio, vt Romani nominis honorẽ cuſtodiam, quam ne ſuperbia nimis infler & dignus mihi videar, talia tam pulchra tamglorioſa pati pro veritate Dei. Si enim vere Romanus Epiſcopus in me ſic inſaniret, quis Luthero coram Deo felicior eſſet, qui ob tam manifeſtam veritatem à tanto vertice damnaretur? Quid enim optandum mihi foret, quam vt nunquam abſoluerer, reconciliarer, communicarer Antichriſto iſti indoctiſsimo, impijſsimo, furioſiſsimo?

ſiſſimo? Felix illa dies, felix illa mors, cum gaudio & ſumma gratitudine Deo referenda, ſi quando fiat, vt in iſta cauſa me apprehandat & perdat. Sed alijs dat huius nominis honorē, & dignum quærit iſta cauſa martyrem, Ego peccatis meis alia meritus ſum.

Exiſtimationem igitur ſuam quiſq; habeat de Romanis, Ego, quisquis fuerit huius Bullæ autor, eum pro Antichriſto habeo, & contra Antichriſtum hæc ſcribo, redempturus veritatem Chriſti, quod in me fuerit, quam ille extinguere conatur. Atq; primum, vt nihil in me obtineat ex omnibus quæ voluit, proteſtor coram Deo & Domino noſtro Ieſu Chriſto, & ſanctis Angelis eius & toto mundo, me diſſentire toto corde damnationi huius Bullæ quā & maledico, & execror, velut hoſtem ſacrilegam & blaſphemiam Chriſti filij Dei & Domini noſtri, Amen. Deinde aſſero & amplector fiducia tota ſpiritus mei, Articulos per eam damnatos, aſſerendosq; pronuntio omnibus Chriſtianis ſub pœna æternæ maledictionis, Et Antichriſtos habendos, quicunq; Bullæ conſenſerint, quos & his ſcriptis, cōiuncto mihi omnium ſpiritu, qui pure Chriſtum cognoſcunt & colunt, pro ethnicis habeo & deuito, ſecundum præceptum eiuſdem Domini noſtri Ieſu Chriſti, Amen. Hæc mea Reuocatio eſto, ô Bulla, vere Bullarum filia.

Excommunicatio Bullæ & autorum eius.

HAc mea Confeſsione ſeu Proteſtatione facta, cuius teſtes eſſe volo omnes, qui hæc legerint, antequam ad defendendos declarandosq; Articulos procedam, aliquot argumentis in ipſam Bullam confutandam præludere libuit, quorum primum ab inſcitia Antichriſti huius ſumam. Apoſtolus enim Petrus mandat, vt de ea, quæ in nobis eſt fide & ſpe, rationem reddere parati ſimus. Et Paulus Epiſcopum iubet eſſe potentem exhortari in doctrina ſana, & contradicentes redarguere. Atq; hęc ipſa ſunt, quæ iam in tertium annum efflagitaui & expectaui ė Roma, aut ijs, qui Romam ſapiunt. Quæ & obſeruata legimus in antiquis Patribus diligentiſſime, quoties hæreſes damnarent Sed nec Apoſtoli quippiam in ſuis concilijs ſtatuerunt, niſi allegata primum ſcriptura ſancta. Ita & ego cum expectarem vt facerent vuas, Scripturæ teſtimonijs me erudituri, ecce fecerunt labruſcas, ſuis verbis nudis me condemnantes, cum tot ego Scripturis mea munierim.

Rogo te, Antichriſte indoctiſſime, adeo ne coniunxiſti, cum ſumma inſcitia ſummam temeritatem, vt præſumeres omnes homines eſſe in ſtuporem verſos, & te nudis tuis verbis contra armatiſſimam Scripturam triumphare crediturος? An didiciſti hunc morem damnandi à magiſtralitatibus Colonien: & Louanien.

Si hoc eſt Eccleſiaſtice damnare errores, tantum dicere, non placet, nego, non volo, quis Morio? quis aſinus? quæ talpa? quis ſtipes non queat damnare? Non pudeſcit frons tua meretricia, vt ſic in publico Eccleſiaſtico audeas, inanibus inermibusq; verborum tuorum fumis contradicere cœleſtium verborum fulminibus? Plane dedecoroſam & dignam Antichriſto condemnationem, quæ tot Scripturis ſibi repugnātibus, ne iota quidem habet, quod opponat, ſed vnico verbo occurrit, dicens: Ego damno. Cur Turcę non credimus? Cur Iudæos non admittimus? Cur hæreticos non honoramus?

qui &

Digitized by Google

qui & ipſi noſtra damnant,ſi ſufficit damnare? Niſi ideo non eis cedimus, quia non ſine Scripturis & rationibus nos damnant. Ipſi vero more nouo ſine ſcripturis & rationibus damnamus. Quid ergo in cauſa fuiſſe arbitrer, vt hæc damnatoria Bulla, ſic inanis & inermis, & vere Bulla incederet, niſi inſignem inſcitiam, qua cum mea vera eſſe vidiſſent, & tamen pati nollent, nec confutare poſſent, tentauerunt vano terriculamento perditæ papyri me terrere. Sed Lutherus bellis aſſuetus, Bullis non terretur, & inter inanem papyrum, ac omnipotens verbum Dei diſtinguere didicit.

Eiuſdem inſcitiæ & illud eſt, quod vexante conſcientia non ſunt auſi Articulos nominatim digerere, quoſq; in ordines ſuos. Timuerunt enim, ne hæreticum aſſererent, quem nec erroneum forte nec ſcandaloſum poſſent oſtendere. Proinde, inuenerunt aduerbium reſpectiue, & poſt enumeratos Articulos dicunt, alios reſpectiue hæreticos, alios erroneos, alios ſcandaloſos, quod eſt dicere: Non putamus aliquos eſſe hæreticos, alios erroneos, alios ſcandaloſos, Sed neſcimus qui, quales, quanti. O meticuloſa ignorantia, quam lubrica & fugitiua es, quam odis lucem, vt vertis ac reuertis omnia, ne capiaris ſicut Protheus quidam? Nec ſic tamen euades, imo in aſtutia tua magis comprehenderis & ſubuerteris.

Prodi itaq; indoctiſſime Antichriſte, doce nos ſapientiam tuam, diſtribue tua ipſius verba, dic ſi noſti tu ipſe, quid dixeris, oſtende, quis ſit hæreticus, quis vero erroneus, quis ſcandaloſus, & quis ſit qualiſcunq;. Decet enim tam magnificum damnatorem noſſe, quid damnet, turpiſſimum autem ſit, damnare articulum hæreticum, & eundem non poſſe nominare. Nolo tantum reſpectiue, ſed abſolute & certe doceri. Sum enim Occanicæ factionis, qui reſpectus contemnunt, omnia autem abſoluta habent, vt ſic iocer in iſtam Moriam. Vide ergo, mi Lector, inſignem inſcitiam Antichriſtianam, quam infelici dolo ſe occultare præſumpſit, ſub aduerbio reſpectiue. Non ſolum enim non docet veritatem, & cauſam damnationis, ſed nec errorem monſtrare audet, nec hoc ipſum indicare, quod damnat, & tamen damnat. Nonne lautiſſima damnatio, damnare & neſcire quid damnes? Nonne diſertiſſima oratio, loqui & neſcire quid loquaris? Quin anticyras integras his bullatis morionibus optamus? Sic ſapere & facere debent omnes veritatis Aduerſarij.

Eccius. Sed ſcio quis dolor Iunonem iſtam premat, nempe Eccius meus, memor quam Lipſiæ pudefactus ſit, dum me ob articulos Huſs ſpumantibus labijs ſat plauſibiliter Theatro ſuo, hæreticum terrenties clamaret furioſa voce, & idipſum poſtea probare non poſſet, cum Conſtantienſis damnatio, à me adducta præter ſpem Eccij, nullum certum articulum ſignaſſet hæreticum, Sed & ipſa, ſimilis huic noſtræ, præ ſua quoq; inſcitia, alios hæreticos, alios erroneos, alios offenſiuos dixiſſet. Et Eccius his auditis turpiſſima temeritate in ſemet confuſus falſo & mendaciter me hæreticum à ſe clamatum ſentiret, voluit Romæ huic vulneri ſuo mederi, & mendacium temeritatis ſuæ ſtabilire. Sed non proficiet, prohibente Chriſto, mendax Sophiſta. Expoſtulo enim adhuc, vt abſolute, non reſpectiue, diſtincte, non confuſe, certe, non ſimulanter, clare, non obſcure, ſingulariter, non in genere, dicant quis ſit & quis non ſit hæreticus. Sed quando hæc facient? Quando Chriſtus & Belial conuenient, aut lux & tenebræ ſociabuntur.

QVid ergo faciam ego interim? Primum, meticuloſiſſimos & indoctiſſimos Papiſtas, Antichriſtiq; Apoſtolos contemnā illudāq; eis cum Elia, & dicam. Si Baal Deus eſt, reſpondeat. forte ebrius eſt, aut in itinere, clamate voce maiori, Deus n. eſt, forte audit, Quid n. aliud bullati iſti

aſini mereantur, qui damnant id, quod neſciunt, & neſcire ſe fatentur? Deinde ſecurus ero, nec hæreticus, nec erroneus, nec ſcandaloſus habendus, donec, ſi non conuictum, tamen ſimpliciter & nudis verbis monſtratum fuerit, in quo articulo talis ſim. Neq; enim iam onero Papiſtas meos ſtipites iſtos vt probent, ſed vt monſtrent ſaltem errorẽ, hoc eſt, vt oſtendant an ſciant, quid ſallent ipſimet, ſuamue ſaliuam ſentiant. Dum n. nullum deſignant hæreticum, mei arbitrij eſt, quemuis oblatum negare hæreticum, & aſſerere catholicum.

Sed & hanc ruditatem ferme aſinina rudiorem, quis non ſaueat Antichriſto impijſſimo & rudiſſimo? Quod optimi homines diſcernunt hæreticos ab erroneis, & hos ab offenſiuis, hos à ſcandaloſis, Qua acutiſſima acutiſſimorum hominum diſtinctione colligimus, Erroneum non eſſe hæreticum. *Erroneum.* Quod autem hæreticum non eſt, quid ad damnatores Eccleſiaſticos, qui ſolum hæretica damnare debent? Nam quod hæreticum non eſt, catholicum eſt, Chriſto dicente: Qui non eſt contra vos, pro vobis eſt. Imo vellem dari mihi ab iſtis viris magnificis articulum erroneum in Eccleſia, qui non ſit hæreticus. Si enim erroneus eſt, nihil differt ab hæretico, niſi pertinacia aſſerentis. Omnia enim æqualiter, aut vera aut falſa ſunt, licet affectus in vno aliquo vero aut falſo, maior & minor eſſe poſſit. Vides ergo iterum bullatos meos, non poſſe articulum mihi monſtrare, qui erroneus ſit, & non hæreticus, & iterum lallare, ſicut furioſos, qui neſciunt quid dicant, damnantes in ventum, Erroneum non hæreticum, qui non poſſit eſſe in rebus, neq; verbis, vt quales ſunt articuli, talis ſit & damnatio.

Par ſapientia eſt, ſcandaloſum eſſe, qui nec ſit hæreticus, nec erroneus. Detur, obſecro, ille, non modo in meis, ſed in omnium hominum verbis & ſcriptis, ab initio mundi vſq; in finem. Quis ergo hæc portenta cogitare coegit Papiſtas meos, niſi inſcitia furioſa? Niſi forte ſcandaloſos appellant, quo modo veri & catholici ſunt ſcandaloſi. Nihil enim eſt ſcandaloſius veritate, imo ſola veritas eſt ſcandaloſa ſuperbis & inſenſatis. Sicut de Chriſto 1. Cor. 1. dicitur: Nos prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis ſcandalum, Gentibus ſtultitiam. Et Luc. 2. Poſitus eſt hic in ruinam, & reſurrectionem multorum in Iſrael. Quare cum Papiſtæ mei ſcandaloſos ſecernant ab hæreticis & erroneis, Quod autem hæreticum & erroneum non eſt, id catholicum & verum eſſe neceſſe ſit. Sequitur, articulos ſcandaloſos, ab eis intelligi & damnari catholicos & veros. O digna damnatio Papiſtis. Vide, mi Lector, quorſum ſeſe rotat impietas cæca, quam ſeipſam irridet & illudit, quam facile capitur in ſuis verbis, quam imprudens & ſtulta ſit in omnibus ſuis ſtudijs, Non ſolum non probat errorem & ſcandalum, ſed pro eo, vt monſtret ſolum impoſſibilia & ſibi turpiſſime pugnantia loquitur. Vbi nunc tuum infelix reſpectiue infeliciſſima Bulla? quo reſpexiſti? in barathrum impietatis ſcilicet & ruditatis tuæ.

Nihil ſcandaloſius veritate ſuperbis &c.

Idem dicendum erit de offenſiuis, nam hos neq; ſcandaloſos, neq; erroneos, neq; hæreticos eſſe oportet, cum tantis Papiſtis diſcernantur. Quis ergo non miretur tanta ingenia Papiſtarum, qui inuenire potuerunt, offenſiuum eſſe in eccleſia, quod tamen nec falſum, nec hæreticum, nec ſcandaloſum, ſed verum, catholicum, ędificatorium ſit, & tamen hoc ipſum damnant? Quis vero non ambiat etiam ab ijs inſanis damnari, qui ſua propria damnatione oſtendunt ſe damnata probare, & probata damnare? hoc eſt, truncis & cantibus ſeſe inſenſatiores eſſe, palam cum ſumma ſua ignominia commonſtrant. Ite ergo vos impij & inſenſati Papiſtæ, & ſobrij ſcribite, ſi quid ſcribere vultis. Nam hanc Bullam apparet, vel inter putanas nocturno conuiuio eſſe

egeſtam

egeſtam, aut in canicularibus furiis confuſam, Neq; enim vlli moriones ſic inſanirent.

RETorqueamus autem imprudentiam iſtam Antichriſti in os eius, & ex ſermonibus ipſiuſmet iudicemus & condemnemus eum, vt deinceps diſcat aſtutius & meliore memoria mentiri. Oportet n. mendacem eſſe memorem, iuxta Prouerbium, Si alij ſunt articuli offenſiui & alij hæretici, & tu eum damnas, qui non eſt hæreticus, ac per hoc verus & catholicus, etiamſi ſit ſexcenties offenſiuus, Nonne impudens os tuum damnat ſeipſum, non modo hæreticos, ſed extremæ impietatis & blaſphemiæ, læſæq; maieſtatis in veritatem diuinam? oſtenditq; vere, te enim eſſe hominem, qui aduerſatur & extollitur ſuper omne quod dicitur, aut quod colitur Deus? Nonne tu es homo ille peccati & filius perditionis, qui negat Deum, emptorem ſuum, & charitatem veritatis tollit, vt operationem erroris ſui ſtatuat, quo credamus iniquitati, vt Paulus prædixit? Si enim articulus hæreticus non eſt, non poteſt eſſe offenſiuus aut ſcandaloſus, niſi hæreticis Antichriſtis & Satanis pietatis. Vide ergo, quam pulchre Bulla iſta omnium impudentiſſima imprudentiſſimaq;, dum in me aliud hæreticum, aliud offenſiuum damnat, autores ſuos veros hæreticos & aduerſarios Dei palam declarat, Adeo non eſt ſcientia, non eſt conſilium contra Dominum, adeo impietas cæca capitur verbis oris ſui, adeo verum eſt: Qui iacit lapidem in altum, recidet ſuper caput eius. *Prouer. 18.*

Et quod omnium pulcherrimum eſt, hac impia contradictione ſua reuelantur cogitationes cordium eorum, & nequitiam ſuam, quam volunt maxime cælatam, maxime produnt, incredibili imprudentia. Eſſe ſcilicet eos paratos, ſemel vniuerſam veritatem damnare, cum enim hæreticos afferant, quos hæreticos oſtendere aut nominare non poſſunt, nec ſciunt nec audent. Quid hinc intelligimus, niſi eſſe eos toto corde aduerſarios Chriſti, & paratos dãnare omnem veritatem? & tamen infelici hypocriſi fingunt ſeſe damnare hæreſes. En vobis, ô Bullates aſini, diſcite tandem, quid ſit, Chriſtum eſſe ſignum contradictionis, & petram ſcandali, quam ſubito & facili negotio denudata eſt omnis interior impietas & ignominia veſtra, eis ipſis verborum operculis, quibus eam contegere fruſtra ſtuduiſtis. Habemus itaq; hoc primo & euidenti argumento, Bullam hanc non eſſe niſi Antichriſti, ſummi aduerſarij Dei & pietatis. Agnoſcat nunc eam, ſi audet, ſiue Eccius ſiue Papa, & ſciet, quo nomine, & qua opinione ſit nobis obſeruandus. In vnum enim cumulum, hic omnia peſſima nomina conuenerunt, Impietas, blaſphemia, inſcitia, imprudentia, hypocriſis, mendacium. Breuiter Satanas ipſe cum ſuo Antichriſto.

NEc minus reuelat impietas iſta ſeipſam, & eo, quod nunc dicam, Decernit enim Bulla iſta eximia, apertis impudentiſſimiſq; verbis, Eſſe exurendos etiam eos Libellos meos, In quibus errores non ſunt, vt memoria mei penitus tollatur, Potes nunc Chriſtiane Lector, dubitare infernalẽ Draconem ionare per Bullam iſtam? Vulgo dicitur, Aſinum ideo male cantare, quia altius orditur, Et iſta quoq; Bulla felicius cecinisſet, ſi non blaſphemum os ſuum in cœlum poſuiſſet, impudenti plus quã diabolica impietate, veritatem etiam confeſſam & probatam damnatura. Hactenus n. Satanas veritatem ſub ſpecie veritatis oppreſſit, quoties oppreſſit. At hic homo peccati, aduerſarius & eleuatus ſupra Deum, poſita ſpecie, apertaq; fronte, idq; in Eccleſia Dei abſq; timore, veritatem Chriſtianam & cognitam & probatam à ſeipſo & omnibus damnat & exuri mandat. Quid ſi hæc in Turcia fierent? Quo loco hæc vox rogo, digna, niſi imo tartaro? Et non timetis Bullati vos *2. Theſſ. 2.*

Antichri-

Antichriſti, ne ſaxa & ligna ſanguinem ſudent, præ horrentiſſimo hoc ſpectro impietatis veſtræ & blaſphemiæ.

Vbi es nunc optime Carole Imperator? vbi eſtis Reges & Principes Chriſtiani? Chriſto dediſtis nomen in Baptiſmo, & has tartareas voces Antichriſti poteſtis ferre? Vbi eſtis Epiſcopi? Vbi doctores? vbi quicunq; Chriſtum confitemini? ad hæc horribilia Papiſtatum portenta tacere poteſtis? Miſeram Eccleſiam Dei, factam Satanæ tantum ludibrium. Miſeros omnes, qui his temporibus viuunt. Venit, venit ira Dei in finem ſuper Papiſtas, inimicos crucis Chriſti & veritatis Dei, vt reſiſtant & ipſi omnibus hominibus, prohibentes prædicari & doceri veritatem, ſicut de Iudæis dicit Paulus. 1. Theſſ. 2.

FInge, quæſo, me eſſe talé, qualem illa maledica & maledicta Bulla videri cupit, hæreticum, erroneum, ſchiſmaticũ, offẽſiuũ, ſcandaloſum, in aliquot Libellis. Quid metuere Libelli catholici, Chriſtiani, veri, ædificatorij, pacifici? Vbi didiciſtis hanc religionem, Papiſtæ perditi, vt propter hominem malum damnetis & exuratis ſanctam caſtamq; Dei veritatem? Non poteſtis homines perdere, niſi & veritatem perdatis? Vos triticum euellitis cum zizania? vos grana diſpergitis cum palea? Cur Originem ſuſcipitis in Libellis catholicis, & non in totum aboletis? imo, cur impijſſimum Ariſtotelem, in quo non niſi errores docentur, non ſaltem in parte damnatis? Cur impias, barbaras, indoctas, hæreticaſq; Decretales Papæ non exuritis? Cur inquam, hæc non facitis, niſi quod non eſtis alia cauſa poſiti in locum iſtum ſanctum, quam vt ſitis abominatio à Daniele prædicta, quæ damnet veritatem, ſtatuat vero mendacium & operationem erroris, Non enim alia decent ſedem Antichriſti. Origines. Ariſtoteles.

TE igitur Leo X. vos Domini Cardinales Romæ, & quicunq; Romæ aliquid eſtis, compello & in faciem vobis libere dico. Si veſtro nomine, veſtraq; ſcientia hæc Bulla exiuit, eamq; veſtram agnoſcitis, Vtar & ego poteſtate mea, qua in baptiſmo per Dei miſericordiam, factus ſum filius Dei, & cohæres Chriſti, fundatus ſupra firmam petram, quæ nec portas Inferi, nec cœlum, nec terram formidat, & dico, moneo, hortor vos in Domino, vt ad cor redeatis, iſtis diabolicis blaſpemijs, & plus valde nimio audacibus impietatibus modum ponatis, atq; id cito. Quod niſi feceritis, ſcitote, me cum omnibus, qui Chriſtum colunt, veſtram ſedem, à Satana ipſo poſſeſſam & oppreſſam, pro ſede damnata Antichriſti habere, cui non modo non obediamus, aut ſubditi & concorporati eſſe velimus, ſed deteſtamur & execramur, ſicut principem & ſummum hoſtem Chriſti, parati pro hac ſententia noſtra, ſtultas veſtras cenſuras non modo cum gaudio ferre, ſed etiam rogare, ne vnquam nos abſoluatis, aut inter veſtros numeretis, quin vt cruentam veſtram tyrãnidem expleatis, ad morte nos vltro offerimus. Quod ſi quid ſpiritus Chriſti & impetus fidei noſtræ valet, his ſcriptis, ſi perſeueraueritis in furore iſto, vos damnamus, & vna cum Bulla iſta, omnibuſq; Decretalibus Satanæ tradimus, in interitum carnis, vt ſpiritus veſter in die Domini nobiſcum liberetur, in nomine, quem vos perſequimini, Ieſu Chriſti Domini noſtri, Amen.

Viuit enim adhuc & regnat adhuc, in quo non dubito, Dominus noſter Ieſus Chriſtus, quem & ſperamus prope diem aduenturum & interfecturum ſpiritu oris ſui, & deſtructurum illuſtratione aduentus ſui, hunc Hominẽ peccati & filium perditionis, quandoquidem negare non poſſumus, ſi Papa iſtorum portentorum autor eſt, ipſum eſſe, verum illum finalem, peſſimũ, famoſumq; Antichriſtũ, ſubuertentem orbem totum, operationibus erroris ſui, id

quod impletum vbiq; videmus. Sed quo me rapit ardor fidei? Nondum totus perſuaſus ſum, Papæ eſſe hanc Bullam, ſed Apoſtoli illius impietatis Eccij, qui cum ſuis Patribus, furente hiatu, me abſorbere feſtinat, cantans: Deglutiamus eum, ſicut infernus, viuentem, & integrum quaſi deſcendentem in lacum. Huic enim furioſo homini parum imo lucrum videtur, ſi veritatem Dei extinguat, modo vota impietatis & fratricidij impleat. O ſortem Eccleſiæ hodiernam, ſanguineis lachrymis dignam. Sed quis gemitus noſtros audit? quis plorantes ſolatur? Inexorabilis eſt furor Domini ſuper nos.

ADdunt ijdem homines, vt ſunt admodum faceti & ſuaues, quoddam ridiculum, quo pro ſua prudentia temperant ſeria ludo. Scribentes mihi ſuper omnia, quæ in me contulerunt immenſa ſtudia, etiam ſumptum & pecuniam ad iter Romanum obtuliſſe. Scilicet noua charitas Romæ, quæ orbem exhauſit pecunijs, & vaſtauit tyrannide ſua intolerabili, mihi vni pecuniam offert? Verum, hoc inclytum mendacium ſcio cuius fabri ſit, Caietanus Card. ad mendacia componenda natus & formatus, functus legatione ſua feliciſſima, nunc Romæ ſecurus, fingit mihi per ſe promiſſam eſſe pecuniam, cum Auguſtæ, tam ſordida infamiq; ageret penuria, vt crederetur familiam ſuam fame occiſurus. Sed Bullam decet eſſe Bullam, & veritate & ſapientia inanem. Et damnatoribus iſtis ius eſt nobis mandare, vt eſſe veraces eos credamus, dum mentiuntur, & catholicos, dum hæretica docent, & Chriſtianos, dum Antichriſtum ſtatuunt, per illud diſtributiuum vniuerſale: Quodcunq; ligaueris, vbi cum nihil exceptum ſit omnia per omnia eis licent, & non potius ex diabolo conceperint, qui non ſolum mentiuntur manifeſte, ſed quod omnem impudentiam ſuperat, mendacio eodem ſeſe ad plauſum popularem in mei inuidiam ornant, & charitatem ſeſe mihi exhibuiſſe, altero iam mendacio fingunt, cum ſi quid veritatis, pietatis, grauitatis, Romanis iſtis tyrannis ineſſet reliquũ, omni ſtudio cauere debuerint, omnia ita in luce clare ab eis dici & geri, vt nec aduerſarius ſuſpicionẽ haurire mali cuiuſquã poſſit.

At nunc ſi nihil eſſet aliorum, quæ Bullam iſtam eleuarent, hoc craſſum & ineptum mendacium, eam leuem, vanam & falſam arguit. Roma, quæſo, mihi pecunias exhiberet? Et vnde illud, quod compertum habeo, Eſſe videlicet per Trapezitas iſtos (quod Bancum vocant) definitos in Germania aliquot centenarios aureorum Sicarijs, qui Lutherum conficerent? His enim rationibus & ſcripturis hodie pugnat, regnat, triumphat ſancta illa Apoſtolica ſedes, magiſtra fidei, & mater Eccleſiarum, iam dudum Antichriſtiana, & bis ſepties hæretica, conuicta, ſi gladio ſpiritus, quod eſt verbum Dei, pugnaſſet, id quod non ignorat, Ideo, ne quando ad id cogatur periculi, ſic furit in orbe Chriſtiano, bellis, cædibus, cruoribus, mortibus, vaſtationibus, omnia inuoluens & perdens, adhuc tamen ſunt ſanctiſſimi in Domino Patres, & omnium Chriſti Vicarij, Paſtores.

Sed age, vt & ipſe colludam, adhuc mittant pecuniam, fidem enim ſeu conductum ſaluum, ne nimium eos grauem, libens reſigno, cum non ſit opus eo, modo propicia ſit pecunia, tantã autem expecto, quanta ſatis fuerit, vt viginti millibus peditum, & quinq; millibus equitũ inſtructus, Romam tutus ire queã, qua arte mihi ſatis fidei parabo, & hoc propter Romam, quæ deuorat habitatores ſuos, nulla nec ſeruata, nec ſeruanda fide, vbi ſanctiſſimi Patres occidunt dilectos filios ſuos, in charitate Dei, fratresq; perdunt fratres, in obſequium Chriſti, ſicut eſt moris Romani atq; ſtyli. Interim liber

 ero ab

ero ab iſtius venerabiliſſimæ Bullæ citatione. O vos infelices nebulones, qui veritate & conſcientia ſic eſtis confuſi, vt nec mentiri prudenter poſſitis, nec verum dicere audeatis, & tamen ſumma ignominia veſtra quieſcere non valetis.

AFfert quoq; Bulla nouam latinitatem. Cum enim Auguſtinus dixiſſet, ſe Euangelio non crediturum fuiſſe, niſi autoritate Eccleſiæ fuiſſet commotus, Mox Bulla iſta Inclyta, hanc Eccleſiam catholicam facit, quoſdam fratres reuerendiſſimos Cardinales, Priores ordinum regularium, Magiſtros Theologiæ, & Doctores Iuris, Quorum conſilio ſe natam gloriatur, ſcilicet nouam prolem vniuerſalis Eccleſiæ. Felix certe partus nouę illius & hactenus inauditæ Eccleſiæ catholicæ, & quam Auguſtinus acerrimus ſectarum inſectator, ſi videret, non dubitaret Synagogam Satanæ appellare. Vide ergo inſaniam Papiſtarum, Eccleſia vniuerſalis eſt, quidam pauci Cardinales, Priores & Doctores, forte vix viginti homines, cum poſſibile ſit nullum eorum eſſe membrum vnius capellæ vel altaris. Atq; cum Eccleſia ſit communio Sanctorum, vt in ſymbolo oramus, Sanctorum communione, id eſt, Eccleſia vniuerſali, excluſos eſſe oportet, quicunq; non fuerint in numero iſtorum viginti hominum. Vnde quidquid ij ſenſerint ſancti viri, id mox vniuerſalis Eccleſia ſentit, etiam ſi mendaces, hæretici & Antichriſti ſunt, non niſi abominabilia ſentientes.

Adeo ne Romæ inſanire vllus credere potuiſſet? Eſt ne cerebri aut cordis eis reliquum quidquam? Auguſtinus de Eccleſia per orbem diffuſa loquitur, Euangelium concorditer confitente. Neq; enim vllum alium librum Deus voluit tanta concordia orbis approbari, quanta ſacram Scripturam (vt idem in Confeſſ. ſuis dicit) ne ſchiſmatibus occaſio fieret alijs identidem receptis, id quod impia ſedes Romana ſuis Decretis quæſiuit, multis iam ſeculis, & heu magna ex parte confecit. Sed vniuerſalis Eccleſia nondum ei conſenſit. Sunt enim in oriente, aquilone, & auſtro Chriſtiani Euangelio contenti, nihil curantes, quod Roma ex ſeipſa particulari vniuerſalem Eccleſiam facere conatur, & cæteras ſchiſmaticas criminatur, cum ipſa ſit pelma, quæ ſe à tota ſeparanit, & ad ſe totam rapere fruſtra molita eſt, princeps & fons omnium ſchiſmatum, hac tyrannide facta. *Sacra Scriptura.*

NEmo ergo ſperet, vnquam fore, vt Eccleſia catholica ſapiat, quæ Bulla iſta impia blaterat, cum nec ea, quæ vera eſt Romana, ſic ſapiat, nec continuo catholicum habeat, quidquid Romanum eſſe conſtiterit. Nullus (vt dixi) Liber catholicus vltra futurus eſt, ſicut neq; fuit, præter Scripturam ſanctam. Romanæ Eccleſię abunde ſatis eſt gloriæ, partem eſſe paruam vniuerſalis Eccleſiæ, ſuis ſtatutis ſeipſam vexantem. Curiæ potius Romanæ iſta Bulla eſt, hanc enim Satanæ ſedem decet talis ſapientia & religio, Ipſa eſt, quæ nititur vniuerſalis Eccleſia haberi, & ſuas ſtultas & impias Bullas, pro catholicis dogmatibus, toti orbi arrogantiſſime ſed vaniſſime obtrudit, Cuius ſuperbia & temeritas eo creuit, vt de ſola poteſtate præſumat, citra omnem doctrinam & ſanctimoniam vitæ; de omnibus ſtatuere hominibus, eorumq; dictis & factis, quaſi ob ſolam poteſtatem aut ſublimitatem ſpiritus habitaculum & Eccleſia Chriſti ſit, cum hac ratione & Satanas, cum ſit princeps mundi, aut Turca, Eccleſia Chriſti dici poſſit. Sed neq; gentium imperia potentes citra ſapientiam & bonitatem ferunt, Tum in Eccleſia ſolum ſpiritualis omnia iudicat, & à nemine iudicatur, vt 1. Cor. 2. dicitur, Non vtiq; ſolus Papa aut Curia Romana, niſi ſpirituales ſint. *1. Cor. 2.*

Verum, vniuerſæ eorum temeritati oppono conſtanter inuictum Paulum 1. Cor. 14. Si alteri ſedenti reuelatum fuerit, prior taceat. Hic clare habes, Papam & quemuis alium maiorem debere tacere, ſi alteri inferiori in Eccleſia reuelatum aliquid fuerit. Hac ego autoritate nixus, contempta Bullæ temeritate, cum fiducia articulos defendendos ſuſcipio, nullius nudam damnationem tanti facturus, etiamſi Papa ſit cum tota ſua Eccleſia, niſi Scripturis me erudierit.

Si alteri ſedenti reuelatum fuerit &c. — *1. Cor. 14.*

QVORVM PRIMVS EST.

HAEretica eſt ſententia ſed vſitata, Sacramenta nouæ legis gratiam dare illis, qui non ponunt obicem.

AGnoſco articulum meum, & quæro ex vobis, egregij Domini Reſpectiuiſtæ, qui alios reſpectiue hæreticos, alios erroneos, alios ſcandaloſos decreuiſtis. Quo reſpicit hic articulus? ad hæreſim? ad errorem? ad ſcandalum? aut quo vos reſpexiſtis eum damnantes? ad Scripturã ſanctam? ad ſanctos Patres? ad fidem? ad Eccleſiam? Quin dicitis? nec dum enim vos probandi negotio moleſto, ſed indicandi ſolum debitum expoſtolo, vt ſciam, quid deſit mihi. Vultis infantes pueri, vt ego dicam? Dico ergo.

Hic articulus reſpectus duos habet, Altero reſpicit ad Papiſtas damnatores ſuos, inter quos videt alios reſpectiue mulos, alios equos, quibus non eſt intellectus, vt qui prorſus nihil intelligant & tamen omnia damnent. Altero reſpicit ad ſacram Scripturam, quæ docet Rom. 14. Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſſe. Ex quo ſequitur, Sacramenta nouæ legis non dare gratiam incredulis, cum incredulitas ſit maximum peccatum, & obex craſſiſſimus, ſed ſolum credentibus. Sola enim fides non ponit obicem, cætera omnia ſunt obex, etiamſi obicem illum non ponant, quem Sophiſtæ ſomniant de actuali tantum propoſito externi peccati. Confiteor ergo articulum non eſſe meum ſolum, ſed veritatis catholicæ & Chriſtianæ. Bullam vero damnatricem eius eſſe bis hæreticam, impiam & blaſphemam cum omnibus, qui eam ſequuntur, qui neglecto peccato incredulitatis inſaniunt, obicem tolli, ſi homo peccare deſinat, etiamſi nihil incredulus boni cogitet. Verum, hæc latius & in Libellis meis probaui, & probabo, ſi Romani iſti lallatores ſua auſint aliquando probare, me confutaturi.

Rom. 14.

II.

In puero poſt baptiſmum negare remanens eſſe peccatum, eſt Paulum & Chriſtum ſimul conculcare.

ET hunc exigerem, vt probarent recte damnari, ſi Domini mei præ reſpectibus ſuis non eſſent excæcati, vt nec hoc perſpicerent, quo nomine eum velint damnatum haberi. Neſcio enim hæreticus ne ſit an erroneus, Et quid mirum? cum nec id damnatores eius ſciant. Aſſero ergo & hunc articulum per Apoſtolum Rom. 7. Ego ipſe mente ſeruio legi Dei, & carne legi peccati. Hic aperte Apoſtolus ipſemet de ſe confitetur, peccare in carne ſeu peccato ſeruire Et 1. Cor. 1. Chriſtus factus eſt nobis à Deo iuſticia, ſapientia, ſanctificatio, & redemptio. Quomodo autem ſanctificat ſanctificatos? niſi quod iuxta Apoca. Qui ſanctus eſt, ſanctificetur adhuc. At ſanctificari eſt, à peccatis mundari Verum, quid reſpectiuiſtis Bullatis, & Paulo Apoſtolo? Ipſi ſunt tota Eccleſia vniuerſalis, quorum autoritate Paulus aut ſtat aut

Rom. 7. — *1. Cor. 1.*

cadit,

cadit.cum ſit membrum & pars Eccleſiæ. Increpet Dominus in te Satan, & in ſatanicos iſtos tuos Papiſtas.

III.

Fomes peccati, etiam ſi nullum adſit actuale peccatum, moratur exeuntem à corpore animam, ab ingreſſu cœli.

DE hac quidem re nihil hactenus definiui, ſed copioſe ſatis & probabiliter diſputaui, Nec hodie certus ſum, quid cum tali anima agatur. At talpæ noſtræ Papales, cum nec dum videant, quo nomine h c articulus eis ſit dignus damnatu viſus, Audent etiam aſſerere, quod tota Eccleſia vniuerſalis ignorat. Ego tamen adhuc iſta futili & ſtulta damnatione contempta, teneo articulum probabiliter eſſe verum. Cum enim fomes ſit peccatum vere, vt ex Rom. 7. & Gal. 5. probaui, & peccatum non ſinat intrare cœlum, ſicut ſcriptum eſt: Nihil inquinatum intrabit, arbitror fomitem peccati remorari ingreſſum cœli. Neq; enim hic pili facio ſomnia eorum, quibus peccatum fomitis extenuantes, pœnam peccati & defectuum vocant, contra apertas Scripturas, quæ peccatum appellant, & per gratiam (quæ peccati veri & non ficti medicina eſt) ſanari docent.

IIII.

Imperfecta charitas morituri fert ſecum neceſſario magnum timorem, qui ſe ſolo ſatis eſt, facere pœnam purgatorij, & impedit introitum regni.

ISte ex præcedenti ſequitur, quem æque non aſſerui, licet probabiliter verũ adhuc aſſerã, prius petita diſpenſatione, arbitrio, meo proprio, etiam inuita Bulla, quæ aliam non afferre probationem poteſt, niſi hanc: Nos ſumus ſublimiores in Eccleſia tyranni, imo ipſa Eccleſia, ergo ſumus doctiſſimi & ſanctiſſimi, pleni ſpiritu ſancto, non potentes errare, etiam ſi omni ſpurcitia omnium criminum, omni inſcitia per orbem fœteamus, ceu lerna quædam. Sed iſtis rationibus apud me nihil promouetur, promouetur autem coram illis, qui metuunt, ne ſi mea ſententia obtineat, purgatorium è manu Papæ dilabatur, tum defunctorum vexandorum (redimentorum volui dicere) officia quæſtuoſiſſima, tanto damno accepto, Sacerdotes & Religioſos ad famem adigant. Oportuit ergo auaritiam hic vigilare, nec ſinere ſuas friuolas opiniones, ſed turpilucroſiſſimas, veritate ſuperante occidere.

V.

Tres eſſe partes pœnitentiæ, Contritionem, Confeßionem, Satisfactionem, non eſt fundatum in Scriptura ſacra, nec in antiquis ſanctis Chriſtianis Doctoribus.

HIc articulus quo reſpectu damnetur, ſatis intelligo, reſpectiuus enim eſt ad auaritiam. Quare & probationem eorum reſpectiuam ſcio, quæ talis eſt, Si articulus eſſet verus, tunc homines nihil darent pro ſatisfactione & indulgentijs, Nec haberemus eos amplius vexare, Confeſſionibus, Caſibus reſeruatis, reſtrictis, ampliatis, pro noſtro lucro, Et ſic pauperes fieremus, & cultus Dei minuerentur, in vigilijs & miſſis. Sed cultum Dei minui eſt impium. Quare Lutherus eſt hæreticus, Tenet conſequentia, à reſpectu Bullæ, ad Papiſtas, & econtra.

Te per Dominum Ieſum oro, ſi quis grauis & eruditus Lector hæc legeris, mihi indulgeas, leuitatem & (vt ſic dixerim) puerilitatem iſtam. Vides enim cum ijs hominibus mihi rem eſſe, qui bis pueri ſunt, & tamen omnium virorum Heroas ſeſe iactant. Diſpeream, ſi non compertiſſimum habeo, maximos & anteſignanos duces populorum hac (quam recitaui) plus quam ſepties ſtulta & ridicula Ratiuncula motos, ad meorum libellorum damnationem. Ego niſi iram Dei ſuper nos ſæuientem fleris intelligerem, qua effœminatis pueris, & feci illi hominum vltimæ ex omni terra, nos ſubiecit, præ indignitate rei dirumperer. Mea ſententia fuit & eſt hæc, Satisfactionem eam, quam claues queant tollere, non eſſe iuris diuini, ſin eſſet, non poſſe eam tolli per claues. Si quid aliud mihi hoc articulo iſti Bullatores imponunt, ſuo more faciunt, Quid enim refert, ſi Antichriſtus mentiatur?

VI.

Contritio, quæ paratur per diſcuſſionem, collectionem & deteſtationem peccatorum, qua quis recogitat annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ, ponderando peccatorum grauitatem, multitudinem, fœditatem, amiſſionem æternæ beatitudinis, ac æternæ damnationis acquiſitionem, Hæc contritio facit hypocritam, imo magis peccatorem,

PRoh incredibilem cæcitatem & inſcitiam Bullarum iſtarum, Meus certe eſt articulus & Chriſtianiſſimus, quem mihi innumerabilibus Papis & Papiſtis non patiar extorqueri. Hoc enim ea doctrina egi, pœnitentiā nullius eſſe momenti, niſi in fide & charitate fieret, quod ipſimet docent quoque, niſi quod nec quid fides, nec quid charitas ſit, aut ſciunt aut docent. Ideo dum mea damnant, ſua ipſorum imprudenti contradictione damnant, Dico ergo, qui pœnitentiam ſic docet, vt promiſſę miſericordię Dei & fidei in eandem non maiorem habeat curam, quam carnificinæ iſtius, hic pœnitentiam Iudæ Iſchariotis docet, peſtilens eſt, diabolus animarum, & carnifex conſcientiarum, Lege autem libros illorum Sophiſtarum, de Pœnitentia, & videbis eos nec promiſſionis, nec fidei vllam mentionem facere, Has enim partes pœnitentiæ viuas omittunt, & ſolis mortuis contritionibus homines exagitant. Sed latius alias.

Sed quid denuo articulos omnes probem, cum extent Libelli, vbi omnium rationem reddidi abunde, plura daturus, ſi aduerſarij ſua quoque in lucem dediſſent. Quæ eſt enim ſtultitia, vt hoc vno mihi reſponſum velint, quod dicunt, ſibi damnata videri omnia mea, cum ego in hoc ipſum ſcripſerim, vt ſuos errores ipſi agnoſcerent, quibus populum Dei hactenus dementauerunt, non hoc expectaui, vt damnarer, qui ſciens & prudens, damnata iam olim ab eis, adductis Scripturis & rationibus iuſtificaui. Nec volui vt dicerent, quid ipſi ſaperent. Sciebam enim omnia, ſed an recte ſaperent, id quæſitum eſt a me, hic volui erudiri, Et ecce nemo audet prodire.

Quare video, aſinos iſtos non modo mea & ſua non intelligere, ſed pro inſigni hebetudine nec hoc percepiſſe, quid meis Libellis quæſierim. Arbitrantur enim ſe tales in opinione mea eſſe, apud quos ſit veritas, cum nihil minus de eis ſuſpicatus ſim. Cum enim olim ab eis omnia iſta ſcirem damnata eſſe, non damnandus, ſed velut iam damnatus ab eis prodij, damnationē eorum traducturus, impiam & hæreticam & blaſphemam, eoſque niſi ratione reddita, recte ſeſe ſapere docuiſſent, erroris & hæreſeos crimine publice reos acturus.

ſtutus, ipſi velut ridiculus Citharœdus, chorda ſemper eadem oberrans, petito principio, aliud non reddunt, niſi damnamus, quæ damnauimus, noua Dialectica probantes idem per ſeipſum, damnationem per damnationem. O ineptiſſimos & inſulſiſſimos damnatores, vbi manet illud Petri: Semper parati ad reddendam rationem, de ea, quæ in vobis eſt, fide & ſpe. 1.Pe.4.

Quare, cum Papiſtæ & Balliſtæ iſti ignorantiſſimi ante veritatis manifeſtæ faciem ſic ſint confuſi, metuq́; percuſſi, vt pro ſe ſuaq́; ſententia ne hiſcere quidem audeant, & meticuloſiſſimam hanc Bullam æ‹gre› emutierint. Ego inimicorum fuga erectus, hanc meticuloſam damnationem vice approbationis robuſtiſſimæ accepto, & ſuam in eos ipſos retorqueo damnationem, Qua enim ratione ſeipſos poſſent magis damnare, quam dum metuunt erroris & hæreſeos rei inueniri, ſi rationem reddere cogerentur, ad hoc extremum & fruſtraneum miſerorum effugium labuntur, vt clauſis & oculis & auribus, dicant: Nolo, damno, non audio, non admitto, Si ego ſic inſaniſſem, obſecro, quanta gloria in me triumpharent? Degeneres animos timor arguit.

Ego itaq́;, ne prolixo Lectorem grauem ſermone, ſi ſingulos articulos proſequar, his ſcriptis teſtor, me omnia damnata per Bullam iſtam execrabilem, confiteri pro catholicis dogmatibus, de quibus rationem reddidi editis Libellis. Deinde, adhuc volo Libellos meos in orbe vagantes vice publicæ accuſationis haberi aduerſus impios iſtos Sophiſtas, populi Dei ſeductores, ita vt niſi ratione reddita me conuicerint, & ſua ſtatuerint, reos erroris, hæreſeos, ſacrilegij, quantum in me fuerit, mihi cenſeantur, monens, rogans, hortansq́; in Domino omnes, qui Chriſtum vere confitentur, ab eorum peruerſis & impijs doctrinis ſibi caueant, & verum illum Antichriſtum per eos in orbe regnare non dubitent. Quod ſi quis fraternum hoc monitorium meum contempſerit, ſciat me eſſe mundum à ſanguine ſuo, & in extremo iudicio Chriſti excuſatum, Nihil enim omiſi, quod charitati Chriſtianæ debui. Porro ſi alia via non queo Damnatoribus verboſis & inanibus reſiſtere, Vltimum quod habeo, exponam, nempe, hanc animam, & nunc ſanguinem. Melius eſt enim me millies occidi, quam vnam ſyllabam damnatorum articulorum reuocare. Et ſicut ipſi me excommunicant pro ſacrilega hæreſi ſua, ita eos rurſus ego excommunico, pro ſancta veritate Dei. Chriſtus Iudex viderit, vtra excommunicatio apud eum valeat,

AMEN,

ASSERTIO OMNIVM ARTICVLORVM MARTINI LVTHERI, per Bullam Leonis X. nouiſſimam damnatorum.

VIRO IMAGINIBVS ET PIETATE INSIGNI, FABIANO FELICI, Equiti Germano, ſuo in Domino Patrono, Martinus Lutherus in Chriſto ſalutem.

QVod ſæpius ſum antea teſtatus, Fabiane Felix, imo feliciſsime, eſſe & in Laicis ſpiritum iudicij & ardoris (vt cum Iſaia dicam) vel tu maxime euincis & declaras, qui de re Chriſtiana, quam valeas, pure, argute, pie, feliciterq; & iudicare & diſſerere, cum eſſemus, Philippus meus & ego, coram Eilenburgæ, quam egregium ſpecimen oſtendiſti, Neq; dubito in hac Aula eſſe æmulos tibi quam plurimos, ita vt gaudeam plane, videns admirabile Dei cōſilium & iudicium, quo cum peruerſis peruertitur, & cum electis electus fit. Nos enim, qui de clero Domini ſumus, & quos Laicorum oportuit eſſe Magiſtros, dum auerſi dorſum dedimus Chriſto & Euangelio eius, eadem menſura & ipſe nobis dorſum vertit, Vt ſicut eum nos prouocamus in eo, qui non eſt Deus, & in verbo, quod non eſt Euangelium, Ita rurſus ipſe nos prouocat in ijs, qui non ſunt Clerici, & in ijs, qui non ſunt Magiſtri, laicis videlicet puram tribuens ſui notitiam, nobis relinquens ſtultas noſtras & impias opiniones.

Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum. Cum ergo hactenus multa & ſcripſerim & dixerim, neſcius tantam eſſe in paſtoribus Iſrael cæcitatem, nihil merui tamen, niſi vt detraherent mihi, pro eo vt me diligerent, & pro bono redderent malum, donec eo vſq; in ſuam ipſorum ſalutem inſanirent, vt Libellos meos publice damnarent & exurerent Coloniæ & Louanij, Nam ij præ cæteris habent zelum Dei, ſed non ſecundum ſcientiam, In qua re tantum abeſt, vt mouear, vt me vehementer miſereat cæcitatis & perditionis illorum, imo & puerilis ſtultitiæ, Quid n. facilius, quam Libros, quos redarguere non poſsis, exurere: Exuſſit impius Rex Ioakim libros Ieremiæ Prophetæ, ſed non in hoc iuſtificabatur.

Pſalm 119. *Pſal. 109.* *Iere. 36.*

Verum, vt dixi, pertinet & hoc ad peruerſitatem noſtram & ſenſum reprobum, in quem nos tradit Deus, vt Clerici veritatem damnemus, quam Laici amplectuntur, & fiant ſacerdotes, qui ſacerdotes non ſunt, laici, qui laici non ſunt. Quare viſum eſt, deinceps ad vos Laicos, nouum genus Clericorum, ſcribere, & ſub nominis tui felicitate (quod Deus faxit) feliciter ordiri, aſſerturus ac muniturus omnia illa, quæ incendiarij illi per Bullam ſibi ſimilimam damnauerunt. Tu itaque hoc monumento me, imo Chriſtianam doctrinam tibi & vniuerſæ Nobilitati veſtræ commendatam facito, ac

VALE.

Vuittenbergæ, Anno M. D. X X.
I. Decembris.

ASSERTIO OMNIVM ARTICVLORVM MART. LVTH. PER BVLLAM Leonis X. nouiſsimam damnatorum.

QVanquam abunde ſatis prioribus Libellis meis rationem reddiderim, de articulis iſtis nouiſsima Leonis X. (vt vel fingitur vel fertur) Bulla damnatis, & ipſi quicunq; autores eius fuerint, ſuæ damnationis prorſus nullam cauſam reddiderint, ne iota quidem è ſacris Scripturis adducto, Video tamen paſsim à multis deſiderari, alteram & propriam ſuper eoſdem omnes & ſingulos declarationem, forte quod ſpeciem illam detrahi, neceſſe ſit, qua per titulum Romani Pontificis & nomina aliquot Doctorum adornata Bulla, apud vulgum nonnihil autoritatis inuenire poſſet, qui vaniſsima perſuaſione deceptus, quidquid nomine Papæ prodit, ſtatim credit à Deo prodire. Fruſtra tot in contrarium exemplis & quotidianis monſtris eum fideliſsime mouentibus, Quibuſdam & meæ fiduciæ magis quam populari illius ruditatis rationem habuiſſe videor, dum contempta Bullæ inſcitia pauculos nuper articulos defendi, quod illis factum videri poſsit, conſcientia exhauſtæ vel impotentis eruditionis.

Aggredior ergo illorum votis obſecuturus, & non quid mihi, ſed quid illis commodum ſit, ſpectaturus, denuo Reſolutiones ſcribere, forte non inutiliter, cum hic tractari neceſſe ſit, fidei & religionis noſtræ ſumma ſacramenta, Quæ vt impium eſt ignorare, ita Chriſtianiſsimum eſt ſic noſſe, vt non modo confiteri, ſed & tueri poſsis. In quam rem (ſi Chriſtus aſpiret) ſedulam hoc Libello dabo operam, quando hoc temporis, quo tyrannidis Sophiſticæ nouiſsima omniumq; nocentiſsima perſecutio ſæuit, nō ſatis eſt noſſe Chriſtum, ſed diuenditis pera & tunica, propter gla-
Lucæ. 22. dium emendum inſtructis armaturis etiam tueri oportet. Quod vt liberius & felicius efficiam, viſum eſt præuenire aduerſarios, & præmonere, quo campo, quibus armis & ſignis mihi velim eos congredi.

PRimum ſcire conteſtatoſq́, eſſe eos volo, me prorſus nullius quantumlibet ſancti patris autoritate cogi velle, niſi quatenus iudicio diuinæ Scripturæ fuerit probatus, id quod ſcio illos vehementer ægre laturos. *Nullius S. Patris autoritatem audiendam, niſi eum ſacris literis conſentiat.*
Sentient enim, hac ratione ſeſe ad primum ſtatim congreſſum ruituros, vt qui conſcij ſibi ſunt, ſtudia ſua contemptis ſacris literis, ſolum in autoribus humanis eſſe detrita. Dicentq́; illud omnium ore & calamo vſitatum, à paucis tamen intellectum, quod in Canonibus Pontificum docetur, Non eſſe Scripturas ſanctas proprio ſpiritu interpretandas. Cuius verbi peruerſiſſima intelligentia eo proceſſerunt, vt Scripturas non niſi proprio ſpiritu interpretarentur ipſi, contra ſuam ipſorummet ſententiam. Nam hinc ſepoſitis ſacris literis, ſolis commentarijs hominum immerſi ſunt, non quid ſacræ literæ, ſed

quid illi in ſacris literis ſentirent quærentes. Donec vni homini Romano Pontifici, non niſi in doctiſſimis Sophiſtis circumuallato, ſoli tribuerent ius interpretandæ Scripturæ ſanctæ, etiam de ſola poteſtatis & ſublimitatis maieſtate, citra omnem intelligentiam & eruditionem præſumenti, fabulantes, Eccleſiam (id eſt, Papam) non poſſe errare in fide.

Proprio Spiritu interpretari Scripturas &c.

Quare ſuper hac re vtile fuerit pauca conferre. Primum, ſi nulli licet ſacras literas ſuo ſpiritu interpretari, Cur ergo non obſeruant, nec Auguſtino, nec vlli alij Patrum idem licuiſſe? & qui ſcripturas ſanctas ſecundum Auguſtinum, & non Auguſtinum potius ſecundum ſcripturas ſanctas intelligit, ſine dubio, ſecundum hominem & ſpiritum proprium intelligit? Si autē Scripturas non licebit ſecundum proprium ſpiritum intelligere, multo minus licebit Auguſtinum ſecundum proprium ſpiritum intelligere, quis enim nos certos faciet, an recte Auguſtinum intelligas? Dandus ergo erit alius interpres Auguſtino quoque, ne proprius ſpiritus nos fallat in illius libris. Quod ſi ita fieri oportet, dandus eſt & tertio quartus interpres, & quarto quintus vſque in infinitum, & coget nos proprij ſpiritus periculum nihil vnquam diſcere aut legere. Id quod certe impletum eſt, dum primo neglectis ſacris literis, ſoli Auguſtino inſudatum eſt, poſt & hoc non intellecto & neglecto, Thomas Aquinas regnauit, Et hunc alij ſine fine interpretes ſecuti ſunt.

Auguſtinum.

Thomas Aquinas.

Error itaq; manifeſtus eſt, hoc verbo, non licet ſcripturas proprio ſpiritu intelligere, nobis mandari, vt ſepoſitis ſacris literis intendamus & credamus hominum commentarijs. Hanc, inquam, intelligentiam, abſque dubio Satanas ipſe inuexit, quo nos à noſtris, id eſt, ſacris literis, longiſſime auocaret, & deſperatam ſcientiam Scripturæ nobis faceret, Cum ſic potius ſit intelligendum, ſcripturas non niſi eo ſpiritu intelligendas eſſe, quo ſcriptæ ſunt, qui ſpiritus nuſquam præſentius & viuacius, quam in ipſis ſacris ſuis, quas ſcripſit literis inueniri poteſt.

Scripturæ eo, quo ſcriptæ, ſpiritu intelligendæ.

Danda igitur fuit opera, non vt ſepoſitis ſacris literis, ſolum humanis Patrum ſcriptis intenderemus, Imo contra. Primum ſepoſitis omnium hominum ſcriptis, tanto magis & pertinacius inſudandum erat ſolis ſacris, quo præſentius periculum eſt, ne quis proprio ſpiritu eas intelligat, vt vſus aſſidui ſtudij victo periculo eiuſmodi, tandem certum nobis faceret ſpiritum Scripturæ, qui niſi in Scriptura prorſus non inuenitur. Hic enim poſuit latibulum ſuum, & in cœlis (id eſt, Apoſtolis) tabernaculum ſuum. Et Pſal. 1. Vir beatus in hoc laudatur, quod die ac nocte non in alijs libris, ſed in lege Domini meditatur. Hinc enim hauſto ſpiritu, iudicium ſuum quiſque formabit, non modo ſuper omnia gentium, ſed & S. Patrum ſcripta. Scriptum eſt enim, quod Moſi facies glorificata fuit è conſortio ſermonis Domini, non vtique è conſortio ſermonis hominum, etiam ſanctiſſimorum, qui tum erant.

Vir beatus. — *Pſal. 1.*

Præterea cum credamus Eccleſiam ſanctam catholicam habere eundem Spiritum fidei, quem in ſui principio ſemel accepit, cur non liceat hodie aut ſolum aut primum ſacris literis ſtudere, ſicut licuit primitiuæ Eccleſiæ? Neque enim illi Auguſtinum aut Thomam legerunt. Aut dic, ſi potes, quo iudice finietur quæſtio, ſi Patrum dicta ſibi pugnauerint? Oportet enim Scriptura iudice hic ſententiam ferre, quod fieri non poteſt, niſi Scripturæ dederimus principem locum, in omnibus quæ tribuuntur Patribus, hoc eſt, vt ſit ipſa per ſeſe certiſſima, facilima, apertiſſima, ſui ipſius interpres, omnium omnia probans, iudicans & illuminans, ſicut ſcriptum eſt Pſal. 119. Declaratio ſeu (vt Ebræus proprie habet) Apertum ſeu oſtium verborum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis. Hic clare ſpiritus tribuit illuminationem, *Pſal. 119.*

& intel-

& intellectum dari docet, per ſola verba Dei, tanquam per oſtium & apertum ſeu principium (quod dicunt) primum, à quo incipi oporteat, ingreſſurum ad lucem & intellectum.

Iterum, principium ſeu caput verborum tuorum veritas. Vides & hic veritatem tribui, non niſi capiti verborum Dei, hoc eſt, ſi verba Dei primo loco didiceris, & eis velut principio primo vſus fueris, pro omnium verborum iudicio. Et quid facit octonarius ille totus, quam vt peruerſitate noſtri ſtudij damnata, nos reuocet ad fontem, & doceat primum & ſolum verbis Dei ſtudendum eſſe, ſpiritum autem ſua ſponte venturum, & noſtrum ſpiritum expulſurum, vt ſine periculo theologiſemus. Hoc ſane verum eſt, ſuperbis & impijs Scripturam ſanctam ſemper eſſe maioris cæcitatis occaſionem, ſed quæ hominum ſcripta ſuperbis etiam non ſunt occaſio maiorum tenebrarum? aut quæ res quamlibet optima ſuperbis & immundis non cooperatur in malum? Hos fieri in ſcripturis hereticos nihil mirum, verum eoſdem in humanis ſcriptis plus etiam quam beſtias fieri nihil nouum. *Breui ſumma Pſal. 119.*

Sint ergo Chriſtianorum prima principia, non niſi verba diuina, omnium autem hominum verba, concluſiones hinc eductæ, & rurſus illuc reducendæ & probandæ, illa primo omnium debent eſſe notiſſima cuilibet, non autem per homines quæri & diſci, ſed homines per ipſa iudicari. Quod ſi non ita eſt, cur Auguſtinus & ſancti Patres, quoties vel pugnant vel docent, ad ſacras literas ceu prima principia veritatis recurrunt, & ſua vel obſcura vel infirma illarum luce & firmitate illuſtrant & confirmant? Quo exemplo vtiq; docent, verba diuina eſſe apertiora & certiora, omnium hominum etiam ſuis proprijs verbis, vt quæ non per hominum verba, ſed hominum verba per ipſa doceantur, probentur, aperiantur & firmentur. Niſi enim ea apertiora & certiora ducerent, ridicule ſua obſcura per obſcuriora Dei probare præſumerent, cum & Ariſtoteles iſtorum vniuerſuſq; naturæ ſenſus id monſtrent, quod ignota per notiora, & obſcura per manifeſta demonſtrari oporteat. *Principia prima Chriſtianorum.* *Ariſtoteles.*

Quæ ergo eſt noſtra tam irreligioſa peruerſitas, vt ſacras literas non per ſeipſas & illarum proprium ſpiritum, ſed per hominum gloſſas, velimus diſcere, diuerſo omnium Patrum exemplo, & in hac peruerſitate gloriemur, ceu religioſiſſima pietate? Si enim hoc volumus, concedemus, Scripturas ſanctas eſſe obſcuriores & ignotiores, quam Patrum ſcripturas. Hoc autem admiſſo, vlterius dabimus, S. Patres ſuis commentarijs nihil aliud feciſſe, quam vt dum ſua probant per Scripturas, notiora probarint per ignotiora, & ſic tam ſeipſos quam nos mire illuſerint, prorſusq; in vanum laborauerint, & erit, vt plus credamus interpretantibus quam loquenti Scripturæ, quis ita inſaniat?

IAm quanti errores in omnium Patrum ſcriptis inuenti ſunt? Quoties ſibiipſis pugnant? Quoties inuicem diſſentiunt? Quis eſt, qui non ſæpius Scripturas torſerit? Quoties Auguſtinus ſolum diſputat, nihil definit? Hieronymus in commentarijs fere nihil aſſerit. Qua autem ſecuritate poſſumus alicui niti, quem conſtiterit ſæpius erraſſe, ſibi & alijs pugnaſſe, Scripturis vim feciſſe, nihil aſſeruiſſe, niſi autoritate Scripturæ nos omnia eorum cum iudicio legerimus? Nullus attigit Scripturæ æqualitatem, ſicut nec debuit, quanquam vetuſti illi propius acceſſerint, quod in ſcripturis diligentiores fuerunt. Nemo ergo mihi opponat Papæ aut Sancti cuiuſuis autoritatem, niſi ſcripturis munitam. Nec ſtatim vociferetur, me vnum velle omnibus doctiorem videri, & Scripturas proprio ſpiritu intelligere. Hæc enim non ſunt *Errores in omnium Patrum ſcriptis.* *Auguſtinus.* *Hieronymus.*

vocifera-

vociferationes quærentium Dei veritatem, ſed ſuam vanitatem. Aut eum afferat Autorem, quem conſtet nunquam erraſſe, ſcripturas torſiſſe, alijs & ſibi pugnaſſe, dubitaſſe. Nolo omnium doctior iactari, ſed ſolam Scripturam regnare, nec eam meo ſpiritu aut vllorum hominum interpretari, ſed per ſeipſam & ſuo ſpiritu intelligi volo.

Auguſtinus ad Hieronymum.

In qua re, ne iuſte videantur vociferari, præclariſſimum exemplum habeo Auguſtini, quem ſæpius adduxi, & quia ſurda eum aure tranſeunt, ſæpius inculcare oportet, vbi dicit in Epiſtola ad D. Hieronymum: Ego ſolis eis libris, qui Canonici dicuntur, eum deferre honorem didici, vt nullum eorum ſcriptorem erraſſe firmiter credam, cæteros vero, quantalibet ſanctitate doctrinaq; præpolleant, ita lego, vt non ideo verum credam, quia ipſi ſic ſenſerunt, ſed ſi per Canonicas ſcripturas aut ratione probabili mihi perſuadere potuerunt. Cur non & hunc Auguſtinum arrogantiæ arguunt? qui prorſus omnes ad vnum tractatores Scripturæ contemnere audet, quatenus ſcripturis & rationibus non perſuadent, & nobis idem faciendum docet lib. 3. de Trinitate, dicens: Noli meis literis velut canonicis inſeruire &c.

Dictum S. Hilarij.

Et Hilarius vel inter primos Patrum in ſuo de Trinitate lib. 1. dicit: Optimus interpres hic eſt, qui ſenſum è Scriptura potius retulerit quam attulerit, nec cogat hoc in dictis contentum videri, quod ante intelligentiam docere præſumpſerit. Ecce hic inſignis autor vult, è ſcripturis referri non afferri in ſcripturas intelligentiam. Non ergo hoc eſt elucidare ſapientiam, (de qua gloriantur) multa Patrum dicta congerere, & ex ijs Scripturam intellectam præſumere, ſed è Scriptura intelligentia relata, & per ſui ſolius collationem elucidata, illorum dicta iudicare. Sic & beata virgo conferebat verba omnia in corde ſuo. *Lucæ.2.*

Quod ſi, vt hoc auderemus & deberemus, Auguſtinus & Hilarius alijq; non docuiſſent, nonne Paulum habemus ad Theſſalonicenſes dicentem: *1.Theſſ.5.* *Omnia probate, quod bonum eſt tenete. Et Galat. 1. Si quis aliud euangeliſauerit,* *Gal.1.* *præter id quod accepiſtis, anathema ſit. Et 1. Iohan. 4. Probate Spiritus vtrum ex* *1.Iohan.4.* *Deo ſint.* Has certe apoſtolicas monitiones neceſſe eſt omnes contemnere, ſi quælibet Patrum dicta oportet abſq; iudicio admittere, Iudicio, inquam ſpiritus, quod nullis niſi ſacris literis voluit includi & contineri.

Euangelium per vetus Teſtamentum probatum.

Atq; vt latius, quod mirentur, dicam, legimus in actis Apoſtolorum cap. 17. quod ij, qui cum omni auiditate verbum Pauli audierant, quotidie *Acto.17.* ſcrutabantur ſcripturas, ſi hæc ita haberent. Si ergo Pauli Euangelium ſeu nouum Teſtamentum oportuit probari per veterem Scripturam, an ita haberet, qui tamen autoritatem habuit à Deo ſibi datam, ſicut Apoſtolus, vt eius verbo crederetur, Quid nos facimus, qui Patrum dicta, quorum nulli fuit autoritas noua docendi, ſed tantum accepta per Apoſtolos conſeruandi, nolimus ad Scripturæ iudicium vocari.

Paulus.

Petrus.

Chriſtus.

Deniq; non ſolum ipſe Paulus, ſua omnia per vetus Teſtamentum probat, vt in Epiſtolis eius abunde videmus, adeo vt in Proœmio Epiſtolæ ad Romanos teſtetur Euangelium ſuum prędictum in ſcripturis ſanctis per Prophetas. *Rom.1.* Sed & Petrus & omnes Apoſtoli, etiam Concilio congregati, Acto. 15. per ſcripturas ſua demonſtrant. *Acto.15.* Quin & ipſe Chriſtus omnium Dominus, voluit per Iohannis teſtimonium comprobari, & voce Patris de cœlo confirmari, adhuc tamen frequentiſſime ſua perſuadet teſtimonijs

Scripturæ,

Scripturæ, Iubens etiam Iudæis, vt ſcrutentur ſcripturas, quæ teſtimonium perhibeant de eo.

MIra ergo noſtra peruerſitas, vt alijs teſtimonijs quam Scripturæ, noſtra velimus probare, quando Chriſtus & Apoſtoli omnes ſua volunt in ſcripturis teſtificari, imo quo ſit inſania intolerabilior, Scripturas, vnde teſtimonia pro nobis petenda ſunt, volumus teſtimonijs hominum probare & tueri. Nonne hoc eſt aliud nihil, quam velle humanis diuina formare & elucidare? Nonne hoc eſt gladium ſpiritus, quo nos defenſos oportuit, obiecta carne brachij noſtri tueri?

Non tamen per hæc ſanctis Patribus volo detractam autoritatem, & ingratitudinem pro ſanctis eorum laboribus repenſam, ſed libertatem ſpiritus & maieſtatem verbi Dei illis præpoſitam, Sint ſancti viri & Eccleſiarum Patres, ſed homines & Apoſtolis atque Prophetis impares, & horum autoritati non prælati nec æquati ſed ſubiecti, vt quos non ipſi erudierunt aut illuſtrauerunt, ſed à quibus ipſi eruditi & illuſtrati ſunt, tantum nobis exemplo ſint, vt quemadmodum ipſi in verbo Dei pro ſuo tempore laborauerunt, ita & nos pro noſtro ſeculo in eodem laboremus. Vna eſt vinea, ſed diuerſi diuerſarum horarum operarij, omnes tamen in ipſa vinea non in ſarculis aut cultris operariorum laborant. Satis eſt è Patribus didiciſſe ſtudium & diligentiam in ſcripturis laborandi, non omne opus eorum probari neceſſe eſt, ſiquidem & diligentia pluribus quandoque non dat, quod dat vel vni ſola occaſio, & neſcio, quæ ſpiritus incomprehenſibilis impulſio.

Exemplo itaque S. Bernardi, ſi id poterimus, potius ex fonte ipſo quam ex riuulis bibamus, ſic enim de ſe confitetur, ob id non raro Patribus ſanctis reluctari auſus. Alioqui ſi Pontificibus aut Doctoribus ſolis fidendum eſt, nec ad Scripturæ tribunal vocandi ſunt, cur non Scripturas ſanctas explodimus, tanquam ſuperfluas & obſcuriores, quam vt eas poſſimus conſequi? Eodem exemplo tandem & Patres S. repellamus, receptis in locum eorum apertioribus (vt iactant) Theologis ſcholaſticis, donec & his abiectis, Ariſtotelem & quo quiſque remotior à ſacris literis & S Patribus fuerit, duces habeamus, ſicut reuera habuimus & habemus. Tum reuera erit, vt Scripturas ſanctas non ſolum ſpiritu proprio non interpretemur, ſed nihil niſi proprium ſpiritum, Scripturis in totum incognitis, reliquum retineamus, & meris opinionum noſtrarum turbinibus & procellis ſine fine agitemur, ſicut eſt dies hæc. S. i Bernardus.

Hæc volui in hoc proteſtari, ne ij, qui S. Patrum alicubi dictis ſuffarcinati, præſumunt victoriam ſibi, ſeſe aliquid feciſſe putent, ſi me aduerſatum oſtenderint, vel vnius Patris Eccleſiaſtici vnico alicui verbo, quod hactenus à ſcholaſticis Doctoribus ad Eccleſiaſticos ſemper prouocarim. Non enim ſic ad eos prouocaui, vt omnia eorum vera arbitrarer, ſed quod propiora veritati ſenſerint quam Scholaſtici, qui fere nihil veri habent reliquum, vt ſenſim ad fontem ipſum riuulis ducentibus veniremus. Prohibet enim Auguſtinus, quem ſemper adhibui, vllius tractatorum quantumlibet ſancti ſcripta, ſcriptis Apoſtolorum, & Prophetarum æquari, Id quod communis quoque naturæ ſenſus prohibet. Iſtis præmonitis ad Articulos veniamus. Scholaſtici.

QVORVM PRIMVS EST.

Hæretica eſt ſed vſitata ſententia, Sacramenta nouæ legis dare gratiam illis, qui non ponunt obicem.

Rom. 1. Abac. 2. Ebræ. 10. SCriptura ſic dicit Rom. 1. & Abac. 2. Ebre. 10. iuſtus ex fide ſua viuet. Non dicit: Iuſtus ex ſacramentis viuet.

Mar. vlt. Qui crediderit & baptiſatus fuerit, ſaluus erit. Qui autem non crediderit, condemnabitur, etiam ſi baptiſaretur, Neq; enim Baptiſmus ſaluat, ſed fides baptiſmi. *Mar. vlt.*

Rom. 10. Corde creditur ad iuſticiam, non dicit: Corpore ſacramenta ſuſcipiuntur ad iuſticiam. *Rom. 10.*

Rom. 4. Gene. 15. Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſticiam. *Rom. 14. Gen. 15.*

Ratione ſic.

Verbum promiſſionis in omni ſacramento promittit gratiam &c.

QVia in omni ſacramento eſt verbum promiſsionis diuinæ, quod affirmatiue promittit & exhibet gratiam Dei ei, qui ſuſcipit ſacramentum. Vbicunq; autem Deus promittit, ibi exigitur fides audientis, ne Deum faciat mendacem ſua incredulitate. Quare in ſacramentis ſuſcipiendis neceſſaria eſt fides ſuſcipientis, quæ credat id quod promittitur. Sic baptiſmus datur in verbo iſtius promiſſionis? Qui crediderit & baptiſatus fuerit, ſaluus erit, Ergo neceſſe eſt, vt baptiſãdus credat ſe ſaluũ fore, vbi baptiſatus fuerit, alioqui Deum in ſua iſta promiſſione facit mendacẽ, quod eſt horrendum.

Quodcunq; ligaueris &c.

Sic in ſacramento pœnitentiæ datur abſolutio in verbo iſtius promiſſionis: Quodcunq; ligaueris ſuper terram, ligatum erit & in cœlis. Quare oportet, vt abſoluendus credat, & non dubitet ſeſe vere abſolui in cœlis apud Deum, dum abſoluitur in terris per ſacerdotem, ne Chriſti promiſſionem mendacem faciat.

Fides neceſſaria ſuſcepturo ſacramentum.

Sic in ſacramento panis datur Corpus Chriſti, in verbo iſtius promiſſionis: Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum, quod pro vobis traditur. Oportet ergo manducantem omnino & firmiter credere, corpus Chriſti, non tantum pro alijs, ſed & pro ſe eſſe datum, & ſanguinem Chriſti pro ſe fuſum in remiſſionem peccatorum, ſicut verba promiſſionis aperte ſonant, alioqui irridebit promiſſionem iſtam Chriſti, & iudicium ſibi manducabit.

Ex quibus euidens eſt, neceſſariam eſſe fidem ſuſcepturo ſacramentum, qua credat ſe conſecuturum id quod ſacramentum promittit & donat, Vt ſic verum ſit quod dicitur: Non ſacramentum, ſed fides ſacramenti iuſtificat, Cum enim in omni ſacramento ſit verbum Dei, vt dicit beatus Auguſtinus ſuper Iohannem, accedit verbum ad elementum & fit ſacramentum. Vbicunque autem verbum Dei eſt, ibi fides hominis in ipſum requiritur, Multi enim ſacramentum ſuſcipiunt, & tamen non iuſtificantur, ſed magis damnantur, quia ſine fide ſuſcipiunt. Sola ergo fides iuſtificat, vt prædictæ autoritates probauere.

Obicem ponere.

QVare heretica ſententia eſt, quæcunq; contraria eſt huic Apoſtolicæ & catholicæ ſententiæ. At talis eſt eorum, qui dicunt, ſacramenta nouæ legis dare gratiam ijs, qui non ponunt obicem, quorum autor Scotus eſt. Quod probo ſic, Quia docent, non modo non eſſe neceſſariam fidem, qua credas te accepturum id, quod ſacramentum promittit, ſed quod ſufficiat vt non ponas obicem. Obicem autem vocant peccatum mortale vel propoſitum eiuſdem, quale eſt homicidium, libido, & ſimilia, Adeo vt ſatis ſit ſuſcepturo ſacramentum, ſi deſinat peccare & propoſitum deponat, etiam ſi nullum bonum propoſitum formet. Quidam enim ex eis dicunt, nec motum bonum cordis requiri. Hæc omnia, quæ ſupradictis contraria ſunt, vere hæretica ſunt. Incredulitatem vero pro nullo obice habent, ſcientes, quod non eſt in poteſtate noſtra, ponere incredulitatem, ſed ſolius Dei, qui infundit ſolus fidem. Quidam autem ex eis addunt, requiri attritionem & fidem acquiſitam, quæ duæ res, quid ſint, nemo illorum potuit vnquam docere.

Cauſa

Cauſa autem, quæ mouet eos ſic docere, eſt, quod alioqui non videatur differentia dabilis, inter veteris & nouę legis ſacramenta. Vetera enim in fide ſuſcepta iuſtificabant, hoc eſt, ijs, qui boni erant, vtilia fuerunt (ſicut dicunt) Ergo noua debent eſſe efficaciora & prodeſſe etiam ijs, qui boni non ſunt, vt boni fiant, cum noui Teſtamenti omnia perfectiora quam veteris Teſtamenti eſſe debeant.

Nos autem dicimus, nec noui nec veteris Teſtamenti ſacramenta, ſed ſolam fidem iuſtificaſſe, ſicut Paulus dicit: Iuſtus ex fide ſua viuet, &: Corde creditur ad iuſticiam, Ideo ratio iſtorum nihil eſt, ſicut & omnia quæ ex illa deducunt. Potius differunt ſacramenta nouæ legis, non à ſacramentis, ſed à ſacrificijs & ceremonijs ſacerdotij Aaronici, quod per hæc mundabantur corpora, veſtes, cibi & vaſa quæcunq; ab immundicijs, quæ ex natura non erant, ſed ex lege Moſi, ideo vt nulla promiſſio, ita nulla fides in eis erat. Non enim natura eſt peccatum aut immundicia, ſi cadauer tetigeris, aut lepram aut menſtruatam, ideo nec peccatum, ſed immundicia vocabatur. *Sacramenta nouæ legis differunt à ſacrificijs & ceremonijs ſacerdotij Aaronici.*

At per illa noſtra ſacramenta mundantur conſcientiæ ab immundicijs veris, quæ ex natura vitia & peccata ſunt, Ideo promiſſio & fides hic vigent, quod & in multis alijs ſignis Patrum videre eſt, quæ ad ceremonias legis non pertinebant. Verum, hæc extra propoſitum.

II.

In puero poſt baptiſmum negare remanens eſſe peccatum, Eſt Paulum & Chriſtum ſimul conculcare.

Rom. 7. PAulus Rom. 7. dicit: Concupiſcentiã neſciebam eſſe peccatũ, niſi Lex diceret: Non concupiſces. Hic ſine dubio claret, concupiſcentiam eſſe peccatum, At quis eſt hominum, qui concupiſcentiam non ſentit, poſtquam adoleuerit, quamuis baptiſatus, cum hic Apoſtolus ſanctiſſimus nedum baptiſatus, ſuam concupiſcentiam accuſet? Vnde ergo hoc peccatum, niſi ex natiuitate carnis, etiam poſt baptiſmum remanens. *Concupiſcentiam eſſe peccatum.*

Galat. 5. Atq; ne quis putet Apoſtolum in perſona aliorum loqui, Gala. 5. ad eos qui ſpiritu viuebant, generali ſententia dicit: Si Spiritu viuimus, ſpiritu & ambulemus. Quid erat neceſſe mandare, vt ſpiritu ambulent, qui ſpiritu viuunt, ſi non ſupereſt peccatum carnis, quod crucifigant? Denique dicit cap. 5. Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem, Hæc enim ſibi inuicem aduerſantur, vt non quæcunq; vultis, illa faciatis. Quæ autem poteſt eſſe concupiſcentia ſpiritus, niſi charitas? vt & Auguſtinus ſæpius interpretatur, Vbi autem charitas niſi in baptiſatis? Et tamen in his pugnant vtraq; concupiſcentia.

Et quæ eſſet Apoſtolicæ doctrinæ vis & autoritas, ſi non generaliter ad omnes homines pertineret? Non enim abſolute dicere debuiſſet, ſpiritum & carnem ſibi pugnare, ſed aliquorum ſpiritum & carnem ſcilicet malorum. Nunc autem prorſus de omnibus Chriſtianis dicit: Quicunq; autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs & concupiſcentijs ſuis. Quod quomodo poteſt aliter intelligi, quam illud Rom. 6. Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore, vt obediatis concupiſcentijs eius? Cur prohibet obedire concupiſcentijs corporis, ſi non ſunt in corpore baptiſati? Cur regnare vetat, ſi nullum adeſt peccatum? Niſi quod vere in omnibus peccatum eſt & concupiſcentia, ſed non debet regnare, nec nos ei obedire ſeu conſentire, ſed contra pugnare, crucifigere & mortificare. Sicut Gene. 3. idem bellum ſpiritus & carnis deſcribitur: Inimicitias ponam inter te & mulierem, & inter ſemen tuum & ſemen illius, Ipſum conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo illius. *Doctrina Apoſtoli pertinet ad omnes homines.* *Rom. 6.* *Gen. 3.*

Condelectari legi Dei &c. — Rurſus Rom. 7. Condelector legi Dei ſecundum interiorem hominem, Rom. 7.
video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in legem peccati. Hoc non dici in perſona malorum, ſed in perſona ſua & omnium Sanctorum filiorum Dei, ex eo patet, quod condelectari legi Dei, ſecundum interiorem hominem impoſſibile eſt homini extra gratiam conſtituto, qui potius odit legem Dei. Quia cap. 3. generali ſenten- Rom. 3.
tia de omnibus filijs hominum dixerat: Non eſt iuſtus, non eſt intelligens, non eſt requirens Deum, Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt vſq; ad vnum. At qui delectatur in lege Dei ſecundum interiorem hominem, certe iuſtus eſt, intelligit, requirit Deum & facit bonum, nec declinat à Deo, cum delectari in lege non ſit niſi amantis & deſiderantis legem. — Delectari in lege Domini.

Et in fine ait: Igitur ego ipſe mente ſeruio legi Dei, carne autem legi peccati. Si enim hoc non in ſua perſona, ſed impiorum dixit, dabimus, malos eſſe ſeruos Dei, ſecundum nobiliorem partem ſui, ſcilicet mentem. Nam ſeruire legi Dei, eſt obedire, in omnes eius voluntates ire & ſubditum eſſe Deo, Quod impijſſimum eſt ſentire de impijs, quorum cor & mens penitus declinant à Deo, & potius carne & externa ſpecie pietatis ei ſeruiunt. Sicut de Hypocritis — Seruire legi Dei.
dicit 1. Tim. 4. & Pſal. 78. Cor autem eorum non erat rectum cum eo, neque 1 Tim. 4. Pſal. 78.
fideles habiti ſunt in teſtamento Dei. Et iterum: Generatio quæ non direxit cor ſuum, nec eſt creditus cum Deo ſpiritus eius.

Quiduis autem tribui impijs patior, cor rectum & ſpiritum fidelem legis amantem plane Scriptura tota non niſi Sanctis tribui cogit. Non enim dicit: Video legem Dei in interiore homine. ſicut de lege peccati dicit: Video aliam legem in membris meis. Vidit enim & odio habuit, licet carere non poſſit, tamen fortiter contra pugnauit. At hic dicit: Condelector legi Dei, quod eſt magis quam vidiſſe & amaſſe legem, quod procul dubio includit, cor eſſe rectum ſeu ſpiritum fidelem & vere pium, quod non niſi de ſeipſo & ſimilibus Sanctis intellectum voluit. Quare niſi impijs volumus tribuere omnia, quæ Sanctorum ſunt, hunc locum negabimus ab Apoſtolo in aliorum impiorum perſona dictum. — Condelector legi Dei.

Fateor, ſi pertinaciam ſuam nolit quiſpiam deponere, perdurabit nec his flectetur. Et quid mirum? cum nec Chriſtus omnibus potuerit ſua perſuadere. Hæc doctrina, quia ſacra & diuina eſt, vult vt poſitis propriæ ſententiæ & opinionis ſtudijs, dociles & ductiles ſint tam auditores quam tractatores, ſicut Pſal. 45.
dicit Pſal. 45. Audi filia & vide & inclina aurem tuam. Nullus contentioſus aut peruicax huc intrabit? imo in quam vnquam ſententiam quantumuis manifeſtam veritatis, contentioſus & peruicax induci potuit? Perpendat autem quiuis hæc ſedato & libero animo, ſeſeq; docilem præbeat Deo, & ſine dubio erudietur, & ſuauiſſima veritate capietur. Quæ poſtulo eo iuſtius, quod hæc noſtra ſententia verbis his diuinis traditur. Aduerſaria vero verbis hominum, humanaq; opinione & noſtro ſenſu tantum aſſeritur, abſq; autoritate Scripturæ diuinæ, atq; hoc ipſo ſuſpecta, cum quod ſacris literis vel vtcunq; probari non poteſt, approbari tutum non ſit. Facile quidem eſt damnare alias ſententias, ſed multo facilius ſibi temperat à damnando, quod præſentarit, quam difficile ſit improbare & confutare, quod damnare præſumit. — [illegible]

Quanquam ego vehementer admiror hanc ſententiam non eſſe omnibus notiſſimam, ne dum ſperaſſem vlli videri damnandam, quam ſcimus omnium Sanctorum, per tot ſecula confeſſione probatam. Quid enim in vita omnium Sanctorum legimus, quã labores, vigilias, ieiunia, orationes, quibus velut machinis ſpiritualibus, pugnauerunt aduerſus carnem & concupiſcentias corporis ſui proprij? Quis eorum non gemit? non accuſat? non laborat in — Vita Sanctorum.

carne

carne ſua & cõcupiſcentijs ſuis? Cũ ergo in his omnibus videamus iſtas autori-
Galat. 4. tates: Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, ſpiritus aduerſus carnem, Et conde-
Rom. 7. lector legi Dei ſecundum interiorem hominem, Video autem aliam legem in membris meis &c. Quæ cauſa eſt, vt hæc Apoſtolum velimus non in ſua, ſed impiorum perſona dicere, quæ in perſonis pijſſimorum videmus viuaciſſimis ſtudijs geri?

Aut quando vidimus impium, qui hac moleſtiſſima pugna, aduerſus carnem ſuam militet, condelectetur legi Dei ſecundum interiorem hominem? Piorum iſta ſunt ſumma & laborioſiſſima certamina, & nos ea tribuemus im- *Certamina piorum.*
pijs, in concupiſcentiam libere & ſponte ruentibus imo furentibus? Quoties rogo S. Hieronymus de incendijs libidinum conqueritur, etiam tum, cum *Hieronymus.*
multo ieiunio & labore contra ea pugnaret, hoc eſt, dum eſſet non modo baptiſatus, ſed & ſanctiſſimus. Experiatur quiſq; ſeipſum, & referat ſi audet, ſe non habere concupiſcentiam, etiam ſi ad morbum vſq; ieiunet & laboret. Et *Adam.*
vnde hoc malum furens & indomitum? Non vtiq; à natura, Quia Adam illo caruit ante caſum, ſed poſt lapſum ſenſit in carne, & nobis per generationem hæreditauit, quod baptiſmate incipit tolli, durat tamen vſq; ad mortem carnis, licet in alijs minus, in alijs magis. Vnde & ipſi appellant, fomitem, morbum *Fomes.*
naturæ & tyrannum.

Ebræ. 12. Reuertamur ad probationem, Apoſtolus Ebræ. 12. vtiq; baptiſatis & Sanctis ſcribens, dicit: Deponamus omne pondus & circumſtans nos peccatum. Hic ſeipſum quoq; inuoluens docet deponi omne pondus & peccatum, quod nos circumſtat, id eſt, pertinaciter inhæret & inſtat, mira verbi emphaſi ſignificans moleſtam & improbam illam carnis noſtræ concupiſcentiam & procacitatem, qua nos aſſidue ſolicitat ad peccatum, nec aliquando quieſcit, nunc ira, nunc libidine, nunc ſuperbia, nunc auaritia nos inquietans.

Ita vt D. Cyprianus ob hoc ipſum optandam cenſeat mortem accelerari, *S. Cyprianus de*
Epiſtola de mortalitate, dicens: Cum auaritia nobis, cũ impudicitia, cum ira, *mortalitate.*
cum ambitione congreſſio eſt, cum vitijs carnalibus, cum illecebris ſecularibus aſſidua & iugis & moleſta luctatio eſt. Obſeſſa mens hominis & vndiq; Zabuli infeſtatione vallata, vix occurrit ſingulis, vix reſiſtit, Si auaritia proſtrata eſt, exurgit libido, ſi libido compreſſa eſt, ſuccedit ambitio, ſi ambitio contempta eſt, ira exaſperat, ſuperbia inflat, violentia inuitat, inuidia concordiam rumpit, amicitiam zelus abſcindit, cogeris maledicere, quod lex diuina prohibet, compelleris iurare quod non licet, tot perſecutiones animus quotidie patitur, tot periculis pectus vrgetur, & delectat hic inter Zabuli gladios diu ſtare? cum magis concupiſcendum & optandum ſit ad Chriſtum, ſubueniente veloeius morte properare.

Si tantus martyr de ſe ſibiq; ſimilibus talia affirmat, quis dubitabit, & omnibus Sanctis eadem tribuere? aut ſaltem non negabit in Sanctos quadrare, *Condelector legi*
quod Apoſtolus dicit; Condelector legi Dei ſecundum interiorem hominem. *Dei.*
Video autem aliam legem in membris meis, ne in perſona impiorum iſta videatur locutus. Quæ omnia ideo vrgeo, quod ſcio D. Hieronymum, Origenem, & alios impulſum alicubi ſentire Apoſtolum hoc loco in aliorum perſona locutum, licet alijs locis contrarium ſentiat. Et D. Auguſtinus diu eadem ſentẽtia captiuus, tandem in retractationibus, & lib. 6. contra Iulia. 11. ita reuocat, vt neget à ſe fuiſſe intellectum antea Apoſtolum, dum in aliorum perſona locutum fuiſſe aſſeruiſſet. Quis non moueatur autoritate principum horum virorum Patrum? Nihil indignor, ſi quis hos Patres alicunde pro ſe adduxerit, aduerſus meam ſententiam, ſi temere vno loco eos legerit, & in ſuam ſententiã ſonare viderit. Verum nec illis, nec aſſertoribus eorum iniuriam facio, dum verba ipſa Apoſtoli, tum illorum proprias & contrarias ſententias eis prætulero.

Iuuant eandem hanc ſententiam & multa alia, Primum id, quod Apoſt. Rom. 12. præcipit vtiq; Sanctis & baptiſatis, vt renouentur in nouitate ſenſus ſui. Et alibi 2. Cor. 4. Etſi is, qui foris eſt, noſter homo corrumpatur, tamē is qui intus eſt, renouatur de die in diē. At renouare eſt è vetuſtate in nouitatem mutari. Vetuſtas autem peccatum eſt veteris hominis, Sicut nouitas gratia noui hominis. Renouari ergo arguit ineſſe vetuſtatem, ſicut rurſus dicit Col. 3. Expoliantes veterem hominem cum actibus ſuis. Et 1. Cor. 5. Expurgate vetus fermentum, vt ſitis noua conſperſio. Quæ omnia certe affirmant reliquum vetuſtatis & peccati in nobis eſſe, quod exuendum expurgandumq; ſit, cum ad eos ſcribat, qui iam erant (vt dicit) azymi & creati in nouum hominem ſecundum Deum.

Rom 12. *2. Cor. 4.* *Coloſſ 3.* *1. Cor. 5.*

Reliquiæ peccati in pijs.

Parabola de Samaritano.

Deinde parabolæ Euangelij pulchre huc valent, Quarum vna de Samaritano, qui ſemiuiuum non ſubito ſanauit, ſed alligauit tantum & ſanandum ſuſcepit, nonne oſtendit, neminē ſubito ab omnibus peccatis ſanum factum, ſed pacto fidei in corpus Chriſti aſſumptum, de die in diem magis ſanari?

De fermento Parabola.

Altera Matt. 13. de fermento in ſata farinæ tria mixto, donec fermentaretur totum, Quid aliud vult, quam fermento nouo fidei, fermentari non ſubito, ſed paulatim totum hominem? Vt hæc vita cognoſcatur non eſſe iuſticiā ſed iuſtificatio, non ſanitas ſed ſanatio, non finis, ſed phaſe Domini, non terra, ſed migratio, & prorſus continua purgatio peccati, & tranſitus de virtute in virtutem, vt docet Pſal. 84. & transformatio de claritate in claritatem ad imaginem Chriſti, vt Apoſtolus vocat. At talis tranſitus certe manifeſtat, reliquum ſemper eſſe peccatum, à quo recedamus, & ad maiorem iuſticiam propinquemus.

Matt. 13. *Pſal. 84.*

Diſcipuli Chriſti mundi & immundi.

Et Ioh. 13. cum aſſeruiſſet diſcipulos eſſe mundos, tamen infra dicit 15. ſe eſſe vitem, illos palmites, & tamen omnem fructiferum magis purgandum, vt plus fructificet. Quomodo enim ſunt mundi & ſimul immundi, vt purgari egeant, qui niſi mundi eſſent, fructum non afferrent? Niſi quod verum eſt, quod idem 1. Ioh. 1. dicit: Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Notauit S. Auguſtinus, quod non dixit: Habuimus ſed habemus. Et Pſalm. 19. Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me. Et Pſalm. 51. petit ſpiritum rectum & cor mundum in ſe fieri, cum hoc non niſi iam mundus orare poſſet. Vnde ergo iſta immunditia tam ſanctis viris ſpiritu feruentibus, nedum baptiſatis? Quod malum has mouet immunditias? niſi radicale illud originis malū, de quo Paulus Coloſſ. ſenſibus ſanctis ſcribit: Mortificate membra veſtra, quę ſunt ſuper terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam, auaritiam, Non quod his peccatis ſeruire eos arguat, ſed vt repugnent, ne eis ſeruiant.

Iohan. 13. *Pſal 19.* *Pſal. 51.* *Coloſſ. 3.*

Oratio Dominica.

Et vt finem faciamus, ſola oratio Dominica, nonne omnes concludit ſub peccatum, dum omnibus quantumlibet Sanctis mandat orare: Sanctificetur nomen tuum, Adueniat regnum tuum, Fiat voluntas tua? Quid confitetur, qui petit fieri voluntatem Dei, niſi ſeſe nondum plene facere voluntatem Dei, ac per hoc eſſe inobedientem Deo? (neq; enim fictis hic verbis oratur) Hoc ſolo ſaluus, quod agnoſcit & deprecatur ſuam inobedientiā, ac in quantum orat & agnoſcit, tantum facit voluntatem Dei, id eſt, in ſpiritu, ſed in carne, contra quam ſic orat, nondum facit, Ita qui petit ſanctificari nomen Domini, nonne fatetur nomen Domini adhuc in ſe pollui ex parte? quod dolens deprecatur, & impletur illud in eo, Rom. 7. Quod nolo malum hoc facio, quod volo bonum, non facio. Sic qui aduenire regnum Dei petit, certe ſeruum diaboli ſe ex parte confitetur, cum Apoſtolo dicens: Video aliam legem in membris meis captiuantem me in legem peccati.

Rom. 7.

SCi-

SCio autem, quid hic mihi oppoſituri ſint, ſcilicet omnia, quæ dicta ſunt probare non peccatum, ſed defectum ſeu infirmitatem in nobis relinqui poſt baptiſmum, Sic enim fomitem & paſſiones carnis vocant. Reſpondeo: Si ſola nos verbi controuerſia haberet, facile admitterem, vt defectum vocarent, quidquid id eſt mali, quod in prædictis Scripturæ verbis relinqui in nobis probatum eſt. Fruſtra enim certatur de nomine, cum de re conſtiterit. Verum, quod defectum ſit appellant, vt peccatū eſſe negent, & non culpam, ſed pœnam tantum peccati eſſe velint, admittere non poſſum. Neque enim ſatis eſt, quod ſine Scripturæ teſtimonijs autoritate propria dicunt, omnia iſta defectus dici, quia deficiant à perfecta legis plenitudine. *Defectus.*

Deinde, quod non licet vlli Angelorum, nedum ipſis hominibus, verba Dei pro ſuo ſenſu interpretari, vt quod illa peccatum aperte vocat, illi defectum interpretentur. Apoſtolus enim manifeſte dicit, ſe captiuum duci in legem peccati & concupiſcentiam, autoritate legis cognitam à ſe peccatum quam iterum vocat peccatum in carne ſua habitantem. *Peccatum.* *Rom. 7.*

Quomodo enim non erit vere peccatum, cum ad hoc, vt vere peccatum eſſe probet, adducat legem prohibentem concupiſcere, & fateatur ſeſe non concupiſcere non poſſe, ac per hoc vero, non defectu tantum, ſed peccato contra legem facere. Nam & ipſimet cogentur hoc peccatum dicere, quod contra legem fit, quocunq; modo, At defectus ille, quem extenuando peccatum ſic vocant, certe contra legem eſt.

Quod ſi hoc vno loco ſic licet verbis Dei abuti, vt peccatum non peccatum dicamus: Quomodo reſiſtemus neganti in vniuerſum, omnia peccata in tota Scriptura, dicenti, quod adulterium, homicidium, idololatria quoq;, non ſit peccatum, ſed defectus & pœna peccati. Si ergo huic reſiſti debet, oportet vt peccatum ſimpliciter, præſertim vbi legis prohitio adducitur, cuius comparatione probetur, accipiatur pro vero peccato, aut eludemus totius Scripturæ autoritatem, Non eſt enim pœna, ſed culpa, quando dicit: Concupiſcentiam neſciebam eſſe peccatum, niſi lex diceret. Non concupiſces, Ergo qui concupiſcit (ſicut omnis facit baptiſatus) ſcit ſe lege magiſtra, contra quam facit, vere peccare. *Rom. 7.* *Non concupiſces.*

Et mire placet, ab Apoſtolo adductum craſſiſſimum genus peccati, quod in nouiſſimo ſenſu tactus omnes ſentiūt. Quomodo enim perſuaſiſſet, intentiones & opiniones cordis peccata eſſe ijs, qui nondum perſuaderi volunt, concupiſcentiam eſſe peccatum, & contra craſſiſſimum ſenſum experientiæ & apertiſſimam legem ſapiunt. Nam quem non facit reum iſta lex: Diliges Dominum ex toto corde tuo? Quis non parte aliqua magna ſeipſum diligit? Verum ſciebat Apoſtolus hoc præceptum ſublimius eſſe, quam vt inexercitati capere poſſent, ideo aſſumpſit, quod præſumpſit non poſſe negari ab ipſis, nimirum omnium ſenſum cognitum.

VIdeamus autem, qua ratione moueantur, vt negent peccatum dici reliquam baptiſmo libidinem. Dicunt enim baptiſmi iniuriam eſſe, ſi non omnium peccatorum tribuere dicatur remiſſionem, ſicut habet fides catholica Eccleſiæ & ſanctum Euangelium, Si ergo remiſſa ſunt omnia peccata, quod reliquum eſt peccatum dici non debet. Reſpondeo. Quid hic dicere poſſum, niſi quod vrgentibus eodem argumento Pelagianis Auguſtinus dixit, ſcilicet peccatum remitti quo ad reatum, ſed nō quo ad actum, ſeu, vt ipſius verbis vtar, Peccatum iſtud reatū tranſit, actu manet. Sicut enim (vt idem ait) aliquod peccatum tranſit actu & manet reatu (ſicut eſt omne actuale) ita econtra hoc originis peccatum tranſit reatū & manet actu, Ecce, non negat eſſe peccatum, nec dicit ſolum defectum aut pœnam eſſe, ſed peccatum actu & vere eſſe. *Peccatum reatu tranſit, actu manet.*

Rurſum dicent: At nos reatum hunc proprie vocamus peccatum, non illud quod remanet. Reſpondeo: In re iſta ſeria & ſacra non licet argutijs ſophiſticis cauillari, quibus effingunt reatum eſſe reſpectum inter Deum & peccatorem, quo hic deputatur ad pœnam. Iniuria eſt gratiæ Dei, ſi ſolum iſtum phantaſticum reſpectum tollere doceatur, cum, vt Scriptura loquitur, gratia Dei renouet, mutet, & in nouos homines transformet de die in diem, & res iſta ſerio agatur, non reſpectibus tollendis, ſed ſubſtantia & vita mutandis Nam ideo corpus mori & incinerari oportet, vt peccatum expurgetur, verus eſt morbus & ſerius, qui tam ſeriam & potentem exigit medicinam.

Gratia noui teſtamenti. Hæc ipſa enim gratia noui Teſtamenti & miſericordia Dei eſt, quod quia geniti ſumus verbo veritatis, & renati baptiſmate, vt ſimus initium aliquod creaturę eius. Interim fauor Dei nos ſuſcipit & ſuſtinet, non imputans ad mortem, quod reliquum eſt peccati in nobis, licet vere peccatum ſit & imputari poſſit, donec efficiamur perfecte noua creatura, ad finem enim purgationis Patris miſericordia reſpicit, propter quem intermedias peccati immunditias, ſtatuit miſericorditer ignoſcere, donec penitus aboleantur. *Iacob. 1.*

Hoc Apoſtolus Rom. 8. ſic dicit: Nihil ergo damnationis eſt in ijs, qui ſunt *Roma. 8.*
in Chriſto Ieſu, qui non ſecundum carnem ambulant. Non ait: Nihil peccati in eis eſt, cum præcedente cap. peccatum aſſeruiſſet, Sed Nihil damnationis, quia etſi ſit peccatum in eis, non nocet, duplici iure, Primo, quia ſunt per fidem in Chriſto Ieſu, quo mediatore eis ignoſcitur, quidquid peccati ineſt. Secundo, quia non ſecundum carnem ambulant, id eſt, pugnant contra peccatum, vt extinguant, quo ſtudio, quia inuiti habent peccatum in ſe, pro non habentibus Deus illos habet, non tamen niſi gratuita miſericordia, ne ſuperbiat quiſquam in oculis Dei de mundicia ſua, ſed in humilitate ſuæ miſeriæ ſeruetur. Hoc ſenſu 1. Ioh. 3. dicit: Scimus, quoniam omnis, qui natus eſt ex Deo, *1. Ioh. 3.*
non peccat, ſed generatio Dei conſeruat eum, & malignus non tanget eum. At omnis qui credit, quoniam Ieſus eſt Chriſtus, ex Deo natus eſt, vt ibidem dicit: Ita ſimul verum eſt, iuſtum non peccare, & tamen peccatum habere, ſeu malum facere.

Etſi peccatum remanet habent, tamen eis non imputatur.

Dictum Auguſtini.

Concludamus ergo cum pulcherrimo verbo Auguſtini, Peccatum, inquit, remittitur in baptiſmo, non vt non ſit, ſed vt non imputetur. Ecce eſt & remanet peccatum, ſed non imputatur. Quare perſeuerandum eſt in vſu Scripturæ & Antiquorum, & non defectum, ſed vere peccatum appellandum, libidinem, & alias paſſiones reliquas baptiſmo. Et aliud eſſe omnia peccata remitti, aliud omnia tolli. Baptiſmus omnia remittit, ſed nullum penitus tollit, ſed incipit tollere. Id quod illos fefellit, qui remiſſionem intellexerunt omnimodam expurgationem, ac ſic defectum pro peccato accipere ſeipſos coegerunt, ex malo intellectu in peiorem lapſi. Nam hac ſententia eorum homines in ſecuritatem & ſuperbam præſumptionem ducuntur, dum peccatis ablatis ſibi puri viſi, omittunt ſtudia expurgandi peccati, vt cuius conſcij iam non ſunt, Qua impia opinione plurimi pereant neceſſe eſt, Sed & eo peruenerunt inſaniæ, vt etiam libidinem ineuitabilem parentũ ſanctorum, dum generant, quantumuis indomitam & ſummo inuictoq; furore, contra legem Dei concupiſcentem, defectum vocare ſint coacti. Hoc eſt vere nimis extenuare peccatum, dicere tam atrocem libidinis impetum, eſſe defectum. Sed de hoc ſatis.

Aliud eſt peccatum remitti, aliud tolli.

III.

Fomes peccati, etiamſi nullum adſit actuale peccatum, moratur à corpore animam, ab ingreſſu cœli.

QVamuis

QVamuis hanc Concluſionem ſæpiusteſtatus ſim, non aſſertam, ſed diſputatam, tamen iam non diſputo, ſed aſſero eam, poſtquam nihil video contra eam produci ab vllo aduerſario. Si enim vera ſunt, quæ proximo articulo dicta ſunt, fomitem eſſe vere peccatum, per gratiam Dei veram magis ac magis purgandum, & nemo poſſit cum peccato cœlum intrare, Sicut 2. Pet. 3. promittit, Cœlos nouos & terram nouam expectamus, in quibus iuſticia habitat, Puto ſatis proba conſequentia duci, Animam fomite impediri ab ingreſſu cœli. 2.Pet.3.

His adde, quod illi fingunt, & ego per impoſſibile poſui, Fomitem eſſe poſſe ſine peccato actuali, cum aſſidue lex membrorum captiuet & repugnet legi mentis, vt Paulus conqueritur. Res enim viua & quotidie mouens eſt peccatum, ſicut & ipſa anima, in qua habitat: Nam & iuſticia res eſt viuens & mouens, non enim quieſcere poteſt anima, quin vel amet, vel odiat ea, quæ Dei ſunt. Vnde fit, vt cum ipſimet concedant, actuale peccatum morari ab introitu cœli, coguntur concedere, quod & fomes moretur, qui origo viuaciſſima & inquietiſſima actualium peccatorum eſt. *Peccatum, Iuſticia.* *Fomes.*

Omitto hic dicere, quod originale peccatum, vt omnia peccata, ita & incredulitas eſt. At nemo vnquam ſatis diligit, credit, expectat, quam diu eſt in carne, Spiritus enim promptus eſt, ſed caro infirma, etiam in Apoſtolis, Ideo fomes vere eſt actuale peccatum, actualis priuatio, ſiue defectus eius rei, quæ adeſſe debet, & actualis poſitio ſeu præſentia infirmitatis & aliorum affectuum, qui deeſſe debent, vt vere dixerit S. Iacobus, Nos eſſe initium creaturæ Dei, nondum complementum, partim iuſti, partim peccatores, hoc vno ſalui & ab impijs diſcreti, quod peccatum agnoſcimus, confitemur & expugnamus, cui illi potius obediant. *Peccatum originale.*

IIII.

Imperfecta charitas morituri ſecum fert neceſſario magnum timorem, qui ſe ſolo ſatis eſt facere pœnam purgatorij, & impedit introitum regni.

CVm de ijs rebus, & de vniuerſo ſtatu animarum ſanctarum poſt mortem, nihil habeat Scriptura ſancta, ſicut nec de purgatorio, nihil poſſum adducere pro iſto articulo quem neq; aſſerui. Nunc autem aſſero, & ipſum ex præcedentibus infero & probo. Cum enim Iohannes Apoſtolus vere dicat: Timor pœnam habet, & timorem non expellat, niſi perfecta charitas, vt idem dicit, clarum arbitror hinc fieri, timorem eſſe in imperfecta charitate, quæ eum expellere nequit. Hoc autem vitium charitatis (ſicut Auguſtinus appellat) quid eſt aliud quam fomes & reſiduum originalis peccati, quod hominem priuauit à recta, ſecura & perfecta charitate Dei? Quare verum eſt, imperfectam charitatem impedimento eſſe ad introitum regni propter vitium, quo imperfecta eſt. Et ſcio aduerſarios nihil habere quod contra dicant, niſi ſuas opiniones ſine vlla autoritate Scripturæ. 1.Iohan.4. *Imperfecta charitas.*

Quis ergo iam neget, timorem iſtum pœnam habentem, poſſe vere purgatorium eſſe ſolum, cum non ſit maior pœna ſpiritus noſtri, quam fuga & pauor? niſi quis contra omnium ſenſum ſapere velit. Et Scriptura paucis locis ignem, frequentiſſime autem pauorem tribuit damnatis & impijs, vt Pſal. 2. Tunc loquetur ad eos in ira ſua, & in furore ſuo conturbabit eos. Et omnes fatentur faciem iudicis Chriſti fortius torturam impios, quam ipſum ignem inferni. Iam cum ipſimet fateantur, Animas non ab igne, ſed in igne pati, quam poſſunt aliã pœnam dare, quam fugam & horrorẽ? Sed ſecure ipſi ſic opinantur de rebus, quarũ nihil vnquam guſtauerunt & cognouerunt, ideo prompte damnãt aliena. Ego autẽ nitor vel vni autoritati Iohãnis, qui timori pœnã, & timorem *Pœna impiorum.* Pſal.2.

timorem dat imperfectæ charitati, Si tantum & ipſi pro ſua ſententia adduxerint Scripturæ, paratus ero doceri.

V.

Pœnitentia.

Tres eſſe partes pœnitentiæ, contritionem, Confeſſionem, Satiſfactionem, non eſt fundatum in ſacra Scriptura, nec in antiquis S. Doctoribus.

MAlitioſe hunc articulum congeſſerunt, Non enim negaui conrritionem & confeſſionem, ſicut tamen ſonat articulus, & ipſi videri me talia docuiſſe volunt, ſed ſatisfactionem negaui, qualem ipſi docent, quod mihi non erit difficile probare. Oſtendant ſi poſſunt, vbi in tota Scriptura vnus apex aut iota ſeribatnr, pro peccato mortali vno debere ſatisfieri ſeptem annis? dicant, vbi pro differentibus peccatis differentes pœnas ſtatuat Chriſtus & Apoſtoli? Nonne hæc omnia ſunt poſtea inuenta ab Epiſcopis? imo dent vnum ex antiquis Patribus, in quo legantur quadragenæ, ſeptenæ, & ſimilia, Vbi fecerint, libens reuocabo.

Caſtigatio à Deo propter peccatum.

Legimus ſane multos à Deo propter peccatum caſtigatos, vt Dauid, Moſen, Aaron, Mariam, populum Iſrael, & alios, quos Chriſtus in Euangelio curauit. Et 1. Cor. 11. Multi infirmi inter vos, & dormiunt multi. Sed hæc non erat ſatisfactio, quam iſti docent, ſcilicet remiſſibilem per claues, Ita & modo multos punit Deus pro peccatis, quas pœnas tamen Eccleſia non poteſt auferre per claues. Quare verum dixi, arbitrariam iſtam ſatisfactionem nec in Scripturis, nec Patribus inueniri, inueniri autem pœnam irremiſſibilem à Deo impoſitam, vt Pſal. 89 dicit, Viſitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus hominum peccata eorum. *1. Cor. 11.* *Pſal. 89.*

Arbitraria ſatiſfactio

Dicent forte, Relictum arbitrio Eccleſiæ taxandam pœnam pro peccatis. Reſpondeo: Hoc iam non eſt ſcripturas, ſed propriam ſententiam afferre. Probetur, quo loco Chriſtus hoc arbitrium reliquerit Eccleſiæ. Tibi enim non credo. Nam vbi dicit: Quodcunq; ligaueritis &c. magis ad culpam quam ad ſatisfactionem pertinet. Culpa enim ligari & ſolui proprie dicitur, non confeſſio aut ſatisfactio, Ita & illud: Quorũ remiſeritis peccata, remittuntur eis. Alioqui dicere debuit: Quorum remiſeritis ſatisfactiones, remittuntur eis. Quare diuinitus aut nulla eſt ſatisfactio, aut remitti humanitus non poteſt.

Quodcunq; ligaueritis &c.

Quorum remiſeritis peccata &c.

Hoc libens conceſſerim, quod Eccleſia mater, pio affectu præuentura manum Dei, caſtigat filios ſuos ſatisfactionibus quibuſdam, ne incurrant flagella Dei, Sicut Niniuitæ operibus ſuis ſpontaneis præuenerunt iudicium Dei. Hæc pœna quidem eſt arbitraria, non in totum, vt illi volunt, ſed tamen neceſſaria, At noſtri Indulgentiarij etiam contra Eccleſiam aſſerunt, remitti penitus omnem ſatisfactionem, etiam à iuſticia diuina requiſitam, quod eſt erroneum & impium. Nam aut nos aut homines, aut Deus punit peccata, quod illi per indulgentias tollunt omnino.

Niniuitæ.

Indulgentiarij.

Ficta ſatiſfactio Papiſtarum.

Contra hanc eorum fictam & falſam ſatisfactionem, quam & ſolam habent, ego pugnaui, quam ideo ſolam finxerunt, vt lucra ſua augerent, & homines exhaurirent, fallerent ac perderent, cum ſi eſſent pij paſtores, potius imponerent pœnas, & Eccleſiæ exemplo præuenirent Deum. Sicut Moſes cum præuenerit occidendo filios Iſrael, propter peccatum vituli aurei. Optimum autem fuerit, ſi nos ipſos puniremus, Hoc autem facimus, quando ex toto corde vitam totam mutamus, Hac enim pœnitentia & ſatisfactione Deus contentus eſt, quantum probant ſcripturæ ſanctæ, & præſertim Iohannes Baptiſta, Luc. 3. Sic 1. Cor. 11. Si nos ipſos iudicaremus, non vtiq; iudicaremur à Domino, cum autem iudicamur, à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur. Ecce pœna & correptio prorſus irremiſſibilis, quæ à Deo imponitur & exigitur. *Luc. 3.* *1. Cor. 11.*

Vehe-

Vehementer autem odi & ſublatum vellem hoc vocabulum ſatisfactio, quod non modo in ſcripturis non inuenitur, ſed & periculoſum habet ſenſum, quaſi Deo quiſquam poſſit pro vllo peccato ſatisfacere, cum gratis ille ignoſcat omnia. Deinde occaſio fuit, vt è ſalutari pœnitentiæ remedio nundinas facerent. Vellem magis, vt diſciplina, caſtigatio, viſitatio, correptio, aut alio quopiam Scripturæ ſanctæ vocabulo nominaretur, quo ſignificaretur non eſſe remiſſibilem, ſicut reuera remiſſibilis non eſt, diſciplinam Domini, multo minus vendibilis & cauponabilis aliquando crederetur. Sicut hodie videmus fieri, conficta iſta noua ſatisfactione, quæ plenarie remittitur, cum talis, vt dixi, eſſe non poſſit, nedum pœnitentiæ tertia pars cenſeri debeat. *Satisfactionis vocabulum.* *Diſciplina Domini.*

Vnde in ſermone meo vernaculo inſigniter adieci, non eſſe iſtas tres partes pœnitentiæ, vt ipſi morem habent de eis loqui, Semper enim volui exceptam diſciplinam Domini, quam eſſe negaui ab vllo remiſſibilem, ſed tantum imponibilem, Ideo aliam neceſſario fore, & nuſquam deſcriptam, quam illi ſatisfactionem docent, totam in manu Papæ poſitam, etiam inuita iuſticia diuina. *Sermo vernaculus de pœnitentia.*

VI.

Contritio, quæ paratur per diſcuſſionem, collectionem, & deteſtationem peccatorum, qua quis recogitat annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ, ponderando peccatorum grauitatem, multitudinem, fœditatem, amiſſionem æternæ beatitudinis, & acquiſitionem æternæ damnationis, Hæc contritio facit hypocritam, imo magis peccatorem. *Contritio.*

QVamuis hanc concluſionem etiam Caſsianus doceat, & ſenſus communis omniũ ita in ſe experiatur, vt ſuperfluum ſit probari eam, tamen vt obſtruatur os loquentium iniqua, Scripturas Dei conſulamus. *Caſsianus.* *Contritio ſimulata.*

Primum hoc nemo negabit, Contritio quantumlibet magna, niſi fiat amore iuſticiæ, & (vt ipſimet dicunt) in charitate Dei, non eſt vera ſed ſimulata. Omnia enim quæ extra charitatem fiunt, nihil, vana & falſa ſunt, vt 1. Cor. 13. docet Paulus, quia non fiunt ex toto corde, Quod autem ex corde non fit, iam hypocriſis eſt, vt dicit Chriſtus Matt. 15. Cor eorum longe eſt à me. At contritio per peccatorum collectionem parata, ſine amore Dei & iuſticiæ, hoc eſt, ſine corde conterit, de hac enim locutus ſum, Quare neceſſario ſequitur, vt faciat hypocritam, qui nec volenter nec amanter conteritur in corde ſuo. Ego n. hypocritam aliter definire non poſſum, quam eum, qui id quod facit, non ex animo & ſyncero corde facit, Animum autem talem & cor non dat natura, nec collectio peccatorum, ſed ſola charitas ſpiritus. *1. Cor. 13.* *Matt. 15.* *Hypocrita.*

Quod ſi dixerint ſe loqui de contritione in charitate facta, iam articulus nihil ad me. Non enim vnquam ſic docui, imo quia vt meum damnant de contritione naturali, & impia extra fidem loqui eos oportet, quam eſſe hypocriſin ſatis iam ex dictis conſtare puto. Aut opinantur hic forte, mediam & neutralem ſuam Theologiam, quod illa collectio, licet extra charitatem facta ſit, non tamen ſit ficta, quia præparet ad gratiam proxime, dum facit homo, quod eſt in ſe. Verum de iſta impietate inferius ſuo loco. Ego enim peccatum ſic aſſero, quidquid ante gratiam fit in homine, tantum abeſt, vt præparet ad gratiam. *Quicquid ante gratiam fit peccatum eſt.*

Secundo de altera parte, Quod ea contritio faciat magis peccatorem

torem, latius dicendum, quo & prior pars maxime nititur. Hic Apoſtolum in-
uoco, qui dicit Rom. 5: Per legem abundare peccatum, & Gal. 3. Per legem *Rom. 5.*
augeri transgreſſiones, & 1. Cor. 15. Virtus peccati lex. Quibus verbis prorſus *Galat. 3.* *1. Cor. 15.*
Neutralis Theologia. neutralem illam Theologiam euacuat, quæ inter odium & gratificantem
amorem medium fingit naturalem amorem legis, qui contritionem iſtam pa-
ret. Si enim hic amor ſtet, & per ipſum non augetur peccatum, mendax eſt
Lex virtus peccati. Paulus, qui generali ſententia dicit, Legem eſſe auctricem & virtutem pecca-
ti,, ita vt è ſolo Chriſto pendeat victoria eius. Ergo faciat quidquid poteſt, natu-
ra ante gratiam auget peccatum, quia non poteſt non odiſſe legem.

At hoc odium eſt peccatum, imo augmentum peccati, cum non ſolum
peccet contra legem, ſed odiat non licere peccare, prohibente ſcilicet lege. Ita
fit, vt irritante lege & concupiſcentia & peccatum magis placeant, & lex ma-
gis ac magis diſpliceat. Cum ergo collectio peccatorum extra gratiam non
niſi legem ſibi præſtituat, ad quam peccata ſua conferat, impoſſibile eſt (licet
metu pœnæ vel ſpe premij fortiter ſimulet) vt non magis odiat legem quam
peccata, & magis diligat peccata, quam iuſticiam legis.

Impius extra gratiam. Et quid faciat impius extra gratiam, cum ſuperius articulo primo docue-
rimus, quanto ſudore iuſti & ſancti viri condelectentur legi Dei, & reſiſtant
legi membrorum repugnanti & captiuanti? Si illi coguntur, non modo odiſ-
ſe, ſed & repugnare legi Dei & captiuari. Quid facient impij, in quibus iſta
pugna ſpiritus nondum eſt? Quid faciat caro, vbi ſpiritus non eſt? præſente
ſpiritu pugnat contra legem Dei, & tu dicis, quod abſente ſpiritu pugnat pro
lege Dei? Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem, Et *Gal. 5.*
tu docebis ſolam carnem nullo repugnante ſpiritu facturam pro ſpiritu?
Quid poteſt inſanius dici & fingi? Malæ cupiditati tribuitur vt faciat opus,
contra quod ipſa eadem ſummis viribus pugnat, dum præſens eſt bona cupi-
Per legem augeri peccatum. ditas Credo hæc factura fidem, per legem non niſi augeri peccatū, id eſt odio
haberi iuſticiam & amari peccatum, idq; toto pondere & ſummis viribus, vbi
natura ſola fuerit extra gratiam, cum in gratia ſummis viribus pugnet contra
legem. Simul credo pateat, non modo hypocritam, ſed & magis peccatorem
fieri, collectorem illum contritionis ex peccatorum & legis intuitu.

Quin eat quiſq; in cor ſuum, & non mentiatur ſibijpſi, reſpondeatq; mi-
hi, An non cor ſuum ita inueniat, vt mallet nullam legem eſſe? An non odi-
at, pœnam peccatorum eſſe? An non ſentiat ſibi placere voluptatem, glori-
am, opes, ſcientias &c? Quis eſt, qui his nō afficiatur? At affectus nonne vellet
non eſſe prohibita? Quod ſi quis ſimulet ſe non multū iſta curare, fateatur ſal-
tem ex parte illis affici. Si non fatetur, non credo ei prorſus, cum omnes San- *Rom. 7.*
Querela ſanctorum. cti id querantur de ſeipſis, & has repugnantes leges membrorum aſſidue ac-
cuſent. Quid ergo contra proprium ſenſum & vitalem pulſum experientiæ
fingimus amorem naturalem legis & odium peccati, quo præparetur homo
ad gratiam, cum iſta ſint non in corde nata ſed natantia, ſicut ſpuma, & per
vim extorta, ſub quibus alitur eo fœdius & maius odium legis, quo fortius ſi-
mulatur odium peccati. Horum certe impiorum eſt illa violenta conſcientia,
quam Paulus cauteriſatam vocat 1. Tim. 4. *1. Tim. 4.*

Vnde ego ſentio & doceo pernicioſum eſſe genus docendi, quo intuitu
pœnarum, præmiorum, peccatorum, docentur pœnitere. His enim doctrinis
coercentur quidem ab opere, & cauteriatam violentamq, formant ſibi con-
ſcientam ſeu bonum propoſitum, & maiore malo occultum illum affectum
contemptæ legis & amati peccati, nunquam intelligunt, nec obſeruant, imo
ijs ſtudijs occultant, contenti ſatisfeciſſe iſtis impijs dogmatibus operum, qui-
bus tamen, ſi libere loqui concedas, ſtatim dicent, ſe non ex animo pœnitere,
& niſi lex infernusq; eſſet, toto impetu malle explere mala ſua, præſertim ten-
tati. Quanto ergo rectius ſane docerentur iſtum affectū capitalem, peſſimum,
occul-

occultum agnoſcere, & donec ab amore legis inciperent pœnitere, ſeſe hypocritas eſſe ſcirent, & nihil de hypoctiſi tali præſumerent, imo ſuper ea magis quam ſuper peccatis, quorum intuitu fictum iſtum dolorem coegerunt, dolerent.

Admitto ſane, craſſos illos & induratos impios, qui nondum conſcientias habent, terroribus illis ſicut ſeruos indomitos vrgeri ad pœnitentiam, ſicut Magiſtratus gladio coercet ſceleratos. Sed vbi conſcientiæ ſunt ibi certe inſtituendæ ſunt, vt à Chriſto primum incipiant, & in miſericordiam eius credentes vitam mutent. Tum enim primum pœnitentia vera incipit, quando ex amore fluit, Sic vt & ipſi dicunt. Tunc non amore commodi, nec timore pœnæ, ſed affectu ſolius iuſticiæ peccata colligent & ponderabunt, vt hæc fuſius in ſermone de pœnitentia dixi. Quando enim de pœnitentia docemus, eam docere debemus, qua fiant Chriſtiani ex corde pœnitentes, Quod non facimus, niſi fidem doceamus omnium primo, ijs qui peccata ſentiunt, ne præuenta ſtulta operum opinione, incipiant ſalutem à ſeipſis operantibus & currentibus, & non à miſerente Deo. Aliud enim genus eſt docendi induratos illos, ferreas ceruices & æreas frontes, ab externis ſaltem peccatis coercere, etiamſi corde inuito & coerceri odiente peiores in ſemetipſis fiant, minus tamen nocebunt alijs. *Vera pœnitentia.* *Rom. 8.*

VII.

Veriſſimum eſt enim Prouerbium, omni doctrina de contritionibus hucuſq; data præſtantius, quo dicitur, Optima pœnitentia noua vita.

IN omnibus hominum verbis nihil verius eſt communibus prouerbijs, adeo, vt & Scriptura ſancta ſæpius prouerbia tanquam veriſſima citet. Quocirca mirum, quid illis acciderit, vt contra omnium ſenſum & ſententiam audeant damnare, & mea non ſit iſta ſententia, vnde & defendendam eam relinquo omnibus. Ego autem defendo quod addidi, quo oſtendi, id prouerbij cum Scriptura conuenire, vbi Paulus Galat. 6. dicit: In Chriſto enim Ieſu neq; circunciſio neq; præputium aliquid valet, ſed noua creatura. Hanc ſententiam debuerant damnare, quo ſtabiliui prouerbium, dum me voluerunt damnare. Plane enim hic Apoſtolus docet, omnia vana eſſe, niſi ſumus noua creatura in Chriſto. At pœnitentia, quæ ſine amore iuſticiæ agitur, vetus adhuc eſt creatura, non plus valens, quam circunciſio aut præputium. Nam & Paulus cum conuerteretur, luce ſubita circumfulſus, eodem momento charitate indutus eſt dicens: Domine, quid me vis facere? Hæc verba non dicit pœnitentia ſeruilis, quæ potius horret & fugit à facie Domini, ſicut Iudas Iſcharioth, Charitas ſola dicit: Domine, quid vis me facere? *Gal. 6.* *Conuerſio Pauli.*

Sis ergo certus, ſimul dum homo conteritur, ſimul & gratia infunditur, & in medio terrore diligit iuſticiam, ſi vere pœnitet. Sin autem non ſimul diligit, non vere pœnitet. Probaui enim ſæpius infuſionem gratiæ fieri cum magna animi concuſſione. Sic vt beata Virgo ad ingreſſum Angeli turbata eſt, & hac ipſa turbatione ad ſummum amorem virginitatis impulſa eſt. Neq, n. vehementius vnquam amauit virginitatem, quàm hac hora, in qua viri perſonam ſolitaria intuens, metuit violentiam caſtitatis. Ita peccator dum virtute Dei compungitur & viſitatur per gratiam, vehementer concutitur, atque hac ipſa concuſſione ad odium peccati & amorem iuſticiæ rapitur. At qui ſua vel legis ſolius virtute pœnitet, concutitur quidem, ſed fingit odium peccati, quia ſtat ſententia: Virtus peccati Lex. Nollet enim ſic concuti, multo magis ij fingunt, qui ſine commotione ſolis cogitationibus frigidis peccata recogitant. *Infuſio gratiæ.* *1. Cor. 15.*

IIX.

Confeſſio.

Nullo modo præſumas confiteri venialia peccata, ſed nec omnia mortalia, quia impoſſibile eſt, vt omnia mortalia cognoſcas, vnde in primitiua Eccleſia ſolum manifeſte mortalia confitebantur.

Venialia.

VElim doceri, quibus rationibus aut cauſis iſta ſint falſa & damnanda, ego cogitare non poſſum, cur falſa eſſe arbitrentur. Dic mihi, vbi eſt præceptum de venialibus confitendis ſacerdoti? Nonne ipſimet omnes dicunt vnanimiter, Venialia non pertinere ad confeſſionem? Cur ergo ſua propria damnant propter me? Deinde, cum fere peccemus ſine intermiſſione venialiter, quis erit finis & modus confitendi? An illud è Decretis adducent, c. Omnis vtriuſq; ſexus, Vbi præcipitur cunctis fidelibus, vt ſemel in anno omnium ſuorum peccatorum faciant confeſſionem? At quis per omnia peccata etiam venialia intelligit? Aut quo iure? qua Scripturę autoritate Papa præcipere poteſt venialia ad confeſſionem pertinere? Vide ergo mirabiles damnatores, de ſola voluntate ſua præſumentes, omnium omnibus etiam ſuis ipſorum ſententijs contradicere.

Omnia peccata mortalia cognoſcere eſt impoſſibile.

Iam impoſſibile eſſe, vt omnia mortalia cognoſcas, euidentiſſimum eſt ex Pſal. 19. Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me. Cur hunc Prophetã non damnant, ex cuius ore mea verba fluunt & pendent? qui & Pſal. 7. titulum fecit, pro ignorantia ſua, In quo non niſi pro occulto & ignorato ſibi peccato precatur. Idem rurſus Pſalm. 143. Non intres in iudicium cum ſeruo tuo, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. Nec poteſt hic dici, Delicta occulta eſſe venialia, cum non iuſtificari hoc ipſum ſit, mortale & damnabile. Si ergo Sancti habent mortalia peccata, quæ ignorant, propter quæ damnarentur, niſi humili & generali confeſſione præuenirent miſericordiam Dei ignoſcentem, quid nos audemus tribuere impijs pœnitentibus ante gratiam, vt omnia poſſint cognoſcere? *Pſalm. 19. Pſal. 7. Pſal. 143.*

O cœcitas deploranda, Nonne Chriſtus prædixit Impios adeo cæcos eſſe, vt etiam occidendo Apoſtolos arbitrentur ſeſe obſequium præſtare Deo? Et quomodo ij peccata ſua mortalia cognoſcent? Quomodo Paulus ea cognouit ſpirans cædis & minarum, cum tamen omnia faceret quæ noſſet & poſſet, adeo vt ſine querela ſeſe conuerſatum teſtetur in Iudaiſmo? Quaſi vero etiam nunc non videamus quoſdam impenſiſſime bonis intendere vitæ ſtudijs, & tamen grauiſſime errare, & ſicut Paulus de Iudais dicit, Zelum Dei habent, ſectando iuſticiam, & tamen ad iuſticiam non perueniendo. Væ nobis, qui nobis de luce placemus, & has tenebras lucem appellamus, & homines ſecuros facimus extincto Dei timore. Sancti gratia illuminati ignorare ſeſe confitentur delicta ſua, & nos horum ſcientiam tribuimus ijs, qui Sancti non ſunt, & ante gratiam pœnitent, ſeu potius pœnitentiam fingunt. *Iohan. 16. Acto. 9. Gal. 1. Rom. 9.*

Fuiſſe autem in primitiua Eccleſia ſolum manifeſte mortalia confeſſionibus tractata, ſatis probant Epiſtolæ Pauli, Patrum ſcripta & hiſtoriæ, quas ſi Bulla tam impudenter damnare audet, ſuo genio digna facit. Ego de his mortalibus locutus ſum, quæ aut alijs aut ſibi manifeſta ſunt, vt ſatis in Propoſitionibus & dictis meis patet. Bulla autem inſidioſe loquitur, ac ſi de ſolis publicis omnium ſenſu cognitis fuerim locutus.

IX.

Dum volumus omnia pure confiteri, nihil aliud facimus,

quam quod miſericordiæ Dei nihil volumus relinquere igno-ſcendum.

SEdeant, quæſo, Bullares iſti pœnitentes, & omnia pure confiteantur, nihilq́; relinquant ignoſcendum diuinæ miſericordiæ, & reſpondeant mihi, quando ſint pacem conſcientiæ habituri, & qua via iudicium
Pſal. 143. Dei ſint euaſuri? faciantq; Dauid mendacem, vbi dicit: Non intres in iudici-
Pſal. 19. um cum ſeruo tuo. Et iterum: Delicta quis intelligit? Currant ipſi in iudicium, & intelligant omnia ſua delicta, vt ſint ſoli veraces, Nos libenter cum Dauid mendaces illis erimus, & non poſſe omnia pure intelligere, nec confiteri delicta conſtanter aſſeremus, vt reliqua ſoli miſericordiæ ignoſcenda relinquamus, dicentes: Ab occultis meis munda me Domine.

Igitur hic Articulus euidenter ſequitur ex præcedenti & verbo Dauid: Delicta quis intelligit? Ideo nihil mouet, quidquid impia iſta Bulla damnat de ſuo proprio cerebro, Iſta eſt enim carnificina cruentiſſima, qua hactenus tot miſeras conſcientias torſerunt, omnium & ſingulorum peccatorum diſcuſſionibus & confeſſionibus, cum pro ſe non habeant ne iota quidem vllius Scripturæ, tyrannide propria hæc onera importabilia hominibus imponentes.

X

Peccata non ſunt vlli remiſſa, niſi remittente Sacerdote credat ſibi remitti, imo peccatum maneret, niſi remiſſum crederet. Non enim ſufficit remiſſio peccati & gratiæ donatio, ſed oportet etiam credere eſſe remiſſum. Abſolutio.

EX iſtius Articuli damnatione ſequitur, Primo, quod confeſſurus non debet credere, ſeſe abſolui aut remitti ſibi peccatum, ac per hoc licebit in faciem ſacerdotis dicere abſoluentis: Tu mentiris, non abſoluor à te, nec remittuntur mihi peccata. Secundo, quod Chriſtus ſit mentitus, vbi dixit: Quodcunq́; ſolueris, ſolutum eſt, Imo Chriſtus hoc verbo hæreticus eſt, quia hæc Bulla inclyta mandat, ne quis credat ſeſe abſolutum eſſe, dum abſoluitur in virtute verborum Chriſti. O furor inauditus.

Lucæ. 7. Ego autem mea ſic probaui, Quod Chriſtus peccatricem Lucæ 7. abſol-
uit propter fidem, ſicut dicit, Fides tua te ſaluã fecit, vade in pace. Et ad para-
Matth. 9. lyticum, antequam eum abſolueret, dixit: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Ita cum in omni abſolutione peccatoris proferatur ſententia diuina, neceſſario requiritur fides, quæ credat huic ſententiæ, ſine qua fruſtranea eſt abſolutio, & tota pœnitentia. Abſolutio ſine fide inutilis eſt. Præſens autem fides ſola ſatis eſt ad iuſticiam & pacem cordis, Sicut enim credimus, ſic fiet nobis. Corde autem creditur ad iu-
Rom 10. ſticiam, Rom. 10. Nec fingere potuiſſem, nedum credere, Draconem infernalem tantæ impudentiæ eſſe in Eccleſia Dei, vt hæc auderet ſonare.

XI.

Nullo modo confidas te abſolui propter tuam contritionem, ſed propter verbum Chriſti: Quotcunq; ſolueris. Hic, inquam, confide, ſi ſacerdotis obtineris abſolutionem, & crede fortiter te abſolutum, & abſolutus vere eris, quidquid ſit de contritione.

VIde, quæſo, vt hic nos Bulla doceat ſuper arenam ædificare & abiecta fide, ſuper contritionem, opus hominis, plusquam ſuper verbũ Dei confidere. Fluit autem hic Articulus ex præcedente, Quia verbum

Quodcunque ſolueris &c. Chriſti: Quodcunq; ſolueris, fidem exigit pœnitentis, vt ſatis claret, cum ſit verbum promiſſionis, ideo ſine fide impleri non poteſt, Et ſatis dictum eſt articulo 1. quod ſola fides iuſtificet & tollat peccata, ſicut Act. 15. dicit Petrus, *Actor. 15.* fide purificans corda eorum. Et Ierem. 5. Domine, oculi tui reſpiciunt fidem. *Ierem. 5.* Iam & Pſalm. 25. docet, non propter vllum opus noſtrum, nedum propter contritionem remitti peccata, dicens: Propter nomen tuum Domine propiciaberis peccato meo, multum eſt enim. Et Rom. 5. Iuſtificati ergo gratis per fidem pacem habemus. Ecce gratis & ſola fide iuſtificamur, & pacem, id eſt, remiſſionem peccatorum habemus.

Quare adhuc dico, Caue, caue frater Chriſtiane, ne vnquam ſuper tua contritione confidas, non huic, ſed fidei tuæ promiſit Deus remiſſionem peccatorum. Duo enim ſunt verba Dei, alterum eſt præceptum, alterum promiſſio, *Præceptum. Promiſſio.* Præceptum opera, promiſſio fidem exigit, nec eſt cogitabile, quomodo promiſſio impleri ſine fide per opus quodcunque poſſit.

XII.

Si per impoſſibile confeſſus non eſſet contritus, aut ſacerdos non ſerio, ſed ioco abſolueret, ſi tamen credat ſeſe abſolutum, veriſſime eſt abſolutus.

ET hic fluit ex præcedentibus, Nam fides, vt dixi, exigitur in promiſſionis diuinæ verbo, quod quocunq; modo audiatur, ſi fide ſuſcipitur, iuſtificat. Et quid mirum, ſi ioco prolatum & creditum iuſtificet, quando Apoſtolus Philip. 1. gaudeat & glorietur, quod verbum Dei per inuidiam & contentionem prædicatur? *Philip. 1.* vtique quod credentes ſalui fiant per verbum, etiam ab inuidis & accuſatoribus, non niſi ad opprimendum ipſum annuntiatum, Adeo tota vis ſita eſt, non in miniſtro verbi, ſed in corde audientis & credentis. *Vis abſolutionis in corde credentis.* Verum noſtri adulatores malunt remiſſionem peccatorum tribuere poteſtati miniſtrorum, vt in ſe confidamus, quam fidei, qua in Dei verbum credamus, ideo vt ſe nobis Idola faciant, & à Deo viuo auertant, damnant fidem verbi Dei, & ſuam ſtatuunt poteſtatem.

Dixi autem per impoſſibile, quia ſatis ſupra dictum eſt, fidem ſine contritione eſſe non poſſe, cum gratia non infundatur niſi cum magna concuſſione animæ. *Fidei virtus.* Volui enim fidei virtutem declarare & commendare, quam ſola faciat ad remiſſionem peccatorum, & iuſtificationem pacis. Quod dico, ne quis me putet contritionem ſeu turbationem illam cordis in cognitione peccatorum ſuſcitatam negare, Volo eam, ſed dico eam non operari iuſtificationem aut remiſſionem peccatorum, Fides enim in verbum Dei iuſtificat & purgat.

XIII.

In ſacramento pœnitentiæ ac remiſſione culpæ non plus facit Papa, Epiſcopus, quam infimus Sacerdos, imo vbi non eſt ſacerdos, æque tantum quilibet Chriſtianus, etiam ſi mulier aut puer eſſet.

CVm ex prædictis pateat, quod non poteſtas miniſtri, ſed fides pœnitentis remiſſionem peccatorum operetur, Velim doceri ab iſtis Bullenſibus, quomodo plus Papa faciat, quam quilibet Sacerdos, cum fidem ipſe æque non præſtare poſſit, ac quilibet ſacerdos, nec alio verbo abſoluat, quam illo: Quodcunque ſolueris &c. quo omnis ſacerdos abſoluit. Si ergo idem verbum, eadem fides vtrobique, Quæ eſt differentia illorum?

At caſus

At caſus reſeruati hic Papæ plus tribuunt? At illi hominum ſtatutis inuenti, non Euangelico mandato poſiti ſunt, nec ad remiſſionem culpæ, ſed ad remiſſionem pœnæ tantum valent, vt patet. Pœnitens enim ac credens iuſtus eſt, licet nondum ſatisfecerit reſeruatori caſuum, hoc eſt, Tyranno violento conſcientiarum, qui reſeruandi nullum ius vnquam habuit. *Reſeruati caſus Papæ.*

Reſpondeant autem, An Papa aliud ſacramentum pœnitentiæ habeat, quam tota Eccleſia? Si idem eſt vbiq; ſacramentum, & idem ab omnibus ſuſcipitur & datur, quid præ cæteris amplius facit in eo Papa? An forte & aliud baptiſma, & aliam Miſſam habet, quam omnes alij Chriſtiani? Si ergo vna fides, vnum baptiſma, vnus panis, vnus calix, vnus Dominus in tota Eccleſia, Cur non vna pœnitentia, vna remiſſio peccatorum? An hoc ſolum Sacramentum diuerſum, & monſtroſa diuerſitate aliud & aliud pro locorum & perſonarum diuerſitate habetur? Valeant impiæ iſtæ Draconis antiqui voces.

Quod autem abſente Sacerdote, etiam puer aut mulier & quilibet Chriſtianus abſoluere poteſt, Matth. 18. clare patet, vbi Chriſtus omnibus Chriſtianis dicit: Quodcunq; ſolueritis ſuper terram, ſolutum erit in cœlis. Hanc inuictam autoritatem non mihi ſubuertent. Qui enim baptiſatus eſt, ſpiritum Chriſti habet, Vbi autem ſpiritus Chriſti, ibi omnium poteſtas & libertas. *Matth. 18.*

XIV.

Nullus debet Sacerdoti reſpondere, ſeſe eſſe contritum, nec Sacerdos requirere.

HOc ideo dixi, quia in iudicio Dei hæc res conſiſtit. Dicit enim Paulus 1. Corinth. 4. Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum. Et 10. Non qui ſeipſum commendat, ille probatus eſt. Et ſupra dictum eſt, Delicta quis intelligit? Si ergo deberet homo reſpondere ſe eſſe contritum, cogeretur ad hoc impoſſibile, vt delicta ſua intelligeret, & ſeipſum iuſtificaret ac probaret. Nunc autem in miſericordia Dei firmum eſt, quæ contritionem propter fidem acceptat, ignoſcens vbi non ſatis fuerit. Sic enim fides facit, vt contritio, quæ de ſe nulla eſt ſatis, pro contritione reputetur. Non enim contritio ſed fides reputatur ad iuſtitiam, Rom. 4. *1. Cor. 4. 2. Corint. 10. Pſalm. 19. Rom. 4.*

At iſti ſeductores data opera volunt nos ſuper noſtrum opus ædificare, & ad mendacium cogere. Cum enim nemo ſua peccata agnoſcat, quomodo poteſt ſeſe vere contritum aſſerere? Imo cum in primo articulo dictum ſit, omnes Sanctos adhuc in carne peccare & peccato ſeruire, tutius fuerit cum Dauid dicere: Non intres in iudicium cum ſeruo tuo Domine, Et confiteri ſe non eſſe digne contritum ac pro hoc ipſo gemere, quod reſiſtente lege ſibi peccati in membris, conteri digne non poſſit, vt ad miſericordiæ promiſſionem per fidem confugiat, & hac ipſa fide impetret, quod contritione impetrare non poteſt. *Pſalm. 143.* *Peccatum in Sanctis reliquum.*

Igitur fidem potius ſacerdos exigat, & hanc afferat pœnitens dicendo: Ego credo, Fidem autem certiſſime ſentire poteſt in corde, ſi eam habet, vt Auguſtinus dicit. Et Paulus 2. Corinth. vlt. Voſmetipſos tentate, ſi eſtis in fide, ipſi vos probate. An non cognoſcitis voſmetipſos? quia Chriſtus Ieſus in vobis eſt, niſi forte reprobi ſitis. Ecce Scriptura docet fidem ſentiri, & tamen negat omnia peccata intelligi, ac per hoc fidei tutius quam contritioni innitendum eſt. *2. Corint. 13.*

XV.

Magnus error eſt eorum, qui ad ſacramentum Euchariſtiæ accedunt, *Sacramentum Euchariſtiæ.*

dunt, huic innixi quod ſint confeſſi, quod non ſint ſibi conſcij alicuius peccati mortalis, quod præmiſerint orationes ſuas & præparatoria, omnes illi iudicium ſibi manducant & bibunt, Sed ſi credant & confidant, ſe gratiam ibi conſecuturos. Hæc ſola fides facit eos puros & dignos.

HIc Paulus pro me ſtat dicens, Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum. Ecce omnia reijcit, niſi fidem ſolam, de qua dicit Rom. 3. Iuſtificans eum, qui eſt ex fide. Quare adhuc dico, ſi fidem excludas, omnia, quæ facis, deceptiones ſunt & peccata, Rom 14. Omne quod non eſt ex fide peccatum eſt. Cum enim in ſacramento quolibet ſit verbum promiſſionis, vt ſuperius diximus, neceſſario ſequitur, quod non opus vllum ſed fides exigitur. Quanquam verum ſit, fidem non eſſe poſſe, ſine ſequentibus operibus. Verum impij illi, nos operibus, tum ante fidem, tum ſine fide magnificatis, perdere volunt, hos tu inpos deuita, Crede primum verbis ſacramenti, & hac fide purificatus, tum, ſi libet, præpara, ora & fac quæ voles, Oportet enim accedentem ad Deum credere, & ſine fide impoſſibile eſt placere Deo, Ebræ. 11. Et poſtulet in fide nihil hæſitans, Iacob. 1.

1. Corint. 4. *Roma. 3.* *Rom. 14.* *Fides non eſt ocioſa.* *Ebræ. 11.* *Iacob. 1.*

XVI.

Conſultum videtur, quod Eccleſia in communi Concilio ſtatueret, Laicos ſub vtraque ſpecie communicandos, nec Bohemos ſub vtraque ſpecie communicantes ſunt hæretici & ſchiſmatici.

HVnc articulum reuocaui libro de captiuitate Babylonica, & iterum his ſcriptis reuoco, & dico, Bohemos & Græcos in hac parte, nec hæreticos, nec ſchiſmaticos, ſed Chriſtianiſſimos & Euangeliciſſimos eſſe, quos & his verbis oro & obteſtor in Domino, vt in ea ſententia firmiter permaneant, Cum pro ſe habeant expreſſum textum Euangelij, longæuum & apud Græcos in hunc diem ſeruatum catholicum vſum Eccleſiæ Dei, Nec moueantur tyranni illius Romani & Antichriſti vaſtatoris & impijs Decretis, quibus alteram partem ſacramenti per vim abſtulit ijs, quibus Chriſtus ipſe donauit, qui cum Sacerdotibus imperet vtranque ſpeciem ſumere, cauſatus vnum ſacramentum eſſe vtranque ſpeciem (id quod verum eſt) Rurſus laicis vnam prohibens, iterum pro libidine cauſatus, mendacio ſibipſi contrario, integrum ſacramentum vnam ſpeciem eſſe, Sic aliud ſacramentum laicis & aliud ſacerdotibus partitur, ſicut & pœnitentiæ ſacramentum ſuperius aliud Papæ & aliud totius Eccleſiæ finxit.

Impia Decreta Romani Antichriſti.

Secundo dico, Hæreticos & ſchiſmaticos eſſe Papam & omnes, qui idolum hoc Romanum adorant, niſi forte laicos & rudes excuſet ignorantia, ſimplex fides & violenta huius Aſſur captiuitas, Quia Euangelium Chriſti plane extinguunt, & ſuum caput ſequuntur, ſuumque ſenſum ſtatuunt aduerſus catholicam Eccleſiam Dei, vt in multis alijs, ita & in huius ſacramenti vſu & ſacerdotum cœlibatu. Hi enim ſunt hæretici & ſchiſmatici, qui terminos, quos Patres poſuerunt, transgrediuntur, & à communi catholicæ Eccleſiæ ritu ſeipſos ſegregant, proprioſque ac nouos ritus, pro mera libidine aduerſus Euangelium excogitant. Id quod facit & fecit Romanus ille Antichriſtus, Nec veretur tamen impudens & blaſphemum os ſuum in cœlum ponere, & græcam Eccleſiam arguere ſchiſmatis, quod ipſe & nullus alius cœpit primus & ſolus.

Papa hæreticus & ſchiſmaticus.

Conſultum itaque videtur mihi nunc, vt non modo per Concilium, ſed per

Actu. 5. per quanque Diocœſin, quilibet Epiſcopus etiam inuito Papa, Chriſtum ſecutus in Euangelio, rurſus vtranque ſpeciem laicis daret. Quam diu rogo finimus nos illudi humanis iſtis figmentis & ſtatutis? An ignoramus Deo magis quam hominibus eſſe obediendum? Chriſtus vtranque dat populo ſuo, & Vicarius ſuus alteram auferet?

Conſultum iterum volo, vt quilibet laicus, ſi ſpeciem alteram impetrare non poteſt, vi tyrannidis huius impeditus, corde ſaltem toto optet, & gemat ad Deum, quod noſtris peccatis merentibus digni facti ſumus, quibus impij aduerſarij veritatis alteram partem ſacramenti auferrent, & nos noſtro ſacramento ſpoliarent. Nam hoc ego dico, ſi quis ſciens omittat, deſiderate ſaltem, alteram etiam partem ſacramenti, licet neutra neceſſaria ſit, cum fides ſola hic ſufficiat, impium eum eſſe, & Chriſtum ab eo negari.

Nec cauillis illorum moueatur, qui garriunt ſub pane omnia accipi, Chriſtus etiam ſciebat ſub pane omnia accipi, nihilominus tamen vinum inſtituit. Sciebat omnia ſola fide percipi, & tamen ſacramenta ordinauit. Quo iure ſeruus Domini ſui mutat ordinationes? Cur Sacerdotes non etiam omnia ſub pane accipiunt? Nonne vnus panis & vnum corpus ſumus, omnes qui de
1. Corint. 10. vno pane, & de vno calice participamus, vt Apoſtolus 1. Corinth. 10. docet apertiſſime? At Papa Laicos ab hoc vno corpore excludere conatur, dum
2. Theſſ. 2. non omnes de vno calice vult participare, reſiſtens tum Chriſto, tum Paulo & vniuerſæ Eccleſiæ Dei, tantum vt myſterium iniquitatis ſuæ operetur filius ille perditionis & homo peccati.

XVII.

Theſauri Eccleſiæ, unde Papa dat Indulgentias, non ſunt merita Chriſti & Sanctorum. Indulgentia.

Iohan. 6. HVnc probaui ſic, quia merita Chriſti ſunt res viuæ, ſpirituales & ſacræ, quæ iuſtificant cor. Qui enim manducat carnem meam, & bibit ſanguinem meum, viuet in æternum. Verba & opera Chriſti omnibus ſunt ſalutaria ad vitam, quicunque ea apprehenderint, nec poſſunt niſi fide apprehendi. Ideo nec vllus hominum habet ea in poteſtate ſua, niſi ſolus ipſe. Indulgentiæ autem ſunt remiſſiones ſatisfactionis, quæ nihil faciunt ad iuſtificationem, Ideo inſignis eſt blaſphemia, merita Chriſti in hoc ſordidum opus mortis ponere. Præter hæc, nullis ſcripturis ſua probant, ſed ſola impia illa extrauagante Clemen. VI. ex opinionibus Thomæ inſulſiſſimis & meris figmentis concepta. *Verba Chriſti fide apprehenduntur.*

Ad hæc merita Chriſti ſunt neceſſaria & præcepta haberi, ſicut & fides,
1. Cor. 1. Sic 1. Corinth. 1. dicit, nobis Chriſtum eſſe Dei virtutem & Dei ſapientiam, &
Rom. 5. Roma 5. Nos in ſolo ſanguine eius iuſtificari, & Roma. 3. Ipſum poſitum in propiciatorum in ſanguine ſuo. Sed Indulgentiæ nec neceſſariæ nec præceptæ ſunt, ſicut nec fidem habent, Ideo nihil faciunt ad ſalutem prorſus.

Quod vero dicunt, Merita Chriſti accipi dupliciter, vno modo per modum ſatisfactionis, alio per modum iuſtificationis. Reſpondeo: Quid mihi & iſtis figmentis? ſcio merita Chriſti etiam accipi hodie per modum pecuniæ, Et in quo ſcelerum abuſu non prætexuntur hodie merita Chriſti? Hac fingendi libidine quiduis è quouis facere licebit, etiam Deum ex ipſo Satana, quod & faciunt, atque fecerunt impij iſti Indulgentiarij adulatores.

XIIX.

Indulgentiæ ſunt piæ fraudes fidelium, & remiſſiones bonorum operum, Et ſunt de numero eorum, quæ licent, & non de numero eorum quæ expediunt.

Indulgentiæ.

ERraui fateor, vbi dixi, Indulgentias eſſe pias fraudes fidelium, ſic enim à multis Prouerbio dici audieram, quos tunc imitabar. Reuoco ergo & dico, Indulgentias eſſe impiiſſimas ſceleratiſſimorum Pontificum fraudes & imposturas, quibus & res & animas fidelium fallunt & perdunt. Sed & hanc Propoſitionem cum præcedente & quatuor ſequentibus reuocaui in libro de captiuitate Babylonica.

Probaui enim ſuperius, ſatisfactionem aut nullam requiri à Deo, aut prorſus irremiſſibilem eſſe ab homine, quam requiſierit, ideo indulgentias iſtas prorſus nihil eſſe. Sic enim Adæ & Heuæ omnibusque nobis impoſuit laborem & mortem, ſic occidit & percuſſit multos in Scriptura ſancta, pro peccatis. Sed & Pſalm. 89. dicit, Si peccauerint, viſitabo in virga iniquitates eorum. Ideo merum figmentum eſt, quidquid de indulgentijs dictum & creditum eſt. Non enim Papa poteſt hoc verbum Dei tollere. Damnent ergo Pſalmum iſtum, tum credam Indulgentias aliquid eſſe. Sed ad Ebræ. 12. docet Apoſtolus, nos à Deo Patre diſciplinari, & 1. Corinth. 11. iudicari & corripi à Domino, ne damnemur. At ſanctiſſimus ille vicarius Dei in terris docet ſe poſſe tollere & remittere quæ Deus imponit, tam pulchre conuenit cum principe & rege ſuo, ſicut Belial cum Chriſto. Pſalm. 89. Ebræ. 12. 1. Cor. 11.

Indulgentiæ.

Si tamen aliquid eſſent indulgentiæ, quid aliud quam remiſſiones bonorum operum eſſent? Nonne remittunt ſatisfactiones? Quid autem ſunt ſatisfactiones, niſi bona opera bonæque paſſiones? vt etiam hac ratione peſtilentiores fuerint indulgentiæ, ſi aliquid eſſent, quam nunc dum nihil ſunt. Quæ fraus ſceleratior, quam hominibus bona opera remittere, & licentiam dare pigritandi ſub ſpecie pietatis, ad pecunias tantum exugendas?

Reuoco etiam quod dixi, eas eſſe de numero eorum, quæ licent. Hoc enim verum eſſet, ſi aliquid eſſent. Quia quod non eſt præceptum nec conſultum, prorſus nec expedit nec neceſſarium eſt, ſed mere licitum & arbitrarium, ac tales eſſent indulgentiæ. Nunc autem dico, eas eſſe de numero eorum, quæ fallunt & perdunt, cum ſint nihil niſi fraudes ſceleratorum ſanguiſugarum populi Dei.

XIX.

Indulgentia his, qui veraciter eas conſequuntur, non valent ad remiſſionem pœnæ pro peccatis actualibus debitæ apud diuinam iuſticiam.

XX.

Seducuntur Credentes, indulgentias eſſe ſalutares & ad fructum ſpiritus vtiles.

XXI.

Indulgentiæ neceſſariæ ſunt ſolum publicis criminibus, & propriæ conceduntur duris ſolummodo & impatientibus.

XXII.

Sex generibus hominum Indulgentiæ nec ſunt neceſſariæ nec vtiles, videlicet mortuis, ſeu morituris, infirmis, legitime impeditis, his qui non commiſerunt crimina, his qui crimina commiſerunt, ſed non publica, his qui meliora operantur.

HAs Propoſitiones, vt dixi, reuocaui antea, rogauique, & adhuc rogo omnes, tum Bibliopolas tum Lectores, vt ea quæ de indulgentijs diſputata & ſcripta à me ſunt, exurant. Neſciebam enim tum, cum ea laborarem, Papam eſſe Antichriſtum, qui his & ſimilibus operationibus erroris, Satana imperante, orbem perderet Chriſtianum. Fixa eſt ſententia diuina Pſalm. 89. Viſitabo in virga iniquitates eorum, qua indulgentiæ, quæ virgam iniquitates viſitantem impijſſime præſumunt remittere, funditus ſubuertuntur, & nihil niſi inane nomen eſſe monſtrantur.

Pſal. 89.

Nec curanda hominum reproborum diſtinctio de cerebro ſuo conficta, de pœnis medicatiuis & ſatisfactorijs. Verba Pſalmi clare docent, peccata & iniquitates virga viſitari. Et nemo niſi inſanus queat negare, virgam illam eſſe pœnam pro peccatis inflictam, ſiue hanc ſatisfactionis ſiue alterius negotij dixeris. Non ergo credas, etiamſi Angelus de cœlo aliud docuerit, contra tam manifeſtam Scripturam, nedum ſi Draco blaſphemus de Curia Romana aliud fremat, Non remittet homo, aut tollet viſitationem huius virgæ.

XXIII.

Excommunicationes ſunt tantum pœna externæ, nec priuant Hominem communibus ſpiritualibus Eccleſiæ orationibus.

Excommunicatio.

HAnc ſatis firmiter probaui in ſermone de excommunicatione, etiam per ipſorummet verba, vbi Papa dicit lib. 6. de ſent. excommu. Medicinalem & non mortalem, non eradicantem eſſe excommunicationem. At ſi priuaret ſpiritualibus communibus bonis, certe mortalis eſſet, quia animam ſepararet à Deo.

Sermo de excommunicatione.

Ego autem fortioribus nixus ſum, quia in poteſtate hominis non eſt, vt quis credat vel non credat, Sola autem fides vel incredulitas copulat vel ſeparat animam Eccleſiæ Dei, ſicut Chriſtus dicit Mar. vlt. Qui crediderit, ſaluus erit, qui non crediderit, condemnabitur. Nullus eſt fere articulorum, qui manifeſtioris ſit veritatis, quam iſte, vt ego non poſſim ſatis laudare diuinam prouidentiam, quæ draconem iſtum antiquum cum Papa & rabidis Papiſtis ſuis ſic excæcauit, vt in tam claram veritatem etiam à ſeipſis ſtatutam impingerent, qua vel vna cæcitate totius huius Bullæ autoritatem, non modo mihi, ſed toti orbi, merito contemptam reddiderunt.

XXIV.

Docendi ſunt Chriſtiani, plus diligere excommunicationem quam timere.

PRobatur, quia ipſe Papa dicit eam eſſe medicinalē, non mortalem, ſed diſciplinantem, Sed id, quod medicinale & viuificans eſt, nemo debet timere, niſi ij, qui hanc Bullam compoſuerunt, furioſi ſcilicet, qui medicinā & vitam timere & non amare docent, imo amari damnant & timeri mandant, Neq; n. ipſos furioſos videas ſic à communi ſenſu omnium rerum abhorrere, vt vitalia & medicinalia timenda cenſeant. Verū digna Bulla ſuis autoribus. Quis non ſuperbiat damnatus ab his perditis & miſeris hominibus?

XXV.

Romanus pontifex, Petri ſucceſſor, non Chriſti vicarius eſt, ſuper omnes totius mundi Eccleſias ab ipſo Chriſto in beato Petro inſtitutus.

Primatus Papæ.

HVnc facilime probo per experientiam, Nunquam enim fuit ſuper omnes Eccleſias totius mundi Romanus Pontifex, ſed neq; adhuc

eſt,nec vnquam in futurum erit, vt ſpero. Quid ergo neceſſe eſt multis in hac re digladiari,cum ipſe omnium ſenſus nobis oſtendat rei veritatem? Neque enim ſuper Eccleſias Græciæ, Indiæ, Perſidis, Aegypti, & Africæ vnqnam fuit, neque adhuc eſt,qnod cum magna querela & dolore confitentur ipſimet, fruſtra tam multis ſtudijs in hanc rem conſumptis.

Sed dicent: De iure, non de facto loquimur,& non quid faciant,ſed quid facere deberent Eccleſiæ illæ rebelles,quærimus. Reſpondeo: Hoc pro me facit,Si enim iure diuino inſtitutus eſſet hic Primatus,eſſet ſine dubio aliquando impletus,cum non prætereat à lege Dei vnum iota, quod non impleatnr,etiam portis inferi non præualentibus contrarinm, & omnia, quæ Deus præcepit,ſunt ab aliquibus ſaltem impleta, & quæ promiſit,ſunt ſimpliciter & ſemper & vbique impleta. At primatus iſte ne vna quidem hora impletus eſt vnquam. Impoſſibile autem fuiſſet eum non impleri, ſi vel præceptus vel promiſſus fuiſſet. Eligant ergo quod volunt, Deus primatum Petri inſtituit ac promiſit, & nunquam impleuit, Ergo mentitus eſt. Si non mentitus eſt, nnnquam inſtituit, neque promiſit. Hanc Ratinnculam neq; ſolnunt, nec ſoluent vnquam omnes Papiſtæ in vnum chaos confuſi.

Omnes Apoſtoli Petro æquales.

Præterea quid non audeant præſumere? qui primatum tribuunt Romano Epiſcopo, ſi non mouentur inſuperabili & à ſe ipſis confeſſo argumento. Quod omnes Apoſtoli æquales fuerunt Petro, & nullum eorum ipſe elegit, fecit, confirmauit, miſit, aut aliquid mandauit. Quid enim facerent, ſi ſemel miſſum aliquem à Petro poſſent oſtendere, ſicut nos oſtendimus Petrum ab alijs miſſum? Act. 8. *Actor. 8.*

Romanus Pontifex.

Miſer ille homo Rom. Epiſcopus ſuam Eccleſiam Romanam neque regit neque paſcit,ſed neque poteſt. Deinde Curiam ſuam omnium ſcelerum lernam etiam nutrit ac fouet, & totius orbis Eccleſias ſibi arrogat ad regendum, imo nec ſuam perſonam regere iam à multis ſeculis potuit, Tam craſſas tenebras temeritatis adhuc non palpamus. Et hæc figmenta verborum incompoſitiſſima adhuc admittimus, vere credentes eum vere paſcere & regere velle aut poſſe omnes Eccleſias, qui ſuam proximam etiam vaſtat, Lupus in ſuo Ouili, Paſtor erit in alienis?

Principatus ſine adminiſtratione.

Vnum hoc ego admitor, Cur totus orbis hoc primatu carere non poſſit, cuius opns & officium nunquam ſenſit nec vnquam ſentire poteſt? Quid enim principatus ſine opere imo contrario opere? Si Eccleſia ſtat ſine illius opere, & officio, etiam ſine ipſo primatu ſtabit, & ſine dubio melius ſtabit, perinde enim eſt, ac ſi nullus ſit, cuius opus & officium nullum eſt. Quid ergo garriunt miſeri, Papatum eſſe oportere, ad regendam Eccleſiam vniuerſalem, ne ſit acephala, quando regitur ab illo? Non eſt acephala, quæ capitis ſui neq; motum neq; ſenſum, imo contrarium experitur. Væ maledictis illis figmentis, quibus tot animas fallunt & perdunt, dicentes: Caput, caput Eccleſiæ, cum nullum ſit capitis vſpiam indicium. Quam vere dixit Petrus 2. Pet. 2. Et fictis verbis in auaritia de vobis negotiabuntur. *2 Pet. 2.*

TAmen quo magis pateat operatio Satanæ in errore iſto, videamus, quibus verborum fallacijs & figmentis eum primatum probauerunt. Primum adducunt illud Matth. 16. Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. Et tibi dabo claues regni cœlorum, Quodcunq; ligaueris ſuper terrã &c. *Matth. 16.*

Tu es Petrus,

Petra quid Romaniſtis ſignificet.

Portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.

Hic per petram intelligunt poteſtatem Petri, ſeu Papæ monarchiam illam, ſuper quam ædificari volunt totã Eccleſiam, id eſt, Eccleſiam ſubijci huic poteſtati. Hæc adulteratio & deprauatio huius verbi Chriſti & impijſſima & intolerabilis eſt. Quod euidenter monſtrabo in hunc modum, Chriſtus dicit, quod portæ inferi non ſint præualituræ vnquam aduerſus hanc ſiue Petram ſiue Eccleſiam ſuper petram ædificatam. Nihil enim refert, ſiue aduerſus

petram

petram ſiue aduerſus Eccleſiam non præualere intelligantur, imo periculoſius eſt aduerſus petram quam aduerſus Eccleſiã præualere illas, cum ruente petra, Eccleſiam ſupra Petram ſitam neceſſe quoq; ſit ruere, non autem econtra.

Cum autem nemo poſſit negare, Papam & omnem poteſtatem eius ſæpius fuiſſe vna cum ijs, qui ſub eo etiam pertinaciſſime agunt, ſub peccato & impietate peſſimoque abuſu, ac per hoc portas inferi horribiliter in eos præualuiſſe, eosque occupauerint, maxime in hodiernam diem poſſideant, cum hodie non ſeuiat ea poteſtas, niſi ad vaſtationem Eccleſiæ, vt omnium ſenſus cognoſcit, manifeſtum eſt, petram aliud quippiam ſignificare, quam poteſtatem illam portis inferi tam horribiliter ſubiectam & ſeruientem.

Quare impiam & intolerabilem blaſphemiam eſſe dico, per petram, qua ſolus Chriſtus, id eſt, verbum & fides eius inſuperabilis ſignificatur, intelligere poteſtatem illam monarchicam Satanæ ſeruam & officinam. Sola enim fides in Chriſtum eſt, quæ nullis inferi portis ad vllum peccatum poteſt ſubuerti. *Petra quid vere ſit. Fides in Chriſtum.*

Patet ergo, quam inſigni blaſphemia multi Pontifices in ſuis Decretis petram detorſerunt ad ſuam potentiam, & verbum, ædificare, ad Eccleſiæ externam ſubiectionem. Si n. ædificantur ſupra petram, qui Papæ Monarchiã colunt, neceſſe eſt, vt portæ inferi nihil in eos poſſint. Cum vero portæ inferi in nullos homines plus poſſint quam in eos, qui religioſiſſime Papæ ſubiecti ſunt (ſunt enim omnium, quod videmus, ſceleratiſſimi & impijſſimi, omnium dæmonum & vitiorum ſerui) patet, quod nihil minus poteſtas illa ſit quam petra iſta, & illi nihil minus ſint quam ædificati ſuper hanc Petram.

Adeſte ergo huc, Papa & omnes Papiſtæ in vnum, conflate ſtudia veſtra omnia in vnum, ſi forte poſſitis hoc vinculum diſſoluere. Saltem hæc autoritas contra vos euicta triumphataq; eſt. Nonne hæc autoritas hactenus fuit veſtrum vnicum præſidium? Nonne per omnia Decreta iactata ceu rupes inuicta huius poteſtatis? Prorſus in nullo alio verbo vobis credimus, donec hoc mendacium & hanc blaſphemiam diluetis. Suſpecti, inquam, eritis in omnibus alijs, ſemel deprehenſi in tam craſſa temeritate deprauandi verbi Dei. Minus ſane erraſſetis, ſi per Petram intellexiſſetis ſanctum Petrum, quẽ aliquot ſancti Patres fundamentum Eccleſiarum, ſed propter fidem ſuã, non propter potentiam externam, dixerunt. Non n. idem eſt, ſanctus Petrus propter fidem verbi Chriſti, & poteſtas Papæ ſine fide & verbo, ſuperabilis per portas inferi.

Quod ſi etiam aliquot Patres in ſententia veſtra habeatis, fruſtra eos iactatis, Quia nos clarum Euangelij ſenſum habemus, merito omnibus præferendum. Atq; ne alienis virtutibus glorier Iohannis Huſs iniquiſſime à vobis combuſti hæc eſt victoria in hoc verbo Chriſti, imo ipſius Chriſti, ob quem ille exuſtus eſt, Non enim ex meo capite, ſed ex illius libro de Eccleſia ſcripto, & à vobis damnato, hæc habeo. *Iohannis Huſs liber de Eccleſia.*

Iohan. vlt. Alteram quoq; afferunt Autoritatem Iohan. vlt. Dixit Ieſus Petro: Simon amas me? Paſce oues meas &c. Hic volunt omnes oues Petro & Papæ commiſſas, iterum ſolita impietate verbũ Chriſti figmentis ſuis adulterãtes. Chriſtus enim amare & paſcere exegit, illi vero impudenter contra os Chriſti dicunt, Non eſſe neceſſarium amorem Paſtori, cum poteſtas ſit ferenda, etiamſi in malo ſit vſu, & non amet, Deinde verbum paſcere veneno ſuę gloſſę exponunt, pro eo, quod eſt, præſidere & ſuperiorem eſſe. Et ſic verbum Chriſti extinguunt, & contrarium ſenſum ſub eodem proponunt. *Paſce oues meas &c. Paſtores.*

Dico ergo, Si poteſtas mala eſt ferenda, hoc non docetur à Chriſto, in hoc verbo. Hic non niſi amans Chriſti Petrus requiritur, qui ſi amans Chriſti non fuerit, nihil ad eum verbum iſtud. Quare ſequetur, & Papam non eſſe

Papam,

Papam, ſi non amat Chriſtum, & eum qui amat, etiam non Papa, eſſe Papam, ſi hoc verbo Papatus inſtituitur. Amor, inquam, hic inſtituitur, non poteſtas, quæ ſine amore eſſe poteſt.

Paſcere quid. Secundo, Verbum paſcere ſignificat non præſidere, ſed ſeruire, Non enim poteſtatis, ſed ſeruitutis verbum eſt, Licet & hic ſuis torſionibus, illuſionibus & confuſionibus verborum, poteſtatem illam ſeruientem faciant. Verum cum paſcere ſit Euangelium Chriſti prædicare & tractare, impoſſibile eſt, vt Papatum ſignificet, cum aliud ſit eſſe Papam, vt videmus, & aliud Euangelij miniſterium, vt non poſſint ambo eodem verbo ſignificari, niſi quo modo petra ſignificauit illis Paparum & fidem Chriſti.

Vbi verbum ibi Eccleſia. Eademque ratione concluditur, Toties Eccleſiam ſine Papatu eſſe, quoties Papa nec amat nec paſcit, id quod & verum eſt. Nam vbi non eſt verbum Dei, ibi non poteſt eſſe Eccleſia, cum per verbum naſcatur, alatur, viuat, & ſeruetur. Cum autem Papa multis ſeculis, nec amauerit, nec pauerit, vbi manſit Papatus & Eccleſia? præſertim cum Eccleſiam ſine Papatu, id eſt, amore & paſtu eſſe non poſſe tam fortiter aſſeratur. Verum ad has rationes oculos & aures claudunt, qui tamen ſi viceſimam partem huius roboris pro ſe haberent, cœlum & terram clamoribus replerent, cum nec ſic vociferari deſinant, cum nihil niſi mendacia infirmiſſima pro ſe habeant.

Paſce oues meas. Reliquum eſt ergo, vt ſicut Auguſtinus & ipſimet ſentiunt, hunc locum Iohannis nihil ad monarchiam, ſed ad generalem omnibus Paſtoribus Eccleſiarum doctrinam pertinere. Et eam Eccleſiam, quæ ſub Papa regitur, quia ſine amore & paſtu verbi Dei regitur, nihil minus quam Eccleſiam eſſe, Et ipſum Papam nihil minus quam Paſtorem Eccleſiæ Dei eſſe, ſed idolum aduerſarium Chriſto & Euangelio eius. Vbi ergo nunc ſtabit fictitius iſte Primarus? poſtquam duo hi loci, quibus nititur principaliter prorſus contra eum facere conuincuntur. Non ego tantillum curo, quod longitudinem temporis, multitudinem & magnitudinem conſpirantium mihi obiectant. Quod talibus argumentis mundus contra Apoſtolos quoque vſus fuerit, & tamen ob hoc veritatem Euangelij recentem, à paucis & idiotis prædicatam redarguere non potuerunt.

Papa. Fictitius Roman. Pont primatus.

XXVI.

Verbum Chriſti ad Petrum, Quodcunq; ſolueris ſuper terram &c. extenditur duntaxat ad ligata ab ipſo Petro.

PRimum nego, ad ſolum Petrum hoc Chriſti verbum eſſe dictum, Neque ego hoc vnquam dixi. Interrogauit enim omnes Diſcipulos, dicens: Quem vos me eſſe dicitis? Et Petrus omnium perſona reſpondit? Tu es Chriſtus. Ita & in omnium perſona accepit claues. Quare notandum, quod ſanctitas ſanctiſſimi Domini Papæ hoc loco mentitur, ſicut eſt moris eius atque ſtyli. Quod autem poteſtas ſoluendi latior ſit quam poteſtas ligandi, æque mentitur Sanctiſſimus ille, Non enim hoc poterit probare vllo modo, Quia ſicut Chriſtus dicit: Quodcunque ſolueris, ita dicit: Quodcunq; ligaueris, vtrobique eodem ſigno vniuerſali vtens. Quare parem eſſe vtramq; poteſtatem, apertiſſima verba probant Chriſti, vt nihil moueant, quæ Sanctiſſimus in contrarium blaſphemat, Non enim ei credimus nuda dicenti, multo minus contra apertam veritatem inſanienti & blaſphemanti.

Quodcunque ligaueris &c.

XXVII.

Certum eſt, in manu Eccleſiæ aut Papæ prorſus non eſſe, ſtatuere articulos fidei, imo nec leges morum ſeu bonorum operum.

PRobo

1. Cor. 3. PRobo hunc ſic, *1. Corinth. 3. Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Ieſus Chriſtus.* Hic habes fundamentum ab Apoſtolis poſitum, At omnis articulus fidei eſt pars huius fundamenti, quare poni alius articulus, quam poſitus eſt, nullus poteſt, Superædificari autem poteſt, vt idem dicit. Et ideo Papa debet nobiſcum poni & ſuperædificari, non autem ponere, Omnia enim credenda ſunt in ſcripturis expoſita plene.

Permitto tamen, quod Papa condat Articulos fidei & ſuis fidelibus, quales ſunt, panem & vinum transſubſtantiari in Sacramento. Eſſentiam Dei nec generare nec generari. Animam eſſe formam ſubſtantialem corporis humani, ſe eſſe Imperatorem mundi & Regem cœli, & Deum terrenum. Animam eſſe immortalem. Et omnia illa infinita portenta in Romano ſterquilinio Decretorum, vt qualis eſt eius fide, tales ſit Euangelium, tales & fideles, talis & Eccleſia, & habeant ſimilem labra lactucam, & dignum patella ſit operculũ. *Articuli à P. condıti.*

Nos vero, qui non Papani ſed Chriſtiani ſumus, ſcimus, quod nihil eſt fidei & bonorum morum, quod non abunde in literis ſacris ſit expoſitum, vt neq; ius, neq; locus ſit alia ſtatuẽdi vilis hominibus. Porro ceremonias potuit Eccleſia ordinare, ſed hæ in arbitrio ſunt omnium fidelium, ſicut dicit 1. Cor. 7. Empti eſtis precio, Nolite fieri ſerui hominum. Et Col. 2. Videte ne quis vos decipiat per inanem Philoſophiam & fallaciam, ſecundum traditionem hominum, ſecundum elementa huius mundi; & non ſecundum Chriſtum. *Ceremoniæ.* 1. Cor. 7. Coloſſ. 2.

Concedo ergo, Papam habere poteſtatem condendi leges, ſicut Aſſur Nimrod, habuit, vt eſſet robuſtus venator in terra coram Domino, vt extinguat libertatem Chriſtianã. Probatur hæc poteſtas per illud Chriſti Matt. 24. Videte ne quis vos ſeducat, Multi enim venient in nomine meo, dicentes, Ego ſum Chriſtus, & ſeducent multos. Et iterum, cum videritis abominationem ſtantem in loco ſancto, quæ dicta eſt à Daniele Propheta, qui legit, intelligat. Surgent enim Pſeudoprophetæ & Pſeudochriſti, & ſeducent multos, Tunc ſi dixerint: Ecce hic aut illic eſt Chriſtus, nolite credere, Dabunt enim ſigna & prodigia, vt in errorem ducant, ſi fieri poteſt, etiam electos, Ecce prædixi vobis. Et 1. Tim. 4. Spiritus manifeſte dicit, quia in nouiſſimis temporibus diſcedent quidam à fide, attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, in hypocriſi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium ſuam conſcientiam, prohibentium nubere & abſtinere à cibis, quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & his qui cognouerunt veritatem. *Papa ſuis legibus extinxit libertatem Chriſtianam.* Matth. 24. 1. Tim. 4.

Ecce non ſolum hic probatur poteſtas Papiſticarum doctrinarum & legum, ſed etiam admonitio noſtri, vt ab ijs Pſeudomagiſtris caueamus, qui ceremonijs hic & illic Chriſtum oſtentantibus, nos à fide ſyncera alienant. Nam & Daniel 8. prædixit, Antichriſtum fore Regem impudentem facie, hoc eſt, ſicut Ebræus habet, Potentem ſpeciebus, pompis & ceremonijs externorum operum, extincto interim ſpiritu fidei. Sicut videmus impletum, tot religionibus, ordinibus, collegijs, ritibus, veſtibus, geſtibus, ædificijs, ſtatutis, regulis, obſeruantijs, vt numerum hominum eorũ vix recites, quorum nullus Euangelium curat. Donec irrita facta ſint omnia mandata Dei, præſertim princeps iuſticiæ fides Chriſti, propter traditiones has hominum impiorum. Et hæc quidem milites fecerunt, Et hæc regno Antichriſti conueniebant. Dan. 8. *Fidei Chriſti.*

XXIIX.

Si Papa cum magna parte Eccleſiæ ſic vel ſic ſentiret, nec etiam erraret, adhuc non eſt peccatum aut hæreſis contrarium ſentire, præſertim in re non neceſſaria ad ſalutem, donec fuerit

per Concilium vniuerſale, alterum reprobatum, alterum approbatum.

HÆc de Indulgentijs dixi, minus tunc rerum peritus. Stulte enim dixi, Quare Articulum damno ipſemet, cum enim in eo quæſtio de rebus non neceſſarijs ad ſalutem verſetur, non debui Papæ aut Concilio tribuere tantum poteſtatis, vt è non neceſſaria re neceſſariam facere poſſent. Sed hic debui dicere, ſicut & nunc dico: Si Papa & Concilium ſic deſiperent, vt in rebus non neceſſarijs ad ſalutem determinandis, tempus & ſtudia perderent, Habendi & contemnendi eſſent pro fatuis & inſanis, cum omnibus ſuis determinationibus larualibus, cum tam multa ſint neceſſaria ad ſalutem, quæ ſola tractari oporteat. Talis autem fatuitas eſt, quod de Indulgentijs, de primatu Papæ, de tranſſubſtantiatione panis, & infinitis alijs nugis ad rem nihil pertinentibus, ſæpius in Concilijs determinauerunt, de quibus Paulus 1. Tim. 4. Stultas autem & aniles fabulas deuita. *1. Tim. 4.*

Bulla Leonis X. Laudo ergo egregiam Bullam iſtam, quæ Papæ & Concilio tribuit negotium rerum non neceſſariarum ad ſalutem, Neq; enim digni ſunt alio negotio, quam vt ſtatuant, definiant, ſeruent, aliena, impertinentia & non neceſſaria ad ſalutem. Quid enim illis & ſaluti? Sed & Bulla ipſa, vt proles imitetur parentes ſuos, fere non laborat, niſi in articulis ad rem prorſus nihil pertinentibus. Cum ergo è non neceſſarijs neceſſaria faciant, & hæc, neglectis interim fidei documentis pro articulis, obtrudant populo Dei, non intelligimus, adhuc eos, operante Satana, operationibus erroris Eccleſiã vaſtare? Quid enim poteſt eſſe niſi error, quod cum neceſſarium non ſit, neceſſarium arbitrio hominum efficitur? Vt hominum ſpem ædificent ſuper arenam, vt credant neceſſarium, quod neceſſarium non eſt. *O vos impijſſimi animarum ſeductores, quam ſcelerate illuditis populo Dei.*

Igitur ſiue Papa, ſiue pars, ſiue Concilium, ſic aut ſic ſentiat, nemini debet eſſe præiudicium, ſed abundet quiſq; in ſenſu ſuo, in eis rebus, quæ neceſſaria non ſunt ad ſalutem. In libertatem enim vocati ſumus, vt non ſit neceſſe credere verum, quod alius homo ſentit vel dicit, contenti eis credere, quæ in ſcripturis docti ſumus. Si vero Papa poterit vllo iota probare, ſe habere ius condendi etiam minimam legis literam, nedum articulos fidei ſtatuendi, libenter hæc reuocabo. *Gal. 5.* Vſum & præſumptionem, quibus hactenus præualuit, non curo, Scripturas ſanctas quæro, Quandoquidem omnia, quæ in Eccleſia fiunt, è ſcripturis ſanctis autoritatem & exemplum habere debent. Sicut dicit Deut. 4. *Deut. 4.* Non addetis ad verbum quod loquor vobis, nec auferetis ex eo. Et Zach. 2. *Zach. 2.* Legem Dei requirent ex ore Sacerdotis, quia Angelus Domini exercituũ eſt.

XXIX.

Concilia.

Via nobis facta eſt, eneruandi autoritatem Conciliorum, & libere contradicendi eorum geſtis, & iudicandi eorum Decreta, & confidenter confitendi, quidquid verum videtur, ſiue probatum, ſiue reprobatum fuerit à quocunq; Concilio.

QVam maligniter & inſidioſe ſanctiſsimus ille Chriſti vicarius captat mea verba, Sic n. ponit hunc Articulum, ac ſi ego voluerim Concilijs reſiſti pro cuiuſuis libidine. Ego enim docui Concilijs diſſentire & reſiſtere, ſi quando contraria vel ſcripturæ vel ſibijpſis ſtatuiſſent. *Concilia nouiſſima.* Scripturam, inquam, volo iudicem eſſe Conciliorum. Quod dixi, propter Concilia illa nouiſſima, in quibus nihil definitum eſt iuxta Scripturas, ſed omnia ſecundum mera hominum ſtatuta & ſomnia, ſi qua optima ſtatuta ſunt, vt

potius

potius hominum conciliabula, quam Eccleſiæ Concilia dicere poſſis. Nam quid Conſtantiæ ſtatutum ſit, videbimus infra.

Quod ſi etiam nunc dicerem, cuilibet pro libidine licere Concilijs reſiſtere, recte dicerē. Quia articulo præcedente confitetur ſanctiſſimus vicarius Dei, ſe in Concilijs determinare ea, quæ non neceſſaria ſunt ad ſalutem, eaq; poſſe vertere in neceſſaria, ideo non ſolum reſiſti ei licebit, ſed etiam, ſicut delirum aut morionem rideri à morionibus oportet, vt qui in rebus ſacris tanta vel leuitate vel amentia etiam iocari & nugari tum audeat ipſe, tum cogat alios.

Adduxi autem pro mea ſententia Panormitanum de elect. c. Significaſti, dicentem, Plus eſſe credendum vni priuato fideli, quam toti Concilio, aut Papæ, ſi meliorem autoritatem vel rationem habeat. Cur hunc non damnauit ſanctiſſimus Chriſti vicarius? Quid in meis verbis odioſe criminatur, quæ aliunde pendent? Si vni priuato plus credendum eſt, quam Concilio, in aliquo caſu, nonne autoritas Conciliorum quoq; ſubiecta eſt eidem priuato fideli? *Panormitanus.*

Sed finge Panormitanum hoc non dixiſſe, quid ad Paulum dicemus, qui Galat. 1. dicit: Si Angelus de cœlo aliud euangeliſauerit, anathema ſit? Vide hic ſanctiſſime Papa, Paulus anathema iubet eſſe, etiam ſi Angelus de cœlo aliud docuerit. Et quanto magis anathema eſſe debet, ſi Papa de terra vel Concilium de inferno aliud docuerint?

Gal. 1.

1. Cor. 14. Idem 1. Cor. 14. Quod ſi ſedenti reuelatum fuerit, prior taceat. Nonne & hic Apoſtolus docenti & maiori obſtruit os, vbi ſedenti & inferiori aliquid fuerit reuelatum, & plane maiorem ſubijcit minori? Quid ergo ſibi arrogat Papa & Concilium contra hæc Scripturæ ſanctæ exempla & documenta? Paulus etiam reprehendit Petrum, Galat. 2. & Iacobus Acto. 15. mutauit Petri ſententiam. Nec ipſi Apoſtoli in ſuo Concilio quidquam ſtatuerunt de ſola præſumptione ſpiritus, ſed per ſcripturas ſua probauerunt. At nos incomparabiliter minores, ſtatim vt nobis quidquam rectum viſum fuerit, Concilij titulo in articulum fidei vertimus. *Concilium Apoſtolorum.*

Gal. 2. Actor. 15.

XXX.

Aliqui Articuli Iohannis Huſs condemnati in Concilio Conſtantienſi, ſunt Chriſtianiſſimi, veriſſimi & Euangelici, quos nec vniuerſalis Eccleſia poſſet damnare.

ERraui, & hunc articulum reuocaui, & adhuc reuoco, in hoc quod dixi, aliquos Articulos Iohannis Huſs eſſe Euangelicos. Quare nunc ſic dico, Non aliquos, ſed omnes articulos Iohannis Huſs Conſtantiæ eſſe damnatos ab Antichriſto & ſuis Apoſtolis in Synagoga illa Satanæ, ex ſceleratiſſimis Sophiſtis congregata. Et in faciem tuam, ſanctiſſime Vicarie Dei tibi libere dico, omnia damnata Iohannis Huſs eſſe Euangelica & Chriſtiana, tua autem omnia proſſus impia & diabolica. Ecce reuocationem, quam tua Bulla exegit. Quid vis amplius? *Iohannis Huſs articuli damnati Conſtantiæ &c.*

Secundo, Non recte vocant, qui me Huſſitam appellant, Non enim mecum ille ſenſit, Sed ſi ille fuit hæreticus, ego plus decies hæreticus ſum, cum ille longe minora & pauciora dixerit, velut inchoans lucem veritatis aperire. Hoc ideo dico, vt intelligat Lector, quam ſcelerati & impij fuerint homicidæ illi Conſtantienſis Concilij Pontifices & Phariſæi, qui illum exuſſerint, cum ego me fatear Chriſtianum, nolimque eorum damnationem agnoſcere. Niſi forte ideo permiſſus eſt exuri, quia non parum detulit Romano idolo, & ſuis Satanicis ſtatutis operationibusque erroris. Conatus enim fuit vir ille, & pius & doctus, id quod & ego in principio conabar, vt Decretis Papalibus veritatis opinio ſalua maneret, At iſs ſaluis, ipſum perire neceſſe erat vna cum Chriſto & ſide & veritate. *Huſſ. Lutherus.*

Huſſ. à Luthero. Papa.

Igitur Iohannes Huſs non repugnare videtur, quo minus ſit Monarchia Papæ, Hoc tantum agit, impium Pontificem non eſſe membrum Eccleſiæ, multo minus Papam, ferendum tamen, ſicut quemuis alium tyrannum, Ego vero etiamſi ſanctus Petrus hodie præſideret Romæ, negabo Rom: Epiſcopū eſſe Papam. Papa enim res ficta eſt in mundo, neq; fuit, neq; eſt, neq; erit, ſed fingitur eſſe. Quare ipſam ſedem Beſtiæ nego, nihil moratus, ſit ne bonus an malus, qui in ea ſedet. Sedes inquam, quę ſit ſuper omnes ſedes, nulla eſt in Eccleſia ſuper terram, iure diuino, ſed omnes ſunt æquales. Quia vna fides, vnum baptiſma, vnus Chriſtus, vnus Pater, qui operatur omnia in omnibus, quod eſt ſuper omnia, per omnia, & in omnibus, Ephe. 4. Deinde Decretales Papæ non dico Apocryphas, ſicut Viglephus & Huſs dicere iactantur, ſed impias & Chriſto aduerſarias, ſolo ſpiritu Satanę efflatas, qua cauſa & eas exuſſi cum fiducia. *Epheſ. 4.*

Decretales Papæ exuſtæ à Luthero.

Fortaſſis & in hoc peccauit Iohannes Huſs, quod duodecim Conſilia euangelica fecit, cum non ſit niſi vnicum virginitatis ſiue cœlibatus, In qua tamen re deceptus eſt per impiam Thomæ & Thomiſtarum theologiam. Ita boni iſti viri ea, quæ in Iohanne Huſs optima ſunt, damnauerunt, quæ vero non bona, probauerunt. Articulos ergo Iohannis Huſs damnatos omnes ſuſcipio, paratus defendere eos, per Chriſti gratiam, inuito illo rerum portento, & abominatione, quæ ſedet in loco ſancto. Verum omnia Iohannis Huſs, etſi ab illis probata, non admitto, vt dixi.

Vnicum conſilium in Scripturis de virginitate.

XXXI.

In omni opere bono iuſtus peccat.

Bona opera.

FInitis tandem articulis illis nugalibus, in quibus nec pietas, nec eruditio doceri vel audiri potuit, ſed de ſuperbia & abuſu Romanæ abominationis coacti ſumus perdere verba, operas & tempus, Reuertimur nunc ad res ſerias & ſalutares, nempe ad gratiam, liberum arbitrium, peccatum, de gloria hominum ad gloriam Dei tranſeuntes, de quibus rebus & primis articulis nonnihil tractauimus.

Hunc autem Articulum ego in Galatis meis, deinde in Reſolutionibus, atq; aduerſus doctrinales Damnatores & incendiarios Louanienſ: tam copioſe declaraui, vt in aduerſarijs incredulis nihil aliud videam, quā aures aſpidis ſurdæ & obturantis auditum ſuum, ſeu, vt Apoſtolus ait, ad fabulas eos conuerſos, à veritate auditu auerſo. Quid illi admittent, qui nobes has teſtimoniorum ſanctorum non admittunt? Attamen inſtandum eſt mandante eodem Paulo, opportune, importunè ob hoc ipſum, quod ſanam doctrinam nolunt ſuſtinere. *Pſal. 58. Tit. 1. 1. Tim. 4.*

Quid ergo meum articulum damnant? Damnent illud Eſa. 64. Et facti ſumus immundi omnes nos, & quaſi pannus menſtruatæ vniverſæ iuſticiæ noſtræ. Et illud Eccl. 7. Non eſt homo iuſtus in terra, qui faciat bonum, & non peccet. Obſecro, qui vniuerſas noſtras iuſticias immundas dicit, nonne omne opus bonum peccato pollutum aſſerit? Damnent & illud Pſal. 143. Non intres in iudicium cum ſervo tuo, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. Deus enim iuſtus iudex, bonum opus damnare non poteſt. Cum autem hic dicat, non iuſtificari vllum viuentem, etiam ſervum Dei, planum eſt, nullum opus bonum poſſe iuſtum iudicium Dei ſuſtinere, quare nec plene bonum eſt. *Eſaiæ. 64. Eccleſ. 7. Pſal. 143.*

Et ad ea, quæ primis articulis diximus redeundo, probauimus hominem ſanctum ſpiritu concupiſcere adverſus carnem, & carne adverſus ſpiritum eſſeq; per hæc duo cum Apoſtolo Paulo, ſeruum peccati ſecundum carnem, & ſeruum Dei ſecundum mentem ac per hoc perſona ipſa iuſti, partim eſt iuſta, *Rom. 7.*

Credens & iuſtus eſt peccator.

partim

partim peccatrix. Si ergo omnis perſona ſimul peccatrix eſt, dum iuſta eſt? quid euidentius ſequi poteſt, quam vt opus quoq; partim ſit bonum, partim malum, cum Chriſtus dicat, & natura monſtret, talem eſſe fructum, qualis eſt arbor, vitium arboris certe in fructu ſentitur. Non enim bona opera faciunt iuſtum (vt ſæpe diximus) ſed iuſtus facit bona opera, at talia faciat (neceſſe eſt) qualis eſt ipſe, imperfectus imperfecta, iuſtus iuſta, malus mala. Si hæc ratio & autoritas non mouet, neſcio quid mouere poſſit. *Bona opera non faciunt iuſtum.*

FOrte dicent & admittent, Iuſtum in opere bono deficere quidem, ſed non peccare. Verum ſuperius abunde probaui, hunc defectum eſſe vere peccatum, Eſt enim omiſſio illius præcepti: Diliges Dominum Deum ex toto corde tuo, ex omnibus viribus tuis, ex tota anima. Cum autem caro reſiſtat ſpiritui, clarum eſt, quod vires carnis non diligant Deum, ac per hoc peccant in hoc præceptum. Si enim ſic elabi volunt per nomen defectus, ne peccatum cogantur admittere, Elabar & ego, & dicam, adulterium non eſſe peccatum, ſed defectum. Qua enim ratione illud carnis concupiſcere contra ſpiritum non eſt peccatum, eadem & adulterari non erit peccatum, Quanquam, vt dixi, proprium ſit eorum inuentum appellare defectum, quod Scriptura peccatum appellat. Et ſicut ipſi fabulantur, ſuos defectus non eſſe contra legem, ſed defectiones à lege. Ita ego quoque negabo, adulterium eſſe contra legem, ſed ſolum defectum à lege. *Defectus.*

Et quid faciunt his ſuis locutionibus, niſi quod alijs quidem verbis idem quod Pelagiani docent? An referre putas, quibus verbis veritatem eludas & mendacium ſtatuas? Quid enim ex ea doctrina capit auditor, quam ſe poſt acceptam gratiam mundum eſſe, & iam gratia ad peccati vlterioris purgationem non egere? id quod propriiſſime Pelagianum eſt, ſed ſub verbis catholicis propoſitum. Ita Chriſto non habent opus ad iuſticiam, niſi in primo inſtanti contritionis, niſi quod Pelagiani nec ipſo primo inſtanti gratia indigere voluerunt. *Papiſtæ Pelagiani ſunt.*

Iob. 9. Cur non damnant Gregorium ſuper Iob. 9. dicentem: Sanctus vir, Quia omne meritum virtutis noſtræ vitium eſſe conſpicit, ſi ab interno arbitro diſtricte iudicetur, Ideo recte ſubiungit: Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei vnum reſpondere pro mille. Nonne Articulum hunc meum hic Gregorius euidenter docet? Idem ſuper illud eiuſdem: Si habuero quippiam iuſtum, non reſpondebo, ſed meum iudicem deprecabor, Vt n., inquit, ſæpe diximus, omnis humana iuſticia iniuſticia eſſe conuincitur, ſi diſtricte iudicetur. *Gregorius.*

Et Auguſtinus lib. 9. Confeſs. Væ hominum vitæ quantumcunque laudabili, ſi remota miſericordia, iudicetur. Vides ergo, ô miſer ſanctiſſime, quorum ſententias impia tua Bulla damnaris? certum eſt eum his Scripturæ & Patrum ſententijs permanere, & te idolum abominationis cum fiducia contẽnere, Non ergo meus ille articulus, ſed Eſaiæ, Dauid, Salomonis, Pauli, Chriſti, Auguſtini, Gregorij, inuentus eſt, cum quibus damnari ab Antichriſto iſto, ſuperba gloria eſt. Hac n. diabolica damnatione firmatur opinio illa. Papam Antichriſtum, & Romanam Curiam ſedem Satanæ & abominationem deſolationis eſſe in Babylone iſta myſtica. Amplius non fallit ſpecie veritatis, ſicut hactenus fecit, ſed prodit ſeipſam abominatio iſta peccati & perditionis. *Auguſtinus.* *Papa Antichriſtus.* *Romana curia.*

XXXII.

Opus bonum optime factum, eſt veniale peccatum.

HIc manifeſte ſequitur ex priore, niſi quod addendum eſt, ꝙ alibi copioſius dixi, hoc veniale peccatũ non natura ſua, ſed miſericordia

Pſal. 143. Dei tale eſſe. Non n. dixit Dauid: Non præmiabitur, ſed non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. Non iuſtificari certe eſt damnari, Ita omne

Opus iuſti. Auguſtinus. Gregorius.

opus iuſti damnabile eſt & peccatum mortale, ſi iudicio Dei iudicetur. Et Auguſtinus non dixit: Væ vitæ hominum aliquo modo laudabili, ſed væ, quantumcunq; laudabili. Væ autem iſtud damnationem ſonat, & quantumcunq; laudabilis vita, optimam vitam ſonat Et Gregorius non dixit, Iuſticia humana conuincitur imperfecta, ſed iniuſticiam eſſe, ſi iudicio Dei iudicetur, Item non dixit, aliquod meritum noſtrum vitioſum, ſed omne meritum vitium eſſe.

Quare his Patrum & Scripturæ rupibus nixus, reuoco vel moderor hunc Articulum hoc modo: Opus bonum optime factum veniale peccatum eſt ſecundum miſericordiam Dei, ſed mortale peccatum ſecundum iudicium Dei. Neq; enim ego tam hæretice ſum locutus, ſicut Gregorius, qui totum meritum non ſolum vitioſum, ſed vitium eſſe aſſerit.

Homo peccati. *2. Theſſ. 2.*

Vide in quas palinodias me cogit Antichriſti Romani rudiſſima ruditas & impiiſſima impietas, qui cũ ſit homo peccati & filius perditionis, ſatisfacturus his ſuis nominibus, conatur nobis abſcondere peccata noſtra, & ſecum in peccatis incraſſare, & ad perditionem trahere. Quid eſt homo peccati, niſi qui peccare docet, qui peccata abſcondit, & pro iuſticia iactat, qui timorem Dei extingnit; & fiduciam operum erigit, homines ſuperbire & præſumere facit, miſericordiam & iudicium Dei longe à facie noſtra ponis? At hoc facit, qui negat bonum opus eſſe peccatum, ne homines in timore & humilitate, ad miſericordiam Dei vnicum refugium confugiant. Væ illi.

XXXIII.

Hæreticos comburere.

Hæreticos comburi eſt contra voluntatem ſpiritus.

PRimum ab experientia totius Eccleſiæ probo, quę ab initio ſui vſq; huc nullum combuſſit hæreticum, nec aliquando comburet. Mirum autem eſſet, in tot ſeculis non eſſe aliquos combuſtos, ſi voluntas ſpiritus hoc voluiſſet. At dicent: Conſtantiæ Iohannes Huſs & Hieronymus de Praga exuſti ſunt. Reſpondeo: Ego de hæreticis loquor, Nam Iohannem Huſs & Hieronymum, viros catholicos combuſſerunt hæretici ipſi & Apoſtatæ & Antichriſti Diſcipuli, vt ex ſuperius dictis patet. Quorum exemplum & multi alij homicidæ imitati in diuerſis locis ſanctos Chriſti exuſſerunt & occiderunt, inter quos Hieronymus Sauanorola cum ſuis numerandus videtur.

Iohan. Huſs. Hieronymus de Praga. Hieronymus Sauanorola.

Eſaia. 2. Matt. 18. Tit. 3. Luce. 9.

Secundo, ex Scriptura Eſa. 2. Conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces. Eiuſdem 11. Non occident, & non nocebunt in vniuerſo monte ſancto meo. Et Chriſtus Apoſtolis nihil prorſus armorum commiſit, nec aliam poenam impoſuit, quam vt haberetur pro ethnico, qui Eccleſiam non audiret. Matt. 18. Et Apoſtolus Tit. 3. Hæreticum hominem vitari docet, non occidi iuſſit armis vel igne. Et ad Cor. dicit: Oportet hæreſes eſſe, vt qui probati ſunt, manifeſte fiant. Sed quid hic dicet, Domine ſanctiſſime, ſanctitas veſtra? Luc. 9. vbi Diſcipuli volebant ignem de coelo deducere, & ciuitatem perdere, compeſcuit eos Chriſtus, dicens: Neſcitis cuius ſpiritus filij ſitis? Non venit Filius hominis animas perdere, ſed ſaluare. Hoc eſt, quod & ego dixi, & dico, Chriſto Magiſtro, eos qui igne perſequuntur homines, non eſſe boni ſpiritus filios, Cuius tunc? mali ſpiritus, qui erat homicida ab initio.

Gladius Spiritus. Babylon nouiſſima.

Chriſtus non voluit vi & igne cogere homines ad fidem. Dedit ob id gladium ſpiritus, vt in hoc pugnarent, qui ſui ſpiritus filij ſunt. At gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei, Dominus Papa cum ſuis Papaſtris ſubter ſcamnum inter blattas & tineas poſuerunt, & ruſum facti ſunt robuſti venatores, & Nimrodi in terra, qui denuo in Deo Chaldæorum, qui Vr ſeu ignis fuit, omnia quæ volunt, faciunt, ne quid Babylon nouiſſima diſcrepet à Babylone priſca, illa exuſſit Patres Chriſti, iſta exurit filios Chriſti, & vtriuſq; idem Deus, Vr ſemper vrit & ſæuit.

Sed

Sed ipſi quoque in ſuis ſacerrimis Canonibus prohibent Clericis arma, & clericum foro ſeculari traditum volunt per Eccleſiam efficacibus precibus redimi à morte. Verum his verbis ludunt in mortibus innocentum. Nam interim Papa clericorum princeps, cum omnibus Regibus cruentiſſime belligeratur, Imo quæ ſtrages non illius imperio fiunt? Quando non inuocat brachium ſeculare, & morte vtraque terret mundum? Et tamen interim Clericus ipſe primus non fert arma, dum efficaciter orat pro occidendis, dum inſtat, ne mors eorum differatur, vt in omni orbis angulo exquiſitiſſime perquirantur. *O Satan, ò Satan, ò Satan, Væ tibi cum Papa & Papiſtis, qui tam impudenter in rebus tam ſerijs Eccleſiæ luditis, & animas cum corporibus occiditis.*

XXXIV.

Præliari aduerſus Turcas, eſt repugnare Deo, viſitanti iniquitates noſtras per illos.

Præliari aduerſus Turcas.

ET hunc probo duplici experientia infelicitatis noſtræ. Prior eſt, quod hactenus nihil habuimus proſperum aduerſus Turcam, & vires eius atque imperium, noſtris bellis aucta ſunt in immenſum. Vbi ſi Deus non eſſet contra nos, & Turcā non haberet pro virga iniquitatis noſtræ, longe aliter fors cecidiſſet. Ad huc tamen obſtināta cæcitate, opera Dei non agnoſcimus. Præter hæc non dedit nobis Deus hactenus, niſi votum & iactantiam belli in Turcas ſuſcipiendi. Toties conuentum eſt, toties conſultatum, toties propoſitum, & palpauimus, vota noſtra, imperante Deo, irrita fieri, donec Turcis in fabulam venerimus, dicentibus, Nos Bullis & literis veniarum bellare.

Turca virga iniquitatum noſtræ.

Altera vero infelicitas, maioris dedecoris & ignominiæ, quod tot iam annis paſſi ſumus nos deglubi per impoſtores & Legatos Romanos, toties ad Bellum Turcicum, indulgentijs ac facultatibus impudentiſſime venditis, pecuniam & ſubſtantiam noſtram deuorantes, quam vidimus non ſolum non veniſſe, quo mendaces illi & fallaces homines venturam, promiſerunt, ſed etiam in turpiſſimas eorū libidines & pompas profuſam. Verum hæc minor querela. Hoc demum omnium atrociſſimum & intolerabile, quod nos indulgentiarum negotio fallaciſſimo, primum in anima ceu bruta pecora falſis perſuaſionibus occupauerunt, & ſeduxerunt ad vniuerſam noſtram ſubſtantiā compilandam, donec eo ventum ſit, vt ne altare quidem ſit reliquū, quod non ſeruiat Romanæ auaritiæ ſemper nouis excogitatis imponendi artibus.

Romana auaritia.

Sic in vindictam iniquitatis noſtræ dedit nobis Deus è Roma truculentiores, cruentiores, inſaturabiliores Turcas, quam illi vnquā fieri poſſunt, adhuc peiores hi Turci, nos inſenſatos præſtigijs ſuis incitant aduerſus meliores Turcas, tantum vt interim omnia noſtra conſiſcentur, ſub titulo belli Turcici. Et in ijs omnibus non eſt aduerſus furor Domini, nec dum intelligimus manum Dei percutientis nos in corpore & anima per hos Romanos turciſſimos Turcas. Quid ergo dicam ego, quando hic video, plus quam quadringentos Prophetas Baal ſuum Ahab circumſtare, & vt aſcendat in Ramoth Galaad ſuis Propherijs animare & omnia proſpera ei nuntiare? Forte ſicut Micheas, qui & ipſe odioſus erat, quia non prophetabat niſi malum, dicam & ipſe meo Ahab: Ite, præliamini contra Turcas, vt reſiſtatis virgæ Dei, & cadatis ſicut & ille cecidit.

Diſſuadet expeditionem contra Turcam ſub nomine Papæ.

3. Reg. 22.

Quanto rectius faceremus, ſi primum orationibus, imo totius vitæ mutata ratione, Deum propicium faceremus? Tum idolo illi Romano, Cæſar & Principes modum ponerent tyrannidis, illuſionis, perditionis animarum. Nam vt & ego prophetem ſemel, licet non audiar, quod ſcio, *Niſi Romanus Pontifex redigatur in ordinem, actum eſt de omni re Chriſtiana,*

Lutherus Propheta.

Fugiat ſicut Chriſtus docuit, in montes, qui poterit, aut vitam homicidis Romanis cum fiducia offerat in mortem. Nihil niſi peccatum & perditionem Papatus operari 2. Theſſ. 2. *poteſt, Quid vis amplius? At quis rediget eum in ordinem? Chriſtus illuſtratione* Eſaia 35. *aduentus ſui, & non alius. Domine, quis credit auditui noſtro? Qui habet aures audiendi, audiat, & à bello Turcico abſtineat, donec Papæ nomen ſub cœlo valet, Dixi.*

XXXV.

Nemo eſt certus, ſe non ſemper peccare mortaliter, propter occultiſſimum ſuperbiæ vitium.

SI ea quæ dicta ſunt in triceſimo primo & ſecundo, intelligimus vera eſſe, & hic Articulus verus eſt. Si enim opus bonum iuſti peccatum mortale eſt, ſi ad iudicium Dei referatur, Quanto magis tota vita mortalis eſt, ſi miſericordia non ſuccurrerit? Breuiter, hic articulus non eſt meus, (Iob. — Iob. 9.) ſed Iob. 9. Etiamſi ſimplex fuero, hoc ipſum ignotabit anima mea. Et Gregorius (Gregorius.) ibidem ſuper illo: Verebar omnia opera mea, ſciens quoniam non parcis delinquenti, dicit: Quia quæ aperte egerim video, ſed quid intus latenter pertulerim, ignoro. Idem Gregorius apertiſſime in fine moralium: Quis inter iſta remanet ſalutis locus? quando & mala noſtra pura mala ſunt, & bona noſtra, quæ nos habere credimus, pura bona eſſe nequaquam poſſunt. Quid dicis Gregori? pura bona non ſolum non ſunt, ſed nec eſſe poſſunt?

Damna, mi Papa, damna hos ſanctos viros, Iob & Gregorium, adde his ea quæ dicta ſunt, Dauid: Non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens, (Pſal. 143.) Vt & te damnet Dominus Ieſus prope diem. Tu doces, introire in conſpectũ Dei ſuperbos, & qui ſeſe damnatione dignos non eſſe iactitant coram eo, quẽ columnæ cœli tremunt, & ſub quo curuantur, qui portãt orbem, cum Dauid non ſuſtineat iudicium eius. Et Auguſtinus, Væ omnium hominum vitæ laudabiliſſimæ denuntiet, hoc eſt, optimam vitam damnatione dignam faciat coram Deo. Si enim digna non eſt alicuius vita tali damnatione, poterit ſeſe coram Deo, ſiſtere, & gloriari in vitæ ſuæ dignitate. Sed væ abominationi iſti abominatiſſimæ, quanto impetu nos rapit in peccatum & perditionem?

Reuoco ergo hunc articulum, & moderor in hunc modum. Nemo non certiſſimus eſſe debet, ſe ſemper mortaliter peccare, ſi ſua vita ad iudicium Dei iuſtiſſimum comparetur, iam iniuſta enim eius vita neceſſario eſt, quam iuſtum eſt iudicium Dei, coram quo ſtare ipſa non poteſt. At ipſum eſt iuſtiſſimum, quare vita eius eſt iniuſtiſſima, ſoliusque miſericordiæ velamento ſeruanda. Vt ſtet Paulus Rom. 3. Vt obſtruatur omne os, & obnoxius fiat mundus Deo. Et 11. Concluſit omnia ſub incredulitate, vt omnium miſereatur. (Rom. 3. 11.)

XXXVI.

Liberum arbitrium poſt peccatum res eſt de ſolo titulo, & dum facit quod in ſe eſt, peccat mortaliter. (Liberum arbitrium.)

INfelix liberum arbitrium iuſtus in bono opere peccat mortaliter, vt vidimus, & ipſum iactatur ante iuſticiam aliquid eſſe & poſſe. O damnatores miſeri. Eſt autem articulus nixus, primo in verbo Auguſtini, de ſpiritu & litera, cap. 4. Liberum arbitrium ſine gratia non valet, niſi ad peccandum. (Auguſtinus.) Rogo, quæ eſt iſta libertas, quæ non niſi in alteram partem poteſt, eamque peiorem? Eſt hoc eſſe liberum, non poſſe niſi peccare?

Sed Auguſtino non credam. Scripturas audiamus. Chriſtus dicit Iohan. 15. Sine me nihil poteſtis facere. (Sine me nihil poteſtis facere. — Iohan. 15.) Quid eſt hoc nihil, quod ſine Chriſto

facit

facit liberum arbitrium? Præparat ſe, inquiunt, ad gratiam, per opera moraliter bona. Sed ea Chriſtus hic facit nihil, ergo per nihil ſe præparat, Mira præparatio, quæ per nihili fit. Verum quid illud nihil ſit, ipſe ſequenter exponit, dicens: Si quis in me non manſerit, mittetur foras, ſicut palmes, & areſcit, & colligunt eum, & in ignem mittunt & ardet. Obſecro, quæ eſt tua frons meretricia, ſanctiſsime Vicarie Chriſti, qua ſic audeas Domino tuo contradicere? Tu dicis, quod liberum arbitrium poſsit ſe parare, vt intret ad gratiam. Contra Chriſtus dicit, quod mittatur foras, vt longior fiat à gratia. Quam pulchre concordat tua Bulla cum Euangelio?

Chriſtum ergo audiamus, qui palmitis exciſi ponit quinque perditionis gradus, quibus oſtendit eum ſe non modo non poſſe ad bonum parare, ſed neceſſario peiorem fieri. Primus eſt, quod foras mittitur, ergo non intromittitur, datur in poteſtatem Satanæ, qui non permittit eum conari ad bonum. 1.
Quid enim aliud foras mittere poteſt ſignificare? Secundo areſcit, hoc eſt, 2.
quotidie peior fit, ſibi relictus. Atque hæc ſunt opera duo liberi arbitrij, ſcilicet peccare & perſeuerare augeſcereq́; in peccatis, foras mitti & areſcere, Si enim aliud poteſt liberum arbitrium, Chriſtus certe mentitur. Tres ſequentes 3.
pœnæ ſunt, colligunt, ſcilicet ad iudicium, vt conuincatur cum alijs. Deinde 4.
data ſententia, in ignem mittunt æternum, vbi tandem non niſi ardet, id eſt, 5.
pœnam luet æternam. Nihil ergo poſſe liberum arbitrium, non eſt, vt illi fingunt, non meritorium operari, ſed eſt foras mitti & areſcere. Palmes exciſus non ſeſe parat ad vitem, neq́; enim poteſt, ſed longius fit à vite, & magis ac magis perit, Ita & liberum arbitrium, ſeu impius homo.

Duo opera liberi arbitrij.

Gen. 8. Gene. 6. & 8. Senſus & cuncta cogitatio cordis humani ad malum prona ſunt omni tempore. Obſecro, qui cunctam cogitationem cordis malam facit, idque omni tempore, quam relinquit bonam, quæ præparet ad gratiam? An malum diſponit ad bonum? Nec eſt, quod hanc autoritatem eludat quiſquam, quaſi cogitationem ſuam malam poſſit homo cohibere aliquando. Quæ enim cogitatio hoc facit aut patitur, vtraque bona eſt, ſed inter eas, quæ cunctæ dicuntur, non numerabitur. Si vna bona in eo eſſe poteſt, mentitur Moſes, qui cunctas malas eſſe affirmat.

Inſuper textum Ebræum ſic referre licet, Quoniam quidquid cupit & cogitat cor hominis, ſolummodo malum eſt, omni die, Additur enim particula excluſiua, ad malum, quam noſtra translatio non reddidit. Nec verbum, cupit, reddidit, nec plene verbum cogitat, ſeu cogitationem, vertit. Vult enim Moſes non modo ocioſas & ſpontaneas, ſed etiam ingenioſas & eas, quibus homo de induſtria cogitat aliquid facere, atq; has etiam non niſi malas dicit, vt nihil faciant Pelagiani iſti, qui liberum arbitrium tribuunt, ſi ſtudioſe laboret, ad bonum aliquid valere.

Gen. 6. Iterum Gene. 6. Non permanebit ſpiritus meus in homine, quia caro eſt. *Opera carnis.*
Gal. 5. Si homo caro eſt, quid poteſt in bonum? An ignoramus opera carnis propria? Gal. 5. quæ ſunt fornicatio, immundicia, laſciuia, iræ, inuidiæ, homicidia &c. Hæc ergo ſunt, quæ liberum arbitrium facit, dum facit quod in ſe eſt; Hæc autem omnia ſunt mortalia. Nam Rom. 8. dicit: Prudentia carnis mors eſt, & inimica Deo. Quomodo mors ad vitam? Quomodo inimicitia ad gratiam ſe
Rom. 8. diſponet? Si enim ſpiritus in hominibus non manet, mortui ſunt coram Deo. Mortuus autem non vitæ, ſed mortis opera neceſſario faciet, opus autem mortis ad vitam non diſponit. Figmenta ergo ſunt omnia, quæ de præparatione liberi arbitrij ad gratiam, tot Libris tractata ſunt.

Eſaie 40. Eſaias etiam dicit 40. Suſcepit de manu Domini duplicia, pro omnibus peccatis ſuis. Quid hic dicent? gratiam dicit à Domino non dari niſi pro peccatis, ſcilicet pro malis. Atque id quod dicit, omnibus, id ſignificat, *Suſcepit de manu Domini duplicia.*

quod

quod nihil niſi peccata fecerit ante gratiam,ſeu omnia opera eius peccata fuerint.Si autem de manu Domini contingit ſuſcipere gratiam, pro operibus congruis, quæ peccata non ſint,falſum hic Eſaias dixit, & gratia Dei vileſcit, vt quam non penitus indignis dedit, ſicut Pelagiani docuerunt, à quorum ſenſu nihil niſi ſolis verbis diſtamus. Siquidem & nos mereri gratiam,licet non de condigno prædicamus,quod & ipſi conceſſiſſent, neque enim gratiam Dei tam vilem habuiſſent,vt ea digno merito donari dicerent.

Omnis caro fœnum.

Idem Eſa,ibidem:Omnis caro fœnum,& omnis gloria eius ſicut flos fœni, Exiccatum eſt fœnum & flos cecidit, Quia ſpiritus Domini ſufflauit in illud. Verbum autem Domini manet in æternum.Da fœnum & florem eius. Nonne caro,homo,ſeu liberum arbitrium,& quidquid eſt hominis? flos eius & gloria nonne eſt virtus,ſapientia,iuſticia,lib.arb. vnde poſſit gloriari, aliquid eſſe & poſſe? Qua ergo ratione fit,vt flante ſpiritu exiccetur & cadat, & manente verbo pereat? Nonne ſpiritus eſt gratia,qua tu dixiſti,liberum arbitrium iuuari,& eius præparationem conſummari? Cur ergo hic exiccatum & cecidiſſe dicit,quidquid eſt etiam optimum carnis? Nondum vides ſpiritum & liberum arbitrium eſſe contraria? Siquidem illo flante,hoc cadit,& non manet cum verbo.Non autem caderet & periret, ſi ad flatum ſpiritus & verbi aptum & præparatum eſſet.

Ierem,quoq; cap.10.ſic dicit:Scio Domine, quoniam non eſt hominis via eius,nec viri eſt,vt dirigat greſſus ſuos.Quid potuit apertius dici? Si via ſua & greſſus ſui non ſunt in poteſtate hominis, quomodo via Dei & greſſus Dei erunt in poteſtate eius? Via enim hominis eſt ea,quam ipſi vocant naturalem virtutem faciendi,quod eſt in ſe.Ecce hæc non eſt in arbitrio hominis ſeu liberi arbitrij,quid ergo liberum arbitrium eſt,niſi res de ſolo titulo? Quomodo poteſt ſeſe ad bonum præparare, cum nec in poteſtate ſit, ſuas vias malas facere? Nam & mala opera in impijs Deus regit. Vt Prouer,16. dicit: Omnia propter ſemetipſum operatus eſt Dominus,etiam impium ad diem malum. Et Rom.1.Tradidit illos Deus in reprobum ſenſum,vt faciant quæ non conueniunt.Et 9.Quem vult indurat,cuius vult miſeretur. Sicut & Exod 9. de Pharaone dicit: In hoc ipſum excitaui te,vt oſtendam virtutem meam in te, ideo enim eſt terribilis Deus in iudicijs & operibus ſuis,

Ierem. 10.
Via hominum.
Prouer. 16.
Rom.1.
Rom.9.
Exod.9.

Sic rurſus Prouer.16.Hominis eſt præparare cor, Domini autem eſt gubernare linguam,Hoc eſt,homo multa ſolet proponere, cum tamen adeo nõ ſint in manu eius opera eius,vt nec verba in hoc ipſum habeat in poteſtate ſua,coactus mirabili Dei prouidentia,& loqui & facere, aliter quam cogitauit.Sicut in Balaam monſtratum eſt Num.24.Et Pſal,139. Non eſt ſermo in lingua mea.Et clarius infra Prouerb.16. Cor hominis cogitat viam ſuam,& Dominus dirigit greſſus ſuos,Ecce non ſicut homo cogitat,via eius procedit, ſed ſicut Dominus ordinat, Ideo & 21. dicit: Sicut diuiſiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini,quocunque voluerit,inclinabit illud. Vbi ergo eſt liberum arbitrium? figmentum eſt penitus.

Prou. 16.
Balaam.
Num 24.
Pſal.139.
Prou. 16.
Prou. 21.

ATq; ſi Scriptura non doceret hæc,abunde ex omnibus hiſtorijs hanc veritatem diſceremus,& vnuſquiſq; ex vita ſua propria,Quis n. eſt,qui omnia quæ voluit effecit? Imo quis id,quod cogitauit facere, nõ ſæpius alia ſtatim cogitatione mutauit,neſciens quo modo mutarit? Quis audet negare,ſe etiã in malis operibus ſæpius coactum, aliud facere quam cogitauit? An non putas huius Bullæ autores in eo fuiſſe totis & ſummis liberi arbitrij viribus,vt pro ſe contra Lutherum loquerentur? Et ecce, quam non fuerit in eorum arbitrio,hæc cogitatio & operatio,Omnia enim contra ſe, in caput ſuum operati ſunt,vt nunquam legerim,qui ſe fœdius abominabiliusque dedecorauerint,& in omnem turpitudinem errorum,hæreſium,malitiarum, apertiſſime tradiderint,excæcati & ignorantes, Adeo non eſt homo in

manu

Ephe. 1. manu ſua, etiam mala operans & cogitans. Et vere Paulus Eph. 1. dixit: Deus operatur omnia in omnibus.

Perijt itaq; hic etiam generalis illa Influentia, qua garriunt, Eſſe in poteſtate noſtra, naturales operationes operari. Secus rem habere monſtrat experientia omnium. Et vide nos inſenſatos, ipſam radicem operum, nempe vitam ipſam, quæ caput eſt omnium operum, ſcimus omnes, nullo momento eſſe in manu noſtra, & audemus dicere, aliquam cogitationem eſſe in manu noſtra? Quid abſurdius dici poteſt? Qui ergo vitam noſtram in manu ſua retinuit, motus noſtros & opera in manu noſtra poſuit? Abſit. Vnde non eſt dubium, Satana magiſtro in Eccleſiam veniſſe hoc nomen Liberum arbitrium, ad ſeducendos homines à via Dei in vias ſuas proprias. Fratres Ioſeph omnino cogitauerunt eum occidere, & ecce ipſa hæc cogitatio adeo non erat in eorum arbitrio, vt etiam in contrarium mox omnia cogitarent, ſicut dixit: Vos cogitaſtis de me malum, ſed Deus vertit illud in bonum. *Fratres Ioſeph.* *Gen. 50.*

Habes, miſerande Papa, quid hic oggannias? Vnde & hunc articulum neceſſe eſt reuocare. Male n. dixi, quod Liberum arbitrium ante gratiam ſit res de ſolo titulo, ſed ſimpliciter debui dicere: Liberum arbitrium eſt figmentum in rebus, ſeu titulus ſine re. Quia nulli eſt in manu ſua, quippiā cogitare mali aut boni, ſed omnia ſub Deo ſunt, contra quem nihil poſſumus, niſi quantum permittit aut facit ipſe. Quod & Poeta voluit, quando dixit, Certa ſtant omnia lege. Et Chriſtus Matth. 10. Folium arboris non cadit in terram ſine voluntate Patris veſtri, qui in cœlis eſt, Et capilli capitis veſtri omnes numerati ſunt. Et Eſa. 41. eis inſultat, dicens: Bene quoque aut male, ſi poteſtis, facite. *Liberum arbitrium.* *Matth. 10.* *Eſaie 41.*

VNde & ego hos liberi arbitrij ſeu Baal Prophetas exhortor cum Elia: Agite, eſtote viri, facite quod in vobis eſt, tentate ſaltem aliquando, id quod docetis. præparate vos ad gratiam, & obtinete quæ vultis, quandoquidem dicitis, Deum non negare quidquam, ſi feceritis quod liberum arbitrium poteſt. Vehementer turpe eſt, vt veſtræ doctrinæ nullum exemplum adducere, nullum opus vos ipſi præſtare queatis, & ſolis verbis ſapientes ſitis. Verum Pelagium ſub his ſtudijs alunt. Quid enim refert, ſi neges, gratiam ex operibus noſtris, & doceas tamen per opera noſtra dari? Idem manet impietatis ſenſus, quo gratia non gratis, ſed ob noſtra opera donari creditur. Neq; n. Pelagiani alia opera docuerunt & fecerunt, propter quæ gratiam dari voluerunt, quam vos docetis & facitis. Eiuſdem ſunt liberi arbitrij opera, eorundemq; membrorum, ſed alia vos eis nomina & alia illi dederunt, ieiunium, oratio, eleemoſynæ eædem erant, ſed vos congrua, illi condigna ad gratiam vocauerunt, vbique tamen idem Pelagius triumphator perſeuerauit. *Liberi arbitrij aſſertores Pelagiani ſunt.*

Fallit hos miſeros homines rerum humanarum inconſtantia, ſeu (vt vocant) contingentia, oculos enim ſuos ſtultos mergunt in res ipſas, operaq; rerum, nec aliquando eleuant in conſpectum Dei, vt res ſupra res in Deo cognoſcerent. Nobis enim ad inferna ſpectantibus, res apparent arbitrariæ & fortuitæ, ſed ad ſuperna ſpectantibus, omnia ſunt neceſſaria. Quia non ſicut nos, ſed ſicut ille vult, ita viuimus, facimus, patimur omnes & omnia. Ceſſat liberum arbitrium erga Deum, quod apparet erga nos & temporalia, illic enim, vt Iacobus ait, non eſt transmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio. Hic vero omnia mutantur & variantur. Et nos ſtulti diuina æſtimamus ſecundum hæc temporalia? vt libero arbitrio præſumamus Deum præuenire, & gratiam extorquere velut dormienti, quoties libitum fuerit, quaſi ille mutari nobiſcum poſſit, & velit quod aliquando non voluit, idque noſtro libero arbitrio operante & volente. *O furor furorum omnium nouiſſimus.*

Ephe. 2. Et Paulus Ephe. 2. dicit: Eramus & nos natura filij iræ, ſicut & cæteri. Si omnes extra gratiam ſunt filij iræ ex ipſa natura, ergo & liberum arbitrium eſt filius

Filius iræ natura.

filius iræ ex natura ſua, Si ex natura ſua, multo magis ex omnibus operibus ſuis. Quid autem eſſe poteſt natura filius irę, niſi quod omnia quæ facit ſunt mala, non ad gratiam, ſed ad iram præparantia, Imo iram merentia? Ite nunc Pelagiani, & operibus veſtris præparate vos ad gratiam, cum hic Paulus non niſi iram illis mereri omnes dicat. Mitius erat, ſi ſolum dixiſſet. Eramus filij iræ, ſed addens, natura, certe totum quod ſumus & facimus ex natura, non niſi meritum iræ, nequaquam gratiæ intelligi voluit. Vix breuiorem & apertiorē potentioremq́; in ſcripturis inuenias ſententiam aduerſus liberum arbitrium.

Iuſti magno certamine contra carnem ſuam laborant.

ET quid multis agimus? Ex ſupradictis abunde cognouimus, etiam iuſtos magno certamine contra ſuam carnem laborare, vt faciant bonum, reſiſtirq́; eis liberum eorum arbitrium & prudentia carnis, ſummis viribus concupiſcens contra ſpiritum, odiens ea quæ ſunt ſpiritus & legis Dei. Et quomodo poſſibile eſt, vt ſine ſpiritu ex natura ſua poſſit pro ſpiritu concupiſcere, ſeu ad ſpiritum ſe præparare, faciendo quod eſt in ſe? In gratia dum fuerit, natura eius talis eſt, vt contra gratiam indomitum pugnet, & extra gratiam talis eſſe poterit natura eius, vt ſpiritum iuuet? Quid inſanius fingi poteſt? Eſſet enim hoc monſtrum nouum ſimile huic, Si quis indomitam feram vinculis cuſtoditam, domare non poſſit, & tamen inſanus iactet eam ante vincula & ſine vinculis eſſe tam cicurem & manſuetam, vt ſponte ſe domet, ſeu vt dometur, laboret.

Simile.

Deſiſtite, quæſo, ab hac inſania miſerrimi Pelagiani. Si liberum arbitrium in gratia peccat & inſanit aduerſus gratiam, ſicut cogimur omnes ſentire, & queruntur Apoſtolus & omnes Sancti, certe contra omnem ſenſum eſt, vt extra gratiam probum ſit, & ad abſentem ſe paret, quam præſentem odit & perſequitur &c.

Neceſſe eſt ergo, mera figmenta & hypocriſes eſſe, quæcunque & docentur & fiunt ante gratiam, pro gratia impetranda, præueniri enim nos neceſſe eſt miſericordia Dei, vt velimus. Sicut & Auguſtinus contra Epiſtolas Pelag. dicit, Quod nolentes Deus conuertit & reluctantes, Sicut in exemplo Pauli monſtrauit, quem tunc conuertit, quando erat ſummo ardore perſecutionis inſanus & contrarius gratiæ. Et Petrus non reſpexit Dominum, vt recordaretur verbi, quod dixerat ei Ieſus, ſed Dominus reſpexit Petrum in media & maxima illa negatione, & ſic recordatus verbi fleuit amarè.

Auguſtinus.
Conuerſio Pauli.

Dominus reſpexit Petrum.

Videmus itaque in huius articuli ſententia, quam fallax fuerit operatio erroris, magiſtro Satana. Cum enim negare non poſſent, nos per gratiam Dei ſaluos fieri oportere, nec eludere poſſent hanc veritatem, Alia via ingreſſa eſt impietas ad eludendum, fingens, Etſi noſtrum non ſit, ſaluare nos ipſos, noſtrum tamen eſſe, parari ad hoc, vt ſaluemur, gratia Dei. Quæ, rogo, manet gloria Deo, ſi nos tantum poſſumus, vt ſaluemur per gratiam eius? An parum eſſe videtur hoc poſſe, ſi quis gratiam non habens, tantum tamen virtutis habet, vt gratiam habere, quando voluerit, poſſit? Quid refert ſi dicas, ſine gratia nos ſaluari cum Pelagianis, cum gratiam Dei iam ponas in arbitrio hominum? Videris mihi peior eſſe Pelagio, dum gratiam Dei neceſſariam in poteſtatem hominis ponis, quam ille penitus negauit neceſſariam Minus, inquam, videtur impium, gratiam in totum negare, quam eam noſtro ſtudio & opere parari, ac velut in manu noſtra reponere. Et tamen præualuit hæc operatio erroris, quia ſpecioſa & placens naturæ liberoque arbitrio, vt difficile ſit eam refutare, præſertim apud rudes & craſſos animos.

IN cæteris autem Articulis, de Papatu, de Concilijs, indulgentijs, alijsq́; non neceſſarijs nugis, ferenda eſt leuitas & ſtulticia Papæ & ſuorū. Sed in hoc Articulo, qui omnium optimus, & rerum noſtrarum ſumma eſt, dolendum

lendum ac flendum eſt, miſeros ſic inſanire. Tantum abeſt enim, vt Papa & ſui diſcipuli myſterium hoc gratiæ Dei, vel vno iota intelligant aut aliquando agnoſcant, vt ante caſurum cœlum credam. Non ſtabit huius Articuli veritas cum Eccleſia Papæ, non magis quam cum Chriſto Belial, & cum luce tenebræ. Papæ enim Eccleſia niſi opera bona doceret ac venderet, aut ſola gratia nos iuſtificari ſyncere doceret, neque in hanc pompam creuiſſet, neque ad horam, ſi quo caſu creuiſſet, ſtetiſſet. Crucis eſt enim hæc Theologia, quæ damnat, quidquid Papa probat, & martyres facit. Vnde & Eccleſia, finito martyrum tempore, optima ac pene tota ſui parte effloruit. Mox pro cruce ſuceeſſit voluptas, pro penuria opulentia, pro ignominia gloria, donec ea quæ nunc Eccleſia vocatur, ipſo mundo, vt ſic dicam, mundanior, & ipſa carne carnalior facta ſit. Et ego non habeo aliud contra Papæ regnũ robuſtius argumentum quam quod ſine cruce regnat. Prorſus nihil pati, omnibus autem abundare & excellere ſtudet, & non eſt fraudatus deſiderio ſuo. Habet quod voluit, factaq; eſt meretrix ciuitas fidelis, vereq; regnũ veri illius Antichriſti. *Papæ Eccleſia.* *Theologia crucis.* *Papæ regnum ſine cruce regnat.*

Verboſus in hac parte fui, neceſsitate rei, quæ non modo per hanc Bullam (quod ne pili quidem facio) ſed per omnes pene Scholaſticos doctores oppreſſa & extincta eſt, plus trecentis annis. Nemo enim hic non contra gratiam pro gratia ſcripſit, ita vt non ſit res æque neceſſaria tractatu, quam & ſæpius optaui, omiſſis friuolis illis Papenſibus nugis & negotijs, quæ nihil ad Eccleſiam pertinent, niſi vt vaſtent, tractare. Sed longitudine temporis & magnitudine vſus, operatio Satanæ ſic inſedit, & errore iſto ſic hebetauit animos hominum, vt nullos videam, qui idonei ſint, vt intelligant, nedum vt nobiſcum certent. Plena eſt harum rerum diuina Scriptura, ſed ſic vaſtata per noſtrum Nabuchodonoſor, vt nec literarum facies & noticia reliqua ſit, opuſque ſit nobis quodam Eſdra, qui nouas literas inueniat & denuo nobis Bibliam reparet, quod ſpero nunc geri efflореſcentibus in toto orbe linguis Ebraica & Græca, Amen. *Eſdra, qui noſtro tempore Bibliam reparauit.*

XXXVII.

Purgatorium non poteſt probari ex ſacra Scriptura, quæ ſit in Canone. *Purgatorium.*

Pſal. 77. Satis ridicule Sophiſtæ in hac re nugantur, adducentes illud Pſalm. 77. Tranſiuimus per ignem & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium. Non enim tantum habent cerebri & ſolertiæ aut cogitamiæ, vt videant, ſi hoc de purgatorio dictum eſt, omnes martyres totamque Eccleſiam in purgatorium iniſſe, cum in perſona martyrum & omnium afflictorum hæc dicantur, pro quibus ipſimet ſciunt iniuriam eſſe orare. Talibus enim autoritatibus ſtupida iſta capita ſolent ſua probare, ſolum vt nauſeam & abominationem faciant pijs ſpiritibus.

1. Cor. 3. *2. Theſſ. 1.* Tale & illud 1. Cor. 3. Saluus ipſe erit, quaſi per ignem, Cum Apoſtolus ibi de igne iudicij loquatur, Dicens diem Domini in igne reuelandum. Sicut & 2. Theſſ. 1. dicit: Chriſtum de cœlo reuelandum cum Angelis virtutis ſuæ in flamma ignis, vindictam ſumentis de ijs, qui non crediderunt Euangelio. Si ergo his & ſimilibus locis probatur Purgatorium, vere ex Scriptura probabitur, prorſus nullum eſſe purgatorium.

2. Mach. 12. Vnum locum habent c. 2. Machabe. 12. vſitatum, quem librum dixi, ſicut adhuc dico, non eſſe in hac re vllius autoritatis, cum nihil ſimile, neque in nouo, neque in veteri Teſtamento legatur. *2. Machabæorum liber.*

Et quæ neceſſitas eſt, pro purgatorio ſic tumultuari? niſi quod Papiſtica Eccleſia lucro ſuo timet, quod inæſtimabile trahit ex purgatorio? Suo quiſq; periculo hic credat vel non credat, non eſt hæreticus, ſi purgatorium non credit, nec ideo Chriſtianus, ſi credit. Græca n. Eccleſia non credit manens Catholica, nec ei nocet, quod à Papiſtica Eccleſia, omnium ſchiſmaticiſſima, cri- *Papiſtica Eccleſia ſchiſmaticiſſima omnium.*

minatur & inſimulatur ſchiſmatis,ſolum ob hoc,quia non ſequitur ſuos nugaces à ſe repertos articulos fidei. Ego tamen & credo purgatorium eſſe, & conſulo,ſuadeoq; credendum,ſed neminem volo cogi.Sicut, ſi non credam Thomam Aquinatem,eſſe ſanctum,licet à Papa canoniſatum, non ſum hæreticus,quando & ij non ſunt hæretici,qui Thomam negant,licet à Papa approbatum & confirmatum in ſuis libris.

XXXIIX.

Animæ in Purgatorio non ſunt ſecuræ de ſua ſalute,ſaltem omnes, nec probatum eſt ullis aut rationibus,aut ſcripturis, ipſas eſſe extra ſtatum merendi aut augendæ charitatis.

XXXIX.

Animæ in Purgatorio peccant ſine intermiſſione,quàm diu quærunt requiem, & horrent pœnas.

XL.

Animæ ex Purgatorio liberatæ ſuffragijs viuentium minus beantur,quam ſi per ſe ſatis feciſſent.

HOs tres articulos diſputaui, proteſtatus me eſſe rerum iſtarum ignarum,nec adhuc probatum aliquid inuentum. Niſi quod illi dictum & factum Eccleſiæ,id eſt,Papæ & ſuorum ſomniatorum,mihi pro regula fidei obtrudunt,quod contemno.Cum ergo nihil certi poſſim hic docere,ſatiſq; diſputauerim alias,merito quieſco conſulens omnibus,vt ea, quæ aguntur cum animabus,diuino iudicio commendent,ſciantque Papam cum ſua Eccleſia multo minus de his rebus noſſe,quam vllus de minimis fidelium Chriſti,Ideo ſuas Bullas in hac re vere eſſe Bullas, imo minus quam Bullas, cum neſciat miſer,quid loquatur,aut de quibus affirmet.

XLI. ET VLTIMVS.

Prælati eccleſiaſtici,& Principes ſeculares non male facerent, ſi omnes ſaccos mendicitatis delerent.

Mendicorum ordines delendos.

QVam elegantialis,& rhetoricalis,& artificialis, & proprialis vereque Papalis Concluſio articulorum, plane digna, quam ſanctiſſimus Vicarius Dei proferat.Saccos mendicitatis delere dicitur per Metaphoram,quia Sacci ſunt ſicut tabulæ vel ſcripturæ aut picturæ,quæ deleri poſſunt.Quid autem,ſi Sacci delerentur mendicitatis,& mendicitas & mendici manerent? Forte pro ſaccis inuenient vaſa & plauſtra.

Ego ne iota quidem de Prælatis aut Principibus memini, ſed dixi, Me optare,nullos eſſe ordines mendicantium,ad quod plane nulla eſſet opus opera Prælatorum aut Principum,ſed ſola cuiuslibet Chriſtiana intelligentia. Quare hanc veritatem ſuggeſſit ſanctiſſimo Vicario Dei non niſi paracletus ille Papæ Eccius,qui tam raro mentitur,quam inuite loquitur.

Sed ſi dixiſſem tamen,Principes bene facere,ſi ſaccos mendicitatis delerent, in quam ſcripturam,in quem articulum fidei peccaſſem? Scilicet in ventrem Papæ & Eccleſiæ Papalis,& in regnum Satanæ & Antichriſti. Quis eſt enim homo,vel gentili,nedum Chriſtiano ſenſu præditus, cui mendicitas, etiam Laicorum,nedum Sacerdotum non diſpliceat.

Sed vale,ſcelerata abominatio,Tam ſtulte ſimul & impie loqueris, vt indigna ſis,propter quam verba fiant,Atq; hoc inſigni articulo palam declaras, quo ſpiritu totam excreueris hanc maledicam Bullam. Dominus Ieſus viſitet te prope diem,illuſtratione aduentus tui. AMEN.

FINIS.

AXIOMATA D. ERASMI ROTERODAMI, PRO CAVSA MARTINI LVTHERI THEOLOGI, COLONIAE EX tempore ſcripta, & Georgio Spalatino, à colloquio ſereniſſimi Principis Friderici, Ducis Saxoniæ Electoris, tradita, 5. Nouemb. M. D. X X.

FONs rei malus eſt, odium bonarum literarum, & affectatio tyrannidis.

Modus agendi fonti reſpondet, clamoribus, coniurationibus, acerbis odijs, virulentis Scriptis.

Perſonæ, per quas res agitur, ſuſpectæ.

Cum optimus quiſque & Euangelicæ doctrinæ proximus dicatur minime offenſus Luthero.

Quod Pontificis facilitate quidam abutuntur, notum eſt.

Quo magis in hac re vitandum præceps conſilium.

Res ad maius diſcrimen ſpectat, quam quidam exiſtimant.

Bullæ ſæuitia probos omnes offendit, vt indigna mitiſsimo Chriſti Vicario.

Quo diligentius erat examinanda à Perſonis non ſuſpectis ac earum rerum peritis.

Duæ duntaxat Vniuerſitates condemnarunt Lutherum ex tam innumeris, Et condemnarunt tantum non conuicerunt, Nec hæ conſentiunt.

Ipſe videtur omnibus æquis æquum petere, cum offerat ſe Diſputationi publicæ, & ſubmittat ſe iudicibus non ſuſpectis.

Qui Lutherũ impetunt, ea inducunt, quæ nullæ aures piæ ferunt.

At qui facit ſe Iudicem aut reprehenſorem, debet ipſe carere reprehenſione.

Lutherus nihil ambit, ideo minus ſuſpectus.

Aliorum negotium agitur.

Pontifici prior eſt gloria Chriſti quam ſua, Et lucrum animarum quam vllum aliud compendium. *Res apparet.*

Vt hæc maxime agenda ſint, tamen conueniebat alio tẽpore fieri.

Vrgent ardua negotia, & Caroli auſpicia non debent huiuſmodi odioſis funeſtari.

Videtur in rem Pontificis, vt res per graues & non ſuſpectos Viros maturo conſilio componatur, ita optime conſuletur Pontificis dignitati.

Qui hactenus ſcripſerunt contra Lutherum, improbantur etiam à Theologis, qui alias Luthero aduerſantur.

Mundus ſitit veritatem euangelicam, & fatali quodam deſiderio videtur huc ferri.

Vnde forte adeo non oportet odioſe reſiſti.

BREVIS COMMEMORATIO RERVM, COLONIÆ AGRIPPINAE IN VBIIS GESTARVM IN CAVSA Lutheri, Anno M. D. XX.

DIE Dominica poſt feſtum omnium Sanctorum ante meridiem, ſub concione, Illuſtriſs. Princeps noſter, Fridericus Dux Saxoniæ, ſacri Rom: Imperij Elector, Archimarſchalcus &c. dum rei diuinæ intereſſet apud Minores Coloniæ Agrippinæ, paulo poſt quam eſſet ſalutatus à magnis aliquot Imperij Principibus tam ſacris quam prophanis, ſuperuenit etiam Marinus Caracciolus Pontificis Leonis nuntius, Qui ſacrificio primo vix dum inchoato ad audientiam admiſſus coram & Tergentino & Tridentino Epiſcopis, ita nonnullis Principis noſtri à conſilijs præſentibus eidem Principi noſtro Breue reddidit apoſtolicum. Deinde multa præfatus, precatuſque Principi, iuſſu, vt dicebat, Rom: Pontificis, optima quæque commemorauit laudes & Principis & Maiorum eius, quibuſque meritis aliquando & benignitate per Rom: Pontificem Imperiũ à Græcis ad Germanos eſſet tranſlatum, Poſtremo, quantum ſpei eſſet in Principe hoc noſtro collocatum, & ſacroſanctæ Eccleſiæ Romanæ Catholicæ & ſacro Rom: Imperio. Cui ita loquenti de improuiſo ſeſe addit Hieronymus Aleander, Itaque Marinus ſuo perfunctus munere, reliqua negotij aiebat ab Hieronymo Aleandro dicenda.

Ro: Imp. à Græcis ad Germanos translatum &c.

Aleander igitur ipſe loqui auſpicatus, Principi Breue reddidit, quo teſtabatur cauſam Martini Lutheri Eccio ſibique commiſſam. Mox prouinciam à Pontifice Rom: ſibi mandatam ſubiens, Quemadmodum paulo ante Marinus fecerat, Principem & eius Maiores multa euehit laude. Deinde addidit, in quãto diſcrimine eſſet iam Reſpub. Chriſtiana Martini Lutheri eruditione, vt qui multo peiora & Iohanne Huſſo & Hieronymo de Praga profiteretur. Atque niſi eidem Reipub. laboranti maturo ſuccurratur conſilio, mox actum eſſe de imperio Rom: Nam illud olim ita Græcos amiſiſſe, dum à Pontifice defecerant Rom.

Multa in eandem ſententiam loquutus, duo tandem à Principe noſtro petiuit Rom: Pontificis nomine. Primo vt curaret lucubrationes Martini Lutheri omnes comburendas. Secundo, vt de eo ſupplicium ſumeret vel caperet, captumque retineret, aut Romano Pontifici tranſmitteret, Neque verebatur affirmare, & Cæſarem Carolum, & quicunque Romani Imperij Principes hoc nomine eſſent

adici,

aditi, præſtitiſſe, quæ poſtularet Rom: Pontifex, nec reliquum eſſe niſi vnum Principem noſtrum.

Princeps vero noſter, interprete Epiſcopo Tridentino, reſpondit, Cauſam eſſe maioris momenti, quam vt in præſentiarũ conueniret reſpondere. Daturum igitur operam, vt pro oportunitate daret reſponſum. Verum vbi per occupationes Principi noſtro ocius reſpondere non licuerat, tandem dedit negotium nonnullis ſuis Conſiliarijs & miniſtris reſpondendi Marino & Aleandro in eodem Cœnobio. Quarta feria poſt omnium Sanctorum poſt meridiem, præſente Epiſcopo Tridentino.

RESPONSVM FRIDERICI DVCIS SAXONIÆ ELECTORIS, Datum Marino Caracciolo & Hieronymo Aleandro, Legatis Rom: Pontificis.

NIhil minus veritus eſt futurum, illuſtriſs. Princeps noſter D. Fridericus &c. viri magnifici, quam vt tale quippiam ſanctiſsimus Dominus noſter Leo X. Pontifex Romanus vel peteret, vel poſtularet, Dedit enim, quod citra iactantiam & inuidiam dictum ſit, perpetuo operam, vt præclara Parentum & maiorum ſuorum beatæ recordationis veſtigia ſecutus, nihil vel gentilicia claritudine, vel ſua perſona indignum admitteret, quemadmodum vterque veſtrum iuſſu Sanctitatis Pontificiæ Breuia eius reddentes, commemoraſtis, Et Princeps noſter pro ſua pietate, officio & candore, Deo adiutore, vt tam Princeps ſacri Romani Imperij Elector Chriſtianiſsimus, quam obediens ſacroſanctæ Eccleſiæ catholicæ filius hoc facere velit & in poſterum.

Porro auditis Breuibus Pontificijs, intellexit, in cauſa Martini Lutheri à ſanctitate Pontificia, iunctim & te Hieronyme Aleander, & Iohannem Eccium nuncios eſſe datos. Deinde Eccium (dum ipſe Princeps noſter à ſuis Principatibus & Regionibus, in coronatione ſereniſsimi Caroli, electi Romani Imperatoris Augusti &c. eo à Cæſarea Maieſtate euocatus abeſſet) conatũ vel contra Bullæ pontificiæ argumentum & vires, ne quid amplius dicam, præter ipſum Lutherum nominatim non ſolum in inuidiam, ſed etiam diſcrimen nonnullos alios adducere. Quod cum huic actioni parum ſit conſentaneum, facile tam vtriq; veſtrum quam reliquis iudicatu fuerit, hoc animo quam grato accipi debeat à Principe nihil tale commerente. Nam Principi noſtro illuſtriſsimo & Fratri eius germano, ſanctitatem pontificiã, exemplo Maiorum, officioſe ſemper & religioſe reueritis, quid nõ magis ſperandũ erat, quã vt iſtiuſmodi poſtulatione adiretur.

Ad hæc obſcurum eſt Principi noſtro, quid ſe abſente à Mar-

tino Luthero & ſuarum Regionum ciuibus & popularibus ad iſtiuſmodi incommodos & graues conatus actum ſit. Fieri enim potuit, vt ingens vis populi doctorum & rudium, ſacrorũ & prophanorum ſeſe coniunxerint & adhæſerint cauſæ & appellationi Lutheranæ. Neque Principi quippiam cum cauſa Lutheri vnquam fuit commune, vt ne nunc quidẽ eſt. Qui ſi quid aut contra Pontificem Romanum inique ſcripſit, aut ſecus, ſiue in Schola, ſiue pro concione docuit, atq; Chriſtianum & Theologum decet, tantum abeſt, vt Principi placeat, vt ipſum male habeat. Nam pro vtilitate cauſæ, ſub conuentu Auguſtano, anno ab hinc ſecundo, petente Cardinale S. Sixti ſanctitatis pontificiæ Legato, copiam Martini Lutheri, curauit agendum cum ipſo, vt eum adiret, præſertim cum polliceretur ſe paterne acturum omnia cum eo, ita vt res ſuauiter componeretur.

Poſtea ſcribenti Legato ad Principem Fridericum in eadẽ cauſa, eiuſmodi Reſponſum obtinuit, quod ne Momus quidẽ calumniari poſsit. Mox ne contra Pontificem quenquam alere videretur Princeps, dimiſſurus Lutherum ex Academia ſua, rogatu nuntij Pontificij retinuit, in hoc Pontificiæ ſanctitati gratificatus.

Præterea datus eſt Luthero pontificialis Commiſſarius, reuerendiſsimus Dominus Archiepiſcopus Treuirenſis, ſacri Romani Imperij Elector, Haud dubie dicto parentem habiturus hominem, ſi ſub fide publica & idonea eum euocaſſet. Iam vero tam multa pollicitus eſt, hodieque polliceri dicitur Lutherus, vt credi non debeat nihil præſtiturum.

Quid quod Lutherus ſuo ipſius forte iudicio, vt conſtanti rumore circumfertur, diuerſis æmulorum ſcriptis nõ minus impijs quam calumnioſis adactus ſcripſit, Nunquam, ſi per aduerſarios licuiſſet, ſcripturus Sic multi eruditi, ſic multi probi, ſic multi pij & ſentire & loqui feruntur, Quæ tamen Princeps noſter illuſtriſsimus ſuæ dignitati æſtimationique reliquit.

Nec eſt hactenus clementiſsimus Princeps noſter vere certior factus, vel à Cæſarea Maieſtate vel quopiam alio, Lutheri ſcripta eiuſmodi conuicta, quæ Incendiũ mereantur. Quod ſi aliunde & probabiliter cognouiſſet, certo vobis perſuadete omnia fuiſſe facturum, quæ vel Principem Electorem Chriſtianum, vel obedientem Eccleſiæ Catholicæ filium deceat. Cæterum iſtiuſmodi tam moleſti conatus clementiſsimo Principi noſtro, ac Iohanni fratri eius germano, & eorũ regionibus & gentibus, ipſorum imperio parentibus, tam ſunt intolerabiles, quã qui maxime omniũ.

Quamobrem illuſtriſsimus Princeps noſter rogat, vt omiſſa, qua res cœpta eſt agi, via, nauetis operam, ita agendi cauſam iſtã, vt æquis, eruditis, pijs & non ſuſpectis Iudicibus, ſub fide publica ſufficiente ſecuramento & conductu libero, locis non iniquis cõ-

miſſa.

miſſa audiatur & agnoſcatur. Nec libri Lutheri, ipſo neq; audito neq; conuicto, comburantur. Nam vbi Lutherus argumẽtis, doctis rationibus, pijs & ſolidis Scripturis reuictus fuerit, nihil minus committet Princeps noſter illuſtriſsimus, quã quod indigno ſubſcribat. Neque dubitat Princeps noſter, ne tum quidem pontificiam ſanctitatem poſtulaturam à ſe, quod parum honeſte præſtare poſsit, Alioqui paratiſsimus facere omnia, quæ conueniunt ſibi, vt Chriſtiano, vt Principi ſacri Romani Imperij Electori, vt obedienti ſacratiſsimæ matris Eccleſiæ filio, gratiam etiam ſanctitati pontificiæ reuerenter habiturus.

QVo audito Marinus & Aleander ſeorſim cum ſuis loquuti ſunt. Cum vero per illuſtriſsimi Principis noſtri Conſiliarios iterum in colloquium admiſsi eſſent, Aleander repetere cœpit, quæ Principis nomine dicta erant. Allegabat, quibus & quot modis Pontifex Romanus conatus eſſet Martinum Lutherum ab erroribus in viã reuocare. Inſtrepebat Marinus, Luthero vertens crimini, quod, quæ & quanta pollicitus eſſet, non præſtitiſſet. Aleander reliquum connexuit, diligentiſsime hoc agens, vt optimam cauſam agere videretur. Negabat Archiepiſcopo Treuirenſi ius eſſe in hac cauſa cognoſcere, Nam extinctã commiſsionem ſub delegati Iudicis, à Delegatore cauſa recepta, Aiebat eſſe cauſam fidei, quæ ſoli Rom: Pontifici conueniret. Adferebat exemplum noſtro orbi & ſeculo prorſus ignotum, Aegre ſcilicet paſſurum Principem aliquando noſtrum, ſi quiſpiam ciuium ſuorum Iudicem ſibi deligeret vel Regem Galliarum, vel alium Principem aliquem extraneum &c.

Cum dixiſſet multa, eaq; partim pugnantia, intulit, ſuo Collegæ & ſibi non integrum eſſe, vt aliud ſequerentur, quam quod Bulla præſcriberet. Ergo proſequuturos ſe ad exurendos Martini Lutheri libros. Nam Pontificis Romani mentem non eſſe procedendi contra ipſius Lutheri perſonam, vt qui nolit manus ſuas (vt Aleandri verbis vtamur) eius ſanguine pinguefacere. Erat tum ſerum diei, & videbantur multa loquuturi. Sed cum nihil eſſet mandati, plura reſpondendi, neq; Princeps, magnis cauſis impeditus, coram adeſſe poſſet, ita vtrinq; diſceſſum eſt.

Coloniæ Agrippinæ, Anno &c. M.D.XX. Per D. Henricum Zudphanienſem ſcripta.

Dum Marinus Caracciolus & Hieronymus Aleander ſummi Pontificis Oratores, apud Carolum Imperatorem, Rom: Pontificis nomine contra Martinum Lutherum interpellarent, ferunt Imperatorem Carolum eis mox ex tempore, nullo conſulto, reſpondiſſe: Audiamus antea hac in re Patrem noſtrum Fridericum Ducem Saxoniæ &c. deinceps Pontifici reſpondebimus.

Oratores ijdem Eraſmo Roterodamo promiſerunt Pontificis verbis pinguiſsimum Epiſcopatum, ſi pro Pontifice contra Lutherum ſcripturus eſſet, Quibus reſpondit Eraſmus: Maior eſt, inquiens, Lutherus, quam vt in illum ſcribam ego. Maior eſt Lutherus quam vt à me intelligatur, Plane Lutherus tantus eſt, vt plus erudiar & proficiam ex lectione vnius pagellæ Lutheranæ, quàm ex toto Thoma.

Magiſtri noſtri Louanien: Academiæ D. Margaritha conqueſti ſunt, Lutherum vniuerſam Remp: Chriſtianam ſuis ſcriptis euertere. Rogauit Herois, quem Lutherum dicerent? Illis autem reſpondentibus, indoctum eſſe Monachum, Retuliſſe fertur: Scribite multi docti aduerſus indoctum vnum, atque procul dubio plus orbis crediturus eſt doctis multis, quam indocto vni.

QVARE PONTIFICIS ROMANI ET DISCIPVLORVM EIVS LIBRI A DOCTORE MARTINO Luthero combuſti ſint.

Commonſtret viciſſim quiſquis volet, cur D. Martini Lutheri Libros exuſſerint.

IESVS.

OMNIBVS CHRISTIANAE VERITATIS CVLTORIBVS ET STVDIOSIS GRAtiam & pacem à Deo Patre, & Domino Ieſu Chriſto.

EGo Martinus Lutherus, dictus Doctor Theologiæ, notifico in vniuerſum omnibus, mea voluntate, conſilio, & opera, Die Lunæ poſt Natalem S. Nicolai, Anno Domini M. D. X X. exuſtos eſſe Pontificis Romani libros, & nonnullorum eius diſcipulorum. Si quis igitur, vt mihi futurum perſuadeo, hoc admirabitur, interrogaturus, quibus de cauſis & quo mandato hoc fecerim? his ipſis ſibi reſponſum permittat.

PRImo, eſt veteris exempli, & antiqui moris, infectos & improbos Codices comburendi. Quemadmodum legimus in Actis Apoſtolorum 19. ad doctrinam diui Pauli, libros pro quinque millibus denariorum eſſe concrematos.

Secundo, Vtcunque ſit, ſum tamen baptiſatus Chriſtianus, atque adeo iuratus ſacræ Scripturæ Doctor, ſed & quotidianus Concionator, cui pro nomine, conditione, iureiurando, & officio ſuo conueniat, peruerſas, falſas, ſeductorias & impias doctrinas abolere, vel ſaltem impedire. Et quamuis multo plures iiſdē ſint obſtricti conditionibus, eodem deuincti officio, qui tamen idipſum vel nolint vel nequeant facere & præſtare fortaſsis ob imperitiam aut humanam formidinem & metum, Tamen ego eo ipſo nihilo ſum excuſatior, ſi mea conſcientia ſatis ſit inſtructa, & meus animus Dei gratia ſatis fortiter excitatus, cuiuſpiam exemplo ſe retineri ſuſtineat.

Tertio, Neque tamen hoc operis conatus eſſem, niſi expertus vidiſſem Papam & pontificios corruptores & ſeductores, non ſolum errare & ſeducere, ſed etiam eos poſt multas Inſtructiones à me fruſtra factas, in ſuis impijs erroribus & perditionibus animarum, adeo prorſus induratos & faſcinatos,

vt non ſolum non patiantur, ſe vel duci vel doceri, ſed etiam cæcos obturatis auribus & oculis Euangelicam doctrinam condemnare & exurere, ad ſuas Antichriſtianas & diabolicas abominationes confirmandas & conſeruandas.

Quarto, Nec credo eos mandatum habere à Leone X. Pontifice Romano, quantum per eius ſtat perſonam, niſi ſecus intelligam. Cui etiam ipſi ſpero, à me combuſtos Libros, quanquam ab eius Prædeceſſoribus conditos, non placere, Quod ſi ei etiam placeant, nihil hoc mea retulerit. Ad hæc ſcio, certis hoc nuntijs edoctus, Colonienſes & Louanien. iactantes ſeſe habere Cæſareæ Maieſtatis veniam & mandatum, meos Codices concremandi, parcere veritati, Nam id propoſiti aliquot millium aureorum munere à nonnullis Magiſtratibus coemerunt.

Quinto, Poſtquam ergo eiuſmodi eorum combuſtione librorum, veritati magna imminere iactura, & apud imperitam plebem ſuſpitio inde ad multarum animarum perniciem naſci poſſet, Ego viciſsim inſtinctu, vt ſpero, Spiritus, ad confirmandam & conſeruandam veritatem Chriſtianam & vulgus, Libros aduerſariorum combuſsi inſpecta eorum inſperabili emendatione & correctione.

Itaque nemo ſe permittat commoueri ſublimibus titulis, nominibus & clamoribus Pontificiæ conditionis, Canonici Iuris, diuturnæ Conſuetudinis, horum combuſtorum Codicum, ſed prius audiat & videat, quid Pontifex in ſuis Libris docuerit, quã venenatas & abominabiles doctrinas ſacra ſpiritualia iura contineant, & quid hactenus loco veritatis adorauerimus. Et tum libere iudicet, iuſte ne an iniuſte huiuſmodi Libros combuſſerim.

ARTICVLI ET ERRORES IN LIBRIS IVRIS CANONICI PONTIFICIJ, propter quos merito comburendi & vitandi ſunt.

1. *PApa & ſui non tenentur præceptis Dei ſubiecti & obedientes eſſe.*

HAnc abominabilem doctrinam ſcribit aperte in c. Solide, de maioritate & obedientia, Vbi S. Petri verba, quibus dicit: Eſtote ſubiecti omni humanæ creaturæ, ſic interpretatur, Sanctum Petrum non ſuos Succeſſores, ſed eorum ſubiectos intellexiſſe.

2. *Non eſt præceptum, ſed conſilium S. Petri, quando docuit, Vt omnes homines Regibus eſſent ſubiecti, ibidem.*

3. *Sole ſignificari papalem, Luna imperialem ſiue ſecularem poteſtatem in Chriſtiana Repub: ibidem.*

4. *Papam & eius Sedem non teneri ſubiectos eſſe Concilijs & Decretis, c. Significaſti de elect.*

5. *Papam habere in ſcrinio pectoris ſui omnia iura, & plenam poteſtatem ſuper omnia iura, c. 1, de conſtit. Lib. 6.*

6. *Ex quo ſequitur, Papam habere poteſtatem, omnia Concilia & omnes Conſtitutiones & Ordinationes conuellendi, mutandi, & ſtatuendi, ſicut & quotidie facit.*

Per quod nihil relinquitur neque poteſtatis neque vtilitatis, Ordinationibus, & Concilijs Chriſtianis.

7. *Pontifici Romano ius eſſe poſtulandi iuramentum & obligationem ab Epiſcopis pro eorum pallijs c. Significaſti.*

Contra illud: Gratis accepiſtis, gratis date.

8. *Si Papa ſua & fraterna ſalutis ita ſit negligens, ita inutilis & remiſſus, vt innumerabiles Populos ducat ſecum primo mancipio gehennæ in æternum plagis multis vapulaturus, huius culpas à nemine mortalium redarguendas eſſe diſt. 40. Si Papa.*

Hic Articulus, etiamſi ſolus eſſet, ſufficiens fuerit cauſa, omnes Libros Pontificis comburendos. Quid ergo non diabolicum? quid non abominandum proponant ſibi, tam abominabilia impudenter & obſeruantes & docentes? Vide Chriſtiane homo, quid te iura Eccleſiaſtica doceant.

9. *Salutem vniuerſitatis fidelium, poſt Deum, ex Papa incolumitate pendere. Ibidem.*

Contra illud: Credo Eccleſiam ſanctam &c. Ita neceſſe eſſet, perire omnes Chriſtianos, quoties Papa malus eſſet.

10. *Neq́ Papam neq́ eius ſententiam quiſquam in terris iudicare poteſt. Ipſe vero Papa omnes homines iudicat. 9. q. 3. c. cuncta.*

Hic articulus eſt capitalis articulus regni Antichriſtiani, qui vt bene radices ageret, per multa capitula, & pene per totum Ius canonicum ſemper repetitus eſt, Vt facile appareat, Ius canonicum in hoc vnum eſſe confictum, vt Papa libere poſſet & facere & delinquere quidquid vellet, licentiamq; dare peccandi, & impedire bona. Stante enim hoc Articulo, iacet profligatus Chriſtus & eius verbum. Eo vero non ſtante, iacet totum Ius canonicum, vna cum Papa & eius peſtilente Sede. Sed ſtare non poteſt. Nam S. Petrus præcipit, 1. Pet. 2. Omnes honorate. Et S. Paulus Rom. 12. Inuicem honore præuenientes. Et Chriſtus ſæpe dixit: Qui vult maior eſſe, ſit minor. Similiter S. Paulus S. Petrum ad Galat. 2. reprehendit, non ambulantem ſecundum Euangelium. Ad hæc S. Petrus vnà cum S. Iohanne ab alijs Apoſtolis tanquam ſubiectus mittebatur. 1. Pet. 2. Rom. 12. Gal. 2.

Ideo neq; eſt neq; poteſt eſſe verum, Papam nemini ſubiectum eſſe, & à nemine iudicari poſſe, quando ipſe ſupremus omnium eſſe contendit. Et Ius canonicum, cum hoc ſit eius fundamentum & tota ratio, repugnat in omnibus ſuis articulis & partibus Euangelio. Hoc quidem verum eſt, ſecularem poteſtatem ſuis inferioribus non eſſe ſubiectam. Sed Chriſtus hoc vertit & mutat dicens: Vos autem non ſic, Volens ſuperiores ſui populi eſſe omnibus ſubiectos, & ab eis iudicium pati. Sicut dicit Luc. 21. Reges gentium dominantur eorum, & qui poteſtatem in eos habent, benefici vocantur. Vos vero non ſic, ſed qui maior eſt in vobis, fiat ſicut minor, & qui præceſſor eſt, ſicut miniſtrator. Quomodo autem poteſt ipſe eſſe inferior, ſi à nemine patitur ſe iudicari? Luca 22.

Hic eſt ille Articulus, ex quo omnis infelicitas in totum orbem terrarum inundauit. Quapropter Ius Canonicum, vt res venenata, merito extinguendum & vitandum eſt. Nam vt omnibus claret, inde conſequitur, vt nulli malo poſſis occurrere, nihil etiam boni, nihil virtutis prouehere, Vt cogamur videntes pati, & Euangelium & fidem occidere atque interire.

11. *Romana Sedes concedit autoritatem omnibus Iuribus & Legibus, Sed ipſa nullis eorum ſubiecta eſt. XXV. q. 1.*

Quod tantum eſt dicere, Quod vult, iuſtum & æquum eſt, Interim ta-
Matth. 23. men non obligatus quidquam eorum obſeruare. Sicut Chriſtus Matth. 23. dixit de Phariſæis, Imponere grauia onera hominum humeris, quæ ipſi ne digi-
Gal. 5. to quidem mouerent. Contra quæ S. Paulus ad Galatas 5. dicit: State, & nolite iterum iugo ſeruitutis contineri.

Matth. 16. 12. *Petra ſuper quam Chriſtus Matth. 16. Eccleſiam ſuam ædificat, appellatur diſt. XIX. Romana ſedes cum proximis ſuis.*

1. Cor. 10. Cum tamen ſolus Chriſtus ea ſit petra, 1. Corinth. 10.

13. *Claues ſoli S. Petro traditas eſſe.*

Matth. 18. Cum tamen eas Chriſtus Matth. 18. toti fidelium vniuerſitati tradat.

14. *Chriſti ſacerdotium ab eo in S. Petrum eſſe tranſlatum, De conſtitu. et Translato.*

Pſal. 110. Contra quod dicit Dauid Pſal. 110. & Paulus ad Ebræos, Chriſtum
Ebr. 7. vnicum eſſe, eumq́ꝫ ſummum Pontificem ſiue Sacerdotem, cuius ſacerdotium nunquam transferatur.

15. *Papam habere poteſtatem condendi iura & leges Eccleſiæ catholicæ, XXV. q. 1. Ideo permittente.*

Gal. 5. Cui repugnat S. Paulus ad Galat. 5. Vos eſtis vocati in libertatem.

Matth. 16. 16. *Quod hanc ſententiam: Quodcunq́ꝫ ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis, eo trahit, quod habeat poteſtatem, totam Eccleſiam catholicam onerandi Legibus ſuis temerarijs.*

Cum Chriſtus eo nihil aliud velit, nihil aliud ſequatur, quam vt peccatores ad pœnam & pœnitentiam adducat, & nihil minus, quam vt reliqui innocentes legibus grauentur, vt verba clare ſonant.

17. *Quod ſub excommunicatione & peccato præcipit, certis diebus carne quadrupedum, ouis, butyro, & alijs lacticinijs non eſſe veſcendum.*

Cum tamen talium nullam prorſus habeat poteſtatem. Et ad hoc tantum amice & paterne admonere deberet, relicto vnicuique arbitrio ſuo libero.

18. *Quod toti ſacerdotio interdixit matrimonio, prohibens ſacerdotes ducere vxores.*

Vnde multa peccata, ſcandala & vitia ſine cauſa nata ſunt, & quotidie augentur, contra Dei præcepta & Chriſtianam libertatem.

19. *Quod Papa Nicolaus ſiue III. ſiue IV. in ſua Antichriſtiana Decretali, inter multa mala ponit, Chriſtum clauium traditione poteſtatem dediſſe cœleſtis ſimul & terreni Regni.*

Cum tamen omnes probe ſciant, quomodo Chriſtus terrenum regnum fugerit, & omnes Sacerdotes claues habeant, & tamen non omnes Imperatores ſunt cœleſtis & terreni Regni.

20. *Quod Papa, magnum & impium illud mendacium, Conſtantinum Imperatorem ipſi Romanas prouincias, regiones, & poteſtatem dediſſe in terra & mundo hoc inferiore, pro vero iudicat & poſtulat.*

Cum

Cum è diuerſo Chriſtus dicat Matth. 6. Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra, vbi erugo & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt & furantur. Item: Non poteſtis Deo ſeruire & mammonæ. Item: Vos autem non ſic. *Matth. 6. Luc. 22.*

21. *Quod Papa iactat, ſe ſacri Romani Imperij hæredem eſſe, de ſententia & re iudi. c. Paſtoralis.*

Cum tamen omnes ſciamus, Eccleſiaſticum officium & ſeculare regimen inter ſe pugnare & diſſidere, neque mutuo ſeſe pati. Et S. Paulus præcipit, ab Epiſcopo verbum Dei tractandum & obſeruandum eſſe.

22. *Quod Papa docet, Iuſtum & licitum eſſe, vt Chriſtianus vim vi repellat.*

Et contra & ſupra Chriſtum, dicentem Matth. 5. Ego autem dico vobis, non reſiſtere malo, Sed ſi quis te percuſſerit in dextram maxillam tuam, præbe ei & alteram. Et ei, qui vult tecum in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium. *Matth. 5.*

23. *Quod Papa docet, Inferiores & ſubiectos poſſe ſuis ſuperioribus inobedientes & contumaces eſſe, & quod Papa poſſit Reges deponere.*

Sicut in multis locis ſcribit, & ſæpe, quamuis contra & ſupra Deum fecit.

24. *Quod Papa etiam nititur poteſtatem habere conuellendi & diſſoluendi omnia iuramenta, fœdera & obligationes, inter ſuperiores & inferiores ſtatus erectas.*

Contra & ſupra Deum præcipientem, vt fidem omnibus ſeruemus.

25. *Papam habere poteſtatem, vota Deo facta diſſoluendi & commutandi, de vot. & vo. red.*

Quod etiam contra & ſupra Deum eſt.

26. *Quod Papa docet, eum, qui differt ſuum votum, ſoluere ex præcepto Dei, non teneri culpa rupti voti, ibidem.*

Quod perinde eſt, ac ſi dixeris, Papam eſſe ſuperiorem Deo.

27. *Quod Papa docet, nullum poſſe Deo ſeruire maritum vel coniugem.*

Cum tamen Abraham & multi alij Sancti coniugati fuerint, Et Deus ipſe matrimonium inſtituerit. Procul dubio ſic iterum Antichriſtus aſcendit ſupra Deum.

28. *Quod Papa inutiles ſuas leges comparat Euangelijs & ſanctæ Scripturæ.*

Quod in Decretis ſæpe repetit.

29. *Papam habere poteſtatem, ſacram Scripturam pro ſuo arbitrio & voluntate interpretandi & docendi, & nulli permittere eandem aliter, quàm ipſe Papa velit, interpretari.*

Quo ſe ponit ſupra verbum Dei, & idem conuellit & extinguit, Cum tamen Paulus 1. Corinth. 14. dixerit: Quod ſi alij reuelatum fuerit ſedenti, prior taceat. *1. Cor. 14.*

30. *Quod non Papa à Scriptura, ſed Scriptura à Papa autoritatem, vigorem, robur, & dignitatem habeat.*

Qui vnus ex principalibus eſt Articulis, propter quem Papa, vt verus Antichriſtus, meretur, vt Chriſtus eum vna cum regimine ſuo cœlitus deſtruat, ſicut S. Paulus futurum prædixit.

IN his & huiuſmodi Articulis, quorum innumerabiliter plures ſunt, omnes tamen eo tendentes, vt Papa ſit & Deo & omnibus hominibus ſuperior, & ipſe ſolus nemini mortalium, ſed ipſi omnes, etiam Deus & Angeli, ſint ſubiecti, vt Papæ diſcipuli dicant, Papam eſſe rem mirabilem, non eſſe Deum, non eſſe hominem (fortaſſis diabolum & Satanam ipſum) quo impletur verbum illud S. Pauli 2. Theſſ. 2. Ne quis vos ſeducat vllo modo, Quoniam niſi venerit diſſenſio primum, & reuelatus fuerit Homo peccati, Filius perditionis, qui aduerſatur & extollitur ſuper omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe, tanquam ſit Deus, &c.

2. Theſſ. 2.

Quod autem eum nominat Hominem peccati, & Filium perditionis, non ſolum Papæ intelligit & denotat perſonam (id enim eſſet non adeo periculoſum) ſed quod eius regimen nihil aliud ſit, quam inſtrumentum infinitorum peccatorum & perditionis. In hoc enim ſolum regnum Pontificium à Satana conſtitutum eſt, vt totum mundum in peccata & in æternam perditionem rapiat & pertrahat. Sicut facile eſt ex eiusmodi Articulis annotare. Sicut etiam clariſſime patet, ex Papatu nihil aliud profectum in mundum eſſe, & quotidie adhuc proficiſci, quã peccata & perditiones. Taceo, quod ipſimet Iuris canonici obſeruatores, quanquam in angulis confeſſi ſunt, fœtere Ius canonicum & meram auaritiam & vim atque tyrannidem, Id quod etiam verum eſt, Et qui nolit mentiri, fateatur hoc, oportet. Nam ſi pauciſſimis verbis voles ſcire, quid in iure canonico contineatur, audi quæſo:

Summa ſummarum totius Iuris Canonici hæc eſt:

☞ *Papa eſt Deus in terris, ſuperior omnibus cæleſtibus, terrenis, ſpiritualibus & ſecularibus. Et omnia Papæ ſunt propria, cui nemo audeat dicere: Quid facis?*

Matth. 24. HÆc eſt illa abominatio, ille fœtor, de quo Chriſtus Matt. 24. dixit: Cum videritis abominationem deſolationis, quæ dicta eſt à Daniele Propheta, ſtantem in loco ſancto, qui legit, intelligat, Tunc qui in Iudæa ſunt, fugiant ad montes. Et diuus Paulus, Ita vt in templo ſedeat, hoc eſt, in Chriſtiana Eccleſia, oſtendens ſe, tanquam ſit Deus.

2. Theſſ. 2. ☞

Sed vel neminem vel paucos eſſe inuentos, qui Papæ eiuſmodi abominationem ipſius auderent dicere, non eſt vt miremur. Nam prædictum eſt, omnes comburendos ab eo, qui ipſi repugnarent, & habiturum conſenſum omnium & Regum & Principum. Si enim Antichriſti ſeductio tam craſſa eſſet, vt omnes eam intelligere poſſent, vel tam innoxia & leuis momenti res, vt non Reges, ſummi ac primarij viri per eam multis iam ſeculis dementati fuiſſent, Prophetæ & Apoſtoli non fruſtra tam multa, tam horribilia de ea clamaſſent & ſcripſiſſent.

Cum Chriſtus in terris ageret, multi homines verbum eius audientes, & opera videntes, dicebant ad eos, qui negabant eum Chriſtum eſſe: Chriſtus cum venerit, nunquid poterit plura facere miracula quam hic facit? Sic etiam nunc muſſatur: Etiamſi Antichriſtus venerit, quomodo poterit peiora facere quam Papæ dominatio & regimen fecit? & quotidie facit? Non enim cre-

dibile eſt, ſi regimen Papæ ex Deo eſſet, vt tam horribilia peccata, tam multæ perditiones ex ea naſcerentur.

Sicut enim ab initio omnium creaturarum ſemper peſſima quæq; ex optimis quibuſque nata ſunt. Nam in ſupremo Angelorum choro, vbi Deus maximè omnium operatus eſt, peccauit Lucifer, & fecit maximam iacturam. In Paradiſo in primo eoque optimo Homine factum eſt maximum & peccatum & damnum. Deinde Gen. 6. naſcebantur Gigantes & Tyranni, ex nullis alijs quam filijs Dei. Et Chriſtus Dei Filius non crucifigebatur niſi in ſancta Ciuitate Ieruſalem (in qua & plurima fecerat miracula, ideoque maximè omnium honoratus erat) Neque ab alijs quam à Principibus & ſummis ſacerdotum, & doctiſſimis atque ſanctiſſimis, Sed & Iudam oportebat damno eſſe non vulgari ordini, ſed Apoſtolorum coetui.

Ita Deus nullam vnquam vrbem in orbe terrarum tam multis gratijs & Sanctis benedixit, vt Romam, cui plus quam omnibus reliquis tribuit. Itaque oportet eam etiam pro referenda gratia, quemadmodum Ieruſalem, maximum damnum dare, & mundo verum & nocentiſſimum Antichriſtum præſtare, qui longe plus det mali & incommodi, quam Chriſtus prius bonorum contulit. Ita nunc reuera fit, vt omnia ſub Dei & Chriſti nomine & ſpecie fiant. Vt nemo credat, donec Dominus ipſe veniat, abſcondita tenebrarum lumine ſui aduentus, vt beatus Paulus ſcribit, illuminaturus.

Hi articuli nunc ſatis ſint, Nam ſi quiſquam Papiſtarum voluptate pruriens, conabitur eoſdem tueri & defendere, tum ego eos multo luculentius & clarius depingam atq; deſcribam, longe etiam plures eiuſmodi producturus. Hi enim ſint initium tragœdiæ. Siquidem hactenus cum cauſa Papæ luſi tantum & iocatus ſum. Cauſam in Dei nomine incepi, ſperans eſſe opportunũ & huius temporis, vt ſeſe ipſam in eodem nomine citra meam operam perficiat.

Interim etiam volo omnes Articulos per Antichriſti nuntium iam ex Roma in Bulla nouiſſima damnatos & exuſtos, vt Chriſtianos & veros amplecti & ſeruare, & viciſſim totidem articulos Papæ imputare, vt Antichriſtianos & impios, quot meorum Articulorum damnati ſunt. Nam ſi audent meos Articulos comburere, in quibus plus Euangelij & veræ Theologiæ eſt, id quod ſine iactantia & cum veritate dicere & probare poſſum, quam in omnibus Papæ Libris, Multo maiore merito & iure impios eorum libros Iuris exuro, in quibus nihil boni ineſt. Quod ſi in illis etiam aliquid boni ineſſet, vt de Decretis fateri cogor, totum tamen eo detortum eſt, vt noceat, & Papam in ſua Antichriſtiana & impia tyrannide confirmet. Omitto quod nihil eorum præ nimia diligentia obſcuratur, niſi quod malũ & noxium eſt ſeruaſſe.

Ego vnicuique libenter ſuum permiſerim iudicium, Nam me hoc mouet potiſſimum, quod Papa nunquam, ne ſemel quidem, quenquam vicerit vel Scriptura vel ratione, qui contra ipſum dixiſſet, ſcripſiſſet vel feciſſet, ſed ſemper vi, excommunicatione, per Reges, Principes & reliquos fautores, aut per dolos malos & falſa verba oppreſſerit, eiecerit, combuſſerit, vel alioqui occiderit. Cuius rei cum poſſum omnibus hiſtorijs teſtibus conuincere. Eoq; nomine nunquam voluit neque iudicium, neque ſententiam pati, ſemper auſus prætendere & obſtrepere, ſe eſſe ſuperiorem omnibus ſcripturis, iudicijs & poteſtatibus.

Porro, veriſſimum eſt, Veritatem & Iuſticiam non vereri iudicium, imo nihil habere charius iudicio & luce, vt permittentem ſe libenter inſpici & probari. Apoſtoli enim permittebant iudicium inimicis ſuis, Acto. 4. dicentes: Si iuſtum eſt in conſpectu Dei, vos potius audire quam Deum, iudicate,

Tam

Digitized by Google

Tam certa erat veritas. Sed Papa nititur omnes exoculare, nemini permittere iudicium, ſe ſolum omnes iudicare. Tam formidoloſus & incertus eſt omnium ſuarum rerum & actionum. Et hæ confuſiones Pontificis Romani in tenebris & horrore lucis faciunt, vt etiamſi Papa merus eſſet Angelus, tamen ipſi nihil poſſem credere. Vnuſquiſq; enim merito opera tenebrarum odit, & diligit lucem.

AMEN.

In his omnibus polliceor & offero me ſtaturum Iuri, coram omnibus.

Samſon Iudic. 15.
Sicut fecerunt mihi, ſic feci eis.

Apocal. 18.
Reddite illi, ſicut & ipſa reddidit vobis, & duplicate ei duplicia ſecundum opera eius.

EXVSTIONIS ANTICHRISTIANARVM DECRETALIVM ACTA.

ANno dominici natalis XX. vltra ſeſquimilleſimum, X. die Decembr. conuocata eſt affixis ſchedulis omnis ſcholaſtica iuuentus VVittembergæ, fore, vt Decretales Antichriſtianæ concremarentur in horam nonam, Id horæ agminatim eſt itum ad exuſtionis locum, quod poſt ptochodochium erat parandum. Atque ibi Magiſter quiſpiam haud incelebris rogum extruxit, ac ſuccendit, impoſitis Antichriſtianis Decretalibus per eximium D. Martinum Lutherum. Addita eſt & Bulla Papiſtica, nuper exhibita, quam idem Martinus Lutherus in ignem coniecit, hiſce verbis prolatis: Quia, inquit, tu conturbaſti ſanctum Domini, ideoque te conturbet ignis æternus. Quo facto rediit in vrbem eximius vir D. Martinus, maxima tum Doctorum tum Magiſtrorum aliorumq; literarum candidatorum caterua comitatus.

POſtridie eius diei Doctor Martinus, cum Pſalterium prælegeret, præmonebat omnes Auditores, vt ſibi cauerent à Papiſticis ſtatutis. Parum eſſe hoc deflagrationis negotium, Ex re fore, vt Papa quoq;, hoc eſt, ſedes Papalis concremaretur. Grauiq; ſupercilio affirmans. Niſi, inquit, toto corde diſſentiatis à regno Papali, non poteſtis aſſequi veſtrarum animarũ ſalutem. Adeoque diuerſum eſſe regnum Papæ à regno Chriſti & vita Chriſtiana,

ana,vt tutius foret in eremo agendo nullum omnino videre hominem,quam verſari in regno iſto Antichriſtiano. Caueat igitur ſibi,quiſquis animæ ſuæ conſultum velit, ne aſſentiendo papaſtris Chriſtum neget,Ideoque aut hic aut vita futura pereundum eſſe cuique ad ſacra hodiernæ Eccleſiæ aſpiranti, qui huic operationi erroris contradicere non audet, Sin autem contradixerit,vitæ ſuæ diſpendio fieri oportet,Ego autem,inquit, in hoc ſeculo periclitari malo,quam tantam ſilentij rationem,quæ Deo eſt reddenda,conſcientiæ meæ imponere. Ob id Romanæ furiæ iam pridem diſſentiens ex corde,abominor iſtam Babylonicam peſtem.Atq; hæc Fratribus meis annuntiabo,quam diu fuero. Si animarum tantæ perniciei reſiſtere non poſsim,ſeruandi ſunt tamen pleriq́ue noſtrates,ne & ipſi ad inferos præcipitentur, Faciant alij quidquid velint,tempus eſt vt reſipiſcamus.

Hæc aliaq́ue in eam ſententiam multa Lutherus inibi, cum multa verborum luce & felici patrij ſermonis elegantia recenſuit, quæ ego vtpote indoctus & elinguis imitari non poſſum. Vera tamen eſſe,quæcunque dixerit,nemo dubitat, niſi trunco ſit ſtupidior,cuiuſmodi ſunt papaſtri ad vnum vſque. Atq́ue palam eſt omnibus in Chriſto paruulis,quorum palatum ſophiſtica labe nondum eſt infectum, nec magnificis huius ſeculi opinionibus delibutum cunctiſq́ue innocentibus,Lutherum eſſe viuentis Dei Angelum, qui palabundas Chriſti oues paſcat ſolo veritatis verbo,dormientibus illis,qui Paſtoris nomen indigne ſibi arrogant.Quantumuis montes ſeculi ac cedri Libani renitantur pannicoſi ambitioſique,Non poſſunt tamen Chriſti oues non agnoſcere vocem Domini ſui per iſtum Nuntium prolatam,Oues autem alieni Paſtoris hanc vocem non audiunt. Beati qui non offenduntur ignobilitate Hominis, ſeculi montes tangentis,qui non fumigare non poſſunt, quia eorum natura ſeſe ita habet.

FINIS.

ANNVS

ANNVS CHRISTI M. D. XXI.

ENARRATIONES EPISTOLARVM ET EVANGELIORVM, QVAS POSTILLAS VOCANT

D. Martini Lutheri.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI ET DOMINO D. FRIDERICO IMP. ELECTORI, Duci Saxoniæ, Landgrauio Thuringiæ, Marchioni Miſniæ, Domino ſuo Clementiſs.

MARTINVS LVTHERVS AVGVST.

GRAtiam & pacem à Domino noſtro Ieſu Chriſto. Quod hactenus Celſitudinis tuæ votis, Princeps illuſtriſs. & clementiſsime, reſpondere non potuerim, atque de die in diem magis cauſis ſeſe mutuo gignentibus differre coactus fuerim, neſcio cui referre debeam acceptum, Iudicaſti tu optimo quidem conſilio, vt poſthabitis rixoſis, mordacibus & turbulentis Scriptionibus, quibus iam tertium annum perdidi, ſacris & placidis ſtudijs inſeruirem, & iuxta Pſalterij elucidandi laborem, Enarrationes Epiſtolarum & Euangeliorum, quas vulgo Poſtillas vocant, pro vulgo paſtorum & populorum elaborarem, ratus hac ratione fore, vt mole horum operum occupatus, vel inuitis Aduerſarijs pacem haberem. Sic enim eſt ingenium tuum, ſecundum nomen tuum, pacificum, vt non obſcuris nec raris argumentis mihi declararis, quam moleſto feras animo, contentiones illas & quæſtiones, de lana (quod aiunt) caprina (liceat enim mihi ſic contemnere, magnifica illa quæſtus Eccleſiaſtici certamina, & cum Propheta Bethauen è Bethel facere.)

Sed & ipſemet non facile dixerim, quam inuitus his turbis iactatus, & à meis ſtudijs auulſus fuerim, vt carni & ſanguini meo non potuerim penitus imperare, quin importunas iſtas improborum procacitates aſperius quam pro religione, modeſtia tractarem. In qua re, vt non deprecor culpam, ita mihi veniam non negari ſpero ab vllo, qui ſaltem perpenderit, quantos leones Moab, quantos Rabſaces Aſſyriorum, quantos denique extremæ

virulentiæ Semeios, vnus ego tam diu ſuſtinere, compulſus fuerim, mei & multorum iactura, quibus in verbo Dei prodeſſe potuiſſem. Sic tamen in his procellis fluctuauit animus meus, vt nunquam deſponderis ſpem potiundæ aliquando pacis, quo morem T. Celſ. gererem, per quam Euangelio Chriſti, quod dubitari non poteſt, non parum contulit miſericordia Dei.

At cum videam nunc ſpem meam fuiſſe merum hominis cogitatum, & quotidie alto huic mari magno altius inuoluar, reptilibus innumeris, animalibus magnis cum paruis, mutuas vires & operas iungentibus, ſimul video ſpei meæ tentatione Satanam aliud nihil quæſiuiſſe, quam vt ſenſu vanitatis meæ diſtentus, tandem in totum ab inſtituto meo alienus fierem, & ante migrandum eſſet in Babylonem, quam meæ Ieruſalem præſidium & victum prouiderem, tam aſtuta eſt nequitia illius. Hoc conſiderans, recordatus ſum ſancti illius viri Nehemiæ, &, relictis ocioſis contemplationibus Eſræ, ſcribæ doctiſsimi, de pace deſperare cœpi, vltro citroque me parans ad pacis & belli ſtudia, vna manu gladium apprehendens, Arabibus meis repugnaturus, & altera murum ædificaturus. Ne ſi alteri tantum operi me impendero, neutrum impleuero, quando & Hieronymus dicit, tantum Eccleſiæ officere qui Aduerſarijs non reſiſtit, quantum in altera parte ædificat.

Et Apoſtolus mandat, vt Epiſcopus non ſolum potens ſit exhortari in doctrina ſana, ſed & contradicentes redarguere. Non quod me Epiſcopum eſſe arbitrer, cum deſint & opes & infula, quibus hodie conſtat Epiſcopus, ſed quod officium verbi qui implet, Epiſcopi officium implet, quem oportet eſſe ambidextrum Ehud, & pinguiſsimum Aeglon ſiniſtra bellace temporiq; belli parata infixo pugione occidere. Et ego in medijs gladijs, Bullis, tubis & claſsicis Papiſtarum fruſtra me terrentibus, animoſus contemptor per Dei gratiam pacis operi accingor, & enarrationes à T. Celſ. petitas in manus accipio. Quid enim non poſsim in eo, qui me confortat? Si vires meas metiri velim, ne vni quidem Pſalterio me traderem, etiam ſepties Lutherus, tantum exigit is Liber, ingenij, eruditionis, diligentiæ, ſpiritus & gratiæ, vt taceam geminæ Concionis munus. Nam de alijs occupationibus extra verbi miniſterium nihil dico. Iud.3.

Vereor autem, ne hoc operis longe ſit futurum ſpe inferius. Cum enim nihil ſit ſanctius in omnium corde Euangelij opinione, idque merito, cuius maieſtas inæſtimabilis digne eſt adoranda, expectabitur forte à multis, digna Euangelio enarratio, & è montium partu mus tandem fiet, & concepto ardore ſtipulam pariam. Non de eloquentia & latini ſermonis elegantia dico, Nam harum rerum vt ſum imperitus, ita peritis prorſus non hæc laboro.

laboro. Sed de vulgo & ijs, in quorum naribus ſpiritus eſt, qui excelſi reputantur apud Deum, vt Iſaias dicit, quorum mihi iudicium, vtcunque ſordide loquantur, formidabile eſt, inprimis tuum Illuſtriſsime Princeps, qui ſacris literis, non modo incomparabili ſtudio & fauces & inhias, ſed ita formatus es, vt nulli Theologo, vel ter maximo, non queas negotium faceſſere, ſi quæſtiones duntaxat mouere incipias, tantum abeſt, vt Romanenſes fucis & nugis Bullarum ſuarum tibi imponant, aut impijs ſuperſtitionum legibus irretire queant, quo tamen craſſo ludibrio, nullum Epiſcopum non penitus dementant hodie.

Satis autem fecero, ſi puriſsimo & ſimpliciſsimo Euangelij ſenſu vtcunque patefacto, inſulſis & ineptis gloſſematibus quorundam occurrero, & pro fabulis & ſomnijs, ſaltem ſola verba Dei ſui, à ſordibus humanis purgata, audire populus potuerit, præter puritatem enim & ſynceritatem ſenſus Euangelici, humiliori & populari captui attemperati, nihil promitto. Sed an & hoc impleuero, aliorum eſto iudicium, certe opiniones & quæſtiones ad rem nihil pertinentes ex me nemo diſcet.

Suſcipe ergo Illuſtriſsime Princeps, obſequium iſtud meum, non tua dignitate, ſed tua clementia penſandum, & Euangelio Chriſti, ſicut facis, Fridericũ, pium, magnum Saxonem, Ducem, Electorem, nobis in Chriſti fauore diu ſerua. Valeat T. C. in Chriſto, AMEN. VVittembergæ, tertia Martij, Anno M. D. XXI.

EPISTOLA DOMINICAE I.

Aduentus Domini, Roma, 13.

FRatres, ſcientes, quia hora eſt iam nos de ſomno ſurgere, Nunc enim propior eſt noſtra ſalus, quàm cum credidimus. Nox proceſsit, dies autem appropinquauit. Abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis, ſicut in die, honeſte ambulemus, non in comeſſationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitijs, non in contentione & æmulatione, Sed induimini Dominum Ieſum Chriſtum, & carnis curam ne feceritis in deſiderijs.

DOcuerat Apoſtolus Romanos, in præcedentibus, vt poteſtatibus mundi ſubderentur, & nulli debitum ſubtraherent, ſed hoc vnum curarent, vt ſeſe diligerent, quando dilectio legis plenitudo eſt, Quod cum omnibus ſeculis fieri oportuerit, nunc tamen maxime præſtare oporteat, quando per Euangelium Chriſti diſpulſis erroribus, Lux veritatis aduenit velut dies, in quo non liceat amplius dormire, ſed vigilare deceat.

Vt autem & facilior & iucundior ſit ſua doctrina & exhortatio, aſſumit rem inter homines vſitatiſſimam, ſcilicet quod nemo non ſciat, ſurgendum eſſe à ſomno, vbi peracta nocte, dies appropinquauit, ſeu in proximo eſt. Ab hac ſimilitudine orſus dicit, Scitis fratres, peracta nocte & luceſcente die, tempus eſſe à ſomno ſurgendi. Quod cum inter homines agi videatis, qui temporalia curant, quanto magis cum noſtra ſpiritualis & allegorica nox peracta ſit, dieſq; illuxerit, tempus eſt vt à noſtro quoq; ſomno ſurgamus, qui ſpiritualibus intendimus.

Nox. Dies. Somnus. Vigilia.

Noctem, diem, ſomnum, vigiliam etſi varie quidam trahunt, tamen ſequentia Pauli verba ſatis indicant, eum allegorica Figura, per noctem intelligere, errorem, & impiam opinionem, Per diem, veritatem ſeu fidem, per ſomnum, opera peccati, & omiſſionem operum bonorum, Per ſurgere ſeu euigilare, opera bona. Sic enim ſeipſum interpretans dicit, Abijciamus opera tenebrarum & induamur arma lucis, quod idem eſt, ac ſi dicat, ne dormiamus, ſed vigilemus, Sic & 1. Theſſ. 5. dicit in eundem ſenſum. Vos autem Fratres non eſtis in tenebris, omnes enim vos filij lucis eſtis & filij diei, non ſumus noctis neq; tenebrarum, igitur non dormiamus ſicut & cæteri, ſed vigilemus & ſobrij ſimus, Qui enim dormiunt, nocte dormiunt, & qui ebrij ſunt, nocte ebrij ſunt. Nos autem qui diei ſumus, ſobrij ſimus, induti loricam fidei & charitatis & galeam, ſpem ſalutis, Non enim poſuit nos Deus in iram, ſed in acquiſitionem ſalutis per Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM, qui mortuus eſt pro nobis, vt ſiue vigilemus, ſiue dormiamus, ſimul cum ipſo viuamus. Vbi patet, quod ab eodem allegoriam trahit, à quo & hoc loco, Et quod hic arma lucis vocat, illic loricam fidei, & Galeam ſpei vocat. Deinde quid per opera tenebrarum velit, aperit, dum dicit: Non in commeſſationibus & ebrietatibus (qui enim ebrij ſunt, nocte ebrij ſunt) non cubilibus & laſciuijs, & hæc noctis opera maxime ſunt. Tam pulchre & mire miſcet vtrunq; genus noctis & diei, ſpiritualis & temporalis.

Opera tenebrarum.

Clarum autem eſt, Apoſtolum loqui ad eos, qui iam iuſti & ſancti ſunt per baptiſmum & fidem Euangelij, CHRISTO viuentes, Dicit enim, *Nox proceſſit*, id eſt, peracta eſt, hoc eſt, iam de errore liberati ſumus, in accedente luce viuimus, ſeu vt ad Theſſ. dixit, Nos diei filij ſumus, ideo non dormiamus nec ebrij ſimus. Nox autem nulli peracta eſt, niſi credenti in Chriſto. Probat idem quod dicit, *propior eſt iam noſtra ſalus, quam cum credidimus.* Ergo his, qui iam propinqui ſunt ſaluti (quod fit fide & ſpe) loquitur, Spe enim ſalui facti ſumus, Rom. 8.

Propior eſt ſalus, &c.

Mouet autem multos, Cur dicat, Propiorem eſſe ſalutem iam, quam tunc quando credebamus, cum potius dicendum videatur, nos illo tempore non crediſſe, ſed modo credere. Et non iam propinquam, ſed præſentem eſſe ſalutem, quæ tunc potius propinquabat, nunc autem aduenit. Nonne iam potius Euangelium & fides prędicantur, & non olim? (Verum vt dixi) de ipſa ſalute loquitur, quæ inchoata quidem eſt, & fide ac ſpe tenetur, cæterum reipſa quoq; propinqua eſt, nondum autem venit. Venit autem in morte & extremo iudicio, ſicut per patientiam expectare nos, dicit Roma. 8. etiam corporis noſtri redemptionem.

Hæc itaq; ſalus olim promiſſa eſt in Chriſto futura, quando Abrahæ & Patribus benedictionem promiſit, Sicut B. Virgo dicit in ſuo Cantico, *Sicut locutus eſt ad Abraham Patrem noſtrum &c.* Sicut ergo tunc promittebatur, ita & credebatur futura. Nunc autem non creditur futura, ſed præſenter tenetur incepta, Quia promiſſio cœpta eſt adimpleri, & ideo propior nũc eſt ſalus,

hoc

hoc eſt, præſens nunc eſt, quæ olim promittebatur. Nunc incipit impleri, quæ olim credebatur incepturа. Quo fit, vt eo iuſtior ſit cauſa bonis operibus inuigilare, & à malis abſtinere, cum grauius ſit, in iam datam ac præſentem inceptamque ſalutem peccare, quam ſi adhuc in promiſſione expectaretur. Alia *Fides.* ergo fides eſt, qua promiſſa credebantur, hæc tranſijt cum nocte & erroribus, alia qua exhibitam poſſidemus & expectamus conſumandam. Caue ergo, ne ſalutem eſſe propiorem, ſic intelligas, quaſi non ſit præſens, ſed idem per propius, quod per præſentius intellige. Vt omnino ad eos loqui ſciatur, qui fide Chriſti Chriſtiani iam erant & ſunt.

Tunc rurſus quæritur, Cum illi non habeant opera tenebrarum, & non dormiant, cur præcipit à ſomno ſurgere, cur præcipit abijcere opera tenebrarum? Dicitur primum, Quia palmites Chriſti ſumus, quotidie magis ac magis purgandi, & veterem hominem habemus cum actibus ſuis aſſidue exuendum, & de die in diem renocandum, & multa ſimilia. Nemo *Opera tenebrarum, Gal. 5.* enim ſic abiecit à ſe vetuſtatem, vt non ſit reliquũ quod abijciat, ſed quotidie ſolicitant nos opera tenebrarum, ſicut Galatas 5. dicit: Caro concupiſcit aduerſus Spiritum, Prouocat enim contentiones, commeſſationes & c.

Idcirco ne ſtertant & ſecuri fiant, quaſi iam omnino ſalus, inſtat, vt vigilent & operentur in armis lucis. Sic cum Theſſalonicenſes dixiſſet eſſe filios *Arma lucis.* diei, docet tamen vt ſobrij ſint, & multa alia, quod & in omnibus alijs Epiſtolis facit. Ita nunquam ſic peccata vitamus, quin magis vitanda ſint, cum nos
1. Pet. 5. ſine intermiſſione fatigent, ſicut Petrus dicit, *Fratres ſobrij eſtote & vigilate, quia Aduerſarius veſter Diabolus tanquam Leo rugiens circumit, quærens quem deuoret, cui reſiſtite in Fide fortes.*

Nec illis multum reſiſtendum, qui per noctem intelligunt legem ſeu *Nox tempus legis.* tempus legis, niſi quod difficillioris hæc intelligentia eſt ſenſus. Lex enim ipſa quidem lux eſt & bona & ſancta, ſed tamen facit & auget errorem & opera tenebrarum, vbi gratia non ſuccurrit, quare vbi lex, ibi & nox & opera tene-
Roma. 4. brarum. Vbi non eſt lex, ibi nec præuaricatio, Rom. 4 Sed hæc ſubtiliora differenda in aliud tempus.

Nunc nominum & allegoriarum ratio videnda eſt, Som- *Opera tenebrarum.* nus noctis, quam aptę vocatur, vita peccati, primum, quia nihil videt veritatis *Arma lucis.* & ambulans in tenebris non cognoſcit futuræ vitę bona, nec ea ſentit, nec appetit, Sicut qui eſt in nocte corporaliter, nihil videt rerum corporalium. Secundo, quia dormiens luditur imaginibus rerum, nec fruitur rebus ipſis, Et dum ſic luditur, fortiter putat ſeſe veris rebus intereſſe. Ita peccator in voluptatibus peccati viuens, luditur ſolum rebus huius Mundi, quas pertinaciter
Pſal. 76. aliquid eſſe putat, dum interim res ſperandas non ſentit, Sicut Pſal. 76. Dormierunt ſomnum ſuum & nihil inuenerunt in manibus ſuis, omnes Viri diuitiarum, Quam fœde itaq; & viriliter appellat, vitam iſtam, nomine ſomni, quam tantis tumultibus affectuum quærunt homines tanquã precioſiſſimam.

Opera tenebrarum non vocat arma, opera lucis appellat arma, quare hoc? Nempe quod dixi, hæc ſcribi ad eos, qui iam ſunt iuſti & boni, vt ſciant ſeſe aduerſus peccatũ & diabolum bonis operibus quaſi armis vti debere, & adeo neceſſaria eſſe bonis opera, vt ſine his nequeant operibus tenebrarum, vndique nos ſolicitantibus, reſiſtere. Bellum enim, & vt Iob *Pijs vita hæc præſens militia.* ait, Militiam vult hanc vitam eſſe fidelibus, vbi continue contra peccatum pugnetur. Qui ſic armati fuerint & ſtrenui in bonis operibus, his opera tenebrarum, non ſunt arma, nec fortia, quia non præualent, ſed vincuntur, ſunt ſolum opera ad malum ſolicitantia. De quibus Romanorum 6.
Rom. 6. Non exhibeatis membra veſtra arma iniquitatis, Quaſi dicas ne præualeant,

& fiant

& fiant arma iniquitatis, membra veſtra. Contra 2. Corinth. 6. Per arma iuſti- ciæ à dextris & ſiniſtris. *2. Corin. 6.*

Opera tenebrarum à dextris & ſiniſtris.

A dextris ſunt opera tenebrarum, ea quæ blanda ſunt, commeſſatio, ebrietas, cubilia, impudicitiæ. A ſiniſtris, quæ aduerſa ſunt & ex aduerſis, contentio, æmulatio, hæc omnia exuenda & abijcienda, licet non ceſſent obruere nos, ideo armis opus eſt. Quibus? Sobrietate, temperantia, ieiunio, vigilia, caſtitate, pudicitia à dextris, cum ſuauitate, patientia, mititate, bonitate, & ſimilibus, à ſiniſtris. Atque hoc eſt, quod dicit: *Induimini Dominum Ieſum Chriſtum*, id eſt (vt Epheſ. 4.) nouum hominem, vt ſicut imaginem portauimus terreni, ita imaginem portemus & cœleſtis. Induere enim Chriſtum, aliud non eſt, quam imagini eius & exemplo confirmari, ſicut dicit clare Ephe. 4. *Epheſ. 4.* Deponite ſecundum priſtinam conuerſationem veterem hominem, qui corrumpitur ſecundum deſideria erroris. Renouamini autem ſpiritu mentis veſtræ & induite nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus, in iuſticia & ſanctitate veritatis &c.

Vita Chriſtianorum.

Sic vt in die honeſte ambulemus. Talis eſſe debet Chriſtianorum vita, vt quicquid fecerint, dixerint, cogitauerint, ita ſe gerant, ac ſi in aperto die coram omnibus hominibus viderentur, Nam ita ſunt coram Deo, & erunt in extremo iudicio. Ita Chriſtus Iohan. 3. Omnis qui male agit, odit lucem, & *Iohan. 3.* non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius. Qui autem facit veritatem, venit ad lucē vt manifeſtentur opera eius, quia in Deo ſunt facta. Sic Epheſ. 5. *Ephe. 5.* Vt filij lucis ambulate, Fructus enim lucis eſt in omni bonitate & iuſticia & veritate. Qui ergo ſic viuit, vt nollet idipſum in die videri, inhoneſte viuit, nec ſicut in die, ſed ſicut in nocte, quæ eſt inuerecunda, & (vt dicitur) nulli amica, rurſum nulli facinori non idonea. Nec obtinet ille conſcientiam illam, de qua Paulus 2. Corint. 1. gloriatur. Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſci- *2. Cor. 1.* entiæ noſtræ, quod in ſimplicitate cordis & ſynceritate Dei, & non in ſapientia carnali conuerſati ſumus in mundo. Et Rom. 12. Prouidentes bona non *Roma. 12.* tantum coram Deo, ſed & coram omnibus hominibus.

De ſomno peccati ſurgere.

Hieronymi dictum.

Ordinem quoq; pulcherrimum vide, qui de ſomno iſto peccati vult ſurgere, & opera tenebrarum abijcere, incipiat a crapula & ebrietate, Nam qui his malis tenetur, à cubilibus & impudicitijs nunquam tutus erit. Nunquam (inquit Hieronymus) ebrioſum ego caſtum putabo, Qui ventrem non caſtigat, nec ea quæ ventris ſunt caſtigare poterit, Quare primo vincendum eſt malum proprium (id eſt concupiſcentia) deinde alienum (id eſt aduerſitas) ſcilicet contentio & æmulatio. Vincitur ergo concupiſcentia per contraria eorum, quibus alitur & confortatur, Quatuor enim pedes habet hæc Beſtia, & quatuor elementa, crapulam, ebrietatem, cubile, impudicitiam, quibus ſubtractis abijcitur. Crapula & ebrietas notæ ſunt, quarum altera cibi,

Crapula.
Ebrietas.

altera potus eſt abundantia, de quibus multi, multa mala, ſed & Ezech. 16. *Ezech. 16.* Peccatum Zodomorum radices has habuiſſe ſcribitur. Hæc (inquit) erat iniquitas ſororis tuæ Zodomæ, otium & abundantia & ſaturitas panis. Ad has mox ſequuntur Cubilia (id eſt pigritia) otium & ſomnolentia, perditio ſcilicet temporis.

Cubilia.

Indiget enim ſomno & otio multo crapuloſus, Ad ſegnitiem autem & otium, ſtatim adeſt laſciuia, titillatio & pruritus libidinis, totuſque concupiſcentiæ in carne exercitus. Et ſic regnat concupiſcentia carnis in operibus tenebrarum & ſomno peccati, Quare arma his contraria ſunt, temperantia, ieiunia, fames, ſitis, Contra cubilia vero opus, labor, negotia, vigiliæ, orationes, meditationes verbi Dei, memoria paſſionis Chriſti & Sanctorum,

quibus

quibus armis expelluntur male cogitationes, impudici geſtus, aſpectus, verba & reliqua, quæ hic per impudicitias ſeu laſciuias ſeu obſcœnitates (Sic enim Græce ſonat) intelligit, de his omnibus, multa in ſacris literis, & aliorū libris.

Notandum vero, quod Apoſtolus non docet ea, quæ nunc paſſim ſuperſtitioſe docentur, vel pro quæſtu vel pro ſtulto zelo. Non hic docet, certos dies Sanctorum, pro iſta vel iſta cauſa ieiunare, ſed ſimpliciter, pro operibus tenebrarum repellendis, non vno aut altero die, ſed continue, temperandum à commeſſationibus & ebrietatibus, cum illi nihil minus ſuis ieiunijs quærant, quam vt operibus tenebrarum reſiſtant, quin per alios dies perditiſſime ac profuſiſſime crapulantur, ſuis tantum dieculis ſeruatis. Nec eos probat Apoſtolus, qui nimia fame vim faciant corpori aliquot diebus, rurſum in cæteris diſſolutiſſimi, perpetuam famem, perpetuam ſitim, perpetuam abſtinentiam à crapula & ebrietate docet, ſic & Chriſtus Luc. 12. Attendite ne grauentur corda veſtra crapula & ebrietate, & veniat ſuper vos repentina dies illa. Ecce grauari cor dicit crapula & ebrietate. *Cor grauatur crapula & ebrietate.*

Alterum malum ſcilicet iræ ſeu odij nutritur contentione & æmulatione. Contendere quid ſit, notum eſt, tamen pro rudioribus, exemplis potius demonſtremus vtrunq;. Contendunt qui litigant ſuper re quapiā obtinenda, defendendaue, & proprie verbis agitur. Verba enim inter homines maxime valent ſeu linguæ, vt quidam ſenſit, in vtramq; partem. Aemulatio vero etſi inuidiam ſæpius ſignificat, hic tamen mihi inter contentioſos illud ſtudium eſſe videtur, quo alter pari par referre, retaliare malum, imo augere nititur, neuter alteri ceſſiſſe videatur in nocendo, ſicut maledictum maledicto, conuitium conuitio, contumelia contumelia, vel æquatur vel ſuperatur. Hæc ergo opera tenebrarum nos cotidie impetunt, quare armis lucis induti ea abijciamus, vt patientes, mites, beneuoli ſimus, cedentes ſenſui noſtro, benedicentes maledicentibus, benefacientes malefacientibus, ac ſic in bono vincamus malum, fortiora arma lucis eſſe monſtrantes, quam ſint opera tenebrarum, nos tentantia. *Contentio.* *Aemulatio.*

Et carnis curam ne feceritis in deſiderijs. Hic Apoſtolus immodicam quorundam taxat ſeueritatem in corpus ſuum, rurſus nimis largam indulgentiam aliorum, atq; omnino menſuram ponit carnis macerandæ. Curanda eſt caro noſtra, victu & amictu, vt viuere & operari poſſit, ne deſtructa per nimiam caſtigationem, ægrotet & inutilis fiat ad opera, verum ſic curanda, vt deſiderijs ſeu concupiſcentijs eius non obſecundetur, ſic premenda vt ſeruiat, ſi ei indulgendum, vt ſubſiſtat, vnde Apoſtolus, Ego caſtigo corpus meum & in ſeruitutem redigo, Non ait, in morbum aut mortem redigo, ſed in ſeruitutem, Et Eccleſ. 33. Onus, cibus & virga aſino, panis & diſciplina & opus ſeruo. *Apoſtolus ponit menſuram caſtigandæ carnis.* *1. Corinth. 9.* *Eccleſ. 33.*

Quod autem hæc Epiſtola in Aduentu legitur, cauſa fuit, quod hæc dici ad eos putarint, qui nondum boni ſunt, ducti forte & hoc verbo. Nunc propior eſt noſtra ſalus, quod ipſis aduentum ſignificare videtur, cum aduenisse & præſentem eſſe ſalutem ſignificet. Nox enim inquit peracta eſt, & dies appropinquauit, id eſt, acceſſit ſeu nunc adeſt, in quo honeſte ambulemus, ſicut homines alij in ſuo temporali die honeſte ambulant, omninoq; de præterito & præſenti loquitur Paulus. *Poteſt autem ad futura ſic aptari, quod ſalus quam nunc aduenisse ac præſentem eſſe dicit, adhuc in futuro conſummanda eſt, in aduentu ſecundo.* Deinde quia olim promiſſa & credita eſt nunc exhibita & incepta, ideo memoria illius promiſſionis & tunc futuræ ſalutis agitur, vt ſic medij inter vtrunque aduentum, & miſeri-

miſericordiam Dei laudemus olim promittentis, & veritatem eius prædicemus promiſſam implentis & conſummaturi. Hoc enim tempus eſt, vbi miſericordia promittentis & veritas implentis obuiant, ſibi, vt Pſalm. 85. dicitur. *Pſalm. 85.*
Et ita hoc præſens tempus, tam futurum quam præteritum comprehendat. Atq; hæc ſit ratio, qua legatur in Aduentu hæc Epiſtola.

EVANGELIVM DOMINICAE
primæ Aduentus Domini, Matth. 21.

CVm appropinquaſſent Hieroſolymis, & veniſſent Betphage ad montem Oliueti, Tunc Ieſus miſit duos diſcipulos dicens eis, Ite in Caſtellum, quod eſt contra vos, & ſtatim inuenietis Aſinam alligatam, & pullum cum ea, ſoluite & adducite mihi. Et ſi quis vobis aliquid dixerit, dicite, Quia Dominus his opus habet, & confeſtim dimittet eos. Hoc autem factum eſt, vt adimpleretur, quod dictum eſt per Prophetam, dicentem: Dicite filiæ Zion, Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus, ſedens ſuper aſinam, & pullum filium ſubiugalis.

Euntes autem diſcipuli, fecerunt ſicut præcepit illis Ieſus, Et adduxerunt aſinam & pullum, & impoſuerunt ſuper eos veſtimenta ſua, & eum deſuper ſedere fecerunt. Plurima autem turba ſtrauerunt veſtimenta ſua in via. Alij autem cædebant ramos de arboribus & ſternebant in via. Turbæ autem, quæ præcedebant, & quæ ſequebantur, clamabant dicentes, Hoſanna filio Dauid, Benedictus qui venit in nomine Domini.

IN Euangelijs enarrandis, alia opera opus eſt, quam in Epiſtolis Pauli. Siquidem Euangelia primo conferenda ſunt, & quid ſinguli Euangeliſtæ in eadem re, dicant vel taceant, obſeruandum.

Marcus, Lucas, Iohannes, ſolius pulli meminerunt, & ſuper eum ſediſſe Chriſtum, cum ante nullus adhuc ſuper eum ſederit hominum, vt Marcus & Lucas dicunt. Quare aliqui conati ſunt vtrumq́ue tueri, dicentes, Chriſtum primo ſediſſe ſuper pullum, deinde quia indomitus fuerit, ſuper aſinam poſitum. Mirum autem, ſi aſellus, animal melancholicum etiam indomitus fuerit, & impatiens ſeſſoris, velut equus indomitus.

Poteſt rectius dici, non ſuper aſinam, ſed ſuper pullum tantum ſediſſe, & tamen ita deſcribit, velut ſuper eos ambos, In plurali numero ſederit, quod aſina ſimul affuerit cum pullo, tropo Scripturæ eodem quo Matthæus dicit, Latrones in Cruce Chriſtum blaſphemaſſe, cum Lucas vnum eorum id feciſſe ſcribat. *Lucæ 23.* Nec enim eſt vlla fere figura in ſacris literis celebrior, neq́ue fœcundior, quam Synecdoche, quæ eſt, quando totum pro parte, & è diuerſo accipitur, Sic idem & vnus populus arguitur in Prophetis, cum multi ſint inter eos boni. Rurſus laudatur, cum multi ſint inter eos mali. *Et pulcherrima charitatis ea eſt figura, quæ communia facit omnia bona, rurſum communia & mala, vt alter alterius onera portet, & ſic impleat legem Chriſti.*

Synecdoche celebris in Scriptura.

Ita &

Ita & hic ſuper aſinam ſediſſe ſcribitur, quando ſuper pullum eius filium ſedit, quod Aſina & pullus, velut aliquod totum, repræſentabant, totum populum Dei. In quo multi ſunt, ſuper quos non ſedet Chriſtus, & tamen ſuper omnes regere recte dicitur. Sic ciuitas, vel regio vel domus feciſſe, aut paſſa dicitur, quod aliquod in ea fecerunt aut paſſi ſunt. Adeo vulgatus eſt iſte tropus, Deniq́ue eadem figura dicimur iuſti, quod incepimus iuſtificari, vt Ro-

Rom. 8. & 7. ma. 8. Si Chriſtus in vobis eſt, corpus quidem mortuum eſt, propter peccatum, ſpiritus vero viuit propter iuſtificationem. Et 7. Mente ſeruio legi Dei, carne autem legi peccati.

Sediſſe autem ſuper pullum tantum & myſterio conuenit, Nam in hoc Gratiæ & Legis vim pulchre oſtendit. Lex enim (vt Apoſtolus ait) nunquam potuit iuſtificare, Quod vt intelligamus, Sciendum, Quod omnibus legibus, tam diuinis quam humanis, nihil effici poteſt, niſi quod homo externe, vel minis coactus, vel præmio allectus, opera faciat. Voluntatem vero ſpontaneam, quæ nec timore pœnarum nec amore præmiorum, legem ſeruet, nemo poteſt facere, niſi gratia Dei. Atq́ue vt dicitur vulgato & veriſſimo prouerbio, Cogitationes ſunt à vectigalibus liberæ. Ita voluntas nulla lege poteſt fieri vel induci, vt faciat voluntarie legem, quantumlibet foris operari cogatur, Imo ſemper eſt inuita & odientiſſima legis. Ita fit, vt aſina quidem ſit ſubiugalis (id eſt homo externe prematur multis operibus legum coactus vel illectus) pullum vero nullus hominum inſederit, niſi Chriſtus (id eſt ſpiritum ſeu voluntatem non niſi gratia reddat promptam.)

Ita ſub Chriſto ſolo viuimus & incedimus, liberi, voluntarij, gratuito legis obſeruatores, nec timentes pœnam, nec amantes mercedem. Ad quem *Verbum Euangelij.* per verbum Euangelij, quod eſt verbum gratiæ & remiſſionis peccatorum, miniſterio & exemplo Apoſtolorum & Prædicatorum perducimur [& paramur. Ante quorum miniſterium, non niſi ſub Dominis ligati ſtamus (Id eſt, *Magiſtri legum.* ſub magiſtris legum) quibus minantibus, facimus foris opera, inuiti intus, Proinde Chriſtus iam ſedet ſuper voluntatem noſtram, quæ per gratiam eius, hilariter eum portat, libenter obedit, gratuitoq́ue ſeruit. Aſina vero noſtra, iam libera ab operibus legis, ſequitur pullum Chriſti vectorem, id eſt, exterior **homo ducitur ad obedientiam voluntatis interioris, dum Spiritu facta carnis mortificamus, quæ per legem potius abundabant & præualebant. Verum de hac differentia legis & gratiæ aliàs plura.**

Atq́ue hoc eſt, quod Marcus, pullum inuentum dicit foris ſtantem in biuio, vt oſtendat, hominem qui ligatus quidem ſit lege, ſed tamen foris in biuio, non obtemperantem legi, adhuc tamen alligatum, necdum ſeparatum, ſeu publica Euangelij voce adductum, quod Apoſtoli poſtea impleuerunt prædicando Euangelium, tunc enim ſoluerunt & adduxerunt omnes, quotquot ex Iudæis hoc pullo ſignificati fuerunt ab æterno.

Verum quod Marcus & Lucas dicunt, eos qui illic ſteterunt dominos, quorum erat pullus, dixiſſe, Quid facitis ſoluentes pullum? Et Apoſtolos reſpondiſſe, iuxta verbum Chriſti: *Dominus his opus habet*, ſignificat grauiſſimam illam Iudæorum perſecutionem, qua Apoſtolis reſtiterunt, ne *Iudæorum perſecutio, qua Apoſtolis reſtiterunt.* verbo Euangelij prædicato, Iudæos ad Chriſtum adducerent, quia ſeſe volebant videri Dominos & Rectores ac Magiſtros populi totius. Quo verbo ſimul inſtruxit Apoſtolos, & omnes verbi Doctores, fore ſcilicet, vt veritatem prædicantibus & homines ad Chriſtum adducentibus, fortiter ab impijs reſiſteretur.

Sed rurſus,ne terrerentur robuſtiſſimis eos firmat rationibus. Primum quod contemptim appellat Ciuitatem maximam, non niſi caſtellum,quod contra vos eſt,nec nomen,nec ſpeciem ei relinquens. Non enim voluit dicere,Ite in iſtam Ieruſalem,ſed in Caſtellum,quod contra vos eſt, Q. d. Nolite ſpecie & nomine rerum moueri,magna ciuitas videtur,ſed caſtellum & oppidum eſt. Impoſſibile eſt enim,vt verbum Dei feliciter prædicet, qui perſonas hominum & laruas rerum conſiderat, Terrebitur enim magnitudine & multitudine ſpecierum & nominum titulorum & dignitatum & poteſtatum. Hæc omnia aufert Chriſtus ab eorum cordibus, dum Caſtellum appellat, & non attendenda verba Euangeliſtis docet. Deinde quia his pompis ſolent cæteri homines adulati & propitios ſibi quærere, Ideo Chriſtus ſuos Apoſtolos aliud docet,vt contra ſe habituros ſciant,omnem illam pompam mundi, ideo ne mirentur,ſi ſua verba magnis & multis diſpliceant.

Infeliciter verbum Dei prædicat, qui perſonas hominum conſiderat.

Secundo quod eis ignorantibus iam certificat pullum, vbi indicat omnia ſe præuidiſſe,& eos noſſe,qui credituri & adducendi eſſent,Q. d. Vos ite,& inuenietis,veſtrum modo ſit prædicare verbum, ite & docete. Porro ij,qui docendi ſunt,iam cogniti mihi ſunt, verbo veſtro ſoluentur & inuenientur,quos vos non cogitaſtis. Nolite ergo timere perſecutionem,ſi multi vos non audiant,certi ſunt,qui audituri ſunt, & verbo veſtro ſoluti ad me venturi. Itaque Apoſtolis & verbi miniſtris non eſt curandum aliud, quam vt eant, id eſt,doceant & prædicent,de ijs vero,qui audituri ſunt, Deo curam relinquant.

Tertio cum perſecutoribus vero & reſiſtentibus aliud non agendum quam dicendum, *Dominus his opus habet*, Hoc eſt, non à ſe veniſſe, nec ſuum negotium,ſed Dei officium ſe gerere, non ſibi, ſed Deo homines adducere,ſicut in Apoſtolis factum videmus. Neque enim cum eis pugnandum, ſed Deo cauſa committenda, ſoli vero verbo inſtandum, Sic Deus dat incrementum, vt veniant, qui venturi ſunt, His enim maxime roborati ſunt Apoſtoli,quod ſcirent,non ſua negotia ſe agere, vnde Dei miniſtros ſe volebant exiſtimari.

Iſta vero Proceſſione ſignificata eſt res vniuerſa & mores Eccleſiæ in Chriſto & cum Chriſto tranſeuntis ex hoc mundo ad Patrem in cœleſtem Ieruſalem,quod videamus. Primum appropinquaſſe ſcribitur Hieroſolymis,& veniſſe Bethphage ad montem Oliueti. Eſt enim Bethphage ſita in monte Oliueti,ſicut Bethania in eius latere. Et interpretari dicunt, domum oris,in quo ſignificatur Eccleſia,quæ recte domus oris dicitur, quod in ea prædicatur vinum verbum gratiæ & vox ſalutis,quæ olim inSynagoga erat muta,& loco eius litera mortua legis ſcriptæ docebatur,quæ magis per peccatum occidebat,eratque verbum mortis & peccati potius.

Venit ergo ad Bethphage,id eſt,domum vitalis prædicationis,non mortuæ ſcripturæ,quia à Chriſti aduentu cœpit Eccleſia,& abunde mittuntur diſcipuli prædicare Euangelium,& viuo ore vitæ verbum loqui. Qua appropinquatione figuratur eius aduentus primus in carnem ad homines. Eſt enim aduentus miſericordiæ & gratiæ,quæ per oliuas ſignificantur,& mons oliuarum ipſa Eccleſia Chriſti,fœcunda oleo gratiæ,vbi cætera naturæ relicta, ſunt deſerta & ſterilia. Atque ab hoc aduentu mittit Apoſtolos adducere pullum iſtum aſinæ ſubiugalis,de quo dictum eſt. Adductum autem ſternunt veſtimentis Apoſtoli, & eum deſuper ſedere faciunt,hoc eſt,quod populum Chriſto regendum & inhabitandum parant,docentes Chriſto obedire in ſalutem. Veſtimenta vero aliud non ſunt,quam opera,exempla,virtutes Apoſtolorũ, ſicut,

Lex verbum mortis & peccati.

ſicut in multis locis ſcripturæ videre licet. Vnde ſuperius in Epiſtola, Indui Chriſtum & arma lucis docuit, quod indumenta ſint optimi mores, quibus Apoſtoli & ſucceſſores, non ſibi, ſed populo ſeruire debent pro formando in eis Chriſto, Chriſtique regno.

Veſtimenta turbarum in via ſtrata, Exempla martyrum & præcipue Patriarcharum, qui præceſſerunt Chriſtum, quibus via fidelium Chriſti adornatur per prædicatores, quale facit Apoſtolus Ebræ. 11. antiquorum Patrum adducens hiſtorias Rami vero palmarum & oliuarum, verba ſunt decerpta è ſacra Scriptura, quæ plena eſt verbis gratiæ (quæ oliua ſignatur) & verbis crucis omnia vincentis (quæ in Palma monſtratur) Hoc eſt, vniuerſa doctrina Eccleſiæ eſt mortificatio peccati, & iuſtificatio ſpiritus. Palma enim fertur non cedere oneri, ſic nec paſſionis & crucis verbum, Hæc eſt oliua, cuius virentibus folijs ramum ad veſperam in ore ſuo attulit in arcam columba, Geneſ. 8. Verbum ſcilicet gratiæ & remiſſionis peccatorum.

Veſtimenta turbarum. *Rami Palmarum & oliuarum.* *Doctrina Eccleſiæ.* *Geneſ. 8.*

Turbæ autem præcedentes & ſequentes cantando & laudando, gaudia Eccleſiæ ſignificant, de miſericordia Chriſti, quo & antiqui Patres & nos omnes gaudemus in Chriſto, laudantes & benedicentes Patrem miſericordiarum in Excelſis. Atq; ita patet, quod omnes alij officia miniſtrantium vel prædicantium ſignificant, Solus aſinus vnitate ſua populum nouum Chriſti repræſentat, quo vehitur in cœlum. Vnitas enim commendata eſt, in aſello vno, deinde & ſimplicitas & robur in fide ſimiliaque cætera. Quibus omnibus apparet eundem eſſe ſenſum, & Epiſtolæ & Euangelij, vterque enim proponit, nos eſſe in via inter primum & ſecundum aduentum, vbi agitur, vt honeſte ambulemus, induentes & portantes Chriſtum abiectis operibus tenebrarum, &c.

Hæc de myſterijs, ad Hiſtoriam reuertamur, in qua deſcribitur Chriſtus rex filiæ Zion, non in maieſtate, nec pompa mundana, nec in poteſtate, more aliorum mundi Regum, ſed in manſuetudine veniens, idque ad impletionem Prophetiæ, quæ duo videamus.

Chriſtus in manſuetudine venit, &c.

Primum hoc notum eſt, Morem illius Prouinciæ eſſe aſinis vehi, ſicut apud nos equis. ita enim & rex Dauid & Salomon, Baalam, & alij aſinis ſediſſe ſcribuntur Equorum autem vſum ad bellum valuiſſe, In Scripturis apparet, ſic Iudic. 5. canit Dibora, Qui aſcenditis ſuper nitentes aſinas benedicite Domino, quod periphraſticos dicitur, pro eo quod eſt, vos nobiles equeſtris ordinis viri, magnates, principes, qui regitis populos, horum eſt enim pulchrioribus aſinis vehi, ſic & eiuſdem 10. Iair habuit triginta filios, aſcendentes ſuper triginta pullos aſinarum, & principes triginta ciuitatum. Ideo & Chriſtus pullo aſinæ, ſed, (vt volunt) mercenario vehitur, quia (vt dicit Euangeliſta) pauper fuit.

Dibora, Iudic. 5.

Comparandus eſt iſte introitus Chriſti, cum aduentu legis in monte Sinai, tanquam ſuo extreme contrario. Lex enim (vt ſcribitur Exod. 19.) data eſt terribiliſſima ſpecie. Totus (inquit) Sinai mons fumabat, eo quod deſcendiſſet Dominus Deus ſuper eum in igne, & aſcenderet fumus ex eo, quaſi ex fornace. Eratque omnis mons terribilis, & ſonitus buccinæ creſcebat paulatim in maius & prolixius tendebatur. *His terroribus ſignificatum eſt, quid faciat Lex, nempe quod iram operatur, terret conſcientiam, omnes ſub peccato concluait, reoſq; facit, quia per legem (inquit) cognitio peccati.* Per legem enim cognoſcimus, quam miſeri ſimus, quam mali, quam perditi, quid meriti, ſcilicet mortem & infernum, Et cum ſic nos confundat, non tamen confert vim, qua faciamus quod ipſa exigit, tantummodo peccatores & damna-

Lex data terribili ſpecie, Exod. 19. *Effectus legis.*

biles conuincit & oſtendit, iramque intentat. Quia quo magis quiſpiam nititur facere quæ legis ſunt, viribus proprijs, eo peius ruit, niſi prius ſanetur. Hanc conſcientiam ſentit quilibet, qui in ſe deſcendens ſuam vitam conſiderat, faciuntque eum ſua peccata coram Deo pauidum & fugitiuum, ſicut Exo. 20. Iudæis contigit.

Ad hoc ergo malum tollendum, ad ſatisfaciendum legi, ad quietandam infelicem conſcientiam, ad peccata remouenda, nunc inducitur Chriſtus veniens in manſuetudine, non ſicut Lex vrgens & exigens, ſed omnibus ignoſcens & tribuens, etiam ſeipſum. Non veni (inquit) ſoluere Legem, ſed adimplere, modo efficiamur pullus aſinæ, & iumentum eius, portantes eum in fide firma, ac bonis operibus induentes. Qui ergo Chriſtum habet, legi ſatisfecit, nec amplius trepidat eius conſcientia, ſi autem trepidat, non habet Chriſtum. Habere autem Chriſtum & indui, eſt in ipſum credere. Quale credere? Eſſe ſcilicet eum manſuetum & ſaluatorem, peccati remiſſorem, gratiæ largitorem. Qui alium eum cogitat non Chriſtum cogitat. Qui vero talem ſibi fore credit, vere talem eum habet. Et qui Chriſtum ſaluatorem habet, peccatorum remiſſorem, quomodo poteſt eius conſcientia pauida eſſe, aut non iucundari? Quæ Lex poteſt eum contriſtare, cum Chriſtus pro eo reſpondeat? Hunc ſuum ſuauiſſimum aduentum non intelligi à Iudæis plorabat, quando ſuper Ieruſalem hodie fleuit, referente Luca, dicens, Quia ſi & tu cognouiſſes in hoc die tuo, quæ ad pacem tibi, ſcilicet eſſent, *id eſt, ſi ſcires, quare venirem, quid afferrem, nempe pacem & remiſſionem peccatorum, & abſolutionem à lege exactrice.* Nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis. O quam multis vſque hodie abſcondita ſunt ea, quæ ad pacem cordis faciunt, qui Chriſtum ignorantes, non fide illius, ſed ſuis operibus ſatisfacere & ſeſe pacificare præſumunt, cum niſi in Chriſto manſueto Rege, & peccata remittente, non ſit pax.

Chriſtus fleuit ſuper Ieruſalem.

Atque hoc eſt, quod Euangeliſta monet, id prædicandum eſſe. *Dicite* (inquit) *filiæ Zion, Ecce rex tuus venit tibi manſuetus*, Q. d. Ecce tibi ad pacem, ad ſalutem, ad lætitiam cordis, quod quia non credunt, dicendum & prædicandum prædicit. Quicunque crediderit talem eum venire, talem eum habebit. O prædicatio rara & hodie extincta penitus. Singula verba pondera. *Ecce*, aduerbium gaudentis & exhortantis, ac velut rem diu & anxie expectatam monſtrantis. *Rex tuus*, qui deiecto tyranno conſcientiæ, qui eſt lex, teget te in pace & ſuauiter, donata tibi peccatorum remiſſione & virtute ad faciendam legem. *Tuus*, tibi promiſſus, à te expectatus, quem peccatis preſſa vocabas & ſuſpirabas. *Venit*, ſponte, gratuito, libenti charitate, nec enim tu adduxiſti eum, nec tu in cœlum aſcendiſti, nec meruiſti, ſed ipſe ſua deſerens, te quærens, venit ad te indignam, immeritam, imo lege regnante, & peccatis per eam auctis, longe peiora meritam. *Tibi*, ſcilicet, in omnem vſum quo indiges, tua quæſiturus venit, tibi ſolum ſeruire, tibi benefacere non ſibi venit, non à te ſua quæret, ſicut Lex fecit, quia non habes, quod Lex quærebat, ideo venit tibi, ſua daturus, nihil à te poſtulaturus, niſi vt ſinas peccata tua tolli & te ſaluari.

Ecce rex tuus.

Tuus.

Venit.

Tibi.

Manſuetus, non turbulentus, ſicut mons Sinai, placidus, mitis, non minans, nec pœnam infligens, non vleiſcens offenſam Legis, quod vt credas, *ſedet ſuper pullum aſinæ*, vulgare, mercenarium, animal ſcilicet ſimplex, innoxium, tantum ad ſeruiendum idoneum, vt ſpecie talis aduentus illiciaris, intelligens eum tibi innoxium, tantum ſeruiendi affectu venire, nullum in eo

Manſuetus.

in eo terroris ſignum, ſicut non tonat, non fumat, non fulgurat, vt olim Sinai, quia iuuare, dare, ſaluare, conſolari, pacificare, non terrere, pauefacere, fugare, confundere venit. Itaque qualis apparet in inceſſu, talis eſt & in corde, non potuit ſimplicius incedere, quam ſedens in pullum, quem nemo inſedit, abſtinens etiam à tumultu quadrigarum, Viam veſtimentis ſterni faciens, denique populis ſtipatus, non armis, ſed iubilis & laudibus geſtientibus, ne aliquid deſit, quod manſuetudinem & lenitatem oſtendat.

Hanc lætitiam & iucunditatem aduentus Propheta clarius expreſſit, quam Euangeliſta dicens, Zacha. 9. *Exulta ſatis filia Zion, iubila filia Ieruſalem, Ecce Rex tuus venit tibi iuſtus & ſaluator, ipſe pauper, & aſcendens ſuper aſinam & ſuper pullum filium aſinæ.* Dum enim exhortatur ad gaudium & iubilum, ſatis commendat gratioſiſſimum & ſuauiſſimum peccatoribus, lege dominante preſſis, aduentum Regis huius eſſe, quod & illo ſignificari voluiſſe videtur, quod à monte oliuarum eundem apparauit, quaſi à magnitudine miſericordiæ & pacis.

Euangeliſta ponit ſolummodo, manſuetus, omittens iuſtum & ſaluatorem. Et ſane Ebræis vicinum eſt vocabulum pauper cum manſueto ſeu miti, volunt'q; pauperem eum ſignificari, qui animo pauper, humilis, laborioſus, occupatus ſit ac depreſſus, quo nomine ſingulariter in Scripturis, vocantur fideles Chriſti, *Nam is demum vere mitis eſt ſane & manſuetus, qui aliorum malis pia occupatione affectus, non ſecus ac ſi ſua eſſent, eorum miſeretur*, Talem pauperem & afflictum pro nobis, id eſt, veriſſime manſuetum Euangeliſta Chriſtum facit, vt qui veniat non niſi noſtris malis laborans, paratus nos iuuare, eo affectu manſuetiſſimo. Proinde etſi non eadem verba Euangeliſta reponit, vno tamen verbo omnibus tribus ſatisfacit, dum talem inducit, qui pro manſuetudine non ſolum nõ quærat aut exigat vltionem aut legis plenitudinem, Verum vltro compaſſus ijs, qui lege imperante, peccatis auctis vexabantur, humili & dulci corde venit, ſcilicet daturus, quibus indigent, id eſt, gratiam & miſericordiam Nam quod Propheta dicit, Iuſtus, intelligitur non vt vulgo, qui iuſticia ſua peccatores iudicet, Sed vt Roma. 3. Iuſtus iuſtificans, Tibi (inquit) venit iuſtus, vt te iuſtificet, quæ per legem rea facta es, vnde & antiqua translatio, pro iuſtus habet, ſanctus, ſcilicet qui ſanctificet, vnguento gratiæ ſuæ, quaſi ſanctus, Chriſtum, id eſt, vnctum, & ſaluator, Ieſum indicet, proprio nomine. Ideo autem iuſtificabit & ſaluabit, quia pauper eſt, tui miſerens, mala tua indigne ferens, ſalutem tuam ſitiens, Hic eſt manſuetus.

Mitis & manſuetus vere.

Iuſtus.

Atque ex his videmus, quam prope ſit ſalus, quam præſens, quam grandis, Nam hæc Proceſſio & Aduentus durat vſq; ad finem mundi, Væ nobis, ſi & nos ignorarimus hæc, quæ ad pacem noſtram ſunt in hac die, quæ eſt temporis viſitationis noſtræ, in tanta miſericordia. Ambulemus ergo honeſte in hoc die, in hac via.

Voluit autem Euangeliſta, teſtimonium Prophetæ inducere ad maiorem gratiæ commendationem, ſicut decebat gratiæ Prædicatorem, vt oſtenderet, non noſtris meritis Chriſtum veniſſe, ſed pro veritate Dei (vt Rom. 15. Apoſtolus dicit) ad firmandas promiſſiones patrum, quas vtique non niſi gratuita miſericordia donarat, (vt Galat. 3.) Apoſtolus dicit: Abrahæ per Promiſſionem donauit Deus. Non ergo noſtram dignitatem, ſed ſuam miſericordiam & veritatem commendat, qui tanto tempore, *ante nos promittere dignatus eſt gratis, & nunc dare, non quia digni nos, ſed quia verax ille.*

Roma. 15.

Galat. 3.

Oſanna filio Dauid. Illud vltimo videndum, Quod turbæ cantabant, Oſanna filio Dauid &c. quod ſumptum eſt ex Pſalmo 118. vbi ſic legitur, O Domine ſaluum fac, *Pſal. 118.* O Domine bene proſperare, benedictus qui venit in nomine Domini, quod Ebre. ſic dicitur, Ana Adonai hoſchia na Ana Adonai ha zeliach na, Baruch habba beſchem Adonai. Vbi iterum cernitur, quod Euangeliſta omnia non poſuit, forte quod turbæ nec omnia dixerunt, quin addiderunt, Filio Dauid, quod in Pſalm non eſt, quia hunc verſum aptauerunt Chriſto filio Dauid, de eius ſemine ſciebant futurum Regem Meſſiam. *Hoſchia na.* Eſt autem Ebraice, Hoſchia na, duæ dictiones, quas nos in vnam conſregimus, Oſanna, ſignificat hoſchia na, ſalua obſecro, ſeu fac ſalutem, eſto Saluator, abſoluto ſtatu, ſine regimine, Ideo ipſi addunt datiuum, filio Dauid. Vt ſit ſenſus, *O Domine fac obſecro, vt ſit ſaluus huic filio Dauid regi noſtro, fac vt bene procedat Regnum eius, & proſpere agat.* Eſt enim quædam acclamatio & proſperitatis imprecatio, pro nouo Regno Chriſti, quod & ſequentia indicant. Benedictus qui venit in nomine Domini. Hunc ſenſum Marcus iuuat dicens, Clamabant dicentes, Oſanna, benedictum, quod venit regnum patris noſtri Dauid, Oſanna in excelſis.

Vnde & nos quotidie clamamus in Miſſa. Oſanna in excelſis, precantes, vt Eccleſiam Chriſtus in hoc die & tranſitu ſalubriter & proſpere regat & ducat. Et vna debet eſſe omnium Prædicatorum in Eccleſia vox, & votum & ſtudium, vt Chriſtus proſpere procedat & regnet, Diabolus cum operibus tenebrarum male habeat, Hoc enim figuratum eſt, iſtius turbæ obſequio & clamore. AMEN.

EPISTOLA DOMINICAE
ſecundæ Aduentus, Roma. 15.

FRatres. Quæcunque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, vt per patientiam & conſolationem Scripturarum ſpem habeamus. Deus autem patientię & ſolatij det vobis idipſum ſapere in alterutrum ſecundum Ieſum Chriſtũ, vt vnanimes vno ore honorificetis Deum & Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti. Propter quod ſuſcipite inuicem ſicut & Chriſtus ſuſcepit vos in honorem Dei. Dico enim Chriſtum Ieſum miniſtrum fuiſſe circumciſionis, propter veritatem Dei ad confirmandas promiſsiones Patrum. Gentes autem honorare ſuper miſericordia Deum, ſicut ſcriptum eſt, Propterea confitebor tibi in gentibus Domine, & nomini tuo cantabo. Et iterum dicit: Lætamini gentes cum plebe eius. Et iterum, Laudate Dominum omnes Gentes & magnificate eum omnes populi. Et rurſus Iſaias ait, Erit radix Ieſſe, & qui exurget regere Gentes, in eum Gentes ſperabunt. Deus autem ſpei repleat vos omni gaudio & pace in credendo, vt abundetis in ſpe & virtutem Spiritus ſancti.

PErſpi-

PErſpicuum eſt, hanc Epiſtolam ideò in Aduentu legi inſtitutam, quod toties in ea de ſpe Apoſtolus loquitur, quam habemus in Chriſtum futurum ſaluatorem; Atque ita de ſecundo aduentu Chriſti, hac Dominica agi; quem & Euangelium tractat, vt videbimus. Iis enim qui Chriſtum primo Aduentu exceperunt, induerunt & quotidie portant in fide & bonis operibus, multa obtingunt aduerſa, quibus è mundo expelluntur, ſicut olim filij Iſrael ex Aegypto expellebantur. Quare omnium vita eſt aliud nihil, quam ſpes in Redemptorem Chriſtum, qui eos educat ex hac vita in regnum Patris ſui in cœlis liberatos ab omnibus malis.

Pro intellectu Epiſtolæ, ſciendum, Quod Romani, ad quos ſcripſit Paulus, erant partim ex Gentibus, partim ex Iudæis ad Chriſtum conuerſi. Erant enim Iudæi in omnem terram diſperſi, & Romæ quàm plurimi, vt Actor. 17. legitur. Inſtitutis autem in fide & bonis moribus adiungit in fine Epiſtolæ præcepta, quibus eos in concordia ſpiritus confirmet, tollens cauſas, quæ concordiam eorum in fide & moribus poſſint tollere, quarum ſunt duæ, Prior, quod Iudæi ex vſu legis & inolita conſcientia infirmiores, non poterant veſci carnibus in lege prohibitis, & nec omnes ceremonias & ritus legis, tam ſubitò omittere, licet eſſent iam non neceſſariæ.

Romani partim ex Gentibus partim ex Iudæis ad Chriſtum conuerſi.

Hos docet, à gentibus tolerandos pro tempore, nec propter cibum ſoluendam fidem & Chriſtianos mores, idem faciendum, ſi gentilis vel Iudæus aliquis horreret edere cibos idolis immolatos (vt tunc mos erat) timens ſe peccare & idolatris conſentire, cum tamen liceret quodlibet genus ciborum edere, nihilque eſſet immundum ijs, qui in Chriſtum crediſſent. Hoc cum firmiores ſcirent, deſpiciebant puſillos illos & liberè omnia edebant (ſicut ſciebant licere) Quo facto puſilli offenſi, nec audebant omittere, nec committere, vtrobique conſcientia vexati, Si enim ſequerentur firmiores cum eis edendo, iam contra conſcientiam faciebant infirmam, quæ dictabat non edendum, Si omitterent quod videbant alios facere, iam quaſi non eſſent Chriſtiani formidabant, quia non facerent, quod alij Chriſtiani. Hos tolerandos docet & coram eis abſtinendum etiam à licitis illis cibis, donec vſu & ipſi firmati ſcirent licere &c.

Tales ſunt hodie quàm plurimi, qui cum videant cæteros, per Indulta Pontificum, butyrum, lac, oua comedere, diebus, quibus hucuſque per Canones non licuit, Deinde multa alia quoque facere, quæ hucuſque prohibita & illicita fuerunt, magno ſcandalo vexantur, iudicantes ſecundum inueteratam conſcientiam nullo modo iſta licere, Ita & illi, qui operibus ceremonialibus aſſueti, audiunt præferri opera charitatis, & pro charitate, omittendas ſuas precuias & electas à ſe actinnculas aut humanitus ſtatutas, ita confunduntur, vt neſciant, vbi bene aut male faciant, nec auſi ſua deſerere, nec illa ſequi, culpa eorum non eſt, ſed Pontificum & Sacerdotum, qui tantum ceremonialia docentes, corda eorum occupant humanis ſuis Decretis, vt poſtea diuina Præcepta capere nequeant.

Hi omnes rectiora docendi ſunt, tolerandi tamen, in ſuis Ritibus, nec præcipitio à ſolitis ſuis opuſculis præſcindendi, donec paulatim & ipſi diſcernere poſſint, inter opera Dei & hominum, inter præcepta Dei & hominum, ne fidei & morum Chriſtianiſſimi communis hac violentia ſcindatur concordia, præſertim cum corporalia ſint, ſuper quibus ita offenduntur & mere humana, potentia ſuo tempore mutari, fides autem & mores Chriſtiani, ſpiritualia ſunt & res Dei, quare minora toleranda ſunt propter maiora ſeruanda.

Altera cauſa diſcordiæ, quod in populo Dei neceſſe ſit aliquos relinqui infirmos alterius generis, ſcilicet peccatores. Hi ſunt, quos nunc vulgo vocamus, paſſionatos, difficiles, moroſos, ſuperbos, capitoſos, aut quouis alio vitio incommodos, aut ſi etiam in peccatum aliquod lapſi ſunt, cum alias vocentur boni homines, & per ſua interualla ſatis bene habeant. Cum his enim moleſtiſſimum eſt vitam agere, & tamen agere oportet. De his loquitur in hac Epiſtola Paulus, docens non fugiendos, non relinquendos, nec propter eos ſoluendam concordiam Chriſtianæ Fidei & conuerſationis, cum ideo relicti ſint, vt charitas aliorum habeat, in quibus ſeſe exerceat. Nam qui hos ferre nolunt, autores fiunt ſchiſmatum, hæreſium, diſſenſionum & multorum malorum, cauſantes ſcilicet impudenter, culpam eſſe illorum infirmorum, cum ſit ipſorum potius, qui magis infirmi probantur, quod infirmos tolerare non poſſunt. Vnde Beatus Auguſtinus, Galat. 6. *Nihil ita probat virum ſpiritualem, quam peccati alieni tractatio, cum liberationem eius, potius quam ſubſannationem, potiusq́ auxilia, quam conuitia meditatur.*

Auguſtini dictũ. — *Galat. 6.*

Et omnino hac Epiſtola agit Paulus, quod Galatas 6. dicit his verbis, Fratres, & ſi præoccupatus fuerit homo, in aliquo delicto, vos, qui ſpirituales eſtis, huiuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis, conſiderans te ipſum, ne & tu tenteris. Alter alterius onera portate, & ſic implebitis legem Chriſti. Onera (inquit) id eſt, difficiles mores aut etiam peccata, non commoda, quia commoda portare, eſt potius portari & inter Angelos viuere, non inter homines.

Alter alterius portate onera.

Hoc eſt, quod hac Epiſtola dicit, incipiens c. 15. Debemus autem nos firmiores, imbecillitates aliorum ſuſtinere, & non nobis placere. Vnusquiſq́; veſtrum proximo ſuo placeat in bonum ad ædificationem. Etenim Chriſtus non ſibi placuit, ſed ſicut ſcriptum eſt, Improperia improperantium tibi ceciderunt ſuper me. Quæcunque enim ſcripta ſunt &c. Quod dicit, hoc eſt, ſi nos ſumus firmi & ſpirituales nobis videmur, non debemus nos eis comparare, qui tales non ſunt, aut non videntur, nec nobis placere in defectu fratris, ſicut Phariſæus in Euangelio, de publicani defectu & omnium hominum ſibi placebat, nec debet ideo frater diſplicere, quia non poteſt nec habet, quod nos poſſumus & habemus, ſed ſuſtinere debemus hunc eius defectum in ſpiritu lenitatis, id curantes, vt nos ſic tractemus eum, quo ei placeamus in lenitate & tolerantia eiuſmodi, donec prouocatus noſtro bono, nos imitetur, & ex nobis iſto modo ædificetur. Quare id agendum eſt, non quomodo nobis placeamus & ille diſpliceat, ſed quo modo nos ei ſic placeamus, quo melior fiat.

Phariſæus, Luca 18.

Atque vt id præſtetis libentius Exempla Chriſti vedete, qui hoc modo nos tractauit, vt non inſultaret noſtris peccatis, non gloriaretur de forma Dei, nec de omnibus quæ habuit & potuit, ſed exinaniuit ſe, & id egit, quo nobis placeret ad prouocationem boni, dum noſtra peccata ſuper ſe tulit, nec reiecit aut deſeruit, tam malos & indignos. Si enim ipſe ſic feciſſet, ſicut nos proximis facimus, neminem redemiſſet. Si autem ſic facimus proximis, ſicut ipſe nobis, nullum hominem contemnemus, quantumlibet peccatorem aut difficilem.

Tunc ſequitur Epiſtola.

Quæcunq́ enim ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt.

QVia

QVia induxerat ſcripturam de Chriſto loquentem, ideo ne quis occulte obmurmuret, tanquam non ad propoſitum pertineat, pronuntiat occaſione huius vnius dicti, generalem Sententiam de vſu Scripturæ docens, quare & in quem vſum, non modo hæc vna pars, ſed vniuerſa quoque Scriptura ſcripta ſit. Non enim propter Chriſtum (qui non eguit) ſed propter nos omnia ſcripta ſunt, vt doceamur. Docendorum (inquam) hominum cauſa omnia ſcripta. Tale quid & 1. Corinth. 9. dicit, Nunquid cura eſt Deo de bobus? An propter nos hæc vtique dicit? Nam propter nos vtiq; ſcripta ſunt, ac ſi dicat, Deo non eſt cura de bobus, ſed de nobis, non quod boues non curet, qui curat omnia, ſicut hoc loco quidam torquentur, ſed quod in loquendo & ſcribendo, non de bobus curet. Quid enim loqueretur aut ſcriberet bobus? Verbum Dei in Iacob & Iſrael, ad homines ſolum mitti curatur, Ita hic, verbum de Chriſto ſcriptum, non Chriſto, ſed nobis ſcriptum eſt, ſicut & omnia alia. Quid enim ſcriberetur propter Chriſtum, qui nouit & habet omnia? Atque hæc ſcripturæ tota cauſa ſcilicet homines docendi.

1 Corint. 9.

Vſus & fructus Scripturæ.

Iam eadem generalitate Sententiæ, vſum & fructum Scripturæ pronuntiat, *Vt per patientiam* (inquit) *& conſolationem Scripturarum ſpem habeamus.* Homo enim per Scripturas doctus, non niſi crucem docetur ſeu patientiam, cum ſit vniuerſa Scriptura, non niſi verbum crucis & exhortatio ad ferendam crucem, qua exhortatione indiget, ne deficiat patientia, ſed firmetur in ſpe futuræ redemptionis. Vtrunque ergo neceſſarium eſt, patientia & Scriptura. Non enim verbum Dei tollit mala & patientiam, ſed imponit mala, & docet patientiam, in ſpe ſeruandam. Quid enim docet, niſi mortem veteris hominis, & ſpem noui reſuſcitandi? At mors hominis veteris patientiam requirit, reſuſcitatio vero noui, quia non videtur, ſpe, per verbum Scripturæ exhortantis parta expectetur.

Vniuerſa Scriptura eſt verbum crucis &c.

Verbum Dei imponit mala & docet patientiam.

Cum autem tolerantia infirmorum & conuerſatio moroſorum ſit non leuiſſima pars crucis, certe non mediocriter moleſta eſt veteri homini, qui ſibi ſemper placere ſtudet, & in alijs diſplicere, Quare per patientiam, in hac parte mortificandus eſt, & per Scripturam exhortandus, vt ſperet in ſolo Deo non in ſui placentia. Ac ſic recte generalem Scripturæ vſum, ad partem crucis huius applicauit. Cum autem Deus ſuam ſcripturam, propter nos, vt doceamur, voluerit ſcribi, Quid faciunt, qui quoduis legunt & meditantur, quam hanc Dei Scripturam? Si enim hic doctrina noſtra ſcribitur, cur alibi quæritur?

Sequitur.

Deus autem patientiæ & ſolatij, det vobis idipſum ſapere in alterutrum ſecundum Ieſum Chriſtum.

Quam diligens gratiæ Prædicator, Ne videlicet quiſquam ſuis viribus patientiam & ſolatium Scripturæ præſumat obtinere, oratione ſua indicat, hæc dona Dei eſſe humili prece impetranda. Scriptura quidem docet, ſed gratia donat, quod illa docet. *Deus* (inquit) *autor & largitor patientiæ & ſolatij, det vobis, Quia non habetis ex vobis, idipſum ſapere in alterutrum,* hoc eſt, vt vnuſquiſque ſentiat idem quod alter, hoc eſt, eiſdem afficiamini, moueamini, teneamini, eadem omnibus placeant. Quomodo? Scilicet vt infirmi ſapiant ea, quæ firmi, rurſus firmi non ſecus habeant infirmorum incommoda ac ſua propria, vt ſicut ſibi vellent fieri, ſi in loco infirmorum eſſent, ita faciant & ipſi eiſdem. Hoc enim eſt idem ſapere, non ſua quærere, ſed quæ aliorum, vt Epheſ. 5. docet, Hic enim affectus ſpiritualis, eſt ner-

Gratia donat quod Scriptura docet.

Idem ſapere.

eſt neruus totius Chriſtianæ religionis, ſine quo ſubſiſtere nequeat, quem alibi vocat, vnitatem ſpiritus, ſoliciti (inquit) ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis.

Vnde ſapere hoc loco, non vſu philoſophico, ſed Chriſtiano ſignificat affectum eſſe, ſeu (vt vulgo dicunt) habere ſentimentum, videri, opinionem, inclinationem & ſimilia, intimum ſcilicet cordis illum motum in proximum vel contra proximum. Qui vt ſit idem in omnibus, maximum Dei beneficium eſt, quod Apoſtolus adeo cognouit, vt magis optarit prece à Deo dari, quam præſumpſerit ſolo verbo apud alios doceri. Nam hic eſt ille affectus, qui Eccleſiam hodie quoq; diſſecuit, in infinitas ſectas, ſchiſmata, ſtudia, diſſenſiones, lites, deniq; bella & cædes etiam in ijs, qui ſacris præſunt, pro rebus prophaniſſimis & temporalibus, ita vt hæc Apoſtoli doctrina remotior ab eis ſit, quam ortus ab occaſu, nec enim præ iſtis tumultibus, præter vocabulum, quicquam Eccleſiæ cernitur. Tot affectus, quot corda hodie videmus, qui tamen omnes Chriſti nomine inflantur.

Quod autem dicit ſecundum Ieſum Chriſtum, exponit huius affectus mutuæ concordiæ vim ſcilicet, quod & impij idem ſapiant ſecundum carnem, mundum & diabolum. At pios vult in vnum habitare & conſentire, in his tantum, quæ ſunt Chriſti, ne vnitatis occaſione abutantur ad facienda mala, Sic enim & obſeruantiæ & dignitates pugnaces, ſibi conſpirant & idem ſapiunt, ſed ſecundum Adam, non ſecundum Chriſtum.

Sequitur.

Vt vnanimiter vno ore honorificetis Deum & Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, Hoc eſt, quia vnus eſt Deus, qui vocauit vos, eandem miſericordiam omnes conſecuti eſtis, Qui firmos vocauit, idem & infirmos, nec inter vilos diſcreuit, ita & vos, his laruis non diſtracti in diuerſos affectus, vnanimes, hanc gratiam Dei omnibus communem agnoſcentes, glorificetis Deum, Sicut non diſtinxit vocationis gratia, ita nec diſtinguere debet, firmitatis infirmitatiſue diuerſitas. *Patrem autem glorificari docet*, quod Chriſtus nos per ſeipſum ſemper ad patrem trahit, Iohan. 6. cuius voluntatem ſuauiſſimam nobis commendat, dum omnia quæ fecit, volente Patre ſe feciſſe dicit, vt per eum diſcamus in Deum confidere ſicut filij in patrem.

Chriſtus nos ad Patrem trahit.

Sequitur.

Quapropter ſuſcipite inuicem, ſicut & Chriſtus ſuſcepit vos in gloriam Dei. Concludit ſententiam, quam voluit, & ad vtroſq; infirmos refertur, de quibus dictum eſt, quod vtriq; ſunt ſuſcipiendi, tolerandi, ædificandi, ſicut Chriſtum ſuperius dixit ſuſcepiſſe nos, quando improperia improperantium Deo, (id eſt, peccata noſtra) ſuper eum cecidiſſe dixit. Sic alter alterius onera portet, & proximi malum putemus noſtrum eſſe, pro quo non ſecus agendum, atque ſi nos ipſos velimus liberare. In hoc glorificabitur Deus, Nam ſicut Chriſtus in gloriam Dei nos ſuſcepit, id eſt, non gloriatus eſt contra nos, ſicut Phariſæus, ſed vt miſericordiam Dei in nos oſtenderet, fecit nobis, quæ Pater voluit in nos fieri, ac ita miſericordia Dei in Chriſto ſuper nos magnificata & glorificata eſt, Ita & nos in gloriam Dei facimus miſericordiam, ſi Proximos propter Deum, exemplo Chriſti, foueamus, toleremus & ædificemus.

Sequitur.

Dico enim Ieſum Chriſtum miniſtrum fuiſſe circumciſionis propter veritatem Dei ad confirmandas promiſſiones Patrum, Gentes autem ſuper miſericordia honorare Deum.

Hoc dicit Paulus communem facturus Chriſtum tam Iudæis quam gentibus, licet Iudæis ſolis promiſſum, gentibus tamen etiam prædictum, velut

exponens

Digitized by Google

exponens,quod dixerat,Chriſtum ſibi non placuiſſe, ſed improperia noſtra portaſſe, ne id Iudæi ſibi tantum arriperent, Gentibus excluſis, præſertim, quando dixiſſet,Omnia quæ ſcripta ſunt ad noſtram doctrinam ſcripta eſſe, idq; omnibus tam gentibus quam Iudæis aptaſſet, cum tamen certum eſſet, ſolis Iudæis ſcripta eſſe,ſeu vt ſupra 3.cap.dixit.Credita ſunt illis eloquia Dei, Et 10.quorum eſt legiſlatio,Idcirco ne Iudæi inflarentur,non obſtante,quod ſolis ipſis eloquia credita ſunt,Chriſtuſq; promiſſus, communia tamen facit omnia dicens.

Dico,& clare me expono,Chriſtum quidem fuiſſe miniſtrum circumciſionis,hoc eſt, Apoſtolum & nuntium ſeu Angelum teſtamenti noui,ad populum Iudæorum,qui circumciſio vocatur à Paulo,Galat.2.& alijs locis, Sicut ipſe dicit,Non ſum miſſus niſi ad oues Iſrael. Verum hæc miſſio,hoc miniſterium eius,non ſic ordinatum eſt,vt Iudæis ſolis prodeſſet, quantumlibet ad ſolos eos miſſum eſt,ſed vtriq; populo commune prædictum eſt. Iudæis ideo,vt firmarentur, exhiberentur,implerentur promiſſiones, quibus Deus promiſerat Patribus de ſemine eorum Chriſtum futurum,vt ſic Deus verax inueniretur in ſuis promiſſis. Gentibus autem ideo,non vt eis promiſſio perſolueretur,quibus nihil promiſſum eſt,ſed vt Deum glorificarent,ſuper miſericordia,quia ſcriptum erat: Gentes laudaturas eſſe Deinde ſuper miſericordia, vt non minus impleri oportuerit,id quod de laudaturis gentibus ſcriptura prædixit,quam id quod Deus verax Patribus promiſit in eadem ſcriptura.

Nihil ergo in Chriſto differt Iudæus & Gentilis,niſi quod illorum Patribus Chriſtus promiſſus eſt,Ideo illis debebatur veritas exhibentis,His vero nihil promiſſum eſt,Ideo eis obtigit miſericordia inſperata,quam magnificent, Quanquam & hoc Iudæos gentibus pares reddit,quod Deus æque gratuita & inſperata miſericordia Patribus eorum promiſit atq; gentibus exhibuit, Tam immeriti illi erant promiſſionis,quam hi exhibitionis,vtrinq; pura miſericordia,niſi quod promiſſio fecit Iudæis expectandæ veritatis iuſtam cauſam præ gentibus. Cum ergo communis ſit Chriſtus, omnium communiter tulerit onera,debemus & nos mutuo communes fieri, idem ſapere inuicem, alter alterius onera portare,nec vllò titulo, aut perſonæ gratia diuerſa in Chriſto ſentire.

Sequitur.

Pſalm.18. *Sicut ſcriptum eſt:Propterea confitebor tibi in Gentibus,& nomini tuo Pſalmum dicam.Pſalm.18.Ecce nihil promittitur gentibus,prædicitur tamen eas confeſſuras nomen Domini.* Quod? Miſericors,bonus, ſaluator, redemptor. Quando ergo Chriſtus in gentibus cantat nomen Domini,certe gentes intelliguntur Chriſtiani,ab inhabitante Chriſto laudare miſericordiam nominis Dei.

Deut.32. Et iterum,Lætamini gentes cum plebe eius, ſcilicet Dei, hoc volunt Deuter.32.poni, vbi dicitur, Laudate gentes populum eius. Paulus paulo mutat verba,ſenſus tamen idem eſt,quod gentes nec laudare populum Dei,nec lætari cum populo Dei intelligi poſſint,niſi communem Deum cum
Pſalm.117. populo ſuo Iudæorum habeant.

Et iterum(ſcilicet Pſal.117.)*Laudate Dominum omnes gentes,& magnificate eum omnes populi*,Aperta ſunt verba, Gentes laudaturas eſſe Deum, quod non facerent,niſi populus eius eſſent,populus autem non eſſent,niſi gratiam
Iſai.11. Dei per communem Chriſtum obtinuiſſent.

Et rurſus Iſaias(ſcilicet 11.)dicit. *Erit radix Ieſſe, & qui exurget regere Gentes, in ipſum gentes ſperabunt.* Sic 70. tranſtulerunt, quos Paulus

Paulus ſequitur. Verum Ebre. ſic, autore Hieron. *Et erit in die illa Radix Ieſſe, qui ſtat in ſignum populorum, ipſum gentes deprecabuntur*, Ita 70. ſtare, interpretati ſunt, exurgere, & ſignnm eſſe, principem vel regem. Eſt antem hæc Autoritas aperta, quod de tribu Ieſſe futurus fuerit dux, quem gentes requirerent, qui præter Chriſtum nnllus fuit nec erit. Sunt præterea multæ aliæ in Scripturis, quibus Eeeleſia Gentium in Chriſto futura prædicta eſt, quarum aliquas ſuperius Panlus Rom. 10. & 4. & 9. poſuit. Nulla itaque cauſa eſt, Quare alter alterum non portet, cum tot Scripturæ teſtimonijs, communis ſit omnibus Chriſtus, Gentibus, Iudæis, firmis, infirmis, ſummis, infimis & quorumcunque ſint titulorum aut perſonarum. *Roma. cap. 10. & 4. & 9.*

Sequitur.

Deus autem ſpei repleat vos omni gaudio & pace, in credendo, Hoc eſt, erudiat vos, vt Chriſtum pleniſſime cognoſcatis, cuius noticia fiet, vt de communi omnium bono gaudeatis, & ita inuicem pacem habeatis, Hoc gaudium & hanc pacem (inquam) quæ ſit in credendo, id eſt, in fide Chriſti, in mundo enim preſſuram habebitis, in me vero pacem, Iohan. 16. Nolo vos gaudere in peccatis, nec pacem mundi habere, ſed in Chriſto, quem non videtis, ſed creditis, in quo, cum ſit omnibus communis, nō habetis, quid alter alteri inuideat aut contendat, ſed quod inuicem gaudeatis & gratulemini, vnanimes in pace, Nulla autem res alia ſic poteſt communiter poſſideri, niſi quæ in credendo poſſidetur, id eſt, Chriſtus, Ideo nulla non gignit triſticiam & diſcordiam & inuidiam inter homines. *Vt abundetis in ſpe, in virtute Spiritus ſancti*, Quia multis tribulationibus expoſiti ſumus (vt dictum eſt) neceſſe eſt abundemus ſpe, ne deficiamus in patientia, Verum hoc non opis eſt noſtræ, orandnm, vt Deus largitor ſpei, faciat nos abundare ſpe ſuper omnia mala huius vitæ, Hoc autem facit non remouendo mala, ne mortem quidem, Quomodo ergo? Corroborando ſcilicet, per virtutem Spiritus ſancti, qua fiet, vt non nos mala fugiamus, ſed perſtantes ſuperemus, Amen. *Iohan. 16.*

EVANGELIVM DOMINICAE
ſecundæ Aduentus Domini, Lucæ 21.

Erunt ſigna in Sole & Luna & Stellis, &c.

HOc Euangelium manifeſte loquitur de ſecundo aduentu Chriſti. Quæ autem ſint illa ſigna, Matth. 24. recitat, dicens: Sol obſcurabitur & luna non dabit lumen ſuum, & ſtellæ cadent de cœlo, & virtutes cœlorum mouebuntur. Quæ quia futura ſunt, non eſt in poteſtate hominum multa de ijs præſumere. Nam quanquam terribilia futura ſint illa ſigna, ſic tamen perficientur, vt dies iudicij, ante veniat quam intelligantur hęc ſigna completa, præſertim apud inſenſatos, Quia dicit in ſequentibus, *Attendite ne grauentur corda veſtra crapula & ebrietate & curis huius vitæ*, & ſuperueniat in vos dies illa repentina, Tanquam laqueus enim ſuperuenient in omnes, qui ſedent ſuper faciem omnis terræ. Quare etiamſi ſigna illa viderint, deinde quoque audierint ea extremi iudicij ſigna, non tamen credent, ſed adhuc futurum diem illum cogitabunt. Vnde probabimus hæc? *Matth. 24.* *Signa.* *Lucæ 21.*

Primum, quia iam dictum eſt, fore repentinam illam diem, & tanquam laqueum ſuperuenturū, Cui illud accedit Lucæ 17. Sicut fulgur *Lucæ 17.*

corus

coruſcans de cœlo, in ea quæ ſub cœlo ſunt, fulget, ita erit filius hominis in die ſua. Et ſicut factum eſt in diebus Noæ, ita erit in diebus Filij hominis, Edebant & bibebant, vxores ducebant & dabantur ad nuptias, vſq; in diem, qua intrauit Noe in arcam & venit diluuium, & perdidit omnes. Similiter ſicut factum eſt in diebus Loth, Edebant & bibebant, emebant & vendebant, plantabant & ædificabant. Qua autem die exijt Loth à Sodomis, pluit ignem & ſulphur de cœlo, & perdidit omnes, ſecundum hæc erit, qua die reuelabitur filius hominis. Clarum eſt his verbis, tales fore homines, vt ſignis illis nihil moueantur, forte & irrideant, ſicut Noe & Loth contigit, Deniq; ſic & in nouiſſima Ieruſalem vaſtatione contigit, vbi tot portentis & ſignis, (quæ Ioſephus recenſet) non crediderunt inſtare diem perditionis, quin eadem in contrarium interpretabantur. *Noe.* *Loth.*

1. Theſſ. 5. Sed & Paulus 1. Theſſ. 5 Dies Domini ſicut fur in nocte, ita veniet, cum enim dixerint, pax & ſecuritas, tunc repentinus eis ſuperueniet interitus. Et 2. Pet. 3. manifeſte hos incredulos & inſenſatos prædixit, dicens, *2. Pet. 3.* Venient in nouiſſimis diebus in deceptione illuſores, iuxta proprias concupiſcentias ambulantes, dicentes, Vbi eſt promiſſio aut aduentus eius? Ex quo enim Patres dormierunt, omnia ſic perſeuerant ab initio creaturæ. Adueniet autem dies Domini ſicut fur, in quo cœli magno impetu tranſibunt, Elementa vero calore ſoluentur, & terra & omnia quæ in ea ſunt, opera exurentur.

Breuiter, nunquam impijs perſuaderi potuit, vt crederent malum ſuum ſibi imminere, vt ſter verbum Pſal. Viri ſanguinum & doloſi non dimidiabunt dies ſuos, Semper enim præſumunt, nunquam autem timent, Ideo ſubito venit hora eorum.

Et in terris preſſura gentium, præ confuſione ſonitus maris & fluctuum, areſcentibus hominibus præ timore & expectatione, quæ ſuperuenient vniuerſo orbi. Nam & virtutes cælorum mouebuntur.

PReſſuram, anxietatem, coartationemq; ſignificat, Deinde præ confuſione referri debet ad gentes, non ad ſonitum fluctuum & maris. Vult enim confuſionem, perplexitatem, deſperationemq; intelligere, quam Gentes in anima patiantur, qua coartentur & anguſtientur, vt ſit ſenſus. Gentes vexabuntur & coartabuntur in terris, præ pauore, confuſione, perplexitate animæ ſuæ, Siue hoc fiat terrore ſignorum, ſiue horrore malæ conſcientiæ. Et certe, vehementer timeo, ne iamdudum hoc malum regnet in terra paſſim. Non enim omnes gentes hæc paſſuras putandum eſt, alioqui non eſſent, qui ſigna illa irriderent, quos futuros eſſe diximus, Sunt autem multi, qui hac deſperatione & perplexitate vexantur, ad inſaniam vſque.

Deinde ſonitus maris & fluctuum, genitiui Græci, in ablatiuos mutati debuerunt, Eraſmo autore, Sic, Reſonante mari & fluctu, extabeſcentibus hominibus &c. Non quod omnes homines (vt dixi) tabeſcant, ſed aliqui, qui cæteris erunt in ſignum, præſentem peccatorum ſuorum pœnam ſimul portantes, alijsq; futurum ſignificantes. Quid ille maris ſonitus & fluctuum ſit, quia futurum eſt, non liquido poteſt dici, quia non ſumus Prophetæ. Et hic omiſſum eſt, pronomen eorum, præ timore & expectatione eorum, quæ ſuperuenient vniuerſo orbi, non quod ipſe timor & expectatio vniuerſū orbem corripiant, ſed eos, qui ſignum erunt, ij enim ab ijs, quæ toti orbi ſuperuentura ſunt, pauebunt, cum interim cæteri, ſecuri ludent & ridebunt.

S. Grego. Altum.

Virtutes cœlorum multi putant angelos eſſe, ſed præſtat ſimpliciore ſenſu, intelligere ipſos viſibiles cœlos, ſcilicet quod non modo terræ motus & maris fluctuumq; tumultus, ſed etiam aeris perturbatio, & cœlorum & ſuperiorum elementorum commotio ſit futura, vt ſicut Gregorius hic dicit, Quia omnia conſummanda ſunt, ante conſummationem omnia perturbantur, Gentes per bella & ſeditiones, homines pauore, terræ motu, aquæ ſonitu, Aer peſte, Sol tenebris, Luna ſimiliter & Stellæ caſu, ſic & cœli ipſi ſua commotione. Oportebit enim ſigna hęc eſſe viſibilia & ſenſibilia, alioqui, quo modo ſigna erunt? At Angeli viſibiles non ſunt, quare cœlos hos viſibiles intelligimus, quorum commotio qualis futura ſit, experientia cognoſcetur. Virtutes autem ſeu potentias cœlorum magis dicit, quam ſimpliciter cœlos, vſu ſcripturæ, quod Gene. 1. legimus, Firmamentum appellatum cœlum, inde firmamentum, virtus, potentia, prę cæteris, tribuitur cœlis, Eſt enim Ebraiſmus, virtutes cœlorum, pro firmi cœli, ſeu potentes cœli, Deniq; cœli ſunt ipſa virtus mundi, ſine quibus mundus eſſet æternarum tenebrarum chaos, Quicquid enim fit & agitur in mundo, motu & lumine, id eſt, regimine cœlorum agitur, ſicut in hominibus ij, qui præſunt cæteris, potentiæ & virtutis nomine cenſentur, quod eorum nutu & placito regantur ſubditi.

Et tunc videbunt filium hominis venientem in nube, cum poteſtate magna & maieſtate.

Primus Christi aduentus omnino occultus fuit.

CVm intenſione dicit, Videbunt venientem potius quam tunc veniet Filius &c. vt exprimat, manifeſtum adeo fore hunc aduentum, vt omnes eum videre cogantur, ſicut primus aduentus adeo fuit occultus, vt è cœlo per Angelos paſtoribus nunciaretur, Hic vero non nunciabitur ab vllo, ſed videbitur ab omnibus creaturis vbiq;, atq; vt ille in contemptu & humilitate peractus eſt, ita hic in gloria & maieſtate celebrabitur, ſic Apoca. 1. Et videbit eum omnis oculus. Matt. 24. addit dicens: Et mittet Angelos ſuos cum tuba & voce magna, & congregabunt Electos eius à quatuor ventis, à ſummis cœlorum (id eſt, ab Oriente) vſq; ad terminos eorum (id eſt ad occaſum) Hæc eſt dies illa, de qua 1. Cor. 4. dicit: Dominus illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium, vbi omnium omnia manifeſta erunt. Et plangent ſe omnes tribus terræ, Matt. 24. Maxime vere omnium deſcribit eam Sopho. 1. Vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis (id eſt, potens ſeu tyrannus ſicut Nimrod) dies iræ, dies illa, dies tribulationis & anguſtiæ, dies calamitatis & miſeriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis, dies tubæ & clangoris. Apoc. 1. Matt. 24. 1. Cor. 4. Matt. 24. Soph. 1.

Vide exaggerationes tantas.

His autem fieri incipientibus, reſpicite & leuate capita veſtra, quoniam appropinquat redemptio veſtra.

QVid hoc? Quis gaudere poteſt ad tanti furoris aduentum? Quis hæc capit? Verum hæc dicuntur ijs qui Chriſtiani ſunt, qui in hac vita multis premuntur aduerſitatibus, & vnice ſuſpirant liberari à peccatis & omnibus malis, ſicut oramus in oratione, Adueniat regnũ tuum, Libera nos à malo, Si enim hæc vere oramus, neceſſe eſt, vt ad ſigna illa quantũlibet terribilia gaudeamus, Quia venit, quod petiuimus, optandus eſt enim ac ſumme diligendus aduentus iſte Chriſti, ſi optamus à peccatis & malis liberari, quia dicit, *Redemptio veſtra appropinquat,* Qui vero timent ac nollent hunc diem venire, quid faciunt dum orant, Adueniat regnum tuum, libera

nos

noſ à malo? nempe ſeipſos accenſant & contra ſe pugnant. Quid eſt enim redemptio? quis non optet redimi? Sic Paulus 2.Tim.vlt. Non ſolum mihi reddet coronam iuſticiæ, ſed & his qui diligunt aduentum eius. Et Tit.2. Expectantes beatam ſpem & aduentum gloriæ magni Dei, Et vos ſimiles (inquit Lucæ 12.) hominibus expectantibus Dominum ſuum. 2.Tim.vlt. Tit.2.

Proinde conandum eſt cuiuis, ne in eo ſit odium aut fuga huius nouiſſimi diei, quia talis fuga damnabilis eſt nimis & ad reprobos pertinet, induratos & inſenſatos, Horum enim ferrea frons hoc horrēdo terrore conterenda eſt. Erit enim eadem iſta dies, ſicut ſumma ſecuritas & læticia pijs, ita intolerabilis horror impijs, Sicut modo in hac vita, ipſa veritas dulciſſima eſt bonis, odioſiſſima vero malis. At dices, optarem hunc aduentum diei, ſi eſſem bonus & ſine peccatis. Reſpondeo, primum, per fugam & odium & horrorem eius nō liberaberis à peccatis, ſi etiam mille annis eum ſic timeres, Neq; enim damnati per hoc liberi erunt, licet in æternum horreant hunc diem, imo hic horror magis auget peccata tua, & impedit, quo minus ſine peccatis eſſe queas, etiamſi omnia alia facias, quæ pro peccatis tollendis videantur commoda.

Deinde, ſi optas eſſe liber à peccatis, age magis ac magis, idem vt optes cura, atq; vtinam vſq; ad lachrymas, ſic optares & hoc deſiderio torquereris ad mortem vſq;, Nec enim vllus eſt, qui ad hunc diem paratior eſt, quam qui cupit à peccatis liberari, Hoc enim faciet illa dies, reſpondet votum hoc, cum opere illius diei, Nec enim dulcius potuiſſet nobis eum commendare Chriſtus, quam quod eum pronuntiat redemptionem noſtram eſſe, atqi ad hoc ipſum nos inuitat ad læticiam, pulchra ſimilitudine arboris floreſcentis, Noli Chriſtum facere mendacem, qui redemptionem appellat hunc diem, noli putare fallacem, qui te leuare caput & reſpicere iubet, cum in eum diem vſq; te curuauerint ac preſſerint peccata & mala huius vitæ, Sic Rom.8. Ipſi intra nos gemiſcimus adoptationem filiorum Dei, expectantes redemptionem corporis noſtri. Ecce gemit ille & deſiderat optari in filium Dei ac redimi expectat, potius quam talis iam eſſe ſibi videatur. *Dies redemptionis noſtræ.* Rom.8.

Ponenda ergo omnibus modis fuga & odium iſtius diei, & curandum, vt à peccatis ſummo ardore cupiamus liberari, quo facto non modo ſecure ſed & cum deſiderio diem illum expectemus. Quare vide, ne teipſum fallas, dicens, Te velle optare hunc diem, ſi à peccatis liber eſſes, cum forte ideo eum timeas, non quia peccatum odis, ſed quia non liceat diutius peccare, & dies illa copiam tibi peccandi præcidat Hunc (inquam) peſſimum ac fallacem affectum, vide ne in te alas, & ne lumen, quod in te eſt, tenebræ ſint, Nam affectus vere peccatum odiens, ad hunc diem dulciſſime gaudet, in quo voti ſui compos ſit. *Fuga & odium iſtius diei abjciendum eſt.*

Quocirca non ſine cauſa Chriſtus, nos his verbis recte inſtituit, vt potius gaudeamus & exultemus propinquante illo die. Forte & illis conſulens, qui puſillanimitate nimia preſſi, etiamſi boni ſunt, timent, *Dum monet vt leuent capita & reſpiciant*, ne ſcilicet terrore & triſticia ſe ſinant premi. Huc & illud pertinet, quod promiſit, *Audituri eſtis prælia & opiniones præliorum, nolite* (inquit) *terreri*, Cum enim circa finem mundi, peccatis præualentibus, extinctaq; charitate, periculoſiſſimum ſit viuere cum hominibus, & peccatorum confuſioni confuſiſſime addetur altera confuſio pœnarum & malorum, belli, famis, peſtis, & omnium rerum commotio, Obſecro, quis non optet finem harum rerum peſſimarum? Itaq; conſolatur Chriſtus ſuos, qui eo tempore futuri ſunt, id eſt, qui peccatis & malis orant liberi eſſe, promittens eis Redemptionem inſtare. Ita fiet mirabiliter, vt alijs hominibus præ timore

creſcentibus,hi præ ſpe & gaudio floreant,quod illi timent ac nolunt,hi ſperant & orant,extreme contrarijs,ſcilicet votis,qualibus & circa peccata & pietatem ſe geſſerunt,illis peccatum tenaciter amantibus,iſtis vero odientibus.

Ex his vide,quam pauci ſint,qui orent orationem dominicam aut regnum Dei,& à malis redimi cupiant,cum tam pauci ſint,qui non malint hunc diem nunquam venire,interim tamen hunc damnatiſſimum & ſceleratiſſimum affectum,maximam ſcilicet trabem in oculis ſuis non videntes,multa faciunt(vt putant)bona,quibus à peccatis fieri volunt liberi,quin per ſua ſtudia ſeſe magis ac magis reddunt ineptos ad hunc diem.Porro ſi inuincibilis eſt in corde tuo pauor huius diei, vt non poſſis optare aduentum hunc,Age,opta,vt optare poſſis,ora & orare poſſis,deſideria deſiderium,neq; ſic deſperes,ſed doleas,te infirmum adeo,vt redemptionem tui exhorreas, & non dubites, Dominum te exauditurum,ſicut promiſit, *Qui petit accipit, qui quærit inuenit, & pulſanti aperietur*, adiunge ſuffragia & interceſſiones aliorum, certus,quod hunc timidum affectum oportet in te extingui,aut te in æternum damnari,quia peccatum eſt in Spiritum ſanctum,qui reſiſtit gratiæ & redemptioni tuæ,defendens peccatum,quod non vult extingui. Math. 7.

Et dixit illis ſimilitudinem,Videte ficulneam & omnes arbores,cum producunt iam ex ſe fructum (non quod iam ferant fructus, ſed producunt, id eſt, agunt id,vt proferant tandem, ſcilicet quia florent & vireant) *ſcitis quoniam prope eſt æſtas,Ita vos cum videritis hæc omnia fieri,ſcitote quoniam prope eſt regnum Dei.*

IVcundam de vere & æſtate(vbi omnia gaudent) Similitudinem proponit,vt intelligamus,diem illum eſſe ſumma voluptate expetendum,Deinde non dicit,Quoniam prope eſt infernus & damnatio, ſed regnum Dei,vt caput noſtrum eleuet,ad bona illius diei,quæ deſideramus,ſi à peccatis liberari cupiuimus,Quare ad regnum Dei intendamus, & ipſum venire petamus,aut ſaltem,vt petere poſſimus,petamus, idq; totis viribus, quia vehementer neceſſarium eſt,ne nos dies illa inueniat cum reprobis in odio & fuga ſui,cum effugi non potuiſſet,amari autem & peti debeat.

Amen dico vobis,quia non præteribit Generatio hæc, donec omnia fiant.

VT conſtantem nobis reddat fiduciam, duobus nos aſſeuerat promiſſis,tam certa(inquit)hæc ſunt futura,ne vacillet ſpes veſtra,neue non credatis,Redemptionem veſtram inſtare,quod etiam omnia ſunt conſummanda,antequam hæc Iudæorum generatio prætereat.Implebuntur ſcilicet adhuc durante illa generatione,cuius tempore hæc vobis dico, Non quod idem Iudæi,ſed eiuſdem populi ſucceſſio illuc ſit duratura. Videntur autem verba Chriſti ſonare,quaſi omnia illa,quæ prædixit, ſint perficienda, antequam eius ſeculi homines præterirent, Quod ſi intelligamus de Iudæorum vaſtitate, quam hoc capite ſimul prædixit,verum eſt. Et ſic omnia(de quibus dicit)referri debent ad ea,quæ pertinent ad eiuſmodi Generationem, non ad iudicium extremum,vt omnia huic Generationi prędicata fierent,adhuc durante eadem Generatione.Et hic mihi ſenſus, & ſimplicior & tropis Scripturæ aptior apparet,ſaluo cuiuſlibet iudicio meliori,Deinde quod ſequitur,ad vtrunque pertinere,ſcilicet ad vaſtitatem Iudæorum & nouiſſimum diem.

Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt.

TOrquentur aliqui quomodo cœlum & terra ſint tranſitura, Non quoad ſubſtantiam (inquiunt) ſed quo ad formam, quaſi non ſint verba Chriſti aperta. Tranſibunt, non ait, peribunt aut nihil erunt, ſed tranſitum facient, hoc eſt, mutabuntur. Vnde 2. Pet. 3. Cœli qui nunc ſunt & terra eodem verbo repoſiti ſunt igni. Et infra, Adueniet autem dies Domini, in quo cœli magno impetu tranſibunt. Item per quem cœli ardentes ſoluentur & Elementa ignis ardore tabeſcent. Nouos vero cœlos & nouam terram & promiſſa ipſius expectamus, in quibus iuſticia habitat, ſic Ebræ. 1. ex Pſal. 101. Opera manuum tuarum ſunt cœli. Ipſi peribunt, tu autem permanebis. Et ſicut veſtimentum mutabis, eos & mutabuntur. *Tranſibunt.* *2. Pet. 3.* *Ebræ 1* *Pſal. 101.*

Eſaie. 30. Et Eſa. 30. hanc mutationem prædixit. Et erit lux Lunæ, ſicut lux Solis, & lux Solis erit ſeptempliciter, ſicut lux ſeptem dierum, in die qua alligauerit Dominus vulnus populi ſui, & percuſſurã plagæ eius ſanauerit. Eiuſdem 65. Ecce enim ego creo cœlos nouos & terram nouam, & non erunt in memoria priora, ſed gaudebitis & exultabitis vſq; in ſempiternum in his, quæ ego creo. Igitur omnia immutabuntur, verba Chriſti non mutabuntur, hoc eſt, non tranſibunt, quia vera & fidelia in æternum. Hoc dicit, vt fiduciam noſtram ſtabiliat, quæ in verba eius nititur, quod videlicet, hæc omnia ſint ventura, vt tum capita leuemus & gaudeamus, quod redemptio promiſſa certiſſime inſtet, qua liberemur ab omnibus malis peccatorum & pœnarum, AMEN. *Eſaie. 65.*

DOMINICA III. ADVENTVS

Epiſtola 1. Corinth. 4.

FRatres, Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti & diſpenſatores myſteriorum Dei. Hic iam quæritur inter diſpenſatores, vt fidelis quis inueniatur &c.

COrinthij cœperant ſe in ſectas diuidere, affectione humana, dum alij ſe iactarent de Petro, alij de Paulo, alij de Apollo, & quæq; ſecta niteretur altera præſtantior videri, ob excellentiam Apoſtoli, à quo vel docti vel baptiſati fuerant. Horum ſchiſmati occurrens Paulus docet, quid & quomodo de Apoſtolis ſapere debeant, ne inuicem inflentur pro Apoſtolis reuocans eos à perſonatu & ſpecie Apoſtolorum, ad vnum Chriſtum, cuius omnes ſint miniſtri, & ſeipſum & Apollo in exemplum ponens, dicit, *Sic nos exiſtimet homo,* hoc eſt, Videat vnuſquiſq; veſtrũ, ne de nobis ſublimius ſentiat, nec altiorem opinionem de nobis habeat, quam de miniſtris Chriſti. Miniſtri ſumus, non domini, non noſtrum verbum docemus, non noſtrum opus agimus, non vos nobis ſubijcimus, ſed Chriſto, ſicut ſupra dixerat, Neq; qui plantat, eſt aliquid, neq; qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus. Omnes vero miniſtri ſumus, per quos credidiſtis & Chriſto ſubiecti eſtis, quaſi illud Gedeonis Iudic. 8. diceret, cum filij Iſrael dicerent, Dominare tu nobis, non dominabor vobis, nec dominabitur in vobis filius meus, ſed dominabitur vobis Dominus. *Sic nos exiſtimet &c.* *Iud. 8.*

Perce·t enim hoc verbo tyrannidem Magnatum & ſtudia vulgi, quod ſolet ſui Maioris ſtudio inſanire, quale videmus in mundanis poteſtatibus & rebuſpublicis fieri, imo & in Eccleſiaſticis, vbi quiſque id quærit, quo præ *Magnates Eccleſiaſtici.*

cæteris latius dominetur & plures ad ſe trahat, in quod & ſuum vulgus ſibi fauet, cum Regnum Eccleſiæ tale eſſe debeat, vt magnates vnanimiter omnes populos ad communem Chriſtum traherent, non ad ſeipſos, non ad ſuam (vt vocant) iuriſdictionem. Rurſus populi non id ſpectarent, ſub quanto Paſtore vel quanta diocœſi ſint, ſed quanto ardore, ad Chriſtum per Paſtores, quicunque illi ſint, aſcendant.

In miniſtris Dei hodie omnia inuerſa reperiuntur.

Nunc vero huius Epiſtolæ doctrina adeo eſt obliterata, vt Eccleſia hodie aliud fere non ſit, quam mera ſchiſmata. Tota enim contentio eſt, non quomodo Chriſto miniſtrent & myſteria Dei diſpenſent, ſed quomodo quiſque plurimos habeat ſubditos, Ad ſe enim homines, non ad Chriſtum trahunt. Et ferendum forte id mali, ſi hic ſubſiſteret, ſi tantum Domini & tyranni eſſent. At nunc eò res deuenit, vt non niſi diuitiarum, potentiæ, voluptatis ſint miniſtri, Hos enim optimos hodie arbitramur miniſtros & pontifices & paſtores Eccleſiarum, qui Eccleſias ſuas temporalibus reditibus & ſplendore mundano honorarint ſeu onerarint, in his Chriſti miniſterium conſtituerunt, quaſi Chriſto ſeruiatur, in collectione diuitiarum, magis quam in diſperſione earum inter pauperes.

Verum ſit & hoc tolerabile, illud eſt intollerabile, quod non ſunt diſpenſatores myſteriorum Dei. Nam Apoſtolus hoc vult, vt habeantur pro Chriſti miniſtris, cuius etiam ſunt nuntij & Apoſtoli, Ad quid? vt diſpenſent Dei myſteria, Quæ?

Myſteria Dei quæ.

Verbum Chriſti, ſapientiam crucis, Euangelium, Nam hæc ſunt ſecreta illa myſteria, quæ in nouo teſtamento reuelauit, & olim occultauit. Sicut ergo Oeconomus ſeu procurator domus non eſt Dominus rerum, ſed vt Chriſtus ait, conſtitutus ſuper familiam, vt det eis tritici menſuram, ita debet, nec aliud velle videri, nec ab hominibus alius reputari, quam diſpenſator.

Oeconomus.

Apoſtolus & ſeruus Chriſti duo nomina habet.

Igitur Apoſtolus & ſeruus Chriſti duo nomina habet, Poſitus eſt enim in medio Dei & hominum, Deo eſt miniſter, hominibus eſt diſpenſator myſteriorum Dei, In hoc enim Deo miniſtrat, quod Euangelium prædicat. Et in hoc myſterium diſpenſat, quod prædicat. At hodie quid prædicant? quæ myſteria diſpenſant? Diſpenſationes ſatis multæ ſunt, ſed præbendarum, ieiuniorum, poſſeſſionum, matrimoniorum & his ſimilium, nouum ſcilicet genus diſpenſationis Apoſtolo incognitum. *Verbum enim Dei & Sacramentum Crucis nullus neq; nouit neq; docet.*

Diſpenſationes multæ.

Myſteria Dei quæ & ſacramentum dicuntur. 1. Tim. 3.

Certus eſto itaq;, Myſteria Dei aliud non eſſe, niſi ea quæ in Chriſto geſta ſunt, quæ & alibi Sacramentum & ſæpius myſterium vocat, 1. Tim. 3. *Et manifeſte magnum eſt pietatis Sacramentum, quod manifeſtatum eſt in carne, iuſtificatum in ſpiritu, apparuit angelis, prædicatum eſt Gentibus, creditum eſt Mundo, aſſumptum eſt in gloria.* Nec moueat, quod hic Sacramentum, illic myſterium, dicit, Interpretis culpa eſt, qui græcum verbum, myſterium, nunc transfert, nunc relinquit, in quo multis multa de ſacramentis fecit offendicula.

Quod autem plurali numero, Myſteriorum dicit, nihil refert, Et vnum eſt Sacramentum & multa, Multis enim modis vnus Chriſtus prædicatur, cum ipſe ſit omnia in omnibus, & per omnes Scripturas intentus. Eſt ergo officium paſtorum prædicare Euangelium *At nunc quod intolerabile eſſe diximus, diſpenſant non niſi humanas doctrinas, traditiones operum, & id genus, quibus Euangelium etiam extinguunt, non iam diſpenſatores, ſed diſſipatores myſteriorum Dei.* Nunc vide quo loco Eccleſia ſit, Qui hodie in Eccleſia, Ideo pluſquam miniſtri eſſe volũt, quod pompa, diuitijs, ditione, aut ad ſummum

Officium paſtoris.

Iam non diſpenſatores, ſed diſſipatores myſteriorum Dei &c.

mum ceremoniali adminiſtratione fulgent, Quid eſſent facturi, ſi diſpenſarent myſteria Dei? quando Paulus nec ipſos aliud, quam miniſtros *Chriſti haberi velit*, etiamſi ob gloriam tam inæſtimabilis myſterij, quod diſpenſant digni, videri queant, quos adorent homines. Et tamen nulli magis exigunt dominium, quam ij, qui nec Chriſto miniſtrant, nec nobis myſteria Dei diſpenſant.

Recte ergo ſequitur.

Hic iam quæritur, vt fidelis quis inueniatur. Q. d. cum ſimus miniſtri & diſpenſatores, non id quærendum, quomodo dominemur, Sed vnicum id curandum, vt fideles inueniamur, Quod & Chriſtus queſtus eſt dicens, Matt. 24. Quis putas eſt fidelis ſeruus, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam? Quæ eſt iſta fidelitas? ſine dubio, vt non quærat quæ ſua ſunt, ſed quæ Domini, vt augeat domum Domini ſui. Hic eſt, qui in populo verbum Euangelij pure docet, non ſequens (*vt Petrus ait*) *turpe lucrum, non ditionem, non ocium, non fauorem, deniq; qui & animam ſuam ponat pro populo, Quod qui non faciunt, promptum eſt videre*, Et apud Iſa. 1 ſic depinguntur, *Principes tui infideles, ſocij furum, omnes diligunt munera*, ſequuntur retributiones, Pupillo non iudicant, & cauſa viduæ non ingreditur ad illos.

Mat. 24. | 1. Pet. 5. | Eſai. 1. | *Fidelitas miniſtrorum verbi.*

Sequitur.

Mihi autem pro minimo eſt, vt à vobis iudicer, aut ab humano die.

Pro. 27.

MAgnum certe verbum & quod pacis conueniat, dicit Pro. 27. Quomodo probatur in conflatorio argentum, ita probatur homo ore laudantis. Alij laudabant & præferebant cæteris Paulum, Alij vero non præferebant, Ipſe vero nec illorum nec iſtorum iudicium curans, per medium illorum tranſit, & hac prudentia ſchiſmatis ſeminaria funditus euellit. Qui ſi illis aſſenſus fuiſſet, qui eum præferebant cæteris & principatum ambiuiſſet, forte vno verbo, alijs coërcitis autoritate Apoſtolica obtinuiſſet, ſed noluit principari, illis dominari, aut vlli æquari, nedum præferri, nec aliud quam miniſter Chriſti & verbi diſpenſator haberi. Et ſane, vulgi iudicium modeſto quidem, ſed grauiſſimo & Apoſtolico contemptu tractat, Non duris aut aſperis verbis inceſſens, mirum tamen, quam aptis & potentibus confutans, Comparat enim eorum iudicium diuino iudicio, quo nihil eſt præſentius & potentius ad confutanda omnium creaturarum, nedum vulgi iudicia, *Incomprehenſibilia enim ſunt iudicia eius*. Itaq; ſi iudicium Dei ſpectes, pro minimo tibi erit, quicquid vel vniuerſus orbis de te iudicarit, & vulgi iudicium euaneſcet, ſicut lux faculæ in meridie ardente Sole.

Quid putas facerent ſucceſſores Apoſtolorum & hodierni ſeculi rectores ſi occaſionem principandi tantam habuiſſent, quantam hic Apoſtolus? Certè inuenti fuiſſet, qui mille ſchiſmata maluiſſent, quam hanc debitam (vt vocant) reuerentiam & obedientiam repudiaſſent. Ex vulgi enim iudicio & ſtulta eiuſdem affectione ipſorum pendet tyrannis, quod adeo non contemnunt, vt ſummis viribus curent, ne quis illud appellet humanum diem & pro minimo habeat, vt hic Apoſtolus dicit. Vide ergo artificem Paulum, *Aſperum fuiſſet, ſi dixiſſet, Veſtrum iudicium minimum eſt, nihil valet, ſtultũ eſt, ſicut vere erat, Temperat autẽ, & ſibi minimũ eſſe dicit, vt non illos, ſed ſeipſũ contemnere videatur, & oſtendere,*

quam ſtultus & nihil eſſet,ſi eorum iudicium acceptaret, relinquens eorum ſenſui, vt intelligant quam ſtulti ſint & ipſi,dum ſic de ipſo & alijs iudicant. Ita vulgi iudicium & non acceptat & modeſtiſſime efficaciſſimeq; confutat,non tam ſua,quam illorum propria ſententia.

Humanum dies.

Humanum diem,hîc pro iudicio hominum volunt accipi, ſeu pro teſtimonio & laude,quibus ſolent homines illuſtrare & claros facere, de quibus ſublimia ſentiunt,quaſi & ipſi quendam diem,ac claritatem faciant hominibus,quos celebrant & nobiles reddunt. Et eſt tropus Scripturæ,ſumptus à die naturali,qua redduntur cognoſcibiles res,quæ in tenebris videri non poſſunt,Hinc dicuntur & latine,illuſtres,nobiles,præclari viri, contra obſcuri,ignobiles,contempti,Sic Ierem.17.*Diem hominis non deſideraui,tu ſcis.* Et *Iohann.5.Ego ab homine teſtimonium non accipio.* Et iterum,vos voluiſtis ad horam exultare in luce eius(id eſt)voluiſtis,vt Iohannes vos clarificaret ſuo teſtimonio,& hac luce ſua,vos illuſtres redderet,Et iterum, Ego claritatem ab hominibus non accipio,Iſta ergo claritas,gloria,opinio,iudicium,teſtimonium,laus,celebratio,eſt dies iſte humanus,à quo Paulus clarificari pro minimo ducit. Et bene humanum appellat,quia & ex hominibus eſt & cum hominibus deſinit. Senſus ergo eſt, Nec à vobis,nec ab vniuerſis hominibus opto celebrari & vehi ſublimiter. Homines iſta quærant,miniſtri Chriſti & diſpenſatores Dei,diuino die expectent iudicari & celebrari.

Tropus. *Iere.17.* *Iohan.5.*

Sed neq; meipſum iudico,Quæritur quid magni eſt,ſeipſum non iudicare,cum difficilius ſit & præſtantius ab alijs iudicari quam à ſeipſo? Paſſim enim vexat omnis philautia,rari autem ſunt qui per alios celebrantur. Videbatur ergo potius,primo loco ſuum iudicium de ſe ipſo,& poſtremo, tanquam vehementius argumentaturus, aliorum iudicium ponere debuiſſe,vt ſic à minori ad maius procederet,Verum Theologus eſt,& ſecundum conſcientiam loquitur,quam nullus philautus audit nec ſequitur. *Conſcientia enim mille teſtes,*imo conſcientia noſtra,vel gloria noſtra eſt vel confuſio,Non enim iudicabimur in iudicio Dei,alio teſtimonio,quam conſcientiæ propriæ, Hæc præualebit vniuerſi mundi teſtimonijs,Ideo poſtquam Paulus, nec humanum diem,hoc eſt,nec vniuerſorum hominum iudicium curauit,non habuit maius,niſi conſcientiam propriam, fideliſſimam omnium teſtem, nec huic tamen confidit,quia vt Salomon ait,*Stultus eſt,qui confidit in corde ſuo,* ſcilicet adeo nulla eſt nobis relicta occaſio ſuperbiæ, contentionis, ſciſmatis, ſed omnibus dicitur, Qui ſe exaltat,humiliabitur, Et iterum,Sede in nouiſſimo loco.

Philautia.

Stultus eſt,qui confidit in corde ſuo.

Iterum quæras,Quomodo non ſeipſũ iudicat,qui & definit & ab alijs exigit,vt pro miniſtris Chriſti & diſpenſatoribus habeantur? Dicimus vt ſupra,Miniſterium verbi,non illorum,ſed Dei eſt, in quo non quæritur, quis dignior aut cæteris præſtantior,ſed quis fidelior(inquit) inueniatur. Corinthij autem non de miniſterio,quod omnium Apoſtolorum idem & æquale erat,quia idem verbum,idem baptiſmus,eadem fides omnium, ſed de dignitate perſonali Apoſtolorum certabant,quaſi ideo & miniſterium eſſet dignius,ſi vel maior vel melior contuliſſet, Tales & hodie ſunt qui decepti larua rerum,arbitrantur digniorem eſſe abſolutionem Papæ & Epiſcoporum, quam ſacerdotis ſimplicis,cum vnum & idem ſit pœnitentiæ Sacramentum, eadem claues,eadem poteſtas,ſicut idem baptiſmus, Licet hoc concedẽdum, quod

quod vſu Eccleſiæ maior prælatus excipiat caſus, in quibus nec baptiſare, nec abſoluere liceat, id eſt, Sacramentum prohibet, ſed ob hoc aliud non habet Sacramentum, nec alias claues, nec aliud baptiſma.

Nihil enim mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum.

QVia ſi in hoc iuſtificatus eſſet, quod ſibi non eſſet alicuius conſcius, iam in ſua conſcientia gloriari poſſet, ſed hoc non licet, Quia non, qui ſeipſum commendat, ille probatus eſt, ſed quem Deus commendat, vt qui gloriatur, in Domino glorietur. Quæris, quomodo non eſt ſibi vllius conſcius, qui alibi ſe confitetur perſecutorem & blaſphemum in Chriſtum fuiſſe? Verum loquitur de præſente ſua vita, in qua nihil agebat, vnde morderetur conſcientia.

2.Cor.1. At quomodo non in hoc iuſtificatur? qui 2.Cor.1.dicit: Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ, quod in ſimplicitate cordis, & ſynceritate Dei, & non in ſapientia carnali, ſed in gratia Dei conuerſati ſumus in hoc mundo, abundantius autem ad vos, Reſpondetur, Conſpectum duplicem ponit Dei & hominum, coram Deo nullus iuſtificatur, in ſua innocentia.

Exod.34. Exo.34. *Qui aufers iniquitatem & ſcelera atq́ peccata, nulluſq́ apud te per ſe innocens eſt, Rom.3 Vt non glorietur in conſpectu eius omnis caro.* Quare hic non eſt gloria, niſi ipſa miſericordia, in quam fide & ſpe nititur conſcientia, vt non ſit volentis, ſed miſerentis Dei. At coram hominibus, qui non poſſunt iudicare, niſi quæ vel vident vel audiunt, nec in ſeipſis, niſi quæ ſentiunt, poſſumus irreprehenſibiles inueniri & gloriari, quod ſimus nullius nobis conſcij. Sic

Tit.1. enim Tit.1. *Iubet Epiſcopum irreprehenſibilem, & omnes ſine crimine eſſe, ne detur occaſio aduerſarijs maledicti*, Vnde & loco adducto dixit, Conuerſati ſumus in mundo, in ſimplicitate cordis, non ait, coram Deo, Mundus non poteſt eum arguere, nec cõſcientia, & in hoc gloria cõſcientiæ ſtat, ſed nõ in hoc iuſtificatur coram Deo, vbi ſola fide & ſpe miſericordiæ Dei iuſtificantur omnes. In

Pſal.7. hanc duplicis conſpectus obſeruantiam, totus Pſalmus 7. loquitur, vbi primum in miſericordia Dei ſperat & orat, & mox ſeſe innocentem fatetur coram hominibus, ita vt eis minetur quoque.

Qui autem me iudicat, Dominus eſt.

HOc eſt, nolo laudari à vobis, nec ab humano die, nec à meipſo, etiamſi tam coram vobis irreprehenſibilis, quam coram meipſo, mihi nullius conſcius ſum, *Sed in miſericordia Dei ſpero, vt ille me iudicet, in eadem miſericordia ſua*, Ita vides, vt nulli ſit occaſio præſumptionis in vlla re niſi in miſericordia, in cæteris omnibus neceſſarius eſt timor Dei, tanto magis, quanto magis nos vehunt aut placent.

Clarum autem eſt, Apoſtolum hæc omnia de ſeipſo primum dicere, vt à fortiori perſuadeat & Corinthijs, idem de ſe ipſis ſentire, vt infra dicit, *Hæc autem Fratres transfiguraui in me & Apollo*, propter vos, vt in nobis diſcatis, ne ſupra quam ſcriptum eſt, vnus aduerſus alterum infletur pro alio. Q.d. Exemplum do vobis meipſum & Apollo, vt nec laudem hominum quæratis, nec oblatam acceptetis, ne occaſio ſchiſmatis fiatis. Efficaciſſimum eſt enim docendi genus, ſeipſum priorem inuadere, quia hinc liberius & alios licet corripere, Sic enim funditus ſchiſmata ſubuertit, dum ea, *Efficaciſſimum docendi genus ſeipſum priorem inuadere.*

quibus

quibus ſchiſmatici nitebantur, non modo non agnoſcit, ſed damnat quoque etiam in ſeipſo, qui potuiſſet ea admittere, citra adulationem illorum.

Itaq; nolite ante tempus iudicare, quouſq; veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia. cordium, & tunc laus erit vnicuiq; à Deo.

LAus (inquit) à Deo, quia hæc ſola verax eſt, Omnis homo mendax. Puto autem, per illuminationem abſconditorum in tenebris, & manifeſtationem conſiliorum cordis, intelligi idem, quod Propheta Pſal. 7. dicit: Scrutās corda & renes Deus iuſtus, Vt abſcondita tenebrarum ſint *Pſal. 7.* intentiones, deſideria, voluptates, amores, odia & ſimilia, quæ per renes ſignificantur. Nam hæc profundiſſima ſunt, vt homo in ſeipſo, non ſatis ea cognoſcat, vt recte abſcondita tenebrarum appellet, quæ velut in tenebris poſita, nulli videri contingat. Porro conſilia cordium ſint cogitationes, dicta, decreta, ſententiæ, iudicia, opiniones mentis, & ſimilia animi, quæ nemo nouit, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt. Hæc duo & Ebr. 4. tribuit verbo Dei, dicens, *Ebræ. 4.* Diſcretor eſt cogitationum & intentionum cordis, & non eſt inuiſibilis coram eo vlla creatura, omnia aperta & nuda ſunt oculis eius. Cogitationes ſcilicet, conſilia cordis, & intentiones abſcondita tenebrarum ſignificant.

Percutit autem hoc verbo præſumptionem, & rationem reddit, quare non ſit iudicandum, propter occulta (inquit) noſtra & aliorum, quæ cum ſolus Deus noſcat, non ſine temeritate nos ignari iudicamus, & fallax iudicium facimus, licet coram hominibus rectum, tamen non ſufficiens, vt propter ipſū coram Deo contendentes inflemur inuicem, quin potius, ne Deum contentioſi offendamus, iudicium hoc hominum, inglorij contemnamus, & ſit pro minimo laudari ab homine, pro maximo autem vnanimes eſſe in Domino.

AMEN.

EVANGELIVM DOMINICAE III. Matthæi XI.

Cum audiſſet Iohannes in vinculis opera Chriſti, mittens duos de Diſcipulis ſuis, ait illi: Tu es qui venturus es an alium expectemus &c.

Ambroſius. HIC varij de Iohanne varia ſenſerunt, Ambroſius vult Iohannem non dubitaſſe nec ignoraſſe, ſed ob pietatem interrogaſſe, an ne tantus filius Dei dignaretur mori pro hominibus. *Hieronymi & Gregorij opinio.* Hieronymus ſequitur opinionem, quæ placet Gregorio, ſcilicet hanc, Iohannem interrogaſſe, an Chriſtus eſſet venturus etiā ad inferos, ſicut venerat ad homines viuos, Et hāc neſcio an reprobare quis poſſit, quod 1. Pet. 3. Petrus aperte dicat, Chriſtum *1. Pet. 3.* mortuum pro nobis oblatum, abijſſe & ſpiritu veniſſe ad eos, qui in carcere erant, prædicaſſeq; eis, qui aliquando increduli erant tempore Noe, cum fabricaretur Arca. *Chryſoſtomi ſententia.* Altera eſt Chryſoſto. quam interim ſequimur, Iohannem certiſſime cognouiſſe Chriſtum eſſe, eum quem futurum expectabant. Id enim didicerat, quando reuelante patre audiuit, Hic eſt filius meus dilectus, *Matt. 3.* in quo mihi complacui, Et hunc eſſe agnum Dei, qui tolleret peccata mun- *Iohan. 1.* di, digito monſtrarat, & oraculo accepto didicerat, Super quem Spiritus ſanctus in ſpecie columbæ deſcenderet, hunc eſſe qui baptiſat Spiritu ſan- *Iohan 1.* cto & igne, vt hæc Iohann. 1. late ſcribuntur. Proinde Diſcipulos miſiſſe ad Chriſtum, vt non ſe, ſed Diſcipulos certos faceret de Chriſto, Nam etſi de

Chriſto

Chriſto tanta illis & turbæ dixiſſet, non tamen adhuc Chriſtum præferebant Iohanni, quin potius indigne ferebant, Chriſtum baptiſare, & plures ad eum venire, vnde Iohannis 3. dicitur, Facta eſt quæſtio ex Diſcipulis Iohannis & Iudæis, de purificatione (id eſt, baptiſmate) & venerunt (ſcilicet Diſcipuli cum Iudæis, Quæſtionem hanc moturi) & ad Iohannem dixerunt, Rabi, qui erat tecum trans Iordanem, cui tu teſtimonium perhibuiſti, Ecce hic baptiſat, & omnes veniunt ad eum.

Vbi Iohannes eos multis compeſcens, inter cætera à ſe ad Chriſtum relegat dicens, illum oporter creſcere, me autem minui. Et multa alia de Chriſto filio Dei. Cum autem nec his illi mouerentur, quia nec dum ſigna fecerat Chriſtus, Tandem in vincula coniectus, auditis Chriſti operibus, quos hucuſq; verbis ſuis ad Chriſtum formarat, iam vt ipſiuſmet Chriſti, tum verba tum opera videant, iubet, vt ipſemet eum accedant & interrogent. Vnde & verba pluraliter ſonant, *An alium expectamus*, vt in perſona plurium ſcilicet Diſcipulorum & Iudæorum dicta. Et Chriſtus tam verba ſua quam opera, ſic tractat, vt miſſos Diſcipulos magis quam Iohannem erudiat, *Quæ videtis & auditis* (inquit) *Et beatus qui non fuerit ſcandaliſatus in me.*

Igitur voluit Iohannes Diſcipulos & turbas, pio fideliq; ſuo Miniſterio, non ſuo imperio, ſed Chriſto ſubiugare, ne poſt mortem ſuam, adhuc ſuperſtitioſius ei, neglecto Chriſto adhærerent. Voluit autem id, vt fieret efficaciſſime ipſiuſmet Chriſti verbis, operibus & autoritate, Nec hoc ſatis, noluit hoc à Chriſto expoſtulare, tanquam anteceſſor aut æqualis, ſed ſicut humilis ſeruus, qui ſciret Chriſtum omnia & omniũ oportunitatẽ noſſe, verecunde per interrogationem inſinuare, vt & verecundia ſua oſtenderet illum ſe eſſe maiorem, Adeo fuit ſollicitus pro Diſcipulis ſuis, ſimul ne ſcienti omnia, videretur importune obſtrepere. Si hanc Ambroſius pietatem intellexit, verecundiam ſcilicet erga Chriſtum, & ſolicitudinem ergo Diſcipulos, rectiſſime intellexit.

Dicit itaq;, Cum audiſſet opera, videlicet miracula Chriſti, Hanc opportunitatem eſſe ratus eſt, qua Diſcipulos Chriſto traderet, quos nec teſtimonio ſuo poterat mouere, quod Chriſto dederat, & ipſi Chriſti baptiſmo ac prædicatione magis etiam offenſi erant, Zelo ſui Magiſtri, Vbi apparet Iohannem noluiſſe eos ſubito à ſe abijcere & deſerere, ſed eorum ruditatem & infirmitatem toleraſſe, donec paulatim effectu & ſponte ſua, moti virtutibus Chriſti ſeſe desererent & Chriſtum ſequerentur, Difficile eſt n. inolitam, præſertim vulgi opinionem, ſtatim euellere, atq; ſi id vi & ſubito tentetur, in peiorem ſordem cadat, neceſſe eſt. Nec Chriſtus Diſcipulos ſuos, omnia ſubito docuit nec fecit, Sed multam tolerans in eis ruditatem, paulatim eos perfecit.

His igitur cognitis claret, cur miſſis Diſcipulis interroget, *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Atque vt hic meo abundem ſenſu in eo, quod dicit, An alium expectamus, videtur indicare, Diſcipulos Iohannis & Iudæos Iohanni quidem credidiſſe, dicenti, Venturum eſſe quendam magnum, cuius dignus non eſſet corrigiam calciamenti ſoluere, Verum non credidiſſe hunc magnum eſſe iſtum I E S V M, ſed alium adhuc futurum, ad quod primo moti ſunt, quia longe maioris & nominis & autoritatis erat ipſe Iohannes quam Chriſtus, tam apud magnates quam infimates. Vnde verbum Iohannis de magno venturo, præ infirmitate ruditateque non poterant Chriſto aptare. Secundo quia eodem carnali ſenſu preſſi, ſuſpicabantur, venturum illum, fore glorioſum ſecundum pompam mundi, quod vbi in Chriſto non viderunt, inter cœlũ & terram pendebant, Iohannis verbum eſſe verum.

verum,& tamen Chriſto non conuenire arbitrantes. Profunde enim inſederat vniuerſis Iudæis opinio Chriſti mundana & ſecularis, Ideo difficile erat, in ſpiritualem opinionem eos traducere.

Hæc ita habere, confirmat, quod Chriſtus, velut eorum ſenſum carnalē percutiens dicit. Beatus qui non fuerit ſcandaliſatus in me. Nam ipſi reuera in ipſo ſcandaliſati fuerunt, vt ex ſupra dicta eorum quæſtione de purificatione patuit, permittebant quidem eum à Iohanne laudari & teſtimonium ei perhiberi tanquam viro bono & ſancto, ſed eſſe ipſum, quem Iohannes venturum prædixit, non capiebant, offenſi paruitate & humilitate, quas manifico verbo Iohannis videbant extreme contrarias eſſe. Vnde Iohannes, auditis operibus Chriſti, confidit eos, firmari poſſe per illa, ac ſic mittit.

Et reſpondens Ieſus dixit illis: Ite & renuntiate Iohanni ea, quæ videtis & auditis, Cæci vident, Claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes euangeliſantur. Et beatus, qui non fuerit ſcandaliſatus in me.

NOn tantum reſpondet Chriſtus verbis ſed & operibus, in quo maxime id curauit, ne quis, ſine operibus vel ante opera, de ſe aliquid dicat, aut aliquid haberi velit. Deinde vbi opera, oſtendit, in fine confitetur & reſpondet verbis, Se eſſe eum, quem expectant, ſed obſcure, dum dicit, *Beatus qui non fuerit ſcandaliſatus in me.* Si non eſſet is ipſe, qui venturus eſſet, non ſic prædicaret beatos, qui ſe ſuſciperent, nec offenderentur in eo, Q.d. ſum quidem, quem quæritis, ſed tam vili in forma apparens, vt opus ſit vobis magna cura, ne offendamini in me eſſe incredulitatem. In quo ſimul oſtendit, eos qui operibus ſeſe poſſunt clarificare, quales ſint, non multis verbis, nec eis apertis opus, Nam & vulgo ſic facimus, vt paucis verbis de nobis loquamur, ſi operibus multum valemus. Hoc enim magni & generoſi animi officium eſt. *Prou.14.*
Contra de arrogantibus, Prou.14. Vbi plurima ſunt verba, ibi frequenter egeſtas. Et vulgus quoq; paſſim non credit multa de ſe dicentibus, ita vt Prouerbium natum ſit, Propria laus ſordet, quam vt caueret & cauendum doceret Chriſtus & fidem eorum quam optime excitaret, optime multa & clara proponit opera & modica obſcuraq; verba.

Sed & ideo voluit obſcurioribus verbis eis reſpondere, vt diuini eloquij ſeruaret morem, In quo, ſemper tales leguntur fuiſſe vel apparitiones vel viſiones foris, quales erant intus ij, quibus fiebant. Sic Chriſtus Diſcipulis euntibus in Emaus, peregrinus erat, quia intus eum non recte cognoſcebant. Et Mariæ Magdalenę Hortulanus erat, & mons Sina Iudæis terribilis foris, quia vere legem intus metuebant, non diligebant, ſic Moſis velamen cæcitatem cordis eorum ſignificabat, & multa ſimilia, Ita cum CHRISTVS Diſcipulis Iohannis eſſet contemptibilis & obſcurus, obſcure quoq; eis loquitur, Et eiſdem verbis eorum affectum depingit, qui ſcandaliſabatur in eo.

Diſcipuli euntes in Emaus Lucæ.24.

Theologiæ cognitio conſiſtit in vera cognitione legis & Euangelij.

QVando autem pene vniuerſa Scriptura totiuſq; Theologiæ cognitio pendet in recta cognitione Legis & Euangelij, & huic rei vrgentem nobis occaſionem hic Iohannes & Chriſtus præbent, Digrediendum erit, pro omnibus deinceps Euangelijs melius intelligendis, & videndum, Quid ſit, quid differat, quid faciat Lex & Euangelium, Ponit hic CHRISTVS loco ſexto, Pauperes euangeliſantur, quod niſi ſciatur, quid ſit Euangelium, non poteſt pro magno Miraculo accipi.

Lex

Lex diuina.

Lex quæcunq; præſertim diuina, eſt verbum iræ, virtus peccati, Lex mortis, quod ſic intelligitur, Poſtquam homo per peccatum corruptus, factus eſt pronus ad omne malum, & vt Scriptura dicit, quia caro eſt, Gene. 6. nulla lege poteſt cohiberi & curari, vt non ſit pronus ad omne malum. Ideo vbi & quandocunque Lex ei ponitur, ſtatim ex natura iam corrupta odit legem, malletq; nullam eſſe, & liberam habere concupiſcentiam, vt experimur omnes in nobis ipſis, licet exteriore pœna legis vel comminatione inferni, aut contra, exteriore promiſſo legis, vel promiſſo cœlorum regni, faciamus, aut omittamus, quod Lex iubet, Tamen reuera mallemus, vt nulla eſſet pœna, & gratuito bona collata, Ideo nunquam ex ſyncero corde & gratis diligere ac facere legem poſſumus, ſicut ex corde diligimus legis contraria, Vt ſi quæras fornicarium, cur libidinetur, nõ poteſt reſpondere aliud, niſi quia ſic placet, & quia diligit voluptatem libidinis, Non enim propter alicuius promiſſionem, aut pœnæ comminationem, ſed ſponte & gratuito facit, nulla re niſi ipſa libidine delectatus.

Talem dilectionem legis non dabis in vllo homine, quia nullus eſt, qui ideo faciat bona, quia placent, aut quia delectetur in Lege, Sed quia timet pœnam præſentem & futuram, vel ſperat præmium præſens vel futurum. Tales autem omnes ſunt Mercenarij & ſeruiles, qui cum intus reuera odiant legem, diligantque contraria eius, facerentque, ſi impune liceret, etiam hoc adijciunt, quod ſimulatis iſtis operibus, quæ ex vero corde non faciunt, non quærant, quæ Dei, ſed quæ ſua ſunt, nec ſicut filij liberaliter Deo Patri ſeruiunt, ſed coacti, tanquam iudicem ſibi placant.

Internum legis odium.

Lex reuelatas & cognita.

Hoc internum odium legis, profundum quidem, ſed magnum non eſſet, ſi Lex non eſſet, hoc eſt, non agnoſceretur, ſed ſine timore & ſcientia contra Legem peccaretur. Vbi autem Lex reuelata & cognita eſt, mox concupiſcẽtia inuita prohibita & coacta, non poteſt non odiſſe prohibitricẽ & afflictricem Legem. Ita fit, vt concupiſcentia prohibita, indignetur, creſcat & maior fiat. Et hoc eſt, quod peccatũ per Legem abundare dicit Apoſtolus Rom. 5. Et ſic Lex eſt virtus peccati, quia roborat & maius facit peccatum, ideò & Lex mortis, quia occidit, dum peccatum maius facit, ita & verbum iræ, quia conſcientiam ream iræ Dei obijcit & accuſat atq; conuincit. Nam per Legem non ſolùm peccatum manifeſtatur, ſed etiam inuenimus diligere peccatum & odiſſe iuſtitiam contrariam peccato, Atq; ita Homo per Legem docetur, quis ſit, quàm impius & inimicus Dei, cuius bonam, ſanctam, iuſtam legem ex corde non ſolùm non amat, ſed odit quoq; malletque Deum cum Lege non eſſe, vt liceret concupiſcentiam ſuam habere liberam. Et ſic dicitur vere. *Omnis homo Mendax*, quia veritati diuinæ contrarius hoſtis eſt.

Peccatum per legem abundas.

Roma 5.

Omnis homo mendax.

Hæc autem non credunt quidam Theologi, qui ſequuntur Philoſophiam, & habent bonas intentiones & dictamina naturalia, Interim profundam hanc maliciam nec intelligentes, nec legem.

Euangelium bonum nuntium:

EVangelium vero eſt verbum gratiæ, vitæ & ſalutis, verbũ iuſticiæ & pacis, omnino contrariũ legi, & tamen ſimul conſonantiſſimũ, quod latine dicitur, bonum nuntium, vt Rom. 10. Quam pulchri pedes Euangeliſantium, prædicantium pacem & annuntiantium bona. In Euangelio enim reuelatur contraria concupiſcentia, ſcilicet charitas & gratia Spiritus ſancti, qua ſanatur corruptio naturæ, & diſcit homo facere bona, Quia placent & in Lege delectatur, quã prius odiebat. Quare in Euangelio nõ legimus niſi beneficia, nullus ibi occiditur, percutitur, aut male tractatur, ſed omnes male habentes, melius habẽt, Et eſt Chriſtus vniuerſo populo gratus ac ſuauis. Contra in lege, quoties percuſſi ſunt Iudæi in deſerto? Quis illic

Rom. 10.

Digitized by Google

non terretur & male tractatur? Nullum enim Moſes ſanaſſe legitur, ſed Aaron Sacerdos aliquando. Vnde & Moſen odiebant & volebant lapidare toties. Hæc omnia ideo, quia Euangelium eſt verbum gratiæ, in quo prædicatur remiſſio peccatorum, & quomodo Legem implere poſſumus, Scilicet quod qui ſe ſentit odiſſe Legem (ſicut vere odit omnis homo) & habet conſcientiam peccati, audiat & credat, & inuocet Ieſum Chriſtum ſaluatorem, qua fide meretur accipere Spiritum ſanctum, quo habito diligat Legem & odiat peccatum contrarium Legis, & ſic iuſtificetur coram Deo, Hoc eſt, quod Paulus vbique fidem Chriſti ſic prædicat, Rom. 1. *Iuſtus ex fide viuet*, Quare? *Rom. 1.*
quia fides Chriſti mox accipit Spiritum ſanctum, qui diffundit charitatem in cordibus noſtris, Rom. 5. Tunc incipit placere Lex, & odiri peccatū, quod *Rom. 5.*
reliquum eſt. Sicut ergo per Legem peccata abundant, Ita per Euangelium iuſticia abundat. Euangelium dat, quod Lex exigit. Sic B. Auguſtinus de Spiri. & litera, Lex fidei impetrat, quod Lex factorum imperat, Hoc eſt, quod Lex minatur, ſed non iuuat, imo premit, Et ſunt Moſi manus graues, quia non poteſt iuſtificare quenquam, ſed tantummodo reos facere & oſores legis. Sed Euangelium iuuat & opera Chriſti nobis impartit.

Euangelium eſt verbum gratiæ.
Legem odit omnis homo.
Peccata per legem abundant.
Moſi manus graues.
Vis & opus Euangelij.

Sic in præſenti Euangelio, Vis & opus Euangelij oſtenditur, quando Chriſtus dicit, Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt. His enim quinq; beneficijs, vniuerſa beneficia Euangelij commendat, & quinario numero abſoluit, quia tantum homini proſunt, qui numero quinario, propter quinq; ſenſus & rationalem animam, quæ ſola poteſt numerare, & per quinq; ſenſus viuit & operatur ſignificatur, vt in decem Virginibus Auguſt. obſeruauit. Igitur officium Legis eſt, peccatores, damnatos, reos, miſeros, triſtes, turbatos, facere, & omnino conſcientiam peccatis onerare, Contra Euangelij eſt, iuſtos, ſaluos, beatos, *Eſaiæ.*
lætos, quietos facere, & omnino conſcientiam pacificare & alleuiare. Vnde Iſa. 9. Virgam humeri eius, & iugum oneris eius, & Sceptrum exactoris eius ſuperaſti, ſicut in die Madian (id eſt) Legem impleſti, quæ premebat nos. Vnde ſequitur, qui adhuc triſtem & malam habet conſcientiam, nec Chriſtum nec Euangelium cognouit, Impoſſibile eſt, animam eſſe triſtem, ſi in Chriſtum vere credat & Euangelium cognoſcat, Eſt enim Euangelium, ſuaue & bonum nuntium, non niſi beneficia peccatoribus indignis, in Chriſto nobis data annuntians, quod qui credit, Spiritum accipit Patris & lætus efficitur.

Decem virgines, Matth. 24.
Officium Legis & Euangelij.
Euangelio reſiſtentes.

Vnde vehementer obſiſtunt Euangelio, qui per opera, peregrinationes, indulgentias, volunt pacem conſcientiæ obtinere, cum ſit non alia via, quam fides in Chriſtum Euangelio nuntiata, & quia multos peruerſos Doctores habet Lex, qui ad Euangelium non mittunt, ſicut Iohannes facit, ſed tantum in operibus fatigant homines miſeros. Deinde difficile & inuſitatum vulgo eſt, credere in Chriſtum & fide ſola pacem quærere. Ideo hic tanta difficultate res agitur, antequam Diſcipuli Iohannis Chriſtum agnoſcant. Sicut & hodie ſunt plurimi Fabulatores, qui tantum opera & Leges hominibus inculcant nunquam autem fidem, quibus fit, vt operibus aſſueti difficilime fidem amplectantur.

Nunc quod ſexto loco dicit, Pauperes euangeliſantur, facile intelligitur, quod Euangelium (id eſt, beneficia Dei in Chriſto) annuntiatur, nō diuitibus, potentibus, ſapientibus, ſed pauperibus. Nam Pauperes euangeliſantur, paſſiue intelligitur, iuxta illud Iſa. 61. Pauperibus euangeliſare miſit me, Pauperes autem intelligit non modo, qui diuitiarum inopes ſunt, ſed prorſus, quocunq; modo oppreſſos, afflictos, egenos, triſtes, humiliatos, quod

Pauperum

Pauperum vulgus fere ſoleat his afflictionibus obnoxium eſſe, Ita enim in Ebræo quoque ſonat, *Euangeliſare pauperibus, Iſa. 61.* Quare & inter Pauperes numerandi ſunt, Cæci, ſurdi, claudi, leproſi, mortui, & in vniuerſum, qui beneficio indigent Chriſti, præſertim gratia & remiſſione peccatorum. Nam eſurientes replet bonis, & diuites dimittit inanes. Reddit enim rationem his verbis, Cur beneficia ſua donentur, non magnis & diuitibus, ſicut mundus ſolet, quia (inquit) ſic miſſus ſum, docere, quod beneficia mea non niſi egenribus donanda ſunt, Ideo cœcos illumino, ſurdos audire facio, leproſos mundo, & omnino peccatores ſaluo.

In quo ſimul carnalem eorum & omnium Iudæorum ſenſum tangit & reprobat, qui Magnum illum futurum, quem à Iohanne audierant, ſuſpicabantur, facturum grandia in pompa Mundi, qui more terreſtrium Principum, non niſi inter purpuratos, auratos, ferreos, proceres, incederet, & Populos vi ac poteſtate ſibi ſubijceret. Qui quia humanis viribus indigent, diuitibus, fortibus, ſapientibus opus habent, quorum auxilio faciant quæ faciunt, Pauperum vero, cæcorum, claudorum, leproſorum, & omnino contemptibilium & inutilium, nec curam nec noticiam poſſunt habere, Neque enim tales ſine aulæ, ſiue negotijs eorum conueniunt, In domibus enim Regum ſunt, qui mollibus veſtiuntur, vt infra dicet. *Carnalis Iudæorum cogitatio de Chriſto.*

Quando autem CHRISTVS & officium ſui Euangelij, eſt tantum Pauperibus & afflictis inſeruire, neceſſe eſt, omnes in eo ſcandaliſari alta ſapientes & ſublimes oculos habentes (vt Prouer. 30. dicitur) Et palpebras in altum ſurrectas, Hi ſunt, qui ex Chriſto & Euangelio eius, non niſi ea quærunt, quæ coram Hominibus magna ſunt, quales erant, quibus hic dicit, *Et beatus, qui non fuerit ſcandaliſatus in me,* Quia enim Chriſtum ſibi fingebant, in gloria & poteſtate venturum, non credebant eum eſſe, qui pedeſter inter pauperes Piſcatores inceſſit, nec niſi cum cæcis, ſurdis, aliiſque oppreſſis, cum Publicanis & peccatoribus agebar, nihil eorum oſtentans, quæ illi expectabant. *Beatus qui non fuerit ſcandaliſatus in me.*

Et in hoc verbo ſcopus & ſumma totius huius Euangelij tangitur, & vniuerſa illa cauſa incredulitatis Iudæorum tractatur, quæ eſt formæ humilitas, quam Chriſtus exhibet, contraria magnifico teſtimonio Iohannis. Ideo enim Iohannes ad Chriſtum mittit, ideo Chriſtus remittit, oſtenſis primum operibus & adiuncta exhortatione fideli, vt à ſcandalo ſuæ humilitatis eos ſeruaret.

Sic ſunt & hodie multi, qui in Chriſti verbum offendunt, præſertim ij, qui ſublimes tantummodo ſuſpiciunt, pauperes & afflictos nihil curant, deinde qui in ſuis viribus & operibus præſumunt ſeſe quietare & iuſtificare, aut pro inſenſata ſua duritia, vt pauperes & afflicti ipſi non ſunt, ita nec Euangelio, nec beneficijs eius digni ſunt. Euangelium enim facit omnia, ſi in ipſum credimus, conſolatur triſtes, erigit deiectos, confortat puſillanimes & omnem infirmitatem animæ tollit. Cætera omnia ſunt præſumptionis & deſperationis negocia.

Sequitur.

Euntibus autem illis, cœpit dicere ad turbas de Iohanne, Quid exiſtis in deſertum videre? Arundinem vento agitatam? Sed quid exiſtis videre? Hominem mollibus veſtitum? Ecce qui mollibus veſtiuntur, in domibus Regum ſunt. Aut quid exiſtis videre? Prophetam? etiam dico vobis, & pluſquam Prophetam. Hic eſt enim de quo ſcriptum eſt, ecce ego

mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.

Cur Iohannes à Chriſto commendetur.

PRo ſimplici & plana ſententia horum dictorum, intelligendum eſt, Iohannem à Chriſto ideo ſic commendari, vt quod cœpit de ſcandalo ſui prohibendo expleret, Dictum eſt enim quam graue periculum Iudæis erat incredulitatis, iſta Chriſti forma, in paupertate & humilitate apparens, Ideo vt fidem eorum in ſe ædificet, commendat Iohannem, Nam cum Iohannes Chriſtum illis fuiſſet teſtificatus eſſe agnum Dei, & Maiorem illum poſt ſe venturum, tota vis ſita erat in eius teſtimonio, cui ſi crederent, Chriſtum haberent, ſi non, carerent. At credulitati obſtabat (vt dixi) forma & perſona humilitatis. Videamus ergo.

Chriſtus commendat primo Iohannem à conſtantia.

Primo commendat à conſtantia, negans eſſe eum arundinē agitatam, Ac ſi dicat, Vos exiſtis in deſertum videre Iohannem & audire eius teſtimonium, Iam quia ſcitis, de quo ille teſtificatus eſt, nempe de me, Cur ergo non creditis ei? cur illius teſtimonio me non ſuſcipitis? cur in me ſcandaliſamini? An putatis illum aliud vnquam dicturum quam quod dixit? An creditis quia ille vento inſtabilitatis propter vos mutabitur, ſicut vos opinionum vento & ſuſpitionum ac incredulitatis agitamini? Si vos eſtis Arundo inſtabilis, ne ſperetis ſimiliter illum ceſſurum veſtræ inſtabilitati, & alium vobis monſtraturum, quē pro veſtro carnali affectu expecteris? præſens ſum, quem ille teſtificatur, & vos me contempto in alium incertis ſuſpitionibus mouemini Ita pulchre ſub laude conſtantiæ Iohannis, illorum inſtabilitatem cordis coarguit, quod in ipſum certo præſentem, illius certiſſimo teſtimonio non mouentur ad fidem, Suauiter tamen in hoc eos ad fidem ſui & à periculo ſcandali trahens, adeo omnia dicit & facit, pro alijs ſaluandis.

Chriſtus ſecundo rigorem Iohannis commendat.

Secundo, rigorem Iohannis commendat, aduerſus adulatorum mollitiem, Nam ſicut conſtantiæ eſt, propter aduerſarios non cedere, Ita rigoris eſt, propter blanditias adulantium non diſſolui, Vtrunque enim pertinet ad teſtem fidelem veritatis, Vt ſit ſenſus, Vos exiſtis videre Iohannē & audire, & ecce vidiſtis & audiſtis, Cur non creditis? An putatis illum locuturum molliora & vobis placentia de me? Aſpera vobis eſt, nec placet forma mea, qua appareo, ideo non creditis illi, & in me ſcandaliſamini, Reſpiciunt autem cogitationes veſtræ ad aliū, qui in forma vobis placita venturus ſit, hoc eſt, in regali Pompa, iſta molliuſcula & carnalis affectio veſtra optat, vt & Iohannes talem vobis teſtificaretur, & veſtro ſenſui in hoc ſatis faceret pruriens auribus veſtris, Tum eſſet mollis Iohannes & blandus Adulator veſter, ſed ſimul fallax contra me teſtis. Nunc quia ſicut in perſona aſperi eſt veſtitus, Ita & verbum eius aſperum vobis eſt, quia me teſtificatur, cuius forma vos ſcandaliſat, dura & horrida in oculis veſtris. Hic iterum vides quam ſub laude rigidi & aſperi Iohannis, effæminatum & mollem affectum eorum de temporali & mundano aduentu CHRISTI arguat, ſimul tamen inuitans ſpiritualem & virilem fidem ſui, per teſtimonium Iohannis.

Iohannis verbum Iudæis aſperum.

Tertio commendat Chriſtus Iohannem à dignitate.

Tertio à dignitate Iohannem commendat, nam quos conſtantia & rigor non mouit, ſaltē opinio & dignitas officij moueat, vt ſit ſenſus. Vos enim ipſi eum creditis Prophetā eſſe, ſed in me per eius Teſtimoniū non creditis, quia de alio futuro eum loqui putatis, qui veniat iuxta veſtrum ſenſum. Ego autē dico vobis, Non hoc modo tantum eſt Propheta, ſed pluſquā Propheta, quia non prædicit futurum, ſed præſentem me monſtrat vobis, Idcirco non eſt, quod ſcandaloſæ & volatiles cogitationes veſtrę alio quā ad me ſpectent, non prophetat vobis Iohannes alium, quam monſtrauit digito.

digito. Ite[illegible]n vides quam ſenſum cordis eorum tangat, qui etiamſi potuiſſent Iohanni credere, tamen quaſi excuſantes ſuum ſcandalum prætexuiſſent, ſe ideo Chriſtum non recipere, quia Iohannes, vt Propheta de poſt futuro loqueretur, Sicut primi, quod forte de alio adhuc eſſet locuturus, aut certe, vt ſecundi, de quopiam qui forma gratiore adueniret. Adeo præſtruit omnem exitum incredulitatis eorum, nec vllam ſinit excuſationem ſupereſſe, qua freti non credunt in eum. Itaq́, nec alium, nec gratioris formæ, nec poſterioris temporis expectetis, Sed ego præſens ſum, quem ille venturum prædixit, quia ipſe eſt Angelus, id eſt, nuntius, ante faciem meam miſſus, non iam nunciare Aduentum meum, ſed parare viam meam.

Et notandum, quod toties repetis, Exiuiſſe eos in deſertum, vbi literam occidentem taxat, quod non niſi corpore exierint in corporale deſertum ad Iohannem, ad quem tamen oportuerit exire etiam Spiritu, id eſt, affectu, in alium ſenſum, relicta imaginatione illa carnali de Chriſto venturo, quæ ſcandaloſa eſt, & teſtimonium Iohannis accipere non poteſt, ac per hoc, nec Viam parari Chriſto in eis permittit, Hæc de hiſtoria.

De myſterijs Iohannis & Chriſti.

Licet Iohannes & Chriſtus modo non ſint in Eccleſia corporaliter, non minus tamen vtriuſq; officium aſſidue agitur Idem per Sacerdotes, quod tunc agebatur per ipſos. Pro quo ſciendum, quod Iohannes, vox clamantis in deſerto dicitur (vt videbimus futura Dominica) parantis viam Domini. Quæ vox vſque hodie eſt omnium, qui prædicant Euangelium. Vox (inquam) Euangelij in Eccleſia, eſt vox Iohannis in Deſerto, faciťque idem quod Iohannes, quod videamus.

Vox Euangelij in Eccleſia eſt Iohannis vox.

Primum Euangelium habet duplex officium. Alterum eſt interpretari Legem, ſicut Matth. 5. illud, Non occides, non adulterabis, non periurabis, ſic interpretatur, vt non ſolum opus externum, iuxta literam & verborum ſonũ, ſicut rudes Iudæi accipiebant, prohibitum intelligatur, ſed etiam internum deſiderium cordis, Ego dico vobis (Inquit) omnis qui iraſcitur fratri ſuo, Item, qui viderit mulierem ad concupiſcendum, Item, ego dico vobis, non iurate omnino &c.

Euangelij duplex officium. Primum.

Hac legis interpretatione fit, vt omnes Inueniantur peccatores & legis rei, Quia etſi ab operibus, metu pœnarum abſtinent aliqui, nulli tamen non concupiſcunt, iraſcunturq́, &c. præſertim data occaſione. At iraſci eſt, corde occidere, concupiſcere, eſt corde mœchari, quantumlibet opus non ſequatur, Sic Paulus Rom. 7. Scimus quoniam Lex ſpiritualis eſt, ego autem carnalis, Quia Lex Dei non opus aut verbum tantum, ſed etiam motus cordis prohibet & exigit. Et ita per Legem non niſi cognitio peccati, qua intelligimus impoſſibile eſſe, nos ex nobis eſſe aut fieri bonos, cum eo magis concupiſcentia odiat Legem, quo magis cognoſcit Lege ſe prohiberi. Et tamen neceſſariũ eſt legem Dei ſeruare ſub pœna æternæ damnationis. Sic Legis interpretatio & primum officium Euangelij ducit nos ad inferos & ad mortem, Sic autem per Legis cognitionem peccato reuelato, magnificato & aucto, ac per hoc, conſcientia perturbata & ad infernum deducta cognitaq; Impoſſibilitate ſua, non eſt reliquum, niſi deſperatio, quia non inueniunt vnum opus, quod purum ſit & Legi ſatisfaciat, quæ cor purum quærit, quale nullus habet, vt dixi.

Corde occidere. *Rom. 7.* *Per legem cognitio peccati.*

Tunc ſequitur.

Alterum opus Euangelij, quod eſt ſuum propriũ officiũ, quod annuntiat ac monſtrat Chriſtum, in quem ſi credat cor, accipit Spiritum ſan-

Alterum Euangelij opus monſtrare Chriſtum.

ctum,quo diffundente charitatem,incipit amare Legem, & ſi[illegible]ura conſcientia,bona opera facere,ſic Actor.15.*Fide purificans corda eorum*, Si Legis interpretatio,malam augens conſcientiam,cogit ſuſpirare eſurire,anxie quærere miſericordiam Dei(id eſt,Chriſtum)Tunc omnis,qui quærit, inuenit, & pulſanti aperietur.Sic Euangelium occidit & viuificat, deducit ad inferos, & reducit, percutit & ſanat.

Legis vera cognitio.

Iſta duo officia Iohannes geſſit, Alterum, quando prædicauit baptiſmum pœnitentiæ,ducens eos in cognitionem peccatorum ſuorum; Hoc enim officio parauit viam Domini,& plebem Domino perfectã, quo eos humiliatos in ſui cognitionem fecit deſiderare venturum Chriſtum. Non enim venit Chriſtus,niſi ad eos,qui parati ſunt & viam eius paratam habent, Hi ſunt,qui prauis in directum & aſperis in planum redactis, poſita ſuperbia & præſumptione,humiliati ſuſpirant miſericordiam eius, Sic Legis vera cognitio euacuat hominem omni fiducia ſui,& capacem cupidumque gratiæ reddit. Alterum,quando teſtimonium perhibet de Lumine,productoque digito Chriſtum monſtrat dicens: Ecce Agnus Dei,Ecce qui tollit peccata Mundi. Q.d. Si vos Lex terret, premit & turbat,ſentitiſque vos non poſſe Legem implere,ex qua re peſſimam habetis conſcientiam, Ecce oſtendam vobis, quis vos ab hoc malo liberet,ad Chriſtum ite,in eum credite. Ipſe enim tollit peccata veſtra,accepto per fidem Spiritu ſancto.Non enim vos ideo baptiʒaui & peccatores feci,vt tantum peccatores eſſetis,ſed vt Peccatores facti, & poſt aquæ baptiſmum,ad iuſticiam Chriſti mitterem,qui vos baptiſaret Spiritu ſancto & igne.

Docentes leges humanas longe abſunt à vero Euangelio.

Ex quibus patet,quam longe abſunt à vero Euangelio, qui humanas Leges docent in Eccleſia,ſiquidẽ nec illi ſunt Euangelici Doctores, qui Legem Dei ſic docent,vt tantummodo eam faciendam ſuadeant, Hi non faciunt,niſi perditas conſcientias,ſicut faciunt quidam Summiſtæ & Sententiarij,qui nunquam eo perueniunt,vt vtrum officiorum Euangelij agant, nec interpretantes Legem nec ad Chriſtum dirigentes, ſed tantũ in operibus formandis laborantes.Hi vero recte docent,qui per Legem terrent Homines, dum eos docent,non poſſe vnum opus Legis facere, quia corda eorum pura eſſe non poſſunt,ſicut Lex requirit,eſſeq; legem eis impoſſibilem factu. Ac ſic territos & humiliatos mittunt ad Chriſtum Saluatorem, in quo credentes ſalui fiant.Sic Matt.13. Chriſtus,Scribam doctum in Regno Cœlorum comparat Patriſfamilias,qui profert de Theſauro ſuo noua & vetera (id eſt) docet peccatum per Legem & Gratiam per Chriſtum,percutit & ſanat, Et eſt Angelus ille miſſus,qui præparet viam gratiæ per Legis interpretationem.

Iohanni & Chriſto reſiſtunt iuſticiarij.

Vnde ſequitur,quod Iohanni & Chriſto,id eſt,Euangelio & gratiæ,nemo pertinacius reſiſtit,quam iuſticiarij illi, qui in litera & operibus Legis fidunt, Hi enim interpretationem Legis non ſuſcipiunt, nec patiuntur ſeſe peccatores & ſtultos argui in ſuis factis,Sicut Chriſtus & Iohannes vterque Phariſæos ob hoc Genimina viperarum vocat,& Publicanos & Meretrices præceſſuros eos in Regno Cœlorum,dicit. Nam qui Iohanni non credit, Chriſtum non accipit,qui Legis interpretationem recuſat, gratiam non conſequitur,Quia non vult humiliari in peccatum ſuum. Tales ſunt & hodie, qui lib.arbitrium iactantes,nolunt immundi & mali eſſe, & Lege Dei non patiuntur ſe argui,ſed bona intentione,Legem dicunt facere ad ſubſtantiam factorum,in quo non peccent,etſi non mereantur,nec iſti indigent agno Dei, qui tollit peccata eorum,& Iohannes fruſtra eum illis monſtrat officio ſecundo,quem contemnunt officio primo.

Iohannes mediator inter legem & Gratiam.

Nunc intelligimus,quomodo Iohannes ſit mediator inter Legem & Gratiam,

Gratiam, & vtramq; coniungat, quia & Legem & Gratiam aperit ac monſtrat, illam interpretando, hanc oſtendendo. illo facit peccatores, hoc iuſtos, illo facit deſperari de ſe, hoc deſiderari Chriſtum. Vnde Chriſtus recte hic dicit, *quod à diebus Iohannis, Regnum cælorum vim patitur*, & violenti rapiunt illud, quia per officium eius primum humiliati, vrgente conſcientia peccati per Legem cogniti, irruunt homines magno affectu ad gratiam, ac veluti per vim rapiunt, Quia æſtuantiſſime cupiunt à peccatis liberari, quibus per Legem premuntur. Hanc enim vim intelligit iſtis verbis CHRISTVS, ſicut ſi famelici, cognita diuitis alicuius largitate, turmatim ac magno niſu ad eam irruant. Hoc enim eſt officium vocis Euangelicæ & Iohannis, facere peccatores ſitibundos Miſericordiæ. Ideo & pluſquam Propheta eſt, ideo tam magna de eo dicuntur, quia nullus Propheta Chriſtum monſtrauit, ſed tantummodo Legem ſeorſum inculcauit ſine oſtenſione gratiæ, nulla doctrina gratiam peccatoribus niſi Euangelica oſtendit, ideo eſt verbum pacis & remiſſionis. Ideo denique Iohannes aſper eſt in veſtitu & victu, quia officio ſuo priore, Legem interpretans, peccatores facit, quod horret omnis caro.

Iohannes ſfert peccatores miſericordiæ ſitibundos.

IAm poteſt & Epiſtola cum hoc Euangelio comparari, quod Doctores verbi in Eccleſia non ſunt, niſi Miniſtri Chriſti & Diſpenſatores myſteriorum Dei, hoc eſt, ſunt in officio Iohannis, populos non ſibi, ſed Chriſto ſubijcientes, docendo Legis intellectum & cognitionem gratiæ ſimul peccata reuelantes, & peccatorum remiſſionem. Sunt enim & ipſi angeli Domini, qui mittuntur ante faciem CHRISTI, vt parent viam eius ante eum, hoc eſt, tradunt verbum Euangelij, externa voce, qua homines (ſi audiant) parantur, vt intus gratiam ſuſcipiant, Nec enim niſi per verbum Dei venit fides & gratia, vt Rom. 10. Quomodo credent quem non audierunt? Ergo fides ex auditu, Quare idem eſt, eſſe Miniſtrum CHRISTI & Diſpenſatorem myſteriorum Dei, quod Angelum ante faciem CHRISTI præparatorem viæ & fidei CHRISTI in hominibus. Sicut idem figuratum eſt Dominica prima, in adductione & præparatu Pulli, ſuper quem Apoſtoli CHRISTVM ſedere fecerunt, Omnes qui docent in Eccleſia verbum CHRISTI, Angeli iſtiuſmodi ſunt, quia verbum tradunt, ſed Chriſtus cum verbo veniens, fidem infundit & ſedet ſuper eos, Sic miſit 70. Diſcipulos ante ſe in omnem locum, quo erat ipſe venturus.

Vnde & ipſi prædicatores ac Paſtores Eccleſiæ debent omnia Iohannis præconia habere prædicta, vt non ſint arundo ventis agitata, nec mollibus veſtiti & pluſquam Prophetæ, ne ſcilicet aut aduerſitate aut felicitate victi, verbum Dei adulterent. Sed metuendum ne hodie quoq; Iohannes ſit in vinculis aut potius decollatus, dum præ potentia Tyrannorum in Eccleſia, puta veritas in Eccleſia (id eſt, Vox clamantis in deſerto) non permittitur dici, quin extincta ipſa, pro ea, hominum opiniones, & ſaltatiunculæ, quibus filia adulteræ Herodiadis ludit & delectat homines ventris, celebrantur & ſuſpiciuntur.

Pij Doctores debent omnia Iohannis præconia habere.

Verum dum ſic Euangelium prædicatur, fit, quod factum eſt in hoc Euangelio, videlicet, quod non omnes credunt Euangelio, ſed ſemper aliū & alium Chriſtum quærunt, & ſcandaliſantur in vero Chriſto per Euangelium prædicato, ſicut in Epiſtola indicat Paulus, Alios voluiſſe Petri, alios Pauli, alios Apollo cenſeri apud Corinthios, Adeo ſcilicet humanus ſenſus pertinaciter & ſemper alia via quærit ſalutem, quam per Chriſtum (id eſt, humilitatē & abnegationem ſui) quæ eſt in fide. Abhorret enim in nihilum redigi, & ſolo verbo fidei viuere, putans ſe ſuis operibus & ſtudiis cūā nonnihil

 poſſe.

poſſe. Porro illi multo omnium peſſimi,qui non modo non credunt, ſed verbum quoque perſequuntur & veritati reſiſtunt. Hi ſunt qui captiuant & decoliant Iohannem in carcere & vinculis legum ſuarum,ut pro arbitrio ſuo doceant,agant, viuant ac regant.

DOMINICA IV. ADVENTVS
Ex Epiſtola Philipp. 4.

FRatres, Gaudete in Domino ſemper,& iterum dico, gaudete, Modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus, Dominus enim prope eſt.

NON eſt dubium,hanc Epiſtolam in aduentu legi, propter hoc verbum, Dominus prope eſt,præſertim in ultima Dominica,quando prope eſt Natiuitatis dies,in quo etſi nonnihil torquetur verbum Pauli,eum non de propinquitate feſti Natiuitatis, ſed de aſſiſtentia Dei quotidiana loquatur,tamen quando per hoc nullum fidei aut Orthodoxi ſenſus periculum oritur,donandum eſt uniuerſitati Eccleſiaſticæ,quoties pro ſuo affectu attemperat & accommodat quippiam de Scriptura ſuis negotijs, Quod dico, ne quis elegantior & ſapientior Lector quam oportet, uſum hunc Eccleſiæ contemnat aut faſtidiat,aut pro nimio rigore, ſenſus tumultum & contentionem ſuſcitet,cum ſit multo melius in modico errare à Grãmatico, aut etiã proprio ſenſu,ſaluo nihil minus Catholico fidei ſenſu,quã nimia rigiditate diſſenſiones & ſtudia concitare,quando vnitas,pax & concordia,totius Scripturæ doctrina nobis commendatur,etiam cum iactura omnium rerum,nedum ſenſus noſtri , vt idem ſapiamus, iuxta præceptum Pauli hoc loco & modeſtia noſtra nota ſit omnibus hominibus.

Gaudere præcepit, ſed in Domino & ſemper, breuiſsime & pulchertime Chriſtiani hominis gaudium definiens,quod eſt cœleſte & perpetuum.Cœleſte,quia in Domino, perpetuum ſeu continuum,quia ſemper. Proinde , qui vel in diuitiis, poteſtatibus , honoribus, voluptatibus gaudent, gentili & mundano gaudio gaudent,Non enim ea gaudia ſunt Chriſtianorũ. Nec illi in Domino gaudent,qui in ſua ſapientia, prudentia, ſcientia, artibus, virtutibus,benefactis,aut quibuſcunq; donis ſpiritualibus gaudent,nam eum dicit,in Domino gaudete,oſtendit,quicquid non eſt Dominus, quantumlibet excellens donum & creatura Dei, non eſſe, in quo Chriſtianus gaudere poſſit & debeat.Nam in alijs rebus quam Domino gaudere,eſt aut voluptuari aut ſuperbire & ſibi placere, quæ omnia peccata ſunt. Quomodo autem gaudetur in Domino? Nempe,ſi cognoſcatur Dominus,vt Hier. 9. *In hoc glorietur,qui gloriatur*.Scire & noſſe me,vt & 1.Cor.1.Qui gloriatur in Domino glorietur,Et Pſal.32.Lætamini in Domino & exultate iuſti &c. Hoc autem fit,quando in Chriſtum creditur & de miſericordia eius præſumitur remiſſio peccatorum in læta iucundaque conſcientia.

Nec ſatis eſt,gaudere aliquando in Domino,ſed ſemper gaudendum eſt,ubi eos tangit,qui gaudent, laudant, cantant in Domino, tempore pacis & abundantiæ,ſed tempore aduerſitatis & preſſuræ deiecti triſtantur, in quo oſtendunt, ſe non ſyncere in Domino gauiſos unquam fuiſſe, qualis ille,de quo Pſalm.Confitebitur tibi cum benefeceris ei,Et Pſal.78. Et rememorati ſunt,quia Deus adiutor eſt eorum,& Deus excelſus Redemptor eſt eorum.Et dilexerunt eum in ore ſuo & lingua ſua mentiti ſunt ei. Cor autem eorum nõ erat rectum cum eo,nec fideles habiti ſunt in teſtamento eius.

Cum

Cum autem iſta ſimulatio gaudij multos fallat, & rari ſint, qui ſyncere
aut ſemper in Domino gaudeant, Ideo repetit & inculcat, dicens: Et iterum
dico, gaudete. Nam ſcientia Domini & gaudium in eo tam debet eſſe ſynce-
rum conſtanſq́ꝫ, vt ſi etiam conſcientia peccati quem contriſtet, imo ſi etiam
in peccatum labatur, tamen in fiducia miſerentis Domini hæc omnia vincat,
& plus de Domino gaudeat, quam de ſeipſo triſtetur, plus magnificet Dei
miſericordiam, quam ſuum peccatum.

Vehementer enim neceſſaria eſt iſta exhortatio ad gaudendum in Domi-
no, Quia vt in medio tribulationum, ita & peccatorum ſumus, vbi nos tam
culpa quam pœna aſſidue tentat ad triſticiam Spiritus, quibus per gaudium
& bonam conſcientiam in Dei bonitate aſſidue reſiſtendum eſt, Non enim
ſine peccato ſumus aliquando, at peccatum neceſſario ſecum habet turbati-
onem conſcientiæ à facie iudicij futuri, Ideo contra hanc turbationem do-
cet nos gaudio in Domino paratos eſſe & firmos.

Inſtitutis autem hoc verbo, quomodo ſe erga Deum habeat,
ſequitur, & quomodo erga homines ſeſe habere debeant, dicens: *Modeſtia ve-
ſtra nota ſit omnibus hominibus*, Ac ſi dicat, Coram Deo vobis opus eſt, vt ſer-
uiatis ei in lætitia & hilariter agatis in omnibus & ſemper, cum ille triſtes &
difficiles ſeruos nolit, ſed animoſos & fidentes, omniaq́ꝫ de ſua potentia &
bonitate præſumentes, Sic enim Mal. 3. arguit eos, qui dixerunt, Ambulaui-
Malach. 3. mus triſtes coram Domino. At corã hominibus opus eſt, vt ſic conuerſemi-
ni, vt omnibus placeat conuerſatio veſtra, quantum in vobis eſt. Ideo hic, ſic
temperate vitam veſtram, vt non modo nullum lædatis, ſed omnia faciatis,
feratis, cedatis, quæ ſaluo Dei mandato poteſtis, vt hominibus placeatis. Nam
eandem ſententiam, quam hic ponit, Modeſtia veſtra nota ſit omnibus ho-
Rom. 12. minibus, Rom. 12. ſic ponit. Prouidentes bona non tantum coram Deo, ſed
etiam corã omnibus hominibus, ſi fieri poteſt, quod ex vobis eſt, cum omni-
1. Cor. 10. bus hominibus pacem habentes, Et 1. Cor. 10. Sine offenſione eſtote Iudæis
& gentibus & Eccleſiæ Dei, ſicut & ego omnibus per omnia placeo, non
2. Cor. 4. quærens quod mihi vtile eſt, ſed quod multis, vt ſalui fiant. Et 2. Cor. 4. Cõ-
mendantes noſmetipſos ad omnem conſcientiam hominum coram Deo, id
eſt, ea faciamus, quibus omnes homines, ſi conſcientiam velint teſtari, non
poſſunt nos niſi commendare & probare, nec in aliquo nos accuſare aut
maledicere. Hoc eſt modeſtiam noſtram notam eſſe omnibus hominibus.

Vtitur autem Apoſtolus hic vocabulo, quod non plene redditur per mo-
deſtiam, & mira ſignificantia exprimit, qua ratione id fieri poſſit, vt omnibus
placeamus & amabiles ſimus, dicens Græce Epijkes, quod eſt æquitas, ea ſci-
licet virtus, qua homo promptus eſt, omnium omnibus moribus ſeſe accõ-
modare & attemperare, neminem faſtidire, omnibus benefacere, libenter ce-
dere, & quæcunq́ꝫ poteſt ſine offenſione Dei, ferre & permittere, etiamſi ia-
cturam ſiue rerum corporis, ſiue honoris, ſiue cuiuſcunq́ꝫ facere cogatur. Nõ
enim quærit, quod ſibi vtile, ſed quod multis, vt ſalui fiant (vt ſupra retuli)
qui enim non quærit, quæ ſua ſunt, ſed quæ aliorum, hic certe facile poterit
omnibus æquus & commodus eſſe, nulli oneroſus aut odioſus, aut iniquus.

Contra quam pacis & concordiæ Regulam illi vehementiſsi-
me pugnant, qui nihil ſuo iuri, nihil ſuo ſenſui, nihil ſuæ poteſtati, nihil ſuæ
cauſæ, volunt detractũ, ſed omnes cogere, vt ipſi deſerta & contempta cauſa
aut iure, tantum illorum quærant Ius, ſequantur ſenſum, cedant poteſtati,
faueant cauſæ, Atque ita omnium hominum mores ſibi volunt attem-
perari & accommodari etiam cum eorum præiudicio, Ipſi autem nulli alio-
rum hominum moribus ſeſe attemperant, rigidum & ſtrictum ius ſuum
exequen-

Digitized by Google

exequentes & ſenſu ſuo dominantes, nihil prorſus aut præindicij aut iacturæ, pro pace paſſuri. Cum autem ſit impoſſibile, vt vllius vnius hominis ſenſui, omne vulgus aut multi homines cedant, aut ſi vi cedere cogantur, diligant & quieti ſint, Ideo immodeſti & iniqui illi ſunt cauſa omnium diſcordiarum, litium, bellorum, cædium in mundo, & omnino autores inquietudinis, turbationis, confuſionis, & pacis expulſæ, Et tamen inſaniſſimi cæciſſimique homines, hoc malorum chaos non ſua culpa factum, iactitant, cauſantes, quod pro iure ſuo, proque iuſticia, contra iniquitatem ſic ſint commoti, cum hoc ipſo peſſime accuſandi ſint, quod ius iuſticiamq; ſuam pluris fecerint, quam communem pacem, quam concordiam & ſenſum ac placitum ſuum prætulerint omnium aliorum hominum ſenſui & votis, quibus iuxta hanc epijkian debuerũt in multis cedere & conniuere & libenter iuris aut iuſticię ſuę, pro tempore vim pati, vt pacẽ ſeruarẽt, & ijs moribus ſe ęquabiles, amabiles & omnibus commodis præſtarent, etiam cum ſuo detrimento.

Hanc Modeſtiam ſeu æquitatem, ſi Principes & Pontifices ſeruarent, quam nihil fuiſſet opus tanta ſanguinis Chriſtiani effuſione, quam nulla fuiſſent ſchiſmata Græcorum & Bohemorum, quam modica eſſent iurgia & cauſæ forenſes, & tumultuoſiſſimus tumultus in Eccleſia non ſic graſſaretur? At nunc qui eam docere debent, primi ſunt, qui impugnant, idq; ſummis viribus & deſperata cæcitate, Ideo venient diſſipatoribus pacis, & iniquis iſtis ſuarum rerum inquiſitoribus, ſua tempora, vt ſurgat gens contra gentem, & ſigna alia terribilia.

Qui ergo cum hominibus quiete & pacifice vult viuere, hoc oportet vt curet, ne omnia faciat aut fieri petat, quæ poteſt, vel quæ ei licent, nec omnia, quæ ei iure debentur, ſed cum Apoſtolo dicat, Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt, oportet multa diſſimulare, multis conniuere, omnia ſic temporibus, locis & moribus hominum metiri, moderari & attemperare, vt pacem & amorem ſui conſeruet, hoc eſt (quod ait) omnibus per omnia placeat & pacem cum omnibus hominibus habeat. Qui vero volet, omnia ſecundũ ſuum caput geri, omnes ſibi cedere & ſuo iuri aut ſenſui afformari, non diu pacem vel cum vno homine habebit, ſed nec cum ſeipſo, multominus cum omnibus hominibus. Hinc veriſſimum eſt Prouerbium Terentij, Summum ius, ſumma iniuſticia eſt. Et Eccl. 7. Noli eſſe nimium

Summum ius, ſumma iniuria. iuſtus, neque plus ſapias quam oportet. Sicut enim, in ſuo tempore & loco deſipere, ſumma ſapientia eſt, ita ſine iuſticia eſſe aliquando, ſumma iuſticia eſt, Si enim Deus ipſe ius ſuum & iuſticiam aſſidue proſequeretur, nullum hominem viuere fineret, Et quoties Dauid omiſit facere, quæ optimo iure potuiſſet in Saul, in Ioab & multos alios? Ita pro communi conuerſatione ponendus eſt ſapientiæ modus, ita iuſticiæ, prudentiæ & omnium aliorum, quæ noſtra ſunt.

Modeſtia. Vides ergo, quod Modeſtia ſeu Epijkes hoc loco ſit, æquabilitas, commoditas, & attemperatio noſtri, ad aliorum, ſiue imbecillitatem, ſiue ſtulticiam, ſiue iniquitatem, & noſtri rigoris & iuris remiſſio, vt nota ſit ſeu

Ambroſius. cognoſcatur, vt ſentiant eam omnes homines. Vnde Ambroſius, non inepte Modeſtiam vocat hoc loco rationabilem conuerſationem, vbi vim vocabuli pulchre expreſſit, Non enim ſatis eſt de ea loqui, cogitare, ſubtiliter diſputare aut prædicare, ſed vita ipſa probare & oſtendere, Vbi vide Apoſtoli diligentiam, qui dicit omnibus hominibus, Quis vnus omnibus hominibus notus fieri poteſt? & tamen omnibus hæc præcipit, vt omnium noſtrum modeſtia omnibus notificetur. Deinde nunquid hoc iubet vt iactemus & gloriemur de noſtra modeſtia, facientes eam notam hominibus per famam?

Abſit, Non enim dicit,iactate eam,ſed nota ſit ſeu cognoſcatur, ſcilicet vt foris fiat in oculis hominum,& ſine noſtro ſtudio eam homines agnoſcant, omnibus ad vtilitatem expoſitam,ſicut Matt. 5. Sic luceat lux veſtra coram hominibus,vt videant veſtra bona opera,& glorificent Patrem veſtrum,qui in cœlis eſt. Deinde quia non in noſtra eſt poteſtate,vt hominibus placeat modeſtia noſtra,hoc ſatis fecimus, quod eam omnibus exhibuimus, & cognitam fecimus,exemplo ipſius vitæ noſtræ.

Præterea ſunt qui aliquibus hominibus, aut certe ſibiipſis pulchre indulgent,& æquitatem hanc præſtant,Quis enim eſt,qui ſine amicis viuere poſſit in Mundo? quis autem cum Amicis viuere poſſit, qui non plurimum conniueat,multa cedat,multa ferat,& ſeſe æquum,commodum, attemperatum ſicut plumbeam regulam præbeat? Obſecro, quanta ſibi cedunt & donant amici? quoties,vitia pro virtutibus laudant?aut certe extenuant & tegunt,& omnino ſibi inuicem vtiles ſunt, vbi ſi quis rigidior cenſor interueniat,& omnia ad ſummum ius exigat,ſubito pacem cum amicitia,in hoſtiſiſſimam diſcordiā ſubuertet, At in hoc peccant,quod cum tales ſint ſibi & ſuis quibuſdam,non etiam omnibus alijs tales ſunt,atque ita offendunt in legem ipſius naturæ quoque, vt qui ſibi & ſuis tam indulgentes & æqui ſunt,alijs vero tam rigidi & iniqui,facientes & volentes ſibi, quod alijs non faciunt neque volunt, Ideo Apoſtolus dicit, Omnibus hominibus, volens rotundam & perfectam eſſe noſtram humanitatem ſeu æquitatem, etiam inimicis expoſitam, cum vtique ſint homines & non Beſtiæ. Sed O quam difficile eſt & rarum, ita interpretari & ferre inimicorum vitia, ſicut interpretamur & ferimus,aut noſtra aut amicorum? Ideo non ſumus æqui, ſed iniqui. Vide ergo quam breui verbo copioſiſſime & ſignificantiſſime totius vitæ noſtræ conuerſationem inter homines abſoluerit,dicens, Aequitas,facilitas ſeu humanitas veſtra nota ſit omnibus hominibus, Halt euch alſo/das niemand vber euch klagen müg.

Dominus prope eſt.

HOc dicit,vt confirmet gaudium in Domino, ſecuroſq; reddat,& ad facilitatem ſeu æquitatem morum & conuerſationis alacriores faciat. Chriſtiano enim homini hoc ſatis eſſe debet, quod Dominus ei prope eſt, hoc eſt, promptus, propitius, paratus ad faciendum omnia, quæ deſiderauerit. Et hac ſcientia Domini lætus ſecuruſq; nihil metuere, nihil quærere, nihil curare debet, niſi vt ſimili Exemplo, & ipſe prope ſit omnibus hominibus, ſeſe accommodans facilem in eorum vota, talemque ſe eis præbens, qualem ſentit Deum erga ſe, qui vtique aliud non quærit, quam quomodo proſit hominibus & eorum conditionibus ſeſe facilem præbeat, donans eis omnia peccata, quæ pro iure ſuo poterat exigere & vlciſci Niſi enim talem de Deo erga ſe opinionem tenuerit, nec lætus, nec ſecurus eſſe poterit vnquam. Triſtis autem & inquietus, non erit facilis & humanus ſeu æquus omnibus hominibus.

Nihil ſoliciti ſitis, Sed in omni oratione & obſecratione cum gratiarum actione, petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum.

ECce Chriſtianam libertatem, quę de nulla re ſolicita eſſe debet, & vt Chriſtus docet Matt. 6. Ne ſoliciti ſitis animæ veſtræ, quid man- *Chriſtiana libertas*
Rom. 14. ducetis & bibatis, neq; corpori veſtro, quid induamini. Et Rom. 14. Nemo ſibi viuit, & nemo ſibi moritur. Siue .n. viuimus, Domino viuimus, ſiue morimur,

morimur,Domino morimur. Itaque nulla eſt cauſa ſolicitudinis noſtræ erga nos,ſed tantum gaudendum & ſecurē agendum in Domino, quia prope eſt. Verum dum vnam auſert ſolicitudinem,alteram ſtatuit,Commendat enim modeſtiam hominibus exhibendam,& ſicut alibi dicit,Soliciti ſeruate vnitatem ſpiritus,in vinculo pacis,Pro nobis ſoliciti eſſe non debemus, qui habemus Dominum prope & facilem ad omnia,ſed pro alijs ſoliciti eſſe debemus,vt exhibeamus eis & noſtram quoq; æquitatem & facilitatem. Et vt Ephe.5.docet,Vnuſquiſque non quæ ſua ſunt,ſed quæ aliorum conſiderantes.Solicitudo enim iſta ſeruandæ vnitatis ſpiritualis, eſt ipſa modeſtia, æquitas,& facilitas,quam hoc loco docet.

Solicitudo in Deum cum prope ſit reijcienda.

Poſt hoc docet,quomodo ſolicitudo (quam prohibet) in Deum cum prope ſit nobis,reijcienda ſit,dicens:Sed in omni &c. Hic enim diſtinctio facienda eſt,& non connectendũ cum oratione,& melius ſic redderetur,ſed in quolibet ſeu in qualibet re,Per orationē & obſecrationem cũ gratiarũ actione petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum.Vt ſit ſenſus,nullius rei vos capiat ſolicitudo,quod ſi qua vos ſolicitos reddere tentat, nolite eam ſolicitudine veſtra curare,ſed ſic agite,poſita ſolicitudine ad Deum cõfugite,orate & petite, quodcunq; vobis opus fuerit, ſinite illum ſolicitũ eſſe pro vobis,Et ſicut Petrus docet, Proijcientes in eum omnem ſolicitudinem veſtram,ſcientes,quoniam ipſi cura eſt de vobis,Cum Pſal.40.dicendo,Dominus ſolicitus eſt mei.Magnis enim quæſtionibus ſeſe miſcet, qui veniente quacunque neceſſitate,prius ſua prudentia, ſuiſque viribus ſatagit ſeſe enoluere, quam oratione ad Deum confugere,quin ſtultum quoq; & vaniſſimũ negotium ſibi deſumit, cum non poſſit ſe euoluere, ſed eo magis inuoluat, quo pertinacius neglecta Oratione laborat ſe euoluere,ſicuti videmus quotidiana exempla,tam in noſtræ quam aliorum vitæ tumultu infeliciſſimo.

Et vide quam pulchre opponat Apoſtolus nullam rem & omnem rem. Nihil inquit ſoliciti ſitis, ſed in omni,de nulla re ſoliciti ſitis, ſed in qualibet ad Deum confugite,ſatis indicans,multa eſſe, quæ nos conētur ſolicitos & inquietos facere,vtpote, variæ tribulationes & aduerſitates, ſed non debent præualere ijs,qui Dominum prope habent,apud quem oratione & obſecratione omnia poſſunt,ſi modo petant. Iam verba ſingula videamus,quibus inſtruit nos modum petendi. Docet enim efficacem & inſtantem petitionem formare,quæ formatur oratione, obſecratione, gratitudine.Orare putant eſſe ſimpliciter verba aut ſenſum verborum per ſe ipſum tractare,Obſecrare vero vrgere & inſtare & per ſacra vel per aliorum merita orate,vt Rom.12.Obſecro vos per miſericordiam Dei &c. Petitio vero nomen eſt eius, quod oratione & obſecratione quæritur. Fortis ergo eſt oratio per obſecrationem,ſed grata,dulcis & exaudibilis, per gratitudinem, vt ſic fortitudine & dulcedine ſua ſimul,mereatur petita accipere.

Efficax petitio.

Myſterium thuribuli & incenſi.

His verbis pulchre expoſuit myſteriũ thuribuli & incenſi,in quo figurata eſt Oratio.Primũ eſt,vaſculum ipſum aureum ſeu argenteum. Hoc ſignificat,verba ſacra & precioſa orationis,quibus capitur ſenſus, ſicut liquor in vaſe,ſic enim Calix aureus Babylonis,verba & vinum eius,ſenſum verborum apud Hieremiam & Apocalypſim ſignificant,prunæ autē ardentes de altari ſunt beneficia Dei in Chriſto accepta, quæ inter orationem ſunt memoranda,vt ſic oratio cum gratiarum actione aſcendat. Sic Rom.12. Beneficia inimicis collata Apoſtolus vocat carbones ignis,ſuper caput congeſtos,ex Prouerbijs Salomonis. Prunæ autem eſſe debent ſeu carbones ignis, id eſt,viui,vt beneficiorum memoria ſit affectuoſa & viuax. Tunc ſuper imponitur incenſum,id eſt,petitio,quæ aſcendit ſurſum,ſicut virgula fumi, & odoratur Dominus odorem hunc ſuauitatis.

Beneficia inimicis collata, Rom.12.

Gratitudo enim & beneficiorum acceptorum conſcientia, mirum in modum præſtat fiduciam orandi, & orationem non modo acceptam, ſed & ipſi oranti facilem reddit, cum alioqui non ſit (vt Patres dixerunt) labor ſicut orare Deum. Et hunc modum orandi videmus in Pſalmis, in vſu Eccleſiæ, & omnium Patrum veteris Teſtamenti, Vnde oratio ſine laude Dei eſt, rhuribulum ſine prunis. Sic ipſa orationum Princeps incipit à laude Dei dicens, Pater noſter, qui es in cœlis. Et vtinam hanc ſaluberrimam Pauli doctrinam, ſecuti in omni re nos ſolicitante, primum ad Deum cum oratione confugeremus, quam multas & facile vinceremus tentationes, & gaudio in Domino & pace aſſidue abundaremus? Nam dum in gratitudine beneficia Dei recenſeremus, ſimul oraremus & ſimul impleremus illud Sap. In die malorum memor eſto bonorum. Bonorum autem memoria conſolari, hilariter oraremus, hilariter orantes facile petita obtineremus, & ſic Deo noſtri cura tradita, gaudio & pace frueremur. Quod dicit petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum, ipſo locutionis tropo, fere indicat ſe reſpexiſſe ad fumum aromatum, qui aſcendit furſum, ſicut oratio ad Deum. Et mirum, quomodo petitiones innoteſcant apud Deum, quas ipſe præuenit & largitur in cor noſtrum, verum ad vſum loquendi, temperauit verbum ſuum, quo Orationes, dum offeruntur, Deo innoteſcere dicuntur, ſicut ad Tobiam & Cornelium Angelus dixit.

Et pax Dei quæ ſuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda veſtra & intelligentias veſtras in Chriſto Ieſu.

VIde ordinem pulchrum Apoſtoli, docuit quomodo nos habere debeamus erga Deum, nempe, vt gaudeamus ſemper in Domino, ſeruientes ei in lætitia, Deinde ſi quæras, quid autem faciam erga homines? dicit, Eſto æquus omnibus, tui tuorumq; oblitus, quæ illorum ſunt conſidera. At quomodo poſſum? Dominus (inquit) prope eſt, Quid ſi inſtet aduerſitas? quomodo ſemper gaudebo? aut quid faciam? De nulla re ſis ſolicitus, omnia per orationem & laudem Dei ad Deum refer. At interim turbabor? Nequaquam, ſed pax Dei cuſtodiet te in omnibus, de qua nunc videamus. Pax Dei.

Primum, pax Dei hoc loco non dicitur, qua Deus in ſe ipſo pacatus & tranquillus eſt, ſed qua nos quietos & pacatos reddit, vt pax Dei, intelligatur, donum pacis ex Deo, ſicut iuſticia Dei, opus Dei, verbum Dei, vſu ſcripturæ.

Superat omnem ſenſum ſeu intellectum, ſeu mentem, non ſic intelligitur, quod pax Dei non ſentiatur in anima, ſed quod ſit mente incomprehenſibilis, cum ſit pax in fide, quæ eſt rerum non apparentium tam in ſenſu carnis quam animi. Hoc ſic intellige, quando tribulationibus turbamur, tunc hi, qui ſoliciti ſunt, & ad Deum orationibus fugere neſciunt, magnis & multis ſtudijs quærunt pacem, ſed eam, quam ipſi capiunt, hoc eſt, remotionem aut fugam mali, Hanc enim pacem capit mens ſenſuſq; hominis, quæ non ſuperat vllum ſenſum, & eſt pax hominis, quia vl vel induſtria hominis parata vel parabilis, ſic enim, qui vulneratur aut æger eſt, certe ſanitatem illi contrariam & intelligit & appetit.

Sed qui ad Dominum ſuum refugium ordinant, hi non fugiunt malum, ſed perſtant & ſuſtinent viriliter in voluntate Dei, nec affectant pacem, quam ſenſus aut intellectus ſuggerit (id eſt remotionem mali) expectant potius internam roborationem verbi per fidem, qua vincant malum, prorſus incerti, quam diu duraturum, & quo ſine terminandum ſit malum, ideoq; nihil intelligunt de pace, nec qualis futura ſit capiunt, qui ſi perſtent & cum

Pax Dei ſuperior omni intellectu.

Sponſa paululum tranſierint, mox inueniunt quem diligunt animæ eorum. Ecce hoc eſt pacem Dei ſuperiorem eſſe omni intellectu, captiuat enim fides in obſequium ſui omnem intellectum, Poſtquam autem perſeuerauerunt & pacem acceperunt, talem ſentiunt, qualem non potuiſſent omnibus cogitationibus fingere nedum optare. Deducit enim dextra eius mirabiliter & mirificat Sanctos ſuos, dum, mala eorum ſic terminat, & cum tanto fructu, vt nullus hominum potuiſſet id ſperare aut prouidere.

Nec ſolum de hac pace finiti mali loquitur, ſed etiam & maxime de ea, quæ eſt, in medio mali fortiter ſuſtinens, ne turbetur ſpiritus hominis. Eſſe enim hominem in pace ſub cruce, & non turbari dum turbatur, imo gaudere in tribulationibus, non capit vllus intellectus, ſed eſt opus Dei, nulli niſi experto cognitum, De eadem pace & gaudio, ſupra Dominica ſecunda dixit, Deus autem ſpei repleat vos omni gaudio & pace in credendo, Ecce gaudium & pacem fidei appellat, quam hic pacem Dei dicit, quod ſit ſollus Dei donum.

Notandum ſane, vt ne quis temere præſumat in aduerſitatibus ad hanc patientiam vel pacem peruenire ſuis viribus ſe poſſe, aut contemnendo aut negligendo aduerſitates, aut vt ſolent quidam dicere, Deo cauſam ſimpliciter committendo, ſed additis, orationibus, obſecrationibus, petitionibus, gratiarum actionibus, inſtandum eſt, & ſic nihil curandum, in Dei propinquitatem fiducia poſita, Non enim pacem Dei cuſtodem cordium Apoſtolus aſſignat, niſi ijs, qui orationibus & laudibus Dei primum innotuerint Deo.

Pax Dei cuſtodit corda.

Cuſtodit autem pax Dei corda & intelligentias, ſeu ſenſus, ſeu mentes, hoc eſt affectum & intellectum, qui eſt in Chriſto, ſeu cognitione Chriſti, vt perſeuerent in finem & ſalui fiant. Nam perturbatio & tribulatio cito ſubuertit, alioqui optime de Chriſto ſentientes (ſi non fuerint pace Dei & patientia in Domino firmati) vt faciant & ſentiant longe aliud, quam Chriſtiano dignum eſt, Neq; eſt alius cuſtos pietatis in Chriſto ceptæ, quam ipſa pax fidei & patientia, ſine qua cuſtodia, facilis eſt lapſus, ad pacem hominis & mundi, (id eſt, remotionem mali) In qua re maxime fugiendæ ſunt hominum doctrinæ, quæ verbo crucis offendi docent & fugere. At tunc mox perijt vera opinio Dei & fiducia in eum, deprauatumq; eſt iam cor & ſenſus eius, quærens hoc apud ſe & homines, quod expectandum erat à ſolo Deo.

Doctrina hominum.

Quare hic cor & intelligentias, ſeu ſenſus, non naturales aut de naturalibus, nec habitus, ſeu potentias, vt Philoſophi loquuntur, ſed ſpirituales de Chriſto, notitias, opiniones, affectiones, intelligas, id eſt, fidei. ſpei charitatis, operationes, ſicut & ſupra Dominica ſecunda audiuimus dici, Deus autem ſpei repleat vos omni gaudio & pace in credendo, vt abundetis in ſpe per virtutem Spiritus ſancti, alijs ſcilicet verbis, eandem cuſtodiam cordis & ſenſuum exprimens.

Vide ergo, quam breui ſermone Chriſtiani hominis mores formauit, tam erga Deum quam homines, nempe vt omnia habeat in Deo, & omnia fiat hominibus. Talis ſit hominibus qualis ei Deus, vt virtutem Sacramenti Euchariſtiæ hic videre poſſis, quæ eſt communio omnium malorum & bonorum in Chriſto & cum Chriſto.

EVANGELIVM DOMINICAE IIII. Aduentus, Iohannis 1.

MIſerunt Iudæi ab Hieroſolymis, Sacerdotes & Leuitas ad Iohannem, vt interrogarent eum, Tu quis es? Et confeſſus eſt, Et non negauit, Et confeſſus eſt, quia non ſum ego Chriſtus.

QVid

QVid eſt,quod Euangeliſta tam verboſe inculcat Iohannis confeſſionem ſeu reſponſionem? cum enim ſemel dixiſſe ſufficeret, Et confeſſus eſt,addit, & non negauit,& repetit denuo, & confeſſus eſt.

Conſtantiam ſcilicet Iohannis victoris maximæ & periculoſiſſimæ tentationis(quæ ab initio & ſemper & in finem,pertinaciter verbo Dei inſidiatur) commendat,quæ reuera magna & digna fuit,vt tam verboſe commendaretur. Primum,quod ei gloria Chriſti offerebatur,quod indicat,cum reſpondet, *Non ſum ego Chriſtus*, Sic enim non reſpondiſſet, ſi non intellexiſſet, ſe pro Chriſto habendum peti. Deinde pompam & illecebras huius tentationis vide. Mittuntur ad eum,non plebei aut obſcuri homines,ſed optimates in populo,Sacerdotes & Leuitæ,quibus eum ſperabant moueri poſſe, nec contenti Sacerdotes & Leuitas miſiſſe,mittunt Phariſæos,Qui miſſi fuerant(ait Euangeliſta)fuerunt ex Phariſæis,ſcilicet nobilioris celebrationiſq; ſectæ Sacerdotes. Quod tale eſt,ac ſi noſtro ſeculo mitterentur ad pauperculum ſacerdotem,maiores & inſigniores Epiſcopi Eccleſiæ,pro captanda eius beneuolentia. Atq; ſuper hæc omnia hi Nuntij offerunt,totius populi Iudæorum nomine,gratiam & beneuolentiam ſummi Sacerdotis,Magiſtratuumq; quibus ſi Iohannes vellet aſſentiri, illorum autoritate fieret , vt pro Chriſto ab omnibus haberetur, quod tale eſt , ac ſi modo ſummus Pontifex cum vniuerſo principatu Eccleſiæ , & laicorum Regum , offerat gratiam & amicitiam, ſordido cuipiam mendico.

Sed quidnam quęrebant hac tentatione? Chriſtus hoc aperit Iohannis 5. dicens, Vos miſiſtis ad Iohannem & ille teſtimonium perhibuit veritati. Ego autem non ab homine teſtimonium accipio,ſed hæc dico,vt vos ſalui ſitis, ille erat lucerna ardens & lucens,vos autem voluiſtis ad horam exultare in luce eius &c. His verbis Chriſtus plane oſtendit, peruerſum eorum ſtudium quod in Iohanne quæſierunt ea quæ ſua ſunt,id eſt, gloriam ſuam, volentes ſanctitate Iohannis abuti ad ornandos ſeipſos. Si enim Iohannes eis fuiſſet aſſenſus,eorumq; votis obtemperans ſeſe Chriſtum haberi permiſiſſet, iam coram omni populo,& ipſi, magni, ſancti, ſapientes haberentur, vt qui tanti viri,tum autoritate,tum teſtimonio probarentur,quo facto,mox quicquid hucuſq; feciſſent,ſenſiſſent,ſtatuiſſent(id eſt, omnem iſtam colluuiem impietatis eorum,tum carnalem pompam legis, diuitias, glorias Mundi)ratum haberent, & extincto ſpiritu,carnaliter floruiſſent. Et hoc erat, quod ad horam in luce eius voluerunt exultare,ſua ſcilicet ſtabiliri temporalia, Quod quia contempſit nec curauit reuerentiam iſtam ſibi exhibitam, iudicatus eſt Dæmonium habere,ſicut Matt. 11. Chriſtus refert,quia omnino ſperauerant ſeſe non contemnendos in tam glorioſa Legatione, cum ipſi eſſent populi Principes.

Quod & indicant cum dicunt, Quid ergo? vt Reſponſum demus ijs qui miſerunt nos? Vbi videntur prouocare Iohannem vt quærat, qui miſerint eos,quo haberent occaſionem extollendi tam eos, qui miſerunt, quam ſe,qui miſſi fuerant,ac ſi dicerent: O ſi ſcires,quanti ſint,qui ad te mittunt & mittuntur,non modo obtemperares,ſed vltro venires petitum,quod offertur. Verum Iohannes minime curioſus, prorſus tacet ad hanc prouocationem, cum iam ter reſpondiſſet negatiue: Non ſum Chriſtus,non ſum Helias, Non ſum Propheta, qua trina negatione & quarto ſilentio videbatur nimis ſuperbe contemnere tam magnificos Proceres,vt qui nihil curaret, ſiue magni ſiue parui mitterent aut mitterentur. Hoc eſt enim quod vrit ſuperbiam magnatum, hoc ſolent in cauſam iuſtam prætexere aduerſus pios, quod irreuerenter habiti ſint Vicarij Dei,quod ſuperbe deſpecti ſint populorum capita.

Hoc nomine pij coguntur eſſe ſuperbi, Dæmoniaci, hæretici, ſeditioſi & ſimilia.

Iohannis conſtantia.

Ita videmus quam inſignis ſit conſtantia Iohannis, qui tantis illecebris ad tantum faſtigium vocatus, non modo non cedit, quin contemptu iſto, odium & poteſtatem magnatum in caput ſuum prouocat, exponens periculo tam famæ quam mortis ſeipſum. Vnde Iohannis 2. gloriatur, Ipſi vero mihi teſtimonium perhibetis, quod dixerim. Non ſum ego Chriſtus, ſed miſſus ſum ante illum, quod ſi etiam eis fuiſſet aſſenſus & ſeſe operculum præbuiſſet vniuerſæ lernæ impietatis eorum, præter hoc quod Chriſtum amiſiſſet, Proditor omnium impijſſimus factus, non diu durasſet eorum gratia erga ipſum, cito faſtidijſſent eum, obtento quod voluerunt per eum, ſcilicet Tyrannide & impietate ſtabilita. Quare Iohannes in hac tentatione ad maximum peccatum fuit ſolicitatus, Neq; enim vllum apud homines peccatum grandius fuiſſet, quam Iohannis in hoc facto, Chriſtum enim penitus extinxiſſet quantum in eo fuiſſet, vſus ad hoc, tot inſignibus donis Dei. Non ergo parua victoria, nec parua laude digna Iohannis fuit, in tam periculoſa & magna tentatione, quod enim ſunt, qui ipſi per ſe ambiunt magnificari? Qui autem repelleret à ſe oblatam dignitatem præſertim à tantis? poterat Iohannes prætexere, ſeſe vocatum eſſe, ab his qui autoritatem vocandi habuiſſent, quia Sacerdotes & Leuitas hæc moliri videbat, vt eum exaltarent.

Victoria Iohannis in tam periculoſa tentatione.

Et interrogauerunt eum. Quid ergo? Helias es tu? Et dixit, Non ſum, Propheta es tu? Et reſpondit non, Dixerunt ergo ei, quis es? vt reſponſum demus ijs, qui miſerunt nos.

POſtquam cognouerunt eum non eſſe Chriſtum, offerunt aliam gloriam, ſed minorem, parati eodem peruerſitatis ſtudio ſua ornare Heliæ aut Prophetæ ſocietate, Non enim veniſſe eos pro ſynceritate ſua putandum eſt, nec hoc quæſiuiſſe, vt Iohanni crederent, ſed vt corrumperent, ſiue eſſet Helias ſiue Propheta, alioqui ipſimet veniſſent, & non per internuntios exploraſſent ac tentaſſent, ſicut alij fecerunt, qui Iohanni crediderunt. Deniq; nec Chriſtum, nec Heliam, nec Prophetam eſſe aut crediderunt vere aut ſuſpicati ſunt, ſed quia turbæ honoratus erat, quærebant hunc honorem ſibi per eius ſocietatem apparare.

Propheta promiſſus Deut. 18.

Putant aliqui Prophetam hoc loco eſſe eum, quem Deutro. 18. promiſit Deus dicens, Prophetam ſuſcitabo eis, de medio fratrum ſuorum, ſimilem tibi &c. Quod ſi verum eſt, perſpicuum eſt, Iudæos hunc Prophetam intellexiſſe alium à Chriſto & Helia, vtroq; minorem, quia vltimo loco de eo quærunt, cum tamen Petrus Actorum 3. & Stephanus Acto 7. per eum Prophetam intelligant ipſum Chriſtum, adducentes eundem locum Moſi, corã Iudæis, Aut ergo Moſen non intellexerunt, aut hic de ſimplici Propheta interrogant, quod magis crediderim, Nam cum Propheta ille ſimilis prædicatur Moſi futurus, non potuerunt Heliam ei præferre, cum Moſen omnibus præferant, Quare cum à Malachia vltimo Prophetarum, nullum habuiſſent Prophetam, tentauerunt, an Iohannes ſe aliquem Prophetam vellet profiteri, ſed & Matt. vndecimo. CHRISTVS dicens, Quid exiſtis videre? Prophetam? Etiam dico vobis pluſquam Prophetam, ſatis indicat eis viſum Iohannem Prophetam ſimplicem, & Matthæi 21, Omnes enim Iohannem habebant, ſicut Prophetam.

Cur Iohannes neget ſe Prophetam eſſe.

At nunc quæritur, Cur Iohannes ſe negat eſſe Prophetam? Et

ſicut

ſicut B. Grego. quærit. Cur negat ſe eſſe Heliam, quem Chriſtns Matt. 16. appellat Heliam? Scio, ſi dicatur, ideo non eſſe Prophetam, quia plus quam Propheta eſt, non ſatis fieri quorundam iudicio, qui forte ridiculum putent negari eum Prophetam, qui plus quam Propheta ſit, Et hinc concludant, Iudæos interrogaſſe de eximio illo à Moſe prædicto Propheta, quem ſe Iohannes eſſe recte negarit, verum non conſiderant, ſi Iohannes intellexit, Iudæos interrogare de eximio illo Propheta, quem à Chriſto alium & Chriſtum præceſſurum arbitrabantur, non debuit negare ſe eſſe, cum reuera ipſe eſſet talis Propheta, qualem ipſi, etſi falſo intellecto Moſe, arbitrabantur. Ipſi enim Prophetam eximium ante Chriſtum & alium à Chriſto quærunt, & talis Iohannes erat, cur ergo eos fallit? Non enim ideo me negare debeo, quia erranter aliquis me interrogat, quando me talem agnoſco, qualem ille errans quærit.

Amos negat ſe Prophetam eſſe &c.

Et quid dicemus ad Amos Prophetam, qui ſimili vel maiore (vt videtur) ſimulatione negat ſe Prophetam eſſe, dicens Amos 7. Reſpondit Amos, & dixit ad Amaſiam, Non ſum Propheta, & non ſum filius Prophetę, ſed Armentarius ego ſum vellicans ſycomoros. Et tulit me Dominus Deus, cum ſequerer gregem. Et dixit Dominus ad me, Vade & propheta ad populum meum Iſrael. Quia eſt iſta contradictio, Non ſnm Propheta, Et Dominus præcipit, vt prophetes? Non eſt Propheta, quem ipſe Dominus miſit, vt ſit Propheta? Sic Iohannes negat ſe Prophetam, & tamen dicit ſe miſſum, vt baptiſet & paret viam Domini, & Chriſtum annutiet medium ſtetiſſe inter eos.

Proinde, ſimpliciſſime locutum eſſe credo, quod non arrogarit ſibi nomen Prophetæ, quod tunc ob raritatem precioſum erat, tum quia Prophetarum erat, populos docere & regere, At cum iam Chriſtus eſſet præſens, Dominus omnium Prophetarum, comparatione eius ipſe viloſcens ſibi, nec Prophetam ſe agnoſcit, ſed humiliter ſuum officium commendat, & ad Chriſtũ eos remittit, tanquam ſi ſacerdos ſimplex coram Epiſcopo (qui tum ſolus ſacerdotis officium agit) quæſitus an ſit Sacerdos, abigat à ſe quærentem dicens, Quid me ſacerdotem arbitraris? En ibi Sacerdos eſt, cuius ego tecum ſum Miniſter, Sacerdotij mei officium iam nullum eſt, nec Sacerdos ſum, iſto præſente & ſacrificante. Sic enim præſentia Principis certe euacuat omnem poteſtatem, & dignitatem inferiorem ſe, coram quo, nulli licet prominere, qui tamen abſente poſſet omni dignitate & poteſtate fungi. Niſi velimus dicere Iohannem id feciſſe, quod Amos fecit, qui ſine dubio ideo negabat, ſe eſſe Prophetam, quod videlicet non eſſet de ſecta, profeſſione, numero & ordine Prophetarum, ſed per Dominum à nouo & extraordinarie vocatum. Nam Sacerdotum, ſapientum, Prophetarum erant ſeorſum quædam factiones, ſicut modo ſunt Theologorum, Iuriſtarum, Epiſcoporum, inter quos aliqui boni, plurimi vero mali, vt Mich. 4. Principes eius in muneribus iudicabant, & Sacerdotes eius in Mercede docebant, & Prophetæ eius in pecunijs diuinabant. Et Hiere. 18. Non enim peribit Lex à Sacerdote, neq; conſilium à Sapiente, nec ſermo à Propheta. Vnde dixit Amos, Tulit me Dominus, cum ſequerer gregem (id eſt, cum non eſſem in profeſſione Prophetarum) ſi inquam hoc modo Iohannes ſe quoq; neget Prophetam, neſcio, ego priorem ſententiam amplector, Et quamuis vere eſſet Propheta & talis, qualem illi quærebant, tamen quia præſens erat Chriſtus, voluit ſtultam eorum de ſe opinionem abigere & ad Chriſtum dirigere, qui tam prope eſſet, vt iam Propheta nullo fuerit opus, qui futurum indicet, cum præſens ſit. Ac per hoc ad primum redeo, quod non Propheta, ſed plus quam Propheta fuerit.

Sic autem ſeſe humiliante Iohanne & cognito, iam inſtantur & ſuperiores ei fiunt, maieſtatemq; ſuam inſinuantes dicunt, Quis es? vt reſponſum demus qui miſerunt nos. Vide vt iam incipiunt cum fiducia & potentia loqui, ac vbi blanditijs nihil promouerunt, ad aſpera & vim conuerti. Nec ſe nominant, nec eos, qui ſe miſerunt, hac ipſa inſinuatione velut terrorem Iohanni incuſſuri, quaſi dolere ac pœnitere debeat, quod ignarus in tam magnos viros impegerit. Verum Iohannes tacet, nec ſaltem hoc curat, vt quærat, qui & quanti ſint, obliquam illam maieſtatis eorum intentationem nihil metuens, & ſimplici ſuo ſilentio, ſilentium eorum aſtutum præteriens, ſiue dent Reſponſum ſiue non dent ijs, qui miſerunt eos, quo illi magis indignati erumpunt liberius interrogantes.

Quid dicis de teipſo? Hoc eſt, ſaltem hoc indica, Quid vis ab hominibus vocari? quo nomine cupis noſci ab hominibus? Woſür gibſtu dich aus? enim enim neceſſe ſit, homines de te tuoq; officio loqui, neceſſe eſt, vt aliquo officij nomine te nominent, præſertim cum & doceas, & baptiſes populum. Hic Iohannes humiliter & fideliter officium ſuum pronunciat,

Ait: Ego vox clamantis in deſerto, dirigite viam Domini, ſicut dixit Iſaias Propheta.

Mira Reſponſio, Ego vox clamantis, nos diceremus, Ego clamans voce. Quis eſt ille clamans, cuius Iohannes vox eſt? Manifeſte itaq; myſterium indicat, de quo poſtea. Vult dicere, nolo vt de me quicquam iactetis aut magno nomine celebretis, qui adeo nihil ſum, vt in me nihil eſſe putem, quod ſpectetur, præter vocem. Hæc ſane, cum ſit miniſtra ſalutis populorum, eſt, qua ſola me iacto. O humilitas inæſtimabilis. Nam & hoc tropo frequentiſſimo etiam Latini, hominem nominant, nomine operis ſui, ſeu vitij ſeu virtutis? vt Terent. Tu quantus quantus es, totus ſapientia es. Et alibi, Oh ſcelus, cum hominem alloqueretur, Sic Lupus ad Philomelam: Vox es ac præterea nihil, cum corpuſculum paruulum inueniſſet, quod ex voce magnum coniectarat, vt Fabula habet. Sic Exod. 4. Ipſe erit os tuum. Et nunc quoque mos eſt, vbi quis minore ſtatura, paulo vocalior eſt, dicere, Vox eſt, ſeu potiſſimum in eo vox eſt, Ita Iohannes nulla re ſe vilem eſſe dicit, niſi voce, totumq; quo viuat & agat vocem eſſe, O vtinam ij, qui Iohannis officio ſuccedunt, & ipſi tā aſſidui eſſent in tractando verbo Dei, vt mererentur non aliud nomen, niſi vocis, ſicut hic Iohannes. Exod. 14.

Commendatio officij Iohanni & Euangelij. Hic iterum nobis commendatur officium Iohannis & Euangelij, quod eſt parare Domino vias eius in deſerto, Et quanquam ad literam, Iohannes in deſerto moraretur, & clamaret, tamen quid ſibi voluerit hoc myſterium, infra videbimus, nunc literam ſimpliciter ſequentes. Iohannes ideo in deſerto vox eſt clamantis, vt oſtendat Prædicatoris, qui Chriſtum docet, qualis ipſe erat, conuerſationem & mores, tales eſſe debere, qui non optet, primo gloriam, deinde nec opes, nec voluptates, nec quicquid in mundo eſt. Qui enim gloriam mundi, opes, delicias, & ea, quæ mundi ſunt, quærit, inter homines eſſe cupit, & miſceri vulgo, ſeu, vt Pſalm. 78. ait. Commiſti ſunt inter gentes, quo facto, mox (vt ibidem ſequitur) didicerunt opera eorum, & ſeruierunt ſculptilibus eorum, & factum eſt illis in ſcandalum. Ita videmus & hodie, Epiſcopos & Cleros, rebus mūdi penitus immerſos, quibus ſolis quoque ſeruiunt, cuius & opera ſic didicerunt, in pompa, faſtu, luxu, delitijs, opibus, vt mundum ſuperent. His autē impliciti, quomodo Chriſtum prædicabunt? cum veritatis Apoſtolum oporteat nudū eſſe, neq; peram, neq; ſacculum, neq; virgam geſtare, & non relinquere verbū & miniſtrare menſis. Aut ſi

prædicare

prædicare cœperit,non prædicabit libere nec perſeueranter, nec ſine reſpectu Perſonarum,captus ſcilicet timore rerum,gloriæ vitæque amittendarum.

Deinde vox clamantis eſſe debet,id eſt, adeo inſtare ſecundum Apoſtolum ad Timoth. Opportune,importune,arguendo,obſecrando,increpando,vt hominibus,non niſi,vox eſſe iudicetur. Nam longe alia debet eſſe prædicatio Euangelij quam Legis, Lex in tabulis ſcribebatur & erat Scriptura mortua,limitibus tabulæ clauſa,ideo parum efficax, At Euangelium viuæ & liberrimæ voci in auras effuſæ committitur,ideo plus energiæ habet ad conuertendum. Vnde Chriſtus ipſe nihil ſcripſit,ſed omnia vocaliter dixit. Apoſtoli parum ſcripſerunt,plurimum autem locuti ſunt, & creuit ſucceſſu temporis,vt faciendi Libros nullus ſit finis,donec eo venerit res,vt qui optime doceant hodie in Eccleſia,tantum ſcribant, vox rariſſime ſonat Epiſcoporum, & eorum,qui debent,quin & inſaniam addiderunt ingentem,dicentes,Oportere in vulgum non ſeminare myſteria noſtra, & (vt vocant) ſecreta Eccleſiæ, quod non capiantur à vulgo,ſcilicet quaſi Spiritus ſanctus ignorarit, cum prædicare præciperet,vulgum non capturum,aut quaſi noſtræ virtutis ſit capere,quæ prædicantur. *Lex. Euangelium.*

Nec vacat,quod non vox dicentis,ſed clamantis dicitur, ſine dubio,vt oſtendat,Euangeliſtam oportere,non modo non eſſe cupidum bonorum & rerum mundi,ſed etiam fortem contemptorem malorum & perſecutorum vſq; ad mortem,nec ſinat ſe cogi in angulum,nec faciat ſicut illi, qui in angulo inter ſuos,de veritate libere ſuſurrant,quam in Publico nec hiſcere audent,ſic ipſemet Iſaiæ. 40. Hanc clamantis vocẽ exponit,dicens. Vox dicentis, clama, Quid clamabo? Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius, quaſi flos agri,Exiccatum eſt fœnum & cecidit flos,Et infra, Super montem aſcende tu,qui euangeliſas Zion,exalta in fortitudine vocem tuam,qui euangeliſas Hieruſalem. Exalta,noli timere,dic ciuitatibus Iuda,Ecce Deus veſter, Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, & brachium eius dominabitur. Qui enim hæc duo annuntiare debet,ſcilicet homines eſſe fœnum, & Deum regnare,magna indiget fortitudine,quia homo non vult eſſe fœnum in ſuis vijs,nec contemni ea, quæ gerit aut diligit. Hæc ſunt duo officia Iohannis,quæ his verbis Iſaias pulchre depinxit,quorum primum eſt, parate viam Domini, ſeu docere hominem eſſe fœnum. Secundum,oſtendere Dominum & agnũ Dei,ſeu vt breuiter dicemus,Oſtendere hominem ſibi & Deum,vt cognoſcat & ſeipſum & Deum,Noticia enim ſui ipſius & Dei,docetur officio Iohannis, vt videbimus infra. *Vox clamantis.* *Duo officia Iohannis.*

Confirmat autem officium ſuum Iohannes autoritate Iſaiæ, Sic enim fieri oportet,vt nemo ſuo ſenſu,ſua autoritate quid tentet,præſertim in publica adminiſtratione, niſi è Scriptura vel autoritatem vel exemplum petat, Sic & ſanctus Anthonius docuit ſuos,vt nullus ſuo ſenſu,vitæ vel operis genus eligeret,ſed è Scriptura aliquid ſumeret,quod ſequeretur. At nunc in Eccleſia,omnes paſſim maxime Magnates,quodlibet audent,proprio motu & bona (vt vocant) intentione,cum hic Iohannes nihil de ſe voluerit dicere,niſi quod per Scripturam de ſe dictum probare poſſet. In quo ſimul docemur,quod ſiue cum aduerſarijs ſiue amicis vincendis ſeu erudiendis agamus, inſtructi ſimus armis & ſuppellectili Scripturarum, non humanis traditionibus aut noſtris ſomnijs,ſicut hodie mos & furor dominatur. *S. Anthonius.*

Et qui miſſi fuerant,erant ex Phariſæis. *Phariſæi.*

PHariſæi autem erant optima pars Populi Iudaici, ſed cur hoc addere voluit Euangeliſta? Forte vt monſtraret Iohannis conſtantiam,

qui magnis & ſpecioſis iſtis ſanctis, nihil moueretur, in quorum tamen nutu eſſet vniuerſum populum concitare contra Iohannem, denique iam inflati turgent contra Iohannem, freti, ſub nomine & poteſtate dicens.

Et interrogauerunt eum & dixerunt ei, Quid ergo baptiſas, ſi tu non es CHRISTVS, neque Helias, neque Propheta?

ECce tumorem ſuperbiæ, mutatæ ſunt blanditię in minas, & facta humilitas tandem deſinit in veram ſuperbiam, & quod latuit, prodit. Sic etiam contigiſſet Iohanni ſi ceſſiſſet primæ tentationi, ſtatim enim vt attraxiſſent, eum contempſiſſent Diſce ergo hic, vt caueas ab hominibus tunc maxime, quando blande & humiliter te aggrediuntur, Et vt Chriſtus Matth 10. dicit. Cauete ab hominibus, Eſtote prudentes ſicut Serpentes, & ſimplices ſicut Columbæ, hoc eſt, nec credas blandis, nec reddas malum inimicis. Eſt ergo ſenſus, quando nos intelligimus, te non eſſe Chriſtum, neque Heliam, neque Prophetam, ſimul intelligimus, non eſſe maiores tuos, qui ex lege Moſi populum Domini regimus, atque ſine noſtra licentia & mandato, nihil tale gerendum eſſe. Quare ergo tu ſolus rebellis, ſchiſmaticus, turbatiuus pacis, nouum ritum introducis, inconſultis nobis? Qua autoritate? imo qua temeritate baptiſas? Nonne noſtro prius conſulto iudicio id debuiſti tentare? dignus plane, in quem noſtræ poteſtatis vtamur rigore, niſi Dæmonium habes, qui te vnum tam audacem, contra omnes erigit, & niſi tibi prouideas, ac à Baptiſmo, nouoque ritu abſtineas, vide ne quid tibi contingat, quod ferre nequeas. Ita vides, qui prius Iohannem pro Chriſto ſuſcepturi videbantur, iam audent & baptiſmum eius carpere & inhibitionem minari. Verum Iohannes, qui non eſt arundo, quæ vento agitetur, nec veſtitur mollibus, ſicut blanditias contempſit, ita contemnit & minas.

Eſtote prudentes &c. Matt. 10.

Reſpondit eis Iohannes, dicens, Ego baptiſo in aqua, medius autem veſtrûm ſtat, quem vos neſcitis. Ipſe eſt, qui poſt me venturus eſt, qui ante me factus eſt, cuius ego non ſum dignus, vt ſoluam eius corrigiam calciamenti.

PRimum videtur hęc oratio Eclipſim habere, vt plena ſit hoc, vel ſimili modo: Ego baptiſo aqua. Medius autem veſtrûm ſtetit, qui baptiſabit igne, quem vos neſcitis &c. Sic enim Lucæ 3. Ego baptiſo vos aqua, ipſe autem baptiſabit vos Spiritu ſancto & igne, Et Act. 1. Iohannes quidem baptiſauit aqua, vos autem baptiſabimini Spiritu ſancto. Quanquam ſatis indicat alium futurum baptiſmum, dum ſe baptiſare aqua dicit, vſque in eum, qui poſt ſe venturus eſt, quos is non aqua ſit baptiſaturus.

Qualis ergo reſponſio ad tam turgidam & minacem quæſtionem? qui videbatur molliter ac timide reſponſurus his buccis crepantibus, etiam arguit eos ignorantiæ, quod eum neſciant, cuius autoritate ipſe baptiſet aqua. Eſt ergo ſenſus, Ego ideo baptiſo aqua, quia venturus eſt poſt me, qui maior me eſt, in cuius aduentum ego baptiſo, cuius autoritas mihi ſatis eſt, etiamſi veſtram non habeam, quem ſi ſciretis, non ſic turgeremini contra me. Ipſe enim ante me fuit, & cuius dignus non ſum ſoluere corrigiam calciamenti. An non vobis videor plus ſatis habere autoritatis, qui ab illo & propter illum veni? Diſcite eum prius, & credite mihi parumper, mox intelligetis, cur ego citra veſtram poteſtatem baptiſem.

Illud

Illud,ipſe eſt qui poſt me venturus eſt,qui ante me factus eſt, Dupliciter intelligunt. Primum omnes in hoc fere conſentiunt,quod Chriſtum poſt ſe venturum dicit,non quo ad natiuitatem (quanquam & hoc verum ſit)ſed quo ad tempus prædicandi,Quia vt Acto.1.Ieſus incepit à baptiſmo Iohannis &c.Quod & Matth.11.miſſis Diſcipulis indicat quærens, Tu es,qui venturus es? cum ſine dubio iam in carnem veniſſet.Et hoc quoq; loco dicit,Medius autem veſtrum ſtetit,quem vos neſcitis,Ergo iam veniſſe in carnem voluit,& tamen poſt ſe venturum dicit.

Sed Chriſtum,ante Iohannem fuiſſe,ſeu extitiſſe(vt Græcus ſonat)ſeu factum eſſe,aliqui volunt de diuinitate dictum,quia fuerit ante Iohannem, Verum quid magni hoc Teſtimonio faceret,ſi Chriſtum ante ſe fuiſſe diceret,qui ante omnia fuit,nec eſt veriſimile,voluiſſe Iohannem rudibus,diuinitatis Chriſti ſacramentum tam repente declarare, aut ſi voluit, tam ſubtiliter & exiliter,quibus oportuit,vt craſſiſſime loqueretur. Deinde,quæ comparatio,ſi illum poſt ſuam Prædicationem venturum diceret,nihil de ſua aut Chriſti natiuitate loquens,mox alteram partem Sermonis, ad prioritatem natiuitatis raperet? Oportet enim (vt videtur prioritatem & poſterioritatem (vt ſic loquamur (apta comparatione ad idem referri, vt Chriſtum poſteriorem prædicatorem Iohanne & tamen ſimul priorem Iohanne Prædicatorem accipiamus.

Proinde mihi placet eorum ſententia,vt ſimplicior,qui dicunt, Quod Iohannes in totum loquatur de Chriſto vt homine & prædicaturo poſt ſe, quem priorem ſe dicit,dignitate,vt Chriſtum commendaret, dignius ſuſcipiendum quam ſe.Quo tropo ſolemus & nos familiariter loqui (meo iudicio) ſi quem adoleſcentiorem viderimus ingenio & literis præcellere, qui etſi ſecuturus eſt officio docendi,tamen iam cœpit nobis prior eſſe,non executione officij,ſed omnibus dotibus,quæ ad officium pertinent.Ita cum Chriſtus iam eſſet ad prædicandum deſtinatus,plenus gratia & veritate,daturus quæ Iohannes non poterat,nempe gratiam,recte priorem ſe pronuntiat.

Hæc ſententia ipſis verbis iuuatur(ſi recte diuino) Non enim ſic dicit,qui poſt me venturus & prædicaturus eſt,iam venit & prædicauit,ſed qui poſt me venturus eſt,ante me factus eſt. Aliud enim eſt, venire prædicantem,& aliud fieri prædicantem ſeu dotibus ornari,quibus ſit aptus prædicare, Ita facilis erit ſententia, Si, venturum, ad officium & executionem,factum eſſe,non ad naturam,ſed perſonam ſeu qualitatem referatur, Prius eſt enim formari perſonam,quam ad officium ordinari. Ex ijs iam & illud elicitur, quod Iohannes licet prior prædicaret,tamen tardius eſt paratus ad prædicandum,Nempe anno quinto decimo Tyberij factum eſt verbum Domini ſuper Iohannem,vt Luc.3.ſcribit. At Chriſtus ab vtero matris,paratus erat & plenus gratia & omnibus dotibus,ad prædicandum.Vide ergo num ſic intelligi poſſit, quod Chriſtus ab initio ſuæ natiuitatis factus eſt prædicator,cum Iohannes vix anno triceſimo ætatis ſuæ,& tamen prior factus, prædicat tardius, & poſterior factus,prędicat prius,vt ſic eos certiſſimos reddat,de futuro Chriſto prædicatore,qui iam paratus ſit,

Proinde verbum,factus eſt,non abſurde pro paratus eſt, acciperetur, non tantum vt tempus,ſed etiam (vt dixi) excellentiam Chriſti, præ Iohanne indicet.Neque enim Chriſtus teſtimonio Iohannis ad prædicandum ordinatus eſt,ſicut Iohannes teſtimonio verbi,ſed teſtimonio Patris,vt Iohan.5. dicit,*Ego habeo teſtimonium maius Iohanne.* Eodem iam ſenſu & illud intelligemus,quod ſupra dicit.Hic erat,quem dixi,qui poſt me venturus eſt (id eſt prædicaturus)ante me factus eſt(.i.paratus eſt ad prædicandum)quia prior me

erat,

erat(id eſt, erat prædicator antequam ego) & dignior & melior, licet ego prior inciperem. Sic & illud infra. Hic eſt de quo dixi, poſt me venit vir, qui ante me factus eſt, quia prior me erat, & ego neſciebam eum. Ter enim repetitur iſte ſermo in hoc capitulo.

Iam illud. Cuius non ſum dignus, vt ſoluam corrigiam calciamenti eius, quidam in tropologias traxerunt, quod Iohannes neſcierit myſterium incarnationis ſoluere. Verum ſimplex literæ ſenſus planus eſt, Iohannem communi humilitatis indicio, dignitatem Chriſti agnoſcere, tamen ſi quid myſterij ſubeſt, infra quæremus.

Hæc in Bethania facta ſunt trans Iordanem, vbi erat Iohannes baptiſans.

CORruptum hunc locum eſſe putant, de quo vide Eraſmum, Nam Bethania, pro Bethabara ſeu Bethaibam poſitum eſſe, cum Bethania proxima ſit Ieruſalem, vt Iohan. 11. legitur, Nec in deſerto, in quo Iohannem fuiſſe audiuimus, nec ſufficit eorum commentum, qui aliam Bethaniam fingunt trans Iordanem, autoritate propria, de remotis quodlibet fingere audentes. Verum quid mouit Euangeliſtam, loci tantopere mentionem facere? Ego myſterium ſubeſſe non dubito, verum pro litera non habeo, niſi quod ad hiſtoriæ certitudinem, voluerit teſtimonium loci adiungere, quod hæc geſta videlicet ſint in loco certo coram multis, vnde peti queant teſtes, aduerſus calumnias Iudæorum, ſi quid aliud de Iohanne narrarent, ſicut omnia eius deprauauerunt, vt etiam Dæmonium habere dicerent.

Iam ad myſteria.

Vox clamantis in deſerto.

VBi primum, quod cœpimus, de officio Iohannis dicendum, Iohannis vox clamantis in deſerto, eſt prædicatio Euangelica in Eccleſia, quæ quare magis vox quam Scriptura, magis clamantis quam dicentis eſſe debeat, diximus, nempe vt efficaciter, libere & fortiter doceat, nec obſcuritate ſua, nec aliena perſecutione à fructu impedienda. Tum in deſerto, quod aliqui exponunt in Gentium populo, qui deſertus à cultu Dei nihil fructificabat. Bona ſententia, ſed melior iſta, quod Euangelica vox ſit in deſerto, quod à cultu hominum deſtituitur, vt ſit ſeparata ab Aegypto & turba hominum. Non enim ſapit Euangelium, quæ mundi ſunt, ideo comedit locuſtas & mel ſylueſtre, nec in domibus Regum verſatur. Siquidem aula & hominum conuerſatio non poteſt ſine adulatione conſiſtere, cum veritatem odiat mundus, nec ſinat liberam eſſe vocem Euangelij, ſicut debet, ideo non in Ciuitatibus, non in Conuenticulis, ſed in deſerto moratur vox clamãtis & Euangelica tuba.

Officium Iohannis & Euangelij duplex.

Officium Iohannis & Euangelij duplex eſt, alterum peccatores facere, alterum iuſtos facere, priore oſtendit peccatum, poſteriore oſtendit gratiam, vtrunq; in Iohanne videamus. Ad officium eius prius pertinet quod dicitur, Venit Iohannes prædicans baptiſmum pœnitentiæ, dicens, Pœnitentiam agite, Et vt Iſa. 40. dixit, clama, quid clamabo? Omnis caro fœnum, Non enim ad aliquos tantum dixit, pœnitentiam agite, quia omnis caro fœnum, non aliqua tantum, ac per hoc omnes arguit reos & peccatores, oſtendens eos ſibipſis, vt agnoſcant ſe eſſe peccatores. Atq; hoc ipſum eſt parare domino vias eius. Qui enim humiliati ſeſe peccatores eſſe agnoſcunt & confitentur, ij ſunt, qui parati ſunt ad vias Chriſti, ad gloriam & miſericordiam ſuſcipiendam. Quia ergo omnibus dicit, vt pœnitentiam agant, omnes peccatores facit, & in ſui cognitionem perducit & humiliat. At hinc odij origo, Hic enim ſuperbi Phariſæi & Scribæ, quia ſibi mundi videntur, Iohanni non credunt

credunt, nec pœnitentia opus ſibi eſſe putant, quare & eum habere Dæmonium dicunt. Publicani autem & meretrices credunt ei, ideo procedunt illos in Regno cœlorum. Vnde & Iohannes in eorum ſuperbiam inuectus dicit, Lucæ 3. Genimina viperarum, quis monſtrabit vobis fugere à ventura ira? Deinde ne ſe iactent de pœnitentia ſua & iuſticia, dicit eis, Facite ergo dignos fructus pœnitentiæ, Q. d. vos præ alijs eſſe vultis iuſti, & in operibus veſtris fiditis, mutare hanc ſtultam opinionem, & veros vos agnoſcite peccatores, & alios fructus pœnitentiæ meliores facite.

Idem opus facit Euangelium, quando Legem interpretatur ſpiritualiter, vt facit Chriſtus Matt. 5. & 6. Nemo enim non eſt reus omnium mandatorum Dei, qui ſine ſpiritu libertatis eſt, quem ſolus Chriſtus dat, licet hypocritæ, operibus externis mandatorum, ſe & alios miſere fallant, dum nolunt eſſe fœnum & mali, nec ſicut cæteri hominum propter ſpeciem operum. Igitur dirigere viam Domini, parare Domino plebem perfectam, docere pœnitentiam, aperire peccatum, oſtendere homini ſuam miſeriam, ducere eum in cognitionem ſui, & legem interpretari ſpiritualiter, ac per hoc iram denunciare de cœlo, humiliare, mortificare, deducere ad inferos, deſtruere, euellere, diſſipare, perdere, docere omnem carnem eſſe fœnum, & ſi qua ſimilia in Scripturis de verbi Dei efficacia dicuntur in peccati reuelationem & deſtructionem, omnia idem ſunt, & ad officium Iohannis prius pertinent. Humilitas enim parat ad gratiam, ſicut Petrus dicit, Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam ſuam, quæ humilitas eſt alienũ opus eius vt operetur opus ſuum, cui ſoli ſuperbi reſiſtunt, maxime qui de ſapientia & iuſticia operum inflantur, quare ij ſoli, ſicut Iohannem non recipiunt, ita nec Chriſtum, nec miſericordiam Dei vnquam apprehendunt.

Docere pœnitentiam &c.

Ad alterum & poſterius officium Iohannis pertinet illud, Appropinquabit regnum cœlorum. Et iterum, Ecce agnus Dei, Ecce qui tollit peccatum mundi. Et quod hoc loco dicit. Poſt me venit, qui ante me factus eſt, cuius non ſum dignus &c. Et Eſa. 40. Dic ciuitatibus Iuda, Ecce Deus veſter. Non enim ſatis eſt humiliare & malum oſtendere, niſi oſtendat & bonum, quo à malo liberemur. Ita humiliatis & peccatum ſuum agnoſcentibus, Chriſtum oſtendit, per quem à peccatis ſalui fiant. Qui tunc veniens inuenit peccatores, quos inambulet & iuſtificet. Idem facit Euangelium, dum nunciat pacem remiſſionem peccatorum in Chriſto. Sic Lucæ. vlt. *Oportuit Chriſtum pati, & reſurgere tertia die à mortuis, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remiſſionem peccatorum.* Nota prædicari pœnitentiam, id eſt, omnes eſſe peccatores, & remiſſionem peccatorum, id eſt, iuſtificandos in Chriſto. Hoc Paulus Rom. pulchre facit, qui concludit omnes ſub peccatum, proponens omnibus Chriſtum per fidem iuſtificatorem.

Appropinquabit Regnum cœlorum.

Iſai. 40.

Lucæ vlt.

Itaq; Iohannis & Euangelij eadem doctrina eſt, idem opus, ſcilicet humiliare ſuperbos, & exaltare humiliatos, famelicos facere eos, qui ſaturi ſint, & eſurientes implere bonis. Verum, quia hæc per verbum ſeu annunciando facit, non efficiendo, ideo vox eſt, non res, Chriſtus autem res eſt & facit, quod Iohannes & Euangelium annunciant. Ita vides, quomodo Iohannes ſit medium inter Chriſtum & Moſen, inter gratiam & legem, inter nouum & vetus Teſtamentum, dum vtrunq; reuelat, illuminat & copulat. Lex enim gratiam requirit, gratia facit legem, ſed neutrum cognoſcebatur, nec quid Lex requireret, nec quid gratia faceret, niſi vox Iohannis intercederet & lucerna lucens & ardens per legis interpretationem, illuminaret ſcientiam peccatorum & per oſtenſionem gratiæ accenderet deſiderium remiſſionis peccatorum. Sicut optimus medicus, & indicans morbum & oſtendens medicinam. Hoc enim neq; Moſes neq; Prophetæ fecerunt, ſed de indicando & oſtendendo in futurum prædixerunt.

Iohannis & Euangelij eadem doctrina eſt.

Idem

Aqua baptiſari. Idem ſignificat ſuo baptismate in aqua,gerens hoc in figura
operis,quod docebat in verbo.Qnid enim eſt aqua baptiſari,niſi augere frigus
& (ſicuti videtur)contraria igni facere? Ita dum legis eruditio traditur, pecca-
tum? quod gratiæ repugnat)augetur & grandeſcit,vt Rom.5.Lex ſubintrauit, *Rom. 5.*
vt abundaret delictum,Hoc eſt,ad deſperationem ſui humiliat vera cognitio
peccati,& quam longe ſit à gratia ſeu igne ſpiritus,intelligitur.Et tamen quo *3. Reg. 18.*
magis agnoſcitur peccatũ , eo propior eſt gratia.Sicut 3.Reg.18.egregia figu-
ra Helias(in cuius ſpiritu Iohannes venit)literaliter præluſit,vbi ſuper bouem
& ligna iuſſit tertio fundi aquas,donec aquæ currerent circum altare & aquæ
ductus repleretur Et tamen mox ad orationem eius,ignis de cœlo cecidit, de-
uorauitq; bouem & ligna & aquas quoq; tunc cognouerunt Dominum, Ita
& hic aqua baptiſmi,eruditio legis, peccatum augere ſentitur ad deſperatio-
nem vſq;& tamen quia in venturum Chriſtum agitur,qui igne baptiſat,ma-
gis præparat ad gratiam,quæ tollit omnia peccata,Hic tum vere Dominus co-
gnoſcitur,hic occiduntur Prophetæ Baal(Falſi legis Doctores)tunc ſtatim ſo-
nus pluuiæ ſequitur (id eſt,abundantia doctrinæ euangelicæ)vt illic figuratur.

Verum hic interpreti legis & indici gratiæ,vide quid faciant
ij,qui in populo ſunt ſapientiores,ſanctiores & potentiores,ſcilicet ſacerdotes
& Leuitæ & Phariſæi,Primum conantur,vt Euangelium in ſuum ſenſum
trahunt,ſua opera,ſuas ceremonias,ſua ſtudia,illo ſtabiliant & populo com-
mendent,ſicut quædam pontificia decreta & hominum opiniones tentant,
quæ Euangelio vim & verum ſenſum auferunt.At permanet Euangeliũ con-
ſtans in ſuo ſenſu,nec ſinit ſeſe transformari,& quod conati ſunt plurimi ſen-
ſibus ſuis allegoricis,tropologicis,anagogicis & ſimilibus nugis,vt taceam ea,
quæ manifeſte deprauarunt in carnem & ſenſum hominum, quo dominen-
tur per leges & opera ſua in populo Chriſti,ſicut Phariſæi voluerunt per Io-
hannem.Nam nihil eſſet tyrannidis Eccleſiaſticæ in Eccleſia,ſi Iohannis vox,
id eſt, Enangelium, præualeret, & hominum traditiones non eſſent.At poſt-
quam Iohannem nõ permouent,nec Euangeliũ pro ſe habent,quid faciunt?
Nempe Euangelio extincto,Ariſtotelem & decreta hominum,loco eius eri-
gunt,ac ſic cum Herode Iohannem captum obtruncant,ſicut eſt dies hæc.
Nam vbi blanditijs non poterant mouere,quin peccatores ab eo arguerentur,
tandem ad furiam conuerſi,dicunt,quid baptiſas? deſine nos arguere, noſtra
opera recta & Canones ſacri,quos niſi colueris,hæreticus es & occidendus. An
non videmus ita geri & geſtum in Eccleſia per noſtros quoque ſacerdotes &
Leuitas Phariſæos,quod hic legimus? Qui & ipſi neſciunt eum , qui medius
inter eos ſtat.Quare neſciunt? quia baptiſmum Iohannis non curant,nec pœ-
nitentia opus habent,qui ſtatutis ſuis alios docere aſſueti ſunt.

Quæ tamen omnia,vt clarius intelligantur,paululum propter ſequen-
tia facilius intelligenda,digrediendum eſt,ſi qua formari poſſint & recte in-
ſtitui populorum paſtores in tractando verbo fidei & doctrina morum & à
ceremoniarum periculis ſibi cauere,Ponamus itaq; tres ordines operum , tria
genera doctrinæ,velut tria baptiſmata. Qnorum primus,& extremus,velut
atrium tabernaculi,omnium latiſſimus eſt, docere,ritus,ceremonias & tradi-
tiones hominum,qui deſcriptus eſt in Iure Canonico & ſtatutis Monaſterio-
rum,& verſatur in rebus externis,& corporalibus,vt ſunt,domus,vaſa,veſtes,
membra corporis. Exempli gratia , quod maius peccatum ſit in templo ali-
quid malum facere,quam in domo propria aut plateis. Item cauetur , ne bi-
batur,comedatur,coquatur,negotietur in templo, Huc pertinent indulta &
priuilegia locorum ſacrorum,Sic tangere pallas altaris, calicem, aliaq; vaſa,
peccatum factum eſt,Sic ſacerdotem ſine corona incedere, ſine ſtola, caſula,

mani-

manipulis,præparatorijs ſacrificare,aut inter dicendum Canonem titubare, aut ſilentium ſoluere,pene ſacrilegium ducitur. Hæc enim, vt ſunt infinita, nunquam à Chriſto & Apoſtolis præcepta,ita penitus & confidenter ſunt ab ijs, quæ præcepta ſunt, diſcernenda, quo poſſimus occurrere perueſiſſimæ peruerſitati, quæ hodie mundum totum replet & illudit.

Prudentis ergo Prædicatoris eſt,hic gnauiter obſeruare,præſertim vbi hæc rigidius videt coli,quam ea quæ Chriſtus præcepit,vt totis tunc viribus in ea inuehatur,quo iudicium in hominibus rectum formet, & animalia Chriſto munda & vngulas diuidentia offerat,vt ſi quem viderit ſacerdotem maledicere,iurare,ambitioſum,iratum,auarum eſſe,aut ſcortari,aut alio vitio per Chriſtum prohibito laborare,nec multum illo moueri,quo ſeſe emendet. Rurſus autem pallere & terreri,ſi ſine ſtola ſacrificarit,aut in Canone titubauerit,aut aliud quippiam omiſerit ceremoniarum & rituum,durißime hunc arguat,& ſtultam eius ſanctitatem vehementer deteſtetur, exaggerans quantum poteſt & magnifice docens,quanto ſit res leuior,ſi in prophana menſa,pollutis manibus,ſine veſte,ſine præparatorijs & omnibus,quæ humanitus præcepta ſunt, ſacrificarit,quam ſi ſemel maledixerit,læſerit,aut non benefecerit proximo ſuo,vt qualem ſibi conſcientiam contrahit ex neglecto hominum præcepto, talem ſibi centuplo ſciat maiorem faciendam in Dei præcepto,quod ſi in hoc nullam aut minorem faciat,ſciat ſeſe peruerſum hypocritam, plus tali conſcientia peruerſa Deum offendere quam placare.

Tales enim Apoſtolus conſcientias vocat cauteriatas,id eſt,fictas & violentas,non veras nec genuinas.Et proh dolor totum orbem hodie occupant, cum enim ſint hodie ſacerdotes auariſſimi,nemini benefacientes,aut ſeruientes ſecundum charitatem,nullam tamen in hoc maximo peccato conſcientiam trahunt,at titubaſſe in Canone,aut puerum allocutum fuiſſe (etiamſi neceſſitas poſtulet)proh,quantum hic laboris eſt in conſcientia.Aduerſus ergo has ſtultas,friuolas & impias conſcientias Concionatori eſt ſedulo prædicandum,& per comparationem verarum conſcientiarum, populus diligenter erudiendus,vt ceremonias in nouiſſimo loco,imo nullo loco ducere diſcat,niſi prius Dei mandata in ſuo loco dixerit,cum nulla re magis Deus irritetur & amaricetur,quam his fictis per hominum ſtatuta conſcientijs,ſicut dicit Matt.15.Hypocritæ,bene de vobis prophetauit Iſaias,populus hic labijs me
Matt.15. honorat,cor autem eorum longe eſt à me,fruſtra autem colunt me doctrinis & mandatis hominum. Ecce,fruſtraneum prorſus definit cultum in doctrinis & mandatis hominum,ſi cor fuerit longe à Deo,quid clarius dici poteſt?

Vere non eſt res,in qua vigilantior eſſe debeat Eccleſiaſtes,quam in iſto formando populi iudicio in ceremonijs,ſicut videmus & Apoſtolum Paulum nulla alia re magis ſolicitum eſſe. Quis enim non deteſtetur,ſi mulier tam religioſe à tactu palliarum altaris aut calicis abſtineat, & hic conſcientia rigida ſæuiat,cum interim nec à tactu,nec aſpectu,nec colloquio viri abſtineat, ſit loquax,iracunda,pompoſa & alijs vitijs obſita,in quorum nullo religioſam & rigidam facit conſcientiam? Iam ſi puer vel imprudens tetigerit corpus Chriſti manibus,tantum eſt ſacrilegium,vt viuam ei carnem abradant, non attendentes,quod lingua, labijs,gutture, palato attigiſſe nullum peccatum eſt,at ſi furetur,aut in aliud Dei præceptum peccet, leuiſſime, vel nunquam punitur. Vnde iſte furor,niſi vt in rebus nihili conſcientias falſas, & in rebus ſerijs,nullas facere doceat diabolus?

Alter ordo eſt,vbi ceremoniæ fuerint recte traditæ & prudenti comparatione cum præceptis Dei ſane intellectæ, vt homo ſciat iuſticiam in eis magis ſimulari & ſignificari quam præſtari, niſi in præceptis Dei verſemur

toto ſtudio. Iam introducendus eſt populus ad interiorem & propinquiorem circulum, velut ex atrio in ſanctum, de præceptis hominum in præcepta Dei. Hoc enim curandum eſt concionatori, vt ſola Dei præcepta doceat populum, ad quod vocatus eſt, Hic incipit officium Iohannis, docere ſcilicet legem, Nam ceremonias docere prorſus non pertinet ad officium Iohannis, nec ad nouum teſtamentum, licet propter rudiorem ætatem exercendæ ſint, ſic tamen (vt dixi) ne cauteriatæ conſcientiæ inde naſcantur, & vanus fiat vniuerſus cultus Dei, vt Chriſtus dicit. Hoc ergo circulo ſecundo, docendus eſt timor Dei, charitas, pax, bonitas, benignitas, humilitas, patientia, longanimitas, liberalitas & alij fructus ſpiritus, in decalogo præcepti, & inſectanda ſuperbia, auaritia, libido, ira, inuidia, & alia opera carnis. Hæc enim bona & mala non verſantur, neq; hærent, in domibus, veſtibus, vaſis, membris, cute, carne, ſicut ceremoniæ, ſed in ipſis ſenſibus & viribus cordis & medullarum.

Hæc autem ſic docenda ſunt, vt non tantùm ſint opera, Nam & hoc ipſum eſt hypocriſim dicere, ſed vt ex tota corde illa fiant, & iſta omittãtur, vt ſciat virgo, ſe coram hominibus, non autem coram Deo mercedem habere caſtitatis, ſi inuita continuerit, & opus eius non ſit niſi hypocriſis & ſtultarum virginum lampas ſine oleo. In quo vitio, timeo, hodie laborent optimi ſacerdotes, religioſi, moniales, honeſtiſſimæ matronæ & virgines, item ſpecioſiſſimi laici, qui omnes incedunt in bonis operibus, orando, ieiunando, continendo, non maledicendo, non lædendo, ſed ſolo timore inferni & odio Legis, vt ſi Lex non eſſet, & impune liceret, certe facerent libere, quæcunq; alij peſſimi homines. Hoc docere, eſt Legem recte docere & omnes ad pœnitentiam vrgere, omnes reos facere, & oſtendere, quam omnia ſint peccata, quæ ſine corde & animo ſpontaneo fiunt, Lex enim vult ſpontaneo corde impleri, & Deus mercenarios odit, quærit liberales, gratuitos & hilares datores, qui nulla neceſſitate, ſed ſola beneuolentia, ei ſeruiant, quibus & ipſe rurſus, nullo debito, ſed gratuita bonitate retribuit regnum cælorum.

Hoc officium ſi recte & diligenter tractet prædicator, ſicut debet, inueniet, quam rari ſint boni in terra, quam multi hypocritæ. Etiam in ijs bonis operibus, & in hac hypocriſi perire, non niſi nobiliſſimos & optima opinione viuentes, de quibus Eccleſiaſtes dicit: Vidi impios ſepultos, qui cum adhuc viuerent, laudabantur in ciuitate, quaſi iuſtorum operum. Nam in ceremonijs non perit, niſi rude & ignauum vulgus, quod nunquam intelligit vere bona opera. Hic autem pingues Iſrael occiduntur, & electi eius impediuntur, O quam terribile ſpectaculum eſt, hos operarios perire, eruditos alioqui & bonos homines, eo quod exiſtiment ijs operibus impleri legem Dei, & quaſi Lex data ſit, vt eam talibus operibus impleant? Horum iuſticia vocatur in ſcripturis labor & dolor, Pſalm. 9 & multis alijs, & ipſi operatores iniquitatis, vt Chriſtus Matt. 7. dicit: Multi dicent mihi in illa die, Domine in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus & virtutes multas fecimus. Tunc confitebor eis, diſcedite à me omnes operarij iniquitatis Quare cõcionatori laborandum, vt etiam horum operum fiduciam funditus ſubuertat, & niſi melius quid operari didicerint, ſeſe eum operibus eiuſmodi perituros in æternum doceat, ac ſic per Legem & officium Iohannis primum omnes faciat peccatores, humiliatos, paratos doceri, quid nam debeant amplius facere.

Tunc vltimus ordo, imo primus venit, docendæ ſcilicet doctrinæ fidei, Nam ideo ceremoniæ & opera moralia damnantur, vt liceat tuto & feliciter fidem primo docere, ſic in Exodo legimus, ante omnia primum fieri ea,

quæ

Digitized by Google

quæ ſunt ſancti ſanctorum, deinde ſanctum, vltimo atrium. Contra primum omnium deponebatur atrium, deinde ſanctum, vltimo ſactum ſanctorum ſignificante nimirum ſpiritu, quod ante omnia docenda eſt fides & Euangelium, vbi operatur ſolus Deus, deinde recte doceri & fieri opera ex fide, tandem fide & operibus primo recte ſeruatis, citra periculum etiam doceri ceremonias & ritus externos. At in redarguendis illis, contrario ordine, primo vituperandæ ceremoniæ dum ſunt ſine operibus, deinde tollenda & opera, ſi fiant ſine fide, Nouiſſime omnium deponetur & fides, vt 1. Corin. 13. dicit Apoſtolus, cum mortale hoc induerit immortalitatem, & ſola charitas perſeueret. Hic ergo, primum & ſummum opus eſt prædicatoris, docere fidem, & cum Iohanne monſtrare agnum Dei, qui tollit peccata mundi. Sic enim Apoſtolus, Corint. 2. 3. dicit, nos eſſe miniſtros, ſpiritus non literæ.

Fides enim in Chriſtum, donum Dei eſt, quod impetrat & meretur accipere Spiritum ſanctum, quo accepto, cor fit hilare, iucundum, ſpontaneum, omnia faciens & patiens gratuita voluntate, non timore inferni, nec amore præmij, ſed mera beneuolentia, qua in Deum dulciter affectum eſt, dum tanta ſibi in Chriſto videt gratis donata, vt etiam mori & in omnes voluntates ſit paratum. Hæc voluntas ex fide & ſpiritu nata & ſecundum Deum creata facit vere bona opera, & ceremonias recte ſeruat, liberrime eis vtens, ſciens, quoniam non in ipſis nec operibus, ſed in hac fide & ſana voluntate eſſe ſuam iuſticiam, ſicut Paulus dicit Roma. 1. Iuſtus ex fide ſua viuet, & Rom. 10. Corde creditur ad iuſticiam, ſine qua nullæ ceremoniæ, nulla opera proſint obſeruata, Rurſus in fide agentibus nihil obſint neglecta, Omnia enim tunc libera ſunt, De qua fide & diximus & dicemus, Deo volente, plurima quando vniuerſum Euangelium nihil aliud doceat. Hæc interim præmiſiſſe ſatis ſit, vt explorem, quo fructu laborem, & has quatuor dominicas interim emittemus, periculum facturi, quo vultu Euangelium Chriſti excepturi ſint Chriſtiani, poſt longam iſtam & duriſſimam Babyloniæ captiuitatem.

SOLI DEO GLORIA.

AD LIBRVM EXIMII MAGISTRI NOSTRI M. AMBROSII CATHARINI, DEFENSORIS SYLVESTRI PRIERATIS acerrimi, Reſponſio Marti. Luthe. Cum expoſita viſione Daniel. VIII. de Antichriſto.

IESVS.

VINCILAO LINCO, AVGVSTINIANAE FAMILIAE VICARIO, ECCLESIASTAE Nurmbergenſis Eccleſiæ, vere Theologo, ſuo in Domino Maiori, Martinus Lutherus S.

ENtibi tuum Ambroſium Catharinum, venerabilis in Chriſto Vincilae, nouum illum Italiæ tam laudatæ partum, reuera inſignem Syluestrini Regiſtri conſummatorem. Quid mihi, inquies, inſulſum iſtum & ſtolidum, de quo bene diceres, In toto non eſt corpore mica ſalis? Reſpondeo: Et tu quid illum ad me miſiſti, ac non mox Pegnitio tuo aut vulcano commendaſti? Ne tot horas mihi in eo legendo perderes, quas melius fuiſſem partitus in ludum aliquem Circulatoris aut compotatiunculam, vt ſic Italo ſale meipſum ſaliam, quam dum ſterquilinium verborum verboſiſsimi & maledicißimi Thomiſtæ perluſtro, in cœno iſto pene pereo miſer. Talionis iure eum recipis, ne deinceps eius generis portenta ad me venire cures, Quaſi non ſatis habeat Germania delyrantium Ecciorum & Emſerorum, & infiniti vulgi Sophiſtarum. Caue deniq; ne & hoc ipſum ſtercus Endor regeras in me, alioqui per ipſam Catharinianam ſapientiam iuro, toties in te reijcietur, donec in te hæreat vltimo, aut inter iactandum euaneſcat, Rides & iocum exiſtimas? vtinam vt ridenda eſt huius Itali ſtoliditas, ita Germanorũ nullus ſerio talis inſipientiæ contagione corriperetur. At cum hactenus quicquid vel Italiæ vel Romanæ nomine iactaretur, incredibili ſtupore loco numinis adorauerimus, Idq; homines illi egregie faſtuoſi & ſuperciliosi ſentirent, quaſi perpetuum illis germania ludibrium futura ſit, Impudenti fronte audent nobis adhuc quotidie fœdiora portenta obtrudere, cum adhuc Beſtias, adhuc Barbaros, adhuc truncos nos eſſe ſine fine ſomniant. Interim diuina prouidentia tenebris palpabilibus obruti non vident, ſe ſe bis Beſtias fieri, qui cum rege ſuæ Babylonis tritico priuati, fœnum ſicut Bos comedunt. Prodijt enim Syluester, ac ſicut Sorex mutiuit, ac mox perijt, Secutus eſt Caietanus ille, ſacratum implet numerum Catharinus, Thomiſtarum iam tertius, Hi Thomiſticæ factionis in Italia proceres, è quibus alios omnes licebit æſtimare, Neque enim è fece vulgi prodeunt hi ſcarabei, ſed alto de ſanguine Troes, Troiæque Aſtyanactes, Quid ipſos Troianos æſtimabimus, ſi tales eorum ſunt Hectores?

Eccius. Emſerus.

Sylu. Reg. Caietanus. Catharinus.

Hoc vero vnicum operæ fuit precium, legiſſe ſordidiſsimorum Libros, vt intelligeremus, quo ingenio, qua eruditione, qua modeſtia, qua denique humanitate illi nos ſibi Beſtias comparauerint. Nam hunc Catharinum nulla fere torquet res acerbius, quam quod Syluestrum Italicum & Laicos eruditos dixi. Ego autem plane illud verum nunc video, Thomiſtam purum, eſſe Aſinum verum, ſiue ſit Italus ſiue Germanus. Et quid aliud fierent, qui non niſi vnum Thomã legunt, vorant & in ſe (quod dicunt) transſubſtantiant, cui, vt non inuideo, ſanctimoniam à Papa ſibi datã (quid enim non queat ſanctificare Sanctiſsimus?)

Thomiſta purus.

de quo

de quo incredibili faſtu ſuperbiunt, ita ſuam doctrinam prorſus inanem ſpiritus, non dubito quandam iræ Dei Phialam in terram eſſe miſſam, ob quam tamen potiſsimum eſt canoniſatus, vt quale eſſet meritum, talis ei Canoniſator contingeret. Non quod negem illum eſſe Sanctum, quamuis reuera hæretica doceat, & plane Chriſti doctrinam vaſtet, forte imprudens, ſed quod doleam huius autoritate falſos tot generoſos animos fidelium Chriſti, pro croceis amplecti ſtercora, vt Ieremias queritur.

Sed heus, quod pene oblitus fueram, ne exiſtimes, hac Epiſtola me denuo redigi in tuam autoritatem, ne forte ſanctiſsimus Vicarius Dei in terris mandet tibi, vt ſanguine meo polluas manus tuas, Quod dico, ne & hic Catharinus contradictionem colligat, in qua obſeruanda, tam eſt ingenioſus & acutus, vt aſini pene æquet induſtriam.

QVid igitur faciã tuo Catharino? qui ea me conſtringit anguſtia, vt ſi omnes meas hæreſes mihi impoſitas diluero, quas ſuper arenam maris multiplicat, vna autem victus fuero, in totum me damnatum & victum haberi exigat etiam, obſecro, quam Thomiſtica exactio? Mihi vni mortalium, Imo Beſtiæ, ne vnus quidem error ignoſcetur, idque à Thomiſtis Italis, cum multos errores S. Patribus ignoſcat vniuerſa Eccleſia. Quam anhelat Catharinus ad victoriam? Quanto iuſtius erat, mihi Beſtiæ & Barbaro, omnes errores condonari ꝑpter vnam ſententiam catholicam, & Italum iſtum Heroa, & humaniſſimum hominem potius ea lege teneri, vt vno errore comprehenſus, totus erroneus haberetur. Tamen vt videat homo Italus, & beſtias Germaniæ nonnihil habere humanitatis, nihil aliud peto, quam vt æqua ſaltem conditione pugnemus, quando æqui Antagoniſtæ eſſe non poſſumus, Et mihi Catharinus quoque ſit in totum hæreticus, ſi cæteris omnibus dilutis, vna aliqua per Beſtiam fuerit conuictus. Scio autem me hoc facile impetrare à Catharino, vt qui paratus ſit etiam iniquis conditionibus pugnare cum tam ſtulta ſtolidaque Beſtia, quo victoriæ decus eſſet ſpectatius, & quantum videre videor, indignabitur etiam Beſtiæ, quæ æquam conditionem præſumat cum homine, & tanto homine, ſcilicet Italo & Thomiſta, Sed ſic eſt ingenium Beſtiarum, feret hoc pro Italica & Thomiſtica ſuâ humanitate Catharinus.

Iam vbi conſtat, vnanimi Thomiſtarum, Scotiſtarum, Modernorum, Albertiſtarum ſententia (Eſt enim aliqua cauda, in qua vulpes iſtæ conueniant) Beſtias carere libero arbitrio & potentia electiuâ, in qua prudentiæ & vniuerſæ virtutis ratio ſubiectiue & formaliter conſiſtit, feranturque ſolo naturæ ductu & appetitu naturali & cognoſcitiuo. Natura autem, quia neceſſitate, non voluntate agit, ſecundum totum ſuum poſſe agit. Dabit & hoc Beſtiæ præcipiti Catharinus, vt nullo ordine feratur, & primo omnium de ſumma rei certet, hoc eſt, de Papatu, in quo tamen naturæ temeritatem compenſabit euentus, ſeu vt Ariſtoteles dicit, fortunæ & caſus cõmoditas. Nam hoc agone conſummato, tota Babylon & farrago Catharinianarum diſputationum aut ſtabit aut iacebit, cum in hoc pendeant omnia, quæ ſcribit, dicit, facit, agit, viuitq;. Sed & mihi hoc in commodum cedet, ne ſi humaniter & rationabiliter agerem, mihi etiam ſex Libri maledici prænaſcerentur in mores aduerſarij. Et

diceret mihi Catharinus: Tu Beſtia doctrinam impugnare voluiſti, & perdis Papyrum cum tempore conuitijs & maledictis. Nam quod ego Catharinus homo id feci, cauſa fuit, quia homo eſt animal rationale ſecundum S. Thomam & Ariſtotelem, & Porphyrium, qui debet rationali via procedere.

Omitto itaq; illa de Indulgentijs, de Louanienſibus, de Concilijs, & omnia illa mea, quæ Catharinus inducit pugnantia. Fateor ipſemet, me male de indulgentijs, Papa, Romana Eccleſia, Concilijs, Vniuerſitatibus, Canonibus ſenſiſſe in principio, vnde & poſterioribus Libellis omnia reuocaui, vt in Captiuitate Babylonica & Aſſertione contra Bullam legere poteſt, qui volet. Tarde (vt aiunt) veniſti, mi Catharine, iam non quæritur: An ſit Papa? Iſta quæſtio, Si eſt, & operatio prima intellectus iamdudum finita eſt. Ad quæſtionem, Quid eſt? peruenimus, & ad operationem ſecundum intellectus, & concluſum eſt, *Papam eſſe Antichriſtum*. Sola ſupereſt operatio tertia, diſcurſus (ſi tamen Aegidiſta quoq; non tantum Thomiſta fueris) Et hanc ſperamus propediem finitum iri, Et ignis quidem noſter eam feliciter orditus, (vt ſperamus) omnia iura ſanctiſſimi in Chriſto Patris & Vicarij Dei in terris, exuſſit tanquam Antichriſti dogmata. Tarde, inquam, veniſti Catharine, tarde, tarde, & nimis vetera commemoras. Tamen ne fruſtra maledixiſſe, (ſcripſiſſe inquam) videare, volo cum cogente ad vnum miliare etiam duo alia vadere, & è fauilla ſuſcitatam denuo Quæſtionem tractare tecum, quanto poſſum breuiſſime, ne ſepties Beſtia fiam, nihil tanto reſpondens Italo & Thomiſtæ.

Captiuitas Babylonica ſup. folio 250 a.
Aſſertio contra Bullam fol. 292. a b.

Summa prima omnium quæſtionis eſt, An Chriſtus Matth. 16. Romanam Eccleſiam fecerit Caput, Magiſtram, Principem, Dominam primam Eccleſiarum totius orbis, per iſta verba: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam &c.? Omitto ea, quæ antea dixi, quibus feliciſſimo Catharino tantum negotium diſtinguendi, & è proprio capite gloſas fingendi dedi, vt me etiam Beſtiam laborantis hominis miſertum ſit, Quæ ſi denuo repeterem, & redarguerem, magnum mihi volumen naſceretur, cum ſciam illius dicta meorum comparatione (modo mediocre ingenium obſeruet) mire ridicula & ſtulta commenta inueniri. Ad noue dictum dicendumq́, venio, quod Catharinus rationabilis, etiam ſi arborem Porphyrianam cum fructibus voraſſet, non obſeruaſſet.

Tu es Petrus. Matt. 16.

Chriſtus, quod Catharinus fatetur, primo de Petra & Eccleſia loquitur, Secundo fatebitur, quod Chriſtus promittat aduerſus eandem Eccleſiam & Petram non præualituras eſſe portas inferi. Clara ne ſunt hæc Catharine? Non enim Beſtia, ſed Chriſtus ea dicit. Stet ergo, Portas inferi non præualere aduerſus neq; petram neq; Eccleſiam.

Portæ autem inferi tunc præualent, quando in peccatum perpellunt. Aut dic tu, quid ſit portarum inferarum præualere aliud? Sicut econtra, Aedificari ſuper Petram, eſt in gratia & bonis operibus creſcere, vt dicere poſſis, hoc eſſe portas Zion præualere. Sic 1. Pet. 2. dicit: Vos tanquam lapides viui ſuperædificamini domus ſpiritualis. Et Ephe. 2. In quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu ſancto. 1. Pet. 2. Ephe. 2.

Aedificari ſuper Petram.

Et ne mihi elabaris, Eſto, fidem informem habeat Papa vel Petra tua, vel Eccleſia tua, nihilominus ſi in charitate non fuerit, ſub poteſtate diaboli, & portis inferi fuerit, Quia Roma. 8. dicit: Qui ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius. Et Matt. 7. Qui fide informi fuerant & miracula fecerant & recte docuerant, audiunt ſibi dici: Diſcedite à me omnes operarij iniquitatis. Roma. 8. Matth. 7.

Obſecro te Catharine, homo Itale, Thomiſta, digneris hic Beſtiam parumper audire. Concedere cogo te per hæc Dicta, eum qui ſine charitate eſt, ſub

ſub diabolo eſſe,& ad Chriſtum non pertinere,ac per hoc portas inferi in eum præualuiſſe & dominari,tanquam in ſeruum peccati.Sicut Chriſtus dicit Iohan.8. *Qui facit peccatum,ſeruus eſt peccati*, Sunt ne etiam hæc ſatis clara? An hic Origine,Chryſoſtomo,aut etiam toto Patrum catalogo opus eſt? Ioan. 8.

Vltimo,id quoq; concedis,Papam quem tu Petram vocas, & ædificatos ſuper hanc Petram et ſubiectos viſibili adminiſtratione Eccleſiam appellas, aliquando peccare & peccaſſe.Nonne concedis? Imo ſi verum fateri voles, non eſt ſceleratior gens in terra,quam ea,quæ Papæ hodie pertinaciſſime adhæret, & qui maxime ſuper eum ſunt ædificati,ac per hoc,portis inferi ſubiecti,& omnium ſcelerum ſerui. *Gens Papæ adhærens.*

Reſponde nunc, Vbi eſt tua verboſiſſima farrago totius huius diſputationis? Da Eccleſiam illam, da Petram,in quam non præualent portæ inferi. Quin das? Audin Catharine? Non Papam dabis(ſcio)neq; Papiſtas, Quam ergo dabis? Nullam externam Eccleſiam,nedum Romanam. Quia hanc ſolam dabis(ſi Chriſtum audis)quæ ſine peccato eſt, Domina ſcilicet Portarum inferi, Quamcunq; enim dederis,incertum eſt,an ſit in peccato & ſub portis inferi, Si Romam dederis,ipſamet teſtabitur ſe eſſe ſcelerum lernam. *Roma ſcelerum lerna.*

Concludo ergo aduerſus te demonſtratiue conuictum, verbum Chriſti Matth.16.ad nullam perſonam pertinere,ſed ad ſolam Eccleſiam in ſpiritu ædificatam,ſuper Petram,Chriſtum,non ſuper Papam nec ſuper Romanam Eccleſiam. Quam cito enim non dederis Papam ſanctum,tam cito non dediſti,Petram,neq; Eccleſiam, ſed ſentinam peccati & Satanæ ſynagogam, Cum autem etiam S.Petrus,ſi præſens eſſet,non poſſet ſciri,an ſanctus eſſet,& permaneret ſine peccato, Ideo neceſſe eſt,nec ipſum eſſe Petram, ſed ſolum Chriſtum,quem ſolum ſine peccato eſſe & permanere certiſſimum eſt, & cum eo Eccleſiam ſuam ſanctam in ſpiritu. *Tu es Petrus. Matth.16.*

REuertamur ad conditionis pactum, Vno ego te, Catharine, hoc errore comprehendi.& indiſſolubili vinculo conſtrinxi. Quare te hæreticum proclamo conuictum, & cum tanto tuo Libro condemnatū & maledictum. Habes quod hic mutias Catharine? Surge homo Thomiſta, & contere Beſtiam hanc maledictam,quæ tam ſubito ad vniuerſa tua portenta non ſolum reſpondit,ſed etiam ea ad nihilum redegit.

Igitur ſicut Petra iſta ſine peccato inuiſibilis & ſpiritualis eſt,ſola fide perceptibilis,ita neceſſe eſt & Eccleſiam ſine peccato inuiſibilem & ſpiritualem, ſola fide perceptibilem eſſe, Oportet enim fundamentum eſſe, cum ædificio eiuſdem conditionis,ſicut dicimus: Credo Eccleſiam ſanctam Catholicam, Matt.16. At fides eſt rerum non apparentium. Quare hoc verbum Matt.16. Tu es Petrus, per diſdiapaſon à Papatu & viſibili Eccleſia eius diſtat,imo eam funditus ſubuertit,& ſynagogam Satanæ facit. *Fides,Ebre.11.*

Vlterius,Si per Petram Papa,& per Eccleſiam ædificatam,intelligeretur obediens Papæ congregatio,Sequitur Papam non eſſe Papam,nec Eccleſiam eſſe Eccleſiam. Quod euidenter probo ſic, Quia Petra & Eccleſia ſine peccatis eſſe debent,non ſubiectæ portis inferi. At cum nullus in mundo poſſit eſſe talis certo & infallibiliter,& tamen certa debet eſſe petra,certaq; Eccleſia, Sequitur nullum eſſe Papam,nec Eccleſiam.

Cum ergo hæc Chriſti autoritas repugnet Papæ & Eccleſiæ papiſticæ, manifeſte patet,Catharini & ſui Thomæ,& omnium quos inducit,opinionem eſſe extreme hæreticam. Quia hæreticus eſt,qui Scripturas ſanctas alio ſenſu quam Spiritus flagitat,exponit. At Catharinus non modo id facit cum Thoma ſuo hæretico,ſed etiam blaſphemum ſenſum eis tribuit, appellans *Hæretici.*

Petram hominem peccati, diaboli ſeruum, & Eccleſiam Synagogam Satanæ, Hic mihi nolo, Catharine, tua ſomnia narres, aut Patrum dicta cites, & ridicule me redarguas, ſicut feciſti, vbi ex filo & textus conſequentia probaui non ad ſolum Petrum dici; Tu es Petrus. Inconſtantiſſime enim loqueris, dum enim non potes reſiſtere Patribus à me inductis, nunc Eccleſiæ datas Claues concedis, nunc ſoli Petro. Iam Petro claues, rurſus alijs Apoſtolis vſum clauium. Item nunc promiſſas, nunc datas, tantis ſcilicet agitatus meis Argumentis, vt nullibi queas ſimplex, vt certus conſiſtere, vt hac tua inconſtantia mihi meam Sententiam maxime confirmaris.

Putas ne, me in tanta diſputatione tuis eſſe velle contentum gloſis? Ego ne patiar, vt vſum clauium, non claues datas tu ſolus interpreteris, Matth. 18. Ita non admitto, vt nunc Eccleſiæ datas, nunc Petro ſoli per Eccleſiam, dicas. Vnde hæc inconſtantia? Quid mihi tua ficta æquiuocatio? ſatis habeo, quod mea concedis eſſe bene dicta, & per Scripturas probatâ. Nihil mouet, quod tu plura ſine Scriptura concedenda contendis. Aut mea funditus & in totum nega, aut tua funditus inania eſſe concedes. Non eſt veritas Chriſti tā varia & inconſtans, quam opiniones ſunt Thomiſtarum. Vna eſt & ſimpliciſſima eius facies. Serua tibi claues ſine vſu, ſufficit nobis datum vſum clauium, etiam te diſtinctore, extorſiſſe.

Vnus Scripturæ ſenſus. Et vt dicam quod res eſt, Non tibi permitto, vt Scripturæ plures, quam vnum ſenſum tribuas. Nihil apud me valet, quod toties tentas, Poteſt etiam ſic dici, poteſt etiam ſic intelligi, poteſt etiam ſic reſponderi, poteſt literaliter ſic dici, poteſt myſtice ſic dici. Tolle hoc, poteſt, mi Catharine, hæc omnia ſunt Argumenta falſitatis, & mera effugia, & plane robora meæ ſententiæ, hinc enim ſuper ariſtas incedere argueris, & omnia in dubium vertere. Sed ſic dicito: Hoc ſic, & non aliter intelligi debet, vt afferas vnum conſtantem ſimplicemq́; ſenſum Scripturæ, ſicut ego facio & feci, hoc eſt enim Theologi, ſicut illud Sophiſtæ. *Solo literali ſenſu pugnandum.* Scis enim, quod ſolo literali ſenſu pugnandum eſt, qui & vnicus eſt per totam Scripturam. Nihil Origines, nihil Hieronymus, nihil omnes, *Patres erraſſe.* qui plures ſenſus dederunt, docent quidem, ſed non pugnant.

At dices: Erraſſe ne ergo tot Patres Confiteberis? Erraſſe confiteor ſæpiſſime, vt homines, & ignoſco prudenſq́; declino. Vos autem ſicut animalia immunda ſine fiſſa vngula, ſine ruminante lingua, omnia glutientes, quod illi *Error non facit hæreticos, ſed defenſio erroris.* Catholici errauerunt, hæretice docetis. Error non facit hæreticos, ſed defenſio & pertinacia erroris. Atq; hic vnicum tuum fundamentum ruit, qui magis ſuper Patrum dicta, quam ſuper verba Chriſti niteris, nec alia via eos tueris, quam vt Thomiſtico more, ad miſerum æquiuocationis effugium recurras, quod tamen de ſolo cerebro fingis nudiſſimū & inerme, cum me audias Rationem & Scripturas petere, imo Patrum dicta vera premis & erronea ſuſcitas, Bone vir.

Iam quam egregie teipſum capis in verbo oris tui, qui Petro Matt. 16. promiſſas, non datas claues aſſeris? Deinde datas non alias probas virtute, quam quod Chriſtus verax impleuerit promiſſionem. Audi, mi Catharine, non ſatis eſt promiſſionem in Scripturis eſſe poſitam, ſed neceſſe eſt & exhibitionem in eiſdem eſſe poſitam. Non n. tuis vagis figmentis & ſomnijs de exhibiti*Chriſtus Abrahæ promiſſus.* one extra Scripturas credetur. Chriſtus olim promiſſus Abrahæ, certe in nouo Teſtamento exhibitus eſt, vtrunq; autem ſcriptum, imo exhibitio clarius ſcripta quam promiſſio. Vbi ergo Petro datas claues probabis? Nonne ſicut ego probaui, illo verbo Iohannis vltimo, quod vos mire torquet & anguſtat: *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis?* Hunc locum ergo pro me adduxi, adhuc & tu vnum pro te.

Scimus

Scimus & nos Deum veracem in Promiſſis, Sed opus eſt, locum, perſonam, tempus exhibitæ promiſſionis, non noſtra ſuſpitione, ſed illius teſtimonio nobis certificari. Ne hæreticis detur occaſio cauillandi fidem noſtram, & omnia in dubium vocandi. Si enim in Scripturis iſta exhibitio non poterit oſtendi, in hodiernum vſq; diem incerti erimus, quando Petrus eam acceperit. Abſit autem, vt nos Chriſtus incertos reliquerit, quia ſic fidem in ſuſpitione humana, non ſupra petram Dei ædificaret. Atq; ita tuis te verbis & hic obſtrictum teneo, vt niſi locum exhibitæ promiſſionis oſtenderis, iterum confirmatam habeam ſententiam meam. Sciebat enim Chriſtus, futuros vos impios Primatus huius perditi iactatores, ideo præuenit, & exhibitionem talem dedit, quæ vos in lutum mergeret, antequam inciperetis ædificare. Non enim tuas volo diſtinctiones & ſomnia, quibus totum Librum repleuiſti, ſed ſanctas Scripturas, quas tu pro hac tua hæreſi adduces, non niſi ad calendas græcas. Primatus pa[illegible] iactatores.

REuertamur autem ad campum victoriæ, & ne poſsis obſcuritatem cauſari, in Syllogiſmum redigo quæ dixi:

Nullum cedens portis inferi eſt Petra,
Omnis peccator cedit portis inferi,
Ergo Nullus peccator eſt Petra,

Ita

Nullum cedens portis inferi, eſt Eccleſia ſupra Petram ædificata,
Secta Papiſtarum cedit portis inferi,
Ergo Secta Papiſtarum non eſt Eccleſia Petram ædificata.

Iam ſubſumo,

Omnis Papa peccans cedit portis inferi,
Papa peccat,
Ergo Papa cedit portis inferi.

Ita.

Omnis Eccleſia peccans cedit portis inferi,
Eccleſia Papæ peccat,
Ergo Eccleſia Papæ cedit portis inferi.

Item

Nihil incertum, an ſit Petra, eſt Papa,
Omnis Papa, etiam S. Petrus, incertus eſt, an ſit Petra,
Ergo Nullus Papa, nec S. Petrus, eſt Papa.

Sic:

Nihil incertum, an ſit ædificatum ſupra Petram, eſt Eccleſia,
Omnis Papæ ſecta eſt incerta, an ſit ædificata ſupra Petram,
Ergo Nulla Papæ ſecta eſt Eccleſia.

Vides excellentiſſime Thomiſta, & Beſtiam eſſe Dialecticam? In his omni-

his omnibus ſyllogiſmis quid negabis? Maiores? At hæ ſunt Chriſti, Petram & Eccleſiam ædificantis aduerſus Portas inferi, certiſſimosq́; nos facientis. Matth. 16. Negabis Minores? At hæ ſunt communis ſenſus, vulgaræ famæ, notorij facti & quotidianæ experientiæ. Quo ibis nunc Catharine à ſpiritu huius Beſtiæ? quo à facie eius fugies? Vbi Papa tuus? Vbi Eccleſia tua? Vis dicam? Audi: *Matt. 16.*

Papa peccator, eſt miniſter diaboli,
Eccleſia Papa, eſt ſynagoga Satana,
Chriſtus iuſtus, eſt rex iuſticia,
Eccleſia Chriſti, eſt communio Sanctorum.

Ex quibus vltra damnabitur, quidquid ſtatuit, facit & patitur Papa. Ruunt hic omnia Decreta eius & vniuerſum regnum eius. Quia ſtat Chriſtus firmiter: *Qui non eſt mecum, contra me eſt. Non eſt conuentio Chriſti & Belial, lucis & tenebrarum* Quid hic Catharine dicis? Mitte tuas diſtinctiones & ſcripturis certa, aut ſi diſtinguis, proba diſtinctionem per Scripturas, & audiemus te. *Luca. 11.*

Ex quibus infero.

Eccleſia Chriſti Eccleſia Papa.

Quòd impijſſime abuteris nomine Eccleſiæ, qui omnia, quæ per Papam & vos fiunt, ab Eccleſia iactatis eſſe facta. Fatemur & nos Eccleſiam recte omnia facere, ſed tu non recte facis, qui Eccleſiam appellas, quod Eccleſiam eſſe non potes probare. & ſub nomine Eccleſiæ ſæpius ſynagogam Satanæ nobis proponitis, & pro facto Eccleſiæ factum Satanæ nos colere cogitis, perditiſſimi vos Satanæ miniſtri. Eccleſiam regit Spiritus ſanctus, ſed iam probatum eſt, Papam & ſuam Eccleſiam ſæpius regi ſpiritus Satanæ, Neq́; enim in eodem regnant ſpiritus Chriſti & ſpiritus Satanæ. Noli hic clamare Huſſitam, clamor non ſoluit argumenta, nec allegatio inconuenientis. Diſſolue prius obiecta, & tum clama, diſſolue autem per Scripturas, non per tuas putridas diſtinctiones. Atq́; vt & hic clare agam, in Syllogiſmum redigo ſententiam.

Omnia qua facit Eccleſia, Spiritus ſanctus facit.
Omnia qua Papa cum ſuis facit, facit Eccleſia,
Ergo *Omnia qua Papa cum ſuis facit, facit Spiritus ſanctus.*

Andis Catharine? Noli Maiorem probare, ſed Minorem, ne fruſtra ſed vtiliter labores. Tunc autem probabis, ſi Papam ſupra Petram ædificatum, portis inferi non ſubiectum, ſine peccato, probaueris, vt ex prædictis didiciſti. Donec hoc non probaueris, concluſionem vrgere non poteris, Sed potius nos liberum arbitrium habemus, Statuta, Canones, & omnia Papæ, refutandi & iudicandi, quia ſuſpecta interim erunt, an ex Satana vel Spiritu ſancto prodeant. Nolo hic vſum longum, multitudinem tecum ſentientium inuoces. Verbum Chriſti hic me vrget, huic credendum eſt vni præ omnibus Sanctis, etiam Angelis. De quo enim Angelorum aliquando dixit: *Hunc audite*? Non facio tibi aut Sanctis tuis iniuriam, ſi Chriſtum voce Patris & teſtimonio Spiritus ſancti Doctorem vere irrefragibilem deſignatum oppoſuero. Nec mihi, ſed Chriſto cedis, ſi cedis, nec mihi, ſed Chriſto reſiſtis, ſi reſiſtis, ſi autem Chriſto reſiſtis, Patri eius promotori reſiſtis.

Tu es Petrus, Matth. 16.

Papatus.

Gloriamur ergo hic in Domino, & gratias agimus, Qui hanc autoritatem Matth. 16, vobis eripuimus, Hæc, inquam, autoritas, etiamſi tabeſcatis & dentibus frematis omnes Papiſtæ in vnum, euicta triumphataq́; eſt. Qua triumphante, Papatus veſter funditus corruit, inuentus nihil aliud fuiſſe, quam

merum

merum mendacium & ludibrium orbis terrarum. Vos autem illuſores populi Dei, peruerſores verbi Dei traducimini palam, Et Decreta Paparum, ſcelerata dogmata Antichriſti arguuntur manifeſte. *Doctores Papæ, Decreta Paparum.*

O quæ voces, ô quæ literæ, ô qui cogitatus queant veſtra omnia portenta numerare, quæ hinc ducuntur? Hoc enim velamine nequitiæ veſtræ reuelato, videre eſt quendam tartarum mendaciorum, errorum, fraudum, nequitiarum, & prorſus omnium ſcelerum, quæ ſub iſto tenui huius futiliſſimi Papatus folio abſcondiſtis, vt vere Papatus aliud eſſe non poſſit, quam germanum *Papatus Antichriſti regnum.*
Matt. 24. illud famoſi Antichriſti regnum. Nam hoc eſt, quod multi hanc abominationem in loco ſancto ſtantem odorati, mirarentur tot monſtra ab iſta Sede prodire, quæ Sanctiſſimo regnari iactabatur. O infelix Papatus, hic iaces, iaces, inquam, hic Leo mortuus, qui totum mundum antea terrebas rugitu ſolo, nunc Barbam tibi vellunt, etiam catuli & mures.

Ex ijs omnia ea confirmata ſunt, quæ de poteſtate Papæ dixi, inuito & tabeſcente Catharino, qui quauis Catharina concitatior, non niſi conuitijs agit, vt de plauſtro loqui putes hiſtrionem, & tamen nihil oſtentat niſi quod aiunt, opes figuli. Te enim per Chriſtum oro, Lector, obſerua, & videbis aſinum hunc portantem myſteria, quam ridicule nugetur in ijs quatuor vocabulis, *Petra, ædificabo, Eccleſia mea.* His enim arietibus cum funditus ſubuertiſſem *Petra.*
Papatum monſtrificum iſtum Romani idoli, ita vt negare non poſſet, Petram ibi ſignificare Chriſtum, ſeu quod idem eſt, fidem Chriſti in ſpiritu, confugit tamen homo ſuauis inuictusq; Thomiſta ad vnicum illud Creſphegetum Thomiſticæ hæreſis, quod eſt arbitraria æquiuocatio, fitq; inter verba Protheus & Vertumnus quidam, imo nihil niſi verba.

Nec ſentit interim ſtolidum hoc caput, indignum Italo & ſanguine & nomine, quam nihil probet iſta inconſtantia & varietas. Si enim mea Diſputatio vno aliquo ſenſu vera conceditur, præſertim in ſpiritu (quod concedit Catharinus) iam plane vici, etiam aduerſarij accedente calculo. Et quia nihil aſinus ad lyram, vt aiunt, craſſe mihi philoſophandum eſt coram craſſo, & pituita laborante capite. Si. A. diſputet cum B. & eo res procedat, vt A. concedat B. optime, & in ſpiritu locutum eſſe, ſe vero alium ſenſum externum ſequi, & tamen hoc ipſo facto A. glorietur ſeſe viciſſe, illamq; confutaſſe, deinde conuitijs totum agat triumphum, Quid hic ſpectator iudicabit? An non Bacchas, aut Corybantes inſanire putabit? Ita mihi Catharinus concedit, Petram eſſe Chriſtum, vero & legitimo ſenſu, ſed tamen ſimul communicari id nominis propter fidem informem, etiam Pontifici impio cauillatur. O infelicem Papatum, huius miſeri Rhetoris patrocinio bis accuſatum & conuictum. Cur eadem opera non etiam communicantur omnia Turcæ & Diabolo, quando & ipſi fidem habent informem?

Tu egregie Diſputator, non cogitaſti hoc tibi agendum eſſe inprimis, vt mea ſententia falſa, & tua ſola vera, non autem vtraq; vera videretur? Hoc enim ego & ago & egi, vt mea ſola vera, tua autem falſa probaretur, id quod plane iam te ipſo martyre (teſte volui dicere) confeci. Si enim mea vera eſt, & ſcripturæ ſenſus vnicus & ſimplex eſt, tuam certe falſam eſſe oportet. *Scripturæ ſenſus vnicus & ſimplex.*
Deinde ego non agitor ſicut Cathariniana arundo, ventis variæ & æquiuocæ expoſitionis. Non dico, poteſt vno modo ſic dici, poteſt alio modo ſic dici, tertio modo ſic dicitur. Nam iſtis modis dicere, eſt Catharinaliter & Thomiſtraliter dicere, at idem eſt nihil dicere. Ego vnico ſimplici & recto itinere incedo, regiaq; via ingredior, dum tu per deuia & principitia miſerrime vagaris & colliderís. Certe, quando hæc vnica tua fuit fiducia, quod inuentis è capite tuo gloſis, poſſes more Thomiſtico (i. diabolico) Scripturis ſanctis vim facere, & in varias lacinias ſenſuum diſcerpere, vehementer

ſtultus

ſtultus in me, & impius in Deum prodis. Nam hic mihi locum aperis, in vos ſceleratos diſtinctiores & ſacrilegos verbi Dei cauponatores inuehendi, pleno ſtomacho, quod è ſimpliciſſima Dei veritate nobis quandam logomachiam facitis, vt Apoſtolus vocat A quotamē abſtineo, cohibens meipſum. Nihil enim me acrius vrit, quam Scripturæ ſacrilegium, vt Apoſtolus appellat, & vt Prophetæ clamant, fabricationes idolorum ex auro & argento Domini, nec mirum, quando hoc peccatum præ cæteris, & ipſum Deum irritare & amaricare teſtatur Scriptura ſancta.

Pará. Habeo igitur teſtimonio Thomiſticiſſimi & Italiciſſimi Catharini, hanc meæ ſententiæ confutationem, Quod Petra ſignificet Chriſtum, ſic enim ego confutandus, & nunc confutatus hæreticus docueram, Habeboq; ſemper, donec Catharinus è Scriptura probabit, etiam impium Pontificem appellari Petram, quod præſtabit vir eximius ſimul atq; mula pepererit. Nam etiamſi Patres aliquot S. Petrum nomine petræ appellauerunt, vtcunq; tolerari poteſt, propter fidem Petri. Sed quia Scripturis id non probant, nihil vrgent in iſta contentione, in qua Scripturis pugnandum eſt. Et vt Dialectico iſti inſigni, qui meas Conſequentias irridet, ſuas etiam oſtendam, quam formaliter & materialiter incedant. Vbi didiciſti, mi Catharine, hanc conſequentiam, vt de ſucceſſore etiam impio dicendum ſit, quod de S. Petro dicunt Patres, & idem de fide informi, quod de formata ſentiendum ſit? Profer, quæſo, vnum è Patribus, qui Romanum Pontificem aſſerat, caput, petram, verticem, principem, magiſtrum Eccleſiarum. Vos ſcelerati Sophiſtæ, fictis veſtris verbis, nos in hos errores traxiſtis. Pulchra conſequentia: Petrus fuit Apoſtolus, Ergo & Romanus Epiſcopus eſt Apoſtolus. Petrus fuit ſanctus, Ergo Romanus Epiſcopus eſt ſanctus, ſed informis, id eſt, ſanctiſſimus. O vere informis ſucceſſor, Tamen, vt dixi, nihil moueor dictis Patrum ſine Scripturis loquentium, in quos tu ſic niteris, vt eorum præſidio, etiam aduerſus confeſſam à teipſo ſententiam veram Scripturæ, inſanias & blaſphemes.

Nec erubeſcitis tandem aliquando ſceleratiſſimi vos adulatores Idoli iſtius Romani, quod proprio teſtimonio conuicti eſtis, nullum locum Scripturę apertum, & clarum in tanta re pro vobis ſtare, nec hunc Matt. 16. veſtræ opinioni poſſitis ſimpliciter & ſolide aptare, tantis ſcilicet æquiuocationibus & commentis opus habetis, vt ſaltem ſpecietenus pro vobis, facere videatur, Imo cum non ſimplicem ei detis, & verum ſenſum aduerſario concedatis, manifeſte contra vos eum facere, teſtes eſtis vos ipſi, hoc ipſo redarguti & conuicti, quam impudentibus mendacijs hactenus orbem illuſeritis, & vocabulum Eccleſiæ & Petræ, meræ libidini veſtræ ſeruire coegeritis. Non enim id egiſtis, vt ſententiam veſtram ex iſto loco referretis, ſed veſtra temeritate præconceptam intrudere moliti eſtis, & fici huius folijs nuditatem & turpitudinem veſtram celare ſtuduiſtis. Nunc cum res non ſuccedat, & caſtitas Scripturæ vos adulteros non intromittat, & cogamini extra Scripturam ſtare foris, nouam Scripturæ faciem & ſcenicam quandam Bibliam componitis, qua veſtra portenta ſtabiliatis, appellantes Petram hominem impium, Eccleſiam homines impios, & in has cloacas Spiritum ſanctum incarceratis, qui inerrabiles faciat, qui ædificationem, poteſtatem & obedientiam hominum impiorum ſtatuat, Quaſi Chriſtus hoc curarit ſuo ſancto inſtituto, vt impij regnarent & ſubijcerentur in Eccleſia ſua.

Te autem rogo acutiſſimum Dialecticum, qui ſcias, extra propoſitum eſſe dandum exemplum aliud, Profer mihi locum Scripturæ, in quo idem vocabulum ſimul ſignificet hominem in totum impium, & ſimul pium ac ſanctum, ſicut hic inſanis in vocabulo Petra, quod Petrum ſanctū, & ſucceſſorē impium ſimul tibi ſignificat. Vbi didiciſti hæc ſacrilegia & hæretica monſtra, niſi in

niſi in Magiſtro tuo S. Thoma? Nonne hæc agens ſic contra me ſcribis, ac ſi in ſophiſtica aliqua diſputatione certaremus, vbi vobis licet, proprijs diſtinctionibus regnare, ſatis habentes, ſi non oporteat vos tacere. Ita & hic putaſti idem fore vinci & tacere, vincere & dicere. Adeo nihil curaſti, vt tua fulcires Scripturis ſanctis, apertis & ſolidis, Ideo & te rident pueri Germaniæ, ac iam non Laici (quod te male habet) ſed & mulieres, quod tantus Magiſter noſter & Italus pro verbis Dei tuas ſaliuas, pituitas & feces duntaxat obtrudis. *Thomas.*

Maledicat itaq; Dominus Ieſus tuæ & Thomæ tui maledicæ & blaſphemæ temeritati, qua tribuitis homini impio nomen ſanctum Petræ, & ſuper impietatem ædificatis ſanctam Eccleſiam Dei. Si enim Papa eſt fide informi (vt tu dicis) certe inanis eſt pietate, plenus autem impietate, ſeruus peccati, ſedes Satanæ, præualentq; in eum portæ inferi. Et tale tu fundamentum, tale caput, talem petram Eccleſiæ tribuis, horreſco referens horribilia iſta. Abominatio & blaſphemia eſt, dicere Chriſtum in vocabulo Petra aliud quippiam quam ſanctum & pium voluiſſe intelligi, Cuius enim aures Chriſtianæ hęc ferent? Vos etiam finxiſtis commentum omnium nequiſſimum illud informis fidei, quo facilius & tutius ſacrilegia veſtra in ſcripturas Dei, ceu latrones Moab mitteretis. Nobis autem Paulus dicit, *Quæ ſocietas lucis & tenebrarum? Quæ conuentio Chriſti & Belial?* Aut ergo Petra ſolam lucem, aut ſolas tenebras, id eſt, ſolum ſanctum, aut ſolum impium ſignificat, vtrunq; ſignificare non poteſt, Quia qui non eſt mecum, contra me eſt. Quare Romanus Pontifex, ſi ſit impius, Petra eſſe non poteſt, ac per hoc, Petra Papam ſignificare nunquam poteſt. Habes quod hic gannias miſer Thomiſta? *Commentum fidei informis.*

Non ergo feremus has rabidas Papiſtarum & Thomiſtarum blaſphemias, vt idem ſit in Scripturis ſanctis peccatum & gratia, virtus & vitium, bonus & malus, pius & impius, & Impietas ſub pietatis nomine ſeſe tueatur & regnet, Ne illud Eſa. 5. cum eis audiamus: *Væ vobis, qui dicitis malum bonum,*
Eſaiæ. 5. *bonum malum, ponentes lucem tenebras, & tenebras lucem, ponentes amarum dulce, & dulce amarum.* Verum hæreſis Thomiſtica illa eſt, quæ Dan. 8. *Hæreſis Thomiſtica.*
Dan. 8. dicitur impudens facie. & Ierem 3 *Frons meretricis facta eſt tibi, noluiſti erubeſcere.* Qui enim ſic frontem perfricuerunt, vt audeant in publico Eccleſiæ bonum & malum idem facere, & Deum cum Diabolo, Chriſtum cum Belial componere. Quæ reliqua vel fingi poterunt monſtra, quæ nō auderent ſtatuere? I nunc Catharine infelix, & diſtingue nobis informia bona & mala, informes Chriſtos & Belial, eſtoq; digne Thomiſta, hoc eſt, ſacrilegus & monſtrificus ſcripturæ | el latro.

IAm quam Thomiſtice & hoc diſſoluis, quod dixi per pronomen, Meam, ſubuerti omnia Decreta, cum Chriſtus ibi de tota Eccleſia ſua loquatur, non tantum de Romana, vt ſatanica & blaſphema Decreta volunt. Quia, inquis, Chriſtus non dicit: Aedificabo Eccleſias meas pluraliter, ſed Eccleſiam meam, ergo Romanam ſolam voluit ædificari ſupra Petram (id eſt, Papam) Placet diſſolutio, vt Cathariniſſima Romaniſſimaq;. Nam hinc ſequitur, nullam eſſe Eccleſiam, in orbe terrarum ſupra Petram ædificatam, niſi ſolam Romanam, Quid ergo vexat idolum illud Romanum omnes Eccleſias, ſi vna ſola Romana in mundo Eccleſia eſt? Imo iam non licebit Eccleſiam catholicam appellare, nomine ſingulari Eccleſiam, ſicut Scriptura facit, ſed ſolum Eccleſias numero plurali. *Eccleſiam meam.*

Eiuſdem dexteritatis eſt, quod vbi Anacletum fictitium redarguiſſem, *Anacletus.* ſuper nomine Cephas, quod ſaxum ſignificat, & ille caput voluiſſet, dicit, Catharinus, Anacletum non vocabulum ſed rem aſpexiſſe, quia res ſcilicet

Cephas.

Petrus per Cepham ſignificatus eſt caput, licet Cephas non ſignificet caput. Quid hic cogitas, optime Lector, de Italico iſto ingenio? Riderem & ego, niſi tot millia errorum & perditionum nimis ſeria nobis peſtilentes hi intuliſſent Thomiſtæ, his petitionibus principij, & id genus ſophiſticis ludibrijs. Igitur nouum hunc iuris perditum & Scripturæ interceptorem audiamus. Non oportet vocabulorum ſignificata obſeruare, ſed qualitates rei ſignificatæ, hoc eſt, vt dialectice dicam, Non ſubiecta, ſed prædicata tantum ſunt curanda; Vt quando parietem nominas, non parietem, ſed album intelligas, etiam in ſimplicibus terminis extra propoſitionem. O Italicum & Thomiſticũ ingenium.

Hac arte forte & illud efficiunt, Quod Petra ſignificet impium, non quia ſit Petra, ſed quia illud quod Petra eis dicitur, ſcilicet Papa, reuera eſt impius homo. Quid ergo prohibet, quin Cephas iam non ſolum caput, ſed omnia ſignificet, cum eum ſignificet, qui eſt omnia in omnibus? vt omnia vocabula ſint vnum vocabulum, & vnum vocabulum ſit omnia vocabula. Hanc enim latinitatem nouam beſtiæ Germaniæ ab Italis hominibus hoc ſeculo diſcemus.

Cephas.

Itaq́. Cephas eſt Apoſtolus, caput princeps Apoſtolorum, impius, ebrioſus, ſcortator, vſurarius, tyrannus, impoſtor, ſimoniacus, Cynedus, & omnia illa, quæ de ſanctiſſimis Chriſti Vicarijs, Cardinalibusq́; totus celebrat orbis, affirmatiua Propoſitione, de ineſſe & vniuerſali in materia naturali.

Sed ne te, Lector, enecem huius Itali Thomiſtæ ſtultiſſimis Thomiſtitatibus & Italitatibus, finem hic faciam, Sat habens, quod his abſurdiſſimis, laborioſiſſimis tamen monſtris, confitentur ſeſe eſſe victos, me vero victorem, dum aliud miſeri non laborant, quam vt effugiant. Vides enim & hic Thomiſta perpetuo opere aliud non faciat, quam vt diſtinctiones nouas reperiat, pro fuga ſua adornanda, nam vt me inuaderet etiam, ne in mentem quidem venit, & quomodo poſſet fugæ tam ſolicitus? Seruet me Dominus Ieſus, ne quando ad has diſtinguendi & effugij quærendi neceſſitates adigar aduerſarius in prælio, tum reuera victus ero. Egò adhuc puris & ſolidis verbis Euangelij nitor, idq́ eo ſenſu, quem ipſimet verum eſſe concedunt.

Alia ergo autoritate probandus eſt iſte Papatus impius. Hic locus Matthæi non niſi de pijs ædificatis in ſpiritu ſancto loquitur, nec Petram niſi Chri-

Et ſuper hanc Petram &c.

ſtum habet, nec Eccleſiam niſi totam Catholicam, eamq́; ſanctam, in qua & ipſe Petrus tanquam membrum coædificatur ſuper eandem Petram, in qua omnes Chriſtiani æquantur. De rebus enim ſanctis Chriſtus noſter loquitur, quas impijs tribui nullo modo licet, Vt plane hoc verbum Chriſti non plus pertineat ad Papam quam illud. Beati pauperes ſpiritu, aut ſimile quod communiter omnibus dicitur.

Quare gratias agimus Deo, quod hunc locum toti Eccleſiæ & omnibus fidelibus æqualiter communem è manibus tyrannicis Thomiſtarum & Papiſtarum eripuimus, qui eum Romano idolo proprium fecere, ſacrilegi tam in

Abominationis idolum.

Eccleſiam catholicam, quam Scripturam ſanctam. Ruet enim nunc totum illud abominationis idolum meris mendacijs hactenus erectum, fultum atq; defenſum. Præſidia eorum obtinemus, arma forti abſtulimus, in quibus con- *Pſalm. 78.*

Goliath.

Paleſtini.

fidebat, Goliath decollauimus gladio proprio, Et Paleſtinos non alia tortura torquemus, quam rapina ſua. Arcam enim nobis vi abſtulerunt, At illa nobis nihil agentibus, percuſſit eos in poſteriora, ſempiternumq́; opprobrium

Dagon.

dedit illis, Cecidit, ac foris iacet pronus Dagon iſtorum. Idolum, inquam, Decretorum, hominum ſtudijs paratum, Mures ebulliunt, & prominentes extales eorum putreſcunt, reuelatis cogitationibus, & doctrinis iſtis impietatis eorum graueolentibus in toto orbe. Vnum negotium habent miſeri Gethæi, vt *1. Sam. 5.*
contra hæc ſibi ſellas pelliceas faciant. Sic enim & Catharinus pellifex

& ſelli-

Digitized by Google

& ſelliſex hoc libro non niſi infelix pelliſicium & ſelliſicium vanæ defenſionis, excuſationis, conſolationis, pro ſanctiſſimo idolo & doctrinis eius laborat, Sed inſtat manus Domini dura ſuper eos, non ceſſatura, donec nobis Arcam remittant illæſam, cum anis & muribus aureis, per confeſſionem ignominioſæ impietatis, & mendaciorum ſuorum.

DIces autem: Si Eccleſia tota eſt in ſpiritu, & res omnino ſpiritualis, Nemo ergo noſſe poterit, vbi ſit vlla eius pars in toto orbe, quod vehementer abſurdum eſt. Nam ideo Papam aſſerimus, vt certo loco Eccleſiam inueniri liceat. Alioqui quid docet Chriſtus, oues paſcere, & Paulus Eccleſiam regere, & Petrus gregem Chriſti paſcere, ſi nuſquam in orbis certis poterunt locis inueniri habitantes corporaliter fideles? Quis enim ſpiritibus prædicet? aut quis ſpiritus nobis prædicat? Corpus ergo & locum neceſſario habebit Eccleſia, Deinde inter corpora & loca aliquem primum locum & primum corpus.

Iohan. 21. Acto. 20. 1. Pet. 5.

Reſpondeo: Quanquam Eccleſia in carne viuat, tamen non ſecundum carnem viuit, vt Paulus dicit Gal. 1. & 2. Cor. 10. Ita in loco, rebus operibuſq; mundi verſatur, ſed non ſecundum hæc æſtimatur. Chriſtus enim omnem locum tollit, dum dicit: Regnum Dei non venit cum obſeruatione, neq; dicent, hic aut hic eſt. Et ecce Regum Dei intra vos eſt. Et Paulus omne corpus tollit, dum dicit: Non eſt perſonarum acceptio apud Deum. Sicut n. Eccleſia ſine eſca & potu non eſt in hac vita, & tamen regnum Dei non eſt eſca & potus ſecundum Paulum, Ita ſine loco & corpore non eſt Eccleſia, & tamen corpus & locus non ſunt Eccleſia, neq; ad eam pertinent. Sicut ergo non eſt neceſſe, certum panem, certum potum, certam veſtem eſſe Eccleſiæ & fidelibus omnibus, licet ſine pane, ſine potu, ſine veſte, non queant viuere in hoc ſeculo, ſed omnia ſunt libera & indifferentia, Ita non eſt neceſſe, certum locum, certamq; perſonam habere, licet ſine loco perſonaq; eſſe non queat. Sed omnia ſunt indifferentia & libera, omnis locus Chriſtiano quadrat & nullus locus Chriſtiano neceſſarius eſt, omnis perſona paſcere eum poteſt, & nulla certa perſona neceſſaria eſt quæ paſcat. Libertas enim ſpiritus hic regnat, quæ facit omnia indifferentia, nulla neceſſaria, quæcunq; corporalia & terrena ſunt.

Gal. 1. 2. Cor. 10. Lucæ. 17. Gal. 2. — *Eccleſia.* — *Libertas ſpiritus.*

Et quid hoc mirum? cum ad hoc vt ſis homo, corporaliter nullo loco certo, nulla certa perſona indiges, ſed omnibus locis, omnibus perſonis homo eſſe potes. Imo, quæ res mundi neceſſario alij adhæret & alligatur, ac non potius libere & indifferenter ſe quælibet ad quamlibet habet? vt libertate ſpiritus plena appareat tota creatura, ſicut canimus: Pleni ſunt cœli & terra gloria tua Quis ergo furor Papiſtarum impijſſimorum, vt Eccleſiam Dei, quæ omnium maxime libera eſt, loco ſuo & perſonæ ſuæ, certis & neceſſarijs alligent, vt Chriſtianum eſſe negent, qui non hunc Papam etiam impium, hoc loco habitantem adorarit? Nec iuuet quenquam, ſi quemlibet Paſtorem indifferenter, quolibet loco habuerit. Hæc eſt illa abominatio ſtans in loco ſancto, & operatio erroris, Si enim locus & perſona neceſſaria ſunt ad ſalutem, ſequens erit, vt qui locum & perſonam eiuſmodi habent & colunt, ſalui & ſancti ſint. Nam in his conſequentia à particulari optime valet, cum poſterioriſticis conſtet propoſitionibus (cogor enim & meam Dialecticam oſtentare iſtis admirandis dialecticis) Impoſſibile eſt enim, vt qui vnum neceſſarium ad ſalutem habet, non etiam omnia neceſſaria ſimul ad ſalutem habeat, & impoſſibile eſt, vt qui vnum non habet, aliquod ad ſalutem neceſſarium habeat. Quod facilimum eſt inductiue probare, Sed de hoc alias.

Eccleſia Dei libera. — *Operatio erroris.* — *Matth. 24.*

Tria Chriſtianorum ſymbola. *Epbe. 4.* *Vnitas ſpiritus.* *Babylon.* *Euangelium.* *Deut. 8.* *Matt. 4.*

QVo ergo ſigno agnoſcam Eccleſiam? Oportet enim aliquod viſibile ſignum dari, quo congregemur in vnum ad audiendum verbum Dei. Reſpondeo: Signum neceſſarium eſt, quod & habemus, Baptiſma ſcilicet, Panem, & omnium potiſſimum Euangelium. Tria hæc ſunt Chriſtianorum ſymbola, teſſeræ & characteres. Vbi enim Baptiſma, & panem & Euangelium eſſe videris, quocunq; loco, quibuſcunq; perſonis, ibi Eccleſiam eſſe non dubites. In his enim ſignis vult nos Chriſtus concordare, vt Ephe. 4. dicit: *Vna fides, vnum Baptiſma, vnus Dominus.* Vbi idem Euangelium eſt, ibi eadem fides, eadem ſpes, eadem charitas, idem ſpiritus eſt, & reuera omnia eadem. Hæc eſt vnitas ſpiritus, non loci, non perſonæ, non rerum, non corporum, de qua ſeruanda Paulus nobis præcipit eſſe ſolicitos. Vbi vero Euangelium non eſſe videris (ſicut in ſynagoga Papiſtarum & Thomiſtarum videmus) ibi non dubites, Eccleſiam non eſſe, etiamſi baptiſent & veſcantur de altari, niſi paruulos & ſimplices exceperis, ſed Babylonem ibi eſſe ſcias plenam lamijs, piloſis vlulis, onocrotalis, alijſq; monſtris, id eſt, Magiſtris noſtris eximijs refertam. Euangelium enim præ Pane & Baptiſmo vnicum, certiſſimum, & nobiliſſimum Eccleſiæ ſymbolum eſt, cum per ſolum Euangelium concipiatur, formetur, alatur, generetur, educetur, paſcatur, veſtiatur, ornetur, roboretur, armetur, ſeruetur, Breuiter, tota vita & ſubſtantia Eccleſiæ eſt in verbo Dei, ſicut Chriſtus dicit: *In omni verbo quod procedit de ore Dei, viuit homo.*

Euangelium vocale. *Paſcere oues.* *2. Pet. 2.*

Non de Euangelio ſcripto, ſed vocali loquor, Nec de quauis concione, quæ in templis de ſuggeſtu declamatur, ſed de germano & genuino verbo, quod fidem Chriſti veram, non informem & Thomiſticam doceat, quod per Papam & Papiſtas extinctum & ſuffocatum per orbem totum conticuit. Ideo enim Chriſtus nihil tanta inſtantia exegit ab Apoſtolis, quam vt euangeliſarent. Sic à Petro in perſona omnium Paſtorum exegit, vt paſceret oues, id eſt, Euangelium doceret viua voce. Quod verbum Chatarinus vere catharinaliter exponit, non de Euangelio, ſed de poteſtate dominante ſine Euangelio, Iterum faciens è ſimplici ſenſu verborum Chriſti, quo tuplicem viſum ei fuerit, Quia ſciebat euangeliſandi ſignificationem (quæ ſola in eo verbo eſt) non poſſe conuenire tot occupationibus mundi oppreſſo Pontifici, Ideo fingenda fuit alia ſignificatio, de regimine dominante, ſicut 2. Pet. 2. prædixit, & fictis verbis in auaritia de vobis negotiabuntur, De qua re nunc ſuperſedeo, abunde alias tractata.

Iuriſdictiones Euangelium & Eccleſia neſciunt.

Contemnenda ergo ſunt Papiſtarum illa figmenta, Quod aliud ſit iuriſdictionis, aliud fraternę charitatis officium, Euangelium & Eccleſia neſciunt iuriſdictiones, quæ ſunt non niſi hominum tyrannicæ inuentiones. Solam ſcit charitatem & ſeruitutem, non poteſtatem & tyrannidem. Ideo qui Euangelium docet, ille Papa eſt, Petri ſucceſſor, Qui non docet, Iudas eſt, Chriſti traditor. Nihil enim aliud commentis iuriſdictionis agit Satanas, quam vt tyrannis illis impunitatem peccandi, & licentiam autoritatemq; præbeat extinguendi Euangelij. Ipſi enim ne cogitant quidem euangeliſare, & tamen alios non ſinunt euangeliſare, vt optime Chriſtus de eis dixerit: *Vos non introiſtis, & introeuntes prohibuiſtis, Va illis.*

Templum Salomonis.

Iſta ſigna, præſertim Euangelij, figurata eſſe videntur olim in templo Salomonis, vbi duo capita vectium, quibus arca portabatur, foris prominebant ante oraculum, Significante ſpiritu, non niſi vocali & publica voce Euangelij ſciri, vbi ſit Eccleſia & myſterium Regni cœlorum. Vt enim vectium capitibus velut indicijs Arca etiam abſcondita in ſancto ſanctorum

crede-

credebatur præſens adeſſe. Ita Eccleſiam nemo videt, ſed ſolum credit per ſignum verbi, quod impoſſibile eſt ſonare, niſi in Eccleſia per Spiritum ſanctum. Inde Eccleſia Pſal. 9. vocatur Almuth, abſcondita. Et articulus fidei, credens Eccleſiam ſanctam Catholicam, confiteturveam nuſquam nunquam apparere, auferrq; ab eo omnem locum & perſonam, ſicut & Paul. Gal. 5. dicit: In Chriſto Ieſu non eſt maſculus aut fœmina, Barbarus aut Græcus, liber aut ſeruus, Iudæus aut Gentilis. Sed omnes vos vnum eſtis in Chriſto Ieſu. Sic rete Apoſtolorum trahit piſces in aquis non ad aquas, ſed ad littus ex aquis, cum non hoc agat piſcator, vt piſces in aqua ſint, hoc enim natura eorum iam fecit, ſed vt ex aqua trahantur. Ita Chriſtus per vocale verbum, è rebus, locis & corporibus trahit Chriſtianos, non in res, loca & corpora, in quibus iam ſua natura conſiſtunt. Credo iſtis Argumentis iam ſatis fidem factam pio cordi, & Papiſtarum inſaniam ſatis notam, qua Eccleſiam Dei de intus rapere, & in locis ac perſonis proſtituere moliuntur.

Pſal. 9. *Gal. 5.* *Eccleſia abſcondita.* *Credo Eccleſiam S. Catholicam.* *Rete Apoſtolorum.* *Verbum vocale.*

Ego tamen non nego Papiſticam Eccleſiam, neq; potentiam eius, cum in Scripturis, noui præſertim Teſtamenti, de nulla re (excepto Chriſto) tantum habeamus teſtimonium, nec parum in veteri. Et cur non pergam in gratiam Catharini mei, & in obſequium ſanctiſſimi in Chriſto Papæ Vicarij Dei, copioſis & ſolidis Scripturæ teſtimonijs, eum principatum oſtendere, & plane os oppilare, omnium qui negant eum diuinis literis probari, probabo ergo fortiſſime. Et primus mihi prodeat Daniel, dicens cap. 8 ad verbum ex Ebræo.

Dan. 8.

ET poſt Regnum illorum, obſcurantibus eos præuaricationibus, ſtabit Rex potens faciebus, & intelligens propoſitionum. Et roborabitur efficacia ſua, & non in efficacia ſua, & mirabilia corrumpet, & proſperabitur & faciet, & corrumpet robuſta, & populum Sanctorum, & ad cenſum ſuum erit. Et proſperabitur dolus in manu eius, & in corde ſuo magnificabitur, & in ſucceſſu corrumpet multos. Et aduerſus Principem principum ſtabit, & ſine manu contereur.

PRimum, illi ſunt nequaquam audiendi, qui hunc & ſimiles Prophetarum locos intelligunt de vna aliqua perſona ſola, ignorantes: quod Prophetarum mos eſt, totius alicuius Regni corpus ſignificare per vnam perſonam. Hinc enim & Antichriſtum, quem Paulus hominem peccati & filium perditionis appellat, perperam vni perſonæ aptant, cum ille totum corpus & chaos hominum impiorum, totamq; ſucceſſionem regnantium velit intelligi Antichriſtum eſſe. Sic enim aries Perſarum regnum, hircus Græcorum regnum Daniel 8. ſignificat.

Prophetarum mos. *2. Theſſ 2.* *Antichriſtus.* *Aries.* *Hircus.* *Dan 8.*

Cum autem dicat, poſt finem quatuor Regnorum, quorum vltimum eſt Romanum, ferro potens, ſtaturum hunc Regem, plane illud tangit, quod Papæ tyrannis mox cœpit, inclinante imperio Romano. Sed & de Romano imperio, & in Romano imperio nata eſt, eiq; in ſuo loco ſucceſſit, vt ex omnibus Hiſtorijs liquet, & præſens experientia monſtrat. Quod Apoſtolus prædixit 2. Theſſ. 2. Quod ille, qui tenebat tunc, teneret, donec de medio fieret, & tunc reuelaretur iniquus ille &c. Tranſlatum eſt autem ad Germanos Romani imperij vocabulum, cum res iam nulla imperij amplius eſſet, Tamen ea occaſio erat, qua eleuaretur homo ille ſuper omnes Reges, ſuper omnes Epiſcopos ſuper cœlum & terram, & ſic firmaretur Regnũ in manu eius, efficto etiam in hoc mendacium diplomate, non tam mendaci quam ſtolidiſſimo, de donatione Conſtantini.

Papæ tyrannis quo tempore cœperit. *2 Theſſ 2.*

Obſcurantibus eos tranſgreſſionibus dicit, quod Hieronymus dixit, *Cum creuerint iniquitates*, manifeſte docens regnum hoc furoris Dei eſſe, propter
Filius perditionis. peccata venturum. Et Paulus eadem cauſa introducit filium illum perditio- *2. Theſſ. 2.*
nis, dicens: Charitatem veritatis non receperunt, vt ſalui fierent, Ideo mittet il-
lis Deus operationem erroris, vt credant mendacio, & iudicentur omnes qui
non crediderunt veritati, ſed conſenſerunt Iniquitati. Satis Apoſtolus ijs ver-
bis explicat, quales ſint illæ iniquitates ſeu transgreſſiones. Quas & Daniel
Hebraice peſchaim inſigni proprietate & Emphaſi vocat, quæ proprie præua-
ricatio, transgreſſio, diſceſſio fidei eſt. Sic 4. Reg. 1. præuaricatus eſt Moab ab *4. Reg. 1.*
Iſrael. Et Eſa. 1. Filios enutriui & exaltaui, ipſi autem præuaricati ſunt à me. *Eſaiæ. 1.* *Pſalm. 5.*
Sicut & Pſal. 5. dicitur. Secundum multitudinem impietatum eorum expelle
eos. Et Paulus hoc loco abundans dicit, Eos dilectionem veritatis non rece-
pturos, Idem veritati non credituros, credituros autem mendacio, omnino
vitium doctrinarum, opinionum, fidei & Apoſtaſiæ ſignificans, ſicut & præ-
dixit, niſi primum venerit diſceſſio. Et 1. Tim. 4. Spiritus manifeſte dicit: In *1. Tim 4.*
nouiſſimis temporibus diſcedent quidam à fide, attendentes ſpiritibus erroris
&c. Et iterum: A veritate auditum auertent. Veritatem enim hoc loco ſuo
Veritas. more appellat fidem Chriſti, quod & ebræa lingua facit, diſtinguens verita-
Hypocriſis. tem per antitheſin ab hypocriſi & ſpecie pietatis, ſicut Ephe. 4. Veritatem au- *Ephe. 4.*
tem facientes creſcamus in illum. Et iterum: Induite hominem nouum, qui
ſecundum Deum creatus eſt in iuſticia & ſanctitate veritatis, vtiq; iuſticiam
& ſanctitatem vanitatis & ſpecioſæ ſuperſtitionis reprobans.

Peſchaim. Omnino igitur Peſchaim Daniel vocat, non quælibet peccata, ſed ſpecioſa
Peccata aduerſus veritatem & fidem pugnantia. illa, quæ aduerſus veritatem & fidem pugnant, id eſt, qualia ſunt iuſticiæ ope-
rum, ſuperſtitiones, ceremoniæ, per quas à fide, quæ ſola vere iuſtificat & ſan- *Coloſſ. 3.*
ctificat, diſceditur, ſicut Paulus Coloſſ. 3. & multis alijs locis præmonet. Et
hoc indicat, quod eos charitatem veritatis non recepturos prædicit, id eſt, non
diligent veritatem, quæ eſt in fide, ſed cum filijs Iſrael nauſeabunt ſuper cibo
iſto leuiſſimo, & carnes concupiſcent, id eſt, ad fabulas & humanas traditio-
nes cõuertentur. Quare has iniquitates prorſus ad nullos priſcos hæreticos re-
ferre poſſumus, ſed ad ſolas traditiones hominum & iuſticias impias. Nam
Collatio priſcorum hæreticorum cum rege futurum. hæretici priſci in Scripturis ſanctis certabant. Hic autem Rex extra Scripturas
ſuis doctrinis regnabit, Ideo Daniel dicit, quod obſcurabunt eos prẹuaricatio-
nes, tota autem Scriptura, præſertim Paulus, cæcitatem, tenebras, ignorantio-
am non tribuit, niſi præſumptionibus impijs propriæ iuſticiæ & operum, vt
notum eſt legenti eius Epiſtolas. Et Chriſtus ideo ſe lucem appellat, quod fi-
des in eum illuminet & iuſtificet omnes.

Claret ergo, hunc Regem fore poſt Chriſtum prædicatum, & aduerſus
illuminationem Euangelij, quo illuminatus eſt mundus. Obſcurari enim præ-
uaricationibus arguit eos fuiſſe illuminatos, quod Regnis illis ante Chriſtum
non conuenit, vt quæ nunquam obſcurata ſunt, quia nunquam illuminata,
nec præuaricata, quia nunquam recte ambulauerunt. Sed de eis temporibus
intelliguntur, quibus & Chriſtus abominationem prædixit eiſdem pene verbis, *Matth 24.* *2. Theſſ. 2.*
dicens. Quoniam abundabit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum. Et
Paulus, vt iudicentur omnes, qui non crediderunt veritati, ſed conſenſerunt *2. Pet. 2.*
iniquitati, Et 2. Pet. 2. grauiſſimis verbis, reditum ad vomitum arguit in eis,
qui in nouiſſimis temporibus erunt, fere vnus omnium exponit, quæ ſit illa
iniquitas, quæ abundabit, & qua obſcurabuntur, dicens: Fuerunt autem &
Falſi Doctores in Eccleſia. Pſeudoprophetæ in populo, ſicut & in vobis erunt, falſi doctores, qui iuxta
introducent ſectas perditionis (pene dixiſſet filium perditionis) etiam Domi-
num, qui eos mercatus eſt, abnegantes, adducentes ſibijpſis celerem perditio-

nem,

nem. Et multi ſequentur eorum perditiones, Per quos via veritatis blaſphemabitur, Et in auaritia per fictos ſermones vos cauponabuntur. Prorſus hic Petrus Magiſterium, Epiſcopatus, & Eccleſiaſticam, vt vocant, adminiſtrationem tangit, & hoc malum ex eorum miniſterio prouenturum monſtrat, qui loco Dei ſedent, & populos regere in verbo debent. Igitur Principes & capita Eccleſiarum habemus horum malorum autores.

Hæc autem eſt plaga iræ Dei, mittere operationes erroris, & Pſeudoprophetas. *Plaga iræ Dei.* Nam miſericordiæ flagellum eſt, peſtem, gladium, famem, aliaque corporalia mala inferre, At priuare verbo ſalutis, & mittere venenum erroris, hoc vltimum eſt iræ Dei malum. *Vltimum iræ Dei malum.* Poterat de Turca videri locutus Daniel, in cuius imperio obſcurauerunt populos iniquitates, niſi de eo principatu nos Petrus doceret intelligere, qui in populo Dei geritur, & de ijs, qui loco Doctorum & Epiſcoporũ ſedent, ſicut & Daniel de eiſdem ſeſe loqui infra oſtendet, quales erant in antiquo populo falſi Prophetæ. Hæc enim ad Turcam non pertinent, qui abiecto baptiſmate & Euangelio iam populus Dei non eſt *Turcæ non ſunt populus Dei.* nec habetur, ſicuti habentur, qui Epiſcopos habent in hac parte, Sit ergo hoc primo poſitum.

Hunc Regem fore magnum, quantus vel rex Perſarum vel Græcorum, vel Romanorum. Deinde regnaturum in doctrina hominum, aduerſus illuminationem Euangelij in populo Chriſti

PRo ingreſſu viſionis huius verba Petri videamus. Quis enim has iniquitates non videt in Romanæ Eccleſiæ Paſtores ad vnguem quadrare? *Romanæ Eccleſiæ Paſtores.* Quibus loqueretur Petrus, niſi ſuis Romanis, apud quos ſui Libri recepti, & ſua autoritas maxime valet? Nonne Moſes & Prophetæ ſuo populo locuti ſunt? Sicut Paulus dicit Rom. 3. Scimus, quoniam quæcunq; Lex *Rom 3.* loquitur, ijs qui in Lege ſunt loquitur. *Erunt*, inquit, in vobis. Quibus vobis? *Erunt in vobis.* niſi qui Petrum audiunt & agnoſcunt. Nos ergo qui ſub Romana Babylone ſumus, ea verba tangunt, in nobis impleri oportet, quæ Daniel, Chriſtus, Petrus, Paulus, Iudas, Iohannes in Apoc. prædixerunt.

Falſos Doctores, nonne iam multis annis patimur? qui extincto Euangelio ſuas traditiones nos docent. *Falſi doctores qui.* Vniuerſi Epiſcopi, Paſtores, Theologi notati ſunt hic egregie, quorum omnium vna inſania eſt, Decreta Romani Pontificis exaltare & hominibus inculcare. Quam vero Emphaticis & plenis verbis dicit: *Iuxta introducent*, Græce enim eſt, παρεισάξουσιν. Quia iuxta doctrinam pietatis, quam ſimulant, impietatem introducent, occultis ſcilicet fallacijs, cum Euangelio ſimul ſua ingerentes. Non enim Euangelium negabunt, ſed iuxta Euangelij verba ſuis additis & inuentis tum gloſis, tum ſtatutis, paulatim & inſenſibiliter à regia fidei via abducent, in ſectas operum, *Impij Doctores Euangelium non negant.* quibus perdent & corrumpent Euangelium, vt ſit tandem prorſus inutile ad docendam fidem. Sic olim Prophetæ nomen Domini non negabant, *Matth. 24.* imo in nomine Domini veniebant. Chriſtus Matthæi 24. eos ſic pingit: Surgent Pſeudoprophetæ & Pſeudochriſti, & ſeducent multos. Multi enim venient in nomine meo dicentes: Ego ſum Chriſtus. Et iterum: Si dixerint Hic eſt Chriſtus aut illic, nolite credere. Quid eſt hic & illic niſi ſectæ *Hic, illic.* perditionis? Quid perditio iſta, niſi vaſtitas fidei & Euangelij? Sic & Paulus *Ephe. 4.* Epheſ. 4. has ſectarum & operum doctrinas appellat μεθοδείαν τῆς πλάνης, id eſt, circumuentionem erroris, ſeu inſidioſum aggreſſum ad decipiendum, quod decepturi impij illi populum, adorlantur inſidioſis concionibus per verba Dei, vel in ſuum ſenſum torta, vel iuxta ea, proprijs doctrinis ceu ſcandalis

dalis in via poſitis, quales mulier illa Prouerb. 9. ſedens in alto vrbis loco figurat. *Prouerb 9.*

Rom. 16.

Diſſidia.
Offendicula.

Et Paulus Ro. vlt. dicit: *Obſeruate eos, qui diſſidia & offendicula faciunt*, iuxta doctrinam, quam vos didiciſtis. Quid diſſidia ſunt, niſi quas Petrus ſectas & Chriſtus hic & illic vocant? Quid offendicula, niſi quam Petrus perditionem, & Chriſtus ſeductionem vocat? Quid iuxta doctrinam, niſi quod Petrus iuxta inductionem, & Chriſtus in nomine meo vocat? Scilicet tam proprijs verbis prædicta eſt ea vaſtitas falſiloquorum, quod viam Chriſti non tollunt, doctrinam Euangelij non negant (ſi ſpeciem ſpectes) offendicula tamen & diſſidia iuxta ponunt, quibus ſenſim vniuerſam viam Domini & Euangelium vaſtant & perdunt, nominetenus & titulotenus retinentes. Hæc omnia nonne impleta videmus, dum tot ſectis, operum & religionum, extremis

Sectæ operum & religionum in Papatu.

furijs ſibimet diſſidentibus & pugnantibus, ſcatet Romana Eccleſia per orbem, extincta per has vnica illa, quæ communis eſt fidei & charitatis via? Quid enim ſimulant his ſectis, niſi ſummam pietatem? Nonne has vias iactamus ad cœlum? Nonne hic non gloria fidei, ſed operum meritis niti docemur? adeo vt etiam vendere merita alijs incepimus. At nonne fides & Euangelium

Merita alijs vendita.

perditur & vaſtatur? Non ergo de hæreticis hæc intelligenda ſunt, ſed de Epiſcopis, Paſtoribus, religioſiſq; infinita ſectarum & operum varietate, ſeipſos cum populis falſa ſpe & ſpecie perdentibus, dum nihil minus quam fidem docent, ſuis opuſculis inhærentes, cæci cæcorum duces.

Abnegantes Dominum, qui eos mercatus eſt.

Quid autem quod dicit: *Abnegantes Dominum, non ſimpliciter, ſed qui eos mercatus eſt*? Abſq; dubio Chriſtum prædicit ab illis negandum in re iuſtificationis. Non quod palam eum negent, alioqui non eſſent falſi Doctores, nec iuxta veritatis doctrinam, ſectas perditionis introducentes, ſed ſeruatis titulis & nominibus, per ſuas ſectas, non per fidem illius ſalui fieri volunt. Hoc enim Chriſtus fecit, ſuo nos ſanguine mercatus, vt per fidem in ipſo iuſtificemur. Hoc autem facit infinita religionum, operum, ſectarum varietas, vt

Infinita varietas religionum.

noſtris ſtudijs Deo ſatisfaciamus, & regnum Dei mereamur. Quas ſectas omnes Papa ſuis confirmationibus, vt ſanctos ordines, ſpecioſas & ſalutares viuendi rationes, per hoc nocentiores facit, dum per ipſum fiducia illarum ſtatuitur. Rurſus ab illis dilectis filijs ipſe ſanctiſſimus Pater in tyrannide ſua feliciſſime roboratur, & mutuum muli ſcabunt. Sic dum verbis confitentur, factis negant Dominum eſſe Chriſtum, ex quo nobis Moſen quendam fecerunt, cum ille ſuo ſanguine ſuo non in hoc mercatus ſit, vt ſolum doceat bene viuere, ſed ipſe viuat & regnet in nobis, ſitq́, Dominus noſter operans in nobis omnia opera noſtra, quod fit per ſolam fidem in eum. At qui nunc Euangelium optime docent, Magiſtrum ſeu miniſtrum noſtrum Chriſtum faciunt, qui foris manens doceat bona, non intus dominetur operans bona.

Ex Chriſto Moſes factus eſt.

Celerem ſuper ſe perditionem inducent.

Sed bene, quod celerem ſuper ſe inducent perditionem, Quia abbreuiabuntur dies illi, alioqui non fieret ſalua omnis caro. Id quod nunc fore prope diem ſperamus. *Multi autem ſequentur eorum perniciem*, Indicat paucos ſeruari ab eorum perditione, Vnde & Chriſtus Matthæi 24. conſulit, vt fugiant ad montes, & non reuertantur domum. Et Paulus periculoſa vocat tempora, propter hanc ſpeciem pietatis. At dicunt illi: Bona ſunt ſtatuta, ſancti viri ea tradiderunt, Auguſtinus, Benedictus, Bernardus, Franciſcus, Dominicus & ſimiles. Reſpondeo: Hoc eſt quod voluit Chriſtus & Apoſtoli, Petrus & Paulus, quod opera ſint ſimilia traditis in Euangelio. Hoc enim vocant, iuxta doctrinam & iuxta inductionem, quod exempla operum è Patribus ſola capiunt, fidem non capiunt. Ita contingit eis, vt ea quæ Patres vel errantes condiderunt, (quia & electi hic in errorem ducendi prædicuntur) *Matt 24.* *2. Tim. 3.*

Periculoſa tempora in Paulo.

dicuntur) ipſi inſenſati irruunt, & errorem vel extremam ſpeciem amplectuntur pro via bona, & ſic ab Euangelio & fide inſenſibili fallacia abducuntur, præſertim vbi accedens pontificis Rom: autoritas eas vias approbat, & fiduciam illarum confirmat, ac iam leges neceſſarias ex eis facit, quas Patres non niſi libertate ſpiritus & condiderunt & ſeruauerunt, neminem illis perpetuo alligantes, aut ſi hoc fecerunt, ſine dubio errantes pro humana fragilitate.

Per quos via veritatis blaſphemabitur.

Per quos via veritatis blaſphemabitur. Quæ eſt illa via veritatis? Nonne quæ opponitur ſpeciei & hypocriſi operum? Neq; enim Apoſtoli vllam religionis ſectam inſtituerunt, ſed ſolam fidei Chriſtianæ viam omnibus communem tradiderunt, Credere ergo in Chriſtum veritatis via eſt. Qui autem blaſphemantes? vtiq; iidem qui Dominum negant. Nonne qui autore Romano Pontifice ſua ſtudia iactant, ſuas ſectas prædicant, ſuos Ordines laudant, vt ſanctos, rectos, ſalutares, auferunt viæ veritatis ſuam laudem & gloriam, vt tribuant eandem ſuis Ordinibus? Nonne ſic inualuit illa blaſphemia? vt ſolus Clerus, præſertim religioſi, pro Chriſtianis habeantur? alij vero ſeculares & mundani aperte etiam nominentur, nec niſi pro vulgo extra viam ſalutis habeantur. Et qui religionem ingreditur, è mundo, è ſeculo ire iactatur & creditur, deniq; perſuaſum eſt, volentem ſaluari, religionem debere ingredi.

Via veritatis.

Clerus. Seculares.

An non eſt hoc viam veritatis blaſphemare? Nonne eſt hoc Chriſtum hic & illic docere? Nonne hic fidei via contemnitur & deſeritur, & eius loco ſecta & operum ſuperſtitio ſuſcipitur? Nonne hic neceſſe eſt perire fiduciam in Chriſto, & niti velle in operibus? Nonne tales hypocritæ ſic in orbe fulgent & honorati ſunt, vt ſimplices in fide Chriſtiani, pene lutum platearum præ illis habeantur?

Coloſſ. 2.

Sed amplius, Si quis inſurgeret, & vias iſtas hominum electitias, ſeu vt Apoſtolus vocat, Coloſſ. 2, ἐθελοθρησκείας, id eſt, arbitrarias religiones, reprehenderet, doceretq; eas eſſe vias ſcandalorum, & ad perdendam fidem, ad euacuandum Euangelium, ad ſeducēdas animas à Papa confirmari, & ab ipſis iactari, Eſſe vero ſolam fidem Chriſtianorum vnicam ſalutis viam, quid putas huic facerent? Nonne ſexcenties Hæreticum, millies Antichriſtum, Satanam, Diabolum, ſchiſmaticum, erroneum clamarent? Breuiter, nec odij, nec ſupplicij, nec blaſphemiæ ſatis vlli fuerit, in hunc peſſimum hoſtem Eccleſiæ, temerarium violatorem Patrum, peſtilentiſſimum ſeductorem populi. At hoc eſt, quod hic Petrus dicit: Per quos via veritatis blaſphemabitur. Quare? Quia via vanitatis eorum laudatur, ſicut Pſal. 10. dicit: Quoniam laudatur impius in deſiderijs animæ ſuæ, & iniquus applaudens ſibi blaſphemauit Dominum. Quam ſtrenue ergo hanc Prophetiam hodie implet papiſtica iſta Eccleſia, quæ conſummat omnia, quæ ſcripta ſunt in Prophetis, de doloſis, falſis, mendacibus Prophetis, Magiſtris, Paſtoribus, iuſticiarijs, quorum infinita ſunt nomina, Ad finem enim mundi oportuit eos abundantius regnare.

Fides vnica ſalutis via.

2. Pet. 2. Pſal. 10.

2. Pet 2.

ET in auaritia fictis verbis vos cauponabuntur, Hoc tam clarū eſt, fieri per Bullas, Indulta, Decreta, Stationarios, Quæſtores, Terminarios, Sacrificulos, vt iam gloſa non indigeat. Quid enim eſt hodie totius ferme Cleri miniſterium, niſi auaritia? idq; non niſi fictis verbis, non tantum prætexta ſpecie pietatis, ſed verbis Dei adulteratis. Omnes enim abutuntur his verbis: Deus, Chriſtus, Spiritus, Eccleſia, Iuſticia, Veritas, Opus bonum, Meritum. Non enim fidei, ſed ſuis ſtudijs ea aptant, vt longe aliud iam populus per hæc intelligat, quam Scriptura habet. Fictum eſt enim, quidquid prædicant, quia fidem non prædicant. Si enim fidem prædicarent, ſtatim Sectæ eorum euaneſcerent. Nunc autem captum populum dementant illu-

ſionibus

ſionibus iſtis ſpecioſiſſimis,& ſpoliant omnibus rebus ſuis,ipſi interim ſaturi, ocioſi,diuites,potentes,honorati,glorioſi,& tamen ſancti & religioſi,ſeruiente bis monſtris eorum ſancto nomine Dei.

SEd ad Danielē aliquando veniamus,plura de hoc abominabili Regno audituri.Satis hæc prooemio,Mirabile autem & monſtroſum Regnum nobis proponit,quod prorſus cum nullo regnorum, quæ à ſeculo fuerunt,neq; erunt,conueniat,quod nouis & inauditis armis & viribus valet, nouas & inauditas res gerit,plane omnia noua & inaudita ſunt.Dicit ergo: *Dan 8.*

Stabit Rex potens faciebus.

Enarratio Prophetiæ Danielis de Antichriſto.

Hieronymus recte tranſtulit,impudens facie, ſed Ebræum ſonat(quod arripio)*oz panim,potens facierum.*Stabit autem,non vnam perſonam,ſed totum regnum & ſucceſſum regum, nec breue tempus regni indicat.Sic dicit Chriſtus, Abominationem in loco ſancto ſtantem,id eſt,firmam, ſtabilem,multis adhærentibus roboratam. Et Paulus filium illum perditionis non tranſire,ſed ſedere facit in templo Dei. *Mat.24.* *2. Theſſ.2.*

Potens faciebus.

Mira vero potentia huius Regis monſtroſi,qui non cornibus,neq; vngulis,nec ferro nec armis,*Sed faciebus potens eſt*,cæteris omnibus diſſimilis nimio, Nec dicit:Potens facie,ſed faciebus multis. Quo fit, vt hæc Prophetia non queat in Turcam quadrare, nec vlli regno, quod vi & armis paratur. Quæ enim eiuſmodi ſunt,per dentes,cornua,vngulas figurantur.Nec eſt regnum Chriſti,quod prorſus ſine facie in ſpiritu conſiſtit,& cornu ſpirituali pugnat, quod eſt verbum Dei.Ita regnum iſtud erit neq; ſpirituale neq; ſeculare, nec ſpiritualibus nec temporalibus armis partum. Quibus ergo faciebus,id eſt, externa ſpecie,apparētia,pompa,hoc eſt,vt vno verbo dicā, ſuperſtitionibus, ritibus,ceremonijs,quæ ad faciem exponuntur,in veſtibus,cibis perſonis,domibus geſtibus & ſimilibus. Inter omnes enim facies ſeu apparētias,ſuperſtitio & hypocriſis,quæ eſt pietatis ſpecies, & religionis ſpecies, potentiſſima, gratiſſima,ideoq; nocentiſſima eſt. Non ſic trahunt, capiunt, tenent ſpecies prophanæ,ſiue ſint puellarum,iuuenum,opum,amicorum ludorum,& quarumcunq; rerum. At ſacræ,quæ diuina ſimulant,& æternarum rerum præferunt indicia,etiam ſapientiſſimos, ſanctiſſimos, potentiſſimos, atq; adeo electos etiam capiunt & fallunt.

Regnum Pontificium quibus armis partum ſit.

Species prophanæ. Species ſacræ.

Perſpicuum ergo eſt,hunc Regem fore Antichriſtum,id eſt, aduerſarium Chriſto & regno eius Chriſtus enim Rex eſt,potens veritate,vehementer aduerſarius faciebus & ſpeciebus,vt videmus in Euangelio.Rurſus iſte Rex,potens faciebus,vehementer aduerſarius veritati.Proinde non ſine cauſa Apoſtoli,Petrus & Paulus,nobis hoc vocabulum,Veritas,toties inculcant,& à facie deterrent.Sic enim prædixit Paulus 2.Tim.3.hunc locum exponens:*Erunt homines ſeipſos amantes* &c.Sequitur:Habentes quidem ſpeciem pietatis,virtutem autem eius abnegantes. *2. Tim.3.*

Chriſtus Rex potens veritate.

VIdeamus autem nunc Papæ regnum,& primo faciem perſonarum. Dic ſi potes,quod imperium vnquam tales ac tantos habuit perſonatus? Ipſum Papam primum intuere triplici corona ſuperbum,cum incredibili apparatu & ſtrepitu pompæ & familiæ. Deinde Cardinalium pompam & opes,& hos non, vnius perſonatus & faciei, Regibus enim ſeſe par facit hoc vulgus ignauiſſimum hominum. Poſt hæc Patriarchas, Primates,Archiepiſcopos,Epiſcopos,Suffraganeos,Vicarios, Præpoſitos, Decanos, Canonicos,Vicarios,Officiales,Scribas,& quis fecem illam totam numeret? Iam ſolas Monachorum omnium facies nemo facile numerarit. At hæc ſunt, in quibus iactatur Eccleſiæ ſtatus & ſalus conſiſtere. Neque de alijs

Papæ pompa.

alijs rebus ſacratiſſima illa Iuta Papæ ſanctiſſimi tractant, Cum ſine his Chriſtus & Apoſtoli Eccleſiam ſolida veritate quam optime rexerint, nec illorum in Eccleſia, & verbo Dei vllus prorſus eſt vſus. Intelligis, quid ſit potens Rex *Dan.8.* *Matth.24.* faciebus? Simul credo, intelligis, quid ſit abominatio in loco ſancto ſtans, ſi modo ſpeciem horum & veritatem Apoſtolorum contuleris.

Et Ebræum quidem vocabulum, oz, potens, proprijſſime huc valet. Significat enim vim genuinam cuiuſq; rei, non violentam illam potentiam, qua vel defenduntur propria, vel aliena oppugnantur, ſed ſicut de herbarum viribus & potentia dicimus, quando vim & virtutem earum naturalem ſignificamus. Ita naturalis huius Regis virtus eſt nulla, niſi ſpecies, facies, perſonatus infinitis modis, & partibus multiplicatus, De qua re Iudas Apoſtol ſic prædi- *Iacob.2.* xit: *Mirantes perſonas quæſtus gratia*, Et Iacob. 2. Nolite in perſonarum acceptione habere fidem Domini noſtri Ieſu Chriſti. Rurſus Iudas: Subintroierunt quidam homines olim præſcripti in hoc iudicium, impij gratiam Domini noſtri transferentes in laſciuiam, ac Deum, qui ſolus eſt herus, & Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum negantes.

Non tamen abiecerim Hieronymi ſententiam, qui impudentem facie vocat, Indicans præſumptionem hypocritarum, Incredibile eſt enim, quam ſecuros, fidentes, præſumptuoſos, reddat ea ſpecies pietatis, vt præ omnibus ſe hominibus cœlo dignos arbitrentur, & (vt Propheta ait) nidum inter ſydera ponunt. Deniq; eo impudentiæ procedunt, vt reliquum vulgum miſerentur, *Rex impudens facie.* & merita ſua illi, deuoratis eorum domibus, communicant & vendunt. Alij ceu Phariſæus Publicano, inſultant etiam miſeris. Hoc ſenſu videtur abundaſ- *Falſa pietatis ſpecies.* *Prouer.21* ſe, qui Prouer. 21. tranſtulit. Vir impius procaciter obfirmat vultum ſuum. Quod Ebraice ſic ſonat, potens, vir impius, facie ſua, & rectus dirigit viam ſu- *Philip 3.* *Pſalm.10.* am, quaſi dicat: Impius, ſecurus & confidens eſt in ſpecie pietatis. Sed rectus quotidie ſeſe extendit in anteriora cum Paulo. Quæ ſecuritas Pſalm. 10. pulchre deſcribitur, vbi dicitur: Dixit enim in corde ſuo, Non moucbor à generatione in generationem, ero ſine malo Et iterum: Auferuntur iudicia tua à *Eſaiæ.28.* facie eius. Tale Eſa 28. Et in ſui temporis impios memorat, qui pactum cum morte & inferno fecerant, &c.

Videamus & alias quaſdam facies huius Regni vires, Hîc oc- *Opes Eccleſiæ.* currunt opes Eccleſiæ, patrimonia crucifixi, res Eccleſiæ, bona ſpiritualia, Nam huius regni potentia fecit, vt etiam temporalia ſint ſpiritualia, mundana ſint Eccleſiaſtica, corporalia ſint cœleſtia His enim dotatur, ornatur, glorificatur Eccleſia, & facierum non minima pars in his ſita eſt. Dic quis Imperator vnquam tot opes habuit? In confeſſo eſt, mundi opes, plus dimidio poſſideri ab Eccleſiaſticis, tot vrbibus caſtris, ducatibus, regnis, regionibus, huic Regi incorporatis. Romanum enim imperium vectigal tantum accipiebat & tributa, At hic res ipſæ propriæ ſunt illorum. Quis conſulum Romanorum vni Cardinalium vel Archiepiſcoporum, vel Epiſcoporum æquari poſſit? Prorſus nullum Imperium, tantos principes, tantos proceres, tantarum opum, tanti luxus, tanti ſplendoris habuit Hoc dimidio rerum non contenti, & lai- *Laicorum opes.* corum opes ſuas eſſe præſumunt, tentantes & ipſi euacuare omnes principatus & poteſtates & Magiſtratus pro libidine, & Regiones, Prouincias, Vrbes, Caſtra, Villas autoritate propria ſibi ſubijcere, omnia imperare, quæ viſum eſt. Ac ſi quando recuſent, bellis & cædibus inuoluere vel proprijs militibus, vel ad diſcordiam concitatis magiſtratibus & principatibus.

Sed ne hoc quidem contenti, quod ſemel totius mundi opes & res fecerint ſuas eſſe, amplius ſæuit facierum regnum & efficit, vt quoties & quot modis velint, ſua ſint omnia. Sic enim Papa Epiſcopos exugit, Epiſcopi *Papa exugit Epiſcopos.* paſtores,

Indulgentiæ. Bullæ.

paſtores, inuentis Pallijs, Annatis, Subſidijs, & alijs infinitis Titulis rapiendi, Et hoc malum in populum tandem redundat, Nam paſtores & Monachi populum deglubunt, vt Epiſcopos & ſeipſos impleant. Atq; hoc quidem latrocinium, Papa in dimidio rerum, quas Eccleſiæ diximus, exercet. Alterum autem dimidium expilat Indulgentijs, Bullis, Confeſſionalibus, Induitis, Priuilegijs, Diſpenſationibus(& quis hos titulos latrocinandi numeret?) Atq; hæc omnia operantur facies illæ, ſurſus facies augentur aſſidue, vt talia plus de die in diem operentur. Officia enim hæc ſunt ſancta, pia, fideliaque paſtorum Eccleſiæ, quibus lucent ſicut luminaria mundi. Anathema ſit, hæc non dixiſſe bona facta ſtrenue & ſine fine graſſantia pro ſancta eccleſia, augenda, ornanda, roborandaq;. Vere ridiculi Perſarum luxus, Nihil Romanorum opes, ſi hæc maria & flumina aurea & argentea conſideres. Et in quos vſus tandem hæc? in quorum neceſſitates diſtribuuntur? in pauperes & egenos? Abſit, in Sodomam potius, Gomorram, & Sybarim. Verum quid tam lenia exempla commemoro? Superat res ipſa & fidem & ſenſum & verba.

Læſio perſonæ clericalis.

Et tamen ad roborandam faciem hæc vel imprimis faciunt, adeo vt leuius ſit crimen occidiſſe, adulteraſſe, fraudaſſe, hui quid iſta leuicula? leuius, inquam, ſit, nomen Dei blaſphemaſſe, peieraſſe, fidem negaſſe(quanquam & hæc magis ludicra quam peccata illis ſint) quam ſuadente Diabolo perſonam clericalem læſiſſe, aut rebus eius vel obuio nocuiſſe, Tam ſancta ſunt iſta plus quam ter maxima latrocinia, Vt etiam fama ſit horrenda, multos male perijſſe, præſertim Principes, Porro neminem non ignominia conſumptum eſſe, qui illorum quidquam contrectarit aut ipſos non adorauerit digne & ſatis. Non intelligunt n. has eſſe operationes erroris, in ſignis & prodigijs mendacibus Satanæ, cũ ideo malum accidat contrectatoribus, non quod tam ſanctæ ſint res iſtæ, ſed quod tam execratæ & venenatæ, vtpote tam ſceleratis artibus & inauditis latrocinijs partæ, vt eas tetigiſſe bono viro mors & aurum (quod aiunt) Tholoſanum ſit, Innoxiæ vero ſint, ſolum ſuis raptoribus & ijs, qui conſentiunt, fouentq; & in partem prædæ admiſſi ſunt. Hi n. bene habent, volupe viuunt, glorioſi ſunt, & mortui honeſte ſepeliuntur, inſculptis ſignis & imaginibus, tum fundatis perpetuis memorijs, pro impetrando cœlo, quod viuentes mereri non poterant, occupati rebus illis ſacris, quibus iuſte impetuti valde inuiti infernum meruerunt. *2. Theſſ. 2.*

Facies ædium palatiorum.

POſt has glorias & honores Eccleſiæ facies, ſcilicet illas in laudem Dei religioſiſſime paratas, ſequitur alia facies, ædium, palatiorum & domorum. Nam vt facies opum ornant facies perſonarum, ſine quibus perſonæ ſordetent, ita facies ædium clariſicant facies opum, ſordidæ enim & opes, niſi pro digna magnificentia præclaræ, mundæ & nitidæ ſint ædes. Dic & hic ſi potes, Quæ gens ſuperbiores, ſpectabiliores, amœniores, magnificentiores, præſertim tam multas ædes habet, atq; hoc regnum facierum? Nonne optimi fundi, optima loca, optima caſtra, optima domicilia ſunt illorũ. Quæ lautitia? quis nitor? quæ mundicia in toto mundo poteſt illis conferri? Sic n. ædificant, ac ſi paradiſum ſibi in hoc ſeculo perpetuum parare cogitent. Vide palatia reuerendiſſimorum Cardinalium, quæ pro gloria Dei & honore ſanctæ Eccleſiæ poſſident, & Regum palatia cum illis conferre erubeſces. Nec mirum, cum ſucceſſores Apoſtolorum ſint & virtualis Eccleſia, ob id Regibus merito pares, imo ſuperiores, cum illi piſcatores fuerint. Ad alias properemus minus ſacras. Nam hæ tres, perſonatus, opes, ædes, omnium ſunt facile ſacratiſſimæ, Quantum eſt enim hic mare iurium de dignitatibus, de prælaturis, de præbendis, de iudicijs, de foro, de priuilegijs, de immunitatibus, & id genus ad Eccleſiam non magis quam Belial ad Chriſtum pertinentibus?

Palatia Reuerendiſſ. Cardinalium.

QVarta

QVarta, facierum eſt ipſe habitus & veſtis, qua vel imprimis ſeſe ruetur impietas iſta abominarionis. Quem n. non Inflar, ſanctificar, adorabilem facit rubens ille pileus, bicornis Infula, ſyrma purpurcum, mula gemmata, talares auro, gemmis, omnibuſq; precioſis, rigentcs, & omnis illa varietas, qua ſeſe à laicis & communi Chriſtianorum habitu, ceu à re prophana, ſeparauerunt? Iam raſum illum verricem manuſq; oleo illo purrido conſecratas tetigiſſe, ſacrilegium eſt maximum. Beatus autem, qui dignus fuerit vel oſculari. Monachorum autem habirum ipſimet ferme abominantur, etſi vehemenrer faciem iſtam ſtabiliar. Hic videas, quanra ſubido nara ſint peccata, quantæ conſcientiæ, quanti caſus reſeruari, ſi quid in his habiribus aut veſtibus deliquerint. Quod ſluprum par eſſe pures vni illi ſceleri, ſi Clericus roro in menſe raſus non fuerit? Quod parricidium, ſi ſine ſtola, ſine manipula, aut vna parte aliqua veſtis neglecta, altari miniſtrarir?

Habitus Cardinalium, Epiſcoporū.

Monachorum habitus.

Grande peccatum, Clericum non eſſe raſum.

O digna religio & idoneus cultus talibus Sanctis, hic leges, ſtatuta, mores & conſuetudines, diſpenſariones, irregularitates & eius generis infinitæ (quas nauſea eſt meminiſſe) abominationes, ſuum Regnum regnanr. In his ſita eſt pietas Chriſtiana, Hi ſunt Eccleſia Dei ſancta catholica, in his ſpirirus habitat, hos non poſſe errare credendum eſt. Ob nullam aliam cauſam, quam quia ſic raſi, & ſic veſtiti ſunr, & mulis & lecticis vchi ſeſe pariuntur, Etiamſi non modo ſinr impij & in ſcripturis ignari, ſed & ciuili communiq; ſenſu priuari, arcadicis aſinis rudiores. Sufficir enim iſta facies, vt omnia poſſinr & audeant, ſic rollunr crucem ſuam, & ſequuntur Chriſtum Succeſſores illi Apoſtolorum & Vicarij Dei in terris.

QVinta, eſt illud egregium perdendæ pecuniæ artificium, in ſtruendis, erigendis, ornandis, locuplerandis Templis, Monaſterijs, Sacellis, Altaribus, & eius generis operibus. Hic enim ſacrariſſima illa Iura Papæ, Bullæ & ſigilla, non vno modo cœlum largiuntur manibus illis adiutricibus & fundaroribus. Hic ferueſt bona opera, hic theſauri inæſtimabiles pro domo Dei colligunrur, hic quo ampliores, ſuperbiores, ditiores, ornariores exrruxerint ædes, hoc ſunr Chriſtianiores. Melius faciunt huc conrribuentes, quam ſi pauperibus impartirent. Nec enim in hoc ædificant, vt verbo audiendo locus ſit idoneus, ſed vt ſpectentur coram Deo & hominibus. Deo enim ædificant domum, qui cum olim per S. Srephanum Act. 7. & longe ante eum, per Natan & Dauid, negarir in manufactis ſeſe habitare, ramen nunc exul factus, ſibi & Sanctis ſuis domos à nobis mendicat.

Templa, Monaſteria etc.

Act. 7.

Er Sanctiſſimus ille cum Epiſcopis ſuis hæc ſtudia vulgi inſana, conſecrarionibus, ſanctificarionibus, immuniraribus ſuis, rurſus imprecationibus, deuotionibus & diris cenſuris ſuis, quibus violarores, conremptores, abutentes (ſicut decer facierum pieratem) perſequirur, non modo confirmat, ſed etiam inuirar & irritat magis, Vr & hinc non parua pars ſui ſacerrimi Iuris nata vexer orbem ſtulris & caurcriaris conſcienrijs. Inrcrim de verbo & fide quid? hoc Chriſtus viderit in regno veriratis. Hunc Regem oportet Regnum facierum excolere, & quanris viribus & artibus poreſt, magnificare. Dic mihi, ſi hoc non eſt lapides & ligna adorare, quid tum eſt, ligna & lapides adorare? Siquidem Deus illa non præcepit, & ea, quæ præcepir, per illa conculcantur & vaſtantur.

SExta, non vna, ſed facierũ quædam ſylua eſt, ſcilicet eorũ, quæ in Templis ſunt & geruntur, quæſtus & lucri proſperrima negotia. Hic bo-

Quæſtus & lucri negotia in Templis.

antur aut murmurantur horæ Canonicæ ingenti labore, ſic tamen vt nunquam orentur. Augentur iſtæ alijs horis B. Virginis, ſanctæ Crucis, & tumultus illius carminum, quem Deus in Propheta dicit ſe non auditurum, nullus eſt finis. Et quis recenſeat quantis legibus, id eſt, peccati autoribus & conſcientijs hoc vnum opus vexetur & vexet? Additæ ſunt voces, cantus infiniti generis & varietatis. Nam & Organa vniuerſaq; muſica huic faciei ſeruiunt. Omitto calices, imagines, vaſa vtenſilia, aurea, argentea, lignea, tum vela, pallas, corporalia, & ſine modo & numero ornamenta, lumina, lampades, & ſi qua

Sacramenta aucta.

ſimilia. Deniq; Sacramenta hic auxerunt Confirmationem, ordinem, matrimonium, vnctionem, Deus bone, quanta eſt hæc vna vorago pecuniarum, imo & animarum.

Quis hic iura illa ediſcat, quæ his rebus religioſe adminiſtrandis poſita ſunt? Adeo enim iſta non putant, non eſſe neceſſaria Chriſtianis, vt facilius adulterium remittant, quam peccatum vnum in iſtas ſanctas facies & leges commiſſum. Sin. Sanctiſſimus ille has facies vna cum prædictis permiſiſſet liberas, & ſecundum Euangelium omnes nos æquales reliquiſſet, nihil eſſet horum innumerabilium peccatorum. Vbi enim non eſſet lex, ibi nec præuaricatio. At nunc noſtris ſtultis conſcientijs abuſus ponit has leges infinitas, & per eas peccata & perditiones infinitas. Atq; hoc eſt, quod Paulus eum vo-

Homo peccati, filius perditionis. 2. Theſſ 2.

cat *hominem peccati, & filium perditionis*, hoc eſt, legiſlatorem arbitrarium & impijſſimum in rebus, quæ liberæ factæ ſunt per Chriſtum omnibus fidelibus. Damnabor hic à Sanctiſſimi illius ſatellitibus, & Valdenſis ac Viclephiſta vocabor. Sed Daniel me ſolatur dicens in hunc Antichriſtum Capite 12. *Deum* Dan. 12.
Moazim ſtructuris ſuis venerabitur, & Deum, quem ignorauerunt Patres ſui, colet auro & argento, & lapide precioſo, & rebus precioſis. Et faciet vt muniat Maozim cum Deo alieno, quem non cognouit, & multiplicabit gloriam, & dabit eis poteſtatem in multis, & terram diuidet gratuito. Sufficit mihi noſſe, hæc omnia libera eſſe, non neceſſaria ad ſalutem, ideo crudeliſſima impietate & ſolius Antichriſti tyrannide in præcepta neceſſaria aut vtilia redigi, quo multiplicentur peccata & perditiones, Facies enim ſunt, non corpus ipſum.

Abuſus Miſſæ.

SEptimam faciem appellare licet, vniuerſum illum abuſum Miſſæ cum ſolennibus ſuis, cum vigilijs, cum anniuerſarijs, fundationibus, ſepulturis, & totum negotium pro defunctis celebratum. Quid enim hic niſi facies eſt pietatis, populum fallens & deglubens? Non enim ideo Miſſam

Miſſa. Sacramentum in vſum infirmorum ſeruatum.

habemus hodie, vt participemus de altari, & Euangelium audiamus, hoc eſt enim reuera Miſſam habere. Sed velut bonum opus multiplicamus, & iam magis pro mortuis quam pro viuis ea vtimur, Niſi quod vini Sacrificuli hoc officio, victum fœdiſſimum ſibi parant. Deniq; quaſi Miſſa ad communionem nihil pertineat, Sacramentum ſeorſim extra Miſſam ſeruant in vſum infirmorum, ac egregijs Monſtrantijs circumferunt velut oſtentaculum. Omnia hæc ſunt hominum inuenta, nuſquam à Deo præcepta, nec neceſſaria, imo impia & prohibita, præſertim, ea, quæ de Miſſa ſapiunt. At ſanctiſſimus peccatorum & perditionis fons ea cogit in præcepta neceſſaria, vt hæreticus etiam ſit, ſi quis vel mutiat contra.

Delectus ciborum & ieiuniorum.

OCtaua eſt delectus ille ciborum & ieiuniorum, quæ libera per omnes dies ſunt. At hodie ſic ieiunatur, non vt caro mortificetur, ſed quia bonum opus ſit, hoc die ieiunaſſe, iſto & iſto cibo abſtinuiſſe, quo cœlum mereantur.

Quid

Quid autem hoc aliud, quam impia facies eſt? de quibus Paulus prædixit
1.Tim.4. *1.Tim.4.Prohibentes abſtinere à cibis,quos Deus creauit.Et Galat.4. Dies,men-*
Gal.4. *ſes,tempora,& annos obſeruatis,timeo ne ſine cauſa in vobis laborauerim.*

NOnam illam ſceleratam facio,feſtorum dierum multiplica- *Multiplicatio feſtorum.*
tionem & iniquitatem.Sic enim hodie Sanctiſſimus docet homines per
ocium Deo ſeruire,id eſt,vt ipſe exponit,Intermiſſione operum ſerui-
lium,Cum omnes dies liberi ſint,& ad laborandum & feriandum.In hac au-
tem facie inſignius lucent magni illi feſti dies,Viſitationis, Corporis Chriſti,
Apoſtolorum,Conceptionis & ſimilium.Et neceſſe eſt peccare & perire ani-
mas,ſi quæ non ſeruant vel inuite ſeruant hæc ſtulta,inutilia & vana præcepta.

DEcima eſt inſignis ille cælibatus & monaſticæ caſtitatis mul- *Cælibatus.*
1.Tim.4. titudo,plane angelica facies,ſed diabolica res,de qua 1.Tim.4. Prohi-
bentium nubere.Vbi iterum,quod Chriſtus liberum fecit, Sanctiſſimus
Dan.12. neceſſarium facit.De quo Dan.12.Erat deſideria mulierum, & ad omnem
Deum non intelliget. Quod nos affirmatiue & male habemus, Erit in con-
cupiſcentijs fœminarum.Daniel vult,quod vxores nolit,ſpecie pietatis, non
amore caſtitatis.

VNdecima eſt reliquiarum veneratio,bella plane & lucri fe- *Reliquiarum veneratio.*
raciſſima facies.Hinc excogitatæ Peregrinationes innumeræ,quibus ſtul- *Peregrinationes.*
tum vulgus operam,pecuniam,& tempus perderet,cum domi ſuæ in-
terim,vel impie curam negligit,relictis vxoribus & filijs, contra mandatum
Dei,vel incomparabiliter meliora operari potuiſſet erga Proximum ſuum,
Hic enim Dei mandatum,In reliquijs venerandis aut viſitandis, merum ſtu-
dium hominum.Habent hic S.Hieronymum patronum, qui cum aduerſus *Hieronymus aduerſus Vigilantium.*
Vigilantium hoc ſolum egerit,ne reliquias quiſquam vituperet aut conte-
mnet,ipſi eius autoritate eouſq; abutuntur,vt venerationi reliquiarum nihil
patiantur detrahi,neq; modum in ea teneri,neq; aliud opus ei æquari nedum
præferri.Quin ad vota profecit res,eaq; indiſpenſabilia etiam Papæ ipſi(ſi pe-
cuniæ non fulſerit ſpes)Ad quod hoc ſtultum votum contra Dei præceptum
emittitur,qui curam vxoris & liberorum præcepit,ne peccatum quidem imo
inſigne meritum cenſetur,adeo decipit iſta ſpecioſiſſima facies.In hanc faci-
em colligo Fraternitatum ſectas,ad abolendam principem illam fraternita- *Fraternitatum ſectæ.*
tem fidei & charitatis,per Satanam ſingulari induſtria inuentas. Nam & hæ,
ſub nominibus Sanctorum, & in reuerentiam reliquiarum ſtabiliuntur, de
quarum abuſu dictum eſt alias,& proprio in hoc monſtrũ Libro fuerit opus.

DVodecima & vltima(Nam alijs alias cõmemorandas relin-
quo)eſt chaos illud & ianua patens inferni, incredibili facie ſpectabilis,
Vniuerſitates,inquam,in quibus periuria & abuſus nominis Dei ſunt *Vniuerſitates.*
introitus,Deinde conuerſatio in omne ſcelus libera & licentioſiſſima,Sub ijs
tamen peccatis & perditionibus promittitur ſcientia & ſapientia, etiam præ-
ſtitutis titulis & gradibus vice ſcilicet mercedum. Quid autem praſtant tan-
dem? Primum electiores Chriſtiani populi adoleſcentes hic proſtituuntur,&
in patens guttur inferni proijciuntur,vt per idolum Moloch figuratam putẽ *Moloch.*
hanc perditionem,cui filios & filias olim dilectiſſimos luſtrabant per ignem.
Deinde propoſito Ariſtotele,nec ipſo recte intellecto,cum gentilibus & hu- *Ariſtoteles.*
manis literis ingenia Chriſtiana occupãtur,imo excæcantur & opprimuntur.

Et pro verbo Dei Papæ dogmata tractantur, vt videatur ad Euangelium funditus extinguendum, nec aſtutius nec efficacius inueniſſe Satan commentum, quam Vniuerſitatum erigendarum. Vbi ſub titulo doctrinæ Chriſtianæ non niſi pugnantiſſima Chriſtianæ fidei docerentur. De qua re longa & multa nobis eſſet diſputatio, ſi tempus & ocium faueret. Atq; ex his luſtris & ſpelæis ad gubernacula Eccleſiarum vocantur, ſi quando optimos vocare viſum eſt.

Schola hidoth.

Et mihi ſane hæc facies vltima omnium nocentiſſima eſſe videtur. Siquidem hæc ſola habet titulum verbi, cum cæteræ omnes titulum Exempli duntaxat habeant, & plane Schola hidoth, id eſt, propoſitionum hæc eſt, de quibus ſtatim. Incorporabiliter autem maius damnum eſt ſub titulo verbi docere aliena verbo, cum exemplorum facies tum verbi facie formetur & roboretur, cito ruitura ſi verbum genuino vſu regnaret, tum exemplorum facies mores tantum fallit, at verbi facies fidem ſubuertit. Quod ſi qua Dei gratia, Vniuerſitates, verbum Dei aſſumpſerint, Deus bone, quam ſubito Papatus cum omnibus faciebus ſuis eſſet periturus, cum hæc facies ſit plane fulcra, oſſa & tota virtus Regni facierum?

Apoc. 9.

Locus Apocal. 9. explicatus.

Tuba canere.

Quintus Angelus.

HAnc laruualem faciẽ nobis prædixiſſe mihi videtur & Apoc. 9. cuius verba dignum eſt hic recentere, & paucis explicare, ait enim: *Et quintus Angelus tuba cecinit, Et vidi ſtellam de cœlo cecidiſſe in terram, & data eſt ei clauis putei abyſſi &c.* Meo hic ſenſu periclitabor. Certum eſt, Angelos per totam Apocalypſim epiſcopos Eccleſiarum eſſe, vt liquido claret ex 2. & 3. capite, vbi Angelo Epheſi & Angelo Smyrnnæ, alijsq; ſcribitur. Porro aliud illud Angelorum genus, quod tuba canit, quorum ſunt ſeptem, capi. 8. prorſus non niſi Romano Epiſcopo conuenire poteſt, cum nulli alij tuba cecíniſſe ſcribantur. Tuba autem canere, è textus conſequentia & effectibus ſecutis aliud eſſe non poteſt, quam Decreta condere, id quod nullus præter Romanæ Eccleſiæ Epiſcopum ſibi vnquam arrogauit. Nec fruſtra ſcribuntur ſeſe præparaſſe, vt canerent, cum his ſolis Pontificibus ſemper impatiens furor & inquies tyrannis fuerit, ad leges condendas cæterosq; ſibi ſubijciendos. Sed ad noſtrum quintum Angelum veniamus, qui primus eſt inter tres, qui tria Væ inducturi erant ſuper terram, id eſt, qui primus Vniuerſitates inſtituit vel confirmauit, quem mihi non facile fuerit nominare, ita variantibus hiſtorijs, Sed ſit quiſquis fuerit. *Stella de cœlo, in terram lapſa*, vel Alexander de Hales, vel quod magis credo, S. Thomas fuit, qui poſt vniuerſitates approbatas & tubam huius Angeli, vel primus vel maximus fuit Autor inuehendæ in orbem Chriſtianum Philoſophiæ ſolus, Ariſtotelicíſſimus, ac plane Ariſtoteles ipſe, in quem velut in terram de cœlo à Chriſto cecidit, fretus autoritate impijſſimi illius Angeli, eiuſmodi ſtudia probantis.

Stella de cœlo in terram lapſa.
Alexander de Hales
Thomas Aquinas.

Accepit autem clauem putei Abyſſi, & aperuit, eduxitq; nobis mortuam iamdudum, ac damnatam per Apoſtolum Philoſophiam, Et inde aſcendit fumus iſtius putei, id eſt, mera verba & opiniones Ariſtotelis ac Philoſophorum, ſicut fumus fornacis magnæ. Inualuit enim & late potens facta eſt Philoſophia, vt Chriſto Ariſtotelem æquarit, quantum ad autoritatem & fidem pertinet. Hinc obſcuratus ſol (iuſticiæ & veritatis Chriſtus pro fide, inductis moralibus virtutibus, pro veritate, opinionibus infinitis) Et aer de fumo putei, vt intelligatur non fuiſſe ſolis ecclipſis, ſed obſcuritas aeris & ſolis, è fumo inferni aſcendente, hoc eſt, humanis doctrinis Chriſtũ & fidẽ eius (quæ eſt aer & ſpiritus) obſcurantibus. Et ex fumo putei exierant locuſtæ in

terram,

terram. Hic eſt populus Vniuerſitatum, è Philoſophia natus, aptiſſimo nomine, locuſtæ, vocatus, quod ſine Rege (Chriſto) ſit, & turmatim volet, vt Prouer. 3. dicit: *Deinde vaſtant & exurunt omnia virentia, qua parte conſederint*, vt inde locuſtæ, à loco vſto & vaſtato nomen putentur habere Grammaticis. Ita hic populus exurit totum illud ver paſcuum Chriſti, id eſt, fructum fidei. *Et data eſt illis poteſtas, ſicut habent poteſtatem ſcorpiones terræ*, ſcilicet vulnerandæ conſcientiæ, quia vaſtato verno fidei fructu, quæ ſanat conſcientias, non poteſt non lædi conſcientia. *Et præceptum eſt illis, ne læderent fœnum terræ, neque omne viride, neq; omnem arborem*, id eſt, ne electos læderent. Non enim omnes lædunt, neque locuſtæ naturales omne viride lædunt, ſed certum aliquem locum, ita hic, Sed tantum (inquit) homines, qui non habent ſignum Dei in frontibus ſuis, id eſt, aliquod fœnum, eos, qui non habent fidem, quæ eſt ſignaculum Dei, quam in conſcientia pura & conuerſatione libera geſtamus.

Prouer. 3.

Et dictum eſt illis, ne occiderent eos, ſed cruciarent menſibus quinq;. Hoc mihi dictum videtur de doctrina morali, quæ cum non doceat cognitionem peccati veram, ſicut lex Dei non occidit, ſed ſolum vanis ſtudijs eos affligit, ſemper diſcentes, & nunquam ad ſcientiam veritatis peruenientes. Occiſi n. litera, viuificantur ſpiritu æterno, non cruciantur menſibus quinq;, id eſt, toto ſenſualis vitæ tempore, in quo morales virtutes regnant. Et videmus morales Theologos omnes eſſe, peſſima & infeliciſſima conſcientia, plenos ſcrupulis & inquietudine, nec boni nec mali eſſe potentes. Ideo ſequitur: *Et cruciatus eorum, vt cruciatus ſcorpij, cum percutit hominem*. Ecce conſcientia læſa, exponit enim quod dixerat, nō occidi eos ſalubriter, nec viuificari ſpiritualiter. *Et in diebus illis quærent homines mortem, & non inuenient eam, & deſiderabunt mori, & mors fugiet ab eis*. Mortem ſcilicet peccati, quod nimis viuit in conſcientia, & tamen non recte cognoſcitur, Si enim cognoſceretur, mox occiſum periret, Hoc enim non Ethicorum Ariſtotelis, ſed literæ & ſpiritus officium eſt.

Theologi morales.

Et ſimilitudines locuſtarum ſimiles equis paratis in bellum, ſcilicet diſputationis & conflictationis ſcholaſticæ bellū hac allegoria pingit, prompti enim ſunt arguere pro & contra (vt dicitur) *Et ſuper capita earum, coronæ ſimiles auro*, id eſt, nomina & tituli graduum: Magiſter noſter eximius, Sacræ Theologiæ humilis & indignus Profeſſor &c. *Et facies eorum tanquam facies hominum*, Quia doctrina & vita eorum non ſpiritu fidei, ſed dictamine naturalis rationis regitur, lumine naturæ Ariſtotelie illuminatæ. *Et habebant capillos, ſicut capillos mulierum*. Sacrificulos effœminatos & luxui deditos gignit Philoſophia, in quibus nihil ſpiritus, neque virilis in Chriſto ſenſus figet. Capilli enim ſacerdotes ſunt. Pſal. 68. Eſa. 3. & alijs locis. Neque Theologum fieri licet, niſi ſacrificium eiuſmodi, vt vulgo etiam ob id male audiant Theologi. *Dentes eorum ſicut dentes leonum erant*. Vel Thomiſtas ſolos vice omnium Theologorum conſidera, an non ſint mordaces, calumniatores, deuoratores omnium, qui contra Ariſtotelicam Theologiam loquuntur. Quin & ſeipſos inter ſeſe mordent & conſumunt Thomiſtæ, Scotiſtæ, Moderni, acuuntq; inuicem non quoſuis, ſed Leonum dentes,

Pſalm. 68.
Eſaiæ. 3.

Theologaſtrorum ſecta.

dentes, Neq; eſt enim genus hominum, quod atrocius, maioreq; odio belligeretur, quam Theologorum iſtæ ſectæ, vt quæq; ſola, alijs conſumptis, optet regnare.

Et habebant loricas, ſicut loricas ferreas. Hæc eſt pertinacia & ſecura præſumptio vniuſcuiuſq; Sectæ, de ſuæ opinionis veritate & firmitate. His enim ferreis thoracibus ſunt inuicti. Hæc ſunt cuiuſq; ſectæ principia. Et vox alarum earum, ſicut vox curruum & equorum currentium in bellum. Alæ ſunt verba diſputantium & conflictantium, quibus impetuoſe, rixoſe & clamoſe inuicem irruunt & pugnant, Vt videmus in tumultibus diſputantium, tam verbis quam ſcriptis, vbi neuter neutri cedit, quilibet inuictus eſt. Hunc enim pertinacem affectum diſputationis curſu iſto curruum & equorum ſignificat. Et habebant caudas, ſimiles ſcorpionum, & aculei erant in caudis earum, & poteſtas earum, nocere hominibus menſibus quinq;. Explicat quod ſuperius propoſuit, fructum & finem ſcilicet huius Theologiæ eſſe malas conſcientias, tota vita iſta ſenſuali, Spiritualibus enim abominatio eſt ea Theologia, quia ſunt extra quinq; menſes in ſpiritu libertatis.

Et habebant ſuper ſe regem Angelum Abyſsi, cui nomen hebraice Abbadon, Græce autem ἀπολλύων. Audiamus hic Rectorem generaliſſimum omnium Vniuerſitatum, non Chriſtum, non Spiritum ſanctum, non Angelum Domini, ſed Angelum Abyſſi, id eſt, mortuum, & de mortuis ac damnatis. Quem ergo? Lumen illud naturæ ſcilicet Ariſtotelem, qui vere ἀπολλύων, id eſt, perdens & vaſtator Eccleſiæ, in Vniuerſitatibus regnat. Neque enim dignus erat nominari in ſacris literis ſuo nomine. Diximus enim Angelum ſignificare Doctorem in Eccleſia. Et certum eſt, Ariſtotelem mortuum & damnatum, eſſe Doctorem hodie omnium Vniuerſitatum magis quam Chriſtum, Quia autoritate & ſtudio Thomæ eleuatus regnat, reſuſcitans liberum arbitrium, docens virtutes morales & philoſophiam naturalem, & triceps ſcilicet Cerberus, imo tricorpor Gerion. *Apoc. 9.*

Rector generaliſſimus omnium Vniuerſitatum.

Ariſtoteles.

Thomæ

Ecce primum Væ, quod è Romano Pontifice habet Eccleſia, per miniſterium S. Thomæ. quorum cum fuiſſet, hæc maxime prohibere & extinguere, ipſi maxime erexerunt & ſtabiliuerunt. Dic chariſſime Lector An non iſtæ facies ſint hodie in Eccleſia puppis (quod aiunt) & prora? Nonne hæc ſunt, vt Philoſophi dicunt, materia & obiectum iuris Canonici? Quid diſcunt infelices Canoniſtæ, niſi harum facierum, per homines impios inuentarum & ſtatutarum obſeruantiam, quæ prorſus nihil neq; ad Deum, neq; ad Eccleſiam pertinet? Rurſus, Dic, ſi vnum opus bonum in his inueniatur, quod Deus præceperit. Lege ius totum Canonicum, & profer, quando Romanus aut alius Epiſcopus ad Euangelij officium vrgetur? Omnia de iuriſdictionibus, nihil de verbo Dei ſtatuitur, cum tamen nulla prorſus re opus ſit, quam verbo Dei in Eccleſia. Ad hoc Capellanis & Terminarijs, & quo quis indoctior & rudior eſt, relinquitur.

Ius Canonicum.

O væ tibi Papa, væ vobis Cardinalibus, væ vobis Epiſcopis, væ vobis Sacerdotibus, væ vobis Monachis, & toti ordini Eccleſiaſtico. Quis vobis monſtrabit fugere à ventura & inſtante ira? Quid reſpondebitis pro officio verbi, quod ſubijſtis, & non impleſtis? Nunquid ille triplices coronas; pileos, infulas, annulos, aurum, purpuram, & omnes iam dictas facies acceptabit? Stat ſententia fixa, non reſpicit in faciem hominum. Quocirca conſilium Chriſti audiat, qui poteſt, vbi docet, Matthæi 24 Fugiendum eſſe in montes, *Matth. 24.*

Surdis narratur fabula, Videntes enim cæci ſunt.

& non

& non reuertendum in domum. Relinquat publicum, qui poteſt, in ſolitudinem vadat, qui liber eſt. Noli noli, ô homo, quiſquis es, ambire Epiſcopatum, Canonicatum, Monachatum, aut vllum ordinem clericatus, peccatum & perditio eſt in omnibus, vt facies prædictæ monſtrant.

Aut ſi omnino vis aut vrgeris initiari ſacris, age, contemne has facies Antichriſti huius, & cura, vt Euangelio pure inſeruias, vel per teipſum docendo, ſi gratiam habes, vel ijs qui poſſunt docere, aſſiſtendo, cooperando & ſeruiendo, quales Apoſtolus ſe habuiſſe multos teſtatur, tum orationibus puris pro fructu Euangelij inſtes coram Deo. Crede mihi, niſi hoc feceris, Clericarum non niſi in damnationem tuam portas, etiamſi miracula feceris, & teipſum igni tradideris. Proprium & vnum officium eſt Clericatus, docere verbum, quo euacuato, non Clericus ſed facies Clerici ſola reliqua eſt, qua tamẽ inualuit Rex iſte ſanctiſſimus, vt penitus extinxerit Euangeliũ. Et cur non maledicam huic maledictioni? Dominus Ieſus perdat, ô idola mundi, Paparum, Cardinalatumq; veſtrum, cum omnibus faciebus veſtris in profundum inferni in æternum, Amen. Ecce nunc habes, quid ſit Regem hunc eſſe potentem faciebus.

Officium Clericorum proprium & vnicum.

Sequitur:

Et intelligens propoſitionum.

QValis Rex, talis lex, qualis lex, talis populus, qualis populus, tales mores, quales mores, talia & ſtudia. Rex, vt audiuimus, eſt mera facies & idolum, ideo & lex eius eſt merum figmentum & mendacium, ſicut Petrus prædixit: *Erunt in vobis Pſeudodoctores, qui fictis verbis in auaritia vos cauponabuntur. Et 1. Tim. 4. In hypocriſi loquentium mendacium.* Et quomodo poteſt docere veritatem, qui ſpecies & mendacium eſt ipſum? Imbutus enim ea opinione, vt facies iſtas ducat ſerias eſſe res, certe non ſolum mendacia loquetur, ſed nec veritatem ſuſtinebit. An non eſt hoc inſigne & incredibile mendacium, pro fide Chriſti docere cæremonias, pro ſpiritu ſtatuere traditiones hominum? Nonne Papa ſuis Iuribus iactat ſeſe regere & paſcere Eccleſiam Dei? Nonne laudat tanquam benefacta, quæ ſuis ſeruatis legibus fiunt? Nonne damnat & perdit omnes, qui ſeſe non audiunt, etiamſi vniuerſum Euangelium ſeruauerunt? O maledicta maledicendaq; abominatio. Hic impletur illud Pauli, *Qui aduerſatur & extollitur ſuper omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe quaſi ſit Deus.* An non eſt hoc in templo Dei ſedere, in tota Eccleſia ſeſe Magiſtrum profiteri? Quid eſt templum Dei? nunquid lapides & ligna? Nonne Paulus dicit: *Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos?* Neq; enim tempore Pauli vlla erat domus, quæ templum Dei diceretur, vt nunc dicuntur. Sedere autem quid eſt, niſi regnare, docere & iudicare? Quis autem vnquam ab initio Eccleſiæ ſeſe auſus eſt Magiſtrum totius Eccleſiæ appellare, niſi ſolus Papa? Nullus ſanctorum, nullus hæreticorum tam horrendam ſuperbiæ vocem vnquam ſonuit. Paulus ſe Magiſtrum Gentium in fide & veritate iactat, ſed non Magiſtrum Eccleſiæ.

2. Pet. 2.
1. Tim. 4.
Locus S. Pauli 2. Theſſ. 2. explicatus.
1. Cor. 4.
Templum Dei.
In templo Dei ſedere.
Paulus Gentium Magiſter.

Nonne autem oſtendit ſe, quaſi ſit Deus, dum pro verbis Chriſti ſua docet, & pro iuſticia fidei iuſticiam Papiſticam ſtatuit? Nunquid ſuper Deum

Oſtendens ſe quaſi ſit Deus.

naturaliter extolli potest? abſit, ſed ſuper Deum dictum (ait Paulus) id eſt, ſuper verbum Dei prædicatum. Deus enim dicitur, quando prædicatur & creditur. Super hunc Deum Papa iam diu eleuatus ſedet, quia in cordibus fidelium loco dicendi & credendi Dei, ipſe ſe dicit & prædicat. Ita quod Paulus ait, aut quod colitur, Græce σέβασμα id eſt, cultus, ſeu id quod colitur, ſeu ipſa cultura, vt intelligas ſuper Deum non ſimpliciter, ſed ſuper culturam Dei, ſeu ſuper id, quod à nobis, vt Deus colitur, extollendum. Q.d. In cordibus hominum præferetur Deo, hoc eſt, verbum ſuum plus timebitur, quam verbum Dei, & ei plus obedient magisq; colent quam Deum verum. Nonne hæc nulli hominum poſſunt niſi Papæ conuenire? Paſſim Dei præceptum, & verbum contemnitur, Ad Papæ verbum nemo non pauet, Plane nullus eſt Deus, neq; in cœlo neq; in terra, cuius verbum tanta obedientia capiatur, quanta verbum Papæ, quod experientia tam clare monſtrat, vt inſenſatus negare non poſſit.

Deus dictum.

Deinde, quis vnquam ſe in nomine Chriſti venire dixit, vt ſolus Papa. Ipſe enim vnus omnium & primus ſeſe vicarium Chriſti, vicarium Dei in terris, intollerabili blaſphemia & ſuperbia iactat. Quid enim eſt eſſe vicarium Dei, niſi vice Dei ſedere? Quid eſt vice Dei ſedere, niſi oſtendere ſe quaſi ſit Deus? An adhuc dubitas Pauli Prophetiam impletam, quando adeo ſimilia ſunt, vicarius Dei, & oſtendere ſe, quaſi ſit Deus? Recte ergo prædixit, venturos iſtos Antichriſti Apoſtolos in nomine ſuo. Cæteri enim hæretici, etſi veritatem ſimularent, nunquam tamen Chriſti proprium nomen prætexuerunt, Hoc enim ſoli Antichriſto reſeruabatur. Vnde Chriſtus Matthæ. 24. non contentus prædixiſſe, quod venturi eſſent in nomine ſuo, Addit ſeipſum explicans, Dicentes: Ego ſum Chriſtus. Ac ſi dicat, nomen meum proprium prætexent, quod eſt Chriſtus, dicentes ſe eſſe me Chriſtum. Ad iam obtinuerunt illud, Nam è Papa & Chriſto vnum fecerunt, garrientes, è Papa & Chriſto mixtum eſſe vnum illum hominem, nec ſeparandum eſſe Chriſtum à Papa. *O blaſphemiarum plaſphemia furioſiſſima, Impius ac ſceleratus Cynedus*, Viturarius, Sacrilegus, cruentiſſimus Tyrannus, Chriſto Deo miſcetur, & vnum cum ipſo efficitur. Veni Domine Ieſu Chriſte, & pone finem ac modum his horrendis horroribus, Amen.

Vicarius Dei.

Multi venient in nomine meo &c.

Matth. 24.

Et quid facit tamen ille Vicarius Dei, in loco Dei ſedens? Nunquid Principis ſui mandata facit & docet? Nequaquam. Quid ergo? ſua propria ſolum docet, nec ipſa tamen facit. Alioqui ſi Dei mandata doceret, vicarius Dei non eſſet. Vicarius enim abſentis principis eſt, Ideo qua parte vicarius Dei regnat, prorſus nullus eſt Deus, Vbi enim Deus præſens eſt, Vicario non eſt opus, ſed duntaxat miniſtris, Sicut Apoſtoli ſeſe non vicarios, ſed miniſtros Dei appellauerunt. Igitur impletus eſt ſermo Pauli, Videmus hominem peccati & filium perditionis ſedere in templo Dei, oſtendentem ſe quaſi ſit Deus, aduerſantem & eleuatum ſuper omnem Dei ſermonem & cultum. Quid enim veritati Euangelicæ magis aduerſum quam facies illæ, & facierum doctrina? At, colitur, timetur, ſeruatur ipſa vltra & ſupra omne verbum Dei, idq; non niſi in nomine Domini, Sed redeamus ad Danielem.

Vicarius.

Apoſtoli non Vicarios, ſed miniſtros Dei ſe appellant.

Homo peccati, filius perditionis.

VOcabulum (Hidoth) ebraice, ſignificat problema, ænigma, obſcurū ſermonem, qui eludit ſenſum, ſi ſecundum faciem percipiatur. Sic Iudicum 14. *Proponam vobis Problema*, Et Pſa. 49. *Apertā in Pſalterio* propoſi-

Hidoth.

Iud. 14.

Pſal. 49.

propoſitionem meam. Eſt ergo intelligens hidoth, qui potens eſt verbis obſcuris fallere audientes, vt aliud audiant & aliud intelligant. Non enim intelligens Propoſitiones (vt noſter transfert) is eſt, qui ab alijs dicta, pulchre intelligit ipſe, ſed qui idoneus eſt, propoſitis verbis alios ludere. Exempli cauſa, Quando Rex iſte facierum in ſuis Decretis, vocabulum Eccleſia vſurpat, pro ſeipſo & ſibi adhærentibus, etiamſi ſint impijſſimi, vt quidquid ipſi ſtatuerint, id Eccleſiam ſtatuiſſe omnibus perſuadeant. Sicut nunc obtinet & triumphat propoſitione eiuſdem verbi, Nonne pulchram (Hida) propoſuiſſe ſibi videtur? Cum Eccleſia non ſignificet, niſi ſanctam fidelinm congregationem, qui ſpiritu Dei viuunr & aguntur, qui ſunt corpus & plenitudo Chriſti, vt Paulus dicit. Quæ enim mendacia non propaget homo iſte? quam obedientiam non extorqueat? quam legem non roboret, vbi id obtinuerit, vt tam audientes, quam ipſe loquens, eccleſiam Satanæ, Eccleſiam Dei eſſe intelligant? Quis enim Eccleſiam Dei non audiret?

Intelligens propoſitiones.

Eccleſia.

Videmus autem & hoc verbo, regnum facierum diſtingui ab omnium regnorum conditione, vt quod non armis, ſed verbis agat. Deinde non apertis ſeu ſimplicibus verbis, qualibus regnum Chriſti & hominum adminiſtratur. Nam regna mundi legibus humanis, de rebus temporalibus aperte ſonantibus & intellectis, Regnum autem Chriſti ſolido ſimpliciq́ue Euangelij verbo regitur. At hoc regnum compoſitis & aliud ſonantibus, & aliud facientibus seducitur. Nec enim mundana nec ſpiritualia docet, ſed ſimulat ſe docere ſpiritualia, reuera autem docet mundana. In quo artificio ſunt tam intelligentes, gnari & appoſiti, operante Satana, vt electos (ſicut Chriſtus prædixit) in errorem ducant, nec niſi à ſpiritualibus iudicentnr. Ideo Daniel eum intelligentem, & leges ſuas (hidoth) vocat, quod falſurus eſſet omnes, qui non acute obſeruarent eius leges. Fac huius periculum tu ipſe, Si docearis abſtinere à cibis, veſtibus, locis, perſonis, rebus quibuſdam, & tali ac tali habitu, veſtitu, geſtu, cibo, loco, perſonis vti, ea opinione captus, tanquam his ſtudijs bona opera facias & iuſticiam ſis acquiſiturus, Et poſtea ad te reuerſus, intelligas te non niſi in rebus temporalibus laboraſſe, quæ nihil ad iuſticiam faciant magis quam omnium aliorum laicorum quæcunq́; opera & ſtudia. Nonne pulchre tibi impoſitum eſſe diceres? Nonne verbis egregie illuſus eſſes?

Regna mundi.
Regnum Chriſti.
Regnum Papæ.

Math. 24.

Opera quæ Papa docet & mandat

At nonne talia ſunt omnia, quæ Papa mandat? Nonne aut locum, aut cibum, aut veſtem, aut perſonam tractat in ſuis ſtatutis? In quibus non plus eſt iuſticiæ, qnam ſi agrum interim coleres, aut texeres, aut neres. Quis enim agricolatur ea opinione, vt iuſtificetur eo opere, aut peccet ſi omittat, cum ſit tamen neceſſarium & vtile opus? Tu vero in eo opere, quod prorſus neque àd vitam neque ad rem eſt neceſſarium, ſic iuberis laborare, vt iuſticiam in eo inuenire ſperes, & peccaſſe putes, ſi omittas. Cui enim vel rei vel vitæ prodeſt, te atrum aut nigrum geſtare, lac aut carnes edere, raſum aut non raſum eſſe, hoc vel illo loco degere? Et tamen in ijs futilibus & inutilibus rebus iuſtificari, & ſanctificari aut reus fieri iuberis. Eſt ne hoc egregie tibi problemata & ænigmata propoſita eſſe? At mundus his doctrinis mendacibus & illuſorijs refertus eſt, Iſtæ ſunt cauteriatæ conſcientiæ, vt enim omnia quæ agunt, ſunt ſpecies, ita omnia quæ docent, ſunt propoſitiones ſeu figmenta vtrobiq́ue meta facies tam in rebus quam verbis. Et tamen conſcientiam faciunt, ſine omni cauſa.

Cauteriatæ conſcientiæ.

Obſerua autem, quam mitibus & modeſtis verbis, tam atrocia monſtra

Spiritus

paſtores,inuentis Pallijs,Annatis,Subſidijs,& alijs infinitis Titulis rapiendi, Et hoc malum in populum tandem redundat, Nam paſtores & Monachi populum deglubunt, vt Epiſcopos & ſeipſos impleant. Atq; hoc quidem latrocinium, Papa in dimidio rerum,quas Eccleſiæ diximus, exercet. Alterum autem dimidium expilat Indulgentijs,Bullis,Confeſſionalibus,Indultis,Priuilegijs, Diſpenſationibus(& quis hos titulos latrocinandi numeret?) Atq; hæc omnia operantur facies illæ,rurſus facies augentur aſſidue,vt talia plus de die in diem operentur. Officia enim hæc ſunt ſancta,pia,fideliaque paſtorum Eccleſiæ, quibus lucent ſicut luminaria mundi. Anathema ſit,hæc non dixiſſe bona facta ſtrenue & ſine fine graſſantia pro ſancta eccleſia,augenda,ornanda,roborandaq;. Vere ridiculi Perſarum luxus, Nihil Romanorum opes,ſi hæc maria & flumina aurea & argentea conſideres. Et in quos vſus tandem hæc? in quorum neceſſitates diſtribuuntur? in pauperes & egenos? Abſit,in Sodomam potius,Gomorram, & Sybarim. Verum quid tam leuia exempla commemoro? Superat res ipſa & fidem & ſenſum & verba.

Indulgentiæ. Bullæ.

Et tamen ad roborandam faciem hæc vel imprimis faciunt, adeo vt leuius ſit crimen occidiſſe, adulteraſſe, fraudaſſe, hui quid iſta leuicula? leuius, inquam,ſit,nomen Dei blaſphemaſſe, peieraſſe, fidem negaſſe(quanquam & hæc magis ludicra quam peccata illis ſint) quam ſuadente Diabolo perſonam clericalem læſiſſe, aut rebus eius vel obulo nocuiſſe, Tam ſancta ſunt iſta plus quam ter maxima latrocinia, Vt etiam fama ſit horrenda, multos male perijſſe, præſertim Principes, Porro neminem non ignominia conſumptum eſſe,qui illorum quidquam contrectarit,aut ipſos non adorauerit digne & ſatis. Non intelligunt n. has eſſe operationes erroris,in ſignis & prodigijs mendacibus Satanæ,cū ideo malum accidat contrectatoribus,non quod tam ſanctæ ſint res iſtæ,ſed quod tam execratæ & venenatæ,vtpote tam ſceleratis artibus & inauditis latrocinijs partæ,vt eas tetigiſſe bono viro mors & aurum (quod aiunt)Tholoſanum ſit, Innoxiæ vero ſint,ſolum ſuis raptoribus & ijs, qui conſentiunt,fouentq; & in partem prædæ admiſſi ſunt. Hin.bene habent, volupe viuunt,glorioſi ſunt,& mortui honeſte ſepeliuntur,inſculptis ſignis & imaginibus,tum fundatis perpetuis memorijs,pro impetrando cœlo,quod viuentes mereri non poterant,occupati rebus illis ſacris, quibus iuſte impetiti valde inuiti infernum meruerunt,

Læſio perſonæ clericalis.

2.Theſſ.2.

POſt has glorias & honores Eccleſiæ facies,ſcilicet illas in laudem Dei religioſiſſime paratas, ſequitur alia facies,ædium,palatiorum & domorum. Nam vt facies opum ornant facies perſonarum, ſine quibus perſonæ ſordèrent,ita facies ædium clarificant facies opum,ſordidæ enim & opes,niſi pro digna magnificentia,præclaræ,mundæ & nitidæ ſint ædes. Dic & hic ſi potes, Quæ gens ſuperbiores,ſpectabiliores,amœniores,magnificentiores,præſertim tam multas ædes habet,atq; hoc regnum ſcelerum? Nonne optimi fundi,optima loca,optima caſtra,optima domicilia ſunt illorū. Quæ lautitia? quis nitor? quæ mundicia in toto mundo poteſt illis conferri? Sic n. ædificant,ac ſi paradiſum ſibi in hoc ſeculo perpetuum parare cogitent. Vide palatia reuerendiſſimorum Cardinalium,quæ pro gloria Dei & honore ſanctæ Eccleſiæ poſſident, & Regum palatia cum illis conferre erubeſces. Nec mirum,cum ſucceſſores Apoſtolorum ſint & virtualis Eccleſia,ob id Regibus merito pares,imo ſuperiores,cum illi piſcatores fuerint. Ad alias properemus minus ſacras. Nam hæ tres,perſonatus,opes,ædes,omnium ſunt facile ſacratiſſimæ, Quantum eſt enim hic mare iurium de dignitatibus,de prælaturis,de præbendis,de iudicijs,de foro,de priuilegijs,de immunitatibus,& id genus ad Eccleſiam non magis quam Belial ad Chriſtum pertinentibus?

Facies ædium palatiorum.

Palatia Reuerendiſſ. Cardinalium.

QVarta

QVarta, facierum eſt ipſe habitus & veſtis, qua vel imprimis ſeſe tuetur impietas iſta abominationis. Quem n. non inflat, ſanctificat, adorabilem facit rubens ille pileus, bicornis infula, ſyrma purpureum, mula gemmata, talares auro, gemmis, omnibuſq; preciofis, rigentes, & omnis illa varietas, qua ſeſe à laicis & communi Chriſtianorum habitu, ceu à re prophana, ſeparauerunt? Iam raſum illum verticem manuſq; oleo illo putrido conſecratas tetigiſſe, ſacrilegium eſt maximum. Beatus autem, qui dignus fuerit vel oſculari. Monachorum autem habitum ipſimet ferme abominantur, etſi vehementer faciem iſtam ſtabiliat. Hic videas, quanta ſubido nata ſint peccata, quantæ conſcientiæ, quanti caſus reſeruati, ſi quid in his habitibus aut veſtibus deliquerint. Quod ſtuprum par eſſe putes vni illi ſceleri, ſi Clericus toto in menſe raſus non fuerit? Quod parricidium, ſi ſine ſtola, ſine manipula, aut vna parte aliqua veſtis neglecta, altari miniſtrarit? *Habitus Cardinalium, Epiſcoporũ.* *Monachorum habitus.* *Grande peccatum, Clericum non eſſe raſum.*

O digna religio & idoneus cultus talibus Sanctis, hic leges, ſtatuta, mores & conſuetudines, diſpenſationes, irregularitates & eius generis infinitæ (quas nauſea eſt meminiſſe) abominationes, ſuum Regnum regnant. In his ſita eſt pietas Chriſtiana, Hi ſunt Eccleſia Dei ſancta catholica, in his ſpiritus habitat, hos non poſſe errare credendum eſt. Ob nullam aliam cauſam, quam quia ſic raſi, & ſic veſtiti ſunt, & mulis & lecticis vehi ſeſe patiuntur, Etiamſi non modo ſint impij & in ſcripturis ignari, ſed & ciuili communiq; ſenſu priuati, arcadicis aſinis rudiores. Sufficit enim iſta facies, vt omnia poſſint & audeant, ſic tollunt crucem ſuam, & ſequuntur Chriſtum Succeſſores illi Apoſtolorum & Vicarij Dei in terris.

QVinta, eſt illud egregium perdendæ pecuniæ artificium, in ſtruendis, erigendis, ornandis, locupletandis Templis, Monaſterijs, Sacellis, Altaribus, & eius generis operibus. Hic enim ſacratiſſima illa Iura Papæ, Bullæ & ſigilla, non vno modo cœlum largiuntur manibus illis adiutricibus & fundatoribus. Hic feruent bona opera, hic theſauri inæſtimabiles pro domo Dei colliguntur, hic quo ampliores, ſuperbiores, ditiores, ornatiores extruxerint ædes, hoc ſunt Chriſtianiores. Melius faciunt hue contribuentes, quam ſi pauperibus impartirent. Nec enim in hoc ædificant, vt verbo audiendo locus ſit idoneus, ſed vt ſpectentur coram Deo & hominibus. Deo enim ædificant domum, qui cum olim per S. Stephanum Act. 7. & longe ante eum, per Natan & Dauid, negarit in manufactis ſeſe habitare, tamen nunc exul factus, ſibi & Sanctis ſuis domos à nobis mendicat. *Templa, Monaſteria, &c.* *Act. 7.*

Et Sanctiſſimus ille cum Epiſcopis ſuis hæc ſtudia vulgi inſana, conſecrationibus, ſanctificationibus, immunitatibus ſuis, rurſus imprecationibus, deuotionibus & diris cenſuris ſuis, quibus violatores, contemptores, abutentes (ſicut decet facierum pietatem) perſequitur, non modo confirmat, ſed etiam inuitat & irritat magis, Vt & hinc non parua pars ſui ſacerrimi Iuris nata vexet orbem ſtultis & cauteriatis conſcientijs. Interim de verbo & fide quid? hoc Chriſtus viderit in regno veritatis. Hunc Regem oportet Regnum facierum excolere, & quantis viribus & artibus poteſt, magnificare. Dic mihi, ſi hoc non eſt lapides & ligna adorare, quid tum eſt, ligna & lapides adorare? Siquidem Deus illa non præcepit, & ea, quæ præcepit, per illa conculcantur & vaſtantur.

SExta, non vna, ſed facierũ quædam ſylua eſt, ſcilicet eorũ, quæ in Templis ſunt & geruntur, quæſtus & lucri proſperrima negotia. Hic bo- *Quæſtus & lucri negotia in Templis.*

antur aut murmurantur horæ Canonicæ ingenti labore, ſie tamen vt nunquam orentur. Augentur iſtæ alijs horis B. Virginis, ſanctæ Crucis, & tumultus illius carminum, quem Deus in Propheta dicit ſe non auditurum, nullus eſt finis. Et quis recenſeat quantis legibus, id eſt, peccati autoribus & conſcientijs hoc vnum opus vexetur & vexet? Additæ ſunt voces, cantus infiniti generis & varietatis. Nam & Organa vniuerſaq; muſica huic ſaciei ſeruiunt. Omitto calices, imagines, vaſa vtenſilia, aurea, argentea, lignea, tum vela, pallas, corporalia, & ſine modo & numero ornamenta, lumina, lampades, & ſi qua

Sacramenta aucta. ſimilia. Deniq; Sacramenta hic auxerunt Confirmationem, ordinem, matrimonium, vnctionem, Deus bone, quanta eſt hæc vna vorago pecuniarum, imo & animarum.

Quis hic iura illa ediſcat, quæ his rebus religioſe adminiſtrandis poſita ſunt? Adeo enim iſta non putant, non eſſe neceſſaria Chriſtianis, vt facilius adulterium remittant, quam peccatum vnum in iſtas ſanctas facies & leges commiſſum. Si n. Sanctiſſimus ille has ſacies vna cum prædictis permiſiſſet liberas, & ſecundum Euangelium omnes nos æquales reliquiſſet, nihil eſſet horum innumerabilium peccatorum. Vbi enim non eſſet lex, ibi nec præuaricatio. At nunc noſtris ſtultis conſcientijs abuſus ponit has leges infinitas, & per eas peccata & perditiones infinitas. Atq; hoc eſt, quod Paulus eum vo-

Homo peccati, filius perditionis. 2. Theſſ 2. cat *hominem peccati, & filium perditionis*, hoc eſt, legislatorem arbitrarium & impijſſimum in rebus, quæ liberæ ſactæ ſunt per Chriſtum omnibus fidelibus. Damnabor hic à Sanctiſſimi illius ſatellitibus, & Valdenſis ac Viclephiſta vocabor. Sed Daniel me ſolatur dicens in hunc Antichriſtum Capite 12. *Deum Moazim ſtructurus ſuis venerabitur, & Deum, quem ignorauerunt Patres ſui, colet auro & argento, & lapide precioſo, & rebus precioſis. Et faciet vt muniat Maozim cum Deo alieno, quem non cognouit, & multiplicabit gloriam, & dabit eis poteſtatem in multis, & terram diuidet gratuito.* Sufficit mihi noſſe, hæc omnia libera eſſe, non neceſſaria ad ſalutem, ideo crudeliſſima impietate & ſolius Antichriſti tyrannide in præcepta neceſſaria aut vtilia redigi, quo multiplicentur peccata & perditiones, Facies enim ſunt, non corpus ipſum. *Dan. 12.*

Abuſus Miſſæ. SEptimam faciem appellare licet, vniuerſum illum abuſum Miſſæ cum ſolennibus ſuis, cum vigilijs, cum anniuerſarijs, ſundationibus, ſepulturis, & totum negotium pro defunctis celebratum. Quid enim hic niſi facies eſt pietatis, populum ſallens & deglubens? Non enim ideo Miſſam

Miſſa. Sacramentum in vſum infirmorum ſeruatum. habemus hodie, vt participemus de altari, & Euangelium audiamus, hoc eſt enim reuera Miſſam habere. Sed velut bonum opus multiplicamus, & iam magis pro mortuis quam pro viuis ea vtimur, Niſi quod viui Sacrificuli hoc officio, victum fœdiſſimum ſibi parant. Deniq; quaſi Miſſa ad communionem nihil pertineat, Sacramentum ſeorſim extra Miſſam ſeruant in vſum infirmorum, ac egregijs Monſtrantijs circumferunt velut oſtentaculum. Omnia hæc ſunt hominum inuenta, nuſquam à Deo præcepta, nec neceſſaria, imo impia & prohibita, præſertim, ea, quæ de Miſſa ſapiunt. At ſanctiſſimus peccatorum & perditionis fons ea cogit in præcepta neceſſaria, vt hæreticus etiam ſit, ſi quis vel mutiat contra.

Delectus ciborum & ieiuniorum. OCtaua eſt delectus ille ciborum & ieiuniorum, quæ libera per omnes dies ſunt. At hodie ſic ieiunatur, non vt caro mortificetur, ſed quia bonum opus ſit, hoc die ieiunaſſe, iſto & iſto cibo abſtinuiſſe, quo cœlum mercantur.

Quid

Quid autem hoc aliud, quam impia facies eſt? de quibus Paulus prædixit 1.Tim.4. *Prohibentes abſtinere à cibis, quos Deus creauit, Et Galat. 4. Dies, menſes, tempora, & annos obſeruatis, timeo ne ſine cauſa in vobis laborauerim.*

1.Tim.4. Gal.4.

Multiplicatio feſtorum.

NOnam illam ſceleratam facio, feſtorum dierum multiplicationem & iniquitatem. Sic enim hodie Sanctiſſimus docet homines per ocium Deo ſeruire, id eſt, vt ipſe exponit, intermiſſione operum ſeruilium, Cum omnes dies liberi ſint, & ad laborandum & feriandum. In hac autem facie inſigniuslucent magni illi feſti dies, Viſitationis, Corporis Chriſti, Apoſtolorum, Conceptionis & ſimilium. Et neceſſe eſt peccare & perire animas, ſi quæ non ſeruant vel inuite ſeruant hæc ſtulta, inutilia & vana præcepta.

Cælibatus.

1.Tim.4. Dan.12.

DEcima eſt inſignis ille cælibatus & monaſticæ caſtitatis multitudo, plane angelica facies, ſed diabolica res, de qua 1. Tim. 4. Prohibentium nubere. Vbi iterum, quod Chriſtus liberum fecit, Sanctiſſimus neceſſarium facit. De quo Dan. 12. Et ad deſideria mulierum, & ad omnem Deum non intelliget, Quod nos affirmatiue & male habemus, Erit in concupiſcentijs fœminarum. Daniel vult, quod vxores nolit, ſpecie pietatis, non amore caſtitatis.

Reliquiarum veneratio. *Peregrinationes.* *Hieronymus aduerſus Vigilantium.*

VNdecima eſt reliquiarum veneratio, bella plane & lucri feraciſſima facies. Hinc excogitatæ Peregrinationes innumeræ, quibus ſtultum vulgus operam, pecuniam, & tempus perderet, cum domi ſuæ interim, vel ipſe curam negligit, relictis vxoribus & filijs, contra mandatum Dei, vel incomparabiliter meliora operari potuiſſet erga Proximum ſuum, Hic enim Dei mandatum, In reliquijs venerandis aut viſitandis, merum ſtudium hominum. Habent hic S. Hieronymum patronum, qui cum aduerſus Vigilantium hoc ſolum egerit, ne reliquias quiſquam vituperet aut contemnet, ipſi eius autoritate eouſq; abutuntur, vt venerationi reliquiarum nihil patiantur detrahi, neq; modum in ea teneri, neq, aliud opus ei æquari nedum præferri. Quin ad vota profecit res, eaq; indiſpenſabilia etiam Papæ ipſi (ſi pecuniæ non fulſerit ſpes) Ad quod hoc ſtultum votum contra Dei præceptum emittitur, qui curam vxoris & liberorum præcepit, ne peccatum quidem imo inſigne meritum cenſetur, adeo decipit iſta ſpecioſiſſima facies. In hanc faciem colligo Fraternitatum ſectas, ad abolendam principem illam fraternitatem fidei & charitatis, per Satanam ſingulari induſtria inuentas. Nam & hæ, ſub nominibus Sanctorum, & in reuerentiam reliquiarum ſtabiliuntur, de quarum abuſu dictum eſt alias, & proprio in hoc monſtrū Libro fuerit opus.

Fraternitatum ſectæ.

Vniuerſitates. *Moloch.* *Ariſtoteles.*

DVodecima & vltima (Nam alijs alias cōmemorandas relinquo) eſt chaos illud & ianua patens inferni, incredibili facie ſpectabilis, Vniuerſitates, inquam, in quibus periuria & abuſus nominis Dei ſunt introitus, Deinde conuerſatio in omne ſcelus libera & licentioſiſſima, Sub ijs tamen peccatis & perditionibus promittitur ſcientia & ſapientia, etiam præſtitutis titulis & gradibus vice ſcilicet mercedum. Quid autem præſtant tandem? Primum electiores Chriſtiani populi adoleſcentes hic proſtituuntur, & in patens guttur inferni proijciuntur, vt per idolum Moloch figuratam puto hanc perditionem, cui filios & filias olim dilectiſſimos luſtrabant per ignem. Deinde propoſito Ariſtotele, nec ipſo recte intellecto, cum gentilibus & humanis literis ingenia Chriſtiana occupātur, imo excæcantur & opprimuntur.

Digitized by Google

Et pro verbo Dei Papæ dogmata tractantur, vt videatur ad Euangelium funditus extinguendum, nec aſtutius nec efficacius inueniſſe Satan commentum, quam Vniuerſitatum erigendarum. Vbi ſub titulo doctrinæ Chriſtianæ non niſi pugnantiſſima Chriſtianæ fidei docerentur. De qua re longa & multa nobis eſſet diſputatio, ſi tempus & ocium faueret. Atq; ex his luſtris & ſpelæis ad gubernacula Eccleſiarum vocantur, ſi quando optimos vocare viſum eſt.

Schola hidoth. Et mihi ſane hæc facies vltima omnium nocentiſſima eſſe videtur. Siquidem hæc ſola habet titulum verbi, cum cæteræ omnes titulum Exempli duntaxat habeant, & plane Schola hidoth, id eſt, propoſitionum hæc eſt, de quibus ſtatim. Incorporabiliter autem maius damnum eſt ſub titulo verbi docere aliena verbo, cum exemplorum facies tum verbi facie formetur & roboretur, cito ruitura ſi verbum genuino vſu regnaret, tum exemplorum facies motes tantum fallit, at verbi facies fidem ſubuertit. Quod ſi qua Dei gratia, Vniuerſitates, verbum Dei aſſumpſerint, Deus bone, quam ſubito Papatus cum omnibus faciebus ſuis eſſet periturus, cum hæc facies ſit plane fulcra, oſſa & tota virtus Regni facierum?

HAnc laruálem faciē nobis prædixiſſe mihi videtur & Apoc 9. *Apoc. 9.* cuius verba dignum eſt hic recenſere, & paucis explicare, ait enim: Et *quintus Angelus tuba cecinit, Et vidi ſtellam de cælo cecidiſſe in terram, & data eſt ei clauis putei abyſſi &c.* Meo hic ſenſu periclitabor. Certum eſt, Angelos per totam Apocalypſim epiſcopos Eccleſiarum eſſe, vt liquido claret ex 2. & 3. capite, vbi Angelo Epheſi & Angelo Smyrmnæ, alijsq; ſcribitur. Porro aliud illud Angelorum genus, quod tuba canit, quorum ſunt ſeptem, capi. 8. prorſus non niſi Romano Epiſcopo conuenire poteſt, cum nulli alij tuba ceciniſſe ſcribantur. Tuba autem canere, è textus conſequentia & effectibus ſecutis aliud eſſe non poteſt, quam Decreta condere, id quod nullus præter Romanæ Eccleſiæ Epiſcopum ſibi vnquam arrogauit. Nec fruſtra ſcribuntur ſeſe præparaſſe, vt canerent, cum his ſolis Pontificibus ſemper impatiens furor & inquies tyrannis fuerit, ad leges condendas cæterosq; ſibi ſubijciendos. Sed ad noſtrum quintum Angelum veniamus, qui primus eſt inter tres, qui tria Væ inducturi erant ſuper terram, id eſt, qui primus Vniuerſitates instituit vel confirmauit, quem mihi non facile fuerit nominare, ita variantibus hiſtorijs, Sed ſit quiſquis fuerit. *Stella de cælo, in terram lapſa*, vel Alexander de Hales, vel quod magis credo, S. Thomas fuit, qui poſt vniuerſitates approbatas & tubam huius Angeli, vel primus vel maximus fuit Autor inuehendæ in orbem Chriſtianum Philoſophiæ ſolus, Ariſtotelicíſſimus, ac plane Ariſtoteles ipſe, in quem velut in terram de cœlo à Chriſto cecidit, fretus autoritate impijſſimi illius Angeli, eiuſmodi ſtudia probantis.

Locus Apocal. 9. explicatus.

Tuba canere.

Quintus Angelus.

Stella de cœlo in terram lapſa.

Alexander de Hales

Thomas Aquinas.

Accepit autem clauem putei Abyſſi, & aperuit, eduxitq; nobis mortuam iamdudum, ac damnatam per Apoſtolum Philoſophiam, Et inde aſcendit fumus iſtius putei, id eſt, meta verba & opiniones Ariſtotelis ac Philoſophorum, ſicut fumus fornacis magnæ. Inualuit enim & late potens facta eſt Philoſophia, vt Chriſto Ariſtotelem æquarit, quantum ad autoritatem & fidem pertinet. Hinc obſcuratus ſol (iuſtitiæ & veritatis Chriſtus, pro fide, inductis moralibus virtutibus, pro veritate, opinionibus infinitis) Et aer de fumo putei, vt intelligatur non fuiſſe ſolis eclipſis, ſed obſcuritas aeris & ſolis, è fumo inferni aſcendente, hoc eſt, humanis doctrinis Chriſtū & fidē eius (quæ eſt aer & ſpiritus) obſcurantibus. Et ex fumo putei exierunt locuſtæ in terram,

terram. Hic eſt populus Vniuerſitatum, è Philoſophia natus, aptiſſimo nomine, locuſtæ, vocatus, quod ſine Rege (Chriſto) ſit, & turmatim voiet, vt Prouer. 3. dicit: *Deinde vaſtant & exurunt omnia virentia, qua parte conſederint*, vt inde locuſtæ, à loco vſto & vaſtato nomen putentur habere Grammaticis. Ita hic populus exurit totum illud ver paſcuum Chriſti, id eſt, fructum fidei. *Et data eſt illis poteſtas, ſicut habent poteſtatem ſcorpiones terræ*, ſcilicet vulnerandæ conſcientiæ, quia vaſtato verno fidei fructu, quæ ſanat conſcientias, non poteſt non lædi conſcientia. *Et præceptum eſt illis, ne læderent fœnum terræ, neque omne viride, neq; omnem arborem*, id eſt, ne electos læderent. Non enim omnes lædunt, neque locuſtæ naturales omne viride lædunt, ſed certum aliquem locum, Ita hic, Sed tantum (inquit) homines, qui non habent ſignum Dei in frontibus ſuis, id eſt, aliquod fœnum, eos, qui non habent fidem, quæ eſt ſignaculum Dei, quam in conſcientia pura & conuerſatione libera geſtamus.

Prouer. 3.

Et dictum eſt illis, ne occiderent eos, ſed cruciarent menſibus quinq;. Hoc mihi dictum videtur de doctrina morali, quæ cum non doceat cognitionem peccati veram, ſicut lex Dei non occidit, ſed ſolum vanis ſtudijs eos affligit, ſemper diſcentes, & nunquam ad ſcientiam veritatis peruenientes. Occiſi n. litera, viuificantur ſpiritu æterno, non cruciantur menſibus quinq;, id eſt, toto ſenſualis vitæ tempore, in quo morales virtutes regnant. Et videmus morales Theologos omnes eſſe, peſſima & infeliciſſima conſcientia, plenos ſcrupulis & inquietudine, nec boni nec mali eſſe potentes. Ideo ſequitur: *Et cruciatus eorum, vt cruciatus ſcorpij, cum percutit hominem*. Ecce conſcientia læſa, exponit enim quod dixerat, nō occidi eos ſalubriter, nec viuificari ſpiritualiter. *Et in diebus illis quærent homines mortem, & non inuenient eam, & deſiderabunt mori, & mors fugiet ab eis.* Mortem ſcilicet peccati, quod nimis viuit in conſcientia, & tamen non recte cognoſcitur, Si enim cognoſceretur, mox occiſum periret, Hoc enim non Ethicorum Ariſtotelis, ſed literæ & ſpiritus officium eſt.

Theologi morales.

Et ſimilitudines locuſtarum ſimiles equis paratis in bellum, ſcilicet diſputationis & conflictationis ſcholaſticæ bellū hac allegoria pingit, prompti enim ſunt arguere pro & contra (vt dicitur) *Et ſuper capita earum, coronæ ſimiles auro*, id eſt, nomina & tituli graduum: Magiſter noſter eximius, Sacræ Theologiæ humilis & indignus Profeſſor &c. *Et facies eorum tanquam facies hominum*, Quia doctrina & vita eorum non ſpiritu fidei, ſed dictamine naturalis rationis regitur, lumine naturæ Ariſtotele illuminatæ. *Et habebant capillos, ſicut capillos mulierum*, Sacrificulos effœminatos & luxui deditos gignit Philoſophia, in quibus nihil ſpiritus, neque virilis in Chriſto ſenſus figet. Capilli enim ſacerdotes ſunt. Pſal. 68. Eſa. 3. & alijs locis. Neque Theologum fieri licet, niſi ſactificium eiuſmodi, vt vulgo etiam ob id male audiant Theologi. *Dentes eorum ſicut dentes leonum erant.* Vel Thomiſtas ſolos vice omnium Theologorum conſidera, an non ſint mordaces, calumniatores, deuoratores omnium, qui contra Ariſtotelicam Theologiam loquuntur. Quin & ſeipſos inter ſeſe mordent & conſumunt Thomiſtæ, Scotiſtæ, Moderni, acuuntq; inuicem non quoſuis, ſed Leonum dentes, *&c.*

Pſalm. 68. Eſaia. 3.

Theologaſtrorum ſectæ.

dentes, Neq; eſt enim genus hominum, quod atrocius, maioreq; odio belligeretur, quam Theologorum iſtæ ſectæ, vt quæq; ſola, alijs conſumptis, optet regnare.

Et habebant loricas, ſicut loricas ferreas. Hæc eſt pertinacia & ſecura præſumptio vniuſcuiuſq; Sectæ, de ſuæ opinionis veritate & firmitate. His enim ferreis thoracibus ſunt inuicti. Hæc ſunt cuiuſq; ſectæ principia. Et vox alarum earum, ſicut vox curruum & equorum currentium in bellum. Alæ ſunt verba diſputantium & conflictantium, quibus impetuoſe, rixoſe & clamoſe inuicem irruunt & pugnant, Vt videmus in tumultibus diſputantium, tam verbis quam ſcriptis, vbi neuter neutri cedit, quilibet inuictus eſt, Hunc enim pertinacem affectum diſputationis curſu iſto curruum & equorum ſignificat. Et habebant caudas, ſimiles ſcorpionum, & aculei erant in caudis earum, & poteſtas earum, nocere hominibus menſibus quinq;. Explicat quod ſuperius propoſuit, fructum & finem ſcilicet huius Theologiæ eſſe malas conſcientias, tota vita iſta ſenſuali, Spiritualibus enim abominatio eſt ea Theologia, quia ſunt extra quinq; menſes in ſpiritu libertatis.

Rector generaliſſimus omnium Vniuerſitatum.

Et habebant ſuper ſe regem Angelum Abyſſi, cui nomen hebraice Abbadon, Græce autem ἀπολλύων. Audiamus hic Rectorem generaliſſimum omnium Vniuerſitatum, non Chriſtum, non Spiritum ſanctum, non Angelum Domini, ſed Angelum Abyſſi, id eſt, mortuum, & de mortuis ac damnatis. Quem ergo? Lumen illud naturæ ſcilicet Ariſtotelem, qui vere ἀπολλύων, id eſt, perdens & vaſtator Eccleſiæ, in Vniuerſitatibus regnat. Neque enim dignus erat nominari in ſacris literis ſuo nomine. Diximus enim Angelum ſignificare Doctorem in Eccleſia. Et certum eſt, Ariſtotelem mortuum & damnatum, eſſe Doctorem hodie omnium Vniuerſitatum magis quam Chriſtum, Quia autoritate & ſtudio Thomæ eleuatus regnat, reſuſcitans liberum arbitrium, docens virtutes morales & philoſophiam naturalem, & triceps ſcilicet Cerberus, imo tricorpor Gerion. *Apoc. 9.*

Ariſtoteles.

Thomas

Ecce primum Væ, quod è Romano Pontifice habet Eccleſia, per miniſterium S. Thomæ. quorum cum fuiſſet, hæc maxime prohibere & extinguere, ipſi maxime erexerunt & ſtabilierunt. Dic chariſſime Lector An non iſtæ facies ſint hodie in Eccleſia puppis (quod aiunt) & prora? Nonne hæc ſunt, vt Philoſophi dicunt, materia & obiectum iuris Canonici? Quid diſcunt infelices Canoniſtæ, niſi harum facierum, per homines impios inuentarum & ſtaturarum obſeruantiam, quæ prorſus nihil neq; ad Deum, neq; ad Eccleſiam pertinet? Rurſus, Dic, ſi vnum opus bonum in his inueniatur, quod Deus præceperit. Lege ius totum Canonicum, & profer, quando Romanus aut alius Epiſcopus ad Euangelij officium vrgetur? Omnia de iuriſdictionibus, nihil de verbo Dei ſtatuitur, cum tamen nulla prorſus re opus ſit, quam verbo Dei in Eccleſia. Ad hoc Capellanis & Terminarijs, & quo quis indoctior & rudior eſt, relinquitur.

Ius Canonicum.

Surdis narratur fabula, Videntes enim cæci ſunt.

O væ tibi Papa, væ vobis Cardinalibus, væ vobis Epiſcopis, væ vobis Sacerdotibus, væ vobis Monachis, & toti ordini Eccleſiaſtico, Quis vobis monſtrabit fugere à ventura & inſtante ira? Quid reſpondebitis pro officio verbi, quod ſubijſtis, & non impleſtis? Nunquid ille triplices coronas; pileos, infulas, annulos, aurum, purpuram, & omnes iam dictas facies acceptabit? Stat ſententia fixa, non reſpicit in faciem hominum. Quocirca conſilium Chriſti audiat, qui poteſt, vbi docet, Matthæi 24 Fugiendum eſſe in montes, *Matth. 24.*

& non reuertendum in domum. Relinquat publicum, qui poteſt, in ſolitudinem vadat, qui liber eſt. Noli noli, ô homo, quiſquis es, ambire Epiſcopatum, Canonicatum, Monachatum, aut vllum ordinem clericatus, peccatum & perditio eſt in omnibus, vt facies prædictæ monſtrant.

Aut ſi omnino vis ant vrgeris initiari ſacris, age, contemne has facies Antichriſti huius, & cura, vt Euangelio pure inſeruias, vel per teipſum docendo, ſi gratiam habes, vel ijs qui poſſunt docere, aſſiſtendo, cooperando & ſeruiendo, quales Apoſtolus ſe habuiſſe multos teſtatur, tum orationibus puris pro fructu Euangelij inſtes coram Deo. Crede mihi, niſi hoc feceris, Clericatum non niſi in damnationem tuam portas, etiamſi miracula feceris, & teipſum igni tradideris. Proprium & vnum officium eſt Clericatus, docere verbum, quo euacuato, non Clericus ſed facies Clerici ſola reliqua eſt, qua tamē inualuit Rex iſte ſanctiſſimus, vt penitus extinxerit Euangeliū. Et cur non maledicam huic maledictioni? Dominus Ieſus perdat, ô idola mundi, Paparum, Cardinalatumq; veſtrum, cum omnibus faciebus veſtris in profundum inferni in æternum, Amen. Ecce nunc habes, quid ſit Regem hunc eſſe potentem faciebus. *Officium Clericorum proprium & vnicum.*

Sequitur:

Et intelligens propoſitionum.

QValis Rex, talis lex, qualis lex, talis populus, qualis populus, tales mores, quales mores, talia & ſtudia. Rex, vt audiuimus, eſt mera facies & idolum, ideo & lex eius eſt merum figmentum & mendacium, ſicut Petrus prædixit: *Erunt in vobis Pſeudodoctores, qui fictis verbis in auaritia vos cauponabuntur. Et 1. Tim. 4. In hypocriſi loquentium mendacium.* Et quomodo poteſt docere veritatem, qui ſpecies & mendacium eſt ipſum? Imbutus enim ea opinione, vt facies iſtas ducat ſerias eſſe res, certe non ſolum mendacia loquetur, ſed nec veritatem ſuſtinebit. An non eſt hoc inſigne & incredibile mendacium, pro fide Chriſti docere cæremonias, pro ſpiritu ſtatuere traditiones hominum? Nonne Papa ſuis Iuribus iactat ſeſe regere & paſcere Eccleſiam Dei? Nonne laudat tanquam benefacta, quæ ſuis ſeruatis legibus fiunt? Nonne damnat & perdit omnes, qui ſeſe non audiunt, etiamſi vniuerſum Euangelium ſeruauerunt? O maledicta maledicendaq; abominatio. Hic impletur illud Pauli, *Qui aduerſatur & extollitur ſuper omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe quaſi ſit Deus.* An non eſt hoc in templo Dei ſedere, in tota Eccleſia ſeſe Magiſtrum profiteri? Quid eſt templum Dei? nunquid lapides & ligna? Nonne Paulus dicit: *Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos?* Neq; enim tempore Pauli vlla erat domus, quæ templum Dei diceretur, vt nunc dicuntur. Sedere autem quid eſt, niſi regnare, docere & iudicare? Quis autem vnqnam ab initio Eccleſiæ ſeſe auſus eſt Magiſtrum totius Eccleſiæ appellare, niſi ſolus Papa? Nullus ſanctorum, nullus hæreticorum tam horrendam ſuperbiæ vocem vnquam ſonuit. Paulus ſe Magiſtrum Gentium in fide & veritate iactat, ſed non Magiſtrum Eccleſiæ.

2. Pet. 2. *1. Tim. 4.* *2. Cor. 4.*

Locus S. Pauli 2. Theſſ. 2. explicatus. *Templum Dei.* *In templo Dei ſedere.* *Paulus Gentium Magiſter.*

Nonne autem oſtendit ſe, quaſi ſit Deus, dum pro verbis Chriſti ſua docet, & pro iuſticia fidei iuſticiam Papiſticam ſtatuit? Nunquid ſuper Deum *Oſtendens ſe quaſi ſit Deus.*

 natura-

naturaliter extolli poteſt? abſit, ſed ſuper Deum dictum (ait Paulus) id eſt, ſuper verbum Dei prædicatum. Deus enim dicitur, quando prædicatur & creditur. Super hunc Deum Papa iam diu eleuatus ſedet, quia in cordibus fidelium loco dicendi & credendi Dei, ipſe ſe dicit & prædicat. Ita quod Paulus ait. aut quod colitur, Græce σέβασμα id eſt, cultus, ſeu id quod colitur, ſeu ipſa cultura, vt intelligas ſuper Deum non ſimpliciter, ſed ſuper culturam Dei, ſeu ſuper id, quod à nobis, vt Deus colitur, extollendum. Q.d. In cordibus hominum præferetur Deo, hoc eſt, verbum ſuum plus timebitur, quam verbum Dei, & ei plus obedient magisq́; colent quam Deum verum, Nonne hæc nulli hominum poſſunt niſi Papæ conuenire? Paſſim Dei præceptum, & verbum contemnitur, Ad Papæ verbum nemo non pauet, Plane nullus eſt Deus, neq́; in cœlo neq; in terra, cuius verbum tanta obedientia capiatur, quanta verbum Papæ, quod experientia tam clare monſtrat, vt inſenſatus negare non poſſit.

Deus dictum.

Deinde, quis vnquam ſe in nomine Chriſti venire dixit, vt ſolus Papa. Ipſe enim vnus omnium & primus ſeſe vicarium Chriſti, vicarium Dei in terris, intollerabili blaſphemia & ſuperbia iactat. Quid enim eſt eſſe vicarium Dei, niſi vice Dei ſedere? Quid eſt vice Dei ſedere, niſi oſtendere ſe quaſi ſit Deus? An adhuc dubitas Pauli Prophetiam impletam, quando adeo ſimilia ſunt, vicarius Dei, & oſtendere ſe, quaſi ſit Deus? Recte ergo prædixit, venturos iſtos Antichriſti Apoſtolos in nomine ſuo. Cæteri enim hæretici, etſi veritatem ſimularent, nunquam tamen Chriſti proprium nomen prætexuerunt, Hoc enim ſoli Antichriſto reſeruabatur. Vnde Chriſtus Matthæ. 24. non contentus prædixiſſe, quod venturi eſſent in nomine ſuo, Addit ſeipſum explicans, Dicentes: Ego ſum Chriſtus. Ac ſi dicat, nomen meum proprium prætexent, quod eſt Chriſtus, dicentes ſe eſſe me Chriſtum. Ad iam obtinuerunt illud, Nam è Papa & Chriſto vnum fecerunt, garrientes, è Papa & Chriſto mixtum eſſe vnum illum hominem, nec ſeparandum eſſe Chriſtum à Papa. *O blaſphemiarum plaſphemia furioſiſſima, Impius ac ſceleratus Cynedus*, Viurarius, Sacrilegus, cruentiſſimus Tyrannus, Chriſto Deo miſcetur, & vnum cum ipſo efficitur. Veni Domine Ieſu Chriſte, & pone finem ac modum his horrendis horroribus, Amen.

Vicarius Dei.

Multi venient in nomine meo &c.

Matth. 24.

Et quid facit tamen ille Vicarius Dei, in loco Dei ſedens? Nunquid Principis ſui mandata facit & docet? Nequaquam. Quid ergo? ſua propria ſolum docet, nec ipſa tamen facit. Alioqui ſi Dei mandata doceret, vicarius Dei non eſſet. Vicarius enim abſentis principis eſt, Ideo qua parte vicarius Dei regnat, prorſus nullus eſt Deus, Vbi enim Deus præſens eſt, Vicario non eſt opus, ſed duntaxat miniſtris, Sicut Apoſtoli ſeſe non vicarios, ſed miniſtros Dei appellauerunt. Igitur impletus eſt ſermo Pauli, Videmus hominem peccati & filium perditionis ſedere in templo Dei, oſtendentem ſe quaſi ſit Deus, aduerſantem & eleuatum ſuper omnem Dei ſermonem & cultum. Quid enim veritati Euangelicæ magis aduerſum quam facies illæ, & facierum doctrina? At, colitur, timetur, ſeruatur ipſa vltra & ſupra omne verbum Dei, idq; non niſi in nomine Domini, Sed redeamus ad Danielem.

Vicarius.

Apoſtoli non Vicarios, ſed miniſtros Dei ſe appellant.

Homo peccati, filius perditionis.

VOcabulum (Hidoth) ebraice, ſignificat problema, ænigma, obſcurũ ſermonem, qui eludit ſenſum, ſi ſecundum faciem percipiatur. Sic Iudicum 14. *Proponam vobis Problema, Et Pſa. 49. Aperiã in Pſalterio* propoſi-

Hidoth.

Iud. 14.
Pſal. 49.

propoſitionem meam. Eſt ergo intelligens hidoth, qui potens eſt verbis obſcuris fallere audientes, vt aliud audiant & aliud intelligant. Non enim intelligens Propoſitiones (vt noſter transfert) is eſt, qui ab alijs dicta, pulchre intelligit ipſe, ſed qui idoneus eſt, propoſitis verbis alios ludere. Exempli cauſa, Quando Rex iſte facierum in ſuis Decretis, vocabulum Eccleſia vſurpat, pro ſeipſo & ſibi adhærentibus, etiamſi ſint impijſſimi, vt quidquid ipſi ſtatuerint, id Eccleſiam ſtatuiſſe omnibus perſuadeant. Sicut nunc obtinet & triumphat propoſitione eiuſdem verbi, Nonne pulchram (Hida) propoſuiſſe ſibi videtur? Cum Eccleſia non ſignificet, niſi ſanctam fidelium congregationem, qui ſpiritu Dei viuunt & aguntur, qui ſunt corpus & plenitudo Chriſti, vt Paulus dicit. Quæ enim mendacia non propaget homo iſte? quam obedientiam non extorqueat? quam legem non roboret, vbi id obtinuerit, vt tam audientes, quam ipſe loquens, eccleſiam Satanæ, Eccleſiam Dei eſſe intelligant? Quis enim Eccleſiam Dei non audiret?

Intelligens propoſitiones.

Eccleſia.

Videmus autem & hoc verbo, regnum facierum diſtingui ab omnium regnorum conditione, vt quod non armis, ſed verbis agat. Deinde non apertis ſeu ſimplicibus verbis, qualibus regnum Chriſti & hominum adminiſtratur. Nam regna mundi legibus humanis, de rebus temporalibus aperte ſonantibus & intellectis, Regnum autem Chriſti ſolido ſimplicique Euangelij verbo regitur. At hoc regnum compoſitis & aliud ſonantibus, & aliud facientibus seducitur. Nec enim mundana nec ſpiritualia docet, ſed ſimulat ſe docere ſpiritualia, reuera autem docet mundana. In quo artificio ſunt tam intelligentes, gnari & appoſiti, operante Satana, vt electos (ſicut Chriſtus prædixit) in errorem ducant, nec niſi à ſpiritualibus iudicentur. Ideo Daniel eum intelligentem, & leges ſuas (hidoth) vocat, quod falſurus eſſet omnes, qui non acute obſeruarent eius leges. Fac huius periculum tu ipſe. Si docearis abſtinere à cibis, veſtibus, locis, perſonis, rebus quibuſdam, & tali ac tali habitu, veſtitu, geſtu, cibo, loco, perſonis vti, ea opinione captus, tanquam his ſtudijs bona opera facias & iuſticiam ſis acquiſiturus, Et poſtea ad te reuerſus, intelligas te non niſi in rebus temporalibus laboraſſe, quæ nihil ad iuſticiam faciant magis quam omnium aliorum laicorum quæcunq; opera & ſtudia. Nonne pulchre tibi impoſitum eſſe diceres? Nonne verbis egregie illuſus eſſes?

Regna mundi. *Regnum Chriſti.* *Regnum Papæ.*

Math. 24.

Opera quæ Papa docet & mandat

At nonne talia ſunt omnia, quæ Papa mandat? Nonne aut locum, aut cibum, aut veſtem, aut perſonam tractat in ſuis ſtatutis? In quibus non plus eſt iuſticiæ, quam ſi agrum in rure coleres, aut texeres, aut neres. Quis enim agricolatur ea opinione, vt iuſtificetur eo opere, aut peccet ſi omittat, cum ſit tamen neceſſarium & vtile opus? Tu vero in eo opere, quod prorſus neque ad vitam neque ad rem eſt neceſſarium, ſic iuberis laborare, vt iuſticiam in eo inuenire ſperes, & peccaſſe putes, ſi omittas. Cui enim vel rei vel vitæ prodeſt, te atrum aut nigrum geſtare, lac aut carnes edere, raſum aut non raſum eſſe, hoc vel illo loco degere? Et tamen in ijs futilibus & inutilibus rebus iuſtificari, & ſanctificari aut reus fieri iuberis. Eſt ne hoc egregie tibi problemata & ænigmata propoſita eſſe? At mundus his doctrinis mendacibus & illuſorijs refertus eſt, Iſtæ ſunt cauteriatæ conſcientiæ, vt enim omnia quæ agunt, ſunt ſpecies, ita omnia quæ docent, ſunt propoſitiones ſeu figmenta vtrobique mera facies tam in rebus quam verbis. Et tamen conſcientiam faciunt, ſine omni cauſa.

Cauteriatæ conſcientiæ.

Obſerua autem, quam mitibus & modeſtis verbis, tam atrocia monſtra

Spiritus

Hidoth. Spiritus tractet, facies appellat teterrimam illam pompam & hypocriſin, quas nullo ſatis vocabulo traducere poſſis. Et (Hidoth) problemata appellat peſtilentiſſimam illuſionem doctrinæ Antichriſtianæ, & hanc intelligentiam nequiſſimam imponendi. Clare idem Dan. 7. prædixit, Vbi ſcribit, poſt Beſtiam terribilem, quæ decem cornua habebat (quę omnium conſenſu Romanum Imperium eſt) ſe conſideraſſe aliud cornu paruulum ortum de medio illorum (Hoc Papatus imperium eſt, in medio Romani imperij ortum, vt diximus) Et ecce oculi quaſi oculi hominis erant in cornu iſto, & os loquens ingentia, Iſti oculi ſunt propoſitiones iſtæ, & intelligentia hidoth, prudentia carnis, & os blaſphemum in Chriſtum.

Paruulum cornu Dan. 7.

Longe atrocius Paulus has Hidoth tractat, Epheſ. 4. dicens: *Non ſimus iam paruuli, qui fluctuent & circumferantur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in aſtutia ad circumuentionem erroris.* Nequitiam hominum græce κυβείαν vocat, quod eſt, ac ſi dicas, teſſeræ iactationem, & aſtutiam, πανουργίαν dicit, quæ eſt illuſio quædam, velut circulatorum, dum rebus ludicris ſenſus falluntur. Ita impij Magiſtri, verbis Dei pro ſua libidine velut teſſeris iactatis, & ludicris ſuis cæremonijs nos fallunt, & inſtabiles faciunt circumuenientes inſidioſis his artibus, vt nos decipiant. Sic enim græce ſonat πρὸς τὴν μεθοδείαν τῆς πλάνης, id eſt, ad inſidioſe aggrediendum, vt decipiant, hoc enim fine vtuntur κυβείᾳ καὶ πανουργίᾳ, id eſt, verbis & cæremonijs fallacibus. *Ephe. 4.*

Nequitia hominum.

Impij Doctores.

Sic & Col. 2. Videte ne quis vos decipiat per Philoſophiam & inanem fallaciam, ſecundum traditionem hominum, ſecundum elementa huius mundi, & non ſecundum Chriſtum. Et infra velut digito (hidoth) ſignificationem monſtrans, dicit, *ſecundum præcepta & doctrinas hominum, quæ ſunt quidem rationem habentia ſapientiæ, in ſuperſtitione & humilitate,* & ad non parcendum corpori, non in honore aliquo ad ſaturitatem carnis. Ecce hidoth rationem ſapientię, ſed ſuperſtitionem reuera habent. Et Petrus 2. Petri 3. *Venient in nouiſſimis diebus in deceptione illuſores, iuxta proprias concupiſcentias* ambulantes &c. Nonne & hic vtrunq; ponit, deceptionem & illuſionem, quod verbis decipiunt, & ſpecie illudunt, alterum doctrinæ, alterum operibus deputans, ſicut & Paulus κυβείαν doctrinæ & πανουργίαν operibus dedit, idem omnino volens per illuſionem deceptionis, quod Daniel per propoſitiones ſeu hidoth. *Coloſſ. 2.* *2. Pe. 3.* *Ephe. 4.*

ID quoq; obſeruandum, quod hoc participium, intelligens, ad affectum & ſtudium pertinet. Nam Dan. 12. de eodem monſtro loquens, vt ſuperius retulimus, ſic dicit: *Et ad Deum Patrum ſuorũ non intelliget, Et ad deſideria uxorum & ad omnem Deum non intelliget.* Vbi clarum eſt verbum, intelliget, ſtudium & curam indicare. Non n. nihil intelliget, quid ſit Deus, quid Mulier, quid vxor, quid deſiderare mulierem vel vxorem, S ed non curabit imo contraria ſtatuet Deo & rei vxoriæ, ſeu matrimonio, nihil curans, quam im poſſibile ſit alijs ferre onus negati & deſiderati matrimonij. Ita & hic intelligens propoſitiones, Danielico tropo, magis affectum quam intellectum ſignificat, Reuera enim nihil vnquam in orbe inſulſius, indoctius ſtatutum eſt Papenſibus legibus, vt etiam ipſarummet Profeſſoribus nauſea ſint, celebri prouerbio dicentibus: Canoniſta purus eſt magnus aſinus, Rurſus non habuit orbis regnum, cuius Principes propenſiores fuerint & inſaniores, ad leges condendas, quam Romanos Epiſcopos, vt par ſit inſcitia & teme- *Dan. 12.*

Intelligens propoſitiones.

Canoniſta purus.

& temeritas in Decretis papiſticis, utraq; autem incredibilis. Quid enim agit Papa in Eccleſia, niſi quod de die in diem nouas accumulat leges, quas ſiue vlla cauſa, ſine vllo ſenſu, vt in buccam venit, vel ebrio & furioſo, figit, refigit, mutat, remutat, & plane miſeris noſtris conſcientijs non ſecus ac taxillis vtitur, quos ludens pro mera libidine iactat, reiectat, vtcunq; viſum fuerit, quandoq; etiam ſcortis & Cynædis ſuis? O digna meritis ingratitudinis noſtræ. En nos, qui charitatem veritatis non recepimus, vt ſalui fieremus, digne traditi ſumus in manus hominis peccati & filij perditionis, qui ludendo & ridendo nobis peccata & perditiones operaretur, incredibili furore.

1. Theſſ. 2. — *Pœna contempti verbi.*

¶ Et in ſumma ex præcedentibus faciebus abunde intelligimus iſtas propoſitiones. Cum enim vniuerſum ius Papæ nihil agat, niſi quod has facies diſponat. Et in faciebus nihil ſit niſi deceptio & illuſio, per quas veritas fidei in Euangelio extinguitur, ſatis clarum eſt, Papæ doctrinam eſſe deceptoriam & illuſoriam, Id quod & experientia docet, Neq; enim agit, vt Deo obediamus & credamus, ſed ſolum vt ſibi ſeruiamus, vt ſuæ iuriſdictioni omnes ſubijciantur. Impoſſibile autem foret, ſi ex Deo eſſet, vt non ſummis viribus Euangelium Dei tractaret & inculcaret, quo doceret omnia eſſe libera, neq; poſſe peccari in vllo vſu veſtium, ciborum, locorum, perſonarum, aut vllarum rerum. Non enim vllo vſu, ſed ſola concupiſcentia vel odio rerum peccatur. At Papa peccatum & iuſticiam in ſolo vſu rerum ponit, ideo eſt homo peccati & filius perditionis, replens mundum ijs ſtultis & vanis peccatis & iuſticijs. Et tamen quia conſcientias ſub titulo nominis Chriſti terret, facit vt è falſis & nullis peccatis vera peccata fiant. Nam qui crediderit ſeſe peccare, ſi in vigilia Apoſtolorum, carnes ederit, aut mane Primas non legerit, aut aliud præceptum quodcunq; Papæ omiſerit, vere peccat. Non quia peccatum eſt, quod facit, ſed quia credit peccatum eſſe, & tamen contra hanc fidem & conſcientiam peccat, cuius conſcientiæ ſtultæ autor eſt ſolus Papa. Nam eodem opere alius ſe non credens peccare non peccat. Hoc eſt quod queritur ſpiritus Pauli, diſceſſuros eſſe à fide plurimos. Propter hanc conſcientiam ſtultam, traditiones hominum ſunt peſtiferæ, & laquei animarum, & nocent fidei & euangelicæ libertati. Quod niſi eſſet, nihil nocerent. Ideo Satan per Papam abutitur illis conſcientijs ad leges tyrannidis ſuæ ſtabiliēdas, ad fidem & libertatem extinguendas, & mundum erroribus, impietatibus, peccatis & perditionibus replendum.

Ius Papæ. — *Papæ doctrina.* — *Papa homo peccati & filius perditionis.* — 1. Tim. 4.

Pulchre Paulus eas conſcientias appellat cauteriatās. Quod non ſint natura aut ſpiritu factæ, ſed cauterio humanæ doctrinæ contra naturam inſignitæ. Ipſe enim docet, quod nihil ſit reijciendum, Et Vicarius Chriſti dicit, imo butyrum & lacticinia ſunt reijcienda perpetuo, aliquot diebus. Chriſtus Luc. 10. Edentes & bibentes, quæ apud illos ſunt. At Vicarius ſuus contra: Nolite edere carnes & oua. Chriſtus omnem veſtem libere permittit, At Vicarius ſuus aliam laicis dimittit, aliam ſibi & ſuis aſſciſcit, idq; ſub peccato mortali, & præcepto Eccleſiæ. In his omnibus tamen formant ſibi ipſis conſcientiam, tanquam boni facti, cum nihil ſit minus, Rurſus conſcientiam peccati, ſi omiſerint, cum nihil ſit minus. Vere ergo violenter formatas, ſed tamen reuera læſas & noxias habent conſcientias. Qualis enim Rex, talis & lex, qualis lex, tale & peccatum & meritum, talis & conſcientia, niſi quod (vt dixi) è ſtulto & vano peccato verum peccatum fit, errore conſcientiæ, atque hoc eſt cauterium eius.

Conſcientia cauteriata. — Luc. 10.

Et robora-

Sequitur.

Et roborabitur efficacia eius,& non in efficacia ſua.

Imperium Rom.

Regnum Chriſti.
Regnum Antichriſti alienis viribus roboratur.

ET hoc inſigne eſt tertium, monſtrifici huius Regni omnibus alijs diſſimilis,quod aliena efficacia efficax eſt. Quis enim audiuit tale quid in omnibus regnis? Imperium Romanum ſuis viribus partum & auctum eſt.Scriptura tota,equos & carnem vituperar Aegypti & aliorum Regnorum,in quibus Iudæi fidebant.Porro Chriſti regnum ſuis viribus ita conſtat,vt nullum aliud æque,Veritas enim ſeipſa fortis eſt. Solum hoc regnum alienis viribus roboratur.Efficacia autem hoc loco ea virtus eſt, quam Philoſophi noſtri vim executiuam vocant,hæc eſt virtus efficiendi,quod præſtiteris,non animi virtus,ſed membrorum.Sic Ezechias 4.Reg.19. Filij venerunt ad partum,& vires non habet parturiens.Et Gen.31.Totis viribus ſeruiui Patri veſtro.Et Iob.30.Quorum virtus manuum mihi erat pro nihilo,id eſt, quod ipſi facere poterant,Ebraice(Koah)dicitur, Apoſtolus græce ἐνεργείαν vocat,Interpres latinus operationem, Gal.2.Qui operatus eſt Petro, operatus eſt & mihi,id eſt,fecit,vt efficax eſſet verbum meum, & conuerteret Gentes audientes me&c. *4.Reg.19.* *Gene.31.* *Hiob.30.*

Hidoth.

Igitur & huius Regis efficacia cum non ſit poſita in armis,neq; in Euangelio Chriſti,ſupereſt vt in(hidoth)id eſt,doctrinis ſuis roboretur per aliorum operationem. Et pulchrum ordinem vide, priores ſunt facies, deinde (hidoth)ſeu Leges,vtraq; fictæ & alienæ à veritate,tandem & efficacia ſua, non ſua ſed aliena efficacia roboratur,Neque enim mendacium ſuis viribus ſubſiſtit.Sic enim profecit regnum Antichriſti Romani,quod ſtatim,Apoſtolorum etiam tempore cæptum eſt operibus niti, deinde quibuſdam cæremonijs ornata eſt Eccleſia(ſicuti vocant)tandem eas omnes Romanus Pontifex conſarcinauit,& oppreſſa libertate eas conuertit in rigidiſſimas leges,vt iam incomparabiliter maius crimen ſit, in cæremonias & ſuas leges peccaſſe, quam in Dei præcepta,Ita ex faciebus ortæ ſunt (hidoth)ex hidoth robur,è robore vaſtitas,vt ſequetur.Quia ſicut mores legem, ita lex robur moribus, robur vaſtitatem gignit.Videamus ergo qua efficacia efficax ſit rex iſte perditionis.

Peccare in Leges Papæ.

Apoſtolus 2.Theſſ.2.tribuit eam Satanæ,dicens:Cuius aduentus eſt ſecundum operationem Satanæ in ſignis & prodigijs mendacibus. Sicut enim Chriſtus vere fidem & verbum,ſignis & prodigijs roborauit propria virtute & efficacia,Ita hæc ſimia Chriſti aduerſaria,ſuas facies & (hidoth) roboratura fuit ſignis mendacibus,aliena efficacia. Prima ergo operatio Satanæ fuit in ſignis illis,quod Romana Eccleſia cum Græca perpetuo contendit, & licet iniqua & iniuſta ipſa,tum falſis & Scripturis & cauſis ſeſe muniens, tamen præualuit & ſeſe in Magiſtram fidei & matrem Eccleſiarum erexit & confirmauit Deinceps neminem non oppreſſit incredibili ſucceſſu,quicunq; eius(hidoth)legibus,ſtatutis,cenſuris,meriſq; libidinibus repugnaret, quantumlibet magnus,doctus & ſanctus.Quis hæc non iudicet eſſe ſigna & prodigia potentiſſima,quæ nemo non tribuebat Deo pro Eccleſia ſacroſancta Romana pugnanti,quaſi Deus non vltima nauſea abominetur doctrinas illas hominum,& arrogantiam facierum iſtarum. *2.Theſſ.2.*

Diſſidium Romanæ Eccleſiæ cum Græca.

Deniq; factum eſt,vt Reges & Principes & Epiſcopi anathemate terrifico percuſſi,aut qui ſacroſanctæ Rom: Eccleſiæ iura, libertates, patrimonia vel ſyllabam hidoth ſuarum læſiſſent,ac non vltra Dei præcepta coluiſſent, male perirent, Vt iam publica formido orbem occupet, Ne quis ſuadente

diabolo

diabolo noceat, ſummo Pontifici aut eius voluntati reſiſtat. Hinc enim natum eſt terrificum illud omnium Bullarum fulmen, quod in fine adijciunt. *Si quis auſu temerario contraire præſumpſerit, indignationem Dei omnipotentis & beatorum Apoſtolorum eius Petri & Pauli ſeſe nouerit incurſurum.* Neq; enim Chriſtus vniuerſo Euangelio ſuo tantum ſignorum operatus eſt, tantum terroris orbi incuſſit, tanta effecit, quantum & quanta ſolius huius caudæ Bullarum mendaciſſimo terriculamento Papa effecit. Quid enim eſt in toto orbe, quod hac cauda non frangat, mutet, faciat, obtineat Papa, quando ſummos Reges & Principes hac efficacia deponat? Forte hi ſunt aculei illi locuſtarum, de quibus Apoc. 9. ſcribitur.

Terrificum omnium Bullarum fulmen.

Aculei locuſtarum.

Nonne hac hidoth ſuarum efficacia imperium nouum Romanum erexit transferens illud à Græcis (vt dicit) ad Germanos, quod inter cætera opera Antichriſti vel principale & maximum portentum eſt. Quis non putauit hæc maxima ſigna & opera à Deo venire, cum eſſent tamen Satanę potentiſſima & fallaciſſima portenta? Signa hæc omnia vidimus, ſed mendacia nemo obſeruauit, falſi ſunt in ijs ſancti & electi multi, cum tamen luce clarius ſit, hæc non eſſe facta pro Euangelio & fide, ſed pro faciebus & propoſitionibus huius Regis roborandis (quo argumento poterant cognoſci) Nemo feliciter Papæ vnquam rebellauit, vt iactant Itali hiſtorici omnes, & verum iactant, modo infelicitatem dicas, vitæ & famæ & rerum pericula, & vt Martyres infelices fuerunt, imprimis autem Chriſtus. Sed papiſticus ſpiritus Satanas, hæc perſuaſit eſſe damnationis & iræ Dei indicia, cum eſſent potius gloriæ ſigna, Ita pręualuit mendacibus ſuis prodigijs, ſtulto conſcientiarum infirmarum ſcrupulo abuſus, ne quis hoc facierum & propoſitionum regnum impediret.

Imperium Romanum à Græcis ad Germanos tranſlatum.

Nemo feliciter vnquam Papæ rebellauit.

Lege Hiſtorias, lege Decretales, & omnes qui de his rebus ſcribunt, & vide, an in vno loco Papa & ſui querantur de Regibus, Principibus, & Epiſcopis, quod fidem & Euangelium contempſerint, aut in Deum peccauerint. Vna tantum eſt querela, quod ſacroſanctam & Apoſtolicam Petri ſedem non defenderint, aut offenderint, aut nocuerint, in ſuo capite vel ſuis membris, hoc eſt, pro faciebus & propoſitionibus duntaxat quæſtio eſt. Sed & Romanum imperium non alia cauſa ipſimet confitentur ſeſe tranſtuliſſe incredibili & impudentia & mendacio, quam quod Imperator Græcus male tueretur ſacroſanctam Sedem Petri, ſuomet iſto teſtimonio conuicti, quod non à Chriſto, ſed ab homine defendi voluerint, ac iamdudum à fide diſceſſerint, de qua dicitur: Nolite confidere in Principibus, in filijs hominum, in quibus non eſt ſalus. Et iterum: Bonum eſt ſperare in Domino, quam ſperare in principibus. Atq; in hodiernum diem, reiecto Chriſto & eius tutela, Imperatorem coronat in tutorem Eccleſiæ, ſcilicet tam male eſt ſibi conſcius facierum ille & propoſitionum Rex, veritate & ſpiritu inanis.

Querela Papæ vnica.

Iam vehementer piget pudetq;, imo miſeret me, quoties cogito, quæ & quanta ludibria ſibi ex Imperatoribus, Principibus, vniuerſaq; natione Germaniæ fecerit Papa. Deus bone, quanta libidine & fiducia in illis luſit, non ſecus eos ducens & iactans, atq; irrationabilia bruta, quibus tamen ad cædes, ad rapinas, ad dolos, ad fraudes, & quidquid Satan ſuggerere potuit Papiſticarum artium, abuteretur? Appellans interim dilectos filios Eccleſiæ, digna ſcilicet mercede accepti Imperij, quo Satanæ ſeruire ſunt coacti. Et tamen in ijs omnibus ſignis & prodigijs præualuit Satan in tantam elatus ſecuritatem, vt nihil iam libere poſſit, quod non audeat exequi, & exequitur feliciter, Neq; enim hæc potuiſſet, niſi magnis operationibus & miraculis Satanæ ad-

Imperatores, Principes &c. Germaniæ indigniſſime tractati à Papa.

tanæ adiutus fuiſſet. At quid his omnibus quæſitum? Nunquid gloria Chriſti? Nunquid ſalus animarum? Nunquid Euangelium & fides? Non, ſed ſolæ facies & propoſitiones, ſola Eccleſia ſacroſancta Romana, ſedesque Apoſtolica, patrimonium crucifixi, bona ſancti Petri, iſtorum bellorum & rerum materia fuere & ſunt. Iſta ſigna & prodigia palpamus, & tamen operante Satana, mendacium eorum non videmus, ita præſtringente oculos noſtros Antichriſto, ſanctis nominibus Dei, Chriſti, Petri, Eccleſiæ & ſimilium, quibus conſcientia inerudita, imo & erudita (nempe electorum) etiam capitur.

Mendacia de ſpirituum apparitionibus.

QVis vero enumeret prodigia illa de ſolis defunctis, Bone Deus, quantum hic mare mendaciorum, de apparitionibus, adiurationibus, reſponſiſque ſpirituum inundauit? Quibus factum eſt, vt Papa etiam mortuorum Rex factus ſit, & in Purgatorio iam regnet, magno Sacrificulorum incommodo, ſi pergat, qui è purgatorio omnem victum, omnes opes, omnem illam rerum pompam habent, minus habituri, ſi fidem viuentium æque docerent, atque propoſitiones defunctorum. Nec eſt repertum ab initio mundi negotium quæſtuoſius & minoris operæ, Siquidem hoc ingenio huc deriuatæ ſunt per fundatores Eccleſiarum omnium ferme Principũ, & diuitum opes, & per opes deliciæ, & ocia, per ocia autem Babylon ipſa & Sodoma Odiebat enim Satanas ſacramentum altaris, nec patebat via euacuandi eius. Inuenit ergo, vt pro bono opere & ſacrificio haberetur, emeretur, venderetur, quod pro ſacramento Chriſtus ad fidem viuentium alendã duntaxat inſtituit. Atq; ita fide extincta, non viuentibus, ſed mortuis accommodatur ſalutare hoc myſterium, id eſt, prorſus nullis, neque viuentibus neque mortuis. O furor Dei incogitabilis, Ecce hoc voluerunt ſpiritus illi nequam, qui Miſſas poſtulauerunt, & ſeſe redimi finxerunt. Infinita ſunt huius monſtri exempla, In quæ nos rude vulgus ſine iudicio, ſine ſpiritu, ſicut imprudentes Beſtiæ in laqueum irruimus, prorſus nullum mendacium Satanæ ſuſpicantes, Cum Deus non penitus nos dereliquerit, quin in multis locis illuſiones iſtas manifeſtarit. Sed faciebant hæc ad Regnum facierum & propoſitionum ſtabiliendum, ideo roborata ſunt.

Abuſus horribilis Sacramenti altaris in Papatu.

Spiritus Miſſas expoſtulantes &c.

Non autem nego, pro defunctis orandum eſſe, ſed Papam in mortuis regnare, & Sacramentum altaris ludibrium eius fieri, ex corde deteſtor & abominor, atque vtinam digne flere poſſem. Neque enim his ſignis fidei & Euangelij cauſa quæritur, imo contra fidem & Euangelium, ſub facierum & propoſitionum tyrannis, ad fiduciam operum erigendam exercetur. Verum de Sacramento & fide dixi alias abunde. Inter hæc autem numeranda ſunt & illa, quæ in viſitationibus, peregrinationibus, & venerationibus Sanctorum fiunt, qualia multa hodie vbique abundant, quæ Papa ſuis Bullis confirmat, etiam canoniſat quandoque Sanctos, quos ignorat. Nunc vide, quid ſit operatio Satanæ in ſignis mendacibus, & energiam facierum & propoſitionum, non in energia ſua roborati.

Operatio Satanæ in ſignis mendacibus &c.

PRæter hæc mendacia ſigna, proprio Satanæ miniſterio roborantis efficaciam facierũ, eſt & altera efficacia miniſterio aliorum efficax, eaq; gemina, Vna clericorum, altera laicorum. Clericorum eſt hæc, quod in faciebus & propoſitionibus roborandis ingenio & lingua Papæ miniſtrant, Ipſe enim propoſitiones ſuas effutit ſine timore, & facies plena ſecuritate diſponit, ſæpius ſibi ipſi turpiſſime, Deo autem impijſſime contradicens. Neq; enim vel ipſe vel ſui id cogitant, vt verum aut bonum aliquid dicant, ſed tantum vt dicant, freti & abuſi ſtultiſſima perſuaſione hominum, qui Papam

Clerici ingenio & lingua ſeruiunt Papæ &c.

Decreta Papæ qualia.

non poſſe errare credunt. Vnde fit, vt Decreta eius aliquando ſint vel ebrij aut furioſi ſomnijs ſimilima, adèo ſine timore, tanquam ſupina fiducia & præſumptuoſa ſuperbia loquitur, vt pios animos vehementer vrat deteſtabilis hæc abominatio. Perſuaſi itaq; vt quiq; ſunt doctiſſimi, ingenioſiſſimi, religioſiſſimiq; non poſſe errare Regem hunc facierum, excipiunt feces, ſaliuam, excrementaq; abominabilia propoſitionum eius, non dicendo ſtudio & honore. Deinde cum neceſſe ſit ſtultum ſtulta loqui, miſerrimo ſeſe piſtrino dedunt, gloſandi, aptandi concordandi, tuendi, huc & illuc trahendi, quidquid ille ſecurus vel ebrius è bucca deſpuerit. Recte ergo non ſua efficacia hæc dicitur, quia ipſe indoctus & rudis nulla ratione poſſet ſua tueri, niſi aliorum ingenia haberet obnoxia.

Papam non poſſe errare.

Stultus ſtulta loquitur.

De proprio motu & ſcientia.

Itaq; nulla ei cura, nulla neceſsitas eſt, vt efficax ſit per ſuam efficaciam. Effutiat ſolum vel dormiens, & mox alienis ſtudijs articulum fidei habemus in tota Eccleſia roboratum. Hinc illa abominationis verba, de proprio motu & ſcientia, de plenitudine poteſtatis, vt miſeri Chriſtiani pene crepitum ventris huius monſtri, pro Euangelio adorare cogamur, tantum roborat, aliena iſta efficacia, ignauiſſimi & ſocordiſſimi huius Idoli efficaciam. Nihil enim eius cum iudicio, ſed omnia cum obſequio & legere & audire oportet. Quæ perſuaſio abſq; dubio operatio Satanæ eſt, occupantis rudes animas noſtras, vt ſua efficacia ſui idoli efficaciam etiam per nos roboret. Si enim cum iudicio legerentur, vt aliquoties aliqui tentarunt, ne hora quidem efficax eſſet, cum ſæpius ſint indoctiſſima, impijſſima & ſacrilega, quæ lucem & iudicium nunquam ſuſtinere potuerunt. Hoc eſt quod Satanas in Decretis illis ſacerrimis cauit, in quibus hoc vnum agitur, ne liceat Papam iudicare, ad eum ſolum Scripturas interpretandas, & fidem declarandam pertinere, ne quando hæc nequitia reuelatis abominationibus eius reuelaretur, ſi & alius fidem & Scripturas cœperit interpretari.

Nemini licere Papam iudicare.

Papa defenſores Romanæ ſedis benedicit, rebellantes ei maledicit.

Hinc ille pruritus, gratulatio & Apoſtolica benedictio in eos, qui ſanctam Sedem Apoſtolicam tuentur, bonum ſtatum Rom: Pontificis & priuilegia Eccleſiæ Rom: quærunt. Rurſus in offenſores & reluctantes ſic ſæuit, vt ipſa ſæuitia manifeſtum argumentum ſit, Satanæ ſpiritu eum ferri, timentis ſua conſilia aliquando nudari. Spiritus enim carnem & oſſa non habet, ideo contrectari exhorret. Et mendacium odit lucē, argui metuens, roboratur tamen in iſto facierum Rege, cum de omnibus alijs dictum ſit, fortior omnium veritas. Et illud: Nemo diu fictus, Quia hoc portentum portentorum maximum & vltimum eſt.

Brachium ſeculare.

LAicorum etiam manus huius efficaciæ ſeruiunt, quas brachiū ſeculare vocamus. Eleuatus enim & erectus ſuper omnes principatus & poteſtates Papa, ſi quem aduerſarium propoſitionibus & faciebus, cenſuris & maledictis opprimere non poteſt, Neq; n. pugnat ratione aut ingenio, aut Scripturis, cum ſit ignauiſſimū & rudiſſimum ventris animal, multo minus fide, patientia & oratione, veris ſcilicet & Apoſtolicis armis, ſed aliena efficacia efficit quod vult, & brachio ſeculari mandat, reges, principes, populos & nationes totas, in mutua vulnera incitat, & orbem cædibus & ſanguine inuoluit, donec obtineat, non quod fides & Euangelium, ſed quod facies ſua voluit. Et in ijs quam ſecure & confitenter agit, benedicens Apoſtolica benedictione obtemperantes, maledicens Apoſtolica maledictione rebellantes. Rogo, quomodo præualere poſſet hæc abominatio, niſi operatio Satanæ media regnaret? Alij ingenio & Scripturis, alij opibus & viribus regna

Papa aliena efficacia efficit quod vult.

Regnum Papæ quibus artibus conſtitutum.

conſtituerunt. Hoc imbelle & ignauum monſtrum nec ingenio nec ferro, ſed ſola facie potens eſt, qua efficit, vt omnium aliorum ingenia, omnium eruditio, omnium opes, omnium vires ſuæ libidini tam dedito ſtudio ſeruiant, vt in eis ludat etiam quidquid volet. Neque enim ſtipendijs ſuis eos alit, nec doctrina ſua paſcit, ſed ſolo faciei præſtigio eos captos tenet, vt putent ſeſe Deo obſequi, & Eccleſiæ ſanctæ Dei, non videntes ſeſe ſeruire ignauiſſimo porco & abominationi totius terræ.

Studia Regum, Principum &c. in Papam.

VIde itaq; Regum & Principum ſtudia in Papam, Vide Epiſcoporum, Collegiorum, Monaſteriorum ingenia, Infinitum illud hominum chaos, quam illi gratuita arma, hi vero gratuita ingenia pro Papa impendunt. Nec id pro fide & verbo Dei (nam hoc non agitur) ſed pro ſolis faciebus & propoſitionibus tuendis, nulla prorſus mercede, quam quod Deo ſeruire ſeſe exiſtiment. Tum videbis quid ſit efficaciã ignauiſſimi huius Monſtri roborari aliena efficacia. Plane non conueniebat illa abominatio, niſi vltimo termino mundi. Quid enim abominatius & monſtroſius, quam quo Princeps eſt ignauior, ſocordior, inutilior, hoc potentius eſſe regnum eius? At hic Princeps Sardanapolo corruptior, Sybaritis mollior, tantum ad luxum & ocia natus nec bellis, nec ſtudijs, nec armis, nec literis, nec Euangelio, nec fide, nec orationibus, nec moribus potens, ſed omnibus contrarijs abominandus, vna tamen facie & propoſitione imperat Imperijs, Regnis, & omnibus Poteſtatibus poſſidens animas noſtras, corpora noſtra, res noſtras ad abuſum vniuerſæ ignauiæ & libidinis ſuæ. Nihil pro ijs omnibus rependens, quam gratiam & benedictionem Sedis Apoſtolicæ, fumum ſcilicet fumorum.

Et quod mireris, Cæteros Principes, qui bello & viribus regnant, amant ſui populi ex animo, Ita Magiſtros ac Præceptores, qui eruditione & ingenio pollent, obſeruant ex animo Diſcipuli. Huic rerum portento & ignauiſſimo & rudiſſimo nemo non ex animo male vult, nemo tantam potentiam non deteſtatur, nemo tantas opes non execratur, vt in loco omnium indigniſſimo poſitas. Et tamen facierum & propoſitionum præſtigijs capti metuunt & abſtinent vniuerſi, ſignis & prodigijs mendacibus abſterriti. Nemo enim non videt Papam Papiſtasq; fide, Euangelio, patientia, alijsq; armis ſpiritualibus abiectis, ſeſe opinionibus vulgi in facies & propoſitiones ſimpliciter propenſi, tum vi & opibus Principum, vel corruptorum vel corrumpi ſperantium, armari. Nemo, inquam, non videt, ſub faciebus ſuperſtitioſiſſimis & propoſitionibus fallaciſſimis eos viuere mundaniſſimis moribus. Et tamen videntes palpanteſque, Chriſtum ab eis eſſe remotiorem, quam occidentem ab oriente, non audent affirmare quod ſentiunt. Quia ſtrenue hic vulgus Monachorum, & vniuerſa Papæ facies obijcit, hanc propoſitionem, Principatum ferendum, etiam mali Principis. Quaſi in Papatu de Principis, ac non multo magis de ipſius principatus malicia agatur. Aliud enim genus eſt principatus, quod Papa habet, ab omnibus mundi principatibus, qui ſiue boni ſiue mali fuerint, non nocent, ſi tolerentur. At Papatus is eſt principatus, qui verbum & fidem extinguit, erectis in locum eorum faciebus & propoſitionibus, faciebus pro fide, propoſitionibus pro verbo. Ideo aduerſarius eſt Chriſti, qui potens eſt ſpiritu fidei aduerſus facies, & verbo veritatis aduerſus propoſitiones, Non ergo principis, ſed principatus hæc malicia arguitur, qui talis eſt, vt bono principe non poſſit adminiſtrari, ſed ſolo Chriſti aduerſario, qui facies & propoſitiones, aduerſus fidem & verbum Dei, ſtertens & oſcitans cuſtodiat.

Mali Principes etiam ferendi &c.

Papatus extinguit verbum & fidem.

Papatus cur abominatio dicatur.

Ideo enim abominatio dicitur, quod ſine viribus, ſine literis, ſola ſtertenti facierum pompa, omnes Principes & Reges opprimit, omnium ingenia occupat, omnia poteſt & facit, quæ nullius Regni viribus, nullorum ingeniorum ſtudijs fieri poſſint, quanta nec Chriſtus ſuo verbo in hominibus effecit. An non eſſet fœda abominatio, ſi ſcropha patrisfamilias & omnium in domo dominaretur, nihil faciens quam quod in cœno iacens, illuſis videntium oculis aliquo præſtigio, homo inſignis appareret, & humanum aliquid ſonaret? Quale factum legimus in Gentibus, per Idola quædam lignea & lapidea. Sic Papa prætexto nomine Dei, quod nullius conſcientia non merito pauet, facili opera è fide trahit in ſuperſtitiones, imo abominationes peſtilentiſſimas, ſummos etiam Reges, doctiſſimosque viros, ipſe interim non niſi ſcropha volutatus in volutabro turpiſſimæ & ignauiſſimæ vitæ ſuæ, nec literis nec armis, vel digito idoneus.

Papatus à Petro ſuis coloribus depictus.

IN quam rem audiamus Apoſtolum Petrum acerrime loquentem
2.Pet. 2. 2. Pet. 2. Vbi Papatum ſuis coloribus graphice depinxit. Poſtquam enim futuros Pſeudomagiſtros prædixerat, qui in auaritia fictis verbis populum Chriſti cauponarentur, ſectas introducerent perditionis, multosque ſecum traherent, & Chriſtum, qui eos mercatus eſt, negarent, tribus exemplis eos fortiter terret, Angelorum, originalis mundi, & Sodomitarum, quos omnes in exemplum futurorum impiorum punitos à Deo dicit, proſecutus de impijs illis Magiſtris dicit:

> *Magis autem eos qui poſt carnem in concupiſcentia immundiciæ ambulant, Dominationemq; contemnunt, audaces, ſibi placentes, Glorias non metuunt, blaſphemantes &c.*

Poſt carnem ambulant Papa & ſui.

Non enim de ijs loquitur Petrus, qui Epiſcopis non obtemperant, ſed de ipſis, ſicuti cœpit, Magiſtris impijs, Epiſcopis, Cardinalibus & Papa. Hi ſunt enim, quos hæc Epiſtola tractat. Primum, ambulare papiſticam ſectam præ cæteris hominibus poſt carnem in concupiſcentia immundiciæ quis non videt? Prohibiti enim matrimonio, deinde ocio & opibus immerſi quid facerent, niſi vt poſt carnem ambularent? In labore hominum non ſunt, ideo prodit quaſi adeps iniquitas eorum. Neque potes dare Magiſtros populorum,
Pſal. 73. qui hæc faciunt, niſi Papiſtas. Multiplicatus clerus & matrimonium prohibitum (vtrunque Papæ magiſterio) quid operentur in Eccleſia, nemo non videt, vt proh dolor, muliebris ſexus ferre non ſufficiat.

Dominationem ſpernunt.

Deinde dominationem ſpernunt. Quis hoc niſi Papatus facit, ſuaque Papiſtica ſecta? Quid dominationes vocat, niſi Principes & Magiſtratus? Epiſcopi enim ſucceſſoresq; Apoſtolorum, non Dominationes, ſed
Coloſſ. 1. miniſteria habent Serui vocati Eccleſiæ Chriſti, ſicut Paulus Coloſſ. 1. dicit. An non eſt hoc Dominationes contemnere, ſeipſos autoritate propria eximere à tributis, ſubiectionibus & vniuerſis oneribus Reipublicæ? Paulus Roma. 13. mandat dari tributum, vectigal, honorem, ijs, quibus debetur. Et Pe-
Roma. 13. 1. Pet. 2. trus, *ſubdi Regibus & omni humanæ creaturæ.* At Papa contra res ſuas, perſonam ſuam & ſuorum omnium, tantis diris legum exemptos tenet, vt non vno interno eum damnet, qui Pauli & Petri vocem audire velit, & clerum in ordinem redigere, tributum, honorem, & omne debitum exigere. Iam tantum

abeſt, vt honoret Dominationes, vt ægre ad beatorum pedum oſcula admittat. Deinde quemuis ſacrificulum ac Monachum, etiam ſtipite rudiorem, & Lenone ſceleratiorem ſuper vniuerſos proceres mundi eleuat, propter characterem illum indelebilem, garriens in ſua hida illa bis ſceleratiſſima de maioritate & obedientia, Papam excellere in ſpiritualibus Imperatorem, ſicut ſolem ſuper lunam. Ita hac fece hominum vltima, in ſublime magiſterio Papæ eleuata, dominationes contemptæ coguntur honorare idola iſta, à quibus honorari debuerant. In quo enim Magiſtratu aut potentatu non regnat hoc chaos abominabilium hominum?

Audaces ſibi placentes.

Mirum eſt vero, quam apte Petrus eos audaces & ſibi placentes dicat. Poſtquam enim obtinuerunt ſeſe ſpirituales eſſe, cæteros omnes ſeculares, (vt nunc feruet abuſus vocabulorum & rerum) nihil eſt, quod non audeant ſpiritualis huius ſectæ nomine. Deinde, quam ſunt inuicti & indomiti ſenſus, duræque ceruicis, ſi quid auſi fuerint, donec eo procedant, vt ſupina ſecuritate etiam blaſphement glorias & maieſtates? Nonne Papa leuiſſimum animalium terræ, ſpiritu Satanæ inflatus, ſummos Reges pro libidine maledicit, excommunicat, & omnibus conuitijs inceſſit? Quibus tamen, vt ſolum benediceret, poſitus eſt. Neque id faciunt, quod Reges verbo & fidei repugnent, ſed quod luxum & opes cleri & ſanctæ Eccleſiæ Romanæ, cum ſceleratiſſimis moribus & intolerabili tyrannide impatientius ferunt, aut impietati & iniquitati papiſticæ reſiſtunt. Ecce hoc eſt, quod dicit: Glorias non metuunt blaſphemantes. Neque enim Papatus maieſtatis & gloriæ vocabulo cenſetur. Neque ſi cenſeretur, vnquam talia paſſus eſt, cum nulla Maieſtas in eum hactenus præualuerit, ipſe vero in Maieſtates hoc ſæpius præualuerit & fecerit, vt iam non ſolum in rebus hominum, ſed in maieſtatibus & dominationibus quoque pro libidine ludat transferendo, euacuando, mutando, quoties viſum eſt. Nonne hæc hiſtoriæ de regno Franciæ, Græciæ, Germaniæ, Neapolis, Siciliæ & alijs teſtantur? Nonne etiam hic Leo X. alioqui bonus vir, ſuorum falſus conſilijs & exemplis ducatus Italiæ tentat hac tyrannide, Vrbinas expulſus, Ferrarienſis ſæpe petitus? Et æmulantur eum Cardinales & Epiſcopi ſtrenue, illi Regibus, hi Principibus ſuperiores facti, ignauiſſimum hominum genus, vix porcis alendis idoneum. Sic honorant Dominationes, ſic benedicunt Maieſtates, ſic quærunt quæ aliorum ſunt ſibi diſplicentes, ſic poſita audacia incedunt in timore Dei, Væ illis.

Papa pro libidine maledicit & excommunicat ſummos Reges.

Glorias non metuunt blaſphemantes.

De quibus & Iudas Petrum æmulatus dicit: Similiter & hi ſomniatores (id eſt, ſomnijs deluſi) qui carnem quidem maculant, Dominationem autem ſpernunt, Maieſtates autē blaſphemant. Et paulo ſuperius. Subintroierunt enim quidam homines, qui olim præſcripti ſunt in hoc ipſum iudicium, impij, Domini noſtri gratiam transferentes in luxuriam, & ſolū dominatorem & Dominum noſtrū Ieſum Chriſtum negantes, hoc eſt, quod Petrus ait, iuxta Chriſti Euangelium etiam ſua dogmata ſubinferent, ſectaſq; perditionis iuxta introducent, quibus vera fides extinguetur, & Chriſtus retento nomine, reuera negabitur ſolus eſſe dominator & rex in iuſticia & veritate. Interim ſub nomine eius luxuriæ & omnibus libidinibus ſuis ſeruientes. Breuiter, Epiſtola Iudæ mihi quondam inutilis viſa, nunc agnita eſt è Petri Epiſtola ſumpta, propter ſolum Papam eſſe ſcripta. Vterque enim indicat, quod ſubintrabunt, id eſt, iuxta Euangelium ſua inferent, &, vt ait Petrus, ſubintroducent, id eſt, iuxta introducent Sectas, manifeſte eorum

Epiſtola Iudæ.

inſidioſas

inſidioſas & fallaces illuſiones,quibus retento nomine Euangelij & Chriſti, ſua potius tradunt,indicantes.

2. Pet. 2. *Proſequamur Petrum,Vbi,Angeli,inquit,cum ſint fortitudine & virtute maiores,non portant aduerſum ſe execrabile iudicium. Hi vero velut irrationabilia pecora (nam Papiſtæ hodie plane non credunt animæ immortalitatem, præſertim Romæ)naturaliter genita in capturam & perniciem (ò ſimilitudinem) In his, quæ non intelligunt,maledicentes,id eſt,Chriſti doctrinam damnantes,ob ſuas inuentiones. Sic Iudas, Ea quæ non nouerunt,blaſphemant. In perditione ſua(id eſt,vt Iudas ait,quæ vero natura ſeu animantia ratione expertia ſciunt, in his corrumpuntur) peribunt,*reportantes mercedem iniuſticiæ (quam ipſi ſummam iuſticiam iactant,vt obedientiam Eccleſiæ & Religionum obſeruantias) Pro voluptate ducentes,ſi in delicijs fruantur (id eſt, ventris animalia ſunt,qui hoc vnum optimum iudicant,ſi breui hac vita abundent. Nam ferme nullus ex eis Epiſcopus,ſacerdos,religioſus fit,niſi vt ocio & victu ſine labore partis bene viuat)Labes & maculæ (ſunt enim hi homines nihil niſi dedecora & labes in populo Dei,cum prorſus inutiles ſuis tantum delicijs & vitijs in Eccleſia ſaginati ſibi ſeruiant)Delicijs affluentes in conuiuijs ſuis luxuriantes vobiſcum. Epiſtola Iudæ.

Mihi hic locus corruptus videtur, Nam Iudas ſic refert eundem, *Hi ſunt inter charitates veſtras maculæ,inter ſeſe conuiuantes abſq; vllo timore,ſemetipſos paſcentes.* Pontificum enim & Cardinalium,Epiſcoporum,Sacerdotum, Monachorumque delicatam vitam deſcribit,qui ijs,quæ pia charitate fidelium ad Eccleſiam collata ſunt,& conferuntur indies, profuſiſſimo luxu perdunt,nec hominum,nec Dei conſpectum veriti, nec ſcandalis infirmorum, nec odijs bonorum quicquam commoti. Seipſos enim eximie curant & paſcunt,nihil aliud quam maculæ,labes,dedecus, onus Eccleſiæ facti, cuius debebant eſſe ſumma ornamenta & luminaria & columina. Nonne iſta iamdudum videmus? Vnde Petri verbum,luxuriantes vobiſcum, intelligi oportet,luxuriantes veſtris opibus,ſeu,vt Iudas indicat,veſtris charitatibus, quia & veſtris & vobis abutuntur ad luxuriam & pompam ſuam, ſine timore. Nam quod Græcus Petri textus habet in erroribus ſuis, quod noſter reddit, In conuiuijs ſuis,puto factam errore librarij metatheſin literarum *ἐν ταῖς ἀπάταις αὐτῶν*,pro eo,quod Iudas habet,*ἐν ταῖς ἀγάπαις ὑμῶν*,id eſt, charitatibus veſtris, ſeu beneficijs, eleemoſynis.

Sequitur,Oculos habentes plenos adulteræ(Deus bone, quam acerbis & vehementibus verbis inuehitur Apoſtolus? Adulteræ fœminæ oculos, id eſt,inſatiabiles eis tribuit, & videmus, quam ſit eorum libido inexplebilis) Et inceſſabiles delicti(id eſt,quos nemo à peccatis cohibere poſſit,quin etiam vexant eos cenſuris iniquiſſimis,qui queruntur de vxorum & filiarum ſuarum ſtupris. Per vim enim abutuntur,quibus voluerint, ſicut de Gigantibus ante diluuium Gen. 6. legitur,nec licet eis reſiſtere,nec in iudicium vocare, neque contradicere,quia ſpirituales ſunt & exempti) Pellicientes animas inſtabiles (ſcilicet exemplo peſtilente plurimos attrahunt fide infirmos) Cor exercitatum in auaritia habentes,(Vis aliquid inſignius dici in Romanam Curiam & vniuerſum Clerum? Quis enim numerat artes, quas pro auaritia excogitauerunt? Iam vero exercitati ſunt & vſum habent fraudandi,imponendi,rapiendi egregium.) *Oculos habentes plenos adulteræ.* Gene. 6.

Maledictionis filij derelinquentes viam rectam, errauerunt ſecuti viam Bileam, filij Boſor. Neſcio an & hic locus vitiatus ſit, vel an Petrus

Boſor. Beor. Bileam. data opera filium Boſor dicat, quem Moſes Num. 22. filium Beor vocat, niſi Pater Bileam Binominis Boſor beor dictus ſit, vtrunque auget exempli huius teterrimi atrocitatem. Nam Boſor carnem, Beor fatuum ſignificat. Et Petrus dicens: Prophetæ dementiam redarguit ab aſina, vocabulum Beor tangit, At quod dilexerit mercedem, Boſor indicat Bileam vero eſt id, quod non Populus, vel nihil Populi, vel vanus Populus, & is qui populus non ſit. Omnia Num. 22.

Auaritia & luxus Pontificum &c. atrociſſima dicta in auaritiam & luxuriam, & impietatem Pontificum & Sacerdotum, qui infatuati & incarnati & incraſſati deſierunt eſſe Populus Dei. Nec hoc ſolum ſunt Bileam, ſed quod & maledictionis filij ſunt, ſicut & ille fuit, qui dato conſilio Moabitis, per Idolum Beelphegor, Iſraelem vehementer vaſtauit, quam Hiſtoriam hic Petrus totam trahit ad Pontifices, qui & ipſi erecto idolo dogmatum ſuorum, cum ſcortis Madianiticis in voluptatibus & delicijs agentes, pelliciunt animas inſtabiles, deinde maledicunt (vt dictum eſt) viam veritatis & gloriæ, ſicut & ille maledicere conabatur populum Dei. Num. 25.

Qui mercedem iniquitatis amauit, correptionem vero habuit iniquitatis ſuæ. Subiugale mutum animal in voce humana loquens prohibuit Prophetæ inſipientiam. Ecce auaritiam & ſtultitiam Pontificum, vt auaritiæ dediti brutis etiam inſenſatiores ſint. Hi ſunt fontes ſine aqua, quia ſpeciem Paſtorum & nomen habent abſque opere & officio, vt Zach. 11. dicit. O Paſtor & Idolum, & nebulæ turbinibus agitatæ, nebula ſimilis eſt nubibus, ſed non dat imbrem. Ita hi Paſtorum titulo & loco vehuntur, ſed nihil docent, imo affectibus plusquam mundanis agitantur in omnem Satanæ voluntatem. *Quibus caligo tenebrarum in æternum eſt reſeruata,* Quam terribilia ſunt iſta, Deus bone? Quis non horreſcat in ordine Clericorum hodie cenſeri, in quem hæc omnia pleno ſpiritu dicuntur? 2. Pet. 2. Zach. 11.

Superba vanitatis ſonantes. Superba vanitatis ſonantes, pelliciunt in deſiderijs carnis luxuriæ, eos qui vere effugerant. Mirum, ſi hic locus non ad Vniuerſitates & ſtudia iuris Canonici pertinet. Videmus enim, quanto paſſim tumore ſonet Antichriſtus in ſuis Decretis, dum vbique dicit: Mandamus quatenus diſtricte præcipiendo mandantes, & eiuſmodi ſimiles buccas tumidiſſimas, quibus omnes Scholas occupat. Vt bene Petrus non loquentes ſed ſonantes appellet, cum ſint voces meræ, nihil niſi vaniſſimæ vanitatis doctrices. Et tamen his peſtibus alliciunt nobiliorem partem fidelium, qui dum his vaniſſimis tumoribus doctrinæ ſtudent, ſuis cupiditatibus ſtudent. Quis enim in vniuerſitatibus non ſtudet lucri, aut gloriæ, aut ocij gratia? vt omittam, quot Animæ ineſcentur laſciua illa & licentioſa vita Vniuerſitatum? Summa, Ius Canonicum nobis dat Collegiorum & Scholarum populum, non niſi vanitati, luxui, laſciuiæ, ocio, pompæ deditum, Et tamen incredibili boatu ſuperbus Papa cum ſuis Apoſtolis horum ſtatum, opes, hypocriſin iactat in ſuis Decretis, Vt vere Petrus ſuperba vanitatis appellet, ſpeciem iſtam pietatis & religionis & ſcientiæ, qua populus iſte inflatur, interim non niſi voluptatibus & delicijs perditus. Hunc ſenſum iuuat Iudas dicens: Et os illorum loquitur tumida, admirantes perſonas vtilitatis gratia. Ecce perſonas, ſpecies, pompas, & omnino quas ſuperius facies appellauimus, vocat. Hos enim iactat Rex iſte facierum, magnificos titulos, priuilegia, libertates &c.

Ius Canonicum.

Et pulchre

Et pulchre addit, eos, qui vere effugerant, in errore conuerſantes. (Mihi videtur hoc velle, vt quidquid è Baptiſmate & verbo Dei natum & liberatum à peccatis fuerit, mox vbi adoleuerit, in eorum doctrinas & ſtudia rapitur & immergitur, vt in errore conuerſari cogantur, licet per Chriſtum effugerint antea omnes errores. Hoc fit, dum à fide in cæremonias, à ſpiritu in perſonas, à gratia in opera, à veritate in ſpeciem, hypocriſin, & vniuerſam illam facierum pompam ruunt, per impijſſima vanitatis ſuperbæ eorum Decreta) Libertatem illis promittentes, cum ſint ſerui corruptionis, hoc & ad Indulgentias pertinet, & ad omnem illam fallaciam, qua facierum ſtudium prædicant bonum, Vt qui in illis ambulet, ſancte & pie ambulare credatur, Sic enim ordines Sacerdotum, Monachorum, & totius Cleri iactantur, vt ſoli in ſtatu ſalutis eſſe putentur, cæteros omnes mundanos & ſeculares arbitrantur. Denique ſua ſtudia, ſua merita, ſuas miſſas vendunt & promittunt remiſſionem peccatorum.

Col. ſſ. 2. *At ſerui ſunt corruptionis, id eſt, non niſi corruptibilia docent, vt quod Col. 2.* sic dicit, *Quæ pereunt ipſo vſu ſecundum traditiones & præcepta hominum.* Et tamen quia in his confidere docent, etiam æternæ corruptionis per hæc autores ſunt. Sed ſequentia cogunt ſeruos corruptionis intelligi, ſeruos peccati, vt ſit ſenſus: Cum ipſi impia hypocriſi & vitijs manifeſtis perditi ſint, tamen alijs præſumunt ſuis perditis ſtudijs ad ſalutem prodeſſe, communicando ſuas Fraternitates & Indulgentias. Sequitur enim, A quo enim quis ſuperatus eſt, huius & ſeruus eſt. Nonne quotidie audimus, Papam etiam manifeſte ſceleratum & impium id audere, vt merita Chriſti & ſanctorum diſpenſet, & clauibus cœlum aperiat, quibus volet? Et ſequitur eum vniuerſum ſuum vulgus cleri, Sic Eccleſiæ theſaurum impius in manum vendicat, & alios liberat, ipſe corruptionis ſeruus. *Serui corruptionis.*

2. Pet. 2. Concludit ergo Petrus, Rom: Eccleſiam cum ſuo Papatu reuerſam eſſe ad peiorem gentilitatem, quam prius fuerat, dicens: *Si enim refugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini & Saluatoris Ieſu Chriſti (per fidem) & tamen his rurſus implicati ſuperantur, facta ſunt illis poſteriora deteriora prioribus.* Melius enim illis erat non cognouiſſe viam iuſticiæ, id eſt, fidei, quam poſt agnitionem retrorſum conuerti ab eo, quo illud traditum eſt, ſancto mandato (ſcilicet fidei in Chriſtum) Contigit enim eis illud veri prouerbij: Canis reuerſus ad ſuum vomitum, & ſus lota reuerſa ad volutabrum cœni. Ita videmus enim in papiſtico Regno fidem extinctam, peioresq́ gentes nos eſſe, quam vnquam fuimus, hoc abominandis propoſitionibus debemus huius Regis facierum, quas Petrus & Iudas, vt videmus, quam graphice & egregie depinxerunt cum faciebus & efficacijs illis alienis. Sequitur nunc fructus & opus illarum. *Canis reuerſus ad vomitum &c.*

Et mirabilia vaſtabit.

HOc vocabulum, mirabilia, quod ebraice dicitur Niphlaoth, alibi transfertur, magnifica, arcana, occulta, vt Dan. 11. Contra Deū deorum loquetur magnifica. Verbum vaſtare illud eſt, quo Gen. 6. ſcribitur, terram eſſe corruptam, & omnem carnem corrupiſſe viam ſuā, & Deum corruptutū ſeu perditurum eos cum terra, vt melius forte diceremus hoc loco, Et mirabilia corrumpet. Ambiguus autem eſt Daniel, vt poſſint intelligi vel ea *Daniel. 11. Gen. 6.*

mirabilia

mirabilia, quæ inuadit Rex ille vt corrumpat. Vel opera eius, quæ perpetrat, in corrumpendis illis, ceu res eius geſtas appellat mirabiles & incredibiles. Et hunc poſteriorem ſenſum ſequitur noſter Interpres, quem & nos ſequemur, licet prior ſimul verus ſit. Vere enim ſunt magnifica, quæ corrumpit, Sed in ſpiritu & fide ſolum ſpectabilia. Erit ergo ſenſus: Et mirabiliter corrumpet, ſeu magnus & incredibilis corruptor erit, Non enim id quod paſſuræ fuerunt res bonæ ab ipſo, ſed quem grandia ille in res bonas eſſet operaturus, deſcribit, fortunam eius & ſucceſſum oſtendens.

Non ergo de vaſtatione vel corruptione violenta loquitur, quo modo Tyranni per bella & vim armorum terras & regna vaſtarit. Qualis enim Rex, talis & vaſtatio eius, faciebus ſcilicet & propoſitionibus omnia faciet, & ijs non niſi per alienam efficaciam roboratis, non armis nec viribus ingenij & eruditionis, id quod indicat ſequens verſus, dicens:

Et proſperabitur & faciet, & vaſtabit robuſtos, & populum Sanctorum, & dirigetur dolus in manu eius.

Conſequens ergo eſt, non vrbes, nec prouincias ab eo vaſtari ſed eas res, quæ faciebus & propoſitionibus & dolis vaſtari & poſſunt & ſolent, quæque faciebus contrariæ & propoſitionibus & dolis contrariæ, nempe veritatem & verbum veritatis, & ſpiritum & ſimplicitatem, hoc eſt, fidem in Chriſto, & conſcientiarum bonarum regnum, quod Chriſtus regnum Dei, regnum cœlorum, regnum veritatis vocat. Sic enim coram Pilato confitetur, Regnum ſuum eſſe veritatis regnum, Omnis inquit, qui eſt ex veritate, audit vocem meam. Quare hic Rex vaſtator regni cœlorum, corruptorque ſimplicitatis, quæ eſt in Chriſto Ieſu (vt ad Corinthios dicit) non eſt niſi legitimus ille Antichriſtus, pro fide opera, pro veritate ſpeciem, pro myſterio faciem, pro Euangelio propoſitiones, pro ſynceritate aſtutias, pro verbo Dei ſua Decreta docens, ac ſic conſcientias perdens, & ſpiritum vaſtans.

Regnum veritatis.

Peccata omnia per Chriſtum ablata.

QVod an Papa impleat, videamus, Primum hoc manifeſtum eſt, per Chriſtum ſic eſſe omnia peccata ablata, vt ne occaſio quidem peccati reliqua eſſet, quæ eſt Lex, fecit enim per fidem omnia libera, vt Chriſtianus nihil operaretur Lege cogente, ſed omnia ſpiritu libertatis, ſicut 1. Timot. 1. dicit: Iuſto non eſt lex poſita. Quidquid enim Lege cogente fit, peccatum eſt, quia non fit voluntario ſpiritu, ſed inuita ac per hoc contraria legis voluntate, id quod reuera eſt peccatum. Ideo Prædicatores noui Teſtamenti 2. Corinth. 3. appellat miniſtros ſpiritus, non literæ, quod gratiam, non legem doceant. Inde in toto nouo Teſtamento non ſunt præcepta vrgentia, ſed tantum exhortationes & obſecrationes. Nec Chriſtus, nec Apoſtoli quenquam vnquam coegerunt, Et Spiritus ſanctus vocatur in hoc ſpiritus Paracletus, vt exhortetur. Hæc omnia eo tendunt, vt populus Chriſti ſit, qui voluntarie eum audit, & ſequitur, nullo timore Legis, ſed gratuita libertate & beneuolentia ductus. Non ideo faciens, quia præceptum, ſed quia placitum, etiamſi præceptum non eſſet. Qui vero ſecus faceret, populus Legis & Synagogæ eſſet, in qua occidebantur præuaricatores Legis. Vnde Matth. 19. per conditionem dicit: Si vis ingredi, ſerua mandata. Et 5. non ait: Volo vt ſitis pauperes, ſed blande exhortatur, dicens: Beati pauperes ſpiritu &c. Breuiter, in nouo Teſtamento oſtenduntur omnia, ſcilicet quæ facienda omittendaq; ſunt, quæ etiam maneant facientes & omittentes, & vnde petenda ſint, quæ facienda ſunt. Sed nemo cogitur, omnibus permittitur, vt vel

1. Timot. 1.

2. Corint. 3.

Prædicatores noui Teſtamenti miniſtri ſpiritus &c.

Populus Chriſti qualis.

Matth. 19.

Matth. 18. vt vel pereant vel ſalui fiant, ſecundum quod voluerint, Ideo & Matt. 18. Rebellem non occidi, ſed vitari, ſicut Ethnicum, docet.

Chriſtus à vi legis liberauit credentes.

Sic non à Lege, ſed à vi Legis (id quod vere eſt à Lege ſolui) liberauit nos, omnibus donata libertate, noſtro periculo faciendi, ſiue bonum ſiue malum, Non tamen per hoc tollens prophanis Magiſtratibus ſuum ius & gladium in puniendis malis, Nam & tales ad Regnum ſuum non pertinent, donec ſpirituales facti liberaliter ſeruiant Deo. Hæc cum ita habeant etiam in lege Decalogi diuini, tum maxime in legibus cæremonialibus valent, quæ prorſus abolitæ ſunt, vt nihil in eis peccari poſſit, ſola fide propoſita ad iuſtificationem ſufficientiſſima. Cum autem Rex iſte facierum Papa aliud non faciat quam quod mandat & vrget in vniuerſis ſuis Decretis, idq, vice & nomine Dei, ſatis claret, quam ſit aduerſarius Chriſti, & vaſtator noui Teſtamenti, & hoſtis libertatis Chriſtianæ, cogens inuitos ad opera à ſe imperata, Qua tyrannide tot peccatorum autor eſt, quot opera ab inuitis fiunt. Dum enim ſeſe credunt teneri eius mandatis, conſcientiam habent, ſi omittant, Et tamen quia inuiti faciunt, reuera in corde peccant, non peccaturi hac auerſa & odiente legem voluntate, ſi nihil mandaſſet, ſed ſolum obſecraſſet & exhortatus fuiſſet. Rurſus in ijs, qui ſibi obtemperant, autor eſt falſæ iuſticiæ, quia dum ſeſe credunt benefeciſſe, & hanc obedientiam reputant pro iuſticia, fit vt non fide in Chriſtum, ſed ijs legibus & operibus ſeſe bonos fore & eſſe arbitrentur. Atque hoc eſt vere vaſtare fidem & veritatem, & conſcientias tum malas multiplicare, tum ficte bonas facere. Cum autem id faciat toto orbe, patet, quam mirabilis & incredibilis vaſtator & corruptor ſit, Tot enim vaſtat, quotquot legibus & imperijs his ſubijcit & impellit. Quem vero in toto orbe non ſubijcit, niſi infantes forte & ſimplices, incognito conſilio Dei ſeruatos? *O homo peccati, O fili perditionis, O abominatio, O vaſtator, O conſcientiarum malarum autor, O falſe bonarum magiſter, O hoſtis fidei & libertatis Chriſtianæ. Et quis hac infinita maria malorum huius portenſi Regis complectatur mente, nedum eloquatur verbo?*

Papa aduerſarius Chriſti.

Papa autor peccati & falſæ iuſticiæ.

SEd nondum finis malorum, Si has leges ſuas ſtatuiſſet in operibus illis virtutum, quales in Decalogo præcipiuntur, aut quales Philoſophi & naturalis ratio dictat, vt ſunt, iuſticia, fortitudo, temperantia, caſtitas, manſuetudo, veritas, bonitas, & his ſimilia, forte Synagogam ſolum conſtituiſſet, & ciuilem quantam iuſticiam in orbem propagaſſet. Nam per hæc etiā fides fuiſſet vaſtata, ſicut in Iudæis vaſtabatur. Nunc vero intra hos limites non conſiſtit, imo rarius hæc vrget, & fateri cogimur mitius eum nocere, his infinitis malorum tempeſtatibus, ad ea, quæ ſequuntur, comparatis. Ad cæremonias enim & figmenta ſua impellit, locis, perſonis, veſtibus, cibis, diebus, geſtibus nos ſtolidos, ſtupidos, ſtultos, imo truncos & ſtipites alligat, vt me iſtius abominationis & nauſeæ ad mortem vſq; pene pudeat & pigeat. Chriſtus n. (vt dixi) vt omnes leges per libertatem ſuſtulit, ita multo maxime eas, quæ locis, perſonis, veſtibus, cibis, diebus & ſimilibus affixæ ſunt, vt earum vſus eſſet omnibus liberrimus & indifferens, nec ad peccatum, nec ad iuſticiam formaturus conſcientiam, quæ ſola fide in ipſum ſubſiſtit. At Papa non contentus ſaltem eis locis, cibis, veſtibus, diebus, quibus Lex Moſi abundabat, ſed proprijs à ſe repertis, aut ab alijs acceptis, eiſque de die in diem auctis, & pro mera ſua libidine multiplicatis & variatis, orbem Chriſtianum fatigat, corrumpit & vaſtat, Quod vt clarius fiat per inductionem, aliquot Exemplis oſtendemus.

Chriſtus omnes leges ſuſtulit.

CHri-

Differentia omnium locorum per Chriſtum ſublata.

CHriſtus ſublata omnium locorum differentia, vbiq; vult cõli, nec in regno eius alius locus ſacer, alius prophanus eſt. Sed vbique omnia eadem. Neq; enim aut fortius aut melius credas, ſperes, & diligas in templo, choro, altari, cœmiterio, quam in area, vinea, popina cubili. Denique in carceribus Martyres Chriſtum coluerunt. S. Agne etiam in lupanari. At Papa conſecratis Eccleſijs, appoſitiſque priuilegijs & diris, ſacrilegij conſcientias facit, ſi quis domum à ſe & ſuis conſecratam, vel ludens vel ſerio violarit, nihil peccaturus, ſi ſuam vel aliam quamcunque domum læſerit. Rurſum, ſi Papæ mandatis obtemperes, religioſus & obediens filius Eccleſiæ factus es, conſcientiam boni & iuſti operis inueniſti. Compone nunc Chriſtum & Papam, Ille dicit; Nullum poteſt fieri peccatum quocunque vſu, cuiuſcunque loci (niſi fiat ad lædendum proximum) Papa dicit, peccatum eſt, ſi in templo aliquid operis prophani feceris, aut non maiore religione, quam prophanam domum, obſeruaris. Nonne hic Papa facit peccata in locis & vſu eorum, in quibus Chriſtus nullum peccatum facit? Nonne ergo conſcientias facit, vbi Chriſtus nullas facit? Nonne ſeruitutem, timorem, captiuitatem, laqueos, pericula ſtatuit, vbi Chriſtus libertatem & ſecuritatem facit? Nonne ergo Papa Antichriſtus autor peccati & conſcientiarum, per ſuas friuolas, ſtultas, inutiles, impias leges? Quid enim opus habet vllus Chriſtianus his legibus & ob ſeruantijs ad iuſticiam? *O deceptio & illuſio puerilis & ridicula, & tamen tanta ſeria peccatorum & perditionum operari praualida.*

E diuerſo Chriſtus docet, non eſſe iuſticiam aut cultum ſuum ſitum in locis iſtis. At Papa docet eſſe iuſticiam & cultum Dei. Eccleſias fabricare, conſecrare, & à prophanis domibus, opinione & conſcientia ſanctitatis ſeparare. O dignam hoc idolo religionem, Quam digne, quam pulchre Chriſtus prouidit, vt Eccleſias & campanas conſecrare non pertineret niſi ad Epiſcopos. Digniſſimum, inquam, officium Epiſcoporum, Quales enim Epiſcopi, talia & opera eorum, Idola enim ſunt & laruæ, dum poſito verbi officio, tantum titulis & veſtibus ſunt Epiſcopi. Ideo non debent fideles animas, veram ſcilicet Eccleſiam Chriſti, ſanctificare verbo & oratione, ſed campanas, ligna & lapides Deo vngere, & aqua conſpergere, in quibus mures, araneæ & aues habitent, non Chriſtus. Sic lignum conſecrat ligna, lapis lapides, truncus truncos, ſimulachrum ſimulachra, idolum idola, vt habeant ſimiles labra lactucas. Et tamen in iis docendis, ſeruandis & ornandis, Deus bone, quantum eſt legum & gloſarum, quanti ſcrupuli, quanti Caſus, quantæ pœnitentiæ & ſatisfactiones? Et ſanctiſſimus ille quam difficile remittit iſta peccata fictitia, prorſus non niſi pro pecunia, & interim adulteria & impijſſima ſcelera fouens etiam. Rurſus, quantis indulgentijs has iuſticias remunerat? & merito, Talibus enim remiſſionibus tales peccatores donandi, & talibus præmijs, tales iuſti coronandi ſunt, vt tam veræ ſint indulgentiæ & abſolutiones, quam vera ſunt peccata & iuſticiæ, O abominandam abominationem.

Opera Epiſcoporum.

Non vſus ſed concupiſcentia rerum reprobatur.

SIc Chriſtus nihil diſcreuit in cibis & diebus, vt Apoſtolus multis locis docet. Nec voluit in vllius cibi, aut diei vſu peccatum fieri poſſe, Non n. vſus, ſed concupiſcentia cibi in Euangelio reprobatur. At Sanctiſſimus Chriſti aduerſarius concupiſcentia nihil curata, vſum carnium, lactis, ouorum, butyri & ſimilium per quadrageſimam & dies ieiuniorum prohibet autoritate diuina, ſeu ſub nomine Dei, ſtultum ieiunium, non in cohibenda concupiſcentia, ſed in cohibendo vſu conſtituens. Sicut de eo prophetauit Paulus, 1. Timot, 4. *Prohibentium nubere & abſtinere à cibis, quos Deus creauit ad* 1. Timot. 4.

percipien-

percipiendum cum gratiarum actione. Igitur & hic peccata facta ſunt arbitrio hominis iſtius peccati, vbi naturaliter nullum peccatum eſt. Et alligat his rebus conſcientias, dinexatq; legibis ſtultis, vt nullo opere hodie pertinacius populi metuant & confidant quam Papiſticl huius ieiunij. Nam occidiſſe, adulteraſſe, fraudaſſe, incomparabiliter leuius habent, quam oua, butyrum, lac, carnes diebus ieiunij ediſſe. Et his erroribus impijs conſcientiarum & violata fide Chriſti, adeo non ſolicitatur Magiſter ille Eccleſiarum, fons legum & iuſticiæ, paſtor vniuerſalis Eccleſiæ, caput Eccleſiæ Catholicæ, vt etiam delectetur in ea perditione animarum & vaſtatione fidei, deniq; inſtat & vrget. Neq; remittit has quoq; iuſticias & peccata, niſi pro pecunia.

Cum ergo Papa peccatum faciat, vbi Chriſtus peccatum tollit, & iuſticiam ſtatuit, vbi Chriſtus iuſticiam tollit, Et conſcientias illaqueat, vbi Chriſtus conſcientias liberauit, Et omnia contraria faciat, in locum gratiæ ponens peccatum, & in locum fidei legem, Adhuc dubitas ipſum eſſe Antichriſtum illum legitimum, abominationem ſtantem, vbi ſtare non debet? An non ſunt contrarij? Chriſtus dicit, Hic nullũ eſt peccatum, Papa dicit, imo hic eſt peccatum. Et ille, Hic nulla eſt iuſticia, At Papa, imo hic eſt iuſticia. Si enim libera permitteret, aut ſaltem exhortaretur ſolum, Antichriſtus non eſſet. At nunc quia præcipit in nomine Chriſti mendaciter, & ſub peccato mortali exigit, prorſus vaſtat Eccleſiam, corrumpit fidem, peccatum ſtatuit, & perdit conſcientias. *Contrarij Chriſtus & Papa.*

Huius generis ſunt, venerationes illæ veſtium, vaſorum, reliquiarum. Mulieri etiam ſanctimoniali tetigiſſe pallam altaris (quam vocant) peccatum eſt, tetigiſſe calicem, peccatum eſt, ſacrificaſſe calice non conſecrato, peccatum eſt, celebraſſe in veſtibus nondum conſecratis, peccatum eſt, omiſſa manipula vel alia parte veſtium celebraſſe, peccatum eſt, Vocaſſe puerum, aut locutum eſſe inter verba Canonis, peccatum eſt, Iam & balbutijſſe, ac titubaſſe in verbis Canonis, peccatũ eſt, tetigiſſe reliquias ſanctas, peccatum eſt, Porro tetigiſſe manu vel digito corpus Chriſti, etiam neceſſitate auellendi à palato tantũ eſt ſacrilegium, vt viuã carnem ei abradant, qua parte tetigit, vt ipſa inſania non poſſit eſſe tam inſana, Futurũ forte eſt, vt & linguas, palatum & guttur & ventrem forte excorient, propter tactum corporis Chriſti. At laſiſſe proximũ, contrectaſſe furtim res eius, aut non adiuuiſſe, fere nullũ peccatũ eſt. Aut quæ portenta ſcelerũ non perpetrat Papa cum ſuis iſtis ſanctiaulis, plane non ſuperſtitioſis, ſed furioſis, vertiginoſis & deploratæ amentiæ fatuis? *Veneratio veſtium, vaſorum &c.*

Breuiter, peccatum eſt, autoritate Papæ, ferme tota creatura Dei, vniuerſusq; eius vſus, Chriſtus enim in ijs omnibus nullum eſſe peccatum voluit, ſed nec iuſticiam, forte quia non ſolum ſanctus eſt, Sanctiſſimo vero Chriſti Vicario conueniebat, vt Chriſto reſiſtens, peccata & iuſticias hic multiplicaret, & totum orbem deuaſtata libertate Chriſtiana & corrupta fide conſcientijs ſtulte & erronee pauidis & pereuntibus repleret. En tibi quis ſit Homo peccati & Filius perditionis. Nec dum vero confertum & legitimum illud agmen exercituum huius Regis recitaui, ſcilicet Cardinales, Epiſcopos, Sacerdotes, Monachos, Moniales, Diaconos, Subdiaconos, nec Tonſuriſtas (quos vocant) liberos à lege. Hi enim propter ſuas raſuras, veſtes, horas & geſtus tot peccatis ſcatent, vt nec tot relationes habeant Scotiſtæ, nec tot realitates Thomiſtæ, quarum tamen in qualibet re mundi tot ponunt, quot ſunt creaturæ & reſpectus earum. *Homo peccati, filius perditionis.*

Deus bone, Nihil niſi peccatum eſt, totum hoc vulgus hominum perditum. Non radi enim, nõ legere horas canonicas, non veſtiri colore ſacerdotali, nõ geſtare cucullum, non indui purpura & byſſo, & aliquid eorum mutare,

Tyrannis legum in Papatu.

quæ illis conſtituta ſunt, eſt prorſus apoſtataſſe. Quis non iudicet Monachum apoſtatam, ſi veſte laica incedat, ſi quando liber, & radi negligeret? At quod interim à fide apoſtatant, nulla cura. Hic vero ne Papæ quidem (qui tamen omnia in Deum peccata viliſſime remittit, imo obtrudit remiſſionem) diſpenſatio ſatis eſt, quantumlibet multa pecunia redempta, adeo inſedit conſcientijs miſeris legum iſta tyrannis, vere Daniel dicit: Et mirabilia vaſtabit. Quid enim non vaſtatum relinquit? Et ſic vaſtatum, vt reparari non poſſit conſcientijs omnibus nimio infirmatis & captiuatis. Et haud ſcio, ſi Papa hodie omnes has leges abrogaret, an etiam hac ratione reuelli queant ſcrupuli ex animis hominum, & conſcientiæ ſanari, tam incurabilis & crudelis eſt iſta plaga populi ab iſto rege Aſſur inflicta, vt cum Eſaia dicam.

Antiochus Epiphanes figura Antichriſti.

Ecce habes fructum facierum & propoſitionum, ſcilicet vaſtitatem Eccleſiæ, fidei, libertatis Chriſti, ſpiritus, veritatis, & vniuerſorum bonorum à Chriſto nobis datorū. Iſte eſt Antiochus ille Dan. 8. qui huius Regis facierum figura fuiſſe ibidē dicitur, Ipſe eſt, qui contra fortitudinem cœli magnificatus eſt, & deiecit de fortitudine, & de ſtellis, & conculcauit eas. Et vſq; ad Principem fortitudinis magnificatus eſt, & ab eo tulit iuge ſacrificium (id eſt, fidem) & deiecit locum ſanctificationis eius (id eſt, conſcientias) Robur autem datum eſt ei contra iuge ſacrificium propter peccata, & proſternetur veritas in terra. Et proſperabitur & faciet. Nonne hæc Papa facit erectis faciebus & propoſitionibus ſuis contra veritatem & fidem? En tibi, hoc eſt quod garrit Satan per os eorum. Non eſſe omnia à Chriſto ordinata, ſed Eccleſiæ arbitrio ordinanda relicta. Cum Chriſtus ordinarit, vt nullum eſſet peccatum niſi incredulitas, nulla iuſticia, niſi fides. Sicut dicit Iohan. 16. Ille arguet mundum de peccato, quia non credunt in me. Et iterum: Qui non crediderit, condemnabitur. Omnia enim quæ extra hominem ſunt, non coinquinant hominem, ſed ſunt libera prorſus, niſi ab intra procedente mala cupiditate in illis peccetur. At Papa inquinat ſolum externis illis vniuerſum orbem, & internis inquinamentis nihil prorſus mouetur, ſcilicet tam clara ſunt verba Chriſti, nec ſic tamen Aduerſarium eius vaſtatorem videre volumus.

Nullum peccatum niſi incredulitas.

Iohan. 16
Matt. 15.

Falſa fiducia operum.

PRæter hos mundos peccatorum & perditionum, etiam alia peccata ſtatuit Papa, primum falſam fiduciam talium operum, quæ eſt duplex iniquitas, Qui enim obedierint Papæ in iſtis, & peccata papiſtica vitauerint, benefeciſſe & meruiſſe præſumunt & præſumuntur. Et hæc eſt altera machina vaſtationis in totum orbem graſſabunda. Quia cum hac fiducia Chriſti fides non ſubſiſtit. Deinde, quia multitudine legum grauati, ſolo opere externo obediunt auerſiſſima voluntate, vt videmus in tumultibus illis Vigiliarum, Miſſarum, Horarum, tum legendarum tum cantandarum, in quibus tanto tædio laborant, vt nullus labor hodie ſit moleſtior. Nihilo tamen minus inſtant præfecti operum iſtorum duriſſimorum, & exactores crudeliſſimi cogunt, ſine intermiſſione operari talia, quæ coram Deo non niſi grauia ſunt peccata, coram hominibus vero bona opera & obſequia Dei. Inuenta ſunt hic lenimina quādā ſenſuum, per organa muſica & cantuum varietates, Sed nihil ad ſpiritum, qui etiam magis illis extinguitur iſtis titillationibus. Ah Chriſte quanto impetu, quantis exercitibus impelluntur ad peccandum & pereundum, per abominatam iſtam abominationem? Horror horrendus eſt intendere in has crudeliſſimas voragines conſcientiarum, tantis laboribus pereuntium. O quam puerilia ſunt, quæ olim Manaſſes & alij reges impij luſtrationibus filiorum peccauerunt, Nec gentium barbariſſimarum, nec Leſtrygonum ſacrificia exectabilia, cum iſtis noſtris conferri poſſunt. Contigit nobis illud Chriſti: Septem nequiores ſpiritus faciunt poſteriora peiora prioribus, peiores, inquam, ſepties ſumus gentes, quam ante Chriſti cognitionem fuimus.

Manaſſes.
Leſtrygones.

Et

Et vt finem huius vaſtationis faciamus, quo videas nihil non eſſe peccatum, & perditionem in Papa. Ecce, non ſolum leges ſuæ peccatum ſunt, non ſolum opera earum peccata ſunt, non ſolum opera ſimulata earum & cum tædio facta, vt diximus, peccata ſunt, Ipſa etiam præmia, peccata ſunt multo omnium maxima, & peccata minora, peccatis maximis remunerantur. Quæris quomodo? Dicam. Barrabam latronem dimittunt, non contenti Ieſum ligaſſe & perdidiſſe, hoc eſt, vulgus hoc clericale, priuilegijs eximit ab omnibus oneribus & laboribus hominum, vt in ocio, ſecuritate, opulentiaq; ſecuriſſimam Sodomam viuant. Deniq; nec arguere, nec accuſare, nec corrigere peccantes vlli licet niſi Papæ, qui nec ſi velit poſſet, nunc autem nec vult. Hinc prodeunt quaſi ex adipe iniquitates eorũ, hinc ſtupra, adulteria, fornicationes, immundiciæ, auaritia, fraus, dolus & vniuerſum chaos ſcelerum, non ſolum abundant, ſed regnant impune nullo timore, neq; Dei neq; hominum. Quod ſi quis eos corripiat, hic ſacrilegus in priuilegio Papæ & læſæ maieſtatis reus eſt. Huc pertinent illa ſacratiſſima iura de foro competenti, & omnia illa, quibus Clerus eximitur à Laicorum accuſatione, iudicio & vindicta, cum omnibus quæ habent. Deniq; vſuras, fraudes, rapinas fecit eis licitas ſanctiſſimus Chriſti aduerſarius, dum ad cultum Dei augendum reditus iniquos, contractus illicitos, rapinas donatos admittit, & gratioſe diſpenſat pro Apoſtolica benignitate. De cœlibatu vero quantis peccatis & perditionibus augendis repertus à Satana ſit, alias diximus.

Clerus Papa exemptus ab omnibus oneribus &c.

AN habemus finem huius tartari? Nonne ſola iuramenta, quibus Epiſcopos, Sacerdotes, Monachos, Principes, Academias inuoluit, poterant eum facere hominem peccati & filium perditionis? Quis enim hic Periuria recenſeat? cum nemo fere ſit, qui ex animo iuret, & tamen iurare cogitur, ſine omni neceſſitate ſalutis, id eſt nomen Dei in uanum aſſumere, Quod enim cordis affectu non fit, vane & cum peccato fit. Sic enim ſcelerum Regnum, non ſolum valere debuit ad vaſtandam fidem, ſed etiam ad perdendos optimos mores, vt nihil reliquum faceret non vaſtatum. Et tamen hęc omnia execratiſſima monſtra tenuiſſimo ſcelerum, fuco tegere tueriq; aduerſus omnem virtutem, tam verbi quam ferri, vt eſſet Rex ſcelerum, monſtrum vltimum & finale mundi, paratum ad magnum aduentum Chriſti, in quo magnam ſuam virtutem Chriſtus oſtenderet, in magnitudine monſtri huius.

Iuramenta quæ papa exigit &c.

Rex ſcelerum.

Omitto hic, quæ in præceptum quartum & quintum & ſeptimum & octauum peccet infinita mala. Tollit enim obedientiam filiorum à parentibus, armans filios in parentes, vt in Henrico IIII. & multis alijs viſum eſt. Seſe enim vult præ omnibus audiri. Item quod orbem cædibus & ſanguine replet concitatis pro libidine mera Regibus & Principibus in mutua vulnera, vt dubites, an ipſe Satan regnans talia poſſet. Iam rapit magnificus Latro integra regna & ducatus, deuoratq; Epiſcopatus, Sacerdotia, & totius orbis non ſolum opes, ſed & ſubſtantiam, Annatis, Pallijs, & infinitis alijs artibus, nuſquam non fallacibus, doloſis, mendacibus verbis texens & retexens omnia, prout viſum eſt. Hæc enim omnia ſic operatur homo iſte peccati & filius perditionis, vt peccata eſſe neget, imo peccata eſſe ſtatuat, ſi quis ei reſiſtat vel ogganniat, etiam nullis infernis ſatis caſtigabilia, trahitq; ſecum in hanc ſententiam ſacrilegam, ſi non totum orbem, certe ſaltem vulgus cleri, & magnam partem laicorum, ſecumq; conſentientes perdit in æternum, vt ſic non vno modo, ſed omnibus modis vaſtet & corrumpat omnia, Et ſit vere mirabilium vaſtator.

Henricus IIII.

SEd ad maxima omniumq; teterrima veniamus, ea quæ in Sacramentum altaris & baptiſmi ſeu pœnitentiæ graſſatur Primum tulit ab Eccleſia vniuerſum myſterium Miſſæ. Hanc ſic vaſtauit in Laicis, vt alterã partem eis penitus auferret, nec ſolum auferret, ſed peccatum, imo extremam hæreſim ſtatueret, ſi quis iuxta Chriſti inſtitutum vtraq; vteretur. Proh

Sacramentum altaris.

Altera pars ſacramenti laicis ablata.

Deum viuum, quanta audacia abominationis huius? Si enim Chriſtus prohibuiſſet vtram ſpeciem, hæreticus erat vtramq; accipiens. At nunc, cum non prohibeat, ac per hoc nullum peccatum illic ponat, imo inſtituat vtranq; partem, tamen Vicarius in re non prohibita, ſed licita & libera imo à Chriſto ordinata, ſtatuit ſummam hæreſim, nedum peccatum. Nec ſic Antichriſtus agnoſcitur, quin adhuc adoratur, vt Vicarius Dei. O horror iræ furoris Domini. Plane ego totum arbitror ablatum, cuius partem ablatam video, quando panis & vinum vnum ſit ſacramentum, & alteram partem non niſi ad ludibrium relictam. Qui enim in vna parte contra Deum peccat, omnium reus eſt, Niſi forte Deus aliquot occulto iudicio ſeruauerit in fide integri ſacramenti, quo modo ſeruare poteſt multoſque ſeruauit in fide abſque vlla ſpecie ſacramenti. Igitur potius erat neutram partem quam alteram accipere, quo tutius euaderemus præuaricationem inſtituti Chriſti.

Liber huius ſacramenti vſus à Papa prohibitus.

Non iſto furore contentus, laqueo omnium cruentiſsimo & inimicidiſſimo conſcientiarum poſito, non permittit Sacramenti huius liberum vſum, ſed in vniuerſum omnes certa die ſemel in anno cogit communicare. Hic te obſecro, frater Chriſtiane, quot putas communicare ſolius præcepti huius neceſſitate, qui reuera ex corde mallent nõ communicare? At hi omnes peccant, quia non ſpiritu, id eſt, non fide, nec voluntate, ſed neceſſitate huius literæ communicant, Cum hic panis eſuriem quærat, non ſaturitatem, multo minus faſtidium aut odium. Et omnium horum peccatorum autor eſt Papa, ſua hac cruentiſſima lege, omnes in perditionem vrgens, cum debuerit liberam vnicuiq; relinquere communionem, & tantum vocare & exhortari, non cogere & impellere. Vide an non hinc totus mundus peccatis vſq; ad cœlum repletus, vel hoc vno Diluuio ſatis perdatur? Sic non ſolum priuat nos ſacramento noſtro, ſed & illud quod relinquit, non alio conſilio relinquit, quã vt orbem huius occaſione peccatis infinitis repleat & perdat.

Miſſa per Antichriſtum in bonum opus & ſacrificium verſa.

Sacrificulis vero multo peioribus modis illudit, Primum, Miſſam, cum ſit ſacramentum & teſtamentum, loco beneficij accipiendum, vertit in opus bonum, quo ſatisfaciant pro peccatis, ſuccurrantq; viuentibus & defunctis in omni tribulatione. Hoc commento omnes opes, glorias, poteſtates mundi ſibi vindicando, vt prorſus inutilis iam ſit Miſſa ad ſalutem, ſed tantũ ad quæſtum valeat ſub incredibili hac peruerſitate & impietate. Deinde & ſacrificium ex ea faciunt, quo Deo gratias agunt, & benefaciunt, tanquam egenti bonorum noſtrorum, à quo recipere debebant, Prorſus ſuperat hæc peruerſitas ſenſum & verba, & tamen ſtrenue totum obſidet & opprimit orbem. Tertio, priuatam rem ex communi facit, Miſſa enim vtraq; parte nunquam vni ſoli debet permitti, cum Chriſtus eam voluerit eſſe communem, vt Sacerdos celebrans collectæ ſecum alicui Eccleſiæ communicaret vtranq; partem. Nunc vero ſolus it, & priuatus ſacrificulus ſibi ſoli celebrans, ſoli ſibi vtranq; partem communicat. Interim tamen ſpiritualiter, vt dicunt, participat, applicat, communicat fructum Miſſæ, quibus volet, id eſt, ſomniat ſe aliquid communicare tanquam bonum opus & ſacrificium, Cum reuera communiter accipiendũ, ipſe ſolus accipiat, & tamen non vt donum Dei poſſeſſurus, ſed vt donum ſuum oblaturus. O quanta maria peccatorum in ſolo iſto ſacramento abundant? Deus bone quam rari vel nulli potius ſunt, qui eo legitime vtantur, quomodo Chriſtus inſtituit & Apoſtoli ſeruauerunt?

Antichriſtus ex Miſſa, re communi fecit priuatam.

Confeſſio peccatorum.

EAdem inſania in Confeſsione illa peccatorum omnia vaſtat. Primum enim, cum confeſſio illa, res plane vehementer ſalutaris, debeat eſſe libera, & noua lex, legem nullam patiatur, ſed tantum exhortationẽ, Tot peccata Papa facit, & tot animas perdit, quot & quoties inuiti confitentur. Quia dum non ex animo, ſed neceſſitate Papiſticæ legis confitentur, animo ſtante contra legem eiuſdem confitentur, ac ita peccant credentes infelici

conſci-

conſcientia,ſeſe teneri neceſſario confiteri, & tamen inuiti, id eſt, contraria voluntate,confitentur,ac per hoc ore non corde,id eſt,ficte,id eſt, dupliciter peccantes confitentur.Tu nunc vide,quæ maria peccatorum Papa hac vna lege confeſſionis impoſitæ & inuoluntariæ,in toto orbe erect.Quot enim ſunt, qui libere confitentur? At hæc nemo putat eſſe peccata,& ſecure pereunt omnes per filium hunc perditionis & hominem peccati abominatiſſimum.

Quo autem hæc maria peccatorum & perditionum ſint auctiora,cogit etiam peccata ſuarum legum confiteri,imo hæc omnium maxime,ad hæc tot peccatorum differentijs,ſpeciebus,generibus, filiabus, nepotibus,ramis,circumſtantijs,& infinitis alijs abominationibus, vt vel ſpiritualiſſimus incipiat hic peccare & perire,id eſt,inuitus confiteri. Stat enim vbique ſententia firma: Qui inuitus facit,non facit.Et iterum: Deo non placent ſeruitia coacta.Cum ergo Papæ nulla ſit harum legum neceſſitas,niſi ſtabiliendæ & augendæ ſuæ tyrannidis,patet,quod autor eſt infinitorum peccatorum, infinitarum perditionum, dum legibus poſitis,cauſam efficacem præſtat inuitis conſcientijs,quæ tamen teneri ſe credunt eiuſdem legibus. Credere enim ſe teneri,& id non ex animo facere,eſt ſine intermiſſione peccare , Sicut Rom. 14.dicit: Qui iudicat ſi manducat,condemnatus eſt, Omne enim quod non eſt ex fide , peccatum eſt. At hoc credere Papa exigit in ſuis legibus, & tamen animum faciendi præſtare non poteſt,tam nullam neceſſitatem aut ius habens illud exigendi,quam nullam poteſtatem hoc præſtandi,Ideo nulla cauſa niſi mera libidine replet orbem peccatis & perditionibus, & omnes Chriſtianos deuorat,ſicut Petrus dicit,eos,qui vere effugerant,ab illis in errorem rapi,Proinde Chriſtus eum nō abominabilem,ſed abominationē voluit vocare. Et Paulus non peccatum hominis & perditionem filij,ſed hominem peccati & filium perditionis,vt nihil niſi peccatum & perditionem in eo valere ſignificaret. Atq; hæc quidem in Papa videmus,vt niſi Chriſtus abbreuiet dies iſtos,non fiet ſalua omnis caro,Et quis ſcit,an dies abbreuiati pertineant ad infantes morientes ante tempus capacitatis huius abominationis?

Peccatorum ſictorum differentiæ ſpecies &c.

Pontifex Rom... autor ... peccatorum ... perditionum.

Rom.14.

2. Pet.2.
Matt.24.
2.Theſſ.2.

SAtisfactionem etiam legibus(Chriſte ſaluator) quot animas perdit? Quis has cruces,tortoras & mortes conſcientiarum percenſeat? Primum enim legibus datis,non modo tollit libertatem in hac re, ſed omnibus conſcientiam facit ſatisfaciendi,quod cum nemo non faciat inuitus,cogitur hac ſacrilega lege & erronea conſcientia in vnum conuenientibus,ſine intermiſſione peccare.Deinde nec legibus etiam ſatisfactiones alligat,ſicut Euchariſtiam & confeſſionem, ſed meris ſuis libidinibus,& ſcrinio pectoris ſui mendaciſſimi,tantū enim ſatisfacies,dabis,patieris,quantum ille & ſui ſatellites volent aut pecunijs egent. Atq; ita in conſcientijs vexandis hic mire ludit Satan,pro omni ſua malicia explenda. Vindicat hic victorias Martyrū, & pugnat cum ſemine eorū,qui eum de cœlo eiecerunt,habens irā magnam,vt in Apocal.viſū eſt,Iram hanc magnam ſic explet,vt noſtris perditionibus ludat & rideat,ceu in re conteptiſſima & ridicula.O nos ſtertentes intēpeſtiuiſſime.

Satisfactionum leges.

Quod ſi Papa hæc omnia libere permitteret,nec conſcientias illaqueaſſet, nihil peccati & perditionis operaretur. At hoc in Regni facioſi vaſtitatem vergeret,Ideo potius perdendus eſt mundus,quam vt regnum eius pereat, Sic videſ,quomodo Chriſtus aſt autor iuſticiæ,nuſquam ponens legem,peccatum & perditionem,ſed ab ijs,quæ poſita ſunt vocans & liberans.Papa autor peccati,vbiq; ponens legem,vaſtans iuſticiam & ſalutem,& in ea omnes vrgens ac propellens.Hic eſt non ſanctus,ſed ſanctiſſimus,non miniſter Chriſti, ſed Vicarius Chriſti,non ſocius,ſed Princeps Paſtorum. Væ tibi.

Apoc.12

Chriſtus autor iuſticiæ,Papa peccati &c.

Sequitur:

Et proſperabitur,& faciet.

Species pietatis ſub nomine Dei commendata.

VIdelicet per facies & Propoſitiones, cum ſit nihil potentius ad fallendum & perdendum ſpecie pietatis, præſertim nomine Dei commendata, Nec ſic tamen profeciſſet, niſi Satanæ operationibus adiutus fuiſſet, deſerente mundum Deo propter peccata. Quæ enim ratio naturalis non videat quam ſtulta & impia & præcipiat & faciat Papa in plurimis etiam ſine omni ſpecie? Et hæc tamen præualuerunt, adeo vt fruſtra ei reſiſteret vniuerſa Græcia. Nam quoties imperatores quoq; Germaniæ, quoties alij Reges, quoties multi Epiſcopi, quoties multi boni & eruditi viri huic monſtro reſtiterunt? Sed omnes victi, oppreſſi, extinctiq; ſunt. Præualuit operatio erroris, Vnde tantum illis inflatus eſt animus, vt ſecure iactarent formidinem ſui tanquam Chriſtus ipſe cum eis Eccleſiam ſuam defendens operatus fuerit.

Hiſtorici Itali.

Nota, loquor ijs, qui hiſtorias legerunt, in quibus hæc tam clare videntur, vt Hiſtorici Itali nihil non in laudem Pontificis Romani deprauantes, fœdiſſimeq; adulantes, Non tamen celare potuerint, adeo ipſe tenor rerum geſtarum, tot mendaciorum fucis & adulationum verſutijs per illos inuolutus, Tamen prodit abominationem, palamq; arguit, etiam inuitis adulatoribus, contra Euangelium pugnaſſe Pontifices. Cum aliud non obtineant ſcelerati illi Sycophantæ ſuis mendacijs, quam Papam pro Eccleſia, id eſt, ſua tyrannide egregie pugnaſſe, fraudaſſe, rapuiſſe, occidiſſe, cædibus, ſanguine, calamitate orbem repleuiſſe. Quæ quam non quadrent Euangelio, vtcunq; Blondis, Platinis, ſuiſq; ſimilibus, laudentur, ſtipes eſt, qui non intelligat, quantumuis etiā Barbarus. Pax enim & pacis miniſterium, & cura rerum ſpiritualium pertinebat vel primo affectu ad Romanos Pontifices. At Hiſtorici Itali eos laudant, quod Imperia, Regna, Epiſcopatus, Ducatus vexauerint, ſibique per vim & fraudem, ceu iure debita, arripuerint. Felix itaq; & proſper fuit in omnibus voluntatibus ſuis, reprobus factus Deo, ideo fecit & impleuit quæ voluit, fruſtra omnibus repugnantibus, pijs iuxta & impijs, ſacris & prophanis, rudibus & eruditis. Et impletum eſt quod ſequitur.

Et vaſtabit robuſtos, & populum Sanctorum.

IDem de Antiocho, figura Papæ dicit Daniel capite octauo, Et deiecit Stellas cœli, & conculcauit eas. Et Chriſtus Matt. 24. In errorem ducendos electos prædicit. Et Paulus efficacem errorem futurum aſſerit. Si vero mihi indulgere vellem, & ebraica verba acciperem in eo ſenſu, vt pro robuſtis, robora, pro populo Sanctorum, Apoſtolos & Euangeliſtas interpretarer, id quod verba non inuita mihi concedent, ſenſus eſſet, Papam talem fore, qui Scripturas ſanctas (quæ vnicum robur Eccleſiæ ſunt) & populum Sanctorum, id eſt, Apoſtolos & Euangeliſtas, corrumperet, perderet & vaſtaret, vt qui nulla autoritate Scripturæ teneri & capi velit, ſed omnes Scripturas ad ſuam libidinem torqueat, deprauet, corrumpat ac perdat, ſicut reuera facit. Hoc ſenſu, id quod ſequitur, prona conſequentia ſequitur, Ideo enim Scripturis nolet cogi, nec in ordinem redigi, quia ſuo arbitrio libere omnia velit geri, dici, doceri, intelligi & interpretari. Quod vt obtineat, potius omnia corrumpit, & libidinoſiſſime audaciſſimeq; interpretatur, quam vt ſenſu ſuo cedat, aut erraſſe ac mala egiſſe videri velit, vt hæc multis exemplis clare doceri queant in ſuis Decretis, vbi nuſquam non deprauat dicta ſcripturæ, Chriſti & Apoſtolorum. Hoc eſt quod nunc dicit.

Daniel. 8. Matth. 24. 2. Theſſa. 2.

Robuſti. Populus ſanctorū.

Et ad ſenſum ſuum erit.

Papa ſuperior omnibus nullius iudicio ſubiacet.

Quod ebraice dicitur (Ve al Schichlo) Et ad ſenſum ſuum, vt ſubintelligas verbū, erit, vel faciet, vel aliquid eiuſmodi. Hic tāgitur inſigne illud Papēſis regni, quo omnib. ſuperior Papa nullius iudicio ſubiacere docetur.

Omnes

Digitized by Google

Omnes enim ipſe iudicare vult, à nemine iudicari, Sicut iactant ſcelerati Papiſtæ, voce pluſquam tragica & ſtentorea. Quod iudicantium throni ab hac ſede accipiunt ſententiam. Hinc in Decretis ſuis mulris inſanit, Quod inferior ſedes non iudicet ſuperiorem. Huc illud c. Cuncta per mundum nouit Eccleſia, quod de ſententia Romanæ Eccleſiæ non liceat iudicare. Rogo, quid abominabilius dici & audiri poteſt hac blaſphema & ſacrilega voce? Hoc eſt

2.Pet.2. quod Petrus dicit, 2. Pet. 2. Audaces ſibi placentes, Nonne hoc eſt audere audaciam inauditam, Quod vnus homo impius & ſacrilegus omnibuſque ſceleribus obrutus, tum indoctiſſimus & rudiſſimus, præſumat à nullo iudicari, in nullo errare, omnes iudicare? Hoc eſt quod voluerunt, dum execratiſſimis blaſphemijs docent, *Papam eſſe ſuper Concilium, Eius ſolius eſſe interpretari Scripturas, eius iudicium vniuerſæ Eccleſiæ præferendum?* Nec tantum habent cerebri, vt ſentiant Eccleſiam (quemuis fidelem in Chriſto) ſpiritum ſanctum habere, cuius iudicio etiam Angelos cedere oporteat, nedum impium & indoctum hominem ſui tantum ſimilibus ſtipatum. *Papam eſſe ſuper Concilium.*

1.Pet.3. Hoc eſt, quod iterum Petrus prædixit, 2. Pet. 3. venturos, qui ſecundum proprias concupiſcentias ambularent. Quid eſt ſecundum proprias concupiſcentias ambulare, quam quod hic Daniel dicit, ad ſenſum & opinionem & voluntatem ſuam omnia geri ab hoc Rege? (Sechel) enim Ebraice, id quod latinè mens, ſenſus, opinio, arbitrium & affectus ſui ſenſus dicitur, quod Græce νοῦς vel φρόνημα, quo modo ad Rom. 8. dicit, Qui in carne ſunt, ea quæ carnis ſunt, ſapiunt. Et iterum: Prudentia carnis mors eſt. Hoc ſapere, hoc ſentimentum (vt vocant) Daniel hic ſignat. Quòd in Papa tale videmus, vt etiam contempta Scriptura audeat de ſolo ſuo cerebro pronuntiare & definire, ſola fretus tyrannidis magnitudine. Hinc venit, quod ſe Eccleſiam vocat, iudicium non patitur, Magiſter, Doctor, caput Eccleſiarum eſſe nititur, Regulam fidei ſe facit, ipſe bis ſepties incredulus. Et laudatur tamen impius in ijs deſiderijs ſuis. En quid ſit ad ſenſum ſuum agere omnia. An poteſt aliquid abominabilius cogitari, quã vt Eccleſia Spiritu ſancto viuens & agens, cedat ſenſum ſuum hominibus ſacrilegis, impijs & indoctis, ſolius tyrannidis violentia præſumentibus? Et tamen hoc pro ſummo fidei articulo hodie iactatur, Et nemo hæreticior Hæreticus, quã qui hoc vel ſigno dubitare ſeſe oſtendat. Vere Satanæ regnum ad finem ſuum venit. Dum enim imprudens ſua nimio firmat & viget, fit diuino iudicio, vt ſeipſum prodat, tanquam malæ fidei Patronus, non alia re quam hac ipſa nimia inſtantia & cura, dum in rebus nihil ſic magnificat hæreſes, Qui tamen patiens tacet, ſi quis etiam Deum negaret, aut omnibus ſceleribus perditus ſit, ſicut videmus in ipſis Pontificibus. Si enim ſpiritu Dei agerentur, primùm & maxime, quæ Dei ſunt, quærerent. Nunc quia ſua quærunt diuinorum incurioſiſſimi, quo ſpiritu ferantur, abunde latis apparet. *Ambulare ſecundum proprias concupiſcentias.*

Rom. 8.

Pſalm.10.

QVare hoc facierum & propoſitionum Rege ad ſuum ſenſum omnia faciente, nihil vero ad Scripturæ iudicium admittente, neceſſe eſt euacuari & vaſtari Paulum, vbi 1. Corinth. 14. dicit, *Quod ſi ſedenti reuelatum fuerit, prior taceat.* Et iterum: Vnus aut duo prophetent, cæteri iudicent. Quid Papa? nulli, inquit, ſedenti reuelatur aliquid, ſed ego prior ſolus loquar, cæteri audiant. Et iterum: Cæteri non iudicent, ſed ego prophetabo, & cæteri iudicentur, Nos ſumus Magiſter, Propheta & Vicarius Dei. Noſtra eſt lingua, ſeu vt Pſal. 12. dicitur, linguam noſtram magnificabimus, labia noſtra, noſtra ſunt, quis noſter Dominus eſt? Sic enim ſacrilegus plus quam ſuperbiſſimus Pelagius in ſuo Decreto dicit. Vbi eſt maioritas, ibi mandandi autoritas, cæteros manet obediendi neceſſitas. Dic ſi potes, An vllus *Pelagius.* *Vbi eſt maioritas*

1.Corin.14.

Pſal.12.

Regum ab initio mundi tanto faſtu, tanto tumore, tanta arrogantia, tanta audacia, tanta pertinacia, tanta ſui placentia, tanta bucca, tanta temeritate, tanta præſumptione leges ſuas ſtatuerit & exegerit, quanta vnus & ſolus Papa? Ne Deus quidem ipſe tanta maieſtate & potentia exigit. Nonne ergo dignus ſucceſſor Petri illius, qui docuit, 1. Pet. 5. *Omnes humilitatem inuicem inſinuate.* *1. Pet. 5.* Quid hoc eſt, niſi inuicem ſenſum cedite? Et Paulus Rom. 12. Inuicem ſuperiores arbitrantes. *Rom. 12.* Et illud Prou. 23. Prudentiæ tuæ pone modum. Et iterum: Ne innitaris prudentiæ tuæ. *Prouer. 23. 3.* Et Paulus: Nolite eſſe prudentes apud voſmetipſos. *Rom. 12.* Hoc enim Romanis proprie ſcripſit, ſicut & Petrus, dum αὐθάδεις, id eſt, ſui ſenſus & prudentiæ homines prophetaret futuros, & qui ſecundum proprias concupiſcentias ambularent.

Non ſolum autem in iudicando nullius ſequitur ſenſum, ſed & in docendo & viuendo. Perſpice totam hodie Eccleſiæ faciem, & refert, ſi potes, in qua profeſſione, qua ſecta, in qua parte viuatur, ſecundum Dei præcepta? *Coloſ. 2.* *Voluntaria religio.* Nonne vbiq; docetur & viuitur ſola ἐθελοθρησκεία (vt Apoſtolus vocat) id eſt, voluntaria religio, vnuſquiſq; facit quod ſibi rectũ videtur, quaſi nullus ſit Rex in Iſrael, vt Iud. 19. dicitur. Et hæc omnia Papa laudat & roborat, cum *Deut. 12.* lex Deut. 12. ſeueriſſime prohibeat hos proprios ſenſus. Et Amos 4. *Amos. 4.* Sacrificate de fermento laudem, & vocate voluntarias oblationes, & annunciate, Sic n. *Rom. 1.* voluiſtis filij Iſrael. Et Paulus reprobat inuentores rerum nouarum.

Proprij ſenſus temeritas damnatacre

Verum, longe omnium pulcherrimo exemplo Ioſuæ damnatur deteſtabilis illa proprij ſenſus temeritas, vbi poſtquam eum exhortatus fuerat ſpiritus, & egregiæ promiſerat tranſitum Iordanis, noluit tamen dirigi ſuo ſenſu, ſed Scripturæ ſuæ iudicio, dicens c. 1. *Confortare ſolummodo & eſto valde robuſtus, vt cuſtodias & facias omnem legem, quam præcepit tibi Moſes ſeruus meus.* *Ioſue 1.* (Non vtiq; tuum ſenſum, quem nemo præcepit) Non declines ab ea, neq; ad dextram neq; ab ſiniſtram (ecce ſenſum proprium prorſus extinguit) vt intelligas cuncta quæ agis (intelligi autem non poſſunt qualia ſint, ſi ſecundum ſenſum noſtrum citra legem Dei fiant. Neſcimus enim, an Deo placeant, aerem pugno verberamus, in incertum laboramus, imo certum eſt non placere Deo, quæ ſunt eiuſmodi, vt hic claret ex ſua prohibitione) Nec recedat volumen legis huius ab ore tuo, & meditaberis in eo die ac nocte, (O neceſſariam monitionem, ſed contemptam Antichriſto. Signa, quæſo, verba huius legis, ab ore tuo die ac nocte &c.) vt cuſtodias & facias omnia quæ ſcripta ſunt in eo (non autem aliena & extranea) Tunc proſperaberis in via tua, & intelligens eris (id eſt, tunc opinio & ſenſus tuus ſanus erit) tunc rectum videbis, ideo proſpere procedes, & præualebis. Contra, ſi tua opinione inceſſeris, nihil habebis proſperum, quia non ſecundum legem Dei, ſed ſecundum tuum ſenſum & conſilium procedis. At Dominus nouit viam iuſtorum, iter impiorum peribit. Beatus ergo, qui non abierit in conſilio impiorum. *Pſal. 1.*

Papa iactat ſe eſſe Eccleſiam.

At Papa noſter adeo in his ſuis opinionibus contempta lege Dei gloriatur, vt iactet ſeſe Eccleſiam & Concilium inerrabilẽ eſſe, nec videt, quod hic Ioſue non minus plenus fuerit ſpiritu, quam vllus vnquam Papa fuerit, nec tamen agi ab eo quidquam vult, quod non ſit expreſſe in Scripturis traditum, vt Eccleſia multo magis non ſit ai ſchiehlo, ſed ſenſu Dei & Scripturæ teſtimonijs nitatur. O Papa. Verum ille, qui eſt al ſchiehlo, homo ſui ſenſus, hæc facile ſoluit & eludit, dum ficta diſtinctione & effugij commento vafro doloſiſſimoq; reperto, inter iuriſdictionem & charitatẽ diſcernit & dicit. Prædicta Scripturæ teſtimonia de charitatis officio, non de iuriſdictionis *Eccleſiaſtica Hierarchia.* tyrannide (quam Eccleſiaſticam Hierarchiam vocant) intelligi, cum iuriſdictio in Eccle-

Digitized by Google

ſt in Eccleſia nihil fit, niſi charitatis miniſterium, ſeparans ſacrilega temeritate
Matth. 24. officium & charitatem, vt impleat quod ſequitur.

Et proſperabitur dolus in manu eius.

VEl hoc nomine in primis fortunarunt Antichriſti conatus, quod etiam Electis impoſuit, ſicut Chriſtus ait: *Surgent Pſeudochriſti & Pſeudopropheta, & dabunt ſigna, ita vt in errorem inducantur, ſi fieri poteſt, etiam electi.* Hic enim monet, futurum, non vt nō errent Electi, ſed vt nō inducantur in errorem, id eſt, error non dominabitur eis, neq; tenebit eos in finem, ſed vel in morte redimentur. Sicut in oratione Dominica, non vult nos non tentari varijs tentationibus, ſed non induci, id eſt, non vinci teneriq; tentatione in finem vſq;, Septies enim cadit iuſtus, ſed toties reſurget. Sic per Papam erraſſe S. Bernardum, Franciſcum, Dominicum, & multos alios ſanctiſſimos viros & fœminas, vt Regnum facierum non intelligerēt, & multa Papæ probarent, non dubito, alioqui in eum inſurrexiſſent verbo Dei, ſed nondum erat tempus. Huc mihi Bonauenturam numero incomparabilem virum, in quo multum fuit ſpiritus, præ omnibus, qui ex Academijs ſeruati ſunt, De quo numero & S. Thomas Aquinas, ſi tamen ſanctus eſt, nam vehementer dubito, cum adeo nihil olfiat ſpiritus in eo, Omnes, inquam, hi viti in errore fuerunt, Papæ abominationem ſecuti, ſed citra pertinaciam, & vel in morte liberati.

Non induci in tentationem.

Bernardus. Franciſcus. Dominicus. Bonauentura. Thomas Aq.

Si ergo Electos ille corrumpit, quos tamen in corruptione ſua non retinet, Quid de reliquis fieri putandum eſt, qui non errant modo, ſed pertinaciter errorem pro pietate defendunt? O debile Argumentum, quod è factis & operibus Sanctorum colligunt Papiſtæ, more ſuo inſani, quando Daniel robuſtos & Sanctorum populos corrumpi prophetet. Non enim de fictis Sanctis loquitur, cum Chriſtus eum explicans, Electos appellet. Nulli ergo fidendum Sanctorum exemplo, ſed ſolido Scripturæ teſtimonio & veritati nitendum. Iohannem Huſs & Hieronymum, & quos alios occidit, neſcio, an huc referre debeam, vt quos corpore non ſpiritu vaſtauit, Puto enim de ſpirituali eum vaſtatione loqui. Quomodo igitur non proſperaretur in manu eius non veritas Euangelij, ſed furtus, facies, ſpecies, & fallacia inanis (vt Paulus appellat) hypocriſis ſuarum doctrinarum, quando extincto robore Scripturæ & omnium aurorum eius Sanctorum exemplo à ſe ſtantium roboratur? Quid enim non proſpere efficiat, quando iam non ſolum facies & Propoſitiones, id eſt, ſui doli, ſed & ij, quos vere ſanctos noueris, pro eo faciunt? Quis hic vel mutire contra audeat, vbi mendacium veritate, hypocriſis ſanctimonia, dolus ſimplicitate, iniquitas pietate iuuatur? O tempora vere periculoſa, & nouiſſimis diebus digna, quando reprobis omnia cooperantur in malum, etiam bona, ſicut Electis omnia in bonum etiam mala, hoc per ſpiritum Dei, illud per ſpiritum Satanæ, ſicut prædixit Apoſtolus.

Tempora periculoſa.

Eat nunc qui audeat, & ſecutus viuat, & in Patrum dictis ac factis confidat. Plane hic Daniel Satanam indicat, qui dolum proſperari in manu hujus Regis dicit, Non enim ſua efficacia efficax eſt, nec ſua manus diriget dolum: Sed Satanas manum eius ducet, & ſic dirigetur dolus in manu eius. Quomodo potuit regnum & opera Papæ melius deſcribere? quod non eſt niſi meri doli, & tamen felix & proſperum, adeo, vt etiam apertis mendacijs & ludicris rebus infatuet Mundum, vt patet vel in ſolis indulgentijs. Nam quidquid audet, quantumuis impurum mendacium Papa, tamen proſperatur. Igitur dolus in manu eius proprie ad deprauandas Scripturas pertinet, Hic enim deiecit Stellas cœli & conculcauit eas. Atque in hoc dolo, quam felix fuerit, omnium experientia euidenter teſtatur, Quicquid enim voluit, hoc dixit exponendo, Quicquid autem dixit exponendo, hoc pro Dei oraculo habitum eſt, & habetur vſque hodie, vt nec rationibus, nec ſcripturis, ſed

ris, ſed nec ipſis euidentiſſimis experientijs contra niti licuerit, Donec & communem humanæ naturæ ſenſum omnibus abſtulerit, & ea tentarit, quæ ſi Gentiles olim tentaſſent, inſanire viſi fuiſſent. Poſtquam autem omnia proſpera ceſſere, vt iam nec fides, nec ſpiritus, nec vox Euangelij, nec Scripturæ autoritas ei reſiſteret, quid putas, reliquum erat, niſi id quod ſequitur?

Et in corde ſuo magnificabitur.

NVlli enim non ſeſe iam præferet, nulli non omnia imperabit, omnia ſibi ſubijciet, vix ſummos Reges ad oſcula beatorum pedum admittens. Nec eſt enim, cui ſe æquare dignetur in tota terra, ſi etiam ſanctiſſimus & doctiſſimus, Denique Ipſe non Apoſtolus, ſed Epiſcopus Apoſtolorum ordine longe inferior. S. Petro æqualem ſe facit, Principē omnium, Imperatorem in rebus (vt vocant) ſpiritualibus, & temporalibus, Dominum mundi, In Petro enim accepiſſe vult iura terreni ſimul & cœleſtis Imperij, atq; hoc triplex illa teſtatur corona, & faſtus iuxuria totius mundi luxurioſior. Sic ſcilicet Chriſti pauperis vicarius, & ſucceſſor Petri, refert illorum imaginem, Deponit n. Principes, Reges, Epiſcopos, & quidquid eſt in mundo ſublime, pro mera libidine, ipſo mundo excelſior & mundanior factus. De quo ſupra diximus è Petro & Iuda Apoſtolis, quomodo glorias & Maieſtates ſpernat & maledicat, omnium omnia ſibi rapiens & ſubijciens. Si enim ſenſu ſuo poſito, ſcripturis illæſis inuiolatiſq;, citra dolum ſuæ interpretationis, vellet cogi & teneri, facile ab hac magnificentia cordis ſui terraberetur, & ad Euangelij miniſterium ac obſequium pauperum reuocaretur. Sed oportet impleri ſcripturas, vt omnium dominetur & magnificetur opinione ſua ſuper omnes res mundi. Nam Daniel non fruſtra adiecit: *In corde ſuo magnificabitur.* Non enim coram Deo aut Dei voluntate ſic eleuatur, ſed ſuo corde, ſua opinione, ſua temeritate, per dolos, facies, propoſitiones & alienas efficacias. 2. *Pet.* 2.

Triplex corona Antichriſti.

In corde ſuo magnificabitur.

Nec contentus abominatus ille, quod in terris omnium ſummus & maximus imperaret, (ſicut dicitur, ſummus & maximus Pontifex) in Purgatorium cœpit manus extendere, ſed & Angelis auſus eſt mandare, & in omnium conſcientias irruere, ne nihil eſſet, quod magnitudo cordis eius non auderet inuadere, Vincit hæc abominatio incogitabilis plane omniū captum.

Summus & maximus Pontifex.

Sequitur.

Et in ſucceſſu vaſtabit plurimos.

SVcceſſum vocat rerum omnium abundantiam (vt noſter recte vertit) Conculcatis enim verbo, fide, Scripturis, & omnium omnibus ſibi ſubiectis, plane omnibus abundat. Quis enim tot opes, tot voluptates, tot honores habet, vt Papa & papiſtica ſecta? Nonne omnia optima in mundo ſunt illorum? Nonne ea ſecuriſſime poſſidet? Nonne his feliciſſime fruuntur, in omnem pompam, luxuriam, faſtum, & quid dicam? Mundus ſi Papiſtico Regno compareiur, ſordet, & ne mundus quidem eſſe videtur. Quid n. aliud faceret, vbi nec verbo nec Scriptura teneretur, & omnibus omnia pro ſui ſenſus libidine imperaret & interpretaretur? Qui ſint illi multi, quos ſucceſſus perdat & corrumpat, malo cuiuſq; iudicio relinquere, quam ipſe perſequi. Cardinalium enim, Epiſcoporum, Monachorū, Sacerdotum vulgus, quid eſt aliud quam populus Papæ, ocio, opibus, ſaturitate, ſecuritate, luxu, libidine perditus ſine fide, ſine verbo, ſine Scripturis, ſine labore, ſine cura vitam iſtam carnis perdens? Hos enim in ſuis quoſq; ordinibus fouet & auget magnificus iſte Rex faciērū, dolis & mendacijs, è ſpiritualibus & Eccleſiaſticis faciens ſepties carnales & mundanos, ſub ſpecie pietatis & religionis incedentes.

Populus Papæ.

Sequitur;

Sequitur.

Et contra principem principum ſtabit.

HÆc eſt ſumma ſummarum, quod Chriſto reſiſtet, eius verbum extinguet, proprio verbo in illius locum poſito. Quod Apoſtolus dicit: Sedebit in templo Dei, oſtendens ſe quaſi ſit Deus. Et iterum: Qui aduerſatur & extollitur ſuper omne quod dicitur Deus, aut quod colitur. Huc pertinet, quod veritatem verbi Dei palam damnauit Papa Conſtantiæ in Iohanne Hûſs vſque in diem præſentem perſeuerans in eadem aduerſandi & damnandi pertinacia, Non enim aduerſus perſonam Chriſti ſtare poteſt, ſed ſtabit, id eſt, definiet contrarium Chriſto, Et hic eſt finis eius. Extincto enim verbo & vaſtata fide, vaſtataque Scriptura & Apoſtolicis literis, iam Angelis ſuperior factus, non erat quidquam reliquum, niſi vt ſaturatus & incraſſatus etiam inſurgeret aduerſus Dominum & Deum ſuum, auſurus altiora ſi quid altius eſſet. At cum Deo nihil ſit altius, neceſſe eſt, vt hic ſiſtat abominatio, & finem ſui accipiat, vt ſequitur:

2. Theſſ. 2. — Iohannes Huſſ.

Et ſine manu conteretur.

SIc Apoſtolus: *Quem interficiet Dominus Ieſus ſpiritu oris ſui, & deſtruet illuſtratione aduentus ſui &c.* Non ergo Papam & regnum eius (licet miſere id metuant) Laici vaſtabunt. Indigni enim ſunt hac mitiſſima vindicta, ſed Chriſti aduentui reſeruantur, cuius hoſtes omnium atrociſſimi ſunt & fuerunt. Sic enim perire debet, qui aduerſus omnia conſurgit, non manu, ſed ſpiritu Satanæ, vt Spiritus ſpiritum occidat, & veritas dolum reuelet. Reuelaſſe enim mendacium, deſtruxiſſe eſt.

Vaſtatio regni Papiſtici reſeruatur.

IN fine ad te reuertor, mi Vincilae, ſatis abunde (vt credo) Catharinis meis obſecutus, quo videant, non negari à me quam plurima in Scripturis, de iſto ipſorum Principe & Capite dici. Quod etiam eo libentius feci, quod meminerim in Capt. Baby. me promiſiſſe alteram quandam Reuocationis partem, qualem exactores iſti Palinodiæ indomiti & inquieti Papiſtæ, hactenus non audierint, Id quod hac Danielis explanatione arbitror me præſtitiſſe egregie. Volueram plura huius Catharini cõfutare, præſertim illud, quod mihi homo ſuauiſsimus & acutiſsimus Thomiſta concedit, Amorem eſſe priorem odio (ſic enim ego docueram, odium peccati & contritionẽ ex amore iuſticiæ priore fluere) Verum amorem illum ait eſſe amorem ſui, quo ſeſe homo diligit, ne pereat, atq; ita peccatum odiat. Non videns inſulſiſsimum caput, amorem hunc eſſe inordinatũ, ſeruilem, mercenarium, & plane illud, contra quod vniuerſa pugnat Scriptura, Scilicet tales ſunt iſti contritores, ſatisfactores, confeſſores, vt amori iſti omnium vitiorum fonti, tribuant opus virtutis & odium peccati. O Thomiſtas, ô Papiſtas, ô Romaniſtas, deploratæ cæcitatis homines. Sed quia totus Liber, non niſi cæcitate & confuſiſsimis erroribus mendacijſq; ſcatet, vt

Cap. Baby.

multas lernas ſuperet vnus, id quod omnes noſtri, qui legunt, quantumuis barbari & beſtiæ ſint Germani, vno ore confitentur, ſic enim & tu ipſe iudicaſti exploſione digniorem quam confutatione, ſuſpendo vela diſputationis meæ. Quod ſi qua in eo eſſet etiam vis ingenij & eruditionis, tamen cum Daniel meus vniuerſum Papiſtarum regnum vno impetu deuorarit, facile & hunc Catharinum eo Regno maxime nitentem ſimul deuorat, Quid faciet vnicum folium aduerſus ventum, arborem cum radice euertentem?

Ad Syluestrum vero, quem inter hæc ad me miſiſti, nihil aliud reſpondeo, quam quod ad Replicam eius olim reſpondi. Præter titulum enim quo iactat errata & Argumenta Martini Lutheri, diſcuſſa & trita &c. nihil facit. Deus bone, etiam Italia tam barbara & monſtrifica ingenia tandem gignit? Nec habet infelix facierum Rex alios defenſores, quam hos inſulſiſsimos, rudiſſimos, indoctiſsimos nugatores? Quam feliciter enim theologiſet Sylueſter, hinc æſtimabis, quod ait de honeſtate eſſe, non de neceſsitate, diligere Deum ex toto corde, quod quid eſt aliud, quam abrogare & refigere vniuerſam legem Dei? O furorem, ô impietatem inauditam, Atque vtinam hic ſaltem legiſſet ſuum Aquinatem.

Hoc meo Libro habent quod agant homines loquaces & ſcribaces, niſi fallor, quamuis ſperem eo vſque rem mihi perductam, vt ſuperati mea perſeuerantia, ſolis clamoribus, furijs, fraudibus, viribus, deinceps in me ſint graſſaturi, vt in Hæreticum, qualem omnia ſecula non viderint. Obturabunt autem aures ſuas, ſicut aſpis illa, quæ vocem incantantis non audit. Nec hoc agent, vt Scripturis contra me pugnent, ſed abolendum duntaxat de terra clamabunt. Verum ego ſcio, & certus ſum, Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum viuere & regnare, qua ſcientia & fiducia inflatus, non timebo etiam multa millia Paparum. Maior eſt enim, qui in nobis, quam qui in mundo eſt.

Oremus igitur, vt Deus & pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, aliquando nos reuiſat, ſecundum omnia mirabilia ſua, & oſtendat illum, quem promiſit, diem aduentus gloriæ Filij ſui, quo deſtruatur iniquus iſte homo peccati & filius perditionis, faciatque tandem finem operationibus erroneis Satanæ, quibus, proh dolor, omni momento, multa millia animarum vaſtantur, & ad infernum rapiuntur, propter ſolam ſeruandam abominationis & apoſtaticæ ſedis tyrannidem. Dicat omnis populus, Amen, Amen. Vale in Chriſto mi Vincilae.

1. Aprilis M. D. XXI.

Rationis

RATIONIS LATOMIANAE, PRO INCENDIARIIS LOVANIENSIS SCHOLÆ SOPHISTIS REDditæ, Lutherana confutatio.

I E S V S.

INTEGERRIMO VIRO D. IVSTO IONÆ COLLEGII ECCLESIASTICI VVITtembergenſis Præpoſito, ſuo in Domino Maiori, Martinus Lutherus, in Domino S.

ET ego magiſtratui tuo recens inito, ſuauiſsime Iona, gratulari cupiens, cum ipſe adeſſe non poſſem, ſtatui hunc Latomum meum ad te mittere, non iam eum, qui linguarum peritiam calumnietur, Concidit enim iſte Ieſbibenobus, virtute Abiſai noſtri, ne quid metuas, Sed nec eum, qui malignis moleſtiæ fucis & inauſpicatis vocum verſutijs Louanienſium incendiariorum crimen ſerus patronus iuſtificet, quem te credo vidiſſe, hominem ſcilicet gloriantem in Domino Papa & Bulla eius. Eum autem mitto, qui Lutherano februo luſtratus mitius habere videtur à lamijs & lemuribus, quibus hactenus agitatus agitareque ſolitus eſt pia corda. Si hanc Rationem in tempore reddidiſſent, & ante factum, vt decebat, ſapientes iſtos viros conſuluiſſent, Libellos meos neque damnaſſent neque exuſſiſſent, neque nunc ſtultorum more poſt factum demum conſulerent, tantum me ſpero effecturum fuiſſe. Satis me docet hoc Libro Latomus, quam facile fuerit illis abſente Luthero, in ſuis angulis garrire, hoc eſt hæreticum, hoc eſt erroneum, quod in publico nullis freti viribus auſi fuiſſent attingere.

Denique perſuadeo mihi, non fuiſſe vnquam prodituram hanc egregiam Rationem, niſi Bulla fiduciam eius inflaſſet, qua gloriatur Latomus ſuum factum comprobatum, ſomnians adhuc Bullarum antiquos antiquatosque terrores, atque hinc orbem ſuo Libello pauefactum confidit, vt audeat iam ſine timore in Lutherum tremendis Dei ſcripturis ludere. At ego nollem non probatum tale factum tali Bulla, Rurſum, nollem me non damnatum tali Bulla, Omnia belle congruunt Bulla, cauſa, iudex, Patronus, à quorum conſortio & contagio ſeruet me Dominus Ieſus, & omnes pias animas, Amen.

Non facile vero credas, quam inuitus à literis pacificis Chriſti,

quibus me in hac Pathmo dederam, auulſus, vepricoſi & ſentico-ſi Sophiſtæ nugis legendis tempus impendi, videns hominem à planta pedis ad verticem vſque ſophiſticum, tum Bullæ veſica turgentem ea confidentia ſcripſiſſe, vt iam nec diligentia nec iudicio ſibi opus fuiſſe putarit, contentus effutire, quidquid vel legerit vel in buccam venerit. Quibus moleſtiſsimum eſt reſpondere, vt in quibus nec ingenium exercere, nec eruditionem alere poſsis, & tamen optimas horas perdere cogaris, Suſpicor hominem crediſiſſe, Lutherum aut è medio ſublatum, aut perpetuo ſilentio damnatum eſſe, quo rurſum libere publicum occuparent tyrannide ſophiſtica, cuius imminutæ ruinam non leuem meam culpam faciunt, atque vtinam plena eſſet ruina, vt plena hac culpa, ſepties irremiſsibili (ſi ſanctiſsimis Bullarum pontificibus credimus) peccare liceret in mortem vſque.

Vereor autem, ne dum de gratia & operibus bonis fortiter pugnamus, interim & gratia & operibus nos ipſos priuemus. Ego quidem intutus horrenda iſta iræ tempora, aliud non peto, quã vt dentur fontes aquarum capiti meo, vt flere poſsim vaſtationem iſtam nouiſsimam animarum, quam operatur Regnum iſtud peccati & perditionis, Sedet portentum Romæ in medio Eccleſiæ, & venditat ſe pro Deo, adulantur Pontifices, obſequũtur Sophiſtæ, & nihil non pro eo faciunt Hypocritæ. Interim infernus dilatat animam ſuam, & aperit os ſuum abſque termino, & ludit Satan in perditione animarum. Nec in nobis eſt, qui ſerio & cum lacrymis ſtet in die furoris huius, & opponat ſe murum pro Iſrael. Hinc plenus indignatione in iſtos ſacrilegos Latomos, qui in his ſerijs ſophiſticantur, & nos meliora intermittere, & ſuis inſanis inſanijs occupari cogunt, Imprecor induriſsimas eorum frontes illud, Erubeſcant & conturbentur omnes inimici mei, conuertantur & erubeſcant ſubito. *Iſai. 5.* *Pſalm. 6.*

Sed ne longiore Epiſtola te morer, ad Latomianæ præfationis capita alio principio reſpondebo. Tu interim hoc mei in te animi teſtimonium agnoſce, & roga Dominum pro me, vt & ipſe liberer à malis (ſic enim nunc audeo cum Apoſtolo) & infidelibus hominibus, qui ſunt in iſta Babylone, & oſtium mihi aperiatur in laudem gloriæ gratiæ Euangelij filij ſui. Sed & ego Dominum oro, vt impartiat tibi ſpiritum ſuum, quo Decretales Antichriſti peſtilentiſsimas, quibus docendis mandatus es, non alio ſtudio profitearis, quam quo tibi dixi, Nempe, vt ſis Aaron & veſtibus ſanctis indutus, hoc eſt, diuinis Scripturis munitus, apprehenſo orationis thuribulo, procedas in occurſum Vaſtatoris huius in medium incendium iſtud Romanum, quo flagrat orbis propediem alio incendio de cœlo per aduentum Saluatoris noſtri, quem expectamus, extinguendum. Ita mi Frater, fa-

cito,

cito,vt doceas dediſcenda eſſe,quæ doces,& ſciant fugienda,ſicut mortifera, quæcunque Papa & Papiſtæ ſtatuunt ac ſentiunt. Cum enim vi non poſsimus hoc publicum Orbis malum abolere,cogamurque has ſacrilegas Babylonis prouincias adminiſtrare,hoc reliquum eſt,vt ſic adminiſtremus, vt eas longe alias & patriæ Hieroſolymitanæ aduerſarias vaſtatrices & inſatiabilis crudelitatis hoſtes intelligamus,ne cum ijs, qui pereunt, in quibus opertum eſt Euangelium gloriæ Dei, captiuitatem noſtram etiam rideamus & palpemus.

Nec leue puta miniſterium tuum,ſi iuxta Papæ excrementa venenoſa,& inſaniſsimas inſanias ſalutare & viuificum Euangelium Chriſti compoſueris,vt Iuuentus habeat antidotum aduerſus hoc virus,cuius odor etiam occidit hominem, donec diſcat per ſeſe reprobare malum, & eligere bonum, Is tibi eſto commendatus Emanuel. Confortare igitur,& eſto robuſtus,& Baalphogor iſtum ne metuas,cum vix ſit Baalzebub,hoc eſt,vir muſcæ,ſi credimus tamen,quoniam Ieſus Chriſtus eſt Dominus benedictus in ſecula, Amen, Qui te & Eccleſiolam ſuam apud vos perficiat conſolidetque, In quo vale. In loco peregrinationis meæ,Octaua Iunij, M. D. XXI.

AD PRAEFATIONEM LATOMI.

PRimum criminatur Latomus, me verbotenus mea ſubmiſiſſe Papæ ab initio,hoc quidem pro ſophiſtica fiducia fingit. Ego vero doleo, me tam ſerio ſubmiſiſſe, Ex animo enim nihil aliud tum ſenſi de Papa, Concilijs, Vniuerſitatibus, quam quod vulgo audiunt,Quanquam enim multa mihi eorum abſurda viderentur & à Chriſto alieniſſima, infrenaui tamen cogitationes meas,vltra decennium illo Salomonis: *Ne innitaris prudentiæ tuæ*,ſemper arbitratus in Academijs latere Theologos,qui ſi impia hæc eſſent, non ſilerent, tum vix alibi minus putabam eſſe tam craſſos ſtipites & aſinos,nunc autem & malos, quam Louanij.

Creuit autem intra cauſam,vt rerum cognitio,ita & animus,cum illi ſuam inſcitiam & nequitiam in hoc ſignum contradictionis oſtendentes, egregie prodetent. Quas niſi tam immani copia reuelaſſent,& ſimulare vltra potuiſſent,certe me ſtultum in finem vſque dementaſſent. Gratias autem ago Domino meo Ieſu Chriſto, qui pro hac tentatione me centuplo temporali huius ſcientiæ honorauit,vt iam perſuaſiſſimus ſim , Papam eſſe portentum illud vltimum omnibus Scripturis prædictum Antichriſtum. Vniuerſitates *Papa Antichriſtus.* vero ſynagogas Synagogarum Satanæ,in quibus Sophiſtotheologi, Epicurei *Vniuerſitates Satanæ ſynagogæ.* illi porci ſuum regnum regnant.

Longè me abeſſe à modeſtia euangelica dicit, quam doceo,præſertim in eo Libro,quo illis ipſis Louanienſibus Sophiſtis reſpondi,cum mea doctrinaliter damnaſſent, At nunquam exegi,vt me quis modeſtum aut ſanctum haberet,ſed vt Euangelium omnes agnoſcerent,data licentia in meam vitam graſſandi cuiuſuis libidini. Hoc tamen gloriatur conſcientia mea, nullius vitam aut famam eſſe à me læſam,ſolum dogmata,ſtudia & ingenia in verbum Dei impia & ſacrilega,acerbius inſectatus ſum. In quo,vt non deprecor cul-

pam, ita non ſum ſine exemplo. Iohannes Baptiſta, & poſt eum Chriſtus, vocat Phariſæos genimina viperarum, immodeſtiſſimo & atrociſſimo maledicto, in tam doctos, ſanctos, potentes & honoratos viros, vt eum rurſus dæmonium habere dixerint ipſi. Si hic Latomus iudex fuiſſet, obſecro, quæ ſententia illos manſiſſet? Alibi Chriſtus, cæcos, mendaces, pravos, filios Diaboli vocat. Paulus vero (Deus bone) quam eſt ab Euangelica modeſtia remotus, dum anathema facit Magiſtros Galatarum magnos, vt arbitror, viros, alios canes, vaniloquos, deceptores, tum Elymam magum, filium Diaboli, plenum omni dolo & fallacia criminatur in faciem.

Phariſæi à Iohanne Baptiſta & Chriſto vocati genimina viperarum. Paulus.

Galat. 1. Philip. 3. Actor. 13.

Nec puto fas eſſe Sophiſtis, vt animum meum iudicent, cum opus meum ab Apoſtolis, Chriſto & Prophetis diſſentire non videant. Sed modeſtia Euangelica, noſtro ſeculo, præceptoribus Latomis ea eſt, quando impijs & ſacrilegis tum Pontificibus, tum Sophiſtis, genu flexo, dicimus: Gratioſe Domine, Gratia veſtra bene facit; Magiſter noſter eximie, veſtra excellentia bene dicit. At ſi eos dixeris, id quod ſunt, indoctos, ſtupidos, impios, ſacrilegos in verbum Dei, cum inæſtimabili pietatis & animarum iactura, tum vniuerſum Euangelium læſeris.

Cæterum, ſi his palpatis, omnes mortales vel occideris, & orbem ſubuerteris, non fueris immodeſtus. Quando enim Latomus Papam criminaretur immodeſtiæ, tot bellis & malis artibus inſanientem? ſcilicet adeo pendet Euangelica modeſtia & immodeſtia in ſolis Pontificibus Idolis & Sophiſtis idiotis venerandis? Deniq; Bullam iſtam ſanguinariam & cuius crudelitatem nemo pius non execratur, etiam ſi recte damnaret, modeſtus ille & modeſtiæ tum exactor tum laudator Latomus, non ſolum non criminatur, ſed laudat, iactat, confidit, gloriatur in ea. Iſti ſunt viri illi ſanguinum & doloſi, qui modeſtiam verbis & vultu ſimulant, interim non niſi cædes, minas & ſanguinem ſpirant. Nemo mihi cum virum integrum & modeſtum eſſe perſuadebit, cui iſta Bulla placere poteſt. Malo ego apertus eſſe, & neminem blandicia fallere. Hoc poſſum teſtari. Cortex meus eſſe poteſt durior, ſed nucleus meus mollis & dulcis eſt. Nemini n. male volo, ſed omnibus opto mecum quam optime conſultum. Porro duricia mea, vt nemini nocet, ita neminem fallit, qui me vitat, nihil à me patietur, qui me fert, lucro augetur. Salomon dicit Pro. 28. Qui corripit hominem, poſtea gratus erit, præ illo, qui blandus eſt lingua.

Bulla Leonis ſanguinaria.

Prou. 28.

Deinde, in meum crimen augendum, induxit ſenem quendam de Romano Epiſcopo reprehendendo diſputantem, qui ſibi viſus ſit ſapiens. Nam ſententia propria eſt, neq; tacendum neq; loquendum penitus, modum vero huius ſupra ſuum captum eſſe. Nec mirum, referenda fuit gratia tantæ Bullæ, pro qua etiam ea ignoranda ſunt, quæ pueri ſciunt, Rurſum ſcienda, quæ vel Angeli ignorant. Nam Latomus Magiſter Theologiæ, diuina hoc titulo ſcire ſeſe profeſſus, quæ & hoc libro defendit, vt callentiſſimus eorum, adhuc ignorat humana iſta quotidiano vſu præſentia miſer, nec quid periclitantibus Animabus conſulendum ſit, nouit, Interim tamen certus, quid agant Animæ in purgatorio, tum remotæ à ſenſu, tum nihil de earum ſtatu teſtantibus Scripturis, cum velint omnia Papæ & ſua in Scripturis contineri abunde.

SEd ſinamus, quæſo, Sophiſtas mores ſuos implere, neq; enim eos, præter hypocriſin & adulationem & mendacium quidquam recte decet. Videamus ſapientem viſum ſibi ſenem, qui tres modos præſcribit. Primus, vt Principes & Communitates deſinant poſtulare iniuſta, & quæ vltro oblata forent refutanda, tum ipſi primum incipiamus carere, quæ in Papa reprehendimus, cum inſolens ſit vitium in principe non ferre, quo ipſe laboras. Alter modus eſt oratio. Tertius tolerantia. Hæc ille ſapiens.

Primus ergo eſt modus optatiuus, ſcilicet cogitatio quædam, vt cogitemus, Exempli gratia: Si aſinus volaret, aſinus haberet pennas, Ita cogitemus: Si nemo poſtularet indigna, Papa fieret melior. Cur autem non etiam ſic cogitamus: Si Papa ſeipſum emendaret, tum nemo poſtulare auderet indigna? *Papa.* Sed quid fiet in his, vbi Papa (quod plurimum facit) non poſtulatus, ſed proprio furore inſanit? tum quod omnium maximum eſt, Euangelium non curat, & nullum Pontificis officium facit 1. Tim. 3. deſcriptum? An ſufficit hic cogitare, ſi nemo indigna poſtularet? Iam nonne per totum orbem ita cogitamus non modo quod ſapiens dictat, ſed id quoq; quod ego adieci? Quis enim non ea optat? At quid poteſt amplius? Quis enim (excepta Dei virtute, quam in ſecundo modo per orationem quæri docet) Principes & Communitates teneat? nec conſulit, vt quis teutet, ſcilicet Principum & Populorum culpa eſt, Papam eſſe malum. Quin cogitemus, ſi Diabolus eum deſinat equitare, fieret bonus, & in Diabolum torqueamus, quod Papa malus eſt. Hoc conſilio poſſes vti & pro te, & cogitare: Vtinam hic & futuro beatus ſim, Iſte enim eſſet optimus modus perueniendi in cœlum.

1. Tim. 3.

Igitur primum conſilium huius ſapientis Mundus excedit etiam. Iam pro quo magis oratur vbiq;, quam pro Papa? Item cuius Tyrannis toleratur æquabilius quam Papæ? Vbi eſt ergo conſilium iſtius tam ſapientis? Quam pulchrum idolum nobis è Papa facit tam ſapiens vir, vt oues primo incipiant ſeſe paſcere, & populus viam ipſe dirigere, & paſtori paſcua, & duci veſtigia parare? Sed vide, quid ei cum Latomo quoq; ſuo Poetæ conueniat. Latomo non omnino tacendum videtur, ſapienti ſuo omnino tacendum videtur. Velim hic ſcire, vter mentiatur, Poeta vel Poema? Aut enim Latomus mentitur, cum ſibi ſapientem videri, aut mentitur, ſibi non omnino tacendum videri. Sed nec ipſe ſapiens ſibi conſtat, qui tacendum ſuadeat, & tamen è Papa proſtibulum facit, dicens, eum largiri iniuſta & refutanda, quæ vltro offeruntur.

Quam ſcite dixit Hilarius, difficilem fore cauſam veritatis tueri aduerſus impios, ſi tantum conſuleret prudentia, quantum audet impietas, Sed perge, myſteria ſanctæ huius adulationis videamus. Ferendum inquit, Principis vitium, quo tu laboras. Vt ergo omnes taceant (nam generale eſt ſilendi mandatum, huius Latomiani ſapientis) omnes eodem vitio laborabunt vel inuiti. Aut certe illis permittetur correptio, qui non laborant eodem vitio, quos cur tacere igitur iubet? Ego ex animo faueo tam aptam & conſultam gratitudinem Bullæ iſtæ comprobatrici. Sed cum in Lutherum propriè iſta ſcena nimirum ingenioſa inſtructa ſit, Velim doceri, quod illud vitium eius ſit cum Papa Principe commune? An vniuerſa ſerua Romanorum ſcelerum me reum aget? Sed quæro, cum prædicare Euangelium oporteat eum qui vocatus ſit omni creaturæ, an Papa ſit creatura? Cur ergo non licet ei veritatem palam & libere dicere: Sed ſatis hæc, Dignam habet iſta adulatio mercedem tam ſtultæ ſtultitiæ, Quare ſapienti iſto ſeptles ſtulto & ſacrilego dimiſſo, nos erudiamur, ſicut oportet, liberi Euangelij liberos confeſſores erudiri, & hoc ſapiamus ac faciamus. *Hilarij dictum.*

Quo maior eſt Princeps, præſertim Eccleſiaſticus, hoc minus ferantur, ſed omnium acerrime arguantur eius vitia. Non n. decet verbum Dei eſſe alligatum, propter hominem, nec nouit perſonarum reſpectum. Sic Pſal. 119. Et loquebar de Teſtimonijs tuis in conſpectu Regum & non confundebar. Et Pſal. 2. quos arguit dicens, Et nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Exempla ſunt omnes Prophetæ, qui de vulgo aſſumpti, Reges, Sacerdotes, Prophetas potiſſimum arguebant. Chriſtus in Euangelio quos carpit? *Verbum Dei non eſt alligatum &c.*

Pſal. 119. *Pſal. 2.*

Num vulgum?Nonne magnates ſolos?Quæ eſt ergo peſtilens adulatio Latomi,quæ hæc exempla nobis obſcurare nititur, & ea ſe ignorare mentitur, quæ pueri ſciunt?

Philipp. 2. At Chriſtus erat Deus, Verum,ſed inanitus eſt, forma ſerui accepta, non arguebat vt Deus,omnibus Prædicatoribus exemplum factus,vt vulgo parcerent, Principibus non parcerent,quod vulgi calamitas è Principum pendeat culpa. An ideo ſilendum,quod ira Dei mali præſint,vt Latomus adulatur? qui Chriſto aduerſarius,parcendum Principi,vulgo non parcendum cenſet, videlicet optimus rerum æſtimator,qui vitia non meritis,ſed perſonis metitur, & vitia Principum vulgi culpam facit,Non enim vitia,quia vitia, ſed quia in magnis perſonis vel paruis ſunt,arguenda vel tacenda, docet.

Quid iſti hoſtes crucis volunt,niſi vt ocioſum ſit ſcandalum crucis?ſcientes vulgum ſine periculo argui,Principes vero non ſine præſente malo tangi. At ij ſunt Mercenarij,canes muti,neſcientes latrare,qui vident Lupum venientem,& fugiunt,aut Lupo ſe ſociant potius. Non ita Chriſtus,cuius cornua hærent in vepribus,deſcenſus eius tangit montes & fumigant, gurguſtium eius caput Behemoth comprehendit,qui intrat in gyrum dentium eius formidabilem,qui perforat armilla maxillam eius, & cum Samſone occidit Leones, Breuiter vniuerſa Scriptura teſtatur,quod vox Domini cõfringat cedros, montes Iſrael,quercus Baſan,turres altas,& non niſi ea,quę magna ſunt,inuadit,vt apparet etiã cuiuis puero,quę tamen excedunt captũ Magiſtri in Iſrael. *Eſaiæ. 56.* *Iohan. 10.* *Hiob. 40.* *Pſal. 29.*

Debetur reuerentia altitudini, Fateor, Sed citra diuini verbi iniuriam,quod eſt ipſemet Deus,cui oportet magis obedire quam hominibus. *Act. 5.* Quod ſi cuiuſpiam Magiſtratus vitium ferendum,prophani non eccleſiaſtici ferendum eſt, Non ſolum ideo,quod Eccleſiaſticus ex Deo non ſit,ſicut prophanus, Deus enim neſcit hoc vulgus Pontificum, quod hodie regnat, cum ſolos Euangeliſtas & verbi miniſtros ordinarit in Eccleſia, Sed nec per homines conſtituti ſunt,imo ſeipſos erexerunt inuitis Deo & hominibus, ſimiles Gigantibus ante diluuium, Sed ideo etiam ferendum non eſt,quod prophani Magiſtratus vitium nulli ſit periculo animarum. Epiſcopus vero verbi negligens,etiamſi ſanctus eſſet, Lupus & Sathanæ Apoſtolus eſt, Nihil differt à Lupo,qui pro ouibus non vigilat contra lupum.

Pontifices qui hodie regnant.

Epiſcopus verbi negligens &c.

At cum ſciamus, Diabolum non dormire, Epiſcopis dormientibus, palpamus,imo Diabolo cooperantes tuemur,eoſq; occidimus & damnamus,qui eos excitant,& officij ſui admonent. Quis,rogo,furor vlterior iſto? Maledictus itaq; ſit ter,qui hic opus Domini fraudulenter facit,& Papam Lupo infernali colludentem & conniuentem palpat,nec miſeretur tot Fratrum ſuorum miſere pereuntibus animabus, Chriſti ſanguine emptis. Si nihil aliud ſcripſiſſet Latomus,hoc vno tartareo conſilio,ſatis oſtendit,ſeſe ſpiritu Sathanæ plenum eſſe. Quomodo ſpes eſt,iſtos Sophiſtas Scripturas legere,intelligere, docere pio ſtudio? Quomodo pronuntiẽt de doctrina Chriſtiana? Denìq; quid ſalutare ab eis expectes,quibus hoc conſilium ſapiens videtur,quod non conſtat,niſi verbis ipſiuſmet Satanæ? qui rem Eccleſiæ, vitia paſtorum ſalutem Animarum tam leuiter pendit,ac ſi eſſet ſolum culpa quædam Tyrannidis prophanæ,corpora aut ſubſtantias perdentis. Ego plane metuo miſer valde, ne in Papam & Pontifices Diaboli colluſores & ſocios,nimio fuerim & parcus & modeſtus,nec ipſe ſatis perpenderim millia illa animarum, quas perdit ſine fine Antichriſtus iſte, cum Pontificibus & Sophiſtis ſuis, peſtibus illis omnium vltimis orbis terrarum.

Pontifices diaboli colluſores.

AT timetur ſeditio,& illi non fiunt meliores,ait Latomus, Quam Iudaica vox,nam & illi metuebant,ne Chriſtus ſeditionem faceret, nec vel pilo

fiebant

fiebant meliores,imo fiebant peiores,Ergo Chriſto fuit tacendum? Et quis tibi dixit,non fieri illos meliores? Eſt ne Theologia definitio? illi non audient, ergo tu taeebis? Seditio,qua corpora vaſtantur,timetur, At ſeditio, quæ vaſtat animas,defenditur. Sic prudens vir ille timet,vbi non timendum eſt,vt corporalem pacem præferat ſaluti æternæ animarum. Quis hunc obnoxium ſeruum,adulatorem omnium peſtilentiſſimis conſilijs perditum digne queat deteſtari? Hi ſunt,quos merito Papa comprobet,hi ſunt, quorum iudicio Libri damnandi & exurendi ſunt.

Nunquam minus eſt metuenda ſeditio,quam dum verbum Dei docetur, Deus enim,qui Deus pacis eſt,tum preſens eſt. Quod ſi idola Pontifices audire contempſerint,& pergant Tyrannidem augere, prohibendo, damnando, exurendo,obruerit; eos tum vel ſeditio vel calamitas,ridendũ & ſubſannandum eſt cum ſapientia Prouer. 1.Culpa tum non eſt verbi dicti, ſed impietatis non audientis increpationes & correptiones Sapientiæ,vt ibidem dicitur. Ne autem cauilletur Latomus,Seſe non de Euangelio,ſed de reprehenſione loqui,Scimus,quod Chriſtus Euangelium ipſe non potuit docere,niſi reprehenderet. Et Sapientia dicit,ſuas correptiones exoſas habitas,Sal terræ eſt,mordet vt purget,arguit vt ſanet,increpat vt ſaluet,occidit vt viuificet,Qui ſecus docet,non Euangelium ſed ſuas adulationes blaterat.

Seditio quando non metuenda.

Prouer. 1.

Matth. 5.

Sal terræ.

VEniamus ad aliud caput,Honeſtaturus Louanienſem inſaniam, non vult me lenari ſuſpitione hæreſeos prętextu diſputationis Quod de ijs,quæ Propheticis & Euangelicis literis definita ſunt, diſputandum non ſit,vt Leonis Romani Epiſcopi verba ſonant,quæ locuplete adducit. Deinde meum diſputandi genus non ſcholaſticum,ſed hæreticum eſſe, quod impugnandæ,non quærendæ veritatis gratia ſuſcepiſſem. Vt hic ſcias Latomum ſua fingere,Iterum dico,ab initio me diſputaſſe ex animo, antequam ſcirem, Magiſtros noſtros,Idiotas & porcos eſſe, Poſtea enim (vt ipſimet fatentur) me non diſputare dixi,adeo vt & ad Ignem me obtulerim. Nunquam fuit iſta in me ſimulatio,vt diſputare prætexerem,quod affirmare ſtatuiſſem, vt mentitur hic vir honeſtus. Sed finge,me maligno animo videri voluiſſe diſputantem,qua autoritate non licuiſſet? Leonis iſtius? Quis dedit Leoni autoritatem prohibendi? An Latomi fides & Sophiſtarum oſcitantia? Chriſtus,age nunquam reſpondit Iudæis,maligne eum tentantibus? Plus valet Leonis verbum,quam Chriſti exemplũ? Perpetua eſt & iſta indomita Sophiſtarum inſania,iactare verba hominum,& occulere verba Dei.

Sed illud feſtiuius,Leo tantum hoc agit,ne aduerſarij diſputent, non prohibet reſpondere. Latomus huc trahit,ne ſit opus reſpondere Aduerſario, Atq; hoc eſt conſilium prudentiſſimum Louanienſis Scholæ, quo procederent contra Lutherum Si Turca nos aggrediatur bello, quod ei prorſus non licet,nec velit cohiberi,mittemus Louanienſes Theologos ad eum Legatos, qui dicant ei: Non licet tibi pugnare, alioqui te damnabimus, tum ſinamus eum graſſari,& gloriemur nos eſſe victores. Proinde,non eſt iam Pauli conſilium & præceptum neceſſarium,vt Epiſcopi amplectantur ſanam pietatis doctrinam,vt poſſint contradicentes redarguere,& os eorum oppilare. Sed ſufficit,illos non debere diſputare,& ſecuri ſint idiotæ & idola. Quin poſitis orationibus & vniuerſis armis ſpiritus,deſinamus diabolo quoq; reſiſtere,denunciantes ei. Non licet tibi Eccleſiam infeſtare, Quod reuera & facimus. Hæc eſt fides Latomiana,qua Patrum dicta tractat.

Pauli conſilium & præceptum.

Quæ vero eſt præſumptio & arrogantia tam modeſti viri, vt ſua prophetica & euangelica tam impudenter affirmet? Nam Leonis verba, de propheticis & euangelicis ſonant, Prophetæ ergo & Euangeliſtæ fuerunt Louanienſes?

nienſes? Profſus hoc Lutherus ignorauit, nec præter Latomum, credo, vllus hominum norit, magno miraculo. Eadem arrogantia eſt, quod meam diſputationem eſſe aduerſus veritatem aſſerit, per veritatem infallibilis iudex & Euangeliſta, Louanienſium ſentimenta intelligens. Quod ſtatuendum Lutherus ſtultus ad iudicem, non ad partem pertinere putabat. Sed & hoc ſophiſticum ſupercilium & incendiariorum faſtus eſt, Non fuiſſe conniuendū erroribus meis, ſcilicet, quos nondum quiſquam tales probauerat, nec hodie probat. Sed ſatis erat, quod opinio Euangeliſtarum & Prophetarum Louanienſium veritas erat, illis contraria.

Summa huius Concilij, quod Latomus hac præfatione deſcribit, liquido fuiſſe cernitur iſta: Nos ſumus Magiſtri noſtri, nos iudices, nos non poſſumus errare, nobis orbis obnoxius, quidquid dixerimus, Articulus fidei, euangelicum, propheticum eſt. Nonne hæc in Libello meo aduerſus eos plane prædixi, quæ hic confitetur Latomus? Ego ſi eſſem hoſtis huius Facultatis, non queam vehementius inſectari, faſtum, ſupercilium, temeritatem, inſcitiam, hebetudinem, maliciam eius Concilij, quam hic Latomus facit magnifica iſta præfatione, adeo ſinguli apices ſpirant ſuperbiam Moabiticam, & arrogantiam plus quam ſophiſticam. Non enim aliter de iſta controuerſia loquitur, quam ſi ſemper extra omnem controuerſiam res iſta fuiſſet, vt prope nobis deos faciat Latomus, tam inſignes aſinos, ſcilicet tantum venti potuit Bulla vna vni veſicæ inflare.

Libros erroneos exurendos eſſe conſentio & probo, Sed non eos, quos
Libri erronei &c. nondum probaueris eſſe erroneos, vt arrogantia Prophetarum nouorum inſanit. Nam & ego Libros Papenſes exuſſi, vt viderent Magiſtri noſtri, non eſſe artis neq; ingenij, papyrum exurere, quod lixæ noſtri & pincernæ etiam poſ-
Ignis non ſoluit argumenta. ſunt. Ignis (aiunt) non ſoluit argumenta. Illi in Actis 17. non exuſſerunt Li- *Act. 17.*
bros, donec cognita veritate ſcirent eos eſſe curioſos. Magiſtri noſtri, id quod leuius erat, ſecuti ſunt, ſed quod laboris & officij fuit, cordibus fidelium reliquerunt, Quia ſtat ſententia: Louanienſes non errant.

Denique male me habet, quod Maximilianus, quo tempore Iudæorum
Maximilianus. Libros vexabant Sophiſtæ, non verterit conſilium eorum ſuper caput eorum, & ablatis omnibus erucis, brucis, locuſtis, tanis, pediculis ſophiſticis, ad ſolam & puram Scripturam adegerit. Hoc enim erat multo ſaluberrimum conſiliū, longe magis neceſſarium, quam quod de Iudæorum Libris iactabatur, tam delirijs, tam ſtultis Articulis cauſam fatigantibus, vt me vehementer puduerit Chriſtianiſmi nomine, tantas tragœdias moueri apud nos, ob iſtas res nihili à Prophetis & ſenioribus noſtris. Sed non merebamur tunc meliorem gratiam, quam nunc ſperamus propediem donandam nobis. Interim placet vehementer, Papam probaſſe iudicium quinq; Vniuerſitatum in ea cauſa. Quid poterat ſeſe dignius facere Sedes illa inclyta & glorioſa, aduerſaria vltima Chriſti?

Quid ſit, quod dicit in ea Propoſitione ab eis damnata: Sancti non vixerunt abſq; peccato, ſe non damnaſſe antecedens, ſed conſequens malæ conſequentiæ, ſeq; mirari, quod orbis iudicium non metuerimus, eos ob hanc damnatam inſectantes, non intelligo plane. Exigit forte, vt orbis prædiuinaret eorum Dialecticam occultam, qua & in Libro vtitur, vti videbimus, fortaſſe & ibi iſta explicabit. Interim exultationem & ouationem ſubtan-
Ouatio Latomiana. no, quod gloriatur, ſe adduxiſſe Patres mihi aduerſantes, non raro, ſed frequenter, non obiter, ſed ex animo &c. Niſi velit (inquit) eos dixiſſe pugnantia aſſerere. Hoc enim nos aſſerturos Latomus non præſumit, certus quod Prophetæ non ſumus, itaque cantat Io Pæan, Io Pæan, væ victis. Sed nos interim, dum ipſi Patres (quos prius contempſerunt) legerunt, ocioſi non fuimus, inuenimusq; eos ſæpiſſime fuiſſe homines, erraſſe, pugnantia dixiſſe,

dormitaſſe,

dormitaſſe, vt hæc etiam ouatio Latomiana ſuper arenam nitatur, ruitura ſimul atque Librum eius aggreſſus fuero.

VLtimo prægustum Libelli ſui propinat propinator vrbaniſſimus, & aliquot meos Articulos opponi dicit principijs fidei. Bibamus & nos poſt eum hunc elegantem prægustum, videbis, quæ ſint Louanij principia fidei. Primus eſt: *Deus præcepit impoſsibilia.* Hunc ſic tractat vir honeſtus & rectus, vt reſpirationem neget mihi, etiam adiecta particula, nobis, ceu citra gratiam Dei, quam non diffitetur in meis Libellis additam. Quærimus autem, quod ſit iſtud tam rigidum & inclemens principium fidei, quod neget, nobis, id eſt, viribus noſtris, citra gratiam, eſſe mandata Dei impoſſibilia? An Paulus? An Chriſtus? An Moſes hoc condidit? Non, ſed Decretellum quoddam humanum, è Hieronymo ſumptum, quod eſt huiuſmodi:

Deus præcepit impoſsibilia.

Qui dixerit, Deum præcepiſſe impoſsibilia, anathema ſit, Hoc verbum hominis ambiguum & obſcurum ſic lactatur à Sophiſtis, vt omnibus ſenſibus clauſis, non niſi vociferentur, Anathema, anathema, anathema, vt eos furere ipſa voce iudices. Huic verbo humano cedere oportet & ſilere, quidquid Scripturæ euidentiſſimæ & clariſſimæ, & copioſiſſimæ controuerſerunt, ne ſyllabam quidem gloſæ lucidantis, tam tenerum Decretellum admittit, ſed rigidiſſimum, vt ſonat, iactari, omnium auribus obtrudi, omnium cordibus inculcari oportet, periculo maximo fidei & cognoſcendæ gratiæ Dei, nulla cauſa, quam quia humanitus ſtatutum, & Magiſtri noſtri ſecundum ipſum iudicare ſolent tanquam Regulam infallibilem, Nam liberum arbitrium non parum virium ab hoc Decretello concepit.

Hieronymi dictum.

Denique hoc principium fidei tam inſolens eſt & ambitioſum ceu Romulus quidam, qui ſocium ſuum ac fratrem Remum non ſinat communi imperio regnare. Eſt enim & aliud decretum ſatis pium, iuxta hoc ſcandalum poſitum, quod ſic habet: *Qui dixerit, nos poſſe mandata Dei implere abſq; gratia Dei, anathema ſit.* Hoc infelix Decretum neminem habet qui iactet, extollat, inculcet, obtrudat, ſed fratri ſuo (vt dixi) regnum cedere cogitur. Hoc non eſt principium fidei, ſecundum hoc Magiſtri noſtri nihil iudicant neque damnant. Cur hoc? quia nimis eſt diuinum, & omnia ferme Magiſtrorum ſcripta huic aduerſantur.

Qui dixerit nos poſſe mandata Dei implere abſque gratia Dei, anathema ſit.

Inſuper vide Magiſtrorum noſtrorum inſignem æquitatem, cum non ſatis eſſet latere hoc miſerum Decretum, adiecerunt, vt pingui gloſa etiam euiſcerarent & extinguerent, dicentes: Mandata Dei implentur dupliciter, Vno modo ſecundum ſubſtantiam factorum, Alio modo ſecundum intentionem præcipientis. Hoc inuento effugio, hui quam pulchre eluſerunt veritatem? Nam hinc gratia non opus eſſe duxerunt ad implenda mandata Dei, ſed ad implendam intentionem Dei vltra mandata exactam. Scilicet, Deus iniquus exactor, non eſt contentus impleri mandata, ſed exigit in gratia impleri, vt gratia ſit non gratia, ſed exactio quædam. Nempe legi Dei ſatisfecit liberum arbitrium, & Deus in hoc non eſt contentus, quæ eſt ſententia omnium impiiſſima & ſacrilegiſſima. Sed (vt dixi) ſic agitur cum miſero iſto Decreto.

Mandata Dei implentur dupliciter ſecundum Sophiſtas.

At illud prius, ſi velis induſtria pietatis ſic moderari, vt impoſſibile etiam dupliciter caperetur, vel in gratia, vel extra gratiam, Hic manibus, ferro & igne obſiſtunt, neque tangere ſinunt, ſed vtut ſonat, niſi confiteatis, exclamant: Hæreticus, Hæreticus, Hæreticus, quia Decreta Patrum negat, non credit Eccleſiam ſanctam, non tenet principia fidei. Obſecro quid hic facias aliud, quam genimina iſta viperarum igni ſuo inextinguibili ſinas parati? An dubitare potes, hunc ſophiſticum cœtum ſynagogam eſſe Satanæ?

Matth. 3.

Sophiſticus cætus ſynagoga eſt Satanæ.

Vide,quam mihi obiectet veſica iſta Latomitna cum fiducia eiuſmodi Decretum, & quam Magiſtraliter noſtraliterq; taceat illud alterum, nempe, quod illudere auribus orbis voluerit,tantum ne Louanienſes impie egiſſe inuenirentur.

Amplius vero,Huic impiæ & ſacrilegæ gloſæ vide quantum tribuerint. Docent,per opera ſecundum ſubſtantiam facti tantum effici poſſe,ſi ex totis naturalibus viribus fiant,vt Deus illis neceſſario & infallibiliter gratiam largiatur.Hoc eſt facere quod in ſe eſt,cum Paulus & poſt eum Auguſtinus tantis tonitruis inſonent,Hominem ſine gratia per Legem non niſi peiorem fieri,Quod lex iram operetur,& intrauerit,vt abundaret peccatum, Ita vt huius ſententiæ ſacrilegio vniuerſum nouum Teſtamentum euacuauerint, & eo nos infelices nominetenus Chriſtianos perduxerint,vt Chriſto prorſus nullo vſu ſit opus niſi vt doceat nos ſolum.

Facere quod in ſe eſt.

Legis officium.

Fidei informis acquiſita &c.

Nam vt de fide Informi,acquiſita,generali & ſpeciali,itidem principijs fidei illorum,hic nugentur,quid opus eſt referre? Factum tandem, vt etſi impoſſibile ſit,mandata Dei impleri ſine gratia, quoad intentionem præcipientis,tamen in manu tua & prorſus facile eſt gratiam conſequi operibus ſecundum ſubſtantiam facti paratis,Vt iam liberum arbitrium nō modo regnet in operibus ſubſtantiæ,ſed in ipſa etiam intentione præcipientis,hoc eſt,plane in ipſa gratia Dei,nempe in manu eius eſt gratiam venire vel non venire.

Bona moralia,neutralia &c.

Hinc bona moralia,bona neutralia,& quid dicam? tot principia fidei iſti habent,quot Patrum dicta,quot Conciliorum Decreta,quot Papæ placita,quot Magiſtrorum noſtralium ſententiæ,vt mundum cernas perijſſe diluuio quodam principiorum duntaxat fidei,tum quæ putas erunt ſequelæ & concluſiones eorum? Et cum iſta ſit ſepties ſacrilega Theologia recentiorum, vt nemo poſſit negare,adhuc audet os iſtud Louanienſe impurum & impudens,roſtro porrecto,in orbem iactare,Eadem eſſe docta ab antiquis,quæ à recentioribus iſtis,adhuc pergit concordare vtrorumq; dicta & ſententias, vt Chriſtum cum Belial ſociet,& lucem cum tenebris confundat.

Videamus autem,quanta oracula Scripturæ huic ſcandalo cedere coacto ſint theatrum totum. Paulus Rom 8. Nam quod impoſſibile erat Legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus miſit Filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati,& de peccato damnauit peccatum, vt iuſtificatio legis impleretur in nobis,Hic vides,vt aperto ore affirmet,fuiſſe legi impoſſibile, vt impleretur in nobis iuſtificatio Legis, niſi & hic iuſtificationem Legis intentionem præcipientis eſſe cogas. Quod ſi Legi impoſſibile fuit, quæ in adiutorium data eſt,quanto magis citra adiutorium Legis impoſſibile, imo adeo impoſſibile fuit,vt adiutorium Legis magis obfuerit. Dicit enim In eo impoſſibili Legem infirmatam, id eſt, non impletam, propter carnem peccati,aut & hic non impletam dicent ſecundum intentionem præcipientis. At tum non culpa carnis,per quam dicit non impletam legem,ſed Dei intendentis eſt,qui non contentus impletam eſſe,exigit gratiam, & ſic per carnem Lex bene firmatur,ſed per intentionem præcipientis infirmatur. *Rom. 8.*

Legi impoſſibile eſt tollere peccatum.

O blaſphemas voces & rabidas.Sed,vt dixi,hanc diuinam vocem Pauli oportuit inter blattas & cariem conticeſcere,ne non regnaret Decretum illud principium fidei.Sic Act.13.Per hunc vobis remiſſio peccatorum annuntiatur ab omnibus,quibus non potuiſtis in legē Moſi iuſtificari,in hoc omnis qui credit,iuſtificatur.Non habuit Apoſtolus græcæ linguæ peritiam tantam, vt diceret,quibus difficile fuit iuſtificari,vt impoſſibile aſſerere cogeretur.

Item Acto.15.Petrus dicit:Hoc eſt onus,quod nec nos nec Patres noſtri portare potuerunt. Quid dicis Petre? Non potuerunt portare? Nonne portauerunt ſecundum ſubſtantiam facti? Nonne circuncisi ſunt, ſacrificauerunt,& omnia illa ſeruauerunt? Tu,video,ignoras principia fidei,& *Actor. 15.*

multis

multis modis delirasà Louanienſi Theologia. At dicet hic Latomus: de circumciſione loquitur Petrus, vt ex capitis principio patet, At non potuerũt portare circumciſionem? Imo de lege Moſi loquitur, Sic enim paulo ante ſcribitur: Surrexerunt autem quidam de hæreſi Phariſæorum, qui crediderant, dicentes: Oportet circumcidi eos, præcipue quoq; ſeruare legem Moſi. Ecce onus, quod Petrus impoſſibile dicit. Quid autem definit tandem? Sed per gratiam (inquit) Domini noſtri Ieſu Chriſti credimus ſaluari, quemadmodum & illi. Et non habes, Petre, ſubſtantiam factorum, quæ portet onus & gratiam cogat adeſſe?

Ebr. 7. Matth. 19. Omitto ea, quæ ad Ebræos, non vno loco de impoſſibilitate iſta loquitur, Chriſtus quoq; Matt. 19 vbi dixiſſet, facilius eſſe, vt Camelus tranſeat per foramen acus, quam vt diues intret in regnum cœlorum, Et diſcipuli ſtupentes, impoſſibilem eſſe ſalutem, dicerent. Et quis poteſt ſaluus fieri? Ipſe ignarus huius principij fidei non negauit, imo affirmauit impoſſibile iſtud ſalutis, nec mutauit in difficile, Sed ſic ait: Impoſſibile eſt apud homines, ſed apud Deum omnia ſunt poſſibilia. Hoc enim non tantum de diuite dixit, ſed ad illud reſpondit. Quis poteſt ſaluus fieri? Proinde, cum in nouo teſtamento proprie regnare debeat miniſterium ſpiritus, id eſt, prædicatio gratiæ, vt Apoſtolus ait, optandum fuit, vt hoc verbum aut Hieronymus nunquam dixiſſet, aut in tenebris ſepultum manſiſſet. Chriſtianis enim non conuenit niſi gloriam Dei prædicare & confiteri, id eſt, noſtram impoſſibilitatem, & Dei poſſibilitatem, vt Chriſtus hic dicit, omniaq; ſcandala ſubmouenda ſunt, quæ liberum arbitrium erigere aut inflare poſſent, quale eſt hoc Decretellum, vel inter prima, vt pura gratia Dei, & noſtræ miſeriæ cognitio cuſtodiretur.

Quis poteſt ſaluus fieri.

Miniſterium ſpiritus in nouo teſtamento regnare debet.

Sed mouit forte hominem, quod dixi, Non omnia Dei mandata, etiam in gratia plene impleri in hac vita. Quæ non mea, ſed Auguſtini ſententia eſt 1. Retra. 19. de qua infra videbimus. Sed qui dixi non fieri, non negaui poſſe fieri, & Sophiſta iſte magnificus non tantum de Logica ſua didicit, vt ſciret, aliud eſſe non fieri, aliud non poſſe fieri. Ego dixi: Non fit, ille infert: Ergo dixiſti: Non poteſt fieri. Quis dubitat, Deum poſſe tantam gratiam alicui dare, vt plene impleat, ſicut de beata virgine ſentimus? Licet id non faciat omnibus. Quod ſi Decretellum huic repugnat, abeat in malam crucem, & ſit anathema.

Auguſtini dictum.

Sed & alio ſuo vitio hic laborat, quo nunquam non laborant Sophiſtæ, quod eſt petitio principij, quod eſt vitioſiſſimum diſputandi genus, in quo & totus hic liber Latomi ſophiſticatur. Perpetua ſcilicet eſt inſania Sophiſtarum, vt id quod ante omnia eis probandum demonſtrandumq; eſt, arripiant & præſupponant, tanquam principium fidei infallibile. Vt hoc loco, Quod implere Dei mandata plene; ſignificet id, quod eſt mandatis Dei ſatisfacere per omnia, vt ignoſci nihil ſit opus, inprimis fuit Latomo demonſtrandum. Nam hoc Auguſtinus & ego negamus, & Scriptura negat. At ipſe nihil moratus, proruit ſecurus, quaſi principium indemonſtrabile fidei habeat, & dum gladio ſpiritus ſeſe vaſtare omnia credit, ridiculus culmis & ſtipulis opinionis ſuæ coram nobis ludit. Nam nec Decretellum eius hanc ſententiam habet, cum nos dicamus, omnia Dei mandata impleri, non operantibus plene nobis, ſed ignoſcente copioſe gratia Dei. Hic nihil impoſſibile, imo pleniſſima omnia, & melius dicimus, quam ſi ſine miſericordia ignoſcente, ſolis operibus impleri omnia aſſereremus. Et probandum illi (vt dixi) fuit, ſuum impoſſibile id ſignificare, quod ipſe cogitat. Sed & ipſi confitentur in hac vita nulli gratiam conſummatam dari, ſed ſemper augeri, cum tamen gratia nõ detur, niſi ad implenda Dei mandata, & hinc ſequatur, tantũ nõ impleri ea quantum

Petitio principij.

Quomodo omnia Dei mandata impleantur.

quantum non conſumatur gratia, ſed quia Magiſtri noſtrales hoc dicunt, ideo non eſt damnabile, Si Lutherus diceret, error eſſet.

Alius Articulus: Peccatum poſt Baptiſmum non remanet.

HVnc articulum damnat autoritate Gregorij, quem ego probaui autoritate Pauli Rom. 7. Sed principij ille petitor vitioſus illic peccatum non peccatum, ſed infirmitatem exponit, quaſi euicerit ſic exponendum eſſe, aut quaſi Paulus ignorarit, quibus verbis loqui oportuerit, aut mihi non liceat illius verbis vti. Videamus Gregorij probationem, ait, Chriſtus dicit: Qui lotus eſt, mundus eſt totus. Nihil ergo remanet de peccati ſui contagione, quem totum mundum fatetur ipſe, qui redemit, Latomi oſcitantiam prætereo, qui ſe ponderare, nō numerare promiſit teſtimonia, id eſt, ſophiſtica ſtropha loquendo, non ponderare ſed numerare voluit. Cum Gregorio expoſtulo. Dic Gregori, vbi Chriſtus hoc dicit, quod tu dicis? Nonne verba Chriſti ſuo textu afferre debebas? Tu dicis: Qui lotus eſt, mundus eſt totus, Chriſtus vero ſic dicit: Qui lotus eſt, non indiget, niſi vt pedes lauet, ſed eſt mundus totus. Vnde iſta immunditia pedum poſt lotionem? Nonne totum mundum ſic aſſerit, vt tamen lauari pedes opus habeat? Quid eſt hoc aliud, quam peccatum in Baptiſmo totum ignoſci, & tamen reliquum eſſe? vt & Paulus dicit Rom. 7. Tota vita pedes lauantur, etiam ijs, qui toti mundi ſunt, ſicut dicit: Debetis alter alterius lauare pedes. Rom. 7.

Qui lotus eſt &c.

Immundicia pedum poſt lotionem. Peccatum in baptiſmo totum ignoſcitur, & tamen reliquum eſt.

Nonne hic locus pro me contra Latomum facit? Omnia peccata ſunt abluta, & reliquum eſt lauandum. Stat clara ſententia. Quomodo ergo omnia abluta, niſi quia per gratiam remiſſa & indulta? Quomodo lauandum, niſi quia vere in natura ſua reliquum eſt? De ijs poſtea. Nam hic Latomo fiducia tollenda fuit, vt videret, Patres nonnunquam fuiſſe homines, Deinde & vitioſiſſimum diſputandi ſuum morem agnoſceret, quem dixi, petitionem principij, Qui prius probare debuit, totum eſſe mundum id eſſe, quod nihil reliquum peccati baptiſmo. Nec Gregorij verba id eogunt, aut ſi cogunt, neganda ſunt. At ipſi Patrum verbis intruſo ſuo ſentimento, prodeunt ſicut aſinus ſub pelle leonis, facturi nobis principia fidei, non ex Patrum ſententia, ſed ex ſua propria, verbis Patrum impoſita, ſubdoli iſti operarij.

Tertius: Non omnia mortalia eſſe Sacerdoti confitenda.

HVnc damnatum dicit generali Concilio, ergo eſt damnatus, Tenet conſequentia, à Latomo ad ſuum ſapientem, Quam autem Scripturam pro ſe habet Concilium? Si Concilium ſine Scriptura valet, & ſatis eſt Infulatos & Raſos illic congregari, Cur non lignea & lapidea ſigna è templis congregamus, & impoſitis mitris & infulis, dicamus illic Concilium eſſe generale? Nonne vitioſiſſimum eſt, Concilium ſine verbo Dei agere aut ſtatuere? Verum ego nunc amplius dico, & nego Confeſſionem exigendam eſſe in totum, edito in hoc ipſum vernaculo Libro, facturus idem latino, vbi tempus fauerit, Traditiones enim hominum abolendæ ſunt de Eccleſia, quas & Latomus per homines tolli poſſe affirmat in ſuo Dialogo, At iſta Confeſſio aliud non eſt, quam tyrannica exactio Pontificum, nullis radicibus Scripturæ nixa.

Confeſſio tyrannica exactio eſt Pontificum.

Vltimus: Omne opus bonum in ſanctis viatoribus eſſe peccatum.

HVi, quam abſurdum hunc facit, & videtur tanto viro directe contra illud ſymboli: Qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam. Hic vero triumphat ſerio, vt pudendum eſſe iactet, rationem ab eis petere in huiuſmodi. Iohan. 19.

Denique

Denique minatur etiam ferox ille,ne quis mihi ſe ſocium faciat. Sic & Iudæi coram Pilato:Si non eſſet hic malefactor,non tibi tradidiſſemus eum. Vere ſtulti & pudendi mortales,qui Magiſtris noſtra libus Louanienſibus non ſolo nutu crediderunt, quaſi ij ſint, qui aut male velle aut errare poſſint, ſicut cæteri hominum,præſertim cum & BullarumEpiſcopus eorum factum comprobauit,Bulla ſcilicet bullas.

Sed vide nequitiam hominis,qui nuſquam non interpretatur peccatum(de quo ego in opere bono loquor)eſſe illud, quod damnabile vocant, hoc enim ſolum eſt contra illud: Qui bona egerunt,ibunt in vitam æternam. Nam ipſimet concedunt,opus bonum in quo veniale ſit peccatum, non eſſe contra ſymbolum illud,Iam etiam hoc aſſerunt quod Gerſon dicit: Nullum veniale peccatum eſſe natura veniale, & plures gratias Dei priuatiuas quam poſitiuas eſſe,ſola autem miſericordia Dei eſſe veniale. Et quod mireris,Latomus primum non negat, in omni opere bono eſſe poſſe peccatum veniale, vtpote negligentiam,& tamen non eſt abſurdum illis ſic potuiſſe peccatum in opere bono,nec eſt contra ſymbolum,nulla cauſa,quam quia ego non dixi,& illi dixerunt. *Gerſon. Plures grat. in Deo priuatiuæ &c.*

Sed & hoc infra eos cogam,& forte pronj concedunt, Incertum eſſe, an vllum opus ſit omnium hominum, quantumlibet bonum, ſine peccato, neque enim hominum vllum cogent,hoc de ſuo opere bono affirmare. Et ecce,quod incertum eſt,tamen eſſe poteſt,& forte ita eſt etiam eorum ſententia,ab alio dictum,abſurdum & contra ſymbolum eſt,vt nihil abſurdius dici velint,Nam hoc incertum cogit eos oppoſitum non aſſerere, quare nec propoſitum negare aut damnare,Nam quæ induent dicta Patrum, petitor principij,eo trahit omnia,quo non probat illa pertinere,ſcilicet,quod nullum ſit in opere peccatum,quantumlibet illi dicant eſſe bona,non damnare &c. Nihil enim horum & ego nego.Sed breuiter hanc Præfationem Latomi, Lector, vice εἰκόνος ſophiſticæ habeas.Hic enim vides Sophiſtæ imaginem egregie deſcriptam,quæ eſt,vultu & verbis modeſtiam ſimulare, cæterum tanto faſtu, arrogantia,ſuperbia,malicia,nequitia,temeritate,ſupercilio,inſcitia, hebetudine tumere,vt nihil ſupra. *Sophiſtæ imago.*

PRIMVS ARTICVLVS A LATOmo petitus,eſt iſte:

Omne opus bonum eſt peccatum.

PRimo infert inconuenientia,Secundo opponit contraria,Tertio diſſoluit mea fundamenta,Sic enim ipſe partitur. Ego reducturus Sennacherib iſtum in terram ſuam,à nouiſſimo incipiam,mea primum defenſurus.

Eſa. 64. Nobiliſſimum Eſa.64.locum, vbi dicitur: *Et facti ſumus immundi omnes nos,* & vniuerſæ iuſticiæ noſtræ, quaſi pannus menſtruatæ, mihi ablaturus, ſic tractat, vt nec ſibi nec mihi prodeſſe poſſit, cum incertum faciat,de quibus ſit intelligendus,recitans eſſe, qui de Aſſyriaca,alios qui de Babylonica, alios qui de Romana Iudæorum captiuitate intelligant. Ipſe tamen poſtremos eum Hieronymo & Lyra ſequitur,tandem quarto,ſi etiam fidelibus aptandus detur,ad Synecdochen confugit, volens omnes iuſticias eſſe id quod aliquas iuſticias,tropo ſcripturæ frequenti. Ita dum nihil certi affert,& Hieronymi autoritas non ſit ſatis, quippe qui ſoleat ferme aliorum ſententias in commentarijs recitare,vt ſcribit ad Auguſtinum, in medio ſuſpenſa relinquitur ſententia. *Facti ſumus immundi omnes nos &c.*

Et hoc primo ſit reſponſum omnibus, quæ ſuper hanc Sententiam ædificat, infert & firmat, Certis enim pugnandum eſt. Igitur ſit iſta autoritas Latomo incerta & inutilis contra me. Mihi conandum deinceps eſt, vt certa & potens ſit in eum. Ac primo de captiuitate Iudæorum & in perſona captiuorum dici conſentio & probo, non de Aſſyriaca, quia per eam ciuitas Ieruſalem non eſt vaſtata, nec tribus Iuda capta, quemadmodum hic plorat Propheta. Quod ſi oſtendere potero, nec de Romana intelligendum, cui ſi neceſſario de Babylonica intelligendum eſſe. Primo locum ipſum videamus.

OCcurriſti lætànti, & facienti iuſticiam, in vijs tuis recordabuntur tui.

Ecce tu iratus es, & peccauimus, in ipſis fuimus ſemper & ſaluabimur. Et facti ſumus vt immundi omnes nos, & quaſi pannus menſtruatæ vniuerſæ iuſticiæ noſtræ. Et cecidimus quaſi folium, & iniquitates noſtræ, quaſi ventus, abſtulerunt nos. Non eſt qui inuocet nomen tuum, qui conſurgat & teneat te.

Abſcondiſti faciem tuam à nobis, & alliſiſti nos in manu iniquitatis noſtræ. Et nunc Domine Pater noſter es tu, nos lutum, & Fictor noſter tu, & opera manuum tuarum omnes nos. Ne iraſcaris Domine ſatis, & ne memineris vltra iniquitatis noſtræ, Ecce reſpice, populus tuus omnes nos. Ciuitas ſancti tui facta eſt deſerta, Sion deſerta facta eſt, Ieruſalem deſolata eſt. Domus ſanctificationis noſtræ & gloriæ noſtræ, vbi laudauerunt te Patres noſtri, facta eſt in exuſtionem ignis, & omnia deſiderabilia noſtra verſa ſunt in ruinas. Nunquid ſuper his continebis te Domine, tacebis & affliges nos vehementer?

LAtomus quidem robuſtiſsimus ſaltator, fortiter tranſilijt murum, qui ſuæ ſententiæ occurrebat in verbo: Et ſaluabimur, quod de Iudæis iſtis reprobis intelligi non poteſt, ſed abſque dubio in perſona Electorum dicitur & fidelium. Deinde illud: Occurriſti lætanti attingens, vbi dixiſſet: Quis eſt iſte, qui facit iuſticiam, cui lætanti occurrit Dominus, Si hoc verbum, vt vult M. de quocunq; fideli quocunque tempore intelligitur, mox obticuit quaſi calculum momordiſſet, vt neſcias quid quærat, metuens forte, ne infelix fieret interpres.

Latomus cum ſuis dicit, Hæc dici in perſona eorum, qui ad Ieruſalem & templum ſpectent, quod optent reparari, quo ſacrificare & laudare Deum, ſicut Patres ſui, poſſint. Hoc verum affirmo, non quia illi dicunt, quibus nihil credo, ſed quia textus, qui eos coegit, & me cogit, Alioqui cur tanta copia querelam augeret, & ciuitatis vaſtitatem tanta diligentia coram Deo exponeret, niſi hoc peteret, vt Deus miſertus eam repararet? Vulnus detegit medico, vtique ſanari petens. Denique vbi dixiſſet: Et omnia deſiderabilia noſtra verſa ſunt in ruinas, adiecit: Nunquid ſuper his continebis te Domine? Quid eſt, non continebis? niſi ne ſinas ita iacere. Si enim nunquam repararet, vere contineret ſeſe ſuper ijs ſemel vaſtatis. Eſt ne igitur certum ac clariſſimum, his verbis pro reparanda Ieruſalem & templo orari & gemi? alioqui non video, cur ſic allegaret, inculcaret, & aggrauaret & exaggeraret. Sic oportet cum Sophiſtis pertinacibus etiam de per ſe notis dubitare, donec certa fiant.

Nunquid ſuper his continebis te?

Conſequens

Conſequens eſt,talem peti iſtis gemitibus & verbis,quæ poſſit reparari,
Spiritus enim ſanctus non eſt tam ſtultus,vt ſuggerat petere impoſſibilia ma-
nifeſta. At iam definitum erat,poſt Chriſtum, neque in monte neque in Ieru-
ban. 4. ſalem,ſed in ſpiritu & veritate adorandum eſſe Deum,vt Chriſtus Ioh. 4. di-
cit,quod myſterium futurum & ſpiritus Eſaiæ ita notum fecit, vt alius poſt
g 2. Dauid nullus tam clare cognouerit & prædixerit. Simul Hag. 2. Domus iſta
anel. 9. nouiſſima prædicta eſt. Et Daniel deſolationem ſtaturam vſque in finem poſt
Chriſtum venturam præuidit,vt impoſſibile ſit eam reparari, vt Iudæi expe-
ctant. Quare iſta deploratio & imploratio non poteſt competere temporibus
poſt Chriſtum,ſed Babylonicæ captiuitatis tantum,vbi & ſpes & deſiderium
& oratio pro reparanda ciuitate,recte ſpiritui tribuitur.

Hoc etiam obſeruandum eſt,ne blaſphemiam tribuamus Spiritui ſan-
cto, quaſi in perſona impiorum & blaſphemantium aliquando ſit locutus.
l'm. 109. Definitum eſt Pſalm. 109. Orationem Iudæorum Romanæ captiuitatis fore — *Oratio Iudæorum Romanæ captiuitatis.*
16. peccatum & abominabilem. Deinde,Chriſtus Pſal. 16. Nomina eorum non
memoraturum ſeſe dicit per labia ſua. Quomodo ergo in perſona blaſphe-
mantium blaſphemias eorum exponet coram Deo ſpiritus Eſaiæ, cum tanta
humilitate,tam pia confeſſione,tam ſyncero corde & ſtudio? Oportet enim
& eius orationem eſſe peccatum & blaſphemiam. Hoc bene habet Scriptura,
quod ſpiritus de impijs & pro impijs oret per Sanctos, ſed in perſona eorum
nunquam. Spiritus eſt corporis Chriſti, & in Sanctis adiuuat infirmitatem eo-
rum,& gemit & poſtulat pro eis. Qualem eſſe hanc orationem Eſaiæ,quis
a. 8. non palpat etiam? Sic Chriſtus fleuit ſuper Ieruſalem, ſed non in perſona Ie- — *Chriſtus.*
ruſalem, Paulus etiam pro Iudæis,ſed non in perſona Iudæorum, At hic Eſa- — *Paulus.*
ias ſeſe perſonam facit eorum,cum quibus & pro quibus orat. — *Eſaias.*

Igitur cum periculum ſit aſſerere,quod in Scripturis exemplum non ha-
bet,id ſolum aſſerere oportet, quod illa habet, Confiteamur, quod ſpiritus — *Spiritus ſanctus ſemper loquitur in perſona ſui corporis.*
corporis Chriſti nunquam in aliena,quæ eſt corporis diabolici, ſed ſemper in
ſui corporis perſona loquatur,operetur,viuat & maneat. Non poteſt,laudans
Deum,perſonam gerere blaſphemantis Deum,cum is qui perſonam gerit,&
is cuius perſonam gerit,oporteat in verbo,ſenſu & voto ſaltem conuenire, ſi
non poſſunt in viribus & operibus. At iſtis Iudæis & ſpiritui Dei implacabilis
diſſenſio eſt, qui tamen ſi per Eſaiam in perſona eorum locutus eſſet, vſque
hodie itidem & multo magis loqueretur,cum extent eius verba, & occaſio
præſentiſſima vehementiſſime vrgeat. Nec poſſumus negare, quin ſpiritus
verba ſint,cum in ſacro Canone ſint. Quod ſi ſpiritus ſunt,pia & fidelia &
ſancta ſunt,quæ perſonæ Iudæorum(vt vides)minime omnium conueniunt.
Si recitaret tantum verba impiorum,poſſet eorum ſententia tolerari, ſed ora-
re & agere in perſona eorum,hoc ferri non poteſt. Recitat apud Eſaiam ver-
ba ſuperbæ Babylonis,& Aſſur & Sennacherib,recitat apud Ezechielem ver-
ba Draconis magni in flumine,& multorum aliorum. Sed perſonam nun-
quam gerit niſi piorum & ſuorum.

Ad hæc clare dicit in textu, Ecce reſpice,populus tuus omnes
fe 2. nos. An neſcimus,quid ſit eſſe populum Dei? Iſti Iudæi iam populus nō ſunt, — *Populus Dei qui.*
ie 64. ſicut in Hoſea dicit: Voca nomen eius,Non Populus meus,quia vos non eri-
tis populus meus,& ego non ero veſter Deus. Et iterum: Et tu Domine. Pater
noſter tu,nos lutum,tu fictor noſter, & opus manuum tuarum omnes nos.
Nunquid Iudæi iam filij ſunt ac non potius inimici? Nunquid lutum Fictoris,
qui nolunt fingi? Non enim agnoſcunt Fictorem. Nunquid opus manuum
eius,ac non potius iam opus Satanæ? Nec valet hic cauillum, quod Patrem
fictorem,factòrem generali nomine appellare dicuntur, In ſpiritu loquitur
Propheta, & verba ex affectu ſpiritus procedunt, in quo non niſi filiorum

Deus eſt Pater fi-liorum qui cre-dunt.

Deus Pater eſt, qui fideles ſunt, ſicut & in oratione Dominica, Patrem in ſpiritu adoremus. Quare nomen Patris extra ſpititum, præſertim nouo Teſtamento non audit, quod tamen maxime debuit, ſi iſta in perſona Iudæorum dicerentur, cum iam (vt dixi) & occaſio vrgeat, & verba adhuc ſuperſint.

His arbitror ſatis liquidum fieri, in perſona infidelis populi hæc dici non poſſe, quod & amplius liquebit, vbi intellectum eorum viderimus.

Omnes quærunt quæ ſua ſunt.

IAm quod contendit, eiuſmodi locutiones vniuerſales in Scripturis plerumq; particularem intelligentiam habere, vt eſt illud: Omnes quærunt, quæ ſua ſunt, cum Titus & multi alij non fuerint tales. Ita hic, Omnes iuſticias dici immundas, vult intelligi aliquas aliquorum. Aut Latomum hic malicia & inuidia excæcant, aut inſigniter ſtupidus eſt, non modo quod ineptis exemplis ludit, ſed quod & temere figuram hanc torquet. Si ſic licet pro mera libidine, nulla adducta ratione figuris ludere, quid obſtat, quo minus omnia induant nouas intelligentias? Dicam & ego, quod Pſal. 1. Omne quod faciet proſperabitur, poſſit ſic intelligi, id eſt, aliquid proſperabitur. Et 2. Beati omnes, qui confidunt in eo, id eſt, aliqui, qui confidunt in eo. Pſal. 5. Perdes omnes, qui loquuntur mendacium, id eſt, aliquos. Et quæ, rogo, ludibria in ſcripturis hinc ducentur? Non erat Latomi tanti Theologi officium aſſerere, quid poſſit ſic dici, ſed quid debeat ſic dici. Nō quæritur, quid poſſit libido nugandi, ſed quid debeat pręſtarę religio interpretandi, præſertim cum tanta bucca ſeſe iactarit, non numeraturum, ſed ponderaturum teſtimonia Scripturarum & conuictorum male citantem Lutherum. Eſt hoc ponderare teſtimonia? eſt hoc conuincere male citantem? dicere duntaxat, Ego poſſum ſic & ſic intelligere? Nonne hoc vitio reos hactenus egi Sophiſtas iſtos, quod poſſint omnia ſic & ſic intelligere, nunquam autem, vt debent, velint intelligere? Hoc non eſt confutare aduerſarium, ſed confundere diuinas Scripturas. *Pſal. 1. 2. 5.*

Sophiſtarum vitium.

Non eſt qui inuocet nomen tuum.

Deinde qui huius figuræ tam viuaciter memor eſt hoc loco, quomodo tam craſſum ſtertit in ſequenti, vbi dicitur: Non eſt, qui inuocet nomen tuum, qui ſurgat & teneat te? Non potuit & hic particularem facere, id eſt, aliqui & multi non inuocant nomen tuum? quo caueret, ne inſulſiſſimum & ineptiſſimum excurſum cogeretur facere, probaturus quam nunquam defuerint inuocantes nomen Domini per omnia ſecula. An in negatiuis non habet iſta figura locum? An non Iſaiæ 57. videbitur poſita? Iuſtus perit, & non eſt, qui recogitet in corde ſuo, & viri miſericordiæ colliguntur, & non eſt, qui intelligat? Num Eſaias non intelligebat, quæ hæc ipſa dicebat? An ſoli Latomo licet, vbi vbi voluerit, figuram facere, vbi non libet, nullam facere? ſcilicet ſentiebat homo prudens, quod illud citra figuram dictum (omnes iuſticiæ pollutæ) contra ſeſe concluderet, ideo fuit eludendum. Rurſum illud, Non eſt qui inuocet, ſub figura dictum, non concluderet, contra Lutherum, ideo fuit ei detrahendum. Nec interim cogitabat vir tantus, quam hac libidine & temeritate copiam verſuræ aduerſario faceret, Eadem enim autoritate permutabo & ego iſta duo figurata, vt nunc ſimul, nunc alterutrum, ſint figurata & non figurata, Iſte autem eſt modus tractandæ Scripturæ? *Eſaiæ. 57.*

Omnes iuſticiæ noſtræ pollutæ.

Rurſum Egregius Theologus illud, Omnes iuſticiæ noſtræ pollutæ, quod fidelibus figuratum tribuerat, tanquam ſine figura tribuit Iudæis vltimo vaſtatis, de quibus hunc locum interpretantur, vt habeant, quorũ iuſticias omnes citra figuram pollutas aſſeuerare poſſint. Ita Latomus ſibi licentiam in diuinis literis arrogat libidinandi, etiam dum ſeria dicit, & pro fide contra peſſimum hæreticum pugnat. Si eſſem hæreticus (quod auertat Chriſtus) & has laruas in me cernerẽ iuſtrui, ſententiam meam firmarẽ, & omnia

illorum

Digitized by Google

illorum ſuſpecta haberem ex illa ipſa inconſtantia & nugacitate, Neq; enim ſeria, nec vera eos crederem tenere, quanto magis nunc etiam damno & deteſtor.

Age tamen, valeat iſta Louanienſis & noua theologiſandi ratio, & vno verbo omnia Latomi ſubito ſubuertero & mox vicero. Quoties enim inductis autoritatibus cauillatur, opus bonum non eſſe peccatum, dicertam ad iſtud effugium ſynecdoches & dicam: Opus bonum intelligitur particulariter bonum, ſimiliter & peccatum particulariter peccatum. Sic enim ipſe aliquas aliquorum iuſticias non bene factas ſynecdochiſat. Quid erit tum facilius mea victoria his armis aduerſarij ipſius parta? Ecce, hoc eſt Louanialiter & Latomialiter ſenſum Scripturæ è filo, conſequentia & circumſtantia verborum ducere, quos tamen parricidium eſt truncos, ſtipites apellare. *Noua theologiſandi ratio.*

FAceſſat ergo iſta Louanitas & vera vanitas, Et Auguſtini ſententia, quæ ipſius veritatis & communis omnium ſenſus eſt, nobis hic ſupponatur: Figura nihil probat, Quod licet de ſacris rerum ſignis dixerit, nihil minus etiam grammaticis verborum figuris aptari commode poteſt. In nulla enim Scriptura, nedum diuina, figuras captare licet pro mera libidine, ſed vitari debent, & ſimplici, puræ primariæq; verborum ſignificationi nitendum eſt, donec ipſa circumſtantia aut euidens abſurditas cogat figuram agnoſcere, Alioqui quæ erit Babylonia linguarum & verborum in mundo? tum præſtaret mutos eſſe, quam eloquentes. Exemplis craſſis monſtremus, quia incraſſati ſunt nimium Magiſtri noſtri Louanienſes. Quando Poeta dicit: Naſcetur pulchra Troianus origine Cæſar. Si hic figuram captes, vt Cæſarem pro Cæſaribus dictum velis, potes hoc pro libidine tua, ſed nunquid Grammaticis perſuadebis? Rurſus ille: Tu populos regere imperio Romane memento, potes ſine figura vnicum ciuem iactare, ſed Grammatici quid dicent? *Figura nihil probat.*

Pſalm. 16. Sic Pſal. 16. Notas mihi fecisti vias vitæ, potes tuo cerebro dicere, vias terrenas intelligi, quas corporalibus pedibus calcamus, ſed errorem ſimul pro via ſequeris. Et quid opus pluribus? plena fatemur omnia figuris, ſed in quibus obſeruandis opus ſit iudicio, quod tamen nulla certe Regula formari ſatis poteſt. Quanquam ego adhuc nullum exemplum huius figuræ reperi in ſignis illis vniuerſalibus, vt Latomus hic fingit. Duo iſta habemus, quæ nos dirigant, Abſurditatem rerum & circumſtantiam verborum. Quod enim gladius fœmoris Pſal. 45. & duo gladij diſcipulorum, Luc. 22. non ferrum ſignificent, circumſtantia verborum fortius probat quam abſurditas, quanquam & hæc valet, Rurſum, quod relinquens vxorem centuplum accipiat in hac vita, ipſa abſurditas rerũ non de relinquendo & recipiẽdo corporaliter intelligi cogit. *Notas mihi feciſti vias vitæ.* *Pſalm. 45.* *Luc. 22.* *Matth. 10.* *Abſurditas rerum.* *Circumſtantia verborum.*

Ita Latomo meo in præſenti non licet dicere, poteſt hoc figurate intelligi omnes pro aliquibus. Non patior figuram, quam diu non docuerit abſurditatem, aut circumſtantiæ neceſſitatem, ſed vrgebo eum, vt ſimplici propria & primaria ſignificatione debeat intelligere omnes iuſticias noſtras eſſe immundas, debet, inquam, hoc, quia nulla abſurditas huic contraria in Scripturis reperitur. Et ſic ſtat autoritas iſta adhuc inuicta, & ridet Latomia nos conatus, & præproperam iactantiam, probatq;, Quod omnis iuſticia eſt immunda, omne opus bonum peccatum. Quamuis miror eum ſui effugij hic oblitum, quo in omnibus alijs vtitur. Poterat enim & hic dicere, Immundiciam eſſe aliud nihil quam imperfectionem, ſicut in vocabulo vitium & peccatum facit, autoritate, qua ſolent rebus ſubſtantias & vocabulis ſignificationes affingere, prout viſum fuerit. Sed ſperabat heros magnanimus aliquando è ſpectatiore victoria illuſtris fieri, quam per effugia reliqua factus eſt. *Omnis iuſticia immunda.*

ACcedit ad hæc, ne figura iſta locum hic habeat, & alia ratio, Quod regulare ſit in Scripturis, vbi ſimpliciter & perfectiſſime vniuerſalem *Regulare eſt, in ſcripturis vniuerſali affirmatiuæ adijci vniuerſalem negatiuam.*

 abſque

vera agebant. Itaq; vt dixi, ineptis exemplis ludit Latomus, mala conſcientia erroris vexatus, cupiens euadere & non potens, Euidens enim argumentum eſt, eum eſſe veritate inuicta conuictum, qui tot miſer diuerticula & tam anxie quærit, O veritatis conſcientia non ſic trepidat aut variat, Sero iſta quæruntur remedia miſeri Sophiſtæ.

Hic autem eſt figura Synecdoche in Euangelio, Sic erit Filius hominis tribus diebus & tribus noctibus in corde terræ. Et ſimiliter latrones, qui crucifixi erant cum eo, blaſphemabant eum. Et euidentiſſime Pſal. 78. Et tentauerunt Deum, vt peterent eſcas animabus ſuis. Hoc in vituperium dicitur, quaſi totius populi Iſrael. Contra Pſal. 105. Petierũt, & venit coturnix & c. Hoc in laudem dicitur, ſed vtrunq; per Synecdochen, totum pro parte, præ cæteris autem in Prophetis late regnat ea figura, At hoc loco non ſic poteſt Iſaiæ verbum ad alios contrahi, quia ſeſe inuoluit, non ad alios loquitur, ſicut fit in prædictis locis, ſed Proſopopœiam loquentium de ſeipſis facit, dicens: Omnes nos, Vniuerſæ noſtræ iuſticiæ, Non dicit: Illi aut vos & c.

Matth. 12. Matth. 27. Pſalm. 78. Pſalm. 105. *Synecdoche.*

SEd nunc ſupereſt quomodo iſta fidelibus tribui poſsint. Et credo, non eſſe neceſſarium probare, eos fuiſſe fideles & pios, eum ad vocem Ieremiæ obedientes Deo ſeſe traderent in captiuitatem, alij ſponte, alij tandem coacte. Nam Chriſti & Apoſtolorum caro adhuc in illis erat, ob quam ſolam poſſumus eos dicere fuiſſe pios & fideles, quando ſua carnis linea merito credatur per totum genus humanum, vſq; in Virginem matrem, ſanctum & electum ſemen fuiſſe. Dicam igitur prius ſummatim, poſtea textum.

Ego docui, Opera noſtra bona eſſe talia, quæ iudicium Dei ferre non poſſint, Iuxta illud Pſal. 143. Non intres in iudicium cum ſeruo tuo, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. Cum autem iudicium eius ſit verax & iuſtum, non damnat opera, quæ prorſus ſunt inculpabilia, Nulli enim facit iniuriam, ſed ſicut ſcriptum eſt: Reddit vnicuiq; ſecundum opera ſua, Ideo ſequi, bona noſtra non eſſe bona, niſi regnante ſuper nos miſericordia eius quæ ignoſcat, Eſſe vero mala intentato ſuper nos iudicio eius, quod reddit vnicuiq;. Hęc eſt via docendi timoris & ſpei in Deum. Hanc ſapientiam pietatis calumniatores mei damnant, & ſua opera inſtant, homines timore Dei & ſpe ſpoliant, & ſuperbos reddunt peſtilentibus ſuis doctrinis, fingentes opus bonum, laude, præmio, gloria dignum, vt hic etiam Latomus latrat.

Pſalm. 143. *Iudicium Dei iuſtum & verax.*

Eam ſententiam & hoc Eſaiæ loco firmaui, & recte, quantum adhuc intelligo, imo nunc firmius, quam ante ludibrium Latomi, ſtat pro me. Vult enim Eſaias iraſcente Deo & in captiuitatem & vaſtitatem trudente populum, Deum iam non ſecundum miſericordiam, ſed ſecundum iudicium, imo iram cum eis agere. In quo iudicio etſi ſint pij & iuſti viri, quorum iuſticia extra iudicium, munda eſſe poterat ſub regno miſericordiæ, nunc adeo nihil prodeſt illis, vt ſimiles ſint nouiſſimis & immundiſſimis peccatoribus, Non enim agnoſcit eos Dominus in iſto furore, ſed ſimul tradit iuſtum & impium, Nec ſinit ſe teneri, Quo quid aliud facit, quam quod eos, qui iuſti ſunt, ſic habet, & ſic apparere facit, ac ſi iuſti non eſſent, In quo tamen iudicio, quia iuſte iudicat & vere, neceſſarium eſt eos ſimul eſſe iuſtos, & tamen immundos. Et ita oſtendit, quam nullus in ſua iuſticia, ſed ſola miſericordia eius niti debeat. Hoc ſenſu & Iob 9. loquitur: Vnum locutus ſum, innocentem & impium ipſe conſumit. Neq; enim de ficte innocente loquitur, & tamen conſumit eum non iniuſte. Ita & Eſaias hic, vere iuſtos & mundos intelligit. Non enim ſpiritus in ſpiritu plorum de fictis iuſtis, ſeu in ficte iuſtorum perſona loquitur. Veriſſima eſt iuſticia, & tamen velut immunda, quod patitur omnia eorum, quæ immundi patiuntur, non innocenter apud iuſtum Deum, licet innocenter coram hominibus & in conſcientia noſtra.

Credentes iuſti & tamen immundi ſunt. Iob. 9.

Hoc ſenſu & Pſalm. 44. vbi plurima mala perpeſsi dicunt: *Pſal. 44.*
Hæc omnia venerunt ſuper nos, & inique non egimus in Teſtamento tuo, Nec receſſit retro cor noſtrum, nec declinauerũt ſemitæ noſtræ à via tua. Hoc eſt, quod in Ieremia dicit capite 48. Ecce quibus non erat iudicium, vt biberẽt calicem, bibentes bibent, & tu innocens relinqueris? Non eris innocens, ſed bibens bibes. Quomodo non erat illis iudicium, & tamen bibunt? ſcilicet in conſcientia ſua & coram hominibus, ſicut Iob fuit, quem itidem teſtatur Dominus innocentem, cum ille cap. 9. longe aliter dicat, alioqui Deus iuſtus non afflixiſſet eos. Nam rurſus Ierem. 31. dicit: Caſtigabo te in iudicio, vt non videaris tibi innoxius. Omnes ergo coram eo peccamus, ſi iudicet, & perimus, ſi iraſcatur, qui tamen ſi miſericordia nos operiat, innocentes & pij ſumus, tam coram eo, quam omni creaturæ. Hoc eſt quod Eſaias hic dicit.

Iob. *Ierem. 48.* *Ierem. 31.*

Faciens iuſticiam. Vbi ſciendum, quod ille faciens iuſticiam hoc loco non eum ſignificat, qui agit iuſte, qualis Pſalm. 15. eſt: Qui operatur iuſticiam. Quales iuſticias hic omnes immundas vocat, Sed eum, qui factor eſt iuſticiæ, id eſt, autor, vt ſit iuſticia in diebus ſuis, Sicut Iere. 23. Regnabit Rex & ſapiens erit, & faciet iudicium & iuſticiam in terra. Et Pſal. 119. Feci iudicium & iuſticiam. Proſpera enim ſunt & læta tempora, quando factores iuſticiæ ſunt, quos tamen ſimul eſſe operarios iuſticiæ neceſſe eſt. Et locus iſte totus hoc plorat, etſi ſint boni & iuſti, in tempore iſto iræ, tamen iuſticiam erigere non poſſunt, qua ira Dei ſedaretur & teneretur, Sed ipſi vna cum impijs conſumuntur, iuſticia eorum nihil habita, quia ira Dei non ſinit eos quidquam promouere, vt copioſiore ſermone ſic eloqui hunc locum queas meo periculo.

Pſal. 15. *Ierem. 23.* *Pſalm. 119.*

Occurriſti lætanti &c. Occurriſti lætanti &c. Quando læta ſunt tempora, & proſperatur iuſticia, quod vtique gratiæ tuæ Regnum eſt, tu quoque propicius es, occurris & obuijs manibus eos ſuſcipis, inuocant nomen tuum & exaudis, ſurgunt & inueniunt te, tenent te, & pareis omnibus, vt tempore Moſi in deſerto. Tunc eſt incedere in vijs tuis, tunc eſt memorare, laudare, gratias agere tibi pro beneficijs effuſis. At nunc, cum ira tuã ſæuiat, & triſtia ſint tempora, nihil niſi peccatores ſumus, non occurris, non inueniris, non teneris. Etſi ſint boni & iuſti, nullus tamen eorum eſt, qui ſurgat & teneat te, aut inuocet nomen tuum pro nobis, quia nec audet, Non hic eſt laudare te pro beneficijs, ſed plorare tantum in noſtris malis. Et ſicut tempore florentis iuſticiæ etiam peccata aliorum facta ſunt alba ſicut nix, nec punijſti ea, quin pro non peccatis reputaſti, Ita iſto iræ & ruentis iuſticiæ tempore, etiam iuſticias noſtras vniuerſas pollutas ducis, punisq́, ſimul eum peccatis aliorum, & cum malo inuoluis, allidens nos in manu iniquitatis noſtræ, ſinens nobis fieri, quod peccata meruerunt, vt quaſi immundi ſimus omnes nos. Sic miſericordia ablata, iniquitates noſtræ ſicut ventus auferunt nos, nihil valentibus aduerſus eum vniuerſis iuſticijs noſtris.

Iſai. 1.

Sic & de principe irato dicit vulgus: Nemo audet ei de hac re dicere, nec pro ea intercedere, ne filij, ne vxor, ne amici quidem &c. Sic iram Dei tam magnam queritur, vt & vniuerſas omnium piorum iuſticias ſic tractet, quaſi peccata & immundiciæ ſint, nec audeant, nec poſſint eum inuocare, aut flectere. Frigidiſſima autem eſt ſententia de impiorum ſacrilega iuſticia, ad ardentiſſimam & vehementiſſimam hanc orationem comparata, quæ ſi vnquã apte orari potuit, hodie orari poteſt, vbi multi pij, Sed ita præualet Antichriſtus Papa, vt etiam non modo in mala pœnarum, ſed & in errores trahat Electos, nec eſt hic qui ſurgat, teneat, inuocet Nomen Dei pro miſeris nobis.

Hunc ſenſum pulchre quadrare ſequentibus arbitror ſatis patere, & Latomis meis hoc deeſſe, quod Spiritum ſanctum credunt non ex animo loqui,

qui,ſed fictas quaſdam Iuſticias allegare. Sed illas non quereretur immundas fieri,cum iam eſſent immundæ. Hic iuſticias ſynceras confiterur eſſe, & quæſtio eſt eas pollutas & immundas fieri,dum non contingit illis quod Iuſticijs ſynceris ſolet,ſed contraria contingunt, Quia non ſurgunt & tenent iratum Deum,in die furoris,apud quem nihil non poſſunt tempore fauoris. Iuſtum ergo ſimul & iniuſtum vaſtat furor & Iudicij rigor, ſola miſericordia ſeruat quicunque ſeruantur. Quare vides,credo,Lector, hunc locum cum vniuerſa conſequentia,cum proprietate verborum,cum ſimplicitate & vnitate ſenſus, ſine varietate laciniosa Louanienſium Sophiſtarum pro me facere & ſtare inconcuſſum,& Scyllæ huius latratus irridere. Stat,inquam,opus bonum natura ſua eſſe immundum,ablata nube gratiæ, quod ſola miſericordia ignoſcente purum,laude & gloria dignum habetur. *Opus bonum natura ſua malum &c.*

Igitur locus non ſolum meam ſententiam fulcit, ſed etiam Exemplum eius doctrinæ ſimul exhibet. Sic enim agitur cum operibus bonis,extra ignoſcentem miſericordiam,vt hic audimus querulari Iſaiam. Et tamen niſi vere impura & mala eſſent,Iuſtus iudex non ſic cum eis ageret. In qua re cognoſcimus,quam diues ſit gratia Dei ſuper nos,quam Indignos foueat, vt ex totis medullis grati ſimus,amemus & laudemus diuitias iſtas gloriæ, gratiæ Dei. *Gratia Dei ſuper nos.* Hunc cultum Dei & veritatis noticiam perdere feſtinant iſti Conſequentiatores & Circumſtantiatores ſophiſtæ,qui ſeſe ſolos iactant Scripturæ elucidatores, cum aliud non faciant quam vt in multas lacinias lacerent, & ambiguas obſcuraſque eas reddant.

His ſimul reſponſum eſt magnifico Latomi cauillo quo Lutherum vehementer abſurdum traducit,qui hunc locum non ſolis Iudæis, in quorum perſona dictum confiteor, ſed omnium ſeculorum Sanctis conuenire dixerim. Idem iſte Spiritus,quem hic Eſaias habet ſuo ſeculo & ſua tribulatione, fuit in Iob,fuit in Abraham,in Adam,& eſt adhuc in omnibus membris totius corporis Chriſti,ab initio mundi in finem,in ſuo cuiuſque ſeculo, & ſua

2.Corinth 4. cuiuſq; tribulatione. Niſi forte Paulus 2.Corinth.4.non debuit dicere: Et nos credidimus,propter quod & loquimur. Quia non habuit eandem extaſin, & eodem tempore cum Dauid. Variant ſecula,res & corpora,& tribulationes, ſed idem Spiritus,idem ſenſus,eadem eſca, Idem potus omnium per omnia manet. Aut ſi hoc non placet, Conſilium eſto Louanienſibus incendiarijs, Pſalterium Dauid incendere,& nouum,quod noſtros triumphos de Reuchlino & Luthero celebret,condere,quia illud vetera commemorat Iudæorum facta,quæ nobis nouis non conueniunt. Cæci & talpæ,ſic diuinas literas in faciem contemplamini,ſecundum opera,non ſecundum ſpiritum iudicantes, ſicut Iudæi in deſerto ſtantes in oſtio papillonis ſui, adhuc nihil aliud videntes,quam dorſum Moſi ingredientis tabernaculum fœderis Domini.

Proſequamur reliqua.

CVm ego dixiſſem, Iſta non poſſe intelligi de iuſticia legali, quæ potius inflet,non autem humiliter gemat,ſicut iſte locus gemit. Dicit Latomus,me falſum ſupponere,quia totus Textus ſit ſuperborũ Iudæorum,petentium liberationem temporalem. Et hanc falſitatem probat inſigni autoritate,quæ eſt opinio Latomi,credentis hunc locum de Iudæis iſtis intelligi. Sic audent iſti homines ſuper ſeſe ædificare,& omnia damnare. Quare ſpiritus ſanctus in perſona ſuperborum aliquando ſuperbiet, & coram Deo faſtuoſe loquetur. Deniq; audet Latomus eadem temeritate addere præcedens caput de eiſdem intelligi,ſuperbis ſuperbe dicentibus: Quare errare nos feciſti de vijs tuis? facti ſumus quaſi in principio cum non dominareris noſtri, cum *Eſai.63.* Eſaias eodem contextu in eodem ſpiritu loquatur. *Iuſticia legalis.*

Vltra,

Vltra,cum iuſticiam legalem negaſſem malam eſſe, & vſum damnaſſem,quo reprehenditur,oſtendit Latomus iterum,quam doctus ſit in ſacris literis,& inducit illud,2.Cor.3.Nam nec glorificatum eſt,quod claruit in hac parte propter excellentem gloriam,Deinde,credit me non vidiſſe illud Ezechiel.19.Dedi eis præcepta non bona:Si verbis præſentibus ſic mecum ageret, crederē eum iocari,ſi bonus eſſet,aut irridere,ſi malus eſſet. Sed propter alios dicemus paucula. Perſuaſum eſt multis eo loci Paulum agere de ceremoniali iuſticia,quæ euacuata eſt,cum prorſus de tota lege loquatur,& comparet inuicem legem & gratiam,non legem & legem. Error venit inde,quod Euangelium doctrinam legum arbitrentur,Breuiter,Duo ſunt miniſteria prædicationis,alterum literæ,alterum ſpiritus,Litera eſt legis,Spiritus eſt gratiæ, illa ad vetus,iſte ad nouum pertinet. Legis claritas eſt cognitio peccati,Spiritus claritas eſt reuelatio ſeu cognitio gratiæ,quæ eſt fides. Igitur lex non iuſtificabat, quin cum eſſet intolerabilis infirmitati humanæ,velata eſt vſq; ad præſentem cum eo gratia in monte Thabor. Nemo enim vim legis ſuſtinet, ſine gratia ſeruante, ideo Moſes velare coactus eſt faciem ſuam. Hinc Iudæi vſq; hodie non intelligunt legem,quia ſuam iuſtitiam quærunt ſtatuere,& nolunt eam fieri peccatum,vt iuſticię Dei ſubijcerentur, Hoc enim legis claritas facit, vt omnes rei fiant,ſicut Rom.11.dicit,Concluſit omnes ſub peccatum. Ita lex eſt virtus peccati,operatur iram & occidit,Spiritus autem viuificat.

2.Cor.3. *Ezech.19.* *Duo ſunt miniſteria prædicationis literæ & ſpiritus.* *Rom.11.*

Quod ergo Ezechiel dicit: Dedi eis præcepta non bona, & iudicia in quibus non viuent,ad vniuerſam legem pertinet,non ad ceremonias tantum, ſicut & hoc Pauli:Non eſt glorificatum quod claruit in hac parte,ad eandem vniuerſam legem pertinet. Vniuerſa enim lex ſancta,iuſta & bona fuit,vt Paulus dicit Rom.7.ſed nobis illud,quod bonum eſt,noſtro vitio non poteſt bonum eſſe,nec viuificat nos, ſed occidit. Nam & ipſe Deus ſummum bonum,non eſt bonum impijs,ſed ſummus pauor & tribulatio,ſicut dicit Hoſeæ.5 Ego quaſi tinea Ephraim,& quaſi teredo Domui Iuda, Et ego quaſi leæna Ephraim,& quaſi catulus leonis domui Iuda.

Dedi eis præcepta non bona. Ezech.19. *2.Cor 3.* *Rom 7.* *Oſeæ.5.*

Error ergo eſt Magiſtrorum noſtrorum,prorſus nihil in Scripturis ſcientium,nec quid Lex,nec quid gratia,nec quid ceremoniale,nec quid legale vnquam intelligentium,ideo ſic confunduntur, & alterum pro altero ſequuntur. Dico ergo,ſicut lex Decalogi eſt bona,ſi ſeruetur(id eſt,ſi habeas fidem, quæ eſt plenitudo legis & iuſticia)contra,mors & ira,& non bona tibi,ſi non ſerues,id eſt,ſi non habeas fidem quantumlibet eius opera facias.Nam iuſticia legis etiam decalogi,immunda & aboliia eſt per Chriſtum,Imo magis quam ceremonialis.Nam ipſa proprie eſt velamen vultus Moſi,quod fidei gloria tollit. Ita Ceremonialis,quæcunq; bona eſt,ſi eam ſerues, non autem operibus ſed fide eam ſeruas,Id eſt,ſi ſic opereris eam,vt non in illis.ſed in fide ſcias eſſe iuſticiam.Contra,non bona,mors,ira eſt,ſi extra fidem ſerues, Id quod eſt, ac ſi non ſerues Claret ergo,literam occidentem eſſe vniuerſam legem,Spiritum viuificantem autem gratiam in fide Chriſti.

Lex Decalogi eſt bona & non bona &c. *Lex ceremonialis &c.* *2.Corint.3* *Litera occidens. Spiritus viuificans*

Cum ergo illis legem literæ dederit,non legem fidei per Moſen,recte dicit,ſeſe non bona,nec viuificantia iudicia dediſſe,quia non poterant bonos & viuos facere.Gratia autem lex vitæ eſt faciens & bonos & viuos & iuſtos. Et ſic Paulus vult noui Teſtamenti miniſtros eſſe miniſtros gratiæ,non miniſtros legis,quia officium eorum ſit non Moſi,hoc enim iam miſſum erat,ſed Chriſti,id eſt,gratiæ claritatem prædicare Et velim doceri à Magiſtris noſtris, vnde ſciant,quod Ezechi.& Paulus 2.Corinth.3.de ceremoniali loquantur? Noone ſolum caput ſuum aut hominis teſtimonium allegabunt?Sic enim irruunt porci iſti immundi,& dicta Scripturarum ſine iudicio arripiunt, quiduis in

Noui Teſtamenti miniſtri. *2.Corint.3*

uis In eis intelligentes, & tamen audentes pugnare pro fide, antequam arma ſua conſiderent, an ſint picta vel vera,

Vbi vero ita tractaſſem illud Iſaiæ: Omnes iuſticiæ noſtræ, & omnes immundi nos, vt vrgerem vniuerſalem, quia dicit: Omnes & nos, vniuerſæ & noſtræ, acutiſſimus Dialecticus argumentum inuertit, dicens: Imo ſic argumentare: Non dicit, omnes, ſed omnes nos, Nec vniuerſæ iuſticiæ, ſed iuſticiæ noſtræ, volens Iudæis impijs ea conuenire, non fidelibus aut omnibus. Quod iam ſatis eſt confutatum, vt quod nitatur in vaga Latomi opinione, Ego autem probarim, id fidelibus ipſisq; optimis maxime conuenire.

Sed & aliam habet tam diues Theologus euaſionem. Eſto (inquit) ſimpliciter dixiſſet, Omnes iuſticiæ, & omnes immundi, adhuc contrahendum eſt ad partem aliquorum. Iterum ſuam vel hyperbolen vel ſynecdochen hic in-
Eſaiæ 1. uocans patronam. Quod ſi dixeris ei, vnde probas figuram hic eſſe, & contrahendum eſſe? reſpondet, Quia in alijs locis Scripturæ ſic inuenitur, vt (ſupra patuit) vt ibi, Omne caput mœrens &c. Vbi iterum vides, Latomo Magiſtro, liberum eſſe cuiuis figurare & ludere in Scripturis, pro ſua voluntate, Et hoc vocatur Louanij magiſtraliter ponderare teſtimonia Scripturarum, ſolide docere, & feliciter vincere hæreticos. Nam hoc Magiſterio ego facile defendam iſtam Iſaiæ autoritatem, ſolum vnum Iudæum impium ſignificare, & prohibebo Latomum quoque, ne illorum iuſticias ex iſto loco immundas facere poſſit, & locum hunc eis aptare, in hunc modum. Si dixerit, Omnes veſtræ inſticiæ ſunt pollutæ, Reſpondebo, hoc contrahendum eſt ſicut illud, Omne caput mœrens, ad aliquos propter figuram. At accipiamus illos aliquos, & ſint duo, dicamuſq; eis, Omnes iuſticiæ veſtræ pollutæ. Dicent, Non, Eſt figura locutionis, vbi totum pro parte ſumitur. Videmur ne tibi Lector pulchre theologiſati? Nam cum Latomo ſatis ſit à ſimili in Scripturis pugnare, credo, quia ſemel legerit virginem peperiſſe, facturus ſit virgines matres quoties volet, contentus, quia hoc in aliquo loco ſic contigiſſe oſtendere poſſit.

Vide itaque ſtudia & mores Sophiſtarum, quibus aliud non faciunt, quam *Sophiſtarum mores* vt varia & inconſtantia ſint omnia. Suum illud Decretellum, Anathema ſit, *& ſtudia.* qui dixerit, mandata Dei eſſe impoſſibilia, tanto rigore, tanta pertinacia, vt verba ſonant, ſtatuunt, vt prorſus ſyllabam piæ gloſæ nõ admittant, totum mundum hæreticantes, ſi quid contra mutiat. Cur hoc? quia ſuum eſt, ex homine ſumptum mereque humanum verbum, At vbi Scripturis Dei in eos vſus fuerit, tum infinitis criſphegeris abundant, tum nihil eſt quod cogitare poſſint, quin idem ſit mox Articulus fidei, nec tamen cogitant aliquod ſimplex conſtans & vnum. Credo ſi hodie Chriſtus de cœlo ſonaret, Lutheri ſententia vera eſt, inuenturos eos aliquam diſtinctionem veri, ne in viam redire cogerentur. Sed tu, Lector, iſtos vagos oculos pro teſtimonio habeas, adulteræ mulieris, nec eſſe apud Magiſtros noſtros ſtudium ſimplicis veritatis, ſed variæ & inconſtantis eluſionis. Si mihi ſic laborandum eſſet opinionibus, ſimilitudinibus, varietatibus, nollem Chriſtianus eſſe, Quomodo enim veritatem ſolidam in his procellis & fluctibus inuenire ſperarem? Quid ergo reliquum eſt? Nempe, quia figuram hic eſſe non poteſt probare Latomus, cogetur autoritatem citra figuram ſimplici & propria ſignificatione admittere, omneſque omnium iuſticias eſſe pollutas, & omnes homines eſſe immundos citra Dei miſericordiam.

ALium locum Eccleſiaſt. 7. Non eſt homo iuſtus in terra, qui bene faciat *Non eſt homo iu-* & non peccet, Latomus inuadit, etiam minatus mihi in fine, vt deſinam *ſtus in terra &c.* ponere maculam in gloriam ſanctorum, quod gloria Sanctorum apud *Eccleſiaſt. 7.*

eum ſit

eum ſit opus eorum ſine peccato. Quomodo Pſal. 3. dicunt: Tu es gloria mea- *Pſalm. 3.*
id eſt, tu es opus meum bonnm ſine peccato. Et 89. Qnoniam gloria virtntis *Pſalm. 89.*
Fac nobis deos &c. eorum tu es, id eſt, tn es opus eorum bonum ſine peccato, ſcilicet, vt nobis ipſis
deos faciamus, ſicut illi dixerunt, Exod. 32. Fac nobis Deus, quod proprie di- *Exod. 32.*
Sancti in ſolo Deo ctum eſt de operibus bonis, in qno gloriantur ſancti iſti Latomiani. Et conſo-
gloriantur. nat Eſaiæ 3. Opus manuum ſuarum adorauerunt, quod fecerunt digiti eo- *Eſaiæ. 3.*
rum. Nam ſancti Dei confunduntur in ſuis operibus coram Deo, & in ſolo
ipſo gloriantur, vt Ierem. 9. Non glorietur fortis in fortitudine ſua. Et Paulus *Ierem. 9.*
1. Cor. 10. Qui gloriatur, in Domino glorietur. Sed vt dixi, Magiſtri noſtri præ *1. Cor. 10.*
nimia prudentia ſic loquuntur, vt reuelentur cogitationes cordium ſuorum,
quod de pietate ſentiant ſupra quam Prophetæ aut Apoſtoli capere poſſint.
Nam quid Latomus de fide & operibus ſentiat ex animo, ſatis probat os ex
abundantia iſta cordis loquens, præuenit hic artem natura, vt ſimulare hon
poſſet.

Conſequentiam, circumſtantiam, & (quod dicit) filum locutionis hic omiſit ponderator teſtimoniorum prudentiſſimus, quia periculum ſenſit ideo confugit, Primum ad aliorum expoſitiones, Deinde more ſuo ad alium locum Scripturæ. Quanquam & ego ſi præter hanc autoritatem nihil haberem, non in hac ſententia ſtarem. In hoc autem eam poſui, quod prorſus non poſſim ad eam reſpondere, quod ſatisfaciat, ſicut nec Latomus poteſt, nec vllum poſſe credo. Ideo quando apertis verbis huc concedere videtur, nec alius eius ſenſus inueniri à nobis poteſt, donec ſpiritus perfectiorem dederit, eam copulaui his, quæ apertæ ſunt & infallibiles, Sæpius eam eluſi iſtis gloſis, quibus Latomus nititur, ſed ſemper perſeuerauit, obſtrepens & nimio conſenſu alijs locis meis conſpirans. Nam Latomus cum nihil noui afferat, credit tamē Lutherum nihil eorum vidiſſe. Et hæc credulitas ſatis erat, qua impelleretur ad ſcribendum.

Facile eſt dicere, quod idem ſit, Non eſt iuſtus in terra, qui faciat bo-
Non eſt homo qui non peccet. num, & non peccet, cum illo 3. Reg. 8. Non eſt homo qui non peccet, Sed
cum hic nectat hominem & iuſtum, deinde bonum facere & non peccare, In
libro autem Regum ſimpliciter hominem, & ſimpliciter non peccare dicat,
Latomus conſequentias & circumſtantias fugiens, quas profeſſus eſt præ o-
mnibus ſequi, elabitur. Ego autem, qui eas obſeruo, in eis hæreo, meum non
eſſe intelligens eſſerere, idem eſſe hominem & hominem iuſtum, item pecca-
re & benefacere cum non peccare. Et plane confiteor, ſi Latomus mihi eam
opponeret, huius meæ ſententiæ aſſertor factus, & contenderet in Scripturis,
hominem accipi ferme in malo, pro peccatore, vt Gene. 6. & 8. Non perma- *Gen. 6. 8.*
nebit Spiritus meus in homine, quia caro eſt. Et Paulus: Nonne homines eſtis?
Item ſæpius ſecundum hominem dico. Item humano die. Et Pſal. 82. Vos ſi- *Pſalm. 82.*
cut homines moriemini &c. certe mihi anguſtiam fecerit.

Retundenda ergo eſt, euidentibus Scripturis, vt hunc ſenſum non faciat, Aut cedendum ei, dum hoc facit, quod multæ aliæ. Vnum eſt enim teſtimonium, ſed in ore eius verbum tunc ſtabit, dum alius aut tertius ei conſenſerit. Itaq; cum eam ſoluere neſciam, ſoluor ab eius exactione, dum ei ceſſero, accedentibus & alijs euidentioribus teſtimonijs, Donec ſpiritus reuelauerit, hominem eſſe idem quod hominem iuſtum, & bonum facere ac non peccare, idem quod peccare, Interim id quod verba ſonant, ſequar, non ſecuturus (vt dixi) ſed in dubio relicturus, ſi ſola ſonaret. Tutior tamen eſt affirmatio huius ſenſus quā negatio etiamſi ſola ſonaret in tota Scriptura, Quod nemo in hoc peccat, ſi ſua opera bona, inutilia, peccata, nulla eſſe coram Deo accuſet,

accuſet, & cum Iob omnia vereatur. Periculoſum imo impium, ſi vnum opus coram eo iactet & laudet, Quæ ratio & cogit hunc ſenſum amplecti, etiamſi autoritas, id quod Latomus vult, ſimularet tantum. Nunc cum apertis verbis inclinet, & ſolus metus eſt, ne quid occulte habeat, ſitque nec plene obſcurus nec plene apertus ſenſus, potior ſit pietatis ſenſus, aut interim nullus, quam impietatis.

Accedit, quod & hic ebraice faciens bonum, is eſt, qui autor eſt, vt ſint *Faciens bonum.* bona, vt non tantum perſonalem, ſed efficacem bonitatem ad extra proſperatam ſignificet, & tamen hunc peccare dicit, Quanto magis operatorem bonorum peccatorem faciet. Si tamen mea ebraicitas fidem haberet, aſſererem in Ebræo hunc ſenſum haberi, Sic enim habet, Quoniam homo non eſt iuſtus in terra, qui faciat bonum, & non peccet. Prior pars. Homo non eſt iuſtus in terra, certe illud facit, quod è libris Regum Latomus affert, Non eſt homo qui non peccat, imo amplius facit, vt apparet. Deinde quod ſequitur, explicat, quod talis etiam peccet benefaciendo. Sciunt enim Ebræi, quam ſoleat coniunctio ſuperflue poni in eius generis locutionibus, vt illud Gen. 17. Maſculus
Geneſ. 17. cuius caro non fuerit circumciſa, & peribit anima illa de populo ſuo. Exod.
Exod. 13. 13. Quicunque comederit fermentum, & peribit anima eius de Iſrael. Ita & hic, Qui benefaciat & non peccet, pro eo, quod eſt, qui cum benefecerit, non peccet.

Sed Latomus illud, quod conſequentia vrget, non diluit, vbi dixi, ſuperfluum videri, Quod Salomon addit ad iuſtum hominem, & dicit, Qui facit bonum, & non peccet, quaſi iuſtus alius quiſpiam ſit, qui non faciat bonum, Nam quod de cadere & peccare cauſiſſe credit, non mouet. Non enim quid Beda aut vllus homo dicat, ſed quid dicere debeant, quæro. In ſola Scriptura Dei attendere oportet, non ſolum quid, ſed & quis dicat. Nec hoc eum *In Scriptura attendere oportet non ſolum quid, ſed quis dicat.*
3. Reg. 8. iuuat, quod alium locum ex 3. Reg. 8. affert, qui dictus eſt, Probandum prius fuit, illum eiuſdem eſſe ſententiæ, & contra me facere, Non enim iuxta ponendum, ſed confutandum illi fuit, alioqui cur non etiam illud adduxit: In principio creauit Deus cœlum & terram? Et quoties, rogo, dicendum eſt ei, vt non iuxta, ſed contra ponat? ſicut ego non iuxta & ſimilia, ſed contraria illis poſui, Non audio, alibi ſic vel ſic dicitur, ſed hoc audiam, alibi contrarium euidenter dicitur. Tollat ſuum, poteſt ſic dici, & afferat commune, oportet ſic dici.

Et hoc debet, quia cum iudicauerint, damnauerint, exuſſerint, comprobati ſint à Bulla, turpiſſimum eis ſit, eo fuiſſe nixos, quod poſſit ſic dici, nec oſtendant, quod oporteat ſic dici. Quid enim cogitabit orbis, ſi ſeipſos prodant, ſuper eo dubio, tam certam ſententiam tuliſſe, executos fuiſſe, comprobatos eſſe? Et quis non tunc affirmet Latomum veritatis illum aſſertorem, in reddenda ratione & aſſerenda veritate publice confundi, nec alio quam cauillandi & eludendi, non autem docendi aut defendendi ſtudio ſcripſiſſe. Hoc eſt enim nimis craſſe ſophiſticari & tentare ingenia & iudicia orbis Ego meorum nihil volo poſſe ſic dici, ſed quæcunq; non debent ſic dici, ea valeant & ſint diſputationes. Etiamſi id efficeret Latomus, vt mea non vrgerent, tamen hoc non ſufficit rationis redditoribus & damnatoribus, qui mea exuſſerunt, tanquam non ſolum non vrgeant, ſed quæ prorſus dici non debuerint. Quæ eſt iſta leuitas vel ſtultitia, vt argumento ſuſcepto de Chriſto differendi, mox alia cantilena accepta, de Hectore Troiano cantes?

INter hæc & argutatur dialecticis captionibus in Lutherum, velut prorſus ἀλόγον & ignarum dialecticés, dicens: Non magis ſequitur, Non eſt iuſtus, qui faciat bonum & non peccet, ergo vno & eodem actu peccat, quam ſequitur, Non eſt homo qui viuit, & non videat mortem, ergo ſimul viuit & moritur. Aut ſi quis diceret, Non eſt homo qui vigilet & non dormiat, ſi ex hoc velis inferre, quod ſimul vigilet & dormiat. Similiter, non eſt homo qui viuit & non comedat, ergo quandocunque viuit, comedit. Hæc ille.

Obſecro, da vnum de pueris Latomi, qui vna die audierit Dialecticam, vt coram eo Præceptoris ſui induſtriam examinem, Dic puer, Eſt ne omnis illa conſequentia optima, quoties ad impoſſibile ſequitur quodlibet, vt habent prima rudimenta apud Ariſtotelem? Exempli gratia, bene ſequitur, Tria & duo ſunt octo, ergo diabolus eſt Deus, per Regulam ad impoſſibile ſequitur quodlibet. Quamprimum enim antecedens fuerit verum, conſequens erit etiam verum. Ita, nonne bene ſequitur: Non eſt homo qui viuit, & non videat mortem, ergo ſimul viuit & moritur? Eſt n. antecedens impoſſibile, cum nemo viuens videat mortem, vnde ex eodem antecedente ſequitur etiam oppoſitum conſequentis, ſcilicet, Ergo non ſimul viuit & moritur. Ita, Non eſt homo qui vigilet & non dormiat, ergo ſimul vigilat & dormit, Nonne eſt legitima ſequela? Sequitur enim etiam contradictorium, Ergo non ſimul vigilat & dormit. Quia antecedens impoſſibile eſt, cum homo dormire non poſſit, qui vigilat, Nec econtra, Sic, Nonne ſequitur, Non eſt homo, qui viuat & non comedat, ergo quandocunque viuit, comedit, non comedit, eſt, & non eſt, & omnia quæ voles inferri? Quare ergo Præceptor tuus iſtas conſequentias negat & damnat? tum in re ſeria ſic nugatur? An hoc etiam comprobauit Bulla egregium factum? Vide itaq; Lector, quam cæca ſit inuidia ſophiſtica, vt iſta puerilia rudimenta etiam & communem hominum ſenſum non capiat.

Ad impoſſibile ſequitur quodlibet.

Sed dicet aliquis Latomaſter: Magiſtri noſtri eximij hoc voluerunt, Non eſt homo qui viuat, & non videbit mortem aliquando in futurum, Et non eſt homo qui vigilet; & non dormiat aliquando, alio ſcilicet tempore, quam quo vigilat. Et non eſt homo qui viuit, & non comedat aliquando, non omni tempore, quo viuit. Ex illis enim non ſequitur, Ergo ſimul viuit & moritur, ſimul vigilat & dormit, ſimul viuit & comedit.

Ago gratias de bona Informatione. Sed hoc eſt Magiſtros noſtros eximios vno abſurdo liberare, & geminis immergere. Quorum primum eſt, quod Grammaticam ignorant, nec ſciunt differentiam, inter verbum præſentis & futuri temporis, dum rem futuram per præſens enunciant, ſimul multa aduerbia occultant, forte in vindictam, quod antea linguarum peritiam calumniati, nunc paſſiones illas animæ, quæ iuxta Ariſtotelem, vt Dialogus Latomi habet, apud omnes eædem ſunt, efferre nequeant, & ſint, quod voluerunt, elingues, Ita concedo peſſime inferri, Non eſt homo qui viuit & non videbit, (vt Pſal. 89. habet) mortem, vel non videat aliquando mortem, ergo ſimul viuit & moritur. Ita peſſime infertur, Non eſt homo qui vigilet & non dormiat aliquando, ergo ſimul vigilat & dormit. Non ſequitur, Non eſt homo, qui viuit & non comedat aliquando, ergo quandocunque viuit, comedit, Sed contra quem pugnant iſtæ abſurdæ conſequentiæ? Nunquid Lutherus dixit, Non eſt iuſtus in terra, qui benefaciat, & non peccet aliquando, ergo ſimul benefacit & peccat? Quis mihi hoc aduerbium, aliquando obtrudet? quis illud Salomoni addere audebit?

Et hoc

Et hoc eſt alterum abſurdum Magiſtrorum noſtrorum, quo fere ſemper peccant, quod vocatur petitio principij. Quo quia Latomus toties vtitur, non grauabor, hominem toties admonere, ſi forte ex hac contentione, ſaltem aliquam Regulam dialecticè diſcere queat. Dico ergo, hoc probandum fuit Latomo, quod Salomonis verbū includeret aduerbium, aliquando, quo contraheretur peccatum, ad opera mala extra bonum opus. At ipſe, quaſi probatum ſit, apprehendit & probat negatum per negatum vitioſiſſime.

Quod ſi hæc vitia non eſſent, adhuc deficit in modis prædicandi per ſe & per accidens. Peccatum enim (quod horreſcere faciet omnes pilos Magiſtrorum noſtrorum) volui & nunc dico, prædicatione perſeitatis ineſſe operi bono, quam diu viuimus, ſicut riſibile ineſt homini (loquor ad morem Ariſtotelis, non Sophiſtarum, qui adhuc neſciunt, quid ſit per ſe apud Ariſtotelem aut propria paſſio) ſed eſca, ſomnus, mors inſunt prædicatione per accidens. Vt ergo non ſequitur, Homo ſemper eſt riſibilis, ergo ſemper ridet, Ita non ſequitur, Homo viuit, ergo ſemper vigilat, comedit, moritur. Tamen vt ſequitur, Homo viuit, ergo eſt riſibilis, cōmeſtiuus, dormitiuus, mortalis &c. Ita ſequitur, Homo benefacit, ergo peccat, quia homo benefaciens eſt ſubiectum, & peccatum eius paſſio, vt ſuppoſitum eſt ex Salomone. *Sophiſtarum ignorantia & inſcitia.*

Quare ego melius æmulabor conſequentias iſtas perſeitatis, quam Latomus, & veris exemplis meam conſequentiam, & neceſſarijs neceſſariam ſuadebo, hoc modo bene ſequitur, Non eſt Sophiſta Louanij, qui Scripturas tractet, & non deprauet ſententias damnetq́, veritatem, Ergo eodem opere tractat Scripturas & deprauat eas. Quia Sophiſtarum eſt, aliquando Scripturas tractare, ſed proprium eorum, illas deprauare & damnare. Sic bene ſequitur: Non eſt Theologiſta Louanij, qui concionetur, & non loquatur fabulas & ſomnia ſua, ergo quoties concionatur, fabulatur. Quia Theologiſta verbum Dei præſumit, ſed proprium ſuum eſt, fabulas pro eo docere. Sic: Non eſt Hypocrita Louanij, qui Miſſam faciat, & non adoret idolum, ergo quoties Miſſam facit, adorat idolum. Quia antecedentia omnia ſunt neceſſaria, & per ſe, eum non poſſint ſe aliter habere. Veniam dabis, pie Lector, huic meæ nugacitati, & Latomo imputabis, qui non eſt veritus in re iſta graui, veritatem iſtis nugis calumniari. Volueram tranſire hoc cauillum, ſed recordatus pompæ & Bullæ, timui, ne iſtas nænias belle valere ſimplices crederent, quæ ſi valerent, incredibili abſurditate ſententiam meam traducerent, Ideo fuit ei reddendum, quod merebatur. Hi ſunt, quos Papa comprobat, & cultrices agri dominici fideles vocat, in mei ſolam inuidiam, non in illorum gratiam, de qua tamen ſola inflantur. *Hieronymi ſent. iniuſta adducta.*

QVod vero Hieronymum addit, qui docet, Hominem non peccare, eſſe id, quod non perpetuo carere peccato, hoc eſt, Iuſtum facientem bonum non eſſe, qui non peccet, Debet ſic intelligi, quod aliquando peccat, Sicut de Dauid legitur, quod omnes voluntates fecerit, & tamen aliquando peccauerit, Iterum hic Latomus affert ſuum, poteſt ſic dici, & non monſtrat, quia debeat ſic dici: Obſecro, quis dubitat Sanctos aliquando peccare? Sed hoc probandum fuit Latomo, quod eadem eſſet Salomonis ſententia in præſenti verbo, Iam alterū eius vitium hoc loco, quod à ſimili arguit. Tertium vitium, petitio principij eſt, quod ſimilitudinem non prius probat. *Hieronymus.*

Ego concedo ſententiam Hieronymi adductam, ſed nego Salomonis ſimilem & eandem. Quid facies? Inclamabo & ego Latomum iterum, Audis Latome? Tuum argumentum, quod ſuſcepiſti, eſt hoc: Opus bonum non eſt peccatum, Et hanc, opus bonum eſt peccatum confutare debes, Non illam probare,

probare, Sancti aliquando peccant, Nec illam confutare, Sancti nõnunquam peccant. De ijs enim nemo tecum diſputat. Iam Hieronymus eo loco ne cogitat quidem de iſto loco Salomonis, tantum abeſt, vt probet, eius ſenſum eſſe, quem Latomus ex ipſo affert, Inſulſiſſima eſt conſequentia: Hieronymus dicit, quod Sancti aliquando peccant, & non perpetuo carent peccato. Ergo Salomon idem vult, quando dicit: Non eſt iuſtus in terra, qui faciat bonum & non peccet. Cur non etiam dicis? Paulus dicit: Virgo non peccat, ſi nubit, Ergo idem eſt, quod Petrus dicit: Fratres, vigilate & ſobrij eſtote. Conſequentias trahis, & non probas eas, Deinde ſenſum vnius loci vis in alium locum intrudere, autoritate propria, quaſi tibi orbis credere & cedere debeat, ſine vllo teſtimonio. Compone, quotquot voles loca, ſed memor eſto, vt probes illorum eſſe, ſicuti vis videri, eandem ſententiam. Hoc enim officium, Latome, ſuſcepiſti, quod niſi feceris, nihil feceris. Manet mihi ſententia & Salomon meus firmus, & vos incendiarij & ſacrilegi conuincemini.

Hieronymi interpretatio. An autem Hieronymus recte tractarit illud: *Dauid fecit omnes voluntates Dei*, & tamen aliquando peccauit, per hoc quod dicit, Omnes voluntates dixiſſe Deum, ſed non addidiſſe, perpetuo, in medio relinquo, alienum ab inſtituto noſtro. Nos dicimus, omnes voluntates Dei fieri, ſic vt agnoſcat omni *Auguſtini dictum.* operi noſtro, ſicut Auguſtinus dicit: *Mandata Dei implentur, quando quidquid non fit ignoſcitur.* Nihil hic de robuſtis illis peccatis diſputamus, quibus aliquando Sancti peccant, ſed de quotidiano inhærente, ſicut & ipſi de veniali loquuntur, Satis dura mihi Hieronymi interpretatio videtur. Omnes, id eſt, aliquando vel pro maiori tempore, Non tamen damno, propter figuram illam Syneedochen.

Deinde manifeſte errat, quod Paulum inſimulat, quaſi vel peccarit, vel non bonum opus fecerit, dum ſcripſit ad Timotheum de membranis, ac quoties de neceſſarijs huius vitæ cogitarit. Vbi eſt hic ille Thraſo, qui ſe ponderare, non numerare teſtimonia dixit: Error eſt, inquam, aſſerere, Paulum in his non bene feciſſe. Melius Paulus ipſe: Omnia quæcunq; facitis, ſiue comeditis ſiue *Coloſſ. 3.* bibitis, omnia in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti facite. Communis vita *Vita iuſti.* iuſti, non eſt niſi mera bona opera. Neq; enim vnam vngulam relinquit Chriſtus in Egypto de ouibus ſuis. Quod dico, vt Sophiſtæ ſciant, ſanctos Patres, vt aliquando peccauerunt, quod Latomus probat ex Hieronymo per exemplum Dauid, ita aliquando erraſſe quoq;, quod ego hic in Hieronymo probo. Proinde optime valere eorum autoritates, quando Scripturis manifeſtis nituntur, Si ſecus, ne mihi crepent & iactent ſeſe viciſſe, quod autoritas cuiuſpiam Sancti ab eorum parte ſteterit. In contentione ſumus, vbi diuinis ijſq; certis & euidentibus nitendum eſt teſtimonijs, Humana vero valeant in familiari perſuaſione & populari concione.

SEd quia Paulum pro exemplo ponit, qui ſine peccato bonum opus fecerit, tentemus & nos iſtam proſopopœiam. Demus itaq; S. Paulū vel Petrum ſiue orantem ſiue docentem, ſiue aliud bonum opus operantem. Si eſt opus bonum ſine peccato, & abſq; omni vitio, poteſt ipſe ſtare cum debita humilitate coram Deo, & dicere hoc modo: Ecce Domine Deus, hoc opus bonum per tuæ gratiæ auxilium feci, non eſt in eo vitium aut peccatum vllum, nec indiget miſericordia tua ignoſcente, quam ſuper eo nec peto, Deinde volo, vt iudicio tuo veriſſimo & ſtrictiſſimo ipſum iudices. In hoc enim gloriari coram te poſſum, quod nec tu poſſis illud damnare, cum ſis iuſtus & verax, imo niſi teipſum neges, non damnabis, certus ſum, non iam opus miſericordia.

ricordia,quæ remittat debitum in iſto opere,ſicut oratio tua docet, euacuatā hic eſt vtrq;,ſed tantum iuſticia, quæ coronet.

Horreſcis ne & ſudas,Latome? hæc omnia poſſe,imo debere dici à tali iuſticiatio certum eſt,quia veritatem debet dicere,maxime coram Deo, Neq; enim propter Deum debet mentiri. At veritas eſt,opus eſſe abſq; peccato,laude dignum,miſericordia non egens,iudicium Dei non timens,imo iam in opere ipſo & accepto dono gratię confidere & ſperare licet,quia habemus qnod opponamus etiam ipſi Deo & iudicio & veritati eius,inde neq; amplius eum timere oportet,& in miſericordia eius non confidere. Nonne, Latome, hæc omnia ſequi & fieri oportet? Neq; enim Deus,etſi creaturas bonas deſtruat, ideo eas damnat aut reprobat.Ita licet poſſet & talem Sanctum cum ſuo opere deſtruere,tamen non poteſt damnare aut reprobare,quia ſtat veritas: Dilexiſti iuſticiam,& odiſti iniquitatem.Et ſic per gratiam Dei habemus,quod in hac etiam vita & ante iudicium Deo opponamus, & tam miſericordiam quam iudicium eius ſecure poſthabeamus.

Pſalm. 143. Et vbi tunc eſt illud Pſal.143.Non intres in iudicium cum ſeruo tuo, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens? An hic ſynecdoche *1.Corint. 4.* eſt,omnis viuens,id eſt,multi vel aliqui viuentes? Sed & Paulus 1.Cor.4. Nihil mihi conſcius ſum(ecce bona opera)ſed non in hoc iuſtificatus ſum. Quomodo non iuſtificatus,cum in bono opere ſit iuſticia & nullum peccatum? *Nihil mihi conſcius ſum &c.* Certe prædicaſti Euangelium totis viribus,collegiſti(vt Latomus dicit)collectam cum omnibus circumſtantijs virtuoſis,etiam ab Ariſtotele recenſitis,certe hoc opus fuiſſe bonum non potes negare. Quomodo ergo adhuc peccator es in illo? An non es peccator,qui non iuſtificatum in hoc te dicis? An etiam mentiris,te iuſtificatum non iuſtificatum vocans? Si Latomum audis,non dicas: Neque meipſum iudico, Dominus autem eſt qui me iudicat. Sed dicas:Ego iudico meipſum,quia opus bonum illius iudicium nō metuit,Iuſtus enim eſt ipſe.Aut ergo Latomiani blaſphemant Dei miſericordiam,& iudicium cum ſuis operibus ſine peccato,aut tu Paule mentiris, imo & ipſe blaſphemas veritatem ab illis doctam.Non ſtant ſimul,habeo opus ſine peccato, & in hoc non ſum iuſtificatus.Noli Deum iniquum facere,qui non iuſtificet opus bonum ſine peccato.Quid enim in eo damnet? imperfectionem? at illa non eſt peccatum,ſed pœna augens bonitatem,etiam vt melius ſit forte multas quam paucas habere einſmodi imperfectiones.

Ierem. 17. AT dicis.Ieremias dicit cap.17.Tu ſcis, quod egreſſum eſt de labijs meis,rectū in conſpectu tuo fuit,diem hominis non deſideraui,tu *Ieremias.* *4 Reg.20.* ſcis te paſtorem ſequens.Et Ezechias 4.Reg.20. Obſecro Domine,memento quæſo,quomodo ambulauerim coram te in veritate & in corde perfecto,& quod placitum fuit coram te feci. *Ezechias.* Reſpondeo,Non autem dicit,ſe in ijs ipſis nihil peccaſſe,idem fere cum Apoſtolo ſentiens:Non ſum mihi conſcius,feci quæ tibi placita ſunt,& quæcunq; mandantur,Sed non in hoc iuſtificatus ſum. Loquitur quantum habet conſcientia. Deniq; in Pſalterio & alijs locis paſſim inuocant Sancti iudicium Dei, pro cauſa ſua contra aduerſarios. *David ſæpe inuocat iudicium Dei pro cauſa ſua &c.* Et tamen qui coram hominibus & conſcientia ſua irreprehenſibiles ſunt,non iuſtificantur coram Deo in hoc,ſed in alio quopiam,nempe Chriſto. Si ergo Apoſtolus audet dicere,ſe nullius eſſe ſibi conſcium,& tamen non in hoc iuſtificatum,quanto magis Ezechias aut Ieremias non iuſtificati ſunt in his,quæ recenſent,cum ſit multo maius & perfectius,nullius eſſe conſcium,qnā ambulare in veritate & facere placita Dei. Hi enim alicuius eſſe poſſunt ſibi conſcij, vt & Latomus ex Hieronymo probat.

Cæterum de verbo eſt illa quæſtio, ibi enim & Paulus audet dicere, De-
um non poſſe mentiri, nec ſeipſum negare, quia verbũ eſt eius, non noſtrum,
in hoc poſſumus cum fiducia ſtare, etiam coram eo, & dicere: Scio quod hoc
nōn potes damnare, Hoc enim eſt iuſtificatum in ſemetipſo, non modo nulli-
us ſibi conſcium, hoc non timet tuum iudicium, nec quærit miſericordiam,
Deniq; hoc tibi opponere poſſumus, cum ſit tibi per omnia æquale &c. Sed de
vſu, miniſterio & tractatu verbi non ita poſſumus, quia hic id quod noſtrum
Ieremias. eſt, accedit. Ideo Ieremias bene dicit: Quod egreſſum eſt de labijs meis, rectum
in conſpectu tuo fuit. Deniq; pro verbo mori debemus tam certi, quod pura
veritas ſit. Sed pro opere ſuo bono, quod ſine omni vitio ſit, quis audeat mori? *2. Timoth. 4.*
Nam & Paulus ad Timoth. cum diceret: Bonum certamen certaui, curſum
conſummaui, fidem ſeruaui, De reliquo repoſita eſt mihi corona iuſticiæ,
quam reddet mihi in illum diem iuſtus Iudex, Non dicit ſe in hoc iuſtifica-
Ezechias. tum, Sed ſimilia Ezechiæ in præſumptione miſericordiæ loquitur, cuius bene-
ficio nullius ſibi conſcius, expectat coronam gloriæ, quod faciunt & omnes
credentes, Spes enim expectat non iram ſed gloriam, vt Tit. 2. dicit, ſed non
in operibus, imo in miſericordia Dei.

QVid autem? ſi Latomiani elabantur, dicentes: Non volumus
ita fieri, quia nemo eſt certus, an tale opus habeat. Quid audio? Stoici ſu-
mus an Academici, vt nihil certum habeamus? Verum, non credo eos
ita deſipere. Quid enim abſurdius quam docere bona opera, & ſimul ignora- *1. Corint. 4.*
re, quæ ſint bona opera, aut nullum exemplum poſſe monſtrare. Paulus enim *Iſai. 39.*
nihil dubitat, nec Dauid, Non enim ait, dubius ſum, ſed nihil mihi conſcius
ſum. Et Ezechias non ait: Dubius ſum, an fecerim placita coram te. Et Dauid *Pſalm. 7.*
Pſal. 7. non ait: Iudica me ſecundum dubium meum, ſed, ſecundum innocen-
tiam meam, quæ eſt in me. Rurſus, Paulus non dubitat opus eſſe in peccato. *1. Corinth 9.*
Non enim ait: Sed in hoc dubito an ſim iuſtificatus, ſed ſic: Non in hoc iuſti- *Pſalm. 143.*
ficatus ſum. Et Dauid non ait: Quis ſcit, ſi iuſtificetur in conſpectu tuo omnis
viuens, Sed, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. Quis enim
perſuaderetur ad bonum opus, ſi dubitare deberet, quodnam eſſet bonum o-
pus? Quis in dubium & in incertum currere (vt Apoſtolus ait) & aerem pugnis *1. Cor. 9.*
verberare volet, ſciens & prudens? tum vere nulla vnquam erit pax, cum &
bona opera habere oporteat, & nemo ſciat tota vita, quando habeat.

Opera piorum bona, & tamen non ſunt ſine peccato. Quare nobis optime conſuluit Deus, vt nos de vtroq; certificaret, opera
bona manifeſta docens eſſe Galat. 5. Fructus autem ſpiritus ſunt, charitas, gau- *Galat 5.*
dium, pax &c. Et Matth. 7. Ex fructibus eorum cognoſcetis. Rurſum, ea non *Matth. 7.*
ſine vitio & peccato eſſe (ne in illis eſſet fiducia nobis) certos nos faciens, vt non
dubia & fallaci confeſſione poſſimus in omni opere nos agnoſcere peccato-
res, & miſericordiæ viri inueniamur. Porrò, vt pacem haberemus infallibilem,
Verbum. verbum ſuum in Chriſto nobis dedit, in quod cum fiducia nixi, ſecuri eſſemus
ab omni malo. Neque enim aduerſus verbum etiam portæ inferi valent cum
omnibus peccatis. Ibi petra refugij noſtri, ibi cum Iacob etiam contra Deum
luctari poſſumus, & ſuis eum promiſſionibus, ſua veritate, proprio verbo vrge-
re (vt ſic dicam) audemus. Quis enim Deum iudicabit & verbum eius? Quis
Fides in verbum. etiam fidem in verbum eius accuſabit aut damnabit? Deſinant ergo & mei La-
tomi maculam in gloriam Dei ponere, & os blaſphemum compeſcant, nec
nobis idolum operis noſtri dubij & infidelis erigant, ne & nos gloriam no-
ſtram mutemus in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum.

IN fine

Peccatum.

IN fine, indignatus, quod inſimulati eſſent ſeſe non intelligere, quid ſit peccatum, vſu Scripturarum. Videamus, inquit, in Scriptura, quid ſit peccatum. Deinde peccatum quatuor modis accipi, Primo pro cauſa peccati, Secundo, pro effectu ſeu pœna, Tertio, oblationem pro peccato, Quarto, pro ipſa culpa, qua anima rea fit. Et miror, quod non quinto modo etiam pro præmio peccati acceperint, Deinde, vt totum Ariſtotelem haberemus, etiam peccatum per ſe & peccatum per accidens facere poterant fœcundi illi diſtinctores. Hic ſi quæram. Quæ eſt illa Scriptura, in qua iſta quadriga peccatorum Latomo eſt viſa? Reſpondet, Origines & Ambroſius diabolum vocant peccatum. Et Auguſtinus, Concupiſcentiam poſt baptiſmum vel motum eius remanentem. Ex his ego concludo, quod Origines, Ambroſius & Auguſtinus ſunt Scriptura ſancta, ita multiplicabuntur non ſolum dij, per opera bona, ſed etiam ſcripturæ deorum per peccata. Quid enim eſſent dij, niſi & Scripturas diuinas nobis darent? Deinde, negat peccatorem dici eum, qui habet peccatũ ſecundo modo, id eſt, concupiſcentiam ſeu motum eius poſt baptiſmum.

Peccator.

Vere eſſe peccatum, quod Scriptura peccatum appellat.

Sed mittamus iſta portenta, & ad rem veniamus. Hic te, Lector, iubeo liberum eſſe & Chriſtianum, in nullius hominis verbo iuratum, Scripturæ ſanctæ conſtantem Profeſſorẽ, quæ ſi quid peccatum vocat, tu caue vllis verbis mouearis, qui velut melius locuturi, ipſum negant peccatum, ſed nunc imperfectionem, nunc pœnam, nunc vitium volunt appellari, quo extenuent & eludant verba Dei, cum nihil horum habeat Scriptura, Credasque tu Spiritum ſanctum eum fuiſſe, qui res ſuas idoneis verbis eloqui potuerit, vt hominum figmentis nihil opus haberet. Incredibile eſt enim quam torqueat Sophiſtas Paulus Rom. 6. 7. & 8. quod ibi peccatum, & non pœnam appellarit concupiſcentiam ſuperſtitem baptiſmo, Multa ſumma, ſi poſſent, redimerent hoc vocabulum.

Rom. 6. 7. 8.

Concupiſcentia ſuperſtes baptiſmi.

Hilarius.

Peccatum interpretantur Sophiſtæ pœnam peccati.

S. Hilarius recte cenſuit, nihil licere aſſeri extra præſcriptum cœleſte, qui vero id tentaret, aut ipſe non intelligeret, aut alijs non intelligendum relinqueret, Id quod accidit & iſtis, in vocabulo peccati, eo loco Pauli, Non autem aduertunt Sophiſtæ, quam ſit abſurdum & fide indignum, peccatum appellari pœnam peccati eo loco, & id nullo alio teſtimonio Scripturarum poſſe doceri, quod tamen oporter in contentione, vt obſtruatur os aduerſario, ſicut Paulus iuſſit Tito. Sed non ſolum hoc non poſſunt docere, peccatum eo loco pœnam eſſe. Inſuper nec Louanienſis theologiſandi ratio, hic aliquid poteſt, vt ſaltem & alius vnus locus in Scripturis produceretur, quo peccatum ſimiliter eam pœnam ſignificet, etiamſi hunc locum non cogeret de ſimili peccato intelligi, Cum autem hic cardo totius ferme quæſtionis verſetur, & vniuerſum chaos Latomianæ offæ in peccati iſtis ludibrijs & æquiuocationibus ſuperbiat, Nobis autem id agendum ſit, vt veritatem ſic aſſeramus, quo aduerſarius non habeat occaſionem illudendæ, Habet autem eam, ſi peccatum non poſſumus per Scripturas iſto modo diſtinguendum & æquiuocandum probare, ſicut reuera neque illi nec nos poſſumus. Quare in ſimplici & conſtanti ſignificatione ſiſtendum eſt, nec egrediendum, donec manifeſta autoritas nos exire cogat, Paulo itaque altius hæc repetenda ſunt.

Peccatum quid.

IN primis, peccatum non multis, ſed vno ſimpliciſſimoq; modo in ſcripturis accipi, non dubites, nec ſinas te per Sophiſtas multiloquos hoc tibi extorqueri. Peccatum vero aliud nihil eſt, quam id quod non eſt

ſecundum legem Dei. Stat enim ſententia Rom. 3. Per legem cognitio peccati, Sicut econtra, per peccatum ignorantia legis, Peccatum enim tenebra eſt, quam Lex illuminat & reuelat, vt cognoſcatur. Iam vero hoc libenter aſſerimus & gaudemus, Scripturas freqnentiſſime vti figuris grammaticis, ſynecdoche, metalepſi, metaphora, hyperbole, imo in nulla Scriptura freqnentiores figuræ. Sic cum cœlum in vniuerſa Scriptura ſimplex & vniuoca vox ſit, quæ ſupernam illam machinam ſignificet, tamen Pſal. 19. pro Apoſtolis per metaphoram ponitur. Et terra ſimplex vox quid ſignificet, nemo neſcit, metaphorice impios vitijs & malis calcandos ſignificat. Quod ſi qnis contendat, hæc nihil minus multa ſignificata eſſe. Reſpondeo: Si ſic vis, non repugno. Sed quod nam tuum Lexicon erit, qnod nos vocabula doceat? cnm figuræ eiusmodi ſint in arbitrio vtentium, ſeu vt vocant ad placitum? Sicut Horatius docet: Dixeris egregie, notum ſi callida verbum, reddiderit iunctura nouum. Exempli cauſa, Vexilum nemo non ſimplex vocabulum dncit. At cnm dixero, vexillum crucis, aut vexilium verbi, nemo non egregie factum verbum nonum ex notiſſimo cernit. Et has egregias innouationes, ſi velis proprias ſignificationes facere, quis erit finis? ſcilicet, ideo in Lexico ſcribes, Vexillum aliquando ſignificat crucem propoſitam & Euangelium prædicatum? Perſius cæpe tunicatum vocat, ergo ſcribendum? Nota, tunica ſignificat corticem cæpe.

Cœlum. — *Terra.* — *Vexillum crucis.* — Rom. 3. — Pſal. 19.

PRoinde mihi Ebræiſtæ illi non placent, qui tot vni verbo ſignificationes faciunt, occaſione Chaldaicorum iſtorum Onkeli & Ionathæ, quorum hoc negotium fuiſſe videtur, vt ea, quæ Scriptura venuſtiſſimis & ornatiſſimis figuris eloquitur, pro rudibus exuerent, & craſſo ſimplicique ſignificato traderent. Hinc natæ illæ æquiuocationes in iſta lingua ſine cauſa, & quædam Babylonica confuſio verborum. Mire enim diſpergitur & intelligentia & animus iſta varietate, vbi ſi vna ſimplici (quoties fieri poteſt) ſignificatione propoſita, cæteras illius imagines & figuras iuxta poſueris, placido & facili ſinu omnẽ illam confuſionem colliges, tum & memoriam & intelligentiã mirum in modum iuuabis, nec minus animũ ſimul dulciſſima voluptate capies. Neſcio enim quæ ſit figurarum energia, vt tam potenter intrent & afficiant, ita, vt omnis homo natura & audire & loqui geſtiat figurate.

Aequiuocationes in Ebrea lingua vnde natæ. — *Energia figurarũ.* — Pſal 19. Deut. 4.

Nonne multo dulcius ſonat, Cœli enarrant gloriam Dei, quam iſtud, Apoſtoli prædicant verbum Dei? Et quando Moſes Deut. 4. dicit de aſtris nõ adorandis, Ne forte adores ea, quæ creauit Dominus Deus tuus in miniſterium cunctis gentibus, quæ ſub cælo ſunt. Si Ebræum verbum ſua ſimplicitate reddas inuoluta metaphora, certe nihil dulcius, potentius, plenius audias, Sic n. ſonat ebraice: Quæ blandificauit Dominus Deus tuus cunctis populis ſub cœlo. Obſecro, quanta eruditio pietatis? quanta concitatio affectuum? quanta voluptas in eo verbo eſt? quod Dominus Deus aſtra illa cœli omnibus populis dederit, velut adulatus & blanditus eis, quo eos ſuauiſſimà & tenerrima bonitate ſua ad ſeſe alliceret, & mollibus iſtis beneficijs ad ſui amorem inuitaret, non aliter quam ſicut mater filio ſuo ſuper genua ſua blanditur.

Quæ blandificauit Dominus &c.

Vbi ſi mihi æquiuocator acceſſeris, & id verbi contenderis proprie eo loci ſignificare, partitus eſt, vel vt noſter tranſtulit, creauit, cogor tibi cedere, Sed quanta gratia ſimul me priuaſti, & velut e paradiſo in terram depoſuiſti? dum nimis proprie & citra figuram loqueris, Cum in figura nihil minus & tuam ſignificationem cum voluptate poſſederim. Nam quod hinc, portio, pars, ſors, hæreditas dicitur, quis non videt inde manare, quod Deus vnicuiq;

vnicuiq; blanditur pro ſua neceſſitate, & blanditias ſuas noſtras facit portio-
nes, vt poſſis dicere: Hæc blanditia Dei mihi & mea portio eſt, & hinc id ver-
Geneſ. 49. bi, diuiſionis ſignificationem videtur per Metalepſim traxiſſe. Vnde illud Gen.
Pſal. 5. 49. Diuidam illos in Iacob. At Pſal. 5. Linguis ſuis doloſe agebant, pro lingua
ſua blanditi ſunt, retinet gratiam verbi. Igitur id quod diuidere, blandiri, crea-
re, velut tria vocabula facis, propter vſum autorum, vel figurantium, vel figu-
ras tollentium, poteras in vno vocabulo concludere, maiore gratia & luce.

Deut. 6. Sic cum Deut. 6. dicitur: Et narrabis ea filijs tuis, fortius tonat, ſi dixeris: *Et acues ea filijs*
Et acues ea filijs tuis. Nam non eſſe ſimplicem Narrationem, probat quod ſe- *tuis.*
quitur: Et loqueris de eis, ſiue habites in domo, ſiue ambules in via, ſiue cubes,
ſiue ſurgas. Quod ſi obſtrepes acuere, non ad verba, ſed ad ferrum pertinere,
vt hic proprie verbum iſtud iterare, narrare, inculcare, cogas ſignificare, Per-
mittam tibi, ſed magis credam priori vt gratiori ſignificationi & forraſſe ſoli.
2. Timot. 4. Nam huius verbi vim æmulatus videtur Paulus 2. Timoth. 4. Inſta, opportu- *Inſta oportune, im-*
ne, importune, argue, increpa, obſecra. Quid hoc eſt, niſi verbum Dei eſſe aſ- *portune &c.*
ſidue tractandum & inculcandum, acuendum & expoliendum? ne ſcilicet
Eccleſ. 10. intrent traditiones hominum, & hebetent verbum Dei, fiatq; illud Eccle. 10.
Si ferrum rubiginoſum fuerit, & facies eius non deterantur, roborabuntur vi-
res &c.

Exod. 32. Et Exod. 12. vbi dicitur, Videnſq; populum eſſe nudum, ſpoliauerat
enim eum Aaron, propter ignominiam ſordis, & inter hoſtes nudum conſti-
tuerat, Non prohibebor quin eandem rem melius ſic referam. Et vidit Moſes
populum, quia ocioſus eſſet, ocioſum enim fecerat eum Aaron ad notam,
Galat. 4. dum erexiſſet eum. Quod verbum Paulus ad Galatas æmulatus dicit: Euacua- *Euacuati eſtis à*
ti eſtis à Chriſto, & euacuatum eſt ſcandalum crucis, id eſt, ceſſauit ſcandalū, *Chriſto.*
iam non efficax eſt, nec Chriſtus in vobis operoſus eſt. Ita hic Aaron ſuo vitu-
lo fecerat populum, vt nec à Deo ageretur, nec Deus ageret in ipſo, ſed ocio-
ſus ab illis diuinis operibus, erectus eſſet ad gloriam propriæ iuſticiæ. Nonne
hoc verbo pulchre, non ſolum nuditatem ipſam, ſed & quid illa ſit & por-
tendat, colligo? Nempe quod futurum erat, ſicut & illic Aaron fecerat, quod
ſacerdotes populum à lege Dei traherent, & diuinis operationibus vacantem
Gal. 6. in ſuis proprijs operibus erigerent, Sicut & Paulus dicit: Circumcidi vos vo-
lunt, vt in carne veſtra glorientur. Hanc enim gloriam tangit Moſes, quando
dicit, populum ab Aarone euacuatum, & tamen erectum in ſuam notam, vt
ipſe hinc notabilis eſſet, cuius opera talis eſſet populus factus, Id quod Hiero-
nymus dicit, propter ignominiam ſordis & inter hoſtes nudum conſtituerat,
quod nihil facit neq; ad rem neq; ad textum, niſi æquiuoces omnia, quod nō
prohibeo. Ab hoc verbo rex Aegypti nomen habet Pharao, quod ſit euiuſmo- *Pharao.*
di populi rex, qui ocioſus ſit ab operibus Dei, ſuis proprijs operoſus.

Pſalm. 119. ADhuc vnum, Pſal. 119. ſæpius iteratur hoc verbum, meditari,
vt: Teſtimonia tua meditatio mea eſt, Et meditabor in iuſtificationibus
tuis ſemper, Et cum varijs modis vertatur, tamen facile in vnam colligā
ſignificationem omnes, quæ eſt, quod vulgo dicitur, amicabiliter applicare,
ſeſe inſinuare, teutonice, Sich zu lieben / freundlich zu jm thun / fein zu jm ſtel-
Gen. 4. len / Quod Gen. 4. dicitur: Reſpexit Deus ad Habel & ad munera eius, ad Cain *Reſpexit Deus ad Habel.*
Prouerb. 8. 6. autem & munera eius non reſpexit. Prouerb. 8. aliter: Et delectabor per ſin-
Eſa. 17. 66. 6. gulos dies. Et iterum: Deliciæ meæ ad filios hominum. Eſaiæ 17. In illa die in-
clinabitur vir ad Deum ſuum, & non inclinabitur ad idola ſua. Iam Eſaiæ 66.
Et ſuper genua blandientur vobis. Rurſus Eſaiæ 6. Et oculos eius claude,
Obſecro,

Obſecro, ſint iſta omnia vera, vt idem verbum meditari, inclinari, delectari, delicias habere, reſpicere, blandiri, claudere, & ſi fuerint plura, ſignificet. Iuſtum autem ne eſt tot vocabula ex vno multiplicare, cum poſſis vel omnia vel plurima in vnum ſignificatum colligere, & figuris ſolis variare? Reſpexit Deus ad Habel, id eſt, hoc faciens animum appulit ad eum. Sapientia delectatur per ſingulos dies, dum hoc agens appellit animum ſuum omnibus, & inſinuat ſe benigniter filijs hominũ. Sic homo applicat ſeſe dulciter ad Deum, ſic mater blandita filio in gremio figit vultum ſuum in vultum illius, & blande ad eum geſtit. Sic oculos illorum claudit, faciens vt ſponte illos figant in ſua ſtudia & ſic claudantur. Sic teſtimonia tua meditatio mea eſt; dum cæteris contemptis ad ipſa me verto. Breuiter, omnem illam varietatem colligo, in hoc, quod verto, applico, apto me gratuito & ex animo ad illa.

Teſtimonia tua meditatio mea eſt.

HÆc eo dicta putentur, vt probetur, Scripturam eſſe refertam figuris, Non tot ſignificata & vocabula faciamus, quot fuerint figuræ, alioqui quid opus figuris? Et vt ad inſtitutum veniamus, Chriſtus dum offerretur pro nobis, factus eſt peccatum metaphorice, cum peccator ita fuerit per omnia ſimilis, damnatus, derelictus, confuſus, vt nulla re differret à vero peccatore, quam quod reatum & peccatum, quod tulit, ipſe non fecerat. Sicut dicit Pſal. 69. Quæ non rapui tunc exoluebam, vt non dubitet ea confiteri ſua eſſe, dicens ibidem: Improperia improperantium tibi ceciderunt ſuper me. Et iterum: Inſipientia mea & delicta mea à te non ſunt abſcondita. Oportet autem in metaphora aliquam differentiã eſſe à re vera, quia ſimilitudo (vt aiunt) non identitas eſt. Et quæ transferuntur, ſecundum ſimilitudinem ſe transferunt, alioqui ne translatio quidẽ eſſet. Et hoc ſpectauit Paulus Rom. 8. miſit Deus filium in ſimilitudinem carnis peccati. Et Ebræ. 4. Tentatum per omnia pro ſimilitudine abſq; peccato. Et in hac translatione non ſolum eſt verborum, ſed & rerum metaphora. Nam vere peccata noſtra à nobis translata ſunt & poſita ſuper ipſum, vt omnis, qui hoc ipſum credit, vere nulla peccata habeat, ſed translata ſuper Chriſtum abſorpta in ipſo, tum amplius non damnent. Proinde ſicut figurata locutio dulcior eſt & efficacior, quam ſimplex & rudis, ita peccatum verum nobis moleſtum & intolerabile eſt, ſed translatum & metaphoricum iucundiſſimum & ſalutare eſt.

Chriſtus factus pro nobis peccatũ &c.

Pſal. 69.

Rom 8.

Ebræ 4.

Vt ergo Chriſtus vera petra dicitur ab Apoſtolo, 1. Corint. 10. Petra autem erat Chriſtus, ita Chriſtus vere eſt peccatum. Item, Chriſtus eſt ſerpens æneus, agnus paſchalis, & omnia illa de eo dicta. Non tamẽ ideo dicimus, quod æneus ſerpens ſit duo vocabula, nec petra. Nemo vnquam dixit, Agnus paſchalis, vno modo pecus, alio modo Chriſtum ſignificat. Nemo dixit, Aaron vno modo Chriſtum, alio modo filium Amram. Nemo dixit, Dauid vno modo filius Iſai, alio modo Chriſtus. Salomon vno modo filius Dauid, alio modo Chriſtus. Et tamen vere dicimus, Chriſtus eſt Dauid, Salomon, Aaron, & omnia illa veteris Teſtamenti ſymbola. Ac propter hunc Chriſtum peccatum factum, etiam ſua ſimilitudo peccatum dicitur, oblatio ſcilicet veteris Teſtamenti, Ita vt non diuerſitas, ſed ſimilitudo peccati per omnia maneat, quæ facit figuris locum, & vocem communem reddit, Illi autem peccatum ſic tractant, vt quatuor iſtæ ſpecies diſſimiliores ſint, quam cœlum & terra, ex qua diſſimilitudine hebetatur intellectus, confunditur anima, & perit vniuerſa gratia, tum verbi, tum rerum. Hoc modo Paulus Rom. 8. tractans peccatum, dicit: Et de peccato damnauit peccatum, de peccato illo, quod Chriſtum eſſe fecit, translato noſtro in illum damnauit peccatum noſtrum, de quo nunc videmus.

Petra erat Chriſtus.

1. Corin. 10.

Roma. 8.

De peccato damnauit peccatum.

DIcimus

Digitized by Google

Sophiſtarum ignauia & ignorantia.

DIcimus ergo, Sophiſtas vere non noſſe, quid ſit peccatum vſu Scripturarum, Nam dum pœnem vocant, longe diſſimilem rem à peccato ſomniant, quod Scriptura non facit, Quia vt dixi, Chriſtus ſimilis peccato fuit per omnia, niſi quod peccatum non fecit. Nam omne illud malum, quod poſt actum peccati in nobis eſt, ſcilicet timor mortis & inferni, ſenſit & tulit Chriſtus, Illud vero figmentum illorum, de reatu & deputatione ad pœnam ipſi non intelligunt. Chriſtus enim ſenſit deputationem illam, & ſimilis erat illi, qui ſic deputatur, licet abſq; culpa, Quæ vero eſt deputatio quam non ſentias? prorſus nihil. Itaq; Chriſtus tunc (vt dixi) nihil differebat à nouiſſimo peccatore, qui accepta iam mortis & inferni ſententia damnandus eſſet. Vigebat illa deputatio, ſolum hoc aberat, quod talem deputationem non meruerat, & ſine opere in illam pro nobis traditus erat, quanquam hæc res magis affectibus, quam verbis tractari & capi velit. Vltra dicimus, Sophiſtas nonnihil capere, quæ ſit ſubſtantia peccati ſcilicet offenſio Dei & legis Dei tranſgreſſio, Sed quale ſit in prædicamēto quantitatis, qualitatis, relationis, actionis, paſſionis, hic prorſus nihil ſciunt. Quare hic ſic tractabo, vt ad omnia Latomi producta ſemel reſponderim, ne liber creſcat in immodicum, ſi per ſingula diſcurram, parcendum enim eſt Lectori.

Subſtantia peccati Sophiſtis nonnihil nota &c.

Peccatum, quid, quantum, quale, &c.

Vt ergo craſsiſsime loquamur pro Sophiſtis, Peccatum ſecundū prædicamenta tractemus, ſi forte poſſint nos ſequi. Peccatum citra metaphoram, vbi vbi fuerit, vere peccatum eſt natura ſua, nec vnum magis peccatum quam aliud iuxta proprietatem ſubſtantiæ, quæ non ſuſcipit magis neq; minus. Licet vnum ſit maius & fortius alio, ſicut & ſubſtantia vna maior quam altera, Non enim minus ſubſtantia eſt muſca, quam homo, nec minus homo infirmus, quam robuſtus. Porro, ne me in verbis captent, Subſtantiam hic accipio non more Ariſtotelis, ſed Quintiliani, quo modo de quauis re mundi poſſis primum diſputare, quid ſit, deinde quanta, deinde qualis, & ſic de alijs, Quod & Ariſtoteles obſeruat vbicunq; diſſerit, ſed & Sophiſtæ cuiuis prædicamento ſuam tribuunt quidditatem. Sic enim de Iuſticia diſſertutus, per prædicamenta diſpones locos orationis, primum quid ſit, ſecundum ſubſtantiam ſuam, deinde, quanta, qualis, quorum, quid agat, quid patiatur, vbi ſit, quo tempore ſit, quid habeat, quomodo gerat ſeſe. Nam hic de prædicamentis intellectus, meo iudicio, ad eloquentiam, ad memoriam, ad intellectum, ad cognitionem rerum vtiliſſimus foret, ſi exerceretur, ſed Scholis ſophiſticis prorſus ignotus.

Subſtantia.

Iuſtitia.

Intellectus de prædicamentis vtilis.

Effectus peccati ante baptiſmum &c.

Hoc vero peccatum ſubſtantiale (vt dixi) nonnihil intelligunt Sophiſtæ, Sed poſt baptiſmum & infuſam virtutem Dei, ſic ſe habet, vt nondum penitus nihil ſit, contritum tamen eſt & ſubiectū, vt iam non poſſit quod potuit. Quid autem potuit? reos nos agebat coram Deo, & conſcientiam infeſtabat tyrannice, trahebatq; de die in diem in maiora mala, eratq; in quantitate, qualitate & actione potens, in vbi & quando regnabat, quia vbiq; & ſemper in omnibus viribus, omni hora præualebat. In paſſionis vero prædicamento nihil erat, non enim patiebatur legem arguentem, nolebat tangi etiam. Deinde ſitum ſuum in corde poſuerat, declinare faciem ſuam deorſum, & ad inferos properare. Porro, relatio erat omnium peſſima, quod opponebatur gratiæ, ſubiectum iræ & furori Dei. Sic regnabat, nos ſeruiebamus illi.

AT cum veniſſet regnum Dei, diuiſum eſt hoc regnū Princeps mundi eiectus foras, caput Serpentis contritum, vſq; ad feces & reliquias

quaſdam,

Digitized by Google

Remiſſo peccato tollitur reatus.

quaſdam,quæ noſtra demum cura ſint exterminandæ.Sic ingreſſis filijs Iſrael terram Chanaan, omnes plane Reges occidebantur, virtus eorum contrita, Reliquiæ tamen Iebuſæorum,Chananæorum, Amorræorum(vt Iudic.1 ſcribitur)remanſerunt,naturalis & germana portio illorum populorum deletorum,ſed ſic vt eſſent tributarij & ſerui,non autem regnarent aut æquarentur filijs Iſrael,quos demum Dauid confortato regno deieuit.Ita nos in regnum fidei vocati per Baptiſmi gratiam regnum peccati obtinemus, cæſis omnibus viribus eius.Tantum in membris reliquiæ manent,remurmurantes,& generis deieti ſui ingenium & naturam referentes,quas noſtro marte abolere debemus.Fiet autem,vbi Dauid noſter confortato regno ſederit in ſede maieſtatis ſuæ. *Iud. 1.*

Peccatum in renatis reliquum.

De hoc reliquo peccato mihi cum Sophiſtis quæſtio eſt,An ſit cenſendum vere peccatum nec ne?Et vt dictum eſt,negare non poſſunt,peccatum ab Apoſtolo dici,ſicuti velient,ideo ad Patrum gloſas & diſtinctiones confugiunt,adeo vt obtinuerint,vt Pauli vox conticuerit per orbem,nemoq; ſit amplius,qui illud peccatum vocet nomine,quo Paulus vocat,volentes eſſe vocẽ abſurdam & periculoſam,Quaſi Spiritus ſanctus minus prouidus fuerit, aut verba ignorarit,quibus ſine periculo de rebus ſuis loqueretur, & nos loqui doceret. Proinde,pro reducendo vſu Paulinæ vocis,hic omnia omnium Patrum dicta ſemel in vnum negemus,ſiue appellent ſuperſtitem illam concupiſcentiam,infirmitatem,pœnam,imperfectionem,vitium aut quoquo modo volent,nos illis Paulum opponimus Apoſtolum noſtrum,id eſt,gentium, tam locupletem autorem,qui non vno loco peccatum,& ſemper peccatum, nunquam pœnam,nunquam imperfectionem,nunquam infirmitatem vocat.Neq; enim Auguſtino,quanquam omnium ſummo,licuit vocem Pauli mutare,& aliam inuenire.

Superſtes concupiſcentia in renatis.

Dicimus ergo:Si probauerint vel ex abſurditate ſententiæ,vel ex conſequentia,peccatum hoc,non eſſe peccatum vere,cedemus, & peccatum hoc loco non peccatum,ſed pœnam ſignificare conſentiemus, Alioqui ne Angelis quidẽ de cœlo aliud dicentibus ceſſuri Quid quæritis amplius Sophiſtæ? Ac Patres quidem excuſatos habeo, qui vel tentatione vel neceſſitate adacti fortiter negauerunt peccatum poſt baptiſmũ remanere,Quia cum illis pugnabant,qui gratiã ſimpliciter negabant. Ideo vt digne eam commendarent,aſſeruerunt omnia peccata auferri.Et ſeruiebat ſermo eorum pulchre & apte materiæ(vt dicunt)ſubiectę.Nam aduerſarij de peccato regnante diſceptabant,hoc negabant auferri,id quod impium eſt,Vere enim totum peccatum abolitum eſt,vt prorſus nihil regnet amplius. Quanquam Auguſtinus ipſe in multis locis plane & vitium & peccatum appellet,vt eſt in Epiſtola ad Hieronymum,vbi dicit,Nemini tantam eſſe charitatem in hac vita, quę non augeri debeat.Atq; id,quod interim deeſt, vitium eſt, inquit, Et ſequitur, ex quo vitio,non iuſtificatur in conſpectu Dei omnis viuens.Ex quo vitio,ſi dixerimus,quia peccatum non habemus,ipſi nos ſeducimus,& veritas in nobis non eſt.Ex quo vitio non eſt iuſtus in terra,qui bene faciat & non peccet Hæc Auguſtinus.Hic vides & Auguſtinum hanc autoritatem ſic intellexiſſe,quod benefaciens peccet,quia operatur in charitate nondum ſatis aucta,quam vitium vocat,nihil aliud in opere iſto deeſſe deferens,quam plenam charitatem. Sunt ne hæc clare ſatis?

Cur Patres negarint peccatum poſt baptiſmum remanere.

Auguſtinus.

Sed & Latomus quædam ex eodem adducit,in eandem ſententiam, vitium ſemper aſſerente. Quanquam,vt dixi,Auguſtino non ſatis credo,ne aduerſarius dicat me eo niti tantum,vbi mecum facit. Sit ſane ſibi ipſi contrarius,

tratius, vt Latomus cogit, mea nihil refert. Attamen cum eſſet Latomus his tonitruis percuſſus in caput; vt alienatus diu ſecum non eſſet, videns ſeſe Auguſtinum damnaſſe in Luthero, quod ante temeritatem videre non poterant vniuerſæ Sophiſtæ, Tandem ad ſe reuerſus cogitauit: Quid faciam? turpe eſt vinci, Hoc faciam, imaginabor latinam linguam in toto orbe vna cum græca & ebræa, virtute Dialogi mei extinctam eſſe, aut ſi quid reliquiarum ſupereſt, dicam, ſicut de hoc peccato dico, non eſſe peccatum, Ita illam non eſſe linguam, quia Papa factum noſtrum comprobauit, facile erit, vt iſtas orbis reliquias cogamus è Louanienſi Facultate Theologiæ petere vocabulorum ſignificationes, Igitur cum vocabulum vitium in Auguſtino toties occurrat, vt etiam magis infeſtet, quam vocabulum peccatum in Paulo, ſtatuimus & ordinamus, & in virtute Facultatis noſtræ præcipimus, vt vitium ſignificet, quod nos volumus, nempe imperfectionem, non illud quod deſit & deeſſe non debet, nec quod ſit contra Legem Dei, Si quis autem aliter dixerit, indignationem Bullæ & in caudam eius nouerit ſeſe incurſurum. Datum ſub ſigillo &c.

Te obſecro, Lector, qui miraris me ſic ludere in Sophiſtas iſtos, an non iuſtus ſit dolor meus ſuper iſtis inauditis temeritatibus & impudentiſſimis ſycophantijs? Non eos ludam? qui non contenti, quod Scripturas Dei, quod dicta Patrum, quod euidentes Rationes ludunt, Inſuper pergunt toti orbi os oblinere, & plane omnes homines in beſtias transformare, quaſi nec linguas noſtras cognoſcamus. Omnia ſecula, totus orbis vitium vocat etiam hoc, quod contra virtutes morales eſt, & vſitatiſſimum eſt verbum de vitijs & vir- *Vitium.* tutibus, nec ipſorum Ariſtoteles peccata aliud quam vitia vocat. Et adhuc audent iſti prodire, noſtra, ſua, diuina, omnia negaturi, & in faciem omnium dicturi, vitium non ſolum non contra virtutes, ſed nec contra gratiam dici. En tibi Louania tuos incendiarios, hoſtes linguarum & veritatis, Et tu Antichriſte Romane, En tuas cultrices.

IGitur frontes iſtas meretricias contemnamus, & Auguſtinum cum Paulo iungamus, quod hic peccatum, ille vitium vocat. Vitium autem *Vitium.* ſcimus id eſſe, quod culpam & reprehenſionem habeat, arguique dignum ſit, etiam in rebus corporalibus. Sic habet vniuerſa lingua latina, Quare Pau-
Rom. 8. lum de peccato audiamus, Rom. 8. dicentem: *Miſit Deus Filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, vt iuſtificatio Legis impleretur in nobis, qui non ſecundum carnem ambulamus, ſed ſecundum Spiritum.* Quid eſt peccatum damnari de peccato? Diximus Chriſtum eſſe pecca- *Peccatum damnari de peccato &c.*
2. Corin. 5. tum factum pro nobis, ſicut dicit 2. Corinth. 5. Eum qui non nouerat peccatum pro nobis peccatum fecit, vt iuſticia Dei eſſemus in illo. Hic vtrunq; peccatum vtroq; loco ponit, Metaphoricum vel allegoricum eſt Chriſtus, de quo peccato damnauit noſtrum verum peccatum. Nam quod peccatum noſtrũ tollatur, vnde habemus, niſi de Chriſto, facto peccato pro nobis, non vtique de noſtris viribus aut meritis, ſed de peccato Dei, id eſt, quem Deus peccatum fecit. Rogo, cur non dixit, extinxit peccatum, ſed vigilanter ponit, damnauit *Damnauit peccatum.* peccatum? Non enim nos credimus, cum Louanien. Sophiſtis, Paulo defuiſſe verba, qui ſit vas electionis, electis & proprijs verbis locuturus præuiſus. Quis enim eſt damnatus? Deinde addit in carne, omnino aſſerens peccatum in car- *Damnatus.* ne, ſed damnatum. Damnatus vtiq; is eſt, qui non modo à latrocinio aut malo ſcelere prohibitus, nõ modo captus & incarceratus, ſed iudicatus & lata ſententia mortis ductus eſt ad mortem, vt nihil aliud cum eo fiat, quã vt tollatur de medio etiamſi necdum ſit ſublatus. Quæ eſt n. virtus talis latronis? *Peccatum per baptiſmum captum, iudicatum &c.*

Ita Peccatum per baptiſmum in nobis captum, iudicatum, prorſusq; in-

ſirmatum, vt nihil poſſit, mandatur penitus abolendum. Qui vero huic damnato conſenſerit, incurret illud Ioha. 16. Spiritus arguet mundum de iudicio, quia Princeps mundi iam iudicatus eſt. *Iohan. 16.* Damnatum peccatum & iudicium hoc tectum eſſe credere debemus, & ipſum exequi. Quæ ſunt autem vincula huius captiuitatis? Eſa. 11. Et erit fides cinctorium renum eius, & iuſticia cingulum lumborum eius, *Eſaiæ 11.* Sic Pſalm. 68. Aſcendiſti in altum, captiuam duxiſti captiuitatem, accepiſti dona in hominibus. *Pſalm. 68.*

Latro captiuus.

Quis vero ignorat latronem liberum non minus eſſe latronem quam captiuum? Sed virtus eius extincta eſt, vt nihil ſit eo infirmius, cui mors eſt proxima, non poteſt modo, quod latro vellet, Miſer ergo, ſed tamen latro, ſi enim dimiſeris eum, faciet quæ latro facit.

Peccatum in renatis poſt baptiſmū.

Ita peccatum in nobis poſt baptiſmum vere peccatum eſt naturaliter, ſed in ſubſtantia, nec in quantitate, nec qualitate, nec actione, in paſſione vero totū. Nam idem prorſus eſt motus iræ & libidinis in pio & impio, idem ante gratiam, & poſt gratiam, ſicut eadem caro ante gratiam & poſt gratiam, ſed in gratia nihil poteſt, extra gratiam præualet.

Lex vitæ in Chriſto.

Vnde Paulus Rom. 8. Lex ſpiritus vitæ in Chriſto, liberauit me à Lege peccati & mortis. *Roma. 8.* Cur non dixit, liberauit me à peccato & morte? Nonne Chriſtus liberauit à peccato & morte ſimul? Verum de opere proprio Legis ſpiritus loquitur, quæ hoc faciat, quod Chriſtus meruit. Chriſtus quidem ſemel abſoluit & liberauit omnes à peccato & morte, dum nobis legem ſpiritus meruit.

Lex peccati & mortis.

Ille ergo Spiritus vitæ quid fecit? nondum à morte, nondum a peccato liberauit, liberabit autem tandem, quia adhuc moriendum eſt, adhuc in peccatis laborandum. Sed à lege peccati & mortis liberauit, hoc eſt, à regno & tyrannide peccati & mortis, vt peccatum quidem adſit, ſed amiſſa tyrannide nihil poſſit, & mors quidem inſtet, ſed amiſſo ſtimulo nihil nocere neque terrere poſſit. Ecce iam duos locos, in quo Paulus peccatum vocat reliquum malum baptiſmatis.

Mortificanda membra ſuper terram &c.

Hinc Paulus Rom. 8. & Col. 3. Iubet mortificari membra ſuper terram, *Coloſſ. 3.* iram, libidinem, auaritiam & ſimilia. Apertis verbis vtens, iam non ſolum appellans ipſum peccatum, ſed ſuis nominibus, iram, libidinem, auaritiam. Et hæc noui iſti linguarum autores perſuadebunt non eſſe nomina vitiorum, neque peccatorum, Scribit enim ſanctis & fidelibus Apoſtolus. Fingant igitur, libido in iſto loco non eſt vitium, ſed pœna peccati & imperfectio quædam, non contra legem Dei. An non erat etiam pœna peccati ante baptiſmum? Cur tunc erat peccatum? An imputatio hic ſola mutauit rem & naturam?

Non regnet peccatum in mortali corpore veſtro &c.

Neceſſe ergo habebunt, vniuerſum Paulum ferme nouis vocabulis replere, eraſis iſtis inolitis. Sic Rom. 6. Non regnet peccatum in mortali corpore veſtro, vt obediatis concupiſcentijs eius. *Rom. 6.* Quid clarius dici potuit? peccatum ineſt in corpore & concupiſcentia eiuſdem, ſed ne regnet, curandum eſt. Hic iam tertius locus, Quartus ibidem, Peccatum enim vobis non dominabitur, quia non eſtis ſub lege, ſed ſub gratia. Ecce ſub gratia agentibus ſcribit, & peccatū eis non dominari dicit. Quod vtique non de extraneo, ſed intraneo oportet intelligi. Quis enim extraneo reſiſtere poteſt, & alterum prohibere ne peccet?

Vetus noſter homo ſimul crucifixus eſt &c.

Quintus ibidem, Vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, vt deſtruatur corpus peccati. Noſter, inquit, homo crucifixus eſt, & tamen deſtruendum eſt corpus peccati in eiſdem nobis. Nunquam vult dicere, vt deſtruat corpus imperfectionis aut corpus pœnæ. Ecce, quinque locos apertos habemus, in quibus Paulus peccatum vocat, præter eos, quos non numeramus adhuc, vbi nominibus indiuidualibus vitiorum vtitur. Et hæc omnia cœleſtia tonitrua, cedere cogent ſibi fumiuenduli homuntiones, vna reperta gloſella, è proprio capite prolata, ne vno quidem loco Scripturæ roborata. Nam de 7. capite, quod totum huc pertinet, in ſequentibus videbimus.

Iuſticia credentium.

Quid ergo? peccatores ſumus? imo iuſtificati ſumus, ſed per gratiam. Iuſticia non eſt ſita in formis illis qualitatum, ſed in miſericordia Dei.

R cue-

Reuera enim, ſi à pijs remoueris miſericordiã, peccatores ſunt, & verum peccatum habent, Sed quia credunt, & ſub miſericordiæ regno degunt & damnatum eſt & aſſidue mortificatur in eis peccatum, ideo non imputatur eis. Iſta eſt remiſſio baptiſmi glorioſiſſima, Et certe, ſi ſpectes rem diligenter, fere maius eſt, eum pro iuſto haberi, qui adhuc peccatis infectus eſt, quam qui omnino purus eſt. Non ergo dicendum, quod baptiſmus non tollat omnia peccata? vere omnia tollit nõ ſecundum ſubſtantiam, ſed plurimum ſecundum ſubſtantiam, & totum ſecundum vires eius, ſimul quotidie etiam tollens ſecundum ſubſtantiam, vt euacuetur. Nec ego ſolus aut primus ex hominibus poſt Apoſtolos hæc dico, Auguſtini verba ſunt: Remittitur in baptiſmo vniuerſum peccatum, non vt non ſit, ſed vt non imputetur. Audis? Eſt peccatum etiam poſt remiſſionem, ſed non imputatur. Non ſufficit tibi hæc ineffabilis Dei miſericordia, quod te penitus iuſtificat ab omni peccato, habẽs te, ac ſi ſine peccato ſis, tantum vt pergas mortificare id, quod iam damnatum & prope mortem poſitum ab ipſo eſt? Monſtret itaq; abſurditatem, & cogat Latomus, Apoſtolum non intelligendum de vero peccato proprie dicto. At dices, hoc iam non peccatum eſt, non imputari. Hoc eſt quod volo, vt non naturæ operis, ſed miſericordiæ non imputanti tribuatur. Latomus autem miſericordiæ ignoſcentia poſtpoſita, vult ex natura non eſſe peccatum, Hoc vero eſt ſacrilegium.

Remiſſio baptiſmi.

Auguſtini dictum.

EX ijs puto defenſum nunc, omne opus bonum eſſe peccatum, niſi ignoſcat miſericordia. Nam nec ipſi poſſunt negare, quod fructus referat naturam arboris. At arbor iam probata eſt, non ſine peccato eſſe, licet damnato & indulto, quare nec opus eius eſt ſine peccato, licet damnato & indulto. Hic etiam Auguſtinus 1 Retra. 19. dicit, vbi diſputat, An mandata Dei impleantur in hac vita, Concludit: Omnia mandata Dei implentur, quando quidquid non fit, ignoſcitur. Nonne hic clare dicit, non operibus factis, ſed miſericodia ignoſcente Dei mandata impleri? Quid autẽ ignoſcitur niſi peccatum? Claret ergo in meris cauillis verborum Sophiſtas hærere, dum negant peccatum eſſe, & tamen appellari à Paulo peccatum concedunt, Vt poſſis dicere ſecundũ eos: Opus bonum non eſt peccatum, eſt tamen illud, quod dicitur peccatum. Sicut ſupra de impoſſibili, Mandatum Dei non eſt impoſſibile, eſt tamen quod dicitur impoſſibile. Quaſi Demodocum apud Ariſtotelem æmuleris, & dicas: Louanienſes inſipientes quidem non ſunt, faciunt tamen ea, quę faciunt inſipientes, Scilicet, tantas tragœdias mouent, tantum ne voces iſtas, peccatum & impoſſibile in publico ſinant vllo ſenſu valere, nulla culpa, niſi quia contradictum eſt ab eis, ne Magiſtri noſtri à veritate confundantur.

Opus bonum eſſe peccatum &c.

Auguſtini dictum.

Demodocum apud Ariſtotelem.

ET quia hic de peccato diximus præmonitum volo Lectorem, vt habeat, quod breuiter omnibus à Latomo inductis reſpondeat. Obſerua primum, Latomus incedit per omnia, quaſi peccatum à me aſſertum nihil ſit, & iamdudum triumphatum, vt eſt mos Sophiſtatum ante victoriam exultare & petere principium vitioſiſſime, Ideo quidquid Scripturæ vel Patrũ poteſt corradere, in quo negantur peccare fideles, huc pertinere credit, vt me concludat. Tu ergo ad iſta omnia vtere Pauli verbo Rom 6. Non regnet peccatum in mortali veſtro corpore. Vt aliud ſcias eſſe, peccatum regnare, & aliud peccatum regnari. Intelligis? Nam ſic potes dicere etiam Latomi vſu, Aliud eſſe, peccatum velle, aliud peccatum explere, cum ſit tamen idem peccatum, vt furtum vel homicidium, Dic ergo, quando nubibus teſtimoniorũ aduehitur: Domine numerator teſtimoniorum, & non ponderator eorum, vos valde bene probatis, non eſſe in Sanctis vel operibus eorum peccatum regnans, ſed non probatis, non eſſe peccatum regnatum, ſeu illud quod Paulus tangit dum dicit: Non obediatis concupiſcentijs eius, Eius, eius, Auditis

Mos Sophiſtarum.

Roma. 6.

Aliud peccatum regnare, aliud peccatum regnari.

D. Latome? eius peccati,quod non regnet in corpore,& tamen ſit in corpore cum ſuis concupiſcentijs. Nã Lutherus nunquã de regnante peccato dixit, quod in Sanctis eſſet, Vos ergo non recte facitis,qui aliud promittitis & aliud facitis. Vultis confutare Lutherum, & confutatis aliquẽ veſtrum Morpheum.

Virgo ſi nubit, non peccat.

Exempli gratia, quando Paulus 1. Corint. 7, dicit: Virgo ſi nubit non peccat, & ſi duxeris vxorem, non peccaſti. Hoc dominatio veſtra inducit contra Lutherum, & non concluditis,quia idem eſt cum illo: Non regnet peccatum in corpore veſtro,ergo de regnante peccato loquitur,quod dictionis feries probat,quia de Sanctis loquitur,in quibus nullum peccatum regnat. Nonne & Lutherus multo fortius,quam vos,dixit ex 1. Ioha. 3. *Qui natus eſt ex Deo,non peccat,& non poteſt peccare?* Repugnat enim ex Deo eſſe & peccare. Virgo nubit & non peccat, minus eſt, quam non poteſt peccare. Hoc Paulus dicit ſic Roma. 6. Peccatum vobis non dominabitur,id eſt, non poteſtis peccare,quia non eſtis ſub Lege, ſed ſub gratia. *1. Cor. 7.* *Qui natus eſt ex Deo non peccat, &c.* *1. Iohan. 3.* *Rom. 6.*

Nam & Latomus qui dicit: Virgo nubens non peccat,& Lutherus, qui dicit: Virgo nubens non poteſt peccare, negate non poſſunt, quin virgo nubens peccet in reddendo debito carnis, vt vnanimiter omnes dicunt, & probat Pſalm. 51. Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum,& in peccatis concepit me mater mea. Quomodo ergo peccat nubens & non peccat? An nubere Latomus co tantum trahet,quod in ſponſalibus agitur ante ſecreta cubilis? Non credo ſic aperte ſophiſticaturum, Sed ſophiſticetur. Quid ad illud præceptum,quod ibidem præmittit? Vxor viro debitum reddat,& vir vxori debitum reddat. An hic non opus illud conceptionis in peccato, quod Dauid dicit,docet? At nubens huic operi ſeſe ex animo tradit. Sed & Latomus quoq; dicit,Sanctos ſæpius peccare, poteſt & virgo nubere aliquo veniali peccato concurrente,ergo contra Apoſtolum virgo nubens peccabit. *Pſal. 51.*

Nolite fraudare inuicem &c.

Sed audacem Apoſtolum vide, qui ſine conſenſu Facultatis theologicæ Louanienſis amplius loquitur, Nolite fraudare inuicẽ, niſi forte ex conſenſu ad tempus, vt vacetis orationi, Et iterum reuertimini in idipſum,ne forte tentet vos Satan propter incontinentiã veſtram. Quis tu Paule? abſq; literis & ſigillo Facultatis theologicæ Louanienſis audes incontinentiam ponere in Sanctis,& ijs,quos orationi vacare doces? Certe tu Tacianus, Cataphrigarum patronus es,qui Matrimonium peccato inuoluis,imo non tantum matrimonium,ſed Sanctos Dei. Et omnis illa pompa in te ruet,quã Latomus pro abſurditatibus contra Lutherum inducit,& futurum eſt, vt Libri tui exurantur, tum poſtea terribilis Bulla cultrices illas fideles agri dominici comprobabit, Surgetq; Latomus, ac ratione reddita probabit,quod incontinentia illa non ſit incontinentia, ſed infirmitas & pœna. Et quando Satanas eos tentat, non ad incontinentiam,ſed ad infirmitatem tentat. Quod ſi quo caſu conſenſerint incontinentiæ,non peccato conſenſerint,ſed infirmitati & pœnæ,ac per hoc, dũ peccant,etiam non peccabunt, Vide,quam fœdus tu es futurus Hæreticus. *1. Cor. 6.* *Tacianus.*

Deniq; hinc fiet, vt diuina mandata vniuerſa non prohibuerint peccatum, ſed infirmitatem & pœnam peccati, Et noua Theologia in mundum veniet,quod peccatum ſit,conſentire non peccato, ſed infirmitati & pœnæ. Et Deus non prohibuerit vitare peccatum, ſed infirmitates & pœnas peccati. Et erit ſenſus Pauli Rom. 6. Non regnet pœna peccati in corpore veſtro, vel non regnet infirmitas in corpore veſtro, vt obediatis concupiſcentijs eius. Rurſum conſentire ei, quod peccatum & damnatum non eſt, peccatum erit. Noua plane ratio peccati. Infirmitas non eſt peccatum nec damnata, Et tamen ſi conſentias rei nec damnatæ nec culpabili, peccaſti. *Roma.*

Quare, ſi conſultum pijs animabus voluiſſent Sophiſtæ iſti, omiſſis verborum eluſionibus, rem ſimpliciter, vt eſt, propoſuiſſent in hunc modum: Ecce optimi

ce optimi fratres, Fatemur opera bona Deo placere, omninoq; per ea nos ſaluari, Sed non ſic ſunt bona, quod ſine peccato ſint, ſed quia aduerſus peccatũ pugnando facta ſunt. Hoc ipſum enim bonum opus eſt totum, quod peccatum in nobis eſt, & nobiſcum ipſis pugnamus, ne regnet, ne obediamus concupiſcentijs eius, Iam licet rigor legis diuinæ etiam hoc exigere poſſit, vt iſta pugna in nobis non ſit, quia tales non creauit nos ab initio, rectum enim fecit Deus hominem, ipſe ſe miſcuit infinitis quæſtionibus (ait ſapiens) Nam hoc malo impedimur, ne toti ſimus in eius lege, & pars noſtri, quæ nobiſcum pugnat, legi eius aduerſatur. Tamen promiſit miſericordiam & ignoſcentiam omnibus, qui ſaltem non conſentiant huic parti, ſed pugnent aduerſus eam, & abolere ſtudeant, Hoc ſtudium placet, non quia dignum, ſed quia ipſe indulſit & acceptare promiſit.

Eccle. 9.

Proinde ne infleris aut ſuperbias, habes in teipſo, vnde iudicium & rigorem metuas, & ad miſericordiam ſolam tete conferas. Hac enim miſerente, non te currente, bona ſunt opera tua. Aliud ergo de te iudicabis ſecundum rigorem iudicij Dei, aliud ſecundum benignitatem miſericordiæ eius, Et hos duos conſpectus non ſeparabis in hac vita. Secundum illum omnia opera tua polluta & immunda ſunt, propter partem tui aduerſariam Deo, Secundum hanc vero totus mundus es & iuſtus. Atq; vt hoc ſis, Bapti ſmi ſymbolum pro teſtimonio habes, in quo veriſſime omnia peccata tibi remiſſa ſunt, remiſſa, inquam, in totum, ſed nondum omnia abolita, Credimus enim remiſſionem peccatorũ omnium factam abſq; dubio, ſed agimus quotidie & expectamus, vt fiat etiam omnium peccatorum abolitio & omnimoda euacuatio, Et ij qui in hoc laborant, faciunt opera bona. Ecce hæc eſt fides mea, quoniam hæc eſt catholica fides. Sophiſtæ vero, qui hæc impugnant, hoc agunt, vt nobis fiduciam operum erigant, & tam miſericordiæ quam iudicij Dei opus extenuent, ſicut de eis dicitur Pſal. 10. Auferuntur iudicia Dei à facie eius. Et ideo & timorem Dei & fiduciam noſtram ſubuertunt, ferendi alioqui, ſi non hanc ſortem noſtram & capitale ſalutis præſidium nobis demoliri & vaſtare anhelarent, & in leuioribus rebus vel luderent vel inſanirent.

Peccata omnia remiſſa, ſed nondum abolita.

Pſalm. 10.

AT dices mihi: Diſtinctio illa noua & tua eſt, de peccato regnante & regnato, & arbitrio tuo poſita. Reſpondeo: Eſto, contemne eam, non eſt mihi in verbis controuerſia, finge tu aliud, Saltem regnantis peccati vox non meum inuentum, ſed Pauli autoritas eſt. Tu nunc illud, quod non regnat, quo vis nomine appellato, quamuis etiã pro me faciat Ge 4. Sub te erit appetitus eius, & tu damnaberis illius. Hic certe peccatũ ſubiectum deſcribitur. Sed & Sophiſtæ cognuntur concedere, aliud peccatũ veniale, aliud mortale. Et cum veniale aſſerant non nocere, non regnare, non damnare, veriſſimum tamen vocant & proprie dictum peccatũ, non ideo alterius generis aut naturæ peccatum faciunt, quia illud mortale, hoc veniale, ſed vtrũq; defectum à lege Dei & contrariũ legi Dei aſſerunt. Et ego aliud nihil peto, quã vt mihi permittãt hoc modo peccatum vocare, illud reliquum baptiſmo, quo modo ipſi veniale, quod miſericordia egeat, & natura ſua malum & vitium ſit, cui ſi conſentias, etiam regnare feciſti & ſeruiſti ei, ac mortaliter peccaſti. In hoc habeo Paulum Rom. 6. ſatis iã memoratum, à quo non patiar me auelli.

Peccatum regnans & regnatum.

Gen. 4.

Peccatum veniale & mortale.

Non (inquam) negare poterunt, duo mala supereſſe Baptiſmo, peccatum & concupiſcentiam eius. Verba Pauli aperta ſunt, peccatum, fomes ipſe naturale malum, concupiſcentia motus eius Huic non obediendum, illud deſtruendum dicit, vt deſtruatur, inquit, corpus peccati. Appellent illa duo vt libet, ſed non repellant eſſe dicta à Paulo, Mortificanda ea & deſtruenda vult Paulus, vt quæ damnata ſint ad mortificandum, mala ergo vitia & peccata ſunt. Infirmitates enim & mortalitates & pœnæ non cadunt ſub præcepto, nec in ar-

Poſt baptiſmum ſupereſſe peccatum & concupiſcentiam eius.

in arbitrio noſtro poni poſſunt. Quis enim mortem & pœnas mortificet, niſi ſolus Deus ſine nobis? Super peccata vero & ea quæ nos reos faciunt, præcepta feruntur. Cum ergo nobis præcipiat mortificare, non obedire illis, non vtique pœnas, non mortalitates, non infirmitates, ſed peccata intelligit. Quæ eſſet enim Lex: Noli obedire hulceri, noli obedire febri, noli obedire fami & ſiti, noli obedire nuditati & vinculis aut concupiſcentiæ vnius illorum? Nonne & iſtæ ſunt infirmitates, pœnæ, mortalitates? ſed peccato, peccatori & ſuggeſtionibus eorum, quæ & ipſa peccata ſunt, non eſt obediendum. *Rom. 6.*

Peccatum. Concupiſcentia.

Quanquam ſtultum ſit, nos in re tam manifeſta tot verbis laborare, cum Apoſtolum claris expreſſisq; verbis habeamus, peccatum & concupiſcentias aſſerentem. Qui Pauli verbis non acquieſcit, noſtris quando capietur? Obſecro, quid facturi fuiſſent, ſi Paulus obſcure fuiſſet locutus, & pro peccato malum vel infirmum poſuiſſet? item pro obedire & non regnare, vigilare vel abſtinere dixiſſet? ſicut Petrus dicit: Abſtinere à carnalibus deſiderijs, quam ſecuros, quam lætos hic triumphos ducerent? Nunc cum luci & diei reſiſtere nequeant, parant nubes illi obducere, & in medio die tenebras creare, vt peccatum ſit non peccatum, vt Paulus mentitus videatur. Quod ſi etiam Patres pro ipſis ſonare videantur, non tamen eis adhærendum eſt, ſed magis Paulo, etiamſi vera dixerint, quia obſcurius & impotentius quam Paulus loquuntur, Clariora ſunt Pauli verba, quam vt vllius gloſa indigeant, imo gloſa magis obſcurantur. Quanquam, vt dixi, Patres tamen & ipſi hoc peccatum & vitium vocant aliquando, tum ſæpius de peccato regnante loquuntur. *2. Pet. 2.*

Sophiſtæ per obſcura probant clariſsima &c.

Quare Sophiſtis noſtris per Patrum dicta me oppugnantibus ſic dixerim: Vos per obſcura probatis clariſſima, & per humana tractatis diuina. Quare cum hoc etiam veſter Ariſtoteles prohibuerit, ne ignota per ignota, obſcura per obſcura, multo magis, ne manifeſta per obſcura probentur, concludo vos ineptos diſputatores, qui non niſi toto opere & omni tempore principium vitioſiſſime petitis. Summa reſponſionis Lutheranæ & confutationis Latomianæ eſt hæc, Si peccatum in locis Apoſtoli Pauli citatis probari poteſt, non eſſe vere & proprie peccatum, ruit Lutherus, Si non poteſt probari, ruit Latomus At probari non poteſt, niſi per quædam Patrum dicta ſibi etiam pugnantium, inſuper humana, ſi non pugnarent etiam quibus præferri debent diuina, ſine quorum autoritate nihil eſt aſſerendum, quare ruit Latomus & omnia ſua, & ſtat Lutherus cum omnibus ſuis,

Ego tamen laudo Latomi fidem & conſtantiam, qui poſtquam ſemel ſuſceperit partes ſophiſticæ pertinaciæ tueri, nihil committat, quod ingenio & pertinacia Sophiſtarum ſit indignum, ſed omnia trahat, deprauet, torqueat, cogat, quæcunq; diuina & humana contra ſe faciunt, quocunq; volet, Sicut enim ſuperius vidimus, vbi tot Scripturæ teſtimonia probãt,

Mandatum Dei impoſsibile nobis.

Mandatum Dei eſſe impoſſibile nobis, vt nihil ſit manifeſtius, tamen ſicut aſpides ſurdæ ad hæc occludunt aures & auertunt oculos, tantum vt vnicum illud ſuum ſemel ſuſceptum decretellum in publico obtineant, Anathema ſit, qui dixerit, Deum nobis præcepiſſe impoſſibile, Hoc humanum verbum regnare neceſſe eſt, hoc omnes probare, hoc nulla gloſa moueri oportet, At tonitrua diuina ſilere & iacere oportet, tum quaſuis libidines gloſarum admittere cuiuſcunq; nebulonis, Hominis verbum ſacrum & venerabile eſt, Dei verbum proſtibulum eſt. *Pſalm. 58.*

Peccatum & concupiſcentiam relinqui poſt baptiſmum.

Ita & hic, cum tot ſacra fulmina teſtentur, peccatum & concupiſcentiam relinqui poſt baptiſmum, vt etiam iram, libidinem, auaritiam, Incontinentiam aperte appellent, nominibus ſcilicet omnium ſenſu eis, quibus vitia &

peccata

peccata nominari ſolent in omni lingua, Adhuc erigunt ſeſe frontes iſtæ, aures continent, oculos claudunt, cor auertunt, tantum, vt ſuum hoc humanum verbum omnium aures occupet, ſolum hoc ſit theatrum, contra hoc nemo mutiat. Eſſe ſcilicet ſolam reliquam pœnam & infirmitatem poſt baptiſmum. Huic ſileant diuina oracula, huic cedat Paulus, huic cedat & ipſa experientia quotidiana noſtra, & omnium Sanctorũ. Quod ſi non ceſſerint, laruam induant, & nomine peccati repræſentent imperfectionem & infirmitatem, caueantque noſtris gloſis ſeſe non accommodent. Nam & hoc Latomus ſuperius faſſus eſt, Sanctos multa peccare (ſuo peccati ſignificatu) ſurreptione, ignorantia, & alijs modis, id quod Paulus vocat concupiſcentias peccati in corpore mortali, quibus non obediamus, id eſt, non conſentiamus. Neque enim ignorans aut præuentus aut inuitus conſentire potes, dixit enim inuitos peccare. At quia Paulus idem vocat peccatum, cogitur per peccatum pœnam intelligere, nulla cauſa, quam quod ſpiritus & non homo hoc locutus eſt, vt ſtet in arbitrio Sophiſtarum, quid peccatum, quid pœna eſſe debeat, obſecro, quem non vrat ea arrogantia plus quam Moabitica?

AT dices: Non tu credis ergo dictis Patrum? Reſpondeo: Credam? quis mandauit illis credi? vbi eſt præceptum Dei de iſta fide? Cur illi non crediderunt ſuis Patribus? præſertim Auguſtino, qui liber eſſe voluit, & omnes eſſe liberos iuſſit in omnium hominum ſcriptis? An quia Sophiſtæ nobis hanc inuexerunt tyrannidem & captiuitatem libertatis noſtræ, donec & bis ſacerrimo Ariſtoteli non reſiſtendum, ſed obſequendum coegerint, Ideo perpetuo in illa ſeruiemus, & non aliquando in Chriſtianam libertatem reſpirabimus, & noſtras literas vel poſtliminio huius Babyloniæ ſuſpirabimus? At ſancti fuerunt, & ſcripturas elucidauerunt, inquis. Quis & hoc probauit, ſcripturas eſſe elucidatas ab eis? quid ſi obſcurarint? Quo iudicio probas eos elucidaſſe ſcripturas? An Louanienſiter & Colonialiter dicturus es? Mihi ſic videtur, & ſic dicunt. Videantur ſibi ſane & dicant, modo mihi rem probent, aut deſinant me in verba ſua inania cogere. Mihi non eſt mandatum viſionibus illorum, ſed verbis Dei credere. Vnus eſt magiſter Chriſtus, & iudicio diuinæ Scripturæ probandi ſunt Patres, vt cognoſcantur qui eas elucidarint, & qui obſcurarint, Sicut Paulus iuſſit, Omnia probate, quod bonum eſt
1. Theſſ. 5.
tenete. Et 1 Cor. 14. Vnus aut duo prophetent, cæteri dijudicent. Qui omnia probanda mandauit, non Auguſtinum, non Hieronymum, non Originem non vllum hominem excepit, ne Antichriſtum quidem Papam.
1. Cor. 14.

Omnia probate, quod bonum eſt tenete &c.

At Scriptura obſcura indiget explicatione. Dimitte eam vbi obſcura eſt, tene vbi clara eſt. Et quis probauit Patres non eſſe obſcuros? Iterum tuum, videtur, & illorum dicunt? Quid enim faciunt & Patres, quam vt clariſſima & apertiſſima Scripturæ teſtimonia quærant & proferant? Miſeri Chriſtiani, quorum verbum & fides adhuc in hominum gloſis pendet, & eorum elucidationem expectat, Friuola ſunt iſta & impia. Scripturæ omnibus communes ſunt, ſatis apertæ, quantum oportet pro ſalute, ſatis etiam obſcuræ pro contemplatricibus animabus. Quiſque ſuam ſortem in abundantiſſimo & communiſſimo verbo Dei ſequatur, & verba hominum aut repudiemus, aut cum iudicio legamus. Hæc ſatis pro iſta autoritate, & nimio plus quam ſatis.

Tertio.

Rom. 7.

INuadit Paulum Rom. 7. Hic Latomus meam ſententiam mihi maxime confirmat, & prodit, quã non ſtudio veritatis, ſed animo deprauãdi & fallendi orbem hunc Librum ſcripſerit, tantum vt ignominiam incendij & iudicij ſacrilegi ſolaretur. Nam quantumlibet ecruicoſus & pertinax,

tamen ita pallidus & trepidus, ſilens cautuſq; incedit per verba Pauli, vt videatur timuiſſe per ſingulos apices, ne hiatus quiſpiam appareret, & miſellum Sophiſtam abſorberet, Poſtquam vero tranſiuit iſta pericula, & in ſuum campum venit, vbi excurſus facit, ibi Patrum dicta conglomerat, ac ſi pro miraculo haberi velit, quod ſedentarius & ocioſus Lector multa aliena conſarcinare & conſarcire poteſt, Fortaſſe ea ſpe & conſilio, quod multitudine me absterret, ne ſcriberem denuo, cum infiniti ſit voluminis, ad ſingula eius reſpondere, Sed fallet eum ſpes, roboratis enim meis Scripturis, hoc ipſo proſtratus eſt, vt reſponſione ſingulari omnibus non ſit opus. Summa ergo Latomianæ euaſionis eſt hæc: Ea quæ hic à Paulo dicuntur, nihil aliud facere, quam eſſe infirmitatem baptiſmo reliquam, quæ peccatum vocetur. Nihilominus ſpiritum cum illam rexerit, ſic bonum operari, vt illud non ſit peccatum damnabile cenſendum, nec hominem ideo peccare in bono opere, aut ſeruire peccato.

Summa Latomianæ euaſionis.

Hic primum vides, Latomum non niſi differre & abducere Lectorem, ac tempus redimere, dum aliam à propoſito tractat quæſtionem. Suſcepit enim quæſtionem de peccato ignoſcibili per miſericordiam, de quo me loqui ipſemet non vno loco teſtatur. Et per omnem & poſt omnem iſtum tumultum teſtimoniorum concludit in hunc modum: Ecce non eſt peccatum damnabile, Cum ſic debuerit concludere: Ecce non eſt peccatum, ne ignoſcibile quidem, nec cui opus ſit miſericordia. Sicut ſi me redargueres, qui riſum veniale peccatum dixiſſem, & poſt effuſam tuam omnem ſaliuam, & ſudore exhauſto, tandem anhelares in me dicens: En riſus non eſt mortale peccatum. Talis eſt diſputatio Elihu aduerſus Iob. Putas autem paruam eſſe partem patientiæ, ferre has nequitias, dolos, & artes eorum, qui Magiſtros orbis terrarum ſe iactant, in re tam ſacra & neceſſaria? Non queror iam eos ignorare, quid ſit peccatum, ſed quod malicioſe ſimulent & negent ſeſe ignorare, & imponant pijs cordibus impudenti mendacio ſuo. *Hiob. 18.*

SEd fiduciam mihi facit formidoloſus & fugitiuus Sophiſta. Paulum in faciem eius ſtatuam, vt effugere non poſſit, perſequar & comprehendam, nec conuertar donec deficiat. Aut Latomus Paulũ, aut Paulus Latomum occidet, fruſtra præſidijs humanis fidentem. Quæro igitur primum: An mihi, vt Chriſtiano Euangelium profeſſo, liceat appellare peccatũ, quod Apoſtolus Paulus vocat peccatum? Nihil iam diſputo, quid peccatum ſignificet, de hoc poſt videro. Volo ſimpliciter mihi reſpõderi, an iſto Paulino vocabulo mihi liceat vti? Si non licet deleatur Paulus, Si licet, quid tragicis iſtis vocibus in me mugiunt Sophiſtæ, quod opus bonum appellarim peccatum? Nõne ipſis licet, bonum opus vocare imperfectum & infirmum? Quid ergo? Nunquid cogent me, vt verbis eorum vtar? Aut quare nolunt cogi, vt meis & Paulinis verbis vtantur? Ipſi nolunt peccatum appellare. Eſto, Et ego nolo infirmitatem & imperfectionem vocare. At ſancti Patres peccatum interpretati ſunt imperfectionem & infirmitatem. Eſto, quis me coget Patrum verbis vti? quis coget me Pauli verbum deſerere? An dicent, quia abſurdum & periculoſum? Hoc iam nõ in me Lutherum, ſed in Paulum & ſpiritum Chriſti vergit.

At tu non vteris peccato vt Paulus, Quis hoc vobis dixit? Collatio Patrum & tui. Quis fecit hanc collationem? Nos. Qui eſtis vos? Quis facit nos certos, vos non errare? An quod Bulla vos approbauit? Iam quis certos vos fecit, Patres recte Pauli verbum tractaſſe? Auditis ne, quid muſſatis? Vides ergo omnia Sophiſtarum adhuc ex ſuo proprio capite procedere: Te vero Latomum Sophiſtarum Ducem ſeorſim conuenio. Cauſa premit humeros tuos, agis enim talem ac tantam, qualem ac quantam nec Cicero nec Demoſthenes egerit. Incendiarios, ſacrilegos, homicidas, læſæ pietatis

Latomus Sophiſtarum dux.

Chriſtianæ

Chriſtianæ reos vos coram & Deo & hominibus ago. Tu ergo ne exiſtimes te iam diſputare & ludere. Seria res eſt, quam gerimus.

Scilicet, quia comprehenſi eſtis in ignominia, feſtinaſtis enim ad gloriam in principio, ideo confuſio incipit fieri finis eius, hoc eſt, quod ſic mugitis, tonaris, inſanitis, & auribus obtuſis neminem audire velitis. Sed tantum hoc inſanis clamoribus iactetis, Non eſt peccatum, non eſt peccatum, non eſt peccatum in opere bono. Quidquid ego affero, interpretor, expono, nihil eſt, tantum in vocabulum ſic inſanitis, non alia cauſa, quam quia à vobis damnatũ, timetis, per Paulum in confuſionem veſtram reſuſcitandum eſſe, Adeo vt Latomus incredibili impudentia hoc ipſum vocabulum à me poſitum, nullo loco non interpretetur pro mortali & damnabili peccato, quod tamẽ in Paulo vult infirmitatem tantum ſignificare, mihi quo poteſt atrocius & odioſius interpretatur vbique, oppreſſa ſemper mea interpretatione, etiam confeſſus me de ignoſcibili loqui, volens vt mundus intelligat à me peccatum vocari, quod ipſe vult peccatum videri, honeſtus ille & verax vir. Rurſus in Paulo ſic interpretatur leniter, vt vocabulum prorſus tollat. Quam potens autor Latomus, qui vocabula eleuandi & opprimendi, non pro meritis autorum, ſed pro libidine ſua ius habet. Ego vero tibi promitto & orbi, me non velle vti vocabulo aliter quam Paulus, in quod inuoco nomen Domini, vt mihi reſiſtat, ſi aliter vſus fuero. Quid vis amplius? At vocabulum ipſum volo tenere, & tua Patrumq; vocabula nolo, quod ſcias. Volo, inquam, peccatum dicere, quod vos defectum vel imperfectionem dicitis, nunquid me aliter coges? Nihil moueor veſtro impetuoſiſſimo tumultu, quem non ſine cauſa vos concitare video, nempe ne ſuccumbatis, & inueniamini temere in tanta crimina irruiſſe, ſed hoc antea fuerat præuidendum.

VEniamus igitur ad ſignificationem vocabuli huius. Paulus *Peccatum. 1* peccatum vocat id, quod reliquum eſt baptiſmo. Patres non peccatum, ſed infirmitatem & imperfectionem vocant, Hic in biuio ſtamus, Ego Paulum, tu Patres ſequeris, Auguſtinum excipio, quia ille vere vitium & iniquitatem rotundis verbis vocat.

Vlterius ad caput diſſenſionis venimus, An tale peccatum, ſeu, vt tu vis, infirmitas natura ſua vel ſola miſericordia ignoſcente, non ſit contra Deum & Legem eius. Nonne hæc eſt ſumma diſputationis noſtræ? Ego pro me habeo Pauli vocabulum, quod quid ſignificet, nemo ignorat, nempe illud quod contra Deum eſt (niſi ignoſcatur) natura ſua. Tu habes, vt videris tibi, Patres, qui aſſerant, non eſſe contra Deum & Legem eius natura. Primum non probas, hoc Patres velle, ſed omnia quæ inducis, facile à me abigentur, ſi dixero, illos loqui de peccato extra miſericordiam poſito. Sic enim veriſſime dicunt, Peccatum illud gratiæ (ſic dixerim animi cauſa) prorſus neminem reum conſtituere, non damnare, non nocere, prorſus nihil commune habere cum peccato extra gratiam. Nonne & ego ſic dico Latome? quid enim ſacrilegij in me eſt, quando in hoc fine conuenimus, vt nihil mali vterq; aſſeramus habere, id ſiue peccati, vt ego, ſiue infirmitatis, vt tu vocas? cur ſic in me inſanis, & atrociter me criminaris, cum non poſſis aliud probare ex Patribus, quam id quod dixi? An quod tuum caput non ſequor, qui ante iudicium me damnaſti & exuſſiſti? Sed temeritate & igne ego non terreor, nec trahor Latome.

Peccatum gratiæ. Peccatum extra gratiam.

Sed eſto, ſit aliquis Patrum, quem ego nondum viderim, Nam Auguſtinum, Hieronymum, Ambroſium, Gregorium, Bernardum noui, vt fruſtra mihi tot nubes obieceris. Sed ſit aliquis, qui aſſerat iſtud reliquum natura ſua eſſe non contra Deum, neq; contra legẽ eius, & neget ipſum ſola ignoſcente miſericordia Dei, non eſſe contra Deum & legẽ eius, vbi talem inueneris (inuenias autem iuxta mulæ fœtum ſpero) quid tum promouiſti? quid effeciſti?

quid

quid viciſti? Quis me certum faciet, Pauli eſſe eum ſenſum? An non licebit, mihi de eius ſenſu dubitare? Non licet mihi ſic muſſitare mecum: Sanctus eſt ille vir, ſed quid ſi homo ſit & humanum hic ſapiat? Quis ſcit, ſi aliud in Apoſtolo lateat, quod ille non videat? præſertim cum Paulus tam libere & aperte peccatum appellet, cum potuiſſet, ſi vellet ſic loqui, vt iſte loquitur. Quis illi ius fecit nobis Legem ſtatuendi & intelligendi? Nemo ex vobis legem facit, dicit Chriſtus. Velis tu Latome cum tuis Sophiſtis has pij cordis cogitationes incendio aut ſuſpendio damnare? Quid ſi non poſſit aliter? & iuſta ſit ibi cauſa, quia in Paulo Deum loqui certus eſt, cuius verba ſunt veneranda nec temeranda, in iſto non eſt certus, Deus an homo loquatur.

QVid hic faciemus? dices, Ad rationem & communem ſenſum eamus. Ago gratias. Liberati ergo ſumus ab omnium hominum autoritate in hac cauſa. Ratio ergo tua erit, quæ ſeſe ex fidei articulo glorietur fluere, nempe, quod credimus in baptiſmo omnium peccatorum remiſſionem donati, ſicut Paulus in multis locis docet. Nam hæc & Patrum tuorum ratio eſt, & mihi placet. Sed quid, quod Paulum iſta ratio nihil mouerit, quin peccatum appellaret reliquum iſtud remiſſionis omnium peccatorum, Patres autē mouerit, vt negēt, vt tu dicis, peccatum. Vos inueniſtis diſtinctionem peccati, vt ſaluaretis iſtam rationem & verbum Pauli, nō potentes vllo modo iſta duo concordare, & tamen ipſam hanc diſtinctionem nullo loco Scripturæ poteſtis probare, ſed eſt humanum inuentum, vt non potes negare, ſed neceſſarium (vt videtur vobis) propter rationem prædictam. Nonne ita habent? Nonne ego tua intelligo? & nihil contra hæc imprudens aut ignorans poſui, vt te Magiſtro mihi plane nihil fuerit opus.

Remiſſio omnium peccatorum donatur in Baptiſmo. Peccatum.

Iam ſi ego modum illuſtrante Spiritu inuenero, vt & pietas illæſa maneat articulorum fidei, & Paulus ſimul illæſus, non egens vlla vocabuli ſui Metamorphoſi violenta & inaudita, ſed ſimpliciter, proprie & germane, id quod alias ſignificare poſſit, cum quo & ſatisfiat rationi illi vrgenti vos, ad æquiuocandum vocabulum ſolo iſto loco, id eſt, in Paulo, ac præterea nuſquam in Scriptura, velles mihi tu inuidere? atq; ſi tu nolles amplecti, velles me quoque meo gaudio ſpoliare, quando in rerū ſumma pulchre conueniremus? At ego à ſimplicitate verborum Dei non paterer me auelli, quæ ſi ſalua pietate fidei poſſem bono ſenſu intelligere, veſtris humanis inuentis plane cedere nollem.

Dicis autem: Si in ſumma conuenimus, quid prophanas vocū nouitates ſuſcitas, & non citra ſcandalum nobiſcum communicas? Reſpondeo, quod malo de fonte quam de riuulis bibere. An tu me hoc prohibebis? Duo enim ſunt quæ me mouent. Primum, quod ſcripturas in ſuis *a* verbis puras, ab omni hominum, etiam Sanctorum, contactu mundas, ab omni terreno condimento ſyncētas habere volo. Vos enim eſtis, qui prophanas vocum nouitates non vitaſtis, vt Paulus ait, ſed humanis gloſis veſtite, & terrenis condimentis condire voluiſtis ſanctas iſtas delitias Dei. Et anima mea nauſeat, cum Ezechiele, panem comedere ſtercore humano opertum, Scis quid hoc ſignificat? Alterū, quod verbis iam non ſynceris nec ſyncere myſterium iſtud gratiæ & peccati tractare potueritis, deinde nec intelligere, tandem nec amare, ac ſic frigidi, pallidi, triſtes, ſegnes, in laude & amore Dei facti eſtis. Humanum enim verbum diuino additum, velamē eſt veritatis puræ, imo vt iam dixi, ſtercus humanū eſt, quo operitur, ſicut in Ezechiele figurat Dominus. Manna eſt, quod in vrna aurea ſeruari velit, non in manibus hominum iactari & verſari.

a viribus.

Ezech. 4.

Humanum verbum diuino additū.

Manna.

Quis, inquies, ergo tuus eſt iſte modus? Referam, & ſi ſuſpicer, vobis allium & pepones Aegypti anhelantibus, & iamdudum corrupto palato

male

Digitized by Google

male habentibus,non placiturum. At mihi ſatis fuerit, quod confutare eum vos non poteritis,vos autem reos agere ille poſſit,qui verba Dei torqueatis in eum ſenſum,quem in nullo alio loco habent, Id quam ſit indignum audiri de Chriſtianis,nedum Theologis,nemo non ſentit.

Scriptura diuina peccatum noſtrum tractat duobus modis, *Scripturam duobus modis tractare peccatum.*
vno per Legem Dei,altero per Euangelium Dei.Hæc ſunt duo Teſtamenta Dei ordinata ad ſalutem noſtram,vt à peccato liberemur. Lex aliter non *Lex.*
Roma. 3. tractat peccatum,quam vt ipſum reuelet,ſicut dicit Paulus Rom. 3. Per legem *Corruptio naturæ.*
cognitio peccati. Quæ cognitio docet duo,corruptionem naturæ & iram Dei.
Roma. 7. De priore dicit Rom.7. Concupiſcentiam neſciebam eſſe peccatum,niſi Lex diceret: Non concupiſces. Nam prurium illum fœdum natura non dicit peccatum,ſed vſum eius malum,in alieno corpore,vt ſtuprum, adulterium, fornicationem, Ita iram & auaritiam non dictabat peccatum, ſed vſum eius, in furto,fraude,maledicto,cæde,& ſic de alijs. Et haud ſcio,an peccatum in Scripturis vnquam accipiatur pro operibus illis,quæ nos peccata vocamus, Videtur enim ferme radicale illud fermentum ſic vocare quod fructificat mala o- *Radicale fermentum.*
pera & verba. Nam hoc peccatum proprie reuelat Lex, prius incognitum &
Roma. 5. Rom. 11. mortuum,vt Rom. 5. dicit,quod & viuaciſſime latet ſub ſpecioſis operibus hypocritarum. Nam ſub hoc peccato concludi per Scripturam omnes homines dicit Paulus,licet latere nunquam poſſit,quin fructus ſuos prodat,in vno ſic, in alio ſic. Sed nullum opus malum dare queas,ſub quo omnes homines con-
Rom. 4. Galat. 3. Roma. 5. Roma. 6. cludere poſſis,de quo alias plura. De poſteriore dicit Rom.4. Lex iram operatur,quia dicit Gal 3 Maledictus omnis, qui non permanet in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro hoc,vt faciat ea. Et Rom. 5. Per peccatum mors. Et 6. Stipendium peccati mors. Hactenus igitur lux Legis nos erudit,& ſub corruptione & ira nos eſſe docens,atq; omnem hominem & mendacem & filium iræ *Legis officium.*
concludens. Atq; corruptionem forte contempſiſſemus,& nobis in malo noſtro placuiſſemus,niſi alterum malum iræ nobis hanc inſaniam non indulgeret,ſed obſiſteret,terrore & periculo mortis & inferni, quo minus pacem in priore malo haberemus, Et plane maius malum nobis eſt ira quam corruptio, quia pœnam plus odimus quam culpam.

Igitur duplex malum Lex reuelat, Internum & externum. *Lex duplex malum reuelat.*
Alterum,quod ipſi nobis irrogauimus,peccatum ſeu corruptionem naturæ, *Culpa.*
Alterum,quod Deus irrogat,iram,mortem & maledictionem. Eſto,ſi vis,illa *Pœna.*
duo,culpa & pœna,ſed nimis tenuiter & frigide culpam & pœnam ſub ijs vocabulis tractauimus,neſcio quas relationes & imputationes fingentes. Nos craſſe & plane ſecundum Scripturam peccatum ſeu culpam, ſeu internum *Internum malum.*
Gen. 6. 8. malum vniuerſam illam corruptionem naturæ vocamus,in omnibus membris malam & ad malum pronam ab adoleſcentia noſtra,vt Gen. 6. 8. ſcribitur. Et hæc ira tanta eſt,vt ea quæ bona videntur nihil proſint,vt ſunt artes, ingenia,prudentia,fortitudo,continentia, & quidquid naturalium,moralium, ſpeculabilium eſt bonorum,in quibus nullum vitium, omnium hominum communis ſenſus deprehendere poſſit,adeo,vt hodie etiam noſtri Theologi ea inter bona numerent,nihil illis mali tribuentes,quam quod extra gratiam facta regnum cœlorum non mereantur, Rurſum tamen nec infernum nec pœnam mereantur,parati plane aſſerere,ea cœlum etiam mereri poſſe, niſi quendam auditum de gratia neceſſaria concepiſſent, Non enim deeſſe eis quidquam putant, quod Lex requirat, ſed quod gratia exigat, Legi ſatisfactum docent,ſed non Euangelio.

Addunt denique tanta eſſe hæc bona,vt gratiam mereantur de congruo & infallibiliter, & ſic plena bona fiant,ſi non proprio merito, tamen

per

Digitized by Google

per proprium meritum. Accedit his, quod Deus ipſe hæc non negat eſſe bona, ſicut reuera negari non poſſunt, ſed renumerat & ornat tempotalibus beneficijs, vt Regnis, opibus, gloria, fama, dignitate, honote, voluptate, & ijs ſimilibus. Ita vt non modo ſpeciei propriæ, ſed & retributionis diuinæ operculum

Naturali cæcitati ignorat vere bona.

accedat naturali cæcitati, quæ ignorat vere bona, vt ſecure iſta & pertinaciſſime bona eſſe contendat, ſuper qua re potiſſimum Propheti, laborauit, & omnes Prophetæ occiſi ſunt, quod hęc carperent & veriora bona exigerent. Prophetia enim nihil alind quam expolitio, & (vt ſic dixerim) praxis & applicatio Legis fuit, ſeu quod dicitur in Syilogiſmis, ſubſumprio, quæ vt quodlibet opus bonum incideret, pronunciatet, an vere maleue bonnm eſſet. Hinc multa legimus reprobari in Libris antiquis, quæ obſtupeſcimus. Hinc prohibuit Deus, ne ſuum ſenſum ſequetentnr, ſed vocem eius audirent. Ideo eis ſemper prouidit Prophetas, qui Legem practicarent in his bonis (vt ſic dixerim) velut in Exemplis monſtrando, quid eſſet Lex.

Lex docet peccati cognitionem.

Sola igitur Lex oſtendit, non quidem eſſe iſta mala per ſe, cum ſint dona Dei, ſed eſſe in malo viu, propter radicale illud peccatum occultiſſimum, quo in illis confidebant, placebant, gloriabantnr inſenſibili malo, ſicut & nunc & ſemper facit hoc intimum peccati malum, cum in ſolo Deo fidendum, placendum & gloriandum ſit, ſicut Iere. 9. dicit, Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua, nec fortis in fortitudine ſua, nec diues in diuitijs ſuis. Omnia enim hæc ſunt bona, diſperſa gratuito in malos freqnentius quam in bonos. *Ieremiæ. 9.*

Bona Dei gratuito diſperſa, etiam in malos.

Ita vt Pſal. 73. ſeſe periclitari ob hoc queratur, & pene effundi greſſus ſuos. Sed omnia ſunt (vt dixi) ſub ira & maledicto concluſa, nec quidquam proſnnt, & adeo non parant de congruo ad gratiam, vt magis incraſſent cor, ne gratiam deſideret aut neceſſariam ſentiat. Sicut dicit Pſal. 109. Coagulatum eſt ſicut lac cor eorum. Melius Ebr. Incraſſatum eſt ſicut adeps cor eorum. Hic populus proprie in Scripturis arguitur impietatis, incrudelitatis, duræ ceruicis, quod indomitum ſenſum in iſtis ſpecioſis bonis humiliare non poſſent, nec Legem nec peccatnm ſuum in illis agnoſcere, ſemper arbitrari, ſeſe obſequium in his præſtare Deo, præ omnibus alijs vere iuſtis. His fruſtra prædicatur, hi viri ſanguinum & doli. Summa, Lex illis eſt impleta, nec indigent gratia (vt dixi) niſi ex quodam ſuperfluo exactionis diuinæ. His eſt velatus Moſes, nec ferunt faciem eius cornutam, mali eſſe in tanta ſapientia, bonitate, iuſticia, religione non volunt, nec ſe eſſe cognoſcere poſſunt, quia non audiunt. Vides ergo quã exeedat Lex naturalem rationem imcomparabiliter, & quam profundum ſit peccatum, cuius cognitionem docet Lex, Hi ergo omnes ſub ira, quia omnes in peccato. *Pſalm. 73.*

Velatus Moſes.

Lex excedit naturalem rationem incomparabiliter.

EVangelium contra ſic tractat peccatum, vt ipſum tollat, & ſic pulcherrime Legem ſequitur. Lex enim introduxit & nos obruit peccato, per cognitionem eius, quo fecit, vt ab illo liberari peteremus & gratiam ſuſpiraremus. Nam Euangelium etiam duo prædicat & docet, Iuſticiam & gratiam Dei. Per iuſticiam ſanat corruptionem naturæ, Iuſticiam vero quæ ſit donum Dei, fides ſcilicet Chriſti, ſicut Rom. 3. dicit, Nunc autem ſine lege manifeſtata eſt iuſticia Dei. Et iterum Rom. 5. Iuſtificati gratis ex fide, pacem habemus &c. Et 3. Arbitramur enim hominem iuſtificari ex fide Et hæc iuſticia peccato contraria in Scripturis ferme pro intima radice accipitur, cuius fructus ſunt bona opera. Huic fidei & iuſticiæ comes eſt gratia ſeu miſericordia fauor Dei, contra iram, quæ peccati comes eſt, Vt omnis qui credit in Chriſtum, habeat Denm propitium. Nam nec nos in bono iſto iuſticiæ ſatis læti eſſemus, nec magnifaceremns eius hoc donum, ſi ſolum eſſet, & non gratiam Dei nobis conciliaret, Gratiam accipio hic proprie pro fauore Dei, ſicut debet, non pro qualitate animi, vt noſtri Recentiores docuerunt, Atq; hæc *Roma 3.* *Roma 5.*

Euangelium duo docet, iuſticiam & gratiam Dei.

Iuſticia peccato contraria.

Fidei comes gratia.

Gratia.

gratia

Gratia cordis pacem operatur.

gratia tandem vere pacem cordis operatur, vt homo à corruptione ſua ſanatus, etiam propicium Deum habere ſe ſentiat. Hoc eſt quod impinguat oſſa, & conſcientiam reddit lætam, ſecuram, imperterritam, nihil non audentem, nihil non potentem, vt quæ mortem etiam rideat, in fiducia iſta gratiæ Dei.

Ira Dei. *Corruptio naturæ.* *Gratia.* *Sanitas iuſticiæ.* *Fides.* *Gratia Dei.* *Donum in gratia.*

Proinde ſicut ira maius malum eſt, quam corruptio peccati, ita gratia maius bonum quam ſanitas iuſticiæ, quam ex fide eſſe diximus. Nemo enim, (ſi poſſet fieri) non mallet carere ſanitate iuſticiæ, quam gratia Dei. Nam remiſſio peccatorum & pax proprie tribuitur gratiæ Dei, ſed fidei tribuitur ſanitas corruptionis. Quia fides eſt donum & bonum internum oppoſitum peccato, quod expurgat, & fermentum illud Euangelicum in tribus farinæ ſatis
Matth. 13.
abſconditum. At gratia Dei eſt externum bonum, fauor Dei, oppoſita iræ. Hæc duo ſic Rom. 5. diſtinguit: Si enim vnius delicto mortui multi ſunt, multo magis gratia Dei & donum in gratia vnius hominis Ieſu Chriſti in plures
Rom. 5.
abundauit. Donum in gratia vnius hominis, fidem Chriſti vocat (quam & ſæpius donum vocat) quæ nobis data eſt in gratia Chriſti, id eſt, quia ille ſolus gratus & acceptus inter omnes homines, propitium & clementem Deum haberet, vt nobis hoc donum & etiam hanc gratiam mereretur.

Lex per Moſen data &c. *Gratia pro gratia.* *Duo bon. Euangelij aduerſus duo mala Legis.*

Iohan. 1. Iohan. 1. Iohannes Baptiſta ſic: Lex per Moſen data eſt, gratia vero & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. Et ſupra, Plenum gratia & veritate. Ita veritas ex Chriſto in nos fluens fides eſt, gratia fidem comitatur ob gratiam Chriſti, ſicut ibidem præmiſit, De plenitudine eius omnes accepimus, gratiam pro gratia. Quam gratiam, pro qua gratia? gratiam noſtram, vt nobis faueret Deus, pro gratia Chriſti, qua illi fauet Deus. Quia, inquit, Lex per Moſen data, ſed gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. Habemus ergo duo bona Euangelij aduerſus duo mala Legis, Donum pro peccato, gratiam pro ira. Iam ſequitur, quod illa duo, ira & gratia, ſic ſe habent (cum ſint extra nos) vt in totum effundantur, vt qui ſub ira eſt, totus ſub tota ira eſt, qui ſub gratia, totus ſub tota gratia eſt, quia ira & gratia perſonas reſpiciunt. Quem enim Deus in gratiam recipit, totum recipit, & cui fauet, in totum fauet. Rurſus, cui iraſcitur, in totum iraſcitur. Non enim partitur hanc gratiam, ſicut dona partitur, nec diligit caput & odit pedes, nec fauet animæ & odit corpus. Et tamen donat animæ, quod non donat corpori, donat capiti, quod non donat pedibus. Sic & in tota Eccleſia, quæ in eadem gratia Dei ſtat, vt Rom. 5 di-
Roma. 5.
cit: Per quem habemus acceſſum in gratiam iſtam, in qua ſtamus &c. Diuerſus & multiformis eſt in donis ſuis. Ita econtra, cui non fauet, toto non fauet, & tamen non totum punit, Imo iſte vno peccato vnius membri, ſub ira totus manet, & hic vno dono vnius operis ſub gratia totus manet, vt longe, ſicut dixi, gratia à donis ſecernenda ſit, cum ſola gratia ſit vita æterna, Rom. 6. Et ſola ira ſit mors æterna.
Roma. 6.

Gratia. *Donum.*

VEniamus tandem ad inſtitutum. Iuſtus & fidelis abſq; dubio habet gratiam & donum, Gratiam, quæ eum totum gratificet, vt perſona prorſus accepta ſit, & nullus iræ locus in eo ſit amplius. Donum vero, quod eum ſanet à peccato & tota corruptione ſua animi & corporis. Impiiſſimum ergo eſt dicere, baptiſatum eſſe adhuc in peccatis, aut non eſſe omnia peccata pleniſſime remiſſa. Quid enim ibi peccati, vbi Deus fauet, & nullum noſſe vult peccatum, totuſq; totum acceptat & ſanctificat? Sed hoc non eſt referendum ad noſtram puritatem, vt vides, ſed ad ſolam gratiam fauentis Dei. Remiſſa ſunt omnia per gratiam, ſed nondum omnia ſanata per donum. Donum etiam infuſum eſt, fermentum mixtum eſt, laborat, vt peccatum expurget, quod iam perſonæ indultum eſt, & hoſpitem malum extrudat, cui licentia facta eſt eijciendi. Interim dum hæc aguntur, peccatum dicitur & eſt

D. Latome? eius peccati, quod non regnet in corpore, & tamen ſit in corpore cum ſuis concupiſcentijs. Nã Lutherus nunquã de regnante peccato dixit, quod in Sanctis eſſet. Vos ergo non recte facitis, qui aliud promittitis & aliud facitis. Vultis confutare Lutherum, & confutatis aliquẽ veſtrum Morpheum.

Virgo ſi nubit, non peccat.

Exempli gratia, quando Paulus 1. Corint. 7. dicit: Virgo ſi nubit non peccat, & ſi duxeris vxorem, non peccaſti. Hoc dominatio veſtra inducit contra Lutherum, & non concluditis, quia idem eſt cum illo: Non regnet peccatum in corpore veſtro, ergo de regnante peccato loquitur, quod dictionis ſeries probat, quia de Sanctis loquitur, in quibus nullum peccatum regnat. Nonne & Lutherus multo fortius, quam vos, dixit ex 1. Ioha. 3. *Qui natus eſt ex Deo, non peccat, & non poteſt peccare?* Repugnat enim ex Deo eſſe & peccare. Virgo nubit & non peccat, minus eſt, quam non poteſt peccare. Hoc Paulus dicit ſic Roma. 6. Peccatum vobis non dominabitur, id eſt, non poteſtis peccare, quia non eſtis ſub Lege, ſed ſub gratia. *1. Cor. 7.* *1. Iohan. 3.* *Rom. 6.*

Qui natus eſt ex Deo non peccat, &c.

Nam & Latomus qui dicit: Virgo nubens non peccat, & Lutherus, qui dicit: Virgo nubens non poteſt peccare, negare non poſſunt, quin virgo nubens peccet in reddendo debito carnis, vt vnanimiter omnes dicunt, & probat Pſalm. 51. Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea. Quomodo ergo peccat nubens & non peccat? An nubere Latomus eo tantum trahet, quod in ſponſalibus agitur ante ſecreta cubilis? Non credo ſic aperte ſophiſticaturum, Sed ſophiſticetur. Quid ad illud præceptum, quod ibidem præmittit? Vxor viro debitum reddat, & vir vxori debitum reddat. An hic non opus illud conceptionis in peccato, quod Dauid dicit, docet? At nubens huic operi ſeſe ex animo tradit. Sed & Latomus quoq; dicit, Sanctos ſæpius peccare, poteſt & virgo nubere aliquo veniali peccato concurrente, ergo contra Apoſtolum virgo nubens peccabit. *Pſal. 51.*

Nolite fraudare inuicem &c.

Sed audacem Apoſtolum vide, qui ſine conſenſu Facultatis theologicæ Louanienſis amplius loquitur, Nolite fraudare inuicẽ, niſi forte ex conſenſu ad tempus, vt vacetis orationi, Et iterum reuertimini in idipſum, ne forte tentet vos Satan propter incontinentiã veſtram. Quis tu Paule? abſq; literis & ſigillo Facultatis theologicæ Louanienſis audes incontinentiam ponere in Sanctis, & ijs, quos orationi vacare doces? Certe tu Tacianus, Cataphrigarum patronus es, qui Matrimonium peccato inuoluis, imo non tantum matrimonium, ſed Sanctos Dei. Et omnis illa pompa in te ruet, quã Latomus pro abſurditatibus contra Lutherum inducit, & futurum eſt, vt Libri tui exurantur, tum poſtea terribilis Bulla cultrices illas fideles agri dominici comprobabit. Surgetq; Latomus, ac ratione reddita probabit, quod incontinentia illa non ſit incontinentia, ſed infirmitas & pœna. Et quando Satanas eos tentat, non ad incontinentiam, ſed ad infirmitatem tentat. Quod ſi quo caſu conſenſerint incontinentiæ, non peccato conſenſerint, ſed infirmitati & pœnæ, ac per hoc, dũ peccant, etiam non peccabunt. Vide, quam fœdus tu es futurus Hæreticus. *1. Cor. 6.*

Tacianus.

Deniq; hinc fiet, vt diuina mandata vniuerſa non prohibuerint peccatum, ſed infirmitatem & pœnam peccati, Et noua Theologia in mundum veniet, quod peccatum ſit, conſentire non peccato, ſed infirmitati & pœnæ. Et Deus non prohibuerit vitare peccatum, ſed infirmitates & pœnas peccati. Et erit ſenſus Pauli Rom. 6. Non regnet pœna peccati in corpore veſtro, vel non regnet infirmitas in corpore veſtro, vt obediatis concupiſcentijs eius. Rurſum conſentire ei, quod peccatum & damnatum non eſt, peccatum erit. Noua plane ratio peccati. Infirmitas non eſt peccatum nec damnata, Et tamen ſi conſentias rei nec damnatæ nec culpabili, peccaſti. *Roma.*

Quare, ſi conſultum pijs animabus voluiſſent Sophiſtæ iſti, omiſſis verborum eluſionibus, rem ſimpliciter, vt eſt, propoſuiſſent in hunc modum. Ecce optimi

ce optimi fratres, Fatemur opera bona Deo placere, omninoq; per ea nos ſaluari, Sed non ſic ſunt bona, quod ſine peccato ſint, ſed quia aduerſus peccatũ pugnando facta ſunt. Hoc ipſum enim bonum opus eſt totum, quod peccatum in nobis eſt, & nobiſcum ipſis pugnamus, ne regnet, ne obediamus concupiſcentijs eius. Iam licet rigor legis diuinæ etiam hoc exigere poſſit, vt iſta pugna in nobis non ſit, quia tales non creauit nos ab initio, rectum enim fecit Deus hominem, ipſe ſe miſcuit infinitis quæſtionibus (ait ſapiens) Nam hoc
Eccle. 9. malo impedimur, ne toti ſimus in eius lege, & pars noſtri, quæ nobiſcum pugnat, legi eius aduerſatur. Tamen promiſit miſericordiam & ignoſcentiam omnibus, qui ſaltem non conſentiant huic parti, ſed pugnent aduerſus eam, & abolere ſtudeant, Hoc ſtudium placet, non quia dignum, ſed quia ipſe indulſit & acceptare promiſit.

Proinde ne inflexis aut ſuperbias, habes in teipſo, vnde iudicium & rigorem metuas, & ad miſericordiam ſolam tete conferas. Hac enim miſerente, non te currente, bona ſunt opera tua. Aliud ergo de te iudicabis ſecundum rigorem iudicij Dei, aliud ſecundum benignitatem miſericodiæ eius. Et hos duos conſpectus non ſeparabis in hac vita. Secundum illum omnia opera tua polluta & immunda ſunt, propter partem tui aduerſariam Deo, Secundum hanc vero totus mundus es & iuſtus. Atq; vt hoc ſis, Baptiſmi ſymbolum pro teſtimonio habes, in quo veriſſime omnia peccata tibi remiſſa ſunt, remiſſa, inquam, in totum, ſed nondum omnia abolita, Credimus enim remiſſionem *Peccata omnia remiſſa, ſed nondum abolita.* peccatorũ omnium factam abſq; dubio, ſed agimus quotidie & expectamus, vt fiat etiam omnium peccatorum abolitio & omnimoda euacuatio, Et ij qui in hoc laborant, faciunt opera bona. Ecce hæc eſt fides mea, quoniam hæc eſt catholica fides. Sophiſtæ vero, qui hæc impugnant, hoc agunt, vt nobis fiduciam operum erigant, & tam miſericordiæ quam iudicij Dei opus extenuent,
Pſalm. 10. ſicut de eis dicitur Pſal. 10. Aufeuntur iudicia Dei à facie eius. Et ideo & timorem Dei & fiduciam noſtram ſubuertunt, ferendi alioqui, ſi non hanc ſortem noſtram & capitale ſalutis præſidium nobis demoliri & vaſtare anhelarent, & in leuioribus rebus vel luderent vel inſanirent.

AT dices mihi: Diſtinctio illa noua & tua eſt, de peccato regnante & regnato, & arbitrio tuo poſita. *Peccatum regnans & regnatum.* Reſpondeo: Eſto, contemne eam, non eſt mihi in verbis controuerſia, finge tu aliud, Saltem regnantis peccati vox non meum inuentum, ſed Pauli autoritas eſt. Tu nunc illud, quod non regnat, quo vis nomine appellato, quamuis etiã pro me faciat Ge 4.
Gene. 4. Sub te erit appetitus eius, & tu damnaberis illius. Hic certe peccatũ ſubiectum deſcribitur, Sed & Sophiſtæ coguntur concedere, aliud peccatũ veniale, aliud *Peccatum veniale & mortale.* mortale. Et cum veniale aſſerant non nocere, non regnare, non damnare, veriſſimum tamen vocant & proprie dictum peccatũ, non ideo alterius generis aut naturæ peccatum faciunt, quia illud mortale, hoc veniale, ſed vtrũq; defectum à lege Dei & contrariũ legi Dei aſſerunt, Et ego aliud nihil peto, quã vt mihi permittãt hoc modo peccatum vocare, illud reliquum baptiſmo, quo modo ipſi veniale, quod miſericordia egeat, & natura ſua malum & vitium ſit, cui ſi conſentias, etiam regnare feciſti & ſeruiſti ei, ac mortaliter peccaſti. In hoc habeo Paulum Rom. 6. ſatis iã memoratum, à quo non patiar me auelli. *Poſt baptiſmum ſuperesse peccatum & concupiſcentiam eius.*

Non (inquam) negare poterunt, duo mala ſupereſſe Baptiſmo, peccatum & concupiſcentiam eius. Verba Pauli aperta ſunt, peccatum, fomes ipſe naturale malum, concupiſcentia motus eius Huic non obediendum, illud deſtruendum dicit, vt deſtruatur, inquit, corpus peccati. Appellent illa duo vt libet, ſed non repellant eſſe dicta à Paulo. Mortificanda ea & deſtruenda vult Paulus, vt quæ damnata ſint ad mortificandum, mala ergo vitia & peccata ſunt. Infirmitates enim & mortalitates & pœnæ non cadunt ſub præcepto, nec

In arbitrio noſtro poni poſſunt. Quis enim mortem & pœnas mortificet, niſi ſolus Deus ſine nobis? Super peccata vero & ea quæ nos reos faciunt, præcepta feruntur. Cum ergo nobis præcipiat mortificare, non obedire illis, non vtique pœnas, non mortalitates, non infirmitates, ſed peccata intelligit. Quæ eſſet enim Lex: Noli obedire hulceri, noli obedire febri, noli obedire fami & ſiti, noli obedire nuditati & vinculis aut concupiſcentiæ vnius illorum? Nonne & iſtæ ſunt infirmitates, pœnæ, mortalitates? ſed peccato, peccatori & ſuggeſtionibus eorum, quæ & ipſa peccata ſunt, non eſt obediendum. *Rom. 6.*

Peccatum. Concupiſcentia.

Quanquam ſtultum ſit, nos in re tam manifeſta tot verbis laborare, cum Apoſtolum claris expreſſisq; verbis habeamus, peccatum & concupiſcentias aſſerentem. Qui Pauli verbis non acquieſcit, noſtris quando capietur? Obſecro, quid facturi fuiſſent, ſi Paulus obſcure fuiſſet locutus, & pro peccato malum vel infirmum poſuiſſet? item pro obedire & non regnare, vigilare vel abſtinere dixiſſet? ſicut Petrus dicit: Abſtinete á carnalibus deſiderijs, quam ſecuros, quam lætos hic triumphos ducerent? Nunc cum luci & diei reſiſtere nequeant, parant nubes illi obducere, & in medio die tenebras creare, vt peccatum ſit non peccatum, vt Paulus mentitus videatur. *1. Pet. 2.* Quod ſi etiam Patres pro ipſis ſonare videantur, non tamen eis adhærendum eſt, ſed magis Paulo, etiamſi vera dixerint, quia obſcurius & impotentius quam Paulus loquuntur, Clariora ſunt Pauli verba, quam vt vllius gloſa indigeant, imo gloſa magis obſcurantur. Quanquam, vt dixi, Patres tamen & ipſi hoc peccatum & vitium vocant aliquando, tum ſæpius de peccato regnante loquuntur.

Sophiſtæ per obſcura probant clariſſima &c.

Quare Sophiſtis noſtris per Patrum dicta me oppugnantibus ſic dixerim: Vos per obſcura probatis clariſſima, & per humana tractatis diuina. Quare cum hoc etiam veſter Ariſtoteles prohibuerit, ne ignota per ignota, obſcura per obſcura, multo magis, ne manifeſta per obſcura probentur, concludo vos ineptos diſputatores, qui non niſi toto opere & omni tempore principium vitioſiſſime petitis. Summa reſponſionis Lutheranæ & confutationis Latomianæ eſt hæc, Si peccatum in locis Apoſtoli Pauli citatis probari poteſt, non eſſe vere & proprie peccatum, ruit Lutherus, Si non poteſt probari, ruit Latomus At probari non poteſt, niſi per quædam Patrum dicta ſibi etiam pugnantium, inſuper humana, ſi non pugnarent etiam quibus præferri debent diuina, ſine quorum autoritate nihil eſt aſſerendum, quare ruit Latomus & omnia ſua, & ſtat Lutherus cum omnibus ſuis.

Ego tamen laudo Latomi fidem & conſtantiam, qui poſtquam ſemel ſuſceperit partes ſophiſticæ pertinaciæ tueri, nihil committat, quod ingenio & pertinacia Sophiſtarum ſit indignum, ſed omnia trahat, deprauet, torqueat, cogat, quæcunq; diuina & humana contra ſe faciunt, quocunq; volet. Sicut enim ſuperius vidimus, vbi tot Scripturæ teſtimonia probãt, Mandatum Dei eſſe impoſſibile nobis, vt nihil ſit manifeſtius, tamen ſicut aſpides ſurdæ ad hæc occludunt aures & auertunt oculos, tantum vt vnicum illud ſuum ſemel ſuſceptum decretellum in publico obtineant, Anathema ſit, qui dixerit, Deum nobis præcepiſſe impoſſibile. Hoc humanum verbum regnare neceſſe eſt, hoc omnes probare, hoc nulla gloſa moueri oportet. At tonitrua diuina ſilere & iacere oportet, tum quaſuis libidines gloſarum admittere cuiuſcunq; nebulonis, Hominis verbum ſacrum & venerabile eſt, Dei verbum proſtibulum eſt.

Mandatum Dei impoſſibile nobis. *Pſalm. 58.*

Peccatum & concupiſcentiam relinqui poſt baptiſmum.

Ita & hic, cum tot ſacra fulmina teſtentur, peccatum & concupiſcentiam relinqui poſt baptiſmum, vt etiam iram, libidinem, auaritiam, incontinentiam aperte appellent, nominibus ſcilicet omnium ſenſu eis, quibus vitia &

peccata

Digitized by Google

peccata nominati ſolent in omni lingua, Adhuc erigunt ſeſe frontes iſtæ, aures continent, oculos claudunt, cor auertunt, tantum, vt ſuum hoc humanum verbum omnium aures occupet, ſolum hoc ſit theatrum, contra hoc nemo mutiat. Eſſe ſcilicet ſolam reliquam pœnam & infirmitatem poſt baptiſmum. Huic ſileant diuina oracula, huic cedat Paulus, huic cedat & ipſa experientia quotidiana noſtra, & omnium Sanctorũ. Quod ſi non ceſſerint, laruam induant, & nomine peccati repræſentent imperfectionem & infirmitatem, caueantque noſtris gloſis ſeſe non accommodent. Nam & hoc Latomus ſuperius faſſus eſt, Sanctos multa peccare (ſuo peccati ſignificatu) ſurreptione, ignorantia, & alijs modis, id quod Paulus vocat concupiſcentias peccati in corpore mortali, quibus non obediamus, id eſt, non conſentiamus. Neque enim ignorans aut præuentus aut inuitus conſentire potes, dixit enim inuitos peccare. At quia Paulus idem vocat peccatum, cogitur per peccatum pœnam intelligere, nulla cauſa, quam quod ſpiritus & non homo hoc loqutus eſt, vt ſtet in arbitrio Sophiſtarum, quid peccatum, quid pœna eſſe debeat, obſecro, quem non vrat ea arrogantia plus quam Moabitica?

AT dices: Non tu credis ergo dictis Patrum? Reſpondeo: Credam? quis mandauit illis credi? vbi eſt præceptum Dei de iſta fide? Cur illi non crediderunt ſuis Patribus? præſertim Auguſtino, qui liber eſſe voluit, & omnes eſſe liberos iuſſit in omnium hominum ſcriptis? An quia Sophiſtæ nobis hanc inuexerunt tyrannidem & captiuitatem libertatis noſtræ, donec & bis ſacertimo Ariſtoteli non reſiſtendum, ſed obſequendum coegerint, Ideo perpetuo in illa ſeruiemus, & non aliquando in Chriſtianam libertatem reſpirabimus, & noſtras literas vel poſtliminio huius Babyloniæ ſuſpirabimus? At ſancti fuerunt, & ſcripturas elucidauerunt, inquis. Quis & hoc probauit, ſcripturas eſſe elucidatas ab eis? quid ſi obſcurarint? Quo iudicio probas eos elucidaſſe ſcripturas? An Louaniſiter & Coloniaſiter dicturus es? Mihi ſic videtur, & ſic dicunt. Videantur ſibi ſane & dicant, modo mihi rem probent, aut deſinant me in verba ſua inania cogere. Mihi non eſt mandatum viſionibus illorum, ſed verbis Dei credere. Vnus eſt magiſter Chriſtus, & iudicio diuinæ Scripturæ probandi ſunt Patres, vt cognoſcantur qui eas elucidarint, & qui obſcurarint, Sicut Paulus iuſſit, Omnia probate, quod bonum eſt tenete. Et 1 Cor. 14. Vnus aut duo prophetent, cæteri dijudicent. Qui omnia probanda mandauit, non Auguſtinum, non Hieronymum, non Origenem non vllum hominem excepit, ne Antichriſtum quidem Papam.

1 Theſſa. 5. 1 Cor. 14.

Omnia probate, quod bonum eſt tenete &c.

At Scriptura obſcura indiget explicatione. Dimitte eam vbi obſcura eſt, tene vbi clara eſt. Et quis probauit Patres non eſſe obſcuros? Iterum tuum, videtur, & illorum dicunt? Quid enim faciunt & Patres, quam vt clariſſima & aperiſſima Scripturæ teſtimonia quærant & proferant? Miſeri Chriſtiani, quorum verbum & fides adhuc in hominum gloſis pendet, & eorum elucidationem expectat, Friuola ſunt iſta & impia. Scripturæ omnibus communes ſunt, ſatis apertæ, quantum oportet pro ſalute, ſatis etiam obſcuræ pro contemplatricibus animabus. Quiſque ſuam ſortem in abundantiſſimo & communiſſimo verbo Dei ſequatur, & verba hominum aut repudiemus, aut cum iudicio legamus. Hæc ſatis pro iſta autoritate, & nimio plus quam ſatis.

Tertio.

Rom. 7. INuadit Paulum Rom. 7. Hic Latomus meam ſententiam mihi maxime confirmat, & prodit, quã non ſtudio veritatis, ſed animo deprauãdi & fallendi orbem hunc Librum ſcripſerit, tantum vt ignominiam incendij & iudicij ſacrilegi ſolaretur. Nam quantumlibet ceruicoſus & pertinax,

tamen ita pallidus & trepidus, ſilens cautuſq; incedit per verba Pauli, vt videatur timuiſſe per ſingulos apices, ne hiatus quiſpiam appareret, & miſellum Sophiſtam abſorberet. Poſtquam vero tranſiuit iſta pericula, & in ſuum campum venit, vbi excurſus facit, ibi Patrum dicta conglomerat, ac ſi pro miraculo haberi velit, quod ſedentarius & ocioſus Lector multa aliena conſarcinare & conſarcire poteſt, Fortaſſe ea ſpe & conſilio, quod multitudine me abſterret, ne ſcriberem denuo, cum infiniti ſit voluminis, ad ſingula eius reſpondere, Sed fallet eum ſpes, roboratis enim meis Scripturis, hoc ipſo proſtratus eſt, vt reſponſione ſingulari omnibus non ſit opus. Summa ergo Latomianæ quæſtionis eſt hæc: Ea quæ hic à Paulo dicuntur, nihil aliud facere, quam eſſe infirmitatem baptiſmo reliquam, quæ peccatum vocetur. Nihilominus ſpiritum cum illam rexerit, ſic bonum operari, vt illud non ſit peccatum damnabile cenſendum, nec hominem ideo peccare in bono opere, aut ſeruire peccato.

Summa Latomianæ quæſtionis.

Hic primum vides, Latomum non niſi differre & abducere Lectorem, ac tempus redimere, dum aliam à propoſito tractat quæſtionem. Suſcepit enim quæſtionem de peccato ignoſcibili per miſericordiam, de quo me loqui ipſemet non vno loco teſtatur. Et per omnem & poſt omnem iſtum tumultum teſtimoniorum concludit in hunc modum: Ecce non eſt peccatum damnabile, Cum ſic debuerit concludere: Ecce non eſt peccatum, ne ignoſcibile quidem, nec cui opus ſit miſericordia. Sicut ſi me redargueres, qui riſum veniale peccatum dixiſſem, & poſt effuſam tuam omnem ſaliuam, & ſudore exhauſto, tandem anhelares in me dicens: En riſus non eſt mortale peccatum. Talis eſt diſputatio Elihu aduerſus Iob. Putas autem paruam eſſe partem patientiæ, ferre has nequitias, dolos, & artes eorum, qui Magiſtros orbis terrarum ſe iactant, in re tam ſacra & neceſſaria? Non queror iam eos ignorare, quid ſit peccatum, ſed quod malicioſe ſimulent & negent ſeſe ignorare, & imponant pijs cordibus impudenti mendacio ſuo.

Iob. 18.

SEd fiduciam mihi facit formidoloſus & fugitiuus Sophiſta. Paulum in faciem eius ſtatuam, vt effugere non poſſit, perſequar & comprehendam, nec conuertar donec deficiat. Aut Latomus Paulũ, aut Paulus Latomum occidet, fruſtra præſidijs humanis fidentem. Quæro igitur primum: An mihi, vt Chriſtiano Euangelium profeſſo, liceat appellare peccatũ, quod Apoſtolus Paulus vocat peccatum? Nihil iam diſputo, quid peccatum ſignificet, de hoc poſt videro. Volo ſimpliciter mihi reſpõderi, an iſto Paulino vocabulo mihi liceat vti? Si non licet deleatur Paulus, Si licet, quid tragicis iſtis vocibus in me mugiunt Sophiſtæ, quod opus bonum appellarim peccatum? Nõne ipſis licet, bonum opus vocare imperfectum & infirmum? Quid ergo? Nunquid cogent me, vt verbis eorum vtar? Aut quare nolunt cogi, vt meis & Paulinis verbis vtantur? Ipſi nolunt peccatum appellare. Eſto, Et ego nolo infirmitatem & imperfectionem vocare. At ſancti Patres peccatum interpretati ſunt imperfectionem & infirmitatem. Eſto, quis me coget Patrum verbis vti? quis coget me Pauli verbum delerere? An dicent, quia abſurdum & periculoſum? Hoc iam nõ in me Lutherum, ſed in Paulum & ſpiritum Chriſti vergit.

At tu non vteris peccato vt Paulus, Quis hoc vobis dixit? Collatio Patrum & tui. Quis fecit hanc collationem? Nos. Qui eſtis vos? Quis facit nos certos, vos non errare? An quod Bulla vos approbauit? Iam quis certos vos fecit, Patres recte Pauli verbum tractaſſe? Auditis ne, quid muſſatis? Vides ergo omnia Sophiſtarum adhuc ex ſuo proprio capite procedere; Te vero Latomum Sophiſtarum Ducem ſeorſim conuenio. Cauſa premit humeros tuos, agis enim talem ac tantam, qualem ac quantam nec Cicero nec Demoſthenes egerit, Incendiarios, ſacrilegos, homicidas, læſæ pietatis

Latomus Sophiſtarum dux.

Chriſtianæ

Digitized by Google

Chriſtianæ reos vos coram & Deo & hominibus ago. Tu ergo ne exiſtimes te iam diſputare & ludere. Seria res eſt, quam gerimus.

Scilicet, quia comprehenſi eſtis in ignominia, feſtinaſtis enim ad gloriam in principio, ideo confuſio incipit fieri finis eius, hoc eſt, quod ſic mugitis, tonatis, inſanitis, & auribus obtuſis neminem audire velitis. Sed tantum hoc inſanis clamoribus iactetis, Non eſt peccatum, non eſt peccatum, non eſt peccatum in opere bono. Quidquid ego affero, interpretor, expono, nihil eſt, tantum in vocabulum ſic inſanitis, non alia cauſa, quam quia à vobis damnatū, timetis, per Paulum in confuſionem veſtram reſuſcitandum eſſe, Adeo vt Latomus incredibili impudentia hoc ipſum vocabulum à me poſitum, nullo loco non interpretetur pro mortali & damnabili peccato, quod tamē in Paulo vult infirmitatem tantum ſignificare, mihi quo poteſt atrocius & odioſius interpretatur vbique, oppreſſa ſemper mea interpretatione, etiam confeſſus me de ignoſcibili loqui, volens vt mundus intelligat à me peccatum vocari, quod ipſe vult peccatum videri, honeſtus ille & verax vir. Rurſus in Paulo ſic interpretatur leniter, vt vocabulum prorſus tollat. Quam potens autor Latomus, qui vocabula eleuandi & opprimendi, non pro meritis autorum, ſed pro libidine ſua ius habet. Ego vero tibi promitto & orbi, me non velle vti vocabulo aliter quam Paulus, in quod inuoco nomen Domini, vt mihi reſiſtat, ſi aliter vſus fuero. Quid vis amplius? At vocabulum ipſum volo tenere, & tua Patrumq; vocabula nolo, quod ſcias. Volo, inquam, peccatum dicere, quod vos defectum vel imperfectionem dicitis, nunquid me aliter coges? Nihil moueor veſtro impetuoſiſſimo tumultu, quem non ſine cauſa vos concitare video, nempe ne ſuccumbatis, & inueniamini temere in tanta crimina irruiſſe, ſed hoc antea fuerat præuidendum.

VEniamus igitur ad ſignificationem vocabuli huius, Paulus peccatum vocat id, quod reliquum eſt baptiſmo. Patres non peccatum, ſed infirmitatem & imperfectionem vocant. Hic in biuio ſtamus, Ego Paulum, tu Patres ſequeris, Auguſtinum excipio, quia ille vere vitium & iniquitatem rotundis verbis vocat. *Peccatum.*

Vlterius ad caput diſſenſionis venimus, An tale peccatum, ſeu, vt tu vis, infirmitas natura ſua vel ſola miſericordia ignoſcente, non ſit contra Deum & Legem eius. Nonne hæc eſt ſumma diſputationis noſtræ? Ego pro me habeo Pauli vocabulum, quod quid ſignificet, nemo ignorat, nempe illud quod contra Deum eſt (niſi ignoſcatur) natura ſua. Tu habes, vt videris tibi, Patres, qui aſſerant, non eſſe contra Deum & Legem eius natura. Primum non probas, hoc Patres velle, ſed omnia quæ inducis, facile à me abigentur, ſi dixero, illos loqui de peccato extra miſericordiam poſito. Sic enim veriſſime dicunt, Peccatum illud gratiæ (ſic dixerim animi cauſa) prorſus neminem reum conſtituere, non damnare, non nocere, prorſus nihil commune habere cum peccato extra gratiam. Nonne & ego ſic dico Latome? quid enim ſacrilegij in me eſt, quando in hoc fine conuenimus, vt nihil mali vterq; aſſeramus habere, id ſiue peccati, vt ego, ſiue infirmitatis, vt tu vocas? cur ſic in me inſanis, & atrociter me criminaris, cum non poſſis aliud probare ex Patribus, quam id quod dixi? An quod tuum caput non ſequor, qui ante iudicium me damnaſti & exuſſiſti? Sed temeritate & igne ego non terreor, nec trahor Latome. *Peccatum gratiæ. Peccatum extra gratiam.*

Sed eſto, ſit aliquis Patrum, quem ego nondum viderim, Nam Auguſtinum, Hieronymum, Ambroſium, Gregorium, Bernardum noui, vt fruſtra mihi tot nubes obieceris. Sed ſit aliquis, qui aſſerat iſtud reliquum natura ſua eſſe non contra Deum, neq; contra legē eius, & neget ipſum ſola ignoſcente miſericordia Dei, non eſſe contra Deum & legē eius, vbi talem inueneris (inuenias autem iuxta mulæ fœtum ſpero) quid tum promouiſti? quid effeciſti?

quid

quid viciſti? Quis me certum faciet, Pauli eſſe eum ſenſum? An non licebit, mihi de eius ſenſu dubitare? Non licet mihi ſic muſſitare mecum: Sanctus eſt ille vir, ſed quid ſi homo ſit & humanum hic ſapiat? Quis ſcit, ſi aliud in Apoſtolo lateat, quod ille non videat? præſertim cum Paulus tam libere & aperte peccatum appellet, cum potuiſſet, ſi vellet ſic loqui, vt iſte loquitur. Quis illi ius fecit nobis Legem ſtatuendi & intelligendi? Nemo ex vobis legem facit, dicit Chriſtus. Velis tu Latome cum tuis Sophiſtis has pij cordis cogitationes incendio aut ſuſpendio damnare? Quid ſi non poſſit aliter? & iuſta ſit ibi cauſa, quia in Paulo Deum loqui certus eſt, cuius verba ſunt veneranda nec temeranda, in iſto non eſt certus, Deus an homo loquatur.

QVid hic faciemus? dices, Ad rationem & communem ſenſum eamus. Ago gratias. Liberati ergo ſumus ab omnium hominum autoritate in hac cauſa. Ratio ergo tua erit, quæ ſeſe ex fidei articulo glorietur fluere, nempe, quod credimus in baptiſmo omnium peccatorum remiſſionem donari, ſicut Paulus in multis locis docet. Nam hæc & Patrum tuorum ratio eſt, & mihi placet. Sed quid, quod Paulum iſta ratio nihil mouerit, quin peccatum appellaret reliquum iſtud remiſſionis omnium peccatorum, Patres autẽ mouerit, vt negẽt, vt tu dicis, peccatum. Vos inueniſtis diſtinctionem peccati, vt ſaluaretis iſtam rationem & verbum Pauli, nõ potentes vllo modo iſta duo concordare, & tamen ipſam hanc diſtinctionem nullo loco Scripturæ poteſtis probare, ſed eſt humanum inuentum, vt non potes negare, ſed neceſſarium (vt videtur vobis) propter rationem prædictam, Nonne ita habent? Nonne ego tua intelligo? & nihil contra hæc imprudens aut ignorans poſui, vt te Magiſtro mihi plane nihil fuerit opus.

Remiſſio omnium peccatorum donatur in Baptiſmo.
Peccatum.

Iam ſi ego modum illuſtrante Spiritu inuenero, vt & pietas illæſa maneat articulorum fidei, & Paulus ſimul illæſus, non egens vlla vocabuli ſui Metamorphoſi violenta & inaudita, ſed ſimpliciter, proprie & germane, id quod alias ſignificare poſſit, cum quo & ſatisfiat rationi illi vrgenti vos, ad æquiuocandum vocabulum ſolo iſto loco, id eſt, in Paulo, ac præterea nuſquam in Scriptura, velles mihi tu inuidere? atq; ſi tu nolles amplecti, velles me quoque meo gaudio ſpoliare, quando in rerũ ſumma pulchre conuenniremus? At ego à ſimplicitate verborum Dei non paterer me auelli, quæ ſi ſalua pietate fidei poſſem bono ſenſu intelligere, veſtris humanis inuentis plane cedere nollem.

Dicis autem: Si in ſumma conuenimus, quid prophanas vocũ nouitates ſuſcitas, & non citra ſcandalum nobiſcum communicas? Reſpondeo, quod malo de fonte quam de riuulis bibere, An tu me hoc prohibebis? Duo enim ſunt quæ me mouent. Primum, quod ſcripturas in ſuis *a* verbis puras, ab omni hominum, etiam Sanctorum, contactu mundas, ab omni terreno condimento ſynceras habere volo. Vos enim eſtis, qui prophanas vocum nouitates non vitaſtis, vt Paulus ait, ſed humanis gloſis veſtite, & terrenis condimentis condire voluiſtis ſanctas iſtas delitias Dei. Et anima mea nauſeat, cum Ezechiele, panem comedere ſtercore humano opertum, Scis quid hoc ſignificat? Alterũ, quod verbis iam non ſynceris nec ſyncere myſterium iſtud gratiæ & peccati tractare potueritis, deinde nec intelligere, tandem nec amare, ac ſic frigidi, pallidi, triſtes, ſegnes, in laude & amore Dei facti eſtis. Humanum enim verbum diuino additum, velamẽ eſt veritatis puræ, imo vt iam dixi, ſtercus humanũ eſt, quo operitur, ſicut in Ezechiele figurat Dominus. Manna eſt, quod in vrna aurea ſeruari velit, non in manibus hominum iactari & verſari. *Ezech. 4.*

a viribus.
Humanum verbum diuino additũ.
Manna.

Quis, inquies, ergo tuus eſt iſte modus? Referam, & ſi ſuſpicer, vobis allium & pepones Aegypti anhelantibus, & iamdudum corrupto palato

male

male habentibus,non placiturum. At mihi ſatis fuerit, quod confutare eum vos non poteritis,vos autem reos agere ille poſſit,qui verba Dei torqueatis in eum ſenſum,quem in nullo alio loco habent, Id quam ſit indignum audiri de Chriſtianis,nedum Theologis,nemo non ſentit.

Scriptura diuina peccatum noſtrum tractat duobus modis, vno per Legem Dei,altero per Euangelium Dei. Hæc ſunt duo Teſtamenta Dei ordinata ad ſalutem noſtram,vt à peccato liberemur Lex aliter non tractat peccatum,quam vt ipſum reuelet,ſicut dicit Paulus Rom. 3. Per legem cognitio peccati. Quæ cognitio docet duo,corruptionem naturæ & iram Dei. De priore dicit Rom. 7. Concupiſcentiam neſciebam eſſe peccatum,niſi Lex diceret: Non concupiſces. Nam pruritum illum fœdum natura non dicit peccatum,ſed vſum eius malum,in alieno corpore,vt ſtuprum, adulterium, fornicationem,Ita iram & auaritiam non dictabat peccatum, ſed vſum eius, in furto,fraude,maledicto,cæde,& ſic de alijs. Et haud ſcio,an peccatum in Scripturis vnquam accipiatur pro operibus illis,quæ nos peccata vocamus. Videtur enim ferme radicale illud fermentum ſic vocare quod fructificat mala opera & verba. Nam hoc peccatum proprie reuelat Lex, prius incognitum & mortuum,vt Rom. 5. dicit,quod & viuaciſſime latet ſub ſpecioſis operibus hypocritarum. Nam ſub hoc peccato concludi per Scripturam omnes homines dicit Paulus,licet latere nunquam poſſit,quin fructus ſuos prodat,in vno ſic, in alio ſic. Sed nullum opus malum dare queas,ſub quo omnes homines concludere poſſis,de quo alias plura. De poſteriore dicit Rom. 4. Lex iram operatur,quia dicit Gal. 3. Maledictus omnis, qui non permanet in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro hoc,vt faciat ea. Et Rom. 5. Per peccatum mors. Et 6. Stipendium peccati mors. Hactenus igitur lux Legis nos erudit,& ſub corruptione & ira nos eſſe docens,atq; omnem hominem & mendacem & filium iræ concludens. Atq; corruptionem forte contempſiſſemus,& nobis in malo noſtro placuiſſemus,niſi alterum malum iræ nobis hanc inſaniam non indulgeret,ſed obſiſteret,terrore & periculo mortis & inferni, quo minus pacem in priore malo haberemus. Et plane maius malum nobis eſt ira quam corruptio, quia pœnam plus odimus quam culpam.

Scripturam duobus modis tractare peccatum.
Lex.
Corruptio naturæ.
Roma. 3.
Roma. 7.
Radicale fermentum.
Roma 5.
Rom. 11.
Rom. 4.
Galat. 3.
Roma. 5.
Roma. 6.
Legis officium.

Igitur duplex malum Lex reuelat, Internum & externum. Alterum,quod ipſi nobis irrogauimus,peccatum ſeu corruptionem naturæ, Alterum,quod Deus irrogat,iram,mortem & maledictionem. Eſto,ſi vis,illa duo,culpa & pœna,ſed nimis tenuiter & frigide culpam & pœnam ſub ijs vocabulis tractauimus,neſcio quas relationes & imputationes fingentes. Nos craſſe & plane ſecundum Scripturam peccatum ſeu culpam, ſeu internum malum vniuerſam illam corruptionem naturæ vocamus,in omnibus membris malam & ad malum pronam ab adoleſcentia noſtra,vt Gen. 6. 8. ſcribitur. Et hæc ira tanta eſt,vt ea quæ bona videntur nihil proſint,vt ſunt artes, ingenia,prudentia,fortitudo,continentia, & quidquid naturalium,moralium, ſpeculabilium eſt bonorum,in quibus nullum vitium,omnium hominum communis ſenſus deprehendere poſſit,adeo,vt hodie etiam noſtri Theologi ea inter bona numerent,nihil illis mali tribuentes,quam quod extra gratiam facta regnum cœlorum non mereantur, Rurſum tamen nec infernum nec pœnam mereantur,parati plane aſſerere,ea cœlum etiam mereri poſſe, niſi quendam auditum de gratia neceſſaria concepiſſent, Non enim deeſſe eis quidquam putant, quod Lex requirat, ſed quod gratia exigat, Legi ſatisfactum docent,ſed non Euangelio.

Lex duplex malum reuelat.
Culpa.
Pœna.
Internum malum.
Gen. 6. 8.

Addunt deniq; tanta eſſe hæc bona, vt gratiam mereantur de congruo & infallibiliter, & ſic plena bona fiant,ſi non proprio merito, tamen

per

per proprium meritum. Accedit his, quod Deus ipſe hæc non negat eſſe bona,
ſicut reuera negari non poſſunt, ſed rennmerat & ornat temporalibus benefi-
cijs, vt Regnis, opibus, gloria, fama, dignitate, honore, voluptate, & ijs ſimili-
Naturali cæcitas ignorat vere bona. bus. Ita vt non modo ſpeciei propriæ, ſed & retributionis diuinæ operculum
accedat naturali cæcitati, quæ ignorat vere bona, vt ſecure iſta & pertinaciſſi-
me bona eſſe contendat, ſuper qua re potiſſimum Propheti, laborauit, & om-
nes Prophetæ occiſi ſunt, quod hęc carperent & veriora bona exigerent. Pro-
phetia enim nihil allud quam expolitio, & (vt ſic dixerim) praxis & applicatio
Legis fuit, ſeu quod dicitur in Syllogiſmis, ſubſumptio, quæ vt quodlibet opus
bonum incideret, pronunciaret, an vere maleue bonum eſſet. Hinc multa le-
gimus reprobari in Libris antiquis, quæ obſtupeſcimus. Hinc prohibuit Deus,
ne ſuum ſenſum ſequerentur, ſed vocem eius audirent. Ideo eis ſemper pro-
uidit Prophetas, qui Legem practicarent in his bonis (vt ſic dixerim) velut in
Lex docet peccati cognitionem. Exemplis monſtrando, quid eſſet Lex.

Sola igitur Lex oſtendit, non quidem eſſe iſta mala per ſe, cum
ſint dona Dei, ſed eſſe in malo viu, propter radicale illud peccatum occultiſſi-
mum, quo in illis confidebant, placebant, gloriabantur inſenſibili malo, ſicut
& nunc & ſemper facit hoc intimum peccati malum, cum in ſolo Deo fiden-
dum, placendum & gloriandum ſit, ſicut Iere. 9. dicit, Non glorietur ſapiens
Bona Dei gratuito diſperſa, etiam in malos. in ſapientia ſua, nec fortis in fortitudine ſua, nec diues in diuitijs ſuis. Omnia *Ieremiæ. 9.*
enim hæc ſunt bona, diſperſa gratuito in malos frequentius quam in bonos.
Ita vt Pſal. 73. ſeſe periclitari ob hoc queratur, & pene effundi greſſus ſuos. Sed
omnia ſunt (vt dixi) ſub ira & maledicto concluſa, nec quidquam proſunt, & *Pſalm. 73.*
adeo non parant de congruo ad gratiam, vt magis incraſſent cor, ne gratiam
deſideret aut neceſſariam ſentiat. Sicut dicit Pſal. 109. Coagulatum eſt ſicut
lac cor eorum. Melius Ebr. Incraſſatum eſt ſicut adeps cor eorum. Hic popu-
lus proprie in Scripturis arguitur impietatis, incrudelitatis, duræ ceruicis, quod
indomitum ſenſum in iſtis ſpecioſis bonis humiliare non poſſent, nec Legem
nec peccatum ſuum in illis agnoſcere, ſemper arbitrati, ſeſe obſequium in his
præſtare Deo, præ omnibus alijs vere iuſtis. His fruſtra prædicatur, hi viri ſan-
guinum & doli. Summa, Lex illis eſt impleta, nec indigent gratia (vt dixi) niſi
Velatus Moſes. ex quodam ſuperfluo exactionis diuinæ. His eſt velatus Moſes, nec ferunt fa-
ciem eius cornutam, mali eſſe in tanta ſapientia, bonitate, iuſticia, religione
non volunt, nec ſe eſſe cognoſcere poſſunt, quia non audiunt. Vides ergo quã
Lex excedit naturalem rationem incomparabiliter. excedat Lex naturalem rationem imcomparabiliter, & quam profundum ſit
peccatum, cuius cognitionem docet Lex, Hi ergo omnes ſub ira, quia omnes
in peccato.

EVangelium contra ſic tractat peccatum, vt ipſum tollat, & ſic
pulcherrime Legem ſequitur. Lex enim introduxit & nos obruit peccato,
per cognitionem eius, quo fecit, vt ab illo liberari peteremus & gratiam
Euangelium duo docet, iuſticiam & gratiam Dei. ſuſpiraremus. Nam Euangelium etiam duo prædicat & docet, Iuſticiam &
gratiam Dei. Per iuſticiam ſanat corruptionem naturæ, Iuſticiam vero quæ
Iuſticia peccato contraria. ſit donum Dei, fides ſcilicet Chriſti, ſicut Rom. 3. dicit, Nunc autem ſine lege *Roma 3.*
manifeſtata eſt iuſticia Dei. Et iterum Rom. 5. Iuſtificati gratis ex fide, pacem *Roma 5.*
habemus &c. Et 3. Arbitramur enim hominem iuſtificari ex fide. Et hæc iuſti-
cia peccato contraria in Scripturis ferme pro intima radice accipitur, cuius
Fidei comes gratia. fructus ſunt bona opera. Huic fidei & iuſticiæ comes eſt gratia ſeu miſericor-
dia fauor Dei, contra iram, quæ peccati comes eſt, Vt omnis qui credit in
Chriſtum, habeat Deum propitium. Nam nec nos in bono iſto iuſticiæ ſatis
Gratia. læti eſſemus, nec magnifaceremus eius hoc donum, ſi ſolum eſſet, & non gra-
tiam Dei nobis conciliaret, Gratiam accipio hic proprie pro fauore Dei, ſicut
debet, non pro qualitate animi, vt noſtri Recentiores docuerunt, Atq; hæc
gratia

Digitized by Google

gratia tandem vere pacem cordis operatur, vt homo à corruptione ſua ſana- *Gratia cordis pa-*
tus, etiam propicium Deum habere ſe ſentiat. Hoc eſt quod impinguat oſſa, *cem operatur.*
& conſcientiam reddit lætam, ſecuram, imperterritam, nihil non audentem,
nihil non potentem, vt quæ mortem etiam rideat, in fiducia iſta gratiæ Dei.

Proinde ſicut ira maius malum eſt, quam corruptio peccati, ita gratia *Ira Dei.*
maius bonum quam ſanitas iuſticiæ, quam ex fide eſſe diximus. Nemo enim,
(ſi poſſet fieri) non mallet carere ſanitate iuſticiæ, quam gratia Dei. Nam re-
miſſio peccatorum & pax proprie tribuitur gratiæ Dei, ſed fidei tribuitur ſani-
tas corruptionis. Quia fides eſt donum & bonum internum oppoſitum pec- *Corruptio naturæ.*
Matth.13. cato, quod expurgat, & fermentum illud Euangelicum in tribus farinæ ſatis *Gratia.* *Sanitas iuſticiæ.*
abſconditum. At gratia Dei eſt externum bonum, fauor Dei, oppoſita iræ. *Fides.*
Rom.5. Hæc duo ſic Rom. 5. diſtinguit: Si enim vnius delicto mortui multi ſunt, mul- *Gratia Dei.*
to magis gratia Dei & donum in gratia vnius hominis Ieſu Chriſti in plures *Donum in gratia.*
abundauit. Donum in gratia vnius hominis, fidem Chriſti vocat (quam & ſæ-
pius donum vocat) quæ nobis data eſt in gratia Chriſti, id eſt, quia ille ſolus
gratus & acceptus inter omnes homines, propitium & clementem Deum ha-
beret, vt nobis hoc donum & etiam hanc gratiam mereretur.

Iohan.1. Iohan. 1. Iohannes Baptiſta ſic: Lex per Moſen data eſt, gratia *Lex per Moſen*
vero & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. Et ſupra, Plenum gratia & veri- *data &c.*
tate. Ita veritas ex Chriſto in nos fluens fides eſt, gratia fidem comitatur ob
gratiam Chriſti, ſicut ibidem præmiſit, De plenitudine eius omnes accepimus,
gratiam pro gratia. Quam gratiam, pro qua gratia? gratiam noſtram, vt nobis *Gratia pro gratia.*
faueret Deus, pro gratia Chriſti, qua illi fauet Deus. Quia, inquit, Lex per Mo- *Duo bon. Euan-*
ſen data, ſed gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. Habemus ergo *gelij aduerſus duo* *mala Legis.*
duo bona Euangelij aduerſus duo mala Legis, Donum pro peccato, gratiam
pro ira. Iam ſequitur, quod illa duo, ira & gratia, ſic ſe habent (cum ſint extra
nos) vt in totum effundantur, vt qui ſub ira eſt, totus ſub tota ira eſt, qui ſub
gratia, totus ſub tota gratia eſt, quia ira & gratia perſonas reſpiciunt. Quem
enim Deus in gratiam recipit, totum recipit, & cui fauet, in totum fauet. Rur-
ſus, cui iraſcitur, in totum iraſcitur. Non enim partitur hanc gratiam, ſicut
dona partitur, nec diligit caput & odit pedes, nec fauet animæ & odit corpus.
Et tamen donat animæ, quod non donat corpori, donat capiti, quod non do-
Roma.5. nat pedibus. Sic & in tota Eccleſia, quæ in eadem gratia Dei ſtat, vt Rom. 5 di-
cit: Per quem habemus acceſſum in gratiam iſtam, in qua ſtamus &c. Diuer-
ſus & multiformis eſt in donis ſuis. Ita econtra, cui non fauet, toto non fauet,
& tamen non totum punit, Imo iſte vno peccato vnius membri, ſub ira totus
manet, & hic vno dono vnius operis ſub gratia totus manet, vt longe, ſicut di-
Roma.6. xi, gratia à donis ſecernenda ſit, cum ſola gratia ſit vita æterna, Rom. 6. Et ſo-
la ira ſit mors æterna.

VEniamus tandem ad inſtitutum. Iuſtus & fidelis abſq; dubio
habet gratiam & donum, Gratiam, quæ eum totum gratificet, vt perſona *Gratia.*
prorſus accepta ſit, & nullus iræ locus in eo ſit amplius. Donum vero, *Donum.*
quod eum ſanet à peccato & tota corruptione ſua animi & corporis. Impijſſi-
mum ergo eſt dicere, baptiſatum eſſe adhuc in peccatis, aut non eſſe omnia
peccata pleniſſime remiſſa. Quid enim ibi peccati, vbi Deus fauet, & nullum
noſſe vult peccatum, totuſq; totum acceptat & ſanctificat? Sed hoc non eſt
referendum ad noſtram puritatem, vt vides, ſed ad ſolam gratiam fauentis
Dei. Remiſſa ſunt omnia per gratiam, ſed nondum omnia ſanata per donum.
Donum etiam infuſum eſt, fermentum mixtum eſt, laborat, vt peccatum ex-
purget, quod iam perſonæ indultum eſt, & hoſpitem malum extrudat, cui li-
centia facta eſt eijciendi. Interim dum hæc aguntur, peccatum dicitur & eſt

Peccatum mortuum. vere natura ſua, ſed iam peccatum ſine ira, ſine lege, peccatum mortuum, peccatum innoxium, modo in gratia & dono eius perſeucres. Nihil differt peccatum à ſeipſo, ſecundum naturam ſuam, ante gratiam & poſt gratiam, differt vero à ſui tractatu. Aliter enim nunc tractatur quam antea. Quomodo antea tractabatur? vt eſſet & cognoſceretur, & obrueret nos, Nunc tractarur, vt non ſit & eijciatur. At non ob hoc, non eſt vere & naturaliter peccatum. Quin ingratitudo & iniuria eſt gratiæ & doni Dei, negare ipſum vere eſſe peccatum. Gratia quidem nullum ibi peccatum habet, quia perſona tota placet. Donum autem peccatum habet, quod expurget & expugnet, ſed & perſona non placet nec habet gratiam, niſi ob donum hoc modo peccatum expurgare laborans. Deus non fictos, ſed veros peccatores ſalnos facit, non fictum, ſed verum peccatum mortificare docet.

Ecce iſtum modum intelligendi & loquendi ſimplicem & paulinum ego quæro & volo habere in tractatu peccati & gratiæ. Hic purus & ſyncerus, prorſus ſine vlla difficultate capitur, nullis diſtinctionibus indiget, & miro modo blandus apertusque eſt, & totam Scripturam aperit. *Peccatum apud Paulum.* Non eſt hic neceſſe dicere, Peccatum apud Paulum pro infirmitate capi, imo neceſſe eſt pro vero peccato capi, quo gratia & donum Dei pure & vere commendentur. Quod ſi quis neget, vere peccatum eſſe, hic donum Dei blaſphemat & ingratus eſt. Ita dico & doceo, vt omnis homo in omni opere ſuo ſciat ſe tantum habere de peccato, quantum in ipſo nondum eſt eiectum peccatum, qualis arbor talis fructus, Ne glorietur coram Deo de mundicia ſua in ſeipſo, Glorietur autem in gratia & dono Dei, quod fauentem Deum habet, qui hoc peccatum non imputat, Inſuper donum dedit, quo expurget. Veritatem ergo confiteatur, quod ſi ſecundum naturã operis, citra gratiam, iudicandus eſſet, non poſſet ſubſiſtere ante faciem eius, Nunc, quia in gratia nititur, nihil eſt quod eum accuſare poteſt. An ſunt hæc tam obſcurã, vt Sophiſtarũ immenſa illa volumina de peccato & gratia congeſta? An non iam Pauli verbum & pietas fidei & ratio illa quæ cogere videbatur, vt peccatum pro pœna caperetur, pulchre conueniunt? Quid facilius dicere, quam peccatum tractari aut Lege aut Euangelio? Si lege ſola tractes, mors & ira eſt, ſi ſolo Euangelio, gratia & vita eſt, manet tamen ſub vtroq; vere & naturaliter peccatum. Quocirca Patrum autoritates, qui negant peccatum eſſe in iuſto, omnes intelligendæ ſunt, ſecundum gratiam, ſed non ſecundum naturam peccati, vel Legem, Chriſtus enim nos liberauit, vt iam non ſimus ſub Lege, ſed ſub gratia.

AT dices: Patres S, peccatum negant, nec tu probas hoc modo peccatum hic accipiendum, Reſpondeo: Primum nihil impium & alienum tamen à fide ſapio & doceo. Nonne admittis? Et probabo latius. *In fide nihil aſſerendum ſine Scripturæ exemplo.* Deinde hoc probo, quod peccatum in Scripturis accipitur vbiq; vt ego accipio, ideo efficaciter probo, ſic accipiendum eſſe, cum ſine Scripturæ exemplo nihil ſit in fide aſſerendum. Deinde, dupliciter tu nihil probas, primum non probas, Patres negare peccatum, ſic accipiendum eſſe, aut accipi poſſe, vt ego capio, quia etſi infirmitatem appellent & peccatum negent, hoc facere videri poſſunt, reſpiciendo non naturam peccati, ſed gratiam Dei, nec habes quod hic opponas, Iam ſi etiam ex animo negent ſecundum naturam eſſe peccatum, non tamen probant, nec eſt articulus fidei, quod ipſi ſentiunt aut dicunt, imo periculoſe dicunt, dum ſine exemplo Scripturæ dicunt.

Reatum. Sic, quod peccatum ſignificet reatum tantum, nec probas ipſos velle, nec ipſi probant ita eſſe debere. Vos inueniſtis hoc obſcuriſſimum verbum, reatus, quod peccatum formaliter vultis ſignificare, ſcilicet Scriptura ſimplicior

Digitized by Google

ſplicior eſt,nihil nisi corruptionem & iram facili & aperto ſermone habet. Ita quod remiſſio omnium peccatorum,abſolutionem peccatorum,& quæcunque tandem de baptiſmi gloria, non immerito dicunt, non probas idem eſſe, quod nullum peccatum natura relinqui,nec ipſi idem probant.Sed omnibus *1. Pet.2. Gal.5.* obſtat Paulus,ſed & Petrus,quorum hic carnalia deſideria militare aduerſus animam,ille peccatum in corpore mortali concupiſcere aduerſus Spiritum dicit,coguntq; Patrum dicta ad gratiam baptiſato fauentem,donumq; peccati aduerſarium,non ad naturam peccati aut legem ſpectare.Et ſic omnia, Latome,ſunt tua inania & confutata,diſperſa ſicut puluis ante faciem venti. Cum ergo huic ſententiæ meæ faueat pietas,conſentiant verba ſcripturæ,ſitq; in ea ſimplicitas,ſynceritasq; tam verborum,quam rerum,nolo mihi auferri vocabulum peccati,in omnibus hominibus omnibuſq; operibus eorum in hac vita,etiamſi confitear,nihil eos habere peccati aut mali operis ſecundum gratiam Dei.Qui me ſequi nolet,omittat & ſequatur alia,ſed ſua ſciat humanis niti,mea diuinis teſtimonijs.Non patiar,vt plus Auguſtino credatur Apoſtolum gloſanti,quam ipſi Apoſtolo toties peccatum iteranti.

Videamus nunc congruentias Scripturæ in hanc ſententiam, Chriſtus Luc.vlt.pœnitentiam & remiſſionem prædicari dicit,in nomine eius.Cur non ſatis erat remiſſio peccatorum? Nonne huc congruit, quod pœnitentia eſt immutatio corruptionis,& renouatio de peccato aſſidua, *Pœnitentia.* quam operatur fides,donum Dei,& remiſſio? Gratiæ donum eſt,vt non ſit ibi peccatum iræ.Nec enim prædicari docet pœnitentiam illam fictitiam Sophiſtarum,quæ ad horam durat.Quam diu prædicatur,quam diu viuitur, pœnitendum & nouandum eſt,vt peccatum expellatur.Nunquid potes ſic aptare *Baptiſtæ concio.* iſta duo,infirmitati & pœnæ? quis de infirmitate pœniteat? quis pœnam innouet? Idem facit verbum Iohannis Baptiſtæ à Chriſto repetitum: Pœnitentiam agite,appropinquat regnum cœlorum,Quid hoc eſt,niſi mutare vitam, quod fides facit peccatum expurgans,& ſub Dei regno eſſe, quod gratia facit remittens? Nam hos fructus dignos vocat Iohannes,ſi peccatum expurgetur, *Fructus digni pœnitentia.* & non opera externa ſimulentur.Huc tam pulchre congruit parabola Mat.13, de fermento & farinæ ſatis tribus,vt nihil aptius poſſit,Non ſic autem congru- *Parabola de fermento, Math.13.* it,ſi infirmitatem & pœnam appelles peccatum, imo iam tenebras offudiſti *Parabola de ſemiuiuo, Luc.10.* his vocibus,vt Parabolam non videas nec ſapias. Huc & parabola de ſemiuiuo à Samaritano curato,toto & primo loco pertinet,qui non ſimul ſanatus, ſimul tamen ſuſceptus eſt curari,Leuita & Sacerdote Legis miniſtris videntibus eum,ſed non iuuantibus. Lex peccatum (vt dixi) cognoſcere facit, ſed Chriſtus per fidem ſanat,& in gratiam Dei reducit.

Iohan.13. Iohan.15. Huc illud Ioh.13.Qui lotus eſt,mundus eſt totus,nempe per gratiam, & tamen lauat per fidem operantem pedes peccati reliqui.Huc,quod nos palmites in Chriſto,qui eſt vitis,cum fructificemus vt mundi per omnia, tamen Agricola cœleſtis mundum purgat, vt fructuum plus afferat.

Nihil horum potes ad pœnas & infirmitates aptare,ſtatim enim perit lauandi,purgandi,curandi ſenſus,niſi quod vaga venialia huc poſſis trahere.Sed ſuperficialis ille eſt ſenſus,folia perſcindit,radicem non exſcindit.Et ſicut ſimilitudo habet à Latomo inducta,ſimilis eſt iſte modus curandi, radendi capillos,vbi denuo renaſcuntur.Non ſic donum Dei,quod radices mortificare *Donum Dei.* laborat,& non actus,ſed ipſam perſonã purgat,vt venialia illa ceſſent,aut certe minus pullulent,Fruſtra venialibus reſiſtis,niſi peccatum illud fomitis extinguas,vnde illa pullulant,Peccatum ſemper concupiſcit,ſed concupiſcentiæ eius reſiſtis,ſi non tantũ motibus eius reſiſtis,ſed ipſũ quoq; iugulas, quod ſit per donũ fidei mortificantis, crucifigentis,& paſſionibus varijs exercentis

veterem iſtum peccati hominem, vt Apoſtolus vocat. Huc quadrat & illa figura, quam ſupra poſui, Quod filij Iſrael poſſeſſa terra Canaan, reliquias Amorræorum, Iebuſæorum, Cananæorum non deleuerunt. Non erant alterius naturæ reliquiæ iſtæ, quam ipſæ gentes. At noſtri iſti infirmitatem & pœnã etiam non malam, imo vtilem & ferendam docent, quaſi non ſit expurganda.

Reliquiæ gentium in terra promiſſionis.

COncludo ergo, quando Paulus Rom. 6. Peccatum in mortali corpore, peccatum non dominari, corpus peccati deſtrui, Rom. 8. à lege peccati liberati. Rom. 7. peccatum operari, peccatum repugnare, peccatum captiuare, ſeruire legi peccati, 1. Cor. 7. Incontinentiam, 1. Cor. 5. fermentum vetus maliciæ & nequiciæ, Ephe. 4. veterem hominem, Col. 3. Iram, libidinem, auaritiam, Ebræ. 12. circumſtans peccatum, Breuiter, nuſquam non peccati & vitij nomine appellet, atq; ſi ſemel tantum appellaſſet peccatum, nulli Angelorum cederem. Nunc cum tot locis idem conſtanter aſſerat, qui ſunt illi homines, vt eorum gloſas in textum, eraſis Pauli verbis, me cogant reponere? Nolo eorum ſententias, peccatum ineſſe nobis dico, & in omnibus operibus noſtris, cum fiducia, quã diu hic ſumus. Si ergo Louanienſes mei me ante audiſſent, & plus in verba Dei quam hominum intendiſſent, vtiq; veritatem purius cognouiſſent, quæ eos à tam immani blaſphemia, ſacrilegio, crimine, ſcelere præſeruaſſet, vt verbum Pauli tam temere non exurerent. Sed & adhuc eis offero optionem, vt reſipiſcant, errorem agnoſcant, dent gloriam Deo, confiteantur ſuas inſantas, quas nulla ratione tueri poſſunt, & ecce ignota ſint eis omnia. Libentiſſime enim communicabo illis, nec memor ero malorum vnquam, ſicut nolo meorum eſſe Deum memorem. Quod ſi perſtent, quod execror, certe anathema eos habebo. Dominus viderit, an mea Excommunicatio pluris minoriſue ſit, quam inſulſæ, ſanguinariæ, ſacrilegæ, breuiter, Papa & Roma digniſſimæ Bullæ, Amen. Ex iſtis credo, nunc ſatis aſſerta, defenſa & munita omnia, quæ ad hunc Articulum adduxi in Reſolutione mea, quam Latomus oppugnat, & Latomi omnia eſſe nihil, quam ignorantias Scripturæ, tum meras præſumptiones & petitiones principij.

Roma. 6. Roma. 8. 1. Cor. 7. 1. Cor. 5. Epheſ. 4. Coloſſ. 3. Ebr. 12.

Peccatum ineſſe nobis &c.

VNum adijciam, vt ratione & experientia cauſam iſtam iuuẽ, Cum Sophiſtis diſputo. Veniamus de Regula ad exemplum, ne ſimus Stoici, qui ſapientem eum definierunt, quem nunquã viderunt, Qualẽ Oratorem Quintilianus quoq; format. Quæro, an vllum hominem dare audeant, qui poſſit de vno ſuo opere bono dicere, Hoc eſt ſine peccato, etiam eo modo, quo ipſi de peccato loquuntur. Ego non credo ipſoſmet aut vllum hominẽ hoc auſurum de ſuo opere ſentire. Si negant vllum poſſe, Quid ergo, me criminantur tam immaniter, cum ipſi idem ſentiant, imo magis, quã ego, dicant? Ego enim de veniali peccato non dixi. Iam quæ eſt abſurditas, in omni opere bono ponere peccatum, cum ipſi fateantur in plurimis certo eſſe peccatum, & in paucis non eſſe peccatum, etiam dum ſine exemplo ſecundũ Regulam ſolam loquuntur. Si non eſt abſurdum in vno aut multis, quomodo abſurdum aut impoſſibile in omnibus? Sumus ergo ne pulchri Doctores, qui regulã docemus ſine exemplo? Sed dicent: Incertũ eſt, cuius opus bonum ſit ſine peccato, tamen ſine peccato eſſe non dubitamus. Quid ergo facimus? ducimus homines in incertum cum noſtris doctrinis? An hoc non eſt abſurdũ, docere in Eccleſia incerta? Quando ergo erit pax in cordibus noſtris? Quid interim faciet? an orabit pro venia peccati in bono opere, aut iactabit illud coram Deo? Periculum eſt ſi peccatũ eſt, & veniam non petit. Rurſus periculum, ſi veniam petit, vbi non eſt aut non eſſe putat culpam. Mentietur n. & orabit pro eo, pro quo non orandum ſentit, & hoc ipſo confitebitur opus venia dignum, & faciet ei iniuriam. Suſpendet in dubium? ergo etiam incerta orare oportet

Regula ſine exemplo.

non

non tantum operari? Gratias vobis, Magiſtri noſtri, qui nihil niſi incertum nobis relinquitis, nec hoc quidem certum facitis, an ſint incerta omnia.

Sed faceſſant iſta. Exemplum huius regulæ, Opus bonum eſt ſine peccato, plane deeſt in hac vita, quia Paulus (vt diximus) non audet hoc aſſerere de ſuis
1. Cor. 4. operibus, Nihil mihi, inquiens, conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum. Certos autem nos eſſe oportet, Ideo Deus in gratia ſua nobis prouidit hominem, in quo confideremus, & non in opera noſtra. Nam quamuis per donum fidei nos iuſtificarit, & per gratiam ſuam nobis factus ſit propicius, tamen ne vagaremur in nobis ipſis, & in his donis ſuis, voluit vt in Chriſtum niteremur, vt nec iuſticia illa cœpta nobis ſatis ſit, niſi in Chriſti iuſticia hæreat, & ex ipſo fluat, *Chriſti iuſticia certa & perpetua.* Ne quis inſipiens, ſemel accepto dono, iam ſatur & ſecurus ſibi videatur, ſed in illum nos rapi de die in diem magis voluit, non in acceptis conſiſtere, ſed in Chriſtum plane transformari. Illius enim iuſticia certa, & perpetua eſt, ibi non eſt nutare, ibi non eſt deficere, ipſe Dominus omnium.

Ideo Paulus mira diligentia quoties fidem Chriſti prædicat, ſic prædicat, vt non tantum per illum aut ab illo ſit iuſticia, ſed etiam in illum, vt nos in ipſum referat & transformet, & velut in abiconſum ponat, donec tranſeat ira.
Rom. 5. Sic Roma. 5. Iuſtificati ex fide pacem habemus ad Deum, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Ecce fides non ſatis, ſed fides, quæ ſe ſub alas Chriſti recondat, & in illius iuſticia glorietur, *Fides in iuſticia Chriſti gloriatur.* & iterum: Per quem habemus acceſſum ad Deum per fidem in gratiam iſtam. Iterum fidem ſic docet, vt eam ſub alas
Coloſſ. 1. Chriſti proijciat. & Coloſſ. 1. Et per eum placuit reconciliari omnia in ipſum. Ecce per eum in ipſum. Et vltra, Pacificans per ſanguinem crucis eius, per ipſum. Ecce per ſanguinem crucis eius per ipſum. Quid iſtis vult Apoſtolus, niſi quod non ſatis eſt illa fides vaga Sophiſtarum, quæ accepto dono putatur operari? *Fides Sophiſtarum vaga &c.* Sed ea demum fides eſt, quæ te pullaſtrum, Chriſtum gallinam facit, vt ſub pennis eius ſperes. Nam ſalus in pennis eius, ait Malachias, vt ſcilicet non in fide accepta nitaris. Hoc eſt enim fornicari, ſed fidem eſſe ſcias, ſi ei adhæſeris, de ipſo præſumpſeris, quod tibi ſanctus iuſtusq; ſit. Ecce hæc fides eſt donum Dei, quæ gratiam Dei nobis obtinet, & peccatum illud expurgat, & ſaluos certoſq; facit, non noſtris ſed Chriſti operibus, vt ſubſiſtere & permanere in æternum poſſimus, ſicut ſcriptum eſt; Iuſticia eius manet in ſeculum ſeculi.

Dices autem: Videmini verbi controuerſia torqueri, quando in ſumma conuenitis, neutri aſſerentes, damnabile eſſe illud reliquum baptiſmi, ſiue peccatum ſit, ſiue pœna. Reſpondeo, de fine concordamus, eſſe ſcilicet innoxium, ſed nequaquam de cauſa ipſa. Nam ipſi naturæ tribuunt quod gratiæ Dei eſt, quod ferendum non eſt. Deinde ſecutos faciunt homines, ne peccatum expurgent. *Incommoda orta ex Scholaſticorum doctrina.* Minuunt etiam myſterij Chriſti notitiam, per hoc & laudem & amorem Dei, dum non conſiderant effuſiſſimæ gratiæ bonitatem ſuper peccatores expanſam, ſed innocentem naturam faciunt, atq; ſi nihil aliud obſtaret, ſine Scripturis loquuntur, tum Scripturæ ſynceritatem ſine cauſa perdunt, & intelligentiam rerum obſcurant. Quo fit, vt amiſſa ſimplicitate ſua ſcandalum fiat, quod nos ab ipſa longius ducat, ſicut contigit, cum primo admiſimus hominum gloſas tanquam pias & lucidiores, quam ſit Scriptura, tandem & huius gloſæ aliam gloſam, vt iam non ſit modus gloſas gloſarum augendi, & nos in confuſionem verborum confuſiſſimam trahendi, donec prorſus nihil Chriſtianarum rerum amplius noſceremus, & iam gentiles inſanias noſtris pares & vtiles arbitraremur.

Iſta ſcandala & Excelſa tollenda ſunt, & viæ Sion, quæ diu ſatis luxerunt, aliquando terendæ iterum, ac puro nos tritico ſimplicis & ſynceræ Scri-

pturæ paſcendi. Vides enim & hic Latomum omnia gloſis hominum incerta facere, præter ea, quæ ſunt hominum & Philoſophorum, adeo vt & hunc locum Pauli dupliciter exponere licere putet, de homine ſub lege, vel de homine ſub gratia. At hoc eſt nihil docere, ſed animas confundere. Negandi & reprobandi prorſus ſunt, qui Paulum hic de homine ſub lege loqui affirmāt,
Delector lege Dei. cum verba ſatis ſunt aperta & clara; quod delectetur in lege Dei, & ſeruiat mente legi Dei, quod nulli impio poteſt quadrare, qui totis viribus repugnat legi Dei, ſicut capite 3. & 5. docuerat. Meum conſilium ſit, qui ſacras literas *Rom. 3. 5.*
non poteſt certo ſenſu tenere, eas dimittat. Tutius eſt eum Laicis ignorare eas, quam incertas habere. Incredibile eſt, quantas moleſtias Satan per eas faciat morituro, ſi ambiguas habeat, vt Sophiſtas in hoc ſuſcitatos putem à diabolo, vt eas incertas faciant æquiuocationibus & ludibrijs ſuis.

Quærimus igitur hîc: Vbi eſt ille teſtimoniorum ponderator, qui rationem reddere voluit pro Louanienſibus Magiſtralibus noſtris? Nonne ipſe nihil certi aſſerit? Nonne ſolum hoc agit, vt Lutheri ſententia ſit contra ſuam dubiam ſententiam? At illi qui damnauerunt & exuſſerunt, alij fuerunt, nempe qui voluerunt ſuam aſſertam & infallibilem ſententiam eſſe, vt non ſolum poſſit, ſed debeat quoque ſic dici. Et pro his miſeris nihil loquitur Latomus, cum pro ijs ſolis loqui promiſerit, adeo fidens, vt pudendum iactarit, in re tam certa rationem petere. Sed, vt dixi, non ſuæ rationi, ſed Bullæ nixi ſunt, vt auderent prodire, nec aliud prodeuntes quærebant, quam, vt Scripturas lacerarent & os orbi oblinerent cum ſuo, Poteſt ſic dici. Si autem ſic etiam de furore ſuo ſenſiſſent & dixiſſent, Poteſt ſic damnari & exuri, ſed nondum dicimus, quod debeat & oporteat ſic damnari & exuri, reſponderet opus eorum verbis eorum. Nunc quales declarent ſeipſos, quis nō videt? qui hoc pro certo damnarint, de quo hodie quoque incertos eſſe ſeipſos confitentur. Nam etſi S. Patres quandoq; dubitent & varient in Scripturarum ſenſibus, nunquā tamen furorem hunc addiderunt, vt aſſererent, alienaq; damnarent & exurerent. Igitur ratio illa nondum prodit, quæ promittitur per iſtum ponderatorem. Nam vt Lutherum & ſententiam eius eludat, ſuam tamen non probat, nec meam improbat, ſed vtranq; incertam facit, cum vtraq; ab eo inducta expoſitio eſſe vera non poſſit. Quare concludo, Magiſtros noſtrales cum me damnarent, fuiſſe inſanos, & qui neſcirent quid facerent. Teſtis eſt Latomus eorum Patronus, qui ideo hunc Librum ſcripſit, ne orbem hoc diutius lateret.

Repugnare Legi. CVm ego dixiſſem, repugnare Legi, aliud non eſſe quam peccare, Non agere bonum eſſe contra Legem. Reſpondet, Quod Auguſtinus audeat aſſerere, non eſſe peccatum, niſi conſentiatur. Tum ipſe addit, Et nihil damnationis in eis eſſe, quia non peccant. Vide nequitioſum Sophiſtam, vt omnia deprauet. Quis non videt Auguſtinum hic loqui de mortali peccato, quod fit conſenſu in concupiſcentias peccati, non tamen negat iſtos motus eſſe venialia peccata. Adhuc Latomus hoc contra Lutherum eſſe fingit, non quod ignoret me loqui de peccato non mortali ſeu damnationis, ſed quod malitia agitatus optet mea ſic intelligi. Iam quam Latomiana Dialectica, nihil damnationis, quia non peccant, Ergo ex oppoſito conſequentis oppoſitum antecedentis ſequitur. Venialiter peccantes peccant, ergo nonnihil damnationis eſt illis. Hoc eſt Apoſtolum Paulum Louanialiter interpretari. Peccatum veniale ſine damnatione aſſerunt, meum autem illud peccatum damnationis faciunt.

Nec dignantur meminiſſe, quam crebro ego quoque illud induxerim,
Nihil eſt damnationis in ijs, qui ſunt Ieſu Chriſti. quod Paulus ait, Nihil eſſe damnationis, licet nonnihil ſit peccati, quia tot de *Rom. 8.*
peccato præmiſerat, Sed ideo nihil eſt damnationis, non quia non ſit ibi peccatum, vt Latomus mentitur, ſed quia ſunt in Chriſto Ieſu, dicit Paulus, id eſt,

pulla-

pullaſtri ſub gallina & ſub vmbra iuſticiæ illius pauſant,ſeu vt Roma. 5. cla-
Rom. 5. rius dicit,Gratiam & donum in gratia illius habent. Deinde non ambulant
ſecundum peccatum ſeu carnem peccati,id eſt, non conſentiunt peccato,
quod reuera habent. Deus enim eis prouidit duo robuſtiſſima munitiſſimaq;
firmamenta,ne hoc peccatum eis ſit in damnationem, Primum ipſum Chri-
Rom. 3. ſtum propitiatorium(vt Rom. 3.)vt ſub huius gratia tuti ſint,non quia credũt
& fidem aut donum habent,ſed quia in gratia Chriſti habent. Nullius n. fides *Fides vera non pa-*
ſubſiſteret,niſi in Chriſti propria iuſticia niteretur,& illius protectione ſerua- *titur ſe auelli à*
retur. Hæc eſt enim fides(vt dixi)vera non abſoluta imo abſoleta illa qualitas *Chriſti gratia.*
in anima,vt illi fingunt, Sed quæ ſe à gratia Chriſti non patitur auelli,nec alio
nititur,quam quod ſcit illum eſſe in gratia Dei,nec poſſe damnari,nec ali-
quem,qui ſic in eum ſe proiecerit. Scilicet tam magna res eſt hoc peccatum
reliquum,ſic intollerabile iudicium Dei,vt niſi eum pro te opponas,quem ſi-
ne omni peccato eſſe noſti,ſubſiſtere nequeas,id quod facit fides vera.

Alterum eſt,quod dono accepto non ambulant ſecundum
carnem nec obediunt peccato,Sed prius illud principale & robuſtiſſimum eſt,
Licet & alterum ſit aliquid,ſed in virtute prioris. Quia pepigit Deus pactum
iis,qui ſunt hoc modo in Chriſto,vt ſi pugnent contra ſeipſos, & peccatum
ſuum,nihil ſit damnationis. Non ergo nihil eſt damnationis,vt Latomus de-
lirat, quia non peccant,aut non ſit peccatum in opere bono. Hoc fingit Sophi-
ſta extra & contra apertum textum Pauli,e proprio capite. Sed quia ſunt, in- *Sophiſtæ extenu-*
quit,in Chriſto Ieſu,& non ambulant ſecundum carnem,manifeſte de mor- *ant peccatum,faci-*
tali peccato loquens, Solum hoc agunt Sophiſtæ,vt hoc peccatum extenuent, *unt homines ſecu-*
quod Deus tantum exaggerat,vt filium ſuum ſibi velit opponi,& homines o- *ros.*
mnes hoc vehementiſſimo iudicio ad Chriſtum vrgere & compellere,vt ſub
alas eius trementes,deſperantes,anhelantes ſeſe recipiant. At iſti huius pecca-
ti negatores,faciunt oſcitantes & ſecuros homines,in accepto dono, per hoc
& Chriſti gratiam vilem,& miſericordiam Dei leuem, ad quæ ſequi neceſſa-
rio oportet,frigus amoris,ſegnitiem laudis,& teporem gratitudinis, Nihil de
Chriſto hi prorſus ſciunt.

Tu ergo caue illos peſtilentiſſimos,& diſce opera Dei magna mirifica *Opera Dei.*
& glorioſa eſſe,Ideo ſcias tete non poſſe hoc peccatum ſatis exaggerare,Neq;
enim malum eius vllus hominum vnquam inueſtigare aut comprehendere
penitus potuit,cum ſit infinitum & æternum,vt rurſus opera Dei cognoſcas in *Malum peccati in-*
Chriſto tecum facta eſſe immenſa,vt qui tam potentem tibi in Chriſti grati- *finitum & æter-*
am præordinarit,quæ tanto malo non patiatur te te perdi,& qui tanto malo *num.*
dignus ſis,tamen illius hominis gratia,non ſolum illo non perdaris,ſed etiam
2. Cor. 8. tandem ab eo libereris. Magnificanda eſt gloria gratiæ,nec poteſt ſatis magni- *Gloria gratiæ ma-*
ficari,ita,vt Paulus exclamet, Gratia Deo pro inenarrabili dono eius. Ne ergo *gnificanda.*
auſcultes frigidis iſtis & languidis Sophiſtarum ſibilis de operibus bonis ſine
peccato,de fide infuſa,de fide acquiſita,de libero arbitrio, Somnia ſunt & lu-
Eſaiæ 2. dicra ad iſtam rem ſeriam; In Chriſtum tete rapi oportet,ſicut Eſa. 2. dicit: In-
gredere in petram,& abſcondere in foſſa humo,à facie timoris Domini, & à
Cant. 2. gloria maieſtatis eius. Et in canticis: Columba mea in foraminibus petræ in
cauernis maceriæ, Noli errare. Magnitudo protectionis ſatis indicat, quantum
ſit peccatum iſtud,niſi Chriſtum filium Dei exiſtimes ligneam aliquam ima-
ginem eſſe. Omnes Sancti tremunt hoc iudicium, & niſi Chriſtum operto-
rem habeant,pereunt: & nos adhuc diſputamus & ludimus,in operibus bonis
peccatum eſſe. Sic ſcilicet de tremenda maieſtate æterna ſapimus,quaſi de ho-
mine quouis diſputemus,quanto de illa diſputamus.

DEinde procedit diſtinctor,dicẽs, Duabus cauſis vitium,quod
contra legem Dei eſſe videtur, non eſſe peccatum. Prima,dum abeſt

vſus rationis, vt in furioſis, dormientibus, infantibus. Secunda, dum non conſentitur illi, vt in virginibus &c. Quis iterum hic non videt, defendi non Louanienſes, qui Lutherum damnauerunt de peccato illo in Sanctis ſeruiente per gratiam Dei, Sed fictos aliquos morpheos, qui damnarint eum, qui peccatum mortale in opere bono poſuerit? Plane nullus hactenus Sophiſtarum me tædio vicit, præter hunc Latomum, Tanta eſt in homine nequitia & nugandi inſania. Nam tam hebes non eſt, vt non intellexerit, me de eiuſmodi peccato non loqui, ſuper quo Patrum dicta citat, & ipſe blaterat, cum hoc ſæpius ſeſe noſſe teſtetur, Sed mera nequitia eſt, quo contra proprium teſtimonium de peccato damnationis me loqutū eſſe iactet, & orbi (vt dixi) imponat.

Pronitas ad malum.

Tale eſt & illud, quod pronitatem ad malum non impedimentum virtutis, nec malum nec peccatum dicit, imo profecit (inquit) Martyribus ad bonum. Quid audio? Profecit eis ad bonum, ergo non eſt peccatum, Vides, vt inſigniter gratiam Dei blaſphemare voluerint Sophiſtæ. Nam hoc, quod gratiæ Dei eſt, peccato impudentiſſime tribuunt. Diabolus tentator proficit Sanctis in bonum, ergo eius tentationes non ſunt malæ neq; peccata. Vincenda ſunt mala pronitatis, ergo non ſunt mala. Obſecro, quam iſte Sophiſta meam tentat patientiam egregie. Vere ſi quid peccaui in Libello contra eorum damnationem edito, hic abunde pœnitentiam ago, incredibilem hebetudinem, inſcitiam & maliciam eius ferendo. Ideo enim peccatum eſt pronitas, quia reſiſtit & negotium facit martyribus, quanquam hinc virtus gratiæ eluceſcat magis. Non debet autem hoc negotium eſſe, ſi iudicium Dei ſpectes. Miſericordiæ eſt quod parcitur, doni diuini eſt quod vincitur, Tu, Lector, vide, quo parricidio reus fuerim, quando hos homines trunco ſtupidiores finxi.

Peccatum non eſſe niſi voluntarium.

ETiam hoc addit, Peccatum non eſſe niſi voluntarium, præſertim actuale, ergo in opere bono non eſt peccatum, Tenet conſequentia à Latomo ad Latomum. Vel quia Gregorius dicit, Nunquam vaſis iræ redderet Deus interitum, ſi non voluntarium inuenirentur habere peccatum. Et quare reddit interitum infantibus & ignorantibus? Sed & Gregorius hic de vaſis iræ & peccatis eorum loquitur, quod Latomus intelligit de peccatis Sanctorum in bono opere, alioqui quomodo contra me induceret? Quid alioqui faceret ad propoſitum? Peccatum enim à me dictum impugnat, & hoc non eſſe per Gregorium probat, quia ſolum voluntarium eſſe debet. Sed feſſus ſum, Valeat ſycophanta inſulſiſſimus, qui nec me, nec ſe, nec Patres, nec ſcripturas vno pilo intelligit, ac ſi intelligat, intelligere non vult. Nihil recte actum eſt in hoc toto Libro, quam quod Louanienſibus incendiarijs & Antichriſtianæ Bullæ dignus datus eſt Patronus.

Scimus, quoniam Lex ſpiritualis eſt &c.

Apoſtolum ipſum videamus, & gloſas eorum iuxta poſitas conſideremus, vt diſcamus, quot repente noua vocabula naſcantur. *Scimus* (inquit) *quoniam Lex ſpiritualis eſt, Ego autem carnalis venundatus ſub peccato*, id eſt, vt illi dicunt, Ego ſum infirmus & punitus venundatus ſub pœna. Tum ſpiritualis, quia per Antitheſin dicitur, idem erit quod ſanus, ſine pœna redemptus de pœna. Deinde, Quod enim operor non intelligo (id eſt, pœnam patior) Non enim quod volo bonum (id eſt, impunitatem) hoc ago, ſed quod odio malum (id eſt, pœnam) hoc ago. Si autem quod nolo illud facio, conſentio Legi (id eſt, impunis ſum) quoniam bona eſt (id eſt, impunitas eſt) Nunc autem non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum (id eſt, pœna) Scio enim, quia non habitat in me (hoc eſt, in carne mea) bonum (id eſt, impunitas) Nam velle adiacet mihi, perficere autem non inuenio. Non enim quod volo bonum (id eſt, impunitatem) hoc facio, ſed Roma. 7.

quod

Digitized by Google

quod nolo malum(id eſt, pœnam)hoc facio. Si autem quod nolo illud facio, iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum (id eſt, pœna) *Inuenio igitur legem volenti mihi facere bonum* (id eſt, impunitatem) *quoniam mihi malum* (id eſt, pœna) *adiacet*, Condelector enim legi Dei, (id eſt, impunis ſum) ſecundum interiorem hominem, Video autem aliam legem (id eſt, pœnam) in membris meis, repugnantem (id eſt, pœna afficientem) legi mentis meæ (id eſt, impunitati meæ) & captiuantem me (id eſt, pœna trahentem) in legem peccati (id eſt, in pœnam) quæ eſt in membris mcu. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius (id eſt, pœnæ huius) Gratia Deo per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Igitur ego ipſe ſeruio mente legi Dei (id eſt, ſubditus ſum impunitati) carne autem legi peccati (id eſt, ſubditus ſum pœnæ) Nihil ergo damnationis eſt &c.

Actor. 5. Eſt hoc Paulum elucidare, vt dem bene & vere ſic dici? At Patres ſic dixerunt. Sed nunquid præceperunt aut præcipere potuerunt ſic dicendum eſſe? Nonne obediendum eſt magis Deo, quã hominibus? Paulus præcipit & præcipiendi ius habuit, vt vitares prophanas vocum nouitates, & loquereris, vt ipſe loquitur, & ſacris vocum antiquitatibus inhæreres. Quid enim prophanum? nonne quod non eſt ſacrum? At humanum non eſt ſacrum, deinde nouum, quia non ab Apoſtolis poſitum. Nec eſt quod mihi homouſion illud obiectes aduerſus Arrianos receptum. Non fuit receptum à multis, iiſque præclariſſimis, quod & Hieronymus optauit aboleri, adeoq; non effugerunt periculum, hoc inuento vocabulo, vt Hieronymus queratur neſcire, quid veneni lateat in ſyllabis & literis, adeo illud Arriani magis quam ſcripturas etiam exagitabant. Nec Hilarius hic aliud habuit quod reſponderet, quam quod idem per id vocabuli ſignificaretur, quod res eſſet, & tota Scriptura haberet id, quod in præſenti non datur. Nullo enim loco Scriptura peccatum, pro pœna iſta, ſed contra vbique pro malo legi Dei aduerſario accipit, vt ſimilitudo etiam (qua Latomus vel ſola Theologus eſt) hic non habeat locum. *Homouſion.* *Hilarius.* *Peccatum.*

Iam ſi eſſet ſimilitudo, & Exemplum valeret, tamen non eſſet trahendum in conſequentiam, ſed indulgendum Patribus, qui ſemel extra Scripturam poſuiſſent vocem prophanam. Alioqui, ſi exemplum ſtatuas, totam Scripturam licebit in alias voces mutare, ſicut Sophiſtæ fecerunt. Quod ſi odit anima mea vocem homouſion, & nolim ea vti, non ero hæreticus. Quis enim me coget vti, modo rem teneam, quæ in Concilio per Scripturas definita eſt? Etſi Arriani male ſenſerunt in fide, hoc tamen optime, ſiue malo ſiue bono animo, exegerunt, ne vocem prophanam & nouam in regulis fidei ſtatui liceret. Scripturæ enim ſynceritas cuſtodienda eſt, nec præſumat homo ſuo ore eloqui, aut clarius aut ſyncerius, quam Deus elocutus eſt ore ſuo. Qui verba Dei non intelligit in rebus Dei, per ſe loquentis, non credat ſe intellecturum verba hominis de rebus alienis loquentis. Nemo melius loquitur, quam qui optime intelligit, Quis autem res Dei intelligat melius, quam Deus ipſe? imo quantum eſt id, quod homo intelligit de rebus Dei? *Homouſion.* *Scripturæ ſynceritas cuſtodienda eſt*

Det potius honorem Deo miſer homo, & vel confiteatur ſeſe non intelligere verba eius, vel omittat prophanare ea vocibus ſuis nonis ac proprijs, vt pura nobis maneat genuina ſpecie amabilis ſapientia Dei. Quare dicant Patres quidquid poſſint, Pauli huius verba volo in hoc loco, id quod ſonant ſignificate, contemptis figmentis illorum de reatibus ac debitis, & id genus nugis, magis intellectũ obſcurantibus quam iuuantibus. Facilia, aperta, fidelia ſunt verba Apoſtoli, non egent humanis facibus ardentiſſimi fulgentiſſimique ſoles illi. Tu dicis, non eſt reatus, non eſt debitum ibi, Ergo non eſt peccatum *Iohannes Euangeliſta.*

peccatum ibi, viſus tibi pulchre locutus, cum obſcuriſſime, & vt Nehemias dicit, Aſotice loquaris & linguis populi & populi, iamdudũ oblitus linguæ ſanctæ & paternæ. Faceſſant barbaræ linguæ, & natiuã genuinamq; reuocemus.

Cur enim non multo purius & lucidius dicis: Non eſt ira ſed gratia ibi. Ideo peccatum illud, quanquam verum peccatum ſit, non damnat ibi. Iohannes Euangeliſta verum venenum bibit, ſed non occidit eum, quia virtus fidei erat ibi, quæ verum venenum non fecit eſſe aliud, quam verum venenum, aut pœnam vel infirmitatem, ſed ne noceret, prohibuit. Quod ſi alius bibiſſet, vere mortuus eſſet. Chriſtus dicit: Si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. *Marci vlt.* Non dixit, non erit amplius mortiferum, ſed non nocebit, quia in nomine meo bibent, alioqui quæ miraculi gloria, ſi mortiferum eſſe deſinat, cum potatum fuerit? Ignis Chaldæus vere ignis fuit & permanſit, ſed non læſit tres viros, non quia ardere & vrere non poſſet, ſed quia illos non poſſet, cum cæteros ante fornacem vtique conſumeret. *Dan. 3.*

Ita hoc peccatum verum peccatum eſt, quod alios omnes iræ ſubijcit, hos non ſubijcit, quia hi, non illi, antidoton habent, nempe donum Dei, in gratia vnius hominis Ieſu Chriſti, quo imbuti non ambulant ſecundum carnem. *Roma. 5.* Nonne hæc tam clara & facilia ſunt, vt nullus tam tardus ſit, qui non facilime comprehendat? cum interim ſubtilitates illas, reatuum, debitorum, formalium, materialium, peccati, priuationis, habitus, actus, expulſionis, infuſionis, remiſſionis, qualitatum, formarum, ſubiectorum, bonitatis intrinſecæ & extrinſecæ, malitiæ intrinſecæ & extrinſecæ, congrui, meritorij, generis bonorum, acceptati, deacceptati, Et quis ranarum & muſcarum iſtarum voces omnes audiat, nedum recenſeat? Ipſimet nondum concorditer capiunt, qui aliorum Magiſtri ſunt, tantum abeſt, vt aliquando miſerum vulgus ex ipſis veram peccati & gratiæ cognitionem accipiat, cum hic philoſophiæ etiam nouiſſimas feces & decies excretas voraſſe oporteat, antequam quid reatus aut debitum ſit intelligas, Faceſſant iſta abſurda monſtra Sophiſtarum.

Ego carnalis ſum &c.

VEre ergo dicit: Ego autem carnalis ſum, non dicit, carnalis fui, venundatus ſub peccato. *Roma. 7.* Proba igitur mihi, quod carnalis in Scriptura ſignificet, pœnalitatibus & infirmitatibus ſubiectum. Carnalem vero ſe dicit, non quia totus ſit carnalis, ſed mente eſt ſpiritualis, carne carnalis, ſicut mente liber à peccato, carne venundatus ſub peccato, ſicut dicit, *Mente ſeruio legi Dei, carne autem legi peccati.* Non te hic fallat Latomus, duas faciens voluntates. Vnus eſt homo Paulus, qui vtrinq; de ſe confitetur, alio & alio reſpectu, Sub gratia eſt ſpiritualis, ſed ſub lege carnalis, Idem idem Paulus vtrobiq;. Donum facit, vt ſit ſpiritualis, & ſub gratia, in gratia vnius hominis Ieſu Chriſti. Peccatum facit, vt ſit carnalis, ſed non ſub ira, quia gratia & ira non conueniunt, nec ſeſe mutuo impugnant, nec alterum alterius dominatur, ſicut donum & peccatum faciunt. *Donum. Peccatum. Gratia.* Ita, Quod enim operor, ego carnalis non intelligo, intelligo autem ego ſpiritualis, alioqui quomodo poſſet de ſe pronuntiare, ſe eſſe non intelligentem, quid operetur? Deinde in ſequentibus malum appellat, quod operetur, ergo intelligit malum quod operatur, ſed carne non intelligit, quod mente intelligit. Vere n. peccatum in carne furens, putat bonum eſſe, quod concupiſcit, & ita facit homini quoq; apparere, non videns quam malum ſit. *Non n. quod volo bonum, hoc ago, ſed quod odio malum, hoc ago.* Ecce intelligit bonum & malum, ſed Paulus ſpiritualis ſic intelligit & vult & odit. Carnalis vero non intelligit bonum & agit & amat malum pro bono. *Carnalis.*

Proferat nunc Scripturas Latomus, quibus probetur, quod carnalis ſignificet hic aliud quam in alijs locis, & quã exigit Grammatica & ſimplex ſignificatio. Probet, quod malum & bonum aliud hoc loco quã in alijs ſignificent.

Probet

Probet quod velle,nolle,odiſſe,agere aliud ſignificet hic quam in alijs locis, Quod cum non poſſit,& eorumq́ ſignificatio pietati hoc loco non obſtet,quid eſt,Quod hominum gloſis moueamur? Neque enim non propriè carnalis dicitur,qui ex parte carnalis eſt,ſicut dixi,quod non ideo non eſt homo, quia infirmus aut paruus homo eſt. Vulneratum eſt caput hominis, & vere dicimus,homo vulneratus eſt.Et qui percutit pedem canis, veriſſime canem percuſſiſſe dicitur.Ita non intelligit Paulus,quia ſecundum carnem non intelligit.Et operatur,quia ſecundum carnem operatur,Et agit malum,quia ſecundum carnem agit Et malum eſt,quia contra ſpiritum & bonum eſt. Neq; ideo non operari,non agere,non malum eſſe,aut totus intelligere dicendus eſt, quia non totus operatur,non totus agit,non totum malum facit,aut ex parte intelligit.Sicut non ideo non eſt vulneratus homo,quia non omni parte vulneratus eſt & occiſus, Nec ideo canem non percuſſiſti, quia non omni parte, eum percuſſiſti,& occidiſti,imo vulneraſti,percuſſiſti,ſi vel minimum membrum eius læſiſti,propria & germana ſignificatione verbi. Ita hic non ideo non eſt proprie peccatum,quia non totum hominem occidit, damnat, iræ ſubijcit,Gratia enim & donum conſeruant hominem ,vt non poſſit peccare, id eſt,conſentire huic peccato & perire. *Homo vulneratus Lucæ 10.*

Dices,Neq; tu probas peccatum alibi accipi hoc modo, quod ſcilicet non damnet.Reſpondeo;Nec hoc eſt neceſſe, nec hoc inſtitui. Hoc ſolum inſtitui,vt peccatum hoc loco idem ſignificaret quod vbiq;. Quod autem hic peccatum aliter tractari dico,hoc nihil ad peccati ſignificationem pertinet,Scriptura peccatum vbiq; eodem modo accipit,ſed non vbique eodem modo tractat ſeu tractari deſcribit. Alibi peccatum fieri,alibi remitti,alibi puniri,alibi differri,alibi taceri,alibi confiteri,alibi negari deſcribit. Et quis actiones,paſſiones,& accidentia peccati enumeret? Ita hoc loco peccatum,quid faciat & patiatur in gratia deſcribitur,nō negatur peccatum eſſe, imo ſupponit peccatum factum & eſſe.Hic victum rebellare Spiritui dicitur, quod alibi victor regnare ſcribitur,Idem prorſus peccatum vbique, ſed non vbique idem valens,faciens & patiens.Quod autem alibi Scriptura peccatum eodem accipiat modo,quo ad ſignificationē, probaui ſuperius ex Paulo,qui Rom.6.& 8. vltra hoc 7.Gal.5.1.Cor.5.Ephe.4.1.Cor.7.Col.3. Ebr.13. ſic accipit,dum incontinentiam,libidinem,iram &c.vocat, & 1. Iohan. 1. Si dixerimus quia peccatum non habemus,noſipſos ſeducimus, Sed aduerſarij ne iota quidem proferre poſſunt pro ſua ſignificatione. *Peccatum.* *Peccati actiones, paſſiones, &c.* *Roma. 6.* *1. Iohan. 1.*

Roma. 7. Proſequamur ergo Paulum: *Si autem quod nolo,hoc facio,conſentio Legi, quoniam bona eſt.* Mira compoſitio,Conſentit Legi bonæ, ſed non totus, quia facit non totus, quod vult non totus, neque conſentiens, neque faciens, neque nolens hic totus eſt,ſed idem qui conſentit bonæ Legi, facit quod non vult,id eſt,contrarium Legi bonæ, quam vult. *Nunc autem non ego operor illud.* Quis ille ego, qui nunc non operatur illud, quod mox dictus eſt operari? Ille ſcilicet ego, qui ſpiritualis ſum, quia ſecundum hoc ego nunc æſtimor in gratia, quæ non finit, vt æſtimer ſecundum peccatum, quo carnalis ſum, abluta ſunt omnia, & nunc alius ego quam ante gratiam,vbi æſtimabar ſecundum peccatum totus carnalis. Sed quod habitat in me peccatum,Tu non operaris,& tamen id, quod in te eſt, operatur? Manus tua percutit me, & tu non percutis me? Ita ſane,quia me inuito id facit, & ſecundum hoc æſtimor, vere tamen ego facio, quia pars mea facit,ſed iam non ſecundum eam æſtimor, male facit manus, & mihi imputaretur,niſi animus innocens eſſet,Sed non ideo malum non eſt, quod manus facit,ſed quia non imputatur, non imputatur autem propter animum *Si quod nolo, hoc facio, &c.* *Rom. 7.*

Peccatum non imputatur &c.

animum innocentem. Ita peccatum peccatum eſt vere, ſed quia donum & gratia in me ſunt, non imputatur, non propter ſuam innocentiam, quaſi non nocens ſit, ſed quia donum & gratia in me regnant.

Scio enim, quod non habitat in me, hoc eſt, in carne mea, bonum, Quia mea eſt, non aliena caro, ideo quod in ea habitat, in me habitare dicitur, Quam dulciſſime Paulus medius incedit inter carnem & ſpiritum, ſynecdochis gratioſiſſimis vtrinq; feſtiuiſſime alternans, Vere ergo habitat peccatum in carne, & vere peccatum eſt. Iebuſæus enim eſt habitans in finibus noſtris, futurus ſudes in oculis & offendiculum à latere, ſi non ſtuduerimus delere eum. Quid ſudes in oculis, niſi lignum ante faciem, in quod impingas, ſi imprudens incedas? ita peccatum quotidie ante nos verſatur, & in via nobis obuium eſt, tum etiam à latere ſolicitat, niſi viriliter expurgetur, impingemus & ſcandaliſabimur in eo. Malus plane hoſpes, ſed tamen habitat in carne, in nobis, in noſtra terra, in noſtris finibus. Non ergo eſt bonum in carne, vere, inquam, non bonum, non ſolum pœna, ſed peccatum. Rom. 7.

Sudes in oculis.

Nam velle mihi adiacet, perficere vero non inuenio. Seipſum clarius exponit, quomodo ſpiritualis homo in peccato non operatur malum, ſed vult bonum, & tamen propter habitans in carne peccatum non perficit hoc velle, ſed non ideo nihil eſt hoc velle, quia non perficit, ſicut econtra, non nihil eſt malum, quod habitat in carne, quantumuis ille ego non operer, ſed peccatum ipſum. Vtrumq, dico, malum fit, & non fit. Fit, quia peccatum facit illud, Non fit, quia mens non facit, nec vult, licet non perficiat, propter facere peccati, Obſecro, nunquid tantam pugnam tanta diligentia deſcriberet inter pœnam & ſpiritum? Atq; id iterum in Sophiſtas pugnat, Dicant vbi vnquam pœna (quo ſeſe euoluere putant, ne peccatum aſſerere cogantur) in Scripturis illud eſſe docetur, quod fugiendũ, cui reſiſtendum, quod tanto æſtu damnandum ſit? Non eſt pœna quam non ferri iubeat Scriptura, ac per hoc nihil euaſio iſta valet, tam gloſa quam textus eorum, res & vocabula ſunt, extra totius Scripturæ vſum, extra omnium piorum ſenſum, vt non minor abſurditas eos ſequatur in gloſa, quam fugere tentauerunt in textu. Abſurdum n. eſt aſſerere, quod nuſquam reperire ac probare poſſis, ſed omnia contraria ſolus audire cogaris. *Non enim, quod volo bonũ, hoc facio, ſed quod nolo malum, hoc facio. Si autem quod nolo malum hoc facio, iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum.* Vide gratiæ Præconem fidelem, Repetit & inculcat diligenter velut digito monſtrans, illud verbum: Si autem quod nolo, quia ſuperius videbatur obſcurius dictum, vbi cum dixiſſet ſimiliter: Si autem quod nolo, hoc facio, antequam inferret: Iam non ego operor, interpoſuit: Conſentio legi, quoniam bona eſt. Hic autem mox infert: Si ego nolens facio, certe hoc nolle probat, quod non ego iam operor illud, & tamen fit in me, Ergo neceſſario peccatum, quod habitat in me, illud operatur, Vt nemo poſſit hunc locum niſi de ſpirituali homine intelligere, neq; de iis, qui perpetrant opera mala. Alterum enim hic dicit per alterum impediri, ſic tamen vt ſpiritus præualeat, & illi tribuatur quod non operetur, non velit malum. Non n. vertit ſententiã vt diceret: Non n. malum quod volo, hoc facio, ſed bonum quod non volo hoc facio, Si autem quod nolo bonum hoc facio, iam non ego operor illud, ſed gratia, quæ habitat in me Hæc n. caro diceret, ſi regnaret ſuper ſpiritum ſibi rebellem, Nunc cum Spiritus queruletur & accuſet carnem, patet, quod non caro dominetur, ſed dominanti Spiritui moleſta & rebellis ſit. Nihil n. pro carne ſed contra carnem loquitur, quod non facit homo carnalis extra gratiam conſtitutus. Non ergo ſinit gratia Dei hoc opus peccati ſibi imputari, quia reuera non ipſum operatur, Et tamen in eo eſt, Vere quoq; ipſe operatur, vt ſatis eſt dictum. Roma. 7.

Locus Pauli Roma. 7. de ſpirituali homine intelligendus.

Roma 7.

Inuenio

Inuenio igitur volenti mihi facere bonum, quoniam mihi
Rom. 7. malum adiacet. Non eſt enim alius, qui vult facere bonum, & alius cui malum
adiacet. Spiritualis vult facere bonum totus, ſed carnalis adiacet malus ipſe mi-
nus totus. *Condelector enim legi Dei ſecundum interiorem hominem, Video autem*
aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in
legem peccati quæ eſt in membris meis. Hic clariſſime ſeſe explicat, Delectari enim
in lege Dei non eſt, niſi pij & iuſti hominis, nec repugnat nec repugnare curat
legi membrorum, qui iuſtus non eſt, Legem autem mentis non vocat le-
gem naturalem, quam dicunt, ſed opponit eam legi membrorum, potius vo-
luntatem ſpiritus ita nominat, qui legi Dei condelectatur, cui opponit legem *Delectari in lege Dei.*
membrorum, quæ condelectatur legi peccati, vt ſit & membrorum lex volun- *Lex mentis.*
tas contraria voluntati ſpiritus. Repugnantem vero dicit, certe malum indi- *Lex membrorum.*
cans, non pœnæ, ſed culpæ, Malum eſt enim legi Dei repugnare. Iam non ſo-
lum non obedire, ſed repugnare dicit, quod grauius eſt, ne parum æſtimes pec-
catum reliquum baptiſmo. Magnum eſt, & magno dono Dei tollitur, & ma-
gna gratia ignoſcitur propter ſpiritum, qui non repugnat, ſed condelectatur
legi Dei.

Et illud vltimum atrocius, quod captiuat. Vide, quæſo, quantis verbo-
rum molibus & viribus id peccati exaggeret, quod illi ſic extenuant & tollunt. *Peccati exaggeratio.*
Non ſolum eſt, non ſolum viuit, non ſolum vult, non ſolum operatur, non
ſolum repugnat, ſed etiam furit & captiuat. Obſecro, hæc leuia ſunt? Et quis
non ſentit, ita in ſe fieri? Quis non furioſas libidinis & iræ cogitationes & mo-
tus ſentit vnquam, quantumlibet inuitus & nolens? Indomitus eſt furor eius,
imo quod mireris in impijs, non ſic furit, quia non ſuſtinent eius impetũ, ce-
dunt & obediunt ei, ideo nunquã experiuntur, quantus labor quanta moleſtia
ſit peccato reluctari & eius dominari. Militiã exigit iſte impetus ſtrenuam, vn-
de & Chriſtus Dominus exercituum vocatur, & Rex potens in prælio, quia
hos magnos impetus per donum ſuum non ſolum ſuſtinet, ſed vincit etiam.

Vide ergo doni & gratiæ Dei magnitudinem, vt tantum malum non ſit
damnabile pijs, fortiores ſunt cogitationes malæ piorum quam impiorum, *Magnitudo doni & gratiæ.*
non tamen polluunt non damnant, illos vero polluunt & damnant. Cur hoc?
nonne vtrobiq; idem peccatum? Vere idem peccatum, ſed pij antidotum ha-
bent, illi non habent, ideo pij in maiori impetu eius non peccant, cum illi pec-
cent in minori, non quia non ſit peccatum vtrobiq;, ſed hæc gloria gratiæ Dei
eſt, non naturæ illius malæ. Si deſit gratia, vere damnat, nunc naturam eius
Pſalm. 115. malam gratia, ne damnet, prohibet. Non ergo nobis Domine, ſed nomini tuo
da gloriam. Non eſt, vt Sophiſtæ delirant, nullum peccatum tam furens aduer-
ſarius legis Dei, non eſt pœna, non eſt infirmitas, ſed magnum peccatum, vt
Pſal. 19. Pſal. 19. queritur dicens. Emundabor à delicto maximo, Abſit hæc gloria no- *Peccatum magnum.*
ſtra in iſta mundicia noſtra. Captiuare autem dicit, non quod ſpiritualis capti- *Captiuare.*
uetur, ſed quod ex parte quod peccati eſt, nihil omittitur, quo captiuetur ſpi-
Gal. 1. ritualis, quo modo ipſe Gal. 1. dicit; Et vaſtabam Eccleſiam Dei, cum Eccleſi-
am vaſtari ſit impoſſibile. Sed nihil omittebat, quantum in eo fuit, quo vaſta-
retur. Ideo non dicit hic, repugnat & captiuatus ſum, captiuat, ſed ego non ca-
ptiuor. Quod ſi etiam hoc dixiſſet, cogeret ſententia intelligere, quo ad carnẽ,
ſicut venundatum ſeſe dixit, & carnalem ſecundum carnem, ita captiuum ſe-
ſe dicit ſecundũ carnem, & hæc mihi ſignificatio, vt ſimplicior, magis placet.

Infelix ego homo, quis liberabit me de corpore mortis hu- *Paulus appellat peccatum mortem.*
Rom. 7. Exod. 10. ius? Hic peccatum mortem vocat, id eſt, maximã moleſtiam, figuratiue, æmu-
latus illud Exo 10. quando Pharao petijt tolli locuſtas, Orate pro me ad Do-

vincitur illius furoribus, ideo non damnat. Seruitus peccati ſit inanis, omnes conatus eius fruſtrantur, Sed non ideo nihil, aut non mala eſt iſta ſeruitus, nõ ideo non peccat caro hac ſeruitute ſua mala, quanquam in vanum ſeruit, & Dominus ſuus peccatum præualet, Imo ideo meretur ipſa crucifigi & occidi, vt deſinat ſic ſeruire. *Nihil ergo damnationis eſt ijs, qui in Christo Ieſu ſunt, & non ſecundum carnem ambulant.* Vere nihil damnationis, ſed non nihil peccati, Peccati vero non quod Latomus ſolus fingit ſe noſſe, quo ſpiritus ſeruit peccato, extra gratiam, ſed peccato quod tale eſſet, niſi gratia & donum in gratia vnius hominis præualerent. Natura peccati eſt vere in eis, ſed iam non poteſt, quod potuit.

Rom. 8.

Debet ergo Latomus proferre locum Scripturæ, quod repugnare legi Dei non ſit peccatum, ſed pœna ſeu infirmitas. Nam quod dicit ex Auguſtino, non ideo peccare hominem, ſatis dictum eſt, quomodo accipiendum ſit, nempe de peccato extra gratiam loquitur, quod ineptus Dialecticus inducit, contra me de peccato intra gratiam loquentem, ſicut vbique & in omnibus facit, petitione principij ſolita differens, quaſi vicerit, peccatum in gratia hominibus non eſſe. Si non protulerit locum, nos vrgebimus cum ſimplici & propria verborum ſignificatione contentum ſtare, quod repugnare legi Dei ſit veriſſime peccare. Sic probare debet, quod captiuare in legem peccati, & ſeruire legi peccati, ſit infirmum eſſe & non peccare, alioqui verbis, vt iacent acceptis ſtatuimus eſſe idem quod peccare, vbicunque, quicunque dicitur ſeruire peccato aut legi eius. Sicut Chriſtus Ioha. 8. Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati. Et 2 Pet. 2. A quo enim quis ſuperatur, huius & ſeruus eſt. Et ipſe Paulus Rom 6. Serui peccati fuiſtis. Nunc autem liberati à peccato, ſerui facti eſtis iuſticiæ. Ita hic Paulus ipſe ſeruus eſt peccati, ſed quia addit, Carne, manifeſte diſtinguit inter ſimpliciter ſeruire peccato (quod Latomus ſolum vult & fingit ſe noſſe) & inter ſeruire carne peccato.

Peccatum extra gratiam.

Repugnare legi Dei.

Iohan. 8.
2. Petr. 2.
Rom. 6.

Nec eſt verum, quod Latomus aliquando non ſeruiri peccato docet, nec hoc in ſeruitute peccati ſimpliciter, nec in ſeruitute carne peccati verum eſt. Omnia enim quæ facit, qui ſeruus peccati eſt, peccata ſunt. Dominus enim ſui eſt, & ſeruitus non operis, ſed ſtatus nomen eſt, quod totius vitæ ſtudia compræhendit. Sicut econtra aliud eſt ſimpliciter Deo ſeruire, aliud carne. Iuſti ſimpliciter ſeruiunt Deo, Id n. perſonam reſpicit, ſed hypocritæ ſeruiunt ei carne tantum, quia ſolis operibus, non fide cordis. Atq; vt hi ſunt hypocritæ damnabiles, ita illi (vt ſic dicam) hypocritæ quidem ſalutares, quia carne ſeruiunt peccato, & ſunt mali in ſpeciem, boni autem in veritate. Atq; vt opera hypocritarum externa non ſunt nihil, ſed vere vtilia & bona, quia creaturæ Dei vtiles. Ita peccata iuſtorum vere mala & noxia, quia opera peccati, Atque vt opera illa hypocritis bona nihil proſunt, ita iuſtis ſua peccata iſta nihil nocent. Quando ergo ego dixi, quomodo ſine carne vel voluntate carnis operari poteſt qui ſine ea eſſe nõ poteſt, nonne ineptiſſime Latomus opponit illud Pauli, Etſi in carne, non tamen ſecundum carnem ambulamus? Quaſi ſit, ſecundum carnem ambulare, quando ſine carne non operamur, per quod vult ſimilitudinem, quam de inſtrumento corroſo dedi, euacuatam, Adeo nihil videt hoc genus ſophiſticum. Paulus ſeruit carne peccato, & tamen non ambulat ſecundum carnem, Quanquam nec Paulum recte citat ponderator ille teſtimoniorum. Paulus enim dicit 2 Cor. 10. in carne enim ambulantes, non tamen ſecundum carnem militamus, ſenſus tamen idem eſt.

Seruire Deo ſimpliciter & carne.

Opera externa hypocritarum.
Peccata iuſtorum.

2. Corint. 10.

2. Corint. 10.

IAm quid opus eſt omnia Latomi per ſingula perſequi, cũ ex his dictis abunde omnia ſint confutata, & mea roborata? Monſtraui n. ſatis Latomũ totum conſiſtere in petitione principij, vt qui peccatum nõ velit à me

accipi, niſi ſicut ipſe accipit, & ſtudioſa nequitia deprauat & mea & omnium Patrum dicta, dum eos de peccato ſimpliciter loquentes trahit contra peccatum in gratia dictum, ſeu de peccato totius dicta aptat, vt ſic dicam, peccato partis. Quod facit, quia quid gratia & peccatum, quid Lex & Euangelium, quid Chriſtus & homo ſit, cum ſuis Sophiſtis nunquam cognouit.

Nam qui de peccato & gratia, de Lege & Euangelio, de Chriſto & homine volet Chriſtianiter diſſerere, oportet ferme non aliter, quam de Deo & homine in Chriſto diſſerere. Vbi cautiſſime obſeruandum, vt vtranq; naturam de tota perſona enunciet, cum omnibus ſuis proprijs. Et tamen caueat, ne quod ſimpliciter Deo, aut ſimpliciter homini conuenit, ei tribuat. Aliud enim eſt de Deo incarnato, vel homine deificato loqui, & aliud de Deo vel homine ſimpliciter. Ita aliud eſt peccatum extra gratiam, aliud in gratia, vt poſſis imaginari gratiam ſeu donum Dei eſſe impeccatificatum, & peccatum gratificatum, quamdiu hic ſumus, vt propter donum & gratiam, peccatum iam non peccatum ſit.

SEd hæc eſt meditatio otio maiori tractanda. Quare hic ſiſtam, donec otio maiore fretus & alia damnem. Nam quæ de pœnitentia & indulgentijs diſſerit, cum omnia ex humanis ſcriptis probet, nihil faciunt. Non enim vel Gregorius vel vllus Angelus habuit aliquid ſtatuere in Eccleſia, aut docere, quod è Scriptura probari non poſſit. Et ſimul ex ijs puto ſatis monſtratum, Theologiam ſcholaſticam eſſe aliud nihil quam ignorantiam
Theologia ſcholaſtica. veritatis & ſcandalum iuxta Scripturas poſitum. Nec mouet, quod Latomus me ingratitudinis & iniuriæ inſimulat in S. Thomam, Alexandrum & alios.
Conſilium Lutheri. Male enim de me meriti ſunt. Neq; enim mihi ingenium deeſſe credo, fatebitur ipſe Latomus, ſtudium certe non obſcurum eſt. Meum vero conſilium dixi, vt adoleſcens vitet Philoſophiam & Theologiam ſcholaſticam, vt mortem animæ ſuæ.

Non ſunt Euangelia tam obſcura, vt pueris ea non poſsint parere. Quomodo ſunt inſtituti Chriſtiani tempore Martyrum, quando illa Philoſophia & Theologia non erant? quomodo docuit ipſe Chriſtus? S. Hagenes 13. Annorum Theologa fuit, itidem Lucia & Anaſtaſia, vnde illæ didicerunt? Neq; enim vniuerſitatum ſtudia, adhuc aliquem Martyrem aut San-
S. Hagnes. Lucia Anaſtaſia. ctum, in tot ſeculis, de tanto numero dederunt, qui probet eorum inſtitutiones eſſe Deo gratas & rectas, cum illi è priuatis Scholis examina Sanctorum mitterent. Ex fructibus ſuis cognoſcitur Philoſophia & ſcholaſtica Thelogia. Nam de Thoma Aquino, an damnatus vel beatus ſit, vehementiſſime dubi-
Thomas de Aquino Bonauentura. to, citius Bonauenturam crediturus beatum. Thomas multa hæretica ſcripſit, & autor eſt regnantis Ariſtotelis vaſtatoris piæ doctrinæ, Quid ad me, quod Bullarum Epiſcopus eum canoniſauit?

Arbitror igitur & mihi non eſſe penitus craſſum in rebus iſtis iudicium, qui educatus in eis ſim, & coætaneorum doctiſſimorum ingenia expertus, optima iſtius generis Scripta contemplatus, in ſacris literis ſaltem ex parte eruditus, tum experientia ſpiritualium iſtarum rerum nonnihil examinatus, quam ego Thomæ defuiſſe clare video, & omnibus qui ſimilia ſcribunt & docent. Ideo meo conſilio, qui volet, cautus ſit. Facio quod de-
Philoſophia & inanis fallacia. beo, & iterum moneo cum Apoſtolo: *Videte, ne quis vos decipiat per Philoſophiam & inanem fallaciam* (hanc ego ſcholaſticam Theologiam interpretor fortiter & cum fiducia) ſecundum traditiones hominum, ſecundum elementa huius mundi (hæc ſunt iura Bullarum, & quidquid vltra Scripturas ſtatutum in eſt Eccleſia) & non ſecundum Chriſtum. Clarum eſt hic ſolum Chriſtum doceri, & audiri velle Paulum. Quam vero Academiæ legant *Coloſſ. 2.*

Biblia,

Google

Biblia, quis non videt? Confer legentes, Scribentes ſuper ſententias, ſuper Philoſophiam, cum iis, qui ſuper Biblia ſcripſerunt, aut ea docent (cum illa potiſſima omnium florere & regnare debuerint) & videbis, quo loco verbum Dei Academiæ habeant.

SED ad te reuertor, Iona mi, & hunc Latomum à me extrudo ad te, ne mihi vltro moleſtus ſit, qui iam Epiſtolas & Euangelia enarrare vernacula cœpi, quæ cauſa eſt, vt moleſtum fuerit eius ſordes legere & reſpondere, Si videbitur, alio tempore ad omnia reſpondebo, modo exul, Libris careo, & iudicium illud hæreticorum Magiſtrorum, quo Iudæos ad nudam Bibliam cogere voluerunt, porto. Sola enim Biblia mecum ſunt, non quod magni apud me pendatur Libros habere, ſed quod videndum, an dicta Patrum ab aduerſario bona fide citentur. Nam Dionyſium citat de orando Deo, pro defunctis, cum ille de laudando ſcribat, vt optime memini. Et quare veſtrum aliquis ad reliqua non reſpondet? vel tu? Ecquid ceſſat Amſdorfius? An non omnibus vobis pariter Euangelij gloria vindicanda eſt? Caput ergo contriui Serpentis, corpus cur non queatis calcare?

Exempli gratia, quando illud Iob 9. Verebar omnia opera mea, ille ſic exponit, verebar, id eſt, obſeruabam. Et illud Pſal. 143. Non intres in iudicium cum ſeruo tuo &c. vbi Propheta iudicium Dei deprecatur, quod ille exponit ſic, Tota vita Dei eſt ſine peccato, & nullius hominis tota vita eſt ſine peccato, ergo non vult ſecundum vitam Dei iudicari. Itaq; iudicium Dei vel conſpectum Dei, ille vitam Dei facit. Vbi autem in Scripturis ſic accipitur? Ergo aliqua pars vitæ noſtræ eſt, quæ poſsit dicere: Intres in iudicium, quæ ſcilicet ſit de numero alio, quam eorum, qui omnes viuentes dicuntur. At Patres ille inducit? Et Patres non fuerunt homines? Nonne iſtas nænias & ſimiles quam facillime aliquis veſtrum confutare poſsit? Iudicium Dei opus Dei eſt, quo non ſuam vitam comparat nobis, ſed noſtra examinat, alioqui quæ abſurditas, vt æterna vita comparetur momentaneæ? Multa & ferme omnia ſunt huiuſmodi, Vellem enim & vos aliquid pro verbo facere, vt ego feriatus & vulgo miſero aliquando ſeruire poſsim. Vos tyrones etiam oportet exerceri, atq; id optimum fuerit, me viuo, ſi quid forte iuuare queam. Sed quæſo, en accipe Librum, quam gaudeo illum apud me amplius non morari, Vale ex Pathmo mea,

XX. Iunij. M. D. XXI.

CÆSARIS CAROLI V. LITERÆ AD DOCTOREM. MARTINVM LVTHERVM, QVIBVS AD COMITIA VVormatienſia vocatus eſt.

CAROLVS V. DEI GRATIA ROMANORVM IMPERATOR SEMPER AVGVSTVS &c. Honorabili, noſtro Dilecto, deuoto, Doctori Martino Luthero, Auguſtiniani Ordinis.

Saluus conductus Imperatoris pro D. M. L.

HOnorabilis, Dilecte Deuote, Quoniam nos & ſacri Imperij ſtatus, nunc hic congregati, propoſuimus & concluſimus, propter doctrinam & Libros, aliquandiu hactenus abs te editos, ſcrutinium dete ſumere, Dedimus tibi ad veniendum huc, & iterum hinc ad tuam ſecuram tuitionem, noſtram & Imperij liberam, directam ſecuritatem & Conductum, quem tibi circa hæc mittimus.

Deſiderantes, vt velis te ſtatim accingere itineri; ita, vt infra XXI. dies in huiuſmodi Conductu noſtro nominatis omnibus modis hic apud nos ſis, & non domi maneas, Neque vllam vel violentiam vel injuriam timeas, Volumus enim te in præfato noſtro Conductu firmiter manu tenere, & nobis perſuadere, te venturum. In hoc namque facies noſtram ſeueram ſententiam. Datum VVormatiæ, Die VI. Martij, Anno Domini M. D. XXI. Regnorum noſtrorum &c.

ACTA REVERENDI PATRIS D. MARTINI LVTHERI, AVGVSTINIANI, CORAM S. CÆSAREA MAIEſtate, Principibus Electoribus, & Imperij Ordinibus, in Comitijs Principum VVormatiæ.

ANno ſalutis noſtræ M. D. XXI. poſt dominicam Miſericordia Domini, feria tertia, Doctor Martinus Lutherus, profeſsione Auguſtinianus, VVormatiam ingreſſus eſt, vocatus à Carolo Imperatore, eius nominis V. Rege Hiſpaniarum, Archiduce Auſtriæ &c. qui primo Imperij ſui anno primum Conuentum Principum in ea vrbe regia celebrauit.

Cum autem ante triennium Paradoxa quædam diſputanda propoſuiſſet, VVittembergæ in Saxonibus D. Martinus aduerſus tyrannidem Romani Epiſcopi (quæ tamen interim à Pontificijs varie lacerata, damnata & exuſta fuerunt, à nullo tamen aut Scripturis aut rationibus conuicta) cœpit res ad tumultum ſpectare, vulgo cauſam Euangelij aduerſus Clericos tuente. Et ob id bonum videbatur, inſtigantibus Romanis Legatis, vt ipſe Lutherus accerſeretur, Faeciali Cæſareo, & Literis ſalui conductus in hoc à Cæſare & Principibus datis. Accerſitur, venit, ac diuertit in Curiam Crucigerorum militum, ſeu quos vocant Teutonici ordinis, vbi hoſpitio collectus eſt, & à multis Comitibus, Baronibus, Equitibus auratis, Nobilibus, Sacrificis & profanis, in multam vſq; noctem ſalutatus ac requiſitus.

Cæterum multis & aduerſariæ partis & alijs, aduentus eius prorſus præter opinionem acciderat, Nam etſi per nuntium imperialem, & datis Literis publicæ fidei, accerſitus erat, Tamen quia paucis diebus, antequam veniret, publice & palam affixis Literis, eius Libri damnati erant, nemo exiſtimabat eum hoc præiudicio condemnatum, aduenturum eſſe. Et cum in vicino oppido Oppenheim, vbi primum hæc reſciuit Lutherus, ab amicis eius deliberatio haberetur, ac plerią; conſulerent, ne ſe ipſe exponeret periculo, cum videret hæc principia contra datam fidem fieri, Auditis omnibus, ipſe magno animo reſpondit: Mihi vero, qui vocatus ſum, decretum & certum eſt, ingredi vrbem in nomine Domini Ieſu Chriſti, etiamſi ſcirem tot Diabolos mihi oppoſitos, quot ſunt tegulæ in omnibus totius orbis tectis &c.

Bucerus ei occurrit in oppido Oppenheim, diſſuadens ingreſſum iubente à Moguntino.

Prophetia Lutheri.

Altero die poſt Aduentum eius, feria quarta, vir nobilis, Magiſter equitum Imperij, Vlrichus de Pappenheim, à Cæſare miſſus, ante prandij tempus venit, indicans Doctori Martino Caroli mandatum, vt hora pomeridiana quarta apud Cæſaream Maieſtatem, Principes, Electores, Duces, & reliquos Imperij Ordines ſeſe ſiſtat, auditurus ad quid accerſitus ſit. Quod Doctor Martinus, vt debuit, accepit.

Vlrichus à Pappenheim.

Ac ſtatim poſt horam quartam auditam eius diei, venit D. Vlrichus de Pappenheim, & Caſparus Sturm Faecialis per Germanias Cæſareus. (quo caduceatore è VVittemberga erat excitus, ac VVormatiam vſque deductus D. Martinus) qui ipſum euocatum comitabantur per hortum curiæ Teutonicorum, in diuerſorium Palatini Comitis. Et ne quid à turba pateretur, quæ in iſto ad Cæſaream domum itinere magna fuit, per gradus quoſdam abditos in auditoriũ deductus eſt, Non tamẽ latuit multos, qui ab ingreſſu vix vi prohibebantur, Plerią; pergulas conſcenderunt ſtudio videndi Lutherum.

Caſparus Sturm.

Cum igitur ſtaret in conſpectu Cæſareæ Maieſtatis, Principum Electorum & Ducum, breuiter, omnium Imperij Ordinum, qui tum Cæſari adſuere, D. Martinus primum admonitus eſt ab Vlricho de Pappenheim, ne quid loqueretur, niſi quæſitus,

Ibi Cæſareæ Maieſtatis Orator, Iohannes ab Eck, Officialis generalis Epiſcopi Treuirenſis, alta & intelligibili voce, primum latine, deinde germanice, iuſſu S. Cæſareæ Maieſtatis, dixit & propoſuit eandem Sententiam, In hunc, aut ei in effectu ſimilem, qui ſequitur, modum: Martine Luthere, ſacra & inuicta Cæſarea Maieſtas, de conſilio omnium ſacri Romani Imperij Ordinum, ad ſolium ſuæ Maieſtatis huc vocari te iuſſit, vt his duabus de cauſis te interrogarē. Primnm, fatearis ne Libros hos præſentes (faſce Librorum ſuorum, latine & germanice ſcriptorum oſtenſo) qui tuo nomine prætitulati circumferuntur, tuos eſſe, illosq; pro tuis agnoſcas nec. ne? Deinde, an illos & eorundem contenta retractare & reuocare, vel inhærere eiſdem potius & inſeuerare velis?

Hic, priuſquam Lutherus reſponderet D. Hieronymus Schurff qui D. Martino additus adſtabat, exclamauit, Intitulentur Libri. Hic Officialis Treuirenſis, ex Libris Doctoris Martini, eos qui Baſileæ ſimul ſunt excuſi, nominatim recitauit, *Inter quos etiam numerabantur Commentarij in Pſalterium, Libellus de bonis operibus, Commentarius in dominicam orationem,* & præter hos alij Libelli Chriſtiani, non contentioſi.

Poſt hæc, & ad hæc, D. Martinus iſta reddidit latine ac germanice.

A Cæſarea Maieſtate duo mihi proponuntur. Primum, An Libros omnes nomen meum habentes, pro meis agnoſcere velim? Secundum, An defendere, an vero quidquā reclamare velim ex ijs, quæ hactenus per me ſcripta & edita ſūt? Ad quæ reſpondebo breuiter, vt potero & recte.

Primum, Libros iam nominatos non poſſum non amplecti pro meis, & eorum quidem nihil vnquam negabo. Cæterum quod ſequitur, vt exponam, An defendere pariter omnia, vel veuocare velim? Quia de fide eſt quæſtio, & animarum ſalute, & quia diuinum verbum concernit, quo nihil maius eſt, tam in cœlo quam in terra, quod nos merito reuereri conuenit omnes, temerarium ac iuxta periculoſum fuerit, me quidquam incogitatū proferre, cum & minus quam pro re, & maius quam pro vero, non præmeditatus aſſerere poſſim, quorum vtrunq; me in Sententiam addncet, quam Chriſtus tulit, cum ait: *Qui me negauerit coram hominibus, negabo eum coram Patre meo, qui in cœlis eſt.* Peto igitur hac de cauſa, & qnidem ſuppliciter, à Cæſarea Maieſtate ſpacium deliberandi, vt citra diuini verbi iniuriam, & animæ meæ periculum interrogationi ſatisfaciam.

EX eo Principum cœpit deliberatio, quam ita reddidit Officialis Treuirenſis: Etſi iam tu, Martine Luthere, ex mandato Cæſareo ſatis intelligere potueris, ad quid accerſitus ſis, & ea de cauſa iam indignus, cui longior cogitandi mora detur, Tamen ex ingenita elementia Cæſarea Maieſtas diem vnum indulget meditationi tuæ, vt cras in horam eandem coram compareas, ea conditione, ne ſcriptam ſententiam tnam proponas, ſed verbis exequaris.

Poſt hæc Doctor Martinus per Fecialem redditus eſt hoſpitio ſuo In qua re non fuit prætereundum, quod inter eundum ad audiendum Cæſaris mandatum, & cum iam eſſet in ipſo Principum conſeſſu Lutherus, ab alijs, alia voce, commonebatur, vt eſſet forti animo, vt viriliter ageret, *ne timeret eos, qui corpus tantum poſſent occidere, animam non poſſent, ſed potius metueret ſibi ab eo, qui poſſet & animam & corpus perdere in gehennam. Item: Cum ſteteritis ante Reges, nolite cogitare quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora &c.*

Sequenti

SEquenti feria quinta, poſt quartam pomeridianam, venit Fæcialis, & aſſumptum D. Martinum in curiam Cæſaris perduxit, vbi propter Principum occupationes, ad ſextam vſque manſit, expectans in magna hominum frequentia, ſeipſam conterente præ turba. Cumque conſeſſus factus eſſet, & D. Martinus aſtaret, prorupit Officialis in hæc verba:

Heſterno veſperi Cæſarea Maieſtas hanc horam tibi dixit, Martine Luthere, Quandoquidem Libros, quos heri recenſuimus, tuos eſſe palam recepiſti. Cæterum ad quæſtionem, An quidquam eorum irritum haberi velles, an omnia probares, quæ profiteris? Deliberationem petiſti, quæ nunc finē habet, Etiamſi iure impetrare non debueras longius cogitandi ſpacium, qui tanto tempore ſciuiſti, ad quid vocareris. Et fidei negotium, tam certum omnibus eſſe conueniebat, vt quiſq; quocunq; tempore poſtulatus, Rationem eius certam & conſtantē reddere poſſit, nedum tu tantus & tam exercitatus Theologiæ Profeſſor. Age, tandem reſponde Cæſareæ poſtulationi, cuius benignitatē in impetrando cogitandi ſpacio ſenſiſti. Vis ne Libros tuos agnitos omnes tueri? an vero quidquam retractare? Hæc latine & germanice dixit Officialis.

REſpondit D. Martinus, & ipſe latine & germanice, quanquā ſuppliciter, non clamoſe, ac modeſte, non tamen fine Chriſtiana animoſitate & conſtantia, & ita, vt cuperint Aduerſarij orationem & animum abiectiorem. Sed multo cupidiſſime expectarunt Reuocationem, cuius ſpem, expetito deliberandi ſpacio, nonnullam conceperant. Sic autem reſpondit:

SEreniſsime D. Imperator, Illuſtriſsimi Principes, clementiſsimi Domini, ad præfixum mihi heſterno veſperi terminum, obediens compareo, Per miſericordiam Dei obſecrans, ſereniſſima Maieſtas veſtra, Dominationesq; veſtræ illuſtriſſimæ, dignentur Cauſam hanc (vt ſpero) iuſticiæ & veritatis clementer audire. Atq; ſi per imperitiam meam vel dignos Titulos cuiquam non dedero, vel quocunq; modo in mores geſtusq; aulicos peccauero, benigniter ignoſcere, vt Homini non in aulis, ſed in angulis Monachorum verſato, qui nihil aliud de me teſtari poſſum, quam ea ſimplicitate animi hactenus me docuiſſe & ſcripſiſſe, vt tantum gloriam Dei & ſynceram fidelium Chriſti inſtitutionem ſpectarem.

Sereniſſime Imperator, Illuſtriſſimiq; Principes, ad duos illos Articulos heri per ſereniſſimam Maieſtatem veſtram mihi propoſitos, ſcilicet, An Libellos recenſitos, & nomine meo euulgatos agnoſcerem meos? & in his defendendis perſeuerare aut reuocare velim? Dedi paratum & planum meum Reſponſum, ſuper Articulo priore, in quo adhuc perſiſto, perſiſtamq; in æternum, Eſſe videlicet eos libros meos, meoq; nomine à me euulgatos, Niſi forte interim acciderit, vt æmulorum vel aſtutia, vel ſapientia importuna, quidquam in illis mutatum, aut deprauare excerptum ſit. Nam aliud plane non agnoſco, niſi quod mei ſolius eſt, & à me ſolo ſcriptum, citra omnis cuiuſuis induſtriæ Interpretationem.

Ad alterum vero reſponſurus, rogo, ſereniſsima Maieſtas veſtra, & Dominationes veſtræ, dignentur animum aduertere. Libros meos non eſſe omnes eiuſdem generis. Sunt enim aliqui, in quibus pietatem fidei & morum adeo ſimpliciter & euangelice tractaui, vt ipſimet aduerſarij cogantur eos confiteri vtiles, innoxios, & plane dignos lectione Chriſtiana. Sed & Bulla, quanquam ſæua & crudelis, aliquot meos Libros innoxios facit, licet & hos damnet, iudicio prorſus monſtrifico. Si itaq; hos reuocare inciperem, obſecro quid facerem, niſi quod vnus ex omnibus mortalibus eam Veritatem damnarem, quam amici & inimici pariter confitentur, ſolus omnium confeſſioni concordi reluctatus?

Alterum

Digitized by Google

Alterum genus eſt,quod in Papatum & doctrinam Papiſtarum inuehitur,tanquam in eos,qui ſuis & doctrinis & exemplis peſſimis, orbem Chriſtianum vtroque malo,& ſpiritus & corporis,vaſtauerint. Nam neque negare id, neq; diſſimulare quiſquam poteſt,cum experientia omnium & vniuerſorum querimonia teſtes ſint, per leges Papæ & doctrinas hominum Conſcientias fidelium miſerrime eſſe illaqueatas,vexatas,& excarnificatas, tum res & ſubſtantias,præſertim in hac inclyta Germaniæ natione,incredibili tyrannide deuoratas,deuorariq; adhuc ſine fine indignisq; modis. Cum tamen ſuiſmet Legibus ipſi caueant(vt diſt.9.& 25.q.1.& 2.) vt Papæ leges & doctrinæ, Euangelio aut Patrũ ſententijs contrariæ,pro erroneis & reprobis habeantur.

Si igitur & hos reuocauero,nihil aliud præſtitero,quam vt tyrannidi robur adiecero,& tantæ impietati iam non feneſtras,ſed valuas aperuero,graſſaturæ latius & liberius quam hactenus vnquam auſa fuerit, & fiet huius meæ Reuocationis teſtimonio,licentioſiſſimum impunitiſſimumque nequitiæ illorum Regnum,miſero vulgo longe intolerabiliſſimum, & tamen roboratum & ſtabilitum,præſertim ſi iactatum fuerit, id à me factum autoritate ſereniſſimæ Maieſtatis veſtræ,totiusque Romani Imperij. Quantum ego,Deus bone,tum fuero operculum nequitiæ & tyrannidis.

Tertium genus eorum eſt, quos in aliquos priuatos & ſingulares(vt vocant)perſonas ſcripſi,eos ſcilicet,qui & tyrannidem Romanam tueri, & pietatem à me doctam labefactare moliti ſunt.In hos confiteor me fuiſſe acerbiorem,quam pro Religione aut profeſſione deceat.Neque enim me Sanctum aliquem facio,neque de vita mea,ſed de doctrina Chriſti diſputo. Neque hos reuocare integrum eſt mihi,quod ea reuocatione iterum futurum ſit, vt tyrannis & impietas meo patrocinio regnent & ſæuiant in populum Dei violentius,quam vnquam regnauerint.

Tamen quia homo ſum,& non Deus, alio patrocinio meis Libellis adeſſe non poſſum, quam ipſe Dominus meus Ieſus Chriſtus aſſuit ſuæ doctrinæ,Qui cum coram Hanna de ſua doctrina fuiſſet interrogatus, & alapam à miniſtro accepiſſet,dixit:*Si male locutus ſum,teſtimonium perhibe de malo*.Si Dominus ipſe,qui ſciebat ſeſe errare non poſſe,non detrectauit teſtimonium aduerſus ſuam doctrinam audire,etiam à viliſſimo ſeruo, Quanto magis ego fex,non niſi errare potens,debeo expetere & expectare, ſi quis teſtimonium reddere velit aduerſus meam doctrinam.

Itaq́, rogo per miſericordiam Dei,ſereniſſima Maieſtas veſtra, illuſtriſſimæque Dominationes veſtræ, aut quicunque tandem,vel ſummus,vel infimus,poſſit,reddat teſtimonium,conuincat errores,ſuperet Scripturis propheticis & euangelicis,Paratiſſimus enim ero,ſi edoctus fuero, quemcunque errorem reuocare,eroque primus,qui Libellos meos in ignem proijciam.

Ex his arbitror liquidum fieri,me ſatis curaſſe & ponderaſſe diſcrimina & pericula,ſeu ſtudia & diſſenſiones, meæ doctrinæ occaſione in orbe excitata,de quibus heri grauiter & fortiter admonitus fui, Mihi plane omnium iucundiſſima facies iſta in rebus eſt,videre ob verbum Dei ſtudia & diſſenſiones fieri, Is enim eſt verbi Dei curſus,caſus & euentus, Nam dicit: *Non veni pacem mittere,ſed gladium,Veni enim ſeparare hominem aduerſus Patrem &c.*

Proinde cogitandum nobis eſt,quod Deus noſter ſit mirabilis & terribilis in conſilijs ſuis,ne ſorte id,quod tantis ſtudijs tentatur,ſi à damnato verbo Dei exordiamur, vergat poſtea potius in intolerabile malorum diluuium, & quod cauendum ſit,ne Adoleſcentis huius optimi Principis Caroli (in quo poſt Deum multa ſpes eſt)infelix & inauſpicatum fiat Imperium.

Poſſem

Poſſem locupletius exemplis Scripturæ, de Pharaone, Rege
Babylonis, & Regibus Iſrael, rem declarare, qui tum ſeſe maxime perdide-
runt, cum ſapientiſſimis conſilijs, ſua regna pacificare & ſtabilire ſtuduerunt.
Ipſe eſt enim, qui comprehẽdit aſturos in aſtutia ſua, & ſubuertit montes an-
tequam cognoſcant. Itaq; timere Dei opus eſt. Non hæc dico, quod opus ſit
mea vel doctrina vel admonitione tantis Verticibus, ſed quod obſequium
meæ Germaniæ debitũ ſubtrahere non debuerim. Et his me ſereniſſimæ Ma-
ieſtati veſtræ, Dominationibuſq; veſtris commendo, humiliter rogans, ne pa-
tiantur ſtudijs Aduerſariorum me ſine cauſa ſibi reddi inuiſum. Dixi.

His dictis, Orator Imperij increpabundo ſimilis, dixit, eum
non ad rem reſpondiſſe, nec debere in quæſtionem vocari, quæ olim in Con-
cilijs eſſent damnata, & definita, Ideo ab eo peti ſimplex & non cornutum
Reſponſum, An velit reuocare vel non?

HIc Lutherus: Quando ergo ſereniſsima Maieſtas veſtra, Do-
minationeſq; veſtræ, ſimplex reſponſum petunt, dabo illud,
neq; cornutum, neq; dentatum, in hunc modum: Niſi conuictus
fuero teſtimonijs Scripturarum, aut Ratione euidente (Nam neq;
Pape neq; Concilijs ſolis credo, cum conſtet eos erraſſe ſæpius,
& ſibijpſis contradixiſſe) victus ſum Scripturis à me adductis,
captaq; eſt conſcientia in verbis Dei, reuocare neq; poſſum neq;
volo quidquam, cum contra conſcientiam agere, neq; tutum ſit
neq; integrum.

**Hie ſtehe ich/Ich kan nicht anders/GOTT helff mir/
AMEN.**

Orationem hanc à Doctore Martino habitam, in conſul-
tationem deduxerunt Principes. Examinatam conuellere cœpit Officialis Tre-
uirenſis hoc pacto.

IMmodeſtius, tu Martine, reſpondiſti, quam tuã perſonam dece-
ar, & adeo non ad Propoſitum, Libros varie partiris, verum ita, vt ad interro-
gationem nihil faciant omnia. Quod ſi eos recantaſſes, in quibus errorum
tuorum magna pars eſt, haud dubie Cæſarea Maieſtas, ex ingenita clementia re-
liquorum, qui boni ſunt, perſecutionem non toleraret. Atqui tu, quę vniuer-
ſale Conſtantienſe Concilium damnauit, ex vniuerſa Germanica natione
congregatum, reſuſcitas, & per Scripturam vinci vis, in quo vehementer deli-
ras. Quid enim attinet nouam Diſputationem celebrare de rebus per tot ſecu-
la ab Eccleſia, & Concilio condemnatis? niſi forte cuiuis de quocunq; ratio
reddenda eſt. Quod ſi ſemel peruicerit, vt Scripturis conuincendus ſit, quicun-
que Concilijs & Eccleſiæ ſenſis contradicit, nihil habebimus in Chriſtianitate
certum vel determinatum. Et hæc cauſa eſt, ob quam Cæſarea Maieſtas à te pe-
tit reſponſum ſimplex ac planum, aut negatiuum aut affirmatiuum, Num
vis omnia tua pro catholicis tueri? An vero quidquam ex eis reuocare?

IBi rogauit Doctor Martinus, ne ſe contra conſcientiam à ſanctis
Scripturis captam & impeditam, ſine contradicentium minifeſtarijs Argu-
mentis, ad reuocandum cogi pateretur Cæſarea Maieſtas, Reſponſum
quod petitur non cornutũ, ſed ſimplex & rectum, Neq; ſe aliud habere, quam
quod ante quoque dediſſet, Niſi ſufficientibus Argumentis, conſcientiam
ab il-

ab illis, quos ipſi vocant, erroribus, captam explicarent Aduerſatij, nec ſe poſſe ex retibus abire, quibus eſſet inuolutus. Non protinus vera eſſe, quæcunque Concilia ſtatuerunt, imo errasse Concilia, & ſibijpſis ſæpe contraria definijſſe, Propterea non valere contradicentinm Argumentum. Se poſſe oſtendere, quod Concilia errauerunt, reuocare non poſſe, quod ſedulo palam expreſſum ſit in Scriptura.

Ad quæ nihil eſt reſponſum ab Officiali, niſi paucisſimis, videlicet, quod oſtendi non poſſit, Concilium erraſſe. Doctor Martinus vero oſtendere ſe poſſe ac velle promiſit.

Cum iam autem tenebræ totum Auditorium haberent, propterea ſuam quiſque domum abiuere. Diſcedentem à Cæſarea Maieſtate & tribunali Hiſpanorum bona pars ronchis & ſubſannatione hominem Dei Lutherum longo rugitu proſecuti ſunt.

FEria ſexta poſt Miſericordiam Domini, cum conueniſſent Principes Electores, Duces, & reliqui Ordines, qui conſultationibus adeſſe ſolent, Scriptum hoc habens in Senarum miſit Cæſar.

MAiores noſtri, & ipſi Chriſtiani Principes, fuerunt nihilominus Eccleſiæ Romanæ audientes, quam nunc Doctor Martinus Lutherus impugnat. Et quia ne latum quidem vnguē ab erroribus diſcedere in animum induxit, non poſſumus nos cum decore à Maiorum exemplo deſciſcere, in antiqua fide tuenda, & Romanæ ſedi auxilium ferendo. Ipſum autem Martinum Lutherum, & adhærentes, Excommunicatione proſequemur, etſi quæ aliæ patent ad extinguendum viæ. Datam tamen & adſcriptam fidem violare nolumus, Imo daturi operam, vt ſaluus eò redeat, vnde eſt accitus.

Hanc Caroli ſententiam verſauerunt Principes, Electores. Duces, Imperij ſtatus, feria ſexta per totum tempus pomeridianum. etiam Sabbatum integrum quod ſequebatur, ita, quod Doctor Martinus adhuc Reſponſum à Cæſarea Maieſtate nullum receperit.

INterea temporis viſus eſt & viſitatus à multis Principibus, Comitibus, Baronibus, Equitibus, Nobilibus, Sacrificis religioſis, ac prophanis, ne quid dicam de vulgi numero, Hi Curiam nunquam non obſederunt, nec videndò ſatiari potuerunt. Etiam Schedulæ binæ fuerunt affixæ, Vna contra Doctorem Lutherum, altera (ſicut videbatur) pro Doctore. Tametſi à multis, adeoque intelligentibus, dolose ab inimicis putatur factum idipſum, vt occaſio eſſet reſcindendi dati ſalui Conductus, quod non impigre quærebant Romani Legati.

FEria ſecunda poſt Iubilate, ante cœnam, Archiepiſcopus Treuirenſis, renunciauit Doctori Martino Luthero, vt feria quarta ſequenti coram ipſo, horâ ſexta ante prandium, compareret, loco iterum deſignando, Die S. Georgij, ſub cœna redijt ad Lutherum is, qui erat à ſacris Archiepiſcopi Treuirenſis, iuſſu Principis ſui, petens, vt poſtridie hora nuper deſignata in diuerſorium Domini ſui adeſſet.

FEria quarta poſt Georgij natalem, dicto parens Doctor Martinus, diuerſorium Archiepiſcopi Treuirenſis ingreditur adductus per Sacerdotem eius, & Caducæatorem Cæſareum, proſequentibus eum, qui

huc venientem è Saxonibus & Thuringis comitati ſunt, & aliquot alijs præterea amiciſſimis, vbi eoram Archiepiſcopo Treuirenſi. Marchione Ioachimo Brandenburgenſi, Duce Georgio Saxoniæ, Auguſtenſi & Brandenburgenſi Epiſcopis, Magiſtro Teutonicorum Comite Georgio, Iohanne Bock Argentino, Vuerdheymero, & Peutingero Doctoribus, Doctor Væus, à ſecretis Marchionis Badenſis, dicere cœpit, & proteſtatus eſt, Non in hoc ipſum vocatum eſſe, vt tanquam in controuerſia vel diſputatione cum ipſo conferrent, ſed ſolum ex Chriſtiana charitate & clementia quadam, Principes hoc à Cæſarea Maieſtate impetraſſe, vt liceret eis clementer & fraterne exhortari eum. *Doctor Væus.*

Deinde ait, Concilia, tametſi diuerſa ſtatuerint, non tamen ſtatuiſſe contraria; Quod ſi vel maxime erraſſent, ob id tamen non corruere eorum Autoritatem, ſaltem adeo, vt quilibet ſuo ſenſu contra ea niti vellet. Inferens de Centurione & Zacheo multa, etiam de Conſtitutionibus humanis, ceremonijs ſtatutis, ea omnia affirmans ſancita, ad reprimenda vitia, pro qualitate & viciſſitudine temporum, nec poſſe Eccleſiam carere Conſtitutionibus humanis Ex fructibus cognoſci arborem. Dici tamen, ex legibus multa bona nata. Quod Conſilijs S. Martinus, S Nicolaus, & multi alij ſancti interfuerint.

Deinde, quod ingentes motus, & tumultus incredibiles excitaturi ſint Libri eius. Quod Libello de Libertate Chriſtiana vulgus abutatur ad excuendum iugum, ad ſtabiliẽdam inobedientiam. Longe nunc ſecus habere, quam cum credentium cor vnum & anima fuiſſet vna. Legibus ergo opus eſſe. *Libellus de libertate Christiana Lutheri.*

Præterea expendendum, quod cum bona multa ſcripſiſſet, & procul dubio bono Spiritu, vt de triplici iuſticia, & alia, Diabolum hoc iam per inſidias occultas agere, vt omnia eius opera in perpetuum damnentur. Nam ex his, quæ vltimo ſcripſerit, vere indicaretur, quemadmodum arbor non ex flore, ſed ex fructibus cognoſcatur. *Sermo de triplici iuſticia.*

Ibi addidit de dæmonio meridiano, & negotio perambulante in tenebris, & ſagitta volante. Tota oratio fuit exhortatoria locis rhetoricis, honeſtatis, vtilitatis legum, & è regione periculorum conſcientiæ, & ſalutis publicæ & priuatæ, plena. Tum in principio, tum medio, tum calce, identidem inculcans, hanc admonitionem propenſiſſima voluntate & clementia quadam ſingulari, à principibus fieri, Claudens, in Epilogo minas addidit, dicens futurum, vt ſi in propoſito perſeueraret, Cæſar procedat, eum ex Imperio eiecturus, commonefaciens, vt hæc & reliqua cogitaret & expenderet.

RESpondit Doctor Martinus: Clementiſsimi & illuſtriſsimi Principes & Domini, De voluntate iſta elementiſſima & benigniſſima, ex qua hæc admonitio proficiſcitur, ago gratias quã humilime poſſum. Agnoſco enim me Homuncionem longe viliorem eſſe, quam vt à tantis Principibus ſim commonendus.

DEinde libere pronuntiat, ſe non omnia Concilia reprehendiſſe, ſed tantum Conſtantienſe, ob hoc potiſſimum, quod verbum Dei damnauit. Quod patet in Articulo hoc Iohannis Huſs, ibi damnato: *Eccleſia Chriſti eſt vniuerſitas præſtinatorum.* Hunc articulum damnaſſe Concilium Conſtantienſe, certum eſt, Et ſic conſequenter hunc Articulum fidei noſtræ: *Credo Eccleſiam ſanctam catholicam.* Aiebat igitur ſe non recuſare & vitam & ſanguinem impendere, modo eo non detrudatur, vt cogatur apertum *Concilium Conſtantienſe.*

Dei verbum reuocare. Nam in hoc defendendo, oportere Deo magis quam hominibus obedire.

Duplex ſcandalum fidei & charitatis. Neq; hic ſe poſſe cauere ſcandalum fidei. Scandalum enim duplex eſſe, charitatis & fidei, Charitatis, quod in moribus & vita conſiſtit. Fidei vero ſeu doctrinę, quod in verbo Dei conſiſtit, & hoc vitare ſe iam non poſſe, in ſua enim poteſtate non eſſe, vt Chriſtus non ſit petra ſcandali. Si oues Chriſti puro Euangelij pabulo paſcerentur, fides Chriſti verè prædicaretur, eſſentq; boni ac pij Magiſtratus Eccleſiaſtici, qui fideliter officium ſuum facerent, non opus eſſe Eccleſiam onerare humanis traditionibus &c. Se ſcire, obediendum eſſe Magiſtratibus & poteſtatibus, etiam male & iniq; viuentibus. Scire, cedendum eſſe proprio ſenſui, Idq; ſe in ſuis Scriptis docuiſſe, ſeq; obedientiſſime præſtiturum hæc omnia, modo non adigatur verbum Dei negare.

SEcedente Doctore Martino, Principes colloquuntur, quidnam reſpondendum ſit homini? Reuocatum igitur in Triclinium, Doctor Badenſis repetiuit priora, commonefaciens, vt ſua Scripta iudicio Cæſaris & Imperij ſubijceret.

REſpondit Doctor Martinus ſuppliciter & modeſte, ſe neque pati neq; paſſurum, vt diceretur defugiſſe iudicium Cæſaris, Procerum & Ordinum Imperij. Tantum enim abeſſe, vt eorum examen reformidet, vt vel minimis quoq; accuratiſſime ſua expendi permitteret, modo id fieret autoritate verbi diuini & ſacræ ſcripturæ. Verbum autem Dei tam apertum pro ſe eſſe, vt cedere nequeat, niſi verbo Dei meliora edoctus. Scribere enim S. Auguſtinum, *Se didiciſſe hunc honorem ſolis Libris illis habere, qui Canonici vocantur*, vt veros credat, cæteris vero Doctoribus, quantalibet vel ſanctitate vel doctrina polleant, ita demum credere ſi vera ſcriberent. Ad hæc S. Paulum ad Theſſalonicenſes ſcripſiſſe: *Omnia probate, quod bonum eſt tenete*. Et ad Galatas: *Etiamſi Angelus è cælo veniat, & aliud prædicet, Anathema ſit*, Itaq; ei non credendum. Ideo & ſe ſuppliciter orare, ne conſcientiam ſuam vinculis Scripturæ & verbi diuini ligatam, vrgeant ad negandum tam clarum verbum Dei. Vtq; ſe commendatum haberent, & præcipue apud Cæſaream Maieſtatem efficerent ne cogeretur contra conſcientiam in hac cauſa quicquam agere. Alioqui ſe nihil non vel obſequentiſſime facturum.

HÆc dicentem, interrogauit Marchio Brandenburgenſis Ioachimus, Elector, Num dixiſſet ſe non ceſſurum, niſi conuictum ſacra Scriptura? Reſpondit Doctor Martinus, Etiam, Domine clementiſſime, vel rationibus clariſſimis & euidentibus.

ITa ſoluto hoc conuentu, Principibus reliquis in curiam proficiſcentibus, Treuirenſis Archiepiſcopus Doctorem Martinum acciuit in ſuum Triclinium, adhibito Officiali ſuo Iohanne Eccio, & Cochleo, Doctori Martino Luthero adſtabant D. Hieronymus Schurff, & Nicolaus Amſdorfius, Ibi tum cœpit Officialis argumentari vt Sophiſta & Canoniſta, Papæ cauſam defendens, Ex literis ſacris fere ſemper natas fuiſſe hæreſes, vt Arianam, ex hoc Euangelij: Ioſeph non cognouit coniugem ſuam, donec pareret primogenitum ſuum. *Matth.* Deinde eo progreſſus, vt niteretur conuellere hanc propoſitionem, Eccleſiam Catholicam eſſe vniuerſitatem Sanctorum.

rum. Auſus etiam ex lolio facere triticum, & ex corporum excrementis membra. Hæc & ſimilia ridicula & futilia ab ipſo in medium prolata, Doctor Martinus & D. Hieronymus Schurff perſtrinxerunt, ſobrie tamen, velut ad rem ipſam nihil facientia. Nonnunquam interſtrepens & Iohannes Cochleus, conabatur Doctori Luthero perſuadere, vt ab incepto deſiſteret, & deinceps prorſus à ſcribendo & docendo abſtineret. Tandem digreſſi ſunt.

SVB veſperam eiuſdem diei Treuirenſis Archiepiſcopus nunciauit Doctori Martino, interprete Amſdorffio, fidem publicam à Cæſare in biduum protractam, vt interim cum eo agere poſſet. In hoc igitur poſtridie, Doctorem Peutingerum & Doctorem Badenſem ad eum venturos, imo & ſeipſum cum eo acturum.

FEria igitur quinta, ipſa die Marci, ante meridiem, Peutingerus & Badenſis conati ſunt perſuadere Doctori Martino, vt ſimpliciter & abſolute Cæſari & imperio permitteret iudicium de ſcriptis ſuis.

Reſpondit, ſe omnia & facturum & paſſurum, ſi modo Scripturæ ſanctæ niterentur autoritate. Alioqui enim nihil minus commiſſurum. Nam Deum per Prophetam dixiſſe: *Nolite confidere in Principibus, in filiis hominum, in quibus non eſt ſalus. Item: Maledictus qui confidit in homine.* Vehementius vrgentibus reſpondit, Nihil minus permittendum hominum iudicio quam verbum Dei. Ita abierunt, rogantes, vt deliberaret, meliora reſponſurus, A prandio ſe redituros.

POſt prandium reuerſi, idem quod ante meridiem, fruſtra conati ſunt. Orauerunt, vt ſaltem Concilij futuri iudicio ſua ſubmitteret. Hoc permiſit Lutherus, ſed hac conditione, vt decerptos ex Libris ſuis Articulos, ipſi exhiberent Concilio ſubijciendos, ita tamen, vt ſententiam de illis ferrent ex ſcripturis, & teſtimonijs eiuſdem contrarium probarent.

Illi itaq; à Doctore Martino digreſſi, Archiepiſcopo Treuirenſi dicunt, Martinum pollicitum eſſe, ſe ſua permiſſurum Concilio, in Articulis nonnullis interimq; taciturum de eiſdem. Quod Doctor Martinus ne quidem cogitarat, vt qui neq; monitis nec comminationibus vllis induci vnquam potuit, vt vel negare, vel hominum iudicio ſubmittere vellet Libellos ſuos, quos claris, & apertis Scripturæ teſtimonijs munijſſet, niſi conuinceretur ex ſacris literis & euidentibus Rationibus erraſſe.

Accidit ergo ſingulari Dei munere, vt Treuirenſis Archiepiſcopus Doctorem Martinum euocaret, eum coram auditurus. Vbi cum diuerſum intellexiſſet, quàm Peutingerus & Badenſis dixiſſent, affirmauit, non magno redempturum, niſi audiuiſſet eum, Alioqui enim ſe ſtatim Cæſarem aditurum fuiſſe, dicturumq; quæ retuliſſent Doctores.

EGit vero Treuirenſis Archiepiſcopus clementiſsime cum Doctore Martino, Primo remotis omnibus Arbitris, cum de Cæſaris & Imperij, tum de Concilij iudicio. In quo colloquio Doctor Martinus nihil celauit Treuirenſem, affirmans, parum tutum fore, tantam rem illis permittere, qui ſub fide publica euocatum, nouis mandatis aggreſſi, damnaſſent ſuam ſententiam, & Bullam Papæ approbaſſent.

Deinde admiſſo etiam amico,petiuit Treuiren. Archiepiſcopus à Doctore Martino remedia,quibus huic cauſæ occurri poſſit.Reſpondit Lutherus, Meliora non eſſe remedia,quàm de quibus Gamaliel Act.5. dixiſſet,teſte S.Luca:*Si ex hominibus conſilium aut opus hoc,eſt,diſſoluetur.Si vero ex Deo eſt,diſſoluere non poteritis.* Hoc poſſe Cæſarem & imperij Ordines ſcribere ad pontificem Romanum,ſe certo ſcire,ſi hoc ſuum Propoſitum ex Deo non ſit,intra triennium imo biennium ſponte ſua periturum,

DIcenti Treuirenſi,quid eſſet facturus,ſi decerperentur Articuli Concilio ſubmittendi? Reſpondit Lutherus:Modo non ſint hi,quos Concilium Conſtantienſe damnauerit. Ait Treuirenſis,Se vero timere,eos ipſos futuros.Atqui inquit Lutherus,de eiuſmodi tacere neq; poſſum neq; volo,vt qui certus ſim,ijs decretis verbum Dei damnatum,Ideo & vitam & caput potius amiſſurus ſum,quam tam clarum verbum Domini deſerturus.

Treuirenſis videns Doctorem Martinum Dei verbum iudicio hominum nequaquam ſubmiſſurum,clementer eum dimiſit.Roganti q; vt curaret ſibi commeatum clementem à Cæſarea Maieſtate, Reſpondit, Se rem probe curaturum , & renunciaturum.

NEque ita multo poſt,Officialis Treuirenſis,præſente Cancellario quondam Maximiliani,à ſecretis Cæſaris, Doctori Martino,in diuerſorio ſuo,mandato Cæſaris,dixit,Quia tam multipliciter à Cæſarea Maieſtate,Electoribus,Principibus & Ordinibus Imperij fruſtra commonefactus,ad cor & vnitatem noluerit redire,reliquum eſſe,vt Cæſar (vt Aduocatus fidei catholicæ)procedat.Ergo mandatum Cæſaris eſſe, vt intra viginti vnum dies hinc ad ſecuritatem ſuam redeat,ſub conductu publico, & libere ipſi ſeruando,neq; vel prædicando,vel ſcribendo,in itinere populum commoueat.

Quo audito,Doctor Martinus modeſtiſſime reſpondebat: Sicut Domino placuit,ita factum eſt,Sit nomen Domini benedictum. Deinde addebat, Se ſupplicem,primum omnium,ſereniſſimæ Cæſareæ Maieſtati, Principibus, & reliquis Imperij Ordinibus,gratias agere,quam poſſet maximas,pro tam benigna & clementi audientia,proq; conductu libero, & ſeruato & ſeruando. Neq; enim ſe quidquam deſideraſſe in eis,niſi reformationem per Scripturam ſanctam,à ſe tantopere flagitatam. Alioqui pro Cæſarea Maieſtate & Imperio paſſurus omnia,vitam & mortem,famam & infamiam,nihilq; ſibi prorſus reſeruaturum,niſi vnicum verbum Domini liberum,ad confitendum & teſtificandum illud.Poſtremo Cæſareæ Maieſtati,& toti Imperio ſe humile,tum commendans,tum ſubijciens.

Poſtridie igitur,hoc eſt,feria ſexta poſt Iubilate,die Aprilis viceſima ſexta,ſalutatis patronis & amicis,qui eum frequentiſſimi conuenerunt,ſumpto ientaculo,hinc abijt,ad horam ante meridiem decimam,comitatus & ab ijs, qui huc venientem proſecuti ſunt.Quem Caſpar Sturm Caduceator poſt aliquot horas ſecutus Oppenheim inuenit, proſecuturus vocali mandato Cæſaris Caroli.

Deus igitur hominem pientiſsimum, repurgandæ doctrinæ Chriſtianæ & illuſtrandæ gloriæ Chriſti natum,diutiſſime ſeruet Eccleſiæ ſuę,ac excitet etiam cum eo multos alios,qui verbum euangeliſent virtute multa,

AMEN.

D. MARTINI LVTHERI RESPONSIO EXTEMPORARIA AD ARTICVLOS, QVOS MAGISTRI NOSTRI EX Babylonica & aſſertionibus eius excerpſerant, quos venienti VVormatiam ad Imperialem illic Conuentum obijcerent, tanquam hæreticos, nunquam tamen ex ſcriptutis tales probatos.

EX BABYLONICA CAPTIVITATE.

Collectores.

NEgat ſeptem eſſe Sacramenta, ſed tantum tria pro tempore ponenda, Baptiſmum, pœnitentiam, panem.

Imo non niſi vnum eſſe Sacramentum, & tria ſigna ſacramentalia, ſi rigide loqui velimus, Duo tantum in Eccleſia Dei eſſe Sacramenta, Baptiſmum & panem. Confirmationem, Matrimonium, ſacrum ordinem, extremam vnctionem, nequaquam ſacramenta eſſe.

Lutherus. *Hæc dixi, non ſimpliciter negando, Sed addidi, quod ſecundum ſcripturas ſanctas ſic res haberet. Licet non damnem vſum & morem in ſacramentis Eccleſiæ nunc celebratum, Vt clare patet in ipſo Libello.*

Collect. Verum panem, verumq; vinum remanere in Sacramento Altaris, poſt Conſecrationē nec transſubſtantiationem vllam fieri, Sed panem ipſum eſſe corpus Chriſti.

Lutherus. *Non damnaui oppoſitam ſententiam, ſed Articulum fidei eſſe negaui, cum transſubſtantiatio in Scripturis non inueniatur, Veruntamen corpus & ſanguinem Chriſti ibi eſſe ſcripſi.*

Collect. Sub altera tamem ſpecie non eſſe integrum neq; legitimum ſacramentum.

Luth. *Hoc dixi de ſpeciebus, non de re contenta in ſacramento. Nam in vna ſpecie totum Chriſtum accipi, dixi, Sed non plenum ſacramentum, id eſt, non vtranque ſpeciem.*

Collect. Omnes eſſe impios, qui vtriuſq; ſpeciei communionem Laicis denegant.

Luth. *Quia contra inſtitutionem Chriſti agunt, cum deberent Sacramentum vtriuſq; ſpeciei liberum permittere.*

Collect. Manifeſtum & impium eſſe errorem, Miſſam pro peccatis, pro ſatisfactionibus, pro defunctis, aut quibuſcunq; neceſſitatibus ſuis, aut aliorum offerre ſeu applicare.

Lutherus. *Hoc de ipſa Miſſa, ſeu Sacramento dixi, non de oratione in Miſſa. Rationes patent in Libro, Quia Sacramentum natura ſua pro nullo altero accipi poteſt, ſed tantum pro ſeipſo.*

Collect. Baptiſatum etiam volentem non poſſe perdere ſalutem ſuam, quantiſcunq; peccatis, niſi nolit credere.

Lutherus. *Quia fides tollit omnia peccata, & facit volentem non peccare, Rom. 1.*

Colleẛ. Chriſtianis nihil vllo iure poſſe imponi legum, ſiue ab homine, ſiue ab angelis, niſi quantum volunt, Liberi enim ſumus ab omnibus.

Lutherus. Hoc non de ciuilibus legibus, ſed de Eccleſiaſticis dixi. Et eſt ſententia Pauli Col. 2.

Colleẛ. Nullum hominum habere ius vnius ſyllabæ conſtituendæ ſuper Chriſtianum hominem, niſi id fiat eiuſdem conſenſu, Quidquid aliter fit, tyrannico ſpiritu fit.

Lutherus. Patet ex eodem Paulo, Coloſſ. 2, dicente: Videte, ne quis ſeducat per traditiones hominum.

Colleẛ. Nullam Rempublicam legibus feliciter adminiſtrari.

Lutherus. Hoc docet experientia.

Colleẛ. Orationes, ieiunia, deuotiones, & quæcunq; tandem Papa in vniuerſis ſuis Decretis, tam multis quam iniquis, ſtatuit, & exigit, prorſus nullo iure exigere & ſtatuere, peccareq; in libertatem Eccleſiæ, toties, quoties aliquid horum attentauerit.

Lutherus. Quia Paulus Coloſ. 2. prohibet traditiones hominum, cum ſatis de his rebus in ſacris literis ſit poſitum.

Colleẛ. Peccata occulta non neceſſe eſſe Prælato aut Sacerdoti confiteri, ſed licere omnibus fratribus vel ſororibus, quibus voluerint, talia peccata reuelare.

Lutherus. Quia confeſſio talium peccatorum ex ſacra ſcriptura probari non poteſt.

Colleẛ. Non dubium eſt, quiſquis ſiue ſponte confeſſus, ſiue correptus veniam petierit, & emendauerit, coram quouis priuatim fratre, eum eſſe à peccatis ſuis occultis abſolutum.

Lutherus. Quia Chriſtus Matth. 18. dicit ad omnes Chriſtianos: Quodcunq; ſolueritis ſuper terram, ſolutum erit & in cælis.

Colleẛ. Circumſtantias peccatorum cum matribus, filiabus, ſororibus, affinibus, quacunque die, loco, quibuſuis cum perſonis, & quidquid externum eſt, æqualia eſſe, & penitus contemnenda.

Lutherus. Quia Chriſtus talia non præcepit in ſuis legibus.

Colleẛ. Apud Chriſtianos vnam tantum eſſe circumſtantiam, quæ eſt peccaſſe fratrem.

Lutherus. Quia Deus perſonam non accipit.

Colleẛ. Nullo impedimento prohiberi matrimonium, aut contractum diſſolui, Præterquam primo affinitatis, & ſecundo conſanguinitatis gradu, Neque tamen vniuerſaliter, Nam fratris aut ſororis filia, vel neptis non numeratur prohibita in veteri lege, cum tamen ſit in gradu ſecundo.

Lutherus. Hoc dixi, quo ad præceptum Dei, qui ſic ordinauit, Licet Papa aliud ordinet.

Colleẛ. Facto diuortio homines non eogendos eſſe ad Cœlibatum.

Lutherus. Quia Chriſtus caſtitatem à nemine exigit, Et Papa non poteſt plus exigere.

Colleẛ. Inter ſacerdotem & vxorem eſſe verum & inſeparabile matrimonium, mandatis diuinis probatum.

Lutherus. Quia per ſolum mandatum Papæ prohibitum, ſed non per mandatum Dei.

Colleẛ.

Collect. In matrimonio vel votis quidquid Pontifici diſpenſare licet, id omne licere vnicuique cum fratre vel vnicuique cum ſeipſo.

Lutherus. Quia Chriſtus Matth. 18. & Iohan. vltimo, omnibus dedit clauium poteſtatem, Non ſoli Papæ, vt dixi.

Collect. Religionis diſparilitatem impedimento non debere eſſe, neq; ſimpliciter, neque ſub conditione conuertendi ad fidem, liceat duce re non baptiſatam.

Lutherus. Quia Chriſtus hoc impedimentum non poſuit, ſed ſolus Papa, qui legem ſtatuere non habet vllam, vt dixi.

Collect. Sacramentum Ordinis Eccleſiam Chriſti ignorare, inuentumque eſſe ab Eccleſia Papæ.

Lutherus. Hic probetur contrarium ex ſcripturis, Sed non poterunt.

Collect. Perſpicuum eſſe, Ordinem, qui velut ſacramentum in clericos ordinat, eſſe vere, mere omninoque figmentum.

Lutherus. Non dico Ordinationem eſſe figmentum, Sed Ordinem dici ſacramentum, cum non ſit in ſacris literis, dico eſſe figmentum.

Collect. Ceremonias ſeruatas in tradendo ordine eſſe, ſicut conſecrationes domorum, veſtium, aquæ, ſalis, candelarum, herbarum, vini & ſimilium, neque eſſe neque poſſe aliquod ſacramentum dare, Sed hominem ad officia quædam ceu vaſa & inſtrumenta parare.

Lutherus. Quia per homines, non per Chriſtum, ſunt traditæ

Collect. Certum eſſe, & ita cognoſcendum, nos omnes, quotquot baptiſati ſumus, æqualiter eſſe ſacerdotes, hoc eſt, eandem in verbo & ſacramento quocunque habere poteſtatem.

Lutherus. Quia Petrus, 1. Pet. 2. dicit: Vos eſtis regale ſacerdotium. Non autem omnes habent vſum & miniſterium, Sed ſolummodo ordinati in hac poteſtate.

Collect. Ordinare Sacerdotes, Eccleſias, campanas conſecrare, pueros confirmare, quemlibet vel Diaconum vel Laicum facere poſſe.

Lutherus. Id eſt, maiora iſta deberent committi minoribus, non Epiſcopis, quorum eſt prædicare Euangelium.

Collect. Non eſſe ſacramentum extremam iſtam, id eſt, fictam, Vnctionem.

Lutherus. Non damno vnctionem, ſed ſacramentum eſſe Scriptura non docet.

EX ASSERTIONE ARTICVLORVM Condemnatorum.

Collect.

Concilium Conſtantienſe peſſime omnium erraſſe.

Lutherus. Quia damnauit hunc Articulum fidei: Credo Eccleſiam ſanctam catholicam.

Collect. Homicidas Concilij Conſtantienſis Pontifices & Phariſæos exuſſiſſe pium & doctum virum Iohannem Huſs.

Omnia damnata Iohannis Huſs in Concilio Conſtantienſi eſſe euangelica & Chriſtiana. Omnia vero Pontificis eſſe impia & diabolica.

Lutherus. Quia omnia quæ dicit, pertinent ad hunc Articulum: Credo Eccleſiam ſanctam catholicam, vt patet ex eius Libello.

Digitized by Google

Collect. Si Iohannes Huſs fuit hæreticus, ego (inquit Luthetus) plus decies hæreticus ſum, cum ille longe minora & pauciora dixerit, velut inchoans lucem veritatis aperire.

Lutherus. Quia maiora vitia & plures abſus Papæ tetigi.

Collect. Etiamſi S. Petrus hodie præſideret Romæ, non tamen eſſe Papam, Nam Papam eſſe rem fictam in mundo, neque fuiſſe neque futurum eſſe, ſed fingi.

Lutherus. Hoc adhuc dico, & contrarium per Scripturas non poteſt probari.

Collect. Articulos Iohannis Huſs omnes ſuſcipio, paratus defendere eos, per gratiam Chriſti, inuito illo rerum portento & abominatione, quæ ſedet in loco ſancto. Verum omnia Iohannis Huſs in Concilio Conſtantienſi probata non admitto.

Lutherus. Quia de Eccleſia ſancta catholica ſonant, vt patet in eius Libro.

Collect. Liberum arbitrium eſſe figmentum in rebus, ſeu titulum ſine re, Quia nulli eſt in manu ſua quidquam cogitare mali aut boni. Sed vt VVuicleffi Articulus Conſtantiæ damnatus recte docet, de neceſſitate abſoluta euenire. Quod & Poeta voluit cum dixit: Certa ſtant omnia lege.

Lutherus. Quia homo poteſt bonum velle nec facere ex ſeipſo, ſed tantum malum, Geneſ. 6. & 8. vt probaui in Aſſertionibus.

Collect. Alia innumera blaſphema, ab Eccleſiæ ritu alieniſſima, in ipſius Libris legere eſt.

Lutherus. Quia ipſi non poſſunt numerare, Cum nihil talium dixerim, Sed ipſi ſciunt infinita ſic fingere & ſomniare.

Collect. Pontificem Romanum, cuius iudicio ſe principio ſubmiſit, vt debuit, & verum Chriſti Vicarium & Vniuerſalis Eccleſiæ Epiſcopum agnouit.

Lutherus. Quia ab initio neſciebam eum eſſe hoſtem Scripturæ ſanctæ, & ſuarum legum tyrannum, Hoc enim poſtea didici vſu contentionis huius.

Collect. Pontificem Romanum mox hæreticum, ſchiſmaticum, idolum, Satanam paſſim in ſuis Libris appellat.

Lutherus. Hoc eſt verum.

Collect. Decreta reprobat & contemnit.

Lutherus. Quia contra ſcripturas.

Collect. Concilia damnat, Sanctos Patres deridet, Doctores Eccleſiæ vituperat, Schiſmata vbique in Eccleſia ſuſcitat, Nouas hæreſes ſerit.

Lutherus. Hoc non eſt verum.

Collect. Nihilque non dicit, quod non ab vſu Eccleſiæ catholicæ, & ritu, quem hactenus Patres noſtri obſeruauerunt, impijſſime & diuerſiſſime recedit.

Lutherus. Vſus hic intelligitur Thomiſtarum & Papæ tyrannis & ignorantia. Nihil enim contra Eccleſiam, ſed omnia pro Eccleſia dixi, vt teſtantur Libelli.

FINIS.

Anno M. D. XXI.

DETER-

DETERMINATIO THEOLOGICÆ FACVLTATIS Pariſienſis, ſuper Doctrina Lutherana, hactenus per eam viſa.

DECANVS ET FACVLTAS THEOlogicæ generalis ſcholæ Pariſienſis, Omnibus Chriſti fidelibus, cum ſyncero catholicæ veritatis amore, S.

PAVlus ille vas Electionis, Euangelicusq; tubicen, & Gentium Doctor, Timotheum inſtituens, vt curet ſeipſum operarium inconfuſibilem, & probatum exhibere Deo, recteq; tractantem verbum veritatis, prophana hortatur & vaniloquia deuitare, quoniam hæc multum proficiunt ad impietatem. Nam ſi ſemel recepta fuerint, mox ſerpet venenum, & obſoleſcet catholicæ doctrinæ vigor. Siquidem hæreticorum ſermo, ſi animos aliquando ſimplicium occuparit, ſemper latius diffunderur, eosq; fallacibus errorum inuolucris, quaſi tenaci viſco inuoluens, ſenſim à veritate ad impietatem nimiam deturbabit, & perinde ac cancer morbus ſerpet, qui vbi corpus viuentis attigerit, non deſinit paulatim vicinas occupare partes, donec intulerit exitium.

Pleraque huiuſce rei exempla recenſere perfacile eſt. Nam cum adhuc in adoleſcentia ſua Eccleſia Chriſti ſponſa florere cœpiſſet, ſurrexere viri mendaces & impij, qui à veritate excidentes, fidem illius ſubuertere molirentur, quales fuerunt, Hermogenes, Philetus, Hymenæus, & poſt illos Ebion, Marcion, Apelles, deinde Sabellius, Manichæus, Arrius. Seneſcente vero eadem, & paulo ante tempora noſtra, Valdo, VVicleff, & Iohannes Huſs.

Hac etiam tempeſtate de progenie illa viperarum ſuborti ſunt, proh dolor, filij nequam, qui ſpecioſæ matris non habentis maculam neque rugam, vnionis vinculum ſchiſmatice diſcindere conantur, vere ſimiles viperulis. Vt enim illæ corroſis matrum viſceribus non exeunt, priuſquam eas extinxerint, Ita hi parentem Eccleſiam èxitiali ſuorum dogmatum peſtilentique veneno, multiplici nouarum inuentionum fœtura, dum iuuare videntur & venerari (licet inextinguibilem) potius tamen, quantum in ſe eſt, Interimunt, non ferentes, cum ipſi ſint & ancillæ filij, & illegitimi, imo diaboli genimina, matris Eccleſiæ liberos legitimosque filios, niſi eos ſuis peſtiferis doctrinis inficiant, & venenatis iaculis contorqueant, ſatagentes ſpeciem matris ac decorem temerare & contaminare. Cuius tamen facies ſemper eſt & erit gratiarum plena, ſplendidiſſimusque ornatus. Ipſa enim veluti Regina à dextris Sponſi ſui in veſtitu aſtat deaurato, circundata varietate, legum, ceremoniarum, ſacramentorum, & bonorum omnium ad præſentem vitam futuramque conducentium. Hinc virulentis ſuis ſcriptis & ſermonibus illam lacerare non ceſſant, & pro viribus deturpare ſatagunt.

Inter

INter quos vnus vel præcipuus exiſtit quidam Martinus Lutherus,quantum ex ſcriptis compluribus,eius nomine diuulgatis,coniectare licet,ſi modo titulo credendum eſt.Ipſe enim prænominatorum hæreticorũ dogmata(inſtar præuaricatoris Ahiel,qui contra Ioſue imprecationem reædificauit Hiericho) inſtaurare ſtudet,& noua confingere,qui eum ad ſobrietatem ſapere minime didicerit,plus vnus ſapere præſumit,quam cæteri omnes, qui in Eccleſia ſunt aut fuerunt.Omnium nempe Vniuerſitatum ſcholis ſuũ auſus eſt præferre iudicium, priſcorum quoque vel ſanctorum Doctorum Eccleſiæ ſententias contemnit,& vt ad impietatis cumulum addat,ſacrorum Doctorum Eccleſiæ ſententias contemnit,& vt ad impietatis cumulum addat, ſacrorum ſanctiones Conciliorum eneruare contendit,quaſi ſcilicet ad fidelium ſalutem neceſſaria Luthero ſoli Deus reſeruarit,quæ præteritis ſeculis neſciuit Eccleſia,& ad hæc vſque tempora in tenebris & errorum cæcitate ſuam ſponſam Chriſtus dimiſerit.

O impiam & inuerecundam arrogantiam,vinculis,cenſuris,imo ignibus & flammis coercendam potius,quam ratione conuincendam. Nonne enim qui ita ſentit & ſcribit,prima fidei principia abnegat,& impietatem palam profitetur? Nonne impium ſe prodit & infidelem , quiſquis orthodoxæ fidei,ſanctis Eccleſiæ Doctoribus,ac ſacris Concilijs credere dedignatur ? Is nempe cui credet,qui catholicæ Eccleſiæ fidem habere detrectat? Aut quomodo catholicis aſcribetur,qui Eccleſiam non audit?cum ex ore veritatis dictum ſit: Si Eccleſiam non audierit,ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus.

Porro,iſta eſt peculiaris hæreticorum inſania,vt ſcripturas pro voto contorquentes,ſeſe eas ſolos credant intelligere,ſolos ſe ad veritatem Euangelij putent ambulare,ſolos ſe,& quos falſa religione ſeducunt,ſalutem conſequi arbitrentur,nec cuiuſcunque Doctoris,quantumuis ſancti aut eruditi,ſed nec ipſius Eccleſiæ autoritatem ſuſcipere velint,contra eam,quam ſemel ſibi præfixerint ſcripturarum intelligentiam.

Hoc comprobat inſanus Montanus, cum ſuis Priſca & Maximilla, ſancti Spiritus aduentum in ſe completum impijſſime credens magis,quam in Apoſtolis.Hoc & impius Manichæus , qui vanitate Luciferi ſeductus, vſque adeo deſirauit,vt ſe Spiritum ſanctum à Chriſto miſſum aſſereret. Hoc item Secundinus eiuſdem Manichæi diſcipulus, qui Auguſtinum & catholicos cæteros errare confidenter aſſeuerans, quaſi eidem condolens Auguſtino, ſcripſit ſe non inuenire,quidnam ante æterni Iudicis tribunal poſitus deſerto Manichæo,reſpondere valeret. Mos nempe iſte eſt hæreticorum. At vero, dum Eccleſiam audire nolunt,nec ferunt ſuaui Chriſtianæ diſciplinæ iugo colla ſubmittere,illudentibus ſibi ſpiritibus mendacij & erroris , in manifeſtos currunt errores,& pro fide exectandas profitentur blaſphemias.

Quod Lutherus ipſe, ſeu autor,quiſquis eſt , opuſculorum illius editorum nomine , luce clarius demonſtrat , qui dum Eccleſiæ & ſanctorum Patrum ſalutaria reſpuit documenta, & hæreſiarcha factus eſt & virulentus veterum hæreſium innouator,De libero nanque arbitrio differens Manichæos ſequitur,de contritione & ijs,quæ eam præcedunt, Huſſitas, Vuicleuiſtas vero de confeſſione, De præceptis Pigardos, Catharos de punitione hæreticorum,De immunitate Eccleſiaſticorum & Euangelicis conſilijs Valdenſes & Bohemos,De iuramento conſentit hæreticis , qui ſe iactitant de ordine Apoſtolorum , De obſeruatione legalium Ebionitarum hæreſi propinquat. Cæterum de ſacramentali abſolutione,ſatisfactione,præparatione ad Euchariſtiam

Euchariſtiam, ſcripturas non aduertens,ſed peruertens,item de peccatis,de pœnis purgatorij, de generalibus Concilijs,non ferendos diſſeminat errores. Sed & de Philoſophiæ præclaris inſtitutis perperam loquitur ignarus,ſicut de poteſtate eccleſiaſtica,& de indulgentijs multa

Nec tam peſtiferam doctrinam euomuiſſe contentus, Librum inſuper edidit,ſi titulo creditur,cui de Captiuitate Babylonica nomen indidit, vſque adeo varijs reſperſum erroribus,vt iure cum Alchorano conferri mereatur.in eo ſiquidem extinctas hæreſes & funditus extirpatas,quarum ne veſtigia quidem vlla reſtabant,ſuper his præſertim,quæ ad ſacramenta Eccleſiæ ſpectant, ſuſcitare,ac in lucem renocare totis animi viribus contendit.Scriptor quicunque is eſt Eccleſiæ nimirum Chriſti hoſtis pernicioſus, & antiquarum blaſphemiarum inſtaurator execrandus.Bohemorum namq; Albigenſium,Valdenſium,Heracleonitarum,Pepucianorum,Erianorum,Lampetianorum,Iouinioniſtarum,Artotyritarum,cæterorumq; id genus monſtrorum inſaniæ, per Autorem in eodem comprobantur Libro,commendantur,extolluntur.

QVAre noſtræ profeſsionis eſſe agnoſcentes huiuſmodi pullulantibus peſtiferis erroribus,magiſq; ac magis indies excreſcentibus, toto conatu obuiare,quid tandem nobis de huiuſmodi doctrina viſum ſit,plane aperire voluimus,& noſtram ſuper ea ſententiam Chriſtianis omnibus publicare,ne quod abſit,eliminata iam pridem tam multiplex impietas, quantum in nobis eſt,vlterius ſerpat,& doctrina falſa à patre mendacij exorta fidelem inficiat populum Dei.

Sollicitius itaq; per nos examinata ac maturius vniuerſa doctrina Luthérano adſcripta nomini,& ad plenum diſcuſſa, execrandis illam erroribus ſcatere,certo deprehendimus & iudicauimus,,fidem potiſſimum contingentibus & mores.Quodq; ſimplicis populi ſeductiua ſit omnibus Doctoribus iniuria,poteſtati Eccleſię & ordini Hierarchico impie derogatiua,aperte ſchiſmatica,ſacræ ſcripturę aduerſa,& eius deprauatiua,atq; in Spiritum ſanctum blaſphema,& ideo veluti Reipublicæ Chriſtianæ pernicioſam cenſemus omnino exterminandam ac palam victricibus flammis committendam.Autorem vero ad publicam abiurationem modis omnibus iuridicis compellendum.

Vt autem id clarius cunctis innoteſcat ,aliquot ex præfatis ſcriptis excerptas Propoſitiones ordine quodam digeſſimus,& noſtram cuique adiecimus cenſuram,Patrum noſtrorum morem imitati,qui alienus vtiq; non eſt obſeruata per Apoſtolos lege definiendi. Propoſito namq; de legalium obſeruatione dubio, quid ſentirent, ipſi paucis explicuerunt, rationibus(cur ita definirent)nullis ſcripto mandatis,quem modum quoq; decernendi ſacra conſueuerunt tenere Concilia. Materiæ vero per nos diſcuſſæ hæ præſertim, quas in præſentiarum edere conſtituimus,ſecundum ſuas inuicem connexiones ſequenti monſtrantur indice.

INDEX

INDEX MATERIARVM EX VArijs Lutheri Libris excerptarum per Theologiæ Vniuerſitatis Pariſienſis facultatem. Et primo ex Libro de captiuitate Babylonica.

De Sacramentis.
De conſtitutionibus Eccleſiæ.
De operum æqualitate.
De votis.
De diuina eſſentia.

MATERIÆ EX ALIIS EIVSDEM Lutheri Libris excerptæ.

De conceptione beatæ & glorioſæ Virginis.
De contritione. De Confeſsione.
De Abſolutione. De Satisfactione.
De accedentibus ad Euchariſtiam.
De certitudine charitatis habitæ.
De peccatis De præceptis.
De conſilijs Euangelicis. De purgatorio.
De Concilijs vniuerſalibus Eccleſiæ.
De hæreticorum pœna. De legalium ceſſatione.
De bello aduerſus Turcas.
De immunitate Eccleſiaſticorum.
De libero arbitrio.
De Philoſophia & Theologia ſcholaſtica.

PROPOSITIONES EX LIBRO LVTHERI, qui de captiuitate Babylonica inſcribitur, collectæ, & per Theologorum Pariſienſium Facultatem damnatæ. Scribentur autem Propoſitiones ipſæ maiuſculis, & condemnationes minoribus characteribus.

DE SACRAMENTIS.

1. RECENS eſt inuentio Sacramentorum.

Hæc Propoſitio innuens recenter ab hominibus inuenta eſſe Sacramenta, & non à Chriſto inſtituta eſt temeraria, impia & manifeſte hæretica.

2. Sacramentum Ordinis Eccleſia Chriſti ignorat.

Hæc Propoſitio eſt hæretica, & eſt error pauperum de Lugduno, Albigenſium, & VVigleuiſtarum.

OMnes

OMnes Chriſtiani habent eandem poteſtatem in verbo & Sacramento quocunque. 3.

CLaues Eccleſiæ ſunt omnibus communes. 4.

OMnes Chriſtiani ſunt ſacerdotes. 5.

Quilibet harum trium Propoſitionum eſt ordinis Hierarchici,deſtructiua & hæretica, & eſt error præfatorum hęreticorum ſimul & Pepucianorum.

Confirmatio & extrema vnctio non ſunt ſacramenta à Chriſto inſtituta. 6.

Hæc Propoſitio eſt hæretica,& pro prima parte eſt error Albigenſium & Vuicleuiſtarum,Pro ſecunda vero Heracleonitarum.

MIſſa paßim creditur eſſe ſacrificium,quod offertur Deo,inde Chriſtus hoſtia altaris dicitur,Sed Euangelium non ſinit Miſſam eſſe ſacrificium. 7.

Hæc Propoſitio quo ad ſecundam partem, ſcilicet,Sed Euangelium &c.eſt impia,in ſacroſanctum Euangelium blaſphema,ac hæretica,prout vocabulo Miſſa cum Gregorio vtimur.

MAnifeſtus eſt error,Miſſam applicare ſeu offerre pro peccatis,pro ſatisfactionibus,pro defunctis,aut quibuscunq; neceßitatibus ſuis aut aliorum. 8.

Hæc Propoſitio eſt in Eccleſiam catholicam,Chriſti ſponſam, contumelioſa & hæretica,& eſt Erianorum hæreticorum,& Artotyritarum erroribus conformis.

NOn eſt dubium,vniuerſos hodie Sacerdotes & Monachos cum Epiſcopis & omnibus ſuis Maioribus eſſe idolatras,in ſtatu periculoſißimo agentes ob Miſſa ſeu Sacramenti ignorationem,abuſionem & irriſionem. 9.

Hæc Propoſitio eſt falſa,maxime ſcandaloſa, vniuerſo Eccleſiaſtico ſtatui contumelioſa,arroganter & ſtulte prolata.Et in eo,quod prætendit,neminem in ſtatu ſalutis eſſe,niſi qui huiuſmodi erroribus acquieſcit, cum Donatiſtarum,Aſcitarum,& Apoſtolicorum perfidia conueniens, aſſerentium non niſi apud ſe remanſiſſe Eccleſiam Dei.

Crede firmiter,Panem eſſe corpus Chriſti,ait Lutherus. 10.

Hæc crudelitas Lutheri eſt abſurda,hæretica & olim damnata.

Negare Laicis vtranq; ſpeciem,eſt impium & tyrannicum. 11.

Hæc propoſitio eſt erronea,ſchiſmatica,impia, & ex damnato errore Bohemorum elicita.

BOhemi hæretici & ſchiſmatici non ſunt nominandi,ſed Romani. 12.

Hæc propoſitio eſt falſa,perfidiæ Bohemicæ impie defenſiua,& Eccleſiæ Romanæ contumelioſa.

Matrimonium eſt ſacramentum diuinitus inſtitutum,ſed ab hominibus in Eccleſia inuentum. 13.

Hæc Propoſitio eſt hæretica & olim damnata.

14\. *COniunctio viri & mulieris tenet, quocunq; modo contra leges hominum contigerit.*

15\. *DEbent ſacerdotes ea omnia matrimonia confirmare, quæ contra eccleſiaſticas vel pontificias leges fuerint contracta, in quibus Papa poteſt diſpenſare, & quæ non ſunt in Scriptura ſacra expreſſa.*

Vtraque harum Propoſitionum eſt falſa, Eccleſiæ poteſtati impie derogatiua, & ex damnato Valdenſium errore procedens.

16\. *TOta efficacia ſacramentorum nouæ legis eſt ipſa fides.*

Hæc Propoſitio eſt efficaciæ ſacramentorum nouæ legis impie derogatiua & hæretica.

17\. *QVidquid credimus nos accepturos eſſe, reuera accipimus, quidquid agat, non agat, ſimulet aut iocetur miniſter.*

Hæc Propoſitio eſt abſurda, & ex erroneo Scripturæ intellectu aſſerta & hæretica.

18\. *PEriculoſum, imo falſum eſt opinari, pœnitentiam eſſe ſecundam tabulam poſt naufragium.*

Hæc Propoſitio eſt temeraria, erronee ac fatue aſſerta, ac beato Hieronymo, illam ponenti, iniuria.

19\. *QVi ſponte confeſſus ſiue correptus veniam petierit, & emendauerit coram quouis priuatim Fratre, non dubito à peccatis ſuis illum eſſe abſolutum.*

Hæc Propoſitio, innuens Laicos tam viros quam mulieres, poteſtatem clauium habere, eſt falſa, ſacramentis ordinis & pœnitentiæ contumelioſa & hæretica, cum errore conueniens Valdenſium, & Quintilianorum.

DE CONSTITVTIONIBVS ECCLESIAE.

1\. *NEque Papa, neque Epiſcopus neque vllus hominum habet ius vnius ſyllabæ conſtituendæ ſuper Chriſtianum hominem, niſi id fiat eiuſdem conſenſu. & quidquid aliter fit, tyrannico ſpiritu fit.*

Hæc Propoſitio eſt à debita ſubditorum erga Prælatos & ſuperiores ſubiectione & obedientia retractiua, legum poſitiuarum ſeditioſe deſtructiua, ac in fide & moribus erronea, & eſt error damnatus Valdenſium cum errore Erianorum conueniens.

DE OPERVM ÆQVALITATE.

1\. *OPera nihil ſunt coram Deo, aut omnia ſunt æqualia, quantum ad meritum attinet.*

Hæc Propoſitio eſt falſa, ſacris eloquiis aduerſa, atque errori Iouinianiſtarum conformis.

DE VO-

DE VOTIS.

SVadendum, vt vota prorſus omnia tollantur, aut vitentur.

Hæc Propoſitio eſt Chriſti Doctrinæ & ſanctorum Patrum obſeruationi, qui vouere conſulunt, contraria, ex errore procedens Lampetianorum, VVicleuiſtarum, & eorum, qui ſe iactabant de ordine Apoſtolorum. 1.

PRobabile eſt vota hodie non valere, niſi ad operum iactantiam & præſumptionem. 2.

Hæc Propoſitio eſt falſa, ſtatui religionis contumelioſa, & præfatis erroribus conſona.

DE DIVINA ESSENTIA, ET forma corporis humani.

IStis nouiſſimis trecentis annis multa perperam determinata ſunt, quale eſt, Eſſentiam diuinam nec generari nec generare, & animam eſſe formam ſubſtantialem corporis humani. 1.

Hæc Propoſitio eſt falſa, ab homine, qui alienus eſt à catholica Eccleſia arroganter aſſerta, ac ſacris Concilijs generalibus iniuria.

PROPOSITIONES, EXCERPTÆ EX ALIIS Lutheri Libris, damnatæ, vt præmiſſum eſt. Et primo.

DE CONCEPTIONE B. MARIÆ VIRGINIS.

COntradictoria huius Propoſitionis: Beata Virgo eſt concepta ſine peccato originali, non eſt reprobata. 1.

Hæc Propoſitio eſt falſa, ignoranter & impie contra honorem immaculatæ Virginis aſſerta.

DE CONTRITIONE, ET IIS quæ eam præcedunt.

LEge manifeſtata aut in memoriam reuocata, mox ſequitur augmentum peccati, ſi gratia deſit. 1.

Hæc Propoſitio loquendo de gratia gratum faciente, eſt falſa, à recta ſacræ ſcripturæ intelligentia aliena, & à meditatione diuinæ Legis retractiua.

LEX ante charitatem non operatur niſi iram, & auget peccatum. 2.

Hæc Propoſitio eſt falſa, piarum aurium offenſiua, in Deum & eius legem blaſphema, nec intentioni Pauli conformis.

OPera quacunq; ante charitatem, ſunt peccata & damnabilia, & indiſpoſitia ad gratiam. 3.

Hæc Propoſitio eſt falſa, temeratie aſſerta, peccatorum ab emendatione retractiua, & ſapiens hæreſim.

4. *QVi bonum opus aut pœnitentiam à peccatorum deteſtatione ante dilectionem iuſticia incipi, nec in eo peccari aſſerit, inter Pelagianos numerandus eſt.*

Hæc Propoſitio eſt falſa, & ignoranter aſſerta, capiendo dilectionem iuſticiæ pro ea, quæ charitatem ſeu gratiam gratum facientem ſequitur.

5. *COntritio, qua paratur per diſcuſſionem, collectionem & deteſtationem peccatorum, qua quis recogitat annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ, ponderando peccatorum grauitatem, multitudinem, fœditatem, amiſſionem æternæ beatitudinis, ac æternæ damnationis acquiſitionem, Hæc, inquam, contritio facit hypocritam, imò magis peccatorem.*

Hæc Propoſitio eſt falſa, viæ ad pœnitentiam impeditiua, ſcripturis ſacris & doctrinæ Sanctorum difformis.

6. *NEque timore neque amore poteſt homo ſe erigere ad capeſſendam gratiam Dei.*

Hæc propoſitio eſt in fide & moribus erronea, omnem præparationem ad pœnitentiam impie auferens.

7. *SIne gratia primo remittente culpam, nec votum remiſſionis quærendæ homo poteſt habere.*

Hæc Propoſitio eſt falſa, impia, & peccatorum ad deſperationem inductiua.

8. *CHriſtus nunquam peccatores coëgit timore ad pœnitentiam.*

Hæc Propoſitio, capiendo cogere pro inducere, ſicut capitur frequenter in ſcriptura ſacra, eſt hæretica.

9. *BOnus eſt timor & vtilis, licet ſit inſufficiens, per quem paulatim fit conſuetudo iuſticiæ. De his verbis Auguſtini ſequitur iudicium Lutheri, Hoc eſt, inquit meo iudicio conſuetudo deſperandi & odiendi Deum, ſi excludatur gratia.*

Iudicium Lutheri de illo dicto Auguſtini: Bonus eſt timor &c. eſt falſum, temerarium, & impium, accipiendo gratiam vt ſupra, pro gratia gratum faciente, ſicut eam accipit Scriptor.

10. *SI Iohannes ſcilicet Baptiſta timorem docuiſſet eſſe initium pœnitentiæ, non ideo ſequitur pœnitentiam incipere à timore.*

Hæc Propoſitio eſt manifeſte erronea, in Chriſtum & inſpiratam Præcurſoris eius doctrinam contumelioſa.

DE CONFESSIONE.

1. *ARS confitendi, qua hucuſq; docti ſumus arenam numerare, ſingula peccata diſcutere, colligere atq; ponderare, ad faciendam contritionem, eſt ars inutilis, imò ars deſperandi & perdendi animas.*

Hæc Propoſitio eſt falſa, impia, ſchiſmatica, & confeſſioni, quæ eſt ars lucrandi animas, iniuria.

Confeſſio

COnfeſſio illa, quæ nunc agitur occulte in aurem, nullo poteſt diuino iure probari, nec ita fiebat primitus. 2.

Huius Propoſitionis prima pars eſt falſa, & ex ignorantia iuris diuini aſſerta. Secunda eſt temerarie poſita.

SPiritualis defectus eſt ſoli Deo aperiendus. 3.

SI oportet confiteri occulta cordis, tantum ea quæ pleni ſunt conſenſus in opus, homines debent confiteri. 4.

PEccata contra duo vltima præcepta Decalogi commiſſa, ſunt prorſus à confeſſione ſecludenda. 5.

Quælibet harum trium Propoſitionum eſt in fide erronea, & impiè confeſſionem dimidians.

NVllo modo præſumat homo confiteri peccata venialia. 6.

Hæc diſſuaſio innuens præſumptionis eſſe confiteri peccata venialia, eſt temerarij animi indicatiua, ab opere bono retractiua, & ideo pernicioſa.

NOn iuſtificamur operibus, neq; pœnitentijs, aut confeſſionibus. 7.

Hæc Propoſitio, loquendo de operibus bonis fidem mediatoris non excludentibus, eſt erronea, pœnitentiæ & confeſſionis contemptiua, & ſanæ diuinæ ſcripturæ intelligentiæ aduerſa.

DE ABSOLVTIONE.

ABſolutio eſt efficax, non quia fit, à quocunq; tandem fiat, erret ſiue non erret, ſed quia creditur: 1.

CRede fortiter te eſſe abſolutum, & abſolutus vere eris, quidquid ſit de tua contritione. 2.

ESto per impoſſibile, quòd confeſſus non ſit contritus, aut quòd ſacerdos non ſerio, ſed ioco abſoluat, ſi tamen credat ſe eſſe abſolutum, veriſſime eſt abſolutus. 3.

Hæ tres Propoſitiones ad ſenſum Scriptoris ſunt falſæ, impiæ, ignoranter & diſſormiter ad ſanam ſacræ ſcripturæ intelligentiam aſſertæ. Et in hoc, quod dicitur, à quocunque tandem fiat, erret ſiue non erret, & in eo quod ſubditur, non ſerio ſed ioco abſoluat, ſunt piarum aurium offenſiuæ, ſacramenti pœnitentiæ irriſoriæ, & Conciliorum generalium determinationibus contrariæ.

QVilibet ſacerdos debet abſoluere à pœna & culpa, aut peccat. 4.

Hæc Propoſitio ad ſenſum ſcribentis eſt falſa, obſequationis & doctrinæ vniuerſalis Eccleſiæ in his, quæ concernunt ſacramentum pœnitentiæ, contraria.

DE SATISFACTIONE.

PEccata Deus & ſemper & gratis remittit atq; condonat, nihil à nobis inuicem requirens, quam vt in poſterum bene viuamus. 1.

Hæc Ptopoſitio eſt à ſententia ſanctorum Doctorum aliena, fideles vana & ſtulta confidentia à debita ſatisfactione pro peccatis, retrahens, & hæretica.

2. *SEntentia eſt Apoſtoli, pœnam & culpam ſimul ſuiri*

3. *DE induſtria damnat Propheta ſententiam probantium ſatisfactionem, dicens: Quoniam ſi voluiſſes ſacrificium dediſſem, holocauſtis non delectaberis.*

4. *IRridet Micheas Propheta eos, qui per opera ſatisfacere volunt.*

Prima harum propoſitionum eſt in Paulum, Secunda in Prophetam, Tertia in Micheam contumelioſa, & omnes falſę, impiæ, & in Spiritum ſanctum blaſphemæ.

5. *VIrtute Clauium iactant quidam ſolui pœnas per diuinam iuſticiam requiſitas, quod non credo verum, nec probabitur.*

Hæc Propoſitio, qua negat virtute clauium pœnas per diuinam iuſticiam requiſitas ſolui, eſt falſa, ſcandaloſa, poteſtati clauium derogatiua, & in hoc quod dicit, quod non credo verum, nec probabitur, eſt animi temerarij indicatiua & arrogantis.

6. *Commentum & futile cauillum eſt dicere, quod dicunt quidam, quia ſacerdos ignorat menſuram contritionis abſoluendi, ideoq; forte non imponit tantam ſatisfactionem, quantam diuina iuſticia requirit, quod propterea neceſſe ſit diuinæ iuſticia ſatisfieri vel proprio opere vel indulgentijs.*

Hæc Propoſitio eſt falſa, ritui Eccleſiæ & eius doctrinæ aduerſa, & pœnitentialis ſatisfactionis eneruatiua.

7. *POena, qua Deus vult peccatum punire, non poteſt auferri per hominem vel per Papam.*

Hæc Propoſitio eſt autoritati Eccleſiæ à Chriſto conceſſæ, impie & ſchiſmatice contrauenіens, & ſapiens hæreſim.

Huic materię annectitur vna Propoſitio de ſacramentis in genere.

8. *HAEretica ſententia eſt, quæ ſacramenta nouæ legis gratiam iuſtificantem dare dicuntur illis, qui non ponunt obicem, cum ſit impoſsibile ſacramentum conferri, niſi iam credentibus & dignis.*

Hęc Propoſitio eſt falſa, temeraria & præſumptuoſe aſſerta.

DE ACCEDENTIBVS AD EVCHARISTIAM.

1. *MAgnus & pernitioſus error eſt, ſi quis accedat ad ſacramentum Eucharistiæ, ea nixus fiducia, quod confeſſus eſt, quòd non ſibi conſcius mortalis peccati, quòd orationes & præparatoria ſua præmiſerit, omnes hi iudicium ſibi manducant & bibunt.*

Hæc Propoſitio eſt impia, à debita Sacramenti ſuſcipiendi præparatione maxime retractiua, ad deſperationem inducens, & doctrinæ Pauli contraria, nec fideles ea nixi fiducia ſecludunt diuinam miſericordiam.

PRobatio

PRobatio, qua homo peccata ſua diſcutit, atq; ponderat, non pertinet niſi ad inſenſatos & craſſos Sacramenti contemptores. 2

Hæc propoſitio eſt temerarie & arroganter aſſerta, impia & ſcandaloſa.

DE CERTITVDINE CHARITATIS HABITAE.

PEſſime docent Theologi, quando dicunt, nos neſcire, quando ſumus in charitate. 1

Hæc Propoſitio, intelligendo neſcire certitudinem fidei, de qua loquitur Scribens, eſt falſa, ſacris Doctoribus diſſona, & ſanæ intelligentiæ Scripturæ.

CAueat omnis Chriſtianus, ne vnquam incertus ſit, an Deo placeant opera ſua, qui enim ſic dubitat, peccat, & perdit opera ſua cuncta, fruſtraq; laborat. 2

Huiuſmodi conſilium, loquendo de certitudine, vt ſupra, eſt temerarium, pernitioſum, & ſacris eloquijs difforme.

DE PECCATIS.

IVſtus in omni bono opere peccat. 1

Omne opus bonum optime factum, eſt peccatum veniale. 2

Vtraque harum Propoſitionum eſt falſa, piarum aurium offenſiua, ac bonorum operum infamatiua.

QVod non omni tempore pœnitemus, & reſipiſcimus, vitium eſt. 3

Hæc Propoſitio, vt vitium dicit culpam, ad ſenſum Scribentis eſt falſa, irrationabiliter, & ex erroneo Scripturæ intellectu aſſerta.

HOc eſt mortalium mortaliſſimum, non credere ſe eſſe damnabili & mortali peccato obnoxium coram Deo. 4

Hæc Propoſitio eſt falſa, impia, deſperationis inductiua, & ſapiens hæreſim.

THeologi docentes regula ſua, venialia peccata eſſe diſtincta à mortalibus, ad inſaniam perditiſſime nituntur trahere hominum conſcientias. 5

Hæc Propoſitio eſt ſtulte & præſumptuoſe aſſerta, ſacris Doctoribus iniuria, & in quantum prætendit, venialia non diſtingui à mortalibus, eſt hæretica.

DE PRÆCEPTIS.

QVI negat Deum nos impoſſibile iuſſiſſe, peſſime facit, & qui hoc falſum eſſe dicit, plus quam peſſime facit. 1

Hæc Propoſitio eſt ſcandaloſa, impia, legis Chriſtianæ infamatiua, ac Autore Auguſtino in Deum blaſphema.

SOla duo vltima Decalogi præcepta ſunt, quæ à nullo quantumlibet ſancto aliquo modo implentur, cætera omnia implent. Sed in his duobus manent rei & peccatores, quia nihil de iſtis implent. 2

Hæc Propoſitio eſt erronea, impia, in legem & Legiſlatorem blaſphema, & in Sanctos contumelioſa.

3. *OMne præceptum Dei magis poſitum eſt, vt oſtendat præteritum & præſens peccatum, quàm vt futurum prohibeat, ſiquidem, iuxta Apoſtolum, per legem nihil niſi cognitio peccati.*

Huius Propoſitionis prima pars eſt falſa, temerarie & ſine ratione aſſerta, Secunda vero, quod iuxta Apoſtolum, per Legem &c. eſt erronea, Legi intentionique Pauli contraria.

4. *QVia homini charitatem habenti nulla Lex neceſſaria eſt, ideo per hoc præceptum: Sabbata ſanctifices, non opus præcipitur, ſed quies.*

IStud præceptum tertium: Sabbata ſanctifices, ceſſauit proprie, imo omnia,
5. *quo ad perfectos Chriſtianos, quia iuſto non eſt lex poſita.*

6. *INfirmis, qui nondum ſunt mortificati ſecundum veterem hominem, opus eſt, vt certis officijs, diebus, modis, occupentur, vigilijs, ieiunijs, orationibus, diſciplinis & ſimilibus, quibus perueniant ad profectum interioris hominis, vt vbi corpus fuerit caſtigatum, & in ſeruitutem fuerit redactum, & mortificatæ paſſiones, tum ipſa ceſſent paulatim, & tantum minuantur, quantum profecerit interior homo,*
7. *adeo vt ſi perfectus fuerit, illa omnia ceſſare debeant.*

Quælibet harum trium Propoſitionum præcedentium, eſt erroneo Scripturæ intellectu aſſerta, iure in Concilio Viennenſi contra Begardos, reprobata, & hæretica.

DE CONSILIIS EVANGELICIS.

1. *ILlud verbum Chriſti Matthæi quinto: Qui te percuſſerit in maxillam dextram &c. Et illud ad Romanos duodecimo: Non vos defendentes chariſſimi &c. non ſunt conſilia, ſicut etiam multi Theologi errare videntur, ſed præcepta.*

Hæc Propoſitio eſt falſa, legis Chriſtianæ nimium oneratiua, & ſanæ intelligentiæ Scripturæ aduerſa.

2. *REquirere coram Iudice de iniuria reparationem Chriſtianis prohibitum eſt.*

Hæc Propoſitio eſt falſa, ſcandaloſa, iuri diuino naturalique diſſona.

3. *QVia Chriſtianus temporalia non debet amare, ideo propter ea non debet iurare.*

Hæc Propoſitio eſt in moribus erronea, & ſapiens hæreſim.

IVdæis ad libitum verum iurare eſt permiſſum.
4. Hæc propoſitio, ſi intelligatur permiſſum tanquam licitum, falſa eſt, diuino præcepto aduerſa, & antiquus error Iudæorum.

DE PVR-

DE PVRGATORIO.

S*Criptura diuina tota prorſus nihil habet de purgatorio.*
Hæc Propoſitio eſt falſa, Valdenſium errotem maxime fouens, ac ſan- 1.
ctorum Patrum ſententiæ repugnans.

*NOn videtur probatum eſſe, quòd animæ in purgatorio ſunt extra ſtatum 2.
meriti, ſeu augendæ charitatis.*

Hæc Ptopoſitio eſt falſa, temerarie & impie aſſerta, & in hoc quod prætendit, animas in purgatorio non eſſe extra ſtatum meriti, ſeu augendæ chatitatis, eſt in fide erronea.

*NOn videtur probatum eſſe, quòd ipſæ animæ in Purgatorio ſint de ſua bea-
titudine certæ & ſecuræ, ſaltem omnes.* 3.

Hæc propoſitio eſt falſa, & præſumptuoſe aſſerta, & in hoc, quod prætendit, animas purgatorij non eſſe cettas de ſua beatitudine, eſt traditioni Eccleſiæ & doctrinæ Sanctotum contraria.

*ANimæ in purgatorio peccant ſine intermiſſione, quamdiu horrent pœnas,
& petunt requiem, quia quærunt quæ ſua ſunt plus quàm voluntatem Dei, quod eſt 4.
contra charitatem.*

Hæc Propoſitio eſt falſa, impia, putgandis animabus iniuria & hæretica.

*IMperfecta ſanitas ſeu charitas morituri neceſſariò ſecum fert magnum ti- 5.
morem, tantoq; maiorem, quantò minor fuerit ipſa.*

Pœna purgatorij eſt pauor & horror damnationis & inferni. 6.

Vtraque harum Ptopoſitionum eſt falſa, temerarie & ſine ratione poſita.

*PRobabile eſt, animas purgatorij præ confuſione neſcire, quo ſtatu ſint,
damnatæ an ſaluatæ, imò ſibi videntur iam ire in damnationem, & deſcendere in 7.
lacum.*

*ANimæ in purgatorio nihil aliud ſentiunt, quàm incipere ſuam damnatio-
nem, niſi quòd ſentiunt nondum clauſam poſt ſe portam inferi.* 8.

Vttaque harum Propoſitionum eſt falſa, piarum aurium offenſiua, voluntate & irrationabiliter poſita, & ſtatui animarum purgatorij iniurioſa.

*OMnes animæ in purgatorium deſcendentes ſunt imperfectæ fidei ſeu ſani-
tatis, imò per quantamcunq; ablationem pœnarum non eſſent ſanæ, niſi prius ab eis 9.
auferatur peccatum, id eſt, imperfectio fidei, ſpei & charitatis.*

Hæc Propoſitio, quantum ad omnes partes, eſt fálſa, temerarie aſſerta; ac ſanæ ſcripturarum intelligentiæ diſſona.

DE CONCILIIS GENERALIBVS.

V*IA iam nobis facta eſt eneruandi autoritatem Conciliorum, & liberè contra- 1.
dicendi eorum geſtis, ac iudicandi eorum Decreta.*

Hæc Propoſitio, ſi velit Scriptor, licitum eſſe cuipiam Concilij legitimi autoritati contradicere, in iis, quæ fidem & mores concernunt, eſt ſchiſmatica & hæretica.

CErtum

2. *CErtum eſt, inter Articulos Iohannis Huſſ vel Bohemorum multos eſſe planè Chriſtianiſſimos & Euangelicos, quos non poſſit vniuerſalis Eccleſia damnare.*

Hæc Propoſitio, loquendo de Articulis condemnatis, de quibus intendit Scriptor, eſt falſa, impia & ſacris Concilijs iniuria.

3. *ISti duo Articuli: Vnica eſt ſancta vniuerſalis Eccleſia, quæ eſt prædeſtinatorum vniuerſitas, & vniuerſalis ſancta Eccleſia, tantum eſt vna, ſicut tantum eſt vnus numerus prædeſtinatorum, non ſunt Iohannis Huſſ, ſed Auguſtini ſuper Iohannem.*

Hæc propoſitio, ad Huſſitarum intelligentiam, eſt falſo Auguſtino attributa, Articuli autem loquendo de Eccleſia militante, de qua ibi fit ſermo, ſunt Propoſitiones hæreticæ.

4. *ISte Articulus: Duæ naturæ, diuinitas & humanitas, ſunt vnus Chriſtus, eſt à Catholicis concedendus. Et ſimiliter ille: Diuiſio humanorum operum eſt, quòd ſunt virtuoſa vel vitioſa, quia ſi homo eſt vitioſus & agit quidquam, vitioſe agit, & ſi eſt virtuoſus & agit quidquam, virtuoſe agit.*

Hæc Propoſitio eſt falſa, & ex ignorantia veræ Theologiæ aſſerta, Primus autem illorum articulorum, ſcilicet: Duæ naturæ &c. eſt Propoſitio hæretica. Secundus vero, ſcilicet diuiſio humanorum operum &c. eſt Propoſitio ſapiens hæreſim.

DE SPE.

1. *SPes non prouenit ex meritis.*

Hæc propoſitio eſt falſa, præſumptionis inductiua, ac ſacris Scripturis difformis.

DE POENA HÆRETICORVM.

1. *HÆreticos comburi eſt contra voluntatem Spiritus.*

Hæc Propoſitio eſt falſa, contra voluntatem Spiritus diuini aſſerta, & errori Catharorum & Valdenſium conſona.

DE OBSERVATIONE LEGALIVM.

1. *LIcet opera Legis quæcunq; fieri, ſi ea requirat charitas fraterna, modo non Lege cogente, quo caſu licet etiam modo circumcidi ſine periculo, & cum multo merito.*

Hæc Propoſitio eſt Chriſtianæ legi inimica, Iudaicæ perfidiæ fauens & hæretica.

DE BELLO CONTRA TVRCAS.

PRæliari

PRæliari aduerſus Turcas, eſt repugnare Deo viſitanti iniquitates noſtras per illos. 1.

Hæc Propoſitio vniuerſaliter intellecta, eſt falſa, nec ſacris eloquijs conformis.

DE IMMVNITATE ECCLESIASTICORVM.

SI Imperator vel Princeps reuocent libertatem datam perſonis & rebus Eccleſiaſticorum, non poteſt eis reſiſti ſine peccato & impietate. 1.

Hæc propoſitio eſt falſa, impia, ſchiſmatica, libertatis Eccleſiaſticæ eneruatiua, ac impietatis tyrannicæ excitatiua & nutritiua.

DE LIBERO ARBITRIO.

LIberum arbitrium non eſt Dominus actuum ſuorum. 1.

Hæc Propoſitio eſt falſa, ſacris Doctoribus ac omni doctrinæ morali aduerſa, cum Manichæorum errore conueniens, ac hæretica.

FRuſtra garriunt Sophiſtæ, actum bonum eſſe totum à Deo, ſed non totaliter. 2.

Hæc propoſitio eſt ſanctis Doctoribus eam ponentibus iniuria, Ambroſio potiſſimum, Auguſtino & Bernardo, quos hic Sophiſtas appellat, & quantum ad id quod prætendit, actum bonum eſſe totaliter à Deo, & nullo modo à Libero arbitrio, eſt hæretica.

Liberum arbitrium, dum facit quod in ſe eſt, peccat mortaliter. 3.

Hæc Propoſitio eſt ſcandaloſa, impia, in fide & moribus erronea.

Liberum arbitrium ante gratiam nihil valet niſi ad peccandum, non autem ad pœnitendum, ex Auguſtino de ſpiritu & litera. 4.

Hæc Propoſitio, accipiendo gratiam pro gratia gratum faciente, de qua loquitur Scriptor, eſt erronea, errori Manichæorum conformis, à ſacris eloquiis aliena, peruerſe & truncate ex Auguſtino allegata.

Liberum arbitrium ſine gratia tanto magis appropinquat iniquitati, quanto fortius intenderit actioni, ex Ambroſio. 5.

Hæc Propoſitio, accipiendo gratiam, vt prius, eſt falſa, piarum aurium offenſiua, à bonis operibus retrahens, inique & mutilate ex Ambroſio excerpta.

DE PHILOSOPHIA ET THEOLOGIA SCHOLASTICA.

PHiloſophia Ariſtotelis de virtute morali, de obiecto, de actu, de actu elicito, talis eſt, qua nec in populo doceri poſſit, nec eſt ad Scripturæ intelligentiam vtilis, quia continet duntaxat portenta verborum, non niſi ad contentionis verborum conficta. 1.

Hæc

Hæc Propoſitio, quantum ad omnes ſuas partes, loquendo de Philoſophia Ariſtotelis, in his maxime, in quibus à fide non diſcedit, eſt falſa, & tanquam ab inimico ſcientiæ arroganter ae inſipienter aſſerta.

2. *OMnes virtutes morales & ſcientia ſpeculatiua non ſunt vera virtutes & ſcientia, ſed peccata & errores.*

Hæc Propoſitio, quantum ad primam partem, quod virtutes morales ſunt peccata, eſt eodem modo qualificanda, ficut prius fuit illa qualificata: Opera quæcunque ante charitatem ſunt peccata. Quantum autem ad alteram, quod ſcilicet ſcientiæ ſpeculatiuæ ſunt errores, eſt manifeſte falſa.

3. *THeologia ſcholaſtica, eſt falſa Scripturæ & Sacramentorum intelligentia, & exulem nobis fecit veram & ſynceram Theologiam.*

Hæc Propoſitio eſt falſa, temerarie & ſuperbe aſſerta, ac ſanæ doctrinæ inimica.

4. *IN ſermonibus Iohannis Tauleri, lingua germanica conſcriptis, plus reperio, dicit Lutherus, Theologia ſolide & ſyncera, quam in vniuerſis omnium Vniuerſitatum ſcholaſticis Doctoribus repertum eſt, aut reperiri poſſit in omnibus ſuis ſententijs.*

Propoſitio, quam Lutherus aſſerit, eſt manifeſte temeraria.

5. *QVo tempore cœpit Theologia ſcholaſtica, id eſt, illuſoria, eodem euacuata eſt Theologia crucis, ſuntq; omnia plane peruerſa.*

Hæc Propoſitio eſt falſa, præſumptuoſe & irrationabiliter aſſerta, & errori Bohemorum damnato vicina.

6. *LIbidinem corrumpendæ Scripturæ iam ferme trecentis annis patitur Eccleſia, incomparabili damno ſuo à Doctoribus Scholaſticis.*

Hæc Propoſitio eſt falſa, ſtulte & malitioſe aſſerta.

7. *THeologi ſcholaſtici Ariſtotelis moralia prorſus conuenire mentiti ſunt cum Chriſti Pauliq; doctrina.*

Hac Propoſitione impudenter & falſo Theologis ſcholaſticis impoſuit Scriptor, quod non eſt verum, quanquam ſatis exploratum ſit, in multis moralia Ariſtotelis, cum Chriſti Paulique doctrina conſentire.

ADDITVR ET HÆC EX LIBRO DE Captiuitate Babylonica.

IN Dionyſio, qui ſcripſit de cœleſti Hierarchia, nihil ferme eſt ſolidæ eruditionis, Et omnia ſunt illius meditata in præfato Libro ac ſomnijs prope ſimillima. In Theologia autem myſtica pernicioſiſſimus eſt, platoniſans magis quam Chriſtianiſans, in Eccleſiaſtica vero Hierarchia ludit allegorijs, quod eſt ocioſorum hominum ſtudium.

Hæc Propoſitio eſt falſa, temerarie & arroganter aſſerta, ac viro ſancto inſigni eruditione claro iniuria, quem Damaſcenus diuinum Areopagitam, Pauli diſcipulum, ſacerrimum & dei loquentiſſimum appellat.

CONCLV-

CONCLVSIO.

NOs præfati Decanus & Facultas præmiſſa hæc omnia tempore multo examinauimus, & quid de his ſentirent Eccleſiaſtici Doctores, quidue ſacra Concilia, quid inſuper in Scripturis ſanctis caueretur, diligenter annotauimus. Poſt quod examen noſtrum apud Sorbonam ſæpius frequentatum, in pleriſque noſtris per iuramentum vocatis, & factis concionibus, vnanimi omnium voto fuerunt concluſa ac definita: ac demum ex abundanti in generali noſtra congregatione apud S. Maturinum rurſus per iuramentum ſuper his ſpecialiter denuntiata, Hæc eadem poſt Miſſam more noſtro celebratam iterum concordi omnium aſſenſu laudauimus, comprobauimus ac rata habuimus, laudamus, comprobamus ac rata habemus, & vt talia inconcuſſe tenenda noſtra ſententia definimus & decernimus.

Acta fuerunt hæc anno ab incarnatione Domini M.D.XXI. die XV. Apr. in quorum teſtimonium ijs Inſtrumentis, quæ in archiuis & ſcrinijs noſtris ad perpetuam rei memoriam reſeruamus, ſigillum noſtrum duximus apponendum, Ad quorum exemplar de mandato noſtro præſentes fuiſſe fideliter impreſſas teſtamur.

Noſque Iohannes le Coincte Rector vniuerſitatis Pariſien. mandauimus Iodoco Badio Aſcenſio, Librario noſtro iurato in virtute fidei nobis præſtitæ, vt hanc definitionem ſedulo imprimat, prohibemusque cæteris omnibus, tam iuratis quam non iuratis, ſub pœna amittendi officij, ſi quod à nobis habent, & ſub præiudicio nunquam habendi, ſi nullum habent, & ſummæ indignationis Vniuerſitatis, ne biennio proximo ſine noſtra autoritate imprimant, aut alibi impreſſam vendant, hancque cautionem nominis noſtri ſubſcriptione, quod ſigilli inſtar habere volumus, duximus muniendam.

ADVERSVS FVRIOSVM PARISIENSIVM THEOLOGAſtrorum Decretum Philippi Melanthonis pro Luthero Apologia.

VIde Chriſtiane Lector, quę Theologorum monſtra gignit Europa? Superiore anno Euangelium damnarunt Colonienſes ac Louanienſes Sophiſtæ, propoſitis quibuſdam nudis Sententijs, nec Rationibus, nec Scriptura confirmatis. Horum inſaniam vicere nunc non diſſimili exemplo, quicunque tandem ſunt, qui Pariſijs Lutherum damnarunt (adduci non enim poſſum, vt credam rem cōmunibus totius ordinis theologici ſuffra-

gijs actam eſſe) Nam præterquam quod illic pauciora reprobata ſunt, quanto durius hic & immitius tractatur Lutherus?

Primum adſcripta eſt Epiſtola eruenta, Deinde adiectæ ſunt adnotationes in ſingulas Lutheri ſententias, & impiæ & arroces, pleraque huius etiam ſiniſtre detorta ſunt. Et vel hinc etiam poteſt colligi, qui ſpiritus, quæ intemperiæ agant Decreti Autores, quando ſpiritus Dei nihil non facit candide. In vniuerſum eiuſmodi Liber eſt; qualem Lutetiæ ſcribi poſſe nemo facile crederet, ſiquidem ita vulgo perſuaſum eſt, in ea Schola, velut in arce quadam, regnare Chriſtianas literas. Neque negari poteſt, inde prodiſſe olim grauiſſimos homines, adeoque proximo ſeculo Gerſonem illum, plenum, vt adparet, Chriſtiani ſpiritus. ἀλλὰ κατὰ τὴν παροιμίαν, πάλαι ποτ' ἦσαν ἄλκιμοι μιλήσιοι. Atque illi, ſi nunc reuiuiſcerent, hos Iudices, quicunque ſunt, degenerem poſteritatem, putas agnoſcerent? Nequaquã, ſed deplorarent tum Scholæ, tum totius Reipub. Chriſtianæ ſortem, in qua pro Theologis Sophiſtas, pro Chriſtianis doctoribus calumniatores regnare viderent. Agnoſcerentque id eſſe tempus, quod apud Ieremiam Eccleſia deplorat his verbis: Abſtulit omnes magnificos meos Dominus de medio mei, vocauit aduerſum me tempus, vt contereret electos meos.

Gerſon.

Quanquam vbi rem propius conſidero videtur Lutetia non peccare nunc primum, ſed iam olim ineptire, cum eccleſiaſtica doctrina humanis diſputationibus viriata, philoſophari cœpit. Conſtat enim natam eſſe Lutetiæ prophanam illam Scholaſticen, quam Theologiam vocari volunt, qua admiſſa, nihil ſalui reliquum eſt Eccleſiæ. Euangelium obſcuratum eſt, fides extincta, recepta operum doctrina, & pro Chriſtiano populo, ne Legis quidem, ſed Moraliũ Ariſtotelis populus ſumus, & ex Chriſtianiſmo contra omnem ſenſum ſpiritus, facta eſt quædam philoſophica viuendi ratio.

Scholaſtica Theologia Lutetiæ nata.

O vtinam contingat vobis ſpiritualibus oculis cernere, quid Eccleſiæ damni dederit veſtra illa, apud vos & nata, & exculta Scholaſtica, quam à vobis acceperunt, quaſi per manus reliqua Europæ gymnaſia. Oportuit enim idolis terram repleri. Et vel articuli veſtri teſtantur, quam pertinaciter inde vſque ab ortũ Scholaſticæ philoſophati ſitis, in quibus quam pauci ſunt, qui ad pietatem pertinent? Quorſum enim hæc? Ego currit, eſſe abſurdam orationem, & intereſſe, neſcio quid, inter has orationes, Cuiuslibet hominis aſinus currit, & aſinus cuiuslibet hominis currit, Digna videlicet Chriſtiano gymnaſio dogmata.

Iam & palam decretum eſt, philoſophicas diſciplinas eſſe ad pietatem neceſſarias. Qui Articulus à quo ſpiritu prouectus ſit, non videmus? nempe ab eo, qui Euangelium obſcurari voluit humanis diſciplinis. Et huic vt ſucceſſerit conatus, non eſt obſcurum. Nam quæ Schola vſquam docuit pure ſacras literas? Pariſiaca vero cum hactenus tot annos philoſophetur, his temporibus non iam philoſophatur, ſed nugatur tantum de paruis logicalibus. Quid enim nugacius Verſore, Tartareto, & reliquis huius farinæ Scriptoribus? quales hoc ſeculo pene innumerabiles tulit Lutetia.

Verſor. Tartaretus.

Vidi Iohannis Maioris Commentarios (de moribus hominis non iudico) in ſententias Longobardicas, quem nunc inter Lutetiæ Theologos regnare aiunt. Bone Deus, quæ plauſtra nugarum? Quot paginis diſputat, vtrum ad equitandum requiratur equus? Num ſalſum mare a Deo conditum ſit? Vt interim prætercam, quam multa impie ſcripſerit de voluntatis libertate. Nam eo loco non modo à Scriptura, ſed & ab omnibus pariter Scholaſticis variat.

variat. Et cum tales ſint Pariſijs, non eſt quod mireris Lector, cur parum propicij ſint Luthero. Nihilo quondam æquiores erant Gerſoni ſuo, viro per *Gerſon.* omnia magno, cum ſaniores eſſent Lutetiæ Scholæ. Nunc quid fieret, cum omnia plena ſunt ſophiſticis fucis?

Compertum autem habeo eſſe ibi etiam quibus non diſplicet Luthe- *Iohannis Maioris.* rus, ſed ita euenire ſolet non modo in ſacris, ſed & ciuilibus negotijs, maxime vero in ſacris, vt & pauciores ſint, qui boni ſunt, & plurimum poſſint, quos minime oportuit. Id quod vidit etiam Homerus, quanquam cæcus, cum ait: τὰ χερείονα νικᾷ. Quis neſcit enim in Capniónia cauſa per quas laruas res acta ſit, cum facultas etiam diceretur decreuiſſe. Septem, ni fallor, ad ſummum, & in his Monachi aliquot conuenerant, qui, ſicut ipſi loquuntur, repræſentabant Facultatem. Quid ſi idem hic accidit? Quanquam non refert qui decreuerint, quid decretum ſit, conſiderandum eſt, Nec angelis Euangelium vitiantibus cedendum eſſe iubet Apoſtolus. Nos inſulſis iſtis & bene pinguibus Magiſtris noſtris, qui ne ſua quidem parua logicalia recte didicerunt, cedemus? Apoſtolum neq; poteſtates neq; principatus ab Euangelio auellunt. Nos auellant hæ hominum laruæ? Quid enim ſunt præter laruas? Valeat nomen Magiſtrorum noſtrorum, valeat nomen Pariſienſium, ſed in ſuis ſcholis, in repub. Chriſtiana nihil valeat præter vocem Chriſti, quam qui non audit, is Chriſti non eſt.

NON referebat admodum reſpondere, quando præter nudas Propoſitiones nihil opponitur Luthero, qui ſua ſic vndiq; Scriptura communijt, Inprimis autem in Libello, quem inſcripſit Aſſertionem Articulorum à Leone X. damnatorum, vt impia iudicari, niſi ab impijs non poſſint. Tamen indicare paucis libuit vnum aut alterum locum, ex quo æſtimare reliqua, & iudicare de toto Decreto liberius poſſis.

Principio, niſi alicuius conducticij Rhetoris eſt Epiſtola, quam præfixerunt Decreto, næ egregie ineptijt Theologus ille quiſquis eſt, qui ſcripſit, quæ nihil preter muliebres quaſdam furias continent? Qualia enim, quæſo ſunt? Solus vult ſapere, Contemnit nos, Manichæus eſt, Montanus eſt, Inſanit, Coherceatur igni & flamma, quod non ſiuit ira congrue dicere.

Porro, hic etiam vulgus communem ſenſum in iſta ficticia Facultate deſiderabit, quod igni potius perdendum ait, quam ratione vincendum eſſe Lutherum. Quis non rideat hic muliebrem, & plane Monachalem impotentiam & cum ſupportatione liceat mihi monere ſpectabilem Dominum Decanum: Parcatis Domine Decane, vos eſtis iam iratus. Num ignoratis, quod ait Poeta Furor iraq; mentem præcipitant. Nuſquam per gratias ſic ineptierunt vel Colonienſes vel Louanienſes, vt propemodum credam, non omnino te- *Galli cerebro carentes.* mere dictum eſſe à quibuſdam veteribus, cerebro Gallos carere.

Accuſant hæreſeos Lutherum, non quod à Scriptura, ſed quod ab Vniuerſitatibus, S. Patribus, Concilijs diſſentiat. Deinde prima principia fidei *Prima fidei principia.* vocant Vniuerſitatum, S. Patrum, Conciliorum ſententias. Hic ego veſtris etiam Decretis, ſi res eſt obſcura, vobiſcum agere poſſem. Quid autem manifeſtius eſt quam nec Vniuerſitates, nec S. Patres, nec Concilia poſſe Articulos fidei condere, quandoquidem fieri poteſt, vt errent, non modo Vniuerſitates, ſed & S. Patres & Concilia, Quod ſi mihi non creditis, Occhamo ſaltem veſtro credite.

Ecquid igitur principia fidei vocatis hominum opiniones? Quis ignorat à Paulo dictum eſſe, Fundamentum aliud poni non poſſe præter id, quod *Cor. 3.*

poſitum eſt, loquitur enim de doctrina. Eequos nouos Articulos fidei Magiſtri noſtri Pariſienſes addent? niſi ſuos illos fortaſſe rancidos, & in popinis natos articulos? Iam cum articuli fidei nulli ſint, niſi quos præſcripſerunt ſacræ literæ, cur impium eſt, vel à Concilijs, vel ab Vniuerſitatibus, vel à S. Patribus diſſentire, modo à Scriptura non diſſentiamus. At non diſſentit à Scriptura Lutherus, etiam veſtro iudicio, cur igitur impietas accuſatur?

At diſſentit à Scripturæ expoſitione, quæ hactenus per Patres, per Concilia, per Scholas recepta eſt. Hæc eſt, vt video, controuerſiæ ſumma. Hic ego, Magiſtri noſtri, interrogo, ita ne ſit prodita Scriptura, vt ſine Conciliorum, Patrum, ac Scholarum expoſitione, certa eius ſententia colligi poſſit an non? Quod ſi negabitis, certam per ſeſe Scripturæ ſententiam eſſe, ſine gloſis, non video, cur oportuerit edi Scripturam, ſi noluit Spiritus ſanctus certo conſtare, quid nos ſentire vellet. Aut cur omnino nos ad ſcripturæ ſtudium inuitant Apoſtoli, ſi incerta eſt eius ſententia? Quid quod catenus ſibi credi Patres volunt, quatenus per teſtimonia Scripturæ ſua communierunt? Quid quod etiam vetera Concilia ſine Scriptura nihil decreuerunt, & hac ratione inter Concilia vera & falſa diſcernimus, quod hæc cum Scriptura euidente conſentiunt, illi à Scriptura diſſentiunt.

Proinde dabitis mihi, certam eſſe Scripturæ ſententiam ac perſpicuam, ita vt ipſa, ſi quis alicubi locus eſt obſcurior, ſeſe exponat, præſertim in ijs, quæ ſciri crediq; voluit ſanctus Spiritus. Voluit autem haud dubie Legem cognoſci, vt quam iubebat etiam ædium veſtibulis inſcribi, & inſculpi veſtium fimbrijs. Voluit item cognoſci Euangelium, hoc eſt, rationem iuſtitiæ donatæ per Chriſtum. Nam cum debeat eſſe petra, verbum Dei, cui innitatur anima, quæſo quid ſentiet de eo, niſi certum ſit, quæ ſit ſententia ſpiritus Dei. Iam cum certa ſit Scripturæ ſententia per ſeſe, debet præferri non modo Scholis aut Patribus, ſed & Concilijs diuerſum ſentientibus, Apoſtolo ad Galatas auctore: Si angelus de cœlo euangelizet, præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema ſit. Liceat igitur Luthero opponere certam ſcripturæ ſententiam Concilijs, Patribus & ſcholis. Quid hic Sophiſtæ reſpondebitis? quas hic nobis gloſas? quæ parua logicalia? quas obligationes comminiſcemini? Aut negate certam eſſe Scripturæ ſententiam, aut permittite Luthero opponere Scripturam quibuſuis diuerſum ſentientibus.

IAm nec hoc permittemus vobis, aduerſari vel Patribus vel Concilijs Lutherum. Et, vt de Patribus primum loquar, An non Lutheri de libero arbitrio, de gratia, ſi recte rem æſtimes, ſententia tota Auguſtini eſt, Et hunc per omnia ſecutus eſt in Commentario ad Galatas, extant vtriuſq; commentarij, quos ſi conferas, videbis conuenire inter eos de rerum ſumma. Extant Auguſtini Libri aduerſus Pelagianos, quos ille iam natu grandior ſcripſit, eos ſi cõtuleris cum Lutheranis dogmatibus, videbis de ſumma rei conuenire. Fortaſſis alter alicubi quiddam dixit argutius, & multa Lutherus diligentius (rumpite vos interim Magiſtri noſtri) quam Auguſtinus.

Libri Auguſtini aduerſus Pelagianos.

Sed hoc ad rei ſummam non ita multum facit. Ecce in primatio loco, adeoq; in eo, in quo potiſſimum regnat Luherus, habet ὁμόψηφον Auguſtinum & patronum minime vulgarem, habet item ſuæ ſententiæ teſtes quotquot in ea diſputatione Auguſtino ſuffragantur. Suffragatur autem Cyprianus, nam illius enarrationem in orationem dominicam fideliter citat, Suffragantur & qui poſt Auguſtinum ſcripſere, Autor Libelli de vocatione Gentium

tium, nam Ambroſij non videtur eſſe. Maxentius apud Græcos. Porro ex Auguſtini Libris eos recepimus, quos ipſe potiſſimum probari voluit.

Atq; hęc ideo recenſeo, non quod magni putem referre, quid Scriptores ſenſerint, quicunque tandem ſunt, quando de Scripturæ ſententia conſtat, ſed vt ſatisfaciam moroſis, qui putant nouaſſe omnia Lutherum, cum is aliud non egerit, quam vt reuocaret nos ad Scripturam, adeoq; ad Patres etiam, qui ad Scripturę ſenſum proxime acceſſerunt. Vos quid agitis? num aliud, quam vt in Scoti formalitatibus, in Occhami connotatis grandeſcant potius, quã in Chriſto, Chriſtianorum animi? Nec aliter exorienti Euangelij luci (audite Sophiſtæ, non intellecturi) aduerſamini, atq; Moſi Iamnes ac Mambres. Quorum poſteritas eſt Sorbonæ familia, nempe ex illa Sorbonitide Aegyptica prognata.

Porro, qua fide aliquoties citaueritis aduerſus Lutherum Auguſtini ſententias, paulo poſt monebo. Iam & præter locum de libero arbitrio & gratia, verum eſt, quod non vult diſtingui Lutherus Legem in Concilia & præcepta. Quod commentum ſoli ſcholaſticæ Theologiæ debemus, quæ vbi cæpit diuinam legem ad Philoſophiam Ariſtotelis exigere, pro libidine refixit quas voluit leges Dei.

Quis enim veterum non pro neceſſarijs legibus habuit, ea quæ ſancita ſunt de non vindicando. Hilarius, exigunt, inquit, Euangelia vlciſcendæ iniuriæ diſſimulationem. Auguſtinus in ſermone Domini in monte, præcepta vocat, quæ iſti conſilia, atq; ita diputat, vt neceſſariam eſſe legem de non vindicando adpareat. Et in hac ſententia eſt Chryſoſtomus, qui tantum abeſt, vt vindicari permittat, vt non aliam legem exigat pertinacius. Extat illius ὁμιλία, quam, ſi licet vobis per parua logicalia, Magiſtri noſtri, relegite. Quod cum Ariſtotelis philoſophia non conuenit lex, non laboramus, Quid enim ad nos, quid ille impurus homo commentus ſit, Num Chriſto pluris Ariſtotelem faciemus?

Hilarius.
Auguſtinus.
Chryſoſtomus.

Sed de hac lege infra paulo plura diſſeremus. In plerisq; locis alijs idem oſtendi poteſt, conuenire Luthero cum veteribus. Sed cum ex ſententia de libero arbitrio & gratia, fere colligi poſſint, quæ de contritione & ſatisfactione ſcripſit Lutherus, quid attinet multis Patrum teſtimonijs agere, niſi quod ἐν τῇ μεσημβρίᾳ λύχνον?

Sunt autem quædam in Lutheranis, quæ in Patrum ſcriptis non facile reperias, qualia ſunt, quæ de Sacramentorum numero, de Confeſſione, de votis, deq; ſimilibus temporum noſtrorum cauſis prodidit. Non enim illorum temporum ratio ferebat, & adhuc purior erat Chriſtianiſmus, vt de paucioribus quam nunc dubitaretur. Nondum habuerat ea ætas Pontificum tyrannicas leges, nondum habuerat Magiſtros noſtros Pariſienſes, adeoq; articulos Pariſienſes, qui Euangelium adeo obſcuraſſent. Fortaſſe meridies erat Euangelij, nunc veſper eſt, & vna cum peccatis noſtris, etiam cæcitas, peccatorum noſtrorum atrociſſima pœna, mentes occupauit, quæ pro Euangelio humanas doctrinas, Sorbonæ Theologiam ſuggeſſit. Eam pœnam his temporibus an non vbiq; interminatur ſpiritus Domini in Prophetis? Et Paulus ait fore, qui à fide diſcedant, qui corrumpant humanis doctrinis Euangelium & hoc genus multa, Hi, niſi ſunt Sorbonæ Theologi, non intelligo quid velit Apoſtolus.

Pœna peccatorum cæcitas.

2. Timo. 4.

Vides, Lector, conuenire magna ex parte Luthero cum Theologis veteribus, Quando iuſtius igitur in Magiſtros noſtros Pariſienſes retorſerimus? ineptire eos, qui Theologiam nobis præſcribunt, ne per ſomnium quidem

celeberrimis Eccleſię Doctoribus cogitatam. Quod ſi impietas eſt refragari Patribus, nemo magis impius eſt Pariſienſibus diſputatoribus, qui in principalibus Theologiæ locis velut ex diametro cum Patribus pugnant.

Bona Patrum pars, peccatum vocat & vitium, quidquid ſine ſpiritu Chriſti fit. Hi non modo non peccatum, ſed & meritum congrui cenſent eſſe moralia quædam, ſic loquuntur, opera. O cæcitatem. Bona Patrum pars negat poſſe legem fieri ab homine per vires humanas, Hi diſtinguunt. Audi, Lector Pariſienſes blaſphemias, poſſe legem fieri, quo ad operum ſubſtantiam, non poſſe, quo a præcipientis intentionem, Quaſi vero præter ſubſtantiam operis amplius aliquid requirat Legiſlator. Vtinam mihi, Pariſienſes, iſta coram vobiſcum in veſtra illa Sorbona daretur commentari, vt viderem, num vos tam craſſi, tam putidi, tam Sorbonici commenti puderet etiam. Veſtra eſt illa, Magiſtri noſtri, non Lutheri Theologia, quæ à Patribus diſſentit. Ad vos tragica iſta veſtra pertinent, impios eſſe, qui ab Eccleſiæ Doctoribus variant.

Peccatum. Vitium. Meritum congrui &c.

ET hactenus quidem de Doctoribus, nunc Concilia videamus. Quibus tandem Concilijs refragatur Lutherus? Videri vultis Lutheri doctrinam veterum Concilijs damnatam, cum ex eo Montanum, Manichæum, Ebionem, & quid non? facitis? Hic aut rhetoricari voluit Epiſtolæ autor, aut nihil eſt Sorbona Pariſienſi tum malignius, tum impudentius. Veterum hæreticorum nomina quo conſilio in Lutherum congeſſerint, quis eſt qui non olfaciat, nempe, quo odioſius Lutheri nomen fieret. Deinde id quam maligne factum ſit, facile deprehendent etiam mediocriter eruditi. Nam quod Montano confertur Lutherus, quis non videt quam non ſiat candide? Sibi credi volebat Montanus, & fidebat ſuo quodam ſpiritu, Lutherus nihil vult ſibi credi, ſed euidenti & perſpicuæ Scripturæ, Nihil de ſuo ſpiritu, ſed de ſcriptura iactat.

Montanus.

Quando propius ad Montanum vos acceditis, qui vultis, vt ſpiritui hominum, Conciliorum, Patrum & Vniuerſitatum credimus, potius quam Scripturæ. Imo nihil niſi Montani eſtis, vos Pariſienſes Sophiſtas volo, qui hoc Decretum ſine ſcripturis edidiſtis, iactatiſq; vos fidere Apoſtolico more, quaſi conſtet, eundem eſſe ſpiritum vobis, qui Apoſtolis erat. Sed de his poſtea.

Quæſo te, Chriſtiane Lector, nunquid putes eſſe Chriſtiani ſpiritus in Sorbona illa, quam adeo nihil pudet mentiri Nam cum palam ſit ipſimet Sorbonæ nihil conuenire inter Montanum & Lutherum, audet tamen Montani nomine optimum virum infamare.

Iam & Ebionem ex eo fecit, nihilo vel candidius, vel cautius. Exigebat Ebion cæremonias Legis. Lutherus non exigit, ſed liberas eſſe permittit, vt quiuis pro opportunitate ac charitatis officio ſe attemperet vel inſeruiat Legi, vel negligat citra culpā. Nam ita ſentiebat & Paulus in vltimo ad Galatas capite exæquans ceremonias, rituſq; In Chriſto Ieſu neq; circuncisio aliquid valet, neq; præputium, ſed noua creatura. Et in prima ad Corinth. 7. Circunciſus aliquis vocatus eſt, non adducat præputium, id eſt, ſi inter Legis obſeruantes vocatus eſt, inſerui eorum conſuetudini. In præputio autem aliquis vocatus eſt, non circuncidatur. Circunciſio nihil eſt, & præputium nihil eſt, ſed obſeruatio mandatorum Dei &c. Satis, opinor, perſpicuum eſt, quid inter vtranque ſententiam interſit, ſatis etiam puto liquere, quam candide Lutheri ſententiam ad Ebionis hæreſin detorſerint.

Ebion.

Gal. 1.
1. Cor. 7.

Eiuſmodi

Eiuſmodi eſt item, quod Manichæum nomen tribuunt Luthero, idem Auguſtino Pelagiani tribuebant, ſicut ipſe teſtatur in primo libro aduerſus duas Pelagianorum Epiſtolas, in capite ſecundo, Sic enim diſtinxit Scriba quiſpiam·Non pudebit Lutherum eius conuitij, ſiquidem cum Auguſtino commune habet, quo non habuit Manichæa factio vehementiorem hoſtem. Pelagiani, imo Pelagianis impuriores ſunt ſcholaſticæ Theologiæ Scriptores, quare non eſt, quod meremur, cur Manichæum vocetis Lutherum, qui præter ſcholaſtica, hoc eſt, bis Pelagiana nihil ſapitis. Et Auguſtinus, vt excuſet Manichæum nomen, non eſt obſcurum ex Apologia aduerſus Pelagianorum Epiſtolas, . Atq; eo loco de ſeruitute voluntatis aptius diſſerere videtur, quam vbi cum Felice Manichæo diſceptat. Patrocinabitur idem, ſi recipitis, & nobis. Quod ſi adeo cæci ſunt Magiſtri noſtri Pariſienſes, vt ſerio arbitrentur, nihil intereſſe inter Lutheri ac Manichæi ſententias, Quid quæſo, hoc hominum genere cæcius eſt? Rurſum, ſi per malitiam tribuunt, quæ ad eum nihil pertinere intelligunt, quid malignius? *Scholaſtici Theologi.*

Eſt autem Manichæa ſententia prolixior, quam quæ hic recenſeri debeat, quod toto doctrinæ genere diſſentiat à Chriſtianis dogmatis, ſi quid Auguſtino illius dogmata paſſim recenſenti creditur. Et quod ad hanc cauſam attinet, ſic Manichæus negabat humanæ voluntatis libertatem, vt negaret eſſe ſubſtantiam, quæ renouaretur adeoq; libertatis capacem. Lutherus ita negat libertatem, vt eſſe cenſeat ſubſtantiam, quæ dum per ſpiritum renouatur, a ſeruitute adſeritur. Ex his facito, Lector, de reliquis coniecturam. Nam qua fide hæc, quæ commemoraui, ad Lutherum detorta ſunt, eadem & pleraq; alia. *Manichæus.*

Redeo nunc eo, vnde digreſſus ſum. Palam eſt, veterum Concilijs non eſſe reprobatam Lutheri doctrinam, ſiquidem ei vſq; adeo nihil cum hæreticis conuenit. Quanquam hoc etiam loco conſiderandum erat, vt maxime conueniret cum illis Luthero, Quid, qua ratione in ſingulis factionibus hæreticorum damnatum ſit, Nam quæ tam deplorata fuit hæreſis, quæ nulla in re non peccarit? Iam hæc omnia ita ſcribo, non quod velim eam etiam priſcis Synodis autoritatem eſſe, vt ſi opponat euidentem Scripturam Lutherus cuicunq; Synodo, de Scriptura cedendum ſit, Sed vt moneam Lectorem, quantum tragicis illis Magiſtrorum Pariſienſium vocibus credendum ſit, Lutherus damnat omnia Concilia, ſanctos Patres, Montanus eſt, Ebion eſt, Manichæus eſt, Artotyrita eſt, & hoc genus alij.

Fuerunt autem papiſtica Concilia aliquot intra hoc tempus regni Antichriſti Romani, his refragari ſe fatetur Lutherus, ſed præeunte Scriptura euidenti. Et cur non refragaretur, quando in illis tam multa impia aduerſus Euangelium conſtituta ſunt? Claues Eccleſiæ eſſe omnibus communes negat Viennenſe Concilium. Eccleſiam eſſe prædeſtinatorum vniuerſitatem, negat Conſtantienſis Synodus. Eadem decreuit eſſe quædam bona opera præter gratiam, quæ ſententiæ ex diametro pugnant cum Euangelio. Aduerſetur igitur Concilijs Lutherus Chriſto duce, aduerſus quem qui decreuerunt, non erant Chriſti Eccleſia, ſed Antichriſti. Nihil ne peccauerunt ex Synodi Lugdunenſis credo & Viennenſis, quæ Pontificum Epiſtolas adprobarunt? in quibus vel ca. Ad abolendam. Item c. Venerabilem quis ferat? *Concilia Papiſtica. Viennenſe Concilium. Conſtantienſis Synodus.*

Quid eſt igitur, quod Concilia iactatis Sorbonæ Theologi, nihil niſi Sorba. Negare non poteſtis, quin aduerſum Scripturam nihil liceat conſtitui, & reuelli poſſe ſi quid contra illam ſit decretum. Permittite igitur Luthero Conciliorum decreta ad Euangelium exigere, permittite præferre Euangelium,

gelium,ſi quid diuerſum conſtitutum eſt. *Verbo Dei* etiam Angelos cedere par eſt,cedant & portæ inferorum,cedant homunculi,quibus conſtitutiones papiſticas debemus.

DE Vniuerſitatibus non *eſt* quod laboremus, Nam omnes Scholas eſſe hæreticas vel *Theologia* ſcholaſtica coarguit. Hic conclamate Magiſtri noſtri: *Blaſphemauit* , Gymnaſia hæreſeos accuſat. Recte,ſicubi profitentur,quę *ab Euangelio* diſſentiunt , & diſſentit Pariſiorum ſcholaſtice,quæ iam ſola *in omnibus* fere Europæ ſcholis regnat, ac Lutetiæ potiſſimum. Proinde *nihil eſt*, quod mireris,Lector,cur Academijs aduerſetur Lutherus,*dominibus* mendacij,vt Micheas appellat.

Academiæ domus mendacij ſunt.

Sed quis *credat,in*quies,tot errare? Errant quotquot diuerſum à Scriptura docent,*quotquot* illam impiam ſcholaſticen probant. Sed tam multi? maxime. Nam & *in* Samaria,inter quam multos ſacerdotes Baal, quam pauci erant *Heliæ? Propone* oculis vniuerſam tum Iudæ,tum Samariæ hiſtoriam, in qua *præluſum eſt* Eccleſiæ,quam paucos Prophetas,quam multos Idolatras, & *poſtremo* tempore quantum Zadducæorum & Phariſæorum,hoc eſt, ſacerdotum ac monachorum & ſcholaſticorum reperias. Num obſcurum eſt, quod ab *Ezechiele* Propheta dictum eſt: Sicut mater,ita & filia? Imitati ſumus,*imo* vicimus omnia Synagogæ portenta, vt præ nobis etiam illa pia videri *poſſit*, vt Prophetæ ſermone vtar.

INtelligis,opinor,quantum Luthero cum Patribus ac Concilijs conueniat,cum Scholis religio vetat conuenire. Nunc conſidera,quid ſapiant Sorba iſta,cum principia fidei vocant Patres,Synodos & Scholas,quanquam,niſi nihil video,non hoc dolet,quod Patribus & Synodis contradicitur,ſed quod ſcholaſtica parum digne tractatur. Hæc illa Helena eſt, pro qua decertant Magiſtri noſtri. Ecquid non ita ſcribebatiş in illa veſtra plane Sorbonica Præfatione? Nos ſumus Magiſtri noſtri, & profitemur ſcholaſticam Theologiam,nihil neque nobis cum Scriptura, neque Scripturæ nobiſcum. Actum eſt de regno noſtro,niſi è Synagoga eiecerimus,qui Scholaſticen non recipiunt,omnia nobis mouenda miſcendaq; ſunt, ne cadat Scholaſtice,quæ niſi ſalua ſit,nos perierimus. Eſto cum Scriptura,cum veteribus Patribus,cum veterum Synodis conueniat Luthero,pereat,niſi reiectis illis nos adoret. Principia fidei nos ſumus,non Scriptura,neque vero pugnandum eſt ratione cum homine illo,nempe principia,hoc eſt, Magiſtrorum noſtrorum Sorbonicorum ſomnia,negante,Vapulet,pereat,quia negat prima principia.

Prima principia fidei.

Dementia erat vocare fidei principia Synodos & Patres,quando fundamentum aliud præter Scripturam poni non poteſt. At inſolens furor eſt, Sorbonicorum Commenta Scripturæ anteferre. Hæreticus non ſit, qui à Scriptura diſſentit, ſit hæreticus, qui diſſentit à Sorbis gallicis. Sed valeant ineptiæ. Quid enim attinet in re tam manifeſta tantum verborum perdere? Quid enim manifeſtius eſt,quam quod paulo ante diximus, perſpicuæ Scripturæ. Synodorum quarumcunque,Patrum & Scholarum ſententias debere cedere?

QVin cætera in illa Sorbonica Epiſtola perſequimur. Is cui credet,inquiunt,qui Eccleſiæ catholicæ fidem habere detrectat? aut quomodo catholicis adſcribetur,qui Eccleſiã non audit? cum ex ore veritatis dictum ſit. Si Eccleſiam non audierit,ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus. Quæſo autem,vos Magiſtri,quid vocetis Eccleſiam? Sorbonam ne gallicam?

At ea

At ea eſſe Chriſti Eccleſia qui poteſt, quæ à Chriſti verbo aliena eſt? cum vocem ille ſuam teſtetur ab omibus ſuis agnoſci. Nos Eccleſiam vocamus eam, quæ verbo Dei condita, verbo Dei paſcitur, alitur, fouetur, regitur, Breuiter, quæ omnia ex Euangelio comparat, de omnibus iuxta Euangelium iudicat. Nam qui ex Deo eſt, verba Dei audit. Rurſum qui non audiunt, non ſunt ex Deo. Et cum Eccleſia diuino ſermone parta ſit, haud dubie eodem alenda eſt. Agnoſcet vos Lutherus pro Eccleſia, ſi ſermonem Dei docueritis. Non agnoſcet, ſi nihil præter fatuos & rancidos articulos veſtros produxeritis. Audit Eccleſiam, ſed eam, quæ verbum Dei profitetur, illius ſe iudicio ſubijcit, quæ nihil non exigit ad verbum Dei, quæ iudicium ſacrarum literarum, non Sorbonicorum ſomniorum ſequitur. Quod enim monſtrum fuerit Eccleſia, ſi ad cuiuſuis Sorbonici ſomniatoris commentum variatur? Quis Chamæleon, quis Polypus, imo quis Protheus erit mutabilior?

Iam cum diceret Chriſtus: Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus. An non volebat accuſari coram Eccleſia ſontem, volebat & per teſtes conuinci, volebat iudicari ſecundum præſcriptum adeoque Euangelium? Vos priuſquam accuſaueritis Lutherum, conuiceritiſque per Scripturas, damnatis. Nudi quidē articuli ſine Scriptura, ſine rationibus proponuntur, In quibus iam nō accuſatur, ſed damnatur à vobis Lutherus. Nam vt reliqua valeant, ſola Sorbona Eccleſia eſt? quod excludit Lutherum è communione piorum. Accuſare debebatis, non damnare. Scripturæ teſtimonia debebatis ſubnotare, non nudos articulos proponere, ac iudicium Eccleſiæ permittere. Nunc vos peruerſo ordine, tum diuini tum humani iuris, non accuſatis, non conuincitis, ſed damnatis tantum. Nempe, quia eſtis Magiſtri noſtri Sorbonici. Pudeat tandem Sorbonæ Galliam tam imple delirantis. *Si Eccleſiam non audierit &c.*

SEd næ ego vehementer ineptus ſum, qui tam irreuerenter Sorbonam tracto, nouos hoc tempore gignentem Apoſtolos. Aiunt enim Apoſtolorum exemplum ſe imitari Magiſtri noſtri, cum nudas quaſdam ſententias citra Scripturæ autoritatem proponunt. Atque vtinam nobis non hac tantum parte referrent Apoſtolos Scripturarum autoritatem Chriſtus citat, & ſibi vult fidem haberi propter Scripturæ ſuffragationem. Paulus propè nihil niſi aliena verba, hoc eſt, ſcripturæ veteris Teſtamenti ſonat, Apoſtolorum conciones quid aliud ſunt, niſi teſtimonia de Chriſto repetita ex veteri inſtrūmento? Soli Sorbonæ ſine Scripturis credemus? Prodite vos è Sorbonico ſpecu, Magiſtri noſtri, in hanc lucem, vt, num qui oculi, num quæ frons ſit tam ineptis hominibus, videamus. Scilicet Apoſtolicum inſtitutum eſt, prodere dogma ſine teſtibus? cum ne Chriſtus quidem ſine Scripturis ſibi credi voluerit.

Quin conferimus Apoſtolorum factum cum Sorbonico. Propoſita de Legis ritibus quæſtio erat, vt in cap. 15. geſtorum Apoſtolicorum ſcribitur, Ibi cum varijs teſtimonijs Scripturæ & manifeſtis argumentis ac ſignis diuinus ſpiritus ſignificaſſet, Gentes non eſſe onerandas iudaicis cæremonijs, decretum eſt de libertate. Hic vos interrogo, Magiſtri noſtri, quibus ſignis, quibus Scripturæ teſtimonijs adacti de Luthero pronuntiaueritis? Quanquam ne ſignis ſiquidem temere credemus, Scripturæ tantum credimus. Deinde deliguntur, qui Apoſtolorum mandata proferant viua voce, confirmentq; Eccleſiarum fidem. Vos quem mittitis ad Eccleſias, qui illis rationem ſententiæ veſtræ exponat? Poſtremo addunt Epiſtolam, in qua Spiritus ſancti teſtimonium adlegant, cum aiunt: Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis, Vos quem ſpiritum adlegatis? *Actor. 15.*

Audite

Audite tandem, vos ſurdæ aſpides, quem ſpiritum orbi terrarum teſtem adlegatis veſtræ doctrinæ? Spiritum Dei allegant Apoſtoli, nempe, quibus certo conſtabat per Scripturam de voluntate Spiritus diuini, Iam & Eccleſijs conſtabat de Apoſtolico ſpiritu. Nos de ſpiritu veſtro quid ſentiemus? Quid ſi vobis aliquis dicat, quod ille in Actis: Ieſum & Paulum noui, vos autem qui eſtis? Quid, quod non ita ſcribebant Apoſtoli, quanquam ſpiritus teſtimonium citarent, vt putarent ſatisfactum rei tantæ, per nudam Epiſtolam, ſed addebant nuntios, qui confirmarent Eccleſiam ſermone copioſo. Nunc Eccleſiæ ſermonem, non dogmata requirunt. Et Petrus vult Chriſtianos paratos eſſe, reddere rationem fidei ſuæ. Id nunc orbis terrarum vos quoq; Magiſtri noſtri poſtulat. Iam ante palam erat in ſcholis, quid ſentiret Lutetia. Extant enim veſtri commentarij, extant ſcholaſticæ diſputationes. Nunc ratio illius veſtræ doctrinæ quæritur, Nam Articulos illos aduerſus Lutherum vel in media Germania potuiſſet puer aliquis è Gabriele aut Scoto ſublegere, Adeo non eſt obſcurum, quid ſentiat Lutetia, ſed obſcurum eſt, cur ita ſentiat. Rationem veſtræ doctrinæ poſcit Lutherus, non dogmata, nempe, quæ niſi noſſet, non damnaret. *Acto. 19.*

Atq; vtinam ad cor redeatis, cogitetiſq; de maioribus rebus à Luthero agi, quam de quibus vel Pariſiacæ ſcholę, vel Luthero citra Scripturæ teſtimonium credi debeat, aut poſſit. Qui Luthero fauent, ideo fauent, quia relectis hominum commentis vident aliud non docere, quam quod ipſæ prodiderunt ſacræ literæ. Iidem vobis credent, ſi conuenire intelligent cum Scriptura, quia Chriſtum requirunt, tum à Luthero, tum à vobis. Arbitramini vos habere vaſa cantici, ſicut Dauid, Sic enim Propheta loquitur, Sed vobis tantum, idq; intus, canitis, Lutherus canticum ſuum, hoc eſt, doctrinam ad probat toti orbi Chriſtiano, per Scripturæ ſuffragia.

Nihil iſta ad Chriſtianos, Magiſtri noſtri ſumus, Pariſienſes ſumus, Sorbonici ſumus, Parentes omnium diatribarum ſumus, Nam vana nomina ſunt, ad quæ iam pene obſurduit Germania. Proinde hortor, vt ſi impietatis notam excuſare vultis, rationem veſtri de Luthero iudicij exponatis. Conferte cum Lutheranis, non dogmata, ſed argumenta dogmatum veſtrorum, niſi Chriſtiani haberi non vultis. Declarare aliquando, quo ſpiritu à Sorbonicis Apoſtolis damnatus ſit Lutherus, Id nō modo nunc expectat Chriſtianus orbis, ſed & poſtulat iure Chriſtiani officij, vt doceatis, quid, cur, damnaueritis.

Liberum arbitrium &c. ET vt finiam aliquando, in vno atque altero loco viſum eſt oſtendere, quæ inſcitia ſacrarum rerum, quæ impietas ſit Sorbonæ. Nam inde facile reliqua æſtimari poterunt. Lutherus ſic de libero arbitrio ſcripſit, Non poſſe illud citra gratiam aliud quam peccare. Nota res eſt & plana, ſi Scripturam conſideres. Sic enim ait Apoſtolus Paulus: Adfectus carnis inimicitia eſt aduerſus Deum, Legi enim Dei non eſt ſubditus, neque enim ſubdi poteſt. Qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt. Et Iohan. 1. Qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neq; ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt. Et Scripturam ſecutus Auguſtinus, idem agit aduerſus Pelagianos, hoc eſt, Sorbonicos Sophiſtas, non vno loco. Hic Sorba iſta diſſimulant Scripturam, & Auguſtinum excuſant Sorbonico commento, in quo ſolo deprehendes excitatem Sorbonicam. Quod ſi vnquā dubitatum eſt, in quo genere literarum aut artium verſaretur Lutetia, id nunc declarat hic locus, in quo palam adparet, in tota iſta Sorbonica Facultate neminem eſſe, qui Auguſtinum attigerit In ipſa Scriptura quid poſſint, facile æſtimari poteſt, quando ne Auguſtinum quidem vulgarem alioqui inter Theologos ſcriptorem viderint. O Theologos, ô Sorbonam, *Rom. 8.* *Iohan. 1.* *Auguſtinus aduerſus Pelagianos.*

Augu-

Auguſtinus,inquiunt,cum de gratia diſputat, non poſſe liberum arbitrium bene operari citra gratiam,non de gratum faciente gratia loquitur. Cæcitas cæcitatum,& omnia cæcitas.De qua tandem gratia vir ille diſſerit? cum toties in vocabulo gratiæ variaſſe Pelagium ſcribit,Teſtarur ſe exigere gratiam iuſtificantem,ſeu Spiritum ſanctum diffuſum in corde iuſtificatorum. Dona naturæ palam reijcit,ſpeciale auxilium Sorbonicum ignorat,qui poteſt igitur non de gratia iuſtificante loqui? Et vt rem ipſam æſtimemus, quæſo vos Sorba Sorbonica, vnde gratiam gratum facientem nominaſtis? An non inde,quod ſola Deo conciliet. Quod cum ita ſit, cur ſine gratia gratum faciente Deo aliquid acceptum eſſe fingitis? Pugnant inter ſe verba, & dogmata veſtra. Nomen gratum facientis gratię recipitis,vim vocabuli non recipitis.

Gratia apud Auguſtinum.

Sed videamus,in quam partem vſus ſit Auguſtinus nomine gratiæ. Poſſem eius totum Librum de ſpiritu & litera adſcribere,quando nulla pagina eſt,in qua non fiat gratiæ mentio. Sed hæc ſunt eius verba in cap. 4. de ſpiritu & litera, Sed vbi ſanctus non adiuuat Spiritus, inſpirans pro concupiſcentia mala,concupiſcentiam bonam,hoc eſt,charitatem diffundens in cordibus noſtris,profecto Lex illa: Non concupiſces,quamuis bona, auget prohibendo deſiderium malum. Hic de qua gratia loquitur,cum palam dicat, non poſſe niſi peccari ſine gratia? Nonne vocat gratiam charitatem Spiritus ſancti diffuſam in corda noſtra? Et vos Sorbonici quid aliud vocatis gratiam, quam charitatem? Sinite,quæſo,impetrari à vobis,vt Auguſtinum, non dico relegatis,ſed inſpiciatis tantum,Nam errorem veſtrum nulla pagina eſt, quę non coarguat.

Non concupiſces.

In capite nono de gratia loquentem inducit Apoſtolum,cum ait: Iuſticia Dei per fidem Ieſu Chriſti,in omnes,qui credunt. Hæc ad gratuita dona naturæ,aut ad ſpeciale auxilium detorqueri poſſunt? O vos rudes & vere Sorbonici Magiſtri noſtri,quis deinceps credet vobis vel oculos vel mentem vel cerebrum eſſe,qui in tam clara luce,tam nihil obſcure cæcutitis & ballucinamini? Ego hic per gratias nihil ſic miror,atq; in tota iſta Sorbonica Facultate neminem fuiſſe,cui Auguſtini ſententia comperta fuerit, & ,vel hoc argumento eſt,ab vno atq; altero Sophiſta editum Libellum, nomine Facultatis ementito,

Nec maiore fide de Ambroſij ſententia iudicant Gallica iſta Sorba, cum conſtet in tota diſputatione hoc agere Autorem Libelli,quiſquis eſt, de vocatione Gentium,peccata eſſe, quæ citra gratiam fiunt. Et declarans de qua gratia loquatur,inter alia teſtimonia hoc quoq; producit, quod & Epiſtola ad Ebræos ex Ieremia citatum eſt:Dabo leges meas in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam,quæ tantum abeſt,vt vel ad ſpeciale auxilium Sorbonicum,vel ad dona gratuita detorqueri poſſit,vt gratiam per Chriſtum donatam,quam vos gratum facientem vocatis,vix alius Scripturæ locus accommodatius deſcribat.

Num adhuc obſcurum eſt,& quomodo citarit Auguſtinum ac Ambroſium Lutherus,& quid Sorbona ſapiat, quam hic animaduertimus tam craſſe errare,vt ne craſſius vnquam Louanienſes aut Colonienſes ineptierint. O infelicem Galliam , cui tales contigere cenſores ſacrarumq; rerum arbitri, digniores qui cloacas agant, quam qui ſacras literas tractent,

EX hac

EX hac ſententia de libero arbitrio, conſequuntur, quæ de contritione, adeoq; in vniuerſum de pœnitentia ſcripſit Lutherus. Et ô miſeros nos, qui iam à quadringentis fere annis neminem habuimus in Eccleſia ſcriptorem, qui tectam ac propriam pœnitentiæ formam prodidiſſet. Impoſitum eſt alijs per fictitias contritiones, aliorum conſcientiæ ſunt excarnificatæ per ſatisfactiones. Nunc tandem Dei miſericordia reſpexit nos, reuelauitque Euangelium populo ſuo, & erexit conſcientias eorum, quos vocauit. Si quæris, quid contulerit Eccleſiæ Lutherus, habes hic ſummam rei, veram pœnitentiæ rationem docuit, vſum item ſacramentorum oſtendit, qua in re teſtes multorum conſcientias habeo.

Non volo autem hic de pœnitentiæ formis aut ſacramentis diſputare, quando Sorba iſta damnatunt tantum Lutherum, non etiam vicerunt ratione, vel Scriptura. Statq; veritas Lutheranæ doctrinæ inconcuſſa & immobilis non modo aduerſus Sorba iſta, ſed etiam aduerſus Rectores tenebrarum. Vbi oppugnabunt Scripturę ſententijs ea, quæ docuit Lutherus, nihil conabimur tueri. Nam hanc Lutheri doctrinam de pœnitentia, nec ex meo, nec fidelium vllorum corde extorquebit vlla vis inferorum, nedum Sorbonica, aut papiſtica.

DE Lege & Concilijs quid attinet iterum monere, cum ſupra oſtenderim plane hac parte conuenire Luthero cum veteribus. Tamen vt videas, quam fortiter diſpendent de lege diuina ſorbonici Sophiſtæ, libuit ad eum locum veluti poſtliminio redire. Lex (aiunt) de non vindicando eſt nimium oneratiua legis Chriſtianæ. O impios Sophiſtas, qui onus Legis ab Ariſtotelica philoſophia æſtimant. An non onus eſt naturæ, lex de non concupiſcendo, eſt igitur abroganda ſecundum ſorbonicos Sophiſtas. Oneri lex eſt, de diligendo ſolo Deo, eſt igitur abroganda. O inſanos, ô impios homines, ad vos pertinet quod dictum eſt: Qui ſoluerit vnum de minimis mandatis, minimus erit in regno cœlorum.

Lex de non vindicando.

Et cur non idem cogitabatis, cum de ſatisfactionibus præciperetis? Num illæ non fuiſſent oneri adflictæ per ſeſe conſcientiæ? ſed & noua onera comminiſcimini, & ea quæ diuinitus impoſita ſunt, abrogatis. Sic decet vos implere propheticas ſcripturas, Confirmare impium & contriſtare cor iuſti. Atq; vt omiſſis multis breuiter doceam exigi, ne vindicemus, non conſuli, Locus eſt apertus in 1. ad Cor. cap. 6. Iam quidem omnino delictum eſt, quod iudicia inter vos habetis. Quod ſi delictum eſt, repetere rem iudicio, non dubium eſt, quin exigat Lex, ne vindicemus.

HÆc monere te, Chriſtiane Lector, volui, ne à Lutherana doctrina abſterreret Sorbonæ autoritas, quæ quid ſapiat, ex vno atq; altero loco hic cognoſti. Et ex his, quos adnotauimus, reliqua æſtimabis. Eſt enim ſui ſimilis Sorbona, Chriſtum inter fabros citius, quam in iſto genere, reperias. Tuum eſt interim vna mecum poſtulare Lutetiam rationem ſui iudicij, quam vbi ediderit, de noſtris nos quoq; copioſius diſſeremus.

VALE.

LVDVS

LVDVS LVTHERI A STOLIDA ET SACRILEGA SORBONA DAMNATI.

DETERMINATIO II. ALMAE FACVLTATIS THEOLOGIAE PARISIENſis, ſuper Apologiam Philippi Melanthonis pro Luthero ſcriptam, Liber primus.

Annexa eſt Ratio determinationis primæ, Liber ſecundus.
Tertius Liber habet quaſdam Regulas intelligendi Scripturas.

QVoniamquidem, vt bene dicit Eccleſiaſt. faciendi Libros non eſt finis, Cuius cauſa eſt, quod proteruia & pertinacia hæretica non acquieſcit ſanis doctrinis, & finem illum, qui eſt timor Dei, cum Eccleſiaſte non audit. Sane cum nuper ſuper doctrina Lutheri cuiuſdam noſtram definitiuam ſententiam publicaſſemus, & plurimos Articulos in ea damnaſſemus, tanquã catholicæ fidei manifeſte contrarios, per quos eum conuicimus peſtiferum Hæreſiarcham eſſe, ſatagentes, ne virus eius deteſtabile vltra ſerperet. Ecce, ſurrexit quidem dictus Philippus Melanthon, hæreſi iſta infectus, & peſtiferi Magiſtri peſtifer diſcipulus, auſus eſt contra nos Apologiam pro Luthero ſcribere in qua almam noſtram Facultatem tam deriſorie, tam irreuerentialiter, tam prætenſe inuadit, quod ſcandalum eſt.

Nos igitur putantes, noſtri officij eſſe, ſcandalis occurrere, Primo de ipſa Apologia ſententiam noſtram definitiuam ponemus. Secundo aliqualem Rationem reddemus præcedentis determinationis. Tertio aliqua puncta ponemus pro intellectu Scripturæ, ne deinceps ſine fine litigare neceſſe ſit. Et ſic hunc Librum in tria capita vel tres portiales Libros diſtribuimus, ſecundum tres prædictas materias.

LIBER PRIMVS CONTINET per ordinem Articulos ex Apologia Philippi Melanthonis damnatos, cum adnotationibus Facultatis.

APologia aduerſus furioſum Decretum Theologaſtrorum Pariſienſium pro Luthero. 1.

Hæc Propoſitio eſt ſcandaloſa, irreuerentialis & contumelioſa. Et in hoc quod dicit: Furioſum Decretum, pro quanto intendit Magiſtros almæ Facultatis eſſe furioſos, eſt blaſphema & impia in almam Facultatem, ideo igne, ferro, aqua, vna cum Autore perdenda. Vbi autem dicit Theologaſtrorum, pro quanto vult Magiſtros noſtros non eſſe Theologos, ſed Theologaſtros, quod ſignificat ſylueſtres & figuras ſolas Theologorum, eſt iniurioſa toti ſtatui Theologorum.

Quondam fuerunt ſtrenui Mileſij. 2.

Hæc Propoſitio eſt ſuſpecta,quia græce fuit ſcripta ab ipſo autore Apologiæ,Græci autem ſunt hæretici. Et in eo quòd dicit de nobis, Mileſij,eſt manifeſte falſa,quia non ſumus Mileſij,ſed Pariſienſes.Et pro quanto vult, nos iam non eſſe ſtrenuos,eſt contumelioſa & piarum aurium offenſiua.

3. *Quid enim eſtis niſi Sorba?*

Hæc Propoſitio eſt vitioſa etiam contra Grammaticam, quia noſtra Schola non Sorba,ſed Sorbona dicitur. Et pro quanto vult detruncare nomen almæ huius Scholæ,eſt iniurioſa.

4. *O vos rudes & verè Sorbonici.*

Hæc Propoſitio,pro prima parte eſt offenſiua piarum aurium. Et pro quanto per rudes intelligit ſpiſſos illos truncos,ex quibus fiunt lintres porcorum,eſt nimis contumelioſa.Si autem per rudes intelligit indoctos, eſt ſcandaloſa,& Magiſtris Theologiæ derogatiua & detractiua. Et pro quanto dicit, vere Sorbonici, volens quod prius ficte Sorbonici fuimus,eſt manifeſte falſa & erronea,cum ſimus in eadem ſemper Sorbona.

5. *Lutetia iam non philoſophatur,ſed nugatur.*

Hæc Propoſitio eſt ſcandaloſa valde,& falſa.Et in eo, quod intendit, Theologiam apud nos eſſe nugas,eſt blaſphema in Spiritum ſanctum. Et in eo,quod Lutetiam nos appellat,deturpat famam almæ Vniuerſitatis. Pro quanto intendit eam luto & ſtercori comparare,in quo ſues & porci ſe ſordidant.

6. *IN libro Iohannis Maioris ſunt plauſtra nugarum.*

Hæc Propoſitio eſt ſtulte & temerarie aſſerta, in hoc, quod intendit, nugas plauſtris vehi,cum nugæ ſint res ſpirituales, & plauſtra res corporalis. In hoc autem quod dicit nugas eſſe illius doctiſſimi viri ſcripta, eſt detractoria & iniurioſa in notabile membrum huius Vniuerſitatis.

7. *Hæc eſt illa Helena,pro qua Magiſtri noſtri decertant.*

Hæc Propoſitio pro quanto denotat quod Magiſtri noſtri meretrices amant,eſt valde detractoria,infamatiua, contumelioſa. Pro quanto autem vult noſtram Theologiam Helenam dici, eſt blaſphema in Spiritum ſanctum.

8. *AVguſtinus aliqua argutius,Lutherus multa diligentius dixit.*

Hæc Propoſitio eſt impia,contumelioſa in S. Auguſtinum, ſtulte & ſuperbe aſſerta,ſauiſatiua nimis hæreſi Lutheri & derogatiua autoritati S.Patrum.

9. *RVmpite interim Magiſtri noſtri.*

Hæc Propoſitio,eſt conſilium diaboli manifeſte, quæ ſuadet, vt nosipſos interficiamus & rumpamus,Et in eo,quod optatiue dicitur, eſt crudelis & homicida,quia optat nos rumpi,ſicut Iudas Iſcharioth ruptus eſt, Sed qui odit fratrem ſuum,homicida eſt.

10. *IN meridie lucernam.*

Hæc Propoſitio eſt ſtulta, quæ docet lucernam in meridie accendere, Etiam eſt ſuſpecta,quia græce ſcripta. Et pro quanto intendit nos eſſe tam cæcos,vt in meridie non videamus,eſt irreuerentialis,deriſoria Facultatis Theologicæ.

11. *QVis non rideat muliebrem hanc & monachalem impotentiam?*

Hæc

Hæc Propoſitio eſt falſa,ſtulte & inſipienter aſſerta. Et pro quanto vult nos eſſe mulieres,quæ impotentes ſunt ad generandum ſine viro,eſt contumelioſa. Et pro quanto vult,quod ſimus etiam ipſi impotentes ad generandum eſt manifeſte falſa & erronea. Maxime vero eſt iniurioſa,pro quanto intendit nos eſſe Monachos caſtratos,& ſic impotentes factos,hoc enim eſt contra experientiam & prouerbium: Theologi lardant per bracam.

SPectabilis Domine Decane,vos eſtis iam iratus. 12.

Hæc Propoſitio eſt deriſoria & ironica. Et in eo quod dicitur,vos eſtis iratus,eſt incongrua manifeſte,ſicut illa,ego currit,olim à nobis damnata. Et in eo quod intendit,plures ex nobis eſſe quaſi vnum,dum dicit,vos multi,eſtis vnus iratus,eſt manifeſte falſa & ſcandaloſa. Et in hoc quod dicit,Decane vos eſtis,intendendo,quod ex canibus nati ſumus,eſt contumelioſa: Et in eo quod intendit,non licere iraſci,eſt impia & nimis oneratiua legis Chriſtianæ.

Hoc etiam Homerus,licet cæcus,vidit. 13.

Hæc Propoſitio eſt manifeſte falſa, & Philoſophiæ contraria, in eo quod dicit,cæcus vidit,tribuens actum poſitiuum priuationi,qui eſt ſolius habitus,vt Ariſtoteles dicit.

Peiora vincere. 14.

Hæc Propoſitio eſt falſa & impia. Et in eo quod græce ſcripta eſt ſuſpecta de hæreſi. Et in hoc quod intendit, malum eſſe fortius bono,eſt blaſphema in Deum,qui eſt bonum omnipotens. Similiter & erronea in Philoſophia,Quia malum eſt nihil,Sed nihil non poteſt aliquid vincere. Et in hoc quod intendit,Nos eſſe peiores,eſt detractoria,derogatiua,& piarum aurium offenſiua.

Quid ad nos,quid Ariſtoteles impurus homo dicat? 15.

Hæc Propoſitio eſt detractoria principis Philoſophorum. Et in eo quod dicit,eum non fuiſſe purum hominem,intendendo,quod mixtus fuerit diabolo,eſt manifeſte falſa,& ſtulte aſſerta. Et pro quanto vult Philoſophiam eſſe impuram,eſt aſſerta ab inimico ſcientiæ & ignorante, Quia ſcientia non habet inimicum niſi ignorantem,ait purus ille homo Ariſtoteles,præclariſſimum lumen naturæ,ſecundum noſtrum compatrem Eccium. Et in hoc quod vult,non teneri autoritate Ariſtotelis,eſt manifeſte proterua, pertinax & irreuerentialis in totam Facultatem Artium & Theologiæ.

Signis non credimus, ſed Scripturis. 16.

Hæc Propoſitio eſt manifeſte temeraria, rebellem indicans animum, & contrarium Spiritui ſancto & ſignis eius,cum hiſtoria Lombardica & Vincentius in ſuo ſpeculo exemplorum,& monachi Prædicatores in ſuo Roſario ſolis ſignis vtantur ad probandum.

Scholas omnes eſſe hæreticas,ſola ſcholaſtice probat. 17.

Hæc Propoſitio eſt ſtulte,arroganter,ſuperbe,impie & temerarie aſſerta, & nimis blaſphema in Eccleſiam ſanctam Dei,ac per hoc in Deum. Et in hoc, quod ſimpliciter Scholas dicit, intendendo, non eſſe Vniuerſitates,ſed particulares,eſt iniurioſa & blaſphema, quia vult Magiſtros omnes ſcurrones & bacchantes & beanos intelligi.

In quadringentis annis nemo docuit formam pœnitentiæ. 18.

celeberrimis Eccleſię Doctoribus cogitatam. Quod ſi impietas eſt refragari Patribus,nemo magis impius eſt Pariſienſibus diſputatoribus, qui in principalibus Theologiæ locis velut ex diametro cum Patribus pugnant.

Peccatum. *Vitium.* *Meritum congrui &c.*

Bona Patrum pars,peccatum vocat & vitium, quidquid ſine ſpiritu Chriſti fit.Hi non modo non peccatum,ſed & meritum congrui cenſent eſſe moralia quædam,ſic loquuntur,opera.O cæcitatem.Bona Patrum pars negat poſſe legem fieri ab homine per vires humanas,Hi diſtinguunt. Audi,Lector Pariſienſes blaſphemias,poſſe legem fieri,quo ad operum ſubſtantiam, non poſſe,quo ad præcipientis intentionem,Quaſi vero præter ſubſtantiam operis amplius aliquid requirat Legiſlator. Vtinam mihi, Pariſienſes, iſta coram vobiſcum in veſtra illa Sorbona daretur commentari, vt viderem, num vos tam craſſi, tam putidi, tam Sorbonici commenti puderet etiam. Veſtra eſt illa, Magiſtri noſtri, non Lutheri Theologia, quæ à Patribus diſſentit. Ad vos tragica iſta veſtra pertinent,impios eſſe, qui ab Eccleſiæ Doctoribus variant.

ET hactenus quidem de Doctoribus,nunc Concilia videamus. Quibus tandem Concilijs refragatur Lutherus? Videri vultis Lutheri doctrinam veterum Concilijs damnatam,cum ex eo Montanum,Manichæum,Ebionem,& quid non? facitis? Hic aut rhetoricari voluit Epiſtolæ autor, aut nihil eſt Sorbona Pariſienſi tum malignius, tum impudentius. Veterum hæreticorum nomina quo conſilio in Lutherum congeſſerint,quis eſt qui non olfaciat,nempe,quo odioſius Lutheri nomen fieret. Deinde id quam maligne factum ſit,facile deprehendent etiam mediocriter eruditi. Nam quod Montano confertur Lutherus,quis non videt quam non fiat candide? Sibi credi volebat Montanus,& fidebat ſuo quodam ſpiritu,Lutherus nihil vult ſibi credi,ſed euidenti & perſpicuæ Scripturæ,Nihil de ſuo ſpiritu,ſed de ſcriptura iactat.

Montanus.

Quando propius ad Montanum vos acceditis, qui vultis, vt ſpiritui hominum,Conciliorum, Patrum & Vniuerſitatum credimus, potius quam Scripturæ. Imo nihil niſi Montani eſtis,vos Pariſienſes Sophiſtas volo, qui hoc Decretum ſine ſcripturis edidiſtis,iactatiſq; vos fidere Apoſtolico more, quaſi conſtet,eundem eſſe ſpiritum vobis,qui Apoſtolis erat. Sed de his poſtea.

Quæſo te,Chriſtiane Lector,nunquid putes eſſe Chriſtiani ſpiritus in Sorbona illa,quam adeo nihil pudet mentiri Nam cum palam ſit ipſimet Sorbonæ nihil conuenire inter Montanum & Lutherum,audet tamen Montani nomine optimum virum infamare.

Ebion.

Iam & Ebionem ex eo fecit,nihilo vel candidius,vel cautius,Exigebat Ebion cæremonias Legis.Lutherus non exigit,ſed liberas eſſe permittit,vt quiuis pro oportunitate ac charitatis officio ſe attemperet vel inſeruiat Legi, vel negligat citra culpā. Nam ita ſentiebat & Paulus in vltimo ad Galatas capite exæquans ceremonias,rituſq; In Chriſto Ieſu neq; circuncisio aliquid valet, neq; præputium,ſed noua creatura. Et in prima ad Corinth.7. Circunciſus aliquis vocatus eſt,non adducat præputium,id eſt,ſi inter Legis obſeruantes vocatus eſt,inſerui eorum conſuetudini. In præputio autem aliquis vocatus eſt,non circuncidatur. Circunciſio nihil eſt,& præputium nihil eſt,ſed obſeruatio mandatorum Dei &c. Satis,opinor,perſpicuum eſt,quid inter vtranque ſententiam interſit,ſatis etiam puto liquere,quam candide Lutheri ſententiam ad Ebionis hæreſin detorſerint. *Gal.1.* *1.Cor.7.*

Eiuſmodi

Eiuſmodi eſt item, quod Manichæum nomen tribuunt Luthero, idem Auguſtino Pelagiani tribuebant, ſicut ipſe teſtatur in primo libro aduerſus duas Pelagianorum Epiſtolas, in capite ſecundo, Sic enim diſtinxit Scriba quiſpiam. Non pudebit Lutherum eius conuitij, ſiquidem cum Auguſtino commune habet, quo non habuit Manichæa factio vehementiorem hoſtem. *Scholaſtici Theologi.* Pelagiani, imo Pelagianis impuriores ſunt ſcholaſticæ Theologiæ Scriptores, quare non eſt, quod miremur, cur Manichæum vocetis Lutherum, qui præter ſcholaſtica, hoc eſt, bis Pelagiana nihil ſapitis. Et Auguſtinus, vt excuſet Manichæum nomen, non eſt obſcurum ex Apologia aduerſus Pelagianorum Epiſtolas. Atq; eo loco de ſeruitute voluntatis aptius diſſerere videtur, quam vbi cum Felice Manichæo diſceptat. Patrocinabitur idem, ſi recipitis, & nobis. Quod ſi adeo cæci ſunt Magiſtri noſtri Pariſienſes, vt ſerio arbitrentur, nihil intereſſe inter Lutheri ac Manichæi ſententias, Quid quæſo, hoc hominum genere cæcius eſt? Rurſum, ſi per malitiam tribuunt, quæ ad eum nihil pertinere intelligunt, quid malignius?

Eſt autem Manichæa ſententia prolixior, quam quæ hic recenſeri debeat, quod toto doctrinæ genere diſſentiat à Chriſtianis dogmatis, ſi quid Auguſtino illius dogmata paſſim recenſenti creditur. Et quod ad hanc cauſam attinet, ſic Manichæus negabat humanæ voluntatis libertatem, vt negaret eſſe ſubſtantiam, quæ renouaretur adeoq; libertatis capacem. *Manichæus.* Lutherus ita negat libertatem, vt eſſe cenſeat ſubſtantiam, quæ dum per ſpiritum renouatur, a ſeruitute adſeritur. Ex his facito, Lector, de reliquis coniecturam. Nam qua fide hæc, quæ commemoraui, ad Lutherum detorta ſunt, eadem & pleraq; alia.

Redeo nunc eo, vnde digreſſus ſum. Palam eſt, veterum Concilijs non eſſe reprobatam Lutheri doctrinam, ſiquidem ei vſq; adeo nihil cum hæreticis conuenit. Quanquam hoc etiam loco conſiderandum erat, vt maxime conueniret cum illis Luthero, Quid, qua ratione in ſingulis factionibus hæreticorum damnatum ſit, Nam quæ tam deplorata fuit hæreſis, quæ nulla in re non peccarit? Iam hæc omnia ita ſcribo, non quod velim tantam etiam priſcis Synodis autoritatem eſſe, vt ſi opponat euidentem Scripturam Lutherus cuicunq; Synodo, de Scriptura cedendum ſit, Sed vt moneam Lectorem, quantum tragicis illis Magiſtrorum Pariſienſium vocibus credendum ſit, Lutherus damnat omnia Concilia, ſanctos Patres, Montanus eſt, Ebion eſt, Manichæus eſt, Artotyrita eſt, & hoc genus alij.

Fuerunt autem papiſtica Concilia aliquot intra hoc tempus regni Antichriſti Romani, his refragari ſe fatetur Lutherus, ſed præeunte Scriptura euidenti. *Concilia Papiſtica.* Et cur non refragaretur, quando in illis tam multa impia aduerſus Euangelium conſtituta ſunt? Claues Eccleſiæ eſſe omnibus communes negat Viennenſe Concilium. *Viennenſe Concilium.* Eccleſiam eſſe prædeſtinatorum vniuerſitatem, negat Conſtantienſis Synodus. *Conſtantienſis Synodus.* Eadem decreuit eſſe quædam bona opera præter gratiam, quæ ſententiæ ex diametro pugnant cum Euangelio. Aduerſetur igitur Concilijs Lutherus Chriſto duce, aduerſus quem qui decreuerunt, non erant Chriſti Eccleſia, ſed Antichriſti. Nihil ne peccauerunt ex Synodi Lugdunenſis credo & Viennenſis, quæ Pontificum Epiſtolas adprobarunt? in quibus vel ca. Ad abolendam. Item c. Venerabilem quis ferat?

Quid eſt igitur, quod Concilia iactatis Sorbonæ Theologi, nihil niſi Sorba. Negare non poteſtis, quin aduerſum Scripturam nihil liceat conſtitui, & reuelli poſſe ſi quid contra illam ſit decretum. Permittite igitur Luthero Conciliorum decreta ad Euangelium exigere, permittite præferre Euan-

 gelium,

gelium, ſi quid diuerſum conſtitutum eſt. Verbo Dei etiam Angelos cedere par eſt, cedant & portæ inferorum, cedant homunculi, quibus conſtitutiones papiſticas debemus.

DE Vniuerſitatibus non eſt quod laboremus, Nam omnes Scholas eſſe hæreticas vel Theologia ſcholaſtica coarguit. Hic conclamate Magiſtri noſtri: Blaſphemauit, Gymnaſia hæreſeos accuſat. Recte, ſicubi profitentur, quę ab Euangelio diſſentiunt, & diſſentit Pariſiorum ſcholaſtice, quæ iam ſola in omnibus fere Europæ ſcholis regnat, ac Lutetiæ potiſſimum. Proinde nihil eſt, quod mireris, Lector, cur Academijs aduerſetur Lutherus, dominibus mendacij, vt Micheas appellat.

Academiæ domus mendacij ſunt.

Sed quis credat, inquies, tot errare? Errant quotquot diuerſum à Scriptura docent, quotquot illam impiam ſcholaſticen probant. Sed tam multi? maxime. Nam & in Samaria, inter quam multos ſacerdotes Baal, quam pauci erant Heliæ? Propone oculis vniuerſam tum Iudæ, tum Samariæ hiſtoriam, in qua prælusum eſt Eccleſiæ, quam paucos Prophetas, quam multos Idolatras, & poſtremo tempore quantum Zadducæorum & Phariſæorum, hoc eſt, ſacerdotum ac monachorum & ſcholaſticorum reperias. Num obſcurum eſt, quod ab Ezechiele Propheta dictum eſt: Sicut mater, ita & filia? Imitati ſumus, imo vicimus omnia Synagogæ portenta, vt præ nobis etiam illa pia videri poſſit, vt Prophetæ ſermone vtar.

INtelligis, opinor, quantum Luthero cum Patribus ac Concilijs conueniat, cum Scholis religio vetat conuenire. Nunc conſidera, quid ſapiunt Sorba iſta, cum principia fidei vocant Patres, Synodos & Scholas, quanquam, niſi nihil video, non hoc dolet, quod Patribus & Synodis contradicitur, ſed quod ſcholaſtica parum digne tractatur. Hæc illa Helena eſt, pro qua decertant Magiſtri noſtri. Ecquid non ita ſcribebatis in illa veſtra plane Sorbonica Præfatione? Nos ſumus Magiſtri noſtri, & profitemur ſcholaſticam Theologiam, nihil neque nobis cum Scriptura, neque Scripturæ nobiſcum. Actum eſt de regno noſtro, niſi è Synagoga eiecerimus, qui Scholaſticen non recipiunt, omnia nobis mouenda miſcendaq; ſunt, ne cadat Scholaſtice, quæ niſi ſalua ſit, nos perierimus. Eſto cum Scriptura, cum veteribus Patribus, cum veterum Synodis conueniat Luthero, pereat, niſi reiectis illis nos adoret. Principia fidei nos ſumus, non Scriptura, neque vero pugnandum eſt ratione cum homine illo, nempe principia, hoc eſt, Magiſtrorum noſtrorum Sorbonicorum ſomnia, negante, Vapulet, pereat, quia negat prima principia.

Prima principia fidei.

Dementia erat vocare fidei principia Synodos & Patres, quando fundamentum aliud præter Scripturam poni non poteſt. At inſolens furor eſt, Sorbonicorum Commenta Scripturæ anteferre. Hæreticus non ſit, qui à Scriptura diſſentit, ſit hæreticus, qui diſſentit à Sorbis gallicis. Sed valeant ineptiæ. Quid enim attinet in re tam manifeſta tantum verborum perdere? Quid enim manifeſtius eſt, quam quod paulo ante diximus, perſpicuæ Scripturæ Synodorum quarumcunque, Patrum & Scholarum ſententias debere cedere?

QVin cætera in illa Sorbonica Epiſtola perſequimur. Is cui credet, inquiunt, qui Eccleſiæ catholicæ fidem habere detrectat? aut quomodo catholicis adſcribetur, qui Eccleſiā non audit? cum ex ore veritatis dictum ſit. Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus. Quæſo autem, vos Magiſtri, quid vocetis Eccleſiam? Sorbonam ne gallicam?

At ea

At ea eſſe Chriſti Eccleſia qui poteſt, quæ à Chriſti verbo aliena eſt? cum vocem ille ſuam teſtetur ab ouibus ſuis agnoſci. Nos Eccleſiam vocamus eam, quæ verbo Dei condita, verbo Dei paſcitur, alitur, fouetur, regitur, Breuiter, quæ omnia ex Euangelio comparat, de omnibus iuxta Euangelium iudicat. Nam qui ex Deo eſt, verba Dei audit. Rurſum qui non audiunt, non ſunt ex Deo. Et cum Eccleſia diuino ſermone parta ſit, haud dubie eodem alenda eſt. Agnoſcet vos Lutherus pro Eccleſia, ſi ſermonem Dei docueritis, Non agnoſcet, ſi nihil præter fatuos & rancidos articulos veſtros produxeritis. Audit Eccleſiam, ſed eam, quæ verbum Dei profitetur, illius ſe iudicio ſubijcit, quæ nihil non exigit ad verbum Dei, quæ iudicium ſacrarum literarum, non Sorbonicorum ſomniorum ſequitur. Quod enim monſtrum fuerit Eccleſia, ſi ad cuiusuis Sorbonici ſomniatoris commentum variatur? Quis Chamæleon, quis Polypus, imo quis Protheus erit mutabilior?

Iam cum diceret Chriſtus: Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus. An non volebat accuſari coram Eccleſia ſontem, volebat & per teſtes conuinci, volebat iudicari ſecundum præſcriptum adeoque Euangelium? Vos priusquam accuſaueritis Lutherum, conuiceritiſque per Scripturas, damnatis. Nudi quidē articuli ſine Scriptura, ſine rationibus proponuntur, in quibus iam nō accuſatur, ſed damnatur à vobis Lutherus. Nam vt reliqua valeant, ſola Sorbona Eccleſia eſt? quod excludit Lutherum è communione piorum. Accuſare debebatis, non damnare. Scripturæ teſtimonia debebatis ſubnotare, non nudos articulos proponere, ac iudicium Eccleſiæ permittere. Nunc vos peruerſo ordine, tum diuini tum humani iuris, non accuſatis, non conuincitis, ſed damnatis tantum. Nempe, quia eſtis Magiſtri noſtri Sorbonici. Pudeat tandem Sorbonæ Galliam tam impie delirantis. *Si Eccleſiam non audierit &c.*

SEd næ ego vehementer ineptus ſum, qui tam irreuerenter Sorbonam tracto, nouos hoc tempore gignentem Apoſtolos. Aiunt enim Apoſtolorum exemplum ſe imitari Magiſtri noſtri, cum nudas quaſdam ſententias citra Scripturæ autoritatem proponunt. Atque vtinam nobis non hac tantum parte referrent Apoſtolos Scripturarum autoritatem Chriſtus citat, & ſibi vult fidem haberi propter Scripturæ ſuffragationem. Paulus prope nihil niſi aliena verba, hoc eſt, ſcripturæ veteris Teſtamenti ſonat, Apoſtolorum conciones quid aliud ſunt, niſi teſtimonia de Chriſto repetita ex veteri inſtrumento? Soli Sorbonæ ſine Scripturis credemus? Prodite, vos è Sorbonico ſpecu, Magiſtri noſtri, in hanc lucem, vt, num qui oculi, num quæ frons ſit tam ineptis hominibus, videamus. Scilicet Apoſtolicum inſtitutum eſt, prodere dogma ſine teſtibus? cum ne Chriſtus quidem ſine Scripturis ſibi credi voluerit.

Quin conferimus Apoſtolorum factum cum Sorbonico. Propoſita de Legis ritibus quæſtio erat, vt in cap. 15. geſtorum Apoſtolicorum ſcribitur, Ibi cum varijs teſtimonijs Scripturæ & manifeſtis argumentis ac ſignis diuinus ſpiritus ſignificaſſet, Gentes non eſſe onerandas iudaicis cæremonijs, decretum eſt de libertate. Hic vos interrogo, Magiſtri noſtri, quibus ſignis, quibus Scripturæ teſtimonijs adacti de Luthero pronuntiaueritis? Quanquam ne ſignis ſiquidem temere credemus, Scripturæ tantum credimus. Deinde deliguntur, qui Apoſtolorum mandata proferant viua voce, confirmentq; Eccleſiarum fidem. Vos quem mittitis ad Eccleſias, qui illis rationem ſententiæ veſtræ exponat? Poſtremo addunt Epiſtolam, in qua Spiritus ſancti teſtimonium adlegant, cum aiunt: Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis, Vos quem ſpiritum adlegatis? *Actor. 15.*

Audite

Audite tandem, vos ſurdæ aſpides, quem ſpiritum orbi terrarum teſtem adlegatis veſtræ doctrinæ? Spiritum Dei allegant Apoſtoli, nempe, quibus certo conſtabat per Scripturam de voluntate Spiritus diuini, Iam & Eccleſijs conſtabat de Apoſtolico ſpiritu. Nos de ſpiritu veſtro quid ſentiemus? Quid ſi vobis aliquis dicat, quod ille in Actis: Ieſum & Paulum noui, vos autem qui eſtis? Quid, quod non ita ſcribebant Apoſtoli, quanquam ſpiritus teſtimonium citarent, vt putarent ſatisfactum rei tantæ, per nudam Epiſtolam, ſed addebant nuntios, qui confirmarent Eccleſiam ſermone copioſo. Nunc Eccleſiæ ſermonem, non dogmata requirunt. Et Petrus vult Chriſtianos paratos eſſe, reddere rationem fidei ſuæ. Id nunc orbis terrarum vos quoq; Magiſtri noſtri poſtulat. Iam ante palam erat in ſcholis, quid ſentiret Lutetia. Extant enim veſtri commentarij, extant ſcholaſticæ diſputationes. Nunc ratio illius veſtræ doctrinæ quæritur, Nam Articulos illos aduerſus Lutherum vel in media Germania potuiſſet puer aliquis è Gabriele aut Scoto ſublegere. Adeo non eſt obſcurum, quid ſentiat Lutetia, ſed obſcurum eſt, cur ita ſentiat. Rationem veſtræ doctrinæ poſcit Lutherus, non dogmata, nempe, quæ niſi noſſet, non damnaret. *Act. 19.*

Atq; vtinam ad cor redeatis, cogitetiſq; de maioribus rebus à Luthero agi, quam de quibus vel Pariſiacæ ſcholę, vel Luthero citra Scripturæ teſtimonium credi debeat, aut poſſit. Qui Luthero fauent, ideo fauent, quia reiectis hominum commentis vident aliud non docere, quam quod ipſæ prodiderunt ſacræ literæ. Iidem vobis credent, ſi conuenire intelligent cum Scriptura, quia Chriſtum requirunt, tum à Luthero, tum à vobis. Arbitramini vos habere vaſa cantici, ſicut Dauid, Sic enim Propheta loquitur, Sed vobis tantum, idq; intus, canitis, Lutherus canticum ſuum, hoc eſt, doctrinam adprobat toti orbi Chriſtiano, per Scripturæ ſuffragia.

Nihil iſta ad Chriſtianos, Magiſtri noſtri ſumus, Pariſienſes ſumus, Sorbonici ſumus, Parentes omnium diatribarum ſumus, Nam vana nomina ſunt, ad quæ iam pene obſurduit Germania. Proinde hortor, vt ſi impietatis notam excuſare vultis, rationem veſtri de Luthero iudicij exponatis. Conferte cum Lutheranis, non dogmata, ſed argumenta dogmatum veſtrorum, niſi Chriſtiani haberi non vultis. Declarate aliquando, quo ſpiritu à Sorbonicis Apoſtolis damnatus ſit Lutherus. Id nō modo nunc expectat Chriſtianus orbis, ſed & poſtulat iure Chriſtiani officij, vt doceatis, quid, cur, damnaueritis.

ET vt finiam aliquando, in vno atque altero loco viſum eſt oſtendere, quæ inſcitia ſacrarum rerum, quæ impietas ſit Sorbonæ. Nam inde facile reliqua æſtimari poterunt. Lutherus ſic de libero arbitrio ſcripſit, Non poſſe illud citra gratiam aliud quam peccare. Nota res eſt & plana, ſi Scripturam conſideres. Sic enim ait Apoſtolus Paulus: Adfectus carnis inimicitia eſt aduerſus Deum, Legi enim Dei non eſt ſubditus, neque enim ſubdi poteſt. Qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt. Et Iohan. 1. Qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neq; ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt. Et Scripturam ſecutus Auguſtinus, idem agit aduerſus Pelagianos, hoc eſt, Sorbonicos Sophiſtas, non vno loco. Hic Sorba iſta diſſimulant Scripturam, & Auguſtinum excuſant Sorbonico commento, in quo ſolo deprehendes cæcitatem Sorbonicam. Quod ſi vnquā dubitatum eſt, in quo genere literarum aut artium verſaretur Lutetia, id nunc declarat hic locus, in quo palam adparet, in tota iſta Sorbonica Facultate neminem eſſe, qui Auguſtinum attigerit In ipſa Scriptura quid poſſint, facile æſtimari poteſt, quando ne Auguſtinum quidem vulgarem alioqui inter Theologos ſcriptorem viderint. O Theologos, ô Sorbonam,

Liberum arbitrium &c. *Rom. 8.* *Iohan. 1.* *Auguſtinus aduerſus Pelagianos.*

Augu-

Auguſtinus,inquiunt,cum de gratia diſputat, non poſſe liberum arbitrium bene operari citra gratiam,non de gratum faciente gratia loquitur. Cæcitas cæcitatum,& omnia cæcitas.De qua tandem gratia vir ille diſſerit? cum toties in vocabulo gratiæ variaſſe Pelagium ſcribit,Teſtatur ſe exigere gratiam iuſtificantem,ſeu Spiritum ſanctum diffuſum in corde iuſtificatorum. Dona naturæ palam reijcit,ſpeciale auxilium Sorbonicum ignorat,qui poteſt igitur non de gratia iuſtificante loqui? Et vt rem ipſam æſtimemus, quæſo vos Sorba Sorbonica, vnde gratiam gratum facientem nominaſtis? An non inde,quod ſola Deo conciliet. Quod cum ita ſit,cur ſine gratia gratum facienre Deo aliquid acceptum eſſe fingitis? Pugnant inter ſe verba, & dogmata veſtra. Nomen gratum facientis gratię recipitis,vim vocabuli non recipitis.

Sed videamus,in quam partem vſus ſit Auguſtinus nomine gratiæ. *Gratia apud Auguſtinum.* Poſſem eius totum Librum de ſpiritu & litera adſcribere,quando nulla pagina eſt,in qua non fiat gratiæ mentio. Sed hæc ſunt eius verba in cap. 4. de ſpiritu & litera, Sed vbi ſanctus non adiuuat Spiritus, Inſpirans pro concupiſcentia mala,concupiſcentiam bonam,hoc eſt,charitatem diffundens in cordibus noſtris,profecto Lex illa: Non concupiſces,quamuis bona, auget prohibendo deſiderium malum. *Non concupiſces.* Hic de qua gratia loquitur,cum palam dicat, non poſſe niſi peccati ſine gratia? Nonne vocat gratiam charitatem Spiritus ſancti diffuſam in corda noſtra? Et vos Sorbonici quid aliud vocatis gratiam, quam charitatem? Sinite,quæſo,impetrari à vobis,vt Auguſtinum, non dico relegatis,ſed inſpiciatis tantum,Nam errorem veſtrum nulla pagina eſt, quę non coarguat.

In capite nono de gratia loquentem indueit Apoſtolum,cum ait: Iuſticia Dei per fidem Ieſu Chriſti,in omnes,qui credunt. Hæc ad gratuita dona naturæ,aut ad ſpeciale auxilium detorqueri poſſunt? O vos rudes & vere Sorbonici Magiſtri noſtri,quis deinceps credet vobis vel oculos vel mentem vel cerebrum eſſe,qui in tam clara luce,tam nihil obſcure cæcutitis & hallucinamini? Ego hic per gratias nihil ſic mirot,atq; in tota iſta Sorbonica Facultate neminem fuiſſe,cui Auguſtini ſententia comperta fuerit, & vel hoc argumento eſt,ab vno atq; altero Sophiſta editum Libellum, nomine Facultatis ementito.

Nec maiore fide de Ambroſij ſententia iudicant Gallica iſta Sorba, cum conſtet in tota diſputatione hoc agere Autorem Libelli,quiſquis eſt, de vocatione Gentium,peccata eſſe, quæ citra gratiam fiunt. Et declarans de qua gratia loquatur,inter alia teſtimonia hoc quoq; producit, quod & Epiſtola ad Ebræos ex Ieremia citatum eſt:Dabo leges meas in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam,quæ tantum abeſt,vt vel ad ſpeciale auxilium Sorbonicum,vel ad dona gratuita detorqueri poſſit,vt gratiam per Chriſtum donatam,quam vos gratum facientem vocatis,vix alius Scripturæ locus accommodatius deſcribat.

Num adhuc obſcurum eſt,& quomodo citarit Auguſtinum ac Ambroſium Lutherus,& quid Sorbona ſapiat, quam hic animaduertimus tam craſſe errare,vt ne craſſius vnquam Louanienſes aut Colonienſes ineptierint. O infelicem Galliam , cui tales contigere cenſores ſacrarumq; rerum arbitri, digniores qui cloacas agant, quam qui ſacras literas tractent.

EX hac

EX hac ſententia de libero arbitrio, conſequuntur, quæ de contritione, adeoq; in vniuerſum de pœnitentia ſcripſit Lutherus. Et ô miſeros nos, qui iam à quadringentis fere annis neminem habuimus in Eccleſia ſcriptorem, qui rectam ac propriam pœnitentiæ formam prodidiſſet. Impoſitum eſt alijs per fictitias contritiones, aliorum conſcientiæ ſunt excarnificatæ per ſatisfactiones. Nunc tandem Dei miſericordia reſpexit nos, reuelauitque Euangelium populo ſuo, & erexit conſcientias eorum, quos vocauit. Si quæris, quid contulerit Eccleſiæ Lutherus, habes hic ſummam rei, veram pœnitentiæ rationem docuit, vſum item ſacramentorum oſtendit, qua in re teſtes multorum conſcientias habeo.

Non volo autem hic de pœnitentiæ formis aut ſacramentis diſputare, quando Sorba iſta damnarunt tantum Lutherum, non etiam vicerunt ratione, vel Scriptura. Statq; veritas Lutheranæ doctrinæ inconcuſſa & immobilis non modo aduerſus Sorba iſta, ſed etiam aduerſus Rectores tenebrarum. Vbi oppugnabunt Scripturę ſententijs ea, quæ docuit Lutherus, nihil conabimur tueri. Nam hanc Lutheri doctrinam de pœnitentia, nec ex meo, nec fidelium vllorum corde extorquebit vlla vis inferorum, nedum Sorbonica, aut papiſtica.

DE Lege & Concilijs quid attinet iterum monere, cum ſupra oſtenderim plane hac parte conuenire Luthero cum veteribus. Tamen vt videas, quam fortiter diſpeſent de lege diuina ſorbonici Sophiſtæ, libuit ad eum locum veluti poſtliminio redire. Lex (aiunt) de non vindicando eſt nimium oneroſa legis Chriſtianæ. O impios Sophiſtas, qui onus Legis ab Ariſtotelica philoſophia æſtimant. An non onus eſt naturæ, lex de non concupiſcendo. eſt igitur abroganda ſecundum ſorbonicos Sophiſtas. Oneri lex eſt, de diligendo ſolo Deo, eſt igitur abroganda. O inſanos, ô impios homines, ad vos pertinet quod dictum eſt: Qui ſoluerit vnum de minimis mandatis, minimus erit in regno cœlorum.

Lex de non vindicando.

Et cur non idem cogitabatis, cum de ſatisfactionibus præciperetis? Num illæ non ſunt oneri adflictæ per ſeſe conſcientiæ? ſed & noua onera comminiſcimini, & ea quæ diuinitus impoſita ſunt, abrogatis. Sic decet vos implere propheticas ſcripturas, Confirmare impium & contriſtare cor iuſti. Atq; vt omiſſis multis breuiter doceam exigi, ne vindicemus, non conſuli, Locus eſt apertus in 1. ad Cor. cap. 6. Iam quidem omnino delictum eſt, quod iudicia inter vos habetis. Quod ſi delictum eſt, repetere rem iudicio, non dubium eſt, quin exigat Lex, ne vindicemus.

HÆc monere te, Chriſtiane Lector, volui, ne à Lutherana doctrina abſterreret Sorbonæ autoritas, quæ quid ſapiat, ex vno atq; altero loco hic cognoſti. Et ex his, quos adnotauimus, reliqua æſtimabis. Eſt enim ſui ſimilis Sorbona, Chriſtum inter fabros citius, quam in iſto genere, reperias. Tuum eſt interim vna mecum poſtulare Lutetiam rationem ſui iudicij, quam vbi ediderit, de noſtris nos quoq; copioſius diſſeremus.

VALE.

LVDVS

LVDVS LVTHERI

A STOLIDA ET SACRILEGA SORBONA DAMNATI.

DETERMINATIO II. ALMAE FACVLTATIS THEOLOGIAE PARISIENſis, ſuper Apologiam Philippi Melanthonis pro Luthero ſcriptam, Liber primus.

Annexa eſt Ratio determinationis prima, Liber ſecundus.
Tertius Liber habet quaſdam Regulas intelligendi Scripturas.

QVoniamquidem, vt bene dicit Eccleſiaſt. faciendi Libros non eſt finis, Cuius cauſa eſt, quod proteruia & pertinacia hæretica non acquieſcit ſanis doctrinis, & finem illum, qui eſt timor Dei, cum Eccleſiaſte non audit. Sane cum nuper ſuper doctrina Lutheri cuiuſdam noſtram definitiuam ſententiam publicaſſemus, & plurimos Articulos in ea damnaſſemus, tanquã catholicæ fidei manifeſte contrarios, per quos eum conuicimus peſtiferum Hæreſiarcham eſſe, ſatagentes, ne virus eius deteſtabile vltra ſerperet. Ecce, ſurrexit quidem dictus Philippus Melanthon, hæreſi iſta infectus, & peſtiferi Magiſtri peſtifer diſcipulus, auſus eſt contra nos Apologiam pro Luthero ſcribere, in qua almam noſtram Facultatem tam deriſorie, tam irreuerentialiter, tam prætenſe inuadit, quod ſcandalum eſt.

Nos igitur putantes, noſtri officij eſſe, ſcandalis occurrere, Primo de ipſa Apologia ſententiam noſtram definitiuam ponemus. Secundo aliqualem Rationem reddemus præcedentis determinationis. Tertio aliqua puncta ponemus pro intellectu Scripturæ, ne deinceps ſine fine litigare neceſſe ſit. Et ſic hunc Librum in tria capita vel tres portiales Libros diſtribuimus, ſecundum tres prædictas materias.

LIBER PRIMVS CONTINET

per ordinem Articulos ex Apologia Philippi Melanthonis damnatos, cum adnotationibus Facultatis.

A*Pologia aduerſus furioſum Decretum Theologaſtrorum Pariſienſium pro Luthero.* 1.

Hæc Propoſitio eſt ſcandaloſa, irreuerentialis & contumelioſa. Et in hoc quod dicit: Furioſum Decretum, pro quanto intendit Magiſtros almæ Facultatis eſſe furioſos, eſt blaſphema & impia in almam Facultatem, ideo igne, ferro, aqua, vna cum Autore perdenda. Vbi autem dicit Theologaſtrorum, pro quanto vult Magiſtros noſtros non eſſe Theologos, ſed Theologaſtros, quod ſignificat ſylueſtres & figuras ſolas Theologorum, eſt iniurioſa toti ſtatui Theologorum.

Quondam fuerunt ſtrenui Mileſij. 2.

Hæc Propoſitio eſt ſuſpecta, quia græce fuit ſcripta ab ipſo autore Apologiæ, Græci autem ſunt hæretici. Et in eo quòd dicit de nobis, Mileſij, eſt manifeſte falſa, quia non ſumus Mileſij, ſed Pariſienſes. Et pro quanto vult, nos iam non eſſe ſtrenuos, eſt contumelioſa & piarum aurium offenſiua.

3. *Quid enim eſtis niſi Sorba?*

Hæc Propoſitio eſt vitioſa etiam contra Grammaticam, quia noſtra Schola non Sorba, ſed Sorbona dicitur. Et pro quanto vult detruncare nomen almæ huius Scholæ, eſt iniurioſa.

4. *O vos rudes & verè Sorbonici.*

Hæc Propoſitio, pro prima parte eſt offenſiua piarum aurium. Et pro quanto per rudes intelligit ſpiſſos illos truncos, ex quibus fiunt lintres porcorum, eſt nimis contumelioſa. Si autem per rudes intelligit indoctos, eſt ſcandaloſa, & Magiſtris Theologiæ derogatiua & detractiua. Et pro quanto dicit, vere Sorbonici, volens quod prius ficte Sorbonici fuimus, eſt manifeſte falſa & erronea, cum ſimus in eadem ſemper Sorbona.

5. *Lutetia iam non philoſophatur, ſed nugatur.*

Hæc Propoſitio eſt ſcandaloſa valde, & falſa. Et in eo, quod intendit, Theologiam apud nos eſſe nugas, eſt blaſphema in Spiritum ſanctum. Et in eo, quod Lutetiam nos appellat, deturpat famam almæ Vniuerſitatis. Pro quanto intendit eam luto & ſtercori comparare, in quo ſues & porci ſe ſordidant.

6. *IN libro Iohannis Maioris ſunt plauſtra nugarum.*

Hæc Propoſitio eſt ſtulte & temerarie aſſerta, in hoc, quod intendit, nugas plauſtris vehi, cum nugæ ſint res ſpirituales, & plauſtra res corporalis. In hoc autem, quod dicit nugas eſſe illius doctiſſimi viri ſcripta, eſt detractoria & iniurioſa in notabile membrum huius Vniuerſitatis.

7. *Hæc eſt illa Helena, pro qua Magiſtri noſtri decertant.*

Hæc Propoſitio pro quanto denotat quod Magiſtri noſtri meretrices amant, eſt valde detractoria, infamatiua, contumelioſa. Pro quanto autem vult noſtram Theologiam Helenam dici, eſt blaſphema in Spiritum ſanctum.

8. *AVguſtinus aliqua argutius, Lutherus multa diligentius dixit.*

Hæc Propoſitio eſt impia, contumelioſa in S. Auguſtinum, ſtulte & ſuperbe aſſerta, fauiſatiua nimis hæreſi Lutheri & derogatiua autoritati S. Patrum.

9. *RVmpite interim Magiſtri noſtri.*

Hæc Propoſitio, eſt conſilium diaboli manifeſte, quæ ſuadet, vt nos ipſos interficiamus & rumpamus, Et in eo, quod optatiue dicitur, eſt crudelis & homicida, quia optat nos rumpi, ſicut Iudas Iſcharioth ruptus eſt, Sed qui odit fratrem ſuum, homicida eſt.

10. *IN meridie lucernam.*

Hæc Propoſitio eſt ſtulta, quæ docet lucernam in meridie accendere, Etiam eſt ſuſpecta, quia græce ſcripta. Et pro quanto intendit nos eſſe tam cæcos, vt in meridie non videamus, eſt irreuerentialis, deriſoria Facultatis Theologicæ.

11. *QVis non rideat muliebrem hanc & monachalem impotentiam?*

Hæc Propoſitio eſt falſa,ſtulte & inſipienter aſſerta. Et pro quanto vult nos eſſe mulieres,quæ impotentes ſunt ad generandum ſine viro,eſt contumelioſa. Et pro quanto vult,quod ſimus etiam ipſi impotentes ad generandum eſt manifeſte falſa & erronea. Maxime vero eſt iniurioſa,pro quanto intendit nos eſſe Monachos caſtratos,& ſic impotentes factos,hoc enim eſt contra experientiam & prouerbium: Theologi latdant per bracam.

Spectabilis Domine Decane,vos eſtis iam iratus. 12.

Hæc Propoſitio eſt deriſoria & ironica. Et in eo quod dicitur,vos eſtis iratus,eſt incongrua manifeſte,ſicut illa,ego currit,olim à nobis damnata. Et in eo quod intendit,plures ex nobis eſſe quaſi vnum, dum dicit,vos multi,eſtis vnus iratus,eſt manifeſte falſa & ſcandaloſa. Et in hoc quod dicit,Decane vos eſtis,intendendo,quod ex canibus nati ſumus,eſt contumelioſa. Et in eo quod intendit,non licere iraſci,eſt impia & nimis oneratiua legis Chriſtianæ.

Hoc etiam Homerus,licet cæcus,vidit. 13.

Hæc Propoſitio eſt manifeſte falſa, & Philoſophiæ contraria, in eo quod dicit,cæcus vidit,tribuens actum poſitiuum priuationi,qui eſt ſolius habitus,vt Ariſtoteles dicit.

Peiora vincere. 14.

Hæc Propoſitio eſt falſa & impia. Et in eo quod græce ſcripta eſt ſuſpecta de hæreſi. Et in hoc quod intendit, malum eſſe fortius bono,eſt blaſphema in Deum,qui eſt bonum omnipotens. Similiter & erronea in Philoſophia,Quia malum eſt nihil,Sed nihil non poteſt aliquid vincere. Et in hoc quod intendit,Nos eſſe peiores,eſt detractoria,derogatiua,& piarum aurium offenſiua.

Quid ad nos,quid Ariſtoteles impurus homo dicat? 15.

Hæc Propoſitio eſt detractoria principis Philoſophorum. Et in eo quod dicit,eum non fuiſſe purum hominem,intendendo,quod mixtus fuerit diabolo,eſt manifeſte falſa,& ſtulte aſſerta. Et pro quanto vult Philoſophiam eſſe impuram,eſt aſſerta ab inimico ſcientiæ & ignorante, Quia ſcientia non habet inimicum niſi ignorantem,ait purus ille homo Ariſtoteles,præclariſſimum lumen naturæ,ſecundum noſtrum compatrem Eccium. Et in hoc quod vult,non teneri autoritate Ariſtotelis,eſt manifeſte proterua, pertinax & irreuerentialis in totam Facultatem Artium & Theologiæ.

Signis non credimus, ſed Scripturis. 16.

Hæc Propoſitio eſt manifeſte temeraria, rebellem indicans animum, & contrarium Spiritui ſancto & ſignis eius,cum hiſtoria Lombardica & Vincentius in ſuo ſpeculo exemplorum,& monachi Prædicatores in ſuo Roſario ſolis ſignis vtantur ad probandum.

Scholas omnes eſſe hæreticas,ſola ſcholaſtice probat. 17.

Hæc Propoſitio eſt ſtulte,arroganter,ſuperbe,impie & temerarie aſſerta, & nimis blaſphema in Eccleſiam ſanctam Dei,ac per hoc in Deum. Et in hoc, quod ſimpliciter Scholas dicit, intendendo, non eſſe Vniuerſitates,ſed particulares,eſt iniurioſa & blaſphema, quia vult Magiſtros omnes ſcutones & bacchantes & beanos intelligi.

In quadringentis annis nemo docuit formam pœnitentiæ. 18.

Hæc Propoſitio eſt impia & ſcandaloſa, & contra Eccleſiam Dei contumelioſa. Et in eo quod intendit, ſolam materiam pœnitentiæ, ſine forma fuiſſe nudam, eſt contra Philoſophiam, quia impoſſibile eſt, materiam ſtare nudam (niſi ſecundum Scotiſtas) præſertim tanto tempore quadringentorum annorum.

19. *Auguſtinus de gratia iuſtificante loquitur.*

Hæc Propoſitio eſt falſa, & contra ſenſum Facultatis noſtræ poſita & determinationi noſtræ priori contraria, Et in eo, quod dicit, Auguſtinus loquitur, falſa eſt, quia Auguſtinus ſcribit, imo ſcripſit quondam, nunc autem mortuus eſt, & non loquitur, ſaltem apud nos.

20. *Nullus in Sorbona legit Auguſtinum.*

Hæc Propoſitio eſt falſa & offenſiua piarum aurium. Et pro quanto vult nos hoc nomen, Auguſtinus, non legiſſe, eſt manifeſte erronea & contra experientiam.

SECVNDVS LIBER CONTINET
Rationem determinationis primæ.

ET primo notandum, quòd in prima determinatione almæ Facultatis proteſtati ſumus, quod vellemus conformiter ad formam Apoſtolorum procedere, qui Acto. 15. ſimpliciter ſcripſerunt, quid ſibi viſum fuit, non dicentes, quare ſic ſentirent. Hoc laudabile Exemplum nepos iſte hæretici Reuchlin, multum arrogans (vt vere amicus & compater noſter Eccius ſcripſit) deturpat, & confuſibiliter almam facultatem dehoneſtat, dicens, nos non ſeruaſſe formam illam exempli, & mentitos eſſe, & blaſphemaſſe, quando de Apoſtolis diximus, quod ſimpliciter ſcripſerunt, non dicentes quare ſic ſentirent, Et nititur probare quod vtique dixerunt, quare ſic ſenſerunt.

Primum, quia habuerunt ſigna & Prodigia, quæ Deus per Paulum & Barnabam in gentibus fecerat, quibus probabant, quaſi Inuictis Rationibus, quod non eſſet neceſſaria Circumciſio & Lex, cum Deus gentes iuſtificaret ante & ſine Circunciſione & Lege, dans eis Spiritũ ſanctum ad ſolam prædicationem Euangelij, Dicit enim Lucas ibidem, quod cum hæc audiſſent à Paulo & Barnaba, tacuerunt, ſcilicet, non ſolum dantes rationem cur ſic ſentiretur, ſed erant omninò concluſi, Quomodo enim Deo reſiſterent?

Secundo nititur probare ex propriis exemplis Petri, & ſua oratione longa, quam ibi habuit ſuper eadem re. Ratio enim Petrum mouens & ſuos fuit hoc triplex ſignum, Primum, quod Cornelio apparuit Angelus de cœlo, licet neq; circuncisus neq; ſub Lege eſſet, dicens, orationes eius exauditas, & eleemoſynas acceptas apud Deum. Alterum ſignum, quod vidit viſionem, in qua animalia omnis generis in lintre de cœlo coram eo fuerunt, & audiuit: Quod Deus mundauit, tu ne commune dixeris. Tertium ſignum, quod ipſo prædicante in domo Cornelij, cecidit Spiritus ſanctus ſuper audientes ſine Circuncisione & Lege. Quibus rationibus inuictis ſunt moti, vt ſcriberent, quod ſibi videretur, & non tacuerunt eas, ſed vt Lucas dicit: Tacuit autem omnis multitudo &c. Hinc eſt, quod ſcribentes præmittunt Spiritum ſanctum, dicendo: Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis. Quia erant certi, & rationes erant omnibus notiſſimæ, vt Petrus diceret: Ego quis eram, vt prohiberem Deum?

Tertio, dehoneſtat nos, quod ſine Scripturis etiam damnauimus, cum tamen

men

men Apoſtoli,præſertim Iacobus,ſurgens ex Propheta Amos publice probauit,quare ſic ſentirent.

Quarto,mittunt viros primarios,qui Epiſtolam perferant,& iſtas Rationes,ſigna & Scripturas,multo ſermone reddant. Quod à nobis non eſſe factum ait,Et ſic concludit,quod alma Facultas non proceſſit ſecundum formam Apoſtolorum,ſed mentita eſt,ac blaſphemauit Apoſtolos & Spiritum ſanctum,quando ſcripſit,quod Apoſtoli non dixiſſent,quare ſic ſenſerint.

QVoniam quidem igitur hoc eſſet nimis confuſibile, tam ſolenni Vniuerſitati & almæ Facultati,quod deberet allegaſſe formam Apoſtolorum,& nō tenuiſſe,ac ſic contra propriam Proteſtationem egiſſe,etiam mentitam eſſe & blaſphemaſſe Apoſtolos. Inſuper hoc etiam vellet ſequi,quod ipſa nunquam inſpexiſſet Lucam in Actibus,cum tamen proteſtata fuiſſet ſub ſigillis,quod diligenter etiam Sanctorum Libros conſideraſſet, & cum multa maturitate ſæpius diſcuſſiſſet,& ſic determinaſſet, Quod fieret intolerabilis infamia huius vniuerſitatis omnium aliarum Reginæ.

Quare,vt excuſemus Facultatem almiſſimam, & arrogantem iſtum hæretici Diſcipulum compeſcamus,eſt ſciendum,quod & nos iſta quatuor ſeruauimus.

Primum,Signa habuimus etiam dupliciter. Quædam, quæ reſpondent communibus ſignis Barnabæ & Pauli in gentibus. Quædam vero,quæ reſpondent proprijs ſignis Petri. Et quia à digniori incipiendum eſt. Primum de Petri & correſpondentibus ei ſignis videamus. Et ſit ſic: Decanus noſter almæ Facultatis,eſt S.Petrus in alma Facultate. Et ipſe habet tria ſigna, quæ cognnt eum ſic ſentire,vt non poſſit errare, quæ ſunt, Regiſtrum, Sigillum, & Almutium.Vnde patet,quod valde arroganter & frontoſe ſcripſit iſte hæreticus contra almam Facultatem. Communia autem ſigna ſunt hæc,Et ſit ſic:Cæteri Magiſtri noſtri,præſertim iſti duo excellentiſſimi, Quercus & Beda,ſunt S.Paulus & Barnabas in alma Facultate noſtra. Signum autem eorum primum & maximum,eſt Liripipium,ſeu,vt eruditi dicunt, Rellipendium,quod eſt euidentiſſimum & notiſſimum ſignum,per quod concluditur ſic:Iſte habet Liripipium,ergo eſt Magiſter noſter in fide illuminatus,ergo habet Spiritum ſanctum. Aliud ſignum eſt,quod ſedent in ſuperiore cathedra, quando diſputant & legunt,per hoc ſignum arguitur ſic:Chriſtus dicit:Super cathedram Moſe ſederunt,quæcunq; dixerint,ſeruate. Ergo quæcunq; dixerint,ſunt vera,Sed illi ſedent in cathedra & docent ſic,ergo non poſſunt errare.

Aliud ſignum eſt,quod comprehendit multa.Et ſunt inſignia illa doctoralia,Annulus,pyrrethum,liber,oſculum, chirothecæ, & pirretha diſtributa in aula doctorali, Etiam candelæ ardentes, & ſuper omnia, Te Deum laudamus,quod in fine canitur,Vltimo egregium conuiuium doctorale. Vltimum & fortiſſimum ſignum eſt introitus Domini Decani in Sorbona,quando Bedelli cum ſceptris præcedunt,& voce magna clamant:Tranſeat ſpectabilis & eximius magiſter noſter, Dominus Decanus almæ Facultatis Theologicæ cum magiſtris noſtris eximijs. Tranſeat ille,tranſeat, Et hoc ſignum eſt valde bene maſticandum,quia formaliter concludit Magiſtros noſtros non poſſe errare. Sicut in ſimili & Papa non poteſt errare, valde formaliter concluditur per hoc,quod eum portant ſex robuſti viri cum magna ſolennitate in media die,de palatio ſuo,in recta & bona platea, Quomodo poſſet errare in ſic clara die & recta platea,& tam glorioſa portatione? Sic Magiſtri noſtri non poſſunt errare,quia incedunt etiam ſolenniter,in clara die & bona platea,

eum Bedellis & ſcptris præcedentibus. Et ſic iſta duo prima ſigna ſunt glorioſe diſcuſſa, & manet alma Facultas in honore ſuo.

Tertio etiam Scripturis mota eſt alma Facultas, licet non explicite, tamen implicite. Quando enim alma Facultas dixit, quod lex de non vindicando eſſet oneratiua legis Chriſtianæ, implicite adduxit illam ſcripturam, Pſa. 2. *Pſal. 2.* Dirumpamus vincula eorum, & proijciamus à nobis iugum eorum (ſcilicet Dei & ſui Chriſti) Item illud Luc. 19. Nolumus hunc regnare ſuper nos, oderant enim ciues illius eum. *Lucæ 19.* Et illud Ieremiæ: Et quod eſt onus verbi Domini? Et illud Iob: Dicunt Deo, recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus, & multas ſimiles. Ex quibus patet, quod alma Facultas non ſolum ſeruauit formam Apoſtolorum, ſed multo plus fecit, Illi enim modicum Scripturam allegauerunt explicite, ſcilicet vnam ſolam autoritatem. Alma vero Facultas, licet implicite, quaſi omnes Prophetas, quorum verbum fuit oneroſum Iudæis, Eſt etiam magiſtralibus, multas Scripturas implicite allegare, quam vnam ſolam explicite, Sic etiam pluribus & melioribus ſignis nititur, Quia Apoſtolorum ſigna cito tranſierunt & pauca fuerunt. Sed ſigna almæ Facultatis manent quotidie, & multa ſunt valde. Quis enim poſſet numerare omnia Liripipia, quæ fuerunt, ſunt & erunt in Sorbona? Nunc autem dicit Ariſtoteles, Bonum quanto communius, tanto diuinius. Et iterum alia topica notabilis. Diuturniora ſunt meliora. Ergo ſigna almæ Facultatis ſunt meliora ſignis Apoſtolorum.

Quarto miramur cæcitatem iſtius arrogantis Apologiam ſcribentis, quod non videt, quanti ſint vbiq; viri, qui has almæ Facultatis ſententias zeloſiſſime commendant, prædicando, ſcribendo, clamando, criminando, & ſic ſatagando, vt multi eis iraſcantur, quaſi inſanis propter hoc ſanctum miniſterium. Sed quia cæcus eſt, oportet ei aliquos nominare, vt poſſit palpare. *Syluester.* Primus eſt Syluester de Prierio, ſacri Magiſter Palatij, *Caietanus.* poſt hunc fuit Cardinalis Caietanus. *Ioh. Eccius.* Et tertius noſter dilectus compater Iohannes Eccius, qui mul- *Thomas Rhadinus.* tum in hac cauſa laborauit, & Bullam etiam ipſemet Romæ comportauit. Quartus eſt Thomas Rhadinus. Quintus quidam Cremonenſis Frater. *Auguſtin. Alueldenſis.* Sextus deuotus ille frater Auguſtinus Alueldenſis. Septimus dicitur eſſe qui- *Hieronymus Emſer.* dam dictus Hieronymus Emſer, qui in vernacula multa bona ſcripſit contra Lutherum, vltimo duæ dilectæ ſorores noſtræ Colonienſis & Louanienſis ſcholæ damnauerunt Lutherum doctrinaliter.

Sunt item alij multi in alijs noſtris Sororibus, qui partes noſtras tenent, *Conradus Vimpina.* ſicut in Francofordienſi, Cunradus Vimpina, qui eſt vnus ſingularis Thomiſta, & tantus, quod libenter vellet fieri Epiſcopus, & facit iam vnam nauem *Iacobus Lem.* pro nobis. Et in Tubingenſi eſt vnus ſubtiliſſimus Scotiſta, Iacobus Lem, qui ſi eſſet ita doctus, ſicut adparet ſibi, ipſe eſſet etiam ſuper omnes Magiſtros noſtros Pariſienſes.

Ecce, tu Melanthon, vade nunc, & ſcribe in tua ſtulta & græciſſante & hæreticante Apologia, Almam Facultatem non habere viros primarios, qui ſuam ſententiam perferant. Quid obſtat, quod non ſunt miſſi à nobis? ſufficit, quod ſua ſponte currunt in miniſterium noſtrum. Audiuimus etiam, quod eximius vir Iacobus Latomus Louanienſis egregie in Lutherum ſcripſit. Ecce hos omnes viros veriſſime primarios contemnit iſte Apologeticus ſcriptor irreuerentialis, & frontoſus ac prætenſus.

IAm volumus etiam ſigna colligere, quibus probamus, quod ipſe Melanthon non poſſit veritatem ſcire, Primum eſt, quod græcam linguam docet.

Quomodo

Quomodo eſt poſſibile, vt Græci ſint boni Romani & Chriſtiani, qui ſemper fuerunt rebelles & ſchiſmatici & hæretici?

Secundum, quod audimus eum eſſe adoleſcentem nondum annorum viginti quatuor. Et iſte ac talis puer credi debet aliquid aliud quam errare poſſe? nec eſt in hoc contentus, ſed ſcribere audet contra tam antiquam, magnã, altam, almam Scholam. Mirabile eſt, quod illuſtris Dux Fridericus, qui dicitur ſapiens eſſe Princeps, non videt puerum iſtum inſanire, & tolerat eum, cum deberet eum in carcerem ponere, donec reſipiſceret. Nos enim pro alma Facultate miſeremur eius ætati inſanæ & teneræ.

Tertium ſignum eſt, quod dicitur eſſe minore corpore & ſtatura, quam ſuus Magiſter Lutherus. Quomodo poteſt in tam paruo corpore aliqua magna ſcientia eſſe, qualis eſt in Sorbona tota, quæ tam magna eſt?

Quartum, quod omnium maximum & deteſtabile eſt, quod non eſt Clericus ſed Laicus, nec ſaltem Tonſuriſta, Et tamen dicitur eſſe Baccalaurius Bibliæ, & legis S. Paulum in publica Schola ſine Almucio, & Sacerdotes debent audire vnum Laicum, Et diſcipulus docet ſuos Magiſtros, Iuuenis docet Seniores, & Græcus Romanos. O VVittemberga tu peruerſa peruertis omnia, & vis vnam Babylonem ex Eccleſia facere.

Vltimum, quod vix credere potuimus, ipſe eſt Laicus coniugatus. Et ecce, Laicus habens vxorem, docet ſacram Scripturam, inter ſacerdotes, clericos, & ſpirituales, contra Decretales Papæ, qui docet, Quod nemo poſſit Deo ſeruire in matrimonijs, ideo etiam prohibuit clericis vxores, vt Deo poſſint ſeruire, & ſtudere (in alea) O quod Imperator Carolus cum Principibus iſtam VVittembergam ferro, flamma, igne, & omnibus viribus euerteret funditus, quæ tantas peruerſitates & nouitates in fide & moribus inuenit & ſequitur. Et eſſet tempus hoc faciendi, ne forte, quod abſit, etiam mulieres & pueri incipiant docere & Theologi ac Magiſtri noſtri fieri (ſicuti ſunt) Quid enim tum fiet, niſi vt Magiſtri noſtri fiant mulieres & pueri, & ſint omnia peruerſa?

Ex his ergo concludimus per locum à coniugatis, Iſte eſt erroneus, & iſte Laicus, ergo eſt erroneus laicus. Et iterum: Iſte eſt erroneus, & iſte eſt docens, ergo eſt erroneus docens. Et vltra, Docens eſt erroneus, ergo doctrina eſt erronea, Et econtra, Alma Facultas eſt recta, ergo doctrina almæ Facultatis eſt recta, Et ſic patet, quod iſte Apologeticus eſt laicus, iuuenis, coniugatus, paruus, græcus, & erroneus. Quare impoſſibile fuit & eſt, vt veritatem ſciret, ideo & nos cum eo clementius agentes, attendẽdo, quod per ſuum Præceptorẽ peſtiferum eſt ſeductus, rogamus eum, vt deſiſtat ab errore audiat ſuos Maiores, Et ſi non habet alios, ſaltem ſorores noſtras Coloniam & Louanium audiat, quæ eum bene informabunt. Et hoc de ſecundo Libro.

LIBER TERTIVS CONTINET quaſdam Regulas, pro intellectu Bibliæ.

IN lege Moſi præceptum fuit, vt ſacerdotes iudicarent inter lepram & lepram. Et ſine ſacerdotis iudicio nullus fuit reputandus mundus vel immundus. Sic in noua lege ordinatæ ſunt Vniuerſitates, inter quas merito præcellit noſtra Pariſienſis ſtudiorum mater, quæ de doctrinis iudicent. & ſine earum iudicio, nemo catholicus vel hæreticus reputetur. Quare pro iſto iudicio informando, paucas Regulas vel Articulos ponemus.

I.

Scriptura ſancta eſt obſcura.

Hæc Regula eſt ſupponenda tanquam principium fidei, ideo non debet probari.

II.

Nulli credendum eſt Scripturam ſimpliciter alleganti.

Probatur ex prima Regula, Quia omnis talis allegans allegat obſcuritatem, ergo.

III.

Scriptura debet accipi ſecundum expoſitionem Magiſtrorum ſacræ Theologiæ, præſertim Pariſienſium.

Hæc patet ex prædictis, Quia ſunt ordinati vt iudicent inter lepram & lepram. Secundo, quia habent Liripipium, ergo ſunt illuminati in fide, & non poſſunt errare, vt ſupra probatum eſt.

SEd quia iſtæ Regulæ videntur nouæ, volumus eas exemplis oſtendere, Quanto Chriſtus dicit Iohan. 8. Qui facit peccatum, ſeruus eſt Iohan. 8.
peccati, Videtur quidem apertus eſſe intellectus, quod liberum arbitrium non poſſit niſi peccare, ſed non eſt ei credendum, quia obſcurus eſt, & audire oportet, quid Magiſtri ibi dicant. Sic quando Paulus Rom. 14. dicit: Omne Rom. 14.
quod non eſt ex fide, peccatū eſt, videtur aperte Paulus opera moralia damnare, ideo expectanda eſt determinatio almæ Facultatis. Imo quod plus eſt ille locus Gene. 1. In principio creauit Deus cœlum & terram, eſt ita obſcurus, vt multos poſſit errores generare, ſi Magiſtri liripipiati non eſſent, Poſſet enim aliquis ſic legere: In principio cremauit id eſt, combuſſit, Deus cœlum & terram. Item poſſet aliquis ſic legere: In principio creauit Deus zelum & iram, per zelum inuidiam intelligendo, quaſi Deus inuidiam & iram creaſſet, Et multi alij errores nephandi poſſent ſic ex Scriptura emergere, ſi Magiſtri non vigilarent, & permitterent nudam Scripturam allegare.

Nec valet dicere, quod Scriptura eſt in aliquibus locis aperta, quia iam probatum eſt oppoſitum ex Gene. 1. vbi videtur apertiſſima eſſe. Etiam ideo, Quia certum eſt Scripturam alicubi eſſe obſcuram, ergo vbiq; tenet conſequentia, Quia eſt vbiq; eiuſdem rationis, vbiq; eſt vera, ſanctà, ergo & vbiq; obſcura. Sicut in ſimili dicit Ariſtoteles de homogenijs, quod partes imitantur totum, ſicut aqua eſt tota humida & rotunda, ergo & guttæ ſunt humidæ & rotundæ. Bene ergo fecit Eccius, quando Lipſiæ non voluit Scripturas audire ex Luthero, ſed exegit, vt ſua & Patrum expoſitio audiretur. Recte & Hieronymus Emſer facit, quando probat iuxta has Regulas, Scripturam eſſe obſcuram, ergo Luthero non eſſe credendum.

Imo videte neceſſitatem mirabilem Magiſtrorum noſtrorum. Nec textus Bibliæ maneret niſi ipſi eſſent. Ecce, quidam cum legeret Euangelium Lucæ 7. vbi ſcriptum eſt: Simon habet tibi aliquid dicere, Magiſter, dic, ipſe Lucæ. 7.
deceptus per literam d poetice & hæretice ſcriptam, putans eſſe c & l, legit ſic: Simon habet tibi aliquid clicere, & ille: Magiſter clic. Alius legere debuit: Regem veſtrum crucifigam, & legit: Regem veſtrum crucifigaui, maximo errore, Item alius, decem muas pro decem mnas, Et talia multa. Ergo cauendum à nuda Scriptura valde, & pro ea Magiſtris noſtris vigilandum.

Item,enm Lutherus negaret in Scripturis purgatotium probari aperte,eſt concluſus per expoſitionem Magiſtrorum noſtrorum,ſuper illud:Tranſiuimus per ignem & aquam. Et per illud 1.Cor.3. Saluus erit, ſic tamen, quaſi per ignem. Et Pſalm.16. Igne me examinaſti, Si enim hic nudas Scriptutas ſequeremur,nihil probaretur. Item illud:Paſce oues meas, ſi ſine liripipio aliquo allegatur,non ſignificat papiſare,ſed euangeliſare videtur eius eſſe ſignificatio.Item illud prouerb.Diligenter agnoſce vultum pecoris tui,non cogit ad confeſſionem,ſi liripipium deſit.Et breuiter.Si Scriptura nuda allegara tenetur,omnes Vniuerſitates errarent & hæreticæ eſſent. Et nullus modus maneret reſiſtendi hæreticis,fieretq; mundus plenus erroribus.

IV.

Dicta ſanctorum Patrum ſunt obſcura.

Hæc eſt etiam ſupponenda, probatur tamen ex Magiſtro Sententiarum,Gratiano & ſtudio omnium Vniuerſitatum. Quid enim facit Magiſter ſententiarum,quam quod obſcura dicta Patrum exponit? Nonne id facit Gratianus? Nonne id omnes Vniuerſitates? Imo maior eſt in eis obſcuritas, quam in Biblia,cum multo plures in ea laborent,quam in Biblia, vt patet ad ſenſum.

V.

Nulli credendum eſt,ſimpliciter Patres allegantí.

Probatur per prædictam,quia omnis talis allegans allegat obſcuritatem.

VI.

Dicta Patrum debent accipi ſecundum expoſitionem Magiſtrorum noſtrorum,præſertim Pariſienſium.

Patet ex dictis. Hinc bene fecit alma Facultas,quando Lutherum damnauit,quod Auguſtinum & Ambroſium allegauit,de gratia iuſtificante loquentes,vt verba ſonant,cum iuxta Magiſtrorum noſtrorum determinationem obſcure loquantur,& de gratia naturali ſolum ſint intelligendi. Item, quando Auguſtinus dicit,in omnibus operibus,& in ipſa charitate vitium eſſe,quando non eſt perfecta,obſcure loquitur,Sed ſecundum Magiſtros noſtros ibi vitium pro imperfectione capit, Sic quando non vindicandum, & præbere alteram maxillam exigit,ſuper Matth.5.obſcure loquitur. Et ſecundum Magiſtros Liripipiorum,non præceptum,ſed conſilium ponit.

Et ſic habemus,quod Scriptura per ſe obſcura eſt,per ſe nihil probat, Patres autem multo obſcuriores,& per ſe multo minus probant,

VII.

Magiſtri ſuper Sententias ſunt obſcuri.

Quod omnium euidentiſſimum eſt per experientiam, Quia nullus cum altero concordat,quilibet alteri obſcurus & ignotus eſt,Hinc alij Albertiſtæ,alij Egidijſtæ,alij Thomiſtæ,alij Scotiſtæ,alij Scotelliſtæ alij Moderniſtæ, alij Occaniſtæ,alij Gregorijſtæ,Imo hi ſunt omnium obſcuriſſimi,quod patet, quia nec in Biblia,nec in Patribus tanta eſt diuerſitas.

VIII.

Nulli credendum eſt Sententiarium ſimpliciter allegantí.

Patet

Patet ex prædicta, Quia omnis talis allegans, allegat diſcordiam & obſcuriſſimam obſcuritatem.

IX.

Dicta Sententiariorum debent accipi ſecundum expoſitionem Magiſtrorum noſtrorum, præſertim Pariſienſium.

Patet ex dictis, & à ſufficienti diuiſione, quia nullus ſupereſt, qui poſſit requiri in quæſtionibus & dubijs. Et ſic patet. Dum Patres elucidant Scripturas obſcuras, facti ſunt ipſi multo obſcuriores, vt plus in illis laborandum ſit, vt intelligantur & concordentur, quam ipſi in Biblia intelligenda & concordanda laborauerunt, vt ſatis probat Magiſter Sententiarum, Gratianus & omnes Vniuerſitates, ſicut diximus. Vlterius Scribentes dum elucidant Patres, facti ſunt omnium obſcuriſſimi & diſcordantiſſimi, vt fruſtra laborent, & impoſſibile ſit ipſos aliquando concordari, & ſimul in vnum intellectum comportare, imo propter hoc ſtudeat, vt diſcordent. Ecce ergo neceſſitas extrema Magiſtrorum, concludimus ergo cum Regula vltima.

X.

Sola determinatio alma Facultatis eſt lucida, credenda & accipienda quoties allegatur.

Hæc patet ex dictis, quia ſola alma Facultas elucidat omnia, Primo Scripturas, poſt hoc Patres, vltimo Scribentes, & non poteſt errare, quia Litipipium & Almutium non ſunt ſigna fallibilia. Male ergo faciunt, qui Scripturas nudas ſequuntur, peius qui nudos Patres, peſſime qui Scribentes, quia procedunt de obſcuritate ad obſcuritatem, donec iſtis omiſſis, almam Facultatem audiunt, & liripipio firmiter adhæſerint, ibi eſt lux mundi & regula fidei & morum infallibilis.

IN fine, ſunt aliqua dubia videnda. Et primum hoc eſt, quod poſſet aliquis putare, quod Magiſtri noſtri non poſſent ſic ſimpliciter de ſuo capite determinare, Quia Moſes præcepit omnia iudicare ſecundum legem Domini. Quod aliqui ſic exponunt, non ſecundum hominis ſentimentum. *Ioſue 3.* Secundo, quando Ioſuæ præcepit Deus, vt eſſet Dux Iſrael, iuſſit vt omnia ſecundum librum Moſi faceret. Hic eſt reſpondendum, quod quia iſta allegata ſunt ex Scriptura, ideo per Regulam primam, ſecundam & tertiam dicitur, quod ſunt obſcura. Debet ergo per Legem & librum Moſi ibi intelligi dictamen naturale rationis, maxime autem lumen fidei, quod cum lumine naturæ non diſcordat, & vtroq; lumine ſunt illuminati Magiſtri noſtri.

Si quis autem illud Deut. 12. allegat: Non facias quod rectum eſt in oculis tuis, ſicut nos hodie facimus, Vbi videtur aliquibus prohibuiſſe dictamen rectæ rationis. *Deut. 12.* Reſpondetur, quod non, ſed quia dupliciter rectum in oculis capitur, Vno modo idem eſt, quod videtur rectum in oculis, & ſic intelligitur Moſes quando dicit? Non facias quod rectum eſt in oculis tuis, quia ibi verbum, eſt, capitur pro verbo videtur. Alio modo ſimpliciter capiendo verbum eſt ſubſtantiue in ſuo actu exercitato, Et ſic non accipit Moſes, Quia ſic quod rectum eſt in oculis Magiſtrorum, hoc eſt definitiue tenendum.

Aliud dubium, Iſaias dicit: Dabo filios tuos vniuerſos Theodidactos, id eſt, doctos à Domino. Et Paulus dicit: Spiritualis omnia iudicat, Sed iam non ſolum Magiſtri noſtri ſunt filij Eccleſiæ & ſpirituales. Et Chriſtus dicit: Erunt omnes docibiles Dei. Et Ieremias dicit, quod non docebit vir fratrem ſuum, omnes enim ſcient me, quia ego ipſe ſcribam legem meam in

cordibus

cordibus eorum &c. Ex quibus poſſet aliquis putare, quod etiam quilibet laicus, ſi eſt filius Eccleſiæ & ſpiritualis, poſſet iudicare de omnibus. Reſpondetur: Iſaias per theodidactos intelligit Magiſtros ſacræ Theologiæ. Et Paulus per ſpirituales intelligit Clericos ſeu ſtatum ſpiritualem, in quo Magiſtri noſtri ſunt principales. Sic & Chriſtus per docibiles Dei intelligit Theologos, id eſt, ſacræ Theologiæ Profeſſores, qui habent Liripipium. Quia Theologus dicitur à theos, quod eſt, Deus, & logos, id eſt ratio, quia debet de Deo per dictamen rationis naturalis docere & reſpondere. Sicut Petrus dicit, Parati ſemper reddere rationem (id eſt, dictamen naturale) de ea, quę in vobis eſt, fide & ſpe.

Si autem replicatur, Iſaias dicit, Omnes. Et Chriſtus, Omnes, Et Ieremias, Nullus docebit fratrem ſuum, Ex quibus vult ſequi quod omnes Chriſtiani ſunt Magiſtri ſacræ Theologiæ liripipiati, aut quod nō ſoli Magiſtri poſſunt iudicare, ſed omnes qui credunt, & ſpiritum ac ſenſum Chriſti habent, & illis eſt credendum. Reſpondetur: Iſta ratio eſt valde tædioſa, & tamen non concludit, Ego autem D. Decanus, darem dimidium Liripipij mei, quod Iſaias & Chriſtus omiſiſſent hoc ſignum vniuerſale, omnes (in ſecreto loquendo) quia facit multos prætenſos. Tamen non eſt veritas deſerenda. Reſpondetur ergo per notabilem & ſolennem diſtinctionem; Quod triplex eſt veritas. Vna iuriſdictionaliter decisa, Et hæc pertinet ad Pontifices & Concilia. Alia eſt magiſtraliter & doctrinaliter determinata, Et hæc pertinet ad almas Facultates. Tertia eſt fraternaliter nota, & in priuato inſpirata à Deo. Ex his dicitur, Quod veritas primo & ſecundo modo eſt publice tenenda, & de iſtis non loquitur Chriſtus. Sed de veritate tertio modo, quæ non eſt publice tenenda, præſertim ſi eſt contraria duobus modis primis, Et ratio eſt, quia, nunc fieret vna confuſio & inordinatio, quod ſuperior deberet tacere & diſcere ab inferiori.

Si autem dicitur: Tamen Paulus dicit 1. Cor. 14. Si ſedenti reuelatum
Cor. 14. fuerit, prior taceat, Vbi manifeſte docet, quod priuatus debet audiri in publico, & tacere qui publice docet in Eccleſia. Reſpondetur: Prior in iſto capitulo poteſt multis modis accipi, ſimiliter & ſedens. Quia Scriptura hic eſt nuda, ideo eſt obſcura. Vno modo eſt prior dignitate, Et ſic non debet accipi hic, quia turpe eſt quod dignior taceat indigniori. Alio modo, prior tempore, natura, ordine, vt patet in poſtprędicamentis. Et ſic priores ordine ſunt inferiores & iuniores, vt ſcholares, qui præcedunt Prælatos, vt patet in Proceſſionibus. Et illi debent tacere ſedenti, id eſt, Magiſtris ſedentibus in cathedra doctoraliter. Et vltra hęc eſt adhuc alia acceptio, Prior ſignificat ſuperiorem in Carthuſia & ordinibus Mendicantium, Et illi debent tacere ſedenti, id eſt, Epiſcopo ſuo, qui habet ſedem, id eſt, Epiſcopatum. Turpe eſſet enim ibi ſedentem accipere pro quolibet ſedenti, quia tunc etiam prior ſeu ſuperior deberet tacere canibus & auibus, quandocunque ſedent.

Vltimo ſi dicatur: Veritas à quocunque dicatur, ſiue priuato, ſiue publico, eſt tenenda publice ab omnibus, quia à Spiritu ſancto dicitur, Sic Chriſtus hic dicit: Omnes ſunt docibiles Dei, Ergo qui eos non audit, Deum qui eos docet & inſpirat, non audit, Nihil ergo prodeſt illa ſolennis diſtinctio. Reſpondetur: Diximus prius, quod multum tædioſa eſt iſta ratio & tamen non concludit, quia ſequi vellet magnum & multum inconueniens, quod inferior deberet docere ſuperiorem; ideo qui ſimpliciter vult dicere, poteſt dicere ſecundum Regulam primam & ſecundam, quod Scriptura iſta eſt obſcura, & non credenda ſimpliciter allegata ſine gloſa. Quomodo autem

autem ſit gloſanda propter prolixitatem & breuitatem temporis ſuperſedemus vſq; in aliud tempus.

Hæc pro nunc ſufficiant, pro introductorio ad ſacram Theologiam ſtudendam, vt ſciat vnuſquiſq;, vbi debeat incipere, ne erret, ſi Scripturas primo apprehenderit, & pereat in obſcuritatibus eius. Et ſic Apologia iſta Philippi Melanthonis funditus eſt ſubuerſa.

Acta ſunt hæc Sorbonæ, modis, animis, perſonis, ſtudijs & omnibus circunſtantijs requiſitis & neceſſarijs, quibus & in prima Determinatione vſi ſumus, niſi quod eundum diem & menſem ſeruare non potuimus, tamen culpa noſtra non fuit, quia præterierant, fruſtra rogati, vt manerent ad finem cauſæ.

FINIS.

CONTRA PAPISTICAS LEGES SACERDOTIBVS PROHIbentes Matrimonium, Apologia Bartholomæi Bernardi Veltkirchenſis, Paſtoris Kembergenſis qui nuper Eccleſiæ ſuæ conſenſu vxorem duxit.

AD REQVISITIONEM ARCHIEPISCOPI MAGDEBVRGENSIS, ſuper re vxoria, Bartholomæi Bernardi Paſtoris Kembergenſis Reſponſio.

EXIMII Domini Doctores, quia ad vos vocatus ſum, ad reddendam facti mei rationem, breuiter ſubijciam, quæ in hac re mea ſenţit conſcientia, Et quęſo per Chriſtianam charitatem, ita non ſit moleſtum diligenter audire & cognoſcere hanc cauſam, vt ego ſimpliciter ac candide proponam.

PRincipio negare non poſſum, Vxorem virginem me duxiſſe, id enim ſi negarem, impie fallerem meam Eccleſiam. Quæ cum hactenus perſuaſum habeat, legitimas nuptias meas eſſe, nunc pia ratione offenderetur, ſi ipſe vocarem ſcortationem vitæ meæ genus. Decet Epiſcopum ſine crimine eſſe, vt Apoſtolus Paulus non ſemel ait, Ego crimen agnoſcam Eccleſiæ præfectus? Paulus ne Gentibus quidem vult vitam Chriſtianorum ſcandalo eſſe, ego etiam Fratribus offendiculum ponam, ſi agnouero ſcortationem? Fateor itaque ductam, & fatebor nuptias eſſe legitimas, donec mihi hunc ſpiritum Chriſtus dederit. 1. Tim. 3.

Coegerunt

Coegerunt meam, vt ducerem, conſcientiam huiuſmodi rationes, quæ omnes pias mentes merito mouere debent, quantumuis obſtent, vulgata opinio, conſuetudo, ius Pontificium, & tot ſeculorum conſenſus. At Chriſtianæ mentis eſt, ſpectare potius quid Chriſtus poſtulet, quã quid probent homines, vt Paulus ait ad Galatas: Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſeruus non
Gal. 1. Matth. 8. eſſem, & Matth. 8. Sinite mortuos ſepelire mortuos ſuos. Quod meum factum non modo inopinum, & alienum à religione, iure iurando, & obedientia dicitur, ſed & temerarium & nequam. Facile excuſabitur temeritas, vbi excuſauero impietatem & periurium, atq; vtinam viderent ſpiritualibus oculis conſilij mei rationes hi, qui ſic cauſantur temeritatem, Ecce autem facti mei rationes.

NVnquam damnauit aut Lex aut Euangelium nuptias, nec vlli ſtatui hominum, ſiue clericorum, ſiue laicorum, interdixit Chriſtus. *Sci[illegible] ... minus ...*
Matth. 19. Sic enim ſcriptum eſt Matt. 19. Non omnes capiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt. Et poſtea: Qui poteſt capere, capiat. Vbi Chriſtus non modo non præcepit cælibatum, ſed ſignificauit etiam non poſſe contingere, niſi quibus datum eſt. Hac voce merito terreri debebant, qui ſe promiſcue addicunt cœlibatui, Quando non omnium ſed paucorum donum perpetuæ continentiæ eſſe Chriſtus ſignificat.

Paulus velut exponens Chriſti ſententiam 1. Corin. 7. eadem prolixius &
1 Cor. 7. copioſius docet, Notus locus eſt: Vnuſquiſq; proprium donum habet ex Deo, vnus quidem ſic, alius vero ſic. Et paulo poſt: *Si acceperis vxorem, non peccaſti.* Et tandem, quaſi mire ſolicitus, ne videretur exigere cœlibatum, ſubijcit: Hic totus ſermo meus ad vtilitatem veſtram ſcriptus eſt, non vt vobis laqueum inijciam, id eſt, ne captiuus faciam vlli generi vitæ. Vide, Paulus veretur ne ſi exigat cœlibatum, laqueum inijciat. Quomodo igitur Pontificum de cœlibatu traditiones vocabimus, niſi non laqueos, iuxta morem Pauli?

Iam in his verbis: Melius eſt nubere quam vri, exigit Apoſtolus, vt nubant, qui vtuntur, id eſt, qui furorem carnis ſentiſcunt, Nam id vocat vri. Docet autem duo genera eſſe caſtitatis, Alterum, vbi cum flammis carnis ſimulatur eaſtitas, Alterum diuinitus datur, cui nihil cum iſto ſolito furore. Quæ quid attinet verbis clarioribus depingere? Prioribus nuptiæ imperantur, poſte- *Melius eſt ... quam vri. Duo genera cœlibatus.*
Matth. 9 riores ſinit, de quibus Chriſtus: Non omnes capiunt, ſed de quibus datum eſt.

O vtinam iſta conſideraſſent, qui abominabilem legem de cœlibatu ſanxerunt, qui pellexerunt ad ſacerdotia, ad monaſteria imbecillem iuuentu-
1. Tim. 3. Tit. 1. tem. Nec permittemus hæc à Chriſto & Paulo laicis tantum dicta eſſe, ſed ad ſacerdotes etiam pertinere, ſatis arguunt loci illi in Epiſtola priori ad Timotheum, & in ea, quæ ad Titum ſcripta eſt, Vbi Paulus vult, Epiſcopum vnius vxoris virum eſſe, filios habentem ſubditos cum omni caſtitate.

EX his ſatis apparet, nuptias non eſſe prohibitas ſacerdotibus, iure diuino. Et conſtat ex hiſtorijs fide dignis, ſub auſpicijs Eccleſiæ non *Nuptiæ non ſacerdotibus prohibitæ.*
Apoc. 21. fuiſſe à connubio alienos, Quis enim neſcit in Actis apoſtolicis Philippum quem Scriptura Euangeliſtam vocat, ne neſciremus ſacerdotem fuiſſe. Et Euſebius de Petri vxore multa. Nota eſt Spiridionis hiſtoria, qui fuit Cypri, ni fallor, Epiſcopus. Habuit vxorem Hilarius, vir nulli Epiſcoporum occidentalis Eccleſiæ ſecundus, Durauitq; mos nubendi in Græca Eccleſia ad noſtra vſq; tempora. Et accepit hoc iugum infelix Germania ſero admodum, nec niſi coacta, vt docent monumenta hiſtoriarum Eccleſiæ Colonienſis, item Conſtantienſis. Porro Scripturæ quas eitauimus pleræq;, non ſolum volunt licere nuptias quibuſuis, ſed imperant etiam his, qui ſentiunt ignes carnis. Et de iure diuino hactenus, nunc de hominum traditionibus. *Spiridion. Hilarius.*

At Patrum Conſtitutiones arcent à nuptijs, Primum, ipſi viderint, quam

rationem huius conſtitutionis Deo ſint reddituri,qui tantum onus impoſue-
runt generi hominum,quos ſacerdotes vocamus.Certe ego non dubito Pſeu-
doptophetas pronunciare, quicunq; tandem fuerint huius legis autores.

Deinde hoc addo,non eſſe obtemperandum traditionibus humanis,ſi- Act. 5.
Traditionibus humanis non obtemperandum,ſi per eas conſcientia periclitatur.
cubi per eas periclitatur conſcientia. Acto.5. Oportet Deo magis obedire 1. Cor. 8.
quam hominibus. Et 1. Corin.8.Precio magno empti eſtis,nolite fieri ſerui 1. Corint. 3.
hominum. Et iterũ 1.Cor.3.Omnia veſtra ſunt,ſiue Paulus,ſiue Apollo, ſiue Coloſſ. 2.
Cephas. Et ad Coloſſ.2.Si vna cum Chriſto intermortui eſtis&c.Quid adhuc
ceu viuentes traditionibus vexamini? Non his tantum,ſed & plerisq; alijs do-
cet ſcriptura,in noſtra poteſtate eſſe de hominum traditionibus diſpenſare,
pro noſtro ſpiritu,quoties per eas periclitamur. Et periclitabar ego; Quid ve-
ro facerem:num diuinam legem potius quæ ſcortationem vetat,quam ponti-
ficias,quæ nuptiis interdicunt,violarem? Quis hic tam durus fuerit Epiſcopus,
qui ſuam legem ſic exigat,vt violetur diuina,aut qui volet Fratris ſui animam
propter ſtultam obſeruat.unculã hominum perire? Si corpus alicuius ieiunio
paraſceues periclitetur,nonne illi etiam imperabitur vt edat? At quanto plu-
ris eſus animæ quam corporis? An non turpe,cum animam Chriſtus ſuam pro
ouibus ſuis dederit,nolle cedere Chriſtianum Epiſcopum friuolam tradıti-
unculam? Omnia fiebat Paulus omnibus, His qui ſine Lege erant tanquam
alienus à lege,his qui ſub Lege erant tanquam Legis obſeruans, Hi cogunt in
ſua inſtituta,in ſuas traditiones transformari gregem, tantum abeſt vt gregis
imbecillitati ipſi ſe adtemperent.

In hoc quoq; conſiderandum,quod ſcribit ad Timot.4.Paulus,fore vt 1. Timot. 4
ſpiritus mendaces prohibeant nuptias. Et Dan.11. vaticinatus eſt, Antichri- Dan. 11.
ſtum auerſaturum vxores(hæc enim Prophetæ verba ſunt) Huiuſmodi loci
ſpiritum meum mouerunt,vt crederem ſpiritum Dei in ſacris literis in hoc iſta
præmonuiſſe,vt traditiones de cœlibatu piæ mentes accurate cauerent,& ſci-
entes eſſe à Sathana nihil dubitarent violare.In hoc Pauli loco ſe Pontifices
Romani contemplentur,qui tanta pertinacia exigunt cœlibatum, vt negent
nuptias poſſe legitimas eſſe vllas,contra ſuos Canones.

Video,cum hiſtorias conſidero,diu & conſtanter aduerſatos iſti cœli-
batui ſanctiſſimos viros. In comitijs apud Nicenã erant,qui volebant cœlibes
degere Presbyteros,Diaconos & Hypodiaconos. Sed interceſſit illi rogationi
Martyr Paphnutius.
martyr Paphnutius, & in eius ſententiã itum eſt ab vniuerſo ſenatu Chriſtia-
norum Epiſcoporum,permiſſaq; ordini illi priſtina libertas. Addita eſt conſti-
tutio in ſexta Synodo, quæ Conſtantinopoli coijt, quæ cauebat etiã,ne voue-
retur cœlibatus,& vt excommunicarentur,qui vxores abijcerent propter Ec-
cleſiaſticos ordines. Eius Decreti facta mentio eſt in diſt. 31. Porro, ſiquidem
tanti ſunt veterum Synodorum placita,ſiquidem nouis præferuntur priſcæ il-
læ,Cur ſanctiones earum paſſi ſumus antiquari? maxime cum Euangelio pro-
piores eſſent,quam hæ nouæ de cælibatu.

Hactenus indicaui non debuiſſe me parere cum tanto animæ periculo,
pontificijs legibus,eo quod nullæ hominum traditiones,vbi per eas conſcien-
tia periclitatur,obſeruandæ ſunt.Nam hoc agit Paulus,cum vetat nos homi-
num ſeruos fieri.Reſtat vt periurium excuſemus.

NOn ſum mihi conſcius aliter iuraſſe,quam in hæc verba, Fa-
ctutum imperata traditionum Patrum.Sum autem deſignatus Branden-
burgij Hypodiaconus,Halberſtadij Diaconus,in curia Rhetiæ Presbyter,
Veſtro vero iudicio permitto,quæ ſit illius vulgati moris generalis iuramenti
vis,Nam ſi periuria ſunt ſingula delicta,quibus Canones violantur,toties peie-
rant ſacerdotes,quoties nõ ieiunant,iuxta Canones,quoties aliter veſtiunt, at-
que ſanciunt Canones.Breuiter,nuſquam erit plus periuriorũ,quam apud eos,
qui hoc iusiurandum à nobis impie extorquent.

Nec

Nec prætereundum eſt, voluntatem hanc eſſe Canonum, ne quis obſtringatur contra ius diuinum, nec aliud imperare velle, quam quod citra periculum conſcientiarum, imo commode fieri poſſit. Quod cum ita ſit, quoties de obſeruandis Canonibus iuratur, nihil contra ius diuinum promittitur, & illo ipſo iureiurando excipitur caſus neceſſitatis, quæ de traditionibus diſpenſet. Diſſerit hac de re Gerſon copioſe in commentario de vita ſpirituali. *Gerſon.*

Quid, ſi iuratum eſt cum particula adnexa, quod Canones præcipiunt, Quatenus humana fragilitas permittit, Nam hæc particula in multis Eccleſijs adijci ſolet. Tum enim ita iuratum eſt, tantiſper cœlibem fore, dum patitur imbecillitas carnis. Quid autem carne infirmius? non poſſumus enim ex nobis vel cogitare aliquid boni, teſte Apoſtolo, in poſteriori ad Corinthios.

Et vt maxime iuratum eſſet conceptis verbis de cœlibatu, ſi cogat animæ periculum, reſcindendum erat votum, Quandoquidem ſine peccato præſtari non poteſt.

re.4. Primum enim non vult quiduis ſibi promitti Deus, vt teſtatur Iere. 4. Nam eo loco iubet Propheta iurare in virtute, iudicio, & iuſticia, hoc eſt, ſi recte exponas, mentiri vetat, & iurare indigna ſeu mala. Porro, ſi dixiſſem iureiurando cœlibatum, quandoquidem continere non potui quibus, quam atrocibus me flagitijs obſtrinxiſſem. Erratum eſt ſemel, ſtulte promittendo, diutius me errare, imo peccare, volent Epiſcopi? An non licet eiuſmodi iuramenta recantare, quæ incautis exciderunt, quæ ſine atrociſſimis peccatis præſtari non poſſunt? Diſpenſant Pontificum iura de Regula, & de tranſeuntibus ad religionem, de iureiurando impuberum, quod cum ea ætas nondum intelligat cœlibatus onus, incaute ſe obſtrinxerunt Laudo Pontificum ſententiam, quod abſoluunt à voto, non laudo, quod iſtam tantum ætatem abſoluunt, fieri n. poteſt, vt ne vir quidem ſatis norit ſe, & cum eadem cauſa diſpenſandi de voto impuberis ac puberis incidere poſſit, cur non ſimiliter iudicatur?

Videmus in ſacris literis quædam ſtulta iuramenta Sanctos reſcidiſſe. Dauid plane iurauerat ſe necaturum Nabal, occurrit illi Abigail & interuertit conſilium Dauidis, quo loco Dauid Deo magnificas agit gratias, quod à deſtinata cæde reuocaſſet, nimirum agnoſcens errorem, cum ait: Qui prohibuit me, ne malum facerem.

Sic ego, cum ſine peccato præſtare non poſſem votum, an non debui etiam mutare propoſitum?

Conſulite veſtros Canones, quæ ſit talis iuramenti vis. Nam in 22. quæſtione 3. & 4. quam multa ſunt, quæ meam ſententiam confirmant.

In Num. cap. 30. quædam vota reſcindit vox diuina, vt ſi materfamilias quippiam deuouerit, nec approbet votum maritus, & pleraq; eius generis. Ea vota reſcinduntur, quia nec ſui corporis, nec rerum, ſi quæ deuouentur, poteſtatem mulier habet Eadem me ratio à voto abſoluerit, quod non ſit in poteſtate humana donum continentiæ perpetuæ.

Si Moſes irritum eſſe iuſiurandum eius, qui rem in aliena poteſtate poſitam deuouerit, pronuntiat, Cur exigitur fides iuſiurandi ab eo, qui imprudens cœlibatum vouit, rem adeo alienam ab hominum natura, & quam præſtare ſine horrendis flagitijs non poſſis? Iam quis hoc non miretur, eius accuſari fidem qui vxorem ducit, non accuſari fidem eorum, qui per omnia genera libidinum impuriſſime degraſſantur. *Vouere cœlibatum.*

ut.23. In Deuteronomio cap. 23. mandatum eſt, ne offeratur merces proſtibuli, Quanto minus ſibi offerri volet Deus cœlibatum impurum?

Quod ſi abominationem vocat mercedem ſcorti, abominationem eſſe, quis dubitet, illum male ſimulatum cœlibatum?

Sic igitur excuſo periurium, Primum quod non ſim mihi conſcius iuraſſe

de cœlibatu conceptis verbis, Deinde iurari non debuiſſe, Poſtremo, vt maxime iuratum ſit, præſtandum non eſſe, quod ſine peccato non poſſis. Qua in re Chriſtianarum mentium iudicium imploro.

Ex his ſatis apparet, Primum contra diuinas leges nihil eſſe admiſſum, Deinde debuiſſe violari humanas traditiones, in tam certo conſcientiæ periculo, Poſtremo mihi fruſtra votũ obijci, quocunq; tandem modo ſit iuratum.

Non eſt igitur, cur factum meum tanquam impium damnetur, atq; ita propoſui, vt intelligeretis conſtare rationem facti conſcientiæ meæ, ad quod me non libido, non temeritas, ſed communis infirmitas & neceſſitas plus quam Diomedæa adegit, Quæ ſint & quam certa pericula, quæ vulgarem cœlibatum ſequuntur, non habeo neceſſe multis refere rem minime obſcuram, Quæ ſi expenderint, qui me accuſant, non modo non damnabunt meum exemplum, ſed probabunt etiam, modo Chriſtiani ſint. Iudicabit de nobis Chriſtus, illi, nihil dubito, quin probetur meum factum, Idq; vnum ego ſpectaui vt Chriſto probaretur.

Neq; nunc in hac Apologia hoc egi, vt aduerſus vim Epiſcoporum me tuear his rationibus, ſed vt oſtenderem potius pia cauſa me adductum ad nũptias eſſe, cum ita deceat reddere & vitæ & fidei rationem Chriſtianos. Optarim equidem Epiſcopis ſatisfactum etiam his argumentis, optarim illos infirmitatis meæ miſereſcere, optarim nihil temere ſtatui aduerſus pias rationes, vt quid enim iudicatur libertas mea ab aliena conſcientia? Tamen ſi ita viſum eſt illis, potius ſecundum traditiones Pontificum, quam diuinas literas & veterum Synodos iudicare, non recuſo iram Domini portare, cum ſciam non defuturam lucem ſedenti in tenebris. Sic enim me Propheta Micheas Conſolatur. Ipſi viderint, ne impingant in Chriſtum, & eius paruulos, quos ſicut pupillam oculi curæ habet.

Hanc meam Apologiam, quæſo, eximij D. Doctores boni conſulite, proq; Chriſtiana charitate cauſam piam adiuuate, & aduerſus vim defendite, Ne de vobis videri poſſit vaticinatus Propheta, cum ait: Princeps poſtulat, & iudex in reddendo eſt.

DIXI.

ALIA DEFENSIO AD FRIDERICVM DVCEM SAXONIAE.

ILluſtriſsime Princeps ac Domine gratioſiſsime, Quod illuſtriſſimus ac reuerendiſſimus Dominus Cardinalis negat meam Apologiam eſſe ſufficientem, & adhuc meum factũ accuſatur impietatis, non poſſum aliter reſpondere, ſiquidem meæ defenſionis argumenta non ſunt refutata.

Primum, quod ad periurium attinet, non mihi conſcius ſum aliter iuraſſe, quam ſeruare canones patrum, Quæ forma generalis iuramenti quid valeat, non ignorant, ne fabri quidem Deinde vt maxime iuratum eſſet de cœlibatu, non obſtringunt iuramenta, quæ ſine peccato præſtari non poſſunt, ſicut ex Dauidis exemplo probaui. Et docent Prophetarum exempla, quæ fœdera regum Iuda cum regibus impijs toties damnant. Neque item ligat vlla humana traditio, quæ obſeruari ſine peccato non poſſit. Mat. 15 *Matth. 15.*
Irritum feciſtis mandatum Dei propter traditionem veſtram, Atq; hæc iam ante ita certis, ita appoſitis Scripturis communij, vt ſperem neminem tam inuerecundum eſſe, qui illis refragari poſſit, meæ certe conſcientiæ ita ſatisfaciunt, vt pro eis mori non dubitem. Abſit enim à me iſta impietas, quod verbo Dei velim abuti ad fictitium prætextum mei facti. Et cum ita ſentiam, & cum conſcientia mea ſit ita confirmata, quæ tandem durities eſt, malle me oppreſſum, quam rectius informatum?

Quod

Quod autem accuſor, quod ego vnus velim tollere & abijcere, quæ à Romanis Pontificibus & Cæſaribus conſtituta ſunt, Quis non videt, quam hoc nec poſſim, nec velim, Non enim tollo legem, ſeruet qui poteſt. Sed de lege hominum ſecundum Euangelium diſpenſo, idq; quatenus debeo, Debeo enim maiorem ſalutis meæ rationem habere, quam omnium, quæ ſunt ab illis hominibus poſita, Actor. 5. Coegit me ergo, vt humanas traditiones violarem neceſſitas ſeruandi iuris diuini. Quanquam ipſos etiam Canones, ipſasq; leges adeo benignas ſcio, vt neminem velint obligatum contra Deum.

Act. 5.

Neq; eſt quod cauſari ſcandalum poſſint, non eſt enim habenda ſcandali ratio, in coercendo peccato 1. Corint. 10. vt quid iudicatur libertas mea ab aliena conſcientia? Et Chriſtus Matt. 15. contempſit ſcandalum, cum idem cauſarentur Apoſtoli, Phariſæi audito hoc verbo ſcandaliſati ſunt, reſponditq;: Sinite eos, Cæci ſunt, & cæcorum duces, Cæcus autem ſi cæco ducatum præſtat, ambo in foueam cadunt. Sic contemnebat ſcandalum Chriſtus, vt eos, qui prætendebant, cæcos vocaret, & imitatores itidem cæci fuere, qui de cælibatu ſtatuerunt, attendebant enim ſpiritibus erroris & dæmoniorum, 1. Tim. 4. Sunt ergo ſecundum Chriſti verba etiam cæci, qui cum periculo ſuarum animarum iſti crudeli traditioni paruerunt.

1 Cor. 10.
Matth. 15.
1. Tim. 4.

Mitto, quis ſit autor cœlibatus, Cæſar an Papa. Apoſtolum certe Paulum conſtat ſpiritus mendaces vocare, qui prohibituri ſint nuptias. Non volo reuerendiſſimæ poteſtati derogari, ſed tamen iubet Paulus ad Romanos, ne quis in illis, quæ ſunt libertatis Euangelicæ, alterum iudicet. Et eiuſmodi cauſas cenſent ſolius Dei iudicio relinquendas, qui cordium cenſuram gerit. Proinde etiam atq; etiam Reuerentiſſimo cauendum eſt, ne impingat in Apoſtolum vetantem iudicare alienam libertatem.

Rom. 14.

Obſecro ergo per Ieſum Chriſtum, illuſtriſſima Dominatio veſtra velit miſereſcere meæ neceſſitatis & præſtare, ne quid patiar, præter ea, ad quæ me obtuli, Quanquam ſi aliquid aliter videbitur Deo, libenter omnia
ſum paſſurus. Dominus conſeruet Celſitudinem veſtram ad
prouectum Euangelij. Vuittembergæ in
Saxonibus.

Anno. M. D. XXI.

DE ABROGANDA
MISSA PRIVATA: MARTINI LVTHERI

ſententia, Scripta ſub finem anni XXI. Impreſſa vero menſe Ianuario, Anno XXII.

Amos 3. Leo rugiet, quis non timebit?

I E S V S.

FRATRIBVS SVIS AVGVSTINEN. COEnobij, Vuittembergenſis, Gratiam & pacem Chriſti.

Significatum eſt mihi, Fratres chariſsimi, & literis & verbis amicorum, cœpiſſe vos primos omnium, in veſtra congregatione abuſum illum Miſſarum, quas vocant, abrogare. Quæ res etſi gaudio non mediocri me affecit, vt qui hoc argumento cognoſcam, non eſſe in vobis verbum Chriſti oci-

Occaſio huius Commentarij.

oſum, tamen vt nihil ſatisfacit pia charitas, mixto timore ſolicitari cœpi, ne forte non omnes pari conſtantia & libera conſcientia arduam hanc rem tentetis. Vt enim omittam, quæ indies moliuntur Pontifices idolorum & ſacerdotes Baal ad terrendos infirmos fide, dum alius erigit fœdas Indulgentiarum Bullas, & Fraternitatum ludibria, alius Sacerdotes coniugatos captiuat, alius alia monſtra parit, nullus autem non peſsima alit.

Quid hoc putabitis fore, quod præ omnibus hominibus in mundo peſsime eſtis audituri, vt qui omnia, tam pauci, diuina & humana auſi ſitis innouare? Quæ ſacrilegia? quæ flagitia? quæ ſcelera non iactabunt in vos, etiam ij, qui ſibi & alijs graues, prudentes, pijq; videntur? Magnum eſt certe tot ſeculorum conſuetudini, tantæ multitudinis ſenſui, tantorumq; Autoritati reluctari, & eorum murmura, opprobria, iudicia ſurdis auribus præterire, & quantam inuictam Scyllam, his latratibus, procellis ventis, non aliquando quieturis obiectare. Si eſtis ædificati ſupra firmam Petram, ſat ſcio, fruſtra flaturos hos ventos, fruſtra impetum factura hæc flumina. Quod ſi ſupra arenam ſtatis, quanta vobis, obſecro, impendet ruina?

Difficile conſcientiam à præſumptis opinionibus vindicare.

Accedit ad hæc, quod ego quotidie in meipſo experior, quam difficile ſit conſcientiam longo impietatis vſu vexatam, ad ſanam pietatis ſcientiam reuocare & infirmitatem eius ſanare. Quot, rogo, medicamentis, quam robuſta reſina Galaad, quam potentibus & euidentibus Scripturis meam ipſius conſcientiam vix dum ſtabiliui, vt auderem vnus contradicere Papæ, & credere eum eſſe Antichriſtum, Epiſcopos eſſe eius Apoſtolos, Academias eſſe eius lupanaria? Quoties mihi palpitauit tremulum cor, & reprehendens obiecit eorum fortiſsimum & vnicum argumentum: Tu ſolus ſapis? Tot ne errant vniuerſi? Tanta ſecula ignorauerunt? Quid ſi tu erres, & tot tecum in errorem trahas damnandos æternaliter? Et tandem confirmauit me verbis ſuis certis & fidelibus Chriſtus, vt iam nec tremat nec palpet, ſed inſultet cor meum his papiſticis argumentis, non aliter atq; tutiſsimum littus minaces & tumidas procellas ridet.

Conſcientia obfirmanda verbo Dei contra portas inferi.

Hac & experientia & cogitatione cum mouerer, conſilium mihi fuit, hanc ad vos Epiſtolam mittere, ad firmandos & conſolandos eos, qui forte inter vos adhuc infirmi impetum terrentis Aduerſarij & trepidantis conſcientiæ ferre nequeunt. Ea enim certitudine & fiducia tentandum eſt, quod præſtitiſtis, vt non modo totius Mundi iudicia, pro folijs leuibus & ſummis ariſtis habeamus, ſed & armati ſimus in morte, aduerſus portas inferi. quin etiam aduerſus iudicium tentantis Dei pugnare, & cum Iacob contra Deum præualere. Mundi enim voces occluſis auribus vtcunq; etiam infirmiores contemnere poſſunt, At conſcientiam

tiam quis occludet,ne Satanam,ne iudicium Dei ſentiat? Mundus nos inſanos & improbos tantum ſonabit,non faciet. At conſcientia infinitis modis damnatos faciet,niſi verbo Dei certo,potenti & ſalutari fuerit vndiq; munita,hoc eſt, ſupra Petram ædificata, Hæc eſt illa certitudo infallibilis,quam quærimus.

Pergemus itaq; in Miſſas iſtas priuatas, ſingularem tractatum edere,profuturum & alijs,qui volent. Video enim ea quæ antea ſcripſi,reſiſtentibus idolorum Epiſcopis,non ſatis mouere,vt toties repetendum erigendumq; ſit verbum veritatis, quoties illi papyri Carnifices damnant & opprimunt. Rogemus autem Dominum, vt mittat operarios in Meſſem ſuam, & Angelos ſuos,qui colligant de Regno eius omnia ſcandala. Multa enim ſunt valde,ſed nunc nobis vnum iſtud inſigne petitur,quod ſi tulerimus, non vnum tulerimus, cum ſit ferme caput omnium.

Dominus Ieſus confortet & conſeruet ſenſus & corda veſtra in fide non ficta & charitate non ſimulata, Amen.

Ex Eremo, die omnium Sanctorum,

Anno M. D. XXI.

PROTESTATIO

PRoteſtor inprimis aduerſus eos,qui inſanis vocibus in me ſunt clamaturi,quod contra ritum Eccleſiæ,contra ſtatuta Patrum,contra probatas Legendas & receptiſsimum vſum docuerim,horum nihil me auditurum. Deniq; nec principia illa fidei Pariſienſis lupanaris,quæ ſunt opiniones hominum,ſeu vt Petrus vocat, 2. Pet. 2. αἱρέσεις ἀπωλείας, huius ƒlocciſacturus ſum. Si
Secta perditionis.
enim vel horam lucidi interualli haberet lunaticus eorum morbus,aliquando certe viderent, cum his omnibus nituntur, citra verbum Dei,non diuina ſed humana duntaxat ſe niti autoritate. At humanis ſolis niti in re diuina & cauſa pietatis, vt Scripturæ omittam teſtimonia,ipſe hominum communis ſenſus recte damnat. Diuina enim ſecundum diuina duntaxat eloquia geri & volunt & debent,vt vel vnus Moſes in Deuteronomio locupletiſsime teſtatur.

Quid ergo eſt,vt me ſperent ſuis proprijs,id eſt,humanis teſtimonijs auellere a diuinis? An fingunt obſcurum ſibijpſis eſſe, Sanctos & peccaſſe in vita,& erraſſe in doctrina ſæpiſsime? Si autem peccauerunt & errauerunt ſæpiſsime, quis furor eſt eorum facta & dicta pro diuinis & infallibilibus Regulis pietatis ſtatuere? Nonne & eorum Ius alioqui ſumma iniuria, ſuſpectam facit eiuſmodi autoritatem cum dicit: Semel malus ſemper præſu-
Sanctorum exempla & doctrina periculoſa.
Semel malus, ſemper præſumitur malus.

Patet ex prædicta, Quia omnis talis allegans, allegat diſcordiam & obſcuriſſimam obſcuritatem.

IX.

Dicta Sententiariorum debent accipi ſecundum expoſitionem Magiſtrorum noſtrorum, præſertim Pariſienſium.

Patet ex dictis, & à ſufficienti diuiſione, quia nullus ſupereſt, qui poſſit requiri in quæſtionibus & dubijs. Et ſic patet. Dum Patres elucidant Scripturas obſcuras, facti ſunt ipſi multo obſcuriores, vt plus in illis laborandum ſit, vt intelligantur & concordentur, quam ipſi in Biblia intelligenda & concordanda laborauerunt, vt ſatis probat Magiſter Sententiarum, Gratianus & omnes Vniuerſitates, ſicut diximus. Vlterius Scribentes dum elucidant Patres, facti ſunt omnium obſcuriſſimi & diſcordantiſſimi, vt fruſtra laborent, & impoſſibile ſit ipſos aliquando concordari, & ſimul in vnum intellectum comportare, imo propter hoc ſtudent, vt diſcordent. Ecce ergo neceſſitas extrema Magiſtrorum, concludimus ergo cum Regula vltima.

X.

Sola determinatio almæ Facultatis eſt lucida, credenda & accipienda quoties allegatur.

Hæc patet ex dictis, quia ſola alma Facultas elucidat omnia, Primo Scripturas, poſt hoc Patres, vltimo Scribentes, & non poteſt errare, quia Liripipium & Almutium non ſunt ſigna fallibilia. Male ergo faciunt, qui Scripturas nudas ſequuntur, peius qui nudos Patres, peſſime qui Scribentes, quia procedunt de obſcuritate ad obſcuritatem, donec iſtis omiſſis, almam Facultatem audierint, & liripipio firmiter adhæſerint, ibi eſt lux mundi & regula fidei & morum infallibilis.

IN fine, ſunt aliqua dubia videnda. Et primum hoc eſt, quod poſſet aliquis putare, quod Magiſtri noſtri non poſſent ſic ſimpliciter de ſuo capite determinare, Quia Moſes præcepit omnia iudicare ſecundum legem Domini. Quod aliqui ſic exponunt, non ſecundum hominis ſentimentum. *Ioſue 3.*
Secundo, quando Ioſuæ præcepit Deus, vt eſſet Dux Iſrael, iuſſit vt omnia ſecundum librum Moſi faceret Hic eſt reſpondendum, quod quia iſta allegata ſunt ex Scriptura, ideo per Regulam primam, ſecundam & tertiam dicitur, quod ſunt obſcura. Debet ergo per Legem & librum Moſi ibi intelligi dictamen naturale rationis, maxime autem lumen fidei, quod cum lumine naturæ non diſcordat, & vtroq; lumine ſunt illuminati Magiſtri noſtri.

Si quis autem illud Deut. 12. allegat: Non facias quod rectum eſt in oculis tuis, ſicut nos hodie facimus, Vbi videtur aliquibus prohibuiſſe dictamen rectæ rationis. Reſpondetur, quod non, ſed quia dupliciter rectum in oculis capitur, Vno modo idem eſt, quod videtur rectum in oculis, & ſic intelligitur Moſes quando dicit? Non facias quod rectum eſt in oculis tuis, quia ibi verbum, eſt, capitur pro verbo videtur. Alio modo ſimpliciter capiendo verbum eſt ſubſtantiue in ſuo actu exercitato, Et ſic non accipit Moſes, Quia ſic quod rectum eſt in oculis Magiſtrorum, hoc eſt definitiue tenendum. *Deut. 12.*

Aliud dubium, Iſaias dicit: Dabo filios tuos vniuerſos Theodidactos, id eſt, doctos à Domino. Et Paulus dicit: Spiritualis omnia iudicat, Sed iam non ſolum Magiſtri noſtri ſunt filij Eccleſiæ & ſpirituales. Et Chriſtus dicit: Erunt omnes docibiles Dei. Et Ieremias dicit, quod non docebit vir fratrem ſuum, omnes enim ſcient me, quia ego ipſe ſcribam legem meam in

cordibus

cordibus eorum &c. Ex quibus poſſet aliquis putare, quod etiam quilibet laicus, ſi eſt filius Eccleſiæ & ſpiritualis, poſſet iudicare de omnibus. Reſpondetur: Iſaias per theodidactos intelligit Magiſtros ſacræ Theologiæ. Et Paulus per ſpirituales intelligit Clericos ſeu ſtatum ſpiritualem, in quo Magiſtri noſtri ſunt principales. Sic & Chriſtus per docibiles Dei intelligit Theologos, id eſt, ſacræ Theologiæ Profeſſores, qui habent Liripipium. Quia Theologus dicitur à theos, quod eſt, Deus, & logos, id eſt ratio, quia debet de Deo per dictamen rationis naturalis docere & reſpondere. Sicut Petrus dicit, Parari ſemper reddere rationem (id eſt, dictamen naturale) de ea, quę in vobis eſt, fide & ſpe.

Si autem replicatur, Iſaias dicit, Omnes, Et Chriſtus, Omnes, Et Ieremias, Nullus docebit fratrem ſuum, Ex quibus vult ſequi quod omnes Chriſtiani ſunt Magiſtri ſacræ Theologiæ liripipiati, aut quod nō ſoli Magiſtri poſſunt iudicare, ſed omnes qui credunt, & ſpiritum ac ſenſum Chriſti habent, & illis eſt credendum. Reſpondetur: Iſta ratio eſt valde tædioſa, & tamen non concludit, Ego autem D. Decanus, darem dimidium Litipipij mei, quod Iſaias & Chriſtus omiſiſſent hoc ſignum vniuerſale, omnes (in ſecreto loquendo) quia facit multos prætenſos. Tamen non eſt veritas deſerenda. Reſpondetur ergo per notabilem & ſolennem diſtinctionem; Quod triplex eſt veritas, Vna iuriſdictionaliter deciſa, Et hæc pertinet ad Pontifices & Concilia. Alia eſt magiſtraliter & doctrinaliter determinata, Et hæc pertinet ad almas Facultates. Tertia eſt fraternaliter nota, & in priuato inſpirata à Deo. Ex his dicitur, Quod veritas primo & ſecundo modo eſt publice tenenda, & de iſtis non loquitur Chriſtus. Sed de veritate tertio modo, quæ non eſt publice tenenda, præſertim ſi eſt contraria duobus modis primis, Et ratio eſt, quia, nunc fieret vna confuſio & inordinatio, quod ſuperior debere tacere & diſcere ab inferio:i.

Si autem dicitur: Tamen Paulus dicit 1. Cor. 14. Si ſedenti reuelatum
Cor.14. fuerit, prior taceat, Vbi manifeſte docet, quod priuatus debet audiri in publico, & tacere qui publice docet in Eccleſia. Reſpondetur: Prior in iſto capitulo poteſt multis modis accipi, ſimiliter & ſedens. Quia Scriptura hic eſt nuda, ideo eſt obſcura. Vno modo eſt prior dignitate, Et ſic non debet accipi hic, quia turpe eſt quod dignior taceat indigniori. Alio modo, prior tempore, natura, ordine, vt patet in poſtprędicamentis. Et ſic priores ordine ſunt inferiores & iuniores, vt ſcholares, qui præcedunt Prælatos, vt patet in Proceſſionibus. Et illi debent tacere ſedenti, id eſt, Magiſtris ſedentibus in cathedra doctoraliter. Et vltra hęc eſt adhuc alia acceptio, Prior ſignificat ſuperiorem in Carthuſia & ordinibus Mendicantium, Et illi debent tacere ſedenti, id eſt, Epiſcopo ſuo, qui habet ſedem, id eſt, Epiſcopatum. Turpe eſſet enim ibi ſedentem accipere pro quolibet ſedenti, quia tunc etiam prior ſeu ſuperior deberet tacere canibus & auibus, quandocunque ſedent.

Vltimo ſi dicatur: Veritas à quocunque dicatur, ſiue priuato, ſiue publico, eſt tenenda publice ab omnibus, quia à Spiritu ſancto dicitur, Sic Chriſtus hic dicit: Omnes ſunt docibiles Dei, Ergo qui eos non audit, Deum qui eos docet & inſpirat, non audit, Nihil ergo prodeſt illa ſolennis diſtinctio. Reſpondetur: Diximus prius, quod multum tædioſa eſt iſta ratio & tamen non concludit, quia ſequi vellet magnum & multum inconueniens, quod inferior deberet docere ſuperiorem; ideo qui ſimpliciter vult dicere, poteſt dicere ſecundum Regulam primam & ſecundam, quod Scriptura iſta eſt obſcura, & non credenda ſimpliciter allegata ſine gloſa, Quomodo

autem

autem ſit gloſanda propter prolixitatem & breuitatem temporis ſuperſedemus vſq; in aliud tempus.

Hæc pro nunc ſufficiant, pro introductorio ad ſacram Theologiam ſtudendam, vt ſciat vnuſquiſq;, vbi debeat incipere, ne erret, ſi Scripturas primo apprehenderit, & pereat in obſcuritatibus eius. Et ſic Apologia iſta Philippi Melanthonis funditus eſt ſubuerſa.

Acta ſunt hæc Sorbonæ, modis, animis, perſonis, ſtudijs & omnibus circunſtantijs requiſitis & neceſſarijs, quibus & in prima Determinatione vſi ſumus, niſi quod eundum diem & menſem ſeruare non potuimus, tamen culpa noſtra non fuit, quia præterierant, fruſtra rogati, vt manerent ad finem cauſæ.

FINIS.

CONTRA PAPISTICAS LEGES SACERDOTIBVS PROHIbentes Matrimonium, Apologia Bartholomæi Bernardi Veltkirchenſis, Paſtoris Kembergenſis qui nuper Eccleſiæ ſuæ conſenſu vxorem duxit.

AD REQVISITIONEM ARCHIEPISCOPI MAGDEBVRGENSIS, ſuper re vxoria, Bartholomæi Bernardi Paſtoris Kembergenſis Reſponſio.

EXIMII Domini Doctores, quia ad vos vocatus ſum, ad reddendam facti mei rationem, breuiter ſubijciam, quæ in hac re mea ſentit conſcientia, Et queſo per Chriſtianam charitatem, ita non ſit moleſtum diligenter audire & cognoſcere hanc cauſam, vt ego ſimpliciter ac candide proponam.

PRincipio negare non poſſum, Vxorem virginem me duxiſſe, id enim ſi negarem, impie fallerem meam Eccleſiam. Quæ cum hactenus perſuaſum habeat, legitimas nuptias meas eſſe, nunc pia ratione offenderetur, ſi ipſe vocarem ſcortationem vitæ meæ genus. Decet Epiſcopum ſine crimine eſſe, vt Apoſtolus Paulus non ſemel ait, Ego crimen agnoſcam Eccleſiæ præfectus? 1. Tim. 3. Paulus ne Gentibus quidem vult vitam Chriſtianorum ſcandalo eſſe, ego etiam Fratribus offendiculum ponam, ſi agnouero ſcortationem? Fateor itaque ductam, & fatebor nuptias eſſe legitimas, donec mihi hunc ſpiritum Chriſtus dederit.

Coegerunt

Coegerunt meam, vt ducerem, conſcientiam huiuſmodi rationes, quæ omnes pias mentes merito mouere debent, quantumuis obſtent, vulgata opinio, conſuetudo, ius Pontificium, & tot ſeculorum conſenſus. At Chriſtianæ mentis eſt, ſpectare potius quid Chriſtus poſtulet, quã quid probent homines, vt Paulus ait ad Galatas: Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem, & Matth. 8. Sinite mortuos ſepelire mortuos ſuos. Quod meum factum non modo inopinum, & alienum à religione, iure iurando, & obedientia dicitur, ſed & temerarium & nequam. Facile excuſabitur temeritas, vbi excuſauero impietatem & periurium, atq; vtinam viderent ſpiritualibus oculis conſilij mei rationes hi, qui ſic cauſantur temeritatem. Ecce autem facti mei rationes. *Gal. 1. Matth. 8.*

NVnquam damnauit aut Lex aut Euangelium nuptias, nec vlli ſtatui hominum, ſiue clericorum, ſiue laicorum, interdixit Chriſtus. Sic enim ſcriptum eſt Matt. 19. Non omnes capiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt. Et poſtea: Qui poteſt capere, capiat. Vbi Chriſtus non modo non præcepit cælibatum, ſed ſignificauit etiam non poſſe contingere, niſi quibus datum eſt. Hac voce merito terreri debebant, qui ſe promiſcue addicunt cœlibatui, Quando non omnium ſed paucorum donum perpetuæ continentiæ eſſe Chriſtus ſignificat. *Matth. 19.* *Scriptura non damnat ...*

* Paulus velut exponens Chriſti ſententiam 1. Corin. 7. eadem prolixius & copioſius docet, Notus locus eſt: Vnuſquiſq; proprium donum habet ex Deo, vnus quidem ſic, alius vero ſic. Er paulo poſt: Si acceperis vxorem, non peccaſti. Et tandem, quaſi mire ſolicitus, ne videretur exigere cœlibatum, ſubijcit: Hic totus ſermo meus ad vtilitatem veſtram ſcriptus eſt, non vt vobis laqueum inijciam, id eſt, ne captiuus faciam vlli generi vitæ. Vide, Paulus veretur ne ſi exigat cœlibatum, laqueum inijciat. Quomodo igitur Pontificum de cœlibatu traditiones vocabimus, niſi non laqueos, iuxta morem Pauli? *1 Cor. 7.*

Iam in his verbis: Melius eſt nubere quam vri, exigit Apoſtolus, vt nubant, qui vruntur, id eſt, qui furorem carnis ſentiſcunt, Nam id vocat vri. Docet autem duo genera eſſe caſtitatis, Alterum, vbi cum flammis carnis ſimulatur caſtitas, Alterum diuinitus datur, cui nihil cum iſto ſolito furore. Quæ quid attinet verbis clarioribus depingere? Prioribus nuptiæ imperantur, poſteriores ſinit, de quibus Chriſtus: Non omnes capiunt, ſed de quibus datum eſt. *Melius eſt ... quam vri.* *Duo genera caſtitatis.* *Matth. 9*

O vtinam iſta conſideraſſent, qui abominabilem legem de cœlibatu ſanxerunt, qui pellexerunt ad ſacerdotia, ad monaſteria imbecillem iuuentutem. Nec permittemus hæc à Chriſto & Paulo laicis tantum dicta eſſe, ſed ad ſacerdotes etiam pertinere, ſatis arguunt loci illi in Epiſtola priori ad Timotheum, & in ea, quæ ad Titum ſcripta eſt, Vbi Paulus vult, Epiſcopum vnius vxoris virum eſſe, filios habentem ſubditos cum omni caſtitate. *1. Tim. 3. Tit. 1.*

EX his ſatis apparet, nuptias non eſſe prohibitas ſacerdotibus, iure diuino. Et conſtat ex hiſtorijs fide dignis, ſub auſpicijs Eccleſiæ non fuiſſe à connubio alienos, Quis enim neſcit in Actis apoſtolicis Philippum quem Scriptura Euangeliſtam vocat, ne neſciremus ſacerdotem fuiſſe. Et Euſebius de Petri vxore multa. Nota eſt Spitidionis hiſtoria, qui fuit Cypri, ni fallor, Epiſcopus. Habuit vxorem Hilarius, vir nulli Epiſcoporum occidentalis Eccleſiæ ſecundus, Durauitq; mos nubendi in Græca Eccleſia ad noſtra vſq; tempora. Et accepit hoc iugum infelix Germania ſero admodum, nec niſi coacta, vt docent monumenta hiſtoriarum Eccleſiæ Colonienſis, item Conſtantienſis. Porro Scripturæ quas citauimus pleræq;, non ſolum volunt licere nuptias quibuſuis, ſed imperant etiam his, qui ſentiunt ignes carnis. Et de iure diuino hactenus, nunc de hominum traditionibus. *Nuptiæ non ſacerdotibus prohibitæ.* *Act. 21.* *Spiridion. Hilarius.*

At Patrum Conſtitutiones arcent à nuptijs, Primum, ipſi viderint, quam

rationem huius conſtitutionis Deo ſint redditurí, qui tantum onus impoſuerunt generi hominum, quos ſacerdotes vocamus. Certe ego non dubito Pſeudoprophetas pronunciare, quicunq; tandem fuerint huius legis autores.

Traditionibus humanis non obtemperandum, ſi per ea conſcientia periclitatur.

Deinde hoc addo, non eſſe obtemperandum traditionibus humanis, ſicubi per eas periclitatur conſcientia. Acto.5. Oportet Deo magis obedire quam hominibus. Et 1. Corin.8. Precio magno empti eſtis, nolite fieri ſerui hominum. Et iterũ 1.Cor.3. Omnia veſtra ſunt, ſiue Paulus, ſiue Apollo, ſiue Cephas. Et ad Coloſſ.2. Si vna cum Chriſto intermortui eſtis &c. Quid adhuc ceu viuentes traditionibus vexamini? Non his tantum, ſed & pleriſq; alijs docet ſcriptura, in noſtra poteſtate eſſe de hominum traditionibus diſpenſare, pro noſtro ſpiritu, quoties per eas periclitamur. Et periclitabar ego, Quid vero facerem? num diuinam legem potius quæ ſcortationem vetat, quam pontificias, quæ nuptiis interdicunt, violarem? Quis hic tam durus fuerit Epiſcopus, qui ſuam legem ſic exigat, vt violetur diuina, aut qui volet Fratris ſui animam propter ſtultam obſeruatiunculã hominum perire? Si corpus alicuius ieiunio paraſceues periclitetur, nonne illi etiam imperabitur vt edat? At quanto pluris eſus animæ quam corporis? An non turpe, cum animam Chriſtus ſuam pro ouibus ſuis dederit, nolle cedere Chriſtianum Epiſcopum friuolam traditiunculam? Omnia fiebat Paulus omnibus, His qui ſine Lege erant tanquam alienus à lege, his qui ſub Lege erant tanquam Legis obſeruans, Hi cogunt in ſua inſtituta, in ſuas traditiones transformari gregem, tantum abeſt vt gregis imbecillitati ipſi ſe adtemperent.

Acto.5.
1.Cor.8.
1.Corint.3.
Coloſſ.2.

In hoc quoq; conſiderandum, quod ſcribit ad Timot.4. Paulus, fore vt ſpiritus mendaces prohibeant nuptias. Et Dan.11. vaticinatus eſt, Antichriſtum auerſaturum vxores (hæc enim Prophetæ verba ſunt) Huiuſmodi loci ſpiritum meum mouerunt, vt crederem ſpiritum Dei in ſacris literis in hoc iſta præmonuiſſe, vt traditiones de cœlibatu piæ mentes accurate cauerent, & ſcientes eſſe à Sathana nihil dubitarent violare. In hoc Pauli loco ſe Pontifices Romani contemplentur, qui tanta pertinacia exigunt cœlibatum, vt negent nuptias poſſe legitimas eſſe vllas, contra ſuos Canones.

1.Timot.4.
Dan.11.

Martyr Paphnutius.

Video, cum hiſtorias conſidero, diu & conſtanter aduerſatos iſti cœlibatui ſanctiſſimos viros. In comitiis apud Nicenã erant, qui volebant cœlibes degere Presbyteros, Diaconos & Hypodiaconos. Sed interceſſit illi rogationi martyr Paphnutius, & in eius ſententiã itum eſt ab vniuerſo ſenatu Chriſtianorum Epiſcoporum, permiſſaq; ordini illi priſtina libertas. Addita eſt conſtitutio in ſexta Synodo, quæ Conſtantinopoli coijt, quæ cauebat etiã, ne voueretur cœlibatus, & vt excommunicarentur, qui vxores abijcerent propter Eccleſiaſticos ordines. Eius Decreti facta mentio eſt in diſt. 31. Porro, ſiquidem tanti ſunt veterum Synodorum placita, ſiquidem nouis præferuntur priſcæ illæ, Cur ſanctiones earum paſſi ſumus antiquari? maxime cum Euangelio propiores eſſent, quam hæ nouæ de cœlibatu.

Hactenus indicaui non debuiſſe me parere cum tanto animæ periculo, pontificijs legibus, eo quod nullæ hominum traditiones, vbi per eas conſcientia periclitatur, obſeruandæ ſunt. Nam hoc agit Paulus, cum vetat nos hominum ſeruos fieri. Reſtat vt periurium excuſemus.

NOn ſum mihi conſcius aliter iuraſſe, quam in hæc verba, Facturum imperata traditionum Patrum, Sum autem deſignatus Brandenburgij Hypodiaconus, Halberſtadij Diaconus, in curia Rhetiæ Presbyter, Veſtro vero iudicio permitto, quæ ſit illius vulgati moris generalis iuramenti vis, Nam ſi periuria ſunt ſingula delicta, quibus Canones violantur, toties peierant ſacerdotes, quoties nõ ieiunant, iuxta Canones, quoties aliter veſtiunt, atque ſanciunt Canones. Breuiter, nuſquam erit plus periuriorũ, quam apud eos, qui hoc iuſiurandum à nobis impie extorquent.

Nec

Nec prætereundum eſt, voluntatem hanc eſſe Canonum, ne quis obſtringatur contra ius diuinum, nec aliud imperare velle, quam quod citra periculum conſcientiarum, imo commode fieri poſſit. Quod cum ita ſit, quoties de obſeruandis Canonibus iuratur, nihil contra ius diuinum promittitur, & illo ipſo iureiurando excipitur caſus neceſſitatis, quæ de traditionibus diſpenſet. Differit hac de re Gerſon copioſe in commentario de vita ſpirituali. *Gerſon.*

Quid, ſi iuratum eſt cum particula adnexa, quod Canones præcipiunt, Quatenus humana fragilitas permittit, Nam hæc particula in multis Eccleſijs adijci ſolet. Tum enim ita iuratum eſt, tantiſper cœlibem fore, dum patitur imbecillitas carnis. Quid autem carne infirmius? non poſſumus enim ex nobis vel cogitare aliquid boni, teſte Apoſtolo, in poſteriori ad Corinthios.

Et vt maxime iuratum eſſet conceptis verbis de cœlibatu, ſi cogar animæ periculum, reſcindendum erat votum, Quandoquidem ſine peccato præſtari non poteſt.

Iere. 4. Primum enim non vult quiduis ſibi promitti Deus, vt teſtatur Iere. 4. Nam eo loco iubet Propheta iurare in virtute, iudicio, & iuſticia, hoc eſt, ſi res & exponas, mentiri vetat, & iurare indigna ſeu mala. Porro, ſi dixiſſem iureiurando cœlibatum, quandoquidem continere non potui quibus, quam atrocibus me flagitijs obſtrinxiſſem. Erratum eſt ſemel, ſtulte promittendo, d uit, us me errare, imo peccare, volent Epiſcopi? An non licet eiuſmodi iuramenta recantare, quæ incautis exciderunt, quæ ſine atrociſſimis peccatis præſtari non poſſunt? Diſpenſant Pontificum iura de Regula, & de tranſeuntibus ad religionem, de iureiurando impuberum, quod cum ea ætas nondum intelligat cœlibatus onus, incaute ſe obſtrinxerunt. Laudo Pontificum ſententiam, quod abſoluunt à voto, non laudo, quod iſtam tantum ætatem abſoluunt, fieri n. poteſt, vt ne vir quidem ſatis norit ſe, & cum eadem cauſa diſpenſandi de voto impuberis ac puberis incidere poſſit, cur non ſimiliter iudicatur?

Videmus in ſacris literis quædam ſtulta iuramenta Sanctos reſcidiſſe. Dauid plane iurauerat ſe necaturum Nabal, occurrit illi Abigail & interuenit conſilium Dauidis, quo loco Dauid Deo magnificas agit gratias, quod à deſtinata cæde reuocaſſet, nimirum agnoſcens errorem, cum ait: Qui prohibuit me, ne malum facerem.

Sic ego, cum ſine peccato præſtare non poſſem votum, an non debui etiam mutare propoſitum?

Conſulite veſtros Canones, quæ ſit talis iuramenti vis. Nam in 22. quæſtione 3. & 4. quam multa ſunt, quæ meam ſententiam confirmant.

In Num. cap. 30. quædam vota reſcindit vox diuina, vt ſi materfamilias quippiam deuouerit, nec approbet votum maritus, & pleraq; eius generis. Ea vota reſcinduntur, quia nec ſui corporis, nec rerum, ſi quæ deuouentur, poteſtatem mulier habet Eadem me ratio à voto abſoluerit, quod non ſit in poteſtate humana donum continentiæ perpetuæ.

Si Moſes irritum eſſe iuſiurandum eius, qui rem in aliena poteſtate poſitam deuouerit, pronuntiat, Cur exigitur fides iuſiurandi ab eo, qui imprudens cœlibatum vouit, rem adeo alienam ab hominum natura, & quam præſtare ſine horrendis flagitijs non poſſis? Iam quis hoc non miretur, eius accuſari fidem qui vxorem ducit, non accuſari fidem eorum, qui per omnia genera libidinum impuriſſime degraſſantur. *Vouere cœlibatum.*

Deut. 23. In Deuteronomio cap. 23. mandatum eſt, ne offeratur merces proſtibuli, Quanto minus ſibi offerri volet Deus cœlibatum impurum?

Quod ſi abominationem vocat mercedem ſcorti, abominationem eſſe, quis dubitet, illum male ſimulatum cœlibatum?

Sic igitur excuſo periurium, Primum quod non ſim mihi conſcius iuraſſe

de cœlibatu conceptis verbis, Deinde iurari non debuiſſe, Poſtremo, vt maxime iuratum ſit, præſtandum non eſſe, quod ſine peccato non poſſis. Qua in re Chriſtianarum mentium iudicium imploro.

Ex his ſatis apparet, Primum contra diuinas leges nihil eſſe admiſſum, Deinde debuiſſe violari humanas traditiones, in tam certo conſcientiæ periculo, Poſtremo mihi fruſtra votū obijci, quocunq; tandem modo ſit iuratum.

Non eſt igitur, cur factum meum tanquam impium damnetur, atq; ita propoſui, vt intelligeretis conſtare rationem facti conſcientiæ meæ, ad quod me non libido, non temeritas, ſed communis infirmitas & neceſſitas plus quam Diomedæa adegit, Quæ ſint & quam certa pericula, quæ vulgarem cœlibatum ſequuntur, non habeo neceſſe multis refere rem minime obſcuram, Quæ ſi expenderint, qui me accuſant, non modo non damnabunt meum exemplum, ſed probabunt etiam, modo Chriſtiani ſint. Iudicabit de nobis Chriſtus, illi, nihil dubito, quin probetur meum factum, Idq; vnum ego ſpectaui vt Chriſto probaretur.

Neq; nunc in hac Apologia hoc egi, vt aduerſus vim Epiſcoporum me tuear his rationibus, ſed vt oſtenderem potius pia cauſa me adductum ad nuptias eſſe, cum ita deceat reddere & vitæ & fidei rationem Chriſtianos. Optarim equidem Epiſcopis ſatisfactum etiam his argumentis, optarim illos infirmitatis meæ miſereſcere, optarim nihil temere ſtatui aduerſus pias rationes, vt quid enim iudicatur libertas mea ab aliena conſcientia? Tamen ſi ita viſum eſt illis, potius ſecundum traditiones Pontificum, quam diuinas literas & veterum Synodos iudicare, non recuſo iram Domini portare, cum ſciam non defuturam lucem ſedenti in tenebris. Sic enim me Propheta Micheas Conſolatur. Ipſi viderint, ne impingant in Chriſtum, & eius paruulos, quos ſicut pupillam oculi curæ habet.

Hanc meam Apologiam, quæſo, eximij D. Doctores boni conſulite, proq; Chriſtiana charitate cauſam piam adiuuate, & aduerſus vim defendite, Ne de vobis videri poſſit vaticinatus Propheta, cum ait: Princeps poſtulat, & iudex in reddendo eſt.

DIXI.

ALIA DEFENSIO AD FRIDERICUM DUCEM SAXONIAE.

ILluſtriſsime Princeps ac Domine gratioſiſsime, Quod illuſtriſſimus ac reuerendiſſimus Dominus Cardinalis negat meam Apologiam eſſe ſufficientem, & adhuc meum factū accuſatur impietatis, non poſſum aliter reſpondere, ſiquidem meæ defenſionis argumenta non ſunt refutata.

Primum, quod ad periurium attinet, non mihi conſcius ſum aliter iuraſſe, quam ſeruare canones patrum, Quæ forma generalis iuramenti quid valeat, non ignorant, ne fabri quidem Deinde vt maxime iuratum eſſet de cœlibatu, non obſtringunt iuramenta, quæ ſine peccato præſtari non poſſunt, ſicut ex Dauidis exemplo probaui. Et docent Prophetarum exempla, quæ fœdera regum Iuda cum regibus impijs toties damnant. Neque item ligat vlla humana traditio, quæ obſeruari ſine peccato non poſſit. Mat. 15 *Matth. 15.*
Irritum feciſtis mandatum Dei propter traditionem veſtram, Atq; hæc iam ante ita certis, ita appoſitis Scripturis communij, vt ſperem neminem tam inuerecundum eſſe, qui illis refragari poſſit, meæ certe conſcientiæ ita ſatisfaciunt, vt pro eis mori non dubitem. Abſit enim à me iſta impietas, quod verbo Dei velim abuti ad fictitium prætextum mei facti. Et cum ita ſentiam, & cum conſcientia mea ſit ita confirmata, quæ tandem durities eſt, malle me oppreſſum, quam rectius informatum?

Quod

Quod autem accenſor, quod ego vnus velim tollere & abijcere, quæ à Romanis Pontificibus & Cæſaribus conſtituta ſunt, Quis non videt, quam hoc nec poſſim, nec velim, Non enim tollo legem, ſeruet qui poteſt. Sed de lege hominum ſecundum Euangelium diſpenſo, idq; quatenus debeo, Debeo enim maiorem ſalutis meæ rationem habere, quam omnium, quæ ſunt ab illis
Act. 5. hominibus poſita, Actor. 5. Coegit me ergo, vt humanas traditiones violarem neceſſitas ſeruandi iuris diuini. Quanquam ipſos etiam Canones, ipſaſq; leges adeo benignas ſcio, vt neminem velint obligatum contra Deum.

Neq; eſt quod cauſari ſcandalum poſſint, non eſt enim habenda ſcan-
1 Cor. 10. dali ratio, in coercendo peccato 1. Corint. 10. vt quid iudicatur libertas mea ab
Matth. 15. aliena conſcientia? Et Chriſtus Matt. 15. contempſit ſcandalum, cum idem cauſarentur Apoſtoli, Phariſæi audito hoc verbo ſcandaliſati ſunt, reſponditq;: Sinite eos, Cæci ſunt, & cæcorum duces, Cæcus autem ſi cæco ducatum præſtat, ambo in foueam cadunt. Sic contemnebat ſcandalum Chriſtus, vt eos, qui prætendebant, cæcos vocaret, & imitatores itidem cæci fuere, qui de cæ-
1. Tim. 4. libatu ſtatuerunt, attendebant enim ſpiritibus erroris & dæmoniorum, 1. Tim. 4 Sunt ergo ſecundum Chriſti verba etiam cæci, qui cum periculo ſuarum animarum iſti crudeli traditioni paruerunt.

Mitto, quis ſit autor cœlibatus, Cæſar an Papa. Apoſtolum certe Paulum conſtat ſpiritus mendaces vocare, qui prohibituri ſint nuptias. Non volo
Rom. 14. reuerendiſſimæ poteſtati derogari, ſed tamen iubet Paulus ad Romanos, ne quis in illis, quæ ſunt libertatis Euangelicæ, alterum iudicet. Et eiuſmodi cauſas cenſent ſolius Dei iudicio relinquendas, qui cordium cenſuram gerit Proinde etiam atq; etiam Reuerentiſſimo cauendum eſt, ne impingat in Apoſtolum vetantem iudicare alienam libertatem.

Obſecro ergo per Ieſum Chriſtum, illuſtriſſima Dominatio veſtra velit miſereſcere meæ neceſſitatis & præſtare, ne quid patiar, præter ea, ad quæ me obtuli, Quanquam ſi aliquid aliter videbitur Deo, libenter omnia ſum paſſurus. Dominus conſeruet Celſitudinem veſtram ad prouectum Euangelij. Vuittembergæ in Saxonibus.

Anno, M. D. XXI.

DE ABROGANDA MISSA PRIVATA: MARTINI LVTHERI

ſententia, Scripta ſub finem anni XXI. Impreſſa vero menſe Iannario, Anno XXII.

Amos 3. Leo rugiet, quis non timebit?

IESVS.

FRATRIBVS SVIS AVGVSTINEN. COEnobij, Vuittembergenſis, Gratiam & pacem Chriſti.

Significatum eſt mihi, Fratres chariſsimi, & literis & verbis amicorum, cœpiſſe vos primos omhium, in veſtra congregatione abuſum illum Miſſarum, quas vocant, abrogare. Quæ res etſi gaudio non mediocri me affecit, vt qui hoc argumento cognoſcam, non eſſe in vobis verbum Chriſti oci- *Occaſio huius Commentarij.*

 oſum

oſum, tamen vt nihil ſatisfacit pia charitas, mixto timore ſolicitari cœpi, ne forte non omnes pari conſtantia & libera conſcientia arduam hanc rem teneretis. Vt enim omittam, quæ indies moliuntur Pontifices idolorum & ſacerdotes Baal ad terrendos infirmos fide, dum alius erigit fœdas Indulgentiarum Bullas, & Fraternitatum ludibria, alius Sacerdotes coniugatos captiuat, alius alia monſtra parit, nullus autem non peſsima alit.

Quid hoc putabitis fore, quod præ omnibus hominibus in mundo peſsime eſtis audituri, vt qui omnia, tam pauci, diuina & humana auſi ſitis innouare? Quæ ſacrilegia? quæ flagitia? quæ ſcelera non iactabunt in vos, etiam ij, qui ſibi & alijs graues, prudentes, pijq; videntur? Magnum eſt certe tot ſeculorum conſuetudini, tantæ multitudinis ſenſui, tantorumq; Autoritati reluctari, & eorum murmura, opprobria, iudicia ſurdis auribus præterire, & quantam inuictam Scyllam, his latratibus, procellis ventis, non aliquando quieturis obiectare. Si eſtis ædificati ſupra firmam Petram, ſat ſcio, fruſtra flaturos hos ventos, fruſtra impetum factura hæc flumina. Quod ſi ſupra arenam ſtatis, quanta vobis, obſecro, impendet ruina?

Difficile conſcientiam à præſumptionibus vindicare.

Accedit ad hæc, quod ego quotidie in meipſo experior, quam difficile ſit conſcientiam longo impietatis vſu vexatam, ad ſanam pietatis ſcientiam reuocare & infirmitatem eius ſanare. Quot, rogo, medicamentis? quam robuſta reſina Galaad, quam potentibus & euidentibus Scripturis meam ipſius conſcientiam vix dum ſtabiliui, vt auderem vnus contradicere Papæ, & credere eum eſſe Antichriſtum, Epiſcopos eſſe eius Apoſtolos, Academias eſſe eius lupanaria? Quoties mihi palpitauit tremulum cor, & reprehendens obiecit eorum fortiſsimum & vnicum argumentum: Tu ſolus ſapis? Tot ne errant vniuerſi? Tanta ſecula ignorauerunt? Quid ſi tu erres, & tot tecum in errorem trahas damnandos æternaliter? Et tandem confirmauit me verbis ſuis certis & fidelibus Chriſtus, vt iam nec tremat nec palpet, ſed inſultet cor meum his papiſticis argumentis, non aliter atq; tutiſsimum littus minaces & tumidas procellas ridet.

Conſcientia obfirmanda verbo Dei contra portas inferi.

Hac & experientia & cogitatione cum mouerer, conſilium mihi fuit, hanc ad vos Epiſtolam mittere, ad firmandos & conſolandos eos, qui forte inter vos adhuc infirmi impetum terrentis Aduerſarij & trepidantis conſcientiæ ferre nequeunt. Ea enim certitudine & fiducia tentandum eſt, quod præſtitiſtis, vt non modo totius Mundi iudicia, pro folijs leuibus & ſummis ariſtis habeamus, ſed & armati ſimus in morte, aduerſus portas inferi. quin etiam aduerſus iudicium tentantis Dei pugnare, & cum Iacob contra Deum præualere. Mundi enim voces occluſis auribus vtcunq; etiam infirmiores contemnere poſſunt. At conſcien-

tiam

-tiam quis occludet, ne Satanam, ne iudicium Dei ſentiat? Mundus nos inſanos & improbos tantum ſonabit, non faciet. At conſcientia infinitis modis damnatos faciet, niſi verbo Dei certo, potenti & ſalutari fuerit vndiq; munita, hoc eſt, ſupra Petram ædificata. Hæc eſt illa certitudo infallibilis, quam quærimus.

Pergemus itaq; in Miſſas iſtas priuatas, ſingularem tractatum edere, profuturum & alijs, qui volent. Video enim ea quæ antea ſcripſi, reſiſtentibus idolorum Epiſcopis, non ſatis mouere, vt toties repetendum erigendumq; ſit verbum veritatis, quoties illi papyri Carnifices damnant & opprimunt. Rogemus autem Dominum, vt mittat operarios in Meſſem ſuam, & Angelos ſuos, qui colligant de Regno eius omnia ſcandala. Multa enim ſunt valde, ſed nunc nobis vnum iſtud inſigne petitur, quod ſi tulerimus, non vnum tulerimus, cum ſit ferme caput omnium.

Dominus Ieſus confortet & conſeruet ſenſus & corda veſtra in fide non ficta & charitate non ſimulata, Amen.

Ex Eremo, die ommium Sanctorum,

Anno M. D. XXI.

PROTESTATIO

PRoteſtor inprimis aduerſus eos, qui inſanis vocibus in me ſunt clamaturi, quod contra ritum Eccleſiæ, contra ſtatuta Patrum, contra probatas Legendas & receptiſsimum vſum docuerim, horum nihil me auditurum. Deniq; nec principia illa fidei Pariſienſis lupanaris, quæ ſunt opiniones hominum, ſeu vt Petrus vocat, 2. Pet. 2. αἱρέσεις ἀπωλείας, huius floccifacturus ſum. Si enim vel horam lucidi interualli haberet lunaticus eorum morbus, aliquando certe viderent, cum his omnibus nituntur, citra verbum Dei, non diuina ſed humana duntaxat ſe niti autoritate. At humanis ſolis niti in re diuina & cauſa pietatis, vt Scripturæ omittam teſtimonia, ipſe hominum communis ſenſus recte damnat. Diuina enim ſecundum diuina duntaxat eloquia geri & volunt & debent, vt vel vnus Moſes in Deuteronomio locupletiſsime teſtatur.

Secta perditio

Quid ergo eſt, vt me ſperent ſuis proprijs, id eſt, humanis teſtimonijs auellere a diuinis? An fingunt obſcurum ſibijpſis eſſe, Sanctos & peccaſſe in vita, & erraſſe in doctrina ſæpiſsime? Si autem peccauerunt & errauerunt ſæpiſsime, quis furor eſt eorum facta & dicta pro diuinis & infallibilibus Regulis pietatis ſtatuere? Nonne & eorum Ius alioqui ſumma iniuria, ſuſpectam facit eiuſmodi autoritatem cum dicit: Semel malus ſemper præſu-

Sanctorum exempla & doctrina periculoſa.

Semel malus, ſemper præſumitur malus.

præſumitur malus? Quis enim nos certos faciet, in quo non errauerint Patres, quos ſæpiſsime tu ipſe erraſſe confiteris, ſi eorum autoritas ſatis eſt, nec licet eam ſuperiore autoritate diuini eloquij iudicare? At ipſi elucidauerunt eloquia diuina? Quis & hoc ita eſſe probauit? Quid ſi non minus errauerunt elucidando quam viuendo & docendo? Omnia noſtra adhuc humana facis, hac ratione, vt cum Cicerone tibi dicere poſsim: Fingebat hæc Homerus humana transferens ad Deos, diuina mallem ad nos. Ita & tu ex hominibus Deos nobis facis, & verbo Dei verba hominum comparas pernicioſiſsime.

Proinde ſciant inſani Sophiſtæ, indocti Pontifices, impij Sacerdotes, ſacrilegi Monachi, & totus Papa cum ſuis ſquamis, lupanaribus, lucis, excelſis vniuerſis, nos non eſſe baptiſatos neq; credentes in nomine Auguſtini, Bernardi, Gregorij, nec in nomine Petri nec Pauli, nec in nomine almæ Facultatis Theologiæ Pariſienſis Sodomæ, aut Louanienſis Gomorræ cum ſuis Sorbis, ſed in nomine ſolius IeſuChriſti, quem ſolum confitemur, & Magiſtrum noſtrum, & pro nobis crucifixum. Siquidem Paulus nec ſibijpſi, nec Angelo de cœlo credi vult, niſi Chriſtus in ſipſo vixerit & locutus fuerit. Gal.1.

Scimus quid Patres, quid Decreta, quid vſus, quid vulgi opinio habeant, Nec eſt opus nobis Pariſienſi Magiſterio noſtraliſsimo, quod nos edita aliqua magiſtraliſsima determinatione doceat & dicat: Hæc Propoſitio eſt ſcandaloſa, Eſt contra almas Facultates, Eſt contra principia fidei, & reliqua, quæ pueri iſti & effœminati, imo trunci & ſtipites iactare ſola nouerunt. Non audimus. Bernardus ſic vixit & ſcripſit, Sed Bernardus ſic viuere & ſcribere debuit, iuxta Scripturas, Non quæritur, vt Sancti vixerunt aut dixerunt, quos ſcimus ſeruatos eſſe per illud orationis dominicæ, Remittite nobis debita noſtra. Iuxta Regulam omnibus Sanctis communem, Pſal 32. Pro hac orabit ad te omnis Sanctus in tempore oportuno. Ne forte pro veritate & iuſticia amplectamur quod illi per orationem meruerunt ignoſci ſibi vt culpam & errorem. Vt faciunt Papiſtæ, dum iuxta Pſa. 62. irruunt in hominē, & interficiūt ſeipſos vniuerſos, ſuper parietē inclinatū & maceriem eiectam, cum hunc eleuare cogitant, vt eiectiones ſtatuant, affectantes mendaciū &c. vt Ebræus habet. Cum in ſolo Deo nitendum eſſe toties idem Pſalmus ingeminet. Non inquam, quæritur vt Sancti vixerint aut dixerint, ſed vt viuendum Scriptura dictet. Non de facto, ſed de iure quæſtio nobis eſt, Sācti errare potuerunt docendo, & peccare viuendo. Scriptura errare nō poteſt docendo, nec credens illi peccare poteſt viuendo. Sanctos acceptamus, ſed quorū gloria nō ex hominibus, imo ex Deo eſt,

Pſal. 32.
Pſalm. 62.

eſt, quos non Papa canoniſat & probat, ſed quos Deus commendat. Ipſius enim tauri & altilia occiſa parata ſunt ad nuptias Chriſti Filij ſui, hoc eſt, quorum dicta & facta & quatenus nobis diuina Scriptura commendat, vt ſunt Patriarchæ, Prophetæ & A- *Matth. 22.* poſtoli, quibus ſolis fideliter & nitimur & ſeruamur.

PRIMA PARS.

PApa ingreſſurus ſuas Decretales, dicit: *Translato Sacerdotio, neceſſe eſt, vt & Legis translatio fiat.* Quo verbo, ſi quis dubitaret, ius illud magnificum & ſanctiſſimum legum condendarum, ſibi arrogat, & monſtrat, qua fide & ſynceritate nullas non tractat Scripturæ autoritates, ὁ ἀντικείμενος ille Dei. Vult enim huius dicti eum eſſe ſenſum, quod Chriſtus aſcendens in cœlum, tranſtulerit ſacerdotium ſuum in Petrum, Petrus deinde in Papam, & Papa in ſuum quiſque ſucceſſorem. Hinc cum habeant ſacerdotium in ſeſe tranſlatum & ſacerdotij ſit legem docere, concludit, penes ſe eſſe & ius dicendi leges. Tali ſcilicet exordio dignus fuit iſte Liber iſtius Autoris. Hoc niti fundamento debuit iſtud ſacerdotium & eius generis leges. *Translato ſacerdotio &c.*

Cæterum ſi ſpectes diuinum conſilium, quo ſolet Balaamos & Caiphas iſtos potenter confundere, intelliges, hoc Procœmio coactum eſſe Satanam, vt imprudenter proderet, quid eſſet facturus per Papam & leges eius in mundo. Sicut enim Caiphas, ita & Papa hic veriſſimam veritatem locutus eſt, ſed non ex animo. Vere enim & ſacerdotium Chriſti & legem eius volebat transferre, profecit deniq; & tranſtulit & prorſus euacuauit, vt iam non Chriſtus ſit Sacerdos, ſed Papa, nec lex Chriſti nos dirigat, ſed leges Papę, id eſt, horrenda peruerſitate abominatio ſtat in loco ſancto, & pro Chriſto Rege veritatis regnat ſuper nos idolum mendacij & operatio erroris. Prorſus abunde præſtitit Papæ abominatio, quæ hoc Procœmio promiſit. Atq; de Legis tranſlatione ſuo loco videbimus, ſimul viſuri principia illa fidei Lupanarium illorum, quæ ſe ſcholas Chriſtianas mentiuntur. De traſlato ſacerdotio, quando hoc ad inſtitutum proxime pertinet, primum videamus. *Papa Propheta Caiphæ ſimilis.*

CErtus eſto, nec vlla perſuaſione falli te ſinas, quiſquis eſſe voles pure Chriſtianus, nullum eſſe in nouo Teſtamento ſacerdotium viſibile & externum, niſi quod humanis mendacijs eſt per Satanam erectū. Vnum vero & ſolum eſt nobis ſacerdotium Chriſti, quo ipſe obtulit ſeſe pro *1. Pet. 3.* nobis & nos omnes ſecum. De quo Petrus dicit, 1. Pet. 3. Chriſtus ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt, iuſtus pro iniuſtis, vt nos offerret Deo, mortifica- *Ebre. 10.* tus quidem carne, viuificatus autem ſpiritu. Et Ebre 10. Vna enim oblatione conſummauit in ſempiternum ſanctificatos. Hoc ſacerdotium ſpirituale eſt, & omnibus Chriſtianis commune. Omnes enim eodem, quo Chriſtus, ſacerdotio ſacerdotes ſumus, qui Chriſtiani, id eſt, filij Chriſti ſummi Sacerdotis ſumus. Neq; nobis vllo prorſus alio ſacerdote & mediatore opus eſt, pręter *Ebre. 5.* Chriſtum. Cum omnis ſacerdos in hoc aſſumatur, teſte Apoſtolo Ebre. 5. vt pro populo oret, & populum doceat. At Chriſtianus quiſq; per ſeipſum orat *Rom. 5.* in Chriſto, habens per ipſum, vt Rom. 5. dicit, acceſſum ad Deum. Sicut pro- *Eſai 65.* miſit Eſa. 65. Eritq; antequam clament ego exaudiam, adhuc illis loquenti- *Eſai 54.* bus ego audiam. Sic & per ſeipſos à Deo docentur, promittente Eſaiæ. 54. *Iere. 31.* Et dabo vniuerſos filios tuos doctos à Domino. Et Iere. 31. Non docebit vnuſquiſq; fratrem ſuum, & vnuſquiſq; proximum ſuum dicens: Cognoſcite Do- *Eſai. 11.* minum, Omnes enim ſcient me à minore vſq; ad maximum. Et Eſai. 11. dicit: *Quale ſacerdotium noui Teſtamenti.* *Chriſti ſacerdotium ſpirituale eſt omnibus Chriſtianis commune.*

Repleta

Repleta eſt terra ſcientia Domini, ſicut aquæ maris operientis. Hinc Chriſtus Iohan. 6. appellat eos θεοδιδάκτους. Eſt ſcriptum in Prophetis: Et erunt omnes *Iohan. 6.* docibiles Dei.

Hæc teſtimonia plane enacuant ſacerdotium viſibile, dum & rationem & acceſſum ad Deum, & doctrinam omnibus commune faciunt, quæ certe ſacerdotum propria eſt. Quid enim opus eſt ſacerdote, dum non eſt opus mediatore & doctore? An ſacerdotem ſine opere conſtituemus? At mediator & doctor Chriſtianorum præter Chriſtum nullus eſt. Quin ipſi per ſeſe accedunt à Deo docti, deinceps mediare & docere potentes, eos qui nondum ſacer-

Sacerdotium noui Teſtamenti. dotes, id eſt, nondum Chriſtiani ſint. Atq; ita ſacerdotium noui Teſtamenti prorſus ſine perſonarum reſpectu regnat communiter in omnibus ſpiritu ſolo. Sicut dicit Gal. 5. In Chriſto Ieſu non eſt Iudæus, non eſt Græcus, non eſt *Gal. 5.* maſculus, non eſt fœmina, non eſt dominus, non eſt ſeruus, ſed omnes vos vnum eſtis in Chriſto

SEd pergamus in frontes meretricias lupanarium iſtorum colligere teſtimonia, quibus ſacerdotium noui Teſtamenti ſtatuitur, vt oppilemus & obmuteſcere faciamus os impudentium hominum iſtorum.

Primus adeſt Petrus, 1 Pet 2. Deponentes igitur omnem *1. Pet. 2.* dolum & ſimulationes & inuidias & omnes detractiones, ſicut modo geniti infantes, lac rationabile & ſine dolo concupiſcite, vt per ipſum creſcatis in ſalutem, ſi tamen guſtaſtis quoniam dulcis eſt Dominus. Ad quem accedentes, Lapidem viuum, ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum & honorificatum, Et ipſi tanquam viui Lapides ſuperædificamini in ſacerdotium ſanctum, offerentes ſpirituales hoſtias, acceptabiles Deo per Ieſum Chriſtum. Et infra. Vos autem genus electum, regale ſacerdotium, gens ſacta, populus acquiſitionis, vt virtutes annuntietis eius, qui vos vocauit de tenebris in admirabile lumen ſuum.

Alterum eſt teſtimonium Apoc. 5 Feciſtis nos Deo noſtro *Apoc. 5.* Reges & Sacerdotes, & regnabimus ſuper terram.

Tertium Apoc, 20. In his ſecunda mors non habebit pote *Apoc. 20.* ſtatem, Sed erunt Sacerdotes Dei, & Chriſti eius, & regnabunt cum eo mille annis

Apocalypſis. Quamuis autem Liber Apocal. veterum calculo non ſit plenæ autoritatis in contentione, tamen viſum eſt Aduerſarijs etiam ex ipſo teſtimonia opponere, in quibus certum eſt, verba fieri de omnibus Chriſtianis, eoſq; ſacerdotes & reges appellari. Quod vt de viſibilibus Regibus intelligi non poteſt, ita nec de viſibilibus Sacerdotibus intelligi ipſa vniuerſitas Chriſtianorum permittit. Atq; præter hæc tria teſtimonia nihil in vniuerſo teſtamento nouo inuenitur, quod ſacerdotum ex nomine meminerit. Vnde hic antequam plura afferamus, parumper inſultemus portentis & idolis iſtis mundi, Papæ & ſuis ſacerdotibus.

Sacerdotes non vocari à Scriptura ꝛc. ipſos illos. Agite, vos egregij Sacerdotes, producite nobis vnum iota aut apicem ex vniuerſis Euangelijs & Epiſtolis Apoſtolorum, vos eſſe aut dici debere ſacerdotes præ cæteris, aut ordinem veſtrum eſſe ſacerdotium diuerſum à communi Chriſtianorum ſacerdotio. Quin producitis? Auditis ne ſurdæ Imagines? Ite ad Pariſienſes quæſo, qui pro Scripturæ teſtimonijs ponent

ſuum

ſuum magiſtrale ſentimentum: Hæc Propoſitio eſt hæretica, & Ordini ſacerdotali contumelloſa, tum hoc ſentimentum eſto vobis principium fidei. Vnde ergo habemus vos idolorum ſacerdotes? Cur nomen commune aufertis nobis, & vobis arrogatis? Nonne ſacrilegi eſtis & blaſphemi in vniuerſam Dei Eccleſiã, qui nomine ſancto & cõmuni violenter alijs ablato, abutimini non niſi ad tyrannidem & pompam auaritiæ & libidinis veſtræ? Iterum dico, Idola mundi vnde vos habemus ſacerdotes? proferte teſtimonium pro vobis, vos onera intolerabilia orbis terrarum. Sacerdotes non eſtis, & ſacerdotes vos ipſos appellatis. Videtis quid mereamini inſignes vos raptores & hypocritæ?

SEd hic prodit mihi memoria venerabilem ſacerdotem Domini, id eſt, ſacerdotem Baal, Eſt enim Baal ebraice quod dominus latine, qui vernacula contra me ſcripſit, vir, vt aſininam eius inſcitiam ſileam, tam impudens ad mentiendum, tam virulentus ad maledicendum, vt nullo opere mihi idoneus videatur, quam vt pro Papa & ſacerdotibus eius ſcribat. Hic igitur vir non paſſurus hanc inſultationem in venerabilem Ordinem ſacerdotum, quid dicat, audite quæſo, Petri (inquit) teſtimonium de duplici ſacerdotio intelligitur, De ſpirituali, quo omnes Chriſtiani ſunt ſacerdotes, Et de viſibili, quo tantum vncti & raſi, id eſt, conſecrati ſacerdotes vocantur, Quare ſacerdotalis iſte ordo raſorum & vnctorum, vtrique de Scripturis habet autoritatem, Hæc ille, & quidem digne. *Emſer, ſacerdos Baal.*

Hic ego vobis gratulaturus, quæro, Ad quos nam Petrus loquatur eo loco? Nonne ad omnes Chriſtianos? dum iubet, vt rationabile & ſyncerum lac cupiant, & in eo creſcant in ſalutem? Nonne omnibus hoc creſcere in ſalutem competit? Deinde ſuper Chriſtum ædificari in ſacerdotium ſanctum, nonne omnibus conuenit? At diſcernit etiam ſanctum ſacerdotium à ſacerdotio non ſancto. Quis vero ignorat ſacerdotes papiſticos magna ex parte non ſanctos eſſe? Cum ergo nemo poſſit negare verba Petri ad omnes Chriſtianos dici, & in ipſis etiam intelligendũ eſt raſorum & vnctorum ſacerdotiũ, vt ille ſacerdos Domini pro vobis contendit, conſectũ eſt, Omnes ſanctas mulieres & pueros, eſſe raſos & vnctos ſacerdotes. Siquidem verba Petri communia omnibus, de quocunq; ſacerdotio intelligas, commune eiuſmodi ſacerdotium facient. O dignum & feſtiuum Patronum raſorũ & oleatorum idolorum.

HIc igitur primus ſit impetus noſter in laruale Papiſtarum & fictitium ſacerdotium, quiquid valeat & operetur, pius & ſpiritualis iudicet Lector. Arbitror enim hic ruere & iacere vniuerſam illam Miſſarum Papiſticarum Pompam. Si enim ſacerdotium hoc nihil eſt, ſicuti monſtrauimus euidenter, neceſſe eſt & legem eius nihil eſſe. Translato enim ſacerdotiõ, neceſſe eſt, vt & legis translatio fiat. Si autem ſacerdotium & lex nihil eſt, profſus multo minus ſacrificia & opera eius aliquid ſunt, quæ ſecundum legem per ſacerdotium fieri debent. Quid ergo hinc ſequitur? ſcilicet leges Papæ eſſe figmenta & mendacia, tum ſacerdotium eius eſſe idolũ & laruam, Miſſas vero quas ſacrificia vocant, eſſe ſummã idolatriam & impietatẽ. *Leges & ſacerdotium Papæ &c.*

Dubitat adhuc in his quiſpiam? Probatum eſt enim, in Scripturis hoc ſacerdotium non haberi. At quod in Scripturis non habetur, hoc planeSatanæ additamentum eſt. Nemo enim hominis teſtamentum ſuperordinat aut ſpernit autore Paulo ad Galat. 3. Multo magis teſtamentum Dei neque ſpernere neque ſuperordinare licet. At hoc ſacerdotium Papæ cum ſuis Miſſis eſſe ſuperordinatum, irrefragabiliter conuictum eſt. Quare concludimus conſtanti fiducia, Miſſarum vſum ſacrificiorum nomine & ſacerdotum titulo tenere, idem eſſe quod negare Chriſtum, & transferre eius ſacerdotium cum vniuerſa lege eius. Atque huc vocari debent omnia ea, quibus cautum eſt *Gal. 3.* *Miſſam non eſſe nec dici poſſe ſacrificium.*

per ſpi-

per ſpiritum, ne verbis Dei quidquam detrahatur vel addatur, vt illud Pro. 30. *Prou. 30.* Omnis ſermo Dei ignitus clypeus eſt ſperantibus in ſe. Ne addas quidquã verbis eius & arguaris, inueniariſq; mendax. Et Deut. 4. Non addetis ad verbum, *Deut. 4.* quod vobis loquor, nec auferetis ex eo Et 1. Pet. 3. Si quis loquitur, quaſi ſer- *Pet. 3.* mones Dei. Et quid opus eſt omnia recenſere, quę Prophetæ, Chriſtus, & Apoſtoli dicunt in ſtudia, opera, doctrinas, & traditiones hominũ? Satis conſtat Ioh. 8 Qui ex Deo eſt, verba Dei audit. Et Io. 3 Qui de terra eſt, de terrà loquitur. *Iohan. 8.* *Iohan. 3.*

Obfirmanda conſcientia contra popularia argumenta.

CErtus autem ſum, vbi talia audierit imbecillior conſcientia, ſimulq; intenderit in copioſiſſimam illam multitudinem monaſteriorũ & templorum, in quibus quotidie infinitæ Miſſæ habentur, ægre credituta ſit, tantam turbam quotidie perire, & tot peccatis Mundum oppleri, cum vulgo citra omnem controuerſiam perſuaſiſſimum ſit, omnes homines illorum Miſſis iuuàri, atq; adeo meritis & pietàte ipſorum ſola, mundum hactenus duraſſe, Incredibile enim videtur ſic derelictum eſſe orbem totum à Deo. Sed quid facies? Scriptura diuina ſic definit, cui credendum eſt, etiamſi totus Mundus & omnes Angeli vel perirent, vel aliter docerent. Definitum eſt, inquam, à Deo ipſo, ſacerdotium iſtud miſſarium, non eſſe diuinitus inſtitutum. Nunquid mundo plus credes quam Deo? aut non eſt Deus maior mundo? Nonne prædictum eſt, nouiſſima rempora fore tempora iræ, & tempora periculoſa, in quibùs operatio erroris totum mundum occuparet, vt electi etiam capi poſſint, & vix fidem ſeſe inuenturum prædicat? Putas hæc verba eſſe leuia, & conuenire poſſe cum perdita illa ſecuritate, qua ſine timore viuimus, quaſi nihil ad nos iſta pertineant? vt antea impleamus ea quam cognoſcamus, ſicut Iudæi Prophetarum voces impleuerunt, eadem ſecuritate, antequam cognoſcerent Chriſtum crucifigentes.

Nouiſſima tempora periculoſa. Act. 13.

Firmanda itaq; eſt conſcientia aduerſus iſta obiecta, & verbis diuinis conſtanter adhærendum, quæ docent, ſacerdotium miſſatitium eſſe nihil coram Deo, vt videas in hac nouiſſima perſecutione Eccleſiæ, cui ſimilis neq; fuit neq; futura eſt, iram & patientiam diuina maieſtàte dignam, vtranq; inæſtimabilẽ. Inæſtimabile eſt enim, tantum impietatis abuſum quotidie à Deo ferri per totum orbem, in ſacratiſſimo & ſaluberrimo myſterio corporis & ſanguinis Filij ſui, ſcilicet vltimis diebus hanc patientiam reſeruauit. Ita & inæſtimabile eſt, tantum turbarũ quotidie perdi, & hanc quoq; iram vltimis diebus præparauit ad inchoandam iram illam æternam inſtantis iudicij. Et heu nos nouiſſimi & miſerrimi, adhuc ſecure agimus, & Deum placare, alijſq; nobiſcum mereri cœlum promittimus, tantis impietatis nouiſſimæ execramentis.

Hic Chriſtiane lector, defige oculos atque animum.

Horribilia ſunt quæ loquor, vtinam mentiar, ſed nimis vera ſunt, Stat enim irrefragabilis ſententia, Sacerdotes viſibiles & à laicis diuerſos in nouo Teſtamento nullos eſſe poſſe, qui autem ſunt, ſine Teſtimonio Scripturarum, ſineq; vocatione Dei eſſe. Hoc quid eſt aliud, quam ex Diabolo eſſe? Nemo enim aſſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo, ſicut Aaron, Ebre. 5. Quid *Ebre. 5.* igitur conſilij ſupereſt ſacerdotibus eiuſmodi? niſi vt quam primum reſipiſcant, & pœniteant, Miſſis abſtineant, & rurſus Laici fiant, aut Miſſas legitimo vſu facere diſcant, quo ex voragine illa iræ Dei ſeſe recipiant, quoad fieri poteſt celerrime. Eligant itaq; nunc inſani Sophiſtæ & Papiſtæ, vtrum velint, Aut monſtrent ſuum Sacerdotium è Scripturis, aut fateantur ſeſe nihil aliud quam Diaboli laruas, & idola perditionis eſſe. Quod n. è Scripturis autoritatem non habet, manifeſtiſſimum eſt ex Diabolo eſſe. Omnia enim Dei opera in Scripturis ſanctis prodita ſunt, tum ea maxime, quæ ad pietatem ſui pertinent, quæ fideliſſime in ea ordinata ſunt, vt nulla ſit reliqua excuſatio aut tergiuerſatio.

Quod

Quod vero dicunt (Quæ ab Eccleſia fiunt, & ordinantur, à Deo fieri & ordinari, cuius ſpiritum Eccleſia habet, proinde ſacerdotes miſſales ex Diabolo non eſſe poſſe) fruſtra dicunt. Quis enim Eccleſiam illam nobis monſtrabit, cum ſit occulta in ſpiritu, & ſolum credatur? ſicut dicimus: Credo Eccleſiam ſanctam. Pontifices vero & Doctores hoc genus ſacerdotum inſtituerunt, quos, etiamſi ſancti fuiſſent, quis certos nos faciet, nõ erraſſe in eo inſtituto? Nunc cum & manifeſte impij inſtituerunt & docuerunt, quomodo erit tuta conſcientia, eſſe ab Eccleſia inſtitutum? Hoc vero vrget multo maxime, quod pia conſcientia nouit nec dubitat Eccleſiam nihil ſtatuere aut ordinare citra aut vltra verbum Dei, Quæ autem hoc tentat, Eccleſia non eſt, ſed fingit ſe Eccleſiam eſſe. Sicut dicit Chriſtus Ioh. 10. Oues meæ vocem meam audiunt. Vocem autem alienorum nõ audiunt, ſed fugiunt ab eis, quia non nouerunt vocem alienorum, Non enim verbum Dei eſt, quia Eccleſia dicit, ſed quia verbum dictur, ideo Eccleſia eſt. Ipſa non facit verbum, ſed fit verbo. Ideo ſignum, quo cognoſcitur, certiſſimum, vbi Eccleſia ſit, eſt verbum Dei, vt primum obſeruandum ſit verbum.

Eccleſia nihil ſtatuit ſine verbo Dei.

Iohan. 10.

Eccleſia fit verbo non facit verbum.

Sicut euidenter probat Paulus 1. Cor 14. vbi dicit, Infidelem cadere in faciem & pronunciare, quod vere Deus in eis ſit, ex eo quod audiat eos prophetantes. Non ergo Eccleſia, ſed verbum Dei eum mouebit, quo conuincitur & iudicatur & occulta cordis eius manifeſta fiunt, vt ibidem dicit. Non vtiq; dicit Paulus, quod infidelis cadat & confiteatur eos prophetare, quia ſciat Deum vere in eis eſſe. Vnde enim hoc ſciret? Ita & nos, vnde ſciemus vbi ſit Eccleſia, niſi audierimus prophetiam eius & teſtimonium ſpiritus? Certum eſt quidem Eccleſiam & eos, in quibus vere Deus habitat, prophetare. Sed incertũ eſt, vbi ſit ea Eccleſia, quæ prophetare poteſt, niſi prophetet, Igitur quod ſine verbo Dei ordinatur, non ab Eccleſia, ſed à Synagoga Satanæ ſub Eccleſiæ nomine ordinatur.

Locus Pauli 1. Corin. 14. tractatus.

Non Eccleſia ſed verbum.

HÆc ſatis ſint ad primum impetum. Paremus & alterũ æquẽ fortem, & pergamus teſtimonia adducere de ſacerdotio noui Teſtamenti & eius officio. Paulus Rom. 12. *Obſecro vos per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra, hoſtiam ſanctam, viuentem, placentem Deo, rationabile obſequium veſtrum.* Hic negare nemo poteſt, quin ſacerdotale officiũ deſcribat, quod eſt offerre ſeu exhibere hoſtiam & rationabilem cultum, hoc eſt, vt non pecora irrationalia, ſicut legis ſacerdotes, ſed ſeipſos offerant, Quare hic locus ſacerdotes facit. At communiter omnibus Chriſtianis dicitur, Omnes enim ſua corpora offerre debent Deo in hoſtiam ſanctam & rationale ſacrificium, Potes hic obſtrepere, miſera Papæ ſecta? Habemus ergo hoc loco, Pauli autoritate, non ſolum quod ſit ſacerdotium, & qui ſacerdotes noui Teſtamenti, ſed & quod ſit eorum officium & ſacrificium, nempe ſeipſos mortificare & offerre in hoſtiam ſanctam, quo verbo ſimul vniuerſa Legis ſacrificia myſtice interpretatur. Sic enim & Chriſtus ſummus ſacerdos prior ſeſe ſacrificauit, factus omnibus filijs ſuis ſacerdotibus exemplum, vt ſequantur veſtigia eius, ſacerdotio Legis cum omni ſuo cultu perfectiſſime impleto, per hoc nouum ſacerdotium & cultum eius.

Rom. 12.

Sacerdotale officium.

Rationabilis cultus.

Sacerdotes noui Teſtamenti.

1. Pet. 2.

Huic conſentit Petrus, 1. Pet. 2. *Et ipſi tanquam viui Lapides ſuperædificamini, in ſacerdotium ſanctum, offerentes hoſtias ſpirituales, acceptabiles Deo per Ieſum Chriſtum.* Nonne & hæc omnibus Chriſtianis communiter dicuntur? Nonne omnes tanquam viui Lapides ſuper Chriſtum ædificantur? At ſic ædificantur ſuper eum, vt ſint ſacerdotes offe-

Hoſtiæ ſpirituales. rentes non corporales pecudes, ſed ſeipſos, exemplo Chriſti, ſpirituales hoſtias, dum ſpiritu facta carnis mortificant. Rom. 8. Quid hic dicent miſerrima *Rom. 8.* idola? Nunquid hic Petrus duplicem hoſtiam facit? ſicut duplices ei Sacerdotes affinxit os illud mendacij. Omnes offerre has hoſtias iubemur, quicunque tandem ſint, quare omnibus officium ſacerdotale hoc impoſitum, & omnes ſacerdotes eſſe, euidentiſſimum eſt.

Sacrificium laudis. EST præterea aliud genus Sacrificij, æque omnibus commune, *Pſal. 51.* de quo Pſal. 51. Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus Et Pſal. 50. Immo- *Pſal. 50.* la Deo ſacrificium laudis. Et ſacrificiũ laudis honorificabit me. Et Pſal. 4 *Pſal. 4.* Sacrificate ſacrificium iuſticiæ ſuæ, & ſperate in Domino. De quo & Ebre 13. *Ebre. 13.* Per ipſum ergo offeramus hoſtiam laudis ſemper Deo, id eſt, fructum labiorum confitentium nomini eius. Item Hoſeæ. 14. Omnem aufer iniquitatem, *Oſeæ. 14.* & accipe bonum (id eſt, deſine mala infligere, apprehende bona, quę dones nobis) & reddemus vitulos labiorum noſtrorum. Et Pſalm. 116. Dirupiſti *Pſal. 116.* vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis. Hæc quam non ſint officia raſi & oleati ſacerdotij, quis non videt? Nec poteſt vllum os mendacij garrire, quod ſpiritualiter ad omnes, ſed corporaliter ad raſos tantum pertineant. Pertinent prorſus ad omnes, qui laborant ſub cruce, & mortificant ſeipſos ſacrificio proxime dicto, vt hoc laudis ſacrificium ſit velut fumus & odor illius mortificatorij ſacrificij. Et hæc ſunt teſtimonia, de ſacrificio ſeu cultu noui ſacerdotij ſub Chriſto, Nec habet prorſus tota Scriptura aliud huius ſacerdotij ſacrificium.

Quare hic iterum vrgebimus & inſultabimus Papiſtis, vt proferant etiam pro ſui ſacerdotij ſacrificio, vnum iota aut apicem à ſcripturis: Agite vos incliti ſacerdotes Baal inuocate Deum veſtrum, forte eſt in itinere, aut certe dormit, Deus eſt enim & audiet. Dicite vbi ſcriptum ſit. Miſſas eſſe ſacrificia? Vbi docuit Chriſtus, Panem & vinum conſecratum offerre Deo? Audiſtis ne? Chriſtus ſemel ſeipſum obtulit, non voluit denuo ab vllis offerri *Miſſa memoria ſacrificij non ſacrificium.* ſed memoriam ſui ſacrificij voluit fieri. Et vobis vnde hæc audacia, vt ſacrificium ex ea memoria faceretis? Nonne ſic ex proprio cerebro, citra & vltra præſcriptum diuinum vos inſanitis? Si autem ex memoria oblationis eius ſacrificium facitis, & eum denuo offertis, cur non ex memoria natiuitatis eius aliam natiuitatem quoq, ei affingitis, & denuo naſci eum facitis? Ita dum reſurrectionis memoriam facitis, nouam, quæſo, reſurrectionem ei parate, & reſuſcitate eum denuo, Ita dum cœcos illuminantis memores eſtis, facite vt cæcos denuo illuminet, & omnia opera eius renouate, dum eorum memoriam facitis. Metuo autem, imo video, proh dolor, veſtrum ſacrificare vere eſſe, denuo Chriſtum offerre, ſicut prædixit Ebre. 6. Rurſum crucifigentes ſibimet *Ebre. 6.* Filium Dei, & oſtentui habentes. Vere veſtrum reſacrificare eſt impijſſimum recrucifigere.

EXiſtimo igitur, hoc ſecundo impetu, iterum ruere & iacere Miſſarum Papiſticarum impietatem. Pia enim & fidelis conſcientia merito & digne pauere debet, ne hoc ſacrificium appellet aut credat, quod certiſſima eſt apud Deum & in ſcripturis non dici ſacrificium. Et hoc ſolum appellet ſacrificium, quod conſtat á Deo vocati ſacrificium. Quę n. furentior eſt temeritas, quam ſic os in cœlum ponere, vt hoc ſacrificium & cultum Dei dicas, quod ille non dicit ſacrificium & cultum Dei? Quid enim hoc aliud eſt, quam Deos arbitrio noſtro formare, & diuina omnia noſtro ſenſu ſtatuere? Nonne hoc eſt, autoritate propria, & leges & ritus & ſacerdotia & culturas erigere, Inconſulto Deo? & exigere, vt Deus hęc omnia rata habeat, ſinatq; ſe *Inſania populi Iſrael.* doceri à nobis, quid ei fieri oporteat, & qua ratione colendus ſit? De qua re concors eſt querela omnium Prophetarum ſuper inſania populi Iſrael, quod

propriis

proprijs adinuentionibus culturam Dei formarent, Quare Deus ſeſe in idolum formari dicit, cum tanto rigore prohibuerit, ne ei vllam facerent ſimilitudinem, id eſt, non de eo ſentirent ſecundum eorum ſenſum, ſed ſecundum ſuum præceptum, nihilq; facerent, quod ille non ſtatuiſſet.

In primum præceptum peccant, qui ex Miſſa ſacrificium faciunt.

Breuiter, abominatior eſt iſta peruerſitas, quam vllus queat verbis conſequi. Eſt enim hoc negare plane Deum, & primum eius præceptum. Quare Papiſtæ hic aut ſui ſacrificij rationem reddant è Scripturis, aut ſciant ſeſe ſuis Miſſis peſſimos omnium ſeculorum idolatras eſſe, Scriptura nos non fallet, quæ ſabrificium eſſe Miſſas ignorat. Fallent ſeſe potius, qui Scripturæ non credunt, ſuo Leuiathan nixi. Caueant ob id iterum pia corda, ne Miſſas ſacrificent, at legitime illis vtantur. Nos certis nitimur Scripturis, ideo nec errare nec peccare poſſumus. Miſſis abſtinentes ſacrificandis illi recte incedere non poſſunt, dum relicta ſcriptura ſuis ſtudijs ducuntur, citra, vltra; contra diuinam autoritatem, in re tam ſacra, tam metuenda & tremenda. O fuge, Frater, & deſere hoc perditum ſacerdotium Papiſtarum.

Sacerdotium miſſale. *Sacerdotis docere* [illegible]

Zach. 2. TErtio aggrediemur ſacerdotium hoc miſſale impetu facto ex miniſterio verbi. Nam & ſacerdotij eſt docere, Sicut dicit Zacharias 2. *Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem Dei ex ore eius requirent, quia Angelus Domini exercituum eſt.* Sic enim debet mediare inter Deum & homines, vt Deo offerat pro hominibus, & homines doceat de Deo, ferens vtrorunque ad vtroſq;. Et hic quidem Papiſtici ſacerdotes ſibi videntur regnare, quod illorum proprium eſſe putent, docere, ſicut turget immanis illa bucca Pelagi- *Pelagius.*

Matth. 10. us in Decretis: *Vbi eſt maioritas, ibi eſt mandandi autoritas, cæteros manet obediendi neceſſitas.* Huc deprauant illud Chriſti: Qui vos audit, me audit, qui vos ſpernit, me ſpernit.

Hic vide, ſicut finxerunt ſibi alienum à Chriſtianis ſacerdotium & ſacrificium, ita & miniſterium verbi introduxerunt nouũ & ſacrilegum. Quod vt manifeſtum fiat, Primum inuictis Scripturis firmabimus, legitimum illud & vnicum verbi miniſterium eſſe commune omnibus Chriſtianis, ſicut & ſa-

1. Cor. 4. cerdotium & ſacrificium. Dicit enim Paulus 1 Corin 4 Qui idoneos nos fecit miniſtros noui Teſtamenti, non literæ ſed Spiritus. Hoc enim de omnibus Chriſtianis dicit, vt omnes faciat miniſtros ſpiritus. Eſt autem miniſter ſpiritus is, qui tradit verbum gratiæ, ſicut miniſter literæ, qui tradit vocem Legis. Hoc Moſi erat, illud Chriſti eſt. Item Petrus dicit omnibus Chriſtianis: Vt virtutes annuncietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen ſuum. *Miniſter ſpiritus.* [illegible]

1. Pet. 2. Quis Chriſtianorum non eſt vocatus de tenebris? At huius eſt & ius & poteſtas, imo neceſſitas annunciandi virtutem ſeſe vocantis. *Ius docendi penes omnes Chriſtianos.*

Hoc quidem fieri debere concedimus, ne ſimul multi loquantur, etiamſi omnes eandem loquendi poteſtatem habeant. Nam & Paulus erat dux verbi,

Act. 14. Acto. 14. quo loquente Barnabas tacebat. Sed nunquid ideo Barnabæ non

1. Corint. 14. erat ius & neceſſitas loquendi? Oportet, inquam, iuxta Apoſtolum. 1. Cor. 14 omnia honeſte & ſecundum ordinem fieri in nobis. Sed per hoc æqualitas miniſterij non tollitur, imo confirmatur. Ideo enim neceſſarius eſt ordo loquendi, quod omnes poteſtatem habent loquendi. Si enim vnus tantum haberet poteſtatem loquendi, quid de ordine neceſſe eſſet præcipere? Sed videamus eum locum Apoſtoli totum, qui Papiſtica mendacia, de iure docendi & maioritate potentiſſimis fulminibus conterit. Dicit itaq;: *Siue lingua quis loquitur, ſecundum duos, aut vt multum tres, & per partes, & vnus interpretetur. Qui ſi non fuerit interpres, taceat in Eccleſia, ſibi autẽ loquatur & Deo. Prophetæ autẽ duo aut tres dicant, & cæteri dijudicent. Quod ſi alij ſedenti reuelatum fuerit, prior* *Locus Pauli 1. Corinth. 14.*

taceat. Poteſtis enim omnes per ſingulos prophetare, vt omnes diſcant & omnes exhortentur; Hac Paulus.

Vos idola Papæ hic compello, quid contra hæc mutire poteſtis? Paulus dicit, Omnes poſſe prophetare, & per ordinem, vnus poſt alium poteſt loqui, adeo vt ſedens & audiens, ſi quid reuelatum ei fuerit, ſurgere poſſit, Et prior loquens debeat ei cedere & tacere, tum quicunq; ſunt, qui loquuntur, ſub iudicium audientium loqui, & eorum autoritati ſubdi debent. Vbi nunc eſt os tuum impudens & bucca blaſphema Pelagi? qui erepaſti immani ſuperbia: Vbi eſt maioritas, ibi eſt mandandi autoritas, cæteros manet obediendi neceſſitas. Scilicet Satan ipſe per os tuum aduerſus Chriſtum in Paulo loquentem, hanc rabidam vocem euomuit. Chriſtus te & tua omnibus ſubijcit, autoritate diuina, dans omnibus & loquendi & iudicandi poteſtatem, Tu vero, temeritate propria, omnes ſubijcis tibi, & eleuaris ſuper omnes ſolus ſicut Lucifer arrogans ſoli tibi ius loquendi & iudicandi. Igitur omnes Chriſtiani ius & officium habent docendi, vt rumpatur Behemoth cum vniuerſis ſquamis ſuis.

Omnium Chriſtianorum loquendi & iudicandi poteſtas.

Qui vos audit, me audit &c. Nolite tangere Chriſtos meos. Chriſti Dei qui?

Conſequens eſt, vt illud Chriſti, Qui vos audit me audit, non maiore fide, ad ſuam tyrannidem traxerint, quam illud Prophetæ: Nolite tangere Chriſtos meos Propheta enim loquitur de Chriſtis Dei, dum dicit: Chriſtos meos, id eſt, quos Deus vnxit vnxione ſua, & ſanctificauit Spiritu ſancto. Papiſtæ trahunt ad Chriſtos Papæ & Epiſcoporum, qui vnguntur oleo iſto corruptibili in ſummis digitis tantū. O flagitia papiſtica in diuinas voces. Chriſti Dei ſunt omnes ſancti Chriſtiani, & Papa facit Chriſtos Dei, eos qui lupanaribus & ſpeluncis latronum ſeruiunt, Sic cum omnes Chriſtianos audiri oporteat, id eſt qui Chriſtum loquuntur, Papa trahit ad ſuos Apoſtolos tantum, qui non niſi Diabolum loquuntur, & qui ſpernit Diabolum eius, Chriſtum ſpreuiſſe iudicandus eſt. Vides itaq; vt ſub titulo communi miniſterij ſpiritualis, ſibi erexerint miniſterium proprium perditionis. ſicut ſub titulo ſacerdotij & ſacrificij veritatis, introduxerunt ſacerdotium & ſacrificium mendacij & erroris. Atq; vt ſuo ſacrilego miniſterio ſuſtulerunt Eccleſiæ miniſterium verum verbi, ita & ſacerdotio & ſacrificio ſuo mendaci aboleuerunt penitus ſacerdotium & ſacrificium verum Eccleſiæ. Matt. 10. Pſalm. 105.

Erunt omnes docti à Deo.

Sed addemus adhuc vnum, quod ſupra memoratum eſt Iohan. 6. Erunt omnes θεοδίδακτοι. Si omnes ſunt à Deo docti, ergo non ſoli raſi & digitis vncti ſeu infecati, ſunt à Deo docti. Imo qui ſunt minus θεοδίδακτοι, quam hoc perditum chaos raſorum & oleatorum idolorū? Si autem omnes ſunt theodidacti, certe omnes ſpiritum & verbum Dei habent, Quare non modo Laicus, ſed & Papa ſubiectus eſt theodidacto, niſi non eſt ſubiectus verbo & ſpiritui Dei. Theodidacto enim totus mundus etiam Angeli de coelo cedere & credere debent, quia non homini ſed Deo, qui eum docet, ceditur aut reſiſtitur in eo. Et tamen audent adhuc ſepties inſaniſſima idola Papæ, non modo diſputare, ſed & iactare, Papam eſſe ſupra Concilium, ſupra vniuerſam Eccleſiam, Quid enim eſt hoc dicere, niſi Papam eſſe ſupra theodidactos? At ſupra theodidactos eſſe, quid eſt, niſi ſupra Deum eſſe? Et impletum eſt illud Pauli? Homo peccati, filius perditionis, qui eſt aduerſarius, & extollitur ſupra omnem Deum, qui dicitur & colitur. Iohan. 6. 2. Theſſ. 2.

Papam eſſe ſupra Concilium.

Homo peccati.

Mulieribus quatenus interdictum docere.

At obijcient hic Paulum, qui dicit 1. Cor. 14. Mulieres in Eccleſia taceant; Turpe enim eſt mulieri loqui, Non enim permittitur eis loqui, ſed ſubditos eſſe, Quare miniſteriū verbi non poteſt eſſe commune omni-

ne omnibus Chriſtianis, Reſpondeo: Neque mutis, neque alia quacunque cauſa impeditis loqui permittitur. Credo enim ius iſtud loquendi etſi omnibus commune ſit, non tamen poſſe aut debere exequi niſi eum, qui idoneus ſit præ cæteris, & ei qui idoneus ſit, cæteri locum facere teneantur, vt ſeruetur ordo & honeſtas. Sic enim & Timotheo præcipit, vt commendet verbum ijs, qui idonei ſint & alios docere. Exigitur autem ad loquendum vltra ſpiritum etiam vox, eloquentia, memoria, & alia naturalia dona, quibus qui caruerit, merito ſuum ius alteri ſupponit.

Ita mulieres Paulus prohibet loqui, non ſimpliciter, ſed in Eccleſia, nempe vbi ſunt viri, potentes loqui, vt ne confundatur honeſtas & ordo, cum vir multis modis ſit præ muliere idoneus ad loquendum, & magis eum deceat. Sed nec ex ſuo capite Paulus hoc prohibet, imo adducit legem, dicens, ſub-
Gen. 3. ditas eſſe debere, ſicut & Lex dicit. Qua autoritate diuinæ legis certus erat, quod ſpiritus ſibijpſi non contradiceret, & mulieres prius per eum viris ſubiectas, nunc ſupra viros non eleuaret. Quin potius memor & tenax ſui inſtituti, præſentibus viris, magis viros quam mulieres afflaret. Alioqui quomodo
Iohel. 2. ſolus Paulus reſiſteret Spiritui ſancto, qui in Iohele promiſit: Et propheta- Quatuor filiæ Philippi.
Act. 21. bunt filiæ veſtræ? Et Act. 21. Erant Philippo quatuor filiæ virgines prophetantes. Et Maria Moſi ſoror erat Prophetis. Et Olda Propheteſſa conſuluit ſan- Maria ſoror Moſi.
1. Cor. 11. ctiſſimo regi Ioſiæ. Et Dibora ducem Barac inſtruxit. Denique B. Virginis Dibora. Olda.
canticum vniuerſa celebrat Eccleſia per orbem. Et ipſemet cap. 11. docet, mulierem debere velato capite orare & prophetare. Ordo itaque & honeſtas eſt, vt viris loquentibus in Eccleſia taceant mulieres. Nullis autem loquentibus viris, neceſſe eſt vt loquantur mulieres. Canticum Mariæ

Concludimus ergo his robuſtiſsimis Scripturis confirmati, Vnum eſſe duntaxat, idque commune omnibus Chriſtianis, in Eccleſia miniſterium verbi, quod omnes loqui & iudicare poſſunt, & omnes audire tenentur. Miniſterium verbi in Eccleſia, vnum & commune omnibus Chriſtianis. Et cum Scriptura aliud miniſterium ignoret, quærimus ab idolis papiſticis, vnde habeant ſuum miniſterium illud incommunicabile omnibus? Agite, prodite viri Papenſes, oſtendite vnum iota Scripturæ de miniſterio veſtro. An buccam illam ſacrilegam Pelagij producetis: Vbi eſt maioritas, ibi eſt mandandi autoritas? Conſulite Pariſienſes & Louanienſes blennones. Interim nos quid faciemus? Miniſterium veſtrum cum ſacerdotio & ſacrificio, Miniſterium & ſacerdotium Papiſtarum &c. iam tertio proſternimus, Et pronunciamus, autoritate diuina, confidenter & libera conſcientia, Quandoquidem ſine teſtimonio diuino regnatis, vos eſſe miniſtros Satanæ, & miniſterium veſtrum cum ſacerdotio veſtro per Satanam eſſe in orbem introductum, ad vaſtandum ſalutare illud & vnicum miniſterium ſpiritus. Nam ideo damnaſtis & hunc articulum in Iohanne Huſs, ne ſcilicet liceret Chriſtum docere & audire à quocunque, ſed ſolum Satanam audire cogeretur mundus ab impio & perdito miniſterio veſtro. Hinc eſt, quod non niſi digna miniſterio iſto veſtro docetis, Euangelium extinxiſtis & damnaſtis, Mendacia veſtra & Ariſtotelis docetis, & ſpiritus Satanæ regnat in omnibus libris & doctrinis veſtris.

Hæc, inquam, de vobis abſq; ſcrupulo pronunciamus, niſi teſtimonium adduxeritis è Scriptura prò veſtro miniſterio. Sed quando adducetis? Nos potius adduximus teſtimonia, quod quidquid non eſt verbum Chriſti, Satanæ mendacium ſit, dicente Chriſto Iohan. 8. Quando mendacium loquitur, ex proprijs loquitur. Nonne hic clarum eſt, veritatem non niſi ex Deo dici poſſe, & quicunque ex proprijs loquitur, eum mendacium loqui? At miniſteriū papiſticum cum relicto verbo Dei & propria autoritate loquatur ſicut videmus, non poteſt niſi ex proprijs loqui. Quale igitur eſt ſacerdotium, tale & ſacrificium, tale & miniſterium. Sacerdos, lex, opus, omnia nihil niſi mendacia Satanæ.

tanæ. Quare, Chriſtiane Lector, tibi ante oculos pone turbam infinitam hanc ſacerdotum & monachorum cum ſuis Miſſis, ſacrificijs, legibus & doctrinis, cultibus & vniuerſis operibus, & videbis non niſi ſcenam & theatrum quoddam Satanæ, populum impium perditionis, vt Petrus appellat, iræ Dei reſeruatum in æternum. *1. Pet. 2.*

Sacerdotium papiſticum operatio Satanæ eſt.

Perſuaſum arbitror, his tribus argumentis abunde omnibus pijs conſcientijs, Sacerdotium iſtud miſſale & Papiſticum, prorſus Satanæ operationem eſſe, vnde ſatis fideliter erudiri quiſq; poteſt, ne quidquam apud eos recte & pie geri credat, & Miſſas iſtas ſacrificias, non niſi ad iniuriam teſtamenti dominici repertas. Proinde nihil in toto mundo æque fugiendum deteſtandumq; eſſe, atq; ſpecioſas huius ſacerdotij laruas, Miſſas, culturas, pietates & religiones. Siquidem præſtat, publicum lenonem aut latronem eſſe quam huius generis ſacerdotem.

SEd pergamus tamen, & huius ſingularis ſacerdotij, ipſa ſumma decora & columina videre, Nempe Epiſcopos, equeſtre illud & hæroicum ſacerdotum genus, quod ſe principes Eccleſiarum nominare audet, quo totum corpus abominationis huius perſpiciamus. Atq; iterum hic fundamēti loco incōcuſſe teneamus, quod iam toties poſuimus. *Quidquid citra Scripturæ autoritatem fit, præſertim in ijs, quæ pertinent ad Deum, id manifeſtum ſit, ab ipſo Satana profectum eſſe.* Satis enim monſtrauit Deus in Nadab & Abihu, dum nollet ignem alienum offerri, quam vehementer deteſtetur in rebus ſacris aliud geri, quam à ſeipſo eſſet definitum. Sanctificabor (iuquit) in his qui appropinquant mihi. Quanto magis putas indignationem eius accendi, quando non ſolum præter, ſed & contra præſcriptum eius quidquam in ſacris innouatur, & ſuum inſtitutum euacuatur. Vbi impius Achaz altare æreum mutat in Horologium & altare Damaſci ponit in templum Domini.

Nadab. Abihu. Ignis alienus.

Achaz.

Tale eſt quod agitur in Epiſcopis iſtis glorioſis & infulatis, quos tantum abeſt, vt Deus agnoſcat, vt nullum genus hominum in terra diuinæ maieſtati magis aduerſum eſſe poſſit. Non enim ſolum citra Dei præſcriptum, ſed & directe contra Deum erecti ſunt & regnant, quod & euidenter & inuicte monſtrabo ijs qui Scripturæ credunt. Nam ipſis idolis, qui Scripturam negant, ſuis tantum Decretis credunt, nihil veriſimile dixeris, niſi mendacia, quæ in cordibus eorum verſantur, dicas.

ANTITHESIS EPISCOPORVM CHRISTI & ſacerdotum Papiſticorum.

PAulus dicit Tit. 1. Huius gratia reliqui te in Creta, vt reliqua perfecte corrigas, & conſtituas Presbyteros per ſingulas ciuitates, ſicut ego tibi conſtitui. Si quis eſt ſine crimine, vnius vxoris vir, filios habens fideles, non in accuſatione luxuriæ. Oportet enim Epiſcopum ſine crimine eſſe, ſicut Dei diſpenſatorem. *Tit. 1.*

Hic ſi credis in Paulo ſpiritum Chriſti loqui & ſtatuere, agnoſcis ſimul ſtatutum diuinum eſſe, vt in qualibet ciuitate ſint plures Epiſcopi, aut ſaltem vnus. Perſpicuum eſt enim, quod Presbyteros & Epiſcopos eoſdem facit, eadem autoritate Dei, dum dicit, Ideo conſtituendos Presbyteros per ſingulas ciuitates ſine crimine exiſtentes, quod Epiſcopum oporteat eſſe ſine crimine. Presbyteros autē vocat, non idola iſta raſa & oleata, ſed ſeniores, & coniuga-

Presbyter.

coniugatos laicos in ciuitate, honeſtæ vitæ & famæ. Hos vult Epiſcopos fieri, *Epiſcopi.*
plures in qualibet ciuitate, vt dixi. Græce enim clare patet, plures vni ciuitati
Philip. 1. conſtituendos eſſe, vbi dicit, *κατὰ πόλιν πρεσβυτέρους.* Presbyteros ſecundum
ciuitatem, id eſt, vbi vbi ciuitas fuerit, ibi Presbyteros conſtituas. Idem Phil. 1.
Paulus & Timotheus ſerui Ieſu Chriſti, omnibus Sanctis in Chriſto Ieſu,
qui ſunt Philippis, cum Epiſcopis & Diaconis, Gratia vobis &c. Philippi erat
Acto. 20. vnica ciuitas, & tamen plures eius Epiſcopos ſalutat. Idem Actor. 20. miſit ad *Plures Epiſcopi*
Epheſum & vocauit Presbyteros Eccleſiæ ad ſe. Qui vbi venerunt, dixit ad *vnius ciuitat.*
eos inter multa alia: Attendite vobis & vniuerſo gregi, in quo poſuit vos Spiritus ſanctus Epiſcopos, vt paſcatis Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine
ſuo. Ecce Epheſus quoque vna ciuitas erat, & Presbyteros ſeu ſeniores in ea
Eccleſia Epiſcopos appellat plures à Spiritu ſancto conſtitutos.

QVid aduerſus hæc tria cœleſtia fulmina poteſtis vos locuſtæ *Faſtus Epiſcoporum pop. l.*
fumoſæ putei abyſſalis? Per Chriſtum te oro, Chriſtiane Lector, nihil te
moueant Cardinalium, Epiſcoporum, Paparum infulæ, pilei, mulæ, familiæ, gemmæ, aurum, purpura, & vniuerſus ille faſtuoſiſſimus impiorum
hominum faſtus. Paulo, imo Spiritui ſancto crede, Non ſunt illi Epiſcopi, ſed
idola, laruæ, monſtra, & portenta iræ Dei. Epiſcopos audis hic definiri, viros *Epiſcopi verb*
coniuges & honeſtos in vna ciuitate, quotquot neceſſarij ſunt ad curandum
populum eiuſdem ciuitatis. Hæc definitio non Eccleſiæ, non Conciliorum,
non Patrum, non denique lupanarium iſtorum proſtitutiſſimorum Pariſienſium & Louanienſium, ſed Spiritus ſancti, ſed Ieſu Chriſti, ſed diuinæ maieſtatis eſt, aduerſus quam ſi vniuerſi Angeli de cœlo cum tota creatura ſaperent, quid, obſecro, te deberent mouere? Nonne ceu inane arboris folium eorum verba deberes æſtimare, præ verbis his æternæ maieſtatis? Nunc cum ei
aduerſentur non niſi fœdæ Simiæ & meræ laruæ hominum, non minus indoctæ quam impiæ, inutiliſſimum ſcilicet hominum chaos, quod vix idoneum
eſt ipſas laruas Epiſcopales geſtare, quid eſt, quod eos aut paucas aut mireris?
ac non potius ceu labes & maculas orbis terrarum ducas (vt Petrus eos appel-
2. Pet. 2. lat) cum vniuerſis ſuis pompis, ſtatutis, ritibus, mendacibus & ſacrilegis?

Adeſte ergo vos abominabilia monſtra terræ, & rationem reddite, vnde & qua autoritate vos eſtis & vocamini Epiſcopi? Spiritus ſanctus vni
ciuitati plures conſtituit Epiſcopos, vos ſinguli pluribus. Et vnus Papa
omnibus orbis ciuitatibus Epiſcopus eſſe nititur. Qua autoritate? Nonne ipſiuſmet Satanæ aduerſantis per vos Spiritus ſancti autoritati? Quid
habetis, quod hic mutiatis impiæ & ſacrilegæ laruæ? Concludimus itaque
cum fiducia, vos iuxta diuinas literas & decretum Spiritus ſancti, neque eſſe *Papæ Epiſcopi vaſtatores pro vin*
neque dici Epiſcopos, ſed magis aduerſarios & vaſtatores tam Epiſcoporum
quam decreti diuini de Epiſcopis conſtituendis. Eſtis vero Epiſcopi voca- *Epiſcoporum pont.*
tione Satanæ & conſtitutione Apoſtoli eius Papæ, vnde & recte vocamini *Creaturæ Papæ.*
creaturæ Papæ, non ſpiritus ſancti. Qualis creator, tales creaturæ. Non tremunt adhuc ceruices veſtræ duriſſimæ, dum audiris, vos non modo citra voluntatem Dei, ſed impijſſime contra voluntatem Dei Epiſcopos eſſe? Hoc
eſt, quod ne cogitatis quidem de vllo Epiſcopi officio, ſed animalia ventris
& gloriæ duntaxat eſtis, ſaginati ad victimam æterni iudicij Dei. Igitur producite & vos aliquod teſtimonium de veſtro Epiſcopatu. Quod cum facere
non poſſitis, nos autoritate Spiritus ſancti libere pronuntiamus, Vos
eſſe idola mundi, qui titulo ac nomine Epiſcoporum violenter arrepto,
& legitimis Epiſcopatibus extinctis, aduerſarij nouiſſimi ſitis Chriſti & Eccleſiæ eius. Sic nos de vobis & iudicare & ſentire cogit Spiritus in Paulo,

Epiſcopos conſtituens,cum nihil in orbe ſit diſſimilius & repugnantius Epiſcoporum ſtatui,quam veſter laruualis & plus quam mundanus ſtatus.

SEd ne ſolus Paulus ſic videatur Epiſcopos deſcribere, audiamus & Petrum. Dicit 1. Pet 5. Presbyteros, qui ſunt in vobis, hortor ego Conpresbyter & teſtis Chriſti, paſsionum & futuræ gloriæ ſocius, Paſcite eum,qui inter vos eſt, gregem Chriſti, epiſcopantes non coacte,ſed voluntarie, non turpis lucri gratia, ſed prompte,non quaſi dominantes in hæreditatibus,ſed forma facti gregis,cum venerit Archipaſtor, accipietis immarceſsibilem gloriæ coronam. *1. Pet. 5.*

Vides hic, presbyteros & epiſcopantes in vnoquoq; grege eoſdem & multos eſſe debere, per omnem modum, quo Paulus diſpoſuit. Quod autem noſtra tranſlatio habet,non dominantes in cleris, interpretis incuria fuit,quæ fecit,vt clerum hoc loco intelligerent,quos nunc à Laicis diſcreuit impia hominum traditio,cum Petrus vocet hic cleros hæreditates ſeu ſubſtantias,Volens ſeniores Eccleſiæ tales eſſe,qui ſciant ſeſe gregem Chriſti regere,non propriam aliquam hæreditatem.Proinde non dominari ſed ſeruire illis debere,ſerui enim ſunt alienæ hæreditatis,id eſt, Chriſti,non domini propriarum rerum. Nunc vero Papa cum ſuis Laruis non dominatur modo, ſed tyranniſat,graſſatur,bacchatur in oues Chriſti,ſubijciens ſibi & res & corpora, & animas omnium,robuſtius illis vtens,quam vllus herus ſuis proprijs rebus. Et hoc vocant hodie paſcere oues Chriſti.

Papæ tyrannis in oues Chriſti.

V*Ltimo Chriſtus Lucæ 22, contendentibus Apoſtolis de maioritate, dicit: Principes gentium dominantur eorum, & qui poteſtatem ſuper eos habent, benefici (id eſt, quos nunc gratioſos vulgo vocant) vocantur, Vos autem non ſic &c.* Hic te Lector, medium conſtituo Iudicem inter Chriſtum & Papam, Epiſcopos,quos hodie principes gentium nõ queunt imitari præ magnitudine dominationis & opũ, Chriſtus ſtatuit,vt ſint non ſic,Papa ſtatuit,vt ſint vtiq; ſic. Confer hic principis & vicarij ſui voces:Non ſic,& vtiq; ſic, & videbis,quis Chriſtus & quis Antichriſtus ſit,& qui ſint Epiſcopi,& qui laruæ Epiſcoporum. Væ nobis miſeris, qui in his iræ nouiſſimæ temporibus ſub talibus laruis, idolis, idiotis, truncis, lupis,peſtibus,& monſtris nocentiſſimis,ſine Epiſcopis & Presbyteris viuere, imo perire cogimur. *Luc. 22.*

Epiſcopi Chriſtiani.

Statuimus itaq; autoritate Dei,Epiſcopos Chriſtianos eſſe viros graues & prouectæ ætatis coniuges,laicos,doctos in verbo veritatis,in qualibet ciuitate plures,vel per vicinos coepiſcopos,vel à plebe ſua electos, quales modo eſſent quos vulgo Parochos ſeu Plebanos vocant,& Capellanos eorum Diaconos,niſi per tyrannidem ſuperiorum idolorum Miſſas ſuas prophanarent, Euangelium tacere cogerentur,cœlibes perirent, & nullum Epiſcopi officiũ implere permitterentur. Hæc eſt Apoſtolica ſanctio, diuinum decretum, Spiritus ſancti ritus ordinandorum Epiſcoporum, Quales fuere S.Spiridion, Cyprianus, Auguſtinus, Ambroſius, At qui nunc ſuper plures ciuitates imperant,nihil tamen faciunt,niſi quod aliquando infulam geſtant,lapides & ligna aqua conſpergunt,fumo conſecrant,& campanas tingunt, quia proprijs furoribus erecti ſunt aduerſus decretum diuinum,Satanæ ludibria,& Dei aduerſarij ſunt,vna cum principe & creatore ſuo Papa propediem deſtruendi per aduentum Saluatoris noſtri, Amen. Hæc omnia cum certis, apertis, fidelibus nitantur ſcripturis & verbis Dei,oportet pias conſcientias ſecuras & liberas eſſe ad contemnendum cum fiducia,totum hoc corpus Babylonicum cum pompa & ſpecie ſua.

Epiſcopi Papales.

SVpereſt

SVpereſt tertia par huius ſatanici ſacerdotij, quod eſt ſylua & Satena Monachorum,genus mixtum, nec ſacerdotes nec laici nec monachi,ne nihil deſit,quod monſtrorum ratio poſtulat, ſed ex omnibus & ſingulis confuſum. Verum quatenus ſunt ſacerdotes,ad eos ſimul pertinent, quæ de ſacerdotio,ſacrificio & miniſterio dicta ſunt. Quatenus vero Monachi ſunt,proprio volumine opus haberet deſcribi cum ſuis ſtultis,impijs,impoſſibilibus & à nullo vnquam ſeruatis votis,Ideo ne prolixiores ſimus,differemus eos in ſuum tempus. Hoc dixiſſe contenti, Chriſtianum populum eſſe ſimplicem,in quo prorſus nulla ſecta,nulla differentia perſonarum, nullus laicus,nullus clericus,nullus raſus,nullus vnctus,nullus Monachus eſſe debeat, ſed ſine vllo diſcrimine omnes vel coniugati vel cœlibes,arbitrio quiſque ſuo, ſicut modo in ciuilibus communitatibus videmus naturaliter fieri. Epiſcopi vero,ſeu presbyteri,ſeu ſeniores,ſeu diaconi,prorſus nulla re differre à cæteris Chriſtianis debent,niſi ſolo officio verbi & Sacramenti. Sicut ſenator nulla re differt à ciuibus ſuis,niſi officio regendæ ciuitatis. *Monachi.* *Inter Chriſtianos nulla perſonarum differentia.*

Qui autem Sectis introductis,hanc ſimplicitatem ſciderunt, in laicos & clericos,in raſos & non raſos, Deinde raſos in monachos & Sacerdotes, Poſt monachos in veſtes & cibos infinitis modis variatos, ſimiliter & Sacerdotes in varias culturas & diocœſes,Hi ſunt,qui autore Satana, Eccleſiam & Scripturas Dei violauerunt,& aſtutia ſerpentina ſenſus Chriſtianorum corrumperunt à ſimplicitate,quæ eſt in Chriſto,vt Apoſtolus ait ad Corinthios. Ideo Epiſcopi & presbyteri nullum ſectæ nomen habent, ſed tantum officij. Vt Presbyter enim ſeniorem,ita Epiſcopus viſitatorē ſignificat, Ex quibus nunc dignitates & ſtatus fecerunt impij & ſchiſmatici homines. Paulus alias etiam diſpenſatores,miniſtros Chriſti,ſeruos Dei,præpoſitos vocat. Hæc ſatis modo ſint de impio illorum ſacerdotio,ſacrificio & miniſterio. Ex quibus puto piam conſcientiam ſatis eruditam,vt ſi ſe videat non eſſe in legitimo ſacerdotio Eccleſiæ,quam ocyſſime ponat hoc ſatanicum ſacerdotium,& vel curet vero miniſterio Epiſcopi aut Diaconi initiari,aut rurſum laicis ſimilem vitam apprehendere,pro ſtercoribus habito illo ficticio charactere,& oleo & raſo vertice & veſtitu phariſaico iſtorum ſacerdotum. Non enim Deo ſed Satanæ ſacerdos eſt,qui eiuſmodi eſt,Ideo nec Deo,ſed Satanæ pepigit, ſi quid pepigit, cui nullum pactum ſeruari poteſt,niſi violes pactum Dei viuentis. *Laici. Clerici.* *Presbyter. Epiſcopus.*

Iactent Papiſtæ ſuas longas haſtas & breues pugiones, quod Patres eorum ex Spiritu ſancto ſtatuerint has pompas & laruas. Nos contra iactamus Scripturas ſanctas,certi,quod Spiritus ſanctus ſibiipſi non contradicit,nec aduerſatur. Non enim eſt Deus diſſenſionis ſed pacis & vnitatis. Cum autem omnia eorum monſtrauerimus eſſe aduerſus Dei Scripturas euidenter, non antea credemus eorum geſta ex Spiritu ſancto eſſe,quam docuerint,Spiritum ſanctum ſibiipſi contrarium eſſe, aut Scripturas ſuas reuocaſſe. Deinde conuincant,ſua ex Spiritu ſancto eſſe,ſicut nos conuincimus ex Scripturis, noſtra ex Spiritu ſancto eſſe,Bullas & ampullas hominum contemnimus. Scripturæ veritatem adoramus & reueremur,quam ſi ipſi contemnunt, valeant, & ſoli adorent ſuas Bullas. Qui non eſt mecum,ait Chriſtus,contra me eſt. Ita nos dicimus: Quod non eſt cum Scriptura,contra Scripturam eſt. At ſacerdotia,ſacrificia,miniſteria,Epiſcopatus eorum,non ſunt cum Scriptura, vt probauimus,neceſſe eſt ergo contra Scripturas ac per hoc contra Deum eſſe. At contra Deum viuere,quis nobis perſuadebit? *Haſtæ & pugiones Emſeri.*

VIde itaq; Satanæ aſtutiam in Eccleſia vaſtanda, quā pulchre ſeruatis nominibus ſacerdotij,ſacrificij,miniſterij,cōtrarias abominationes ſub illis inuexit,Scilicet nihil precioſius Eccleſia habuit ſacerdotio, ſacrificio *Epilogus.*

ſacrificio & miniſterio, ideo ſub horum ſpecie potiſſimum nocere cogitauit, & profecit per iram Dei, Vtile enim fuit ſuum ſacerdotium quæſtui. Nam dum Miſſa cœpit ſacrificium eſſe, facile totius orbis opes ad ſuum ſacerdotiū hoc titulo contraxit, Per opes vero auaritiam, ſuperbiam, pompam, ocia, libidines & omnia illa infanda nefandaq;, quæ hodie videmus inundare pleno impetu, impulit, donec penitus abolito vero ſacerdotio, iam nihil ſciret orbis præter Miſſas & miſſales ſacerdotes, omnibus hominibus vno errore falſis, dum ſperant hac vna via remiſſionem peccatorum & introitum Regni cœlorum operibus ſuis emere. Ita ſecure iam regnat & potitur victoria, quam quæſiuit, & paulatim promouit ſuo ſacrilego ſacerdotio, adeo, vt multi ſancti viri & electi hunc errorem non ſolum non intelligerent, ſed etiam iuuarent verbo & opere. Sic cecidit ſacerdotij veri virtus, poſitis loco fidei operibus. Euacuata vis ſacrificij veri ſublatis cruce & paſſionibus, & accepto ocio ac pace, extincta gloria miniſterij, erecto idolo humanarum traditionum.

Miſſa.

Et impleta eſt Prophetia Pauli, quam prædixit 2. Timot, 3. *2. Tim. 3.*
Hoc autem ſcito, quotiam in nouiſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa, Erunt enim homines ſui amantes, auari, ſuperbi, elati, blaſphemi, parentibus inobedientes, ingrati, rerum ſacrarum incurij, ſine affectione, ſine fœdere, criminatores, incontinentes, immites, bonorum negligentes, proditores, proterui, tumidi, cæci, voluptatum amantes magis quam Dei, habentes ſpeciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes. Et hos deuita. Ex ijs enim ſunt, qui penetrant domos, & captiuas ducunt mulierculas, oneratas peccatis, ductiles varijs deſiderijs, ſemper diſcentes, & nunquam ad ſcientiam veritatis peruenire, potentes Quemadmodum autem Iannes & Mambres reſtiterunt Moſi, ita & hi reſiſtunt veritati, homines mente corrupti, reprobi ad fidem, ſed vltra non proficient, Inſipientia enim eorum manifeſta erit omnibus, ſicut & illorum fuit.

Iannes. Mambres.

SECVNDA PARS DE VERBIS Miſſæ, ex quibus probatur, Miſſam non eſſe ſacrificium.

Item de Canone.

PRima parte ſacerdotium illud Satanæ impium & abominabile ſat potentibus Scripturis ſubuertimus. Quibus etiam probauimus, Miſſas non poſſe ſacrificij nomine cenſeri, & os aduerſariorum opilauimus, vt non habeant quod poſſint contrauertere, niſi ſuas opiniones, conſuetudines & hominum autoritates, quas in re diuina, & fundanda fide; nullius eſſe momenti nemo ignorat. Simul ſatis confirmatæ ſunt conſcientiæ infirmiores, vt probe intelligant, nullum eſſe noui Teſtamenti ſacrificium, præter id quod Scriptura docet, crucis & laudis, nec ſit vllus amplius locus ſcrupuli, Miſſam non eſſe ſacrificium. Nunc ſecundo loco, poſt bella, pacificis documentis idem docebimus, & ſupra fundamentum poſitum, leniter & molliter ædificabimus, ſermonem proprie ad inſtitutum accommodantes, de Miſſa ipſa tractaturi, non noſtris, vt Satanæ faciunt ſacerdotes, ſed ſolis diuinis verbis innitendo. Quare ab initio Miſſæ inſtitutionem & verba inſtituentis audiamus. Sunt autem hæc.

Sacrificium noui Teſtamenti.

PRimus eſt Matthæus capite 26. Edentibus autem illis, accepit Ieſus panē, & gratias egit & fregit, deditque Diſcipulis ſuis, & *Matt. 26.*

Verba Euangelij, quibus Miſſa continetur.

ait, Accipite & manducate, Hoc eſt corpus meum, Et accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis dicens, Bibite ex hoc omnes. Hic eſt enim ſanguis meus noui Teſtamenti, qui pro multis effunditur in remiſsionem peccatorum &c.

Græcus vtrobique habet ἐυχαριςήσας, gratias agens, quod noſter Tranſlator, benedixit, primo loco vertit. Quod dico, ne intempeſtiui verborum obſeruatores opiniones aliquas gignant aut confirment (vti ſolent Sophiſtæ) ſuper tranſſubſtantiatione, & neſcio quibus nugis conſecrationis. Sed ſciant idem eſſe gratias agere, quod benedicere. Quod enim Matthæus & Lucas ἐυχαριςήσας, Marcus ſemel, ἐυλογήσας dixit.

Mar. 14. SEcundus eſt Marcus capite 14. Edentibus autem illis, accepit Ieſus panem, & benedicens fregit, & dedit illis, & dixit: Accipite & manducate, Hoc eſt corpus meum, Et accipiens calicem, gratias egit & dedit illis, Et biberunt ex illo omnes, & dixit eis: Hic eſt ſanguis meus noui Teſtamenti, qui pro multis effunditur.

Luc. 22. TErtius Lucas capite 22. Et accipiens panem, gratias egit, & fregit & dedit eis dicens: Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur, Hoc facite in mei commemorationem. Similiter & calicem, poſtquam cœnauit, dicens: Hic eſt calix nouum Teſtamentum in meo ſanguine, qui pro vobis funditur.

1. Cor. 11. QVartus Paulus, 1. Cor. 11. Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis, Quoniam Dominus Ieſus in nocte, qua tradebatur, accepit panem & gratias agens, fregit & dixit: Accipite, manducate, Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis traditur, Hoc facite in mei commemorationem. Similiter & calicem, poſtquã cœnauit, dicens: Hic calix nouum teſtamentum eſt in meo ſanguine, Hoc facite, quoties bibetis, in mei commemorationem.

Vide vt Lucas cum Paulo pene per ſingula verba conſentiat.

HIc à te, lector pie, impetratum velim, vt credas hos quatuor teſtes neque ſtultos, neque ebrios fuiſſe, cum iſta ſcriberent, ſed plenos Spiritu ſancto rei veritatem ſcripſiſſe, vt in eorum verba ſecuriſſime niti poſſit totus Mundus, ac ſtare etiam aduerſus portas inferi. Deinde non minus impetratum velim, vt credas, Chriſtum ipſum quoque, etſi in cœna & nocte iſta geſſit & inſtituit, non tamen more hominum ebrium aut furioſum fuiſſe, ſed virtutem & ſapientiam Dei inſtituiſſe, quidquid ille inſtituit. Stultus & ridiculus videor, qui iſta petam, ſed ſtultitiam eam mihi extorquet indomitus furor Papiſtarum, & deplorata amentia luparum, id eſt, Pariſienſium, Louanienſium, & aliarum Scholarum. Qui cum iamdudum ſint indurati & inueterati diuturno & perpetuo contemptu Chriſti, Apoſtolorum & Euangeliſtarum vniuerſæque Scripturæ, ſanctum & catholicum arbitrantur, vt cum furioſis furamus, & poſthabitis verbis diuinis, iactemus cum eis verba hominum, Patres, patres, patres, Eccleſia, eccleſia, eccleſia, Concilia, concilia, concilia, Decreta, decreta, decreta, Vniuerſitates, vniuerſitates, vniuerſitates. *Verbis Euangelij vt Petræ innitendum.*

Scilicet his terrenis fumis ſuis audent exigere, vt cedant vniuerſa illa diuina & cœleſtia fulmina, parati, vbi non ceſſerint, omnia damnare, &

exurere:

exutere. Quo furore quid aliud moliuntur, quam vt Chriſtus cum Apoſtolis ſuis fuerit in verbis & factis ſuis ſtultus aut ebrioſus? vt qui ea dixerit, quæ hominibus longe ſint inferiora, ac multo fidelius ſuper Patres, Concilia, ſcholas, Decreta, in quibus non raro errores fuiſſe ipſimet fatentur, nos oporteat confidere, quam ſuper Chriſtum. Quanquam non hoc ex animo agant, vt Patrum, Conciliorum, Eccleſiæ pietatem firment, ſed vt ſuas proprias inſanias & abominationes è Patrum & conciliorum vel proprio vel male intellectorum errore acceptas ſtabiliant, & veritatem extinguant.

Oportuit notiſſima eſſe verba Miſſæ. ADhæreamus itaq; his verbis diuinis cum fiducia, ſiue id ægre ferant Papæ ſiue puppæ, ſiue lupanaria ſiue lupæ. Ac obſeruemus, an hæc diuina oracula permittant Miſſas ſacrificia dicere. Primum religiones illas irreligioſas contemnimus, quas hac in re ſtulti inuenerunt & multiplicauerunt. Quales ſunt, quod verba hæc (vt vocant) conſecrationis minime vulgata volunt, ceu ſolis ſacerdotibus, nec ijs niſi in intimo ſacrarum rerum ſecreto agentibus tractanda, Quibus in toto orbe oportuit nihil eſſe notius neq; vulgatius, cum fides & ſalus omnium pendeat in illis, vti monſtrabimus.

Omiſſa particula. Enim &c. Item, quod ſeueriſſimo ſupercilio definiunt, Si quis omiſerit dictiunculam, Enim, vel æterni, quæ in Euangelijs non habentur, reus ſit mortalis peccati, quia contra vſum Eccleſiæ pronuntiauerit verba conſecrationis, & peccauerit in formam ſacramenti. Non quod probem, cuiuſuis arbitrio vſitatam formam mutari, ſed quod temeritatem & audaciam impiorum deteſter, qui in rebus à Deo non præceptis, nec neceſſarijs, nouos infernos condunt, & noua peccata mortalia ſuo cæco cerebro decernunt, vbi nulla peccata nec pericula eſſe poſſunt. Pauidas conſcientias ſine cauſa excarnificantes, tantum vt ſpiritu libertatis extincto, ſpiritum timoris & ſeruitutis in cordibus noſtris ſuſcitent. Nullum adulterium, nullum ſacrilegium, nullum periurium par eſſe ſinunt ei peccato, ſi formam Sacramenti læſeris, omiſſa particula, Enim. Nec aduertunt data opera Spiritus ſancti, nullum Euangeliſtam aut Apoſtolum cum altero per omnia concordaſſe in verbis eiuſmodi, quos tamen maxime oportuit concordare, aut multo magis, quã nos peccare in formã Sacramenti.

Item, quam inexpiabile flagitium fecerunt, panem aut vinum, manu vel alia parte corporis, quam digitis illis oleatis aut lingua tetigiſſe, cum à palla, calice, panno deniq; à muſca, mure, vermibus, ſtercore, tangi nihil moueantur. Scilicet corpus humanum aut carnem vel non numerant inter creaturas bonas Dei, vel inſanos ſeipſos declarant. Tale eſt, quod ieiunium naturæ effinxerunt, vt ſi quis guttam aquæ vel imprudens glutiuerit, eo die indignus ſit communione. *Ieiunium naturæ &c.* O furorem furore furioſiorem. Indignum eſt, inquiunt, vt in os Chriſtiani aliud intret, priuſquam corpus Domini intrauerit. O feſtiua ratio, Forte nec nebulam nec aerem prius intrare licet os Chriſtiani, quam corpus Domini intrauerit, vt ſacerdotibus reſpiratione & vita interdicatur, vſque poſt miſſam & communionem. Cum Chriſtus & Apoſtoli poſt cœnam cõmunicauerint, ac fere fiat, vt moderato ſumpto cibo, & os mundius & caput purgatius & halitus incorruptior, totumque corpus dignius ſit, quam ieiunis & à ſomno neſcio quid grauedinis & impuritatis referentibus eſſe vnquam poſſit.

Religiones arbitrariæ. Tales, inquam, religiones arbitrarias, quæ vltra Chriſti inſtitutionem per homines inuentæ & adiectæ ſunt, contemnimus, non quod nolimus eas ſeruari, ſi qui volent, ſed peccata per eas ſtatui & conſcientijs laqueos & ſcandala parari non patimur. Seruet qui volet, ſed libere, ſciens ſe non poſſe peccare in eo omittendo, quo videt Chriſtum & Apoſtolos nõ peccaſſe. In ijs enim ſolis peccatur, quæ contra Chriſti ſtatutum fiunt. Quæ peccata

impij

impijſti etiam ſummi meriti loco ducunt, ſcilicet dum horrendo abuſu Sacramenti huius ſacrificium & opus ex ipſo faciunt, fidem & verum vſum eius *Impij, qui conſcientias onerant humanis traditionibus.*
Pſal. 14. toto orbe damnantes & vaſtantes, Vt impleant impiorum illud veriſſimum elogium, *Trepidauerunt timore, vbi non erat timor,* Vt iuſto iudicio Dei peccata & infernos habeant, vbi iuſticia & ſalus liberrima eſt, qui iuſticias & ſalutem
Pſal. 18. faciunt, vbi peccata & damnatio ſumma eſt, Sic cum peruerſo peruertitur Deus, Pſal. 18.

Hæc vero ex multis retuli, vt animo tuo, Chriſtiane Lector, perſuadeas, nihil mirum eſſe, ſi ſacrificium ex Miſſa facere ſint auſi, qui videas, iam ſtultis & impijs opinionibus eos agitari in ea re, vt omnia recta peruertant, & nihil dignum Sacramento iſto ſentiant & faciant, vt non modo ſuſpectum, ſed plane fugiendum eſſe ſcias, quidquid eorum vſus & conſuetudo præſcribit. Quid enim reliquum boni faciant in Miſſa, quando memoriam Chriſti & fidem extinguunt & opus loco eius erigunt? Veniamus itaq; ad ipſa verba Euangelica, & per ordinem ea contemplemur, quid nos doceant in Miſſa ſpectare.

PRIMVM.

ABunde ſatis eſſe nobis debuit ipſum exemplum Chriſti & Apoſtolorum, quandoquidem credimus, Omnem Chriſti actionem noſtram eſſe inſtructionem, ſeu vt ipſemet dixit: Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis. Quin hoc ipſo loco, velut præuidens futuras iſtas lupas & lupos Arabiæ dicit: *Hoc facite in mei memoriam.* *Hoc facite in mei memoriam.*
Quid eſt, Hoc facite? Nonne hoc quod ego modo facio vobiſcum? Quid autem facit? Nunquid aureo calice, pallis & infinitis his rerum varietatibus ornatus ſacrificat? Nequaquam, ſed panem accipit, & verbo, quo dicit: Hoc eſt corpus meum, mutat in corpus ſuum, & dat manducandum diſcipulis. Si igitur inuenias fideles, qui ſimpliciſſimum hunc ritum imitantur aut imitari volunt, omiſſis omnibus, quæ per homines adiecta ſunt, caue tu hæreticos dixeris, niſi Chriſtum quoq; hæreticum ſimul criminari velis, opponent enim tibi verbum, non Papæ, non Iuparum, non Patrum, ſed ipſius Chriſti, Hoc facite. Et tu cum audieris, Hoc facite, aliud in illis & in Chriſto factum eſſe, docere non potens, inuenieris cum Pariſienſibus vel rudiſſimus aſinus, vel inſignis blaſphemator Chriſti.

Finge ergo, vel Græcos vel Bohemos, hoc ſimplici & Chriſtianiſſimo ritu facientes, quod Chriſtus hic dicit: Hoc facite, Et ex alia parte ſedere alto ſolio buccas illas indoctiſſimas & impijſſimas, Papam, Cardinales, Epiſcopos, Sacerdotes, Monachos, cum lupanaribus Pariſien: & Louanien: & ſororibus ſuis Sodoma & Gomorra. Quæ vbi viderint paruulum & contemptum hunc gregem Chriſti ſic facere, incipiant ſupercilium tollere, naſum criſpare, & turgenti gutture voces rotare in hunc modum. Ecce iſti hæretici & ſchiſmatici non ſeruant ritum Romanæ Eccleſiæ, nec principia fidei & opiniones Pariſienſis almæ Facultatis, placeantq; ſibi ſolita philautia de ſola multitudine laruatorum & indoctorum, citra omne teſtimonium Scripturæ, quaſi errare ipſi non poſſint.

Quid hic facies aut iudicabis? Sequeris ne turbam & multitudinem ad malum contra legem Dei, & deſeres paucitatem ad bonum? cum videas hic verbum Chriſti, illic vero verbum hominum regnare, vnde certus eſſe cogeris, oculos Chriſti eo ſpectare, vbi verbum ſuum regnat, etiamſi duo tantum eſſent ibi congregati, Auerſos autem eſſe, vbi verbum ſuum exulat, etiamſi tot Papæ, quot folia ſyluæ, tot Cardinales quod grana, tot Epiſcopi quod guttæ maris, omneſq; toti aurati, gemmati, purpurati & mulati & aſinati ibi eſſent.

Chriſtus non ſacrificauit panem in cœna, Non igitur eſt ſacrificium.

Nonne præ maleſtate verbi Chriſti omnes has laruas pro ſtercore terræ habeares iuſtiſſime? Quid eſt ergo, vt metuas à facie iſtorum leuiſſimorum hominum? qui Chriſtum habes tecum & ſecundum verbum eius facis? Nonne Ioannes de eo dicit: *Maior eſt qui in nobis eſt, quam qui in mundo eſt?* 1. Iohan. 4. Damnent itaq; Inpæ & laruæ iſtæ tuum factum, & erigant ſacrificia, quæ ignorant, iactent Patres, vehant Concilia, proferant multorum vſum, Tibi ſufficiat vnus & ſolus Chriſtus cum paucis ſuis in hoc mundo, de quo certiſſimus es, non ſacrificaſſe eum panem & vinum in vltima cœna. Non damnabit te, quod illi te iudicant, ſed coronabit, quod ſeſe, non illos, ſecutus fueris. Tu habes verbum & exemplum Chriſti, quod oſtentes & opponas etiam portis inferi, Illi quid habent? Infulas, pileos, raſos vertices, annulos & ſigilla. His enim argumentis probant quæcunq; probant. Et in his rebus pendet ius, & vis decernendi quæſtiones fidei, Quas ſi eis detraxeris, non plus epiſcopalium rerum in eis inuenias, quam in iſto aſino & trunco.

Commendet itaq; diligenter pius animus conſcientiæ ſuæ hoc fidele exemplum Chriſti, nec dubitet, nulli prorſus Angelorum licere, nedum Bullis humanis, è Sacramento Dei facere, quod Chriſtus ipſe non fecit. Quod ſi qua ratione etiam liceret per impoſſibile, adhuc non eſt integrum, neq; tutum Chriſtiano ab exemplo Chriſti diſcedere, & aliquid ſine exemplo eius innouare, præſertim in re tanta Vt quid enim nos ille ſuo & exemplo & verbo docet & præit, ſi licet aliud tentare ſine verbo & exemplo eius? Cur venit in hunc mundum, ſi non ſatis eſt eum ſequi in ijs, quæ nobis oſtendit? Aliud eſt ſane, quod cæremonijs & veſtibus additis aliter nunc tractatur, quam à Chriſto tractabatur. In ijs enim hoc ſolum noxium & damnandum eſt, ſi neceſſario ad rem pertinere credantur, & conſcientias vexent, cum ſint libera omnia, quæ in Chriſti inſtitutione non inueniuntur, quæ libertas facit, vt innoxia ſint. At ſacrificium ex eo facere, hoc non eſt aliquod externum addere, ſed ſubſtantiam ipſam Sacramenti & totum, quod eſt à Chriſto inſtitutum, mutare. Hoc non modo ſine exemplo, ſed & contra rem ipſam & exemplum eſt. Nec libertas hoc malum poteſt innoxium facere, ſed damnandum, & deteſtabile eſt, vt ſumma idolatria & blaſphemia.

SECVNDO.

Verba promiſſionis in cœna Domini.

E*Videns eſt, verba inſtituentis Chriſti, verba promiſſionis eſſe. Sic enim dicit: Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis traditur. Hic calix nouum teſtamentum eſt in meo ſanguine, qui pro vobis effunditur.* Neq; etiam Lupanar ipſum Pariſienſe, omnium inſulſiſſimum & ſtupidiſſimum, tam ſtupidum eſſe poteſt, quin agnoſcat, hæc eſſe promiſſionis verba, inuoluentia pignus eiuſdem promiſſionis, quod eſt corpus & ſanguis Chriſti in pane & vino, Promittitur traditio corporis & effuſio ſanguinis in remiſſionem peccatorum, quæ eſt res noui Teſtamenti, vt videbimus. At promiſſionem autem requiritur fides accipientium promiſſionem & pignus promiſſionis. Sine controuerſia enim promiſſio & fides ſunt correlatiua, vt vbi promiſſio non fuerit, fides eſſe non poſſit, Et vbi fides non fuerit, promiſſio nihil ſit. Atq; vt promiſſio gratuita venit abſq; vllis meritis ſeu operibus donata, alioqui non promiſſio ſed merces & retributio eſſet, Ita ſuſcipitur ſola fide ſine operibus, alioqui opera mererentur eam. Ideo promiſſioni ſatis fit fide, & fidei ſatis fit promiſſione Semper enim opera euacuant promiſſionem, & rurſus promiſſio euacuat opera.

Promiſſio & fides correlatiua.

Omnia ergo hæc uerba promiſſionem diuinam & fidem humanam ſpectant, nec vllus apex hic ponitur, qui ſacrificium aut hoſtiam indicet, neq; ſane poni poteſt. Quid enim ſacrificio cum negotio promiſſionis & fidei? Neq;

enim

enim ortus tantum diſtat ab occidente, quantum ſacrificium à promiſſione.
Sacrificium opus noſtrum eſt, ex noſtris rebus exhibitum Deo, At promiſſio *Sacrificium.*
diuinum verbum eſt de Dei rebus, exhibitum hominibus, Vt plane inſania, *Promiſſio.*
nedum error ſit, ex promiſſione Dei ſacrificium humanum, ex verbo maieſta-
tis opus creaturæ facere. Quę enim proportio, nedum identitas verbi Dei & *Vſus Miſſæ.*
operis noſtri? cum nec noſtrum verbum eſſe opus noſtrum poſſit. Chriſtus
autem mandans hoc à nobis fieri in ſui memoriam, plane aliud non vult, quã
promiſſionem iſtam cum pignore ſuo frequentari, ad alendam & roboran-
dam fidem, quæ nunquam ſatis poteſt roborari, In cuius ſolius robur & hoc
Sacramentum inſtituit & reliquit in terris, Iterata enim & aſſidue memorata
Dei promiſſione, tã dulci & opulenta, animus ſaginatur fide magis ac magis.

Vides ergo incredibilem cæcitatem & peruerſitatem Papiſtarum, qui
ex promiſſione Dei faciunt opus hominum, Hoc ipſo teſtes ſibi ipſis facti *Cæcitas & impietas Papiſtarum.*
quam prorſus nihil intelligant, quid ſit Sacramentum altaris, nec quid agat &
intendat eiuſdem inſtitutor Chriſtus. Illi offerunt opus, Hic requirit fidem, illi
ſacrificant Deo, Hic promittit hominibus, Finge & pinge abſurditatem hic
aliquam ſimilem ſi potes. Si princeps quiſpiam te donaret codice aliquo Te- *Apta ſimilitudo.*
ſtamenti, quo tibi promitteret velut pignore certo hæreditatem ſuam totam,
nihil aliud ſpectans, quam ſuam bonitatem & tuam paupertatem, nec aliud
ex te quærens, quam vt codicem acceptes gratuſq; cuſtodias, gaudeas & dili-
gas ſe benefactorem tuum, Tu vero velut magnum facturus, eum ipſum codi-
cem non acceptes, niſi vt ei exhibeas & offeras, non tuum commodum, ſed il-
lius diuitias aucturus, vt tu potius glorieris, qui dederis, & ille pudefiat, qui
à te mendico acceperit. Nonne hic iudicaberis, aut extrema dementia inſani-
re, & nihil intelligere eorum, quæ fiunt? Aut ſi intelligeres, ſumma nequitia
& ſuperbia Principem irridere & illudere? Talis eſt abſq; dubio facies & reli-
gio abſurdiſſimi huius vulgi Papiſtici erga maieſtatem diuinam, dum Miſſam
ſacrificant, & promiſſione Dei Deum diuitem faciunt. O monſtra mon-
ſtrorum.

TERTIO.

VErba ſic ſonant: Accepit panem, gratias agens, fregit, deditq; *Accepit panem. gratias agens, &c.*
Diſcipulis ſuis. Oboſecro, quid eſt frangere? quid eſt dare diſcipulis? Cur
non potius more Legis ſic dixit: Et accepit panem, & leuauit coram Do-
mino? vt intelligeretur non hominibus ſed Deo dediſſe, id eſt ſacrificaſſe?
Nunquid hic laruæ & lupæ adeo nihil habent vel grammaticæ vel communis
ſenſus, vt audeant dicere, dare diſcipulis id eſſe, quod offerre Deo? Vbi eſt ergo
ſacrificium? an in eo quod accepit panem? At accipere non eſt offerre, ſed ad
ſe potius capere, & in ſuum ius & vſum ſibi vendicare, Niſi iterum non ſumus
Grammatici, Cum enim eſſet fracturus & daturus diſcipulis, neceſſe erat, vt
in manus acciperet, neq; enim ore aut auribus, aut pedibus frangeret & daret.
At gratias egit & benedixit, Ergo gratias agere & benedicere eſt ſacrificare?
Tunc & quinq; panes hordeaceos & duos piſces dicemus ab eo ſacrificatos,
Iohan. 6. quando Iohann. 6. eos multiplicaturus accepit & gratias egit, & dedit diſci-
pulis, diſcipuli autem turbis, vbi eundum ritum ſeruauit, niſi quod non di-
xit: Hoc eſt corpus meum, id eſt, non mutauit panem in corpus ſuum verbo
virtutis ſuæ. Quin gratias agere & benedicere, eſt teſtari, ſeſe accipere vel
accepiſſe à Deo, non autem offerre Deo. Oblaturus potius orat, vt acce-
ptum ſit quod offert. Gratias autem agens non orat vt acceptum ſit, *Gratias agere.*
ſed gaudet accepiſſe. Vt videas, omnes apices horum verborum pugna-
re, ne Euchariſtia ſit ſacrificium Deo exhibitum, ſed beneficium hominibus *Euchariſtia beneficium hominibus*
 donatum, *donatum &c.*

donatum, quod accipiant & gratias agant, non quod commendent & acceptari orent.

Frangere.

Vſus Miſſæ.

HIc vero vide, vt Miſſarum vniuerſarum ritus hodiernus cum Euangelio faciat. Omnes tres Euangeliſtæ vna diligentia, ſimiliter & Paulus, memorant, panem eſſe à Chriſto fractum, & datum diſcipulis, tacent vero, an & ipſe comederit & biberit cum eis. Quid enim eſt frangere, niſi in multa partiri? Quid dare diſcipulis, niſi partitum alijs diſtribuere? Si ergo Miſſa inſtitutum & exemplum Chriſti referre debet, neceſſe eſt, vt nulla vnquam fiat, niſi Euchariſtia frangatur, & multis diſtribuatur per ſacerdotem. Si autem aliqua aliter perficitur, non eſt Chriſtiana Miſſa, nec cum inſtituto Chriſti vlla ex parte conuenit. Quid hic dicetis priuati, imo & publici Miſſarij? Nonne hic ſolus locus merito omnes abſterrere deberet, ne vllam Miſſam vllus vnquam celebraret? Nonne hic euidentiſſime ſequimur, exemplũ Chriſti referre, & inſtitutum eius ſequi nullos, niſi eos, qui vel infirmis vel publice accedentibus miniſtrant Euchariſtiam, ipſi non accipientes? Hi enim proxime omnium hanc cœnam Chriſti repræſentant, quia accipiunt, gratias agunt, frangunt & dant alijs, ipſi miniſtri eorum, ſicut Chriſtus factus miniſter non ſibi accipit, ſed alijs miniſtrat. Hi vero qui celebrant, quid faciunt? ſimulant hanc fractionem, dum in tres partes hoſtiam partiuntur, & vnam viuentibus, vnam defunctis, vnam beatis deputant. Scilicet egregij diſtributores, qui beatis adhuc neceſſariam fidem & promiſſionem faciunt. Sed quid aliud nugarentur, poſtquam vſum fractionis aboleuerunt? Deinde nullis diſtribuunt, ſed ſibi ſolis vniuerſas partes ſumunt, alijs auferunt.

Miſſarij partiuntur hoſtiam in tres partes.

Chriſtus.

Confer nunc iſtos Antichriſtos cum Chriſto. Ille frangit & partitur in multos, & partitum diſtribuit. Iſti contra per omnia nullis frangunt & ſibi ſolis ſumunt, niſi quod ſimulant quandam fractionem. Et vbi manet verbum Chriſti: *Hoc facite*? Cur illi faciunt aliud & contrarium? Tutiſſime omnium igitur facit, qui à Miſſa in totum, vt nunc fiunt, tam priuata quam publica abſtinet, quia neutra Chriſti exemplum & inſtitutum amplius refert. Sed vbi conſecrauerit alijsq; diſtribuerit, tum & ipſe ab alio accipiat. Sic enim & aliorum Sacramentorum nullus ſibiipſi aliquod dare debet, ſed ab alijs accipere & alijs dare. Sunt hæc obſcura & dubia? An determinationem almæ Facultatis Pariſienſis hic expectabimus? quæ ructuet & dicat: Hæc Propoſitio eſt contra almas Facultates, & contumelioſa Magiſtris noſtralibus? At verba Euangelij ſtant clara & ſolida: *Fregit & dedit diſcipulis, Hoc facite.* Non dicit: Et ſeruauit & ſumſit ſibiipſi, Hoc facite. Vides ergo, ſi vſus inſtituti dominici permanſiſſet, nunquam ſacrificium ex Euchariſtia factum fuiſſet. Sicut nemo hoc ſacrificium vocat, quod miniſter Eccleſiæ infirmis & petentibus Euchariſtiam miniſtrat. At vbi cœptum eſt, frangere & diſtribuere, mutari in id quod eſt, ſibi ſoli ſeruare & ſumere, deinde miniſtrum, ſacerdotem cenſeri, ibi inuentum eſt ſacrificium, ſcilicet vt haberet quod ageret ille ſacer ſacerdos, ne otioſus ſtaret coram altari. Quod ſi omnino ſibiipſi ſumere extra exemplum Chriſti volet, ſaltem hoc curet, ne ſolus ſumat, ſed frangat ſimul & det alijs, ne nihil exempli ſequi, ſed omnia contra exemplum Chriſti agere inueniatur. Fidelia ſunt verba & ſatis tutam facere conſcientiam potentia, ſi credas & ſequaris, contempto totius mundi vſu contrario.

QVARTO.

Accipite. Qui ſacrificat, dat Deo, in Miſſa non accipimus à Deo.

ET dixit: Accipite, Scilicet, non ſolum exemplo & facto oſtendit, non ſacrificiũ Deo exhibitum, ſed donum hominibus datũ Euchariſtiam

Digitized by Google

ſtiam eſſe,ſed & verbo confirmat,iubens vt accipiant.Cur non ſic ait: Offerte vel ſacrificate? An Papiſtas iterum ignorantia Grammaticæ impedit,ne ſciant, quid ſignificet accipere?Neq; enim accipere hic ſonat, vt tollant manibus, ceu alienum bonum alteri exhibituri ſeu oblaturi,ſed vt ſibipſis vendicent, & in ſuum commodum vertant,tanquam donum ac iam rem propriam.Poſſeſſores enim facit doni,cum dicit:Accipite nempe illud quod dedit & fregit. Nihil ergo offerri Deo permittit hoc verbum accipiendi,ſed probat à Deo venire hominibus accipientibus donum.Quid poteſt contra tam clara verba opponi? Adhuc Sodomæ illæ & Gomorræ nos accuſant, quod nobis ſolis arrogemus intelligentiam Scripturæ? Surgant,reſiſtant,dent aliam,& configant oculos tam aperti Euangelij, Non enim ſufficit dicere: Hæc Propoſitio eſt ſcandaloſa,Scimus & volumus Chriſtum eſſe ſcandalum Iudæis, & ſignum contradictionis Iſraeli, & lapidem offenſionis Synagogæ Satanæ, & abominationem lupanaribus papiſticis.

1.Cor.2.

QVINTO.

Commedite & bibite.Hoc eſt vniuerſum opus, quod in Euchariſtia facere iubemur.Ideo enim frangit,dat,iubet accipere,vt comedamus & bibamus,& poſt hæc memoriam eius prædicemus.Sic & Apoſtolus,nullū aliud opus in Euchariſtia nouit niſi comedere &bibere,dum verba Chriſti repetit dicens: *Quotieſcunq; ergo manducabitis panem hunc & calicem bibetis,mortem Domini annunciabitis,donec veniat.* Nihil hic offerre,nihil operari,ſed accipere tantum,comedere & bibere mandatur.Neq; enim,quod comedimus & bibimus,offerre poſſumus,cum potius auferamus & nobis demus,& intra nos recipiamus.Et non pudet,aduerſus tam euidentia & certa verba ſacrificium facere,& offerre Deo, quod comedimus & bibimus. Natura enim ſacrificij eſt,præſertim perfectiſſimi,quod holocauſtum vocant, totum Deo offerri,nihil ex eo hominibus relinqui. Si autem victima, aut pro peccato fuerit,ſaltem aliquam partem Deo relinqui totam.Cur ergo nos panem & vinum totum comedimus & bibimus, nihil relinquentes Deo? Cur non totum ei relinquimus,cum velimus hoc perfectiſſimum eſſe ſacrificium?

Comedite & bibite.

1.Cor. 11.

Natura ſacrificij.

Vbi hic ſubſiſtit ratio ſacrificij? Neq; enim garrire ſufficit, Chriſtum offerri à nobis ſub pane & vino.Nam & ipſum ſumimus ſub pane & vino,at nihil ſumi à nobis debet de ſacrificio & holocauſto Domini.Pugnant offerri Deo,& ſumi à nobis.Accipiebant Leuitæ olim à populo Iſrael oblata eorum, ſed nihil eorum ſumebant,quæ offerenda erant Deo.Sic & dum corpora noſtra & laudes ſacrificamus,nihil nobis,ſed omnia ſoli Deo exhibemus,vt ſtet ratio ſacrificij,etiam ſpiritualis. Prorſus inauditum igitur monſtrum eſt,ſacrificium iſtud papiſticum,vtut fere ipſe Papa cum ſuo corpore toto non ſit æque monſtroſus.Totum nos voramus,& totum Deo offerimus,hoc eſt tantum dicere,neq; voramus,ſi offerimus,neq; offerimus ſi voramus Et ita dum vtrunq; facimus,neutrum facimus. Quis audiuit vnquam talia? omnia ſibi pugnantiſſime contradicunt & inuicem ſeſe conſumunt, aut neceſſario & infallibiliter concludunt, Euchariſtiam ſacrificium eſſe non poſſe. Diluant hæc,rogo,Louanienſes & Pariſienſes

Sacrificium papiſticum.

SEXTO.

Hoc eſt corpus meum,Hic eſt calix ſanguinis mei,Hic pignus & ſignum promiſſionis apponit.Ita n. habet conſilium diuinæ bonitatis ſuas promiſſiones aliquo pignore ceu ſigillo ſignare & munire.Sic Abrahæ impoſuit Circūciſionē,pro ſignaculo pacti & promiſſionis de ſemine ſuo donatæ.

Hoc eſt corpus meum &c.

Abraham.
Noe.

donatæ. Et Noe cum promitteret ſe fore Deum ſemini ſuo, nec vltra terram diſſipaturum, appoſuit pro ſigno memorabili arcum in nubibus. Sic deinceps fere omnes promiſſiones aliquo ſigno firmauit, adeo vt hoc more Eſaias iuberet Achaz regem Iuda, vt peteret ſignum à Domino promittente liberationem populi de manu regis Syriæ & Samariæ. Apud homines quoq; pacta, promiſſa & fœdera non ſolum verbis aut literis, ſed additis aliquibus pignoribus aut teſtibus firmantur. Si verbis promittunt, ſtipulantur manibus, ſi literis, appendunt ſigilla, in robur pacti & promiſſi. Ita vt hæc promiſſio diuina nobis omnium eſſet certiſſima, fidemq; noſtram tutiſſimam redderet, appoſuit pignus & ſigillum omnium fideliſſimum & precioſiſſimum, ſcilicet ipſummet precium promiſſionis, corpus & ſanguinem proprium ſub pane & vino, quo nobis emeruit promiſſionis diuitias donari, quod & impendit, vt promiſſionem acciperemus. *Eſaia. 7.*

Promiſſionibus addit Deus ſigna.

Quomodo ergo ſacrificium & opus noſtrum facere poſſumus ex pignore & ſigillo Dei, nobis donato & promiſſioni ſuæ appenſo? Quis inter homines ſigillum & pignus promittentis offert ipſi promittenti, ac non potius accipit à promittente, & ſibi ſeruat, hoc ipſo tenens ſibi obſtrictum promiſſorem, certiſſima fiducia expectans eius veritatem & impletionem. Ita & nos diuinam maieſtatem hoc inæſtimabili pignore nobis donato tenemus obſtrictam, de cætero cum ſumma certitudine & dulciſſima pacatiſſimaq; fiducia expectantes, vt impleat, quod promiſit, & cuius promiſſionis tam precioſum ſibiq; chariſſimum pignus dedit. Et tu impia turba Papæ nos offerre & à nobis abijcere doces hæc incomparabilia dona & gaudia?

Et quis non ſumma indignatione diſcrutietur ſuper hos cruentiſſimos animicidas, qui nobis hanc Dei charitatem obſcurant, hanc certitudinem cordis labefactant, hanc ſecuritatem fiduciæ proſcribunt, & pro charitate Dei iram Dei, pro fide operá, pro certitudine trepidationem, pro ſecuritate confuſionem ſtatuunt. Dum enim ſacrificium faciunt ex Euchariſtia, nonne incertos nos faciunt? Quis enim ſciat, an placeat ſuum ſacrificium? Da vnum ex iſtis ſacrificulis, qui audeat certum ſeſe aſſerere, ſuum ſacrificium eſſe acceptum. Omnes enim in incertum currunt, & aera pugno verberant, Semper & vbiq; ſacrificantes, nunquã autem ad certitudinem peruenientes, quia amiſſa promiſſione infallibilis Dei, ſuis ſacrificijs & operibus incertiſſimis feruntur.

O quot lerem. . . pus habet Eccleſia, qui deplorent hæc.

Deum placare velle ere.

Deinde cum ſacrificant, neceſſe eſt, cogitent Deum placare. Velle autem Deum placare, eſt eum iratum & implacatum credere. Credere autem iratum, eſt expectare iram potius quam charitatem, mala potius quam bona. At Euchariſtiam ſalubriter accepturis neceſſe eſt credere, Deum ſumma charitate iamdudum placatiſſimum, vltro donare id, quo nihil habet charius, Ita vt nihil æque pugnet aduerſus Euchariſtiæ fructum, atq; hæc ſacrilega opinio Papiſtarum, & nocentiſſima conſcientia, Deum eſſe iratum & hoc ſacrificio placandum, qui niſi ſumme eſſet placatus & amantiſſimus, tantas ſuas opes nec exhiberet nec effunderet.

Vides ergo vt ſacrificces iſti, verius carnifices ſuo ſacrificio nos docent incurrere horrenda pericula, & omnia bona in mala, viuifica in mortifera, ſalutifera in damnabilia, certa in incerta, fidem in dubium, ſecuritatem in pauorem, Breuiter, ipſam diuinam charitatem in iram, & amorem in odium, Patrem in hoſtem, cœlum in infernum, & ſumma in infima vertere, omnia miſcere, confundere & perturbare. Non autem ſic incertus es, nec iram cogitas, ſi Euchariſtiam ſolum promiſſionem, non ſacrificium eſſe cognoſcis, Certus enim es, Deum mentiri non poſſe in ſuis promiſſionibus, ſed ſicut placatũ & amantem ſeſe promittit & exhibet, ita eum abſq; dubio habes, ſi ſaltem promittenti credis, Deinde cum illũ non niſi bona ſua promittere ibi intelligis,

gis,

gis, mox exonerata & læta conſcientia intelligis, nihil à te exigi bonorum, quæ tu offeras, ſed tantum inuitari & blandiſſime allici, vt bona accipias quæ ille tibi proponit. At vbi ſacrificare volueris, neceſſe eſt tecum afferas conſcientiam oneratiſſimam, quæ cogitet, non niſi infinita exigi, quæ offeras, prorſus præ anguſtia nihil videns bonorum, quæ accipere debeas. Ita fit, vt vbi ſumma dulcedo cordis erga Deum regnare debet, ibi tyranniſet ſumma anguſtia & tribulatio, Hoc ſcilicet voluit Satan per iſtud impium & peruerſum ſacrificium.

SEPTIMO.

QVod pro vobis datur. Item, qui pro vobis effunditur in remiſſionem peccatorum. Hic ſignatur res ipſa promiſſionis, quæ eſt remiſſio peccatorum. O dulcis & potens promiſſio, ſed ſimul impatientiſſima ſacrificij. Ideo enim datur corpus & ſanguis, vt nos ſalui ſimus, remiſſis omnibus peccatis. Ecce hæc ſunt illa bona, quæ tibi exhibentur in Euchariſtia, putas hæc poſſe exhiberi ab irato & implacato Deo, ac non potius ab indulgentiſſimo, amantiſſimo, ſolicitiſſimo pro nobis Patre? Quid amplius promittere potuit, quam remiſſionem peccatorum? Quid eſt remiſſio peccatorum, niſi gratia, ſalus, hæreditas, vita, pax, gloria æterna in ipſo Deo? Et tu inſane & impie Papiſta tuo ſacrificio alium tibi finges Deum in Euchariſtia. Nonne iamdudum vides, omnes ſacrifices idolatras eſſe, & toties idolatriam perficere, quoties ſacrificant? Non enim vere Deum cogitant, ſed idolum ſui cordis formant, cogitantes & credentes, eſſe hic Deum aliquem iratum & placandum, qui plane in Euchariſtia nec eſt nec eſſe poteſt. Atqꝫ vere iratus tibi eſt & manet, ſicuti credis, quia extra Euchariſtiæ fidem es, & promiſſioni eius non credis, nihilo differens ab Ethnico & Iudæo, niſi quod maiori peccato in hæc bona peccas, dum ſacrificio tuo magis irritas & incurris in iram, cæterum infidelitate & impietate ſimilis es, tantum titulo Chriſtianus, & tantum raſura ſacerdos.

Quod pro vobis datur.

Remiſſio peccatorum.

Denique vt ſacrilegam placandi cogitationem tibi adimeret inter verba, ipſemet tibi ſignat & indicat, quo ſit placandus & placatus, dum dicit: *Quod pro vobis datur,* Qui pro vobis effunditur. Deſine, rogo, tuas perditas placationes præſumere. Vnum eſt, quo placatur (vt ita dicam) ſoliſſimum & vniciſſimum, ne ſperes vltra hoc, vllum aliud placandi aut ſacrificium aut conſilium reliquum eſſe. Maior eſt illa maieſtas, quam vt totius orbis ſanguine & omnium Angelorum meritis placari poſſit. Corpus Chriſti datur, & ſanguis eius funditur, & ſic placatur. Pro te enim datur & funditur, ſicut dicit: Pro vobis. Cur pro nobis, niſi vt placetur ira Dei, quæ imminet peccatis noſtris? Placata autem ira remittuntur peccata, Hoc eſt quod dicit, dari & effundi in remiſſionem peccatorum, Niſi enim daretur & effunderetur, ira maneret, & peccata retinerentur. Hic vides, quam nihil valeat opus ſatisfactionis aut ſacrificium placationis, ſed ſola fides dati corporis & effuſi ſanguinis pro placatione. Ne fides ipſa quidem placat, ſed apprehendit & obtinet placationem per Chriſtum factam, quanto magis tua ſtulta placatio, & ſine fide & ſine Chriſto, nihil impetrabit, niſi maiorem iram. Stat firma ſententia: *Hoc corpus datur pro vobis.* Vos nihil dare nec offerre poteſtis in platationem aut remiſſionem, ſed gratis donatur vobis, Sed non gratis donatur Chriſto hoc donum Dei in nobis, quia corpus & ſanguinem pro eo, propter nos tradit, vt diligamus, gaudeamus, grati ſimus diuinæ miſericordiæ, pro inenarrabili ſuo hoc dono, indignis nobis donato. Non ergo ſacrificandum & dandum eſt Deo in Euchariſtia ab hominibus, ſed tantum credendum & accipiendum à Deo,

Qui pro vobis effunditur.

Pro vobis.

In remiſſionem peccatorum.

Hoc corpus datur pro vobis.

Miſſa, quæ aliis communicantur. EX quibus nunc euidenter ſequitur, Euchariſtiam ſeu Miſſam prorſus nulli alteri poſſe applicari & communicari. Quid enim ad me, quod vſus vniuerſi orbis papiſtici aliter ſentit & facere præſumit? Nunquid fidem Dei illi euacuabunt? Aut ignoramus prædictum eſſe, totum orbē ſeductum iri erroribus Antichriſti, qui eſt Papa? Verba Dei non fallunt nos, nec deſerunt etiam in medio vmbræ mortis. Quæ vt vides quam nihil exigant, niſi fidem, cum ſint puriſſimæ, tenerrimæ, opulentiſſimæ promiſſiones. At fides in promiſſionem ſua cuique ſeorſim eſt, nulli potens applicari aut communicari Neque enim ego pro te credere poſſum, ſicut nec tu pro me, Ita non eſt meum, promiſſionem Dei tibi applicare vel communicare, ſed tua propria fide eam tibi applices neceſſe eſt, Stat enim ſententia: Qui non crediderit, condemnabitur.

Miſſarij ſacrifici. Proinde Cananæi iſti Miſſarij & turpiſſimi lucri ſacrifices, dum Fraternitates iactant, Miſſarumq; participia vendunt, nihil aliud faciunt, quam ſtultum Orbem dementant & illudunt, ſecumq; ad inferos trahunt, ſimul rapientes eorum ſubſtantias ſacrilegis mendaciis & ludificationibus. Et hic *Fundamentum Paparum.* reuelantur fundamenta orbis terræ ab increpatione huius ſpiritus, Apparet enim ſuper quod fundamentum Epiſcopatus, Collegia, monaſteria, templa, ſacella, altaria, & vniuerſum regnum hoc ſacerdotale Papiſticæ Eccleſiæ ſit ædificatum. Nonne omnia ſuper Miſſarum ſacrificia ſunt ædificata? hoc eſt, ſuper idolatriam peſſimam omnium, ſuper mendacia impuriſſima, ſuper abuſum Euchariſtiæ peruerſiſſimum, ſuper infidelitatem plus quam gentilem. Et hinc iſto iudicio Dei factum, vt opes horum non ſeruiant, niſi profuſiſſimæ luxuriæ, libidini, pompæ, ocio, Breuiter, ſoli abominationi Romanæ, ſicut dignum eſt, Talibus enim remunerari debuit autor huius blaſphemi ſacerdotij. Habent tamen, quo ſeſe aduerſus hæc conſolentur & ſecuros faciant, nempe, quod eis incredibile ſit, vnum Lutherum recta ſapere, ſeſe vero omnes errare, ſicut Zedechias percutiens vnicum Prophetam Domini Micheam, non putabat credendum eſſe, omnes Prophetas alios ſpiritu mendacij poſſeſſos, & vnum *Argumentum à multitudine tractum.* illum ſpiritu Domini plenum eſſe. Digniſſimum plane argumentum Papiſtis, quod à multitudine trahitur, aduerſus clariſſimum verbum Dei. Quid enim placeret mendacibus ſupra mendacia ædificatis niſi mendacium? Quid autem odio haberent dignius, quam verbum veritatis, redarguens eorum mendacia, ſiue eos?

OCTAVO.

Quid teſtamentum. NOuum Teſtamentum Ecce teſtamentum ipſemet vocat Euchariſtiam, quo quid pugnantius poteſt eſſe ſacrificio? Si Pariſien: Sodoma & Louanien: Gomorra, & vniuerſa Babylon Papæ, ſuum Ariſtotelem didiciſſent, agerem cum eis per definitionis locum, ſi quo modo poſſent tam craſſa capita aliquando videre, quid differret ſacrificium & teſtamentum. Sed quia ſola multitudine raſorum ſua ſtabiliunt, nec diuinam nec humanam autoritatem ſpectantes, dimittamus aſinos mutuo ſuis ruditibus plaude- *Teſtamentum. Promiſſio.* re, & noſtra proſequamur. Teſtamentum hoc differt à promiſſione, quod teſtamentum eſt morituri, promiſſio viuentis. Sic enim Ebræ. 9. dicit: Vbi teſtamentum eſt, ibi mors teſtatoris intercedat neceſſe eſt. Teſtamentum enim *Ebræ.9.* in mortuis confirmatum eſt, alioqui nondum valet, dum viuit qui teſtatus eſt. Cum vero Deus in Scripturis promiſſiones ſuas paſſim teſtamentum vocet, eo verbo ſignificauit ſe aliquando moriturum eſſe. Rurſus cum promiſſiones vocat, victurum ſe ſignificat, vt vno hoc verbo ſeſe futurum hominem, ſimul moriturum & ſemper victurum comprehenderet, De quo nunc *Teſtamentum.* non eſt locus dicendi. Eſt igitur teſtamentum nuncupatio morituri, qua diſponit ſuam hæreditatem certis hæredibus. De qua re cum in Galatis meis

meis dixerim, hic breuior eſſe debeo. Quatuor ergo integrant teſtamentum, *Teſtamentum quatuor rebus conſtat.*
Teſtator, Verbum vel codex nuucupationis & promiſſionis, Hæreditas, Hære-
des, quæ in hoc Teſtamento videamus. Teſtator Chriſtus eſt moriturus, Ver-
ba teſtamenti ſunt, quæ nunc verba conſecrationis vocant Hæreditas eſt remiſ-
Tit. 1. ſio peccatorum in teſtamẽto promiſſa. Hæredes ſunt omnes qui credunt, nem-
pe ſancti & electi filij Dei, Vnde Apoſtolus Tit. 1. fidem Chriſtianam vocat fi-
dem Apoſtolorum.

Tu nunc ipſe, Lector, vide impietatem ſacrificum iſtorum, *Quæ horribilia peccata committant, qui ex teſtamento ſacrificium faciunt.*
qui è teſtamento ſacrificium fecere. Deus teſtatur & largitur, At illi offerunt
& ſacrificant. Quid ergo faciunt? Primum negant Teſtamentum eſſe, & co-
gunt Deum aut mentiri aut inſanire, dum teſtamentum ipſe vocat. Aſſeruiſſe
enim ſacrificium, eſt negaſſe Teſtamẽtum, cum impoſſibile ſit, idem ſacrifici- 1.
um & teſtamentum eſſe, cum illud demus, hoc accipiamus, illud ad Deum,
hoc à Deo veniat, illud per nos, hoc ſine nobis fiat Et quid pergam differentias
dati & accepti afferre, cum & Beſtiæ & inanimata hoc ſentiant? Nec patet hic
Sophiſtis cauillandi locus, quod alio reſpectu ſit ſacrificium, alio teſtamen-
tum, tantum vnus eſt Deus, & vna tantum Eccleſia, inter quos ſolos mediat
deorſum teſtamentum, & rurſum ſacrificium. Fateor, ſacrificium eſt reſpectu
Dei Papiſtarum, at hic idolum cordis eorum eſt, reſpectu noſtri & veri Dei,
non niſi teſtamentum eſſe poteſt. Secundo & teſtatorem Chriſtum eſſe ne-
gant. Quomodo enim teſtatorem agnoſcerent, cuius teſtamentum negant? 2.
Non enim accipere ab eo quidquam, ſed tantum offerre ei volunt, qua per-
uerſitate non ſuſpiciunt eum, largum teſtatorem ſuorum bonorum, ſed inex-
plebilem exactorem alienorum ſeu noſtrorum. Tertio & hæreditatem negant, 3.
non enim quærunt gratuitam remiſſionem peccatorum, eam, quam Chriſtus
dato corpore & ſanguine fuſo nobis parauit, ſed propriam & nouam ſuo ſa-
crificio impetrare laborant, Laborare enim oportet hos Sanctos, ne miſericor-
diam Dei gratis accipiant,

Inſuper vnus eſt furor omnium, præparatorijs, orationibus, confeſſio-
nibus præuijs, ſic ſeſe mundos & ſanctos reddere, vt Euchariſtiam digni acci-
piant, ne ſit aliquid ibi, quod remitti debeat, ſed omnino ſpectabiles in mundi-
cia ſua compareant, & ſanguinem Chriſti in remiſſionem peccatorum fuſum
rideant. Quæ tamẽ peruerſitas alia naſcitur origine, Nempe, quod peccatum
nullum cognouerunt, niſi actuale propoſitum mali in voluntate, Cætera o-
mnia ſunt naturales vires & imperfectiones, aut ad ſummum ſoli reatus quæ-
dam relationes, quæ Chriſto non egent. Ita fit, vt momentanea contritione
hoc ſanctiſſimum ſacerdotium ſeſe plene purget, nec amplius opus habeat te-
ſtamento remiſſionis peccatorum. Et ſic mundi accedunt, quo non debent ac-
cedere, niſi qui remiſſionem peccatorum egent, Verum de peccati cognitione
hic non eſt locus.

Quarto, negant & hæredes, Hæredes enim diximus eſſe eos ſolos, qui 4.
credunt huic teſtamento, Ipſi vero ſacrificantes faciunt capaces & hæredes,
Eos enim adducunt, qui operibus ſuis & ſacrificio nituntur, ſcilicet tam in-
quietas, pauidas & confuſas conſcientias, vt non ſolum non credant, ſed ne
hoc quidem ſciant, an credendum ſit. Ignorant enim eſſe promiſſionem & te-
ſtamentum, quod fidem exigat, ſed ſacrificium eſſe opinantur, quod opera re-
quirat. Ita vides, papiſticum ſacerdotium, infelix hominum genus, prorſus
ægyptijs tenebris captum, nihil omnino intelligere, quid ſit Euchariſtia, quid
præſtet, & quo vſu, quo fructu ſit tractanda.

CONFVTATIO EORVM QVÆ PRO SA-crificio traduntur.

Verba conſecrationis.

ET hanc eorum ſapientiam ſuper Euchariſtia ſpirant omnes eorum Diſputationes, Sermones, Cantica & quidquid de hac re tractant.

Verba conſecrationis vocant, non verba Teſtamenti. Et hic videas ſudare heroas iſtos in ſtadio, vt probent mirabilia iſtius conſecrationis, vt panis tranſeat, vt fiat nihil, vt corpus Chriſti ſub pane eſſe poſſit, Tantum eſt Ariſtoteli mortuo & ſuæ glorioſæ philoſophiæ negotium, vt hic eius infernus videri poſſit. Cæterum vt fides & teſtamentum populo tradatur, tantum abeſt, vt aliquando cogitent, vt nihil æque hæreticum ducant, atq; ſi peſtilentiſſimis eorum nugis contemptis fidem & teſtamentum in hac re quæras. Extat hiſtoria corporis Chriſti ſic tortis deprauatiſq; Scripturis conſuta, vt videatur à ſummo Dei hoſte conflata, niſi ſint alicuius phrenetici aut arrepticij ſomnia. Ibi Melchiſedech producitur panem & vinum offerens, Producitur hœdus filiorum Iſrael immolatus, Panis ſubcinericius Eliæ, carnes Ioh, manna Patrum, Iſaac immolatus, & quid non? Hæc omnia ſunt bello iſti autori figuræ Euchariſtiæ. Mirum quod & aſinam Balaam & mulam Dauid non intexuerit, cum non minus apte potuerint figurare, quod ille aſinus & mulus prędictis hiſtorijs figuratum voluit.

Hiſtoria feſti corporis Chriſti.

Tum Pontifex in lectionibus ſurgens in medium ſeſquipedali hiatu, vt ſperes ipſum Spiritum ſanctum meras de fide & de teſtamento delicias & diuitias effuſurum, incipit prooemio Papa digno. Tum mox proripit ſeſe ad philoſophiam Ariſtotelis, egregiam illam & pulchre Chriſtianam concionem de accidentibus & ſubiecto, de tranſſubſtantiatione conſummaturus. Vbi vero Ariſtotelem finiuit, & adhuc eſuriant animæ, imo ſtercora hominum pro verbo Dei vorauerunt, largitur ſanctiſſimus in Chriſto Pater de plenitudine theſauri nubes indulgentiarum, ijs, qui has vocum & rerum Babylones audiuerunt. Et tamen audet hic bonus autor in prooemio fingere, ſibi dulces lacrymas ſtillare per oculos, dum iſta diuinæ bonitatis beneficia meditatur. Tu nunc vide, an Ariſtoteles contemnendus ſit, qui mortuus Papam tam eruditum & pium facit, vt præ pietate lacrymetur. Me miſerum, qui iſta portenta & ludibria Satanæ videre cogor, per iram Dei inæſtimabilem, pro ſerijs & ſalutaribus rebus proponi infeliciſſimis Chriſtianis, Vbi ſunt hic lacrymæ? vbi qui ſe murum opponant Deo pro Iſrael in hoc die furoris Domini?

Vetus Teſtamentum.

VT finem huius loci faciamus. Caueat Chriſtianus, præſertim ſacerdotes ne ſacrificium è teſtamento Dei faciant. Neq; n. vetus Teſtamentum, per Angelos diſpoſitum, patitur ſeſe ſacrificium dici, cum ſit verbū Legis, confirmatum quidem per ſacrificia pecudum, ſed non oblatum, Angeli enim dederunt Legem, populus accepit Legem, non obtulit Legem.

Nouum Teſtamentum.

Multo minus nouum Teſtamentum ſacrificium eſſe poteſt, per ipſum Dominum diſpoſitum, cum ſit verbum promiſſionis ſeu gratiæ, confirmatum quidem per ſacrificium Chriſti in cruce, ſed non etiam ipſum oblatum. Quam ſtultus itaq; vel impius ille eſſet, qui vetus Teſtamentum, ſcilicet Legem datam & acceptā diceret ſacrificium eſſe. Tam ſtultus atq; magis multo eſt, qui nouum Teſtamentum, ſcilicet promiſſionem datam & acceptam, dicit ſacrificium eſſe, Atq; vt vetus Teſtamentum, lex mandabatur diligentiſſime doceri, inculcari, & vbiq; memorari: Ita & hoc nouum Teſtamentū mandat Chriſtus publice doceri, & omnibus & vbiq; memorari, Eſt n. in eo ſumma tota

Hoc facite in mei commemorationem.

Euangelium quid.

Euangelij, ſicut Paulus ipſe explicat: Quotieſcunq; n. manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis. Si n. quæras, quid ſit Euangelium, recte reſpondebis, nihil aliud, quam quod verba huius Teſtamenti habent, ſcilicet, Chriſtum dediſſe corpus ſuū, & fudiſſe ſanguinē ſuum

pro no-

pro nobis in remiſſionem peccatorum. Hæc eſt prædicatio, quæ in Eccleſia vigere debet, Et impij illi nobis verba conſecrationis ex eis fecerunt, & ſic cælanda, vt nullum Chriſtianum, quantumuis ſanctum, velint ea noſſe. Et digne pro ſuo ſacerdotio, quo fidem & verbum extinguere debuerunt toto orbe, vt hoc priuatim in Miſſis ſignarent, quod publice per mundum operantur.

Imprimenda itaq; ſunt hæc verba omni Chriſtiano cordi, ceu compendium totius Euangelij, & inſtituendus ipſe, vt horum memoria aſſidue exerceat, alat & roboret fidem ſuam in Chriſtum, maxime vero tum, cum percipit Euchariſtiam. Id quod vult miniſter, dum eleuat hoſtiam & calicem, Nullo enim verbo meminit ſacrificij inter eleuandum, quod tamen oportuit quam maxime, Quanquam quid referret, ſi nihil eleuaretur? Ex hominibus enim ea eſt eleuatio, non ex inſtituto Chriſti. Poteſt tamen ſignificare, vt ſicut pignus iſtud promiſſionis eleuatur ad prouocandam fidem populi, ita & verbum promiſſionis ſeu teſtamenti eleuandum eſſe ad publicum auditum populi, vt omnes & teſtamentum audiant & pignus videant, vtroq; ad fidem excitentur & confirmentur. *Verba Teſtamenti.* *Eleuatio.*

Miror autem viros iſtos prudentes non cogitare, quod Chriſtus non in templo, ſed in cœnaculo, non ſuper altari, ſed ſuper menſa Euchariſtiam inſtituit & perfecit; cum lex Moſi tanto rigore prohibuerit, quidquam offerri extra templum ſeu locum á Deo electum. Et Apoſtoli Actor. 2. cum alias vbiq; Legem ſeruarent, tamen panem frangebant non in templo, ſed circa domos, vt Lucas ait. Quare etiam hac ratione Chriſtus pulchre præuenit, ne ſacrificium eſſe poſſit donum ſuum hoc ſalutare. Arbitror autem eos fuiſſe motos, vt ſacrificium facerent, præter verba Canonis, ex ipſa eleuatione. At quid facient de hoſtijs pro populo conſecratis? Nunquid illæ eleuantur? Et quid differt ſacerdos & populus in Euchariſtia percipienda? niſi quod ſacerdos conſecrat & miniſtrat alijs. Si ergo infirmi aut accedentes percipiendo Euchariſtiam non ſacrificant, vt nemo dubitat, Quæ dementia eſt ſacerdotis Euchariſtiam ſacrificium facere, cum in ea prorſus nihil habeat præ illis? Sed populum Deus ſeruauit in ſimplicitate manentem, eos vero, qui ſeipſos ſacerdotes fecerunt, & alijs prætulerunt, tradidit in ſenſum reprobum, vt & fidem communem populi amitterent. Hæc modo dicta volo de verbis his ſalutaribus, quæ ſpero ſatis abunde fidem factura pijs conſcientijs, vt omni poſito ſcrupulo cum fiducia ponant & ſacrificij opinionem, teneantq; teſtamenti certitudinem. Reliquum eſt, vt obiectis eorum reſpondeamus, quanquam vbi verbis diuinis certi facti ſumus, obiecta magis contemnere, quam repellere oporteat, Tamen infirmis conſcientijs ex omni parte ſeruiendum eſt, vt vndiq; firmę ſint & non nutent. *Actor. 2.*

DE CANONE.

P*Rimo obijcient Canonem (Quem vocant minorem) in quo ſacrifex dicit: Hæc dona, hæc munera, hæc ſancta ſacrificia illibata. Et infra poſt conſecrationem, Hoſtiam puram, hoſtiam ſanctam, hoſtiam immaculatam &c.* Hoc obiectum aliud nihil vult, quam quod ſolent iactare, Patres, patres, Decreta, decreta, Eccleſia, eccleſia, quoties nos à verbis Dei in verba hominum trahere conantur. Rurſum, ſi verbum Dei opponas, occluſis auribus clamant: Non intelligis ſane, Expoſitioni Patrum credendum eſt. Ita ſub nomine Patrum pulchre nobis exterminant verbum Dei. Nos quoq; hic dicimus & multo fortius clamamus, Euangelium, Euangelium, Chriſtus, Chriſtus. Cur non ſic iactemus Chriſtum, vt illi iactant Patres? Cur non Euangelium, vt illi Decreta. *Canon minor.* *Hæc dona, hæc munera.*

Quod ſi Canonem opponant, iterum eorum quoq; more clamemus,

Non intelligitis ſane Canonem,expoſitione opus eſt. Quis,rogo,hic noſtram litem componet? Si dixerint: Aperta ſunt verba Canonis, gloſa non egent, Dicemus & nos: Aperta ſunt verba Euangelij gloſa non egent. Et quidquid de ſuo & pro ſuo Canone iactabunt, Idem de noſtro & pro noſtro Euangelio multo magis iactabimus,donec ſtemus,& æquales iactando facti fuerimus. Deinde mox triumphabimus,cum negare non poſſint,Euangelio cedere debere,quidquid non eſt Euangelium. Hanc enim iactantiam Patribus & Decretis ſuis dare non audebunt,vt eis cedere debeat,quidquid Patres & Decreta non fuerit. Quare hic vicimus & dicimus: Cede Canon Euangelio, & da locum Spiritui ſancto,cum ſis verbum humanum. Et quanquam habeam, quod pro ſano ſenſu Canonis dicere poſſim, quod & alias feci,tamen nunc non dignabor eum tali honore,ſed gloriam dabo pleniſſime Euangelio, indubitata fide ei inhærendo,& iuxta Regulam Iuriſperitorum, verba obſcure loquentis interpretabor contra eum,non pro eo,dicamq; ei iuxta parabolam: Domine Canon,vos eſtis inuitati ad nuptias,& ſediſtis primo loco, Sed ecce honoratior eſt inuitatus,imo ipſe Dominus inuitator adeſt, Date ergo huic locum & ſedeatis nouiſſimo loco cum rubore,cur non in eo ſediſtis ab initio? Si habetis aliquem pium ſenſum,quem violenter emunctis literis exprimere quis poſſit,habeatis,Sed vos aperte contra Euangelium ſonatis, ideo vos damnamus & contemnimus autoritate diuina Euangelij.

Euangelium.

Regula Iuriſperitorum.

Canon Miſſæ.

Et cur Canonem vehamus tam ſublimiter,cum ſuperius monſtratum ſit, ſacrifices iſtos non vno modo circa Euchariſtiam delirare,vt nihil mirum ſit, ſi & Canon eorum alicubi deliret. Quis etiam non videat eum eſſe compoſitum ab aliquo verboſo & parum ſpirituali? Quid enim attinet verbis ita ſuperfluere? Hæc dona,hæc munera,hæc ſacrificia. Item hoſtiam puram, hoſtiam immaculatam. Et multa alia in eo iuſte poſſunt redargui, licet ab iſtis ſacerdotibus ſuis eleuatus ſit ſupra omnes articulos fidei. Nihil enim ſanctius habent hoc Canone,adeo vt & ipſum Euangelium ei collatum ſordeat corã eis. In quo tamen nihil à moribus ſuis alienum faciunt, cum aliud non ſtudeant,quam vt iactent humana, contemnant diuina, obſeruent quæ nullius precij ſunt,negligant quæ ſummi precij ſunt, Negamus itaque & damnamus Canonem in hac parte,tanquam aduerſarium Euangelij. Nec audimus,ſi clament,Eccleſiam non potuiſſe errare. Sacerdotes papiſtici non ſunt Eccleſia,& quomodo Sancti in hoc errore habuerint,ſtatim dicemus.

Gregorius.
Bernardus.
Sanctorum exempla.
S. Antonij iudicium.

SEcundo,Obijcient Sanctos, qui & hoc Canone vſi ſunt, & Miſſam pro ſacrificio habuerunt,vt Gregorium,Bernardum,Bonauenturam & alios. Hic reſpondeo, Nihil eſſe ſub cœlo periculoſius geſtis Sanctorum,teſtimonio Scripturarum non roboratis. Cum enim conſtet, Iuſtum ſepties cadere,& Sanctos varie peccare, quis nos certos faciet, hoc non eſſe peccatum,quod ſine Scripturæ teſtimonio geſſerunt? Laudo in hac parte S. Antonium,qui hoc maxime inculcauit & conſuluit, ne quis aliquid operis tentaret,quod non haberet autoritatem è Scriptura, Imo tutius eſt,hoc inter peccata Sanctorum numerare,quod ſine autoritate Scripturæ fecerunt,quam pro exemplo bono imitari. Sanctos enim non multum læſeris,ſi incertum eorum factum peccati damnaris. Agnoſcunt enim ſeſe peccatores. At vehementer offendes,ſi exemplo eorum rere ad præcipitium impuleris. Proinde Chriſtus vult nos non humanis geſtis,ſed certis & fidelibus ſuis verbis niti.

Iam & hoc conſtat è Pſalm. 4. quod Dominus mirificat Sanctos ſuos. *Pſal 4.*
Et Pſal. 68. *Mirabilis eſt in Sanctis ſuis*,ſinit eos in multis & diu tam ignorare *Pſal. 68.*
quam errare. Peccauit Moſes & Aaron,lapſus eſt Dauid & Salomon, cecidit Petrus trina negatione, & lapſus cogebat Gentes iudaiſare. Et quanto tempore, quæſo, ſinit eos in peccatis volui, antequam conuertat? Nonne

Errata Sanctorũ.

omnes

[Pſal. 129.] omnes cantant: Priuſquam humiliarer, ego deliqui? Et: Ego dixi in exceſſu [Pſal. 116.] meo; omnis homo mendax, Dauid in media tribulatione peccauit, credens [David.] [2. Reg. 16.] adulatori Siba aduerſus Miphiboſeth. Loth in ſumma tribulatione peccat [Lot.] cum filiabus ſuis. Quis vero ea uideat, de quibus ipſimet dicunt: Delicta quis [Pſal. 19.] intelligit? ab occultis meis munda me Domine. Minima portio peccatorum cognoſcitur, etiam ab ipſis Sanctis.

Sed vt in his peccatis & erroribus ſeruentur Sancti & pereant impij, [Sancti ſeruantur in peccatis &c.] duplex eſt cauſa. Prior, quod Sancti habent fidem Chriſti, qua abſorpti, & ſi multa faciant ignorantes, quæ impijs eſſent ad mortem, ſemper reſurgunt & ſeruantur, imo nunquam cadunt in malum. Incredibile eſt ijs, qui experti non ſunt, quanta ſit virtus fidei, maxime in peccatis. Hac fide cum careant impij, etiamſi optima Sanctorum opera imitentur, peccant. Poſterior, Quod ſancti hac vita eruditi, prorſus in ſola miſericordia nituntur, nulla ſua opera æſtimantes, quin omnia inutilia & peccata eſſe ex animo confitentur, perpetua humilitate. At hæc confeſſio & humilitas non ſinit, vt pereant in ſuis peccatis & ignorantijs & erroribus, cum Deus humiles derelinquere, & confitentibus non parcere non poſſit. Talis fuit Bernardus, de tota vita ſua dicens in agone: [Bernh.] *Tempus meum perdidi, quia perditè vixi.* Talis Auguſtinus. *Væ hominum vitæ* [Auguſtin.] *quantumcunque laudabili, ſi remota miſericordia iudicetur.* An non videmus in Auguſtino, quomodo retractet multos errores, in quibus vtique perditio erat, niſi fide ſeruatus fuiſſet: Impij enim ſunt pleriq; eius errores, ſed confeſſio & [Auguſtini exemplum.] timor Dei fecit eos ignoſcibiles & innoxios ſibi, quos tamen ſi quis pro exemplo & lege ſequatur, nonne in perniciem ſuam ſequetur? Sicut & contingit multis, qui Patrum dicta ceu infallibilia oracula ſine iudicio ſequuntur.

Ex quibus clarum eſt, Sanctos errare aliquando etiam impietate & ve- [Sanctorum errata &c.] ritate fidei, quod eſt, eos nondum eſſe perfectos, & tamen ob cœptam & creſcentem fidem non perire. Perire autem eos, qui errorem hunc pro veritate arripiunt, & in exemplum trahunt, Vt prorſus nihil iuuet neq; excuſet, Sanctorum geſta fuiſſe imitatum quempiam ſine autoritate Scripturæ agentium. Si enim Sancti non errarent, in fide, pietate, & ſcientia veritatis, cur Apoſtolus Petrus doceret, *Creſcere in fide & cognitione Chriſti?* Et Paulus, creſcere in Chriſtum, ne ſicut pueri circumferamur omni vento doctrinæ. At quod fidei deeſt, error & impietatis reliquum eſt, ſecundum quod Sanctos aliquando agere, puta huius vitæ miſeria & neceſſitas cogit. Sunt ergo eo modo facta Sanctorum, ſibi ipſis innoxia propter fidem, Sed impijs, qui ſacrificijs & operibus fidunt, pernicioſiſſima exempla, quia nolunt diſcere fidem, ſed tantum opera in Sanctis, Cum Apoſtolus, Ebre. 13. mandet, vt conuerſationem Sanctorum intueamur, ſed ſic, vt imitemur eorum fidem. Noſtri autem Papiſtæ dicunt, S. Bernardus ſic fecit, ergo ſic eſt faciendum. S. Auguſtinus ſic fecit, ergo ſic eſt faciendum, Animalia ſcilicet immunda, nec ruminantia, nec vngulam diuidentia, ſolum in opera intenti irruunt cum tota ſecuritate.

Ita & hic in ſacrificio Miſſæ illis contigit, & adhuc abſq; dubio bonis & electis viris contingit, vt ſimplici cordis fide celebrent, arbitrantes pio errore ſacrificium eſſe. Verum quia non in ſacrificium hoc confidunt, imo pro inutili & peccati opere habent, quod ipſi faciunt, pura & ſola miſericordia nixi, ſeruantur ne errore pereant. Quos cum imitantur ſecuri iſti operum ſacerdotes, ſine hac fide, ſacrificium ſuum egregie tollunt, & ſecure

alijs vendunt. Vnde merentur errorem hunc ſibi non ignoſci ſed imputari, & ſic perdi exemplo erroneo Sanctorum. Corda enim & renes intuetur, iudicat & probat Deus. Ideo vnius errorem fert & ignoſcit, & eundem in alio damnat & punit, ob cordium in fide & humilitate diuerſitatem. Tales autem fuiſſe Sanctos, quales dixi, illud Bernardi mihi perſuadet, dum puſillanimem fratrem coegit celebrare, dicens: Vade frater, celebra in fide mea, qui cum ſic faceret, liberatus eſt. Vides, vt in fide vir ſanctus totus inceſſerit, quæ non poteſt permittere vt perdat, quantumlibet magnus error. Hæc ſcio Sophiſtis mire diſplicitura, quos contemno, modo pijs conſcientijs profuero, quas ipſi excarnificant.

S. Bernardi exemplum.

COgnito itaque errore, iam non licet denuo errare, & Miſſam pro ſacrificio habere. Hoc enim iam eſſet in totam fidem & contra conſcientiam peccare. Neque hic fides aut confeſſio excuſaret. Non enim poteſt dicere: Volo pie errare. Pius error eſt ignorantiæ non ſcientiæ, quales Apoſtolus tolerare iubet in infirmitate eorum, Rom. 14. Ita eos qui ignorant adhuc errorem, ſi tamen fide miſericordiæ Dei viuunt, non licet damnare aut ſpernere, donec & ipſi errorem intelligant. Hoc autem agendum eſt, vt error reueletur & non pro veritate ſtatuatur, ne multiplicentur peccata impiorum, & infirmis ſcandala in via relinquantur. De iſto errore Sanctorum, & pernicioſo exemplo eorum dicit Chriſtus Matth. 24. Dabunt ſigna & prodigia, vt in errorem ducant, ſi fieri poteſt, etiam Electos Neque enim vult Chriſtus hoc loco, Electos ſuos non eſſe erraturos. Quid enim hoc valeret ad magnitudinem exaggerati periculi, ſi nullus Electus periclitetur? Sed ſenſus eius eſt, quo in oratione Dominica dicit: Et ne nos inducas in tentationem, non vt non tentemur, ſed ne deficiat fides Petri in hac tentatione, & præualeat tentatio in finem, vt non ſit reditus è tentatione. Ita hic in errorem non inducentur Electi, non vt non errent, imo vt maxime errent vna cum impijs. Hoc enim faciet periculi magnitudo, ſed non deficient in errore, nec præualebit error in finem, quanquam vix euadant, ne præualeat. Inducent (inquit) in errorem, ſi fieri poteſt, electos, hoc eſt, inductos in errorem tenebunt, vt videantur cum eis in errore manere & perire.

Error piorum. *Rom. 14.* *Sanctorum error.* *Matth. 24.* *Ne nos inducas in tentationem.* *Inducent in errorem, ſi fieri poteſt, electos.*

Nonne hoc in Bernardo, Gregorio, Bonauentura, & multis alijs videmus, qui in multis & magnis erroribus permanſerunt cum impijs. Bernardus & Bonauentura, Franciſcus, Dominicus cum ſuis, Papam ignorantes & ſuum regnum coluerunt, credentes omnia eius bona & recta & ex Deo eſſe, quod eſt manifeſte contra Euangelium in multis locis. Denique ipſimet Euangelium in Papam interpretati ſunt multis & magnis erroribus, Nonne impium eſt, Petram Matth. 16. Papam credere? Nonne impium eſt, mare facere homines, ſupra quos Petrus & Papa ambulent, id eſt, dominentur? Nonne impium eſt, verbo paſcendi tyrannidem Papæ ſtabilire? Et tamen Sanctorum ſunt hi multi ſimiles errores, ſed ignorantium & fide ſimplici in Chriſto hærentium, vnde eis ignouit Deus. At qui cognitum errorem tuentur, & in illum ruuntur eeu in veritatem, Patres ſequuntur, ſed ad Patres non perueniunt, Quia id quod Patres tandem reliquerunt, & pro quo veniam obtinuerunt, ſequuntur ſine venia, & nunquam relicturi, ſed vt articulum fidei ſeruaturi.

Petra. *Matth. 16.* *Mare.* *Paſcere.*

TErtio, Obijciunt ſyluam illam exemplorum, in quibus multi ſpiritus etiã bonis & ſanctis viris apparuere, petentes Miſſarum ſacrificia, pro ſui redemptione. Hic mihi libere loquendum eſt. Dubium non eſt, quin totum ſit Satanæ negotium, quidquid vſpiam eſt ſpirituum apparentium, tumul-

De ſpiritibus mortuis petentibus ſacrificia Miſſarum.

tumultuantium, querulantium & quoduis quouis modo machinantium in hoc potiſſimum anhelantis, vt Euchariſtiam euacuaret & de terra aboleret, & in ludibrium ſuum verteret. Videbat enim hac vna re & verbum & fidem feliciter plantari, rigari, creſcere & roborari in vaſtitatem principatus ſui tenebroſi & mali. Ideo plane angelica ſua aſtutia vſus eſt ad abolendum hoc victorioſum myſterium. Et profecit, donec Miſſa ferme ſolis mortuis ſeruiat, *Miſſa pro viuis inſtituta.* quæ pro viuis ſolum eſt inſtituta, niſi quod ſacrificos iſtos totius orbis opibus paſcit & ſaginat. Probabo igitur, non eſſe animas mortuorum, quæ obambulant, & vel ſaluandas vel damnandas ſeſe confitentur. *Spiritus vagantes non eſſe animas &c.* Primum, quod huius rei prorſus nullum habet exemplum diuina Scriptura, ſine cuius autoritate (vt diximus) quidquid fit, ſuſpectum eſſe debet, ſiue per homines, ſiue per Angelos fiat. Verbum enim ſuum vult Deus eſſe nobis lucernam in loco iſto ſqualido, vt Petrus ait. Et Pſal. 119. Lucerna pedibus meis verbum tuum & lumen ſemitis meis. Et Chriſtus Iohan. 8. Ego ſum lux mundi. Vbi ergo eſt lucerna & lux non lucet, quis audeat ſequi & credere? Nonne in tenebris ambulat? qui ſic ambulat? ſicut dicit: Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris. Procul dubio volens, quod in tenebris ambulet, qui illum non habet præeuntem, quem ſequatur.

1. Pet. 2. Pſalm. 119. Iohan. 8.

Eſto, S. Gregorius præ cæteris in Dialogo ſcribat, Paſchaſium & alios *Paſchaſius.* mortuos apparuiſſe, ſuffragia poſtulaſſe & reſponſa dediſſe. Quis nos certos facit, Gregorium cum ſuis non fuiſſe hic falſum? Quo minus enim tutum ſit ei credere, obſtat prædicta oracula, tum illud in primis, quod Chriſtus ſeducendos Electos prædixit. Et Paulus operationes erroris vehementer intentat. Tutius itaq; fuerit, totum purgatorium negare, quam Gregorio hoc loco credere, quod hic ſit periculum erroris, illic nullum periculum, vt qui tum falli potuit, teſte Chriſto, tum ſine Scriptura loquitur & facit. Nam Deus ipſe ſua ſigna nunquam ſine verbo operatur. Primum enim loquitur, deinde addit ſigna, Et vt Marcus ait, ſermonem confirmat ſequentibus ſignis, non vtiq; præcedentibus aut ſolis venientibus. *Signa Dei non currunt verbo.* Sed & Amos. 3. dicit: Non faciet Deus rem, niſi reuelauerit ſecretum ſuum ad ſeruos ſuos Prophetas. Item Apoſtolus Ebræor. 2. dicit, Deum fuiſſe conteſtatum ſignis, prodigijs, virtutibus & diſtributionibus Spiritus ſancti, ſed præcedenti verbo ſalutis. Signa enim diuina ſunt teſtimonia & robora verbi diuini, ceu ſigilla & ſignaturæ Epiſtolarum. Scilicet vt his Scripturæ armis munitus, non dubites, ea ſigna quæ ſine verbo ſola veniunt, aut ante verbum veniunt, eſſe certiſſimas operationes Satanæ, permittente Deo, tentari fidem tuam.

Matth. 24. 2. Theſſ. 2. Marci. 16. Amos. 3. Ebrae. 2.

IAm, cum certus & ſecuriſsimus ſis, nihil credi oportere, quod Deus non exegit credi, cur non iſtos ſpiritus contemnis cum fiducia, ſiue per Sanctos, ſiue per peccatores celebratos? cum ſine peccato & periculo contemnere poſſis libertime, nec habeas timere, ne Deum offendas non credendo, qui ſolum ſuis verbis te vult credere. Contra, quid periculo te committis credendo eis, ſine cauſa & neceſſitate? vt etiam hac ratione videas eos ſpiritus Satanæ eſſe, quod liceat eis non credere. Non enim Deus talia operatur, quibus liceat non credere. Hoc enim ad leues & illuſorios ſpiritus pertinet. Dei ſeria ſunt opera, fidem exigentia, per verbum & miniſtros tibi propoſita. Neq; ipſum Chriſtum naſci, pati & reſurgere voluit ſummum operum eius, niſi præcedentibus prophetijs varijs & teſtimonijs.

QVid quod euidens eſt, Gregoriū eſſe falſum, per animā œconomi ſui? quem ob tres aureos inter chartas repertas poſt mortē eius magno, ſed inani terrore fratrū velut damnatū, cum aureis ſepeliuit anathe- *Nihil credendum, quod Deus verbo ſuo non exigit.*

mate percuſſum, & poſtea triginta dierum Miſſis de purgatorio liberauit?
Quis hic non videt ſancto viro à Satana eſſe impoſitum? pucrili plane errore,
ſed qui fide & humilitate in ipſo regnantibus damnabilis ei non fuit. Scilicet
ſpiritus nequam finxit ſe ob tres aureos paſſum ignes purgatorij, & triginta
Miſſis liberatum, vt proſperarentur ſigna & prodigia, quibus in errorem du- 2.Theſſ.2.
cerentur Electi, & efficax fieret operatio erroris in vindictam incredulorum.
Oeconomus. Quis enim credat, œconomum hunc peccaſſe in Deum, qui tres illos aure-
os forte nullo malo animo ſed mera incuria, inter chartas reliquit, quaſi non
multo plures furari potuiſſet, ſi pecuniæ ſtudio id feciſſet, aut non alio loco re-
condidiſſet, ſi peccare placuiſſet? Deinde, ſi quam maxime malo animo feciſ-
Gregorij. ſet, non tamen niſi in traditiunculam iſtam humanam peccaſſet. Gregorius
vir ſanctus, ſed non vno tantum loco, ſuperſtitioſior, arripuit occaſionem,
pro terrendis conſcientijs, & ſtabiliendis traditionibus hominum, Quibus
quam libens & promptus cooperetur Satanas, ſatis docet Paulus 2.Timoth.3, 2.Tim.3.
quod ſciat per has feliciter opera erigi, & fidem aboleri.

Seuerinus. SIc & illud de Seuerino manifeſtiſsimum eſt Satanæ commen-
tum, quod paſſim vulgatur, qui poſt mortem reſpondit intolerabiles pœ-
nas ſeſe pati, non quod in diuina mandata peccaſſet, ſed nec in humana,
niſi quod horas canonicas, exigentibus occupationibus, non ſuis ſtatis tempo-
ribus, ſed præueniens mane vno tempore & tenore abſoluerit ſimul. Pudet
Eccleſia quotidie purgatur à peccatis. tam ridiculis & puerilibus in Eccleſia ludificationibus Satanam iocari, & ta-
men tanta ſeria conſcientiarum per hæc etiam in magnis & bonis viris opera-
ri adeo, vt iactent Papiſtæ id vnicum, Eccleſiam non errare. Quaſi Chriſtus Matth.24.
mentiatur, qui Electos fallendos eſſe prædixit, qui vtiq; pars Eccleſiæ ſunt, aut
quaſi Eccleſia non ſit eccleſia, ſi aliquando erret aut peccet, cum Chriſtus eam
quotidie ab errore & peccatis purget, ſicut palmites in vite, aut quaſi error Iohan.8.
non poſſit ſtare cum fide & ſanctitate. Cæci, cæci & ſtulti. Quid igitur ille
nequam ſpiritus & fictus Seuerinus voluit? niſi vt miniſteria & opera charita-
tis à Deo præcepta conculcarentur, & opera traditionis humanæ magno con-
ſcientiarum terrore iactarentur, Siquidem Seuerinus non ſolum benefacit ho-
ras præueniendo, propter impoſita negotia, ſed etiam in totum omittere potu-
it. Quod enim negotia curauit, Dei præceptis obediuit, vbi Paulus docet, ſer- Epheſ.6. Col.3.
uos debere ex animo ſeruire Dominis carnalibus. Præceptis autem Dei cede-
re debent etiam Angeli, nedum frigida iſta hominum traditio de legendis
horis.

Imo ego magis credo peccare eos qui legunt frigidas horas, quam
qui omittunt. Hypocritæ enim ſunt, fingunt ſe orare & loqui cum Deo, cum
nihil faciant minus, videnturque tentare & illudere Deum, Atq; id Satanam
voluiſſe hac larua Seuerini, vt hoc vno mendacio infinitas tentationes, il-
luſioneſque Dei, tum laqueos & falſos pauores conſcientiarum multiplica-
ret per orbem, quod & obtinuit. Non eſt enim peccatum hodie in ſacerdo-
Neglectus horarum papatus. tio Papiſtico, quod æquari poſſit, neglectui horarum, cum reuera vix ſit ma-
ius peccatum hoc laborioſo, & tamen ſimulato cultu Dei, qui per horas iſtas
boando & murmurando peragitur, vt quale eſt ſacerdotium, tale & pecca-
tum. O nos male & infeliciter Chriſtianos, qui ſine iudicio Spiritus Legen-
das & exempla Sanctorum, apparationes ſpirituum, & doctrinas hominum
arripimus, poſthabito verbo Dei, & contempto conſilio ſpiritus, dicentis in
Paulo: *Omnia probate, quod bonum eſt tenete, Petrus dicit: Si quis loqui-*
tur quaſi ſermones Dei, ſi quis miniſtrat, quaſi ex virtute, quam admi- 1.Theſſ 2. 1.Pet.2.
niſtrat

niſtrat Deut. Nihil vult dici in Eccleſia, niſi quod certum ſit eſſe verbum Dei. Nihil fieri aut geri, niſi quod certum ſit à Deo fieri & geri. Hoc & Paulus vult

Rom 12.

dum dicit Rom. 12 *Siue prophetiam ſecundum rationem fidei*, ſcilicet, vt exigantur, omnium verba ad regulam fidei. Et 15. *Nihil eorum audet, quæ non efficit in ipſo Chriſtus.*

Nos autem poſt tergum reiectis his verbis Dei, noſtras bonas intentiones audacter ſequimur, ſecure ſtatuimus, ordinamus, credimus, mandamus, remandamus, facimus & omittimus, quidquid viſum fuerit, quæ omnia poſtea ab Eccleſia non errante & Spiritu ſancto recta, iactamus eſſe facta, & ſub nomine Eccleſiæ mundum replemus operationibus erroris & verbis mendacibus. Vtinam mihi eſſet tempus Legendas iſtas & exempla aliquando caſtigare, aut alius quiſpiam majore ſpiritu id tentaret, monſtris enim abominandis ſunt referriſſima omnia. Non ergo ignoremus amplius cogitationes Satanæ, cum ſimus Chriſtiani, & ſpiritus iſtos vagantes non credamus animas hominum, ſed ipſos dæmones eſſe, qui hoc agunt ſuis reſponſis & ſimulatis redemptionibus, vt è ſaluberrimo & viuifico teſtamento Dei ludibrium faciant, fidem perdant, & fœdam illam abominandamq; nundinationem Miſſarum, quæ orbem nunc occupat, ſtabiliant. Tenta totum animoſa hac fide ſpiritus iſtos & ſenties ſtatim eos deſiſtere ab ineptijs ſuis.

Legen... ſanctorum...

Spiritus vagantes, non animas ſed dæmones eſſe.

QVod ſi te non ſatis roborant prædicta oracula, non licere ſequi, quod ſine autoritate Scripturæ ſit, ſaltem roboret & armet te, quod

Conſulere mortuos.

Deu. 18.

Scriptura hoc genus illuſionis damnat & prohibet. Moſes enim Deut. 18 dicit: Cum intraueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, non diſces facere abominationes gentium iſtarum, non inueniatur in te, qui luſtret Filium aut Filiam per ignem, ariolus, ſomniator, augur, magus, maleficus, pythonicus, diuinus, & qui conſulat mortuos. Quia abominatio eſt Domini faciens hæc, & propter abominationes iſtas delebit eos Dominus Deus tuus ante faciem tuam. Hoc diuinum præceptum, ſicut Iudæi, ita & nos proiecimus retrorſum, cum audiamus eſſe abominationem Dei à mortuis reſponſa quærere, quaſi non ſit in nobis Deus, qui nos omnia docere poſſit aut velit, quæ ſcire nos oporteat, nec verbis eius contenti ſumus. Quid igitur mirum, ſi in errorem tradat & deſerat deſerentes præceptum ſuum?

Reſponſa quærere à mortuis.

Vides igitur ſpiritus bonos non eſſe, qui veniunt & de ſtatu mortuorum nos docent. Spiritus enim bonus obedit mandato Dei, & Deus ignorari vult, non ſciri quid poſt mortem agatur cum hominibus. Hinc Spiritus ſanctus tam rigide obſeruat hoc mandatum Dei, vt nullum prorſus exemplum de mortuis in tota Scriptura prodat, vt & mandato & exemplo negatiuo pro-

1.Reg. 28.

hibeat, ne ſpiritibus iſtis credamus. Nam quod de Samuele 1. Reg. 28. legitur, ſuſcitato per pythonicam mulierem, manifeſtum ludibrium eſt, non ſolum ex eò, quod mulier Satanæ ſpiritu plena hoc feciſſe ſcribitur, quaſi dignum ſit credere, animas iuſtorum in manu Dei & ſinu Abrahæ, eſſe ſua poteſtate Satanæ & impiorum hominum, Sed etiam, quod plane contra hoc mandatum Dei tam mulier quam Saul agebant, quærentes à mortuo veritatem, cui impoſſibile eſt, vt contraueniat ſpiritus, aut Sanctos ſuos ſinat vel contrauenire, vel contrauenientibus conſentire & cooperari.

De Samuele ſuſcitato.

Quod autem Scriptura eo loco tacet, an vere vel non vere Samuel fuerit, imo Samuelem aperte appellat, ideo fecit, quod ad opinionem Saulis verba temperat, qui Samuelē eſſe credebat, & Spiritus omnia Samuelis verba

ingenioſe imitatur & auget. Cæterum præmonitum voluit Spiritus, atq; præmunitum, præcedente mandato ſuo lectorem, quo remittit eum occulre, vt ſciret, quidquid ſecus fieret, non à bono ſpiritu, nec à filijs boni ſpiritus fieri. Hoc modo & 2. Reg. 1. induck armigerum Saul narrantem, eſſe Saul à ſe occiſum, ita veri ſimiliter, vt Dauid ei credens iuſſerit eum occidi, quod Chriſtum Domini occidiſſet, vt aſſerebat. Neq; hic Scriptura aperit, an verum dixerit, vel mentitus ſit, ſed mendacium eius Lectori cognoſcēdum relinquit ex ſuperiori loco 1. Reg. vltimo, vbi iuxta hiſtoriam Saulis mortem vere deſcripſerat, quo niſi recurras, credas hunc armigerum vera loqui, Ita remittit & in Samuelis mortui ſuſcitatione mendaci, ad mandatum verax, ſuperiori libro poſitum.

Armiger Saulis. *2. Reg. 1.* *1. Reg. 13.*

Locus Eſa. 8. de non conſulendis mortuis.

Reperit hoc mandatum Eſa. 8. dicens: Et ſi dixerint ad vos: Quærite à pythonibus & diuinis, qui ſtrident incantationibus ſuis. Nonne populus à Deo ſuo quæret, pro viuis ad mortuos? Ad legem & teſtimonium. Quod ſi non dixerint iuxta verbum hoc, non erit eis matutina lux. Hic vides populum Dei prorſus nihil debere quærere & diſcere niſi à Deo ſuo, in lege & teſtimonio eius, adeo vt ſi aliter fecerit, neganda ſit lux auroræ. Et inſigniter damnat viuos, qui mortuos conſulunt, Et dicit: Ad mortuos? quod refertur ad verbum, quæret, ebraica ſyntaxi, quæ dicit: Quæro ad Deum, quæro ad mortuos, id eſt conſulo Deum, conſulo mortuos. Itaq; pro viuis illis qui quærunt mortuos, hoc eſt, præſtantiores, quærunt à vilioribus, ſicut ſi homo quærat à ligno, Populus Dei quærat à ſe præſtantiore, nempe à Deo ſuo, non vt quiſq; ſingulatim expectet de cœlo reſpōſum, ſed in lege & teſtimonio quærat à Deo, ſeu conſulat Deum. Et Chriſtus hæc omnia confirmat Lucæ. 16. inducens Abraham cum Epulone diuite loquentem, nec conſentientem, vt Lazarum mortuum ad viuos docendos mittat, ſed remittit eos ad Scripturas, dicens: Habent Moſen & Prophetas, audiant illos, conſonans Eſaiæ, ad legem & teſtimonium. Quo ſatis monſtrauit, non eſſe ex Deo mortuos illos, qui ad viuentes veniunt, ſed nobis ſufficere debere ſcripturas.

Epulo diues, Luc. 16.

Epilogus cur non poſſit tuto credi Vmbris.

Proinde cum fiducia hos tres teſtes opponamus ſpiritibus iſtis fallacibus, Primum Moſen dicentem: *Non quæras à mortuis.* Secundum Eſaiam: *Quære à lege & teſtimonio potius quam à mortuis.* Tertium Abraham cum Chriſto: *Habent Moſen & Prophetas, audiant illos.* Nec moueamur infinita multitudine Miſſarum, vigiliarum, anniuerſariorū, præbendarum, ſacerdotiorū, altarium, templorum, ſuper has apparitiones & reſponſa ſpirituum fundata. Vides n. hic, quod ſupra mendacia Satanæ, & ſuper ſigna & prodigia Pſeudochriſtorum, quæ Chriſtus prædixit multos eſſe ſeductura, omnia nituntur, vt impleant mundū horrendis impietatibus in cœlū clamantibus, & diem iudicij magno furore prouocātibus, ſicut decet papiſticū & Antichriſti ſacerdotium. Cum ergo ex his omnibus probetur, Miſſas non niſi Satanæ operatione & cōmuni errore mundi in ſacrificia verſas eſſe, aduerſus Euangeliū & fidē & charitatē, quæ hac machina abolentur, tota fiducia abrogādæ ſunt uniuerſę nobis, qui Chriſtiani eſſe volumus, nec ſpectandū, quod pauci, pio errore, illis vtantur ſine perditione. Curandūq; vt rurſus ad formā & inſtitutionē Chriſti quā proxime accedamus ſcilicet, vt ſingulis dominicis diebus, & ijs ſolis, & vnica tantum Euchariſtia conſeceretur, ſicut modo fit in die Paſchæ. Et illic conueniant eſurientes & ſitientes, id eſt piæ & afflictæ cōſcientiæ, quæ à peccatis optēt ſanari, excluſis ijs, qui palā ſecundū carnē ambulant, tum in medio, memoria

Forma Euangelica Miſſæ.

Chriſti,

Chriſti, publico verbo fidei peragatur, in communi oretur, & gratiæ agantur, ſicut ex Epiſtolis & actibus Apoſtolorum, & Euangelijs facile eſt ordinare.

TERTIA PARS DE SACERDOTIO, legibus & ſacrificijs Papæ.

QVanquam in ſuperioribus ſatis monſtrauimus, vt abominabile & damnabile Papiſtarum ſacerdotium per Satanam introductum, vaſtauerit catholicum hoc noſtrum Chriſtianum ſacerdotium, ſicut promiſerat Papa ſummus ſacerdos huius ſacerdotij in procemio Decretalium ſuorum, promittens ſeſe translaturum ſacerdotium Chriſti in ſeipſum. Amplius tamen id cognoſcemus, ſi viderimus, vt & legem Chriſti tranſtulerit, & nouas leges, ſe & ſuo ſacerdotio digniſſimas, condiderit. Alio igitur principio ſumpto, videamus legum translationes & poſitiones, Forte & hic elucecent principia illa ſacratiſſima fidei Sodomarum & Gomorrarum Pariſienſis & Louanienſis Scholarum.

Omne ſacerdotium legibus formatur, & vnum quodque ſuis proprijs ab alterius ſacerdotij legibus diuerſis, vt bene dixerit Apoſtolus, Translato ſacerdotio neceſſe eſt vt legis translatio fiat, Cum & ſacerdotium ſine lege, & lex ſine ſacerdote eſſe non poſſit. Loquimur autem de lege, quæ inſtituit in ijs, quæ ad Deum pertinent & conſcientias regit, Ciuiles enim leges, ſubſtantiam mundi regunt. Ita quodquod ſacerdotium habet & ſacrificia & opera, & ſacerdotes in lege ſua definitos, vbi fiunt peccata & errores & iuſticiæ & bona ſecundum eam legem. Iam inter ſacerdotes habetur vnus, qui ſit ſummus & Princeps ſacerdotum. Hæc omnia etiam in gentilibus ſacerdotijs, Veſtæ, Iouis, Apollinis, Bacchi, Cereris &c. facilimum eſt videre. Simile eſt in papiſticis diocœſibus, vbi quælibet Sedes habet ſuum Epiſcopum, ſuas leges, ſuos ritus, ſua peccata, ſuas pœnas, ſuas ceremonias diuerſas ab alijs Epiſcopatibus. Et ipſe Epiſcopus eſt princeps & ſummus inter eos. Huc trahunt
Pſalm. 45. Papiſtæ illud Pſal. 45. *Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circundata varietate.* Hanc varietatem ſpiritus, quam Petrus vocat multiformem gratiam Dei, aptant laruali iſti & mundanæ varietati ab hominibus inuentæ, ſicut eſt mos & ingenium tractare Scripturas ſanctiſſimis Papæ & ſuis Papiſtis Re-
Ierem. 2. ctius autem illud Ierem. 2. aptaueris: Secundum numerum ciuitatum tuarum, erant & dij tui Iuda. Sic in toto papiſtico ſacerdotio, Papa eſt & dicitur veriſſime ſummus Pontifex, maximus pontifex & vere ſanctiſſimus, ſanctitate ſui ſacerdotij, totuſque & ſolus Apoſtolicus, apoſtolatu ſui ſacerdotij. Non enim eſt ſummus ſacerdos Dei, ſed Satanæ.

INter omnia igitur ſacerdotia duo ſunt vera & diuinitus inſti- *Duo ſacerdotia diuinitus inſtituta.*
tuta. Vnum Leuiticũ, in quo ſummus ſacerdos fuit Aaron, Lex, liber Moſi, ſacrificia, pecora, & res corporales, peccata & iuſticiæ carnales, in ſanctitate *1. Leuiticum.* veſtium, cutis, pilorum, eſcæ, potus vaſorum, locorum, dierum, perſonarum, Sed hæc omnia mortua nihil præſtabant vitæ ſuis cultoribus. Alterum ſacer- *2. Chriſtianum & ſpirituale.*
dotium Chriſtianum & ſpirituale, in quo ſummus Sacerdos eſt ſolus Chriſtus, æternus, viuus, ſanctus, vnde & totum ſacerdotium eius & quidquid in eo eſt ſanctum, viuum, æternumq́; eſt. Lex eius, fides, id eſt, viuax illa & ſpiritualis flamma, ſcripta per Spiritum ſanctum in cordibus, quæ hoc vult, facit, imo eſt, quod Moſi lex verbo mandat & exigit, De qua dicit Ierem. 31. Dabo legẽ
Ierem. 31. meam in viſceribus eorum, & in corda eorum ſuperſcribam &c. Et Paulus

2.Corint.3.Epiſtola Chriſti eſtis,miniſtrata à nobis & Scripta, non atramento,ſed ſpiritu Dei viui,non in tabulis lapideis,ſed in tabulis cordis carnalibus. 2.Cor.3.
Lex fidei. Inde legem fidei vocat Rom.4.& legem ſpiritus vitæ Rom.8. Et prædicatores fidei miniſtros ſpiritus, 2.Corinth.4.quia ad verbum Chriſti viuificum, quod prædicant, ſequitur ſpiritus, qui ſcribit igne vitali in cordibus legem Dei,vt Actor.10.in Cornelio patet,& Gal.4.Ex operibus an ex auditu fidei ſpiritum accepiſtis? Inde Euangelium vocatur verbum vitæ Ioban.6. Rom.4.8. 2 Cor.4. Actor.10. Gal.4. Iohan.6.
Lex ſpiritus vitæ.

Ita & ſacrificium eius viuum eſt,Corpus ſuum in cruce ſemel oblatum, & noſtra corpora quotidie oblata in hoſtiam ſanctam, viuentem, rationabile obſequium. Opera vero ſeu iuſticiæ,ſunt fructus ille ſpiritus,Galat.5.Fides, ſpontanea caſtitas & mititas,ſeruitus libera erga proximum. Peccata vero, incredulitas,libido,ira,hypocriſis,idolatria,falſæ religiones &c.quæ non ſunt in ſpeciem,ſed reuera ex animo bona vel mala, ſcilicet viui fructus & viua peccata. Lex itaque Chriſti proprie non eſt docere, ſed viuere, non verbum, ſed res,non ſignum,ſed plenitudo. Verbum autem Euangelij eſt huius vitæ, rei,plenitudinis,miniſterium & vehiculum ad cor noſtrum. In hoc glorioſum,beatum & iucundum ſacerdotium irruit porcus ille Satanæ Papa,& heu miſeram Eccleſiam huius temporis,translato,abolito & extincto eo, aliud proprium erigit,ex omnibus ſacerdotijs gentilibus conflatum, ceu ſentinam quandam confuſiſſimam. Rom 12. Gal.5.
Sacerdotium Papæ.

Clerici. Laici. Ac primum diſcernit,ſacerdotalem populum Chriſti in clericos & laicos.Clericos facit ſuos ſacerdotes,quorum ſe principem & ſummum conſtituit.Et hos initiari facit,raſura capitis,vnctione digitorum & veſte longa, fingens indelebilem characterem ſeſe cordibus imprimere,qui potius eſt character ille beſtiæ in Apocalypſi.Ita ſacerdotem papiſticum eſſe, non eſt Chriſtianum eſſe, ſordet enim hoc nomen viliſſimum ſanctiſſimo illi,ſed clericum,vnctum,raſum,characteriſatum & bene veſtitum eſſe.. Et hæc inſtitutio,vocatur ordinatio ſeu conſecratio, vnum de ſeptem ſacramentis,longe baptiſmo venerabilius Lex eius eſt, Ius illud canonicum ſacerrimum,in quo de cibis,potibus,veſtibus,perſonis,locis,calicibus,pallijs,corporalibus, altaribus,libris,thure,cera,vexillis,aqua benedicta,cantibus,lectionibus, vocibus, feſtis,ieiunijs,præbendis,cenſibus,litibus, Et quis ſyluam illam numeret ſanctitatis Romanæ? Religioſe & ſeuere ſtatuit, ſub pœna mortalis peccati & æternæ damnationis, Maxime vero cœlibatus ad legem eius pertinet, vt credas ipſum tartarum non eſſe tantæ confuſionis, vt eſt lex ſacerdotij huius. Peccata vero ſunt,aliquod horũ transgredi,quod grauius eſt, quam ſi omnia mandata Dei blaſphemaueris iuſticiæ ſunt & bona opera,ſtudioſe iſta coluiſſe.Hic enim obedientia Eccleſiæ eſt,virtutum regina,ſine qua cæteræ virtutes nihil ſunt.Sacrificium vero eſt Euchariſtia,& pecunia laicorum. En tibi ſacerdotium eximium, vt taceam execratiſſimam impietatem & ſummam idolatriam, quæ pium cor dolore queant conficere, Nunquid apud vllas gentes tam ſtolidum, puerile & phreneticum fuit ſacerdotium? Et tamen tranſtulit hæc abominatio glorioſum ſacerdotium Chriſti, & ſub nomine eius ſe in locum ſanctum eius erexit,O nimis vere, Domine Ieſu, pſeudochriſtos dixiſti eos,Nimis vere falſi Chriſtiani ſunt.
Ordinatio. Ius Canonicum.
Cœlibatus.

Chriſtianum ſacerdotium abolitum per ſacerdotium Papæ. Hoc igitur maledicto maledicendoque ſacerdotio transfert & euacuat Chriſtianum noſtrum ſacerdotium.Nam nemo ferme eſt, qui iam aliud ſacerdotium norit quam hoc papiſticum. Vt enim audierit vocabulũ ſacerdos mox nihil niſi taſuram,vncturam & longam veſtem cogitat. Ita & legem viuam Chriſti euacuat,Cum enim Spiritus non detur, niſi ad verbum Euangelij,Ille autem ſuum Ius canonicum ſolum doceat,impoſſibile eſt,vt ſpiritus per-
Lex Chriſti viua Ius Canonicum.

per ipſum detur. Sed nec iam quæritur aut noſcitur etiam ſpiritus, ſed ſatis eſſe putant ad ſalutem, obedientiam Eccleſiæ, etſi non incurrant indignationem Bullarum. Impoſſibile eſt igitur Euangelium ſimul cum Iure canonico regnare. Illud enim aduehit ſpiritum, hoc impedit & fugat ſpiritum, Illud liberat conſcientias, hoc illaqueat conſcientias, Illud fidem docet, hoc opera docet, & opera ſtulta, puerilia, ludiera, quibus tamen fidem extinguit. Quot putas eſſe Chriſtianos, qui audita lege Chriſti, intelligant fidem & ſpiritum habitantem in cordibus noſtris? Quot autem ſunt, qui obedientiam aliud cogitent, quam ſubeſſe Papæ, quod eſt aduerſari Deo? Iacet, iacet proh dolor, imo in cruce mortuum pendet ſacerdotium Chriſti cum lege ſua blaſphematum & damnatum per iſtos bis perfidos Iudæos. *Euangelium.*

Ita ſacrificium iam nemo audiens cogitat, Chriſti & noſtri corporis crucifixionem aut laudem Dei eſſe, ſed ſolam Miſſam & laicorum argentum. Et de ſacrificio quidem Miſſæ ſatis dictum eſt ſuperius, Pecuniam autem laicorum pene aſini & porci ſentiunt non eſſe ſacrificium Dei. Sic peccata quoque pene omnia enacuat, quia ira, libido, rapina fere nulla ſunt. Tum maiora illa incredulitatem, deſperationem, contemptum Dei, hypocriſin, odium iuſtitiæ, amorem ſui, pro iuſticijs coronat, & per obedientiam Eccleſiæ ſanctificat. Væ mihi, ſuperor rerum execratiſſimarum & abominatiſſimarum magnitudine & infinita copia. Bona opera vero iam nemo etiam cogitat eſſe, proximo ſeruire, inimico benefacere, ſed dare ad altaria, emere Miſſas, lac, & carnes non edere, & vt dixi, leges eius ſeruare. Sic vides ſacerdotium Chriſti minus poſſe cum ſacerdotio, quam vita cum morte, cœlum cum inferno, conſiſtere. Vere vere vicarius Chriſti eſt Papa, qui expulſo Chriſto, vice & loco eius regnat, & pro ſacerdotio ſpiritus non ſaltem Leuiticum, ſed puerilisſimum & laruaticum erexit.

ANTITHESIS DECALOGI Chriſti & Papæ.

PArum vero eſt abominationi huic, Chriſtum, Euangelium, fidem, vniuerſumque ſacerdotium eius aboleuiſſe, manum vltra portendit, & inuadit etiam vetus ſacerdotium, euacnans & legem Moſi, erectis in locũ eius nouis principijs fidei. Conſentiunt ei in hoc & fideliſſime cooperantur meretrices illæ procaciſſimæ & impudentiſſimæ Facultates Theologiæ, Pariſienſis, Louanienſis, Colonienſis cum ſuis Sororibus errorum matribus & fontibus. Videamus nouum illum decalogum Papiſtarum, & incipiamus à nouiſſimis & craſſioribus præceptis. Moſes dicit: Non concupiſces, vt repetit Paulus Roma. 7. Concupiſcentia ergo peccatum eſt, ſic habet Moſi principium & lex diuina. *Non concupiſces. Roma. 7.*

Contra, principium fidei Pariſienſis & Louanienſis Sodomarum cum ſuo Papa, eſt hoc: Concupiſcentia non eſt peccatum, ſed pœna & infirmitas, & cum caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, nõ eſt peccatum, Licet ergo ſecundum decalogum Papæ ſanctiſſimi ſanctiſſimum concupiſcere ſine peccato, & Moſes mentitus eſt dicens: Non concupiſces, & omnes qui cum Moſe ſenſerunt, & ille qui Moſen iuſſit loqui. Euacuato autem Moſe, ſimul Chriſtus euacuatus eſt, quippe cum gratia eius non ſit opus habentibus illam ſanctam concupiſcentiam, decalogo Papæ defenſam & libertate donatam. Sic Barrabam oportet dimitti & Chriſtum crucifigi.

Secundo

Secundo, Moſes dicit, Non dices falſum teſtimonium aduerſus proximum tuum, in quo omne mendacium contra proximum prohibetur.

Diſpenſationes Papiſticæ.

Decalogus Papæ quid ſtatuit? Omnia iuramenta, vota, promiſſa, pacta, fœdera, dirumpit de plenitudine poteſtatis, ſi quæ facta ſunt præter vel contra autoritatem Romani Pontificis, præſertim ſi vergant in Eccleſiaſticæ libertatis & perſonæ rerumq; ſpiritualium (id eſt, pecuniæ Sardanapalorum) imminutionem. Deinde etiam ſolum Pontificis ſcrinium pectoris, propriuſque motus ſufficit ad rumpenda quæcunq; promiſſa vel pacta. Quia plenitudo poteſtatis reſidet in eo. Euacuatum eſt itaq; mandatum Dei & ſecure licet mentiri, fallere, mutare proximo, modo accedat principium fidei papiſticæ, & decalogus ſanctiſſimi. Pariſienſes vero dilatant hanc partem Decalogi papiſtici, dum docent, non præceptum ſed conſilium eſſe, diligere inimicum, & benefacere malefacientibus. Si igitur inimico quidquam promiſeris, tuto poteris negare, falſum teſtimonium dicere, & non ſeruare ſine peccato, cum ſeruare fidem ſit opus dilectionis. Quod ſi Moſes exegerit præceptum ſuo decalogo, remittes eum ad Dominum Decanum Pariſienſem, qui decreuit eſſe conſilium. Et vbi noluerit acquieſcere, ſcribet contra eum iratam Epiſtolam, & damnabit eum Apoſtolorum exemplo, ſine ratione adiecta: Quia damnatio almæ Facultatis æquipollet vni articulo fidei, & eſt principium fidei.

Scrinium pectoris.

Pariſienſium furor.

Præda papiſtica.

Tertio, Moſes dicit: Non furtum facies, In quo omnis contrectatio illicita alienæ rei prohibetur. Decalogus autem Papæ dicit ſic: Imo furtum potes libere facere. Exempli gratia, Si habeas res iniuſte acquiſitas, da mihi partem, de reliquo tecum diſpenſo, vt poſſis retinere. Ecce (inquit) Bullam & ſigilla, vel illam Epiſcopi Cardinalis Moguntini, nuper Hallæ promulgatam. Vides hic Deum ipſum, cuius ſunt omnia, nolle diſpenſare in re proximi, ſed mandat reddi & non teneri, Adhuc Papa audet impudenti fronte in os Creatoris ſui dicere: Imo retineat, modo mihi & Cardinali meo partem pendat. Hoc principium fidei iterum Pariſienſes iuuant, conſilio illo dilectionis, Cum enim non ſit neceſſe diligere inimicum, poſſum eius bona furari & retinere, optima conſcientia, cum ſit opus dilectionis, non nocere aut reddere ablatum inimico. Si enim diligere non eſt præceptum, nec vllum opus dilectionis præceptum eſt. Vide magiſtrorum noſtralium ſententia, & principia fidei Chriſtianiſſima.

Quarto, Moſes dicit, Non Mœchaberis, In quo tota libido prohibetur. Vt Sanctiſſimus hoc mandatum eneruet, longum fuerit recenſere, Nuſquam enim ſic inſanit Satanas per Papam, atq; in caſtitate & libidine tractanda. Primum, etſi non prohibet verbo caſtitatem, nec ſcortari docet, cogit tamen ſcortari, Decreto ſuo intollerabili & perditiſſimo de cœlibatu totius ſui ſacerdotij, tam late patentis, cum tam rara & anguſta ſit caſtitatis gratia. Quid ergo facit aliud, dum fert legem caſtitatis ſuper eos, qui continere nec poſſunt nec debent, quam ipſo opere dicit: Ite, ſcortemini, quod & faciunt, & ipſe permittit impune? O quis queat hanc vnam rabiem Satanæ in perdendis animabus, hac lege plus quam ſacrilega ſatis cogitare? Non ergo docet libidinem, ſed duobus peioribus modis eam auget. Cogendo ad impoſſibile per prohibitionem, & permittendo peccare per indulgentiam. Ego credo, ſi ſcortari præciperet, non tantas libidines multiplicaret.

Cœlibatus papiſticus.

Præter hæc, in quibuſdam Caſibus, à ſeipſo tyrannice confictis, dirimit coniuges, alios copulat, ſed ſic, vt alter coniugum debiti petendi iure

careat,tum aliquos nec reddere poſſe,decernit,ſed pati debere,vt alter accipiar. Hoc nihil aliud eſt,quam conſcientiam adulterio illaqueare,vbi adulterium non eſt. Sic dum eos copulat,alterum vrget ad adulterium,& pro ſolatio docet,ne petat nec reddat ex animo. O furioſum furorem,ſexus copulare nudos,& mandate, ne petant aut reddant,ſed patiantur debitum. Scilicet his impoſſibilibus legibus Satan delectatur,in perditione animarum, Quid ergo iſta lex aliud docet,quam,Ite & adulteremini, ſed inuoluntarij? Satanæ in hoc præcepto defuit operculum & ſpecies,cum ſola libido ſit craſſior & manifeſtior,quam vt poſſit vlla ſpecie præcipi,ideo vertit ſe in aliam partem,& prohibendo negandoque eam,multo vulgatiorem & liberiorem fecit. Certiſſimus enim fuit,impoſſibilem eſſe tam vulgatam caſtitatem, Ideo quod præ publica turpitudine præcipere non audebat, per impoſſibilem legem præſumpſit & effecit. Quid vero Pariſienſes hic facient cum conſilio ſuo, inimici

Rom. 13. illi inimicorum? forte cum abſtinere ab vxore,filia,famula, inimici, ſit ſolius dilectionis opus,quæ ſola implet legem,teſte Paulo,licebit iuxta Principium fidei Pariſienſis,adulterari,ſcortari,libidinari,ſed non niſi cum vxore inimici.

Quinto, Moſes dicit: Non occides. Hoc vero mandatum, cum in eo charitas eximie præ cæteris emineat,Papa cum ſuis Gomorris, præcipuo ludibrio habet, vt de euacuando taceam. Primum,cum omnis ira hic prohibeatur, Papa docet bellare & ſanguinem fundere,etiam ſuos Epiſcopos & ſacerdotes. Deinde gladium & brachium ſeculare in manu ſua eſſe iactat, & quos bellare iuſſerit,cœlo ſublimiore donat. Breuiter homicidarum Epiſcopus eſt Papa,audacter docens & iubens occidere, quoties voluerit, Hic non dimittit tantum Barrabam,ſed iubet eſſe Barrabam, coronatq; gloria,vt obedientiæ filios,qui hoc mandatum Dei,ſe autore, quam audaciſſime præuaricati fuerint. Iam vero inimicos diligere,iniuriam ferre,alteram maxillam præbere,pallio tunicam addere,fonti huic iuſtitiæ,ſumma iniquitas eſt nullo modo committenda. Vim vi pellere iura permittunt,inquit ſua Decretalis ſacerdotia iſto digniſſima, Sic iram,inuidiam,& omnia mala hoc præcepto prohibita alit in hominibus,& crucem Chriſti extra mundi fines eliminat. Atque hic omitto recenſere Pontificum bella, Neapolitana, Veneta, Gallica, Germanica,deniq; vbi non bellarunt furioſæ iſtæ beſtiæ?

5. præcepto ira prohibetur.

Pontificum bella.

Pariſienſes vero Principiatores fidei hic Paulo ſunt ſubtiliores, quanquam & ipſi præcipue in hoc præceptum,id eſt,in charitatem,inſaniant. Non docent iniquitatem,ſed conſilium eſſe inimicos diligere, obedientibus benefacere,orare pro perſequentibus,benedicere maledicentibus, præbere maxil-

Matt. 5. lam alteram,dare gratis,mutuari ſine ſpe. Quæ omnia Chriſtus Matt. 5. inter præcepta numerat,aperit enim ibi os ſuum & docet,non conſulit. Et in fine dicit; Qui audit & non facit hæc,ſimilis eſt viro ædificanti ſuper harenam. Et in medio,qui iſta non faciunt,nihil eſſe meliores publicanis & peccatoribus. O audacem,ô temerariam,ô plane furioſam & blaſphemam Scholam Pariſienſem,vt impudenti & impuro ore in Chriſtum Dominum omnium, blaſphemat? Igitur iuxta principium fidei Pariſienſe, nihil minus licet facere, quam Papa fecit contra hoc præceptum,quia cum charitatis ſit,non occidere, non maledicere,poſſumus ſecure inimicum perdere,in corpore,rebus & fama. Nihil differunt Papa & Pariſienſes, niſi quod ille iubet,hi licere dicunt. Principia ergo fidei Pariſienſis in ſumma ſunt, licere facere contra ſex vltima præcepta Dei,abſq; peccato,ſi ſpectes intentum Satanæ per os eorum loquentis,

Schola Pariſienſis.

Principia fidei Parif.

Sexto,

Sexto,Moſes dicit,Honora patrem tuum & matrem tuam: præceptum quamuis paſſim vulgus licentioſiſſime transgrediatur, ſicut & omnia alia, vt eſt hodie in Eccleſia iuuentus nimis libera & miſere neglecta. Neque enim eius inſtituendæ & curandæ vlla ratio habetur,præſertim in Academijs,& vulgaribus artificijs.Ruit ipſa præceps in omnia flagitia libidinis, commeſſationis,ebrietatis,luxuriæ,vt nulla ſit ſpes etiam futuræ alicuius vnquam moderationis.Papa autem,Epiſcopi & Theologi pro hac re omnium 2.Tim.3. maxime neceſſaria ventrem ſuum curant,cum hic proprie & vnice vigilare deberent.Sed vrget Pauli prophetia dicentis: Erunt in nouiſſimis diebus parentibus inobedientes.

Tamen ſingulari modo ſoluit Papa cum ſuis Gomorris hanc legem Dei. Nam ſi nondum intelligis,Lector, non hoc deteſtor in Papa & Academijs,quod more vulgi diuina mandata opere tranſgrediuntur,& ipſa viuendi conuerſatione priuatim peccant. Non ſuper hac re mihi cum eis quæſtio & lis eſt,Ferendum enim,ſicut & vulgi,erat hoc eorum malum,cum ſit peccatum in ſolos mores,& nulla ſpecie commendatum,ipſa ſua manifeſta turpitudine coram omnibus reprehenſum,ideoq; ſpei & pœnitentiæ & reſipiſcentiæ eſt adhuc locus in iſta miſeria.Sed hoc deteſtor,hoc pugno,quod cum ſint vice paſtorum,lupos agunt, & uerbo rationeq; ipſa docendi, mandata Dei Matth.5. ſoluunt,non ſolum minima, quos Chriſtus minimos,id eſt, nullos facit in regno cœlorum,ſed ipſa maxima & prorſus vniuerſa,& ſic docent ac perdunt homines.Hic non in mores,ſed in fidem peccatur.Hoc malum ſpecie veritatis& principiorum fidei commendatur.Quod ſi receptum fuerit,nec ſpei nec pœnitentiæ vllus locus reliquus eſt,Imo ſpem faciunt,ſi errorem iſtum animæ ſequantur,pœnitentiam exigunt,ſi non ſequantur.

Hoc malum abominatæ peruerſitatis vulgus non operatur,ſed patitur à ſuis Epiſcopis,magiſtris,paſtoribus,cuius nulla prorſus eſt comparatio ad peccata operum,Ideo hic,non tacendum,nulla patientia habenda,nulla modeſtia ſeruanda eſt.

Præcepto.9.10. Sic dum concupiſcentiam negant peccatum in nono & decimo præcepto,ſimulant ſe vtrunq; præceptum docere in ſpeciem, reuera autem docent concupiſcere,& ſoluunt Dei mandata.

8. In octauo,dum mentiri & fallere docent,ſimulant tamen,hoc non eſſe fallere neq; mentiri,ſed obedire Papæ & Eccleſiæ,per hoc & Deo,voluntq; hoc credi pro veritate & principio fidei,ſiue ſeruetur opere ſiue non ſeruetur.

7. In ſeptimo,in ſpeciem docent non furandum,& iactant Dei mandatum,ſed reuera docent furandum, dum res iniuſte poſſeſſas iuſtificant.

6. In ſexto, nihil ita iactant vt caſtitatem & cœlibatum in ſpecie,ſed impoſſibili & non neceſſaria lege,tum caſibus ſuis effictis, plus libidinis occaſionaliter docent,quam vlla tentatio aut pruritus carnis vnquam potuiſſet inuehere.

5. In quinto,docent non occidendum magno boatu, vt credas eos impenſiſſime velle Dei præceptum docere. Verum dum docent, licere iraſci, bellare,vindicare,pacem rumpere,tum inimico non benefacere, non benedicere maledicentibus,non orare pro perſequentibus, non dare gratis, non mutuum dare abſque ſpe,omnibus modis hoc præceptum docent tranſgredi. Et in vniuerſum,dum docent,conſilium eſſe, diligere inimicum, totam legem Dei non ſolum ipſi tranſgrediuntur, ſed aperte & negant & contrarium docent,cum Paulus dicat:Plenitudo legis eſt dilectio. Ideo de eis dixit Rom.13.

Paulus,

1. Tim. 4. 2. Tim. 3. Matth. 24. Matth. 7.

Paulus, quod in hypocriſi loquuturi eſſent mendacium, Et iterum, Speciem pietatis habituros, cuius virtutem abnegarent. Et Chriſtus, venturos Pſeudoprophetas & Pſeudochriſtos, ſed in nomine eius, & lupos rapaces, ſed ſub veſtimentis ouium. Dicunt enim, ſe docere Dei mandata, idque volunt credi pro principiis fidei, ſed docent mandatorum omnimodam tranſgreſſionem.

De doctrina contendi.

Quare ſuper doctrina mihi cum eis bellum eſt, & eſſe debet omni Chriſtiano, non ſuper vita ſolum. Vnde quod apud eorum Ariſtotelem dicit Demodocus: Mileſij inſipientes quidem non ſunt, faciunt tamen ea, quæ faciunt inſipientes. Ita poſſumus & nos dicere: Pariſienſes & Papiſtæ, Hebionitæ, Montani, Pelagiani, Turcæ & Antichriſti non ſunt, faciunt tamen ea, quæ faciunt Hebionitæ, Montani, Pelagiani, Turcæ & Antichriſtus. Neque enim vlli vnquam hæretici fuerunt, qui poſſint Pariſienſibus & Papiſtis comparari. Nulli enim totum Euangelium, totam fidem, totum Chriſtum, totam legem Moſi negauerunt, damnauerunt, contraria docuerunt, niſi iſti Pariſienſes ſeu Papiſtę, ſed ſub ſpecie & nomine Chriſti, ideo omnium hæreticorum abominationes prædictæ, ſunt confluxuræ ceu in ſentinam quandam nouiſſimam ſub Antichriſto. Et huius ſentinæ lacunas eſſe probant iam ſeipſas almæ iſtæ Facultates Theologiæ, Pariſienſis Academiæ, & ſuæ ſorores Odollæ & Olibamæ.

Sentina omnium hæreſium ſecta papiſtica.

VIdeamus itaq;, vt & in hoc quarto præcepto libidinetur Papa cum ſuis. Species eius eſt, dum dicit, Parentibus eſſe obediendum, ſed res eius eſt, Parentibus non eſſe obediendum, dum obedientiam Papæ & Romanæ Eccleſiæ aduerſari & extolli facit, non ſolum ſuper parentum, ſed & ſuper regnum & principum, imo ſuper Dei obedientiam. Quam ſecure, quam impudenter docet, quantas aureolas in cœlo promittit, ſi quis autoritate Romani Pontificis, etiam parentes occiderit, vt obedientiam & reuerentiam taceam. Nonne Imperatoris Henrici IV. filium hoc principio fidei docuit & armauit in Patrem? donec & imperio & vita Patrem filius ſpoliaret, ignominioſiſſime obediens ille filius Romanæ Eccleſiæ & ſanctiſſimo Vicario Dei. Quoties autem populos docuit à ſuis Regibus deſciſcere, rebellare, & nihil minus facere quam obedire?

Imperator Henricus IV.

Receptum itaque eſt hoc principium fidei, Pariſienſibus principiis quam ſimillimum, vt is ſummo merito pius ſit, qui parentibus ſuis inobediens & aduerſatus fuerit, autoritate Romani Pontificis. Quia (inquit) ſpiritualis pater & mater maior eſt quam carnalis, cum maledictus ille & abominandus in hoc ſpiritualis eſſe pater deberet, vt doceret filios obedire parentibus, & noſſe mandata Dei. Niſi vbi parentes aduerſus Deum aliquid mandarent. Nunc autem ſoli ſuæ libidini & abominandæ voluntati cedere docet obedientiam parentum. Hæc portenta audiunt lupanaria illa Scholarum, & ſedent ſicut ſcorta proſtitutiſſimæ libidinis, & ſui Lenonis verba cum deuota obedientia & reuerentia amplectuntur & ſequuntur, ſicut obedientes filij Eccleſiæ, ſinuntque illum fulmine illo ſuo picto & ludicro, quoties liber, rumpere obedientiam parentum, regum, principum, pacta, fœdera, & omnia tam diuina quam humana, cui oportuit vnumquemque noſtrum mille ceruices obiectare, ſi haberet, dum videmus miſerum vulgum illius futiliſſimis Bullis territum, nihil non facere & omittere, quod ille execrandus per Satanam cogitare poteſt.

Impia conniuentia ſcholarum.

HVc pertinet, quod laqueo animabus poſito, prohibet clandeſtina matrimonia, & tamē contracta cōfirmat, inuitis parētibus. Ita filios & filias

Clandeſtina matrimonia à Papa prohibita.

filias parentibus rebellare, & contra eorum voluntatem, matrimonium ſeruare docens. Qui ſi dimitteret ius parentum intactum, & obedire doceret filios parentibus, nihil opus foret ſua ſtulta & ſtolida lege de clandeſtinis matrimonijs. Quin autoritate parentum, iamdudum nulla eſſent, nunquam etiam fuiſſent clandeſtina matrimonia, ſcientibus filijs, nō paſſuros parentes, eorum occulta ſponſalia Et tamen hanc inobedientiam veſtit, non ſolum ſpecie prædicta Romani Pontificis obedientia, ſed quod matrimonium ſacramentum & liberum eſſe vult, quod ipſe tamen infinitis laqueis vexatum, tenet captiuiſſimum. Ita docet mandatum Dei tenendum ſpecie verborum reuera autem docet conculcandum, impijs ſuis legibus. Sciant itaq; parentes, ſibi ius eſſe, matrimonia filiorum irrita faciendi, & filij ſciant ſeſe obedire debere in his & in omnibus, quæ contra Deum nō ſunt, parentibus ſuis, & matrimonia ſua occulta nihil eſſe, niſi ea demum impetrēt humili prece à parentibus rata haberi, & execrentur Papam iſtum aduerſarium Dei cum ſuis legibus. Dic mihi, cur non fuere clandeſtina matrimonia in populo Iſrael? vnde hic titulus iuris in Eccleſia, niſi ex Satana?

Reuocare è monaſterijs filios.

IDem de filijs religionem ingredientibus iudicandum eſt, vt parentes ius habeant eos extrahendi, ſi inuitis eis fuerint ingreſſi, vel opus eis habuerint, nihil curata hypocriſi, ſi interim vouerint, raſi & vncti in ſacerdotes fuerint. Nihil eſt coram Deo, quod per parentum inobedientiam geſtum eſt. Sicut nihil eſt ſi coniunx inuito coniuge religioſus aut ſacerdos fiat. Quam enim hic nihil eſt, ſi iactet coniunx, ad cultū Dei ſeſe tranſiuiſſe, tam nihil eſt, quod Papa mentitur, dum filiorum inobedientiū religiones defendit aduerſus mandatum Dei, dicens, Cultum Dei eſſe ſuper parentum obedientiam. Non eſt cultus Dei religio, ſed fingitur Cultus Dei eſt, obedire mandatis eius, alioqui omnes monachos fieri oportebit, cum cultus Dei communiter & idem ſit omnibus præceptus hominibus. Non enim eſt diſtinctio vlla in vero cultu Dei, ſed in hypocritico illo ex hominibus introducto, qui vt mandato Dei, id eſt, vero cultui cedere teneatur, quis eſt tam Louanienſis aut Pariſienſis Theologiſta, vt non videat?

Cultus Dei verus.

HÆc de ſecunda tabula, venimus nunc ad primam tabulam & tria prima mandata, Vbi neſcio, an tacendum vel loquendum ſit, adeo non poſſum conſequi verbis monſtra & abominationes Papiſtarum in his præceptis. locum dixeris ea, quæ in præcedentibus horrendis horroribus vidimus, quibus tantum in legem Dei inſaniunt. In illis vero non tantum legem damnant, ſed omnia quæ in gratiam, fidem, Euangelium, Chriſtum, dici & fieri (excepta ſpecie) poſſunt, dicunt & faciunt Quid enim amplius facerent, dum non modo contraria docent, ſed & damnant, exurunt, maledicunt, blaſphemant, perſequuntur mandata Dei, vt ſummam omnium hæreſim, blaſphemiam & abominationem? ſed ſub nomine Chriſti pro gloria Dei, zelo fidei & amore pietatis, quam Paulus μόρφωσιν pietatis vocat. Atq; vt inde ordiamur, Principium fidei illorum capitale eſt huiuſmodi.

Cæcitas & impietas Papiſtarum.

Principium fidei præcipuum Sorbonæ &c.

Hominem poſſe ex naturalibus viribus, faciendo quod eſt in ſe, implere omnia mandata Dei.

Ex quo capite, quæ membra pendeant, vide. Primum, quod gratia Dei hominibus non eſt neceſſaria, ex parte facientis, neq; ex parte faciendorum, Quod etiam rotundis verbis impudenter habent eorum Libri. Sed ex parte

Digitized by Google

exactoris Dei,vt qui mandata ſua impleri non eſt contentus,niſi in gratia impleantur,Ex quo vlterius ſequitur,cœlum eſſe clauſum & infernum paratum homini,ſumma iniquitate Dei,nempe,non propter peccata hominis, neque propter non impleta mandata Dei,ſed propter tyrannicam & arbitrariā exactionem Dei. Prima ergo gloria Dei,quam habet à Pariſienſibus & omnibus Papiſtis,Quod Deus iniquus eſt,iniqua damnat,inique negat regnum, nulla hominis culpa,ſed ſola ſua proteruia,non neceſſaria voluntate. *Hoſtes gratia qualia doceant.* Sic eos ex animo ſentire arguunt prædicta dogmata,quantumlibet ſimulent amorem Dei. Non poteſt cor tuum non odiſſe eum,ex animo,quem credis ſuperflua & non neceſſaria,tum impoſſibilia,à te,nulla cauſa,niſi mera propria libidine,exigere,ſicut illi de Deo credunt & docent.

Sic baptiſamur,non quod neceſſe ſit,pro vincendis peccatis,cum naturalia ſint integra,quæ poſſunt peccata vincere , & mandata Dei implere , Sed quia crudelis libido Dei hominum vexandorum nulla neceſſitate id exigit. Ita Chriſtum cogimur crucifixum credere , non quod nobis eo fuerit opus, ſed libidini diuinæ tyrannicæ,ſic oportet ſatisfieri. Breuiter , quidquid Chriſtus eſt, & in Chriſto nobis donatum eſt,ſuperfluum & non neceſſarium eſt, ſi nos & naturalia noſtra ſpectes,Sed neceſſarium ſolum, ſi Dei exactionem ſpectes.Poteſtis hæc negare,vos Pariſienſes,à vobis ſentiri & doceri ? Nonne libri veſtri extant,ipſaque adeo nouiſſima determinatio, in qua principium hoc fidei aſſeruiſtis? Et quomodo poteſtis negare,hæc omnia ad ipſum ſequi? Chriſtum plane non neceſſarium facitis ex parte noſtri. Ideo aperte negatis ipſum eſſe Ieſum,id eſt,Saluatorem hominum,Aſſeritis autem potius ſatisfactorem exactionis iniqui Dei.Nec liberauit nos à peccatis,quæ nulla ſunt , ſi liberum arbitrium velit facere,quod eſt in ſe,ſed ab exactione , vltra peccata & mandata,in homines ſæuiente.Ecce corpus ſacræ Theologiæ Pariſienſis & Papiſtarum ex latere vno.

E*x alio latere,aliud principium fidei. Hominem poſſe faciendo quod eſt in ſe,infallibiliter & neceſſario mereri gratiam,ſed de congruo.* Nonne ſic docetis,almæ Facultates? *Aliud fidei principium Sorbonæ & ſororum eius.* Docetis ergo per hoc,poſſe nos ſatisfacere ex nobis,etiam iniquæ Dei tyrannidi,vt miſero & ſuperfluo Chriſto non reliquus ſit ſaltem blaſphemiſſimus ille honor,quo non Saluator hominum ſeu Ieſus,ſed ſatisfactor diuini tyranni & exactoris diceretur. Iam enim nos ipſi gratiam poſſumus abſq; Mediatore impetrare. *Contra meritum de congruo.* Ac ſic iam bis ſuperfluus eſt Chriſtus, iam nec neceſſarius etiam ex parte Dei exactoris. Vereor autem, ne Lector pius non credat hæc horrendis horribiliora doceri in Academijs. Quapropter te oro,Chriſtiane Frater,vera me credas loqui,teſtes inuoco, eorum Libros extantes,& conſcientias tum ipſorummet,tum omnium, qui legerunt eorum Libros.Scio,dices,rabiem iſtam ſuperare omnem captum,omniumq; fidem, ſed vt audis,ita res habet.Sequitur ergo,vt Chriſtum dupla rabie negent,vtraque immenſa, dū naturalia noſtra affirmant.Quid enim refert ſimulate confiteri eum,quem duplo hoc ſacrilegio non neceſſarium affirmas? At vides ergo Petrum Apoſtolum in nullos alios,quam in iſtas lacunas Papiſticæ ſentinæ fuiſſe locutum,vbi dixit 2.Pet.2. *Erunt in vobis Magiſtri mendaces, qui opiniones perditionis iuxta introducent,& Dominum,qui eos mercatus eſt , negantes, per quos via veritatis blaſphemabitur.* *Opiniones perditionis.* Quæ ſunt opiniones perditionis, niſi dogmata iſta perdita perditorum hominum,principia fidei Pariſienſiū & Papenſium ?

2.Pet.2.

Magiſtri mendaces.

ſium? qui Magiſtri mendaces niſi Magiſtri illi noſtrales, Quercus illæ, paſtores porcorum, imo ſpinæ, rhamni & vepres in vinea Domini? Iam Chriſtum negaſſe, Deum negaſſe eſt. Siquidem diuinum conſilium & beneplacitum (quo Chriſtum eſſe voluit) non neceſſarium ſed ſuperfluum aſſerere, quid eſt niſi Deum ipſum non neceſſarium & ſuperfluum aſſerere, atq; idem eſt, nullum Deum aſſerere? Tu nunc vide, vbi manent illa tria mandata: Vnum Deũ cole, nomen eius honora, Quietem eius ſanctifica? Iſta Theologia potius ſic dicit: Dicito Deum colendum, ſed tu ipſe eſto tibi in Deum. Dicito, Nomen eius reuerendum, ſed tu ipſe nomen tuum extolle. Dicito, Quietem eius ſanctificandam, ſed tu per teipſum operare, non illum ſinas operari.

Mandata primæ tabulæ interpretatur.

Sed nunc locus non eſt præcepta interpretari. Summa autem eſt hæc, quod cum homo ex ſeipſo ſit maſſa iræ, non poteſt niſi peccare & iram mereri de die in diem magis, donec audiat & credat Chriſtum eſſe ſaluatorem ſuum, pro ſe mortuum, vt à peccatis liberaretur, cum quo auditu intrat ſpiritus, & diffuſa charitate Deum diligat, glorificet nomen eius, & feriatus à proprijs, ſinat Deum ſolum ſua opera in ipſo operari. Sic tria mandata Dei ſumme neceſſarium requirunt Chriſtum, quem illi ſuperfluum faciunt, dum naturam à peccato liberant citra Chriſtum, & ſic loco Chriſti liberum arbitrium, loco Dei idolum cordis, loco fidei perditionis opinionem erigunt, & ſic Chriſtum cum toto nouo Teſtamento negant, & tria prima præcepta ſoluunt. Vtinã aliqua Pariſienſis quercus aut porcus eius glandiuorax ſurgat, & rationẽ ſuæ determinationis Pariſienſiſſimæ reddat, quo liceret abominationes iſtas copioſiore tractatu ſub lucem producere, & orbi oſtendere portenta iſta tartarea, in Academijs titulo Theologorum regnantia. Nunc ratio temporis & ſuſcepti argumenti latius agere non ſinit, alioqui & de diſpenſatione voti dixiſſem, in quo Papa abominabilis ſibi regnum arrogat, quod tamen agam, vbi de monachorum votis ſcripſero, pro liberanda miſera iuuentute ab immunda iſta caſtitate votorum.

COmparemus itaque hos duos Dei & Papæ decalogos, vt videamus, quam non aliter, ſub nomine legis diuinæ, legem tranſtulerit, quam ſub nomine ſacerdotij Chriſtiani ſacerdotium tranſtulerit, & pro lege Dei leges ſuas, pro ſacerdotio Chriſti ſacerdotium ſuum, id eſt, abominationem in loco ſancto ſtatuerit.

DECALOGVS.

Antitheſis legum Dei & Papæ.

DIVINVS.	PAPISTICVS.
Non habebis Deos alienos coram me,	Dicito, non habendos deos, ſed habeto deos alienos.
Non aſſumes nomen Dei tui in vanum,	Dicito, nomen Dei non aſſumendum, ſed tamen aſſume.
Sabbatum ſanctifices,	Dicito, ſabbatum ſanctificandum, ſed tu operare.
Honora parentes,	Dicito, parentes honorandos, ſed rebella & occide eos.
Non occides,	Dic, non occidendum, ſed tamen occide.
Non fornicaberis,	Dic, non fornicandum, coge tamen fornicari.

Non

Non furtum facies,	Dic, non furandum, & furare.
Non dices falſum teſtimonium,	Dic, non mentiendum, ſed mentire.
Non concupiſces vxorem proximi tui,	Dic, non concupiſcendum, ſed nega hoc eſſe peccatum.
Non concupiſces rem proximi tui,	Dic, non concupiſcendum, ſed ſcias licere concupiſcere.

Ita & ſacerdotia comparabuntur aduerſaria ſibi maxime.

SACERDOTIVM.

CHRISTIANVM.	PAPISTICVM.
Chriſtus ſummus Sacerdos,	Papa ſummus ſacerdos.
Lex eius, gratia vitæ,	Lex eius, traditio iuris canonici.
Sacrificium, corpus viuum,	Sacrificium, Euchariſtia & pecunia,
Opera bona, ſeruire proximo,	Opera bona, ceremoniæ.
Peccata, prædictorum omiſſio,	Peccata, prædictorum omiſſio.
Pœna, mors æterna,	Pœna, excommunicatio ficta.
Merces, gloria æterna,	Merces, pax & opes mundi.
Miniſtri, prædicatores Euangelij,	Miniſtri, buccæ bullarum.
Vſus, crux læta,	Vſus, mala conſcientia.

Antitheſis ſacerdotiorum Chriſti & Papæ.

Vides ex prædictis, Lector, me nihil falſi dicere, de papiſtico & ſacerdotio & legiſlatione, atque ſi hæc non ſatisfaciunt, offero me paratum adhuc pluribus conuincere eos, ex propriis eorum ſcriptis, eſſe tales, quales iam publice accuſo. Scito ergo Papam eſſe germanum illum & tota Scriptura prophetatum Antichriſtum, abominationem vltimam mundi, quem iam cœpit Chriſtus interficere ſpiritu oris ſui, deſtruetque propediem illuſtratione aduentus ſui, quem certiſſime expectamus & vocamus. *Papa Antichriſtum.* *2. Theſſa. 2.*

ET cur non recreandi ſpiritus gratia, etiam ſacra Allegoria aliqua ludamus in iſtam abominationem, comparantes Synagogã Eccleſiæ?

ALLEGORIA SYNAGOGAE.

Fuere in Synagoga, quæ inſignius celebrantur, Primo, ſanctum illud & legitimum à Deo inſtitutum ſacerdotium Aaron. Deinde ſacerdotium Bethauen, vitulorum aureorum, erectum per Hieroboam. Ad hæc ſacerdotia Excelſorum. Inſigne etiam ſacerdotium Baal per Achab inſtitutum. Vltimo omnium teterrimum, cultus idoli Moloch. Inter quæ videmus mitiſſime omnium argui ſacerdotia Excelſorum, acerrime vero ſacerdotium Baal, & idolum Moloch. Erant præterea diuerſorum idolorum variæ idolatriæ, vt Baalphogor, Aſtherte deæ Sidoniorum. Item idolorum Ammon & Moab, ſed non ita diuturnæ & vulgares. Igitur ſacerdotes veros omnes pie Chriſtianos arbitramur id eſſe in Eccleſia, quod ſacerdotes Leuitici erant in Synagoga. Sacerdotes vero collegiatos & Epiſcopos Papiſticos eſſe id, quod ſacerdotes Bethel. Antiquos vero monachos & Eremitas ſacerdotes Excelſorum, Baalitas, religioſos poſteriores & mendicantes fratres.

Sacerdotium Leuiticum. Sacerdotium aureorum vitulorum. Omnes Chriſtiani ſacerdotes. Sacerdotes Beth. El & Excelſorum.

Baalitæ. Moloch.

tres. Moloch autem, Vniuerſitates ſtudiorum, quas & Gymnaſia ephebotum & græcas glorias vocat liber Macchabæorum. Atque vt illic multitudo eorum impleuit terram, vt de tanto populo, Eliæ diebus, tantum ſeptem millia fuerint reliqua, Ita & hæc multitudo impiorum occupauit orbem, vt non plures appareant modo veri ſacerdotes, quam tunc veri Prophetæ. Arguebant autem & illi à multitudine dicentes: Populus Dei non errat, ſicut modo dicunt: Eccleſia non errat, ſeu, vt Ierem. 17. eos recitat: Non peribit lex à Sacerdote, nec conſilium à Sapiente, nec ſermo à Propheta. Siquidem & veri Leuitici ſacerdotes, & veri Prophetæ, & vere ſapientes aliqui, cum illis errabant & ſeducebantur, ſicut & Chriſtus dixit, In Eccleſia ſua vere Chriſtianos & electos eſſe ſeducendos, per multitudinem illam impiorum. *Matth. 24.*

Sacerdotium Excelſorum.

VIdeamus igitur nomina & ritus, ac primum ſacerdotium Excelſorum nitebatur exemplis Patriarcharum, qui in locis illis Deum adorauerant. Sic mulier Samaritis Ioh. 4. arguit ab exemplo Patrum, qui in monte Garizim adorauerant. Et in Amos, allegat Galgala, quod in eo loco circumciſi fuerint, & alij alia loca, Non multum abſimili ſtudio, quo etiam nunc ſolent loca erectis Sacellis honorari & viſitari, in quibus Sanctos aliquos fuiſſe conuerſatos conſtat, vt eſt S. VVolfgangi in alpibus, item S. Meynardi, S. Galli, & multorum aliorum, Non malum opus, niſi vſu tandem fieret malum, Exemplum ſuperſtitionis & operum (contra fidem, quæ communis vbique ſanctificat omnem locum & perſonam) exaltaret gloriam & opinionem.

Samaritana Iohan. 4. Galgala.

Monachi veteres & Eremitæ.

Quo ſignificati ſunt Monachi illi & Eremitæ, qui ſanctos viros externa conuerſatione imitantes, tandem fide poſthabita: in ſola ſpecie operum illorum hærent & ſeſe ſacrificant Deo, exiſtimantes ſe Deo perfectius ſeruire reliquis Chriſtianis, cum ſine fide agentes, multo ſint peiores. Atque hi ferendi ſunt, dum fidem Patrum imitantur, quales à principio S. Benedicti, Auguſtini, Antonij fuere diſcipuli.

Excelſum in Gibeon.

Sic excelſa aliqua non diſplicuerunt, vt illud in Gibeon maximum 3. Reg. 3 in quo Salomon ſacrificauit. Et illud in quo Samuel moratus Saulem vnxit, quia in fide agebant, non in ſolo externo Patrum exemplo, ſicut poſteriores facere ſolent. Atque hi omnes adhuc in præceptis Dei hypocritæ ſunt Excelſa enim iſta iuſticiæ legis diuinæ ſunt operibus ſine fide partæ. At ſacerdotium Bethel nullius boni vſus eſt, ſed ſemper aduerſus Leuiticum ſacerdotium. Ita ſacerdotium papiſticum, quia traditionibus hominum conſtat, ſemper aduerſatur, non tantum fidei & Chriſtiano ſacerdotio, ſed & legi Dei ac Leuitico ſacerdotio. Iactantia tamen penes ipſos eſt, quod ſoli ſint Eccleſia & populus Dei, quia locus eorum Bethel, id eſt, domus Dei, vocatur, quod Propheta Hoſeas mutare eſt auſus & appellare Bethauen, id eſt, domum iniquitatis ſeu doloris, hoc eſt, iuſticiæ impiæ, quæ conſcientias excarnificat, ſed non impune, nec ſine ſanguine Sicut ſi modo Papiſtis Eccleſiam iactantibus nomen id mutes, & appelles eos ſynagogam Satanæ, id quod vere appellantur, ſed non impune, Hæreticus enim es & exurendus, quia Eccleſiam, ſicut Hoſeas Bethel, blaſphemaſti. *3. Reg. 3.*

Sacerdotium Bethel

Sacerdotes Papiſtici.

Bethauen.

Hieroboam.

Huic conſonat & nomen Hieroboam, quod intelligitur autor, magiſter, maior populi, vt cuius autoritas in populo valet ad docendum. Sic enim Papa de ſeipſo dicit: Vbi eſt maioritas, ibi eſt mandandi autoritas. Et maiorem ſe omnibus, denique magiſtrum Eccleſiarum, Rabi ſcilicet populorum, hoc eſt, reuera Ieroboam facit. Vituli aurei ſunt, dogmata ſuo ſpiritu conflata, Sacerrimum illud Ius canonicum, in quo non minus veritatem pietatis

Vituli aurei.

tatis

tatis iactat inueniri,quam ille olim iactabat, Deum verum in vitulis aureis coli,Conſtat enim, dogmata per idola ſignificari, multis locis Scripturæ, quod & vitulus aureus Aaron ſatis monſtrat. Stylo enim formatum illum ſcribit Moſes,id eſt,Scripturis ſacerdotum & pontificum fiunt impia dogmata.

Aureus vitulus Aaronis.

Quod autem duos facit vitulos, vnum in Dan,ad aquilonem, alterum in Bethel,ad meridiem ponens,ſignificat idolum Papæ ſibi arrogare (ſicut ſcribit) iura vtriuſq; imperij,cœleſtis & terreni. Non ſolum enim conſcientias coram Deo regere,ſed & imperia & regna & omnes res mundi iudicare, transferre & diſponere præſumit,in aquilone temporalium,& meridie ſpiritualium rerum glorioſus. Dan enim iudicantem ſonat. Et eſt ius canonicum ea parte,vbi crepat,iudicantium thronos à ſede Apoſtolica ſententias expetere. Bethel vero,ea parte,qua in templo Dei ſedet,aduerſatus & elatus ſupra omnem Deum. Templum enim Dei conſcientiæ ſunt,in quibus Ille poſito idolo ſuo regnat.

Vitulus alter in Dan,alter in Bethel.
Dan.
Bethel.
Templum Dei.

Sunt igitur vitolorum & Bethauen cultores,omnes iſti ſacerdotes raſuræ,vncturæ & longæ tunicæ,qui in ijs iuribus ſanctiſſimi,Deo ſeruiunt die & nocte. Iſte eſt Hieroboam,de quo toties repetit Scriptura,quod peccare fecit Iſrael,quia fidem extinguit & opera exaltat,quod eſt ſummum peccatorum.

Vitulorum & Bethauen cultores.

Sacerdotium vero Baal,deuotarium,imo impietati deuotum populum, & vt Elias ad Ahab dicit,venundatum ad faciendum malum,religioſos ſcilicet,ſubſtantialibus ſuis tribus votis factos vxores ipſiuſmet Dei,Sibi enim arrogant proximum locum apud Deum,propter vota ſua. Ahab dicitur frater patris,Et hoc hominum genus non alio nomine ſe patitur nominari, quam Fratres,Patres, hoc eſt, Ahabitæ. Vxor eius Iſabella ſeu Ieſabel,cohabitaculum vel cohabitationem ſonat,quaſi ſpiritus diceret: Cænobitæ, conuentuales,cohabitantes ſunt iſti fratres,patres.

Sacerdotium Baal.
Monachi recentiores.
Ahab.
Ahabitæ.
Iſabella.

Baal vero idoli nomen,maritum proprie ſignificat, ſeu virum coniugem. Quia dogma eorum eſt,ſeſe perpetuo voto obedientiæ Deo obſtringere, Deo non iubente,ſicut vxor viro obſtringitur, In qua re differunt à priſcis Monachis & Eremitis, qui Patrum exempla libere ſequebantur. Hi uero voto ſeſe maritant Deo,vltra imo contra fidem,in perpetuum. In Samaria autem viget hic cultus,Quid eſt hoc aliud niſi in externa obſeruantia locorum,veſtium,ciborum,ſicuti videmus in eis fieri? Samaria enim obſeruantia vel cuſtodia dicitur.

Baal.
Samaria.

Lanceis vero & cultris ſeſe incidunt rito ſuo,dum ſtatutulis & articulis indies nouis ſeipſos diſcrutiant,ſemper diſcentes,& nunquam ad veritatis ſcientiam peruenientes. Nam Ahab cultu Baal, non putabat niſi vero Deo ſeſe obſequi,quod ex Hoſea patet,vbi Dominus promittit: Non vocabit me amplius Baalim,ſed Baali,id eſt,Nō vocabit me viri,ſed vir meus, ſcilicet ſimplici & vna fide,non multis operum varietatibus me colet. Ita & hi ſuis votis non vident vt ſibi ipſis non Deo ſeruiunt,cum Deo ſola fide,non autem operibus à nobis electis ſeruiri poſſit. Quicquid enim ille non mandat & à nobis ipſis eligitur,damnatum eſt per illud Deut.12. Non facies quod tibi rectum videtur. Abunde enim præcepta ſunt,quæ facere debemus,vt electicijs nihil ſit opus,quin electicia ſemper aduerſantur præceptis Dei,propter ſpeciem ſuam, ſicut Baal aduerſatur Deo vero.

Vltimum eſt idolum Moloch,quod à Malach,id eſt, regnauit, venire non eſt dubium. Et ſeruus ille Pontificis,cuius Petrus abſcidit auriculam

Moloch.
Malchus.

Cultus Moloch. Malchus vocatur, Regius ſcilicet καὶ βασιλικὸς. Huius cultum deſcribunt Moſes & Ieremias fuiſſe eiuſmodi, vt filios ei igne exurerent, arbitrati ſcilicet Deo maximū & ſummum obſequium ſeſe præſtare, quod Exemplo Abrahæ filijs proprijs non parcerent, non modo non vocati, Sicut Abraham, ſed etiam ſine fide, & cum ſumma impietate, Ideo non Deo ſed dæmonijs eos luſtraſſe filios ſuos, Pſal. 78. teſtatur. Quod enim illo vocante & mandante non fit, non ſibi ſed dæmonijs, qui hoc ſuggerunt, fit, quantumlibet nomen Dei prætexatur.

Moloch ſacrilegæ & maledictæ ſcholæ. Academias ergo hic putabo figuratas, in quibus optima & electior pars iuuentutis Chriſtianæ offertur, quaſi in holocauſtum Deo, vt ibi erudiantur & toti diuini fiant. Credit enim vulgus non eſſe locum ſub cœlo; in quo poſſit Iuuentus rectius inſtitui, adeo vt & religioſi huc conuolent. Extra enim Academias didiciſſe eſt nihil didiciſſe, in Academijs vero ſtuduiſſe, eſt omnia noſſe. Ibi diuina & humana omnia doceri putantur. Nemo enim huc Filium mittit, alia opinione, quam quod non poſſit vſquam melius mitti. Summum Deo obſequium præſtant, quod filios offerunt formandos, ad eruditionem pietatis, vtiles futuros Sacerdotes, Prædicatores, rectores, qui toti fiant peculium Dei, Deo & hominibus neceſſatij. *Moloch.* Huc pertinet nomen Moloch, quod regem vel regium ſignificat, quod hoc genus ſtudij faciat inſignitos Gradibus promotionibusq; & idoneos ad regendum cæteros. Videmus enim ex Academijs ſumi omnes, qui ad gubernacula admouentur. Et qui non eſt graduatus aut membrum Vniuerſitatis, non eſt qualificatus, ad ambonem, ad plebanum &c. (vt loquuntur) Coronetur vero primum aſinus, & ſic imperet.

Conſiderent hæc Chriſtiani adoleſcentes. Et non vident patentes, nec qui vident curant, adoleſcentes hic peſſimis moribus perdi, nullo prohibente. Iam ſcortatio, commeſſatio, & alia maniſeſta flagitia, mitius perdunt. At quod imbuuntur philoſophicis, gentilibus, humanis, Impijs & ſacrilegis opinionibus, Hic eſt ille ignis Moloch, nullis *Ignis Moloch.* lachrymis ſatis deplorabilis, eum per eum ij maxime deuorentur & pereant, qui ſunt ſtudioſiſſimi & pudiciſſimi in Academijs iuuenes. Tantus eſt furor Dei *Vallis Tophet.* ſuper iſtam vallem Tophet & Hinnam, vt ij peius pereant, qui plurima diſcunt & modeſte viuunt, quam ij qui nihil diſcunt & libidinibus corrumpuntur. Hi enim nihil diſcunt quod dediſcendum ſit, ſciunt enim ſeſe malefacere, Illi vero venenum hauriunt, quod forte nunquam euomet, tenentes pro bono quod malum eſt, imbuturi & eos, quos docendos ſuſcipiunt ſimilibus opinionibus.

Et ijs puteis abyſſi imputandum eſt, quod ſol Euangelij obſcuratus eſt fumo putei. Ex iſto enim fumo prodeunt locuſtæ iſtæ, quæ omnes cathedras occupant, omnia gubernacula adminiſtrant, Vt Academijs ab initio mundi Satanas nihil excogitarit præſentius, ad vaſtandam fidem & Euangelium toto orbe, Nec conueniebat hoc malum ſurgere, niſi in fine mundi, cum iam ira Dei grauatus mundus, peccatis præualentibus ad tartaram & damnationem ſuam appropinquaſſet. Talia enim neceſſe eſt audire populum miſerum, qualia ſui Molochitæ didicerunt in Academijs. Didicerunt autem non niſi ſummas blaſphemias Dei, vt ex decalogo papiſtico liquet, nec licet alios paſtores, quam tales vſpiam haberi.

Quid gehenna. Apud Ieremiam vocatur vallis illa Gehinnam, vnde Chriſtus ſumpſit gehennam, quod quid ſignificet, non ſatis ſcio, Ge, vallem ſonat, Hinnam, poteſt ſonare varia, quæ quia iudicare nō poſſum, omitto. Mihi à verbo Ianah venire videretur, quod ſignificat depaſcere, deglubere & attenuare, quo-

modo

modo tyranni vel vſurarij deglubunt & exugunt populum, Vt ſit Gehinnam vallis deglubentiũ eos & depaſcentium eos, qui cum populo præſint, vice paſtorum, & eos paſcere verbo vitæ deberent, peſtilentibus Vniuerſitatũ doctrinis inſenſibiliter depaſcunt, & deuorant in corpore, rebus & anima. Et tales quidẽ nobis dant Academiæ, ſynagogæ illæ perditionis. Vides ergo, vt Eccleſia Synagogæ per omnia reſpondeat hac allegoria, & quam pauci ſint, qui ab his perditionibus ſeruari poſſint, cum huc non ſolum eant optimi, pingues, & quidquid aliquid eſt in Eccleſia, ſed & Electi hic ſeducantur. O miſeros nos, qui ſub hac nouiſſima, ſub tot Baalitis, Bethelitis, & Molochitis ſpecioſiſſime fulgentibus, totum orbẽ deuorantibus, nomẽ Eccleſiæ ſolis iactantibus, ſecuri ſumus & ridemus, nec flemus die ac nocte ſanguinis lachrymas, ſuper cõtritione hac Ioſeph peſſima, & ſuper interfectione Filiæ populi noſtri crudeliſſima.

IN fine, Si hæc omnia non mouent, ſinant tamen à ſe impetrare me miſerum, quotquot ſunt ſacrifices Miſſarum, quod omni humilitate & toto corde ab eis peto, Nempe, vt ſaltem hoc concedant ſuæ propriæ ſaluti aliquod remedium, ne inuiti ſacrificent aliquando, aut intuitu cenſus & commodi ſui. Vtinam hoc ſaltem obtineam. Probet itaque ſeſe quilibet, & vbi talem ſeſe inuenerit, vt nullo modo eſſet celebraturus, niſi cogeretur vel timore amittendi ſacerdotij ſeu præbendæ, vel infamiæ & oblocutionis humanæ, vel affectu capiundæ (quam vocant) præſentiæ, vel quocunq; alio affectu, qui nõ ſit fidei rectæ. Hic, inquam, caueat, ne celebret, ſed potius tota vita abſtineat, ſi non poteſt aliter, & mandata vel verba hominum ad celebrandum cogentia prorſus conculcet pedibus. Melius eſt enim hominum mandata conculcare, in quibus non poteſt peccari, quàm incurrere in diuinæ maieſtatis tam ſalutare & viuificum myſterium. Neq; enim mundus premitur maioribus & pluribus peccatis, etiamſi peruerſitas deeſſet impij ſacrificij, quam hac indigna celebratione ſacrificum, & communione laicorum toto orbe inundantiſſima.

Craſſiores abuſus Miſſæ.

Fidei autem rectæ affectus eſt, non accedere, niſi animo quærendæ miſericordiæ & remiſſionis peccatorum, hoc eſt, eſurire & ſitire iuſticiam. Eſurientem enim & inanem animam requirit, & replet hoc regale & magnificum conuiuium. Diuites, ſaturos, faſtidientes, aut hominum gratia & pecuniæ intuitu venientes dimittit inanes, imo cum Iuda tradit Satanæ ad æternam mortem. Non quod confirmatum velim celebrandi negotium, ſed cum præualente traditionum & inolitæ conſuetudinis tyrannide, deſperata ſit catholica inſtauratio huius diuini Teſtamenti, id ſaltem efficiamus, vt fide recta incedentes, minus peccemus, ſi forte cum errantibus Electis tandem ſaluemur. Video enim quam plurimos incredibili tædio, alios autem perturbata, ſæua, atq; tandem contempttice conſcientia accedere, nihil quærentes, niſi vt opus ipſum perficiant, & debito ſeſe liberent, aut lucro potiantur, aut ruborem euadant. O horrendam hanc & miſerabilem præſumptionem.

Pius vſus Euchariſtiæ quis ſit.

ET vt ad vos VVittembergenſes meos reuertar, Vtinam apud vos ſaltem creſcat & impleatur ſcandalum hoc phariſaicum, & aliquando orbis Papiſtarum iactet & dicat: Ecce, VVittembergæ ceſſauit cultus Dei, quieſcunt voces & organa, & nemo amplius celebrat, facti ſunt omnes hæretici, Antichriſtiani & inſani. O vtinam mihi contingat audire Rapſaces iſtos rabidos & blaſphemos, qui latrent. Nonne iſte eſt Ezechias, qui abſtulit excelſa & altaria Dei, & dixit

Iudæ

Iudæ & Ieruſalem: Coram altari iſto adorabitis? Rurſum vos eſſe qui cum Iſaia ſubſannetis etiam Dominum eorum Sennacherib, loquatur Syriace ſiue Iudaicè, Miſſas quieſcere, & clamores horarũ ſilere mirabuntur Papiſtæ, At charitatẽ ſeruientẽ proximo, & hoſtiam viuentem corporis, ira, contemptu, libidinibus, luxu, extingui rident, ſicut decet Papiſtarum & ſapientiam, & pietatem.

Bethauen Vuittenbergenſis.

Habetis & vos Bethauen quandam, domum illam omnium Sanctorum, Sanctificationem Principis Friderici, quam hæreditate accepit, & per Papiſtas deceptus vehementer magnificauit & ampliauit. O quanti pauperes in iſta regione, poterãt tantis ſumptibus iuuari, quos amicos ſibi paraſſet de mammona iniquitatis, qui deficientem aliquando in æterna tabernacula reciperent, Vt hoc exemplo metuendum ſit, Principum & Heroum opes raro dignas eſſe, quæ piis cauſis ſeruiant, quòd raro & partæ ſint ſine Nimrodi exemplo. Sed hoc vno vos per gratiam Dei ſuperbire poteſtis, quòd Princeps eſt minime tyrannicus, neque ſtultus, neque præceps, neque ſæuus, tum veritatis patientiſsimus, & à temerariis iudiciis abſtinentiſsimus, non minus tamen & malis metuendus & bonis ſuſpiciendus. Quarum rerum præſidio cum ſitis oportune adiuti, tanto facilius vobis eſt perficere, quod cœpiſtis, Vocante vos per has occaſiones Deo, & manum ſuã porrigente.

Prophetia de ſepulchro Domini redimendo &c.

CElebris eſt in terris iſtis, me puero, ſæpe cantata prophetia, Eſſe redimendum Sepulchrum dominicum per Fridericum Imperatorem. Et vt mos eſt prophetiarum, quæ pro obſcuritate ante implentur, quam intelliguntur, tum longe in aliud ſpectant quam vulgo ſonant, videtur mihi & iſta, in hoc Friderico noſtro impleta. Quod enim ſepulchrũ Domini rectius intelligas, quàm diuinam Scripturam? in qua veritas Chriſti, per Papiſtas occiſa, ſepulta iacuit? cuſtodientibus militibus, id eſt, Mendicantium ordinibus & prauitatis hæreticæ inquiſitoribus, ne diſcipulorum quiſquam eam raperet. Nam ſepulchrum illud corporale, quod Saraceni tenent, non magis eſt curæ Deo, quàm boues illi eſſe curæ, Paulus dicit. Negari autem non poteſt, apud vos ſub Friderico iſto, Scripturæ viuam veritatem refloruiſſe, Quid ſi ego glorier, me vel Angelum, vel Magdalenam fuiſſe?

Sepulchrum Domini Scriptura.

At mouet forte, quòd Imperator non ſit. At quantum ſatis eſt ad implendam prophetiam, Nonne in Comitiis Electorum, cõcordibus ſuffragijs & deſignatus, & petitus eſt in Imperatorem? Eratque verè Imperator, niſi noluiſſet. Apud Deum nihil refert, quamdiu fuerit Imperator, modo fuerit aliquando. Ludere fortaſsis hic videor. At ludam ſane, quin & addam, vt etiam inſaniam, & admirabor, vnde fiat, vt in iſto abiecto angulo terrarum Deus voluerit ſuſcitare ſuum verbum,

tum

tum quòd præter Iudaicam terram nulli parti terrarum accidiſſe putem, vt oppida & pagi, quin & ciues ebraicis nominibus vocentur. Vnde enim vobis Ephrata, Hebron, Reſen, Pannec, Globoc, Zidon, Ieſſe, Damaſcus, Dibon, & multa ſimilia? Tum ipſa VVittemberga à candore montis dicta, quid eſt niſi mons Libanus? Libanus enim candidum ſonat. Sed ſatis hæc ad ludum.

Hoc ſerium eſt, Eſſe vobis donatum præ cæteris, vt puram & primitiuam Euangelij faciem videatis, nunc quoniam & ſpirituum æmulatores facti eſtis, veſtrum eſt, eandem faciem proferre in lucem, & alijs quoque exemplo veſtro ſpectandam præbere, tantum id curetis, vt vnanimiter idem & ſapiatis & faciatis, & mutuas manus porrigatis ſine diſceptatione. Quod ſi quis infirmus eſt, olus manducet, & manducantem non iudicet, Rurſus qui firmus eſt, non manducantem non ſpernat. Cæterum ſi Aduerſarij vel etiam amici, qui res nouari à vobis ægrius ferent, pro humana illa prudentia & ciuilitate malignius veſtrum propoſitum interpretati fuerint, Scitote, quoniam niſi theatrum ſitis, Deo, angelis & hominibus, nondum Chriſtiani eſtis. Quis enim omnium obſtruat os, aut quis omnibus, & ſingulis propriam rationem reddat? Vetus prouerbium eſt, eum, qui ædificat in publico, multos Magiſtros habere. In omni ſpectaculo plures ſunt ſpectatores, quàm actores Sint hominum verba, & maneant folia, Sint hominum iudicia, & maneant bullæ. Vos quod conſcientia ſecundum Deum dictat, abſque perſonarum reſpectu ſequamini. In hoc enim volui hanc Epiſtolam, libro non vno prolixiorem, ad vos confirmandos mittere, vt cooperator & particeps fierem veſtri ſpiritus in Chriſto, In quo ſi non fruſtra laboraui, gratias ago Domino, qui vos multiplicet, augeat & ſeruet in cognitione Ieſu Chriſti Domini noſtri, cui eſt gloria in omnia ſecula ſeculorum, Amen.

Menſe Ianu: Anno M. D. XXII.

EPISTOLA NOTABILISSIMI VIRI ET MAGISTRI, MAGIſtri Iohannis Eccij miſſa ex Lipſia ad famoſum & Reuerendum Patrem fratrem Iacobum Hochſtratenſem, Magiſtrum in Theologia noſtrum &c. quam ille tanquam precioſum theſaurum cordialiſſimis amicis cum magna gloria oſtendit, quam etiam multi Iacobitæ exeopiauerunt.

SAlutem

Narratio rhetoricalis diſputationis materiam enodans.

SAlutem in Domino Ieſu, non te præterit Reuerende Pater, quo modo me hactenus oppoluerim temerarijs hominibus VVittembergæ; Omnes Doctores à CCCC. annis, quantumuis ſanctos & doctos contemnentibus, & multa falſa & erronea in populum ſeminantibus, potiſſimum caput huius ſcandali per impreſſiones linguæ noſtræ vulgum ſeducit & inficit. Nouiſſime diſputauimus Lipſiæ in frequentiſſimo auditorio doctiſſimorum virorum, vbiq; conuenientium, vbi (laus Deo, honor & gloria) plurimum imminuta eſt eorum opinio, etiam apud vulgum, apud doctos vero pro maiori parte lapſa eſt. Audiſſes hominum temeritatem, quam cæci ſint & ad facinora imperterriti.

Chriſo. noua orthographia Se ſulem. noua figura.

Argumentum dignum Eccio & fraterculo nempe morotaton.

Negat Luther Petrum fuiſſe principem apoſtolorum, negat obedientiam eccleſiaſticam eſſe de iure diuino, ſed humano conſenſu, vel imperatoris inductam, negat ſuper Petro ædificatam eccleſiam, Super hanc Petram &c. Et dum ei Auguſtinum, Hieronymum, Ambroſium, Gregorium, Cyprianum, Cryſoſtomum, Leonem & Bernardum, ſuper illo adducerem cum Theophilo, omnes negauit abſq; rubore, Et ſe vnum dixit, velle reſiſtere mille, nullo alio fultus, niſi quia Chriſtus eſſet fundamentum Eccleſiæ, & aliud fundamentum nemo ponere poteſt. Quod dilui adducens & illud Apocal. *2*2. de Duodecim fundamentis. Defendit Græcos etiam Schiſmaticos, etiamſi non ſint ſub obedientia Papæ, adhuc ſaluari.

a Hic vide quid Luther ſcribat concluſione 15 probans eſſe Purgatorium.

b Propter tres cauſas autor fuit obrutus.

Primo.

Secundo.

Tertio.

De Bohemorum articulis, dixit ex articulis condemnatis in concilio Conſtantienſi aliquos eſſe Chriſtianiſſimos & euangelicos, quo vero multos terruit & diſcedere fecit, qui prius ei fauebant, dixit inter alia cum ei opponerem, Si primatus Papæ eſſet ſolum de iure humano, & conſenſu fidelium, vnde veniret ſibi habitus, quem gereret, vnde poteſtatem prædicandi haberet & confeſſiones audiendi parochianorum &c. *a* Reſpondit ſe velle nullum eſſe ordinem mendicantium, pleraq; alia ſcandaloſa & abſurda dixit, quod concilium quia eſſent homines poſſint errare, quod non probaretur ex ſcriptura ſacra, purgatorium eſſe &c. vti videbitis legendo diſputationem noſtram, quia fideliſſimis notarijs exſcripta eſt, verum in multis me obruerunt.

c Eccius benefecit quod fuit ſine libro, nam vnde verſus Clerium in libro non valet oua duo.

d Nota quod Eccius non fuit arrogans, ſed nepos Reuchlin.

Factum diſputationis.

e Nota quod Hoſtraten dudum fidem ſuſcepit forte nondum eſt baptiſatus.

b Primum, quia Libros ſecum attulerant, In quibus erant noti, & apportauerunt ſecum ad locum diſputationis, & ad illos ſtatim habuerunt recurſum, imo ex Libris legebant continuo cum magna eorum irriſione. Secundo, quia diſputationem ſemper habebant in ſcriptis & poſtea conferebant domi. *c* Ego nunquam inſpexi vnum verbum, quouſq; finiretur diſputatio. Tertio erant eorum plures, quia ipſi doctores duo, Dominus Langius Auguſtinianorum Vicarius, Duo Licentiati Theologi, vnus *d* nepos Reuchlin multum arrogans, tres doctores Iuris, Magiſtri plurimi. Qui & priuatim & publicè iuuabant etiam in ipſo facto diſputationis. At ego ſolus æquitate comitatus aſtabam. Commiſi ego fratribus tui ordinis, vt curent exemplar diſputationis exſcribi, & ad te quam primum transmittant.

Quocirca precor per eum, cui ſeruio, & *e* fidem, quam dudum ſuſcepiſti, grauiter defendas, non volo quod te ingeras & te odioſum facias & ordinem

ordinem tuum. Sed me conſilijs tuis & eruditione adiutes. Nam minus feſtinarunt VVittembergenſes cum diſputatione, imo *a* ſe quæſierunt occaſionem diſputandi, Nam Lutherus nolebat ſumere iudicem, Primo aliquam Vniuerſitatem totius mundi.

a Se quæſierunt lepos & attitus.

Sed Chriſtianiſſimus dominus *b* Iorgius Saxo noluit admittere aliquam diſputationem de fide, niſi & fidei *c* noſtræ magiſtros Pateretur iudicare. Coactus ergo tunc fuit Luther *d* fautoribus ſuis ſtimulatus, niſi enim diſputaret & iudicem ferre poſſet, iam omnes abeo eſſent diſceſſuri. Vnde cum ei omnes obtuliſſem Vniuerſitates, elegit *d* Pariſios & Erfordiam. Quare cum Pariſienſis non agnorim, ueſtrum autem ſtudium magnam habet cum eo familiaritatem, Rogo tuam paternitatem plurimum ut fide Chriſti uelit ſcribere ſibi notis, uel etiam ſi uidebitur toti Vniuerſitati, ut dum opti: princeps Iorgius ſcripturus ſit & miſſurus diſputationem ac petiturus iudicium, quod tunc illud non recuſent, Sed propugnatores fortiter adoriantur, cum nos ambo in eam tanq; iudices conſenſerimus, & rem arbitror eſſe tam manifeſtam, ut longa diſcutione non egeat. Quare ſine mora ad petitionem principis diſcernant & ſtatuant, quod fidei noſtræ ſit conſentaneum.

b Iorgius per i.

c Magiſtri fidei aliquando dicuntur magiſtri noſtri.

d R. P. F. Iacobus bene eſt uiſus Pariſijs, & habet optimum ſtylum ad ſcribendum epiſtolas ad Vniuerſitatem Pariſienſem.

Dat autor R. P. F. argumentum ſcribendi.

Paucis habes, uenerande pater, quæ abs te in cauſa fidei uelim fieri, idq; ſcriptum puta præceptori noſtro, domino *e* Arnoldo de Tong: & doctori Michaeli Suuas. Nam certiſſimum eſt *f* grammatiſtarum turbam hos inferre errores, in Eccleſia. Quod ſi ſummus pontifex uia regia dudum fuiſſet progreſſus, & non audiſſet in utramq; noſtræ ſubſanationem a Grammaticellis factam, non eſſet, quo iam caput ſuum murmure attentarent, at ante in examine Cabale dudum tumultuantibus, & quaſi furibundi, & quaſi inſalutato Hoſpite abierunt Vuittembergen:

Digreſſio.

e Arnoldus de Tongris & Doctor SVVas ſunt duæ notabiles perſonæ.

f Grammatiſta i. grammaticus.

Accuſatio Papæ.

Grammaticelli apud Papam, Quaſi eleganter geminatum.

Ego iam nonum diem hic moror finita diſputatione, quæ tres durauit ſeptimanas, fecerat Lutherus in die S. Petri in abſentia principis in aula diſputationis Sermonem Huſſiticum plane erroneum. Ego confeſtim in Viſitationis uirginis Mariæ & die ſequenti cum frequentiſſimo auditorio, quale nunquam habui, prædicaui contra eius errores, & populum mere concitaui ut faſtidiat errores Lutheranos, cras itidem facturus, & ſic Lipſiam Valedicturus. Occupationes faciunt, quod domino Arnoldo ſcribere non poſſim, nec tibi non plura, Tu ſi quid ueslis reſcribere, committas domino Michaeli Suuas, qui per Sueteros aut Vualeros tuto poteſt Ingolſtadium mittere. Valeat reuerenda pietas tua, & ſi quid operæ poſſim impendere, in te & factum crede. Ex Lipſia:

24. Iulij.

Anno gratiæ M.D.XX.

Redit artificialiter unde digreſſus eſt.

Hic autor recommendat ſeipſum.

Paternitas R. P. F. non ſolum eſt reuerenda, ſed etiam ſua pietas.

MAGNIFICO DOMINO RECTORI ET ALIIS GENERALIS STVDII VVITtembergenſis regentibus dominis ſuis ſemper colendis & obſeruandis.

Kkkk   SAlutem

*S*ALutem in Domino Ieſu.* *Mitto ad vos, Rector magnifice*, ac digniſſimi Patres, Sanctiſſimi Domini noſtri Papæ iuſſu, Bullæ copiam in urbe impreſſam, & Sigillo & Notarij ſubſcriptione munitam: cuius continentiam excellentiæ ueſtræ diligenter inueſtigabunt. Quantum autem ad me attinet & commiſſionem, mihi inuito & renitenti factam, oro & obſecro uos per ſaluatorem noſtrum, ut huiuſmodi fiat apud uos huius Bullæ executio, ut Articuli damnati & reprobati à nullo ueſtrę Vniuerſitati ſubiecto, doceantur publicè aut affirmentur &c. Alioquin iuxta continentiam Bullæ S.D.N. ad priuationem omnium Priuilegiorum à Sede Apoſ: indultorum procedere cogeretur, cum inhabilitatione ſtudium tenendi &c. quod uos pro ſyncera Chriſtiana religione & honore ueſtro præcauere oportebit.

Quod autem ego ex commiſſione Apoſtolica in publicatione Bullæ, præter Martinum addiderim quoque Carlſtadium, & Dolſchium: ita accipere deberis, ut à me non ſine urgente cauſa factum ſit: At ſi illi Matrem agnoſcent Eccleſiam, & parati ſunt omnem hæreſim abiurare: libenter ego illos ſum recepturus & humaniter, atque autoritate mihi ſpecialiter ſuper hoc à ſummo Pontifice tradita, eos abſoluere & à pœnis incurrendis liberare.

Si uero obduruerint (quod abſit) digna afficientur cenſura: nec lapſo termino eos in ueſtro Studio teneatis aut foueatis ſub pœnis in Bulla expreſſis. Quod ad me attinet, mallem gratificari Studio ueſtro, quam quicquam inhumanius attentare. Me commendo excellentijs ueſtris. Ex Lipſia tertia Octob. Anno Gratiæ M.D.XX.

Magnificentiæ
Excellentijs
& dominationibus ueſtris.

Obſequioſus Eccius
Nuncius & Orator Apoſtolicus.

PHILIPPVS DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRA-

tia Epiſcopus Friſingenſis, adminiſtrator Numburgenſis Eccleſiarum, Comes palatinus Rheni, Dux Bauariæ, &c.

*V*NIuerſis ſingulis nobis in Chriſto dilectis Eccleſiarum* & Monaſteriorum etiam exemptorum Prælatis, Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Decanis, Capitulis, Parochialiumque Eccleſiarum Rectoribus, Plebanis, Viceplebanis cæterisque Præsbyteris, Clericis, Notarijs, & tabellionibus publicis per ciuitatem & diœceſim noſtram Friſingenſem ubi liber conſtitutis: ad quos præſentes noſtræ Literæ peruenerint, quoſque præſens tangit Negotium.

Salutem

nes: Recte ne an ſecus ſic colamus Deum, & alias infinitas perplexitates quæſtionum, ac ita hæſitantes animo, cogitationeq́ fluctuantes in maximis verſamur erroribus. Et quamuis conſtet prædictum eſſe, quòd futurum ſit, vt traditionibus & doctrinis hominum vniuerſus mundus, ac ſi fieri poſſet, etiam Electi in errorem inducantur, tamen hæ conſtitutiunculæ ſic intimis impreſſæ mentibus, &, vt ita dicam inuſtæ ſunt, vt pluris fiant magisq́ adplaudatur eis, q̃ cœleſtibus edictis, quo Scriptura impleatur: Qui extollitur ſupra omne quod vocatur Deus.

QVapropter humiliter ac reuerenter obteſtamur Cel. V. vt quod Principe Chriſtiano dignum eſt, ſerio negocium iſtud ſuſcipere ac promouere, & eiuſmodi profanationem Cœnæ Domini in Ducatibus ac territorio ſuo quamprimum abolere magnoque & excelſo animo infamiam, ſi fortaſſe propterea Cel. V. Boemus aut hæreticus audiat, contemnere velit. Quiſquis enim Euangelij cauſa ad labores & pericula accedit, huic maledicta, conuitia, contumeliæ, odia etiam immania plurimorum ſubeunda ſunt. Nec quiſquam cogitet ſe ſimul & Chriſto ſeruire poſſe, & ab his immunem fore. Inprimis Cel. V. cauendum eſt, ne Chriſtus in die iudicij exprobret idem quod Capernao, nempe hanc inenarrabilem Dei bonitatem, qua in ditione Cel. V. Euangelium rurſus pateſieri ac velut ex tenebris emergere, & tam clara luce effulgeſcere uoluit, nobis ignauis ingratisue collatam fuiſſe. Nam quo maiora ſunt merita & dona cœleſtis Patris erga Cel. V. quàm alios Reges aut Principes, eo ſeucrius Deus rationem à Cel. V. poſtulabit, quàm bene hæc ſua beneficia collocarit. Porro, Quod ad Auguſtinianos attinet, etſi nos quidem nondum damnamus eos, qui hoc tempore priuatim pro ſe in Miſſa communicant, ſi modo reliqui abuſus vitentur, Tamen ſi illi, vt oſtendunt, verum illum morem Cœnæ à Chriſto inſtitutum in ſuo cœtu inſtaurare volent, id nos nequaquam poſſumus improbare. Itaq́ petimus, vt Cel. V. ſicut decet Chriſtianum Principem, altius hanc rem perpendat, noſq́ clementer ſibi commendatos velit, cui ſinguli noſtra ſtudia & officia ſumma cum obſeruantia deferimus.

Cel. V.
deditiſſimi
Iuſtus Ionas Præpoſitus
Philippus Melanthon.
Nicolaus Amſdorffius.
Iohannes Dôltz à Veltkirch.

INSTRVCTIO

INSTRVCTIO QVID DILECTVS NOSTER ET FIDE-

lis Chriſtianus Beyer, Doctor, ad præpoſitum Iuſtum Ionam, Philippum Melanthonem, Nicolaum Amſdorfium, & Iohannem Doeltz Theologos deferre, ac commemorare debeat.

Primum Salutationem noſtram, dehinc quæ ſequuntur exponat.

POSTquam clementiſsimus Dominus meus ſuperioribus diebus, clariſsimo viro D. Gregorio Pontano, Doctori, in mandatis dedit, vt Cel. ſuæ nomine academiæ ac Capitulo commemoraret, Renunciatum eſſe Cel. ſuæ, multa Vuittembergæ indies nouari, & fieri mutationes in ritibus eccleſiaſticis, In primis autem quòd Auguſtiniani diebus aliquot intermiſerint vſitatos ritus Miſſarum, Neſcire vero Cel. ſuam, quo conſilio hæc fiant, & an huic rumori fides habenda ſit, Præſertim, cum ipſi Vniuerſitas & Capitulum, nec ſcripto nec nuncio Cel. ſuam hac de re recertiorem fecerint.

Quoniam autem Cel. ſuæ voluntas inclinata & propenſa ad promouenda iuuandaq; pro viribus omnia, quæ ſacroſanctæ fidei Chriſtianæ conducere, & veram pietatem ſtabilire videantur, iampridem perſpecta ſit ipſis & cognita, Ideo nec in poſterum ad extremum vſq; ſpiritum aliam fore mentem Cel. ſuæ, q̃ agendi gerendiq; omnia, ea moderatione & pietate, quæ deceat Chriſtianum Principem, Seq; hunc animum cum alijs abunde declaraſſe, conſtitutione Academiæ Vuittembergenſis, vt ibi aliquis cœtus multorum piorum & doctorum virorum educari & honeſte foueri poſſet.

Proinde Cel. ſuam antehac ab ipſis petijſſe, vt ſicubi quid tentaretur illicite, vel tentatum eſſet, Ipſi pro ſingulari ſua prudentia magnopere attenderent, vigilarent, cauerent, ne talia moueantur, vnde labis aut detrimenti aliquid in Rempub. influeret, accurateq; prouiderent animis, qua via, quibuſq; rationibus æquis ac commodis diſsipata ſarciri, diſcordiæ, ſeditiones, aliaq; pericula caueri vitariq; poſſent.

Itaq; D. Pontanum reſcripſiſſe Cel. ipſius, quòd poſt auditam commemorationem ſuam Vniuerſitas & Capitulum delegiſſent certos quoſdam, quorum partes eſſent diligenter inquirere, quid Magiſter N. Auguſtinianus pro Concione dixiſſet, & ipſos Auguſtinianos hortari, ne ſubito quid mutarent in vſitatis ritibus Miſſarum, ſed veterem morem ſeruarent,

tantiſper,

Quinto, Quantum fieri poteſt in Congregationibus noſtris, deligantur qui ſint apti ad docendum verbum Dei, publicè aut priuatim, Reliqui victum parent Fratribus opera manuaria, quæ forma fuit veterum Monaſteriorum.

Sexto, Quia moderari ceremonias & ritus omnes pro ratione temporum ac perſonarum viſum eſt, volumus, vt ſuperioribus ſuis pareant Fratres ex charitate, vt ſine ſcandalo priuatim & publicè agamus, & per omnia hoc præſtemus, ne blaſphemetur bonum noſtrum AMEN.

DELIBERATIO HABITA DE ABROGATIONE MIS-

ſarum inter illuſtriſſimum & clementiſſimum Principem, Fridericum Saxoniæ ducem, Sacri Romani imperij Electorem & Academiam Vuittembergenſem.

SENTENTIA QVORVNDAM DELECTORVM

ab Academia Vuittembergenſi, Ad illuſtriſſimum Principem ac Dominum, D. Fridericum, Ducem Saxoniæ, Electorem &c.

De Miſſa priuata.

ILluſtriſſime Princeps, Domine clementiſſime, Et voce & ſcripto Auguſtiniani, mandato Cel. V. rationem ſententiæ ſuæ nobis expoſuerunt, Ac intelleximus, his vere de cauſis eos Miſſas priuatas in ſuo cœtu abrogaſſe, quas Cel. V. ex hac illorum ſcheda cognoſcet. Hunc fœtum peperit Libellus de abroganda Miſſa priuata, folio 441. b.

PRincipio, Poſtquam vbiq; gentium adeo inualuit Miſſarum pernicioſus & impius abuſus, tam apud ſacris initiatos, q̃ profanos homines, vt euelli nequeat ex animis tam inſita penitus opinio, videlicet, Quod Miſſa tanquam bonum opus, quo placaturi Deum ſimus, ſeu precium illi offeramus pro peccatis noſtris & aliorum, recepta eſt, Idq; adeo, vt ſacrificulus, viuens in propoſito mortalis peccati, ſalubriter & fructuoſe putetur eam cæteris adplicare. Propterea Auguſtiniani intermiſerunt Miſſæ celebrationem, cum talia Miſſarum ſpectacula ſint re ipſa neruus, baſis, & fons horum abuſuum, cupiuntq; per eam occaſionem verum ac ſyncerum vſum cœnæ Domini à Chriſto & Apoſtolis traditum obſeruatumq;, adiutore Deo, reſtituere.

 Secundo,

Secundo, Priuatæ Miſſæ, quales hodie fiunt, aperte pugnant cum inſtitutione atq; obſeruatione Chriſti & Apoſtolorũ. Nam Chriſtus a vt minimum duodecim Apoſtoli multis vna diſtribuerunt, nec vnquam vnus priuatim ſeipſum communicaſſe legitur, Hinc etiam Paulus priuatas cœnas Corinthijs prohibet, cum inquit 1. Cor. 11. Quoties conuenitis ad manducandum &c.

Tertio, Chriſtus vtranq; partem, hoc eſt, integrum ſacramentum dari iuſsit & ordinauit omnibus. Cum igitur Miſſæ, quas noſtra vidit ætas, ita diſpoſitæ ſint, vt aſtantibus vna duntaxat pars ſacramenti exhibeatur, non poſſunt Auguſtiniani bona conſcientia hanc ceremoniam, à verbis Chriſti alienam, ſuo exemplo confirmare.

De his Auguſtinianorum articulis Cel. V. breuiter cogitata noſtra perſcribemus, & reuerenter oramus Cel. V. vt nos clementer, benigne, & diligenter audiat, Idq; ijs auribus & tali mente, quæ non intelligentiam humanam mundiq; ſapientiam, in his rebus, quæ ſunt religionis, ſed diuinam tantum & ſpiritualem ſapientiam, in verbo Dei traditam, magnifacit & ſequitur.

Certiſsimum eſt inter grauiſsima omnium & maxime horribilia peccata, numerandam eſſe cœnæ Domini profanationem. Quia D. Paulus tanta vi ſpiritus tantaq; vehementia, & quaſi ardore verborũ reprehendit leuem abuſum Cœnæ apud Corinthios, quòd ad illam velut inſtructuri aliquod theatrale conuiuium, accedebant, & qui primi aderant, neglectis alijs tenuioribus largius ſe explebant, cum inquit: Qui non dijudicat corpus Domini, manducat ſibi iudicium, Et multi, ait, propterea peſte et alijs morbis puniti ſunt.

Quare, cum nos longe indignius & prorſus abominandis modis polluamus ſacratiſsimam ceremoniam, non dubium eſt, quin multo horribilius puniamur cum bellis, peſtilentia, & infinitis cladibus, quarum eſt ante oculos magnitudo, Tum vero, quod multo triſtius & magis horrendum eſt, cæcitate & velut furoribus reprobæ mentis, quæ in adminiſtris ac defenſoribus Miſſarum quotidie conſpiciuntur. Nam Miſſa, vt nunc vocant, ſeu Cœna dominica, iuxta Chriſti inſtitutionem proprie & principaliter nihil eſt, niſi ipſa diſtributio & manducatio corporis & ſanguinis Domini. De cætero quæ adduntur, hominum & Romani Pontificis autoritate recepta indieſq; cumulata fuerunt. Nec differt manducatio ſacerdotis ab opere Laici ſumentis, Idem eſt ſacramentum, quo admonemur, ceu rato & infallibili ſigno & teſtimonio remiſsionis omnium peccatorum, iuxta Chriſti dictum: Hoc quotieſcunq; facietis, facite in mei commemorationem, id eſt, Recordantes miſericordiæ & beneficij, quod vobis per mortem meam donatum & exhibitum eſt. Hinc ergo efficitur, Miſſam ſeu manducationem ſacerdotis nequaquam eſſe tale bonum opus, quo Deo reddamus

aut

aut offeramus aliquid placans Deum, & ſatisfaciens pro nobis, aut alijs, Sicut nec manducatio Laici alteri poteſt adplicari, nec cuiuſquam Baptiſmus valet pro alio.

POrro, omnium confeſſione liquet, totum illud regnum Miſſarum hoc errore conſtitutum, vt ſint bonum opus ad noſtra & aliorum peccata expianda. Quod quid aliud eſt, q̃ prorſus obſcurare præcipuum articulum doctrinæ Euangelij, de iuſticia fidei, veroq; vſu ſacramentorum. Hoc itaq; ſuperſtitionis contagio ſerpente paulatim longiuſq; prodeunte, factum eſt, vt in ſingulis fere templis & monaſterijs hebdomadatim quatuor, quinq; aut etiam plures Miſſæ à ſingulis perſonis, in ſingulis altaribus celebrandæ, ordinatæ & fundatæ ſint, præter alias funebres, & quas votiuas vocarunt, quæ indies magno numero cumulatæ ſunt, Vnde impuri Sacrificuli occaſione corradendæ pecuniæ & faciendi quæſtus oblata, lætanter & cupide talia Miſſarum aucupia amplectuntur. Ac ſi qui forte integri boniq; viri in illo ordine, ſecundum conſcientiam ſuam pie ſacramento mallent vti, hi tamen ob illas conſtitutiones & pactiones inuiti, & cum moleſtia, nec ſine animorum offenſione coguntur celebrare Miſſas.

EX his igitur, quæ diximus, Cel. V. cogitatione proſequatur, quantum ad pietatem momenti adferat, ſi vel nebulo aliquis lucelli cauſa, vel probus miniſter exactione fundationis, nec volens, neq; cum aliquo bono motu, aut etiam reclamante conſcientia, Miſſam conſecret. Non eſt enim in re atq; natura poſitum, vt quamuis bonus religioſuſq; ſacerdos toties eum voluptate flagrantiq; ſtudio ad hoc opus faciendum veniat, quoties per fundationem obligatur ac pene obſtringitur. Et leue eſt, quod obijciunt aliqui, in Miſſa recitationes precum prodeſſe cæteris, etiamſi manducatio Sacerdotis nemini ſalubris aut fructuoſa ſit. Nam facile indicabit Cel. V. quantum vel improbi ſacerdotis oratio, vel pij non alacris ac excitati impetret, aut promereatur alijs. Deinde, vt maxime precatio in Miſſa valeret, tamen etiam religioſiſſima & plena pietatis precatio ſacerdotis in Miſſa nihilo plus virium, efficaciæ, dignitatis habet ad reconciliandum Deum, aut ad impetrandum alijs bona, q̃ pij cuiuſuis Laici preces & gemitus in cubiculo.

Ex iiſdem etiam cauſis, quas ſupra diximus, inſtitutæ ſunt Miſſæ pro defunctis, aliæq; ſexcentæ id genus impoſturæ, quæ ſi præterea nihil vitij haberent, q̃ quòd ſunt meræ impoſturæ ad fraudem & fallaciam propter quæſtũ excogitatæ, vtcunq; tolerari poſſent. Nunc cum in hac audacia titulo & nomine ſanctiſſimæ ceremoniæ, tam impudenter in Eccleſia homines imperitos ludificari, turpiſſime confictis impoſturis & mendacijs de efficacia operis ſacerdotis pro defunctis, pro itinerantibus, nauigantibus &c. ſint deteſtabilia & enormia peccata, nullo modo ferri diſſimulariue debent, etiamſi totus orbis adficiatur ſcandalo.

Iudæ & Ieruſalem: Coram altari iſto adorabitis? Rurſum vos eſſe qui cum Iſaia ſubſannetis etiam Dominum eorum Sennacherib, loquatur Syriace ſiue Iudaicè, Miſſas quieſcere, & clamores horarũ ſilere mirabuntur Papiſtæ, At charitatẽ ſeruientẽ proximo, & hoſtiam viuentem corporis, ira, contemptu, libidinibus, luxu, extingui rident, ſicut decet Papiſtarum & ſapientiam, & pietatem.

Bethauen Vuittenbergenſis.

Habetis & vos Bethauen quandam, domum illam omnium Sanctorum, Sanctificationem Principis Friderici, quam hæreditate accepit, & per Papiſtas deceptus vehementer magnificauit & ampliauit. O quanti pauperes in iſta regione, poterãt tantis ſumptibus iuuari, quos amicos ſibi paraſſet de mammona iniquitatis, qui deficientem aliquando in æterna tabernacula reciperent, Vt hoc exemplo metuendum ſit, Principum & Heroum opes raro dignas eſſe, quæ piis cauſis ſeruiant, quòd raro & partæ ſint ſine Nimrodi exemplo. Sed hoc vno vos per gratiam Dei ſuperbire poteſtis, quòd Princeps eſt minime tyrannicus, neque ſtultus, neque præceps, neque ſæuus, tum veritatis patientiſsimus, & à temerariis iudiciis abſtinentiſsimus, non minus tamen & malis metuendus & bonis ſuſpiciendus. Quarum rerum præſidio cum ſitis oportune adiuti, tanto facilius vobis eſt perficere, quod cœpiſtis, Vocante vos per has occaſiones Deo, & manum ſuã porrigente.

Prophetia de ſepulchro Domini redimendo &c.

CElebris eſt in terris iſtis, me puero, ſæpe cantata prophetia, Eſſe redimendum Sepulchrum dominicum per Fridericum Imperatorem Et vt mos eſt prophetiarum, quæ pro obſcuritate ante implentur, quam intelliguntur, tum longe in aliud ſpectant quam vulgo ſonant, videtur mihi & iſta, in hoc Friderico noſtro impleta. Quod enim ſepulchrũ Domini rectius intelligas, quàm diuinam Scripturam? in qua veritas Chriſti, per Papiſtas occiſa, ſepulta iacuit? cuſtodientibus militibus, id eſt, Mendicantium ordinibus & prauitatis hæreticæ inquiſitoribus, ne diſcipulorum quiſquam eam raperet. Nam ſepulchrum illud corporale, quod Saraceni tenent, non magis eſt curæ Deo, quàm boues illi eſſe curæ, Paulus dicit. Negari autem non poteſt, apud vos ſub Friderico iſto, Scripturæ viuam veritatem refloruiſſe, Quid ſi ego glorier, me vel Angelum, vel Magdalenam fuiſſe?

Sepulchrum Domini Scriptura.

At mouet forte, quòd Imperator non ſit. At quantum ſatis eſt ad implendam prophetiam, Nonne in Comitiis Electorum, cõcordibus ſuffragijs & deſignatus, & petitus eſt in Imperatorem? Eratque vere Imperator, niſi noluiſſet. Apud Deum nihil refert, quamdiu fuerit Imperator, modo fuerit aliquando. Ludere fortaſsis hic videor. At ludam ſane, quin & addam, vt etiam inſaniam, & admirabor, vnde fiat, vt in iſto abiecto angulo terrarum Deus voluerit ſuſcitare ſuum verbum,

tum

tum quòd præter Iudaicam terram nulli parti terrarum accidiſſe putem, vt oppida & pagi, quin & ciues ebraicis nominibus vocentur. Vnde enim vobis Ephrata, Hebron, Reſen, Pannec, Globoc, Zidon, Ieſſe, Damaſcus, Dibon, & multa ſimilia? Tum ipſa VVittemberga à candore montis dicta, quid eſt niſi mons Libanus? Libanus enim candidum ſonat. Sed ſatis hæc ad ludum.

Hoc ſerium eſt, Eſſe vobis donatum præ cæteris, vt puram & primitiuam Euangelij faciem videatis, nunc quoniam & ſpirituum æmulatores facti eſtis, veſtrum eſt, eandem faciem proferre in lucem, & alijs quoque exemplo veſtro ſpectandam præbere, tantum id curetis, vt vnanimiter idem & ſapiatis & faciatis, & mutuas manus porrigatis ſine diſceptatione. Quod ſi quis infirmus eſt, olus manducet, & manducantem non iudicet, Rurſus qui firmus eſt, non manducantem non ſpernat. Cæterum ſi Aduerſarij vel etiam amici, qui res nouari à vobis ægrius ferent, pro humana illa prudentia & ciuilitate malignius veſtrum propoſitum interpretati fuerint, Scitote, quoniam niſi theatrum ſitis, Deo, angelis & hominibus, nondum Chriſtiani eſtis. Quis enim omnium obſtruat os, aut quis omnibus, & ſingulis propriam rationem reddat? Vetus prouerbium eſt, eum, qui ædificat in publico, multos Magiſtros habere. In omni ſpectaculo plures ſunt ſpectatores, quàm actores Sint hominum verba, & maneant folia, Sint hominum iudicia, & maneant bullæ. Vos quod conſcientia ſecundum Deum dictat, abſque perſonarum reſpectu ſequamini. In hoc enim volui hanc Epiſtolam, libro non vno prolixiorem, ad vos confirmandos mittere, vt cooperator & particeps fierem veſtri ſpiritus in Chriſto, In quo ſi non fruſtra laboraui, gratias ago Domino, qui vos multiplicet, augeat & ſeruet in cognitione Ieſu Chriſti Domini noſtri, cui eſt gloria in omnia ſecula ſeculorum, Amen.

Menſe Ianu: Anno M. D. XXII.

EPISTOLA NOTABILISSIMI VIRI ET MAGISTRI, MAGIſtri Iohannis Eccij miſſa ex Lipſia ad famoſum & Reuerendum Patrem fratrem Iacobum Hochſtratenſem, Magiſtrum in Theologia noſtrum &c. quam ille tanquam precioſum theſaurum cordialiſſimis amicis cum magna gloria oſtendit, quam etiam multi Iacobitæ exeopiauerunt,

SAlutem

Narratio rhetoricalis diſputationis materiam enodans.

SAlutem in Domino Ieſu, non te præterit Reuerende Pater, quo modo me hactenus oppoſuerim temerarijs hominibus VVittembergæ, Omnes Doctores à CCCC. annis, quantumuis ſanctos & doctos contemnentibus, & multa falſa & erronea in populum ſeminantibus, potiſſimum caput huius ſcandali per impreſſiones linguæ noſtræ vulgum ſeducit & inficit, Nouiſſime diſputauimus Lipſiæ in frequentiſſimo auditorio doctiſſimorum virorum, vbiq; conuenientium, vbi (laus Deo, honor & gloria) plurimum imminuta eſt eorum opinio, etiam apud vulgum, apud doctos vero pro maiori parte lapſa eſt, Audiſſes hominum temeritatem, quam cæci ſint & ad facinora imperterriti.

Chriſo noua orthographia Se fulm, noua figura.

Argumentum dignum Eccio & fraterculo nempe morosaton.

Negat Luther Petrum fuiſſe principem apoſtolorum, negat obedientiam eccleſiaſticam eſſe de iure diuino, ſed humano conſenſu, vel imperatoris inductam, negat ſuper Petro ædificatam eccleſiam, Super hanc Petram &c. Et dum ei Auguſtinum, Hieronymum, Ambroſium, Gregorium, Cyprianum, Cryſoſtomum, Leonem & Bernardum, ſuper illo adducerem cum Theophilo, omnes negauit abſq; rubore, Et ſe vnum dixit, velle reſiſtere mille, nullo alio fultus, niſi quia Chriſtus eſſet fundamentum Eccleſiæ, & aliud fundamentum nemo ponere poteſt. Quod dilui adducens & illud Apocal. 12. de Duodecim fundamentis. Defendit Græcos etiam Schiſmaticos, etiamſi non ſint ſub obedientia Papæ, adhuc ſaluari.

a Hic vide quid Luther ſcribat conclusione 15 probans eſſe Purgatorium.

b Propter tres cauſas autor fuit obrutus.

De Bohemorum articulis, dixit ex articulis condemnatis in concilio Conſtantienſi aliquos eſſe Chriſtianiſſimos & euangelicos, quo vero multos terruit & diſcedere fecit, qui prius ei fauebant, dixit inter alia cum ei opponerem, Si primatus Papæ eſſet ſolum de Iure humano, & conſenſu fidelium, vnde veniret ſibi habitus, quem gereret, vnde poteſtatem prædicandi haberet & confeſſiones audiendi parochianorum &c. *a* Reſpondit ſe velle nullum eſſe ordinem mendicantium, pleraq; alia ſcandaloſa & abſurda dixit, quod concilium quia eſſent homines poſſint errare, quod non probaretur ex ſcriptura ſacra, purgatorium eſſe &c. vti videbitis legendo diſputationem noſtram, quia fideliſſimis notarijs exſcripta eſt, verum in multis me obruerunt,

Primo. *Secundo.* *Tertio.*

c Eccius benefecit quod fuit ſine libro, nam vnde verſus. Clericus in libro non valet oua duo.

d Nota quod Eccius non fuit arrogans, ſed nepos Reuchlin.

Factum diſputationis.

b Primum, quia Libros ſecum attulerant, in quibus erant noti, & apportauerunt ſecum ad locum diſputationis, & ad illos ſtatim habuerunt recurſum, imo ex Libris legebant continuo cum magna eorum irriſione, Secundo, quia diſputationem ſemper habebant in ſcriptis & poſtea conferebant domi. *c* Ego nunquam inſpexi vnum verbum, quouſq; finiretur diſputatio. Tertio erant eorum plures, quia ipſi doctores duo, Dominus Langius Auguſtinianorum Vicarius, Duo Licentiati Theologi, vnus *d* nepos Reuchlin multum arrogans, tres doctores Iuris, Magiſtri plurimi. Qui & priuatim & publicè iuuabant etiam in ipſo facto diſputationis. At ego ſolus æquitate comitatus aſtabam. Commiſi ego fratribus tui ordinis, vt curent exemplar diſputationis exſcribi, & ad te quam primum tranſmittant.

e Nota quod Hoſtraten dudum fidem ſuſcepit forte nondum eſt baptiſatus.

Quocirca precor per eum, cui ſeruio, & *e* fidem, quam dudum ſuſcepiſti, grauiter defendas, non volo quod te ingeras & te odioſum facias & ordinem

ordinem tuum. Sed me conſilijs tuis & eruditione adiutes. Nam minus feſtinarunt VVittembergenſes cum diſputatione, imo [a] ſe quæſierunt occaſionem diſputandi, Nam Lutherus nolebat ſumere iudicem, Primo aliquam Vniuerſitatem totius mundi.

[a] Se quæſierunt lepos & attitus.

Sed Chriſtianiſſimus dominus [b] Iorgius Saxo noluit admittere aliquam diſputationem de fide, niſi & fidei [c] noſtræ magiſtros Pateretur iudicare. Coactus ergo tunc fuit Luther [d] fautoribus ſuis ſtimulatus, niſi enim diſputaret & iudicem ferre poſſet, iam omnes abeo eſſent diſceſſuri. Vnde cum ei omnes obtuliſſem Vniuerſitates, elegit [d] Pariſios & Erfordiam. Quare cum Pariſienſis non agnorim, ueſtrum autem ſtudium magnam habet cum eo familiaritatem, Rogo tuam paternitatem plurimum ut fide Chriſti uelit ſcribere ſibi notis, uel etiam ſi uidebitur toti Vniuerſitati, ut dum opti: princeps Iorgius ſcripturus ſit & miſſurus diſputationem ac petiturus iudicium, quod tunc illud non recuſent, Sed propugnatores fortiter adoriantur, cum nos ambo in eam tanq; iudices conſenſerimus, & rem arbitror eſſe tam manifeſtam, ut longa diſcutione non egeat. Quare ſine mora ad petitionem principis diſcernant & ſtatuant, quod fidei noſtræ ſit conſentaneum.

[b] Iorgius per i.
[c] Magiſtri fidei aliquando dicuntur magiſtri noſtri.
[d] R. P. F. Iacobus bene eſt uiſus Pariſijs, & habet optimum ſtylum ad ſcribendum epiſtolas ad Vniuerſitatem Pariſienſem.
Dat autor R. P. F. argumentum ſcribendi.

Paucis habes, uenerande pater, quæ abs te in cauſa fidei uelim fieri, idq; ſcriptum puta præceptori noſtro, domino [e] Arnoldo de Tong: & doctori Michaeli Suuas. Nam certiſſimum eſt [f] grammatiſtarum turbam hos inferre errores, in Eccleſia. Quod ſi ſummus pontifex uia regia dudum fuiſſet progreſſus, & non audiſſet in utramq; noſtræ ſubſanationem a Grammaticellis factam, non eſſet, quo iam caput ſuum murmure attentarent, at ante in examine Cabale dudum tumultuantibus, & quaſi furibundi, & quaſi inſalutato Hoſpite abierunt Vuittembergen:

Digreſſio.
[e] Arnoldus de Tongris & Doctor SVVas ſunt duæ notabiles perſonæ.
[f] Grammatiſta i. grammaticus.
Accuſatio Papæ.
Grammaticelli apud Papam, Quaſi eleganter geminatum.

Ego iam nonum diem hic moror finita diſputatione, quæ tres durauit ſeptimanas, fecerat Lutherus in die S. Petri in abſentia principis in aula diſputationis Sermonem Huſſiticum plane erroneum. Ego confeſtim in Viſitationis uirginis Mariæ & die ſequenti cum frequentiſſimo auditorio, quale nunquam habui, prædicaui contra eius errores, & populum mere concitaui ut faſtidiat errores Lutheranos, cras itidem facturus, & ſic Lipſiam Valedicturus. Occupationes faciunt, quod domino Arnoldo ſcribere non poſſim, nec tibi non plura, Tu ſi quid uelis reſcribere, committas domino Michaeli Suuas, qui per Sueteros aut Vualeros tuto poteſt Ingolſtadium mittere. Valeat reuerenda pietas tua, & ſi quid operæ poſſim impendere, in te & factum crede. Ex Lipſia: 24. Iulij. Anno gratiæ M. D. XX.

Redit artificialiter unde digreſſus eſt.
Hic autor recommendat ſeipſum.
Paternitas R. P. F. non ſolum eſt reuerenda, ſed etiam ſua pietas.

MAGNIFICO DOMINO RECTORI ET ALIIS GENERALIS STVDII VVITtembergenſis regentibus dominis ſuis ſemper colendis & obſeruandis.

Kkkk SAlutem

nes: Recte ne an ſecus ſic colamus Deum, & alias infinitas perplexitates quæſtionum, ac ita hæſitantes animo, cogitationeq; fluctuantes in maximis verſamur erroribus. Et quamuis conſtet prædictum eſſe, quòd futurum ſit, vt traditionibus & doctrinis hominum vniuerſus mundus, ac ſi fieri poſſet, etiam Electi in errorem inducantur, tamen hæ conſtitutiunculæ ſic intimis impreſſæ mentibus, &, vt ita dicam inuſtæ ſunt, vt pluris fiant magisq; adplaudatur eis, q̃ cœleſtibus edictis, quo Scriptura impleatur: Qui extollitur ſupra omne quod vocatur Deus.

QVapropter humiliter ac reuerenter obteſtamur Cel. V. vt quod Principe Chriſtiano dignum eſt, ſerio negocium iſtud ſuſcipere ac promouere, & eiuſmodi profanationem Cœnæ Domini in Ducatibus ac territorio ſuo quamprimum abolere magnoque & excelſo animo infamiam, ſi fortaſſe propterea Cel. V. Boemus aut hæreticus audiat, contemnere velit. Quiſquis enim Euangelij cauſa ad labores & pericula accedit, huic maledicta, conuitia, contumeliæ, odia etiam immania plurimorum ſubeunda ſunt. Nec quiſquam cogitet ſe ſimul & Chriſto ſeruire poſſe, & ab his immunem fore. Inprimis Cel. V. cauendum eſt, ne Chriſtus in die iudicij exprobret idem quod Capernao, nempe hanc inenarrabilem Dei bonitatem, qua in ditione Cel. V. Euangelium rurſus patefieri ac velut ex tenebris emergere, & tam clara luce effulgeſcere uoluit, nobis ignauis ingratisue collatam fuiſſe. Nam quo maiora ſunt merita & dona cœleſtis Patris erga Cel. V. quàm alios Reges aut Principes, eo ſeuerius Deus rationem à Cel. V. poſtulabit, quàm bene hæc ſua beneficia collocarit. Porro, Quod ad Aguſtinianos attinet, etſi nos quidem nondum damnamus eos, qui hoc tempore priuatim pro ſe in Miſſa communicant, ſi modo reliqui abuſus vitentur, Tamen ſi illi, vt oſtendunt, verum illum morem Cœnæ à Chriſto inſtitutum in ſuo cœtu inſtaurare volent, id nos nequaquam poſſumus improbare. Itaq; petimus, vt Cel. V. ſicut decet Chriſtianum Principem, altius hanc rem perpendat, noſq; clementer ſibi commendatos velit, cui ſinguli noſtra ſtudia & officia ſumma cum obſeruantia deferimus.

Cel. V.

dedititiſſimi

Iuſtus Ionas Præpoſitus
Philippus Melanthon.
Nicolaus Amſdorffius.
Iohannes Döltz à Veltkirch.

INSTRVCTIO

INSTRVCTIO QVID DILECTVS NOSTER ET FIDE-

lis Chriſtianus Beyer, Doctor, ad præpoſitum Iuſtum Ionam, Philippum Melanthonem, Nicolaum Amſdorfium, & Iohannem Doeltz Theologos deferre, ac commemorare debeat.

Primum Salutationem noſtram, dehinc quæ ſequuntur exponat.

POSTquam clementiſsimus Dominus meus ſuperioribus diebus, clariſsimo viro D. Gregorio Pontano, Docto- ri, in mandatis dedit, vt Cel. ſuæ nomine academiæ ac Capitulo commemoraret, Renunciatum eſſe Cel. ſuæ, multa Vuittembergæ indies nouari, & fieri mutationes in ritibus eccleſiaſticis, In primis autem quòd Auguſti- niani diebus aliquot intermiſerint vſitatos ritus Miſſarum, Neſcire ve- ro Cel. ſuam, quo conſilio hæc fiant, & an huic rumori fides habenda ſit, Præſertim, cum ipſi Vniuerſitas & Capitulum, nec ſcripto nec nuncio Cel. ſuam hac de re recertiorem fecerint.

Quoniam autem Cel. ſuæ voluntás inclinata & propenſa ad promo- uenda iuuandaq; pro viribus omnia, quæ ſacroſanctæ fidei Chriſtianæ conducere, & veram pietatem ſtabilire videantur, iampridem perſpe- cta ſit ipſis & cognita, Ideo nec in poſterum ad extremum vſq; ſpiritum aliam fore mentem Cel. ſuæ, q̃ agendi gerendiq; omnia, ea moderatione & pietate, quæ deceat Chriſtianum Principem, Seq; hunc animum cum alijs abunde declaraſſe, conſtitutione Academiæ Vuittembergenſis, vt ibi aliquis cœtus multorum piorum & doctorum virorum educari & honeſte foueri poſſet.

Proinde Cel. ſuam antehac ab ipſis petijſſe, vt ſicubi quid tentaretur illicite, vel tentatum eſſet, Ipſi pro ſingulari ſua prudentia magnoperè at- tenderent, vigilarent, cauerent, ne talia moueantur, vnde labis aut detri- menti aliquid in Rempub. influeret, accurateq; prouiderent animis, qua via, quibuſq; rationibus æquis ac commodis diſsipata ſarciri, diſcordiæ, ſeditiones, aliaq; pericula caueri vitariq; poſſent.

Itaq; D. Pontanum reſcripſiſſe Cel. ipſius, quòd poſt auditam comme- morationem ſuam Vniuerſitas & Capitulum delegiſſent certos quoſdam, quorum partes eſſent diligenter inquirere, quid Magiſter N. Auguſtinia- nus pro Concione dixiſſet, & ipſos Auguſtinianos hortari, ne ſubito quid mutarent in vſitatis ritibus Miſſarum, ſed veterem morem ſeruarent,

tantiſper,

Quinto, Quantum fieri poteſt in Congregationibus noſtris, deligantur qui ſint apti ad docendum verbum Dei, publicè aut priuatim, Reliqui victum parent Fratribus opera manuaria, quæ forma fuit veterum Monaſteriorum.

Sexto, Quia moderari ceremonias & ritus omnes pro ratione temporum ac perſonarum viſum eſt, volumus, vt ſuperioribus ſuis pareant Fratres ex charitate, vt ſine ſcandalo priuatim & publicè agamus, & per omnia hoc præſtemus, ne blaſphemetur bonum noſtrum AMEN.

DELIBERATIO HABITA DE ABROGATIONE MISſarum

inter illuſtriſſimum & clementiſſimum Principem, Fridericum Saxoniæ ducem, Sacri Romani imperij Electorem & Academiam Vuittembergenſem.

SENTENTIA QVORVNDAM DELECTORVM

ab Academia Vuittembergenſi, Ad illuſtriſſimum Principem ac Dominum, D. Fridericum, Ducem Saxoniæ, Electorem &c. De Miſſa priuata.

ILluſtriſſime Princeps, Domine clementiſſime, Et voce & ſcripto Auguſtiniani, mandato Cel. V. rationem ſententiæ ſuæ nobis expoſuerunt, Ac intelleximus, his vere de cauſis eos Miſſas priuatas in ſuo cœtu abrogaſſe, quas Cel. V. ex hac illorum ſcheda cognoſcet.

Hunc fœtum peperit Libellus de abroganda Miſſa priuata, folio 441. b.

PRincipio, Poſtquàm vbiq; gentium adeo inualuit Miſſarum pernicioſus & impius abuſus, tam apud ſacris initiatos, q̃ profanos homines, vt euelli nequeat ex animis tam inſita penitus opinio, videlicet, Quod Miſſa tanquam bonum opus, quo placaturi Deum λύτρον ſeu precium illi offeramus pro peccatis noſtris & aliorum, recepta eſt, Idq; adeo, vt ſacrificulus, viuens in propoſito mortalis peccati, ſalubriter & fructuoſe putetur eam cæteris adplicare. Propterea Auguſtiniani intermiſerunt Miſſæ celebrationem, cum talia Miſſarum ſpectacula ſint re ipſa neruus, baſis, & fons horum abuſuum, cupiuntq; per eam occaſionem verum ac ſyncerum vſum cœnæ Domini à Chriſto & Apoſtolis traditum obſeruatumq;, adiutore Deo, reſtituere.

SEcundo, Priuatæ Miſſæ, quales hodie fiunt, aperte pugnant cum inſtitutione atq́ obſeruatione Chriſti & Apoſtolorũ. Nam Chriſtus & vt minimum duodecim Apoſtoli multis vna diſtribuerunt, nec vnquam vnus priuatim ſeipſum communicaſſe legitur, Hinc etiam Paulus priuatas cœnas Corinthijs prohibet, cum inquit 1. Cor. 11. Quoties conuenitis ad manducandum &c.

TErtio, Chriſtus vtranq́ partem, hoc eſt, integrum ſacramentum dari iuſſit & ordinauit omnibus. Cum igitur Miſſæ, quas noſtra vidit ætas, ita diſpoſitæ ſint, vt aſtantibus vna duntaxat pars ſacramenti exhibeatur, non poſſunt Auguſtiniani bona conſcientia hanc ceremoniam, à verbis Chriſti alienam, ſuo exemplo confirmare.

DE his Auguſtinianorum articulis Cel. V. breuiter cogitata noſtra perſcribemus, & reuerenter oramus Cel. V. vt nos clementer, benigne, & diligenter audiat, Idq́ ijs auribus & tali mente, quæ non intelligentiam humanam mundiq́ ſapientiam, in his rebus, quæ ſunt religionis, ſed diuinam tantum & ſpiritualem ſapientiam, in verbo Dei traditam, magnifacit & ſequitur.

Certiſſimum eſt inter grauiſſima omnium & maxime horribilia peccata, numerandam eſſe cœnæ Domini profanationem. Quia D. Paulus tanta vi ſpiritus tantaq́ vehementia, & quaſi ardore verborũ reprehendit leuem abuſum Cœnæ apud Corinthios, quòd ad illam velut inſtructuri aliquod theatrale conuiuium, accedebant, & qui primi aderant, neglectis alijs tenuioribus largius ſe explebant, cum inquit: Qui non dijudicat corpus Domini, manducat ſibi iudicium, Et multi, ait, propterea peſte et alijs morbis puniti ſunt.

Quare, cum nos longe indignius & prorſus abominandis modis polluamus ſacratiſſimam ceremoniam, non dubium eſt, quin multo horribilius puniamur cum bellis, peſtilentia, & infinitis cladibus, quarum eſt ante oculos magnitudo, Tum vero, quod multo triſtius & magis horrendum eſt, cæcitate & velut furoribus reprobæ mentis, quæ in adminiſtris ac defenſoribus Miſſarum quotidie conſpiciuntur. Nam Miſſa, vt nunc vocant, ſeu Cœna dominica, iuxta Chriſti inſtitutionem proprie & principaliter nihil eſt, niſi ipſa diſtributio & manducatio corporis & ſanguinis Domini. De cætero quæ adduntur, hominum & Romani Pontificis autoritate recepta indieſq́ cumulata fuerunt. Nec differt manducatio ſacerdotis ab opere Laici ſumentis, Idem eſt ſacramentum, quo admonemur, ceu rato & infallibili ſigno & teſtimonio remiſſionis omnium peccatorum, iuxta Chriſti dictum: Hoc quotieſcunq́ facietis, facite in mei commemorationem, id eſt, Recordantes miſericordiæ & beneficij, quod vobis per mortem meam donatum & exhibitum eſt. Hinc ergo efficitur, Miſſam ſeu manducationem ſacerdotis nequaquam eſſe tale bonum opus, quo Deo reddamus

aut

aut offeramus aliquid placans Deum, & ſatisfaciens pro nobis, aut alijs, Sicut nec manducatio Laici alteri poteſt adplicari, nec cuiuſquam Baptiſmus valet pro alio.

POrro, omnium confeſſione liquet, totum illud regnum Miſſarum hoc errore conſtitutum, vt ſint bonum opus ad noſtra & aliorum peccata expianda. Quod quid aliud eſt, q̃ prorſus obſcurare præcipuum articulum doctrinæ Euangelij, de iuſticia fidei, veroq; vſu ſacramentorum. Hoc itaq; ſuperſtitionis contagio ſerpente paulatim longiuſq; prodeunte, factum eſt, vt in ſingulis fere templis & monaſterijs hebdomadatim quatuor, quinq; aut etiam plures Miſſæ à ſingulis perſonis, in ſingulis altaribus celebrandæ, ordinatæ & fundatæ ſint, præter alias funebres, & quas votiuas vocarunt, quæ indies magno numero cumulatæ ſunt, Vnde impuri Sacrificuli occaſione corradendæ pecuniæ & faciendi quæſtus oblata, lætanter & cupide talia Miſſarum aucupia amplectuntur. Ac ſi qui forte integri boniq; viri in illo ordine, ſecundum conſcientiam ſuam pie ſacramento mallent vti, hi tamen ob illas conſtitutiones & pactiones inuiti, & cum moleſtia, nec ſine animorum offenſione coguntur celebrare Miſſas.

EX his igitur, quæ diximus, Cel. V. cogitatione proſequatur, quantum ad pietatem momenti adferat, ſi vel nebulo aliquis lucelli cauſa, vel probus miniſter exactione fundationis, nec volens, neq; cum aliquo bono motu, aut etiam reclamante conſcientia, Miſſam conſecret. Non eſt enim in re atq; natura poſitum, vt quamuis bonus religioſusq; ſacerdos toties eum voluptate flagrantiq; ſtudio ad hoc opus faciendum veniat, quoties per fundationem obligatur ac pene obſtringitur: Et leue eſt, quod obijciunt aliqui, in Miſſa recitationes precum prodeſſe cæteris, etiamſi manducatio Sacerdotis nemini ſalubris aut fructuoſa ſit. Nam facile indicabit Cel. V. quantum vel improbi ſacerdotis oratio, vel pij non alacris ac excitati impetret, aut promercatur alijs. Deinde, vt maxime precatio in Miſſa valeret, tamen etiam religioſiſſima & plena pietatis precatio ſacerdotis in Miſſa nihilo plus virium, efficaciæ, dignitatis habet ad reconciliandum Deum, aut ad impetrandum alijs bona, q̃ pij cuiuſuis Laici preces & gemitus in cubiculo.

Ex iiſdem etiam cauſis, quas ſupra diximus, inſtitutæ ſunt Miſſæ pro defunctis, aliæq; ſexcentæ id genus impoſturæ, quæ ſi præterea nihil vitij haberent, q̃ quòd ſunt meræ impoſturæ ad fraudem & fallaciam propter quæſtū excogitatæ, vtcunq; tolerari poſſent. Nunc cum in hac audacia titulo & nomine ſanctiſſimæ ceremoniæ, tam impudenter in Eccleſia homines imperitos ludificari, turpiſſime confictis impoſturis & mendacijs de efficacia operis ſacerdotis pro defunctis, pro itinerantibus, nauigantibus &c. ſint deteſtabilia & enormia peccata, nullo modo ferri diſſimulariue debent, etiamſi totus orbis adficiatur ſcandalo.

 Quocirca

QVo circa pertinet ad officium Cel. V. tanquam Chriſtiani Principis, in cuius ditione, ſingulari Dei beneficio, lux Euangelÿ rurſus effulſit, pro eo, vt Cel. V. chariſſima eſt ſalus animæ ſuæ, curare, vt talis Miſſæ profanatio in Eccleſÿs Cel. V. prorſus aboleatur, ac contra verus piusq́ ſacramenti vſus, quem Chriſtus inſtituit, & Apoſtoli obſeruarunt, inſtauretur. Sic enim Chriſtus ipſe in illa ipſa prima Cœna multis verbis & ante & poſt diſtributionem Euchariſtiæ cōcionatur Apoſtolis de morte, de reſurrectione ſua, de regno ſuo in Eccleſia &c. Et in inſtitutione Sacramenti clare præcipit, vt quoties conueniant ad hanc Cœnam, ſui recordentur. Et hæc poſtea fuit Eccleſiæ conſuetudo, vt quoties conuenit populus, primum prædicatum ſit verbum Dei, Nam hæ Conciones ſemper fuerunt præcipua cauſa & neruus publicæ congregationis, & miniſterium Euangelÿ debet eſſe publicum, Deinde benedicebantur panis & vinū, & diſtribuebantur petentibus. Hæc forma vt eſt rectiſſima, ita foret omnium tutiſſima, nec relinqueret locum aut occaſionem alicui profanationi. Quod conſiderantes Auguſtiniani, reſtitutionem ſynceri ac veteris vſus Cœnæ expetiuerunt, Et quia abhorrent à Miſſarum nefarÿs abuſibus, maluntq́ ſine coactione libere ac ſua ſponte adminiſtrare hanc ceremoniam, adprobamus eorum ſententiam.

QVod autem inter reliqua & hanc cauſam ſui facti exponunt, Neminem priuatim & ſolum debere communicare, ea nobis quidem non ſatis firma videtur. Etſi enim illa ratio vera eſt, quæ ſcandalum amplificat, quòd ritus vſitati Miſſarum priuatarum tenent occupatos animos rudiorum ac ſimpliciorum, vt cum videant ab alÿs retineri morem ſeorſim communicandi, perſeuerent in ſuo abuſu, Tamen & hoc conſideretur, quòd nunc quidem in re his temporibus prorſus noua, Fratres in fide infirmi ad tempus ferendi fouendiq́ ſint, donec melius verbo Dei erudiantur, iuxta doctrinam Pauli. Quæ poſtremo loco addunt de vtraq́ ſpecie ſeu integro Sacramento, ea exiſtimamus nō poſſe refutari. Neq́ enim videmus, quo pacto illi queant excuſari, qui alterutram tantum partem ſumunt aut porrigunt, cum nominatim Chriſtus loquatur de calice: Bibite ex hoc omnes, imperatiue. Ac tametſi non deſint aſtutis variæ eluſiones, effugia, prætextus ad excuſandam prohibitionem calicis, tamen hæc Sophiſtica plurimum habet periculi, Ideo rectum eſt, primum & antiquiorem vſum Sacramenti reſtitui in Eccleſia ac renouari.

Deniq́ vt ſummatim & definitiue loquamur, Si ea forma & ritus Cœnæ, qui deſcribitur in Euangelio, retineretur, cauſa nihil haberet perplexi aut intricati, & nullum eſſet periculū erroris aut offenſionum. Verū quia autoritatem humanarū legum traditionumq́, ſpecie ſanctimoniæ pietatisq́ vendibilium ſequimur, à quarum hypocriſi Chriſtus itemq́ D. Paulus, toties tamq́ fideliter nos cauere iubent, neceſſe eſt ſequi illas dubitationes:

nes:

Salutem in Domino, & noſtris, imo uerius Apoſtolicis, firmiter obedire mandatis, Noueritis nos uigore certi transſumpti literarum ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri, domini Leonis diuina prouidentia Papæ decimi, Contra quendam fratrem Martinum Luther ordinis ſancti Auguſtini heremitanum eiuſq; adhærentes Complices, fautores & receptatores, occaſione erroneæ atque piarum mentiũ ſeductiuæ doctrinæ ac ſcripturarũ dicti fratris Martini nuper Romę Decimo ſeptimo calendas Iulij anno uiceſimo emanatarũ, per honorabilem nobis in Chriſto dilectum Iohannem Ecium ſacræ Theologiæ & Canonum Doctorem, præfati Domini noſtri Papæ ad infra ſcripta nuncium, iam ſæpius eſſe requiſitos, quatenus eaſdem literas Apoſtolicas ſeu illarum tranſumpta publica per dictas Ciuitatem & diœceſim noſtras publicari curaremus.

Vnde requiſitioni ac mandatis Apoſtolicis huiuſmodi ex debito obedientię obtemperare uolentes, uobis omnibus & ſingulis ſupradictis in uirtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœnis in dictis literis Apoſtolicis contentis ſtricte præcipien: mandamus, quatenus poſtq; uigore præſentium fueritis requiſiti, ſeu alter ueſtrum fuerit requiſitus, dictas literas Apoſtolicas ſeu earum transſumpta publica omniaq; & ſingula in eis contenta, in Concionibus eccleſiarum & Monaſteriorum ueſtrorum, ac alibi, ubi, quando & quotiens opus fuerit, Chriſti fidelibus diligenter publicetis & intimetis, ac publicari & intimari permittatis & faciatis, omnes & ſingulos Chriſti fideles ſupradictos fideliter exhortando, ut ab erroribus & doctrina præfati fratris Martini Luther in dictis literis Apoſtolicis deſignatis, eorumq; prædicatione, publicatione, aſſertione, defenſione, libellorum & ſcripturarum editione, omnino abſtineant. Neque libellos, prædicationes, ſcripturas ſiue ſchedulas, erroneam doctrinam dicti Martini Luther in ſe continentes de de cætero laudent, imprimant, uendant, publicent, ſiue defendant publicè uel occultè, aut eoſdem in eorum domibus ſiue alijs locis tenere ſeu occultare quoquo modo præſumant, uel aliquis eorum præſumat. Quinimo illos, poſt publicationem præſentium, Prǽlatis & Decanis Capitulorum ad comburendum ſine omni dilatione aſſignare curent, aliaſq; & alia faciant, quæ ipſos & quemlibet eorum ſerie literarum Apoſtolicarum huiuſmodi reſpectiue concernunt, prout ultionem diuinam ac præfati Domini noſtri Papæ indignationem, nec non ſententias, cenſuras, & pœnas alias in ipſis literis Apoſtolicis expreſſas uoluerint euitare.

Datum in arce noſtra Friſingen. Die X. menſis Ianuarij, Anno Domini M.D.XXI.
Sub noſtri Secreti impreſſione.

tantiſper, donec à Vicario ſuo de ea re reſponſum impetrarent, aut res illa accuratius ab Academia diſputata, & communi conſilio aliquid conſtitutum eſſet. Quod ſi poſtea Auguſtiniani honeſtis & pijs poſtulatis & monitis nollent acquieſcere, ſe capturos eſſe conſilium, quid faciendum eſſet, & ſua deliberata Cel. ſuæ expoſituros eſſe.

Prædictum igitur Delectum mox cum Auguſtinianis egiſſe, ac ita vtrinq; diſceſſum fuiſſe, vt Auguſtiniani ſuæ ſententiæ f ntes, argumenta rationumq; momenta poſt biduum Doctoribus perſcripta offerrent, quæ cum perpendiſſent diligentius, ſe cum ipſis collaturos eſſe, verum hac conditione, vt interea à mutatione abſtinerent.

HÆC poſtq̃ ſic acta ſunt, ijdem Delecti literis ſuis Cel. ipſius cauſas aliquot Auguſtinianorum ſententiæ & vna ſuam deliberationem expoſuerunt, Ac in Epilogo petiuerunt, ut Cel. ipſius, quod Principe Chriſtiano dignum eſt, hoc negocium ſerio vrgere, profanationeſq; Miſſæ in ditione ac territorio ſuo q̃ primum abrogare, magnoq; & excelſo animo infamiam, ſi fortaſſe Cel. ipſius hæreticus aut Boemus proptereà audiat, cõtemnere velit. Quicunq; enim Euangelij cauſa labores ſuſcipiunt, ijs maledicta, conuitia, contumelias, odia etiam immania ſubeunda eſſe, nec cuiquam aliud contigiſſe. Hoc potius ſummo ſtudio cauendum, ne Chriſtus in die iudicij exprobret Cel. ipſius idem quod Capernao, nempe immenſum illud beneficium Dei, quo in ditione Cel. ipſius Euangelium rurſus eluceſcere cœpit, nobis ignauis ingratisq; collatum fuiſſe, Nam quo maiora ſint merita cœleſtis Patris erga Cel. ipſius quàm alios Reges aut Principes, eo ſeuerius Deum rationem à Cel. ipſius poſtulaturum eſſe. Quæ omnia Dux Elector cum reliquis ſingula lecta planeq; intellecta audiuit.

Ad hæc Dominus meus clementiſſimus per me vobis commemorare iuſſit, Semper hoc fuiſſe propoſitum ac voluntatem Cel. ſuæ Deoq; fauente ſemper impoſterum fore, omnia pro viribus adiuuare, promouere & facere, quæ ad gloriam verbi Dei illuſtrandam, & pietatem ſtabiliendam conducere videantur, eaque tam pie & tanta moderatione agere, qua deceat Chriſtianum Principem, ſicut paulo ante Cel. ipſius vobis exponi fecit.

SEd idem illuſtriſſimus Princeps diligenter expenſo Scripto veſtro, tamen hoc etiam cogitat, & vobis cogitandum proponit. Cum hæc ſit res ardua magniq; momenti, et quæ ad vniuerſæ Eccleſiæ deliberationem pertinet, non eſſe feſtinatione præpropera conſilium præcipitandum, ſed cunctanter agendum, Nam Cel. ſuæ arbitratu difficulter iſta per vos ſolos, tanq̃ paucos obtineri poſſe.

Nec dubium eſſe, quin, ſiquidem ſententia veſtra teſtimonium habeat Euangelij, plures mortalium eam amplexuri ſint, ac tum demum cum

ſuffraga-

ſuffragatione maioris partis mutationem conſtanter & ſine magnis impedimentis inchoari poſſe.

Et clementiſſimus Dominus meus nondum edoctus eſt, quando primum hic ritus Miſſarum, qui nunc vſitatus eſt, introductus ſit, qui fortaſſè aliquot centenis annis in tota Eccleſia receptus eſt, Et quando ille primus mos, quo vſi fuerunt Apoſtoli, deſierit.

Præterea & hoc conſiderandum eſſe iudicat, cum templa & cœnobia plerunq; propter Miſſarum celebrationes extructa & fundata ſint, quæ confuſio ſequutura eſſet, ſi Miſſæ prorſus abolerentur. Quia ſcitis ceſſante cauſa etiam ceſſare effectum.

Quare facile poteſt diuinari, futurum eſſe, vt Miſſis abolitis etiam ſacerdotijs, templis & monaſterijs debiti reditus, facultates & penſiones detineantur ac detrahantur. Tunc ergo ſi vna pars alteram expoliaret, aut alius alium tanquam hæreticum aut perſecutorem Eccleſiæ criminaretur, turbulenti inde motus exiſterent, Quod vos ipſi veſtra prudentia facile expendetis. Quæ vos CL.D. meus clementi erga vos animo celatos noluit.

Ac quoniam hoc negocium ad ipſius Cel. conſilium reiecistis, cum ſciat ſe eſſe Laicum, nec ſatis peritum Scripturæ & controuerſiarum eccleſiaſticarum, Interim à vobis petit, vt vna cum alijs Academiæ & Collegij eccleſiaſtici præcipuis viris, ita moderemini ac agatis totam hanc cauſam, ne quid moueatur ſuſcipiaturue, vnde diſſidia, ſeditiones, turbæ, aliaq; incommoda naſcantur. Sed re prudenter deliberata, talia media & remedia accommodetis, quæ proſint ad vtilitatem & tranquillitatem catholicæ Eccleſiæ, vt diſtractiones, tumultus populares & alia pericula caueantur.

Hæc vos agere, atq; in hæc intentos eſſe non mediocrem ſpem CL.D. meus de vobis ſingulis concepit, Certe nihil feceritis Cel. ipſius gratius aut optatius.

SEQVITVR INFORMATIO ET DELIBERATIO

Delectorum ab Vniuerſitate, ad allatam Inſtructionem clementiſſimi D. noſtri, de Miſſa.

CONSVLTATIO, *quæ nobis mandato & nomine illuſtriſſimi & clementiſſimi Domini noſtri à Doctore Chriſtiano Beyer propoſita eſt, quinq; articulos ſeu capita præcipua habet.*

PRimo,

PRimo, Cum hæc ſit res ardua magniq; momenti, & quæ ad vniuerſam Eccleſiam pertineat, non debemus præcipitare conſilium, Nam difficulter iſta per nos, vt pauciores, obtineri poſſe.

SEcundo, Non dubium eſſe, quin, ſi noſtra ſententia teſtimonia habeat Euangelij, plures alij eam magno conſenſu amplexuri ſint, ac tum demum conſenſu maioris partis conſtanter & ſine impedimentis inchoari poſſe mutationem.

TERtio, Cel. ſuam nondum potuiſſe informari, quando hic vſitatus ritus Miſſarum cœperit, qui fortaſſe aliquot centenis annis durauerit in tota Eccleſia, Neque conſtat, quando ille mos, quo vſi fuerunt Apoſtoli, deſierit.

QVARto, Cum plerunque templa & monaſteria ad Miſſarum celebrationem extructa & fundata ſint, fore, vt ceſſante cauſa, ſimul & ceſſaret effectus, hoc eſt, vt ad illum finem deſtinata & legata, ſimul interciderent, Sicque monaſterijs & templis debiti reditus penſionesque adimerentur.

QVINto, Tunc ergo, ſi conaretur altera pars alteram, ſumpta ſibi pronuntiandi autoritate, tanquam hæreticum aut perſecutorem Eccleſiæ accuſare, diſsidia, ſeditiones & multiplicia naſcerentur incommoda. Ideo vna cum alijs Collegij eccleſiaſtici & Academiæ membris ita cauſam gubernare iubemur, ne qua diſsidia aut turbulenti motus exiſtant.

Hæc omnia cum reliquis modeſte & reuerenter accepta intelleximus, ac poſt habitam diligenter deliberationem, vt à nobis poſtulatum eſt, noſtram ſententiam, vt ſequitur, expoſuimus, Reuerenter orantes, vt Cel. ipſius nos clementer audiat, accurataque cogitatione rem proſequendam arbitretur.

ET quia Cel. V. paulo ante de craſsiſsimis duobus abuſibus commonefecimus, nempe quòd plurimi vel quæſtus gratia, vel coactione fundatæ conſtitutionis, abſque vllo deſiderio & ſiti gratiæ & exercendæ fidei, Miſſas exequantur, Adhuc affirmamus, hos duos abuſus Miſſæ neceſſario tollendos eſſe, Quod exiſtimamus quidem ſine tumultu & alijs periculis fieri poſſe. Et vt maxime non poſsit, non debet in hoc caſu ſcandali aut diffamationis haberi ratio. Sic enim Chriſtus ad Phariſæos, qui etiam ex doctrina Chriſti, quæ pugnabat cum legibus & traditionibus hu-
Matth. 15. manis, afficiebantur ſcandalo, Matthæi 15. dicebat: Sinite illos, cæci ſunt & duces cæcorum. Denique Deo magis obediendum
Actor. 5. eſt, quàm hominibus Actor. 5.

Nec propterea, quia pauciores minimaq; pars ſumus, veritas & autoritas verbi diuini, quod omnibus angelis & creaturis imperat, cum clare in Euangelio & Apoſtolo tradita nobiſcum faciant, leuior videri debet. Nam ab initio mundi ſemper minima pars & exigua particula mundi veritatem accepit & profeſſa eſt, idemq; permanebit Eccleſiæ ſtatus vſq; ad orbis interitum. Quid? quod Chriſtus ipſe infirmis, contemptis, paucis, miſeris, ſimplicibus, indoctis perſonis commendauit miniſterium Euangelij, veritatisq; per totum orbem annunciandæ, ac illis ſolis cœleſtem reuelauit ſapientiam, quam potentes & ſapientes mundi ignorabant, Matthæi 11. Hanc reſponſionem iudicamus ſatisfacere primo articulo.

AD ſecundum articulum, Etiam in lege Moſi, Eſai 53. & pluribus in locis Scripturæ clariſſime prædictum fuit, Chriſtum infirma, ſeruili & contemptibili ſpecie venturum, vt eſſet Saluator generis humani, Nec tamen quiſquam hæc videre, intelligere, & excipere Chriſtum voluit, præter paucos, quibus hoc datū fuit, nempe imbecilles, miſeri, ſimplices, ſed ſpiritu Domini illuminati.

Idem plane nunc accidit Quanquam in ſacroſancto Euangelio ſupra commemoratus verus, ſyncerus probatiſſimusq; Cœnæ vſus, multaq; præterea religionis capita expreſſe traduntur, Pontifices tamen & alij, qui ſibi titulum ſapientiæ vendicant, vel ſui quæſtus & emolumenti cauſa, vel quod cæca quadam & malitioſa diffidentia ſuę dignitati, potentiæ, honori, tranquillitati & alijs commodis metuūt, illa neq; intelligere neq; concedere poſſunt. Nec minus per doctrinas & traditiones humanas prorſus excæcati ſunt, quàm Phariſæi, Pontifices, Scribæ, Chriſti tempore admiratione ſuarum traditionum, cultuum, legum, & illius ſtatus, in quo ipſi præſtabant, adeo dementati erant, vt Chriſtum non ſolum non agnoſcerent, aut reciperent, ſed potius inſania & furore quodam concitati, totis viribus oppugnarent.

Quare, etſi verus ille, ſimplex & Chriſtianus ritus Miſſæ in Euangelio luculenter deſcriptus eſt, cui præcipue debet adiungi concio ex verbo Dei ſumpta, de fine, vſu & fructu huius cæremonię, tamen nemo aſſentietur aut concedet piam mutationem fieri, niſi quibus deſuper donatum patefactumque fuerit.

DE fundationibus, & quando præſentes Miſſæ introductæ ſint, de quibus habent III. & IIII. articuli, ſatis conſtat, Collegia vetera, monaſteria & templa initio non fundata, conſtituta, ordinata, regiisque opibus locupletata fuiſſe, ad lectionem Miſſarum vel horarum Canonicarum deblaterationem, abſque fructu & vtilitate Eccleſiæ ac fidei Chriſtianæ, quod nunc fere fit, Sed potius vt iuuentus in ſacra Scriptura & religionis doctrina erudiretur.

Itaque

Itaque vetera Collegia, Cœnobia & Dioceſes fuerunt ſcholæ iuuenum Chriſtianorum vſque ad Auguſtini, imo Bernardi, ætatem. Ad hunc finem omnia bona facultateſque eccleſiaſticę legatæ & donatæ fuerunt, vt inde ſtipendia, & quaſi præmia laborum darentur Paſtoribus Doctoribusque Eccleſiarū, & ſuſtentarentur tenues Scholaſtici, alijque pauperes. Quod veterum hiſtoriarum monumenta perſpicue indicant.

Recentes vero fundationes Collegiorum aut Cœnobiorum, ab annis quadringentis aut quingentis fere omnes Miſſarum & cantionum vſitatarum cauſa conſtitutæ, magnificeque (quod apparet) auctæ ſunt.

Et quia fundationes huiuſmodi ſingulis ſeptimanis à ſingulis perſonis certum exigunt Miſſarum numerum, quod ſine peccato præſtari non poteſt, Debent hi carceres vinculaque conſcientiarum quamprimum ſine tergiuerſatione tolli.

Ac etiam ſi quæ conſtitutiones certum Miſſarum numerum non exigunt, cum tamen hoc errore factæ ſint, quòd Miſſa ſit bonum opus aut ſacrificium applicandum pro alijs, tales quoq; ordinationes mutandæ & antiquandæ ſunt. Vera enim Miſſa pij ſacerdotis tantum facienti prodeſt, non alteri, nec plus meretur, magiſve placet Deo, quam ſi Laico porrigatur Sacramentum, quod Cel. V. in priori ſcripto planum facere conati ſumus.

Nec ideo violantur iniuriaue afficiuntur iura donationum illarum, quia Autores earum ab impuris ſacrificulis perſuaſi ac decepti, putarunt ſe ijs fundationibus ſibi ſuæque familiæ & poſteritati rem profuturam ad ſalutem animarum inſtituere. Qui profecto ſi reuocarentur in vitam, damnarent ipſi facilitatem credulitatemq; hac in re ſuam, cum viderent ſolummodo ad explendam ſacerdotum auaritiam, & pecuniarum aucupia à ſacerdotibus has donationes primū expetitas aut poſteà translatas, eſſe.

AC ſatis conſtat morem pro alijs, præſertim defunctis, quæſtus gratia definito certoq; tempore legendi Miſſas, non ita pridē, ſed ante annos ducentos, aut aliquanto amplius excogitatum fuiſſe. Nec horum Anniuerſariorum exequiarum, & ſimiliū quæſtuariarum Miſſarum in antiquis fundationibus vlla fit mentio.

Nec dubium eſt, priſcis Cæſaribus & Regibus à Collegijs ſuorum Canonicorum nullas ſolennitates funebrium & anniuerſariarum oblationum celebratas eſſe.

Deinde, etiamſi D. Petri ætate tales nundinæ venundationeſque Miſſarum receptæ fuiſſent, Num propterea tam atroces blaſphemiæ & manifeſta peccata non abijci atque aboleri deberent? S. Paulus conqueritur iam ſuo tempore pullulare ſemina tyrannidis dominationiſque Antichriſti in cumulandis ceremonijs

operumque cultibus. Quocirca hic abuſus in nullius creaturæ gratiam, ſiue terrenæ ſiue cœleſtis, ſilentio aut approbatione confirmandus eſt.

Conſtat & illud, primum & antiquiſsimum morem, ſemper in Miſſa adſtantibus in cœtu porrigendi integrum ſacramentum, duraſſe vſq; ad Cypriani ætatem, eademq; conſuetudo in Græcia & orientalibus Eccleſijs obſeruatur in hunc vſq, diem, quæ retinuerunt exemplum Apoſtolorum.

Hodiernum vero ritum modumq; legendi Miſſas nuper introductum eſſe indicat & antiqua obſeruatio Mediolanenſis Epiſcopatus, qui etſi eſt Romano vicinus, tamen caret bona parte canonum Miſſæ, adeo, vt ne hodie quidem aliquis Romanus ſacerdos ex Miſſali Mediolanenſi poſsit celebrare. Præterea formam Miſſarũ ſæpe vel mutarunt vel auxerunt Pontifices, Damaſus, Gelaſius, Celeſtinus, Gregorius, quos conſtat recentiores eſſe.

Itaq; primus, integer, ſyncerus vſus & forma ſeu præſcriptũ Apoſtolorum nequaquam negligendum vel aſpernandum eſt, nec temere & ſine autoritate Scripturæ ab eo diſcedendum; cum Paulus inculcet: Accepi à Domino, quod & vobis tradidi. Quanquam de ordine, modo ſeu forma principaliter hic non loquimur, nec eſt perpetuo de ea litigandum, modo ſubſtantialia & præcipua quaſi capita, non corrumpantur.

Verum hoc deploramus, quod præter mutatam formam veteremq; morem ac conſuetudinem etiam, accedunt flagitioſi abuſus & blaſphemiæ in applicatione pro viuis & mortuis, quodque contra expreſſam inſtitutionem & mandatum Chriſti altera pars Sacramenti Laicis erepta eſt.

Quod ſi propter aliquas neceſſarias mutationes, magnæ diſtractiones, diſsidia aut tumultus oriantur, non noſtra hæc, aut eorum, qui ſpargere vel propagare veritatem diuinam cupiunt, culpa iudicari debet, Sed illi vituperandi ſunt, qui odio inuidiaq; flagrantes pro defendenda dignitate, ocio, & culina, deniq; pro focis contra aras bellum gerere, & quacunq; poſſunt immanitate hanc lucem obſtruere & obruere non verentur.

Si Pontifices illi & Phariſæi vna cum Magiſtris noſtris eximijs, ſacroſanctum Dei verbum publice audiri, prædicari, legi permitterent etiamſi non aſſentirentur ipſi, aut qua poſſent argumẽtorũ & Scripturæ teſtimoniorũ copia refutarent, nec violenta & manifeſta crudelitate graſſarentur, nullæ diſcordiæ, ſeditiones, tumultus exiſterent. Cum vero nullo fundamento aut Scripturæ teſtimonio nixi, imo reclamante conſcientia, Regum & principũ animis hanc de nobis opinionẽ inſtillent ac quaſi inſculpant hæretica & impia eſſe, quæ profitemur, Non ſane mirandum eſt, Prædicatores verbi Dei cum ſuis auditoribus affligi, comburi, trucidari. Ideoque

Ideoque hi furores aduerſariorum & ingentia pericula non tanti facienda, aut eo vſque formidanda ſunt, Neque enim Chriſtus, quia hoc genus incōmoda, diſcordias, ſeditiones, bella, parricidia piorum, voce Euangelij impendentes regnorum, mutationes, variasque ruinas proſpiciebat metu exanimatus obmutuit, aut miniſterium docendi reliquit? Apoſtoli quidem, cum ſapientes deteſtarentur prædicationem Euangelij, tanquam facem diſſidiorum, perturbationum, tumultuum, ſchiſmatum, ſeditionum, quæ Hieroſolymæ inter Iudæos, propter legem diuinitus datam & promulgatam, excitabantur, nihilo timidius aut negligentius docendi fungebantur munere.

Diabolus haud dubie obijcit nobis iſta corporalia externaq; pericula, vt curſum Euangelij, quod extreme odit, inhibeat ac remoretur. Idcirco non tantopere moueamur his ſpectris & terriculamentis Satanæ, & ſuo quisque loco, tanquam in acie conſiſtentes, Deo commendemus euentum. Certe enim Scripturam impleri oportet, quæ prædicit talem perſecutionem Eccleſiæ, Matth. 24. qualis non fuerit ab exordio mundi, Matth. 24. Et Chriſtus diſerte nos præmonet, inquiens: Non veni pacem mittere ſed gladium, diſſidium inter patrem & filium, matrem & filiam, adeò, Matth. 10. vt alius alium verbi Dei cauſa offenſurus & deſerturus ſit. Nam qui me non plus diligit (ait ibidem Chriſtus) quàm pātrem aut matrem, non eſt me dignus, hoc eſt, qui propter verbum Dei in diſcrimen offerre dubitat, exiſtimationem, corpus, & bona ſua, Non eſt vere Chriſtianus.

POſtremo, Nec ſcandala, ſi quæ pariet huius Doctrinæ profeſſio, quenquam deterreant vel languefaciant. Quemadmodum enim (iuxta Scripturam) Chriſtus venit in mundum, & donatus eſt ijs, qui in ipſum & verbum eius credunt, vt regenerati Spiritu ſancto, fruantur æterna luce & vita, Sic è diuerſo increduLuc. 2. lis & hoſtibus Euangelij conſtitutus eſt in ſcandalum, vt irruentes in eum æterna morte opprimantur, Sicut Lucæ 2. vaticinatur Simeon: Hic poſitus eſt in ruinam & reſurrectionem multorum Luc. 20. in Iſrael. Item Luc. 20. Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, factus eſt in caput anguli, Quicunque inciderit in eum, diſſilìet, ſuper quem ille cadet, conteretur, Nam Chriſtus eſt poſitus & datus in ſignum contradictionis, Luc. 2.

Iuſtus Ionas Præpoſitus.
Philippus Melanthon.
Nicolaus Amſdorff: Licentiatus.
Iohannes Dœltz à Veltkirch.

DE VOTIS MONASTICIS D. MARTINI LVTHERI IVDICIVM, AB AVTORE RECOGNItum & auctum, Scriptum ſub finem anni XXI. Impreſſum vero menſe Ianuario anni XXII.

I E S V S.

IOHANNI LVTHERO PARENTI SVO, MARTINVS LVTHERVS FILIVS, in Chriſto ſalutem.

HVnc Librum tibi, Parens chariſsime, nuncupare conſilium fuit, Non vt nomen tuum ferrem in orbem, & in carne gloriaremur aduerſus doctrinam Pauli, ſed vt occaſionem apprehenderem, quæ ſeſe inter te & me opportune obtulit, breui prologo, & cauſam & argumentum & exemplum huius Libelli, pijs Lectoribus enarrandi.

Et vt hinc ordiar, Scire te volo, Filium tuum eo promouiſſe, vt iam perſuaſiſsimus ſit, nihil eſſe ſanctius, nihil prius, nihil religioſius obſeruandum, quàm diuinum mandatum. Infeliciter (inquies) ſcilicet de hac re vnquam dubitaſti, & nunc tandem hæc ita habere didiciſti? Imo feliciſsime, non ſolum enim dubitaui, ſed plane ignoraui hæc ita habere. Quin ſi pateris, promptum eſt mihi & communem tibi mecum fuiſſe eam ignorantiam, demonſtrare.

Annus ferme agitur decimus ſextus monachatus mei, quem te & inuito & ignorante ſubiui, Metuebas tu paterno affectu imbecillitati meæ, cum eſſem iam adoleſcens, ſecundum & viceſimum annum ingreſſus, hoc eſt, feruente (vt Auguſtini verbo vtar) adoleſcentia indutus, quòd multis exemplis didiceras, hoc vitæ genus infeliciter quibuſdam cecidiſſe. Deſtinabas vero me vincire honeſto & opulento coniugio. Hic metus erat tua cura, erat & indignatio tua in me aliquandiu implacabilis, fruſtra ſuadentibus amicis, vt ſi quid offerre Deo velles, chariſsimum & optimum tuum offerres. Interim Dominus in tuas cogitationes illud Pſalmi ſonabat, ſed ſurdo: Deus ſcit cogitationes hominum, quoniam vanæ ſunt

Tandem ceſsiſti & voluntatem Deo ſubmiſiſti, ſed nequaquam poſito mei timore, Memini enim nimis præſente memoria, cum iam placatus mecum loquereris, & ego de cœlo terroribus me vocatum aſſererem, Neque enim libens & cupiens fiebā

mona-

monachus,multo minus vero ventris gratia,ſed terrore & agonē mortis ſubitæ circumuallatus,noui coactum & neceſſarium votum. Vtinam (aiebas)non ſit illuſio & præſtigium. Id verbi,quaſi Deus per os tuum ſonaret,penetrauit & inſedit in intimis meis, ſed obfirmabam ego cor,quantum potui, aduerſus te & verbum tuum. Addebas & aliud, cum tibi iam opprobrarem filiali fiducia indignationem, repente tu me reuerberas & retundis tam oportune & apte, vt in tota vita mea ex homine vix audierim verbum,quod potentius in me ſonuerit & hæſerit. Et non etiam (dicebas)audiſti tu parentibus eſſe obediendum? Verum ego ſecurus in iuſticia mea,te velut hominem audiui & fortiter contempſi,nam ex animo id verbi contemnere non potui.

Hic vide,an non & tu ignoraris mandata Dei præferenda eſſe omnibus. Nonne ſi ſciſſes,me adhuc tum fuiſſe in manu tua, plane è cucullo autoritate paterna extraxiſſes? Sed nec ego, ſi ſciuiſſem,te ignorante & inuito id tentaſſem,etiamſi multis mortibus pereundum fuiſſet. Neq; enim meum votum valebat hunc floccum,quo me ſubtrahebam parentis autoritati & voluntati diuinitus mandatæ, Imo impium erat, & ex Deo non eſſe probabat non modo id quod peccabat in tuam autoritatem, ſed etiā quod ſpontaneū & voluntariū non erat. Deinde in doctrinas hominū & ſuperſtitionem hypocritarum fiebat,quas Deus non præcepit.

Verum Deus,cuius miſericordiæ non eſt numerus,& ſapientiæ eius non eſt finis,ex omnibus his erroribus & peccatis,quantā bona,ecce,promouit. Nonne centum Filios nunc malles amiſiſſe,quàm hoc bonum non vidiſſe? Videtur mihi Satanas à pueritia mea aliquid in me præuidiſſe eorum,quæ nunc patitur, ideo ad perdendum, ad impediendumque me inſaniuit incredibilibus machinis, Vt ſæpius fuerim admiratus, Ego ne ſolus eſſem inter mortales,quem peteret.

Voluit autem Dominus(vt nunc video) Academiarum ſapientias & monaſteriorum ſanctitates propria & certa experientia,hoc eſt, multis peccatis & impietatibus mihi notas fieri, ne impijs hominibus occaſio fieret in futurum aduerſariū gloriandi, quod ignota damnarem. Igitur vixi monachus,non ſine peccato quidem, ſed ſine crimine, Nam impietas & ſacrilegium in rego Papæ pro ſumma pietate habentur, nedum crimina cenſentur.

Quid igitur nunc cogitas? An adhuc me extrahes? adhuc enim parens es,adhuc ego filius ſum, & vota omnia nullius ſunt momenti. A parte tua ſtat autoritas diuina,à mea parte ſtat præſumptio humana. Neque enim ipſa adeo continentia, quam tantis buccis crepant, quidquam valet ſine obedientia mandati Dei, Continentia non eſt mandata, obedientia vero eſt mandata. Quanquam inſani & fatui Papiſtæ virginitati & continentiæ nihil patiantur æquari,prodigioſis mendacijs vtranq; iactantes,

vt ipſa mentiendi inſania,tum ignorantiæ magnitudo vtra & ſola debuerit ſuſpectum reddere,quidquid faciunt & ſapiunt.

Quæ eſt enim intelligentia,illud ſapientis: Non eſt digna ponderatio continentis animæ,eo torquere,vt videatur virginitatem & continentiam omnibus prætuliſſe,incommutabilem & indiſpenſabilem feciſſe? Cum hoc verbum Iudæus Iudæis ſcripſerit de caſta coniuge,apud quos virginitas & continentia damnabantur. Sic & illud pudicæ vxoris præconium: Hæc eſt quæ neſciuit thorum in delicto,aptant virginibus.

Falſæ votorum laudes. Breuiter,cum virginitas in ſcripturis non laudetur,ſed tantum probetur,præconijs coniugalis caſtitatis,ceu alienis plumis veſtitur ab iſtis, qui ad pericula ſalutis animas prompti ſunt inflammare. An non & obedientis animæ non eſt digna ponderatio? plane ideo non eſt digna ponderatio continentis animæ, id eſt, pudicæ vxoris,non ſolum quia præcepta eſt à Deo, verum etiam, vt vulgatum Prouerbium habet, quòd vxore pudica nihil eſt in hominibus expetibilius.

At illi fideles Scripturæ interpretes,quod de continentia præcepta dicitur,de continentia non præcepta intelligunt, Deinde ponderationem humanam faciunt æſtimationem diuinã. Hinc omnia diſpenſant etiam obedienciam Dei. Continentiam vero aliquando & prohibitam, ſcilicet aduerſus parentum autoritatem ſuſceptam non diſpenſant O dignos & vere papiſticos doctorculos & magiſtellos. Virginitas & caſtitas laudandæ ſunt,ſed ſic,vt magnitudine earum magis abſterreantur, quam alliciantur homines. Sicut Chriſtus,cum diſcipuli continentiam laudarent dicentes: Non expedit nubere,ſi ſic homini eum vxore eſt, *Matth. 9.* Mox retraxit eos & dixit: Non capiunt omnes verbum hoc. Capiendum verbum,ſed paucis voluit intelligi.

SEd ad te reuertar,Parens mi,Et iterum dico,Nunquid me extrahes adhuc? At ne tu glorieris, præuenit te Dominus,& ipſe me extraxit. Quid enim ſi veſtem & raſuram vel geſtem vel ponam? Nunquid cucullus & raſura faciunt monachum? Omnia veſtra,ait Paulus,vos autem Chriſti, & ego cuculli ero, ac non *1. Cor. 3.* potius cucullus meus? Conſcientia liberata eſt, id quod abundantiſsime eſt liberari. Itaque iam ſum Monachus & non Monachus, noua Creatura, non Papæ, ſed Chriſti. Creat enim & Papa,ſed puppas & pappos, hoc eſt, ſibi ſimiles laruas & idola, quorum & ego aliquando vnus fui, ſeductus, variis verborum conſuetudinibus, quibus & Sapiens periclitatum ſeſe dicit ad mortem vſque,& liberatum gratia Dei. Sed nunquid iterum tuo te iure & autoritate ſpolio? plane autoritas tibi in me manet integra,quod ad monachatum attinet,verum is iam nullus in me eſt, vt dixi. Cæterũ is,qui me extraxit,ius habet in me maius iure tuo,

à quo

à quo me vides poſitum iam non in fictitio illo monaſticorum, ſed vero cultu Dei, In miniſterio enim verbi me eſſe, quis poteſt dubitare? At hic cultus plane eſt, cui cedere debet parentum autoritas, dicente Chriſto: Qui amat patrem & matrem plus quàm me, non eſt me dignus. Non quòd parentum autoritatem hoc verbo euacuauerit, cum Apoſtolus toties inculcet, vt filij obediant parentibus, ſed ſi pugnet parentum & Chriſti vocatio vel autoritas, Chriſti autoritas regnare ſola debet.

Itaque ſub conſcientiæ meæ periculo tibi non obedire non poſſem (ita ſum modo perſuaſiſsimus) vbi miniſterium verbi vltra monachatum non acceſsiſſet. Hoc eſt, quod dixi, neque te neque me ſciuiſſe antea, Mandata Dei omnibus præferenda eſſe. Sed totus ferme orbis hac ignorantia laborat, regnante operatione erroris, ſub abominatione papali, Quod & Paulus prædixit, dicens, Fore homines parentibus non obedientes, quod in monachos & ſacerdotes quadrat, eos potiſsimum, qui ſpecie pietatis & titulo ſeruitutis Dei, parentum autoritati ſe ſubtrahunt, quaſi vlla ſit ſeruitus Dei alia, quam mandatis eius obedire, inter quæ eſt & obedientia parentum.

Mitto itaque hunc Librum, in quo videas, quantis ſignis & virtutibus Chriſtus me abſoluerit à voto monaſtico, & tanta libertate me donarit, vt cum omnium ſeruum fecerit, nulli tamen ſubditus ſim niſi ſibi ſoli. Ipſe enim eſt meus immediatus (quod vocant) Epiſcopus, Abbas, Prior, Dominus, Pater & Magiſter, Alium non noui amplius. Sic ſpero tibi filium vnum rapuerit, vt multis aliis filiis ſuis per me conſulere incipiat, Quod tu non modo libeter ferre, ſed & multo gaudio gaudere debes, nec aliud te facturum eſſe, mihi certiſsime perſuadeo. Quid ſi me occidat Papa, aut damnet vltra tartara? Occiſum non ſuſcitabit, vt bis & iterum occidat, Damnatum vero ego volo, vt nunquam abſoluat. Confido enim inſtare diem illum, quo deſtruetur Regnum iſtud abominationis & perditionis. Vtinam nos primum digniſsimus vel exuri vel occidi ab eo, quo ſanguis noſter magis clamet & vrgeat iudicium illius accelerari, Sed ſi digni non ſumus, ſanguine teſtificari, Hanc ſaltem oremus & imploremus miſericordiam, vt vita & voce teſtemur, quòd Ieſus Chriſtus ſolus eſt Dominus Deus noſter, benedictus in ſecula ſeculorum, Amen. In quo bene vale, chariſsime Parens, & matrem meam, Margaritam tuam, cum vniuerſo ſanguine ſaluta in Chriſto.

Ex Eremo, XXI. Nouemb. Anno M. D. XXI.

IESVS.

IESVS.

IVDICIVM MARTINI LVTHERI DE VOTIS MONASTICIS

Proteſtatio.

INprimis denunciatum eſſe volo ijs, qui iamdudum inueterato nominis mei odio, ipſam manifeſtiſſimam veritatem propter me damnant, ad ipſos nihil à me ſcribi hoc Libro, quòd nolim aſpidibus illis ſurdis & aures obturantibus fruſtra vocem incantationis meæ obſtrepere, nec iuxta Salomonem verbum effundere, vbi non eſt auditus, nec ſanctum dare canibus, nec margaritas proijcere ante porcos. Legant illi Creatoris ſui decretales & ſuas ſapientias, quando ita volunt. Illis tantum ſeruio, qui fornace ferrea Ægypti & æſtuantiſſimo Babylonis igne, hoc eſt, conſcientiæ & peccati tyrannide torquentur. De votis enim monaſticis agemus, quæ multiplicata & vulgata videmus, cum ſumma Chriſtianiſmi pernicie, & immenſa animarum calamitate. Deus miſereatur noſtri & benedicat nobis, Illuminet vultum ſuum ſuper nos, vt cognoſcamus in terra viam eius, in omnibus Gentibus ſalutare eius, Vt & confiteantur ei populi, lætentur & exultent gentes, quòd liberatos ab hominum traditionibus ipſe iudicet in æquitate, & gentes in terra dirigat, Amen.

NON DISPVTARI, SIT NE PRÆſtandum votum, Sed quæ vota vere vota ſint.

NEmo poteſt negare, diuinitus eſſe inſtitutum ius reddendi voti, dicente Scriptura: Vouete & reddite, vt prorſus nulli fas ſit diſputare, an votum ſit reddendum. Neque nos diſputamus, an reddendum ſit votum, Sed hoc agimus, vt inter vota diſcernamus & cognoſcamus, quæ ſint pia, bona & placita Deo, quæ & ſola ſunt cenſenda vota in Scripturis nominari & exigi. Rurſum quæ impia, mala & diſplicentia Deo, quæ non aliter ſunt cenſenda vota, quam ſi pietatem dixeris, occidiſſe proximum aut adulterâratum fuiſſe. Vt nec in hoc ſit diſputare neceſſarium, an talia ſint reddenda vel reuocanda. Nihil enim tam pium ac ſanctum eſt vnquam inſtitutum, quod non ſit peruerſa æmulatione & impia ſpecie tentatum, Imo quo ſanctior res eſt, hoc magis petitur impiorum & hypocritarum peruerſa æmulatione. Quid ſanctius latria ſummo & primo Præcepto mandata? Rurſum, quid vulgarius ſuperſtitione, Id eſt, falſa & ſimulata latria? vt metuendum ſit, eadem peruerſitate & votorum pietatem degeneraſſe in hypocriſin & ſuperſtitionem impiam. Neque enim vera pietas & ſyncerum votum tam vulgaris res eſt, præſertim nouiſſimis iſtis periculoſis, impijs & peſſimis temporibus, in quibus & fides & charitas occaſuræ prædictæ ſunt.

Pſal. 76.

Procliue labi è pietate in hypocriſin.

PRIMVM

PRIMVM VOTA MONASTICA NON niti verbo Dei, imo aduerſari verbo Dei.

DVbium non eſt, Votum monaſticum hoc ipſo periculoſum eſſe, quod res eſt ſine autoritate & exemplo Scripturæ, ſed & Eccleſia primitiua & nouum Teſtamentum ignorât in totum vouendæ cuiuſcunque rei vſum, nedum probant perpetuum hoc voti genus rariſſimæ & miraculoſæ caſtitatis. Eſt enim merum & perniciloſum hominum inuentum, cuiuſmodi ſunt & omnia alia per homines inuenta. Quod autem in Actis S. Paulus votum habens, ſeſe cum quatuor alijs viris purificauit: quis non videt ex vetere lege reliquum fuiſſe? Vt interim taceam, quod temporale votum fuit. Sic enim idem Apoſtolus & omnia alia legis veteris ſeruabat cum Iudæis, ſed hoc non voluit exemplum eſſe nouo Teſtamento, imo eum Gentibus legem omittebat. Sanctus Antonius ipſiſſimus monachorum Pater, & monaſticæ vitæ princeps ſapientiſſime & Chriſtianiſſime cenſuit & docuit, Nihil prorſus eſſe tentandum, quod autoritatem Scripturæ non haberet. Et ipſe deuotarium hoc & cæremoniale monachorum genus prorſus ignorauit, ſed libere incoluit Eremum, & libere cœlebs vixit, iuxta formam Euangelij. Poſteri eius, votum, neceſſitatem & ſeruitutem ex illius inſtituto fecerunt, nihil niſi ſpeciem & fallacem æmulationem Antonianæ regulæ, quæ Chriſti regula eſt, ſecuti, humana tantum ſapientes.

Acto. 21. *Vota humana traditio.* *Pauli votum.* *Egregia Antonij ſententia.*

Sic & S. Paulus, cum ſæpius iactet formam & traditionem per ſuum miniſterium Eccleſiis datam, exigatque vt ſeſe imitentur, non tamen vult, vt tanquam Paulum imitentur, ſed Chriſtum in ipſo, dicens: Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti. Certe alius Dux nobis datus non eſt, quam de quo magnifica Patris gloria teſtata eſt, in hanc vocem *Hunc audite*. Quo verbo Chriſtus omnibus Dux conſtitutus eſt, & omnes ei ſubiecti & poſtpoſiti. Sicut antea prophetauerat Micheas 5. exiturum de Bethleem Ducem, qui regeret populum Dei. Hinc & ipſemet Patri ſuo conteſtificans dicit: *Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris*. Et iterum: *Ego ſum lux mundi*. Ipſe enim ſtat in ſignum populorum, quod leuauit Deus ad congregandos profugos Iſrael. Sicut iterum dicit Iohan 6. Nemo venit ad Patrem niſi per me, Ego ſum oſtium, Ego via, veritas & vita.

Imitatores mei eſtote, ſicut ego Chriſti. *Mich. 5.* *Iohan. 8.* *Eſaiæ 11.* *Iohan. 6. 14*

HÆc & ſimilia oracula Scripturæ cum ſint luce clariora & fideliſſima, certe cogunt damnare, quidquid eſt Regularum, Statutorum, Ordinum, Sectarum, quod vel citra vel præter, vel vltra Chriſtum incedit, etiamſi per Angelos de cælo traditum, ſi per miracula ingentia confirmatum eſſet. Non patietur ille aliam viam præſumi, qui dixit: *Ego ſum via*, Quin hac voce omnes alias vias præteritas, præſentes, futuras, reuocauit, caſſauit & irritas fecit. Nec ſinit alium Ducem & Magiſtrum ſurgere, qui dixit: *Hunc audite*, ſiue meliora ſiue viliora tentatit tradere, ſed hac voce damnauit, quidquid eſt legum & traditionum extra Chriſtum, ſicut & Chriſtus dicit Iohan. 10. Omnes quotquot ante me venerunt, latrones & fures fuerunt.

Periculoſum quidquid extra Scripturam eſt. *Iohan. 14.* *Iohan. 10.*

EX quibus id colligitur euidentiſſime, prorſus non licere monaſticen vouere, Suntque per hæc cœleſtia tonitrua ſublata, prohibita & damnata omnia iſtius generis vota penitiſſime, Cum negare nemo poſſit, in monaſtice

Concluſio, quod monaſtice ſit prohibita.

Nec propterea, quia pauciores minimaq; pars ſumus, veritas & autoritas verbi diuini, quod omnibus angelis & creaturis imperat, cum clare in Euangelio & Apoſtolo tradita nobiſcum faciant, leuior videri debet. Nam ab initio mundi ſemper minima pars & exigua particula mundi veritatem accepit & profeſſa, eſt, idemq; permanebit Eccleſiæ ſtatus vſq; ad orbis interitum. Quid? quod Chriſtus ipſe infirmis, contemptis, paucis, miſeris, ſimplicibus, indoctis perſonis commendauit miniſterium Euangelij, veritatiſq; per totum orbem annunciandæ, ac illis ſolis cœleſtem reuelauit ſapientiam, quam potentes & ſapientes mundi ignorabant, Matthæi 11. Hanc reſponſionem iudicamus ſatisfacere primo articulo.

AD ſecundum articulum, Etiam in lege Moſi, Eſai 53. & pluribus in locis Scripturæ clariſsime prædictum fuit, Chriſtum infirma, ſeruili & contemptibili ſpecie venturum, vt eſſet Saluator generis humani, Nec tamen quiſquam hæc videre, intelligere, & excipere Chriſtum voluit, præter paucos, quibus hoc datū fuit, nempe imbecilles, miſeri, ſimplices, ſed ſpiritu Domini illuminati.

Idem plane nunc accidit Quanquam in ſacroſancto Euangelio ſupra commemoratus verus, ſyncerus probatiſsimusq; Cœnæ vſus, multaq; præterea religionis capita expreſſe traduntur, Pontifices tamen & alij, qui ſibi titulum ſapientiæ vendicant, vel ſui quæſtus & emolumenti cauſa, vel quod cæca quadam & malitioſa diffidentia ſuę dignitati, potentiæ, honori, tranquillitati & alijs commodis metuūt, illa neq; intelligere neq; concedere poſſunt. Nec minus per doctrinas & traditiones humanas prorſus excæcati ſunt, quàm Phariſæi, Pontifices, Scribæ, Chriſti tempore admiratione ſuarum traditionum, cultuum, legum, & illius ſtatus, in quo ipſi præſtabant, adeo dementati erant, vt Chriſtum non ſolum non agnoſcerent, aut reciperent, ſed potius inſania & furore quodam concitati, totis viribus oppugnarent.

Quare, etſi verus ille, ſimplex & Chriſtianus ritus Miſſæ in Euangelio luculenter deſcriptus eſt, cui præcipue debet adiungi concio ex verbo Dei ſumpta, de fine, vſu & fructu huius cæremonię, tamen nemo aſſentietur aut concedet piam mutationem fieri, niſi quibus deſuper donatum patefactumque fuerit.

DE fundationibus, & quando præſentes Miſſæ introductæ ſint, de quibus habent III. & IIII. articuli, ſatis conſtat, Collegia vetera, monaſteria & templa initio non fundata, conſtituta, ordinata, regiisque opibus locupletata fuiſſe, ad lectionem Miſſarum vel horarum Canonicarum deblaterationem, abſque fructu & vtilitate Eccleſiæ ac fidei Chriſtianæ, quod nunc fere fit, Sed potius vt iuuentus in ſacra Scriptura & religionis doctrina erudiretur.

Itaque

Itaque vetera Collegia, Cœnobia & Dioceſes fuerunt ſcholæ iuuenum Chriſtianorum vſque ad Auguſtini, imo Bernardi, ætatem. Ad hunc finem omnia bona facultateſque eccleſiaſticę legatæ & donatæ fuerunt, vt inde ſtipendia, & quaſi præmia laborum darentur Paſtoribus Doctoribusque Eccleſiarũ, & ſuſtentarentur tenues Scholaſtici, alijque pauperes. Quod veterum hiſtoriarum monumenta perſpicue indicant.

Recentes vero fundationes Collegiorum aut Cœnobiorum, ab annis quadringentis aut quingentis fere omnes Miſſarum & cantionum vſitatarum cauſa conſtitutæ, magnificeque (quod apparet) auctæ ſunt.

Et quia fundationes huiuſmodi ſingulis ſeptimanis à ſingulis perſonis certum exigunt Miſſarum numerum, quod ſine peccato præſtari non poteſt, Debent hi carceres vinculaque conſcientiarum quamprimum ſine tergiuerſatione tolli.

Ac etiam ſi quæ conſtitutiones certum Miſſarum numerum non exigunt, cum tamen hoc errore factæ ſint, quòd Miſſa ſit bonum opus aut ſacrificium applicandum pro alijs, tales quoq; ordinationes mutandæ & antiquandæ ſunt. Vera enim Miſſa pij ſacerdotis tantum facienti prodeſt, non alteri, nec plus meretur, magisve placet Deo, quam ſi Laico porrigatur Sacramentum, quod Cel. V. in priori ſcripto planum facere conati ſumus.

Nec ideo violantur iniuriaue afficiuntur iura donationum illarum, quia Autores earum ab impuris ſacrificulis perſuaſi ac decepti, putarunt ſe ijs fundationibus ſibi ſuæque familiæ & poſteritati rem profuturam ad ſalutem animarum inſtituere. Qui profecto ſi reuocarentur in vitam, damnarent ipſi facilitatem credulitatemq; hac in re ſuam, cum viderent ſolummodo ad explendam ſacerdotum auaritiam, & pecuniarum aucupia à ſacerdotibus has donationes primũ expetitas aut poſteà translatas, eſſe.

AC ſatis conſtat morem pro alijs, præſertim defunctis, quæſtus gratia definito certoq; tempore legendi Miſſas, non ita pridẽ, ſed ante annos ducentos, aut aliquanto amplius excogitatum fuiſſe. Nec horum Anniuerſariorum exequiarum, & ſimiliũ quæſtuariarum Miſſarum in antiquis fundationibus vlla fit mentio.

Nec dubium eſt, priſcis Cæſaribus & Regibus à Collegijs ſuorum Canonicorum nullas ſolennitates funebrium & anniuerſariarum oblationum celebratas eſſe.

Deinde, etiamſi D. Petri ætate tales nundinæ venundationeſque Miſſarum receptæ fuiſſent, Num propterea tam atroces blaſphemiæ & manifeſta peccata non abijci atque aboleri deberent? S. Paulus conqueritur iam ſuo tempore pullulare ſemina tyrannidis dominationiſque Antichriſti in cumulandis ceremonijs

operumque cultibus. Quocirca hic abuſus in nullius creaturæ gratiam, ſiue terrenæ ſiue cœleſtis, ſilentio aut approbatione confirmandus eſt.

Conſtat & illud, primum & antiquiſsimum morem, ſemper in Miſſa adſtantibus in cœtu porrigendi integrum ſacramentum, duraſſe vſq; ad Cypriani ætatem, eademq; conſuetudo in Græcia & orientalibus Eccleſijs obſeruatur in hunc vſq, diem, quæ retinuerunt exemplum Apoſtolorum.

HOdiernum vero ritum modumq; legendi Miſſas nuper introductum eſſe indicat & antiqua obſeruatio Mediolanenſis Epiſcopatus, qui etſi eſt Romano vicinus, tamen caret bona parte canonum Miſſæ, adeo, vt ne hodie quidem aliquis Romanus ſacerdos ex Miſſali Mediolanenſi poſsit celebrare. Præterea formam Miſſarū ſæpe vel mutarunt vel auxerunt Pontifices, Damaſus, Gelaſius, Celeſtinus, Gregorius, quos conſtat recentiores eſſe.

Itaq; primus, integer, ſyncerus vſus & forma ſeu præſcriptū Apoſtolorum nequaquam negligendum vel aſpernandum eſt, nec temere & ſine autoritate Scripturæ ab eo diſcedendum, cum Paulus inculcet: Accepi à Domino, quod & vobis tradidi. Quanquam de ordine, modo ſeu forma principaliter hic non loquimur, nec eſt perpetuo de ea litigandum, modo ſubſtantialia & præcipua quaſi capita, non corrumpantur.

Verum hoc deploramus, quod præter mutatam formam veteremq; morem ac conſuetudinem etiam, accedunt flagitioſi abuſus & blaſphemiæ in applicatione pro viuis & mortuis, quodque contra expreſſam inſtitutionem & mandatum Chriſti altera pars Sacramenti Laicis erepta eſt.

Quod ſi propter aliquas neceſſarias mutationes, magnæ diſtractiones, diſsidia aut tumultus oriantur, non noſtra hæc, aut eorum, qui ſpargere vel propagare veritatem diuinam cupiunt, culpa iudicari debet, Sed illi vituperandi ſunt, qui odio inuidiaq; flagrantes pro defendenda dignitate, ocio, & culina, deniq; pro focis contra aras bellum gerere, & quacunq; poſſunt immanitate hanc lucem obſtruere & obruere non verentur.

Si Pontifices illi & Phariſæi vna cum Magiſtris noſtris eximijs, ſacroſanctum Dei verbum publice audiri, prædicari, legi permitterent etiamſi non aſſentirentur ipſi, aut qua poſſent argumētorū & Scripturæ teſtimoniorū copia refutarent, nec violenta & manifeſta crudelitate graſſarentur, nullæ diſcordiæ, ſeditiones, tumultus exiſterent. Cum vero nullo fundamento aut Scripturæ teſtimonio nixi, imo reclamante conſcientia, Regum & principū animis hanc de nobis opinionē inſtillent ac quaſi inſculpant hæretica & impia eſſe, quæ profitemur, Non ſane mirandum eſt, Prædicatores verbi Dei cum ſuis auditoribus affligi, comburi, trucidari.

Ideoque hi furores aduerſariorum & ingentia pericula non tanti facienda, aut eo vſque formidanda ſunt, Neque enim Chriſtus, quia hoc genus incõmoda, diſcordias, ſeditiones, bella, parricidia piorum, voce Euangelij impendentes regnorum, mutationes, variasque ruinas proſpiciebat metu exanimatus obmutuit, aut miniſterium docendi reliquit? Apoſtoli quidem, cum ſapientes deteſtarentur prædicationem Euangelij, tanquam facem diſſidiorum, perturbationum, tumultuum, ſchiſmatum, ſeditionum, quæ Hieroſolymæ inter Iudæos, propter legem diuinitus datam & promulgatam, excitabantur, nihilo timidius aut neglıgentius docendi fungebantur munere.

Diabolus haud dubie obijcit nobis iſta corporalia externaq; pericula, vt curſum Euangelij, quod extreme odit, inhibeat ac remoretur. Idcirco non tantopere moueamur his ſpectris & terriculamentis Satanæ, & ſuo quisque loco, tanquam in acie conſiſtentes, Deo commendemus euentum. Certe enim Scripturam impleri oportet, quæ prædicit talem perſecutionem Eccleſiæ, qualis non fuerit ab exordio mundi, Matth. 24. Et Chriſtus diſerte nos præmonet, inquiens: Non veni pacem mittere ſed gladium, diſsidium inter patrem & filium, matrem & filiam, adeò, vt alius alium verbi Dei cauſa offenſurus & deſerturus ſit. Nam qui me non plus diligit (ait ibidem Chriſtus) quàm pàtrem aut matrem, non eſt me dignus, hoc eſt, qui propter verbum Dei in diſcrimen offerre dubitat, exiſtimationem, corpus, & bona ſua, Non eſt vere Chriſtianus.

Matth. 24.

Matth. 10.

POſtremo, Nec ſcandala, ſi quæ pariet huius Doctrinæ profeſſio, quenquam deterreant vel languefaciant. Quemadmodum enim (iuxta Scripturam) Chriſtus venit in mundum, & donatus eſt ijs, qui in ipſum & verbum eius credunt, vt regenerati Spiritu ſancto fruantur æterna luce & vita, Sic è diuerſo incredulis & hoſtibus Euangelij conſtitutus eſt in ſcandalum, vt irruentes in eum æterna morte opprimantur, Sicut Lucæ 2. vaticinatur Simeon: Hic poſitus eſt in ruinam & reſurrectionem multorum in Iſrael. Item Luc. 20. Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, factus eſt in caput anguli, Quicunque inciderit in eum, diſsiliet, ſuper quem ille cadet, conteretur, Nam Chriſtus eſt poſitus & datus in ſignum contradictionis, Luc. 2.

Lucæ 2.

Luce 20.

Iuſtus Ionas Præpoſitus.
Philippus Melanthon.
Nicolaus Amſdorff: Licentiatus.
Iohannes Dœltz à Veltkirch.

DE VOTIS MONASTICIS D. MARTINI LVTHERI IVDICIVM, AB AVTORE RECOGNItum & auctum, Scriptum ſub finem anni XXI. Impreſſum vero menſe Ianuario anni XXII.

IESVS.

IOHANNI LVTHERO PARENTI SVO, MARTINVS LVTHERVS FILIVS, in Chriſto ſalutem.

HVnc Librum tibi, Parens chariſsime, nuncupare conſilium fuit, Non vt nomen tuum ferrem in orbem, & in carne gloriaremur aduerſus doctrinam Pauli, ſed vt occaſionem apprehenderem, quæ ſeſe inter te & me opportune obtulit, breui prologo, & cauſam & argumentum & exemplum huius Libelli, pijs Lectoribus enarrandi.

Et vt hinc ordiar, Scire te volo, Filium tuum eo promouiſſe, vt iam perſuaſiſsimus ſit, nihil eſſe ſanctius, nihil prius, nihil religioſius obſeruandum, quàm diuinum mandatum. Infeliciter (inquies) ſcilicet de hac re vnquam dubitaſti, & nunc tandem hæc ita habere didiciſti? Imo feliciſsime, non ſolum enim dubitaui, ſed plane ignoraui hæc ita habere. Quin ſi pateris, promptum eſt mihi & communem tibi mecum fuiſſe eam ignorantiam, demonſtrare.

Annus ferme agitur decimus ſextus monachatus mei, quem te & inuito & ignorante ſubiui, Metuebas tu paterno affectu imbecillitati meæ, cum eſſem iam adoleſcens, ſecundum & viceſimum annum ingreſſus, hoc eſt, feruente (vt Auguſtini verbo vtar) adoleſcentia indutus, quòd multis exemplis didiceras, hoc vitæ genus infeliciter quibuſdam cecidiſſe. Deſtinabas vero me vincire honeſto & opulento coniugio. Hic metus erat tua cura, erat & indignatio tua in me aliquandiu implacabilis, fruſtra ſuadentibus amicis, vt ſi quid offerre Deo velles, chariſsimum & optimum tuum offerres. Interim Dominus in tuas cogitationes illud Pſalmi ſonabat, ſed ſurdo: Deus ſcit cogitationes hominum, quoniam vanæ ſunt

Tandem ceſsiſti & voluntatem Deo ſubmiſiſti, ſed nequaquam poſito mei timore, Memini enim nimis præſente memoria, cum iam placatus mecum loquereris, & ego de cœlo terroribus me vocatum aſſererem, Neque enim libens & cupiens fiebã

mona-

monachus,multo minus vero ventris gratia,ſed terrore & agonē mortis ſubitæ circumuallatus,noui coactum & neceſſarium votum.Vtinam (aiebas)non ſit illuſio & præſtigium.Id verbi,quaſi Deus per os tuum ſonaret,penetrauit & inſedit in intimis meis, ſed obfirmabam ego cor,quantum potui,aduerſus te & verbum tuum.Addebas & aliud, cum tibi iam opprobrarem filiali fiducia indignationem, repente tu me reuerberas & retundis tam oportune & apte, vt in tota vita mea ex homine vix audierim verbum,quod potentius in me ſonuerit & hæſerit.Et non etiam (dicebas)audiſti tu parentibus eſſe obediendum? Verum ego ſecurus in iuſticia mea,te velut hominem audiui & fortiter contempſi,nam ex animo id verbi contemnere non potui.

Hic vide,an non & tu ignoraris mandata Dei præferenda eſſe omnibus.Nonne ſi ſciſſes,me adhuc tum fuiſſe in manu tua, plane è cucullo autoritate paterna extraxiſſes? Sed nec ego, ſi ſciuiſſem,te ignorante & inuito id tentaſſem,etiamſi multis mortibus pereundum fuiſſet.Neq; enim meum votum valebat hunc floccum,quo me ſubtrahebam parentis autoritati & voluntati diuinitus mandatæ,Imo impium erat, & ex Deo non eſſe probabat non modo id quod peccabat in tuam autoritatem, ſed etiā quod ſpontaneū & voluntariū non erat. Deinde in doctrinas hominū & ſuperſtitionem hypocritarum fiebat,quas Deus non præcepit.

Verum Deus,cuius miſericordiæ non eſt numerus,& ſapientiæ eius non eſt finis,ex omnibus his erroribus & peccatis,quantā bona,ecce,promouit. Nonne centum Filios nunc malles amiſiſſe,quàm hoc bonum non vidiſſe? Videtur mihi Satanas à pueritia mea aliquid in me præuidiſſe eorum,quæ nunc patitur, ideo ad perdendum, ad impediendumque me inſaniuit incredibilibus machinis,Vt ſæpius fuerim admiratus, Ego ne ſolus eſſem inter mortales,quem peteret.

Voluit autem Dominus(vt nunc video) Academiarum ſapientias & monaſteriorum ſanctitates propria & certa experientia,hoc eſt,multis peccatis & impietatibus mihi notas fieri, ne impijs hominibus occaſio fieret in futurum aduerſariū gloriandi, quod ignota damnarem.Igitur vixi monachus,non ſine peccato quidem, ſed ſine crimine, Nam impietas & ſacrilegium in rego Papæ pro ſumma pietate habentur, nedum crimina cenſentur.

Quid igitur nunc cogitas? An adhuc me extrahes? adhuc enim parens es,adhuc ego filius ſum, & vota omnia nullius ſunt momenti.A parte tua ſtāt autoritas diuina,à mea parte ſtat præſumptio humana.Neque enim ipſa adeo continentia, quam tantis buccis crepant, quidquam valet ſine obedientia mandati Dei, Continentia non eſt mandata, obedientia vero eſt mandata. Quanquam inſani & fatui Papiſtæ virginitati & continentiæ nihil patiantur æquari,prodigioſis mendacijs vtranq; iactantes;

 vt ipſa

vt ipſa mentiendi inſania,tum ignorantiæ magnitudo vtra & ſo la debuerit ſuſpectum reddere,quidquid faciunt & ſapiunt.

Quæ eſt enim intelligentia,illud ſapientis:Non eſt digna ponderatio continentis animæ,eo torquere,vt videatur virginitatem & continentiam omnibus prætuliſſe,incommutabilem & indiſpenſabilem feciſſe?Cum hoc verbum Iudæus Iudæis ſcripſerit de caſta coniuge,apud quos virginitas & continentia damnabantur.Sic & illud pudicæ vxoris præconium: Hæc eſt quæ neſciuit thorum in delicto,aptant virginibus.

Falſæ votorum laudes. Breuiter,cum virginitas in ſcripturis non laudetur,ſed tantum probetur,præconijs coniugalis caſtitatis,ceu alienis plumis veſtitur ab iſtis, qui ad pericula ſalutis animas prompti ſunt inflammare. An non & obedientis animæ non eſt digna ponderatio? plane ideo non eſt digna ponderatio continentis animæ, id eſt, pudicæ vxoris,non ſolum quia præcepta eſt à Deo, verum etiam, vt vulgatum Prouerbium habet, quòd vxore pudica nihil eſt in hominibus expetibilius.

At illi fideles Scripturæ interpretes,quod de continentia præcepta dicitur,de continentia non præcepta intelligunt, Deinde ponderationem humanam faciunt æſtimationem diuinã, Hinc omnia diſpenſant etiam obedientiam Dei. Continentiam vero aliquando & prohibitam , ſcilicet aduerſus parentum autoritatem ſuſceptam non diſpenſant O dignos & vere papiſticos doctorculos & magiſtellos.Virginitas & caſtitas laudandæ ſunt,ſed ſic,vt magnitudine earum magis abſterreantur, quam alliciantur homines.Sicut Chriſtus,cum diſcipuli continentiam laudarent dicentes: Non expedit nubere,ſi ſic homini cum vxore eſt , *Matth. 9.* Mox retraxit eos & dixit:Non capiunt omnes verbum hoc. Capiendum verbum,ſed paucis voluit intelligi.

SEd ad te reuertar,Parens mi,Et iterum dico,Nunquid me extrahes adhuc ? At ne tu glorieris, præuenit te Dominus,& ipſe me extraxit.Quid enim ſi veſtem & raſuram vel geſtem vel ponam?Nunquid cucullus & raſura faciunt monachum ? Omnia veſtra,ait Paulus,vos autem Chriſti, & ego cuculli ero , ac non *1.Cor.3.* potius cucullus meus ? Conſcientia liberata eſt, id quod abundantiſsime eſt liberari. Itaque iam ſum Monachus & non Monachus, noua Creatura,non Papæ,ſed Chriſti.Creat enim & Papa,ſed puppas & pappos, hoc eſt, ſibi ſimiles laruas & idola , quorum & ego aliquando vnus fui, ſeductus, variis verborum conſuetudinibus, quibus & Sapiens periclitatum ſeſe dicit ad mortem vſque,& liberatum gratia Dei.Sed nunquid iterum tuo te iure & autoritate ſpolio?plane autoritas tibi in me manet integra,quod ad monachatum attinet,verum is iam nullus in me eſt, vt dixi.Cæterũ is,qui me extraxit,ius habet in me maius iure tuo,

à quo

à quo me vides poſitum iam non in fictitio illo monaſticorum, ſed vero cultu Dei, In miniſterio enim verbi me eſſe, quis poteſt dubitare? At hic cultus plane eſt, cui cedere debet parentum autoritas, dicente Chriſto: Qui amat patrem & matrem plus quàm me, non eſt me dignus. Non quòd parentum autoritatem hoc verbo euacuauerit, cum Apoſtolus toties inculcet, vt filij obediant parentibus, ſed ſi pugnet parentum & Chriſti vocatio vel autoritas, Chriſti autoritas regnare ſola debet.

Itaque ſub conſcientiæ meæ periculo tibi non obedire non poſſem (ita ſum modo perſuaſiſsimus) vbi miniſterium verbi vltra monachatum non acceſsiſſet. Hoc eſt, quod dixi, neque te neque me ſciuiſſe antea, Mandata Dei omnibus præferenda eſſe. Sed totus ferme orbis hac ignorantia laborat, regnante operatione erroris, ſub abominatione papali, Quod & Paulus prædixit, dicens, Fore homines parentibus non obedientes, quod in monachos & ſacerdotes quadrat, eos potiſsimum, qui ſpecie pietatis & titulo ſeruitutis Dei, parentum autoritati ſe ſubtrahunt, quaſi vlla ſit ſeruitus Dei alia, quam mandatis eius obedire, inter quæ eſt & obedientia parentum.

Mitto itaque hunc Librum, in quo videas, quantis ſignis & virtutibus Chriſtus me abſoluerit à voto monaſtico, & tanta libertate me donarit, vt cum omnium ſeruum fecerit, nulli tamen ſubditus ſim niſi ſibi ſoli. Ipſe enim eſt meus immediatus (quod vocant) Epiſcopus, Abbas, Prior, Dominus, Pater & Magiſter, Alium non noui amplius. Sic ſpero tibi filium vnum rapuerit, vt multis aliis filijs ſuis per me conſulere incipiat, Quod tu non modo libēter ferre, ſed & multo gaudio gaudere debes, nec aliud te facturum eſſe, mihi certiſsime perſuadeo. Quid ſi me occidat Papa, aut damnet vltra tartara? Occiſum non ſuſcitabit, vt bis & iterum occidat, Damnatum vero ego volo, vt nunquam abſoluat. Confido enim inſtare diem illum, quo deſtruetur Regnum iſtud abominationis & perditionis. Vtinam nos primum digniſsimus vel exuri vel occidi ab eo, quo ſanguis noſter magis clamet & vrgeat iudicium illius accelerari, Sed ſi digni non ſumus, ſanguine teſtificari, Hanc ſaltem oremus & imploremus miſericordiam, vt vita & voce teſtemur, quòd Ieſus Chriſtus ſolus eſt Dominus Deus noſter, benedictus in ſecula ſeculorum, Amen. In quo bene vale, chariſsime Parens, & matrem meam, Margaritam tuam, cum vniuerſo ſanguine ſaluta in Chriſto.

Ex Eremo, XXI. Nouemb. Anno M. D. XXI.

IESVS.

IESVS.

IVDICIVM MARTINI LVTHERI DE VOTIS MONASTICIS

Proteſtatio. INprimis denunciatum eſſe volo ijs, qui iamdudum inueterato nominis mei odio, ipſam manifeſtiſſimam veritatem propter me damnant, ad ipſos nihil à me ſcribi hoc Libro, quòd nolim aſpidibus illis ſurdis & aures obturantibus fruſtra vocem incantationis meæ obſtrepere, nec iuxta Salomonem verbum effundere, vbi non eſt auditus, nec ſanctum dare canibus, nec margaritas proijcere ante porcos. Legant illi Creatoris ſui decretales & ſuas ſapientias, quando ita volunt. Illis tantum ſeruio, qui fornace ferrea Ægypti & æſtuantiſſimo Babylonis igne, hoc eſt, conſcientiæ & peccati tyrannide torquentur. De votis enim monaſticis agemus, quæ multiplicata & vulgata videmus, cum ſumma Chriſtianiſmi pernicie, & immenſa animarum calamitate. Deus miſereatur noſtri & benedicat nobis, Illuminet vultum ſuum ſuper nos, vt cognoſcamus in terra viam eius, in omnibus Gentibus ſalutare eius, Vt & confiteantur ei populi, lætentur & exultent gentes, quòd liberatos ab hominum traditionibus ipſe iudicet in æquitate, & gentes in terra dirigat, Amen.

NON DISPVTARI, SIT NE PRÆſtandum votum, Sed quæ vota vere vota ſint.

NEmo poteſt negare, diuinitus eſſe inſtitutum ius reddendi voti, dicente Scriptura: Vouete & reddite, vt prorſus nulli fas ſit diſputare, an votum ſit reddendum. *Pſal. 76.* Neque nos diſputamus, an reddendum ſit votum, Sed hoc agimus, vt inter vota diſcernamus & cognoſcamus, quæ ſint pia, bona & placita Deo, quæ & ſola ſunt cenſenda vota in Scripturis nominari & exigi. Rurſum quæ impia, mala & diſplicentia Deo, quæ non aliter ſunt cenſenda vota, quam ſi pietatem dixeris, occidiſſe proximum aut adulterатum fuiſſe. Vt nec in hoc ſit diſputare neceſſarium, an talia ſint reddenda vel reuocanda. Nihil enim tam pium ac ſanctum eſt vnquam inſtitutum, quod non ſit peruerſa æmulatione & impia ſpecie tentatum, Imo quo ſanctior res eſt, hoc magis petitur impiorum & hypocritarum peruerſa æmulatione. *Procliue labi è pietate in hypocriſin.* Quid ſanctius latria ſummo & primo Præcepto mandata? Rurſum, quid vulgarius ſuperſtitione, id eſt, falſa & ſimulata latria? vt metuendum ſit, eadem peruerſitate & votorum pietatem degeneraſſe in hypocriſin & ſuperſtitionem impiam. Neque enim vera pietas & ſyncerum votum tam vulgaris res eſt, præſertim nouiſſimis iſtis periculoſis, impijs & peſſimis temporibus, in quibus & fides & charitas occaſuræ prædictæ ſunt.

Digitized by Google

PRIMVM VOTA MONASTICA NON niti verbo Dei, imo aduerſari verbo Dei.

DVbium non eſt, Votum monaſticum hoc ipſo periculoſum eſſe, quod res eſt ſine autoritate & exemplo Scripturæ, ſed & Eccleſia primitiua & nouum Teſtamentum ignorāt in totum vouendæ cuiuſcunque rei vſum, nedum probant perpetuum hoc voti genus rariſſimæ & miraculoſæ caſtitatis, Eſt enim merum & pernicioſum hominum inuentum, cuiuſmodi ſunt & omnia alia per homines inuenta. *Vota humana traditio.* Quod autem in Actis S. Paulus votum habens, ſeſe cum quatuor alijs viris purificauit: quis non videt ex vetere lege reliquum fuiſſe? *Act. 21.* *Pauli votum.* Vt interim taceam, quod temporale votum fuit. Sic enim idem Apoſtolus & omnia alia legis veteris ſeruabat cum Iudæis, ſed hoc non voluit exemplum eſſe nouo Teſtamento, imo cum Gentibus legem omittebat. Sanctus Antonius ipſiſſimus monachorum Pater, & monaſticæ vitæ princeps ſapientiſſime & Chriſtianiſſime cenſuit & docuit, Nihil prorſus eſſe tentandum, quod autoritatem Scripturæ non haberet. *Egregia Antonij ſententia.* Et ipſe deuotarium hoc & cæremoniale monachorum genus prorſus ignorauit, ſed libere incoluit Eremum, & libere cœlebs vixit, iuxta formam Euangelij. Poſteri eius, votum, neceſſitatem & ſeruitutem ex illius inſtituto fecerunt, nihil niſi ſpeciem & fallacem æmulationem Antonianæ regulæ, quæ Chriſti regula eſt, ſecuti, humana tantum ſapientes.

Sic & S. Paulus, cum ſæpius iactet formam & traditionem per ſuum miniſterium, Eccleſiis datam, exigatque vt ſeſe imitentur, non tamen vult, vt tanquam Paulum imitentur, ſed Chriſtum in ipſo, dicens: Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti. *Imitatores mei eſtote, ſicut ego Chriſti.* Certe alius Dux nobis datus non eſt, quam de quo magnifica Patris gloria teſtata eſt, in hanc vocem *Hunc audite*. Quo verbo Chriſtus omnibus Dux conſtitutus eſt, & omnes ei ſubiecti & poſtpoſiti. Sicut antea prophetauerat Micheas 5. exiturum de Bethleem Ducem, qui regeret populum Dei. *Mich. 5.* *Iohan. 8.* Hinc & ipſemet Patri ſuo conteſtificans dicit: *Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris*. Et iterum: *Ego ſum lux mundi*. Ipſe enim ſtat in ſignum populorum, quod leuauit Deus ad congregandos profugos Iſrael. *Eſaiæ 11.* *Iohan. 6. 14* Sicut iterum dicit Iohan 6. Nemo venit ad Patrem niſi per me, Ego ſum oſtium, Ego via, veritas & vita.

HÆc & ſimilia oracula Scripturæ cum ſint luce clariora & fideliſſima, certe cogunt damnare, quidquid eſt Regularum, Statutorum, Ordinum, Sectarum, quod vel citra vel præter, vel vltra Chriſtum incedit, etiamſi per Angelos de cælo traditum, ſi per miracula ingentia confirmatum eſſet. *Periculoſum quidquid extra Scripturam eſt.* Non patietur ille aliam viam præſumi, qui dixit: *Ego ſum via*, *Iohan. 14.* Quin hac voce omnes alias vias præteritas, præſentes, futuras, reuocauit, caſſauit & irritas fecit. Nec ſinit alium Ducem & Magiſtrum ſurgere, qui dixit: *Hunc audite*, ſiue meliora ſiue viliora tentarit tradere, ſed hac voce damnauit, quidquid eſt legum & traditionum extra Chriſtum, ſicut & Chriſtus dicit Iohan. 10. Omnes quotquot ante me venerunt, latrones & fures fuerunt. *Iohan. 10.*

EX quibus id colligitur euidentiſſime, prorſus non licere monaſticen vouere, *Concluſio, quod monaſtice ſit prohibita.* Suntque per hæc cœleſtia tonitrua ſublata, prohibita & damnata omnia iſtius generis vota penitiſſime, Cum negare nemo poſſit, in

monaſtice

Digitized by Google

monaſtice multa, imo omnia & ſolum ea voueri, quæ extra Chriſtum & ſine Chriſto (id eſt, ſine via, ſine luce, ſine veritate, ſine vita, ſine Deo) ſunt. Id quod plane ipſimet glorioſe & abſque pudore confitentur, vt qui tales ſint, qui vltra Chriſtum quædam altiora & perfectiora viuant. O cæcitatem inæſtimabilem. Sit ergo hoc imprimis poſitum atque fixum, Quidquid vltra & præter Chriſtum, ſiue proprie præſumitur, ſiue à Sanctorum exemplis & inſtitutis petitur, hoc velut humanum, iamdudum diuina autoritate prohibitum, damnatum atque definitum eſt, non licere voueri, & in præceptum ſeu neceſſariam viam vitæ ſtatui, nec ſi votum fuerit, impleri & ſeruari, ſed oportere ſolui & liberum dimitti. Stat enim inuicta hæc rupes: Ego ſum via, & nullus alius. Quidquid autem via hæc non fuerit, error & lubricum, & tenebræ ſunt.

Franciſci ſententia, ſuam Regulam eſſe Euangelium.

Sed & S. Franciſcus vir admirabilis, & ſpiritu feruentiſsimus ſapientiſſime dixit, Regulam ſuam eſſe Euangelium Ieſu Chriſti. At Euangelium caſtitatem liberam habet, nec aliquid eorum, quæ nunc iſti Minores incredibili hypocriſi ſeruant. Plane Franciſcus cum voluit ſuos ad Euangelium viuere, liberrimos eſſe voluit, tam à votis, quã ab omnibus humanis traditionibus, Vt fratres Minores, etiam iure ſui voti & Regulæ, poteſtatem habeant, cœlibes & non cœlibes viuendi & manendi in Cœnobijs, & omnibus ſuis ſtatutis, quam diu voluerint, aliud enim neque vouerunt neque vouere potuerunt, qui Euangelium vouerunt. Nunc vero hoc hominum genere, quo nihil oportuit eſſe liberius, nihil eſt hodie ſuperſtitioſius & ſcrupuloſius, captiuum infinitis ſtatutis, articulis aliquibus & puerilibus ridiculisque obſeruantijs Falſus tamen eſt vir ſanctus, vel multitudine contemnentium Euangelium in mundo, vel operatione erronea papiſticæ confirmationis & approbationis captus, vt commune Euangelium cunctis fidelibus faceret ſingularem Regulam paucorum, & quod catholicum eſſe Chriſtus voluit, traheret in ſchiſmaticum. Nihil enim vouet frater Minorita, dum ſuam Regulam vouet, quam quod iam ab initio vouit in baptiſmo, nempe Euangelium. Niſi is fuerit potior error Franciſci, quod credidit, multa in Euangelio Conſilia eſſe, vt papiſticarum Scholarum ſapit impietas, quæ per regulam in mandata tranſtulerit. Quod cur non tribuam tanto viro, paulo poſt dicam.

Si itaque interroges Minoritam, cur cœlebs viuat, & cur pecuniam non contrectet, cum ſit Euangelij profeſſor, & Chriſtus cœlibatum liberum eſſe iuſſerit, & pecuniam tractarit, vel in nomiſmate Cæſaris, quid reſpondebit, niſi ſeſe obſeruare id, quod in Regula Franciſcus humanum ſapuit, & tyrannide papiſtica vitiatum eſt, Id vero quod diuinum ſapuit (Regulam ſuam eſſe Euangelium) non obſeruare? Vides ergo demonſtratum eſſe, Franciſcum vt hominem erraſſe in condenda Regula ſua. Quid enim eſt dicere: Regula fratrum Minorum eſt Euangelium, quam ſtatuere, ſolos fratres minores eſſe Chriſtianos? Si enim Euangelium eorum proprium eſt, nulli ſunt Chriſtiani præter Minores, cum Euangelium ſine controuerſia & ſolius, & totius ſit populi Chriſtiani. Illuſus etiam eſt, dum docuit, ſi tamen docuit, vouere denuo id, quod & ipſi & omnes communiter in Baptiſmo vouerunt iam antea nempe communiſſimum illud omnium Euangelium.

DE FVNDAMENTIS DEVOTARIORVM.

SED hic incidunt duo eorum Principia fidei, ſeu potius perfidiæ tractanda, Quorum eſt primum, Euangelium non eſſe omnibus commune, ſed

partitum

partitum in Conſilia & præcepta. Suam vero monaſticen ſequi Conſilia, non tantum præcepta, quæ reliquo vulgo propoſita ſunt. Hic vero non vno neque paruo errore labuntur. Et vt omittam, quod hac diſtinctione ſeſe ignorare teſtantur, quid ſit proprie Euangelium (dum Præcepta & Conſilia ex ipſo faciunt) quod eſt meræ promiſſiones Dei, exhibita beneficia hominibus annunciantes, inter quæ ſunt & declarationes illæ mandatorum Dei, & exhortationes ad eadem ſeruanda, Matth. 5. 6. & 7. à Chriſto factæ. Quid dicent ad Chriſtum, Marc. vlt. Euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ? An hic fingent, aliud eſſe prædicare, & aliud iubere ſeruare? Cur prædicari mandat toti orbi & omni creaturæ, quod à paucis exigit ſeruari? Sed & Paulus quoties iactat ſeſe in Euangelium ſegregatum? Euangelium eſſe promiſſum, Euangelium eſſe virtutem Dei in ſalutem omni credenti, & plane perire omnes, in quibus opertum eſt Euangelium Chriſti, nihil magis commune, magis neceſſarium, quam Euangelium ille docet fere vbiq;. Sed ſicut ignorant, quid ſit Euangelium, dum legem ex ipſo faciunt, ita has voces Pauli prorſus non capiunt.

Commentum de diſcrimine Conſiliorum & Præceptorum.
Mat. 5.6.7. Marci vlt.
1.Cor.4.

Deſcendamus itaq; ad ipſos in locum iſtum tenebroſum, & cum balbis in Euangelio balbutiamus, appellantes Conſilia & Præcepta, quæ in Euangelio ſunt exhortationes. Moſes enim habet præcepta, vt Iohan. 1. dicit: Lex per Moſen data eſt, Euangelium habet gratiam, ſicut idem dicit: Gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. Videamus itaq; qui ſit ſucceſſus eorum, qui vltra Chriſtum volare præſumunt, quo eos rotet impiæ præſumptionis error. Si enim probare poterimus, non eſſe conſilia, quæ illi iactant & vouent, nonne deprehendemus eos damnabiliter errare, & ſuper mendacia impietatis niti eorum vota? Nam aſſerere Conſilia, quæ conſilia non ſunt, & diuina mandata ſoluere, quid eſt niſi veritatem Dei negare, & in mendacium mutare, imo & Deum blaſphemare? An nõ eſt blaſphemia, ſi Deus dicat: Hoc eſt meum præceptum, Et illi dicant in nomine Domini contra eum: Non eſt præceptum, ſed conſilium? Et in hac & ſuper hac blaſphemia tandem vouere monaſticen, & ſtibio oculos pingere, os q; tergere, & dicere: Non feci malum, ſed bonum. Nam hac ſacrilega & blaſphema cõſcientia vouere omnes, qui conſilia eſſe ſentiunt præcepta Dei, quis non intelligit? An talia ſunt certe nunc omnium Religioſorum vota, quibus perſuaſa eſt hæc ſacrilega & blaſphema ſententia, de conſilijs & præceptis.

Iohan.1.

Pergamus itaq; hanc impietatem reuelare, Conſilia quæ illi fingunt, ferme ſunt, quæ Chriſtus Mat 5. docet, Non eſſe vindicandum, non reddendũ malum pro malo, non contendendum iudicio, dimittendum & pallium ablata tunica, præbendam alteram maxillam, cogenti ad vnum miliare eundum & alia duo cum eo, & omnino non reſiſtendum malo, & beneuolum eſſe aduerſario in via. Item diligendos eſſe inimicos, benefaciendum odientibus, orandum pro perſequentibus & calumniantibus, Item dandum gratis omni petenti, & mutuum dandum gratis, vendenda & relinquenda omnia, & veniendum poſt Chriſtum, omnibus ſeſe ſubmittere etiam indignioribus His adde virginitatem & continentiam. Sunt qui huc accenſeant & beatitudines octo Matth 5. nec non omnia Dei mandata ſoluant & negent. De caſtitate, vt ſit conſilium, poſtea. Nunc reliqua videamus.

Matth.5. *Conſilia Papiſtica.*
Matth.5.

Eſſe autem hæc omnia, non Conſilia, ſed neceſſaria Mandata, Primum hoc probat, quod Matthæus hæc ſcripturus, præmittit Chriſtum aſcendiſſe in montem, ſediſſe, aperuiſſe os ſuum, & docuiſſe. At docere non eſt conſulere, ſed quid faciendum ſit neceſſario, tradere. Et infra ipſe Chriſtus: Non veni ſoluere Legem, ſed adimplere. Ergo quæcunq; ibi docet, in hoc docet, vt Lex impleatur, non vt Conſilia numerentur, Vbi & velut digito monſtrans ea

Matth.5. *Docet.*

quæ tunc docebat, dicit: Qui ergo ſoluerit vnum de mandatis iſtis minimis & ſic docuerit homines, minimus vocabitur in regno cœlorum. Qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum. Hic vides, vt aperte appellet mandata, quę docet, & verbum docendi ipſemet exponit eſſe id, quod tradere mandata.

Niſi abundauerit iuſticia veſtra &c.

Deinde acceſſurus ad ea, quæ iſti vocant conſilia, dicit: Niſi abundauerit iuſticia veſtra plus quam Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in Regnum cœlorum. Nonne cœlorum regnum ſolum ijs negatur, qui mandata non ſeruant? At hoc affirmat de ijs, quæ ipſimet hic docet, vltra quam docuerant ſcribæ & Phariſæi. Obſecro, quis eſt tam audax, vt conſilia numeret, vbi tot verbis docendi, mandandi, tot & tam grauibus comminationibus cogit ad ſeruanda neceſſario omnia, quæ ibi ſcribuntur? Qua autoritate aſſerent ea eſſe conſilia? vnde locus? proferant vnum iota in ſuum teſtimonium. Et impij tam audaces ſunt è proprio capite, ſine ſcriptura, conſilia facere, cõtra tot docendi, mandandi, minandi, promittẽdi fulmina. An Pariſienſis Gomorræ inſaniam ſequemur, vbi dicunt, in ſua pulchra determinatione, Eſſe hæc nimio oneratiua Chriſtianæ legis? O Sodomam, O Gomorram, qui ad vires liberi arbitrij metiuntur diuina mandata, potius quam ad gratiam Dei, & ad ſeipſa.

Eſto beneuolus aduerſario tuo &c.

Amplius vero inter ipſa conſilia, frontes eorum impudentes conterit, dum dicit: Eſto beneuolus aduerſario tuo, ne forte tradat te iudici, & iudex tradat te miniſtro, & in carcerem mittaris, Amen dico tibi, non exibis inde, donec reddas nouiſſimum quadrantem. Reſpondeant hic Pariſienſes talpæ & veſpertiliones, an conſilijs omiſſis vlla pœna intentetur, nedum tanta & æterna, vt tradatur iudici, miniſtro, carceri, & nunquam exeat, qui non fuerit beneuolus aduerſario. Item dum dicit: Si tantum eos diligitis, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne & publicani & peccatores hoc faciunt? Eſt hoc conſilijs non obediſſe, mercedem non habere, & publicanis & peccatoribus æquales eſſe? Idem multis verbis aſſerit Luc. 6. Claret ergo omnia prædicta eorum conſilia eſſe vere & abſq; dubio neceſſaria præcepta quæ Chriſtus Matth 5. docet. Sic & Petrus dicit. 1 Pet. 5. Omnes inuicem humilitatem inſinuate. Et Rom. 12. Superiores inuicem arbitrantes. Non eſſe autem hoc conſilium, vt inferiori nos humiliemus, probat, quod Petrus infert & cauſam affert, dicens: Quia Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Putas adhuc eſſe conſilium, vbi Petrus ſuperbiam affirmat, cui Deus reſiſtit, ſi inferiori te non ſubmiſeris? Vendere autem omnia & dare pauperibus non eſſe paupertatem, quam iſti vocant, monaſticam, probat id, quod Petrus poſt reſurrectionem ibat piſcari, ſicut & antea, cum tamen reliquiſſet omnia. Tum monaſtici non ſolum non vendunt ſua & dant pauperibus, ſed omnia omnium bona ipſi congregant, & præ omnibus abundant.

Matth. 5.
Lucæ 6. Matth. 5. 1 Pet. 5. Rom. 12.
Vendere omnia &c.

Non ſolum autem damnanda impietas & blaſphemia Scholarum & monaſteriorum eſt, quod hæc ſacrilegia audeant docere, ſed & deteſtanda eorum ſtertens oſcitãtia & pudenda ſegnities, vel ſupina ſecuritas, quod animalia iſta ventris, non tantum curæ habuerunt ad Euangelium, vt libros aliquando aperirent, folia verterent, & verba ſaltem inſpicerent. Solo enim inſpectu verborum cum ſint tam clara & manifeſta, poterant ſacrilega iſta monſtra blaſphemiarum ſuarum effugere. Quid ergo ſunt niſi ſcholæ & monaſteria? Scholæ, quia ludentes & illuſi mendacijs. Monaſteria, quia ſolitaria ſine Chriſto, extra communem viam Chriſtianæ veritatis longiſſime poſita.

Scholæ. Monaſteria.

Intelligis ergo, qua fide, qua pietate, & voueant & viuant iſta lupanaria Satanæ: Paulus dicit: Si linguis hominum loquaris & angelorum, ſi omnes facultates in cibos pauperum diſtribueris, ſi teipſum tradideris vt ardeas, nihil

ſis &

ſis & nihil feceris, niſi charitatem habueris, Quanto magis, ſi monachus fias, & conſilia iſta voueas, nihil ſis & nihil feceris, ſi blaſphema & impia conſcientia veritatem Dei negante hæc feceris, ſicuti vides illos facere. Pelagius vir *Pelagius.* laudatæ vitæ fuiſſe legitur, ſed quia gratiam Dei negauit, ob vnam hanc impietatem omnia fruſtra vixit. Si quis Mariam neget virginem, aut aliũ quemuis ſingularem articulum fidei non crediderit, damnatur, etiam ſi alioqui ipſius virginis & virginitatem & ſanctitatem haberet, Quanto magis monachorum hoc perditionis vulgus damnabitur, quod diuina mandata & negat & mutat, ſoluit & extinguit? Ecce fundamentum monaſticorum votorum, impietas, blaſphemia, ſacrilegium, atque hæc contingunt, quod Chriſtum ducem & lucem ſpernentes, alia & meliora ſequi præſumunt. Qui enim veritatem relinquit Ducem, quid ſequatur niſi mendacia? Qui gloriam Dei non ſequitur, merito blaſphemiãs ſequitur. Eſt ergo hæc iam ſecunda cauſa cur *Vota monaſtica* vota monaſtica ſint vitanda & tollenda de ſub cœlo, & omnibus qui ea vo- *tollenda.* uerunt, redeundum in communem viam Chriſtianorum poſt Chriſtum, ſecuta & optima conſcientia, vt quam reuocet ipſe Deus, vota eius prohibens, damnans & ſummæ impietatis arguens.

DE VIRGINITATE.

AT virginitas & cœlibatus conſilium eſt, Chriſtus ipſe plane non conſuluit, ſed potius deterruit, monſtrauit ſolum & laudauit, dum memoratis Eunuchis dixit: Qui poteſt capere capiat. Et iterum: Non
Matth.19. omnes capiunt hoc verbum. Nonne hæc verba ſunt potius auocantis & deter-
1.Cor.7. rentis? Neminem enim inuitat & vocat, ſed oſtendit ſolum, Paulus tamen dicit: Conſilium do, ſed nec ipſe inuitat quenquam, quin magis deterret & auocat, dum dicit: Sed vnuſquiſque proprium donum habet à Deo. Neque ſuadet, neque diſſuadet, ſed in medio relinquit, At noſtri immundi cœlibes aliud non intelligunt per conſulere, quam inuitare, exhortari, vocare & perſuadere ad cælibatum, tum diſſuadere, dehortari, auocare, abſterrere à coniugio, quod & faciunt in omnibus ſuis concionibus & ſcriptis.

Sed ad rem ipſam veniamus. Si cælibatus conſilium eſt euangelicum, quæ eſt ergo veſtra vouendi inſania, vt vltra Euangelium è conſilio faciatis rigidiſſimum præceptum? Iam enim non iuxta ſed vltra Euangelium, per hoc & contra Euangelium viuitis, quod amplius non habetis conſilium. Si Euangelio obeditis, cœlibatum liberum habere debetis, ſi liberum non habetis, Euangelio non obeditis. Quia impoſſibile eſt, vt conſilium Euangelij fiat præceptum, & æque impoſſibile eſt, vt veſtrum votum ſit conſilium. Pugnat ergo ex diametro votiua caſtitas cum Euangelio. Quare cum Deus autor Euangelij non acceptet niſi quod euangelicum eſt, impoſſibile eſt, vt votum continentiæ probet, ac non potius deteſtetur. Habetis monaſtici quod hic reſpondeatis? Negate Euangelij conſilium conſilium eſſe, aut concedite votum veſtrum non euangelicum eſſe. Neque enim audebitis aſſerere Deum paſſurum, vt è conſilio ſuo quicquam præceptum faciat, aut aliud quam Euangelium ſuum probet & exigat. Quare neceſſe eſt, vt votum veſtrum Deo non probari confiteamini. Atque hæc tertia iam machina ſatis firma & potens aduerſus vota monaſtica nobis ſtat inſtructa. Et videmus monaſtica vota non aliud inuenire, quam errorem per ſeſe, nunquam non fallentem & ſeducentem, qui & Chriſtiano vitandus & deſerendus ſit, neque poſſe innoxium eſſe, niſi iis qui ſpirituales ſunt, & bono vſu illius ſeſe ſeruant, quod eſt ſolum electorum, quibus nec errores nec peccata tandem nocere poſſunt.

Commentum de diſcrimine ſtatuum perfectionis & imperfectionis.

ALterum principium perfidiæ illorum, Quod vitam Chriſtianam partiuntur in ſtatum perfectionis & imperfectionis. Vulgo dant imperfectionis, ſibi perfectionis ſtatum. Et hanc differentiam non metiuntur iuxta menſuram ſpiritus & fidei & charitatis, quas certum eſt in vulgo potiſſimum regnare, ſed iuxta pompam & laruam externorum operum & ſuorum votorum, in quibus nihil eſt neq; ſpiritus, neq; fidei, neq; charitatis, quin ſpiritum fidei & charitatis extinguunt.

Perfectionis ſtatus.

Perfectionis ſtatus eſt, eſſe animoſa fide contemptorem mortis, vitæ, gloriæ & totius mundi, & feruente charitate omnium ſeruum. At vix inuenias vitæ & gloriæ cupidiores, tum fide inaniores, qui mortem vehementius horreant, quam hi qui ſunt monaſticiſſimi. Quia fieri non poteſt (vti dicemus) quin fidem extiguant, qui votis & operibus confidunt. Confidunt autem qui neceſſaria ea ducunt, dum enim timent illis omiſſis, neceſſe eſt vt ſperent eiſdem ſeruatis. Ab eodem pendent timor & ſpes, de quo alias. Merum commentum & ludibrium eſt, de perfectionis & imperfectionis ſtatu, ex ignorantia fidei prouenìens, tantum ad ſeducendum, idoneum. Cum ergo videamus monaſticen iſtam refertam eſſe impietate, erroribus, ignorantia, vt vbicunq; eam ſpectes, ignorantiam, impietatem & errorem videas, quid dubitas eam diſplicere Deo, & vota in illam facta eſſe irrita & ſoluenda penitus? Hi ſunt Pſeudochriſti, qui docent, hic & illic eſt Chriſtus, & ſeducunt multos, atque adeo electos quoq; ſignis & prodigijs mendacibus. *Matth. 24.*

Conſilium continentiæ vnicum.

Error, inquam, & inſignis ignorantia eſt, ſtatum perfectionis metiri conſilijs & non præceptis. Non enim vt ipſi fingunt, conſilia ſunt ſupra præcepta, ſed è diuerſo conſilium illud continentiæ (neq; eſt vllum aliud conſilium) eſt infra præceptum ſuum. Præceptum eſt enim, Non concupiſcendum eſſe. At ſine concupiſcentia neq; virgo neq; cœlebs eſt in hac vita. Sed neq; cur illud ſit conſultum, nouit hoc miſerum ignorantiæ vulgus. In hoc enim ipſi ſeruant conſilium iſtud, quod continentia per ſeſe ſit laudatiſſimum opus in quo ſit ſalus & gloria, ideo ſeſe cæteris Chriſtianis præferunt magno interuallo. At Chriſtus & Paulus ſecus docent, qui ſolam fidem iactant, & in hoc laudant cœlibatum, non quod perfecti ſint in caſtitate præ cæteris, aut non concupiſcant aduerſus præceptum, ſed quod ſoluti à curis & tribulatione carnis, quã tribuit Paulus coniugio, expeditius & liberius verbo & fidei inſtare poſſint die ac nocte, vbi coniunx coniugij, filijs, familiæ & rebus huius vitæ deditus, auellitur & in multa aliena à verbo negotia diuiditur.

Cœlibatus quatenus à Paulo laudatus.

Eunuchi caſtrantes ſeſe propter regnũ cœlorum.

Sic Chriſtus Eunuchos laudat, non quia caſtrent ſeipſos, ſed quia propter regnum cœlorum ſeſe caſtrant, Non autem ſic propter regnum cœlorum, vt per caſtitatem ſalui fiant, alioqui omnes oporteret caſtrari, cum ſola fides ſaluos faciat, ſed propter Euangelium, quod vocat regnum cœlorum, cui prædicando & propagando per populos ille felicius ſeruit, qui ἄγαμ☉ & ſine cura aliorum cœlebs viuit. Seruam ergo regni cœlorum vult eſſe caſtitatem Chriſtus, & ſeruam ſpontaneam, non quæ illud mereatur, ſed iam habeat & ad communicandum alijs gratuito obſequio laboret, aut certe ſibijpſi augeat aſſidue parata propter ipſum mori & de mundo exire. *Matth. 19.*

Et Paulus bonum eſſe cœlibatum dicit, propter inſtantem neceſſitatem, non propter aureolam in cœlis, ſcilicet, quia huius vitæ neceſſitatem, præſertim Chriſtianæ, commodius ferunt liberi cœlibes, quam ligati coniuges. Et rurſus idem dicit: Virgo & innupta cogitat quæ ſunt Domini, quomodo placeat Deo, vt ſit ſancta corpore & ſpiritu. Quid eſt cogitare quæ ſunt Domini? Nunquid ſolam & ocioſam habere caſtitatem? Imo meditari, ſeruire in verbo Dei, prædicare, teſtificari, & paratum ſeſe pro illo offerre. A quo vſu caſtitatis quid eſt alienius & longius monaſticis iſtis? qui & omnium ignoran-

Cogitare quæ ſunt Domini.

tiſſimi

tiſſimi ſunt eius vſus, cum non niſi ſibiipſis cœlibes ſint tantum clamoribus & murmuri in templis ſeruientes, & aureolas ſibiipſis in cœlo promittentes, pro fide ſcilicet extincta.

Certe, ſi rem tecum penſites, videri poteſt Satanas in hoc excogitaſſe figmentum de conſiliis & ſtatu perfectionis, vt adornaret iſtam peruerſam monaſticen, Cum enim videret, nihil ibi voueri, ſed nec voueri poſſe, quod non antea in Baptiſmo vouerunt omnes (excepta continentia) cœpit fingere, perfectiones & conſilia, vt communem viam contemptam & ſingularem iſtam falſa ſpecie ſpectabilem redderet, ne paruas res viderentur vouere, & prauaſ luit in operatione erroris. Et quod multo eſt ſceleratius, Ex multis illis prædictis conſiliis à ſe confictis, tantum tria elegerunt. Obedientiam, Paupertatem & Caſtitatem, cætera neque vouent neque ſeruant, liberrime litigantes, vindicantes, odientes aduerſarium, repetentes, non dantes, non mutuantes, adhuc tamen iactant, iam altero mendacio & illuſione maiore, ſtatum perfectionis & conſilia. Certe quando iſta affirmant conſilia & perfectiones, oportuit & ipſa voueri, ſi votorum inſtitutum perfectionis & conſiliorum ſtatus eſt. *Quo ſint excogitarit Satan figmentũ de conſiliys, &c.* *Obedientia.* *Paupertas.* *Caſtitas.*

Iam ſi & tria illa electa conſilia dijudices, videbis obedientiam & paupertatem eorum nullo modo eſſe, quas conſilia dictant. Conſilia enim docent, omnibus ſubdi, & ſuperiores inuicem arbitrari. At votum obedientiæ eorum eximit eos prorſus à catholica illa humilitate in Euangelio tradita, & ſubdit ſolum ſuis Maioribus, neq; iis ipſis, niſi ſecundum Regulam ſuæ profeſſionis, adeo vt & S. Bernardus aſſerat, Monachum non obligari etiam ſuo Abbati, alia quam Regula habet imperanti. Obſecro, quæ & qualis eſt iſta obedientia, ex omnibus eximi, & vni, nec huic niſi partim ſubdi? Nonne pulchra illuſio eſt talis obedientiæ votum? Euangelium omnibus ſemper & in omnibus cedere, ſubdi, obedire iubet. Et conſiliorum profeſſores nec æqualibus nec inferioribus, ſed vni Maiori ſuo, nec in omnibus, ſed aliquibus ſeſe ſubdunt. *Votum obedientiæ.*

ITerum vides felicitatem eorum, qui meliora eligunt, quam Chriſtus docuit, & contempto Duce ſeipſos dirigunt. Hos proprie Petrus tangit, cum dicit, 2. Pet. 3. Fore, qui ſecundum propria deſideria ambulent, in deceptione illuſores. Vere illuſores in deceptione iactant obedientiam, docent autem ac ſequuntur magis inobedientiam, illudentes tamen omnium ſenſum, & decipientes ſimplicium animas ea pompa. Sic vides monaſticam vitam errorum, mendaciorum, ignorantiæ, ſtulticiæ, deceptionis, illuſionis, confuſione, veriſſimam Babylonem repræſentare, in qua electi miraculoſe, ceu tres pueri in fornace, ſeruentur. Quid ergo vouet monaſticus? Verba eius (ſi ſenſum traducas) erunt iſta: Deus, voueo tibi, nolle me ſecundum Euangelium tuum omnibus ſubiici, ſed tantum vni Maiori, nec niſi iuxta Regulã præſcriptam, atque ſic voueo tibi Euangelium tuum ſeruare. Quid eſt hoc iterum aliud, quam Euangelium vouendo negare, & proprium condere? Hic cum Eſaia poſſis dicere, Eorum votum eſſe, ſicut ſi quis mactet filium in conſpectu Patris. An non victimant Filium Dei, dum Euangelium eius tam ſacrilege negant, & tamen hoc ipſo offerre Deo præſumunt eundem? Obedientiam profitentur, & obedientiam abnegant, & tu vota iſta ſacrilega putas valere & exigi apud Deum? *2. Pet. 3.* *Monaſtica vita.* *Quid vouerit Monachus.*

TAle eſt & paupertatis votum, Euangelica paupertas eſt, nihil cupere in ſpiritu, & res libere adminiſtrare ad aliorum commodum. Illi quid poſſunt vltra hoc vouere, niſi externum vſum rerum? Cum & interna cupiditas in baptiſmo abnegata, & adminiſtratio externa rerum Euangelio etiam commendata ſit, & vſu ipſo nec ipſi carere poſſunt. Verum & hic illudunt ſeipſos & omnes, cum nemo magis res adminiſtret quam ipſi, tum *Euangelica paupertas.*

non in aliorum ſed proptium commodum nemo magis vtitur, ſub ſancta illa voti paupertate, & auariſſimi & rebus inuolutiſſimi facti. Adhuc iactant ſeſe conſiliorum profeſſores, cum nulli ſeculares longius abſint à paupertate. Nec refert, quod per alium res curant, Nam omnium conſenſu & voluntate œconomus illorum res curat. Sic dum volant vltra Euangelium, deſerto duce Chriſto, ruunt in contrarium ſub barathrum peruerſiſſimi erroris, dicentes ſe obedientes & pauperes eſſe, cum ſint omnium inobedientiſſimi & ditiſſimi, id quod nemo non palpat, Et tamen ſenſus noſtros perſtringunt illuſores iſti verbis ſuis fictis, obedientia, paupertas, conſilia, perfectio, religio & ſimilibus.

Caſtitas vltra fidem elata.

Igitur nihil eſt conſiliorum apud Profeſſores conſiliorum, ſed omnia longe contrariſtima præceptis, Excepta ſola caſtitate. & ipſa tamen ſine vſu & fructu euangelico, quam quia nulla ſpecie potuit Satan in contrarium vertere, ſicut obedientiæ & paupertati fecit, reliquit intactam, ſed in multo maximam perniciem, dum & vſum eius aboleuit, & vltra fidem communem extulit, Deinde vulgauit nimio, vt per impoſſibilitatem naturæ infinitas animas laqueo illius innecteret & perderet. Ita reliqua eſt vna caſtitas Profeſſoribus conſiliorum, ſed peruerſa & impia, tum fere in totum libidinibus rotruptiſſima. Væ perditæ illi profeſſioni conſiliorum & ſtatui perfectionis, quid enim niſi error, illuſio & impietas eſt totum quod prætendit? Sed iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum, ſic enim cadere debent, qui non ſolum ſimiles, ſed ſuperiores eſſe volunt Altiſſimo, & pacti Dei ſui obliuiſcuntur, ſicut mulier Prouerb. 7. quæ relinquit ducem pubertatis ſuæ. *Prouerb. 7.*

In Sanctis non opera ſed fides ſpectanda.

QVemadmodum itaque dixi, S. Franciſco & alijs Patribus, etſi tribuo errorem, quod Euangelium ſibi vſurparint ſeorſim, præ feruore ſpiritus, tamen hoc errore eos libero, ne credam eos mendacia & figmenta conſiliorum, perfectionis, fictæ obedientiæ & paupertatis, & peruerſæ caſtitatis probaſſe. Dum enim Spiritus ſancti impetu & plena fide, ardenteque charitate ſolum huc ferrentur, vt Euangelio pleniſſime & digniſſime reſponderent, non hoc cogitabant, quorum eſſet, & ad quos pertineret Euangelium, ſed tantum vt impleretur, Non enim in ſermone, ſed in virtute, regnum Dei habebant. Sectatores vero illorum irruentes apprehenderunt externam eorum conuerſationem, Spiritum autem & fidem eorum deſeruerunt. Et contigit eis, quod Chaldæis ſuccendentibus fornacem Babylonis, ipſi pereunt, & Sancti ſeruantur. Pro eo, quod iuxta Pſalm. 28. non intellexerunt opera Dei, *Pſal. 28.* & facta eius non cognouerunt, ideo deſtruit eos & non ædificat eos. Dicit *Pſal. 77.* enim Pſal. 77. Semitæ tuæ in aquis multis. & veſtigia tua non cognoſcentur. Et Pſalm. 4. Scitote quoniam mirificauit Dominus Sanctos ſuos. Et Pſal. 68. *Pſal 4.* *Pſal. 68.* Mirabilis Deus in Sanctis ſuis. Et Pſal. 16. Sanctis qui in terra ſunt & mirificis, *Pſal. 16.* omnis voluntas mea in eis.

His teſtimonijs docemur, In Sanctis Dei non eſſe obſeruandam operum externorum laruam, ſed fidem, qua eos regit & ſeruat mirabiliter, permittens eos ſæpius errare & peccare externa conuerſatione, quam illi tanquam opera Dei & viam rectam apprehendunt, & abeunt in barathrum errorū. Et Apoſtolus Ebræ. 13. cum iuſſiſſet intueri Præpoſitorum exitum, adiecit, vt fidem *Ebræ. 13.* eorum imitemur. Stat enim fixa apud Deum ſententia, Omnes Sanctos eodem ſpiritu & eadem fide viuere, agi & regi, ſed diuerſa opera foris operari. Vt enim non eodem tempore, ita nec eodem loco, nec idem opus, nec coram eiſdem perſonis operatur per illos, ſed tranſit per tempora, loca, opera, perſonas varias, ſemper eodem ſpiritu & fide eos regens, Vt fiant viæ eius abſconditæ, & veſtigia eius incognita, dum vnumquemque alio opere alio loco, alio tempore, alijs perſonis exercet, quam in alijs Sanctis vidit, & audiuit cogiturq;

opere

opere, loco, tempore, perſonis, caſibus ſibi prius incognitis, regentem ac ducentem Deum ſequi.

Hæc eſt eruditio fidei, in qua omnes Sancti eruditi ſunt, vnuſquiſque ſua vocatione. Proinde impoſſibile eſt, vt intempeſtiui illi Sanctorum imitatores non errent perniicioſiſſime, dum Patrum opera etiam optima ſectantur, potius quam fidem & ſpiritum, nedum vbi & errores & peccata eorum apprehendunt. Omnes enim tales ſtant in oſtio papilionis ſui, & vident dorſum Moſi intrantis in tabernaculum fœderis, exiſtimantes ſeſe Deum inuenire in iſtis propatuli & atrij operibus, cum ſcriptum ſit: Dominus in loco ſancto ſuo. Et, Dominus pollicitus eſt vt habitaret in nebula. Lege totam Scripturam, & vide, an ſanctorum virorum idem fuerit opus. *Sanctorum imitatores.*

In hanc rem mihi Pſalmus 62. videtur eſſe reuelatus, quem non fuerit inutile hic recenſere.

1. AT ad Deum ſilentium animæ meæ,
   Ab ipſo enim ſalus mea.
2. At ipſe rupes mea & ſalus mea,
   Protectio mea, non mouebor multum.
3. Vſquequo irruitis ſuper virum, interficiemini omnes vos?
   Sicut paries inclinatus & maceries expulſionis,
4. At eleuationem eius cogitauerunt, ad expellendum,
   Placebunt ſibi in mendacio, ore ſuo benedicent.
   Et intimo ſuo maledicent, Sela.
5. At Deo ſile anima mea,
   Quoniam ab ipſo ſpes mea.
6. At ipſe rupes mea & ſalus mea,
   Protectio mea, non mouebor.
7. Ad Deum ſalus mea & gloria mea,
   Rupes virtutis meæ, fiducia mea in Deo.
8. Sperate in eum omni tempore, populi effundite coram eo cor veſtrum.
   Deus fiducia nobis, Sela.
9. At vanitas filij hominum, mendacium filij viri, in ſtateris ad aſcendendum;
   Ipſi præ vanitate ſimul.
10. Nolite ſperare in calumnia & rapina, nolite vani fieri,
   Diuitiæ ſi affluant, nolite apponere cor.
11. Semel locutus eſt Deus, bis hæc audiui,
   Quia virtus Dei eſt,
12. Et tibi Domine miſericordia.
   Quoniam tu reddes viro ſecundum opera ſua.

NOn eſt alius Pſalmus, in quo toties ingeminetur & inculcetur ſpes, fiducia, præſumptio in Deum, Vigeſies enim pene repetit, ac totus Pſalmus fiduciam in Deum ſonat, cui omnium fortiſſime reſiſtit exemplum operum in Sanctis. Hæc eſt ni vera via ſalutis, ſubdi Deo, in fide ei *Vera ſalutis via.*

cedere & ſilere, ponere tumultum præſumptionis operum, quibus quærunt impij eum inuenire, & ſeſe ductilem præbere, vt ipſe in nobis operetur, non nos operemur. Videmus enim in Sanctorum ſectatoribus nihil niſi tumultum operum, quæ in Sanctis viderunt, ijs enim die & nocte ſeſe fatigant, nunquam autem ſilent Deo ſubditi per fidem, Ideo mouentur & ſunt inſtabiles corde, cum non poſſit cor per opera quietari, fiducia eorum eſt in operibus ab exemplo Sanctorum petitis, quibus præſumunt peruenire, quo illi venerunt ſola fide. Inclamat autem præcipitem illorum cæcitatem, qua gregatim irruunt ad imitandum opus alicuius magni viri, & non potius & prius ſilere diſcunt & fidere Deo, Cur (inquit) ſic irruitis in laruam operum? Cur interficitis vos ipſos omnes? Curritis & præcipitatis vos ipſos omnes in mortē. Deus eſt murus altus & fidelis protectio, ſicut Salomon dicit: Turris alta (id eſt, alte oppoſita) nomen Domini, ad ipſam currit iuſtus & ſaluabitur. Contra, vos & quidquid molimini, erit, ſicut paries inclinatus & maceries eiecta, ſuper quam quis nititur, ſimul cadet, & eijcietur, & mouebitur multum. Vocabulum irruitis, volunt etiam ſignificare id quod congregari, item praueſcere, vtrunque confirmat ſenſum prædictum.

Obſcurum autem & ambiguum eſt quod ſequitur: At eleuationem eius cogitauerunt expellere. Noſter habet: Veruntamen precium meum, Romanum Pſalterium: Honorem meum. Hieronymus: Partem meam, ſcilicet oblationem, Ab eo enim verbo oblationes, dona & partes ſacrarum rerum dicuntur ab eleuando. Puto igitur ſenſum eſſe, Impios in Sanctorum exemplis, id quod ſolum precioſum, honorabile, nobiliſſimum, atque adeo ipſa portio ſanctitatis eſt, nempe fidem, non ſolum non ſequi, ſed vno conſilio ſeu furore potius id agere, vt eijciant & extinguant, ſolis operum laruis iactatis & prædicatis. Nemo enim minus ſequitur Sanctorum exemplum, nemo etiam magis extinguit, quam qui opera ſola, & non fidem eorum ſectantur, ſic nemo minus eſt hodie Franciſcanus, quam ipſi Franciſcaniſſimi, qui de obſeruantia dicuntur, imo ij acerrimi hoſtes eius ſunt, & fidem eius eijcere cogitant furioſiſſime. Vnde ſequitur: Placebunt ſibi in mendacio, ſcilicet ſpeciem tenent, fidem vaſtant, & in hoc gloriantur, ſibique placent præ omnibus hominibus, ceu ſanctiſſimi, Ore benedicunt, intimo maledicunt. Laudant enim Deum Chriſtum, S. Franciſcum, Dominicum, & alios, quorum ſectatores ſeſe iactant. Sed hæc laus eſt ſumma blaſphemia, dum fidem eijciunt, & ſolam ſpeciem pro veritate amplectuntur. Ex his iam totus Pſalmus apertus eſt, docens nos fidere Deo, & ſine fide omnia eſſe mendacia.

ISaias 30. hunc Pſalmum vel æmulatus vel interpretatus etiam ait: Populus enim ad iracundiam prouocans eſt, filij mendaces, filij nolentes audire legem Dei. Qui dicunt videntibus, nolite videre, & aſpicientibus, nolite aſpicere nobis ea quæ recta ſunt, Loquimini nobis placentia, videte nobis errores, auferte à me viam, declinate à me ſemitam, ceſſet à facie noſtra ſanctus Iſrael. Propterea hæc dicit Sanctus Iſrael: Pro eo, quod reprobaſtis verbum hoc, & ſperaſtis in calumnia & tumultu, & innixi eſtis ſuper eo, propterea erit vobis iniquitas hæc, ſicut interruptio cadens & requiſita in muro excelſo, quoniam ſubito, dum non ſperatur, veniet contritio eius, Et infra: Si reuertamini & quieſcatis, ſalui eritis, In ſilentio & ſpe erit fortitudo veſtra &c.

II. Vota aduerſari fidei.

HÆc modo ſatis ſit dixiſſe de votis monaſticis, vt aduerſentur verbo Dei. Pergamus demonſtrare, vt pugnent & fidei Chriſtianæ, quo plenius cognoſcamus hanc eſſe principem partem Abominationis ſtantis in loco ſancto. Ponamus autem hic petram ſeu rupem noſtram, quæ noſtrum eſt principium fidei. Verbũ Pauli Rom. 14.

Rom. 14. *Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt.* Ex quo inferimus, monaſtica vota, ſi ex fide non ſint, eſſe peccata. Ex fide autem non ſunt, ſi perpetua, neceſſaria & nõ libera ſunt, potentia tum ſeruari tum dimitti. Sed quia hæc vel aduerſarijs vel infirmis venient in manus, occurrendũ eſt eorum effugijs, & præoccupanda vada Iordanis huius, ne nobis elabantur principes iſti Madianitarum. Primo enim negabunt fidem, eo loco, fidẽ Chriſtianam eſſe, habentes humanam gloſulam tum obſcuriorem ipſo textu, tum ab ipſiſmet nunquam intellectam, Vt more ſuo Scripturæ vim eludant eiuſmodi commentis, quibus plus credunt, quam puris & apertis verbis Dei, nulla cauſa, niſi quod principio perfidiæ ſuæ repugnant, quo ſtatuerunt, Non omnia extra fidem eſſe peccata. Locus Pauli Rom. 14. enarratus.

Huic mendacio aduerſus Deum erecto, cum Paulus reſiſteret, coactus eſt laruam gloſæ induere, & illorum ſenſui cedere. Eſt autem gloſa eiuſmodi, Fidem eo loco accipi pro conſcientia. Eſſe igitur non ex fide, eſt contra conſcientiam agere. Agens autem contra conſcientiam ædificat ad gehennam. Hæc retuli, ne putent nos eorum magnificam ſapientiam neque noſſe neque legiſſe. Deinde, & hoc multo maxime negabũt, Vota neceſſaria eſſe ſine fide. Habent enim fidem multiplicem, generalem, ſpecialem, acquiſitam, infuſam, Informem, formatam, catholicam, particularem, implicitam & explicitam, hoc eſt, confuſiſſimam Babylonem errorum & opinionum. Cogimur itaq; ne Amorræis & ranis iſtis nihil eorum ſcire videamur, aduerſus iſta diſputare, & noſtram rupem non quidem firmare, ſed firmam monſtrare, diſpulſis fumo nubibus & nebulis per homines excitatis. Fides multiplex ſecundum Sophiſtas.

Marci 16. Iohan. 8. Iohan. 16. CHriſtus dicit: *Qui non crediderit, condemnabitur, Marci vlt. Et Iohan. 8. Si non credideritis, quia Ego ſum, moriemini in peccato veſtro. Et Iohan. 16. Ille arguet mundum de peccato, quia non credunt in me.* Da igitur Monachum caſtum, obedientem, pauperem, & omnibus virtutibus refertum, operantem quantacunque ſine fide, Nunquid non damnabitur? Nonne manet ſententia: Qui non crediderit, condemnabitur? Nonne peccatum habet quod arguit ſpiritus? Nonne morietur in peccato ſuo? At mors damnatio, reprehenſio, non infertur ei, qui non peccat. Nec eſt, quod hic eludant, & dicant, Peccatum infidelitatis quidem damnari, ſed non omnia, quæ fiunt in peccato infidelitatis. Scilicet fructus bonos feret arbor mala? & in peccato facta non ſunt peccata? In propoſito adulterandi dare panem egenti peccatum eſt, & vouere in propoſito non credendi non peccatum eſt? Sed & Iohan. 3. obſtruit hoc

Iohan. 3. os impium dicens: *Qui non credit, iam iudicatus eſt, quia non credit in nomine vnigeniti Filij Dei.* De qua, rogo, fide hic loquitur? infuſa, acquiſita, generali &c? Nonne de ea quæ viuificat? ſine qua qui fuerit, iam iudicatus eſt. Et iterum: *Qui non credit Filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper ipſum.* At ira Dei non manet ſuper eos, qui non peccant. Si ergo opera extra fidem peccata non ſunt, ceſſat ira ſuper operantem talia, & per opera auertet iram à ſe, vt fide non ſit opus, quo quid eſt blaſphemum magis?

Petra ergo noſtra firma inuenitur, & diſpulſis nubibus principium perfidiæ

perfidiæ illorum ſubuerrit. Stat quoque Paulus inconcuſſus: *Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt.* Nec curat, quod ſententia illis dura videatur, Dura fuit & mors Chriſto pro nobis ſuſcepta, magnum fuit Filium Dei incarnari & da-

Iudicium rationis in rebus Dei.

ri pro nobis, Nihilo tamen minus factum credimus. Non oportet ſequi in rebus Dei noſtrum iudicium, nec definire, ſecundum quod noſtro ſenſui aliquid durum, molle, graue, leue, bonum, malum, iuſtum, iniuſtum videtur. Non facies (inquit Deute. 12.) quod tibi rectum videtur, ſicut faciunt tamen impijſſimæ Facultates Scholarum, omnia diuina ad humani ſenſus iudicium æſtimantes, & pro Petris fidei arenas & paludes perfidiæ ſuæ in principia fidei collocantes. Sed ad verba fidei aptandus eſt noſter ſenſus, captiuandusq; intellectus in obſequium Chriſti. Id quod non fecit impudentiſſiæ frontis & *Deut. 12.*

Pariſienſis Sorbona.

proſtituræ iam olim pudicitiæ meretrix Pariſienſis, quæ nuper auſa eſt diuaricari pedes ſuos, & toti orbi turpitudinem ſuam obſcœniſſimam diſcooperire & dicere, Legem de non vindicando ideo cenſeri conſilium debere, non quia id ſacræ literæ docerent, ſed quia humanus ſenſus dicter, hoc eſſe onerariuum legis Chriſtianæ. Eadem pietate dicent, infernum non eſſe, ſed minari

Origenis error.

tantum Scripturas, quod ſenſus humanus abhorreat, vnum hominem perpetuo cruciari, quo ſenſu Origenem aiunt lapſum fuiſſe. O Scholas, ô Facultates, ô Theologiſtas, feces nouiſſimæ ſentinæ, Sic intellectum veſtrum (id eſt, verba Dei) captiuatis in obſequium Chriſti, id eſt, in ſenſum veſtrum. Decernimus itaque hac autoritate diuina, & cum fiducia audemus dicere: Hæc dicit

Vota extra fidem facta.

Dominus exercituum, Vota monaſtica extra fidem facta & ſeruata ſunt peccata, per hoc & irrita, damnabilia, reuocanda & omittenda, aut aliter denuo vouenda & ſeruanda.

Recte ne fidem pro conſcientia expoſuerint?

IAm quod fidem hoc loco faciunt conſcientiam, mera temeritate hominum faciunt. Neque enim vnum iota é Scripturis adducunt, quo probarent fidem aliquando hoc modo accipi, Mihi nondum eſt viſus locus, in quo fides aliter quam vbiq; & vniformiter accipiatur pro fide Chriſtiana, quod prolixus eſt, quam vt nunc res patiatur oſtendere. Feramus tamen hanc eorum obſcuram gloſam, & malo iſto humano bene vtamur, per ſpiritum nobis donatum, Si enim recte conſcientiam ea gloſa intelligerent, non maledicerent, Veriſſimum eſt enim, ſi quippiam opereris, & credideris, te hoc ipſo male operari, tete peccare, & vt aiunt, ad gehennam ædificare. Sed hoc errant, quod hanc conſcientiam non faciunt catholicam, in omnibus operibus extra fidem Chriſti factis, ſed certis eam duntaxat caſibus deputant, in quibus erroneam conſcientiam haberi dictant. Hoc ideo errant, quia oculos ſolum figunt in craſſa iſta libidinis, iræ, cupiditatis, peccata, verum in ſublimia iſta & profunda cordis peccata conſcientiam talem nunquam promouent. Quod nos, age, tentemus an facere poſſimus.

Contra conſcientiam agere.

Si aliquod opus facias, quod non credas firmiter Deo placere, aut dubitas placere, nonne contra conſcientiam facis? Facis enim, & non credis Deo placere, ſi autem non credis placere, conſcientiam habes, opus non eſſe placitum. Et ſic contra conſcientiam operaris id, quod non eſſe placitum Deo dictas. Sed nonne talia ſunt omnia vota & votorum opera extra fidem? Da vnum, qui audeat aſſerere, ſuum votum eſſe placitum ac gratum Deo. Quin hoc aſſerere docent eſſe præſumptionem, volentes, vt timeamus & incerti ſimus. At Deus iuſſit certo & indubitato fidere in ſuam miſericordiam, & præſumere nos & noſtra placere, non ex noſtra dignitate aut merito, ſed ſua bonitate. Hæc eſt enim conſcientia ſanæ fidei, quæ huic iuſſui & promiſſio-

Conſcientia ſanæ fidei.

ni Dei fideliſſime & inconcuſſe adhæret, quam conſcientiam vaſtat, & contra eam peccat, illa, quæ vel non credit, vel quod idem eſt, dubitat, ſe & ſua

placere

placere Deo, ideo & contra ſeipſam & illam ſimul peccat, faciens quod non credit placere.

Quis vero liberat nos ab impia iſta contra ſeipſam peccante conſcientia? Natura id non poteſt, quantumlibet enim operêris bona, ſi & ſanguinem fuderis, ſemper manet conſcientia palpitans & dicens: Quis ſcit an hoc Deo pla-
Sap. 9. ceat? Verum eſt enim illud Sapientis: Cogitationes hominum timidæ, & incertæ prouidentiæ noſtræ. Non ergo habet natura, nec impetrant opera bonã
& certam conſcientiam. Chriſtus vero per auditum verbi ſui, cordi manifeſta- *Fides conſcientiæ ſecuritas.*
tus, quod ipſe ſit, qui pro nobis Sacerdos factus eſt, nobis datus, ſuum ſanguinem fuderit, noſtra peccata tulerit, & nos in ſuos acceperit. Hic, inquam, auditus cor lætificat, conſcientiam erigit, vt audeat dicere & gloriari in ipſo: Si Chriſtus pro me & meus eſt, quis contra me? Quomodo non placeam ego, & opera omnia mea, ſi Chriſtus meus & ego Chriſti? Nunquid Chriſtus diſplicere poteſt? Ecce iſta eſt fides, quam Scriptura docet, quam qui habet, con-
tra conſcientiam agere non poteſt, quia non poteſt dubitare ſeſe placere Deo *Fidem habens contra conſcientiam agere non poteſt.*
propter Chriſtum ſibi donatum. Qui vero non habet, non poteſt non contra conſcientiam agere ſemper, quia non poteſt non dubitare, ſeſe placere Deo, Deeſt enim & promiſſio Dei, & pignus promiſſionis Chriſtus, relicta ſola natura ſibi incerta, quid Deus de ſe cogitet. At habens promiſſionem & Chriſtum, certiſſimus eſt, quid Deus ſuper ipſum cogitet, nempe cogitationes pacis, propter ſanguinem Chriſti, clamantem remiſſionem peccatorum, & Abba Pater, in cordibus noſtris.

Igitur cogitationes mortalium timidæ, quibus nos non vult niti, Dedit ergo promiſſionem miſericordiæ, iuſſit fidere, Adiecit inæſtimabile pignus Filium ſuum Vnigenitum, vt ſuper cogitationes eius, per promiſſionem manifeſtatas, per Chriſtum ſigillatas, nitamur certi & firmi, etiã aduerſus portas inferi, adeo vt ſi etiam labamur & peccemus, mox reſurgamus, ſemper ſcientes, nos non placere non poſſe propter Chriſtum, qui propter nos non poſſumus non diſplicere. Hoc ſenſu gloſa iſta pia & boni vſus erit, atq; cum Paulo & tota Scriptura per omnia conuenit. Vere enim contra conſcientiam operatur, & peccat qui non credit, ſeu Chriſtum non habet. Et econtra, vere non credit, qui contra conſcientiam operatur, Vt ſtet ſententia: Qui non credide-
Marci 16. rit, condemnabitur, quia non credit ſibi peccata indubitato remiſſa, quæ conſcientia mergit eum in damnationem, manens onerata peccatis.

NVnc latius videndum eſt, vt monaſtica vota ſint ſine fide. Demonſtratum & inuictis teſtimonijs firmatum eſt, Omne, quod non eſt
Rom. 14. ex fide, peccatum eſſe, Solius autem fidei eſſe, remiſſionem peccatorum *Sola fide nos iuſtificari.*
operari certam & lætam & liberam à peccatis conſcientiam reddere. Opera vero ſeu fructus fidei proprie non pertinẽt ad remiſſionem peccatorum, & lætam conſcientiam, ſed ſunt fructus iam præſentis & præcedentis remiſſionis
& bonæ conſcientiæ. Memento, quæſo, iſtorum, Lector, quam poteris diligen- *Opera ante fidem.*
tiſſime, Opera ante fidem eſſe peccata, ſolam fidem ſine operibus operari re- *Opera poſt fidem.*
miſſionem peccatorum, iuſtificationem & bonam conſcientiam, Opera vero poſt fidem eſſe fructus iam iuſtificati hominis ex remiſſione peccatorum &
Eſaie 40. bona conſcientia, hoc eſt, ex fide, & charitate prouenientes. Memento, inquã, horum, Nam hic eſt ſpiritus, qui flabit in fœnum votorum & florem eorum, & exiccabit fœnum, & cadet flos eorũ. Non humana, ſed diuina ſunt, quibus nitimur. Stat enim, ante fidem & ſine fide Chriſtiana viuificante illa & optima, non modo remiſſionem peccatorum aut conſcientiam bonam per opera, aut vota fieri non poſſe, ſed neceſſario peccata eſſe quæ fiunt.

Hic

Hic iam videbis, qua pietate iſti voueant ſua vota, & quæ ſit fides eorum generalis, acquiſita, infuſa, in qua vouent, an Iudæos vel Chriſtianos eos exiſtimare debeas. Paulus dicit ad Gala. 3. *Lex non eſt ex fide.* Et iterum: Ex operibus Legis non iuſtificatur omnis caro coram illo. Et qui iuſtitiam Legis ſectantur, in iuſticiam Legis non perueniunt. *Gal 3. Rom. 9.* Quæ omnia cum præcedentibus hoc definiunt, Qui remiſſionem, ſatisfactionem peccatorum, iuſtificationem, *Votum Legis opus.* alteri quam fidei ſoli tribuerit, & aliunde quam per fidem quæſierit, hic Chriſtum negauit, gratiam abiecit, & Euangelium reliquit apoſtata, ſic enim Paulus Galatis intonat, A gratia excidiſtis, qui ex lege iuſtificamini. At vota & opera votorum, lex & opera ſunt, non fides nec ex fide. Quid eſt enim votum niſi Lex quædam? teſte ipſorummet voce, qua dicunt, Id quod ante votum liberum erat, poſt votum neceſſarium eſt, & iam non conſilium ſed præceptum eſt. Qui ergo ea opinione vouent, vt per hoc vitæ genus boni & ſalui fiant, peccata deleant, & operibus bonis diteſcant, nonne manifeſtum eſt impios & Iudæos eſſe, à fide apoſtatare, imò fidem blaſphemare & abnegare? dũ hoc tribuunt legibus & operibus ſuis, quod proprie ſolius fidei eſt. De quibus egregie Paulus prædixit: *In nouiſſimis diebus diſcedent quidam à fide, attendentes ſpiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum, in hypocriſi loquentium mendacium.* *1. Timo. 4.* Iſtam diſceſſionem & apoſtaſiam & ad Theſſ. memorat. Vbi eſt autem diſceſſio iſta, niſi vbi ad opera itur, & id operibus tribuitur, quod fidei eſt? *2 Theſſ. 2.*

Infidelitas vouentium.

INterrogemus nunc omnes votarios iſtos, qua opinione voueant. Et inuenies eos hac opinione impia poſſeſſos, quod arbitrentur gratiam baptiſmi irritam factam, & iam ſecunda tabula pœnitentiæ naufragium euadendum eſſe, Ideo quærendum per votiuum viuendi genus, non ſolum vt boni fiant, & peccata deleant, ſed etiam abundantius pœniteant, & cæteris Chriſtianis meliores fiant. Hæc omnia illos quærere in operibus & votis, & non in fide, certiſſimũ eſt, teſtis eſt eorum vox, vbi dicunt: Si hæc non quærerem nec inuenirem, quid quærerem in monaſterio? quid laborarem? Si enim ſcirent, ſola fide hæc præſtari & accipi, vtique inferrent, Quid ergo neceſſe eſt vouere & monachum fieri? Statim enim ſuperfluum & non neceſſarium eſſe hoc vitæ genus intelligerent, tam ad iuſticiam quam ad ſalutem, imo vanum & aduerſarium: Quam primum fidei ſcientia reuelatur, cætera omnia non neceſſaria ad iuſticiã inueniuntur. At ſi hoc ſciſſent, nunquam vouiſſent, Nemo enim in vanum laborare vellet, maxime tanto totius vitæ labore. Quare hoc teſtimonio conuincuntur, ſeſe ideo vouiſſe, quod votiuum hoc genus vitæ vtile & neceſſariũ duxerint ad iuſtitiam ſeu bonam vitã, imo nihil vtilius & melius duxerint. At ea opinio eſt impia, ſacrilega aduerſaria fidei, quæ ſola neceſſaria & vtilis, nihilq; ea vtilius & neceſſarium magis eſt ad iuſticiam.

Id vero multo fortius & certius conuincit eos, non alia quam hac infideli & impia opinione vouere & viuere, quod principium perfidiæ ſuæ palam docent, & dicunt, Hominem poſſe ſuis operibus naturalibus gratiam & remiſſionem peccatorum obtinere. Sic enim ſapiunt omnes, ideo enim & vouent, vt hoc vitæ genere, gratiam Dei obtineant, iuxta principium prædictum perfidiæ, Quo quid faciunt, niſi quod Chriſtum negant, & à fide diſcedunt? Quin his auribus audiui quoſdam maximi nominis inter eos docere, Religioſum eſſe hac gratia ditiſſimum, vt quoties renouarit votum religionis in corde ſuo, per contritiunculam aliquam, toties à nouo ingrederetur religionem, Hoc autem ingredi, baptiſmo æquabat, ſicut æquant omnes. Tot diluuia baptiſmorum habent illi perditi iuſticiarij operum, & fidei non niſi vnum & vno peccato perditum dant baptiſmum. Quod ſi qui inter eos ſunt, qui non

ita ſa-

ita ſapiunt,cum nec aliud audiant nec videant,Hos neceſſe eſt in medio impiæ doctrinæ & infidelis vitæ,ſeu Pueros in camino ignis babylonici, ſolius virtute Dei, intus recte docentis,& potenter ſeruantis cuſtodiri miraculoſe. Proinde,ſi nulla alia eſſet cauſa reuocandi & relinquendi voti monaſtici,hæc impietas negati Chriſti & repudiatæ fidei abunde ſatis vrgeret & compelleret. Nemo ſatis penſare poteſt,quam graue & vehemens ſit verbum Pauli, quod recitauimus? In nouiſſimis diebus diſcedent quidam à fide,attendentes ſpiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum,in hypocriſi loquentium mendacium, cauteriatam habentium ſuam conſcientiam,Prohibentium nubere & abſtinere à cibis,quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus,& his qui cognouerunt veritatem. 1.Timo.4.

Ego plane huius ſolius verbi autoritate,cum ſit verbum Spiritus ſancti,qui eſt Deus noſter benedictus, Amen,auſim vniuerſos monachos à ſuis votis abſoluere,& cum fiducia pronunciare,vota eorum eſſe coram Deo reproba, & nulla. Antea enim ſolos ſacerdotes à cœlibatu virtute huius verbi abſolui,ſed propius mihi rem ſpectanti, & verba Pauli diligentius conſideranti occurrit,doctrinam eius catholicam & generalem eſſe in omnes cœlibes,tam monachos quam ſacerdotes. Proinde vtile fuerit paulo accuratius Paulum obſeruare. Ac primum vt illos penitus confutemus,qui Papam,ſacerdotes & monachos honeſtaturi,hunc locum ad Tacianos torquent,nec ſinunt de noſtro cœlibatu intelligi. Ipſa verba cogunt non de Tacianis ſeſe intelligi. Taciani enim non prohibebant modo,ſed damnabant in totum coniugium, dicentes ipſum & malum & peccatum eſſe. Similiter & cibos Manichæi non prohibebant modo,ſed damnabant,vt qui mixti eſſent portione tenebrarum &c. Sed Papa & Papiſtæ nec cibum nec coniugium damnant, prohibent ſolum nubere & abſtinere à cibis bonis,quos confitentur à Deo creatos,faciuntque id ſpecie maioris religionis. Quod Paulus palā tangit cum dicit: In hypocriſi loquentium mendacium. Non enim Papiſtæ neceſſarium eſſe docent aut diuinitus præceptum,à cibis & coniugio abſtinere, Scientes & prudentes prohibent propria autoritate ad hypocriſin inſtituendam. Taciani vero & Manichæi neceſſarium ac diuinitus præceptum videri volebant ſuum commentum,non ſciebant proprium eſſe,quod docebant,nec ſpecie maioris pietatis, ſed veritate & neceſſitate vniuerſalis pietatis credebant ſe moueri. Habemus itaq; hunc locum Pauli,plane noſtros cœlibes tangentem, Papam, ſacerdotes,monachos & moniales.

Locus Pauli 1. Timoth.4. explicatur.

Taciani.

Manichæi.

In hypocriſi loquentium mendacium.

Atq; vt demus quam maxime Paulum de Tacianis & Manichæis loqui,per hoc non poteſt negari, quin & de Papiſtis loquatur, quatenus cum illis ſentiunt, Nunquid ideo non loquitur contra Sabellium Iohannes Euangeliſta de diuinitate Chriſti,quia eius verba pugnant contra Arrianos? Aut nō loquitur contra Cherintos,quia verba eius confutant Iudæos? Aut non valent contra Turcas,quia valent contra gentiles? Prorſus contra omnes valent & pugnant,quocunq; nomine,quacunq; ſecta cenſentur,quatenus negant Chriſtum eſſe Deum,ſiue alias illis conueniat,ſiue minus. Ita & hic Pauli locus omnes damnat,qui prohibent nubere,& docent abſtinere à cibis,ſiue ſint Taciani, Manichæi, Turcæ, Papiſtæ,aut quicunq; alij. Nam & Turca à vino abſtinet ſpecie religionis. Cum itaq; negari non poſſit,à Papa coniugium prohibitum,ſicut & cibos,manifeſtum eſt ipſum Spiritui ſancto reſiſtere in hoc verbo Pauli,& doctrinam ſuam eſſe dæmoniorum & erroneam & meram hypocriſin. Habet hic aliquis,quod poſſit opponere? ſunt ne hæc clariſſima & inuicta? Eſto, Papiſtæ non ſunt Turcæ, neq; Manichæi, neq; Taciani nec tales accuſamus, ſed quatenus cum Turcis, Manichæis, & Tacianis conſentiunt, accuſamus, Turcæ non ſunt, faciunt tamen ac docent ea quæ docent Turcæ.

Prohibentes nubere.

Coniugium à Papa prohibitum,&c.

Monaſtica Vota impia.

CVm ergo hæc ita habeant, vt monaſtica vota per diuinam ſpiritus definitionem pronuntientur eſſe doctrinæ erroneæ, & dæmoniacæ, & hypocriticæ, quid adhuc trepidas ea reuocare & deſerete? An trepidas ſpiritum Creatorem tuum andire & ſequi? Metuis ne ſpititus veritaris tibi mentiatur, aut iraſcatur, ſi obedieris voci eius? Si ſcires tete vouiſſe, vt ſacrilegium faceres, vtique votum caſſares & mutares, Cur non & hoc mutas & caſſas? Sed id fortaſſis te moratur, quod & me hactenus moratum eſt, Quod Monachi non docent, ſed ſua ſponte ſeſe tradunt in hoc genus doctrinæ & hypocriſis, Sacerdotes vero præcepto Papæ coguntur, non ſponte vouent. Atque hoc ſpontaneum votum à nullo exactum vehementer me mouit hactenus, Iam vero non mouet amplius. Primum, quod Paulus tam libero ſpiritu affirmat doctrinas erroneorum ſpirituum & dæmoniorum mendaces eſſe, Quod & ipſa res cum verbis Pauli ſaciens probat, Docent enim per opera iuſtificari & ſaluari, & diſcedunt à fide, cum ſuam obedientiam, paupertatem & caſtitatem non ſolum arbitrentur eſſe certas vias ad ſalurem, ſed & perfectiores & meliores, quam reliquorum fidelium, Quod eſt euidens & apertum mendacium & error, & peccatum in fidem. Nihilque reliquum eſt illis niſi hypocriſis & cauteriata conſcientia.

Vaniſſima perſuaſio de operum monaſticorum dignitate.

Deniq; velut non paſſuri, vt quis Paulnm de ipſis loqui dubitet, latius inſaniunt, & produnt ſua mendacia impudenter. Vendnnt enim & communicant ſua bona opera, merita & Fraternitates alijs, Quaſi ij ſint, qui non ſolũ meliore via incedant, ſed & ex abundantia ſua, alios quoq; ſecum ſaluos facere poſſint. Nunquid iſta fieri ab eis publicè & paſſim negare quiſquam poteſt? At operibus tantum tribuere, vt non modo ſua ipſorum, ſed & aliorum quoque peccata deleant, nec ſolis ſibi, ſed & aliis ad ſalutem proſint, quid poteſt in Chriſtum & fidem eius blaſphemius & inſanius cogitari? Qui Iudæi? Qui gentiles? Qui Turcæ æque inſaninnt? Nonne hoc eſt non modo ſuas proprias, ſed & aliorum conſcienrias inuitare & allicere ad confidendum ſuper illorum opera & merita? At quid eſt hoc niſi fidere execrabiliſſimo mendacio? Pro quo tamen mendacio, totius mundi opes deuorant ocioſi & delicati, Denique nuper ad finem inſaniæ venerunt, promittentes hominibus introitum cœli, qui morituri cucullum induerint. Quid eſt abominatio, ſi hæc non eſt abominatio? Vides ergo, imo palpas hic, non modo diſceſſiſſe eos à fide, ſed mendaciis illorum abominandis ſeductum qnoque & orbem. Sua enim cuiuſque fides & neceſſaria & ſatis eſt ad remiſſionem peccatorum & ad ſalutem, quæ nobis Chriſtum affert, hoc eſt, vnam carnem, os ex oſſibus, & omnia communia cum illo facit, vt in ipſo & de ipſo glorietur conſcientia noſtra, quod ipſius ſolius ſanguine & meritis tum iuſtificati viuimus, tum ſaluati in æternum viuemus, ſine operibus tam noſtris proprijs, quam aliorum, Fides enim Chriſti non poteſt pati, vt vel noſtris vel aliorum operibus gratia & iuſticia veniat, Hoc enim ſolius Chriſti eſſe ſcit & confitetur conſtanter, Quam ſi illi docerent, non ſua opera venderent alijs, ſed ſe & omnes ab operum fiducia in ſolum Chriſtum raperent, Simul oſtendentes, quam nihil ſit neceſſarium ad iuſticiam, ad ſalutem, ad remiſſionem peccatorum ſuum votarium vitæ genus, ſed ſolam Fidem eſſe neceſſariam.

Fides Chriſtum nobis adfert.

Monaſticorum opera fidem obſcurans.

HOs proprie prædixit Chriſtus Matth. 24. Multi venient in nomine meo, dicentes: Ego ſum Chriſtus,* Obſerua, quæſo, verba Chriſti: In nomine meo venient, dicentes: Ego ſum Chriſtus. Papiſtæ illi religioſi nunquam appellant ſe vocabulo iſto, Chriſtus, nullus dicit: Ego vocor vel appellari volo Chriſtus. Omnes autem dicunt: Ego ſum Chriſtus, nomine abſtinent, ſed officium, opus & perſonam arrogant. Quæris, quomodo id faciant? Audi:

Proprium Chriſti officium.

Chriſti

Digitized by Google

mundi,diaboli? At impij iſti vitam monaſticam non volunt eam videri tan-
tum,in qua,ſed per quam,ſeu potius qua bene viuatur. Genus vitæ & ſubſtā-
tiam eius bonam eſſe docent,per quod boni fiant & ſalui. Hoc ſacrilegum,
hoc impium & blaſphemum eſt,hoc eorum mendacium,hic error, hæc hy-
pocriſis,hoc dæmoniorum commentum eſt,hoc ſeducunt corda ſimpliciū
1.Pet.2. ſuperba vanitatis ſonantes(vt Petrus ait)Nullus enim Sanctorum per eambo-
nus factus eſt,nec poſſunt vllum huius exemplum oſtendere. Omnes autem
in ſolo Chriſto per fidē & boni & ſalui facti ſunt, vt in Bernardo monſtrauimus.

SEd & S. Auguſtinus dicit: Væ hominum vitæ quantumcunq; Auguſtinus.
laudabili,ſi remota miſericordia iudicetur. Et iterum: Turbabor,ſed non
perturbabor,quia vulnerum Domini recordabor. Vides & hunc ſuam
Galat.1. ipſius & omnium vitā damnare,ad vulnera autem Domini ſeſe receptare. Et
Paulus Galat.1. Viuo ego,iam non ego,viuit vero in me Chriſtus. Omnes in
ſolo Chriſto viuunt,vouent,fidunt,& gloriantur,nihil de operibus ſuis cogi-
tantes, Vnde & nos dicimus: Anathema ſit,qui aliud docuerit,quam in ſola fi-
de eſſe iuſticiam & ſalutem. Sunt ne hæc ſatis clara? Clarum ergo ſimul eſt,vo-
ta monaſtica,quando non poſſunt nō vltra & præter fidem doceri, eſſe impia,
gentilia, iudaica, ſacrilega,mendacia, erronea, dæmoniaca,hypocritica,apo-
ſtatica,etiam Sanctorum exemplis aduerſaria, Quare cum fiducia reuocanda
& deſerenda ſunt,etiamſi pia & ſeria opinione emiſſa fuerint. Si enim opera
Legis diuinæ Apoſtolus prohibet doceri,& tanto æſtu cogit relinquere Gala-
tas & Romanos,quanto magis illa electicia hominum opera & vota prohibi-
ta ſunt, & relinquenda. Summa ſummarum, Opera & vota nec doceri nec
perſuaderi poſſunt, niſi ea ſalutaria & vtilia dicas ad ſalutem & iuſticiam.
Quid enim eſt docere,opera & vota non eſſe ſalutaria nec neceſſaria? Quis au-
diet? quis amplectetur? At docuiſſe ea ſalutaria,eſt dæmoniacum & apoſtati-
cum à fide,cum ſola fides ſit neceſſaria & ſalutaris. Quare monaſtica vota &
opera aut ſerio doceri & diſci non poſſunt,aut apoſtatare à Chriſto,& excide-
re à fide,oportet tam docentes quam attendentes. Et ſtat Paulus fortis, Eſſe ea
doctrinas dæmoniorum & mendacia & erronea,à quibus niſi vel in fine re-
ſilias cum S.Bernardo , in æternum peribis.

Hæc omnia cum vera & ſolita ſint diuinis nixa firmamentis *Votum ſine fide quid pollicetur.*
conuincunt vouentis vota monaſtica,ſi ſine fide voueat,eſſe hanc cordis ſui
ſententiam coram Deo: Ecce Deus,voueo tibi,amplius nolle Chriſtianum eſ-
ſe,reuoco votum in baptiſmo factum,in Chriſto amplius non nitar, neq; vi-
uam, Irrita enim ſunt hæc omnia & antiquata iamdudum. Voueo autem tibi
vltra & extra Chriſtum nouum & multo melius votum,ſcilicet viuere in pro-
prijs operibus,caſtitatis, obedientiæ, & paupertatis, & huius totius Regulæ.
His enim operibus & iuſtus & ſaluus ero,& alijs mecum prodero ad iuſticiam
& ſalutem. Horreſcis,& negas ita cogitari à vouente? At ſi negas, negabis ſi-
mul prædicta eſſe vera. Cor enim,quod non eſt fide pura in Chriſtum ædifica-
tum,& præſumſerit vouere,non poteſt aliter affectum eſſe, quam dictum eſt,
Opera enim ſpectet & æſtimet neceſſe eſt, alioqui non voueret. At opera,
æſtimare eſt fidem negare,baptiſmum reuocare,Chriſtum repudiare, vt iam
abunde ſatis eſt dictum. Et hoc impiiſſimum votum credes poſſe placere &
Deut. 28. exigi apud Deum,ac non potius ſummo odio haberi & damnari? Sic contin-
git ijs,qui ſine fide incedunt & opera apprehendunt.

QVin multo miſeriorem & contritionem & infelicitatem in
vijs eorum vide. Optimi inter eos habentur, qui ad hanc impietatem
quam proxime accedunt, Rari n. & pauci ſunt qui caſte, pauperes,obe-

dientet & alia regularum viuunt. Quantæ hic ſunt pœnitentiæ? quanti carceres? quantæ pœnæ? quanti dolores eorum, qui non attingunt? quanta eſt conſcientia, non obſeruaſſe ſuum ordinem? Scilicet tantis ſudoribus vendit Satan ſuam perditionem. Hoc quod ſummis laboribus & conſcientia fugiendum erat, ſummis laboribus & conſcientia petitur. Vere Moſes dixit: Seruietis ibi Matth. 6.
Dijs alienis, qui non dabunt vobis requiem die ac nocte. De hoc & Chriſtus prædixiſſe videtur. Contendite per anguſtam portam intrare, quia multi quærent introire & non poterunt. Videtur autem Deus miſericorditer eis reſiſtere, ne attingat ſuum ſtatum perfectionis, id eſt, ſummam impietatis, permittens eos labi, ſeptens viam eorum ſpinis (vt in Hoſea dicit) vt præuaricatores de- Oſee 7.
prehenſi inter anguſtias redeant ad cor, & ad virum ſuum priorem, vbi melius eis fuerat quam nunc Hoſe. 2. Eſtne ergo hæc incredibilis conuerſio, Primi ſunt nouiſſimi, & nouiſſimi ſunt primi? Apoſtatæ ſunt religioſi, & religioſi ſunt apoſtatæ. Et qui minus ſeruant vota, magis ſeruant, & qui magis ſeruant, minus ſeruant. Sic etiam ſic, Domine, cum peruerſo peruerteris. Sic impletur illud Pſalm. 18. Contritio & infelicitas in vijs eorum, & viam pacis non cognouerunt.

Quale debeat eſſe votum vere pium & ſanctum.

Rurſus Chriſtiano & pio affectu vouens, ſic cogitabit neceſſario apud Deum: Ecce Deus, hoc vitæ genus voueo tibi, non quod exiſtimem hanc eſſe viam ad iuſticiam & ſalutem, aut ſatisfactionem peccatorum, Hoc enim auertat à me miſericordia tua, Hoc in Chriſti Domini mei redundaret iniuriam, cum hoc ſit negare eius merita, & ſanguinem eius pollutum ducere, & oſtentui habere Filium tuum, cuius ſolius eſt hæc gloria, vt ſit agnus Dei, qui tollat peccatum mundi, in ſanguine ſuo omnes lauet & iuſtificet non abijciam tam ſactilege gratiam tuam. Expectabo & præſumam hæc in ipſo ſolo, nequaquam in me aut vlla creatura, nedum in votis & operibus meis. Sed hoc ago, quandoquidem in carne viuendum eſt, nec ociandum ſit, apprehendam hanc formam viuendi, exercendi corporis gratia, ad ſeruiendum proximo, ad meditandum in verbo tuo. Quemadmodum alius apprehendit agriculturam aut artificium, pro ſuo quiſq; exercitio, abſq; vllo meritorum aut iuſtificationis reſpectu, quam oportet in fide priorem eſſe, & ſemper ſuperiorem manere, & in omnibus regnare &c. Niſi talis ſit affectus vouentis, intelligis ex prædictis, votum non poſſe pium ac vere votum eſſe. Quia hunc affectum fides exigit, ſi adeſt, aut non eſt fides. Quia ſtat ſententia: Iuſtus ex fide viuet, Ex operibus nemo viuet, quare nec ex votis viuet.

Tu nunc vide, quot ſint qui ſic voueant, aut nulli certe, aut miraculoſe inducti, Talis enim affectus contemnit vota, nihilo meliora ducens quã agriculturam, aut quoduis aliud opus manuale. At quis Religioſorum vnquam vouet, vt non æſtimet opus voti eſſe ſupererogationis, perfectionis, cui nullum ſit neq; ſimile neq; æquale? ſicut & impudentiſſime docent. Inſuper affectus iſte habet hoc genus vitæ pro vſu & exercitio, non pro ipſa re & ſubſtantia, Nam fidem habet pro re & ſubſtantia, Sicut homo eſt ſubſtantia, operatio eius naturalis eſt vſus ſubſtantiæ ſuæ. Ita fides vtitur omnium exercitijs & operibus. Contra illi non habent pro vſu, ſed pro ipſa ſubſtantia, Eſſe enim Religioſum, hoc aiunt, eſſe in ſtatu bono abſolute, quo non vtendum ſit, ſed qui vtatur potius omnium aliorum, ipſe caput, primum & nouiſſimum, Alpha & O.

III. Vota

Chriſti ſolius proprium eſt,ſuis meritis & operibus iuuare & ſaluare alios.
Cæterum opera nullis,nec ſibijpſis proſunt,Quia ſtat ſententia:Iuſtus ex fide
ſua viuet.Fides enim nos ſuper opera Chriſti ponit,ſine operibus noſtris, &
transfert de exilio peccatorum noſtrorum,in regnum iuſticiæ illius.Hæc eſt fi-
des,hoc Euangelium,hic Chriſtus.

At Papiſtæ hanc fidem quo ducunt?Nonne ſuper ſeipſos? Docent enim *Papiſtæ arrogant ſibi Chriſti officium,opus &c.*
homines fidere ſuper ſua merita,& communicant opera ſua & Fraternitates
ſuas cæteris peccatoribus,vt peccata eorum portent & deleant,iuſtosq; & ſal-
uos faciant.Nonne hoc eſt dicere:Ego ſum Chriſtus? Nonne hoc eſt facere
quod Chriſtus facit?Non iam ſunt Chriſtiani,ſed Chriſtus. Quia Chriſtiani
Matth. 1. definitio eſt hæc,credens ſolius Chriſti operibus ſolis ſine proprijs iuſtificari,à
peccatis liberari & ſaluari.Chriſti definitio eſt·Qui ſaluum facit populum ſu-
um à peccatis eorum,donans illis ſua propria merita & vniuerſam iuſticiam.
At hoc faciunt noſtri monaſtici.In nomine(inquit) meo venient,hoc eſt,fa-
ciunt iſta,non vt gentiles,ſed vt Chriſtiani,imo vt Chriſtianiſſimi, Non enim
ſinunt quenquam alium de nomine Chriſtiano ſuperbius gloriari. Recordor
hic,quod ſæpius audiui,quoſdam ex iſto hominũ genere morituris peccato-
ribus dediſſe omnia ſua bona opera in hanc vocem:Ecce,do tibi quidquid bo-
ni feci in vita mea,Volentes hac inſania charitatis opus inæſtimabile impleſſe,
dum miſerum illum hominem à Chriſto retractum in opera hominis fidere
fecerunt.O horrendas tenebras,ô miſerandas cæcitates,ô abominandas inſa-
nias,Siccine Satan ludis in animabus pereuntibus & perdentibus?

Ex his fructibus ſuis credo ſatis cognoſci lupos iſtos rapaces,qua opini-
one voueant & viuant,vt nemo poſſit negare,Monachũ fieri (niſi miraculo *Monachum fieri, à fide apoſtatare eſt.*
ſeruetur)id eſſe quod à fide apoſtarare,Chriſtum negare, Iudæum fieri, & vt
2. Pet. 2. Petrus prædixit,ad vomitum gentilem redire.Vides enim nihil niſi opera ſpe-
ctari ab iſtis perditis hominibus,& talia opera,quæ Chriſti operibus æquant,
Sola hæc cauſa,quia prætexto nomine Chriſtiano,à Chriſtianis facta putant,
in fide illa ſacrilega & abominanda,quam generalem & informem vocant.
Igitur ſicut dixi,amplius me non moratur ſpontaneum illud votum mona-
chorum,quo minus omitti & poſſit & debeat.Quid enim eſt votum hoc, ni-
ſi pactum cum dæmonibus factum? Doctrinas dæmoniorum,errores & men-
dacia te te vouiſſe dicit ſpiritus Deus tuus,& tu dubitas,an reſilire & relinque-
re votum debeas? Aduerte ad Paulum,qui non ſolum docentes aut cogentes,
Sed & attendentes memorat,imo de attendẽtibus potiſſimũ loquitur dicens:
Diſcedent à fide,attendentes ſpiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum.Vi- *Attendentes ſpiritibus errorũ &c.*
des hic auditores & ſequaces primo loco nominari. At Monachi certe dum
ſpontanee vouent,non docent hæc mendacia,ſed docti & ſeducti ſequuntur.
1.Timot.4. Quare Paulus prorſus vniuerſaliter loquitur,in omnes cœlibes iſtos,& nullos
excipit.Et quid multis agimus?cui hoc nõ ſatis eſt,quod ſpiritus definit doctri
nas dæmoniorum,mendacia,errores,hypocriſin eſſe,quæ vouentur,quid illi
ſatis erit?Quis pactum dæmonibus ſeruat,vt ſaluus fiat,ac non potius quam
primum diſſoluit & ceſſat?

Atq; demus,vt fide pura miraculoſe ſerueris vouens,& viuens in vo-
tis,ſicut Bernardus & multi alij ſeruati ſunt,quibus propter fidem Chriſti qua *Bernardus.*
pleni erant,venenum hoc non nocuit.Adhuc tamen,quando autoritate diui-
na conſtat,doctrinas eſſe has dæmoniorum,mendaces,quæ natura ſua fallunt
& ſeducunt,cum non poſſint aliud quam opera docere, potes & debes vo-
tum in eas ſeruandas factum abrumpere. Nullius enim Sancti exemplo fi-
ent doctrinæ Dei ex doctrinis hominum, Doctrna Dei docet fidem , vitra *Doctrina Dei.*
quam docere ſeſe iactant votarij aliud. At illud aliud non eſt nec eſſe poteſt
niſi opus.Opus vero non poteſt doceri,niſi lædas fidem,cum fides & opera in

cedere & ſilere, ponere tumultum præſumptionis operum, quibus quærunt impij eum inuenire, & ſeſe ductilem præbere, vt ipſe in nobis operetur, non nos operemur. Videmus enim in Sanctorum ſectatoribus nihil niſi tumultum operum, quæ in Sanctis viderunt, iȷ enim die & nocte ſeſe fatigant, nunquam autem ſilent Deo ſubditi per fidem, Ideo mouentur & ſunt inſtabiles corde, cum non poſſit cor per opera quietari, fiducia eorum eſt in operibus ab exemplo Sanctorum peritis, quibus præſumunt peruenire, quo illi venerunt ſola fide. Inclamat autem præcipitem illorum cæcitatem, qua gregatim irruunt ad imitandum opus alicuius magni viri, & non potius & prius ſilere diſcunt & fidere Deo, Cur (inquit) ſic irruitis in laruam operum? Cur interficitis vos ipſos omnes? Curritis & præcipitatis vos ipſos omnes in mortē. Deus eſt murus altus & fidelis protectio, ſicut Salomon dicit: Turris alta (id eſt, alte oppoſita) nomen Domini, ad ipſam currit iuſtus & ſaluabitur. Contra, vos & quidquid molimini, erit, ſicut paries inclinatus & maceries eiecta, ſuper quam qui nititur, ſimul cadet, & eijcietur, & mouebitur multum. Vocabulum irruitis, volunt etiam ſignificare id quod congregari, item prauefcere, vtrunque confirmat ſenſum prædictum.

Obſcurum autem & ambiguum eſt quod ſequitur: At eleuationem eius cogitauerunt expellere. Noſter habet: Veruntamen precium meum. Romanum Pſalterium: Honorem meum. Hieronymus: Partem meam, ſcilicet oblationem, Ab eo enim verbo oblationes, dona & partes ſacrarum rerum dicuntur ab eleuando. Puto igitur ſenſum eſſe, Impios in Sanctorum exemplis, id quod ſolum preciosum, honorabile, nobiliſſimum, atque adeo ipſa portio ſanctitatis eſt, nempe fidem, non ſolum non ſequi, ſed vno conſilio ſeu furore potius id agere, vt eijciant & extinguant, ſolis operum laruis iactatis & prædicatis. Nemo enim minus ſequitur Sanctorum exemplum, nemo etiam magis extinguit, quam qui opera ſola, & non fidem eorum ſectantur, ſic nemo minus eſt hodie Franciſcanus, quam ipſi Franciſcaniſſimi, qui de obſeruantia dicuntur, imo ij acerrimi hoſtes eius ſunt, & fidem eius eijcere cogitant furioſiſſime. Vnde ſequitur: Placebunt ſibi in mendacio, ſcilicet ſpeciem tenent, fidem vaſtant, & in hoc gloriantur, ſibique placent præ omnibus hominibus, ceu ſanctiſſimi, Ore benedicunt, intimo maledicunt. Laudant enim Deum Chriſtum, S. Franciſcum, Dominicum, & alios, quorum ſectatores ſeſe iactant. Sed hæc laus eſt ſumma blaſphemia, dum fidem eijciunt, & ſolam ſpeciem pro veritate amplectuntur. Ex his iam totus Pſalmus apertus eſt, docens nos fidere Deo, & ſine fide omnia eſſe mendacia.

ISaias 30. hunc Pſalmum vel æmulatus vel interpretatus etiam ait: Populus enim ad iracundiam prouocans eſt, filij mendaces, filij nolentes audire legem Dei. Qui dicunt videntibus, nolite videre, & aſpicientibus, nolite aſpicere nobis ea quæ recta ſunt, Loquimini nobis placentia, videte nobis errores, auferte à me viam, declinate à me ſemitam, ceſſet à facie noſtra ſanctus Iſrael. Propterea hæc dicit Sanctus Iſrael: Pro eo, quod reprobaſtis verbum hoc, & ſperaſtis in calumnia & tumultu, & innixi eſtis ſuper eo, propterea erit vobis iniquitas hæc, ſicut interruptio cadens & requiſita in muro excelſo, quoniam ſubito, dum non ſperatur, veniet contritio eius. Et infra; Si reuertamini & quieſcatis, ſalui eritis, In ſilentio & ſpe erit fortitudo veſtra &c.

II. Vota

II. Vota aduerſari fidei.

HÆc modo ſatis ſit dixiſſe de votis monaſticis, vt aduerſentur verbo Dei. Pergamus demonſtrare, vt pugnent & fidei Chriſtianæ, quo plenius cognoſcamus hanc eſſe principem partem Abominationis ſtantis in loco ſancto. Ponamus autem hic petram ſeu rupem noſtram, quæ noſtrum eſt principium fidei. Verbũ Pauli Rom. 14.

Rom. 14. *Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt.* Ex quo inferimus, monaſtica vota, ſi ex fide non ſint, eſſe peccata. Ex fide autem non ſunt, ſi perpetua, neceſſaria & nõ libera ſunt, potentia tum ſeruari tum dimitti. Sed quia hæc vel aduerſatijs vel infirmis venient in manus, occurrendũ eſt eorum effugijs, & præoccupanda vada Iordanis huius, ne nobis elabantur principes iſti Madianitarum. Primo enim negabunt fidem, eo loco, fidẽ Chriſtianam eſſe, habentes humanam gloſulam tum obſcuriorem ipſo textu, tum ab ipſiſmet nunquam intellectam, Vt more ſuo Scripturæ vim eludant eiuſmodi commentis, quibus plus credunt, quam puris & apertis verbis Dei, nulla cauſa, niſi quod principio perfidiæ ſuæ repugnant, quo ſtatuerunt, Non omnia extra fidem eſſe peccata. *Locus Pauli Rom. 14. enarratur.*

Huic mendacio aduerſus Deum erecto, cum Paulus reſiſteret, coactus eſt laruam gloſæ induere, & illorum ſenſui cedere. Eſt autem gloſa eiuſmodi, Fidem eo loco accipi pro conſcientia. Eſſe igitur non ex fide, eſt contra conſcientiam agere. Agens autem contra conſcientiam ædificat ad gehennam. Hæc retuli, ne putent nos eorum magnificam ſapientiam neque noſſe neque legiſſe. Deinde, & hoc multo maxime negabũt, Vota neceſſaria eſſe ſine fide. Habent enim fidem multiplicem, generalem, ſpecialem, acquiſitam, infuſam, informem, formatam, catholicam, particularem, implicitam & explicitam, hoc eſt, confuſiſſimam Babylonem errorum & opinionum. Cogimur itaq; , ne Amorræis & ranis iſtis nihil eorum ſcire videamur, aduerſus iſta diſputare, & noſtram rupem non quidem firmare, ſed firmam monſtrare, diſpulſis fumo nubibus & nebulis per homines excitatis. *Fides multiplex ſecundum Sophiſtas.*

Marci 16. Ioan. 8. Ioan. 16. CHriſtus dicit: *Qui non crediderit, condemnabitur, Marci vlt. Et Iohan. 8. Si non credideritis, quia Ego ſum, moriemini in peccato veſtro. Et Iohan. 16. Ille arguet mundum de peccato, quia non creaunt in me.* Da igitur Monachum caſtum, obedientem, pauperem, & omnibus virtutibus refertum, operantem quantacunque ſine fide, Nunquid non damnabitur? Nonne manet ſententia: Qui non crediderit, condemnabitur? Nonne peccatum habet quod arguit ſpiritus? Nonne morietur in peccato ſuo? At mors damnatio, reprehenſio, non infertur ei, qui non peccat. Nec eſt, quod hic eludant, & dicant, Peccatum infidelitatis quidem damnari, ſed non omnia, quæ fiunt in peccato infidelitatis. Scilicet fructus bonos feret arbor mala? & in peccato facta non ſunt peccata? In propoſito adulterandi date panem egenti peccatum eſt, & vouere in propoſito non credendi non peccatum eſt? Sed & Iohan. 3. obſtruit hoc

Iohan. 3. os impium dicens: *Qui non credit, iam iudicatus eſt, quia non credit in nomine vnigeniti Filij Dei.* De qua, rogo, fide hic loquitur? infuſa, acquiſita, generali &c? Nonne de ea quæ viuificat? ſine qua qui fuerit, iam iudicatus eſt. Et iterum: *Qui non credit Filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper ipſum.* At ira Dei non manet ſuper eos, qui non peccant. Si ergo opera extra fidem peccata non ſunt, ceſſat ira ſuper operantem talia, & per opera auertet iram à ſe, vt fide non ſit opus, quo quid eſt blaſphemum magis?

Petra ergo noſtra firma inuenitur, & diſpulſis nubibus principium perfidiæ

perfidiæ illorum ſubuertit. Stat quoque Paulus inconcuſſus: *Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt.* Nec curat, quod ſententia illis dura videatur. Dura fuit & mors Chriſto pro nobis ſuſcepta, magnum fuit Filium Dei incarnari & dari pro nobis, Nihilo tamen minus factum credimus. Non oportet ſequi in rebus Dei noſtrum iudicium, nec definire, ſecundum quod noſtro ſenſui aliquid durum, molle, graue, leue, bonum, malum, iuſtum, iniuſtum videtur. Non facies (inquit Deute. 12.) quod tibi rectum videtur, ſicut faciunt tamen impijſſimæ Facultates Scholarum, omnia diuina ad humani ſenſus iudicium æſtimantes, & pro Petris fidei arenas & paludes perfidiæ ſuæ in principia fidei collocantes. Sed ad verba fidei aptandus eſt noſter ſenſus, captiuandusq; intellectus in obſequium Chriſti. Id quod non fecit impudentiſſimæ frontis & proſtitutæ iam olim pudicitiæ meretrix Pariſienſis, quæ nuper auſa eſt diuaricari pedes ſuos, & toti orbi turpitudinem ſuam obſcœniſſimam diſcooperire & dicere, Legem de non vindicando ideo cenſeri conſilium debere, non quia id ſacræ literæ docerent, ſed quia humanus ſenſus dictet, hoc eſſe oneratiuum legis Chriſtianæ. Eadem pietate dicent, infernum non eſſe, ſed minari tantum Scripturas, quod ſenſus humanus abhorreat, vnum hominem perpetuo cruciari, quo ſenſu Origenem aiunt lapſum fuiſſe. O Scholas, ô Facultates, ô Theologiſtas, feces nouiſſimæ ſentinæ. Sic intellectum veſtrum (id eſt, verba Dei) captiuatis in obſequium Chriſti, id eſt, in ſenſum veſtrum. Decernimus itaque hac autoritate diuina, & cum fiducia audemus dicere: Hæc dicit Dominus exercituum, Vota monaſtica extra fidem facta & ſeruata ſunt peccata, per hoc & irrita, damnabilia, reuocanda & omittenda, aut aliter denuo vouenda & ſeruanda.

Iudicium rationis in rebus Dei.

Deut. 12.

Pariſienſis Sorbona.

Origenis error.

Vota extra fidem facta.

Recte ne fidem pro conſcientia expoſuerint?

IAm quod fidem hoc loco faciunt conſcientiam, mera temeritate hominum faciunt. Neque enim vnum iota e Scripturis adducunt, quo probarent fidem aliquando hoc modo accipi, Mihi nondum eſt viſus locus, in quo fides aliter quam vbiq; & vniformiter accipiatur pro fide Chriſtiana, quod prolixus eſt, quam vt nunc res patiatur oſtendere. Feramus tamen hanc eorum obſcuram gloſam, & malo iſto humano bene vtamur, per ſpiritum nobis donatum. Si enim recte conſcientiam ea gloſa intelligerent, non maledicerent, Veriſſimum eſt enim, ſi quippiam opereris, & credideris, te hoc ipſo male operari, tete peccare, & vt aiunt, ad gehennam ædificare. Sed hoc errant, quod hanc conſcientiam non faciunt catholicam, in omnibus operibus extra fidem Chriſti factis, ſed certis eam duntaxat caſibus deputant, in quibus erroneam conſcientiam haberi dictant. Hoc ideo errant, quia oculos ſolum figunt in craſſa iſta libidinis, iræ, cupiditatis, peccata, verum in ſublimia iſta & profunda cordis peccata conſcientiam talem nunquam promouent. Quod nos, age, tentemus an facere poſſimus.

Contra conſcientiam agere.

Si aliquod opus facias, quod non credas firmiter Deo placere, aut dubitas placere, nonne contra conſcientiam facis? Facis enim, & non credis Deo placere, ſi autem non credis placere, conſcientiam habes, opus non eſſe placitum. Et ſic contra conſcientiam operaris id, quod non eſſe placitum Deo dictas. Sed nonne talia ſunt omnia vota & votorum opera extra fidem? Da vnum, qui audeat aſſerere, ſuum votum eſſe placitum ac gratum Deo. Quin hoc aſſerere docent eſſe præſumptionem, volentes, vt timeamus & incerti ſimus. At Deus iuſſit certo & indubitato fidere in ſuam miſericordiam, & præſumere nos & noſtra placere, non ex noſtra dignitate aut merito, ſed ſua bonitate. Hæc eſt enim conſcientia ſanæ fidei, quæ huic iuſſui & promiſſioni Dei fideliſſime & inconcuſſe adhæret, quam conſcientiam vaſtat, & contra eam peccat, illa, quæ vel non credit, vel quod idem eſt, dubitat, ſe & ſua placere

Conſcientia ſanæ fidei.

Digitized by Google

placere Deo, ideo & contra ſeipſam & illam ſimul peccat, faciens quod non credit placere.

Quis vero liberat nos ab impia iſta contra ſeipſam peccante conſcientia? Natura id non poteſt, quantumlibet enim operetis bona, ſi & ſanguinem fuderis, ſemper manet conſcientia palpitans & dicens: Quis ſcit an hoc Deo pla-
Sap. 9. ceat? Verum eſt enim illud Sapientis: Cogitationes hominum timidæ, & incertæ prouidentiæ noſtræ. Non ergo habet natura, nec impetrant opera bonā
& certam conſcientiam. Chriſtus vero per auditum verbi ſui, cordi manifeſta- *Fides conſcientiæ ſecuritas.*
tus, quod ipſe ſit, qui pro nobis Sacerdos factus eſt, nobis datus, ſuum ſanguinem fuderit, noſtra peccata tulerit, & nos in ſuos acceperit. Hic, inquam, auditus cor lætificat, conſcientiam erigit, vt audeat dicere & gloriari in ipſo: Si Chriſtus pro me & meus eſt, quis contra me? Quomodo non placeam ego, & opera omnia mea, ſi Chriſtus meus & ego Chriſti? Nunquid Chriſtus diſplicere poteſt? Ecce iſta eſt fides, quam Scriptura docet, quam qui habet, contra conſcientiam agere non poteſt, quia non poteſt dubitare ſeſe placere Deo *Fidem habens contra conſcientiam agere non poteſt.*
propter Chriſtum ſibi donatum. Qui vero non habet, non poteſt non contra conſcientiam agere ſemper, quia non poteſt non dubitare, ſeſe placere Deo, Deeſt enim & promiſſio Dei, & pignus promiſſionis Chriſtus, relicta ſola natura ſibi incerta, quid Deus de ſe cogitet. At habens promiſſionem & Chriſtum, certiſſimus eſt, quid Deus ſuper ipſum cogitet, nempe cogitationes pacis, propter ſanguinem Chriſti, clamantem remiſſionem peccatorum, & Abba Pater, in cordibus noſtris.

Igitur cogitationes mortalium timidæ, quibus nos non vult niti, Dedit ergo promiſſionem miſericordiæ, iuſſit fidere, Adiecit inæſtimabile pignus Filium ſuum Vnigenitum, vt ſuper cogitationes eius, per promiſſionem manifeſtatas, per Chriſtum ſigillatas, nitamur certi & firmi, etiā aduerſus portas inferi, adeo vt ſi etiam labamur & peccemus, mox reſurgamus, ſemper ſcientes, nos non placere non poſſe propter Chriſtum, qui propter nos non poſſumus non diſplicere, Hoc ſenſu gloſa iſta pia & boni vſus erit, atq; cum Paulo & tota Scriptura per omnia conuenit. Vere enim contra conſcientiam operatur, & peccat qui non credit, ſeu Chriſtum non habet. Et econtra, vere non credit, qui contra conſcientiam operatur, Vt ſtet ſententia: Qui non credide-
Marci 16. rit, condemnabitur, quia non credit ſibi peccata indubitato remiſſa, quæ conſcientia mergit eum in damnationem, manens onerata peccatis.

NVnc latius videndum eſt, vt monaſtica vota ſint ſine fide, Demonſtratum & inuictis teſtimonijs firmatum eſt, Omne, quod non eſt
Rom. 14. ex fide, peccatum eſſe, Solius autem fidei eſſe, remiſſionem peccatorum *Sola fide nos iuſtificari.*
operari certam & lætam & liberam à peccatis conſcientiam reddere. Opera vero ſeu fructus fidei proprie non pertinēt ad remiſſionem peccatorum, & lætam conſcientiam, ſed ſunt fructus iam præſentis & præcedentis remiſſionis
& bonæ conſcientiæ. Memento, quæſo, iſtorum, Lector, quam poteris diligen- *Opera ante fidem.*
tiſſime, Opera ante fidem eſſe peccata, ſolam fidem ſine operibus operari re- *Opera poſt fidem.*
miſſionem peccatorum, iuſtificationem & bonam conſcientiam, Opera vero poſt fidem eſſe fructus iam iuſtificati hominis ex remiſſione peccatorum &
Eſaie 40. bona conſcientia, hoc eſt, ex fide, & charitate prouenientes. Memento, inquā, horum, Nam hic eſt ſpiritus, qui flabit in fœnum votorum & florem eorum, & exiccabit fœnum, & cadet flos eorū. Non humana, ſed diuina ſunt, quibus nitimur. Stat enim, ante fidem & ſine fide Chriſtiana viuificante illa & optima, non modo remiſſionem peccatorum aut conſcientiam bonam per opera, aut vota fieri non poſſe, ſed neceſſario peccata eſſe quæ fiunt.

Hic

Hic iam videbis,qua pietate iſti voueant ſua vota,& quæ ſit fides eorum generalis,acquiſita,infuſa,in qua voueant,an Iudæos vel Chriſtianos eos exiſtimare debeas.Paulus dicit ad Gala.3.*Lex non eſt ex fide.* Et iterum: Ex operibus Legis non iuſtificatur omnis caro coram illo.Et qui iuſtitiam Legis ſectantur,in iuſticiam Legis non perueniunt. Quæ omnia cum præcedentibus hoc definiunt,Qui remiſſionem,ſatisfactionem peccatorum,iuſtificationem, alteri quam fidei ſoli tribuerit,& aliunde quam per fidem quæſierit, hic Chriſtum negauit,gratiam abiecit,& Euangelium reliquit apoſtata,ſic enim Paulus Galatis intonat, A gratia excidiſtis,qui ex lege iuſtificamini. At vota & opera votorum,lex & opera ſunt,non fides nec ex fide.Quid eſt enim votum niſi Lex quædam?teſte ipſorummet voce,qua dicunt, Id quod ante votum liberum erat,poſt votum neceſſarium eſt, & iam non conſilium ſed præceptum eſt.Qui ergo ea opinione vouent,vt per hoc vitæ genus boni & ſalui fiant,peccata deleant,& operibus bonis diteſcant,nonne manifeſtum eſt impios & Iudæos eſſe,à fide apoſtatare,imò fidem blaſphemare & abnegare?dũ hoc tribuunt legibus & operibus ſuis,quod propriè ſolius fidei eſt.De quibus egregie Paulus prædixit:*In nouißimis diebus diſcedent quidam à fide,attendentes ſpiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum, in hypocriſi loquentium mendacium.* Iſtam diſceſſionem & apoſtaſiam & ad Theſſ.memorat.Vbi eſt autem diſceſſio iſta,niſi vbi ad opera itur,& id operibus tribuitur,quod fidei eſt?

Gal 3.
Rom.9.
Votum Legis opus.
1.Timot. 4.
2 Theſſ.2.

Infidelitas vouentium.

INterrogemus nunc omnes votarios iſtos, qua opinione voueant. Et inuenies eos hac opinione impia poſſeſſos.quod arbitrentur gratiam baptiſmi irritam factam, & iam ſecunda tabula pœnitentiæ naufragium euadendum eſſe,Ideo quærendum per votiuum viuendi genus,non ſolum vt boni fiant,& peccata deleant,ſed etiam abundantius pœniteant, & cæteris Chriſtianis meliores fiant.Hæc omnia illos quærere in operibus & votis, & non in fide,certiſſimũ eſt,teſtis eſt eorum vox,vbi dicunt: Si hæc non quærerem nec inuenirem,quid quærerem in monaſterio? quid laborarem?Si enim ſcirent,ſola fide hæc præſtari & accipi,vtique inferrent, Quid ergo neceſſe eſt vouere & monachum fieri?Statim enim ſuperfluum & non neceſſarium eſſe hoc vitæ genus intelligerent,tam ad iuſticiam quam ad ſalutem, imo vanum & aduerſarium: Quam primum fidei ſcientia reuelatur,cætera omnia non neceſſaria ad iuſticiã inueniuntur. At ſi hoc ſciſſent,nunquam vouiſſent, Nemo enim in vanum laborare vellet,maxime tanto totius vitæ labore. Quare hoc teſtimonio conuincuntur,ſeſe ideo vouiſſe,quod votiuum hoc genus vitæ vtile & neceſſariũ duxerint ad iuſtitiam ſeu bonam vitã, imo nihil vtilius & melius duxerint. At ea opinio eſt impia,ſacrilega aduerſaria fidei,quæ ſola neceſſaria & vtilis,nihilq; ea vtilius & neceſſarium magis eſt ad iuſticiam.

Id vero multo fortius & certius conuincit eos,non alia quam hac infideli & impia opinione vouere & viuere,quod principium perfidiæ ſuæ palam docent,& dicunt,Hominem poſſe ſuis operibus naturalibus gratiam & remiſſionem peccatorum obtinere.Sic enim ſapiunt omnes,ideo enim & vouent, vt hoc vitæ genere,gratiam Dei obtineant,iuxta principium prædictum perfidiæ,Quo quid faciunt,niſi quod Chriſtum negant,& à fide diſcedunt?Quin his auribus audiui quoſdam maximi nominis inter eos docere, Religioſum eſſe hac gratia ditiſſimum, vt quoties renouarit votum religionis in corde ſuo,per contritiunculam aliquam, toties à nouo ingrederetur religionem. Hoc autem ingredi,baptiſmo æquabat,ſicut æquant omnes. Tot diluuia baptiſmorum habent illi perditi iuſticiarij operum,& fidei non niſi vnum & vno peccato perditum dant baptiſmum. Quod ſi qui inter eos ſunt,qui non

ita ſa-

ita ſapiunt,cum nec aliud audiant nec videant,Hos neceſſe eſt in medio impiæ doctrinæ & infidelis vitæ,ſeu Pueros In camino ignis babylonici, ſolius virtute Dei, intus recte docentis,& potenter ſeruantis cuſtodiri miraculoſe. Proinde,ſi nulla alia eſſet cauſa reuocandi & relinquendi voti monaſtici,hæc impietas negati Chriſti & repudiatæ fidei abunde ſatis vrgeret & compelleret.

1.Timo.4. Nemo ſatis penſare poteſt,quam graue & vehemens ſit verbum Pauli,quod recitauimus? In nouiſſimis diebus diſcedent quidam à fide,attendentes ſpiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum,in hypocriſi loquentium mendacium, cauteriatam habentium ſuam conſcientiam,Prohibentium nubere & abſtinere à cibis,quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus,& his qui cognouerunt veritatem.

Ego plane huius ſolius verbi autoritate,cum ſit verbum Spiritus ſancti,qui eſt Deus noſter benedictus, Amen,auſim vniuerſos monachos à ſuis votis abſoluere,& cum fiducia pronunciare,vota eorum eſſe coram Deo reproba, & nulla. Antea enim ſolos ſacerdotes à cœlibatu virtute huius verbi abſolui,ſed propius mihi rem ſpectanti,& verba Pauli diligentius conſideranti occurrit,doctrinam eius catholicam & generalem eſſe in omnes cœlibes,tam monachos quam ſacerdotes. Proinde vtile fuerit paulo accuratius Paulum obſeruare. Ac primum vt illos penitus confutemus,qui Papam,ſacerdotes & monachos honeſtaturi,hunc locum ad Tacianos torquent,nec ſinunt de noſtro cœlibatu intelligi.Ipſa verba cogunt non de Tacianis ſeſe intelligi, Taciani enim non prohibebant modo,ſed damnabant in totum coniugium, dicentes ipſum & malum & peccatum eſſe.Similiter & cibos Manichæi non prohibebant modo,ſed damnabant,vt qui mixti eſſent portione tenebrarum &c.Sed Papa & Papiſtæ nec cibum nec coniugium damnant, prohibent ſolum nubere & abſtinere à cibis bonis,quos confitentur à Deo creatos,faciuntque id ſpecie maioris religionis.Quod Paulus palā tangit cum dicit·In hypocriſi loquentium mendacium. Non enim Papiſtæ neceſſarium eſſe docent aut diuinitus præceptum,à cibis & coniugio abſtinere, Scientes & prudentes prohibent propria autoritate ad hypocriſin inſtituendam.Taciani vero & Manichæi neceſſarium ac diuinitus præceptum videri volebant ſuum commentum,non ſciebant proprium eſſe,quod docebant,nec ſpecie maioris pietatis, ſed veritate & neceſſitate vniuerſalis pietatis credebant ſe moueri. Habemus itaq; hunc locum Pauli,plane noſtros cœlibes tangentem, Papam, ſacerdotes,monachos & moniales.

Locus Pauli 1. Timoth.4. explicatus.

Taciani.

Manichæi.

In hypocriſi loquentium mendacium.

Atqui vt demus quam maxime Paulum de Tacianis & Manichæis loqui,per hoc non poteſt negari, quin & de Papiſtis loquatur, quatenus cum illis ſentiunt,Nunquid ideo non loquitur contra Sabellium Iohannes Euangeliſta de diuinitate Chriſti,quia eius verba pugnant contra Arrianos? Aut nō loquitur contra Cherintos,quia verba eius confutant Iudæos? Aut non valent contra Turcas,quia valent contra gentiles? Prorſus contra omnes valent & pugnant,quocunq;nomine,quaecunq; ſecta cenſentur,quatenus negant Chriſtum eſſe Deum,ſiue alias illis conueniat,ſiue minus. Ita & hic Pauli locus omnes damnat,qui prohibent nubere,& docent abſtinere à cibis,ſiue ſint Taciani,Manichæi,Turcæ,Papiſtæ,aut quicunq; alij.Nam & Turca à vino abſtinet ſpecie religionis,Cum itaq; negari non poſſit,à Papa coniugium prohibitum,ſicut & cibos,manifeſtum eſt ipſum Spiritui ſancto reſiſtere in hoc verbo Pauli,& doctrinam ſuam eſſe dæmoniorum & erroneam & meram hypocriſin.Habet hic aliquis,quod poſſit opponere? ſunt ne hæc clariſſima & iniuſta? Eſto,Papiſtæ non ſunt Turcæ,neq; Manichæi,neq; Taciani nec tales accuſamus,ſed quatenus eum Turcis,Manichæis,& Tacianis conſentiunt, accuſamus,Turcæ non ſunt,faciunt tamen ac docent ea quæ docent Turcæ.

Prohibentes nubere.

Coniugium à Papa prohibitum,&c.

mundi,diaboli? At impij iſti vitam monaſticam non volunt eam videri tantum,in qua,ſed per quam,ſeu potius qua bene viuatur. Genus vitæ & ſubſtātiam eius bonam eſſe docent,per quod boni fiant & ſalui. Hoc ſacrilegum, hoc impium & blaſphemum eſt,hoc eorum mendacium,hic error, hæc hypocriſis,hoc dæmoniorum commentum eſt,hoc ſeducunt corda ſimpliciū
1.Pet.2. ſuperba vanitatis ſonantes(vt Petrus ait)Nullus enim Sanctorum per cambonus factus eſt,nec poſſunt vllum huius exemplum oſtendere. Omnes autem in ſoloChriſto per fidē &boni& ſalui facti ſunt,vt inBernardo monſtrauimus,

SEd & S. Auguſtinus dicit:Væ hominum vitæ quantumcunq; laudabili,ſi remota miſericordia iudicetur. Et iterum: Turbabor,ſed non perturbabor,quia vulnerum Domini recordabor. Vides & hunc ſuam *Auguſtinus.*
Galat. 1. ipſius & omnium vitā damnare,ad vulnera autem Domini ſeſe receptare. Et Paulus Galat.1. Viuo ego,iam non ego,viuit vero in me Chriſtus. Omnes in ſolo Chriſto viuunt,vouent,fidunt,& gloriantur,nihil de operibus ſuis cogitantes. Vnde & nos dicimus: Anathema ſit,qui aliud docuerit,quam in ſola fide eſſe iuſticiam & ſalutem. Sunt ne hæc ſatis clara? Clarum ergo ſimul eſt,vota monaſtica,quando non poſſunt nō vltra & præter fidem doceri, eſſe impia, gentilia, iudaica, ſacrilega,mendacia, erronea, dæmoniaca,hypocritica,apoſtatica,etiam Sanctorum exemplis aduerſaria, Quare cum fiducia reuocanda & deſerenda ſunt,etiamſi pia & ſeria opinione emiſſa fuerint. Si enim opera Legis diuinæ Apoſtolus prohibet doceri,& tanto æſtu cogit relinquere Galatas & Romanos,quanto magis illa electicia hominum opera & vota prohibita ſunt,& relinquenda. Summa ſummarum, Opera & vota nec doceri nec perſuaderi poſſunt, niſi ea ſalutaria & vtilia dicas ad ſalutem & iuſticiam, Quid enim eſt docere,opera & vota non eſſe ſalutaria nec neceſſaria? Quis audiet? quis amplectetur? At docuiſſe ea ſalutaria,eſt dæmoniacum & apoſtaticum à fide,cum ſola fides ſit neceſſaria & ſalutaris. Quare monaſtica vota & opera aut ſerio doceri & diſci non poſſunt,aut apoſtatare à Chriſto,& excidere à fide,oportet tam docentes quam attendentes. Et ſtat Paulus fortis, Eſſe ea doctrinas dæmoniorum & mendacia & erronea,à quibus niſi vel in fine reſilias cum S.Bernardo , in æternum peribis.

Hæc omnia cum vera & ſolita ſint diuinis nixa firmamentis conuincunt vouentis vota monaſtica,ſi ſine fide voueat,eſſe hanc cordis ſui ſententiam coram Deo: Ecce Deus,voueo tibi,amplius nolle Chriſtianum eſſe,reuoco votum in baptiſmo factum,in Chriſto amplius non nitar, neq; viuam, Irrita enim ſunt hæc omnia & antiquata iamdudum. Voueo autem tibi vltra & extra Chriſtum nouum & multo melius votum,ſcilicet viuere in proprijs operibus,caſtitatis, obedientiæ, & paupertatis, & huius totius Regulæ. His enim operibus & iuſtus & ſaluus ero,& alijs mecum prodero ad iuſticiam & ſalutem. Horreſcis,& negas ita cogitari à vouente? At ſi negas, negabis ſimul prædicta eſſe vera. Cor enim,quod non eſt fide pura in Chriſtum ædificatum,& præſumſerit vouere,non poteſt aliter affectum eſſe, quam dictum eſt, Opera enim ſpectet & æſtimet neceſſe eſt, alioqui non voueret. At opera æſtimare eſt fidem negare,baptiſmum reuocare,Chriſtum repudiare, vt iam abunde ſatis eſt dictum. Et hoc impiiſſimum votum credes poſſe placere & *Votum ſine fide quid polliceatur.*
Deut. 28. exigi apud Deum,ac non potius ſummo odio haberi & damnari? Sic contingit ijs,qui ſine fide incedunt & opera apprehendunt.

QVin multo miſeriorem & contritionem & infelicitatem in vijs eorum vide. Optimi inter eos habentur, qui ad hanc impietatem quam proxime accedunt, Rari n. & pauci ſunt qui caſte, pauperes,obe-

dienter & alia regularum viuunt. Quantæ hic ſunt pœnitentiæ? quanti carceres? quantæ pœnæ? quanti dolores eorum, qui non attingunt? quanta eſt conſcientia, non obſeruaſſe ſuum ordinem? Scilicet tantis ſudoribus vendit Satan ſuam perditionem. Hoc quod ſummis laboribus & conſcientia fugiendum erat, ſummis laboribus & conſcientia petitur. Vere Moſes dixit: Seruietis ibi Dijs alienis, qui non dabunt vobis requiem die ac nocte. De hoc & Chriſtus prædixiſſe videtur. Contendite per anguſtam portam intrare, quia multi quærent introire & non poterunt. Videtur autem Deus miſericorditer eis reſiſtere, ne attingat ſuum ſtatum perfectionis, id eſt, ſummam impietatis, permittens eos labi, ſepiens viam eorum ſpinis (vt in Hoſea dicit) vt præuaricatores deprehenſi inter anguſtias redeant ad cor, & ad virum ſuum priorem, vbi melius eis fuerat quam nunc Hoſe. 2. Eſtne ergo hæc incredibilis conuerſio, Primi ſunt nouiſſimi, & nouiſſimi ſunt primi? Apoſtatæ ſunt religioſi, & religioſi ſunt apoſtatæ. Et qui minus ſeruant vota, magis ſeruant, & qui magis ſeruant, minus ſeruant. Sic etiam ſic, Domine, cum peruerſo peruerteris. Sic impletur illud Pſalm. 18. Contritio & infelicitas in vijs eorum, & viam pacis non cognouerunt. *Math. 6.* *Oſea 7.*

Quale debeat eſſe votum vere pium & ſanctum.

Rurſus Chriſtiano & pio affectu vouens, ſic cogitabit neceſſario apud Deum: Ecce Deus, hoc vitæ genus voueo tibi, non quod exiſtimem hanc eſſe viam ad iuſticiam & ſalutem, aut ſatisfactionem peccatorum, Hoc enim auertat à me miſericordia tua, Hoc in Chriſti Domini mei redundaret iniuriam, cum hoc ſit negare eius merita, & ſanguinem eius pollutum ducere, & oſtentui habere Filium tuum, cuius ſolius eſt hæc gloria, vt ſit agnus Dei, qui tollat peccatum mundi, in ſanguine ſuo omnes lauet & iuſtificet non abijciam tam ſacrilege gratiam tuam. Expectabo & præſumam hæc in ipſo ſolo, nequaquam in me aut vlla creatura, nedum in votis & operibus meis. Sed hoc ago, quandoquidem in carne viuendum eſt, nec ociandum ſit, apprehendam hanc formam viuendi, exercendi corporis gratia, ad ſeruiendum proximo, ad meditandum in verbo tuo. Quemadmodum alius apprehendit agriculturam aut artificium, pro ſuo quiſq; exercitio, abſq; vllo meritorum aut iuſtificationis reſpectu, quam oportet in fide priorem eſſe, & ſemper ſuperiorem manere, & in omnibus regnare &c. Niſi talis ſit affectus vouentis, intelligis ex prædictis, votum non poſſe pium ac vere votum eſſe. Quia hunc affectum fides exigit, ſi adeſt, aut non eſt fides. Quia ſtat ſententia: Iuſtus ex fide viuet, Ex operibus nemo viuet, quare nec ex votis viuet.

Tu nunc vide, quot ſint qui ſic voueant, aut nulli certe, aut miraculoſe inducti, Talis enim affectus contemnit vota, nihilo meliora ducens quã agriculturam, aut quoduis aliud opus manuale. At quis Religioſorum vnquam vouet, vt non æſtimet opus voti eſſe ſupererogationis, perfectionis, cui nullum ſit ueq; ſimile neq; æquale? ſicut & impudentiſſime docent. Inſuper affectus iſte habet hoc genus vitæ pro vſu & exercitio, non pro ipſa re & ſubſtantia, Nam fidem habet pro re & ſubſtantia, Sicut homo eſt ſubſtantia, operatio eius naturalis eſt vſus ſubſtantiæ ſuæ. Ita fides vtitur omnium exercitijs & operibus. Contra illi non habent pro vſu, ſed pro ipſa ſubſtantia, Eſſe enim Religioſum, hoc aiunt, eſſe in ſtatu bono abſolute, quo non vtendum ſit, ſed qui vtatur potius omnium aliorum, ipſe caput, primum & nouiſſimum, Alpha & O.

III. Vota

Chriſti ſolius proprium eſt,ſuis meritis & operibus iuuare & ſaluare alios. Cæterum opera nullis,nec ſibijpſis proſunt,Quia ſtat ſententia:Iuſtus ex fide ſua viuet.Fides enim nos ſuper opera Chriſti ponit,ſine operibus noſtris, & transfert de exilio peccatorum noſtrorum,in regnum iuſticiæ illius.Hæc eſt fides,hoc Euangelium,hic Chriſtus.

At Papiſtæ hanc fidem quo ducunt?Nonne ſuper ſeipſos? Docent enim homines fidere ſuper ſua merita,& communicant opera ſua & Fraternitates ſuas cæteris peccatoribus,vt peccata eorum portent & deleant,iuſtosq; & ſaluos faciant.Nonne hoc eſt dicere:Ego ſum Chriſtus? Nonne hoc eſt facere quod Chriſtus facit?Non iam ſunt Chriſtiani,ſed Chriſtus. Quia Chriſtiani definitio eſt hæc,credens ſolius Chriſti operibus ſolis ſine proprijs iuſtificari,à peccatis liberari & ſaluari,Chriſti definitio eſt:Qui ſaluum facit populum ſuum à peccatis eorum,donans illis ſua propria merita & vniuerſam iuſticiam. At hoc faciunt noſtri monaſtici.In nomine(inquit) meo venient,hoc eſt,faciunt iſta,non vt gentiles,ſed vt Chriſtiani,imo vt Chriſtianiſſimi, Non enim ſinunt quenquam alium de nomine Chriſtiano ſuperbius gloriari. Recordor hic,quod ſæpius audiui,quoſdam ex iſto hominũ genere morituris peccatoribus dediſſe omnia ſua bona opera in hanc vocem:Ecce,do tibi quidquid boni feci in vita mea,Volentes hac inſania charitatis opus inæſtimabile impleſſe, dum miſerum illum hominem à Chriſto retractum in opera hominis fidere fecerunt.O horrendas tenebras,ô miſerandas cæcitates,ô abominandas inſanias,Siccine Satan ludis in animabus pereuntibus & perdentibus?

Papiſtæ arrogant ſibi Chriſti officium,opus &c.

Matth. 1.

Ex his fructibus ſuis credo ſatis cognoſci lupos iſtos rapaces,qua opinione voueant & viuant,vt nemo poſſit negare,Monachũ fieri (niſi miraculo ſeruetur)id eſſe quod à fide apoſtatare,Chriſtum negare, Iudæum fieri, & vt Petrus prædixit,ad vomitum gentilem redire.Vides enim nihil niſi opera ſpectari ab iſtis perditis hominibus,& talia opera,quæ Chriſti operibus æquant, Sola hæc cauſa,quia prætexto nomine Chriſtiano,à Chriſtianis facta putant, in fide illa ſacrilega & abominanda,quam generalem & informem vocant. Igitur ſicut dixi,amplius me non moratur ſpontaneum illud votum monachorum,quo minus omitti & poſſit & debeat.Quid enim eſt votum hoc, niſi pactum cum dæmonibus factum? Doctrinas dæmoniorum,errores & mendacia tete vouiſſe dicit ſpiritus Deus tuus,& tu dubitas,an reſilire & relinquere votum debeas? Aduerte ad Paulum,qui non ſolum docentes aut cogentes, Sed & attendentes memorat,imo de attendẽtibus potiſſimũ loquitur dicens: Diſcedent à fide,attendentes ſpiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum.Vides hic auditores & ſequaces primo loco nominari. At Monachi certe dum ſpontanee vouent,non docent hæc mendacia,ſed docti & ſeducti ſequuntur. Quare Paulus prorſus vniuerſaliter loquitur,in omnes cœlibes iſtos,& nullos excipit.Et quid multis agimus?cui hoc nõ ſatis eſt,quod ſpiritus definit doctrinas dæmoniorum,mendacia,errores,hypocriſin eſſe,quæ vouentur, quid illi ſatis erit? Quis pactum dæmonibus ſeruat,vt ſaluus fiat,ac non potius quam primum diſſoluit & ceſſat?

Monachum fieri, à fide apoſtatare eſt.

2. Pet. 2.

Attendentes ſpiritibus erroris &c.

1.Timot. 4.

Atq; demus,vt fide pura miraculoſe ſerueris vouens,& viuens in votis,ſicut Bernardus & multi alij ſeruati ſunt,quibus propter fidem Chriſti qua pleni erant,venenum hoc non nocuit.Adhuc tamen,quando autoritate diuina conſtat,doctrinas eſſe has dæmoniorum,mendaces,quæ natura ſua fallunt & ſeducunt,cum non poſſint aliud quam opera docere, potes & debes votum in eas ſeruandas factum abrumpere. Nullius enim Sancti exemplo fient doctrinæ Dei ex doctrinis hominum, Doctrina Dei docet fidem , vltra quam docere ſeſe iactant votarij aliud. At illud aliud non eſt nec eſſe poteſt niſi opus.Opus vero non poteſt doceri,niſi lædas fidem,cum fides & opera in

Bernardus.

Doctrina Dei.

Doctrina operum, doctrina dæmoniorum

re iuſtificationis extremę aduerſentur. Ita fit, vt doctrina operum neceſſario ſit doctrina dæmoniorum & diſceſſio à fide. Nemo autem opera docet, quod ea non neceſſaria putet ad iuſticiam & ſalutem, niſi enim neceſſaria putet, fruſtra docebit. Quid alioqui doceret ea? & quis ea ſequeretur & ſeruaret, ſi aliam viam iuſticiæ & ſalutis noſſet?

Recte ergo dixit Paulus: Lex non eſt ex fide. Et ex operibus Legis nemo iuſtificatur, ita neq; votum eſt ex fide, nec ex voto iuſtificatur omnis caro. Et omnia quæ Paulus ad Galatas diſputat aduerſus legem & opera eius, pertinent etiam aduerſus votum & opera eius. Siue ergo pia ſiue impia opinione voueantur, rumpenda ſunt, vt diuinitus reprobata, & in res diuinitus reprobatas facta. Quare Bernardus & alij, qui pia opinione vouerunt & vixerunt in votis, comparandi ſunt ducentis illis viris, qui cum Abſalom iuerunt de Ieruſalem in Hebron, molienti ſeditionem aduerſus regnum patris ſui Dauid. Nihil enim ſciebant de cauſa Abſalom, & ſimplici corde ibant, quos certum eſt, re cognita, reſipuiſſe. At ſi in media re intercepti fuiſſent, poterant accuſari læſæ maieſtatis rei, ſi opus eorum & viam ſpectes, ſed ſecundum animum iudicati abſoluerentur. Quæ hiſtoria pulchram nobis allegoriam huius rei præſtat, ſed nunc non eſt locus in ea morari. Plane Abſalom Papiſticū regnum eſt, aduerſus regnum Chriſti concitatum, quod & expulit, & ſedet in medio Ieruſalem. Verum pij, qui ei conſenſerunt, non conſenſerunt in hanc inſaniam. Et vt alios omittam, de Bernardo certus ſum, ſimilem eum fuiſſe illis ducentis viris, quod euidenter ipſemet monſtrauit, cum aliquando ægrotaſſet ad mortem, nihil aliud ſonuit quam confeſſionem huiuſmodi: Tempus meum perdidi, quia perdite vixi, Sed vnum me ſolatur, quod ſpiritum contritum & humiliatum non deſpicies. Et alibi: Duplice iure Chriſtus regnum poſſidet, Semel quia Filius, Secundo quia paſſus, atque hoc ſecundo merito nihil ei fuit opus, dedit autem mihi & omnibus credentibus.

Excuſat ſanctos monachos.

Abſalom figura Papiſtici regni.

Pia vox Bernardi. Perditè vixi, &c.

Vides hæc eſſe verba Chriſtianiſſimi pectoris, quod totam fiduciam in Chriſtum ponit, de ſuis operibus prorſus deſperans. Nihil de voto paupertatis, obedientiæ, caſtitatis gloriatur, quin perditam vitam vocat, atq; hac fide & ſeruatus & iuſtificatus eſt cum omnibus Sanctis. An putas eum fuiſſe mentitum, aut ioco dixiſſe, perditam eſſe ſuam vitam? Iudicium Dei ſenſit, coram quo niſi ſolus Chriſtus & ſua iuſticia, nemo ſubſiſtit, ideo ſe deſerto ad illum ſe tranſtulit, perditas ſuas affirmans iuſticias. Iam ſi prædicari audeas, vota & vitas religioſorum perditas eſſe, & nullius vſus ad iuſticiam & ſalutem, quis vouebit? quis in voto manebit? At niſi perditas dixeris, vere perditus eris, nec ſanctorum Patrum vota vlla ex parte imitaberis. Qualis autem Bernardus fuit, tales fuiſſe neceſſe eſt omnes religioſos ſanctos & pios, vt videas clare omnes miraculoſe fuiſſe ſeruatos, & eo tandem neceſſerio redijſſe, vt vota nihil & perdita eſſe aſſererent, quo ſola fide iuſtificarentur & ſeruarentur. Et impij hac fide Patrum contempta, erigunt & inflant opera, quæ illi damnauerunt, & prætextu exempli Sanctorum docent diſceſſionem à fide, & contra exemplum Patrum fallunt mendacijs totum orbem. Ecce hoc eſt, Deum eſſe mirabilem in Sanctis ſuis.

Deus mirabilis in Sanctis ſuis.

ET quando monaſticen ideo volunt probatā videri apud Deū, quod Sancti in illa bene vixerint, Cur non ignes, gladios, frigora, beſtias, cruces, mortes docent probatas à Deo & vouendas? An non vixerunt bene in his S. Martyres? S. Hagne in lupanari virgo manſit. Et quantos Deus in peccata ruere ſinit, vt humilitatem diſcant, & ſeipſos cognoſcant? Paulus Rom. 7. confitetur peccatum in carne ſua habitare, & tamen in medio peccati bene viuit, & peccato bene vtitur. Et quis Sanctorum non in carne, mundo, inter dæmones bene viuit? Nunquid ideo vouendum eſt, opus carnis,

S. Hagnes. Paulus.

Rom. 7.

mundi

ſemper operantes & tamen ad veritatem & pacem nunquam peruenientes.
1.Timot.3. Hos lupos Paulus Actor.20. graues vocat, qui intraturi erant, non parcentes
Actor.20. gregi, loquentes peruerſa, vt trahant diſcipulos poſt ſe. Quid eſt diſcipulos poſt ſe trahere, niſi à Chriſto auellere? Hoc fit, dum conſcientiæ docentur operibus ſuis ſeſe ſanare, peccata delere, & gratiam mereri, cum hoc in ſolis Chriſti operibus per fidem quærendum ſit. *Diſcipulos poſt ſe trahere.*

Hic vides damnatum eſſe & Chriſto aduerſarium vniuerſum ius canonicum & regnum Papæ, quod nihil aliud facit, quam quod conſcientias illaqueat operibus proprijs, & à Chriſto diuellit, extincta tam libertate quam libertatis doctrina & ſcientia. Maxime vero hic damnatur impura illa & obſcœna meretrix Pariſienſis ſcholæ, quæ determinauit Ariſtotelis dogmata in Moralibus, non diſſentire Chriſti dogmatis, Cum ille aliud non doceat, quam per opera acquiri virtutes, dicens: Faciendo temperata efficimur temperati. Quod Chriſtiana conſcientia ceu ſentinam inferni execratur, & dicit: Credendo in Chriſtum temperatum, efficiar & ego temperata, illius temperantia & mea eſt, donum eſt enim illius, non opus meum. Summa, omnium ſcholarum Theologiam, tam ſpeculatiuam, quam practicam hic damnatam vides, Non enim docent Chriſtum, ſed prudentiam humanam, quæ dictamine ſuo parat etiam fidem, quam vocant acquiſitam. Væ Sodomis iſtis & Gomorris perditis & abominandis. Simul hic vides cur & opera legis diuinæ, ſeu iuſticiam legis damnet Paulus, & cur iuſticiam ſuam Phariſaicam, quam Philip. 3 gloriatur ſine querela fuiſſe, pro ſtercore & detrimento ducat? Scilicet quod aduerſatur Iuſticiæ, quæ ex Chriſto & in Chriſto eſt. Auellit enim conſcientiam, & non ſinit in Chriſti iuſticia hærere, ſed tenet præſumentem in ſua propria iuſticia & operibus à ſe factis. Sicut dicit Roma. 9. Gentes, quæ non ſectabantur iuſticiam, apprehenderunt iuſticiam, iuſticiam autem quæ eſt ex fide. Iſrael vero ſectando legem iuſticiæ, in legem iuſticiæ non peruenit. Quare? Quia non ex fide, ſed quaſi ex operibus. *Ius Canonicum &c.* *Pariſienſium impietas, tuentium Ariſtotelem.* *Scholarum Theologia damnata.* *Cur opera legis diuinæ Paulus damnet.* Philip.3. Rom. 9.

INtelligis nunc tandem, cur toties dixerim, Nec vota nec opera noſtra neceſſaria eſſe ad iuſticiam & ſalutem? Hoc enim de Chriſti ſolius operibus in Baptiſmo ſuper nos effuſis & donatis, pia conſcientia dictat, & ſic libera eſt ab omnibus operibus, non quidem faciendis, ſed accuſantibus & defendentibus. Credentis enim in Chriſtum nulla ſunt tam mala opera, quæ eum poſſint accuſare & damnare. Rurſum nulla tam bona, quæ poſſint eum defendere & ſaluare, Sed omnia noſtra nos accuſant & damnant, ſolius autem Chriſti nos defendunt & ſaluant.

Tu ipſe nunc vide, quomodo opera Decalogi ſint omittenda & facienda, quæ ſunt caſtitas, obedientia, mititas, largitas & ſimilia. Omittenda non ſunt, ſed facienda (vt ſic dicam) ſecundum ſubſtantiam, ſed non ſecundum conſcientiam, hoc eſt, nō vt defendentia & iuſtificantia, Hoc enim eſſet conſcientiam corrumpere, & à Chriſto ſponſo ſuo abſtrahere, cum quo eſt vna caro, communicans omnibus bonis illius. Sed libere & gratis facienda ſunt ad vſum & commodum proximi, ſicut Chriſti opera nobis facta ſunt libere & gratis. Verum tunc amplius non ſunt opera Legis, ſed Chriſti in nobis per fidem operantis & viuentis per omnia, ideo non poſſunt magis omitti, quam ipſa fides, nec ſunt minus neceſſaria quam fides. Cæterum opera, quæ vere ſunt opera Legis, ficta & falſa ſunt, Extra Chriſtum enim nemo eſt ex corde mitis, caſtus, largus, obediens, pius, adorans &c. Facit enim non libera conſcientia, ſed amore commodi aut gloriæ, vel timore pœnæ. Et cum ſimulata ſanctitas ſit duplex iniquitas, manifeſtum eſt, opera eiuſmodi eſſe, non modo non neceſſaria, ſed omittenda quoque & fugienda. *Quomodo facienda ſint opera Decalogi, vt ſunt caſtitas &c.* *Opera Chriſti, quæ in nobis per fidem operatur.* *Opera Legis.* *Simulata ſanctitas, duplex iniquitas.*

At hic dices forte; Num ſcortandum, occidendum, rapiendũ, mentien-

mentiendum, rebellandum, idolatrandum, docet Chriſtiana tua libertas? Stulte, quaſi vero te iubeam maius malum facere; quando minus malum omittendum doceo. Dico non iraſcendum, & tu ibis ad occidendum, ne ſolum iraſcaris? Volo hæc opera ficta omitti, & vera fieri, vt deſinas eſſe impie largus, ſi as autem pie largus. Neceſſe eſt enim & opera mutari (quanquam foris ſimillima) vbi tu fueris intus mutatus, vt iam non tua, ſed Chriſti opera in te fiant. Quanquam id non ſit humani arbitrij definire, an peior ſit impius coniunx, quam ſcortator vel econtra, Deus eſt qui intuetur cor. Scortator abutitur carne ad voluptatem illicitam. Impius coniunx abutitur carne ad gloriam illicitam. Ideo noſtrum calculum hic iubemus quieſcere. Videmus in Euangelio publicanos propiores eſſe Chriſto, quam Phariſæos, vt ſi humano iudicio peiores ſint, certe feliciores commendat Euangelium, vt tutius appareat eſſe lapſum manifeſto, quam impie ſtetiſſe in occulto, Sed non ideo labi conſulimus illis, Deo commendamus ſua iudicia occulta & metuenda.

Non à Phariſaiſmo ad gentilitatem ſed ad pietatem eundum.

Scortator. Impius coniunx.

EX quibus ſequitur, ad doctrinas hominum etiam pertinere, quando diuina Lex docetur & ſeruatur per opera. Lex enim ſpiritualis eſt, in hoc data, vt humiliet, & Chriſtum quærere cogat. Officium Legis eſt, non exigere noſtra opera, ſed oſtendere peccatum & impoſſibilitatem noſtram, Per Legem enim cognitio peccati. Vt ergo opera Legis omittenda ſunt, ita & Legis doctrina omittenda eſt. Hic iterum dices: Ergo ſine Lege viuemus liberi? Hoc quoque iterum ſtultum eſt, quaſi te doceam minus ſcire, quando iubeo plura ſcire. Quanquam & hic Paulus Rom. 2. & 3. audet & Iudæos ſcientes & Gentes ignorantes pares facere, nihil diſcernens inter eos, qui ſine Lege & qui in Lege ſunt. Sed veniamus nunc ad vota quoq; & opera eorum, & ſicut in obiectione ea comparauimus operibus Legis diuinæ, cum iam eſſe de præcepto videantur, dicente: Vouete & reddite. Ita in reſponſione comparemus eiſdem. Opera Legis audiuimus dupliciter fieri, aliquando per nos, vt noſtra, Aliquando per Chriſtum in nobis, vt Chriſti, cuius ſunt donũ. Iam vt demus & vota eſſe ſub præcepto (de quo poſt videbimus) æque dupliciter ea fieri neceſſe eſt, Aliquando per nos vt noſtra, tunc ſine dubio omittenda ſunt & damnanda, vt quæ à Chriſto auellunt conſcientiam piam, & in opera laceratam diſpergunt, Docent enim iuſticiam & peccatorum remiſſionem extra Chriſtum operari. Nihil ibi eſt, niſi iuſticia illa, quam Paulus iubet pro ſtercore & detrimento habere, Neque eſt in manu noſtra definire, melior ne ſit voti obſeruator, an violator, ſicut ſuperius de operibus Legis exemplum dedimus.

Legis officium.

Rom. 2. 3.

Pſalm. 76.

Opera legis dupliciter fieri.

Vota quæ per nos fiunt.

Phil. 3.

Aliquando fiunt per Chriſtum in nobis ſpiritu libertatis, dum vouentur & ſeruantur gratis, vt nec peccatis per ea ſatisfiat, nec iuſticia, nec ſalus quæratur, Poteſt enim Chriſtianus omnes omnium hominum Leges, ritus, mores obſeruare, & ſeſe eis accommodare, modo non ſint aduerſus diuina mandata, nec in eis fiduciam conſcientiæ ponat. Conſcientia enim Chriſto & Chriſtus conſcientiæ, ſecreta huius ſponſi & ſponſæ cubilia nemo tentet. Siue enim cum Turcis abſtineas à vino, ſiue cum Chriſtianis bibas vinum, nihil refert, modo libera conſcientia biberis. Sic Paulus ſeſe accommodabat Gentibus & Iudæis liberrima conſcientia, cum his abſtinebat & circumcidebat, cum illis edebat & non circumcidebat. Ita ſi voucas religionẽ, vt cum hominibus eiuſmodi viuas, ea conſcientia, vt nihil hinc commodi vel incommodi petas apud Deum, ſed quod vel caſus hoc vitæ genus obtulerit amplectendum, vel ita viſum tibi ſit viuere, nihilo te meliorem hinc arbitratus eo, qui vel vxorem duxerit, vel agriculturam apprehenderit, neque

Vota per Chriſtum in nobis facta.

Phil. 3.

male

III. Vota aduerſari libertati Euangelicæ.

HActenus viſum eſt, vt monaſtice noſtra aduerſaria ſit tam verbo I`ei, quam fidei Chriſtianæ. Et quamuis abundè ex his duobus locis damnata & reprobata ſit, omnibuſque inuiſa merito reddita, (Nam quod Deo & verbo eius aduerſarium eſſe inuenitur, facile ſimul colligitur, nulli rerum non aduerſarium eſſe, nec ſibijpſi conuenire,) Tamen hoc ipſum latius tentabimus oſtendere ijs, qui per ſeſe inuenire nequeunt. Et iam tertio probabimus eam repugnare fructui verbi & fidei, nempe Chriſlianæ, & Euāgelicæ libertati, quam violaſſe & non illibatam cuſtodiſſe, non minus impium eſt, quam fidem negaſſe & apoſtataſſe, vt ex Paulo ad Galatas docemur. Repetimus itaque quod dictum eſt, ac principij fidelis loco ponamus, Deo placere non poſſe votum, ſed nec votum apud eum cenſeri, niſi ſit germane Chriſtianum & pium. Neque enim poteſt agnoſcere, quod aduerſus Chriſtianam pietatem agitur, non magis certe quam ſeipſum negare poteſt, qui pietatem Chriſtianam primo & ſummo præcepto mandauit. Votum autem *Votum Chriſtianum & pium.* Chriſtianum & pium non eſt, niſi quod illæſa fide vouetur. Illæſa fides tunc eſt, quando votum pro re libera & non neceſſaria ad iuſticiam & ſalutem habetur, quas certum eſt, nullis legibus, nullis operibus, ſed ſola fide in Chriſto obtineri, vt hæc omnia ſatis firmiter probauimus, & euidenter demonſtrauimus. *Iuſticia & ſalus Dei &c.* Ante omnia enim opera iuſticiam & ſalutem adeſſe oportet, Iuſticiam vero & ſalutem, non quamlibet ſed Dei, id eſt, æternam, quæ manet in ſeculum ſeculi, quam ſolus Deus dat & operatur in nobis, atq; hoc ipſo cum ſit opus ſolius Dei in nobis, operibus noſtris impediri poteſt, parari non poteſt.

an.6. Dicit enim Ioh. 6. *Hoc eſt opus Dei, vt credatis in eum, quem miſit ille.* Et infra: *Nemo venit ad me, niſi pater, qui miſit me, traxerit illum.* Et iterum: *Eſt ſcriptum in Prophetis: Et erunt omnes docibiles Dei, Omnis qui audiuit à Patre meo & didicit, venit ad me,* Et iterum: *Propterea dixi vobis: Nemo poteſt venire ad me, niſi fuerit ei datum à Patre meo.* Hoc & ad Petrum dicit Matth. 16. *Beatus es Si-*
tt.16. *mon Bariona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus qui eſt in cælis.* Et Paulus vocat fidem donum Dei, quod non ſit ex nobis. Maior ergo eſt res
ſ.4. iſta iuſticia Dei & ſalus Dei, nempe opus ſolius maieſtatis, quam vt noſtris viribus parari poſſit. Quod ergo noſtris viribus paratur, verius iniquitas eſt quam iuſticia, verius perditio quam ſalus eſt, ſicut dicit Hoſe. 13. Perditio tua Iſrael,
e 13. Ex me tantum ſalus tua. Quare & vota illa, opinione iuſticiæ & ſalutis parandæ præſumpta, iniquitates & perditiones ſunt aduerſariæ iuſticiæ & ſalutis Dei, quarum opus & officium ſibi arrogant.

QVID LIBERTAS CHRISTIANA.

CVm igitur ex his certiſsimum ſit, apud Deum non acceptari votum, niſi tale, quod ad iuſticiam & ſalutem non neceſſarium æſtimetur, nec ipſe mandauerit vllum voueri votum, plane ſequitur, liberū eſſe eiuſmodi votum & omitti poſſe. Pugnant enim duo hæc euidenter, non eſſe neceſſarium ad iuſticiam & ſalutem, & non poſſe omitti ſine periculo iuſticiæ & ſalutis. Si non poteſt omitti, neceſſarium eſt, ſi neceſſarium non eſt, *Forma pij & Chriſtiani voti.* poteſt omitti, vt forma pij & Chriſtiani voti videatur eſſe coram Deo hæc.

Hic iam videbis,qua pietate iſti voueant ſua vota,& quæ ſit fides eorum generalis,acquiſita,infuſa,in qua vouent,an Iudæos vel Chriſtianos eos exiſtimare debeas.Paulus dicit ad Gala.3.*Lex non eſt ex fide.*Et iterum: Ex operibus Legis non iuſtificatur omnis caro coram illo.Et qui iuſtitiam Legis ſectantur,in iuſticiam Legis non perueniunt. Quæ omnia cum præcedentibus hoc definiunt,Qui remiſſionem,ſatisfactionem peccatorum,iuſtificationem, alteri quam fidei ſoli tribuerit,& aliunde quam per fidem quæſierit, hic Chriſtum negauit,gratiam abiecit,& Euangelium reliquit apoſtata,ſic enim Paulus Galatis intonat,A gratia excidiſtis,qui ex lege iuſtificamini. At vota & opera votorum,lex & opera ſunt,non fides nec ex fide.Quid eſt enim votum niſi Lex quædam?teſte ipſorummet voce,qua dicunt, Id quod ante votum liberum erat,poſt votum neceſſarium eſt, & iam non conſilium ſed præceptum eſt.Qui ergo ea opinione vouent,vt per hoc vitæ genus boni & ſalui fiant,peccata deleant,& operibus bonis diteſcant,nonne manifeſtum eſt impios & Iudæos eſſe,à fide apoſtatare,imo fidem blaſphemare & abnegare?dũ hoc tribuunt legibus & operibus ſuis,quod proprie ſolius fidei eſt.De quibus egregie Paulus prædixit:*In nouiſſimis diebus diſcedent quidam à fide,attendentes ſpiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum, in hypocriſi loquentium mendacium.* Iſtam diſceſſionem & apoſtaſiam & ad Theſſ.memorat. Vbi eſt autem diſceſſio iſta,niſi vbi ad opera itur,& id operibus tribuitur,quod fidei eſt?

Gal 3. Rom.9. *Votum Legis opus.* 1.Timo. 4. 2 Theſſ.2.

Infidelitas vouentium.

INterrogemus nunc omnes votarios iſtos, qua opinione vouerant. Et inuenies eos hac opinione impia poſſeſſos,quod arbitrentur gratiam baptiſmi irritam factam, & iam ſecunda tabula pœnitentiæ naufragium euadendum eſſe,Ideo quærendum per votiuum viuendi genus,non ſolum vt boni fiant,& peccata deleant,ſed etiam abundantius pœniteant,& cæteris Chriſtianis meliores fiant.Hæc omnia illos quærere in operibus & votis,& non in fide,certiſſimũ eſt,teſtis eſt eorum vox,vbi dicunt: Si hæc non quærerem nec inuenirem,quid quærerem in monaſterio? quid laborarem?Si enim ſcirent,ſola fide hæc præſtari & accipi,vtique inferrent, Quid ergo neceſſe eſt vouere & monachum fieri?Statim enim ſuperfluum & non neceſſarium eſſe hoc vitæ genus intelligerent,tam ad iuſticiam quam ad ſalutem. imo vanum & aduerſarium: Quam primum fidei ſcientia reuelatur,cætera omnia non neceſſaria ad iuſticiã inueniuntur. At ſi hoc ſciſſent,nunquam vouiſſent,Nemo enim in vanum laborare vellet,maxime tanto totius vitæ labore. Quare hoc teſtimonio conuincuntur,ſeſe ideo vouiſſe,quod votiuum hoc genus vitæ vtile & neceſſariũ duxerint ad iuſtitiam ſeu bonam vitã, imo nihil vtilius & melius duxerint. At ea opinio eſt impia,ſacrilega aduerſaria fidei,quæ ſola neceſſaria & vtilis,nihilq; ea vtilius & neceſſarium magis eſt ad iuſticiam.

Id vero multo fortius & certius conuincit eos,non alia quam hac infideli & impia opinione vouere & viuere,quod principium perfidiæ ſuæ palam docent,& dicunt,Hominem poſſe ſuis operibus naturalibus gratiam & remiſſionem peccatorum obtinere.Sic enim ſapiunt omnes,ideo enim & vouent, vt hoc vitæ genere,gratiam Dei obtineant,iuxta principium prædictum perfidiæ,Quo quid faciunt,niſi quod Chriſtum negant,& à fide diſcedunt?Quin his auribus audiui quoſdam maximi nominis inter eos docere, Religioſum eſſe hac gratia ditiſſimum, vt quoties renouarit votum religionis in corde ſuo,per contritiunculam aliquam, toties à nouo ingrederetur religionem. Hoc autem ingredi,baptiſmo æquabat,ſicut æquant omnes. Tot diluuia baptiſmorum habent illi perditi iuſticiarij operum,& fidei non niſi vnum & vno peccato perditum dant baptiſmum. Quod ſi qui inter eos ſunt,qui non

ita ſa-

ita ſapiunt,cum nec aliud audiant nec videant,Hos neceſſe eſt in medio implæ doctrinæ & infidelis vitæ,ſeeu Pueros in camino ignis babylonici, ſolius virtute Dei, intus recte docentis,& potenter ſeruantis cuſtodiri miraculoſe. Proinde,ſi nulla alia eſſet cauſa reuocandi & relinquendi voti monaſtici,hæc Impietas negati Chriſti & repudiatæ fidei abunde ſatis vrgeret & compelleret.
1.Timot.4. Nemo ſatis penſare poteſt,quam graue & vehemens ſit verbum Pauli, quod recitauimus? In nouiſſimis diebus diſcedent quidam à fide,attendentes ſpiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum,in hypocriſi loquentium mendacium, cauteriatam habentium ſuam conſcientiam,Prohibentium nubere & abſtinere à cibis,quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus,& his qui cognouerunt veritatem.

Ego plane huius ſolius verbi autoritate,cum ſit verbum Spiritus ſancti,qui eſt Deus noſter benedictus, Amen,auſim vniuerſos monachos à ſuis votis abſoluere,& cum fiducia pronunciare,vota eorum eſſe coram Deo reproba, & nulla. Antea enim ſolos ſacerdotes à cœlibatu virtute huius verbi abſolui,ſed propius mihi rem ſpectanti,& verba Pauli diligentius conſideranti occurrit,doctrinam eius catholicam & generalem eſſe in omnes cœlibes,tam monachos quam ſacerdotes. Proinde vtile fuerit paulo accuratius Paulum obſeruare. Ac primum vt illos penitus confutemus,qui Papam,ſacerdotes & monachos honeſtaturi,hunc locum ad Tacianos torquent,nec ſinunt de noſtro cœlibatu intelligi.Ipſa verba cogunt non de Tacianis ſeſe intelligi. Taciani enim non prohibebant modo,ſed damnabant in totum coniugium, dicentes ipſum & malum & peccatum eſſe.Similiter & cibos Manichæi non prohibebant modo,ſed damnabant,vt qui mixti eſſent portione tenebrarum &c.Sed Papa & Papiſtæ nec cibum nec coniugium damnant, prohibent ſolum nubere & abſtinere à cibis bonis,quos confitentur à Deo creatos,faciuntque id ſpecie maioris religionis.Quod Paulus palā tangit cum dicit: In hypocriſi loquentium mendacium. Non enim Papiſtæ neceſſarium eſſe docent aut diuinitus præceptum,à cibis & coniugio abſtinere, Scientes & prudentes prohibent propria autoritate ad hypocriſin inſtituendam.Taciani vero & Manichæi neceſſarium ac diuinitus præceptum videri volebant ſuum commentum,non ſciebant proprium eſſe,quod docebant,nec ſpecie maioris pietatis, ſed veritate & neceſſitate vniuerſalis pietatis credebant ſe moueri. Habemus itaq; hunc locum Pauli,plane noſtros cœlibes tangentem, Papam, ſacerdotes,monachos & moniales.

Locus Pauli 1. Timoth.4. explicatur.

Taciani.

Manichæi.

In hypocriſi loquentium mendacium.

Atq; vt demus quam maxime Paulum de Tacianis & Manichæis loqui,per hoc non poteſt negari, quin & de Papiſtis loquatur, quatenus cum illis ſentiunt,Nunquid ideo non loquitur contra Sabellium Iohannes Euangeliſta de diuinitate Chriſti,quia eius verba pugnant contra Arrianos? Aut nō loquitur contra Cherintos,quia verba eius confutant Iudæos? Aut non valent contra Turcas,quia valent contra gentiles? Prorſus contra omnes valent & pugnant,quocunq; nomine,quacunq; ſecta conſentiunt,quatenus negant Chriſtum eſſe Deum,ſiue alias illis conueniat,ſiue minus. Ita & hic Pauli locus omnes damnat,qui prohibent nubere,& docent abſtinere à cibis,ſiue ſint Taciani, Manichæi,Turcæ,Papiſtæ,aut quicunq; alij.Nam & Turca à vino abſtinet ſpecie religionis.Cum itaq; negari non poſſit,à Papa coniugium prohibitum,ſicut & cibos,manifeſtum eſt ipſum Spiritui ſancto reſiſtere in hoc verbo Pauli,& doctrinam ſuam eſſe dæmoniorum & erroneam & meram hypocriſin.Habet hic aliquis,quod poſſit opponere? ſunt ne hæc clariſſima & inuicta? Eſto,Papiſtæ non ſunt Turcæ,neq; Manichæi,neq;Taciani nec tales accuſamus,ſed quatenus cum Turcis,Manichæis,& Tacianis conſentiunt, accuſamus,Turcæ non ſunt,faciunt tamen ac docent ea quæ docent Turcæ.

Prohibentes nubere.

Coniugium à Papa prohibitum, &c.

mundi, diaboli? At impij iſti vitam monaſticam non volunt eam videri tantum, in qua, ſed per quam, ſeu potius qua bene viuatur. Genus vitæ & ſubſtātiam eius bonam eſſe docent, per quod boni fiant & ſalui. Hoc ſacrilegum, hoc impium & blaſphemum eſt, hoc eorum mendacium, hic error, hæc hypocriſis, hoc dæmoniorum commentum eſt, hoc ſeducunt corda ſimpliciū *2. Pet. 2.* ſuperba vanitatis ſonantes (vt Petrus ait) Nullus enim Sanctorum per eam bonus factus eſt, nec poſſunt vllum huius exemplum oſtendere. Omnes autem in ſolo Chriſto per fidē & boni & ſalui facti ſunt, vt in Bernardo monſtrauimus.

SEd & S. Auguſtinus dicit: Væ hominum vitæ quantumcunq; *Auguſtinus.* laudabili, ſi remota miſericordia iudicetur. Et iterum: Turbabor, ſed non perturbabor, quia vulnerum Domini recordabor. Vides & hunc ſuam ipſius & omnium vitā damnare, ad vulnera autem Domini ſeſe receptare. Et *Galat. 2.* Paulus Galat. 2. Viuo ego, iam non ego, viuit vero in me Chriſtus. Omnes in ſolo Chriſto viuunt, vouent, fidunt, & gloriantur, nihil de operibus ſuis cogitantes, Vnde & nos dicimus: Anathema ſit, qui aliud docuerit, quam in ſola fide eſſe iuſticiam & ſalutem. Sunt ne hæc ſatis clara? Clarum ergo ſimul eſt, vota monaſtica, quando non poſſunt nō vltra & præter fidem doceri, eſſe impia, gentilia, iudaica, ſacrilega, mendacia, erronea, dæmoniaca, hypocritica, apoſtatica, etiam Sanctorum exemplis aduerſaria, Quare cum fiducia reuocanda & deſerenda ſunt, etiamſi pia & ſeria opinione emiſſa fuerint. Si enim opera Legis diuinæ Apoſtolus prohibet doceri, & tanto æſtu cogit relinquere Galatas & Romanos, quanto magis illa electicia hominum opera & vota prohibita ſunt, & relinquenda. Summa ſummarum, Opera & vota nec doceri nec perſuaderi poſſunt, niſi ea ſalutaria & vtilia dicas ad ſalutem & iuſticiam, Quid enim eſt docere, opera & vota non eſſe ſalutaria nec neceſſaria? Quis audiet? quis amplectetur? At docuiſſe ea ſalutaria, eſt dæmoniacum & apoſtaticum à fide, cum ſola fides ſit neceſſaria & ſalutaris. Quare monaſtica vota & opera aut ſerio doceri & diſci non poſſunt, aut apoſtatare à Chriſto, & excidere à fide, oportet tam docentes quam attendentes. Et ſtat Paulus fortis, Eſſe ea doctrinas dæmoniorum & mendacia & erronea, à quibus niſi vel in fine reſilias cum S. Bernardo, in æternum peribis.

Hæc omnia cum vera & ſolita ſint diuinis nixa firmamentis *Votum ſine fide quid polliceatur.* conuincunt vouentis vota monaſtica, ſi ſine fide voueat, eſſe hanc cordis ſui ſententiam coram Deo: Ecce Deus, voueo tibi, amplius nolle Chriſtianum eſſe, reuoco votum in baptiſmo factum, in Chriſto amplius non nitar, neq; viuam, Irrita enim ſunt hæc omnia & antiquata iamdudum, Voueo autem tibi vltra & extra Chriſtum nouum & multo melius votum, ſcilicet viuere in proprijs operibus, caſtitatis, obedientiæ, & paupertatis, & huius totius Regulæ. His enim operibus & iuſtus & ſaluus ero, & alijs mecum prodero ad iuſticiam & ſalutem. Horreſcis, & negas ita cogitari à vouente? At ſi negas, negabis ſimul prædicta eſſe vera. Cor enim, quod non eſt fide pura in Chriſtum ædificatum, & præſumſerit vouere, non poteſt aliter affectum eſſe, quam dictum eſt, Opera enim ſpectet & æſtimet neceſſe eſt, alioqui non voueret. At opera, æſtimare eſt fidem negare, baptiſmum reuocare, Chriſtum repudiare, vt iam abunde ſatis eſt dictum. Et hoc Impiiſſimum votum credes poſſe placere & exigi apud Deum, ac non potius ſummo odio haberi & damnari? Sic contin- *Deut. 28.* git ijs, qui ſine fide incedunt & opera apprehendunt.

QVin multo miſeriorem & contritionem & infelicitatem in vijs eorum vide. Optimi inter eos habentur, qui ad hanc impietatem quam proxime accedunt, Rari n. & pauci ſunt qui caſte, pauperes, obe-

dienter & alia regularum viuunt. Quantæ hic ſunt pœnitentiæ? quanti carceres? quantæ pœnæ? quanti dolores eorum, qui non attingunt? quanta eſt conſcientia, non obſeruaſſe ſuum ordinem? Scilicet tantis ſudoribus vendit Satan ſuam perditionem. Hoc quod ſummis laboribus & conſcientia fugiendum erat, ſummis laboribus & conſcientia petitur. Vere Moſes dixit: Seruietis ibi Dijs alienis, qui non dabunt vobis requiem die ac nocte. De hoc & Chriſtus prædixiſſe videtur. Contendite per anguſtam portam intrare, quia multi quærent introire & non poterunt. Videtur autem Deus miſericorditer eis reſiſtere, ne attingat ſuum ſtatum perfectionis, id eſt, ſummam impietatis, permittens eos labi, ſepiens viam eorum ſpinis (vt in Hoſea dicit) vt præuaricatores deprehenſi inter anguſtias redeant ad cor, & ad virum ſuum priorem, vbi melius eis fuerat quam nunc Hoſe. 2. Eſtne ergo hæc incredibilis conuerſio, Primi ſunt nouiſſimi, & nouiſſimi ſunt primi? Apoſtatæ ſunt religioſi, & religioſi ſunt apoſtatæ. Et qui minus ſeruant vota, magis ſeruant, & qui magis ſeruant, minus ſeruant. Sic etiam ſic, Domine, cum peruerſo peruerteris. Sic impletur illud Pſalm. 18. Contritio & infelicitas in vijs eorum, & viam pacis non cognouerunt.

Matth. 6.

Oſee 7.

Quale debeat eſſe votum vere pium & ſanctum.

Rurſus Chriſtiano & pio affectu vouens, ſic cogitabit neceſſario apud Deum: Ecce Deus, hoc vitæ genus voueo tibi, non quod exiſtimem hanc eſſe viam ad iuſticiam & ſalutem, aut ſatisfactionem peccatorum, Hoc enim auertat à me miſericordia tua, Hoc in Chriſti Domini mei redundaret iniuriam, cum hoc ſit negare eius merita, & ſanguinem eius pollutum ducere, & oſtentui habere Filium tuum, cuius ſolius eſt hæc gloria, vt ſit agnus Dei, qui tollat peccatum mundi, in ſanguine ſuo omnes lauet & iuſtificet non abijciam tam ſacrilege gratiam tuam. Expectabo & præſumam hæc in ipſo ſolo, nequaquam in me aut vlla creatura, nedum in votis & operibus meis. Sed hoc ago, quandoquidem in carne viuendum eſt, nec ociandum ſit, apprehendam hanc formam viuendi, exercendi corporis gratia, ad ſeruiendum proximo, ad meditandum in verbo tuo. Quemadmodum alius apprehendit agriculturam aut artificium, pro ſuo quiſq; exercitio, abſq; vllo meritorum aut iuſtificationis reſpectu, quam oportet in fide priorem eſſe, & ſemper ſuperiorem manere, & in omnibus regnare &c. Niſi talis ſit affectus vouentis, intelligis ex prædictis, votum non poſſe pium ac vere votum eſſe. Quia hunc affectum fides exigit, ſi adeſt, aut non eſt fides. Quia ſtat ſententia: Iuſtus ex fide viuet, Ex operibus nemo viuet, quare nec ex votis viuet.

Tu nunc vide, quot ſint qui ſic voueant, aut nulli certe, aut miraculoſe inducti, Talis enim affectus contemnit vota, nihilo meliora ducens quã agriculturam, aut quoduis aliud opus manuale. At quis Religioſorum vnquam vouet, vt non æſtimet opus voti eſſe ſupererogationis, perfectionis, cui nullum ſit neq; ſimile neq; æquale? ſicut & impudentiſſime docent. Inſuper affectus iſte habet hoc genus vitæ pro vſu & exercitio, non pro ipſa re & ſubſtantia, Nam fidem habet pro re & ſubſtantia, Sicut homo eſt ſubſtantia, operatio eius naturalis eſt vſus ſubſtantiæ ſuæ. Ita fides vtitur omnium exercitijs & operibus. Contra illi non habent pro vſu, ſed pro ipſa ſubſtantia, Eſſe enim Religioſum, hoc aiunt, eſſe in ſtatu bono abſolute, quo non vtendum ſit, ſed qui vtatur potius omnium aliorum, ipſe caput, primum & nouiſſimum, Alpha & O.

III. Vota

Chriſti ſolius proprium eſt, ſuis meritis & operibus iuuare & ſaluare alios. Cæterum opera nullis, nec ſibijpſis proſunt, Quia ſtat ſententia: Iuſtus ex fide ſua viuet. Fides enim nos ſuper opera Chriſti ponit, ſine operibus noſtris, & transfert de exilio peccatorum noſtrorum, in regnum iuſticiæ illius. Hæc eſt fides, hoc Euangelium, hic Chriſtus.

Papiſtæ arrogant ſibi Chriſti officium, opus &c.

At Papiſtæ hanc fidem quo ducunt? Nonne ſuper ſeipſos? Docent enim homines fidere ſuper ſua merita, & communicant opera ſua & Fraternitates ſuas cæteris peccatoribus, vt peccata eorum portent & deleant, iuſtosq; & ſaluos faciant. Nonne hoc eſt dicere: Ego ſum Chriſtus? Nonne hoc eſt facere quod Chriſtus facit? Non iam ſunt Chriſtiani, ſed Chriſtus. Quia Chriſtiani definitio eſt hæc, credens ſolius Chriſti operibus ſolis ſine proprijs iuſtificari, à
Matth. 1. peccatis liberari & ſaluari. Chriſti definitio eſt: Qui ſaluum facit populum ſuum à peccatis eorum, donans illis ſua propria merita & vniuerſam iuſticiam. At hoc faciunt noſtri monaſtici. In nomine (inquit) meo venient, hoc eſt, faciunt iſta, non vt gentiles, ſed vt Chriſtiani, imo vt Chriſtianiſſimi. Non enim ſinunt quenquam alium de nomine Chriſtiano ſuperbius gloriari. Recordor hic, quod ſæpius audiui, quoſdam ex iſto hominũ genere morituris peccatoribus dediſſe omnia ſua bona opera in hanc vocem: Ecce, do tibi quidquid boni feci in vita mea. Volentes hac inſania charitatis opus inæſtimabile impleſſe, dum miſerum illum hominem à Chriſto retractum in opera hominis fidere fecerunt. O horrendas tenebras, ô miſerandas cæcitates, ô abominandas inſanias, Siccine Satan ludis in animabus pereuntibus & perdentibus?

Ex his fructibus ſuis credo ſatis cognoſci lupos iſtos rapaces, qua opinione voueant & viuant, vt nemo poſſit negare, Monachũ fieri (niſi miraculo ſeruetur) id eſſe quod à fide apoſtatare, Chriſtũm negare, Iudæum fieri, & vt *Monachum fieri, à fide apoſtatare eſt.*
2. Pet. 2. Petrus prædixit, ad vomitum gentilem redire. Vides enim nihil niſi opera ſpectari ab iſtis perditis hominibus, & talia opera, quæ Chriſti operibus æquant, Sola hæc cauſa, quia prætexto nomine Chriſtiano, à Chriſtianis facta putant, in fide illa ſacrilega & abominanda, quam generalem & informem vocant. Igitur ſicut dixi, amplius me non moratur ſpontaneum illud votum monachorum, quo minus omitti & poſſit & debeat. Quid enim eſt votum hoc, niſi pactum cum dæmonibus factum? Doctrinas dæmoniorum, errores & mendacia tete vouiſſe dicit ſpiritus Deus tuus, & tu dubitas, an reſilire & relinquere votum debeas? Aduerte ad Paulum, qui non ſolum docentes aut cogentes, Sed & attendentes memorat, imo de attendẽtibus potiſſimũ loquitur dicens: Diſcedent à fide, attendentes ſpiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum. Vides hic auditores & ſequaces primo loco nominari. At Monachi certe dum *Attendentes ſpiritibus errorũ &c.* ſpontanee vouent, non docent hæc mendacia, ſed docti & ſeducti ſequuntur.
1. Timot. 4. Quare Paulus prorſus vniuerſaliter loquitur, in omnes cœlibes iſtos, & nullos excipit. Et quid multis agimus? cui hoc nõ ſatis eſt, quod ſpiritus definit doctrinas dæmoniorum, mendacia, errores, hypocriſin eſſe, quæ vouentur, quid illi ſatis erit? Quis pactum dæmonibus ſeruat, vt ſaluus fiat, ac non potius quam primum diſſoluit & ceſſat?

Atq; demus, vt fide pura miraculoſe ſerueris vouens, & viuens in votis, ſicut Bernardus & multi alij ſeruati ſunt, quibus propter fidem Chriſti qua *Bernardus.* pleni erant, venenum hoc non nocuit. Adhuc tamen, quando autoritate diuina conſtat, doctrinas eſſe has dæmoniorum, mendaces, quæ natura ſua fallunt & ſeducunt, cum non poſſint aliud quam opera docere, potes & debes votum in eas ſeruandas factum abrumpere. Nullius enim Sancti exemplo fient doctrinæ Dei ex doctrinis hominum, Doctrina Dei docet fidem, vltra *Doctrina Dei.* quam docere ſeſe iactant votarij aliud. At illud aliud non eſt nec eſſe poteſt niſi opus. Opus vero non poteſt doceri, niſi lædas fidem, cum fides & opera in

ſemper operantes & tamen ad veritatem & pacem nunquam peruenientes.
2. Timot. 3. Actor. 20. Hos lupos Paulus Actor. 20. graues vocat, qui intraturi erant, non parcentes gregi, loquentes peruerſa, vt trahant diſcipulos poſt ſe. Quid eſt diſcipulos poſt ſe trahere, niſi à Chriſto auellere? Hoc fit, dum conſcientiæ docentur operibus ſuis ſeſe ſanare, peccata delere, & gratiam mereri, cum hoc in ſolis Chriſti operibus per fidem quærendum ſit. *Diſcipulos poſt ſe trahere.*

Hic vides damnatum eſſe & Chriſto aduerſarium vniuerſum ius canonicum & regnum Papæ, quod nihil aliud facit, quam quod conſcientias illaqueat operibus proprijs, & à Chriſto diuellit, extincta tam libertate quam libertatis doctrina & ſcientia. *Ius Canonicum &c.* Maxime vero hic damnatur impura illa & obſcœna meretrix Pariſienſis ſcholæ, quæ determinauit Ariſtotelis dogmata in Moralibus, non diſſentire Chriſti dogmatis, Cum ille aliud non doceat, quam per opera acquiri virtutes, dicens: Faciendo temperata efficimur temperati, Quod Chriſtiana conſcientia ceu ſentinam inferni execratur, & dicit: Credendo in Chriſtum temperatum efficiar & ego temperata, illius temperantia & mea eſt, donum eſt enim illius, non opus meum. *Pariſienſium impietas, ſentium Ariſtotelem.* Summa, omnium ſcholarum Theologiam, tam ſpeculatiuam, quam practicam hic damnatam vides, Non enim docent Chriſtum, ſed prudentiam humanam, quæ dictamine ſuo parat etiam fidem, quam vocant acquiſitam. Væ Sodomis iſtis & Gomorris perditis & abominandis. *Scholarum Theologia damnata.* Simul hic vides cur & opera legis diuinæ, ſeu iuſticiam legis damnet Paulus, & cur iuſticiam ſuam Phariſaicam, quam *Philip. 3.* Philip. 3 gloriatur ſine querela fuiſſe, pro ſtercore & detrimento ducat? *Cur opera legis diuinæ Paulus damnet.* Scilicet quod aduerſatur iuſticiæ, quæ ex Chriſto & in Chriſto eſt. Auellit enim conſcientiam, & non ſinit in Chriſti iuſticia hærere, ſed tenet præſumentem in ſua propria iuſticia & operibus à ſe factis, *Rom. 9.* Sicut dicit Roma. 9. Gentes, quæ non ſectabantur iuſticiam, apprehenderunt iuſticiam, Iuſticiam autem quæ eſt ex fide, Iſrael vero ſectando legem iuſticiæ, in legem iuſticiæ non peruenit. Quare? Quia non ex fide, ſed quaſi ex operibus.

INtelligis nunc tandem, cur toties dixerim, Nec vota nec opera noſtra neceſſaria eſſe ad iuſticiam & ſalutem? Hoc enim de Chriſti ſolius operibus in Baptiſmo ſuper nos effuſis & donatis, pia conſcientia dictat, & ſic libera eſt ab omnibus operibus, non quidem faciendis, ſed accuſantibus & defendentibus. Credentis enim in Chriſtum nulla ſunt tam mala opera, quæ eum poſſint accuſare & damnare. Rurſum nulla tam bona, quæ poſſint eum defendere & ſaluare, Sed omnia noſtra nos accuſant & damnant, ſolius autem Chriſti nos defendunt & ſaluant.

Tu ipſe nunc vide, quomodo opera Decalogi ſint omittenda & facienda, quæ ſunt caſtitas, obedientia, mititas, largitas & ſimilia. *Quomodo facienda ſint opera Decalogi, vt ſunt caſtitas &c.* Omittenda non ſunt, ſed facienda (vt ſic dicam) ſecundum ſubſtantiam, ſed non ſecundum conſcientiam, hoc eſt, nō vt defendentia & iuſtificantia, Hoc enim eſſet conſcientiam corrumpere, & à Chriſto ſponſo ſuo abſtrahere, cum quo eſt vna caro, communicans omnibus bonis illius, Sed libere & gratis facienda ſunt ad vſum & commodum proximi, ſicut Chriſti opera nobis facta ſunt libere & gratis. *Opera Chriſti, quæ in nobis per fidem operatur.* Verum tunc amplius non ſunt opera Legis, ſed Chriſti in nobis per fidem operantis & viuentis per omnia, ideo non poſſunt magis omitti, quam ipſa fides, nec ſunt minus neceſſaria quam fides. Cæterum opera, quæ vere ſunt opera Legis, ficta & falſa ſunt, Extra Chriſtum enim nemo eſt ex corde mitis, caſtus, largus, obediens, pius, adorans &c. *Opera Legis.* Facit enim non libera conſcientia, ſed amore commodi aut gloriæ, vel timore pœnæ. Et cum ſimulata ſanctitas ſit duplex iniquitas, manifeſtum eſt, opera eiuſmodi eſſe, non modo non neceſſaria, ſed omittenda quoque & fugienda. *Simulata ſanctitas, duplex iniquitas.*

At hic dices forte; Num ſcortandum, occidendum, rapiendū,

mentien-

mentiendum,rebellandum,idolatrandum,docet Chriſtiana tua libertas? Stulte,quaſi vero te iubeam maius malum facere; quando minus malum omittendum doceo. Dico non iraſcēdum, & tu ibis ad occidendum, ne ſolum iraſcaris? Volo hæc opera ficta omitti, & vera fieri, vt deſinas eſſe impie largus, ſis autem pie largus. Neceſſe eſt enim & opera mutari (quanquam foris ſimilima) vbi tu fueris intus mutatus, vt iam non tua, ſed Chriſti opera in te fiant. Quanquam id non ſit humani arbitrij definire, an peior ſit impius coniunx, quam ſcortator vel econtra, Deus eſt qui intuetur cor. Scortator abutitur carne ad voluptatem illicitam. Impius coniunx abutitur carne ad gloriam illicitam. Ideo noſtrum calculum hic iubemus quieſcere. Videmus in Euangelio publicanos propiores eſſe Chriſto, quam Phariſæos, vt ſi humano iudicio peiores ſint, certe feliciores commendat Euangelium, vt tutius appareat eſſe lapſum manifeſto, quam impie ſtetiſſe in occulto. Sed non ideo labi conſulimus illis, Deo commēdamus ſua iudicia occulta & metuenda.

Non à Phariſaiſmo ad gentilitatem ſed ad pietatem eundum.

Scortator. Impius coniunx.

EX quibus ſequitur, ad doctrinas hominum etiam pertinere, quando diuina Lex docetur & ſeruatur per opera. Lex enim ſpiritualis eſt, in hoc data, vt humiliet, & Chriſtum quærere cogat. Officium Legis eſt, non exigere noſtra opera, ſed oſtendere peccatum & impoſſibilitatem noſtram. Per Legem enim cognitio peccati. Vt ergo opera Legis omittenda ſunt, ita & Legis doctrina omittenda eſt. Hic iterum dices: Ergo ſine Lege viuemus liberi? Hoc quoque iterum ſtultum eſt, quaſi te doceam minus ſcire, quando iubeo plura ſcire. Quanquam & hic Paulus Rom. 2. & 3. audet & Iudæos ſcientes & Gentes ignorantes pares facere, nihil diſcernens inter eos, qui ſine Lege & qui in Lege ſunt. Sed veniamus nunc ad vota quoq; & opera eorum, & ſicut in obiectione ea comparauimus operibus Legis diuinæ, cum iam eſſe de præcepto videantur, dicente: Vouete & reddite. Ita in reſponſione comparemus eiſdem Opera Legis audiuimus dupliciter fieri, aliquando per nos, vt noſtra, Aliquando per Chriſtum in nobis, vt Chriſti, cuius ſunt donū. Iam vt demus & vota eſſe ſub præcepto (de quo poſt videbimus) æque dupliciter ea fieri neceſſe eſt. Aliquando per nos vt noſtra, tunc ſine dubio omittenda ſunt & damnanda, vt quæ à Chriſto auellunt conſcientiam piam, & in opera laceratam diſpergunt. Docent enim iuſticiam & peccatorum remiſſionem extra Chriſtum operari. Nihil ibi eſt, niſi iuſticia illa, quam Paulus iubet pro ſtercore & detrimento habere. Neque eſt in manu noſtra definire, melior ne ſit voti obſeruator, an violator, ſicut ſuperius de operibus Legis exemplum dedimus.

Legis officium.

Rom. 2. 3.

Pſalm. 76.

Opera legis dupliciter fieri.

Vota quæ per nos fiunt.

Phil. 3.

Aliquando fiunt per Chriſtum in nobis ſpiritu libertatis, dum vouentur & ſeruantur gratis, vt nec peccatis per ea ſatisfiat, nec iuſticia, nec ſalus quæratur. Poteſt enim Chriſtianus omnes omnium hominum Leges, ritus, mores obſeruare, & ſeſe eis accommodare, modo non ſint aduerſus diuina mandata, nec in eis fiduciam conſcientiæ ponat. Conſcientia enim Chriſto & Chriſtus conſcientiæ, ſecreta huius ſponſi & ſponſæ cubilia nemo tentet. Siue enim cum Turcis abſtineas à vino, ſiue cum Chriſtianis bibas vinum, nihil refert, modo libera conſcienria biberis. Sic Paulus ſeſe accommodabat Gentibus & Iudæis liberrima conſcientia, cum his abſtinebat & circumcidebat, cum illis edebat & non circumcidebat. Ita ſi voueas religionē, vt cum hominibus eiuſmodi viuas, ea conſcientia, vt nihil hinc commodi vel incommodi petas apud Deum, ſed quod vel caſus hoc vitæ genus obtulerit amplectendum, vel ita viſum tibi ſit viuere, nihilo te meliorem hinc arbitraris eo, qui vel vxorem duxerit, vel agriculturam apprehenderit, neque

Vota per Chriſtum in nobis facta.

Phil. 3.

male

III. Vota aduerſari libertati Euangelicæ.

HActenus viſum eſt, vt monaſtice noſtra aduerſaria ſit tam verbo Dei, quam fidei Chriſtianæ. Et quamuis abunde ex his duobus locis damnata & reprobata ſit, omnibuſque inuiſa merito reddita, (Nam quod Deo & verbo eius aduerſarium eſſe inuenitur, facile ſimul colligitur, nulli rerum non aduerſarium eſſe, nec ſibiipſi conuenire,) Tamen hoc ipſum latius tentabimus oſtendere iis, qui per ſeſe inuenire nequeunt. Etiam tertio probabimus eam repugnare fructui verbi & fidei, nempe Chriſtianæ, & Euāgelicæ libertati, quam violaſſe & non illibatam cuſtodiſſe, non minus impium eſt, quam fidem negaſſe & apoſtataſſe, vt ex Paulo ad Galatas docemur. Repetimus itaque quod dictum eſt, ac principij fidelis loco ponamus, Deo placere non poſſe votum, ſed nec votum apud eum cenſeri, niſi ſit germane Chriſtianum & pium. Neque enim poteſt agnoſcere, quod aduerſus Chriſtianam pietatem agitur, non magis certe quam ſeipſum negare poteſt, qui pietatem Chriſtianam primo & ſummo præcepto mandauit. Votum autem Chriſtianum & pium non eſt, niſi quod illæſa fide vouetur. Illæſa fides tunc eſt, quando votum pro re libera & non neceſſaria ad iuſticiam & ſalutem habetur, quas certum eſt, nullis legibus, nullis operibus, ſed ſola fide in Chriſto obtineri, vt hæc omnia ſatis firmiter probauimus, & euidenter demonſtrauimus. Ante omnia enim opera iuſticiam & ſalutem adeſſe oportet, Iuſticiam vero & ſalutem, non quamlibet ſed Dei, id eſt, æternam, quæ manet in ſeculum ſeculi, quam ſolus Deus dat & operatur in nobis, atq; hoc ipſo cum ſit opus ſolius Dei in nobis, operibus noſtris impediri poteſt, parari non poteſt.

Votum Chriſtianum & pium.

Iuſticia & ſalus Dei &c.

Iohan. 6. Dicit enim Ioh. 6. *Hoc eſt opus Dei, vt credatis in eum, quem miſit ille.* Et infra: *Nemo venit ad me, niſi pater, qui miſit me, traxerit illum.* Et iterum: *Eſt ſcriptum in Prophetis: Et erunt omnes docibiles Dei, Omnis qui audiuit à Patre meo & didicit, venit ad me,* Et iterum: *Propterea dixi vobis: Nemo poteſt venire ad me, niſi fuerit ei datum à Patre meo.* Hoc & ad Petrum dicit Matth. 16. *Beatus es Simon Bariona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus qui eſt in cœlis.* Et Paulus vocat fidem donum Dei, quod non ſit ex nobis. Maior ergo eſt res iſta iuſticia Dei & ſalus Dei, nempe opus ſolius maieſtatis, quam vt noſtris viribus parari poſſit. Quod ergo noſtris viribus paratur, verius iniquitas eſt quam iuſticia, verius perditio quam ſalus eſt, ſicut dicit Hoſe. 13. Perditio tua Iſrael, Ex me tantum ſalus tua. Quare & vota illa, opinione iuſticiæ & ſalutis parandæ præſumpta, Iniquitates & perditiones ſunt aduerſariæ iuſticiæ & ſalutis Dei, quarum opus & officium ſibi arrogant.

Matth. 16. — *[illegible]* — *Oſee 13.*

QVID LIBERTAS CHRISTIANA.

CVm igitur ex his certiſsimum ſit, apud Deum non acceptari votum, niſi tale, quod ad iuſticiam & ſalutem non neceſſarium æſtimetur, nec ipſe mandauerit vllum voueri votum, plane ſequitur, liberū eſſe eiuſmodi votum & omitti poſſe. Pugnant enim duo hæc euidenter, non eſſe neceſſarium ad iuſticiam & ſalutem, & non poſſe omitti ſine periculo iuſticiæ & ſalutis. Si non poteſt omitti, neceſſarium eſt, ſi neceſſarium non eſt, poteſt omitti, vt forma pij & Chriſtiani voti videatur eſſe coram Deo hæc.

Forma pij & Chriſtiani voti.

male voues neq; male viujs, quantum ad voti rationem attinet. Nam quo caſu charitas exiget cedere votum, non ſine peccato in voto pertinax fueris, vt dicemus.

Verum impoſsibile eſt hac conſcientia voueri, niſi ab ijs, qui mirabiliter ſpiritu Chriſti intus ducuntur & ſeruantur, hoc eſt, ab Electis. Cæterum ipſa ratio vouendi & in votis viuendi ex diametro pugnat cum hac conſcientia, Cum in in hoc ipſum & repertum ſit & iactetur inſtitutum vouendi, vt conſcientiam illaqueet & ſeruitute legali captiuet. Quis enim Religioſorum ſeſe coniugi aut agricolæ aut cerdoni æquare patiatur apud Deum? Nonne ideo vouent, vt ſingulari præ cęteris obſequio ſeruire Deo videantur? Cur alioqui omnes alias vitas viuendi ſic contemnerent, & hanc ſolam ſic ſuſpicerent? Neq; enim ipſi cum Propheta dicunt: Melior eſt miſericordia tua ſuper vitas. Sed vna vita melior eſt ſuper alias, quod coram hominibus, ſed non coram Deo verum eſt. Atq; vt hic reuelemus cogitationes cordium, Si audiant hæc virgines & cœlibes, nihilo ſe meliores eſſe apud Deum, quam coniuges & ſordidos agricolas, quid facient? Nonne murmurabunt, aduerſus Patremfamilias, quod pares fiant eis, qui vna hora laborarũt, cum ſoli portarint pondus diei & æſtus? Da, quæſo, virginem & cœlibem, qui ſit contentus communi denario, Dicent enim: Vt quid continui? cur non nupſi, cur me fraudaui?

Opinio vouentium.

Pſalm. 62.

Matth. 20.

Vides cogitationes nequam cordis eorum aduerſus bonitatem Patrisfamilias? Primo enim perſonæ reſpectum requirunt in Deo, vt opera & non fidem ſpectet, hoc eſt, vt homines præferat Chriſto. Siquidem non curant, quam precioſa alij ex Chriſto acceperint, ſed quam egregia ipſi præ cæteris obtulerint? Deinde hoc murmure confitentur, ſeſe continuiſſe non gratuita & liberali, id eſt, Chriſtiana & pia, ſed ſeruili & mercenaria, id eſt, iudaica, & impia voluntate, ac per hoc virginitas, eorum non eſt virginitas, niſi ſtultarum virginum, quarum lampades extinguuntur, cum non habeant oleum in vaſis ſuis, id eſt, fidem liberam in conſcientia. Quid igitur ſunt magnificæ illæ Bullæ, quibus virginitas, cœlibatus, votum iactatur, deinde prærogatiuæ, aureolæ, & id genus nugæ, quæ prædicantur, quo alliciantur ad virginitatem Chriſtiani, niſi mera Satanæ mendacia, quibus ad ſuperbiam & corrumpendam conſcientiæ virginitatem concitantur. Omnium enim vnus ſenſus eſt, malle nupſiſſe, ſi non contingeret impares apud Deum cenſeri in meritis, Cum ergo talis ſit & ratio inſtituti, vt ad opera, non ad fidem, vocet, quomodo poteſt vſquam Chriſtianum votum reliquum eſſe, niſi diuino miraculo ſeruatum?

Quo fine vouentes contineant.

Matth. 25.

VErum, vt diſputatio diſputationem gignit, clamabũt hic impij iſti, Me eſſe Iouinianũ, & opponent mihi Hieronymum aduerſus Iouinianum, virginitatis aſſertorem. Credent enim mihi Hieronymum non eſſe lectum, lectum autẽ illis ſatis eſſe putant, iudicio inter legendum non habent opus, articulus fidei eſt, quidquid legerint. Ego plane quid Iouinianus ſenſerit ignoro, forte non tractauit digne hoc argumentum, confidenter autem aſſero, nec à Hieronymo digne tractatum; Virginitatem enim nudam ſeorſim tractat, fidei nõ inuoluit neq; ſuperædificat, Qua ratione docendi, cum ſit humana, nullum opus, nulla virtus poteſt ſine pernicie aut periculo doceri. Fertur enim vir ſanctus, quod nemo negare poteſt, impetu & feruore humano, & nimio ſtudio obſequendi amicis, & inprimis ſuo Euſtochio, magisque premit Iouinianum autoritate, quam ſolida eruditione, Id quod probat parum conſideratus ardor corradendi vndique teſtimonia Scripturarum, congrua & incon-

Hieronymi ſcriptum contra. Iouinianum quale.

& incongrua, magno ludibrio futurus, ſi paris autoritatis Antagoniſtam fortitus fuiſſet. Nam & eos locos, quos principes habet, in quibus cardinem victoriæ locat, torquet, ne dicam, deprauat. Paulum enim vbi dicit: Qui virginem tradit, bene facit, qui non tradit, melius facit, plane eo trahit, vt hoc bene & melius facere ad merita apud Deum pertineat, & ſectas in populo Dei faciat, Cum manifeſtiſſimum ſit, Paulum loqui de bono & meliori huius vitæ, quod virgo nullis implicita curis liberius vacet Deo, omne meritum communi fidei relinquens. Et quis ſcit, ſi Hieronymus hac parte fuerit vnus illorum, de quibus in Ezechiele dicit: Propheta cum errauerit & mendacium locutus fuerit, ego Dominus, qui decepi Prophetam iſtum? Et iuſte, cur non ſolis attendimus verbis Dei? Cur ſpiritus conſilio neglecto, non omnia probamus antequam teneamus?

Qui virginem tradit bene facit &c. — *1. Corint. 7.* — *Ezech. 14.*

Fatemur & nos, virginitatem eſſe rem maximam, ſi res inter ſeſe comparentur, Sed ſimul dicimus: Si virgo ſeſe itidem coram Deo cæteris ſuperiorem, imo parem fecerit, Satanæ virgo eſt. In nouiſſimo loco ſedere docet Euangelium, & inuicem ſuperiores arbitrari. *Luca 14.*

Virginitas.

Sic ergo tractanda & docenda eſt virginitas, vt nulla lege, nulla neceſſitate, nulla ſpe præmij, ſed gratuita & voluntaria mente ſeruetur, Vt exempli gratia, virgo ſic cogitet: Quanquam poſſim nubere, tamen placet virginem manere, non quia præcepta, non quia conſulta, non quia precioſa & magna præ cæteris virtutibus, ſed quia ſic mihi viſum eſt viuere, ſicut alteri viſum eſt nubere, vel agricolari. Nolo enim moleſtias coniugij, volo libera eſſe à curis, Deo vacare. Ecce hoc eſt ſimplicitate Chriſtiana virginem eſſe, quæ non in ſeipſa, ſed in Chriſto glorietur. Vnuſquiſque enim in dono ſuo debet gratis Deo ſeruire, omnes autem communi fidei virginitate, in vno Chriſto gloriari, vbi non eſt maſculus neque fœmina, ita nec virgo nec coniunx, nec vidua nec cœlebs, ſed omnes vnum in Chriſto.

Coriarius Alexandriæ prælatus Antonio. — *Paphnutius.*

Huc pertinent nobiliſſima præ cæteris exempla in Vitis Patrum, vbi Coriarius ille Alexandrinus, diuino oraculo æqualis, imo melior Antonio definitur, coniunx virgine aut cœlibe, ciuis monacho, plebeius Monachorum patre. Et illud, vbi Paphnutio æquales fiunt duæ maritatæ mulieres, & quidam Aulædus quondam latro &c. Quid illis exemplis Deus voluit, niſi propter Sanctos iſtos adhuc paululum differre, impias ſectarum doctrinas & inſtitutiones, quæ iam tum incipiebant aduerſus fidem ſumma ſpecie irruere? Sunt igitur dona Dei diuerſa, & magna, & parua, 1. Corinth. 12. & 7. diues plura habet quam pauper, ſed nemo per hæc ſectas introducat, & ſecundum dona diſpertiat, & merita & præmia apud Deū, nec ſeſe inuicem præferant, Omnes vero gratis ſeruiant communi fide & Chriſto abundantes, qui operatur inæqualia æqualis ipſe in omnibus. Quod ſi indigne tuleris te virginem coniugi æquari, nube & tu, Melius eſt tibi pium & liberum coniugium, quam mercenaria & impia virginitas. Stat ſententia: Opera & perſonas non reſpicit Deus, ſed cor & fidem, Ierem. 5. Domine oculi tui fidem reſpiciunt.

Dona Dei diuerſa. — *1. Cor. 12. 7.* — *Ierem. 5.*

Inſtitutum vouendi impium. — *Bernardus.*

VIdes ergo, ex his demonſtrari. Etſi aliquod vouendi Exemplum poteſt eſſe pium, virtute miraculi, tamē ipſum inſtitutum vouendi, & ratio eam vitam docendi impietatis damnatur. Sicut & Lex ſola litera tradita, poteſt habere Exemplū bonum, vt in Paulo, qui ea vſus eſt ſine litera, tamen ratio docendæ literæ Legis & operū eius impia eſt. Ita Bernardus vouit & vixit in voto, ſed non ex neceſſitate voti, imo ex libertate ſpiritus, Licet votum ſuum hanc libertatem non doceret, imo neceſſitatem libertati contrariam

trariam doceret, Hæc ſint dicta pro reſponſione ad obiectionem prædictam.
Pſalm.76. Vt ſciamus,ſi votum fuerit præceptum,iuxta illud: Vouete & reddite, opera eius eſſe facienda in ſpiritu libertatis,ſicut opera Decalogi,non quia vota, ſed quia gratuito placita & libera, Quanquam,vt dixi,nulli niſi miraculo ducti ſic ſeruent,repugnante ipſa ratione vouendi & viuendi,qua auelluntur à libertate iſta,& rapiuntur in ſeruitutem & neceſſitatem.

SEd nunc pergimus,& negamus,votum eſſe aut fieri poſſe præceptum,ſicut nec opera Legis ſunt aut poſſunt eſſe præcepta. Deus enim non eſt impietatem volens,Pſalm.5. Imo probamus prohibitum eſſe ex hac ipſa Euangelica libertate,Paulus enim Galat.1. Euangelicam libertatem aſſerturus,dicit: *Sed ſiue nos ſiue Angelus de cælo aliud docuerit,quã quod audiſtis, anathema ſit.* Et infra: *Vos Fratres in libertatem vocati eſtis.* Et iterum: *Qui autem vos conturbat,portabit iudicium ſuum, quicunq; fuerit ille.* Ex quibus verbis habes,nihil licere vlli docere,quod ſit aduerſus euangelicam libertatem. Ea enim libertas diuini iuris eſt,quam Deus ſanxit,quam nec reuocabit,neq; aduerſus eam quidquam acceptare poteſt,neq; homini licet eam violare vllo vel minimo ſtatutulo. Eſt autem ea libertas non ſolum illa prædicta in ſpiritu & conſcientia regnans,qua nullis operibus aut accuſamur aut defendimur,ſed etiam ea,qua ſublata ſunt vniuerſa hominum mandata,& quidquid in externis ceremonijs ſeruari poteſt,vt ſunt omnes cibi,omnes veſtes,omnes perſonæ,omnes geſtus,omnia loca,omnia vaſa,omnes dies,vt ea liceat obſeruare,non obſeruare quamdiu,vbi,quomodo quando, quoties placuerit, aut res ipſa obtulerit. Et omnino,quidquid non eſt mandati diuini,abrogatum & libertate donatum eſt.

Pſalm.5. Gal.1. Galat.5.

Coloſſ.2. Dicit enim Paulus Coloſſ.2. *Si ergo mortui eſtis cum Chriſto ab elementis huius mundi,quid adhuc tanquam viuentes mundo Decretis tenemini?* Ne tetigeritis,ne guſtaueritis,ne contrectaueritis,quæ ſunt omnia in interitum ipſo vſu, ſecundum præcepta & doctrinas hominum,quæ ſunt rationem quidem habentia ſapientiæ in ſuperſtitione & humilitate,& non ad parcendum corpori, non in honore aliquo ad ſatietatem carnis. Hic plane Apoſtolus prohibet,decretis hominum teneri. Et Chriſtus Matth.15. Fruſtra autem colunt me, docentes mandata & doctrinas hominum. Et Tit.1. Non intendentes mandatis hominum auerſantium veritatem. Hæc certa ſunt mandata Dei, prohibentia doctrinas hominum tam doceri quam audiri. At vouendi inſtitutum nonne meriſſime humanum eſt? Nonne ſitum eſt in raſura,veſte,cibo,potu,diebus, locis,geſtibus & alijs ceremonijs? Vbi aliquid horum præcepit Deus? vbi præcepit eam paupertatem,eam obedientiam,eam caſtitatem? Quid igitur adhuc dubitas ea nec licere nec licuiſſe vouere? Libera ſunt diuinitus,quæ tu neceſſaria facis humanitus,& putas Deum pius acceptare,quod tu erras,quam quod ipſe ordinauit? Ipſe non poteſt ſuſtinere,vt fiat peccatum in vſu veſtium,cibi, potus,dierum,quia noluit ibi peccari poſſe,& tamen tu ibi peccatum aſſeris fieri. Ita noluit cœlibatum neceſſarium fieri,ſed ſanxit liberum eſſe,& noluit peccatum fieri,ſi quis nupſerit, quando voluerit,& tu perpetuum facis voto tuo,ac neceſſarium ſub Lege.

Matth.15. Tit.1.

Vouendi inſtitutum eſt humanum.

Quid igitur reſtat? niſi hic omnium euidentiſſime monſtrari,vota religionum & vniuerſam monaſticam eſſe aduerſus libertatem euangelicam, & diuinis mandatis prorſus prohibita. Cum negari nequeat,eſſe meras hominum doctrinas. Neq; enim minus peccatum eſt,violare libertatem diuinitus ſtatutam,quam in quouis aliud Dei præceptum peccare. Voueas ſane & reddas

Vota religionum contraria libertati euangelicæ.

reddas quodcunque volueris,ſed citra mandatæ libertatis iniuriam. Neque enim tibi ipſi eam licet auferre,nec licet peccatum ſtatuere, vbi Deus peccatum eſſe noluit. Noluit autem peccatum fieri poſſe in vſu caſtitatis, ſed liberā fecit eam,vt non peccaret qui nuberet. Sic & Paulus 1.Corinth.7. cum virginitatem conſuleret,adiecit,ſi nullam neceſſitatem haberet, qui virginem ſtatuiſſet ſeruare,quo prohibuit exactam & coactam & neceſſariam eſſe aut fieri caſtitatem, Quam primum ergo cogi cœperit & exigi,iam ſoluta eſt & libera,per hanc Pauli autoritatem. *1.Corint.7.*

Votum caſtitatis pium &c.

REuertamur itaq; ad id,quod ſupra diximus, Votum caſtitatis & totius monaſticæ,ſi pium eſt,debet neceſſario ſecum inuoluere libertatem rurſus omittendi, & in hanc ferme ſententiam interpretari; Voueo tibi obedientiam,caſtitatem,paupertatem ſeruandam cum tota regula S. Auguſtini vſque ad mortem,libere, Hoc eſt, vt mutare poſſim, quando viſum fuerit. Si aliter interpreteris aut intellexeris, cernis ex prædictis, peccari aduerſus libertatem diuinam nobis mandatam,nec poſſe fieri,vt Deus aliter acceptet,niſi reuocet libertatem,id eſt,niſi neget ſeipſum. Quid ad me S. Patres vel nulli ita vouerint aut ſenſerint? Quid ſi omnes errauerint,aut miraculoſe intus ducti fuerint? Aperta eſt & irrefragabilis Euangelij ſententia,damnari doctrinas hominum & liberas eas, noſq; illarum Dominos eſſe, Quare nō poſſumus earū fieri ſerui,vlla autoritate Angelorum,nedum noſtra ſtulta ſuperſtitione & humilitate,vt Paulus ait. Similiter aperta eſt veritas, Votorum inſtitutum eſſe ſeruilem omnium doctrinam, Cur ergo patiamur, vt ſerui equitent & domini peditent,iuxta Salomonem? Quin potius Chriſto gratias agamus,qui nos hac libertate honorauit, & nobis eam violare impijs votis molientibus inuiolatam ſeruauit, & vota noſtra ſemper irrita, libera & nulla eſſe firmiter ordinauit,ipſe,dum,nos inſanimus,benigne pro nobis vigilauit.

Doctrinæ hominum damnatæ &c.

HIc fortaſsis ridebit aliquis, & ridiculum votum hoc ſubſannabit,quod verius eſt ſimulatio quædam voti, Quid enim eſt niſi præſtigium dicere Voueo tibi libere agere quod viſum fuerit? Rideat ſane qui volet,modo ſimul ſciat,nihil mirum neq; nouum eſſe,ſi homines ſtulte & ridicule agant,dum citra & vltra Dei verbum ſuis proprijs conſilijs aguntur. *Sermo tuus* (inquit Chriſtus) *veritas eſt*, Quid putas ſermo hominis ſit,niſi mendacium? Ridiculum eſt,ſed ijs qui veritatem euangelicæ libertatis audiunt vel agnoſcunt. Cæterum operatio erroris ſub iſto ridiculo non minus implet nimis feriam & ſeueram iram Dei,tot millibus animarum iſtis laqueis miſere captis & perditis. Humanū inuentum eſt votum, humanum inuentū manet. Sed non in totum tamen ridiculum eſt, Nam vouere ſubiectionem iſtam liberam ad tempus,non eſt inutile. Videmus enim primitiuæ Eccleſiæ inſtitutum fuiſſe & morē plane ſaluberrimum, vt iuuentutem ſeniores ſibi ad tempus commendatam inſtituerent in fide & diſciplina, Quod & Apoſtolorum Petri & Pauli Epiſtolæ indicant,vbi iuniores volunt ſubdi Senioribus. Hinc Primum natæ ſcholæ Chriſtianæ,in quibus & puellæ quoq; erudiebantur; vt ſanctæ Hagnes habet hiſtoria. Ex his tandem collegia & monaſteria pullulauerunt,propter eos,qui perpetuo & libere in ſcholis iſtis manere volebant. *Iohan.17.*

Sermo Dei. Sermo hominum.

Mos primitiuæ Eccleſiæ.

Scholarum origo.

Vbi autem cœperunt ij,qui iuuentutem inſtituendam ſuſceperunt ſegnes fieri & ſua curare, aucti opibus & ocio, & Iuuentus rebellior facta, tum voti laqueos inuenerunt,quibus conſcientias alligatas tenerent ſub diſciplina,vt quiſq; ſeipſum metu peccati cohiberet, & ocium fieret curatoribus. Sicut & nunc mos eſt furioſus Academiarum,iuuentutē irretire iuramentis, & conſcientias eorum excarnificare,ne ſit neceſſe illis vigilare & ſolicitos eſſe,

Vnde orta vota.

in vtranque

in vtranq; aurem ſecure dormiant. Sic ex liberis & Chriſtianis ſcholis ſeruilia & iudaica monaſteria veræq; ſynagogæ impietatis factæ ſunt. Si igitur votum hodiernum ad priſcum illum morem reuocaretur, & ita ſeruaretur, nihil ibi periculi eſſet, & abſq; dubio apud Deum aliter non agnoſcitur, quam ad illum morem ſeruandum temporaliter, tantum vt inſtitutionem Chriſtianam infirmiores & rudiores animi imbibant, & poſtea rurſum liberi dimittantur, Id quod infra etiam operibus Dei teſtibus probabimus.

Priſcus mos vouendi.

OBijciet hic infirmior aut argutulus quiſpiam: Si Deus cœlibatum ſic liberum voluit, vt nuptijs poſſit mutari, Ergo eadem libertate licebit & nuptias deſerto coniuge cœlibatu mutare, Aut ſi Lex Dei cogit coniugem non deſerere, ſimiliter & lex Dei de vouendo coget cœlibatum non deſerere, vtrobiq; enim peccatum eſt diuinitus ſtatutum & prohibitum. Vel ergo non licebit etiam matrimonium contrahere, ne cœlibatus fiat illicitus libertate ſublata, vel neceſſe erit & votum ſeruare, matrimonio per ipſum facto illicito. Reſpondeo: Libertas euangelica regnat in ijs ſolum, quæ geruntur inter Deum & teipſum, non inter te & proximum tuum. Non enim vult rapinã in holocauſtum, nec quidquam fieri ab vllo, quod vergat in proximi iacturam, imo vult omnia fieri in proximi commodum. Sanxit ergo tibi libertatem vt coram ipſo poſſis nubere aut cœlebs viuere liberrime, nec hanc libertatem voluit mutari poſſe inter ipſum & te. Neq; enim patitur, vt te ſibi liges & obſtringas, qui te in omnibus ſoluit & liberum facit, alioqui quid eſſet votum niſi ligari à te, quod ille iubet eſſe ſolutum? Verum hac libertate non prohibet, quin proximo tuo te poſſis obſtringere & ligare, quia proximus tuus non iuſſit te ſolutum & liberum eſſe, ſicut Deus. Alioqui liceret & omnes contractus, fœdera, pacta componere & rumpere pro libidine. Igitur in matrimonium datus, iam in alterius es iure & poteſtate, quod ius Deus non vult illi inuito rapi, vt ſibi ſeruias. Tamen ſi ceſſet illud ius vel moriente coniuge vel conſentiente, ecce integra & ſalua tibi eſt libertas inter te & Deum, ſicut prius nubendi & continendi.

Obiectio.

Libertas erga Deũ non erga proximũ.

Tale ergo eſt votum cœlibatus erga Deum, quale eſſet pactum coniugij marito factum, iam mortuo aut mutuo conſenſu ſeparato & libero. Sicut enim maritus mortuus, vel data licentia tibi copiam facit continendi libere, nunquam accepturus amplius copulam tuam, roborato inter vos vtrinq; firmiter pacto, literis, ſigillis & teſtibus, & tu ſtulte velut magnum factura marito denuo ſpondeas ei copulam matrimonij, volens hac ipſa ſponſione, priorem copiam continendi non ſolum roborare, ſed ſuperare & excellentius implere. Nonne te diceret inſanam? Ita Deus in baptiſmo pactum libertatis tecum fecit, vt liberum tibi eſſet perpetuo, nubere & continere, nec amplius accepturus libertati huic aduerſarium. Et tu vt hanc libertatem maiorem & perfectiorem reddas, voues & vouendo in ſeruitutem & neceſſitatem mutas. Quid inſanius fieri poteſt? Proinde religioſi proprie ſunt cultores Baal, qui Deum ſibi maritum volunt facere ſeruitute voti, qui eos liberos fecit libertate Euangelij. Baal enim maritum ſonat, qui coniugem habet. Ita non contenti libertate communi, monaſtici, præſumunt Deum ſibi proprium & ſingularem præ cæteris Baal facere, exiſtimantes hoc obſequio plus quam euangelice agere, cum recta aduerſus Euangelium inſaniant. Hoc eſt, quod mos eorum eſt, altaria tranſilire, id eſt, opera ſua iactare ſupra fidem communem, & cultris incidere, id eſt, ſtatutulis & doctrinis ſuis ſeipſos torquere, nunquam tamen mortificare veterem hominem &c.

Pactum libertatis Deus in Baptiſmo nobiſcum fecit.

Religioſi cultores Baal ſunt.

FIniamus ergo tandem hanc diſputationẽ, concludendo, Quod paupertas, obedientia, caſtitas, perpetuo ſeruari poteſt, voueri, doceri, exigi non poteſt. Quia in ſeruando manet libertas euangelica, in docendo,

vonendo,exigendo non manet, Ideo Sancti qui ea ſeruauerunt, libere ſeruauerunt,ſeruaturi etiam,ſi nec vouiſſent,nec docti nec exacti fuiſſent, Ideo votum eorum quanquam ſtultum,eis nihil nocuit propter fidem & libertatem ſpiritus. Incomparabiliter autem aliud eſt,aliquid fieri neque doctum neque exactum, & idem doceri & exigi faciendum. Hoc enim eſt ex facto ius facere, ex opere præceptum,ex exemplo Regulam, ex accidente neceſſarium, quo quid abſurdius & pernitioſius? At primum eſt ex Deo, alterum ex hominibus, Ideo cum primo manendum, alterum vero dimittendum. Non ergo damnamus rem votorum, ſi quis eam cupiat ſequi, ſed doctrinam & præceptum eiuſdem damnamus.

Synodus Nicena. Actum eſt cum votis iſtis, ſicut cum continentia agi cœpit, in Synodo Nicena vbi cum aliquot annis Sacerdotes & Epiſcopi vixiſſent cœlibes ſua ſponte, moliebantur quidam hoc exemplum in præceptum vertere, & deinceps ad cœlibatum cogere neceſſitate conſcientiæ, adeo iam tum etiam in tam ſancta Synodo fides & Euangelium defecerat, & traditiones hominum inualeſcebant, *Paphnutius.* Sed reſtitit vniuerſo Concilio vnus Paphnutius, prohibens, ne quidquam de cœlibatu ſtatueretur, Quia hoc pertinebat implere ad Antichriſtum Romanum idolum, Ita cum Monachi antea ſponte cœlibes eſſent, egerent & obedirent, Tandem in votum neceſſarium poſteri verterunt eorum liberum & euangelicum exemplum. Nec fuit hic vllus Paphnutius, qui reſiſteret, cum iam peccatis præualentibus ira Dei maturaret in orbem operationes erroris, ſicut in Paulo prædixerat. *Bernardus.* Quare S. Bernardus & alij caſtitatem, obedientiam & paupertatem ſub votis, ſed non ſecundum vota, imo ſecundum priſcum Patrum exemplum, & Euangelium ſeruauerunt, & traditionem tam reprobam & inſtitutum vouendi damnatum humano errore lapſi probauerunt & docuerunt, cum ipſi longe aliud & aliter ſequerentur, *Operatio errorum.* Sed operatio erroris fuit ſtabilienda etiam Patrum exemplis peruerſe acceptis, propter eos, qui receperunt charitatem veritatis, vt ſalui fierent, 2. Theſſal. 2. *2. Theſſa. 2.*

IIII. Vota aduerſari præceptis Dei.

VIdimus itaque, vt monaſtica inſtitutio, ſit non ſolum non ex Deo (cuius nullum habet teſtimonium de Scriptura, neque vllum ſignum aut prodigium, quo ſit cœlitus comprobata, quin magis prohibita ac reprobata, vt & aliæ omnes traditiones humanæ) verum etiam aduerſus fidem Chriſtianam & libertatem Euangelicam pugnet. Iam quarto videamus, vt conueniat cum diuinis præceptis. Impoſſibile enim eſt, vt non aduerſetur omnibus, quod Ei aduerſatur, ex quo & per quem & in quo ſunt omnia, Ipſe enim cum ſancto ſanctus eſt, & cum peruerſo peruerſus. Ideo vt immundis nihil eſt mundū, ſed omnia immunda, ita peruerſis omnia peruerſa, & nihil rectum. *Excuſat Sanctos.* Atque iterum hic Sanctos excuſatos ſemel volo, ne ſemper ſit neceſſe eorum exempla excuſare. Non diſputo vt Sancti vixerint ſub inſtituto iſto, ſed de ipſo inſtituto. Non, vt tres Pueri in fornace Babylonis vixerint, ſed an paſſim omnibus liceat in eandem fornacem ruere, aut auream regis ſtatuam adorare? Non diſputo, an Paulus cœlebs vixerit, ſed an exemplum ſuum ſit in ius & formam doctrinæ trahendum. Idem Paulus totam legem Moſi ſeruabat, & tamen nolebat doceri & audiri eam ad ſeruandum. Ita Bernardus ſub voto ſine voto, ceu Apoſtolus ſub Lege ſine Lege, agebat, ſed non ideo votum aut Lex in doctrinam & formam vitæ redigi, imo aboleri debet.

Et ſupe-

Et ſuperius vbi de fide egimus, ſatis oſtendimus, vt aduerſus primam tabulam ſeu tria prima præcepta pugnet inſtitutum iſtud monaſticum. Fides enim in primo, Laus & confeſſio nominis in ſecundo, Et opera Dei in nobis in tertio præcipiuntur. In his tribus abſoluitur verus ille & legitimus cultus Dei. At inſtitutio voti, dum docet opera, fidem euacuat (vt diximus) & inde abiecto nomine Dei, ſuum erigunt. Neq; enim Chriſtiani amplius nec filij Dei, ſed Auguſtiniani, Benedictini, Franciſcani, Dominicani dicuntur, Hos & ſuos Patres præ Chriſto iactant. Neq; enim hoc nomine ſalui & iuſti fieri præſumunt, quod baptiſati, quod Chriſtiani ſunt, ſed hoc ſolo, quod ſui ordinis nomen habent. Ideo in ſuum nomen confidunt, in hoc gloriantur, quaſi baptiſmus & fides iam olim velut naufragio perierint. Non ergo aſſumunt & inuocant nomen Domini niſi in vanum, ſed nomen ſuum, quod per opera erexerunt. Videas enim eos plane deſperare, ſi ordinem ſuum non ſeruaſſe ſibi conſcij fuerint, neceſſarium enim ad iuſticiam & ſalutem arbitrantur. Vbi autem ſeruaſſe, aut doluiſſe de non obſeruato ſeſe viderint, tum hoc nomine ſecure expectant coronam gloriæ, longe ſecurius quam quod baptiſati ſint in Chriſtū, Imo obliti ſunt, ne cogitant quidem vnquam ſeſe eſſe baptiſatos in opera Chriſti, vt in eis confidant, ſua quærunt & ſpectant, vt hoc nomine apud Deum coronentur, quod religioſi fuerint. Sat habent, ſi ſuos Patres æmulati, eorum tum ſtatuta tum exempla ſimilibus operibus attigerint vel doluerint ſeſe non attigiſſe, vt autem Chriſtum & opera eius in fide habeant, contemnunt, O horrendam perditionem.

De prima tabula.

Error & impietas vouentium.

ITa vides, vt fides & primum præceptum ſtare cum doctrina monaſtici voti non poteſt (niſi miraculo gratiæ Dei) Ita nec præceptum ſecundum cum eius iactantia & titulis, Cum enim ſolus Chriſtus aſcendat in cœlum, qui & deſcendit & eſt in cœlis, impoſſibile eſt vt Benedictinus, Auguſtinianus, Franciſcanus, Dominicanus, Carthuſianus & ſui ſimiles in cœlum aſcendant, Omne enim hoc hominum vulgus cœlum petit lampadibus inanibus, id eſt, operibus proprijs, & ſine operibus proprijs nihil præſumunt apud Deum, ſic enim docet eos forma vitæ & voti ſui. At Chriſtianus aſcendit operibus alienis, nempe Chriſti, in quem baptiſatus & tranſplantatus, viuit iam non ip[ſe], ſed Chriſtus in ipſo, ſanctificans ei ſabbatum pleniſſime ab operibus ſuis omnibus. Quam horrendum eſt igitur ea teneri conſcientia, non poſſe ſaluari, niſi ordinem tuum ſeruaris, poſſe autem ſaluari ſi ſeruaueris? Nonne hic tacetur Chriſtus totus? At hæc conſcientia nuſquam eſſet, ſi voti inſtitutum non eſſet, nunc autem vbiq; eſt. Nuſquam ergo ſabbatum ſanctum eſt, ſed impletur illud Pſal. 74 Polluamus omnes dies feſtos Dei in terra. Tu vide, an hoc non ſit illud, quod Pau. Rom. 2. dicit. Qui abominaris Idola, ſacrilegium facis, Nomen enim Domini per vos blaſphematur in Gentibus. Quis ex omnibus hominibus iactat cultum Dei æque atq; monaſtice? Nemo idolatriam magis execratur, Sed ecce ſacrilegi ſunt. Quod ſacrum rapiunt? hoc quo omnia ſanctificantur, ſanctum nomen Dei. Nonne enim Chriſtianum extinguunt, & ſuum ſtatuunt in eius locum, volentes in eo ſalui fieri, quod in ſolo nomine Chriſti fieri poteſt & debet, ſicut dicit Petrus Acto. 4. *Nec eſt nobis aliud nomen datum ſub cælo, in quo nos oporteat ſaluos fieri.*

Iohan. 3.

Nemo aſcendit in cœlum &c.

Pſal. 74.

Rom. 2.

Act. 4.

Vt enim impoſſibile eſt, eum qui fide in Chriſtum nititur, nomine proprio ſalutem quærere (neſcit enim opera & merita niſi Chriſti ſolius, ideo non habet nomen in quo ſaluetur & ſanctificetur niſi Chriſti ſolius) Ita impoſſibile eſt eum, qui operibus & votis nititur, non quærere proprio nomine ſalutem, Habet enim opera & merita, præter Chriſti opera & merita, habet ergo & nomē aliud præter Chriſti nomen, Hoc autem quid eſt aliud quam nomen

Ego ſum Chriſtus &c.

Blaſphemia nominis Domini in Gentibus.

Chriſti rapete,& ſibijpſi tribuere & dicere: Ego ſum Chriſtus, vt ſupra ex Matth. 24. retulimus? quo ſacrilegio quid poteſt eſſe magis ſacrilegum? Qui enim dicit: Ego per opera mea ſaluabor, nihil aliud dicit, quam: Ego ſum Chriſtus, cum ſolius Chriſti opera ſaluent, quotquot ſaluantur. Atque hæc eſt iſta blaſphemia nominis Domini in Gentibus, quod ſanctitas & ſanctificatio alteri, quam nomini Domini iam paſſim tribuitur. Omnium enim ore Ordines eorum ſancti dicuntur, quaſi ſanctificent ſuos obſeruatores, aut quaſi ſanctum ſit in eis incedere, cum ſolum nomen Domini ſanctificet, & in ſolo ipſo incedere ſanctum ſit. Huius vulgariſſimæ blaſphemiæ autores ipſi ſunt ſuis ſacrilegijs, quibus nomen Domini & opus nominis Domini ſibi arripiunt & arrogant, ſeducentes & allicientes hac blaſphemia totum orbem. *Matth. 24.*

CVm autem has ſacrilegas & blaſphemas opiniones ſeu conſcientias oporteat à Chriſtianis eſſe quam remotiſſimas, quid adhuc dubitas abſtinere, ſugere, vitare, mutare vota monaſtica & totum eius vitæ genus, quod in hoc ipſum repertum eſt, vt tales conſcientias reddat, nec natura ſua poteſt alias reddere, & videas præſente experientia toto orbe tales reddi. An ſi videas Core cum tabernaculis & ſubſtantia ſua abſorberi, tu manebis in media voragine, nec ſaltem reliqui Iſrael prudentiam imitaberis & ſugies dicens: Ne forte & nos terra abſorbeat? An te morabitur, quod filios Core illic manentes videas ſeruari? Sed ſcito, id contigiſſe (vt Moſes ſcribit) magno miraculo. Negare enim non potes, monaſticum inſtitutum eſſe ſeditioſum aduerſus Chriſtum & proprie Coreticum. Excitat enim ſectas in populo Chriſti, & ſicut vides, aduerſus fidem docet, fidere & mereri ab operibus proprijs, cum dare non poſſis (citra miraculum) vllum religioſum, qui non teneatur hac ſacrilega & blaſphema conſcientia, ſaluum ſe fore, vbi ordinem ſuum ſeruarit, damnatum vero, vbi non ſeruarit, vt quid alioqui voueret, & ſeruaret, ſi talis eius conſcientia non eſſet? Quid hoc te iuuabit, ſi filij huius Core ſeruati ſint in tabernaculis iſtis ſacrilegis & blaſphemis? Miraculum diuinæ virtutis eſt, non vulgare præſcriptum viuendi.

Core ſeditioſus.

Num. 16.

Monaſticum inſtitutum ſeditioſum & Coreticum.

Bene autem appellatus eſt Core, quod interpretatur caluus ſeu caluicium, Quod Apoſtolo teſte vir ſit gloria Dei, & velare comam non debeat, vt Core iſtum ſeditioſum intelligas ſine capite Chriſto, ſine gloria Dei, ſeipſum in caput erigere, ſuo nomine proprio gloriari aduerſus Chriſtum. Quam proprie Petrus 2. Pet. 2. eos deſcribit, dum dicit, Eos eſſe Magiſtros mendaces, qui opiniones & ſectas perditionis iuxta introducent, & Dominum, qui eos mercatus eſt, negantes, per quos via veritatis blaſphemabitur. Quæ ſunt illæ opiniones & ſectæ perditionis, niſi conſcientiæ, doctrinæ, ſectæ illæ prædictæ & ſacrilegæ & blaſphemæ, quibus Chriſtus abnegatur cum operibus & nomine ſuo, & in locum eius opera & nomina hominum ſtatuuntur, & eis tribuitur id quod Chriſti eſt, iuſticia, ſalus, ſanctitudo?

Core.

1. Corinth 11.

2. Pet. 2.

Opiniones & ſectæ perditionis.

Sed hic ſacrilegi illi, vt ſunt incorrigibiles & increduli, cum viderint ſeſe tam manifeſtario ſacrilegio comprehenſos, effingent more ſuo diſtinctiones, quarum ſunt fœcundi valde, dicentque, Seſe nunquam docuiſſe aliter, quin Chriſtus & gratia Dei ſint principalia in Ordinibus & optima, ſicut ſancta ſanctorum. Cœterum Ordines eſſe ſanctos minus principaliter ceu ſanctum participatiue &c. Siue aliud proferent capitis ſui figmentum, ne capti & confuſi videantur, Quibus reſpondeo: Et cur ab initio non iſta docuerunt? Quis animabus iam perditis & nunc pereuntibus hanc diſtinctionem in futuris ſeculis aliquando excogitandam reuelauit? quæ ſimpliciter, vt ſonat, ſanctum intellexerunt, ignorantes occultam hanc æquiuocationis illuſionem. Sed adhuc age ſurgant & doceant, ſicut nunc diſtinguunt, clament ad vulgũ in hunc modũ: Scitote, quod multo melius eſt, eſſe ſimpliciter Chriſtianum

quam

quam religioſum, videbis quot ſint intraturi, imo manſuri in monaſterio. At nunc docent, Religiones eſſe multo meliores & ſanctiores communi ſtatu fidelium. Hæc eſt vox illa perditionis, qua fideles à Chriſto diuellunt ſpe maioris pietatis, quam in Chriſto inuenerunt. Hoc eſt ſacrilegium, hæc blaſphemia, cum qua Chriſtus manere non poteſt, quam niſi iactatent, ipſi manere non poſſent.

NEc eſt quod iactent, maius & principale augeri acceſsione minoris & ſecundarij. Etiamſi hoc verum eſſet, quis rudi vulgo moderabitur, ne minus pro maiore apprehendat, ſicut modo facit? Miraculum eſt, hic non errare, ideo ſcandalum hoc de via tollendum eſt, & vnicum illud maius proponendum. Deinde cur non tantopere ſuadent hominibus, vt minore relicto apprehendant maius, & cur non religioſos docent exire, quantopere à maiore inuitant ad ſuum minus, & alliciunt ad intrandas religiones? Nunc autem dupliciter hoc mentitum eſt, Primo, Quod re vera ſuum monaſticum inſtitutum pro maiore & principali habent, & Chriſtianum pro minore & contempto. Hoc probant eorum ſacrilegæ & blaſphemæ voces ad religionem exhortantes, potius quam ad Chriſtianiſmum. Alterum mendacium, quod & aliud ſanctum fingitur, Solus enim Chriſtus ſanctus eſt, nec patitur, vt vllo alio nomine ſanctificemur & ſaluemur, vt ſupra ex Petro retulimus. Quare quocunq; te verteris, inuenies inſtitutum impium, ſacrilegum, blaſphemum, aduerſarium Chriſto eſſe natura ſua, perditioniſq; efficax cauſa omnibus qui nō cum filijs Core ſeruantur miraculoſe. Ita iacet quidem verus ille cultus Dei, tribus Præceptis primis inſtitutus, & viæ Zion lugent, eo quod non ſit qui veniat ad ſolennitatem, in cuius locum illi alium ſubſtituerunt, ſeſe plane digniſſimum, qui eſt pompa illa ceremoniarum in veſte, geſtu, cantu, lectionibus, in quibus omnibus nihil fidei neq; nominis, neq; operis eſt diuini, ſed omnia ſunt humaniſſima.

Cor.14. *Ritus in primitiua Eccleſia obſeruatus.* Atq; ex inſtituto Pauli 1. Cor. 14. videtur vſus huius veſtigium eſſe reliquum, vbi docet triá fieri in conuentu Eccleſiæ, Linguis loqui ſeu pſallere, prophetari ſeu interpretari, & orare. Scilicet primo recitabatur aliquid e Scriptura vel Pſalmis. Deinde Prophetæ interpretabantur & docebant. Tertio in communi orabatur. Diuina & Chriſtianiſſima inſtitutio, ſed ad docendum & exhortandum, hoc eſt, ad fidem alendam, ordinata. Primum æmulantur hodie lectionibus matutinalibus, Epiſtolis, Euangelijs, & ſingularibus cantibus. Alterum Homilijs. Tertium, Reſponſorijs, Antiphonis, Gradualibus, & quæcunq; communiter leguntur vel cantantur, Sed infeliciter omnia. *Monachorum ſtudia.* Non enim docendi aut exhortandi, ſed operandi tantum ſtudio omnia fiunt, Sic enim legiſſe, ſic cantaſſe, ſic boaſſe, illis ſatis eſt, Hoc opus quæritur, & vocatur cultus Dei. Quid autem legatur, & cantetur, aut cur legatur & cantetur, ne in mentem quidem venit, nec eſt Propheta qui interpretetur & doceat. Proinde ne ſint ocioſi in hoc mirabili cultu Dei, dedunt ſeſe curæ & ſolicitudini prælegendi, præcantandi, recte diſtinguendi, pauſandi, terminandi, attendendi, hoc vnū ſpectantes, vt bene, deuote & laudabiliter legatur & cantetur. Hic eſt finis vltimatus huius cultus diuini, Ibi diſciplinæ, pœnæ, articuli, ſtatuta, peccata & merita hoc cultu digniſſima. Dicas hunc grauiſſimum cultum Dei in hoc exerceri, vt viri illi magni & graues ſaltem particulam aliquam Grammaticæ & Muſicæ toto vitæ tempore diſcant. Quid enim aliud quęrere poſſunt iudicari? Si intret, vt Paulus ait, aliquis inſidens in medium horum mugientium, murmurantium, boantium, videns eos neq; prophetare, neq; orare, ſed tantum ſuo more ſonare, ceu fiſtulas illas organorum (quæ ſibi optimo conſilio ſociauerunt,

& ſimile iuxta ſimile ſuum poſuerunt)Nonne optimo iure dicet: Quid inſanitis? Quid enim ſunt niſi fiſtulæ aut tibiæ illæ, quas Paulus dicit, nullam vocū diſtinctionem date, ſed tantum in aëra ſonare, Non aliter, quam ſi quis declamaturus ſuggeſtum conſcendat, & horam totam ſonet verba peregrina in populum, quæ nemo intelligat. Nonne hic in aëra loquitur? Nonne inſanus iudicabitur? Scilicet taliscultus decebat ſacrilegos & blaſphemos aduerſarios Chriſti, vt eſſent nihilo meliores mutis illis & ligneis fiſtulis, multo labore ſonantes, nihil docentes, nihil diſcentes, nihil orantes & tamen hoc opus inſanię pro ſumma latria iactatent, omnium opes illius meritis ad ſeſe cotriuarent, Et hanc quidem domum talis decet ſanctitudo.

NIhil hic de Sanctis dico, qui pio vſu in his ſunt conuerſati ludibrijs. Ipſum hunc cultum dico, ſi cætera non mouerent ad rumpenda & dimittenda vota monaſtica, abunde ſatis iuſtam cauſam eſſe. Quid enim eſt niſi merum ludibriū, ſeu vt Apoſtolus ait, inſania? At hoc eſt, quod primario loco vouetur, hoc quærunt, qui religioſi fiunt. Sic enim Deo ſeruire proponunt, propter hoc, mundum, res & parentes relinquunt, propter hoc abnegant ſemetipſos, vt Chriſtum ſequantur. Sic enim audaces & blaſphemi homines diuina oracula Chriſti aptant ad hanc puerilem, ridiculam & ſtultā ſcenam, in qua ipſi proſtant, tanquam fiſtulæ, tubæ, ſambucæ mutæ & inſenſatæ ad obſequium Dei, ſimul verum cultum Dei abnegantes. Nonne ſi ſeria te vouiſſe ſcires, & poſtea intelligeres ludicra & ridicula eſſe, voti tui te pœniteret? nonne mutares? nonne errore excuſareris, qui vouiſſes malum quod ignorabas? Certe ſic vides contingere in votis monaſticis hodie. An putas, gratum & probatum eſſe apud Deum hoc votum? An ille quærit multas mutas fiſtulas ſibi congregari, quæ delectent eum ſonantes in aëra?

Bernardi Homiliæ.

Video Bernardum & ſimiles diuinitus ſeruatos, vt hæc ludicra ſerio qualicunq; temperarent. Extant Sermones eius, quos prophetauit & docuit in congregatione Fratrum, quo vnico opere retulit priſcum Pauli inſtitutum, ſeq; & ſuos ſecum ſeruauit, ſicut Paulus de Timotheo dixit. Ac ſi in monaſterijs eiuſmodi Bernardi eſſent, tolerati poſſent propter ſerium Pauli inſtitutum ex parte obſeruatum. At vbi ſunt meræ mortuæ fiſtulæ & mutæ tibiæ, quæ in aëra ſonant, cum Paulus dicat, eas ab infideli contemni & inſaniæ accuſari, *1.Cor.4.* Quanto magis à fidelibus relinquendæ & fugiendæ ſunt? niſi malumus eſſe peiores quam gentes & infideles, & hoc ſanum & pium arbitrari, quod illi inſanum, etiam Pauli conſenſu, merito appellant. Ne ergo credas votum tuum apud Deum exigi aut probari ſuper has inſanias, ſed cum fiducia credas reprobum & damnatum eſſe, cum hic non ſolum tentare, ſed & irridere Deum videantur iſtis ludibrijs. Atq; hæc de primis tribus mandatis pauca pro tempore ſatis ſint.

V. Aduerſari vota charitati.

Parentum obedientia.

VEniamus ad ſecundam tabulam, & mandata eius in duo iſta colligamus. In obedientiam parentum & charitatem proximi. Nam poſt fidem in Deum, nihil maius eſt parentum obedientia, de qua magnifice Paulus, 1. Tim. 5. *Diſcant primum* *1. Timot. 5.* *domum ſuam regere & mutuam vicem parentibus reddere, hoc n. acceptum eſt coram Deo.* Hic Paulus prohibet prorſus, ne vidua aſſumatur, ſi habet domum, quam regat, & Parentes quibus obſequatur, addens etiam: *Si quis ſuorum & maxime domeſticorum curam non habet, fidem negauit & eſt infideli deterior.* Iam ſuperfluum eſt recenſere, quomodo charitatē

omnibus

1.Corint.13. omnibus pręferat, 1.Cor.13. Omnia faciens nihil eſſe, quæ ſine charitate fiunt. Id autem quod Paulus de vidua dicit, prorſus de omnibus filijs intelligendum eſt. Iterum hic nihil de Sanctorum exemplis ſeu de facto miraculoſo, ſed de ipſo inſtituto vouendi loquor, & autoritate diuina pronuntio & decerno, Nullum votum fieri poſſe abſolute, ſi pium & gratum eſſe Deo debeat, ſed omnia inuoluunt conditionem, ſcilicet exceptæ obedientiæ parentum & charitatis proximi. Qui enim vouerit aut votum ſeruauerit contra obedientiam parentum & contra charitatē proximi, anathema ſit, ſeu vt Apoſtolus hic ait, fidem negauit, & eſt infideli deterior. Nihil enim aduerſus Deum, ſed pro Deo ſolum poſſumus. Cum vero inſtitutum monaſticum & impiiſſime & impudentiſſime doceat palam, non licere parentibus obedire, nec curare quæ aliorum ſunt (quippe monachum mundo mortuum dicunt & Deo dicatum debere tantum in monaſterio agere, egeant, pereant, habeant parentes, proximi, imo totus mundus) anathema ſit ipſum ſimpliciter vel vouere vel ſeruare.

Votum contra obedientiam parentum & charitatem proximi.

HAbent hic exemplum in vitis Patrum & impium & crudele. vbi mater duos filios Eremitas viſitabat, videre cupiens materno affectu fructus vteri ſui. At illi clauſa ianua negauerunt matri faciem ſuam, promittentes in futura gloria ſeſe eam viſuros, ſi ferret in hac vita negatum conſpectum. Hoc exemplum cum audio iactari (qualia multa ſunt in vitis Patrum) videor mihi audire laudatores Lucretiæ, aut Saulis, quod ſeipſos magnanimiter interfecerint, aut alia quadam portenta gentilium. At illi virtutem, eamq; Chriſtianam vocant.

Exemplum in vitis Patrum impium &c.

Huc deprauant & illa Chriſti ſalutaria & communia verba: *Qui amat patrem & matrem plus quam me, non eſt me dignus.* Et iterum: *Qui reliquerit domum vel fratres &c. centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.* Et Pſalm.

Pſalm.45. 45. *Audi filia & vide & inclina aurem tuam & obliuiſcere populum tuum & domum patris tui &c.* Hæc & ſimilia verba, quæ ſpiritus ſunt & vita, de fide Chriſti ſonantia, propter quam omnia relinquenda ſunt, ſacrilegi iſti & blaſphemi aptant ſuæ morti & mendacio, & carni & ſanguini.

HIc veni in locum indignationis meę, & ardeo me vlciſci, de plus quam ſacrilegis & blaſphemis iſtis mendacijs & inſanijs, ſed deſunt & verba & cogitatus quibus monſtra hæc pro dignitate aggrediar. Propter hanc vel ſolam abominationem eradicata, extincta, abolita cupio, ſicut & oportuit vniuerſa monaſteria, quæ & vtinam ereptis Lot & filiabus ſuis de medio eorum, Dominus igne & ſulphure cœleſti ad exemplum Sodomæ & Gomorræ demergeret in profundum, vt ne memoria quidem eorum ſupereſſet, Neq; enim ſatis fuerit illis anathema imprecari. Vide nunc ſanctum & egregium tuum votum. Superius vouiſti nolle te Chriſtianum amplius eſſe, ſed quia ſublimis eſt ſenſus fidei, ſubtilis error excuſauit impudentiam. At hic voues impudentiſſimæ impietati, quæ te non acceptat, niſi abneges, parentibus obedire & proximis ſeruire, Me miſerum, vt fortiter furit iſta audacia & impudentia aduerſus aperta Dei mandata aperte inſaniens, & adhuc laudem & vitam æternam promittens. Finge, vniuerſos monachos Angelorum ſanctitate pollere, adhuc inſtitutum ipſum aduerſus mandata Dei manifeſte inſaniens, non ſolum voueri & ſeruari non debet, ſed vitari & execrari, vt ſumma impietas. Si voueres homicidium vel adulterium, votum irritum & damnatum iudicaretur, cur non irritum & damnatum eſt, ſi voues inobedientiam parentum & crudelitatem erga proximum, aut ſi profitearis curſurum te cum furibus, & cum adulteris portionem tuam poſiturum, non

Quid voueant monaſtici.

rum, non licebit tibi conſilio Salomonis vti, & recedere à peccatoribus, qui te lactant ad malum? .

Quid ſit meliorem eſſe obedientiam quam victimam &c.

Melior eſt obedientia quam victimæ.

S*Ed audiamus excuſationes in impietate. Primum dicunt; Meliorem eſſe obedientiam quam victimam.* Ideo non licere proximis ſeruire aut benefacere abſque licentia ſui Maioris. Secundo, Patres ſpirituales præſtare patribus carnalibus, Ita & obedientiam illorum præferendam horum obedientiæ. Tertio Charitatem nihilominus exerceri inter Fratres monaſterij. Hæc illi. Vides ergo obedientiam & charitatem per illos è publico tolli, & in ſuum angulum cogi. Videamus autem tria iſta per ordinem. Primum illud: Melior eſt obedientia quam victima, præcipue & ſolum pertinet ad mandata diuina, & recto impetu facit contra monaſticam. Nam qui vouet monaſticen, ſeſe offert victimam Deo (vt dicunt) Sed hanc victimam abominari ſeſe dicit Dominus, ſi fiat contra obedientiam mandati ſui. At mandatum ſuum eſt, Obedire parentibus & ſeruire proximis, Eſt ne igitur hæc inſignis peruerſitas, hoc appellare obedientiam ſupra victimam, quod Deus appellat victimam aduerſus obedientiam?

Sic intelligere docent Monaſtici diuinas literas, vt ea, quæ de Dei mandatis dicuntur, aptent mandatis hominum, & quæ aduerſus mandata hominum dicuntur, aptent aduerſus mandata Dei. Hac igitur obedientia pertinaciter vſus Minorita, non porrigit neq; portat proximo ſuo pecuniam, etiamſi ille ſit inopia conſumendus, & quantum in eo fuerit, Fratrem ſuum fame, nuditate, inopia conficit, poſt gloriatur aduerſus Deum, Meliorem fuiſſe obedientiam quam victimam. Scilicet quia in baptiſmo vouit obedientiam Dei, ſed quam in monaſterio noua obedientia hominum euacuauit.

Opera miſericordiæ.

Eadem obedientia pulchre ſeſe exonerauerunt operibus illis miſericordiæ, quæ Chriſtus Matth. 25. in iudicio ſeſe exacturum minatur. Videat monachus famelicum, ſitibundum, nudum, vagum, captiuum &c. ſed caueat ne egrediatur monaſterium, ne viſitet infirmum, ne conſoletur triſtem, ſed ſinat ire & perire, quidquid perierit, claudat viſcera ſua, etiamſi poſſit illum iuuare. Poſtea dicat, ideo ſeſe omiſiſſe charitatem, quia noluerit victimam offerre præ obedientia. Idē faciat, ſi pater aut mater opera eius cœperint opus habere, vt vel paſcat, vel ſeruiat eis. O furorem inauditum. Ego ſane in meo monachatu, quanquam hebes ſum & rudis, nihil tamen ægrius tuli, quam hanc crudelitatem, & negatæ charitatis ſacrilegium. Neque potui vnquam perſuaderi, vt quietus crederem rectam & licitam eſſe obedientiam iſtam monaſticam aduerſus charitatem tam impudenter ſæuientem. Dicent vero hic: Si iſta monachis detur licentia vagandi, peribit vniuerſum inſtitutum monaſticum, deſolabuntur monaſteria, ruet cultus Dei, ſingulis euntibus, vt parentibus & proximis egentibus miniſtrēt. Pulchre. Vt ergo ſtent lapides & ligna, vt perſeueret fiſtularum vlulatus & murmur in choro, vt raſura capitis & longa tunica non deponatur, mandatum Dei deſerendum eſt, pro quo etiam ſanguis fundendus, anima & omnia ponenda ſunt, Quam ſapienter, quam æque iudicant iſti viri de mandatis Dei? Nonne hoc eſt quod dixi, Monaſticum inſtitutum & diuinum mandatum ex diametro natura ſua pugnare? Si enim diuinum mandatum ſeruare voles, votum perpetuum ſeruare non potes, Elige vtrum volueris. *Matth. 25.*

Et quid, rogo, damni, patietur inſtitutum monaſticum, ſi religioſus egrediatur, vbi opus fuerit, ſeruiturus parentibus, viſitaturus infirmos, & ſeſe impenſurus diuinæ obedientiæ & charitati? Num ideo neceſſe eſt caſtitatem & paupertatem & obedientiam ponere? poterit enim reuerti expleta obedientia

Dei

Dei & charitate. Et quid ſi non reuerti eum ſinat obedientia & charitas? in quid peccabit? in lapides & ligna? quod non ſteterit in choro, non induerit cucullum, non fuerit raſus, non dormierit communi dormitorio, non ederit communi refectorio, non murmurarit communes bombos vocum non intellectarum, Scilicet iſtæ res tantæ ſunt, & ſalus in eis ſic eſt poſita, vt diuina mandata propter ipſas oporteat pedibus conculcare? Scilicet Deo ſe dedicauit, qui ijs rebus ſeſe dedit, & non dedicauit ſeſe Deo, qui vouit obedientiam parentum & charitatē proximi in baptiſmo? Quid iſtis inſanis dicemus? niſi illud Chriſti Marc. 7. Bene irritum feciſtis mandatum Dei, vt traditiones veſtras ſeruetis.

Certus itaq; eſto quilibet Chriſtianus, quod ſicut vouere non potes, vt neges Deum & mandata eius, ita vouere non potes, ne obedias parentibus & ſeruias proximis, cum Deus mandarit obedire parentibus & ſeruire proximis, Ideo votum tuum cum fiducia ſic interpreteris, vt vbi parens vel proximus tuus te opus habuerit, votum iam prorſus non tenere autoritate ipſa Dei certiſſimus ſis. Sunt ne hęc ſatis clara? Quis cōtra hæc poteſt quidquā mutire? Si vnum mandatum propter votū potes dirumpere, potes omnia dirumpere, & totum Deum negare. Si autem non potes Deum nec vniuerſa negare, nullum (ne minimum quidē) potes negare aut dirumpere. Monaſticum n. votum pro mandatis, non aduerſus mādata Dei valere debet, & ſēper eis ſoē cedere, etiamſi perpetuo eis cedendum, & votum prorſus abolendum ſit. Non poteſt, ne dubita, Deus ipſe votum à te exigere, aut factum agnoſcere, aduerſus vnum iota ſui mandati, fidelis & verax eſt, ſeipſum negare non poteſt.

Quod ſi iactent, parentum obedientiam cedere merito debere cultui
1. Pet. 2. Dei, Nam cultus Dei primo mandato iubetur, obedientia parentum quarto. Reſpondeo. Cultum Dei monaſticum ſuperius audiſti, ludibrium eſſe. Impoſſibile autem eſt verum illum cultum Dei impediri obedientia parentum & ſeruitute proximi, Imo ipſa obedientia & proximi ſeruitus eſt ipſiſſimus ille & germanus cultus Dei, quem illi ludicro & circulatorio ſuo cultu euacuant. Quid enim eſt colere & ſeruire Deo aliud, quam ſeruare eius mandata? At obedientia & charitas proximi mandata eſt. In choro autem boare aut murmurare mandatum non eſt, imo cum ſit Deum tentare & irridere, prohibitum eſt. Neq; oratio, quod potiſſimum eſt in eorum cultu, ſed nec ipſe boatus impeditur per obedientiam parentum & ſeruitutem proximi, Poteris n. inter obediendum & ſeruiendum, vt caſtus & pauper viuere, ita orare & boare, quantum volueris. Hoc ſolum impeditur, ne lapides & ligna communiter teras & occupes cum alijs, præſente corpore. Si autem Parentes vel proximi te iuberent negare fidem, nomen & opus Dei, quæ prima tabula diximus mādari, hic locum haberet, quod illi iactant, cultui Dei cedere debere obedientiam parentum & omnia. Sed hic cultus communis eſt fidelium, & nuſquam minus quam in monaſterijs iſtis ſeditioſiſq; ſectis, vt ex ſupradictis intelligi facile poteſt.

Cultus monaſticus.

Seruire Deo.

QVod vero ſecundo dicunt, Seſe ſpirituales eſſe Patres, æque pertinet ad ficta illa verba, quibus S. Petrus eos prædixit, De nobis negotiaturos eſſe, atq; illud quod de obedientia & victima fingunt atque peruerrunt. Spirituales Patres ſunt, qui nos docent ante omnia mandatis Dei obedire, parentibus ſubdi, proximis ſeruire, ſicut Apoſtoli fecerunt. Ipſi vero cum aduerſus hæc doceant mandata hominum & ſua propria, ſpirituales Patres ſunt, ſed ſecundum ſpiritum erroris, de quo Paulus prædixit 1. Timoth. 4. *Attendentes ſpiritibus erroris.* Nam nec Apoſtolis obediendum eſſet, adeo neq; Angelis aduerſus obedientiam parentum & charitatem proxi-

Commentum de ſpiritualibus Patribus.

Spirituales Patres qui.

1. Tim. 4.

proximi docentibus,quanto minus obediendum eſt iſtis impijs & ſacrilegis hominibus,deterioribus quam ſint infideles & fidem negantes? Si vero docerent puram fidem, & parentes aut proximi te nollent ab eis diſcere,hic plane non eſſent audiendi. Quanquam ne ſic quidem perpetuo obedientiam & ſeruitutem vllo voto eis ſubtrahere poſſis. Non enim vt fidem diſcas neceſſe eſt parentibus & proximis te ſubtrahi & alijs perpetuo ſubdi. Paulus Philemonis Oneſimum non filium ſed ſeruum,iam ſibi in filium ſpiritualem genuerat in vinculis poſitus,ſicut gloriatur. Et cum ius haberet in ipſum adeo Philemonem,quem & ipſum genuerat,non tamen ſibi ſubijcit,ſed hero ſuo remittit, eius conſenſum quærens. Quid putas feciſſet,ſi Oneſimus fuiſſet filius? Et noſtri,cum nec fidem,nec ſana,ſed omnia ſacrilega doceant,auellere audent filios à parentibus perpetua ſeruitute.

Philemonis Oneſimus.

Parentibus eſſe ius reuocandi liberos è monaſterijs.

PRoinde,ſicut vxor poteſtatem habet extrahendi virum è monaſterio,citra conſenſum ſuum cucullatum,ſiue ſit in ſacerdotem vnctus ſiue lotus,Ita habet Pater aut mater ius extrahendi filium & filiam è monaſterio. Et filius vel filia ſub neceſſitate ſalutis & indignatione Dei tenetur ſequi & cucullum ponere abſq; ſcrupulo,pro irrito habens,ſi ſexcenta vota vouiſſet,& tot characteres indelibiles haberet,quot ſunt capilli capitis ſui. At nunc filios à parentum obedientia ſoluunt in totum,garrientes,In rebus ſpiritualibus vnumquenq; liberum eſſe. Cur ergo non & coniuges ſeparant? Aut cur non & infantes auellunt ab vberibus matrum, ſi hoc ſatis eſt, quod in ſpiritualibus rebus libertas eſt? An non & infantes ſunt in eiſdem ſpiritualibus rebus? Quin hac ratione omnes filios à parentibus,omnes ſeruos à dominis, omnes populos à magiſtratibus auellamus, omnia fœdera, omnia pacta, omnes contractus ſoluamus,dicentes,In rebus ſpiritualibus omnes liberos & ſui arbitrij,neminē vero alterius iuris eſſe. Sed res ſpirituales illi verborū fictorum autores vocant ſuas humanas traditiones,cæci,ſacrilegi & blaſphemi.

Charitas libera eſt, nulli perſonæ addicta.

SIc quod charitatem exerceri inter ipſos monaſticos poſſe, vt inuicem ſeruiant,verum eſt,ſed non vere dictum. Charitas enim libera eſt, nullis perſonis proprie addicta. At illi ſuis & ſibiipſis duntaxat alligant,aliorum prorſus negligentes,quæ charitas ficta eſt,& fomentum ſectarum & odiorum,Sicuti videmus, monaſteria aduerſus monaſteria, ordines aduerſus ordines mutuo inſanire & zelare. Germana autem illa & vniuerſalis charitas ab Apoſtolo 1.Corinth.13.deſcripta,quæ omnibus expoſita eſt,amicis & inimicis ad ſeruiendum,eſt illis prohibita & illicita. Quia vt ſupra diximus, Religioſo non licet exire monaſterium, viſitare infirmos, & alia Chriſtiana obſequia impendere,etiamſi opus ſit & poſſit. Imo contra peruertentes omnia poſitis manuum operibus,ipſi ocioſi ſinunt ſolis ſibi benefieri à toto mundo, omnium ſubſtantiam deuorantes,bene ſani & robuſti,magno etiam incommodo vere pauperum. Rependunt vero ſuis benefactoribus ſpiritualia opera miſericordiæ,quæ ſunt,cultus ille Dei,quem ſupra deſcripſimus,multū murmurando,boando,halando,legendo &c. Inprimis autem Miſſæ illæ execrabiles & abominabiles coram Deo.

1.Corin. 13.

Cultus impij Religioſorum.

Hac figura verborum extinguunt vera illa,quæ Chriſtus exigit, opera miſericordiæ,& ſeipſos ſolantur ſuper extinctione eiuſmodi, ne quando impietatem hanc agnoſcant & pœniteant & venia digni fiant. Si pro ſolis adoleſcentibus eum morem ſeruarent,ne paſſim liceret vagari,quo ætas mollior & fluxa facilius frenaretur,& in monaſterijs diſceret domeſticam charitatem quam poſtea in publico exhiberet communem omnibus,tolerabilis,imo bona foret inſtitutio. Nunc vero tota vita pueri ſunt,& domeſticam diſcunt charitatem,imo eam ſummam & ſolam arbitrantur. Videmus autem diuinum

opus

Digitized by Google

opus in Bernardo & ſimilibus,quos ne in puerili illa & anguſta charitate relinqueret,rapuit in medias res mundi magnas & multas, vt in ijs charitas genuinam ſuam vim oſtenderet,diffuſa,dilatataque ad omnes, omnibus expoſita & parata,atque hoc ſecreto miraculo illos ſeruauit,ne perirent in damnabili iſto inſtituto anguſtæ & fictæ charitatis,in qua cæteri hoc opus Dei non intelligentes,perierunt.Quanquam non negem aliquos ea charitate ſaluos factos,qua ſolis ſuis ſeruierunt,quod occaſio eis defuerit,& alijs ſeruire, cum ipſi parati eſſent omnibus ſeruire. Ipſum inſtitutum damno, quod prohibet ſeruire alijs quam ſuis monaſticis. *Bernardus.*

VT igitur demus aliquot ſeruatos, qui non peccauerint in obedientiam patentum & charitatem proximi ſub votis agentes, Tamē videmus hic euidentiſſime,ipſum inſtitutum vouendi ex natura ſua aduerſari mandatis Dei,de obedientia parentum & charitate proximi, Ideo non licere neque poſſe voueri aut ſeruari. Ac per hoc impoſſibile apud Deum pro voto haberi & exigi.Neq; eos,qui ſeruati ſunt,eiuſmodi vota vouiſſe certum eſt,aut ſi ita vouerunt, Deum eorum errori indulſiſſe & non acceptaſſe, quo modo ipſi vouerunt. Damnabile itaq; eſt in eo vitæ genere inueniri, quod vis deas natura ſua cum diuinis mandatis pugnare, & non niſi ocioſos homines gignere,qui velut locuſtæ,erucæ,bruci omnium aliorum ſubſtantiam deuorant,ſeu vt Petrus ait: Noſtris charitatibus ad luxum vtuntur, Ipſi vero nullis ſeruiunt,nullis exhibent charitatem,nullis benefaciunt, Et, vt tales ſint, vouent,& ſeipſos aſtringunt,propter Deum Dei mandata peſſundantes, verba Dei deprauantes,& ad ſua figmenta torquentes,& plane omnia peruertentes. Atq; vt aliud nihil malorū apud eos ſit,ipſæ execrabiles Miſſæ,eorum, quibus in ſacrificia & opera bona verſis,abominanda peruerſitate retribuunt ſuis benefactoribus ſpiritualia,id eſt,faciunt eos fidere in mendacia, & ſecum trahunt in profundum cæci cæcorum duces. Hæ, inquā, Miſſæ ſatis magno terrori eſſe deberent,vt ſi quis imprudenter eorū ſe miſcuiſſet votis, mutata ſententia conſortiū relinqueret,& ad ſimplicitatis Chriſtianæ puritatem rediret, cum ex omnibus prædictis certiſſime conſtet,non poſſe fieri pium & gratum Deo votum,in hoc vitæ genus,aut ſi ſit, erroneum eſt,quod alia præſumit quā inuenit,Ideo neceſſarium ſit,aut impium aut falſum votum voueri in monaſteriis,quorum neutrum tenet apud Deum.Quare liberū ſemper manet imo neceſſarium,mutare & reuocare hoc votum,& redire ad libertatem Chriſtianam & mandata diuina.Hæc de quinto loco dicta ſint,pergamus ad alia. *Miſſæ in opus & ſacrificium verſæ.*

VI. aduerſari Rationi monaſticen.

SExto,comparemus inſtitutum iſtud,etiam ad rationem naturalem,hoc eſt,ad craſſum illud lumen naturæ, quæ tametſi lucem & opera Dei non attingat per ſeſe,ita vt in affirmatiuis (quod aiunt) fallax ſit eius iudicium, in negatiuis tamen eſt certum. Non enim capit ratio,quid ſit Deus,certiſſime tamen capit,quid non ſit Deus. Ita licet non videat quid rectum & bonum ſit coram Deo(nempe fidem)ſcit tamen euidenter infidelitatem,homicidia,inobedientiam eſſe mala.Qua & Chriſtus vtitur,dum differit,Omne regnum in ſeipſum diuiſum deſolari. Et Paulus dum dicit, nec naturam docere,vt mulier nudato capite prophetet. Quod ergo huic rationi euidenter aduerſatur,certum eſt,& Deo multo magis aduerſari. Quomodo enim cœleſti veritati non pugnabit, quod terrenæ veritati pugnat? Quo modo & Chriſtus Ioban.3.veritatem diſtinguit,& ex vtraq; arguit: Si terrena vobis dixi & non creditis, quomodo, ſi cœleſtia vobis dixero, cre- *Ratio in negatiuis recte iudicat.* *Lucæ 11.* *1.Cor.11.* *Iohan. 3.*

detis? Videamus itaq;, vt inſtitutum monaſticum non ſolum aduerſarium ſit Legi & Euangelio & vniuerſiis ſcripturis, verbis & operibus Dei, verum etiam communi omnium ſenſui hominum. Ac in primis id apprehendamus, *Votum etiamſi per omnia pium & rectum fuerit, tamen ſi impoſsibile factum fuerit, deſinit eſſe votum, nec amplius etiam apud Deum poteſt ligare.* Exempli gratia, Vouiſti peregrinari ad S. Iacobum, ſed interciperis vel morte, vel inopia, vel morbo, vel captiuitate. Hic ſine ſcrupulo votum omittitur, *Et probatur omne votum fieri conditionaliter, & ſemper exceptam intelligi impoſsibilitatem.*

Impoßibilia vota non obſtringunt.

Omne votum fieri conditionaliter.

CLara ne & certa ſunt hæc ſatis; Quod enim de vno voto aſſeritur, de omnibus aſſeri debet. Omnia enim ſiue magna ſiue parua, ſiue temporalia ſiue perpetua, æqualiter hoc præcepto comprehenduntur: Vouete & reddite, ſicuti videbimus. Si ergo in vno excepta eſt impoſſibilitas vel minimo, etiam excepta eſt in quolibet vel maximo. Si igitur cœlibatum voueris, & poſtea ſenſeris impoſſibilem tibi, nonne libere nubere potes, votum tuum interpretatus conditionaliter? Quid enim hic obſtat ne ſic facias & poſſis? An non eſt infirmitas carnis tantum impedimentum cœlibatus, quantum inopia vel morbus peregrinandi? Quin ipſa diuina mandata, cum ſint citra omnem controuerſiam inmutabilia, tamen quo ad opera externa, exceptam habent impoſſibilitatem. Neq; enim damnabis S. Petrum, quod vinctus ab Herode non prædicauit, non ſeruiuit proximo ſuo, ſicut habet præceptum charitatis, ſed beata impoſſibilitas eum excuſat. Nec Paulum facies reum omiſſæ charitatis, quod ſæpius voluit venire ad Romanos & tamen prohibebatur. Et Acto. 16. in Bithyniam ire voluit, ſed non permiſit vel ventus vel ſpiritus. Et Martyres in carceribus impios dicemus, niſi opera omittere potuerunt impoſſibilitate vrgente.

Acto. 12.
Rom. 1.
Actor. 16.

Coronat Deus intus voluntatem.

SEd hic dices: *Coronat Deus intus voluntatem, vbi non inuenit foris facultatem. Ideo deuotarius ille S. Iacobi implet votum ſuum voluntate, vbi non poteſt facultate, ſic & Sancti implent mandata Dei.* Hic reſpondeo: Aut hoc non facit ſatis, aut firmat meum propoſitum. Non facit ſatis, quia tam votum quam præceptum ſpectat non ſolam voluntatem ſed & opus. Opus ipſum peregrinationis vouit, nō voluntatem. Quid enim eſſet vouere, voueo tibi voluntatē peregrinandi ad S. Iacobum? Ita præceptum Dei ad opus cogit. Quid enim eſt, præcipio tibi vt velis facere? Quare hic demonſtratiue concludo, vota ſemper excipere impoſſibilitatem, ſicut & externa opera mandatorum Dei. Quare & cœlibatus, ſi eſt impoſſibilis poſt votum, in voto non eſt comprehenſus, ſaltē opere externo. Nec habes quod hic opponas. Si autē ſatis eſt voluntas vbi deeſt facultas, habeo propoſitum, quia de eo ſolo diſputo, qui vellet votū cœlibatus implere, & per infirmitatem carnis non poteſt, vt qui ſæpius tentarit, & tamen nec ieiunijs nec vllis ſtudijs carnem premere poteſt, cogiturq; inuitus aliquando & victus flamma libidinis experiri fluxus immundos vel vigilans vel dormiens, alioqui vitæ inculpatæ.

In votis ſemper excipitur impoßibilitas.

An hic dices, vt aliqui ſolent ſtolidi & animarum prorſus incurij dicere: *Orandum eſſe Deum pro gratia, qui nemini negat?* Pulchre. Cur non etiam S. Petro conſuluiſti, vt oraret Deum, ne Herodes eum vinciret? Cur Paulus non orauit, ne prohiberetur venire ad Romanos? Cur Martyres non orabant ne carceribus impedirentur ab operibus charitatis? Et deuotarium illum S. Iacobi cur non doces, vt oret ne inops fiat, ne ægrotet, ne moriatur, ne capiatur? Scilicet iſte eſt modus ludendi in rebus tam ſerijs? Quod ſi Deus

nolit

nolit orari? aut ſi oretur, quid ſi nolit audire? Hac ratione docebis nos omnes cœlibatum vouere & poſtea orare, ne ſit impoſſibilis, ac per hoc illud ſtatu-
Gen.1 tum diuinum naturæ, *Creſcite & multiplicamini*, coges Deum mutato ſuo verbo, quo creauit omnia, reuocare. Stulta & puerilia ſunt iſta. Experientia ſua cuiq; eſt relicta, vt videat, an in ipſo præualeat Lex illa creſcendi & multiplicandi, vel potius priuilegium eiuſdem legis.

SEd iterum dices: Non eſt ſimile de Sanctorum impoſsibilitate & cœlibis impoſſibilitate. Sanctorum enim voluntas eſt efficax & plena, prodiretq; in opus, nec obſtaret vllum intrinſecum impedimentum, quod in eorum ſit poteſtate, Obſtat vero impedimentum extrinſecum, quod non eſt in eorum poteſtate, ſcilicet tyrannis. At cœlibis voluntas non eſt plena neq; efficax, neq; extrinſeco impeditur impedimento, ſed intrinſeco, ſcilicet carne ſua, & ſeipſo, qui eſt vtiq; in ſua poteſtate. Si .n. eſſet plena, impoſſibile eſſet, vt non impleret cœlibatum. Ideo caſus tuus non eſt dabilis, quod ſit cœlebs voluntate, & non poſſit eſſe in facultate. Reſpondeo: Eſt ſane caro noſtra, in po- *Quatenus ſit in poteſtate caro noſtra.*
teſtate noſtra, vt ei oculos effodiamus, manus, pedes, linguã præcidamus, vel laqueo ſtrangulemus, vel aqua ſuffocemus. Quo modo & tyrannus, ſi nobis infirmior eſſet, in noſtra poteſtate eſſet. Quid hæc ad ea, quæ hic quærimus & tractamus? Nunquid ideo caſtus eris, ſi oculos effoderis tibi? Cæterũ quod ad cœlibatũ pertinet, quis ignorat tyrannum illum domeſticum & intrinſecum in membris noſtris, non magis eſſe in poteſtate noſtra, quam eſt mala voluntas externi tyranni? Quin blandis verbis externum tyrannum mitigare potes, & in tuam ſententiam trahere, Hunc domeſticum nullis ſtudijs, nedum verbis, potes domare.

Rom. 7. Quid ad Paulum dices Rom. 7. Non erat eius voluntas plena & efficax, quando dicebat: *Quod volo bonum, non facio, quod nolo malum, hoc facio*, Cur ergo non facit, quod pleniſſime ſeſe velle confitetur? Vbi eſt ergo, quod
Gal. 5. dicebas intrinſecum impedimentum non obſtare, nec impoſſibile facere quod plena voluntas diſpoſuerit? *Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem Hæc ſibi inuicem aduerſantur, vt non ea, quæ vultis, faciatis.* Sic volo & mihi donari hunc cœlibem à voto abſolutum, ſi ex animo mallet cœlebs quam coniunx viuere, Sed impoſſibile carnis cogit eum externo opere contrarium facere, & votum ſuum omittere, vt qui ſit morbo inſuperabili & tyranno indomabili impeditus. Nonne & deuotarius ille S. Iacobi morbo laborans, intrinſeco impedimento impeditur? At quanto eſt furentior morbus & ſæuior tyrannus membrorum, quam vllus morbus corporalis? Accipiet & hic Deus voluntatem, vbi non inuenit facultatem, dum adhuc in nullum eius præceptum peccatur, neq; voluntate neq; opere, voluntate autem & ipſum votum vltra præceptum impletur, ſolum opus eius externum omittitur, cogente impotentia inſuperabili.

A*T iterum obijcies, hac ratione viam facies, vt liceat & diuina mandata externo opere violare, modo voluntas nolit.* Igitur qui mallet caſtus viuere, excuſabitur, ſi ſcortetur, cum ſint mandata Dei impoſſibilia nobis, vt tu ipſe docuiſti ſæpius.

Reſpondeo: Huc debebas diſſimilitudinem afferre, quam ſupra moliebaris inter Sanctos impeditos & cœlibem ſuccumbentem. Quanquam .n. verum eſt, Mandata Dei impoſſibilia eſſe nobis, tamen hoc non eſt verum, velle aliquem caſte viuere & ſcortari. Cui enim voluntas eſt ad legem Dei, huic Lex non modo poſſibilis, ſed facilis facta eſt, Quod ſi continere non poteſt, non vrget eum hoc impoſſibile, contra Legem Dei facere & ſcortari.

Voluntas mandata Dei reddit poſſibilia, vota non item.

Non enim ideo ſcortatur,quia non poſſit aliter facere,Eſt in medio matrimonium,ducat vxorem,& facilis erit ei Lex caſtitatis.Non ſic cœlebs meus, qui quantumlibet pleno animo vellet continere,& legi Dei per omnia ſatisfacere,ducta vxore contentus, mallet etiam vxore carere & cœlebs degere,Tamen ſui ſexus naturam ſuperare non poteſt, vt naturaliter ſocio ſexu carere poſſit,& ſcortabitur ideo,quia non poteſt aliter facere.Non ergo ſimile eſt de mandatis & voto,Eſt enim voluntas,quæ mandata Dei reddit poſſibilia,quæ non ſatis eſt,vt votum fiat poſſibile. Quod ſi mandata Dei ſeruet,& votum ſeruare non poſſit,cedere debet votum,vt mandata maneant,ne forte ſimul & votum & mandatum ſcortando præuaricetur.

Forma voti apud Deum.

Reliquum ergo eſt cœlibi,ſi impoſſibilis ſit ei cœlibatus, ius nubendi & votum ſoluendi,Quanquam fatear,vbi ſuperabundans eſt ſpiritus, qui operetur voluntatem plenam continendi,ibi & ſequi neceſſario continentiam, vt in Sanctis factum eſſe certi ſumus.Sed eam voluntatem optare magis quam præſtare poſſunt cœlibes reliqui,quanquam nihil optant ad mandata Dei ſeruanda præuaricatores,ſicut S.Paulus Rom.7.optabat,quod non poterat totus velle.Imo præuaricatores ex animo nolunt Legem Dei,cum voluntas impia non poſſit non odiſſe Legem,ſimulat potius voluntatem & opera,de quo alias dictum,& nunc extra inſtitutum noſtrum eſt. Videtur ergo forma voti apud Deum ſic habere: *Voueo caſtitatem quamdiu poſſibilis fuerit,Si autem ſeruare nequiero,vt liceat nubere.*

Auguſtini Regula

SEd age,cui non facit fidem hæc diſputatio de impoſsibili, cogamus cum ipſa experientia,& ius ex facto probemus. Ecce ego voui totam Auguſtini regulam,in qua ille præcipit,vt quocunq; iero,ſecundus vel tertius eam,hoc eſt,ne ſolus eam. Hoc voui,vſq; ad mortem ſeruare,vt expreſſe habet forma voti.Interim ego capior & ſolus eſſe cogor,vbi,quæſo,manet meum votum?occidi potius debeo,quam ſolus eſſe,ſi votum non excipit impoſſibile At ſi tenear,ne poſſim occidi,quid faciam?Hic votum ſoluitur aut prius inuoluiſſe cognoſcitur exceptam impoſſibilitatem.Sic in eadem Regula voueo ſtatutis horis orare,veſtibus,cibis,locis vti.At vbi ægrotauero, vt nihil horum poſſim,votum non tenetur. Non autem me excuſabit ægritudo quia mandatum Dei oportet ſeruari per vitam,per mortem,per omnia. At mandatum Dei eſt:Vouete & reddite.Sic & de omnibus alijs Regulæ ſtatutis poſſum exempla afferre. Sicut igitur ſuperius de deuotario S. Iacobi dixi,Si impoſſibilitas in omnibus alijs ſtatutis neceſſario excipitur,quæ eſt ratio, vt in ſola caſtitate non ſit excepta?vbi & plura pericula & maxima neceſſitas vrget, vt ſi in vlla parte Regulæ impoſſibilitas locum habere debet,merito præ cæteris in caſtitate locum habebit,ſi in caſtitate locum non habet multo minus in cæteris locum habere debebit. Quantum eſt,quæſo, periculum,ſi captiuum cogas,vt ſocium habeat,aut infirmum vt oret? imo nullum hic periculum eſt,cum fieri non poſſit quod cogis, At ſi incontinentem cogas ad continentiam,quantas immundicias?quantas fornicationes?quanta adulteria? & quid non malorum prouocabis?

In Regula opus non voluntas præſcribitur.

Nec valet hic,ſicut & ſupra dixi,Quod voluntatem ſufficere captiuo & infirmo dicas.Tunc enim nihil differret vouens à non vouente, Quis enim laicorum non poſſit velle ſocium habere,& iuxta formam Regulæ orare? Non ſic nugandum eſt in rebus ad conſcientiam & ſalutem attinentibus,Solide & dextre decernendum eſt.Certum eſt in Regula,opus non voluntatem præſcribi & voueri.Ita certum eſt,votum ab infirmo & captiuo ſolui neceſſario,quod non licebit,ſi votum excludit impoſſibile. Stat ſententia:

Vouete

Vouete & reddite. Non præteribit apex aut iota ab iſta lege, niſi omnia fiant. Aut ergo votum vſq; ad impoſſibile ſolum ligat, aut nullos vnquam fuiſſe monachos concedes, Nullus enim fuit, qui non aliquando infirmus, aut alia cauſa fuerit impeditus, in aliquam partem ſuæ Regulæ, id quod omnino contra votum tuum eſt.

De diſpenſationibus.

AMplius, quia pertinaciter obijcitur illa volūtas voti, quæ perſeueret ſub impoſſibili externi operis, deponamus & ipſam. Concors eſt ſententia, quam & Bernardus probat lib. de præc. & diſpen. Omnes partes regularum eſſe in manu Maioris, qui diſpenſare in ijs poſſit cum ſubditis ſuis, non modo ſi impoſſibile aut periculum occurrat, ſed etiam ſi congruum & commodum videatur. Aliquando vero & mero arbitrio præſidentis, tenent & non tenent hæ partes regularum. Tum Papæ tribuunt conſtanter plenam in ijs omnibus autoritatem tollendi, mutandi, diſpenſandi. Verum quidquid illa ſedes Satanæ facit, ſuſpectum eſt, nolo autoritatem eius mihi in re conſcientiarum patrocinari; maneamus in geſtis Sanctorum, & vulgato receptoq; ab omnibus vſu. In his igitur diſpenſationibus certum eſt & voluntatem ſeruandi voti poni, & libertatem ſoluendi concedi. Non enim cogitur inuitus facere, qui ſecundum diſpenſationem facit, nec cogitat nedum mallet contrarium facere. Reſponde igitur, Si iſta diſpenſatio eſt licita, concludam ego cum fiducia, Tenorem voti monaſtici eſſe hunc: Voueo hanc regulam ſeruare ad arbitrium præſidentis. Si non eſt vero talis eius tenor, iterum definio, omnes monachos, omnia monaſteria eſſe damnata, neq; vllum adhuc inuentum fuiſſe monachū. Nullus. n. aliter vnquam ſenſit ac tenuit, quam iam dictum eſt.

Tenor voti monaſtici.

Si autem in cæteris partibus in manu præſidentis eſt, non ſolum opus, ſed & voluntatem, id eſt, totum votum ſuo ſubdito ſoluere, & liberum facere etiam vbi nullum impoſſibile aut periculum exigit. Tu dic, ſi potes, cur non poſſit, imo non debeat laboranti libidinum procellis & periculis maximis Fratri ſuo, & in hac parte, vbi caſtitas vouetur eadem autoritate copiam facere nubendi, & libertatem ſaltem operis externi, ſi omnino voluntatem nollet, impartiri? Cur ſolum caſtitatis votum adamantinum eſt, cum cætera omnia ſtupea ſint & ſtipulacea? Nōne & iniquitatis & crudelitatis extremæ arguetur iuſtiſſime monaſtica, & hoc ipſo plane ſuſpecta, tanquam Satanæ ſcena ſit, habebitur, quod in rebus nihili tam clemens, in rebus grauiſſimis tam ſeuera eſt? Quid n. huic peruerſitati dicetur niſi illud Euangelij: *Colantes culicem, & glutientes camelum?* Et iterum: Decimantes rutam & mentam, & grauiora Legis omittentes. Aut illud: Imponunt in humeros hominum onera grauia & importabilia. Quid enim aliud hic iudicabit communis ſenſus, quam ſpirante nequitia Satanæ fieri, vt ſola caſtitas ſit indiſpenſabilis, quo animas irretiat laqueo indiſſolubili, & cætera ſint diſpenſabilia, quo fictam eorum illudat religionem?

Matth. 23.

QVid hic igitur reſpondebunt monaſtici? Aut nulla pars votorum diſpenſari poteſt, aut omnes diſpenſari poſſunt, quia nulla eſt ratio in vna parte maior, quam in cæteris, niſi quod in caſtitate plures cauſæ vrgent & exigunt diſpenſationem, vbi & pertinacius eam denegant & recuſant quā in alijs. Et hic paululum morare, Lector, & tecum cogita, vt iniquitatem & crudelitatem hanc diſpenſandi taceam, quā incerta & periculoſa ſint omnia huius miſeri inſtituti. Si diſpenſandi iſte mos errat & Deo diſplicet, quis audeat intrare vel manere in religione? Quis n. ibi maneat aut hoc vitæ genus voueat & teneat, in quo vouetur id, quod non ſeruandum eſſe, & verbo & exemplo proprio docent? Nonne hoc eſt Deū ceu fatuum aliquē irridere? An autem non erret mos iſte, quis nos certos faciet? præſertim cum dicat

Deus: Vouete & reddite? cum ſupra dictum eſt, neque Sanctorum neque *Pſal.76.* multitudinis exemplo nos eſſe tutos poſſe, cum peccare & falli potuerint omnes, & hic certus apertusque ſermo Dei dicat: Vouete & reddite.

Si autem incertum eſt morem hunc erroneum eſſe, Iterum dico, quis audeat intrare vel manere in religione? & omnia quæ ad errorem intuli, hic etiã inferam, Paris enim impietatis eſt, & id ſequi, quod manifeſto errorem eſſe ſcias, & id pro veritate amplecti, quod neſcias error an veritas ſit. O vere tempora pericuIoſa, de quibus Paulus prædixit. Nunc vero cum votum & inſtitutum ſuum in hoc verbum Dei: Vouete & reddite, fundent, Ego pronuntio, *2.Tim.5.* morem iſtum diſpenſandi eſſe impium, & perditionis & operationis errorem. Vel eo tandem cogam, vt vota omnia prohibita & libera eſſe euincam, Quod vt plenius & copioſius faciam, videamus primũ cauſas leuiſſimas ſuæ diſpenſationis in alijs partibus Regulæ & rigoris crudelis in retinendo caſtitatis voto.

De cauſis diſpenſandi. CAuſantur itaque caſtitatem rem eſſe incomparabilis precij, cui nulla poſſit inueniri par commutatio. Huc illud Sapientis afferunt: *Non eſt digna ponderatio continentis animæ.* His addunt ampullas illas laudatæ virginitatis, quarum hæc eſt ex Hieronymo cæteris inſignior: *Audacter dico, Deus cum poſſit omnia, tamen virginem non poteſt ſuſcitare poſt ruinam. Cætera vero, cum ſint minora, poſſunt diſpenſari & commutari.* O cæcitatem bis cæcam, quæ in re Chriſtiana & diuina iudicat de præceptis ſecundum opera, & de fide ſecundũ perſonas, quod nec Gentes faciunt in rebus ſuis humanis, *Hieronymi dictum.* Deinde verbum hominis pro articulo ſummo fidei arripiunt. Hieronymus dicit, ſeſe audacter dicturum, non poſſe Deum ſuſcitare virginem poſt ruinam, Quid ad me, quod tu audacter dicis? Non quam audacter, ſed quam vere dicas, conſiderandum mihi eſt. Neq; enim in audaciam tuam, ſed in veritatem Dei credo. Vnde probas, non poſſe ſuſcitari virginem poſt ruinam, etiam à Deo. Scilicet hac ampulla rudis Lector diſcit nihil precioſius æſtimare virginitate, hoc eſt, opus præferre fidei, Poteſt ſuſcitare corruptam virginitatem fidei in ſpiritu, & non poteſt ſuſcitare corruptam carne?

Quam vellem hanc virginitatis laudem, præſertim à tanto viro, non fuiſſe vnquam proditam, vehementer enim inflat operis opinionem & gloriam. Neque eſt vera, quam & Hugo de S. Victore confutauit iam antea, Poteſt enim Deus & carnem reddere integram, imo ſuſcitare mortuam & de nouo totam immutare, quæ nunquam cognoſcat virum, Sumus enim eius lutum, ipſe Fictor noſter. Si autem intelligit, ideo non poſſe ſuſcitari, quia non poteſt *Virginitatis laus inflat.* facere, vt corrupta corrupta non ſit, hoc eſt, factum non poteſt facere infectum, Eadem audacia licebit dicere, nullam virtutem, nullam gratiam ſemel corruptam ſuſcitari poſſe à Deo.

SEd ad rem reuertamur, & nouam impietatem huius monaſtici inſtituti videamus, vt inueniatur iniquitas eius ad odium. Votum aſſerunt omnino iam præceptũ Dei eſſe, dicente Scriptura: Vouete & reddite, Rationẽ vero implendi non eſſe petendam ab ipſa præcepti forma, ſed à magnitudine, paruitate, precio & vilitate operum vel rerum præceptarum. Sic virginitatem deuotam reddes, quia res magna eſt, cætera opera Regulæ non eſt neceſſe reddere, ſed diſpenſari poſſunt, quia res paruæ ſunt. Hoc autem quid eſt aliud dicere, quam caſtitatem reddo, non quia præcepto voti exigitur, ſed quia magna eſt? Et hoc, quid eſt, niſi dicere, præceptum voti non in arbitrio Dei, ſed meo ipſius eſt, quatenus præceptum & non præceptum, quatenus impleri & non impleri oporteat? Et in has amaritudines, irritationes, tentationes, il- *Saul.* luſiones maieſtatis putas Deum non iraſci? Saulem illi egregie referunt, qui

Domini

Domini obedientiam ſibijpſis arrogant interpretandam, reſeruatis pinguibus bobus ad ſacrificium Dei. Hi ſunt qui iactant, meliorem eſſe obedientiam, quam victimam, iactant verbo præceptum voti, & negant opere.

Sic mulierem videbis ad concupiſcendum, & negabis peccatum eſſe, quia res parua eſt, ad opus comparata. Rapies proximo pallium, & dices:
Matth. 5. Non eſt prohibitum, quia res parua eſt. Dicens Fratri ſuo, Racha, non peccas, quia non occidiſti fratrem. Et hanc regulam monaſticæ Theologiæ duces per omnia Dei præcepta, In rebus & operibus magnis docebis ea eſſe ſeruanda, in paruis poſſe diſpenſari & tolli. Deinde vt nihil reliquum facias Deo *Sibi ſumunt minora Legis.*
autoritatis, in arbitrium tuum voca ius decernendi, quæ parua & quæ magna ſunt, ſicut hic monaſtici, autoritate propria, caſtitatem præferũt cæteris omnibus operibus. En tibi monaſticam pietatem, hoc eſt, furioſiſſimam & ſacrilegam & blaſphemam impietatem. Didicerunt hanc inſaniam à ſuo rege & capite Papa, qui in omnibus votis ſibi ius diſpenſandi arrogat, exceptis votis caſtitatis, viſitationis Ieruſalem & S. Iacobi. At cuius ſententiam iſte erit ſenſus præcepti diuini: Vouete & reddite caſtitatem, viſitationem Ieruſalem & S. Iacobi, In alijs vero vouete & non reddite. Quare hoc? quia illa tria ſunt magna, cætera ſunt parua. Ita & monaſtici, vouete & reddite caſtitatem de regula, reliquum autem regulæ vouete & non reddite. O inſanias nouiſſimis
Matth. 5. iræ diebus digniſſimas, Chriſtus dicit Matth. 5. *Qui ſoluerit vnum de mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines, minimus vocabitur in regno cælorum,* Et iterum: Non præteribit iota vnum aut apex vnus de Lege, donec omnia fiant. At Papa & monaſtici tollunt non iota aut apicem ſolum, ſed integra verba & totum præceptum dicentes: In magnis ſeruate, in paruis nos ſoluimus. Sed nos execrantes & deteſtantes abominationes iſtas abominandas, ſic ſapiamus.

PRimum nihil inter opera diſcernamus, Æqualia ſunt apud *Opera quomodo æqualia.*
Deum, quæ magna & parua ſunt apud nos & inter ſeſe. Ad menſuram fidei dicit Paulus Rom. 12 omnia donari, Ille enim probatur, non qui plura *Caſtitas Abrahæ.*
& maiora fecerit, ſed qui maiore fide & charitate fecerit. Caſtitas coniugalis Abrahę & Saræ multorum virginitati præferetur. Et Petri Apoſtoli coniugi- *Coniugium Petri.*
um abſq; dubio S. Agathæ virginitate ſuperior erit. Ad fidem, inquam, omnia exigenda ſunt, Non enim qui operatus fuerit, ſed qui crediderit, ſaluus erit. Gentium eſt ſecundum opera iudicare, imo & ipſę ſecundum animum de operibus iudicant, Chriſtianorum eſt ſecundum fidem iudicare. Deinde in faciendis mandatis prorſus nihil ſpectandum eſt, præter formam præcepti & voluntatem præcipiendis, Non curando, an parua, magna, vilia, precioſa, multa, modica, breuia, longa, aut cuiuſcunq; formæ & nominis ſunt opera. Non enim opus, ſed obedientiam exigit in opere, ſeu vt Scriptura dicit, Obedientiam, aut victimam, bonorum noſtrorum non indiget. Sic Samuel ad Saulem: *Nunquid holocauſta vult Dominus, & non magis vt obediatur voci eius.* Nunc monaſticos conueniamus, Non poſſunt negare, quin vouerant totam ſuam Regulam, non ſolam caſtitatem, quod & tota Regula ſub verbo, vouete, comprehenditur. Quare neceſſe eſt, vt & tota ſub verbo, reddite, comprehendatur. Non enim dicit, Vouete totam & reddite par- *Partes votorum & Regulæ temere confictæ.*
tem, ſed, quodcunq; voueris, redde. Si itaq; votum ſuum agnoſcunt pro præcepto, coguntur confiteri, apud Deum exigi obedientiam totius Regulæ vſque ad nouiſſimum apicem indiſpenſabiliter. Nihil hic iuuat laborioſa partitio, qua quidam conati ſunt ſeipſos ſolari, & Regulas ſuas in præcepta, conſilia, interpretationes, partiri. Stat vox diuina: Vouete & reddite, quæ ſi in hora mortis cœperit conſcientiam pulſare, nihil proderunt

ſtipulæ iſtæ humanarum inuentionum. Pauebit enim ad vocem Dei, vt voces hominum non ſentiat.

Stulta & impoſſibilia ſunt vota monaſtica.

QVid hic facient monaſtici? hic tandem aperient oculos, & videbunt ſtulta & impoſſibilia eſſe ſua vota. Et quem non pœnitebit eſſe monaſticum? Et quis inter eos poterit ſaluus fieri? Neque enim vnũ vnquam fuiſſe monachum inuenies, qui totam ſuam Regulam opere impleuerit. Sed & ipſimet iamdudum hoc ſenſerunt & viderunt, vnde commenti ſunt & aliam præcepti diuini eluſionem. Tam infelix contritio & vaſtitas agitat miſerabiles homines in viis ſuis, poſtquam ſemel à via regia fidei aberrare cœperunt. Cum enim vidiſſent Regulas & ordines tot ſtatutis & præceptis illaqueatos voueri & nuſquam ſeruari, obſtupuerunt; ſi tot damnarentur, tanquam voti violatores, Simul intellexerunt, prorſus ſtultum & impoſſibile eſſe, ſi præſumantur omnia illa vota ſeruari. Cœperunt itaque rebus ſuis miſeri conſulere, & chaos illud votorum partiri in duo, *Quadam vocare ſubſtantialia, quadam accidentalia. Subſtantialia fecerunt tria, paupertatem, obedientiam, caſtitatem. Reliqua voluerunt eſſe accidentalia, itaq́ ſanxerunt, ſolum eos voti violatores eſſe, qui ſubſtantialia ſoluerent.* Hæc eſt vna omnium ſententia. Sed fruſtra. Humanum eſt commentum, prorſus inutile ad firmandam conſcientiam, imo vtile ad ſeducendam. Quis nos certos faciet hanc partitionem Deo placere? an ædificabitis meam conſcientiam ſuper veſtra ſomnia? Quid dicam Deo, vbi oppoſuerit præceptum ſuum: Vouete & reddite, & omnia (ſicuti ſunt) ſubſtantialia eſſe decreuerit? Dictum eſt enim, apud ipſum nihil valere operum differentiam, omnia ſunt ſubſtantialia, quia omnia ſunt ſub eodem præcepto æqualiter pacta, æqualiter vota. Nam & vota vos ipſi appellatis, accidentalia ille neſcit, Sed dicet: Sunt vota? ergo reddes, ſi autem reddes, ſubſtantialia ſunt. Ita quocunque ſeſe verterint, deprehendentur inter anguſtias, nec poterunt effugere, Verbum & præceptum Dei ſtat in ſeculum ſeculi, non patitur ſui eluſionem aut deprauationem. *Pſal. 76.*

Commentum de votis ſubſtantialibus & votis accidentalibus.

Igitur offendunt & impingunt hic mutuo duo illi aduerſarij, conſcientia & Lex. Eduxit & meus Moſes Iſraelitas ſuos de caſtris eorum in occurſum Dei. Quid reliquum eſt, niſi vt videant montem fumantem & terribilem, hoc eſt, iram de cœlo in terram, & à terra in cor cœli pertingentem? Quo ibunt à facie igneæ huius Legis? Ipſi diſpenſant in præceptis Dei, & opera eius partiuntur & ſubtrahunt. At præceptum exigit omnia. Si enim vouiſſes, aut muſcam occidere, aut ſtipulam leuare, indiſpenſabiliter votum reddere, & nõ quid vouiſſes, ſed quia vouiſſes, obedientiam exoluere deberes, præſertim ſi non pugnet votum aduerſus aliud mandatum Dei, quanto magis reddere debes, quidquid in Regula præſcriptum vouiſti? Vides itaque, Lector chariſſime, Inſtitutum monaſticum per ſeſe aliud non eſſe, quam Babylonem quandam errorum, ignorantiarum, inobedientiarum, perfidiarum, ſacrilegiorum, blaſphemiarum, & ſentinam nouiſſimarum impietatum & peccatorum. An dubitas hæc ita eſſe? Nonne vides? eos non ſolum non implere ſua vota, ſed etiam id docere, quo voueantur & non impleantur, & hoc vnum eos agere, vt vouendo non vouiſſe, & non implendo impleſſe videantur. Quis porcus aut aſinus ſic pateretur ſeſe illudi & ludificari, vt ipſi præſumunt Deum viuum & verum, his inſanijs ſuis illudere & ludificari?

Attendendum non quid, ſed quia voueris.

Tu nunc vide, an poſsit vllus in hac fornace Babylonis ſeruari, niſi virtute miraculi diuini, qua electi ſunt ſeruati, dum ſub votis & errauerunt

Digitized by Google

uerunt humanitet, & tamen puriſſimo Euangelio Dei in ſpiritu libertatis adhæſerunt.
Gen. 11. Sic impletum eſt iudicium Dei, quo confundere ſolet labium ædificantium turrim, vt ſibijpſis nomen faciant, dum faciunt & dicunt, quæ non conueniunt, quæ nec ipſimet intelligunt, pro ſenſu ſuo reprobo, appellantes vorum non votum, illicitum facientes licitum, præceptum non præceptum, impium pium, ſacrilegum ſactum, blaſphemum venerandum, & eiuſmodi alia multa. Hæc eſt illa nox, in qua Chriſtus illuditur, cæditur, conſpuitur, miniſtris pontificijs ei dicentibus: Propheti ſa nobis Chriſte, quis eſt qui te percuſſit? *Chriſtum conſpuũ.* Forte aliqui non credent hæc eſſe monſtra monaſtici inſtituti, quod ſint nimino horrenda, Quos ire ſino, & abundare ſuo ſenſu, neq; eis hoc ſcripto ſeruio, Illis ſolis ſeruio, qui animas ſuas ſaluas volunt, quibus arbitror latisfactum per prædicta, vt credant uera eſſe, quæ dico. Verum eſt enim mandatum Dei: Vouete & reddite, quod non fallet quenquam, niſi eum, qui nõ crediderit eſſe aut mandatum aut verum. Similiter verum eſt, quod irrefragabilis vſus & experientia monſtrant, Voueri ab eis, quæ non ſolum non reddunt, ſed docent quoque non reddi oportere. Neque enim mendacia certius cognoſcas, quam ſuo ipſius diſſidio & contradictione. Siquidem diuinitus ordinatum eſt, vt ſemper impietas ſeipſam confundat, & mendacia ſibijpſis nunquam conſtent, quin aduerſus ſeipſa ſemper teſtificentur. *Impietas ſeipſam confundit &c.*

Gen. 19. Quid igitur (inquis) faciam, vt ſaluer ab hac Zeor, in quam fugi, vt Sodomam effugerem? Quid facies? an adhuc diſputandum cenſes, vt ad montem libertatis matures curſum? poſtquã audieris tete vouiſſe hoc vitæ inſtitutum, quod non ſolum verbo Dei, Euangelio, fidei, libertati Chriſtianæ, præceptisq; Dei aduerſatur, ſed & ſibijpſi turpiſſime pugnat & diſſidet. Sine, regnum hoc deſoletur, vbi in ſeipſum diuiſum eſt, putas apud Deum exigi hoc votum, quod in rem tam abominandam, ipſo prohibente & inuito, voueris? Qui n. noluit te vouere, non volet etiam votum ſeruari, ſed quantocius omitti & aboleri. Sed cum ipſis monaſticis expoſtulo, & quæſtionem repeto. Dicant igitur, Cur diſpenſent in reliquis partibus voti, & in ſola caſtitate non diſpenſent? Aut cur doceant cætera omnia eſſe accidentalia, & ſolum iſta tria eſſe ſubſtantialia oporteat? Dicant, qua autoritate votum eſt præceptum in aliquibus & non in omnibus? Plane obſtructum eſt os loquentium iniqua & coactum concedere Si vna pars voti poteſt omitti aut diſpenſari, totum poſſe omitti & diſpenſari. Aut ſi totum omitti vel diſpenſari non poteſt, nulla eius pars omitti & diſpenſari poteſt. Proinde, ſi Præſidens indulgere poteſt Fratri, vt carnes edat, vinum bibat, orationem intermittat, veſtem ponat, contra quã Regula voti dictat, poteſt etiam indulgere, vt res habeat, liber eat, & vxorem ducat, maxime ſi opus illi fuerit. Sic, inquam, ego reſpondere illos cogo.

Non tamen hoc aſſertum volo, quia ipſi ſic reſpondent vel reſpondere coguntur, quos propter monſtra ſuæ impietatis nullius fidei & autoritatis eſſe oportet. Quid enim ſi errent & reſpondendo, qui nihil niſi error ſunt vouendo & viuendo? Firmiore & tutiore autoritate conſcientiæ muniendæ ſunt, nempe diuina & ea ſola. Petrus enim dicit: *Si quis loquitur, quaſi ſermones Dei loqui debeat*, hoc eſt, vt certus ſit, eſſe verbum Dei, quod loquitur. *Sola diuina autoritate muniendæ conſcientiæ.*
1. Pet. 4. Quod & Paulus Timotheo commendat, dicens: *Permane in his, quæ didiciſti, ſciens à quo didiceris.* Non autem didicerat niſi verbum Dei, Ideo in ſolo verbo Dei permanendum eſt Hoc ſolum nunc ago, vt eos contra communem ſenſum & contra ſeipſos inſanire demonſtrem, & concludam, per autoritatem ipſorummet, Impoſſibilẽ caſtitatem eſſe liberam, & votum eius eſſe conditionale & temporale ex natura ſua, Cum hoc conceſſiſſe eos probarim in alijs

voti par-

voti partibus, nec ſupereſſe rationem, cur non in omnibus fieri debeat, quando & cauſæ vehementiores vrgent, pro libertate caſtitatis, quam pro vlla parte, quam ipſi liberant. Mera ergo arbitrij ſui libido eſt, alia ſubſtantialia, alia accidentalia facere, & cæteris liberis, ſolam caſtitatem indiſpenſabiliter ligare, in perniciem & laqueum animarum.

Vnde certæ reddantur conſcientiæ, vota monaſtica impia eſſe.

CÆterum conſcientiæ noſtræ muniantur eo, quod euidentibus certiſq; Scripturæ teſtimonijs probauimus, Votum monaſticum ex natura ſua aduerſari verbis Dei, Euangelio, fidei, libertati Chriſtianæ, præceptis diuinis, vt communem ſenſum & ipſiuſmet contradictionem taceam. Ex natura ſua dico, quod non negem, Sanctos viros hac peruerſitate feliciter vſos & miraculo diuino ſeruatos, Sicut mortem, crucem, mala mundi, natura ſua aduerſus fidem pugnare dico, quibus tamen Chriſtus & ſui bene vſi, glorificati ſunt. At nemo vouet exemplum Sanctorum, qui malo bene ſunt vſi, ſed ipſum malum vouent omnes. Neq; enim vllus vouet, eo ſpiritu ſe victurum, quo vixit Bernardus. Hoc enim neceſſarium eſt, nec ſub votum cadere poteſt, & ab initio & votum & ceptum eſt in baptiſmo. Sed legem factorum ſeu opera Legis, iuſticias carnis, eaſq; non niſi humanitus inuentas & ſtatutas vouent, quas Deus in nouo Teſtamento prohibuit, vt probauimus, quæ & natura ſua ad interitum perducunt ſpecie & ratione ſapientiæ ſuæ.

Infirma exempla Sanctorum.

Proinde, quanquam Sanctos videam in eadem ſententia fuiſſe, vt vota partirentur in ſubſtantialia & accidentalia, tum ipſimet & diſpenſauerint & diſpenſationem acceperint in multis partibus Regularum, tamen quia incertū eſt, an hoc fecerint Deo approbante corū facta, vel ignoſcente eorum errori, non ſatis tutum nec fidele patrocinium eſt pro conſcientijs, ex eorum exemplo aut facto quidquam aſſerere. Obſtat enim, ne hoc vllus audeat, qui prædixit, etiam Electos in errorem ducendos eſſe. Alioqui ſi factum eorum Deo probatum argueret eorum ſanctitas plane demonſtratum haberemus, & ipſis factis Sanctorum (hoc eſt, operibus Dei teſtificantibus) vota omnia eſſe libera, vouendiq; formam eſſe apud Deum non aliam quam iſtam: Voueo Regulam temporaliter ad arbitrium præſidentis. Et monaſteria ad priſcum ritum Deo nihil aliud haberi, quam Chriſtianas ſcholas pro ætate iuuenili & ardente inſtituenda in fide & pia diſciplina, vſq; ad annos maturioris ætatis. Nunc, cum autoritas ſanctitatis exemplum non ſatis firmet, alia autoritate roborandum eſt, ſcilicet diuina. Sanctorum enim factum ideo placuit Deo, quia inſtitutum monaſtici voti diſplicuit, Ideo & paſſus eſt & voluit Sanctos ſuos aduerſus ipſum diſpenſare & agere, Pro fideli admonitione omnium, ne fallaci ſpecie deuoti huius inſtituti abducerentur à regia via Euangelij. Neq; enim Bernardus peccauit, neq; votum ſuum per omnia ſeruauit, quando in cauſis papalibus, relicto monaſterio, perambulabat terras, Quod Deus voluit, ne inſtitutum votorum apud ſeſe ratum habere crederetur. Non aliter atq; Chriſtus permiſit diſcipulos illotis manibus manducare, aduerſus traditiones Seniorum. Summa, Exempla & facta Sanctorum ex verbis Dei metimur, aduerſus quæ ſatis probatum eſt, vt pugnent vota monaſtica, Illi metiuntur verba Dei ex factis & dictis Sanctorum, quoties optime metiuntur, adhuc tamen nolunt erraſſe videri.

Monaſteria Scholæ fuerunt.

VLTIMO.

Vltimum

Ex ſ. Bo probat & ſubſtantialia vota eſſe libera.

VLtimum in eos impetum faciamus, & fingamus lu-ctandi gratia, Eſſe tria illa vota ſubſtantialia, vota apud Deum rata & indiſpenſabilia. Quid ſi probauero, Duo ex eis eſſe libera, etiam apud vos ipſos, Nonne dabitis & tertium liberum eſſe debere? ſcilicet caſtitatis? Tentemus itaque aliquid, quanquam & ſtatim à principio nonnihil de eis dixerimus. Primo paupertatem videamus, quæ duplex eſt, Spiritualis, de qua Matth. 5. Chriſtus, *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* Hæc voueri non poteſt, cum ſit communis, omnibus Chriſtianis, ea eſt, ſpiritu libero in rebus verſari, eis vti & dominari, non ſeruire, non apponere cor, non confidere & gloriari in diuitijs, & non eſſe viros diuitiarum. Verum monaſtici hic non ſimpliciter peccant, Primo, quod conſilium ex ea faciunt, Deinde, quod ſibi eam ſolis arrogant & voueri à ſe iactant. Non eſſe autem conſilium id probat, quod Chriſtus beatos appellat, vtique volens damnatos, qui non ſint pauperes. Nam beatitudinem ſolet ijs, qui neceſſaria ſeruant, tribuere, vt dum mulierem caſtigans dixit: *Quin beati qui audiunt verbum Dei & cuſtodiunt illud.* Et: *Beatus es Simon Bar Iona.* Et: *Beati eſtis, ſi feceritis ea.* Item: *quod ipſorum eſt regnum cœlorum.* Vtique ſeruitutem inferni volens repoſitam eſſe eſſe ijs, qui non ſunt pauperes.

Duplex paupertas.

Math. 5.

Spiritualis paupertas communis omnibus Chriſtianis.

Monaſtici paupertatem vouentes dupliciter peccant.

Dum ergo hanc vouent monaſtici, dupliciter peccant. Primò impia opinione accedunt, credentes conſilium eſſe quod præceptum eſt, ac per hoc inter vouendum ſoluunt præceptum diuinum, negantes ipſum eſſe præceptum. Secundo, quod ſimulant ſeſe vouere aliud, quam in baptiſmo vouerunt, qua hypocriſi reuocant aut contemnunt votum baptiſmi, vt quod parum aut nihil ſit, huic voto comparatum. At hoc eſt blaſphemare baptiſmum, qui eſt omnia in omnibus Chriſtianis. Si ergo votum non debet eſſe impium, ſacrilegum & blaſphemum coram Deo, oportet vt hanc paupertatem non voueant. Altera eſt corporalis, ea eſſe poteſt triplex, liceat ita nugari cum nugacibus. Vel quod nulla re vtaris, quæ eſt impoſſibilis, oportet enim victu & amictu vtentes vitam hanc conſeruare. Vel quod nullas res adminiſtres aut cures. Hæc eſt infantium, puerorum, infirmorum, fatuorum, & ſimilium, qui ſub iugo aut manu alterius ſunt. Vel quod nihil proprij poſſideas, adminiſtres autem communia. Et has duas voueri neceſſe eſt, ſi paupertas vouetur à monaſticis, & præſertim ſecundam. Cæterum, paupertas corporalis propriè eſt penuria in victu & amictu, quæ alienis indiget ſubſidijs, non potens ſe propriis iuuare.

Votum baptiſmi.

Paupertas corporalis.

Actor. 2. 4.

TV nunc vide ludicra iſta Satanæ. Lucas in Actis laudat Apoſtolorum factum, q communia habuerint, & per hoc abundauerint, nō appellans paupertatē aut pauperes, Imo (inquit) non erat quiſquā egens inter illos. Prorſus nec eſt nec dici debet paupertas, vbi ſodales aliqui ſua in cōmune conferunt & de communi viuunt, ſed omnium pleniſſima abundātia. Hæc enim erat gloria primitiuæ Eccleſiæ, referente Luca, quod cum ſpirituali & euangelica paupertate omnes pollerent, tamē temporalibus abundabant, pro cuiuſq; neceſſitate Poſtea vero conſumptis ſubſtantijs & præualente fame, cœperunt egere & in temporalibus, tunc & corpore pauperes facti ſunt, Ita vt Paulus & Barnabas vbiq; pro eis colligerent collationes fidelium. At hanc paupertatem non inſtituerunt Apoſtoli, quando communia habebant omnia, ſed eam paſſi ſunt, deficientibus communibus. Noſtri igitur Religioſi neq; ſpiritualem neq; corporalem vouent paupertatem, ſed communē illam abundantiam, qua eis abunde adminiſtratur, quam ſicut dixi, violenter

Gloria primitiuæ Eccleſiæ.

Monaſtici non vouent corporalem paupertatem.

potes

potes dicere puerorum & fatuorum paupertatem,cum nihil minus ſit quam paupertas.Neq; enim,vt egeant,ſed vt abundent,intrant religiones,commoti,quod in monaſterijs ſciunt promptuaria plena eructantia de genere in genus. Nam vbi paupertas regnat in monaſterijs, aut non illic intrant,aut intraſſe pœnitet.

Eſt ne igitur hæc inſignis illuſio Dei & hominum? prætendere votum paupertatis,& tamen eo ipſo quærere ſecuram & ociosam copiam ac ſaturitatem,aliena manu & partam & miniſtratam,vbi nihil minus eſt,quam egere aut pauperem eſſe. An ignorare nos volunt,quid ſit aut ſignificet paupertas? An & vocabulis ſuas ſignificationes euiſcerant? Omnium ſenſu,omnium vſu,

Paupertas corporalis.

omnium loquela, paupertas corporalis ſignificat penuriā & egeſtatem in victu & amictu. Quis vnquam audiuit paupertatem dici,nihil proprium poſſidere,& de communi abundare? O illuſores,& deceptores,qui fictis verbis in auaritia populos cauponamini,vt Petrus prædixit. 1.Pet.2. Igitur etiam in corporalem paupertatem mentiuntur vouentes monaſticen,vt & impij ſint in ſpiritualem,& mendaces in corporalem paupertatem. Et hoc fictitium & mendax votum tu arbitraberis eſſe gratū Deo? certe Sanctos oportet in hoc voto aliud ſpectaſſe. Natura voti eſt,ſicut diximus mendax,impia,ſacrilega & blaſphema.

Ex monaſterijs ſumpti ad Epiſcopatum.

SEd amplius finge,Hæc impia vota eſſe pia & grata,& appelletur hoc paupertas,quod abundantia ſecuriſſima eſt. Quid dicent de ijs, qui ex monaſterijs ſumpti ſunt in Papatum, Cardinalatum,Epiſcopatum,& alias Diœceſes rerū ,vbi certe in res proprias è voto ſunt tranſlati. Neq; hic dicere potes,niſi iterum fictis verbis ludere voles, Papam, Epiſcopos, Cardinales, & ſimiles,non poſſidere res proprias,cum eis pro libero arbitrio vtantur. Eſto, monachorum Præpoſiti curent res non proprias,at illi certe curant proprias, quanquam de Eccleſia acceptas,Vt nihil ſit,quod dicis,non ſuas ſed Eccleſiæ eſſe eas res,quod & ipſum fictis verbis dicitur. Dat enim eis Papa eas res,tanquam Dominus earum,imo Papa vtrarumq; rerum ſe dominum facit, & in

Anaſtaſius Bernardi diſcipulus.

eum locum etiam ſancti viri aliquando ſunt tranſlati,vt Anaſtaſius,Bernardi diſcipulus. Vbi manet hic votum paupertatis monaſticæ? Prorſus Epiſcopatus,Cardinalatus, Papatus ſtatum damnabis, aut negabis poſſe monaſticum virum illuc aſcendere. Hic dicunt, Eiuſmodi cedere obedientiæ & ingredi ſtatum perfectionis. Pulchre mentiris in caput tuum, Cur antea dicebas, mona-

Status perfectionis.

ſticen eſſe ſtatū perfectionis? Rogo,quot habes ſtatus perfectionis? Epiſcopus ſi poſita Inſula intret monaſterium (vt factum eſt aliquando) intrat ſtatum perfectionis de ſtatu imperfectionis. Rurſus monachus deſerto monaſterio factus Epiſcopus,intrat ſtatum perfectionis. Hic vides, vt ſtatus ſeſe mutuo perficiunt & imperficiunt,hoc eſt,vt mēdacia in ſeipſa irruunt,& mutuo mordēt atq; conſumunt Quid ſperas hos audaces & inſanos tandē dicturos,niſi forte & ſtatum perfectionis facient, ſi intraueris in lupanar de thoro coniugali? Proh Chriſte,nihil eſt in hoc ſacrilego vitę genere,niſi confuſiſſima mēdacia.

POrro,ſi propter obedientiam & ſtatum perfectionis ſoluitur votum paupertatis,cur non & votum caſtitatis? Vbi ſunt nunc vota illa ſubſtantialia? Eſt paupertas nunc accidentale votum? Sic agitari debent & circumferri ventis mendaciorum,qui relicta ſolida petra, ſibiipſis nouas vias, proprios ducatus , ſingulares paradiſos præſumpſerunt. *Dimiſi* (inquit) *eos ſecundum deſideria cordis eorum,ibunt in adinuentionibus ſuis.* Pſal.81. Et Petrus: *Venient in nouiſſimis diebus, in deceptione illuſores,ſecundum propria de-* 2.Pet.3.

Votum diuinum eſt præceptum.

ſideria ambulantes. Quid autem ad hoc dicent, votum nonne eſt diuinum præceptum? præſertim ſi ſit (vt dicitis) ſubſtantiale. At è præcepto diuino,

diuino,ne angelorum quidem,nedum Papæ aut vllius hominis autoritate tranſeundem eſt. Stat enim ſententia: *Obedire oportet Deo magis quam hominibus.* Alioqui eadem ratione licebit furari, occidere, mœchari, parentibus, rebellare, Breuiter, Deum cum præceptis ſuis negare, autoritate & obedientia humana. Si vnum præceptum licet tranſire, omnia licebit tranſire. Ex quibus conficitur, ut aut impoſſibile ſit, votum eiuſmodi eſſe diuinum præceptum, aut neceſſarium ſit, omnes eſſe voti reos & damnatos, qui è monachis facti ſunt Pontifices Non hic nugandum eſt & garriendum, quod maneant in paupertate Seria res agitur, quando de conſcientiarum re diſputatur, ſolide docere oportet. Scimus monachum & Papam nulla proportione conuenire, quod ad votum paupertatis attinet. Ille vouit in monaſterio pauper viuere, hoc tenetur implere tota vita, quia votum eſt præceptum Dei. Nec prodeſt, quod ſtatum perfectionis afferunt, non ſolum ob mendacium, ſupra dictum, quo ſibijpſis contradicunt, Sed etiam ob aliud mendacium, quod ſtatus perfectionis eſſe non poſſit extra & contra mandatum Dei, ſed potius damnabilis ſtatus eſt. Non enim vllum præceptum Dei pugnat perfectioni, imo perfectio ſolum conſiſtit in Dei præceptis. Ille enim perfectus eſt, qui omnia mandata Dei ſeruat. *Statum perfectionis eſſe non poteſt contra mandatum Dei.*

Quæ eſt ergo impudens iſta impudentia, aſſerere votum eſſe præceptum Dei & ſtatum perfectionis? Rurſus aſſerere ipſum eſſe ſoluendum, & ſtatum perfectionis relinquendum propter ſtatum perfectionis? vides, Lector, ut magnitudine & multitudine mendaciorum obruar, vt verbis ea non poſſim conſequi. Sylua, mare, arena mendaciorum eſt monaſtice iſta inclyta. Quam inſigne, quæſo, & hoc mendacium eſt, quod pontificatum appellant ſtatum perfectionis, quod ſolius fidei & charitatis eſt, cum ſit potius ſtatus Pompæ, luxus, opulentiæ, aut ad ſummum ſuperſtitionis & hypocriſis, ſi quando omnia in optime habent. Et propter hoc mendacium docent ſoluendum votum, quod volunt eſſe diuinum præceptum. Euanuit ergo nobis miſera & male ſubſtans ſubſtantia ſubſtantialis huius voti paupertatis monaſticæ. Inuentum eſt nec paupertatem eſſe dicendam, tum nec ab ipſis votum ſubſtantiale aut præceptum cenſeri, qui docent ſubſtantiale votum & præceptum eſſe. Cur ergo miſerabilis illa caſtitas, præ paupertate, tam rigidam habet ſubſtantiam in ſuo voto? Nonne concedetis, aut caſtitatem eſſe accidentalem, aut vos in paupertatis voto infinitis modis inſanire & perire iam docendo quam ſeruando?

Concludam ergo, Quando ad Epiſcopatum poteſt æqualiter & religioſus & laicus accedere, aut religionis votum nihil eſt, aut religioſus Epiſcopus damnatus eſt. Nam in eundem locum aſcendit, in quem is, qui nullis votis aſtrictus eſt, aſcendit, quod eſſet impoſſibile, ſi vota diſtinguerent religioſum à ſeculari. Neque enim Epiſcopus vota religionis vouet aut vouere tenetur, ſed nec vllus vouere vellet, tanquam rigidiora & perfectiora. Et vt in ſumma dicam, Votum paupertatis adhuc videtur à Satana in hoc effictum, vt religioſi prætextu eius liberi fiant, à iuuanda paupertate aliorum & ab impendendis operibus miſericordiæ & charitatis, quod & ſupra tetigimus. Tenet enim eos clauſos, vt nulli ſeruiant, Deinde ocioſos ab operibus manuum, vt tantum ſibi ſinant ab alijs ſeruiri, Et hac occaſione auertat vulgus à iuuandis vere pauperibus, coniugibus, viduis, orphanis, peregrinis, ad profundendam ſubſtantiam in hos ficte pauperes, vere autem opulentos, pingues, ocioſos & ſecuros hypocritas. *Votum paupertatis quo fine à Satana effictum.*

Videamus, an obedientiæ ſubſtantia melius ſubſiſtat quam paupertatis. *Obedientia duplex.*

Paupertas Euangelica, Corporalis.

Supra diximus & obedientiam eſſe duplicem, Euangelicam, qua omnes inuicem ſubijcimur, quam in baptiſmo vouimus, nec denuo, niſi ſimulando & illudendo voueri poteſt. Alia eſt corporalis, quæ quid ſit, ſi non aduerſaria prioris eſt, ignoro. Poteſt tamen dici, quod ſit vxorum, filiorum, ſeruorum & captiuorum, & omniũ qui neceſſitate aliqua ſubijciuntur alteri. Nam Euangelica eſt libera & ſpontanea erga eum, qui nullo iure nobis ſuperior eſt, niſi quod Deus ita voluit, vt ſubderemur ijs, quibus non debemus vllo iure. Peccant & hic eadem inſania monaſtici, qua & in paupertatem. Primo, quod conſilium eam faciunt, Deinde ſolis ſibi arrogant, Ideo dum eam vouent & impie negant mandatum Dei & ſacrilege damnant votum baptiſmi ſui, ſimulantes aliud & maius ſeſe vouere, quam in baptiſmo vouerant. Si vero aliqui pie vouent, certe non niſi corporalem vouent. At niſi ſpiritus in eis ſit, & tandem alijs quoque ſubdat, nihil vouetur, niſi contrarium Euangelicæ obedientiæ, ſicut & ſupra diximus. Profeſſor obedientiæ vouet obedientiam vni maiori, nec vniuerſaliter, ſed iuxta Regulam præſcriptam, quo facit, ne poſſit euangelicæ obedire. Siquidem prohibetur, tum æqualibus, tum inferioribus, tum alijs maioribus & omnibus alijs obedire, cedere & morem gerere, Euangelica enim etiam aduerſario iubet beneuolum eſſe & per omnia & ſemper cedere.

Monaſtici obedientiam vouentes dupliciter peccant.

Eſto, quod voluntas euangelicæ obedientiæ in eis maneat, quod non nego, ſicut & paupertatis euangelicæ voluntas manere poteſt, vt in ſanctis factum eſſe non dubito, Tamen ipſum inſtitutum, ipſa ratio profeſſionis pugnat cum Euangelio. Non enim (vt antea dixi) de exemplo & ſpiritu Sanctorum, quem oportet & coniuges habere, Sed de lege & ratione voti ego diſputo, quam non licet ſtatuere, neque docere, neque vouere, cum ſit Euangelio contraria. Non enim ſinit te votum omnibus ſubijci, Euangelium vero vult te omnibus ſubijci, quæ duo pugnant ex diametro, quantumlibet ſpiritus euangelicus in quibuſdam ſub contrarijs Euangelio votis manet.

Obedientia coniugis, liberorum, ſeruorum &c.

Multo ſanctior & perfectior eſt obedientia coniugis, filiorum, ſeruorum, captiuorum & ſimilium, quam monachorum, quanquam & ipſi corporalem non poſſint omnibus præſtare externa facultate, cum ſint alligati & alterius iuris. Et ſuperius diximus, libertatem euangelicam talem eſſe, quæ nulli aufert ſuum ius aut rem, tamen vltra voluntatem promtam omnibus ſeruiendi & obediendi obediunt ſuis Maioribus ſimpliciter & ſine præſcripta Regula in omnibus. Monachi vero ſuis tantum Maioribus, ijſque non ſimpliciter, ſed ad certam menſuram Regulæ præſcriptæ, vt Bernhardus docet, In qua te & à priſcis illis monachis & Eremitis longe lateque diſcrepant. Deinde in hanc anguſtam & fruſtillatam obedientiam, non caſu aut neceſſitate (quod in coniuge, filijs, ſeruis, captiuis, & ſimilibus contingit) ſed ſua ſponte veniunt, vt plane ſub cœlo non ſit vilior & parcior obedientia, & quæ Euangelio magis aduerſetur quam monaſticorum.

Monachorum obedientia.

Adhæc eſt & alia felicitas obedientiæ filialis, coniugalis, ſeruilis & ciuilis, quod longe abeſt ab impietate & ſacrilegio. Nemo enim ea obedientia arbitratur ſeſe obſequium ſingulare præ cæteris & vltra Euangelium præſtare Deo. Nemo eam conſilium vocat. At niſi hæc impia & ſacrilega opinio ſit in obedientia monaſtica, neque doceri neque voueri neque teneri poteſt. Singulares enim vltra Euangelium præ cæteris eſſe volunt monaſtici ſua obedientia, & ſoli eſſe ſponſæ & vxores maieſtatis diuinæ, facientes ex ea Baal, id eſt, maritum, qui ſit illorum proprius, & ipſi eius proprij, vna caro, vnus ſpiritus cum eo, Cæteros vero arbitrantur ceu ſeruos & Merce-

narios & concubinas in domo. Qua tamen opinione Sanctos non fuiſſe infectos, certum eſt, Spiritu enim humilitatis poſſeſſi nemini ſeſe prætulerunt, Ita vides, non minus obedientiam quam paupertatem monaſticam eſſe vocabula noua & efficta, vltra & præter vſum omnium linguarum. Cui figmento addunt & impietatem & ſacrilegium, Vocant enim obedientiam, quæ veriuſtam ſpiritualiter quã corporaliter eſt inobedientia ad Euangelium comparata, ſicut vocant paupertatem, quæ eſt verius abundantia. Deinde vouent fictam eandem obedientiam opinione impia, qua eam Euangelica & vera perfectiorem & maiorem æſtimant, in quo ſacrilege blaſphemant & baptiſmi & Euangelij obedientiam. Igitur melior & perfectior eſt obedientia filij, coniugis, ſerui captiui, quam monachi obedientia, etiam ea quando eſt optima, id eſt, ſine impietate & ſacrilegio qualis in Sanctis fuit. Vbi vero impia & ſacrilega eſt, non eſt comparanda ſtupris & homicidijs, nedum bonæ obedientiæ. *Obedientia, paupertas, monaſtica vocabula ficta.*

Proinde ego auſim pronunciare cum fiducia, Niſi Monaſtica obedientia voueatur & ſeruetur temporaliter tanquam rudimentum ad Chriſtianam & euangelicam obedientiam, vt iuuenilis ætas in ea exercitata diſcat ſic omnibus in omnibus cedere, ſicut per votum cedit ſuo Maiori in monaſterio in aliquibus, quemadmodum in Vitis Patrum quædam etiam probant exempla, eſſe plane impiam & mox deſerendam. Sic & puerorum paupertas eſt, ne res adminiſtrent, quo diſcant frugales eſſe, qui propter ætatem prodigi & diſſoluti fierent, ſi ſtatim in manu eorum res traderentur. Quæ eſt enim dementia vniuerſalem obedientiam vniuerſaliter præſtandam contemnere, vt particularem particulariter ſeruandam extollas? An monaſtica nos docebit melius eſſe, paucis pauca bona facere, quam multis multa bona facere? Igitur ſi ab imperfecto ad perfectum eundem eſt, ab obedientia monaſtica ad obedientiam parentum, dominorum, mariti, tyranorum, aduerſariorum, & omnium eundem eſt. Atque vt ipſi votum obedientiæ ferme maximum & ſummum in religionibus faciunt, ita nos contra videmus eſſe infimum & minimum, etiam tum, cum pium & rectum fuerit, hoc eſt, dum pro rudimento euangelicæ obedientiæ vouetur. Nam vbi pro perfectione vouetur, neque infimum neque minimum, ſed peruerſitas & ſacrilegium eſt. Ita fit, vt ſicut de paupertate diximus, nuſquam minus eſſe paupertatis, quam vbi iactatur, Ita nuſquam minus obedientiæ eſt, quam vbi iactatur, Et impletur hic verbum Pauli: Habentes ſpeciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes. Quare obedientia Monaſtica aut pro temporali rudimento habenda eſt, aut mox deſerenda, & redeundum vel ad legalem parentum & dominorum, vel ad euangelicam omnium obedientiam, nihil morando, ſi ſexcentis votis firmata eſſet, quod votum hoc aduerſus Euangelium ſit, & a Deo non poſſit probari nec exigi. *Monaſtica obedientia. Puerorũ paupertas. Obedientiæ votum infimum & minimum. 2. Tim. 3.*

HÆc dicta ſint de obedientia ſecundum veritatem, ſed nunc dicamus de eadem ſecundum mendacia monaſtica, vt videamus quam nullum mendacium ſit ſolum & ſimplex. Aiunt, Obedientiæ votum eſſe ſubſtantiale, & iam diuinum præceptum. Hic repeto ea, quæ ſuper voto paupertatis intuli, Quid dicent de Epiſcopis è monaſterijs aſſumptis? vbi manet eorum ſubſtantiale votum? Dicent & hic, *Eos migrare in perfectionis ſtatum, & cedere obedientiæ*. Reduco & ego quæ ſupra oppoſui, ſcilicet Epiſcopum nõ licere monachum fieri, nec ad ſtatum perfectionis eiuſmodi migrare,

atque etiam hic ſtatus perfectionis ſibi pugnare, inuicem ſibi perfectionem & imperfectionem tribuere & adimere. Ita ſuauiſſimi homines ſtatus perfectionis non ex fide & charitate, non denique ab ipſa externa hypocriſi operum ſuorũ, ſed ab arbitrio migrandi metiuntur. Si enim Epiſcopus fiat monachus, ad ſtatum perfectionis aſcendit. Quia ſic placitum eſt vocare ſtatum perfectionis. Rurſus Monachus fit Epiſcopus, & ad ſtatum perfectionis aſcendit. Quocunque migraris, ſi illorum calculum habueris, ad ſtatum perfectionis migraſti, Iam & ſecularis (vt vocant) perfectior eſt ſine votis, quam monaſticus, cum poſſit Epiſcopus fieri ſine votis, quo venire, non poteſt monachus, niſi vltra ſua vota aſcendat ad ſtatum perfectionis, Igitur vel pares ſunt vel inferiores ſecularibus monaſtici ſuo ſtatu, Stulta & puerilia ſunt hæc & tamen cogit ipſa rerum demonſtratio, hanc eorum ſententiam intelligi.

Illud ſerium eſt, Si votum eſt præceptum, nulli monacho licet fieri Epiſcopum, cuiuſcunq; obedientiæ prætextu, Cum præceptum Dei nulla autoritate liceat relinquere, Nec vllius quantumlibet magni boni intuitu mutare, Vult enim Deus, vt obediatur voci eius. Inſuper hoc in obedientiæ voto ſingulare eſt, quod egrediens ab obedientia monaſtica intrat ad obedientiam illam communem omnibus. Nam vt Epiſcopus Papæ, ita quilibet Chriſtianus obedire tenetur, vt ipſi docent, cum tamen ideo vouerit monaſticam, vt maiorem & perfectiorem, hac communi obedientiam impleret. Quum ergo cedit obedientiæ viliori & relinquit perfectiorem, æqualis fit cuilibet vulgariter obedienti, qui prius vouerat perfectam vltra vulgarem? Nonne voti transgreſſor eſt? nonne ad ſeculum rediit, & iugum obedientiæ excuſſit? Quid hic dicent? certe aut temporale rudimentum eſſe ſinent votum obedientiæ, aut omnes damnabunt voti reos, qui è monaſterijs fiunt Epiſcopi, at tales aliquot Sanctos habent, vt Bonauenturam &c. Quantum vero eſt mendacium & ſacrilegium dicere, hoc eſſe migrare in ſtatum perfectionis, ſi votum ſubſtantiale & præceptum Dei ſoluatur & relinquatur? Quaſi mandatum Dei perfectioni repugnet, aut extra mandatum Dei vllum initium ſalutis nedum perfectio eſſe poſſit, Si ergo monachus perfectus eſſe volet, in ſuo voto manebit, & præceptum diuinum ſeruabit; quanquam (vt dixi) omnia ſunt ficta. Epiſcoporum enim ſtatus eſt verbum Dei prædicare, qui ſtatus non eſt, in quem aſcendunt religioſi, cum nemo melius poſſit verbum Dei docere quam monachi, ſicut fecit S. Bernardus & ſimiles. Proinde migrans monachus ad Epiſcopatum, quales nunc ſunt Epiſcopatus à plus quam quadringentis annis, migrat potius à vero ſtatu Epiſcoporum ad ſtatum idolorum & laruatum epiſcopalium.

Epiſcoporum ſtatus.

Obedientia votum.

Et vt mendacia & figmenta finiam, Inter omnia vota monaſtica nullum eſt minus ſubſtãtiale, quam obedientiæ votum, nullumque irrefragabilius conuincit, eſſe monaſticum inſtitutum, merum rudimentum iuuentutis Chriſtianæ, ad priſcum Patrum morem temporaliter obſeruandum, pro diſcenda fide & diſciplina euangelica. Hoc probo ſic, Impoſſibile eſt, vt monaſteria non habeant Præpoſitos ſuos, qui præſint, regant & paſcant monachos. Eſt ne hoc verum? Quæ enim confuſio foret ſine paſtore congregatio? Sit ergo hoc verum. Impoſſibile etiam eſt, vt hæc præpoſitura Deo non placeat, quia ordinata poteſtas à Deo eſt, Romma 13. *Rom. 13.* Ad præpoſitum eſſe & obedire ſeu ſubdi ſimul, æque impoſſibile eſt, Loquor autem de corporali obedientia ſeu ſubiectione, quæ & ſola vouetur, vt dixi.

Vt diximus, Sed & Regula dicit, Præpoſito obediendum, & diſciplinam in manu eius eſſe. Et Apoſtoli verbum huc trahunt: Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis. Non enim vel congregationi vel ſubdito Præpoſitus eſſe poteſt ſubiectus corporaliter. Sequitur ergo, omnem Præpoſitum eſſe apud Deum abſolutum à voto obedientiæ, quamdiu Præpoſitus eſt, eſſe autem poteſt ſemper & ipſe & quilibet alius. Ergo vel nullus perpetuo & neceſſario voto obedientiæ eſt obſtrictus etiam coram Deo, vel nullus poteſt in monaſterijs eſſe Præpoſitus, Præpoſitus enim non obedit, ſed ei obeditur, & obediendum di-ctat Regula & tenor profeſſionis ſeu voti.

HIC mihi ne tantillum quidem negotij facient, qui dicunt, Præpoſitum ſuis quoq; maioribus ſubdi, & ſecundum Regulam imperare. Scio, ſed quid hæc ad votum obedientiæ, quod iam diuinum præceptum eſſe dixiſti, quod nec licet mutare? Non licet præceptum Dei relinquere, propter aliud præceptum Dei, multo minus propter hominem. Alia res eſt præſidere, & maioribus alijs obedire. Nam hæc obedientia tandē in Papam redundabit, qui nulli obedit. Nemo vouet præſidere, aut Papæ ac Præpoſiti maioribus obedire, ſed Præpoſito ipſi in monaſterio vouet obedientiam, obedientiam, inquam, & corporalem ſubiectionem vouet, quæ eſſe non poteſt idem cum præſidentia. Noli ludere verbis. Quod autem incommodum, ſi purus Laicus ſecundum Regulam imperet Monachis, ipſe tamen nulli obediens & nihil vouens? At quid ab eo differt votiuus Præpoſitus? Igitur ſtat concluſio, Obedientiam monaſticam eſſe rudem & puerilem obedientiam, Pro rudimento duntaxat iuuentutis inſtitutam, nec aliter apud Deum acceptam, nec aliter voueri poſſibilem, niſi impiam & ſacrilegam facere voles. Quare cum euangelica forma viuendi ſit perfectior, ad ipſam tandem poſt illā eſt redeundum, tanquam à parte ad totum. Cum enim venerit, quod perfectum eſt, euacuandum eſt, quod ex parte eſt, & quando tempus eſt, vt viri ſimus, euacuanda eſt pueritia.

OMnia ergo vota ſunt temporalia & mutabilia. Supereſt ſola & vna caſtitas, quæ cur non ſit temporalis, quis poterit oſtendere? cum oporteat eam præ cæteris omnibus eſſe temporaliſſimā. Hæc proh dolor non eſt ficta ſed vera, licet impia & ſacrilega ex natura ſua. Non enim fingit votum eorum caſtitatem, ſicut fingit obedientiam & paupertatem nouis vocabulis ſed ipſam veram omnium linguis ſignificatam comprehendit. Quanquam in ſeruando eo voto nihil æque eſt fictum, nec vſpiam minus caſtitatis, quam in iis, qui vouerunt caſtitatem, polluta ſunt ferme omnia, vel immundis fluxibus vel perpetua vſtione & flamma inquieta libidinis: Atque optabile erat, vt ſi quid fictum in monaſterijs voueri debuit, ficta caſtitas voueretur, Hæc enim ſalutaris fictio erat. Et quis det, vt adhue fictæ paupertatis & obedientiæ votum permutetur cum ficta caſtitate? vt ſicut modo, ſub paupertate ſeruatur abundantia, ſub obedientia ſeruatur inobedientia, Ita verſa vice ſub caſtitate ſeruaretur thorus coniugij, & ad veram paupertatem & obedientiam vtrique cogerentur, Toleranda hęc fictio & beata permutatio foret. *Omnia vota eſſe temporalia & mutabilia.* *Caſtitas monaſtica.*

Sed defuit Satanæ ſpecies in voto caſtitatis, cum ſit nimis manifeſta differentia inter caſtitatē & coniugium, Ideo non faciebat hoc ad operationem erroris ſui. At paupertas pulchre ſimulabatur, non habendo proprium, obedientia ſpecioſa erat aliqua parte ſui. Nihil enim ſimilius euan-

gelicæ & vniuerſali obedientiæ, quam monaſtica & particularis obedientia, Caro enim digiti ſimilis eſt carni totius corporis. Hic ergo patebat locus magnus operationibus ſuis, vt pro paupertate opulentiam, pro obedientia inobedientiam viuere doceret, cum pro caſtitate coniugium vel libidinem docere non poſſet.

Profuit tamen & hoc ipſum ad operationem erroris ſui. Quod enim defuit, ne doceret libidinem, hoc amplius promouit, vt operaretur libidinem. Raritas enim & impoſſibilitas caſtitatis cum multitudine vouentium coniuncta, impleuerunt cogitationes eius. Honeſta nimis erat fictio illa ſi monachi ſub voto caſtitatis eſſent coniuges, neq; perdidiſſet animas ea voti obſeruatio. Ideo ad aliam fictionem, Satana dignam, vertit animum, non contentus, vt ſcortationibus, ſtupris, adulterijs votum caſtitatis conſpurcaret, ſed monaſticas, moniales, monachales, id eſt, ſolitarias libidines inuenit. Hæc Satanæ cogitatio fuit, quam an perfecerit, viderint alij, mihi cogitationes eius duntaxat reuelare propoſitum, quibus in Chriſtianum populum omnia peſſima & fœdiſſima ſemper eſt molitus. Tu caue, ne credas eos caſte viuere, quos conſtet impie viuere, tum alienis opibus ſaginatos, ocio, ſaturitate & abundantia ſecuros agere. *Iniquitas Sodomæ.* Quia hæc eſt iniquitas (ait Ezech. 16) Sodomæ ſororis tuæ, *Ezech. 16.* Superbia, ſaturitas panis, & abundantia, & ocium ipſius & filiarum eius, & *Rara caſtitas.* manum pauperi non porrigebant, & eleuatæ ſunt & fecerunt abominationes coram me, & abſtuli eas ſicut vidiſti. Caſtitas vix multo labore, penuria & cruce conſeruatur, etiam in ijs, qui piiſſimi ſunt, id eſt, qui ſpiritu fidei cingunt renes, vt Eſai. 11. ait: Et erit iuſticia cingulum lumborum eius, & fides cinctorium renum eius. Et Zach. 9. *Eſai. 11. Zach. 9.* Frumentum electorum & vinum germinans virgines, eſt bonum & pulchrum populi Chriſtiani, adeo vt Paulus de vidua delicata pronunciare audeat, viuens mortua eſt. Quomodo ergo iſti perſiſtent, qui in labore hominum non ſunt, tum omnia, quæ Ezechiel de Sodoma dicit, ſuperbiã, ocium, ſaturitatem, abundantiam in eis regnare videmus? Neque vlli ſunt pauperum magis negligentes, Fidem vero & ſpiritum perſequuntur etiam, nedum poſſident. Solantur tamen interim ſeipſos inuicem quilibet de altero præſumit caſtitatem, quam ſe non ſeruare ſentit. Et hac præſumptione ordo nihilominus ſanctus eſt. O tempora, *1. Tim. 5.* ô regna, ô facta, & omnia Satanæ.

QVid igitur de voto caſtitatis amplius dicã, cum de ſeruando dicere nõ ſit propoſitum, & de non ſeruando abunde dixerim? Probaui enim euidenter, totum voti inſtitutum eſſe fictum in primis & ſummis eius partibus, obedientia ſcilicet & paupertate, etiam ſi à ſanctiſſimis & piiſſimis voueatur ſerueturq;, mendax vero, impium, ſacrilegum & blaſphemum ex natura ſua, ijs qui ſancti & pij non ſunt. Quid vis amplius? Deinde id quod maxime à vouentibus quæritur, eſſe longe deteſtabilius & abominatius, nempe ipſum cultum Dei, qui nihil aliud eſt ex natura ſua, quam quædã larua illudens Deo, in raſura, vnctura, veſte, boando, murmurando, ſtando, *Miſſarum abominatio.* ſedendo, inclinando, genu flectendo, thurificando, aſpergendo. Caput vero eiuſmodi cultus, Miſſa ſcilicet, quia pro ſacrificio & opere frequentantur, ſuperat omnem impietatem & abominationem, vt ſi nulla cauſa moueret ad exuendum cucullum, relinquendum monaſterium, deteſtandum votum, ſola Miſſarum abominatio nimio ſatis eſſe deberet, ne participaret conſcientia cum peruerſis hominibus, maxime cum in voto & monaſterio eſſe non poſſis, niſi interſis Miſſis eorum & cooperéris. Quin nemo eſt vouentium, qui non primo & ſummo cogitatu Miſſas & cultum Dei ſpectet, Ideoq; enim

fiunt

fiunt monachi, vt Deo ſeruire poſſint. Nemo propter caſtitatem induit monachum, quam ſcit ſeruari poſſe & extra cucullum, non minus feliciter quã intra. Sed abominabilis cultus Dei ſpecie Satanæ allicit nos, & ſubtiliſſima fallacia pertrahit in laqueum caſtitatis ſeu potius libidinis indiſſolubilem. Tanto ſcilicet precio vendit fucum iſtius abominationis, vt niſi perpetuo nefandæ libidinis periculo te dedas, ad eas delicias ſuas non admittat.

Cum ergo & cauſa vouendi ſit natura ſua abominabilis, & conditio ſacrilega & intentio decepta, tum primæ partes voti ſictæ & falſæ. Quid adhuc dubitas votum eiuſmodi in nulla ſua parte valere? Non enim Philoſophia, ſed natura & ius & ſenſus communis docet, pactum nullum eſſe, cuius conditio mala, cauſa ſacrilega, & intentio falſa eſt, etiamſi quis ſimplex ſeruarit pactum eiuſmodi. At hæc in voto monaſtico vides per hyperbolen ſuperare. Cauſa eſt laruaſis ille cultus Dei & abominatio Miſſarum. Conditio eſt, obedientiam & paupertatem eſſe conſilia euangelica, rem corporales, eſſe ſubſtantialia vota. Intentio eſt, hæc omnia aliter accipere quam ſunt. Non ergo tenet votum natura ſua, imo rumpendum eſt, licet Sancti per Spiritus miraculum in mediis iſtis abominationibus ſeruati, votum eiuſmodi ſupra naturam eius & contra naturam eius ſeruarint. Finge, ſi promiſiſſes patrẽ occidere & matrem violare, nec hoc implere, niſi adiectis ieiunijs & orationibus quibuſdam aut alijs bonis operibus, Nunquid ideo tenebris promiſſo orationum & bonorum, quia ſunt bona, Cum videas caput cauſamque, & intentionem vouendi eſſe in totum execrabilem? Imo bonum cum malo omittes, & aliud promittes ſine malo, vel nihil promittes pro voluntate tua. Sic vides & in monaſtico voto rem ſeſe habere in omnibus, qui per ſpiritum non contempſerint, & pro nihilo ſua vota habuerint.

Cauſa, conditio, intentio voti en ſi ſcti.
Pactum male conditum.

HAbet vero & caſtitas ſuam impietatem, ſicut & aliæ partes votorum, in hoc, quod ſupra communem fidem iactatur ad iniutiam Chriſti, de qua nonnihil ſuperius memorauimus. Non enim virgo aut caſtus, ſed Chriſtianus ſaluabitur. In Chriſto autem neque maſculus neque fœmina, ita neque virgo neque vxor, & ſimilia, vna autem fides, vnum Baptiſma, vnus Dominus. Et vbi ſpiritus non affuerit, impoſſibile eſt caſtitatem non eſſe impie & votam & ſeruatam. Credit enim vouens hoc opere caſtitatis ſeſe placere Deo, cum ſcriptum ſit: Impoſſibile eſt ſine fide placere Deo. Proinde qui hac opinione caſtitatem vouet, nihil vouet, & liberum habet votum non implere. At qui ſint qui hac opinione vouerint, non poteſt vllis verbis definiri, ſed cuiuſque conſcientiæ relinquitur. Quod autem definiri non poteſt, faciunt pericula iſtorum temporum, quæ Paulus prædixit. Poſita ſunt in capite omnis viæ ſcandala & pericula laudatæ virginitatis, iactati voti continentiæ, exempla Sanctorum, in quæ procliue eſt ruere ſimplicem turbam, & dum Euangelium ac fides ſilent, apprehendere id quod laudatur & proponitur, & ſic in opera niti & perire. Rurſum fieri poteſt, vt aliqui ſpiritu fidei hæc apprehendant citra ſcandalum & feliciter impleant, vt de Sanctis credimus. Et cum hos non liceat damnare, nec illos laudare, fit, vt periculoſa ſint omnia, & nihil poſſit certo definiri. Si vero Euangelium ſolum regnaret, & votorum retia non eſſent, nec pericula forent, nec opus definitione iſta, cum omnes ſcirent, non voto ſed libere eſſe caſtitatem ſeruandam, nec in opere, ſed in Chriſto præſumendum. Nunc, qui præſumit, præſumat, qui non præſumit, non præſumat, quid poſſumus amplius dicere, donec ſcandala & pericula rurſus tollantur de regno Chriſti.

Impie caſtitatem iactari ſupra fidem.

Ebræ. 11.

Non voto, ſed libere caſtitas ſeruanda.

Sed ob-

Locus Eſaiæ de Eunuchis.

SEd obijcient forte mihi illud Eſai.56.vbi Dominus promittit *Eſai.56.*
Eunuchis locum & nomen melius in domo ſua à filijs & filiabus. Videtur ergo virginitati & caſtitati melius meritum tribui,quam cæteris fidelibus,ac non ſolius fidei eſſe merita. Reſpondeo:Hic locus idem vult quod Paulus 1.Corinth.7.qui & ipſe dicit,Bonum eſſe ſic hominem eſſe & melius fieri ſi virgo non tradatur,quam ſi tradatur. *1.Cor.7.* Scimus enim & nos in domo Patris eſſe manſiones multas, & ſtellam differre à ſtella in claritate, & vnumquemque accepturum mercedem ſecundum ſuum laborem. *Iohan.14.* *1.Cor.15.* Quin Paulus presbyteros in verbo laborantes, duplici honore dignos facit. *1.Tim.5.* Et vt ad Eſaiam veniamus, Conſolatur Dominus Eunuchos euangelicos, ne exiſtiment ſeſe nihil eſſe ſi non generent,quemadmodum in lege maledicta erat caſtitas,abrogat itaque hanc maledictionem,& dicit:Et non dicat Eunuchus:Ecce ego lignum aridum &c. Deinde non laudat nudam caſtitatem,nec eam extollit ſuper omnia,ſicut noſtri faciunt,ſed dicit: Quia hæc dicit Dominus, Eunuchis,qui cuſtodierint ſabbata mea,& elegerint,quæ ego volui,& tenuerint fœdus meum,dabo eis in domo mea, & in muris meis locum & nomen melius à filijs & filiabus, nomen ſempiternum dabo eis quod non peribit.

Eunuchi euangelici.

Vides hic caſtitatem laudari, vt longe præferatur cuſtodia ſabbatorum Dei, electio voluntatum Dei,& obſeruatio fœderis Domini, quæ communia ſunt omnibus,ſine quibus nihil eſſe caſtitatem vtique ſequitur. Proinde hic locus & hoc nomen, melius à filijs & filiabus, intelligi aliud non poteſt,quam dona eſſe diuerſa & maiora alijs inter ſeſe in domo Dei Sicut & Paulus plus cæteris laborauit, Ita virginitas & caſtitas maiora opera & dona ſunt coniugio. Et vere ſunt nomina & loca inter filios & filias, & inter ſeſe in domo meliora, & maiora,ſed inter Deum ipſum & Eunuchos nullum eſt nomen niſi vnum & commune,quod eſt Chriſti, Hoc enim cuſtodit ſabbata, eligit placita, & ſeruat fœdera Domini, nomen autem Eunuchi nullum horum facit,ſed potius fit ex ipſis. Hoc modo intelligendi ſunt omnes loci,qui videntur opera iactare & differentias operum. Nam & Paulus 1. Corinth.12.diſtinctiones gratiarum,donorum,operationum deſcribit, ſed ſemper addit vnum eſſe Deum, Dominum, ſpiritum. *1.Cor.12.* Et Petrus multiformes gratias dicit, ſed in alterutrum miniſtratas. *1.Pet.4.* Et Roman. 12. & 1.Corinth. 12. vnum corpus facit,ſed multos actus diuerſorum membrorum in vna eademque ſanitate fidei. *Rom.12.* *1.Cor.12.*

De diſcrimine operum.

Argumentum de impoſſibilitate.

SEd de pia & bene deuota caſtitate loquamur,ad maiorem conſcientiarum certitudinem, Quanquam ea vel nulla ſit,vel nulli impoſſibilis ſit quod ſpiritus,qui eam cœpit,fideles eſt,& perficiet cœptam, etiamſi ſinat fortiter pulſari & tentari, nihilominus tamen de ea ex abundanti dicamus. Paulus Rom. 7. confitetur peccatum in carne ſua tale, quo carere non poſſit in hac vita, *Rom.7.* Quod peccatum abſque dubio contra legem Dei eſt, ſed propter fidem in ſpiritu repugnantem ignoſcitur, & non imputatur, quanquam lex exigat, nullum in nobis eſſe peccatum. Lex autem ſpiritus vitæ in Chriſto, ſecurrit nobis, vt hoc impoſſibile Legis nihil operetur damnationis,modo ambulemus ſecundum ſpiritum & non ſecundum carnem. *Rom.8.* Ex iſto tanquam per locum à maiori arguo, Si Deus in ſua lege à ſeipſo poſita, indulget & ignoſcit impoſſibile legis,quod reliquum eſt in nobis,vbi nullum eſt periculum,licet ſit veriſſime peccatum, Quanto magis præſumendum eſt cum fiducia de bonitate eius,quod non ſit imputaturus voti caſtitatis

Deus ignoſcit impoſſibile Legis.

(quod

(quod ipſe non mandauit neque conſuluit neque probauit, ſed humana temeritate & ignorantia ſubintrauit)ſi fuerit impoſſibile nobis,& periculum vrgeat libidinis? Modo intra limites inferioris caſtitatis coniugij maneamus, & non ſecundum carnem ambulemus.Nunquid ſeuerius exiget votum noſtra ſtultitia inuentum quam ſuam legem propria ſapientia diſpoſitam?

Actor. 15. Apoſtolus Paulus Act. 15. ex operibus Dei demonſtrauit libertatem euangelicam,quod ſpiritus dabatur Gentibus abſque circumciſione & lege Moſi,Licet tota ferme Eccleſia illa primitiua errонea conſcientia contrarium ſentiret ſolus autem Petrus, Paulus & Barnabas autoritate diuinorum operum,libertatis ſententiam tulerunt & firmauerunt aduerſus omnes. In qua re nos erudimur,vt vbi Scripturæ teſtimonia non ſuffragantur,illic certis operibus Dei nos niti oportere,& vice teſtimoniorum ea ſequi. Sic & in hoc caſu faciendum eſt,cum videamus bonitatem eius eſſe indulgentem in ſua ſanctiſſima lege propter impoſſibile ipſius, indulgentem etiam præſumamus in impoſſibili noſtri voti. Neque enim credibile eſt tam rigidum eſſe in exigenda noſtra ſtultitia,qui tam benignus eſt in ſua iuſticia. Et credo,ſi quis hac fiducia vxorem duceret,caſtitatem votiuam ſeruare non potens, & hac ipſa fiducia promouente,indulgentem & facilem Patrem inueniret,cum hoc faceret,ne grauius in legem eius peccaret. *Libertas euangelica ex operibus Dei demonſtrata.*

Pſal. 51. Tale eſt & illud opus,quod debitum coniugale,cum teſte Pſal. 51. ſit peccatũ & plane furioſum, nihil differens ab adulterio & ſcortatione, quantum eſt ex parte ardoris & fœdæ voluptatis,prorſus non imputat coniugibus, non alia cauſa niſi ſua miſericordia,quod ſit impoſſibile vitari à nobis, cum tamen eo carere teneamur. Cur igitur & cœlibi impotenti,alioqui peccaturo, non præſumeretur impoſſibile iſtud relaxare, & coniugium irrito voto permittere,aut ſi cum peccato voti fiat,ceu debitum coniugale benigniter indulgere? Hæc ratio,ſi ſpectes,quam magna res ſit lex Dei, & compares omnia diligenter,impoſſibile eius, & peccatum quod ignoſcitur, & magnitudinem bonitatis indulgentis, Deinde noſtri voti ſtultitiam & imprudentiam,meram traditionem & inuentum hominum, Certe vrgebit, vt parum eſſe ducas, ignoſci coniugium impotenti & labenti Cœlibi, ad ignoſcentiam peccati in vniuerſam legem Dei propter impoſſibilitatem eius in omnibus hominibus; Vt ex iſto opere Dei ſatis fideliter concludamus, Impoſſibile votum non ligare,ſaltem ex bonitate Dei,ſi quo modo ligaret ex natura ſua. *Debitum coniugale.*

Atque hæc dixerim,non quod conceſſerim,tale aliquod votum fieri poſſe ſecundum inſtitutum monaſticum,aut neceſſaria exiſtimem iis,qui pie vouerunt etiam ſub inſtituto monaſtico. Nam hos(vt dixi)ſpiritus,vt mouet,ita permouebit, vt ſub inſtituto monaſtico, ſine inſtituto monaſtico voueant & viuant. Non enim vouent aut ſeruant,quia ſic & dictat & exigit forma & lex inſtituti,ſed quia ſpiritu libertatis gratuito delectat per ſeſe facere,quod inſtitutum præſcribit,alioqui opus legis & iuſticiam factorum operarentur,quod eſt maxime aduerſarium Euangelio. Illi vero, quia ad formam inſtituti & propter inſtitutum vouent & viuunt,Iudæi ſunt, & impie aduerſus Euangelium & vouent & viuunt,Vnde non poteſt eorum eſſe tale votum,quod hoc conſilio egeat,ſed prorſus reuocandum & caſſandum eſt,quod in nouo Teſtamento,quod eſt Teſtamentum libertatis,in quo miniſterium ſpiritus & non literæ regnat,non licet literam ſtatuere & docere. Si autem ſtatuta & docta fuerit in tentationem, non licet apprehendere, ſed declinare & fugere oportet.

Dicit

Locus Pauli Rom. 16.

Dicit enim Paulus Rom. 16. *Exhortor vos Fratres, vt obſeruetis* *Rom. 16.* eos, qui diſſidia & ſcandala faciunt, iuxta doctrinam, quam vos didiciſtis, & declinate ab eis, Tales enim non Domino Ieſu Chriſto ſeruiunt ſed ſuo ventri, & per bonos ſermones & benedictiones ſeducunt corda innocentum.

Hæc verba non poſſunt niſi de ijs intelligi, qui iuxta viam Chriſtianam velut meliora docent. Non enim dicit, quod negent doctrinam noſtram, ſed quod iuxta eam & aliam docent, quod proprijſſime faciunt inſtituta monaſtica, ſed & diſſidia & ſectas, tum ſeruitutem ventris, maxime vero bonos ſermones & iactantias, laudes, priuilegia, alias benedictiones ordinum & operum nuſquam videmus niſi apud monaſticos, vbi & ſeductio cordium innocentium regnat. Cum ergo præcipiat ea obſeruare & declinare ab eis, non eſt dubium, vota eiuſmodi irrita eſſe & nihil vnquam valuiſſe, Quare & declinandum ab eis eſt, vel ſpiritu, ſicut Sancti fecerunt, vel ſpiritu & litera ſimul, tanquam à ſeductione certiſſima per Apoſtolum hic definita & damnata. Idem vult, vbi Timotheum in vtraque Epiſtola vult *1. Tim 4.* manere in ijs quæ didicerat, nihil permittens addi. Hoc faciens (inquit) ſaluum facies teipſum & qui te audiunt. Haud dubium, quin ſi non permanſerit in eis, perdet ſeipſum & eos qui ſe audiunt Hinc & Petrus 2. Pet. 2. ſectas *2. Pet. 2.* perditionis appellat, horrendo & terribili verbo nos à ſectis & opinionibus *1. Pet 4.* extra Chriſtum deterrens. Et 1. Petri. 4. vbi iuſſiſſet, ne aliquid doceretur quam verbum Dei, neque aliquid diſponeretur niſi opus Dei, vt ſolus Deus in nobis glorificaretur in omnibus per Ieſum Chriſtum, adiecit, ne peregrinaremur in feruore tentationis. Sed ipſius verba ſaluberrima audiamus: Vnusquiſque ſicut accepit donum, miniſtret ipſum inter voſipſos, ſicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei. Si quis loquitur, tanquam ſermones Dei. *1. Pet. 4.* Si quis miniſtrat, tanquam ex virtute, quam ſuppeditat Deus, vt in omnibus glorificetur Deus per Ieſum Chriſtum, cui eſt gloria & imperium in ſecula ſeculorum. Chariſſimi nolite peregrinari in feruore, qui in vobis eſt, qui fit vobis in tentationem, quaſi peregrinum vobis contingat, ſed communicate paſſionibus Chriſti.

Primum vult nihil miniſtrari, niſi acceptum donum, nihil doceri, niſi verbum Dei, nihil geri, niſi quod operetur in nobis Deus, quia non noſtræ opis, ſed multiformis gratiæ Dei ſumus diſpenſatores, vt nihil humani, ſed omnia diuina dicantur & gerantur in nobis. Quod ideo fieri debet, vt glorificetur Deus per Ieſum Chriſtum, cuius eſt gloria & imperium in omnia ſecula ſeculorum. Cum enim regnum eius ſimus, & ipſius ſit regnare & imperare in nobis, permittendum non eſt verbum aut opus, quod ipſe non loquitur aut non operatur in nobis. Si autem permittimus, iam abijcimus eum cum Iudæis, ne regnet ſuper nos, & in medio regni Dei regnare facimus alienum, atque ita vaſtatur regnum Dei, & ſedet abominatio in loco ſancto. Ideo enim Eccleſia regnum Dei eſt & dicitur, quod ſolus Deus in illa regnat, imperat, loquitur, operatur, glorificatur. Si igitur aliquid in nobis docet & operatur homo, quod non docet nec operatur Deus, iam non glorificatur Deus in nobis per Ieſum Chriſtum. Ille enim glorificatur, cuius eſt verbum & opus, Deus autem de alieno verbo & opere non glorificatur. Ita fit, vt neceſſe ſit, Deum amittere gloriam & regnum in nobis, ſi alienum verbum & opus in nobis regnet, eius enim erit gloria & regnum, cuius eſt verbum & opus. Quid igitur in Papatum, Epiſcopatus, monachatus, ſacerdotia, vt nunc ſunt, poteſt robuſtius dici? Eſt ne aliquis tam rudis vel audax, qui aſſerat Papæ & monachorum dogmata & opera eſſe Dei per Ieſum Chriſtum tradita?

Eccleſia regnum Dei.

Vbi

Vbi enim Ieſus Chriſtus ea tradidit? At quod per Ieſum Chriſtum non dicitur neque geritur in nos, non poteſt rurſus per eundem à nobis in Patris gloriam referri. Cuius ergo eſt gloria & imperium in monachis? vtique Satanæ per S. Benedictum & alios homines, impia hypocriſi & peruerſa operum æmulatione iactatos & celebratos. Vt ergo Chriſtus non docet vota monaſtica, ita non operatur ea, licet in Sanctis ſub votorum inſtituto captiuis, operatus ſit & locutus mirabiliter ſine votis. *a*

a Quæ hic à collatoribus, exemplari alio viſis, omiſſa ſunt, infra ad finem huius libri inuenies.

Matth. 24. Omnium autem euidentiſſime Chriſtus loquitur in monaſtica vota Matt. 24 *Tunc ſi quis vobis dixerit: Ecce hic eſt Chriſtus aut illic, nolite credere*, Surgent enim pſeudochriſti & pſeudoprophetæ & dabunt ſigna magna & prodigia, vt in errorem inducantur, ſi fieri poteſt, etiam Electi. Ecce prædixi vobis. Si ergo dixerint vobis: Ecce in deſerto eſt, nolite exire, Ecce in penetralibus eſt, nolite credere. Hæc verba de nullis hæreticis intelligi poſſunt, niſi ijs, qui vias & modos (vt vocant) viuendi ad iuſticiam & ſalutem docent, quales nulli fuerunt præter Papiſtas & monaſticos. Hi enim ſunt qui iactant Eremitas, id eſt, vocant ad deſertum & penetralia, id eſt, clauſtra ſeu monaſteria. In his docent inueniri Chriſtum, id eſt, iuſticiam & ſalutem, tam impudenter, vt cæteros viuendi Ordines appellent ſeculares, quaſi apud ſe ſolos ſit ſalus, Sed hoc ipſo ſunt Pſeudochriſti, & à communi fide trahunt ad opera, & à Chriſto poſt ſeipſos. Legitur in vitis Patrum, S. Syluano viſionem apparuiſſe, & infernum monachis repletum oſtenſum eſſe, Qui deinceps noluit conſolari in vita, poſtquam viderat huius generis homines, qui Sancti videbantur, turmatim perire. Quæ hiſtoria & viſio certe cum hoc Euangelio conſentit, videturque Deus ideo eam reuelaſſe, vt erroris operationem tunc ingredientem oſtenderet & differret, quod & multis alijs ſignis voluit, in S. Antonio, Paphnutio & alijs. Multa enim in eo Libro exempla ſunt periculoſiſſima in fidei doctrinam operibus debacchantia. Si autem eo tempore monaſtica vita erroris operatio fuit & monachos perdebat, quid nunc, quæſo, eſſe putabis iamdudum extincta fide & euangelio?

Ecce hic, ecce illic eſt Chriſtus.

Deſertum. Penetralia.

Viſio S. Syluano exhibita.

Antonius. Paphnutius.

Corruit hic argumentum Pariſienſium aſinorum, & papiſticæ ſectæ porcorum, quo à multitudine & ſanctitate arguunt, Chriſtus ſoluit Argumentum à multitudine, dum dicit: *Et ſeducent multos, ita vt Electi in errorem duci poſſint*. Argumentum vero à ſanctitate ſoluit eodem, quod Electos ſeducendos prædicit. Nihil ergo rudientes aſini agunt, dum dicunt, Eccleſiam non fuiſſe tanto tempore derelictam, nec ignoraſſe, quæ Lutherus ſeſe ſcire promittit. Eccleſiam ipſi vocant ſectas ſuas, Sed non magis ſunt Eccleſia, quam Prophetæ, ſacerdotes, ſeniores, reges principes, phariſæi, ſadducæi, erant Synagoga, qui omnes, etiam Eliæ temporibus, errauerunt & ignorauerunt, vt tantum ſeptem millia relinquerentur, ſed qui adeo latebant, adeo non videbantur Synagoga eſſe, vt nec Elias vnum ex eis noſſet. O horrendum exemplum, Igitur habes hic autoritate Chriſti, vt liceat imo oporteat redire, ſi exieris in deſertum, aut intraueris penetralia iſtorum? Quid hoc aliud eſt quam votum tuum in aliam quam Chriſti doctrinam factum, eſſe reuocandum & caſſandum tanquam erroneum & impium? Dixi enim S. Bernardum eo ſeruatum eſſe, quod de votis totaque ſua vita hanc ex animo protulit ſententiam: Perdite vixi, Hac voce & confeſſione nonne vota ſua nihili fecit, & ad Chriſtum redijt; Eadem forma & alij Sancti ſub votis ſine votis ſeruati ſunt, niſi quod in errore Electorum ſub votis vixerunt,

Argumentum Pariſienſium.

Bernardus.

in la-

in laqueum & operationem erroris iјs, qui pereunt & non credunt Euangelio. Cum ergo hæc verba Chriſti & aptiſſime quadrent in monaſticam, ſimul & argumenta eorum diſſoluunt, cum fiducia eis innitendum eſt, & vota pro non votis habenda, vt quæ euidenter ſcias, in verba & opera non Dei, ſed hominum & fieri & niti, quod prohibitum eſt, & peccent in gloriam & in regnum Dei, natura ſua.

Cœlebs vouens caſtitatem vouet rem impoſſibilem.

Ex ijs omnibus colligitur & ſtulticia voti, præſertim caſtitatis, vt ſi cætera non caſſarent, ipſa ſtulticia tamen non ſinat valere. Quid enim vouet cœlebs vouendo caſtitatem, niſi rem, quæ prorſus nec eſt nec poteſt eſſe in manibus ſuis, cum ſit ſolius Dei donum, quod accipere non offerre poteſt homo? Irridet ergo Deum, dum vouet, non aliter quam ſi voueat ſeſe fore Epiſcopum, Apoſtolum, Principem aut Regem, cum ſciat nihil horum eſſe in poteſtate [illegible] vouentis, ſed in alterius arbitrio & autoritate vocantis. Finge, quæſo, inſanum, qui voueat Deo in hanc formam; Voueo tibi Domine nouas ſtellas formare aut montes transferre, Quid de hoc voto iudicabis? At nihilo differt votũ caſtitatis ab iſto, cum non minus ſit opus mirabile Dei, quam ſtellas formare aut montes transferre. Cum ergo iubeat Dominus, vt, qui vouet vel offert, de ſua ſubſtantia, & de donis ſibi benedicente Domino datis offerat, vt habent omnia verba legis Moſaicæ de voto, Euidens eſt, votũ caſtitatis non placere nec exigi à Deo poſſe, cum fiat de re nondum donata, nec in noſtra poteſtate ſita, Si enim votum vnum valet, quod fit de rebus non noſtris, ſed in manu Dei poſitis, poterimus etiam licite & pie vouere, omnia quæ Deus habet & poteſt facere? Si iſta omnia non valent, nec vnum illud caſtitatis valebit. Voueas ergo te fore certiſſime ſaluum, fore te æqualem Petro, vaſtaturum regna Turcarum, victurum annos Mathuſalem, & omnia quæ Deus in hominibus facit aut facere poteſt. Si hæc non licet vouere, quod tua non ſint, Cur caſtitatem voues, quæ tua non eſt? Cur in vno voues, quæ Dei ſolius & tua non ſunt & non in omnibus? Si non in omnibus, cur in vno? Dices: Caſtitatem poſſum orationibus impetrare? Audio, Et quid non potes oratione impetrare? Nonne promiſit Chriſtus: Quæcunque petieritis in nomine meo, credite, & fient vobis? Cur ergo non omnia alia quoque voues & impetras?

Votum caſtitatis non placere Deo nec exigi ab eo.

Oratio.

Marc. 11.

Votum Baptiſmi.

SEd *obijcies forte: Hac ſententia nec in Baptiſmo vouere liceret Deo, cum & fides & mandata Dei implere, ſint non in manu noſtra, ſed ſolius Dei.* Reſpondeo: Pulchre & opportune, quaſi vota Baptiſmi cum votis tuis vlla parte conueniant. In Baptiſmo eſt promiſſio Dei offerens, & noſtrum vouere nihil aliud eſt quam acceptare Chriſtum, qui offertur nobis. Felix ſane votum, quod non promittit aliquid dare, ſed tantum bona accipere & acceptis adhærere. Hic plane nihil vouetur à nobis noſtrarum rerum, nec earum, quæ ſunt in manu Dei, imò ſi recte conſideres, Deus vouet nobis, & votum eſt ex parte Dei promittentis ſimul & donantis gratiam, & illud quod exigunt eius præcepta. Nos rurſum vouemus, votum & promiſſionem eius libenter & cum gaudio accipere & ſeruare. At cum virginitatem vel caſtitatem voues, nunquid ibi Deus adeſt, & eam tibi vouet, promittit & offert? Quando enim promiſit eam tibi donare? Vnde certus es, quod donabit? Nonne tu ſolus & vacuus reipſa, quam promittis, accedis? Nonne tu ſolus es promiſſor, & non eſt qui tibi reſpondeat & promiſſionem acceptet? Et cur acceptet, cum ſis promiſſor inanis & ſtultus, promittens quod non habes? Vides ergo votum Baptiſmi & continentiæ eſſe prorſus

contrariæ naturæ, Hoc offert quod non habet, Illud accipit, quod non habet. Hic homo promittit inanis alienum, Illic Deus diues promittit ſuum. Donec ergo promiſſionem Dei donantis non potes in voto continentiæ probare, ſtulticiam & vanitatem voti eiuſmodi excuſare non poteris. Stultum autem & vanum Deus acceptare & exigere non poteſt, Baptiſmi autem votum verax & plenum eſt, quia nititur in promittente & donante Deo. Quid ſi aliqui non accepient? nihilominus verax eſt, qui offert. *Votum continentiæ cum voto baptiſmi ex diametro pugnat*

Huic ſtulticiæ iungunt & aliam, quod pro adornando voti rigore indiſſolubili integrum annum probationis (quem vocant) vouenti largiuntur, homines mire miſericordes & clementes. Atque ne nihil in eis laudem, ſi anno probationis in hoc vterentur, vt ingreſſurus ad eos ſpectaret mores, victum, amictum, & alia, quæ ad corpus pertinent, probari poterant. At nunc ideo eſt annus probationis, vt in eo tentet, an & caſte viuere poſſit, qui eſt voturus. Obſecro, quæ ſtulticia eſſe poteſt par huic, ſi ipſam rationem inſtituti ſpectes? Nam ſanctos ſemper excipio in ſuis mirabilibus, Scilicet probatio caſtitatis non metitur facultate ſpiritus, ſed numero dierum, Et qui annum caſte vixerit, idoneus cenſetur vt tota vita caſte viuat. Quando ergo ab externo petenda eſt probatio caſtitatis, cur non petitur & à locis & perſonis? Vt ille ſit idoneus, qui multa loca perambulauerit & multos homines viderit, quo ſolos curſores & mercatores faciamus monachos? Aut ſi interna res tempore probari poteſt, cur non fit etiam idoneus ad patientiam, mititatem, fidem, charitatem, qui vno anno ſeſe in ijs tentauerit, vt gratia Dei nihilo ſit opus ad has res? Sufficit enim tempus tranſijſſe ſuper eum; & mox idoneus eſt nouus homo fieri. Aut ſi in ijs non ſufficit, cur ſufficit in caſtitate ſola? Hæc dico, vt videas nihil eſſe in vniuerſa monaſtica, quod non ſit egregie ſtultum & impium, plane non niſi papiſtico regno dignum. *Annus probationis.* *Nihil in monaſtica quod non ſit ſtultum & impium.*

SEd amplius, cum Petrus nihil fieri in Eccleſia velit, niſi quod certum ſit à virtute fieri, quam ſuppeditat Deus, Quis eos certos facit, annum hunc probationis apud Deum ſufficere? Quis dixit probari apud Deum probationem iſtam? Imo Petrus dicit, non probari apud Deum, cum ſtatuatur ex virtute humana, virtute autē Dei nullus eſt annus probationis; ſed tota vita eſt vnus annus probationis. Fieri poteſt enim vt non vno ſed duobus ac tribus annis caſte viuas, poſtea vel vrenre carne & feruentibus venis, tum afflante igneo halitu Satanæ, qui ardere facit prunas (vt in Iob dicitur) prorſus continere non poſſis. Probatio autem caſtitatis fieri non poteſt quieſcente libidine, ſed ſolum furente. In manu autem nullius eſt, tempus furentis & concitatæ libidinis, id eſt, tempus probationis. Cur ergo tempus pro tempore numeratis, & probationem appellatis, quod probatio non eſt? Ego ipſe in me & multis alijs expertus ſum, quam pacatus & quietus ſoleat eſſe Satan in primo anno ſacerdotij & monachatus, vt nihil iucundius eſſe videatur caſtitate, Sed hoc in tentationem & in laqueum inſidioſiſſimus hoſtis facit, cui cooperantur inſani monaſtici, & annum probationis non ſolum non ex ſpiritu, ſed neque ex reipſa, verum ex calendario & numero dierum metiuntur, vt probent nihil ſani neque penſi apud ſe eſſe, incedentes in rebus iſtis ſpiritualibus & periculoſiſſimis ceu bruta (vt Petrus ait) irrationalia, naturaliter ad mactationem genita. Cum ergo annus iſte probationis ex ſolis hominibus ſtultis ſtulte ſolos dies numerantibus pendeat, & incertum eſt an Deo placeat, imo certum ſit diſplicere, tum ex ipſa natura rei &

1. Pet. 4.
2. Pet. 2.

autoritate Dei, nullum certum probationis tempus ſingnari aut definiri poſſit, ſed tota vita neceſſario ſit probationis annus, vides & votum caſtitatis nihil eſſe, quod ſuper eo probationis anno nitatur. Cum enim ipſimet cenſeant votum probatione prætentandum eſſe, & hæc probatio nunquam certa ſit, votorum quoq; nunquam certum eſſe poterit, Annum vero probationis ipſorum cum ſit electicius & arbitrarius ex hominibus poſitus, facit ut & impletio voti debeat eſſe arbitraria, vt ſi annum tollant & abrogent, quo votum nititur, etiam votum tolli & abrogari debeat.

De anno profeſſionis.

SEd illud omnium ſtultiſsimum, quod annos profeſsionis cœperunt definire, aliis quartumdecimum, alijs decimum octauum annum ætatis ſignantibus. Obſecro, unde hominibus hoc ius definiendi? Hic vero mihi aliquando in vno placeunt quidam illorum, quod monachis ante decimum octauũ annum profeſſis copiam faciunt abeundi. Hoc vnũ eſt quod in monaſtica laudabile & euangelicum vidi, quanquam non apud omnes paſſim. Atque hoc dolet, quod non idem faciunt & omnibus qui ante ſexageſimum annum ſunt profeſſi, vt Paulum ex parte imitarentur, qui viduas minores annis ſexaginta reiicit, ne aſſumantur alendæ Eccleſiarum facultatibus. *1. Tim. 5.* Nam uiros cum ſint robuſtiore & vegetiore corpore, tardiuſque fœminis emoriantur, ſeptuageſimo uel octogeſimo anno demum recipi oportebit. Prorſus hic monachus propria autoritate conſtrictos teneo, Si adoleſcentem infra decimum octauum annũ profeſſum abſoluunt, & nulla eſt cauſa definiendi eius anni, niſi merum arbitrium humanum, quo poterant & triceſimum quadrageſimum, quinquageſimum & ſexageſimum definire, debent eadem autoritate quemuis quouis anno profeſſum abſoluere, Neque enim mandatum Dei aut votum ſed imbecillitatem vouentis ſpectant, & ad eam ſana & pia Epiikia accommodant votum monaſticum.

Iam fieri poteſt, nec eſt in vllius hominis poteſtate, prohibere, vt iuuenis aut vir, vſque ad ſexageſimum annum æque imbecillis aut etiam imbecillior ſit ad continendum, & grauius vratur libidine, quam adoleſcens. Si ergo libido & imbecillitas eſt interpres voti & Epiikia mandati, ſicuti verum eſt, & ſemper ita ac olim fuit, debent prorſus omnia vota & libera & temporalia eſſe. Quod niſi fecerint, plane crudeliſsimi & cruentiſsimi ſunt animicidæ. Si autem ſibi hoc non licere putabunt, nec id licebit, quod ante decimum octauum abſoluunt, etiam ſi puer vel infans vouiſſet. Tam enim incertus eſt & ignorat iuuenis, quid ſit caſte viuere, vel an ſit caſte victurus, quam puer vel infans quilibet. Quis enim ſcit, quid poſsit in futurum? In baptiſmo & Dei ſacramentis ſemper certi ſumus, quid ſimus accepturi ſeu paſſuri, nempe diuina, ideo ſunt rata & fidelia vota Dei ad nos. At vouere ea, quæ noſtra non ſunt, eadem eſt ſtulticia, eadem eſt ratio caſſandi, infanti, puero, viro, ſeni, & omnibus hominibus.

Vota Dei rata & fidelia.

Hæc in editione anni XXI. deſiderantur, uſque ad ſequens caput de viduis.

ADijciamus & corollam his, quæ abſoluimus, nempe locum illum Marci 2. Vbi Chriſtus fidelem Canonem Epiikiæ generalis omnium legum tradit, dicens: *Non legiſtis, quid fecerit Dauid, quando neceſsitatẽ habuit, & eſurijt ipſe, & qui cũ eo erant? Quomodo intrauit in domum Dei ſub Abiathar Principe ſacerdotum, & panes propoſitionis manducauit, quos non licebat manducare,* *Marc. 2.*

niſi

niſi ſolis ſacerdotibus,& dedit eis,qui cum eo erant? Et dicebat eis: Sabbatum propter hominem factum eſt,non homo propter ſabbatum. Itaque Dominus eſt Filius hominis,etiam ſabbati. Hæc illc. Obſecro, non tranſeamus uerba iſta maieſtatis plena ſolatio & refectione ſpirituali, neque oſcitanter audiamus, neque frigide tractemus. Primo certum eſt, Sabbatum fuiſſe diuinitus præceptum, non ficte ſed rigidiſſime. Non minore rigore prohibitus erat panis propoſitionis Laicis & vniuerſa lex Dei. Nihilominus tamen Dauid ſoluebat tuta conſcientia propter neceſſitatem. Vnde cum Ahimelech ſacerdos trepidaret & diceret: Non habeo panes niſi ſanctos, metuens Legem, Dauid cum fiducia legem interpretatur, dicens: Via hæc polluta eſt, ſed ſanctificabitur in vaſis, hoc eſt, iuxta Paulum, Mundis omnia munda, immundis nihil mundum, Tit. 1.

Tit. 1.

Chriſtus vero hoc exemplum generalem Canonem facit, cum argumentatur à ſimili, dicens: Dauid ſoluebat legem prohibentem edere panes ſanctos, Ergo licebit & ſabbatum & omnes alias leges ſoluere. Niſi enim hæc conſequentia generalis valeat, ſtulte probat Chriſtus, legem ſabbati violandam per exemplum alterius legis, de non edendo pane ſancto. Quare hic euidens eſt, etiam diuina mandata ſemper habere exceptos caſus neceſſitatis, non modo animarum, ſed & corporum & rerum. Qua enim ratione vna lex poteſt ſolui, eadem poteſt quælibet ſolui, hoc eſt, interpretari & ſano ſenſu intelligi, quatenus liget aut non liget. Vere enim non poteſt ſolui Scriptura Iohan. 10. *Et non præteribit vnum iota, aut vnus apex de Lege, donec omnia fiant.* Quare cum de ſolutione & violatione legis dicimus, de falſo eius intellectu ſoluendo & vero ſeruando intelligendi ſumus. Sic Chriſtus Matthæi 12. addit, Sabbatum ſine culpa violari à ſacerdotibus in templo. Deinde quoque ob bouem de fouea extrahendum aut adaquandum, Lucæ 13. hoc eſt, non ſolum propter animarum & corporum, ſed etiam rerum neceſſitatem ſolui poteſt. Quod eſt aliud nihil dicere; Deus ſua præcepta non poſuit, vt anima, corpus, aut res pereat, ſed vt hæc ſalua in præceptis ſuis exerceantur. Quare ſemper intelligenda ſunt, vt ſimul non obliuiſcaris. Deum creaſſe corpus, animam & rem, eorumque re velle curam habere, vt ſi periclitetur aliquod eorum, iam ſcias præcepta eius non eſſe amplius præcepta.

Iohan. 10. Matth. 12. Lucæ 13.

VEniamus nunc ad noſtra, Votum caſtitatis lex eſt merè corporalis de re corporaliſſima, Quare ſoluenda eſt cum fiducia, Imo nunquam ligauit nec ligare potuit, vbi periculum animæ aut corporis interceſſit. Non enim vt perderet animam & corpus, votum exigit, Cogiturque votum caſtitatis, ipſomet Chriſto interprete, hunc ſenſum habere: *Voueo caſtitatem, quantum fieri poteſt, abſq; periculo corporis & animæ.* Si itaque te poſtea ſentias vri, iam votum nihil eſt, ſecuruſq; illud Pauli ſequaris, *Si non continent, nubant.* Et iterum: *Melius eſt nubere quam vri.* An non Iudæi tam rigide vouerant legem ſabbati & panis ſancti, quam tu caſtitatem? Prorſus nihil eſt diſcriminis. Secure arguis iſto argumento Chriſti: Iudæi ſoluerunt ſabbati & panis ſancti legem, neceſſitate excipiente & interpretante. Et ego ſoluam legem votæ caſtitatis maiore neceſſitate & periculo animæ? Noli timere, Chriſtus tete non fallet, non enim vete ſoluis, ſed ſanum intellectum voti apprehendis.

1. Cor. 7.

Dicet hic aliquis peruerſus: Eadem ratione licebit mœchari, ſi neceſſitas poſtulet, item occidi, furari, & omnia Dei præcepta ſoluere. Reſpondeo: Ea neceſſitas non venit vſu. Sunt mulieres, ſunt viri, Duc vxorem, nube. Nec eſt periculum aut corporis aut rerum, ſi mitis ſis & temperans iræ. *At furari ſaltem caſum habere poteſt?* Reſpondeo: Si ſit neceſſitas, licet, Tunc enim prouerbium locum habet: In neceſſitate omnia ſunt communia. Quam ſtultum igitur & impium fuerit, ſi fame occidas te, metu legis, Vbi poſſis alimoniam furari ex alterius copia, vt vitam ſeruares, Tam ſtultus es, ſi vxorem non ducas, vbi vreris, & cum periculo animæ contines. Sed vt legem furti interpretaris tunc non præcipi in fame, ita interpretaberis legem voti non exigi in libidine vrente. Videtur autem hoc Salomon Prouerb. 6. definiſſe, vbi ebraice ſic ad verbum dicit: Non contemnent furẽ ſi furabitur ad replendam animam, quia eſurijt, & inuentus reddet ſeptuplum, & omnem ſubſtantiam domus ſuæ dabit. Adulter autem mulieris minoratus corde eſt, & vaſtabit animam ſuam. Quaſi dicat: Fur non damnabitur, etiamſi inuentus mulctetur lege ab eo, qui crudelis eſſe volet, modo furetur neceſſitate replendæ animæ. *Prouerb. 6.*

Filia Silonitarum rapta à Beniamin.

QVid? quod legimus Iud. 21. Filios Benjamin autoritate totius Iſrael rapuiſſe filias Silonitarum in vxores? Eſto, filij Iſrael peccarint vouendo vel votum ſeruando, de non tradendis filiabus ſuis, filij tamen Benjamin rapientes non peccauerunt, cum non eſſent aliæ mulieres, quas ducerent, negantibus vtrinque filias ſuas & Iſraelitis & Silonitis. At quanto leuius eſt furtum rerum quam filiarum? Stuprum & raptus erat hoc facinus, ſi legem rigide ad literæ captiuitatem, hoc eſt, ſtulte & ſuperſtitioſe interpreteris, Vnde & filij Iſrael hanc ſpiritualem intelligentiæ ſanitatem pulchre allegant, dicentes Silonitis: Ex parte veſtra peccatum eſt, quia poſtulantibus non dediſtis &c. *Iudic. 21.*

Quin ego auſim, hac Chriſti fretus autoritate, aſſerere, Si qui filij aut filiæ, caſtitati deuoti, ſeipſos vel parentes, nulla alia ratione, in caſu, alere poſſint, niſi diuiti, qui alere poſſit, nupſerint, debere eos in eiuſmodi caſu votum & ſabbatum ſuum ſoluere. Nihil hic moueant, qui garriunt, Caſtitatis theſaurum incomparabilem eſſe. Nonne & obedientia legis Dei in ſabbato & pane ſancto eſt incomparabilis? Quid enim precioſius obedientia? Et tamen hanc ſic exigit, vt corpus, quod creauit, per te nolit deſtrui, aut res omnes comburi, ſed vt in obedientia exerceatur, Alioqui cur non potius mandauit nosipſos occidere, morbis & fame cruciari? Quid enim differt mandare morbum vel interitum nobiſipſis inferre, & legem exigere, quæ præſtari non poſſit, niſi morbo vel interitu nos ipſos conficiamus? Abſit à cogitatione noſtra de Deo ſic ſentire, Quanto magis in animæ periculum nihil valet præceptum & votum exactum intelligi?

SVmma, In hac legum Epijkia & ſana intelligentia, præter charitatem iudicem nihil tutum eſt, Quidquid enim aduerſus charitatem eſt, diſpenſari & interpretari nullo caſu poteſt, cum ſit impoſſibile caſum neceſſitatis in charitatem incidere. Rurſus quidquid contra charitatem non eſt, hoc liberum, licitum & diſpenſandum eſt, præſertim in caſu neceſſitatis. Stat enim Paulus fortiter, dicens: *Nemini quidquam debeatis, niſi vt inuicem diligatis.* Quis obſecro, vltra & ſupra hanc legem Pauli aliam legem neceſſariam ſtatuere poteſt? Et ſi ſtatuatur, exigatur, voueatur, quomodo præſtari ne- *Rom. 14.*

ceſſario

ceſſario poteſt aut debet? cum nihil debendum ſit, niſi diligere? Igitur votum ſeruare poſſumus, ſed non debemus, quia nihil niſi diligere debemus, Et Chriſtus Matth. 7. *Hæc eſt Lex & Prophetæ. Et Matth. 22. In his duobus mandatis vniuerſa Lex pendet atq; Prophetæ.* Nihil ergo contra charitatem nihil vIrta charitatem ligat aut ligare poteſt. Iam facile eſt videre, cur non liceat diſpenſare in adulterio, homicidio, furto, & ſimilibus. Rurſus cur diſpenſari poſſit & debeat, in voto caſtitatis & omnibus votis, nempe, quod in illis læditur, in iſtis non læditur, imo ſeruatur charitas, nulli enim nocet, ſi nupſeris, Imo ſicut velles tibi licere nubere, ſi vreris, ita debes licere velle & alteri, non modo autem velle, ſed & cooperari, vt fiat.

Matth. 7. 22. — *In voto caſtitatis diſpenſari poteſt & debet.*

Matth. 12. Hoc confirmat Chriſtus Matth. 12. cum præfert miſericordiam omnibus legibus dicens ad ſabbatarios illos Phariſæos: Si autem ſcitetis, quid ſit, Miſericordiam volo & non ſacrificium, non condemnaſſetis innocentes. Hoc enim eo dicit, quod vbi corporis aut rei neceſſitas accidit miſerendum ſit, & legem non intelligendam aduerſariam eiuſmodi neceſſitati. Sic enim Apoſtolis vellentibus ſpicas patrocinatur, quod eſurierint, hoc eſt, miſericordia eguerint in ea neceſſitate. Quare multo magis votum caſtitatis cedere debet miſericordiæ, ſi vrens libido neceſſitatem nubendi fecerit, volet enim miſericordiam magis quam illiberale illud caſtitatis ſacrificium. Edat ergo & hic Dauid noſter panes prohibitos cum fiducia, & dicat: *Caſtitatis votum propter hominem factum eſt, non homo propter votum caſtitatis.* Itaq; Dominus eſt Filius hominis, etiam voti & caſtitatis. Non autem ſic ſe habet in re fidei erga Deum, quia non Deus propter hominem, ſed homo propter Deum eſt, De qua ſpirituali lege alias & alibi.

Apoſtoli vellentes ſpicas ſabbato.

Proinde gratias agat, qui hanc veritatem & ſuauiſſimam libertatem fidelium Chriſti intelligit, & ſecutus fidenſque coniugium ineat, ſi continere non poteſt & inſanos puppas cum ſceleratis & impijs, tum legibus tum minis ſuis contemnat, qui in ſua illa ſacrilega Decretali, de Vit: & ho: Cle: blaſphemare audent: *In coniugio non poſſe Deo ſeruiri.* Quid enim hoc eſt niſi nuptias arguere perfidiæ, impietatis, & vniuerſæ apoſtaſiæ? Scilicet tibi Papæ Satanæ miniſtro Abraham & vniuerſi Patriarchæ, Zacharias & Elizibet non ſeruierunt Deo? Sed quid cum iſtis monſtris ſeipſis etiam monſtroſioribus ago? quos præ nimia blaſphemandi rabie fugiendos & fugandos eſſe definitum eſt.

Luc. 1.

PORro, quod multi cauſantur moleſtiam coniugij, atque ideo continendum ſuadent, humaniter quidem ſed ſtultiſſime ſapiunt, Scilicet, vt moleſtiam vitare doceas, ad carnificinam conſcientiæ inuitas? Nos non docemus coniugium, quod moleſtum non ſit, nec tale promittimus, Sed licitum & liberum eſſe volumus, vt contineat, qui poteſt, quamdiu volet (conſcientiam liberamus moleſtia non coniugium) Quanto autem felicius eſt, bis moleſtum coniugium tolerare, quam perpetuo conſcientiæ aculeo cruciari? Moleſtiam hanc Deus impoſuit, & eam tulere omnes ſancti Patriarchæ. Paulus eandem moleſtiam prædicit nubentibus, ſed non diſſuadet neque damnat, *Tribulationem* (inquit) *carnis habebunt huiuſmodi.* Sed non ait: Nolite tribulationem carnis iſtam ſubire, Nec dicit: Mala eſt & damnabilis, Imo lucrum eſt, ſi eam recte & pie tuleris. Moleſtum eſt in carcere pro Chriſto vinciri, Sed nunquid ideo diſſuadebis? Nonne potius hortaberis, vt con-

Moleſtia coniugij. — *1. Cor. 7.*

vt conſtanter ferat? Nos his,qui ocij & voluptatis cauſa nubunt, nihil ſcribi-
mus,quibus recte euenit moleſtia pro voluptate,Sed his ſcribimus, qui peri-
culum ſalutis,neceſſitatem peccandi,impoſſibilitatem continendi cum vni-
uerſo tartaro conſcientiæ mutare cupiunt,quauis moleſtia vel labore, qui nō
Coniugij contem-ptores. in voluptate,ſed bene viuere volunt. Ducant illi in bonis dies ſuos,Nos dici-
mus noſtris coniugibus: *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo.* Sed nec tu vn- *Gen. 3.*
quam credas eos feliciter continere, qui moleſtiæ vitandæ gratia abſtinent à
coniugio. Experientia enim docet,vt contineant egregij iſti coniugij contem-
ptores, & caſtitatis iactatores, Cum illi ſolum contineant,non qui fugiunt
moleſtiam,ſed quibus datum eſt, vt propter regnum cœlorum contineant.
Et quid tandem ad nos,quid iudicent Bullæ? Faciamus quod bonum eſt, per
infamiam & bonam famam, Dominus iudicat populos & orbem terræ in
æquitate, Omnis homo mendax, ſolus autem Deus verax, Ipſi ſit gloria in
æuum, Amen.

DE VIDVIS APVD PAVLVM
1. Timoth. 5.

RElinquus eſt locus vnus,quem pro votis fortaſſe face-
re aliquis putabit. Is eſt Pauli 1.Timoth.5,de apoſtatis viduis,di-
centis hoc modo: *Cum laſciuierint aduerſus Chriſtum, nubere vo-* *1. Tim.5.*
lunt,habentes damnationem,quia fidem primam irritam fecerunt.
Ex hoc loco non obſcurum eſt veniſſe celebre illud Auguſtini
verbum,quo definit, Sanctimonialibus non ſolum nubere,
Auguſtini dictum celebre. ſed & velle nubere,damnabile eſſe.Sed Paulum prius videamus, qui ſi non
hoc cogit,nec Auguſtinus quippiam coget Primum hoc certum eſt,Paulum
prorſus nihil loqui de vouendi inſtituto,Neque enim Eccleſia primitiua hoc
voti genus vnquam nouit,ſed de viduis loquitur, quæ alebantur Eccleſiæ fa-
Ignorauit vota Eccleſia primitiua. cultatibus, & curabantur miniſterio Diaconorum, Quale exemplum in
Act.6. legimus,Nihil ibi de viris religioſis, nihil de virginibus, ſed de paupe- *Actor.6.*
ribus viduis agit,quarum cura in lege Moſi inſtantiſſime commendatur.Nam
in eodem capite Paulus definit viduas,quæ poſſint ali à ſuis,non debere ali fa-
cultate Eccleſiæ Dicit enim: *Si quis fidelis habet viduas,ſubminiſtret illis, & non* *1. Tim.5.*
grauetur Eccleſia,vt ijs quæ vere viduæ ſunt,ſufficiat. Rurſus viduas,quæ paren-
tes aut filios habeant,æque ſecernit,dicens: *Si qua vidua filios aut nepotes ha-*
bet,diſcat primum domum ſuam regere,& mutuam vicem Parentibus reddere,hoc
enim acceptum eſt coram Deo. Veram autem viduam facit eam, quæ nec paren-
tes nec filios,nec vllos habeat, à quibus curetur. Sic autem dicit: *Quæ au-*
tem vere vidua & ſolitaria eſt,ſperat in Deum,inſtat orationibus & obſecrationi-
bus die & nocte.

Duo genera vidua-rum Paulus damnat. Inter has igitur inuenit duo genera, quæ damnet, Vnum quod in de-
licijs viuit,ſcilicet earum, quæ relictis ſibi opibus, diuites ſunt, vnde ſeipſas
curent, De ijs dicit: *Quæ in delicijs eſt,viuens mortua eſt.* Alterum, quod
ab Eccleſia ſuſceptum erat propter paupertatem, ſed hæ cum eſſent iunio-
res, alienis facultatibus ſaginatæ laſciuiebant. Et quæ in propria paupertate
à nullo fuiſſent petitæ,nunc in alienis laboribus pingues vltro petunt nube-
re.Sed nec hoc in eis damnat Paulus, quod nubere volunt, ſed quod fidem
primam

Digitized by Google

primam irritam fecerunt, Sic enim dicit: *Habentes damnationem quia fidem primam irritam fecerunt.* Alioqui contra ſeipſum diceret, vbi ſequitur: *Volo iuniores nubere, filios procreare.* Fides vero in eo loco votum non poteſt ſignificare, neque enim vouerant viduitatem, neque in tota Scriptura fides votum ſignificat, ſed fides Christi ea eſt, quam vt ſecurius nuberent, abnegauerunt, & ad Iudaiſmum vel gentilitatem redierunt, id quod probant circumſtantiæ & ſequelæ, Sequitur enim: *Iam enim quædam retro conuerſæ ſunt poſt Satanam, Et iterum: Simul diſcunt loqui, quæ non expedit.*

Fides prima.

Hęc certe dicuntur de apoſtaſia fidei & doctrinæ, vt ſatis notum eſt, Eodem ſpiritu & in 2. ad Timoth. ſcribit: *Demas me reliquit, diligens hoc ſeculum, Et iterum: Scis, quod auerſi ſunt à me omnes, qui ſunt in Aſia,* Si enim non peccaſſent in fidem, non de eis loqueretur hoc modo, ſed mandaret eos curari, quo modo fornicarium apud Corinthios. Quare concludimus. Fidem primam eſſe Christanam fidem, à qua multi in primitiua Eccleſia apoſtatabant, cum adhuc eſſet nouella, Et hanc apoſtaſiam maxime arguunt Apoſtoli, in quam & autor Epiſtolæ ad Ebræos inuehitur, dum aſſerit eſſe impoſſibilem renouationē ſalutis, iis qui ſemel prolapſi ſunt, videlicet, quod ij qui labebantur, arbitrabantur, etiam alia fide, nempe propria aut iudaica, ſeſe ſaluos fore. Nihil ergo ad vota pertinet locus iſte, multo minus ad religionum vota. Sed & hoc magnum argumentum eſt, de fide Christi eum loqui, quod ait: Cum aduerſus Christum laſciuierint. Aduerſus Christum laſciuire eſt non ſola libidine carnis inſanire, ſed contra fidem eius ob laſciuiam conari, & negata eius fide alio ſpectare.

1. Tim. 3.

Fides prima.

Ebr. 6. 10.

De loco ad Ebræos. 6.

Aduerſus Christum laſciuire.

SEd finge Apoſtolum de votis, & non de viduis loqui, iam fortiſſime omnium pro nobis facit, Et nullus Scripturæ locus tam potenter euidenterque vota & religiones damnat, vt plane optandum ſit, eum vel loqui vel intelligi de votis. Si enim de votis ſentit, manifeſtum eſt, corrigi & damnari vota in futurum, vtcunque illæ in præteritis peccauerint. Dicit enim: *Viduas iuniores deuita.* Et iterū: *Volo iuniores nubere.* Quare poſt hanc Apoſtoli definitionem prorſus nulli licuit vouere, niſi annos nato ſexaginta, Elige ergo vtrum volueris, Aut Apoſtolus loquitur de votis, vel non loquitur de votis, Si non loquitur de votis, nihil vrget hic locus, Si loquitur de votis, correcta & damnata eſt ab ipſomet vita deuotaria ante ſexageſimum annum, & patrona erit noſtræ ſententiæ Autoritas iſta fideliſſima, vt ſecuriſſima ſit conſcientia, ſi vota ſua caſſauerit.

SVmma, cum abunde ſatis dictum ſit, hoc vitæ genus pugnare cū Euangelio, dum facit peccatum in cibis, veſtibus, poribus, locis perſonis, operibus, geſtibus, in quibus Christus nullum peccatum facit, ſed libera eſſe iuſſit, nec ſubſiſtere poſſit, niſi peccatum eiuſmodi faceret & conſcientias illaquearet, vt eſt omnium euidentiſſimum (ſtatim enim euaneſceret, ſi libera hæc eſſe putarent, & conſcientias non tenerent) Simul euidentiſſimum eſt, eiuſmodi vota eſſe nulla, illicita, impia, & Euangelio pugnantia. Quare non eſt diſputandum, pia vel impia opinione voueris, cum certum ſit, impias res à te voueri. Proinde fidendum eſt Euangelio, & vota iſta, quocunque caſu, quocunque animo, quocunque tempore emiſſa, cum tota fiducia deſerenda ſunt, & ad libertatem fidei Christianæ redeundum. Hæc mea eſt firma & indubitata ſententia, de qua benedico & gratias ago benigniſſimo Liberatori Domino noſtro Ieſu Christo, qui eſt benedictus in ſecula, Amen.

HÆc pro tempore de monaſtica volui dicere plura dictu- rus, ſi quis ea impetierit, Quanquam ſic arbitror omnia Scripturis & Rationibus euidentibus munita, vt non ſolum poſsint Aduerſariorum os oppilare (quod parum ſpectaui) ſed etiam Conſcientias fideliter erga Deum erigere & ſecuras facere, id quod maxime ſpectaui. Illaqueatis enim diuturnis legibus, conſuetudinibus, proprijs pauoribus & ſcrupulis, deinde ſanctitatis autoritate, multitudine & magnitudine hominum, maxime vero diuinis Scripturis erroneo ſenſu altiſsime imbibitis, certe difficilimum eſt mederi & libertate tam lætam, tam deſperatis & iamdudum in inferno deploratis perſuadere.

Nam & hæc pugnent & triumphent aduerſus Papam & ſuas Synagogas, infinitum illud Academiarum, Monaſteriorum, Collegiorum vulgus, non magnopere gaudeo, Quid enim ad nos, quid ſapiat perditum hoc Papæ & peiorum Turcarum regnum, quod iamdudum contempſi? Nobis hoc curæ eſt, vt Conſcientias roboremus aduerſus Satanam in hora mortis, & ſecuras reddamus ante Filium hominis. Inſaniant homines, vt vt volunt, in morte ſaltem nos relinquent ſiue victi ſiue victores. At coram Satana & iudicio Dei quis ſubſiſtet, niſi certiſsimis & euidentiſsimis verbis Dei munitus, ſteterit ſupra petram & cuſtodiam ſuam, auditurus quid contradicatur ei, qui poſsit dicere Deo ſine hæſitatione & trepidatione cordis, Hæc tu dixiſti, qui mentiri non potes.

Vnde & ego per Chriſtum oro omnes, qui meo voluerint hoc conſilio vti, & deſerta monaſtice libertati ſeſe reddere, vt ante omnia ſuam conſcientiam probent, ne forte hoc tentent nouitate rei allecti, aut ſolo hominum contemptu vel odio. Nam ij in morte, ſuſcitata & vexata per Satanam conſcientia de apoſtaſia, de ſoluto voto &c. non ſubſiſtent, ſed ad ſacrilegam pœnitentiã ſpectabunt, fientque nouiſsima peiora prioribus. Opus eſt enim hic ſolis verbis Dei puris fortiter inniti, & ne iudicio quidem Dei cedere, cum ſciamus, veracem eum eſſe, ſeſe negare non poſſe. Verba autem, quæ huc valeant, ea ſunt, quæ ſupra poſuimus, in quibus ſolus Chriſtus nobis lux & dux præficitur, & quidquid eſt ab hominibus inuentum, damnatur.

Ipſe igitur dulcis Dux & Lux noſtra Ieſus Chriſtus illuſtret & roboret cor noſtrum, in virtute ſua propria & verbo ſalutari in vitam æternam, Cui eſt gloria & imperium in ſecula ſeculorum, Amen.

M. D. XXII. Menſe Ianuario.

1. Petri. 2.

Quaſi liberi & non quaſi velamen habentes malicia libertatem, ſed ſicut ſerui Dei.

Galat. 5.

Galat. 5.

In libertatem vocati eſtis tantum ne libertatem detis in occaſionem carni.

Deinde quod dulciter compellat & dicit, Chariſſimi, nolite peregrinari in feruore qui in vobis eſt &c. Solicitus eſt pro nobis, ne hanc Regulam à ſe præſcriptam, aliqua tentatione capti deſeramus, peregrinandi vocabulo vtitur quod græce eſt μὴ ξενίζεσθαι nolite hoſpitari, nolite hoſpites fieri, non vnam figurã vet: teſt; ſpectans eo verbo. Vult enim id, quod Paulus Ephe. 4. ne fluctuemus & circumferamur omni vento doctrinæ, ne nos inuitari ſinamus ad ſacrificia Moabitarum, nec hoſpites fiamus omnium gentium, quæ circum nos ſunt, ſed in propria & domeſtica doctrina perſeueremus. Feruorem, qui in vobis eſt, ſpiritum propriũ intelligit, qui figuratus eſt verbo conflandi. Vnde in vet. teſt. Idola conflari, & conflatilia fieri, id eſt, dogmata impia operum componi dicuntur. Hunc ſpiritum, in nobis & inter nos non deſore prædicit, ſed ne per ipſum peregrinemur, in tentationem & in ſcandalum præmonet. Erant enim futuri & fuerunt eruntque hæc molientes in nobis. Sed nolite (inquit) à domeſtica veſtra regula declinare, quaſi aliquid peregrinum vobis accidat, hoc eſt, certi eſtote, nihil noui docebitur à Deo, id quod audiſtis verbum æternum eſt, manens in ſeculum ſeculi. Quod ſi quid noui & peregrini acciderit, ſcitote, aliunde quam à Deo venire, vt vos auocet & peregrinari faciat. Quo verbo plane futurum Papiſtarum mendacium præoccupauit, quo dicunt, Non omnia eſſe à Chriſto & Apoſtolis dicta & inſtituta, ſed Eccleſiæ plurima dicenda & inſtituenda relicta. Hoc eſt peregrinum & nouum, quod negat Petrus nobis accidere debere aut poſſe.

His ſubiecta videas, quæ ſupra folio 539. deſiderata notauimus.

Mendacium Papiſticum, Non omnia à Deo eſſe ſufficienter inſtituta.

Omnia ergo, quæ non ſunt verba & opera Dei, hic damnat Petrus, hoc eſt, vota monaſtica ſoluit.

EPISTOLA D. M. L. IN QVA REDITVM SVVM ex Pathmo excuſat Duci Friderico Electori.

IESVS.

GRATIA ET PAX A DEO PATRE NOSTRO, ET DOMINO NOSTRO IESV CHRISTO, Amen. Cum debita Officiorum meorum ſubmiſſione.

ILluſtriſsime Princeps, Domine clementiſsime, Diligenter & accuratè mecum ipſe perpendi, prouidendum mihi eſſe, ne vel quid oneris & inuidiæ CL. V. cumularem, vel moleſtia aliqua afficerem, ſi inexplorata voluntate CL. V. nec permiſsione reditus impetrata VVittembergam ſubito me reciperem. Quia ſpecioſa quadam veri ſimilitudine exaggerari poſſent diſcrimina & pericula, quæ & perſonæ & ditioni, ac ſubdi-

ac ſubditis CL.V. propterea impendere viderentur, inprimiſque mihi ipſi, vt cui iam edictis, fulmine, & autoritate Pontificia & Cæſarea damnato, & quantũ in ipſis fuit, infra mortuos amandato, ſingulis horis violentus interitus expectandus ſit. Verum quid faciam? Vrgent me cauſæ ineuitabiles, Deus cogit & vocat, Hic nulli creaturæ tergiuerſandum eſt, Age, fiat igitur in nomine Ieſu Chriſti, qui eſt Dominus vitæ & mortis.

NE tamen ignorat Clementia veſtra cauſas mei facti iuſtas & neceſſarias, conſtitui nonnullas, quibus iam præcipue moueor, fideliter CL.V. commemorare.

Principio autem non ſic intelligat hoc meum factum, quaſi faſtu quodam inductus, & contemptu potentiæ Cæſaris, aut CL. V. aut vllius denique Magiſtratus hoc mihi cœperim conſilij. Quanquam enim accidit interdum, vt humanæ poteſtatis imperium detrectandum ſit. Verbi cauſa, Si decernat aliquid uerbo Dei contrarium ſeu repugnans, Tamen nunquam ipſa poteſtas contemnenda, ſemper vero inſigni honore afficienda eſt. Nec enim Chriſtus, quia Pilati ſententiam non iuſtificabat, ſed improbabat, idcirco vel illum, vel Cæſarem de ſolio detrudebat, aut inſolenter & ſuperbe deſpiciebat.

PRima cauſa conſilij mei eſt hæc, Quod vocatus ſum literis Eccleſiæ & populi Vuittembergenſis, idque precibus ac ſolicitationibus ſane multis. Cum igitur negari minime poſſit, quod per me hæc emendatio doctrinæ religionis in hac Eccleſia cœpta ſit, & fateri me cogar prope addictum & debitum miniſtrum illius Eccleſiæ, ad quam me Deus vocauit, non potui vllo pacto de me recuſare, quin accurrerem, niſi Chriſtianæ charitatis fidelitati & operi renunciare vellem.

Etſi autem mihi nota ſunt iudicia multorum, qui totum hoc negocium, & doctrinæ emendationem, tanquam diabolicam ſementem deteſtantur, condemnant, & hanc, quam attuli, cauſam, prorſus futilem & nullius momenti eſſe ſtatuunt, Et minus abhorrere ab æquitate putant, ſi VVittemberga & quidquid ibi diuinitus inchoatum eſt, omnibus diris deuotum, immenſis terræ hiatibus abſorbendum, relinqueretur. Ob horum tamen ego impietatem non excuſor, Nam Deus me non iudicabit ſecundum aliorum, ſiue multi, ſiue pauci fuerint, fidem aut incredulitatem, ſed iuxta meæ conſcientiæ certitudinem. Certo autem ſcio, & firmiſsime perſuaſum habeo meum verbum, ſeu initium mei Euangelij non à me, ſed à Deo profectum eſſe. Nec vllum genus mortis aut perſecutionis Deo iuuante hoc mihi excutiet, aut diuerſum docebit, Et videor mihi recte diuinare, nullis terroribus aut ſæuitia hanc lucem aboleri poſſe.

ALtera

ALtera cauſa eſt, Quod VVittembergæ, me abſente, Satanas irruit in gregem meum, & vt iam vbiq; omnium clamores teſtantur, idq; veriſsime, tantum excitauit turbarum, vt mihi ſcriptis duntaxat hos tumultus reprimere & ſedare non ſit integrũ, Sed neceſſe eſt me viuum, præſentem, loquentem & audientem ibi agere, adeſſe, præeſſe & prodeſſe. Itaq; nullius moræ ſpacium aut dilationem vlteriorem mea conſcientia ferre potuit, Nec ſolum CL. V. vel offenſionem vel beneuolentiam, ſed etiam totius mundi vel odium vel furores, tantæ Eccleſiæ neceſsitati poſthabenda duxi, Hic enim certe eſt Grex meus, à Domino mihi commiſſus & traditus, hi ſunt filij mei in Chriſto.

Quare hic omnis dubitatio mihi præciſa, & diſputatio ſublata eſt, ceſſandum ne, an accurrendum eſſet ad eos, pro quibus vitam quoq; profundere & mortem oppetere debeo, Quod & faciam cupide & alacriter, Deo iuuante, quemadmodum requirit à nobis Chriſtus Iohan. 10. Quod ſi literis, vt hactenus, tanto vulneri mederi potuiſſem, nec opus fuiſſet me accerſi, etiam in perpetuum carere conſpectu VVittembergæ non dubitarem, cum etiam hunc ſanguinem & hanc animulam proximo meo debeam.

TErtia cauſa eſt, quòd admodum vereor (valdeq; angor animo me nimis vera timere) ne qua magna & horribilis ſeditio in Germania oriatur, qua natio Germanica graues pœnas det contemptus & ingratitudinis beneficiorum Dei. Videmus enim quanta cum approbatione, applauſu, gratulatione & concurſu Euangelium à plurimis accipiatur. Sed in populo multi hoc beneficium carnaliter accipiunt, cernunt apertis oculis veritatem, nec tamen ea, vt debent, vtuntur.

His facem admouent illi, quos moderatione ſua hanc tempeſtatem ſedare oportuit, aggrediuntur manifeſta vi & immanitate ad hoc diuinitus accenſum lumen extinguendum, nec ſentiunt animos hominum hac amentia magis magiſque exacerbari, & ad concitandam ſeditionem quaſi claſsicum cani. Ac mihi quidem de induſtria hoc moliri, hoc agere videntur, vt vel ſe, vel certe poſteros ſuos perdant, Quod citra dubium ita conſilijs Dei gubernatur in pœnam illorum, Nam tyrannis Eccleſiaſtica iam debilitata & fracta eſt, quam ego ſolam mihi propoſitam habui ſcribendo. Nunc video Deum vlterius progredi, & aliquando idem facturum, vt fecit Ieroſolymæ, cum & Eccleſiaſticam gubernationem & politicam, perſecutione Euangelij & alijs furoribus ab ipſis conturbatã funditus euertit. Ego n. recens hoc diſcere cœpi, non tantum eccleſiaſticam aut ſpiritualem, ſed etiam politicam & ciuilem poteſtatem cedere Euangelio oportere, ſiue cum bona ſiue cum mala gratia, vt omnes hiſtoriæ biblicæ euidenter oſtendunt.

Cum autem Deus poſtulet per Ezechielem, vt ipſi opponamus nos tanquam murum pro populo, Ideoq; & ego neceſſarium eſſe duxi hac de re cum meis communi conſilio & ſtudio, docendo, monendo, hortando omnia agere, quæ poſſumus ac debemus, vt iram & iudicium Dei aut auertamus aut certe aliquandiu differamus. Quanquam igitur hæc res fortaſſe & ipſi mihi fruſtra ſuſcepta & hoſtibus meis ridicula videbitur, cum ad eos delata fuerit: Tamen ego debere me iudico omnia facere, quæ video & exiſtimare poſſum profutura. Nam hoc auſim vere affirmare, & CL. V. velim eſſe quam certiſsimum, longe aliud in cœlo quam Norinbergæ in Conuentu pronunciatū & concluſum eſſe, Et breui cernemus, quod illi, qui nunc ſomniant ſe penitus deuoraſſe Euangelium, & quaſi crudum in aluum tranſmiſiſſe, nondum has ipſas epulas illibatas precibus de more conſecrarint.

PLures etiam cauſæ commemorari poterant, quæ mihi nondū vim faciunt, ideoque eas perſequi cogitatione deſiſto, nec altius inueſtigo, Nimium illa roboris & firmamenti habet, quòd Euangelium laborare & premi incipit, Ideoque hic neminem mortalium curare aut reſpicere debui.

Hæc cum ita ſint, oro CL. V. vt clementer & boni conſulat aduentum meum in oppidum CL. V. ea ignorante, & iniuſſu eius, Nam V. quidem CL. Dominus eſt mei corpuſculi, & fortunularum, Chriſtus vero etiam animarum, ad quas me miſit, & ad quarum curam me exuſcitauit. Has nequaquàm mihi deſerendas eſſe iudico. Spero & confido, Dominum meum Chriſtum potentiorem fore noſtris inimicis, & me contra illorum furores defenſurum & ſeruaturum, cum volet. Sin minus, fiat eius bona voluntas, de me quidem nihil periculi vel aduerſi exiſtet CL. V. Hoc ſecure auſim promittere. Ad extremum CL. V. diuinæ miſericordiæ & bonitati commendo. Datum VVittembergæ, Die Veneris poſt inuocauit, Anno M.D.XXII.

CONTRA HENRICVM REGEM ANGLIAE

Martinus Lutherus.

M. D. XXII.

IESVS.

GENEROSO ET NOBILI VIRO D. SEBASTIANO SCHLICK COMITI IN PASSVN, DOMINO in Elbogen &c. ſuo in Chriſto Maiori, Martinus Lutherus Eccleſiaſtes VVittemberg:

Gratia

GRatia & pax in Chriſto. Tertius & amplius annus agitur (Generoſe Comes) quod furioſus Papiſtarum populus me inſimulat fugæ ad Boemiam, idq; mirum in modum ſitit audire, ſcilicet homines belli, hac ſola fama triumphaturi, gloriaturi, & clamaturi: Vicimus, Hæreticus fugit ad hæreticos. Sic enim vecors illa & indoctiſsima Papiſtici corporis Belua, poſtquam videt ſeſe eruditione & veritate victam, nec poſſe ſtare totam colluuiem ſuorum aſinorum aduerſus vnum Lutherum, torquetur & vritur, vnicum hoc reſpiraculum ſuſpirans, vt fugiam in Bo-
Gen. 6. emiam, Vt ſaltem opprobrio alieni nominis ſeſe ſolentur, & terribiles Emim ſeſe fingant, qui præ ſua inſcientia & mala conſcientia, nullibi audent comparare.

Apparui ego iam tertio, coram eis, denique Vuormatiam ingreſſus ſum, etiam cum ſcirem mihi violatam eſſe à Cæſare fidem publicam, (Nam didicerunt Principes Germaniæ olim de fide laudatiſsimæ Gentis, nunc in obſequium idoli Romani, nihil magis, quã fidem contemnere, in perpetuam nationis ignominiam) Sic auſus eſt fugitiuus ille & meticuloſus Lutherus in gyrum dentium Behemoth inſilire. At illi tremendi Gygantes quid? Toto hoc triennio non eſt inuentus vnus, qui ad nos Vuittembergam concederet, & coram nobis etiam ſtaret, cum & certiſsimi ſint de fide & tutela (nempe ſub Cæſaris ſui præſidio acturi omnia) Adhuc audent homines effœminati & excordes ſperare triumphum, mea fuga fœdiſsimam ſuam ignominiam honeſtaturi, qua toto orbe celebrantur, ſeſe præ ruditate & pauore animi, non audere in conſpectum vnius Lutheri prodire. Quid putas hæ fragiles Bullæ facerent, ſi & ipſi cogerentur ſe coram aduerſario Cæſare & hoſtibus præualentibus ſiſtere? Scilicet in mille diuerticula fugerent miſeri, qui nunc in cuniculis ſuis ſicut ſorices muſsitant, Lutherus meditatur fugam.

SIc & Rex Angliæ hoc libro multa ſaliua blaterat, de fuga mea in Boemiam, homo ſapiens ſcilicet, qui credit ideo ſuum librum eſſe victorioſum & digne ſcriptum, ſi ad Boemos Lutherus fugerit, tam vecors & muliebris eſt ſtolidi Regis inuidia.

Ego vero, quamuis ardeat animus videre Boemiam, & religionem papiſticis monſtris tam odioſam, tamen hactenus abſtinui & abſtinebo, Non quod opprobrium nominis metuam, quod celeberrimæ Nationi viliſsima hominũ fex, Papiſtæ, cum ſumma perfidia & iniuria inuſſerunt. Nam iuſtiſsima cauſa Boemi homicidas iſtos & Antichriſtos Papiſtas deſeruerunt, poſtquam innocentem virum Iohannem Huſs ipſi ſepties hæretici exuſſerunt, & vtramq; ſpeciem à Chriſto inſtitutam ſacrilege

damnauerunt. Hæ enim ſunt cauſæ odij papiſtici in hanc Gentem,nec aliquando purpuratæ iſtius meretricis ſpurij agnoſcunt ferale ſuum homicidium, & damnati Euangelij ſacrilegium, quin pergunt furorem ſuum tueri, & opprobrium,quo ipſi coram Deo inſignes ſunt,alienæ & innocenti nationi imponere.

Non ergo opprobrium Boemici nominis metuo, quæ gloria eſt coram Deo, ſed quod Chriſtus me hic poſuit, vt torqueam papiſtica monſtra,dum nihil inuenire in me poſſunt, quod iactare vellent,in ſuæ incredibilis inuidiæ reſpiraculum. Cruciari eos vult Chriſtus ſua ipſorum inuidia,& dirumpi propria malicia. Expecto igitur eos hic, & expectabo impotentiſsimam eorum inuidiam,egregie irritaturus & torturus,donec vixero. Si autem me occiderint,multo maxime cruciaturus.Sic enim datus ſum illis in portentum à Domino meo Chriſto, vt ſiue me viuificent, ſiue occidant,nihil gratiæ,nihil pacis,nihil ſolatij habitura ſit furialis eorum conſcientia,vt duplici contritione conterantur,& præſentis inuidiæ cruce æternam mereantur gehennæ torturam. Inſtat enim mors Papatus abominabilis, vrget eum ineluctabile ſuum fatum, & (vt Daniel ait) ad finem ſui venit, & nemo auxiliabitur ei.Ita concurrimus vtrinque, illi extremo furore,ego ſummo contemptu, & vincet audacia mea in Chriſto nouiſsimam illorum, & iam pallentem furiam.

Aliam vero fugam in Boemiam meditor,ne nihil veri vaticinentur ſibi papiſtici Pythones,ſed de qua maiorem compunctionis Spiritum ſint paſſuri,hæc eſt,iuxta illud Moſi: Prouocabo eos in non gente,& in gente ſtulta irritabo eos. Nam tantum meis Libellis breui (propicio Chriſto) efficiam, vt Boemi à ſuo opprobrio liberi, ſoli autem Papiſtæ ſint nomen abominationis in orbe terrarum,vt maledictum & Anathema ſit,eſſe Papiſtam. Non quod omnia Boemorum probem, cum eorum res ignorē, & ſectas eſſe inter eos audiam, ſed quod Papiſtica turba illis comparata fœtor & nauſea futura ſit in toto mundo, qui nihil niſi ſectæ ſunt ipſi adeo.vt ſoli Franciſcani inter ſeſe ferme ſex ſectis ſciſsi ſint.

HÆc autem ad te ſcribo, Heros Generoſe, vt mihi initium huius fugæ captem apud te, qui regnas in Boemiæ initio, confinis Germaniæ,vt per te tuamq; ditionem procedam in totam Boemiam.Rex laicus ſcripſit ad ſacerrimum ſuum Pontificem.Ego quondam miſeratione Papæ clericus,ſcribere debui ad Chriſtianiſsimum laicum. Audio enim te incredibili ſtudio

feruere in puram Euangelij veritatem, & abominationes & ſcandala Romanæ peſtilentiæ vndique è tuo Dominio profligari. Macte virtute, clariſſime Heros, ſic abolebitur opprobrium Boemici nominis, & redibit meretrici in ſinum ſuum ſentina illa mendaciorum & fornicationum ſuarum, vt reuelentur pudenda eius orbi terrarum ad ſempiternam ignominiam. Hoc ſit initium fugæ meæ, hæc ſpes optimi exempli, quod imitentur reliqui Boemiæ Heroes & Magiſtratus, Sic non modo in Boemiam fugero, ſed & habitauero in ea, etiamſi hic me exuſſerit illaudatæ meretricis furor. Inuidiam tamen eius ſimul & ſuccendero, & vicero in Chriſto. Nihil erit illi amplius proſperum. Chriſtus ſic ſtatuit, Amen.

Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti ſeruet & augeat te optime Heros in æternum, Amen VVittembergæ 15. Iulij. Anno M.D.XXII.

EA cæcitate & amentia percuſſit Dominus noſter Ieſus Chriſtus vniuerſum iſtud Regnum abominationis papiſticæ, vt iam totum triennium cum vno Luthero, ipſi infiniti vulgi Cyclopes belligetantes, nec dum intelligere poſſint, pro qua re mihi cum ipſis bellum ſit, fruſtra tot Libellis à me editis & palam teſtantibus, hoc ſolum à me quæri, vt diuinæ literæ ſolæ regnent, ſicut dignum & iuſtum eſt, humanæ vero inuentiones & traditiones è medio tollantur, ceu nocentiſſima ſcandala, Aut execto veneno & euulſo aculeo, id eſt, vi cogendi & imperandi, & conſcientias illaqueandi erepta, liberæ & indifferentes tolerentur, ceu quælibet alia peſtis aut infelicitas mundi. Nam ipſi perpetua inſania perciti, contra me nihil mouent, niſi ſtatuta hominum, gloſas Patrum, & facta ſeu ritus ſeculorum, ea ipſa ſcilicet, quæ nego & impugno, quæ & ipſimet confitentur infida eſſe, & frequenter erronea fuiſſe. Ego de iure diſputo, & ipſi de facto mihi reſpondent. Ego cauſam quæro, ipſi opus exhibent. Ego interrogo, Qua poteſtate hæc facitis? Ipſi dicunt: Quia ſic facimus & ſic fecimus. Sit pro ratione voluntas, pro autoritate ritus, pro iure conſuetudo, idque in rebus Dei.

Eſt apud eos ipſos in Scholis ſuis vitroſiſſimum genus diſputandi, quod vocant petitionem principij. Hoc diſcunt & docent vſq; ad canos, vſq; ad ſepulchrũ, tot ſudoribus, tot ſumptibus miſerrimi homines. Vbi vero ad vſum doctrinæ ſuæ veniunt, nihil aliud poſſunt, niſi vitioſiſſime principium petere. Ita fit, vt ego clamem: Euangelium, Euangelium, Chriſtus, Chriſtus, Ipſi reſpondeant: Patres, Patres, Vſus, vſus, Statuta, ſtatuta. Vbi vero dico, Patres, vſum, ſtatuta ſæpius erraſſe, oportere eiuſmodi firmiore & certiore autoritate munire. Chriſtum vero non poſſe errare. Hic piſcibus magis muti, & vt Scriptura dicit, ſicut aſpides ſurdæ, obturant aures, ne audiant vocem incantantis. Aut hoc denuo quod ſemper in ſumma natat ſaliua, mihi reddunt: Ambroſius ſic dicit, Tu ne doctior es Ambroſio? Tu ſolus ſapis? ac præterea nihil. Quaſi diſputatio noſtra ſit de doctina Ambroſij & mea, aut quaſi & ego non poſſim dicere: Tu Ambroſium male intelligis & deprauas. Obſecro, quis finis eſt cum cæcis iſtis & furioſis & amentibus diſputandi?

Petitio principij.

TAlis eſt & hic Liber Regis Angliæ, qui perpetuo textu aliud nihil agit, quam vt traditionibus hominum, & gloſis Patrum & vſu ſeculorum vrgeat. Hic furit, hic maledicit, hic totus conuitia & virus eſt, quod illis doctior, ſanctior, maior haberi velim. Non contentus, quod talia illis permitto; vt libera habeantur. Sed neceſſarios nobis articulos fidei Deus ille nouus ſtatuit, quidquid ex hominibus dictum aut factum inuenerit, quos niſi credam, quantis furijs agitur, vt hæreticum, & neſcio quot portenta ex me faciat. Obſecro, vnde nobis ille nouus Deus Rex Angliæ, Creator nouorum Articulorum fidei? Vnum ego hactenus Deum noui, cuius eſſet Articulos fidei condere, & fidem exigere.

Verum, præ cæteris furioſis, Deus iſte nouus aliquid noui furoris aduehit, Illi enim Scripturas à me inductas conati ſunt vtcunq; torquere, & à ſuo ſenſu alienas facere, abſque Scripturæ ſaltem nomine & iactantia nihil auſi. Hic vero Deus noua ſua diuinitate mirum in modum inſoleſcens, ac certus, quidquid dixerit, fieri oportere aut factum eſſe. Id ex profeſſo etiam teſtatur, velle ſeſe dimittere capitale Fundamentum meum, & alijs relinquere expugnandum, ac ſolum ædificium labefactare, id eſt, ſtipula & fœno contra rupem verbi Dei pugnare, Vt neſcias an ipſa mania ſic inſanire poſſit, aut ipſa ſtoliditas tam ſtolida ſit, quam eſt caput hoc Henrici noſtri, Forte vt verum faciat Prouerbium, Aut Regem, aut fatuum naſci oportuit. Quis Morio enim ſic diceret: Ego aſſeram ſeptem Sacramenta, ſed intactum relinquam principale robur Aduerſarij? Crederes ab inſigni hoſte Regis hunc Librum editum in regis perpetuam ignominiam.

Aut Regem aut fatuum naſci oportuit.

SEd ne contemptum à me videatur tanti Regis nomen, & ſtulto iuxta ſtulticiam ſuam reſpondeatur, breui Libello ſtulticiam eius reuelabo, quantum per occupationes meas fieri poteſt, Latius alio tempore blaſphemum & maledicum hoc Regis os, & pro dignitate tractaturus. Nam quod ferme nemo credit, Regis hunc eſſe Librum, me non mouet, Volo enim Regis eſſe, cuius titulo vulgatur, & impetum meum in ſtolidum Regem vertere, qui paſſus eſt nomine ſuo ſophiſticos nebulones abuti, & tantis mendacijs & virulentia totum Librum implere, vt nulla imagine præſentius ſit expreſſus Leus ille vel Lei homouſius, aliquis ſcilicet grauedinoſus & frigida pituita Sophiſta, qualem in grege ſuo alerent craſſi illi porci Thomiſtæ, ne & Angliæ Pharaoni ſui deſint Iannes & Iambres.

Leus.

Non mihi igitur, ſed ſibi imputet Rex Henricus, ſi durius & aſperius à me tractatus fuerit, Non enim regio animo, aut vlla vena regij ſanguinis, ſed ſeruili & plane impudenti & meretricia impudentia & vecordia prodit, omnia, non niſi maledictis probans, & quod turpiſſimum in homine, nedum in ſummis viris eſt, palam & ex propoſito mentitur, vt Sophiſtam ex inſcitia & virulentia conflatum agnoſcere poſſis. Indulgendum erat ei, ſi humano modo erraret. Nunc cum prudens & ſciens mendacia componat, aduerſus mei Regis maieſtatem in cœlis, damnabilis putredo iſta & vermis, Ius mihi erit, pro meo Rege, & maieſtatem Anglicam, luto ſuo & ſtercore conſpergere, & coronam iſtam blaſphemam in Chriſtum, pedibus conculcare.

Thomiſtæ ſtupidiſ Sophiſtarum genus.

Deinde cum Thomiſtas conſtet eſſe tam ſtupidum & plane lethargicum Sophiſtarum genus, vt nihil craſſius & ignauius genuerit hominum natura, & Rex noſter Henricus optet hoc Libro videri egregius Thomiſta, dum inter cætera de charactere & vi ſacramentali in aquis ſomniat & ſtertit,

quæ

Digitized by Google

quæ portenta ipſi in Academijs ſocij Sophiſtæ amplius ferre non poſſunt, viſus eſt opus habere, vt aſperis verbis vellicetur, ſi qua de profundiſſimo lethargo excitati poſſit, & audire ſua ſomnia & lethargi ſui vanas ſpecies. Nam nulla cauſa & noſtris vicinis ſophiſticis is liber adeo placet, quam quod eſt egregie Thomiſticus, & habent ſuas labra lactucas.

2. Theſſal. 2. SI idolum Romanæ abominationis propter Chriſtum conculcaui, quod ſeſe in locum Dei ſtatuerat, Magiſtrumque regũ & totius mundi fecerat. Quis eſt iſte Henricus nouus Thomiſta, diſcipulus duntaxat tam ignaui monſtri, vt virulentas blaſphemias eius honorem? Sit ipſe defenſor Eccleſiæ, ſed eius Eccleſiæ, quam tanto libro iactat & tuetur, nempe purpuratæ meretricis, & ebriæ & fornicationum matris. Ego & Eccleſiam eius, & Defenſorem ipſum pro eodem ducens, vtroſque eodem impetu inuadam, & Chriſto Duce conficiam.

CErtus enim ſum, dogmata mea habere me de cœlo, quæ etiam aduerſus Eum triumphaui, qui in vngue nouiſsimo plus habet virtutis & aſtutiæ, quam omnes Papæ, & Reges, & Doctores, Vt nihil agant, qui Bullas nominum & titulorum contra me iactant, & Libellos ſub regiis inſcriptionibus venditant. Dogmata mea ſtabunt, & Papa cadet, inuitis omnibus portis inferi, & poteſtatibus aeris, & terræ, & maris. Ipſi me prouocauerunt ad bellum, bellum igitur habebunt, Pacem oblatam contempſerunt, pacem igitur non habebunt. Deus viderit, vter primo feſſus defecerit, Papa an Lutherus. Sic placet in Chriſto indies magis ac magis ſuperbire aduerſus inſulſos iſtos & ineptos Baſiliſcos, quo magis ipſi furunt. *Dogmata Lutheri de cœlo.*

PRiuſquam vero ad rem ipſam veniamus, primum diluam duo crimina, quæ mihi Thomiſticus Rex, præ impotentia ſua muliebri imponit, Quorum alterum eſt, Eſſe videlicet me mihi ipſi ſæpius contrarium, Hoc ſuum impudens mendacium, etiam contra propriam conſcientiam ſic per totum Librum vrget & eleuat, vt ſatis appareat, non ſcripſiſſe eum Libellum hunc ſtudio docendi, aut (vt ipſe fingit) aſſerendi ſeptem Sacramenta, Sed morbo virulentiſſimi animi ſui, quo cum inferius non poſſet conceptum virus & pus inuidiæ & malitiæ egerere nec digerere, ſuperius per os putidum euomendi occaſionem inueniret, nihil ſpectans, niſi vt mendaciis omnium os oblineret, & mihi inuidiã moueret, Fœdiſſimum ſane fit, quamuis ſordidam meretricem tam impudenti fronte & impotenti animo ſic mentiri & inſanire, Regium animum & ſanguinem alia decuiſſent.

Alterum eſt, quod conuitijs inſectatus ſum Pontificem & Eccleſiam, hoc eſt, lenonem & lenam, & ſedem Satanæ, cuius ipſe defenſor declaratus eſt nuper cum Indulgentijs.

VT ergo impudens eius mendacium traducam per orbem, dignum eſt hic ordine recenſere res, de quibus ego ſcripſi, Quarum ſunt duo genera.

Primum eſt de ijs, quæ in ſacris literis docentur, Nempe

1.		Fide,	11.		Morte,
2.		Charitate,	12.		Libero arbitrio,
3.		Spe,	13.		Gratia,
4.		Operibus,	14.		Chriſto,
5.	DE	Paſsionibus,	15.	DE	Deo,
6.		Baptiſmo.	16.		Iudicio nouiſsimo,
7.		Pœnitentia,	17.		Cœlo,
8.		Cœna dominica	18.		Inferno,
9.		Lege,	19.		Eccleſia,
10.		Peccatis,	20.		Et his ſimilibus.

Nam hæc ſunt demum rerum capita, quas Chriſtianum ſcire oportet, quæ & ſunt ad ſalutem neceſſariæ. Has ſic tractaui, vt nullus mihi poſſit impingere, vnquam aliter ſapuiſſe, quam ab ipſo ſcribendi principio ſenſi. Nunquam mihi contradixi, ſed eodem ſenſu ab initio, mihique ſimilis ſemper perſeueraui. Teſtes ſunt & Libri extantes, & vniuerſi qui legerunt, teſtis & ipſa mendacis Regis damnata conſcientia.

Proinde, Quis crederet tantum Regem non ſolum hoc audere mentiri, quod contrarium mihi me iactat, Sed & palam aſſerere, me ſic docuiſſe fidē, vt & opera bona vacare, & mala licere voluerim. Quaſi non ſint ſuperſtites homines, qui mea legerunt, & ſuum impudens mendacium arguere poſſint, cum & ipſum ſua conſcientia redarguat, vt qui ſatis teſtetur, ſeſe mea magna ex parte legiſſe, vt indignum plane ſit, huic Regi mendacijs tantum auſo reſpondere? cui id fuerat inprimis curandum aduerſus hæreſes ſcripturo, vt ne ſuſpitio quidem falſi in eo deprehendi poſſit, nunc vero totum ſeſe mendaciis inuoluit. Quis credat vlli parti ſcriptionis eius, qui per totum Librum tantum mendacium toties repetit & inculcat?

Progenies iſta viperæ ingenium naturæ refert, & Parentum ſuorum exemplum imitatur. Sic enim & Paulo, cum docuiſſet, ſola fide ſine operibus iuſtificari omnes filios Adam, imponebant, vt ſcribit Roman. 3. qui dicunt nos docere: Faciamus mala, vt veniant bona. Sed quod manet illos iudicium? Quorum (inquit) damnatio iuſta eſt. Quid & ego meo Baſiliſco dicam de ſuo mendacio, niſi idem damnationis iudicium? Rom. 3.

ALterum genus de ijs rebus eſt, quæ ſunt extra Scripturam, Nempe:

1.		Papatu,	7.		Academiis,
2.		Conciliorum decretis,	8.		Votis monaſticis,
3.	DE	Doctoribus,	9.	DE	Epiſcopis idolis,
4.		Indulgentijs,	10.		Traditionibus hominū,
5.		Purgatorio,	11.		Cultu Sanctorum,
6.		Miſſa,	12.		Sacramentis nouis.

Et ſi qua ſunt ſimilia, ſcilicet Zizania per Satanam, principatu idoli ſui Romani, ſuper agrum Domini ſeminata, quibus Eccleſia non modo poteſt ſaluberrime carere, verum etiam, ne conſiſtit quidem niſi careat, aut pro libero arbitrio vtatur. Nihil enim peſtilentius in Eccleſia doceri poteſt, quam ſi

ea,

ea, quæ neceſſaria non ſunt, neceſſaria fiant. Hac enim Tyrannide conſcientiæ illaqueantur, & libertas fidei extinguitur, mendacium pro veritate, idolum pro Deo, abominatio pro ſanctitate colitur.

CVm itaq; de ijs rebus nihil habeat Scriptura ſancta, cœperunt furioſi Papiſtæ, mendaciorum Magiſtri & idolorum plaſtæ, ſibi negotium ſeſe dignum, ſcilicet, vniuerſam ſcripturam torquere & deprauare in ſua venena & mendacia, vt eos locos, qui de fide docebant, oporteret illis Papatum creare, qui humilitatem præſcribebant, pompam tyrannidis ſtatuere, Donec omnia ſummis mendacijs confuſiſſima reddidere & totam ſcripturam aboleuere, regnante in loco eius ſomnio pectoris Romani, Satana nequitioſiſſimo obſeſſi. *Scriptura deprauata à Papiſtis.*

Sic Petram fidei Inuictæ, Matth. 16. fecerunt Papatum & Papam, qui non modo victi ſunt fœdiſſimis erroribus & peccatis, ſed quotidianis abominationum exemplis obruuntur & abſorbentur. *Matth. 16.*

Sic, vbi Chriſtus docet, Nullum eſſe magnum in ſua Eccleſia, niſi ſit omnium ſeruus, fecerunt huic ſententiæ alium naſum, vt nihil niſi magnum in Eccleſia, Dei ſtatuerent.

FVrentibus autem his portentis abominationem rapuit me Dominus imprudentē in medias has turbas, & occaſione fallacium Indulgentiarum, dedit mihi aliquod Scripturæ locos Satanæ extorquere, ceu clauam de manu Herculi, & germano ſenſui ſpiritus reſtituere. Hic, Deum viuum, quanto æſtu ſpumare cœpit furor eorum, paratus cœlum terræ, & ignem mari miſcere, ſcilicet ferre non potens, corniculæ ſuæ detrahi alienas plumas, quibus illam egregie in vicarium Chriſti adornauerat. *Qua occaſione Lutherus impugnauit Papatum.*

Ego vero Corniculam iſtam primum ſatis modeſte & reuerenter tractabam, hoc ipſum maxime agens, vt Papatus non nihil eſſet, ignarus ipſum ex diametro pugnare toti Scripturæ, Contentus autem eram, ſolas ſcripturas expurgare, Papatum tale aliquid ducens, qualia ſunt regna & principatus hominum. At illi longa tyrannidis vſu indurati, & hactenus ſucceſſu fraudis (iuxta Danielem) elati, contemnebant modeſtiam & reuerentiam meam, in locum Dei ſuum idolum ſtatuere præſumentes, & medijs ſcripturis miſcere.

Chriſtus autem mihi ſpiritum ſuppeditabat inſignem contemptorem, tam fraudis quam furoris Papiſtici, fecitque, vt quo magis Scripturas purgarem, eo certius abominationem implicitam inuenirem. Donec eo res per manum potentis Iacob peruenerit, vt euidentibus & puris Scripturis conuictum ſit, Papam, Cardinales, Epiſcopos, Sacerdotes, Monachos, Moniales, Miſſas, & vniuerſum Regnum iſtud cum ſuis dogmatibus & miniſterijs eſſe aliud nihil, quam mere portenta, idola, laruas, mendacia, & ipſiſſimam abominationem in loco ſancto ſtantem, titulis verorum Epiſcoporum & Eccleſiæ ſeſe proſtituentem, Meretricem ſcilicet illam purpuratam, ſuper beſtiam multiplicem ſedentem, ebriam ſanguine teſtium Chriſti, & inebriantem reges terræ calice fornicationum & abominationum ſuarum. *Apoc 17.*

De quibus omnibus Petrus prædixit: Falſi doctores iuxta introducent ſectas perditionis, Dominum qui eos mercatus eſt, negantes, viam veritatis blaſphemantes & fictis verbis de vobis in auaritia cauponantes. *2. Pet. 2.*

Nam vnus furor eſt huius ſacrilegi populi, Velle per opera coram Deo agere, non ſola fide. Vnde neceſſe eſt, Chriſtum negari, & fidem exinaniri, creſcere autem lucra & abſorberi totius mundi opes pro Miſſis & vigilijs ſuis,

Opera. Fides.

Sic enim peruerſiſſimum hoc abominationis vulgus omnia peruertit, Opera, quibus erga homines vtendum eſt, offerunt Deo, Fidem, qua ſola Deo ſeruitur, tribuunt hominibus. Nam omnibus humanis doctrinis credunt, Deo non credunt, Rurſum nulli hominum benefaciunt, Deo autem benefaciunt.

Reuocat quædam de Papatu.

HAc itaque veritate agnita, coactus ſum quædam meorum retractare, ſicubi bona de Papatu, & de ijs, quæ extra Scripturam docentur, ſcripſi, Denique adhuc reuoco & ex animo doleo, ſi quam ſyllabam pro bono Papatus & regni ſui vnquam ſcripſi. Rogoque meos Lectores, dignentur prudenter meos eiuſmodi errores cauere.

Inſuper, quod Regem iſtum laruatum Thomiſtam inſanum fecit in Libello de captiuitate Babylonica, etiam reuoco, & minus quam oportuit, me dixiſſe confiteor, Nimium enim honoris eſt & gloriæ, dicere, Papatum eſſe robuſtam venationem Romani Epiſcopi. Nam id exempli Nimrod, omnibus principatibus prophanis quoque conuenit, quibus tamen nos Deus vult ſubdi, honorare, benedicere, & pro eis orare.

Papatus quid.

Verius autem ſic de Papatu dico: Papatus eſt Principis Satanæ peſtilentiſſima abominatio, quæ ſub cælo fuit, aut futura eſt. Sic reuoco Libellum meum de Captiuitate Babylonica, in gratiam Domini Henrici noui Thomiſtæ, ne ira rumpatur tanta Thomiſtici nominis maieſtas, hanc enim Reuocationem à me extorquet tam doctus & terribilis Thomiſta. Nam ne nulla ſuo Libello vis mouendi Lutheri ineſſet, adiecit minas, conſulens plane exurendum eſſe hunc hæreticum, niſi reſipuerit, Et hoc plane Thomiſtaciſſime, Nam iſtis minis certum eſt Lutherum territum iri, & ſequuturum, quidquid Thomiſtica ſaliua in hoc Libello Regis mentitur & blaterat.

Arma, quibus hæretici hodie vtuntur.

Hæc ſunt arma, quibus hæretici vincuntur hodie, ignis & furor inſulſiſſimorum aſinorum & Thomiſticorum porcorum. Sed pergant porci illi, & ſi audent, exurant me. Hic ſum, & expectabo eos, cineribus ſolis poſt mortem etiã in mille maria proiectis, perſequar & fatigabo hoc abominabile vulgus.

Summa, Viuens Papatus hoſtis ero, exuſtus bis hoſtis ero, Facite porci Thomiſtæ, quod poteſtis, Lutherum habebitis vrſam in via, & leænam in ſemita, vndique vobis occurret, & pacem habere non ſinet, donec ferreas veſtras ceruices & æreas frontes contriuerit, vel in ſalutem, vel in perditionem, Hactenus ſatis fuerit patientiam perdidiſſe, deinceps, cum pergatis indurati, & occæcari cornua erigere, & ſponte facti ſitis incorrigibiles & indomiti nemo à me expectet quidquam dici in vos deplorata portenta, ſuaue aut blandum. Irritatos enim volo magis ac magis, donec effuſis omnibus viribus & furoribus, concidatis in vobis ipſis. Qui primus alterum compeſcuerit, ſit ipſe victor. Sicut vultis, ſic fiat vobis.

VT igitur redeam ad egregiam illam Regis Thomiſtitatem qua me damnat, vt pugnantia ſcribentem, & mihi ipſi nulla parte conſtantem, vbi miſerabilis Librifex, inopia rerum laborans, verbis virulentis, multum papyri ſe poſſe perdere monſtrauit, regium plane opus. Qua fide autem hoc faciat, hinc æſtimabit bonus Lector, quod laruatus Thomiſta, ne vnum quidem locum profert, ſaltem exempli gratia, quo meam inconſtantiam conuincat. Solum rhetoricatur glorioſus Rex hoc modo: Lutherus ſibi pugnat, quis ei credat? Sic dixiſſe ſatis fuit defenſori nouo Eccleſiæ, & numini recens in Anglia nato. Cæterum oſtendiſſe exemplum non fuit opus, ne daretur Luthero occaſio ſeſe purgandi, & ſtultum Regem pro dignitate Thomiſtica tractandi.

Quando ergo Laruam, verbis laruatis ſine exemplo ludere libuit in re tam ſeria & ſacra, Ego ſine larua, ſed aperte dico, Regem Angliæ, Henricum

iſtum

iſtum,plane mentiri,& Scurram leuiſſimum mendacijs ſuis magis referre, quam Regem. Hoc crimine ego Lutherus Thomiſtam hunc virulentũ palã accuſo,& teſtibus tum Libellis,tum Lectoribus meis per orbem cõuinco. Faceſſat mihi in hac re maieſtas regia & mea humilitas,cum mendace ſcurra loquor,regijs titulis velato,de rebus diuinis,quarum iniuriam aduerſus mendacia tueri pertinet ad quemlibet Chriſtianum. Si ſtultus Rex ſic regiæ maieſtatis obliniſcitur,vt mendacijs apertis in publicum audeat prodire, idq; dum ſacra tractat,Cur mihi non pulchrũ ſit,mendacia ſua turſus in os eius regerere, vt ſi quam voluptatem concepit aduerſus diuinam Maieſtatem mentiendo, eam amittat veritatem aduerſus ſuam maieſtatem audiendo?

Neque enim hic mihi patientiæ habenda ratio eſt,vbi mendacijs ſuis ſcurra leuis non me,nec vitam meam (quod vtique ſuſtinuiſſem) ſed doctrinam ipſam impetit,quã certiſſimus ſum meam non eſſe,ſed Chriſti. Sibi itaque imputet,ſuisque mendacijs,ſi indigna cogatur audire regio nomine. Hoc meruit os eius impurum, quod Regem meum,qui eſt Rex gloriæ, blaſphemijs ſuis conſpurcauit. Non enim mea doctrina ſibi vlla parte pugnat nec pugnare poteſt,cum ſit Chriſti. Et orbi toto iam conſtet,me de fide,de charitate,de operibus,& de ijs quæ ſacris literis ſpiritus Chriſti nos docuit, ſemper fuiſſe eodem ſenſu,ſemper eadem docuiſſe & ſcripſiſſe,licet vſu & ſtudio,de die in diem magis ac magis profecerim,& eaſdem res nunc ſic, nunc ſic tradiderim,aliquando clarius,alibi locopletius,alibi copioſius & varie tractarim, quo modo & ipſæ ſacræ literæ eaſdem res tractant.

QVod ſi volet me in his rebus mihi non conſtare, quæ extra ſcripturas tractaui,nempe de Papatu, Indulgentijs, Miſſis & eius generis zizanijs,quibus à principio modeſte diſſenſi,poſtea penitus damnaui(vt Regi tanto mendacium hoc ignoſcam,quod aduerſus hominem Lutherum mentitur in rebus humanis) quis non videt ſtulticiam & hebetudinem eius Thomiſticam? qui in vniuerſa Thomiſtitate ſua nec dum eo promouit, vt ſciret,quæ ſint pugnantia & non pugnantia dogmata. Accede glorioſe Thomiſta ad ferulam,docebo te,quid ſit pugnare dogmata.

Si hoc eſt ſibi non conſtare,in dogmatibus,vt Rex Thomiſticus definit, ſi quis aliter ſentiat cognita veritate,& errore reuocato, quam antea ſenſerat, Obſecro,quis vel ſapientiſſimorum vel ſanctiſſimorum virorum ſibi vnquã
hilip. 3. conſtitit? Damnabimus Pauli Epiſtolas vniuerſas, quod ille poſt conuerſionem penitus ſtercora vocat,quæ antea in Iudaiſmo ſibi lucra fuerãt? Damnemus & Auguſtinum, qui ſingulari Libro multa retractauit,& longe contraria primis docuit. Quin iuxta huius Regis ſapientiam inæſtimabilem, peccatores deſinant pœnitere,& ſententiam in melius mutare, ne Rex Angliæ iratus Libro edito damnet eos inconſtantiæ & diſſenſionis propriæ.

Et cur non ſeſe quoq; Rex ſua ſapientia metitur, & nunc vinum bibit, qui olim lac nutricis ſugebat? Cur nunc armatur ferro,qui olim pueriles caligas induebat? Deniq; cur in me damnat,quod ipſe facit? Nam hoc ipſo Libro laudat me,quod Papatum prius probarim,& rurſus damnat, quod poſtea reprobauerim. Cur igitur & mihi non licebat aliter de Papatu ſentire quam ſenſi,& meos errores mutare ſententia meliore? Quis vero crederet Regem tantum adeo inepte potuiſſe delirare? Niſi Thomiſta eſſet & virulentis aliis mendacijs ſetium declaraſſet,poterat videri iocatus,ceu in diebus laruarum.

HÆc potius ſunt pugnantia dogmata,vbi ſimul docueris contraria,ſimul defenderis & aſſerueris,& neutrum reuocaris aut damnaris. Pugnantia dogmata.

Quo modo Papiſtarum inſaniæ pugnant,vbi Matt. 16. Petram faciunt
atth. 16. Chriſtum & Papã,cum Chriſtus ſit ſanctus,Papa autẽ impius & ſanctitudini

cum

Digitized by Google

cum impietate conueniat, ceu luci cum tenebris, & Chriſto cum Belial. Sic enim Papatus non niſi inconſtantibus, pugnantiſſimis, mendaciſſimis conſtat (ſeu potius corruit) dogmatibus, quæ vtraque ſimul docet, aſſerit & tuetur.

Videat itaque Lector ex vno hoc argumento, quam aſinina ruditas ſit Thomiſtarum, vel pueriliſ animi impotentia, quæ non ſinat eos ſua ipſorum verba intelligere, & audent tamen aſſertiones Sacramentorũ ſcribere, & magnificas ampullas ſuæ incredibilis inſcitiæ teſtes iactare. In hoc enim hunc Libellum Regis ſcriptum arbitror, ne ſtupor & inſcitia Sophiſtarum, præſertim porcellorum iſtorum (Thomiſtas dico) falſo à me traduci crederet mundus, fuit enim meum iudicium tali ipſorummet opere & ſigillo comprobandum & confirmandum.

Chriſtus & Paulus acerrime obiurgant Hypocritas &c.

AD alterum vitium nempe mordacitatis, quo me ſugillat Rex, reſpondeo, Primum ei probandum fuiſſe, iniquam meam mordacitatem, & Papatum innocentem eſſe. Alioqui, cur Chriſtus ipſe Matth. 23. tanta vehementia Scribas & Phariſæos mordet, & Hypocritas, cæcos, ſtultos, plenos immundicia, hypocriſi, homicidas, criminatur? Et Paulus, quoties vehemẽs eſt in conciſiones (vt vocat ipſe) ſuas & Pſeudoapoſtolos, quos adulterantes & cauponantes verbum Dei, canes, doloſos operarios, Apoſtolos Satanæ, filios diaboli, plenos dolo & malitia, deceptores, vaniloqnos, faſcinatores & circulatores vocat? An & hos Thomiſta laruatus mecum accuſabit inuidiæ & ſuperbiæ? Math. 23.

Quin vt plene Thomiſticum cerebrum & plebeium repræſentet ingenium, quaſi in ſcena Hiſtrionem agat, ſic maledictis, conuitiis & mendaciis in me inſanit per totum Libellum, & nihil eorum de me antea probat, Vt nulla cauſa meam videatur mordacitatem damnare, quam vt rabiem maledicendi apud ſordidos ſuos Thomiſtas iuſtificet, & aureolam Thomiſticam mereatur. Stolidum ſcilicet caput, quod abunde cognouit, Papatum apud me pro Antichriſti regno haberi, cui etiam Iob maledici mandat, per eos, qui parati ſunt ſuſcitare Leuiathan. Et vbique ſpiritus præcipit mundum arguere de peccato impietatis, & omnino ſanctam & iuſtam hanc mordacitatem tum laudat, tum exigit.

Rex vero, tanquam obtinuiſſet, Papatum ſanctum eſſe, plauſtris virulentiæ & maledicentiæ ſuæ debacchatur in meam mordacitatem. Sed vt dixi, Thomiſtarum hypocritam & laruam agere voluit, apud quos extrema perfidia & ſumma hæreſis eſt, Magiſtros noſtros, etiam ſi peſtes ſint orbis terrarum ceu Angelos Dei non adoraſſe, mutiſſe aduerſus nutum eorum, Hoc demum crimen eſt nullo ſatis igne expiabile.

Ego vero, qui hactenus paulo fui miſericordior in portenta papiſtica, ſub ſpe reſipiſcentiæ eorum, Nunc cum eos, qui eiuſmodi ſunt, videam in reprobum ſenſum datos, & deplorata pertinacia in locum ſuum cum duce ſuo Pharaone abijſſe, nulla amplius modeſtia, nulla miſericordia in eos vtar. Neque amplius amicis meis frena calami permittam, ſed tacens eos contemnã, Vel ſi agendũ eſt cum illis, quanto poſſim impetu in eos ferar, irritaturus, ſatis, prouocaturus tam ſtupidos truncos, tam rudes aſinos, tam craſſos porcos, cum digni alio officio non ſint, niſi vt prouocentur in pœnam ſuam. Idque faciam in gloriam Henricianæ Eccleſiæ, & ipſius Henrici egregij defenſoris Thomiſtæ, ne fruſtra meam mordacitatem ſacerrima ſua maledicentia damnaſſe queri poſſit.

Ariſtoteles Deus Thomiſtarum &c.

VEniamus autẽ nunc ad rem ipſã, & more Ariſtotelis, qui Thomiſtarũ Deus eſt, Primo generaliter, deinde ſpecialiter, de cauſis iſtis diſputemus, Summũ, generale, & vnicũ robur Henricianæ ſapientiæ, in tã regio

Libello

bello eſt, nulla Scripturæ autoritas, nulla ratio vrgens, Sed Thomiſtica illa diſputandi forma, Mihi ſic videtur, Ego ſic ſentio, Ego ſic credo. Et vt hic mei Ambsdorffij recorder, Sic diſputat ſtolidus Rex, ſicut ille recitare ſolet, diſputaſſe N. Theologiſtas, Vbi cum Reſpondens negaſſet aſſumptum Opponenti, probabat idem opponens hoc modo: Oportet ſic eſſe. Illo iterum negante, Denuo & ille: Et quomodo poteſt aliter eſſe? Oportet ſic eſſe, Pulcherrime & Thomiſticiſſime, quin & Henriciſſime.

Sic cum ego in meo libello de Captiuitate Babylonica hoc thomiſticum generale principium maxime impetiiſſem, & diuinas Scripturas aduerſus ritum, vſum, conſuetudinem, autoritatem hominum ſtatuiſſem, Dominus noſter Rex nihilominus, pro ſua thomiſtica ſapientia, aliud nihil reddit, quam, Oportet ſic eſſe, Vſus ſic habet, Hæc eſt longa conſuetudo, Ego ſic credo, Patres ſic ſcripſerunt, Eccleſia ſic ordinauit &c. Quod ſi iterum ſcripſero mille Libros, & probauero per Scripturas, vſum & autoritatem hominum in rebus fidei nihil eſſe, Facile erit & Regi Thomiſtico mille Libris reſpondere, & omiſſis Scripturis à me inductis ſemper iterare: Oportet ſic eſſe, Vſus ſic habet, Autoritas hominum ſic dicit, atque aliud nihil. Si autem dixero: Vnde probas vſum & autoritatem humanam valere? Reſpondet: Oportet ſic eſſe, Mihi ſic videtur, Sic credo, Nunquid tu doctior es vnus omnibus?

Intelligis ergo, Lector, ſtipites iſtos intractabiles hoc tantum quærere, vt ſibi ſolis credatur. Ego poſtulo non mihi, ſed apertis Dei verbis credi, Illi poſtulant prærancidis & veternoſis ſui cerebri viſionibus credi, contemptis verbis Dei. Neque enim ego vel vſum vel autoritatem hominum in totum negaui, ſed libera eſſe volo & in differentia, quæcunque extra Scripturas ſanctas ſcripta ſunt. Tantum Articulos fidei neceſſarios fieri recuſo ex hominum verbis, Tolerari volo, quæ bene dicuntur & geruntur citra Scripturæ teſtimonium, tolerari autem libere.

At trunci iſti nobis Articulos fidei faciunt ex omni verbo Patrum, Quod tantum abeſt, vt Sancti voluerint ſuis ſcriptis tribui, vt nulla maiore blaſphemia offendi poſſint, quàm dum per lethargicos Thomiſtas, eorum libera verba & facta in neceſſarios Articulos, hoc eſt, laqueos mendaces, in perniciem animarum vertuntur.

SIt ergo mea hæc generalis reſponſio, ad omnes ſentinas inſulſiſſimæ huius laruæ Thomiſtarum, quas in Libello ſuo corriuat. Et partior eas in duo genera, hoc modo: Si vſum vel autoritatem hominum talem allegat, quæ manifeſte contra Scripturas pugnat, Anathema ſit, vſus, autoritas, Rex, Thomiſta, Sophiſta, Satan, imo & Angelus de cœlo. Nam nihil contra, ſed omnia pro Scripturis valere debent.

Tale eſt, quod de altera parte Sacramenti Rex ſtolidus producit, vbi præ Thomiſtica inſania etiam contendit, vſum valere in Articulum fidei aduerſus apertiſſimum textum Euangelij, ſicuti videbimus. Qua amentia nulli vnquam hæretici laborauerunt, Hactenus enim hæretici Scripturis, ſaltem in ſpeciem vſi ſunt, nulli eas aperte damnauerunt. Soli Papiſtæ & Thomiſtæ, fex nouiſſimarum abominationum, eam Meretricis frontem ſumpſerunt, vt & ſcripturas ſanctas ſic habere confiteantur, & tamen ſic ſentiri non licere velint. Neque ipſe Satan tam aperte, & recta in os & in faciem, diuinam maieſtatem blaſphemat & mendacij arguit.

Si autem eum vſum vel autoritatem hominum allegat, quæ non pugnent ſcripturis, non damno, ſed tolerari volo, Hoc tantum adiecto, vt libertas Chriſtiana ſalua ſit, & in arbitrio noſtro ſit, ea ſequi, tenere, mutare, quando, vbi, quomodo placuerit, Quod ſi hanc libertatem nobis captiuare volent, & neceſ-

& neceſſarios articulos fidei ſtatuere tentarint, Iterum dico: Anathema ſit, qui hoc prætampſerit, ſiue ſit inſulſus Thomiſta, vel ſtupidus Papiſta, ſiue Rex, ſiue Papa.

Tale eſt, quod Dominus noſter Rex vrget pro articulis fidei, ſua Sacramenta, confirmationis, matrimonij, ordinis, vnctionis. Et mixturam aquæ in vinum &c.

Fruſtra colunt me doctrinis hominum &c.

SEd nobis aduerſus has ſtipulas & ſtuppas Thomiſticas plusquam nimis potentia ſunt diuina fulmina, vbi Chriſtus Matth. 15. decernit ſuper omnes hominum traditiones, dicens: Sine cauſa colunt me doctrinis & mandatis hominum. Quid eſt vniuerſa fex huius laruati Thomiſtæ, aduerſus vnam hanc vocem Chriſti, vt alia plurima tranſeam alias memorata? Si fruſtraneum eſt, quidquid hominum mandatum eſt, qua fronte ſtolidus Rex, nobis articulos fidei ex eo faciet? Itaque hac ſola voce Chriſti proſtratus iacet infelix & miſerabilis defenſor Eccleſiæ Henricianæ, cum toto ſuo Libello. *Matth. 15.*

Vbi eſtis Domine Henrice? producite veſtrum egregium contra Lutherum Libellum? Quid aſſerit Dominatio veſtra? Septem Sacramenta? Quibus doctrinis? Dei an hominum? Audiat ergo Thomiſtica veſtra dominatio iudicium, non Lutheri, ſed eius, quem tremunt cardines orbis: Fruſtra colunt me doctrinis hominum. Eat dominatio veſtra, & doceat dominationes papales hanc fruſtraneam fidem & religionem, eamque ſicut optime nouit, ſtrenue defendat. Verum ab Eccleſia Dei os veſtræ dominationis impurum & ſacrilegum abſtinete, quæ non niſi verbum Dei admittit.

Eccleſia Dei.

Denique adeo ſtultum eſt hoc Regis propoſitum, vt & communi hominum ſenſui repugnet. Quis enim non rideat, pro fide noſtra Chriſtiana nihil afferri roboris per tantos Samſonas, niſi longitudinem temporum, & multorum hominum vſum? Qua ratione probabimus, Turcarum fidem eſſe erroneam, quæ iam ad milleſimum fere annum durat, ante orta quam Germania ad fidem conuerſa eſt? An hoc ſatis eſt, quod dum per interualla terrarum ſemoti, non cogimur cum illis diſputare, interim in noſtris angulis, quidquid viſum fuerit, licet nugari: Sic & Iudæos quis non merito iuſtificet, huius inuicti Thomiſtæ exemplo, cum tanta nos ſuperent longitudine temporum?

Turcarum fides.

Iudæi.

Et cur gentes per orbem nouam Chriſti fidem non dicentur, autore Henrico Angliæ, merito fuiſſe perſecutæ, cum idolatria eorũ hoc pulcherrimo & thomiſticiſſimo argumento, recta & ſana fides cenſeri debuerit, quod tot millibus annorum, tot regionibus populorũ, iam conſtanti vſu firmabatur? Atq; eodem Henrico Magiſtro etiamnum afferamus, Impiorum hominum errores eſſe ſanam fidem, quod ab initio mundi illorum ſuperarit multitudo, & diuturnitas, & potentia, piorum paucitatem & ignobilitatem.

Gentes.

Summa, Si hominem dicta valent ad articulos fidei condendos, cur non & mea verba faciunt articulos fidei? An non ſum homo? Quin noua Regis ſapientia, omnes homines omnium hominum verbis credere cogamus. Et ipſe Rex quoq; vt leuetur cura ſcribendi, ſequatur ſuum principium, & dicat: Homo ſum, qui ſic loquor, ergo oportet ſic eſſe, non poteſt aliter eſſe. Stulta, ridicula & veriſſime Henriciana & Thomiſtica ſunt hæc, quaſi res ſpiritualis metienda ſit præſcriptionibus temporum, & vſu aut iure hominum, ceu fundus aut pratum aliquod ſit.

QVod ſi dixerint, ſuam præſcriptionem in hoc differre ab illorum præſcriptione, Quod Papiſtarum ſit ex Spiritu ſancto, illorũ ex hominibus, Ridebit Turca hoc futile cauillum, & dicet: Cum tu hoc aſſeras ſine ſcripturis, & ſine ſignis, mera hominũ autoritate, nihilo magis efficis,

quam

quam ſi ego meam quoque fidem eſſe ex Deo dixero. Et qua facilitate tu me contemnis, & ego tuam contemno. Qua autoritate probas tuam, & ego probo meam. Quid hic fiet? niſi vt Moriones etiam intelligant, Henricianos Thomiſtas præ ſua inſigni inſcitia, fidem noſtram ludibrio expoſuiſſe, & omniū gentium impietatem ſtabiliuiſſe, dignos, quibus os, lingua, & manus præciderentur, ne in æternum aliquid aut dicerent aut ſcriberent.

Sed hoc agit inquietus Satan, vt nos à Scripturis auocet per ſceleratos Henricos & ſacrilegos Thomiſtas, & fidem noſtram ſuper hominum mendacia collocet. Neque enim iam Scriptura ſancta opus eſt, ſi ſufficit nouis hominum dictis extra Scripturam roborari. *Satan conatur nos à verbo Dei abducere &c.*

Nos autem, vt foueamus digniſſimos iſtos defenſores Papiſticæ Eccleſiæ, *Fundamentum fidei noſtræ.* Ita dicimus, anathema & maledictum eſſe, qui noſtræ fidei aliud fundamen-
1.Cor.2. tum poſuerit, quam id quod poſitum eſt. Paulus enim 1.Cor.2 magna ſancit autoritate, fidem noſtram oportere niti in verbis Dei, vbi dicit: Sermo meus & prædicatio mea non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus & virtutis fuit, vt fides veſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei.

Hoc fulmine & tonitru cœleſti quatit & diſpergit, ſicut ventus puluerem, vniuerſas laruas huius Henrici, in ſuo inſulſiſſimo Libello. Quid enim, ſcribit ſtolidus Henricus, niſi perſuaſibilia humanæ ſapientiæ verba, dum nihil ſpiritus, nihil virtutis oſtendit, ſed longitudinem temporum, dicta & facta hominum cauſatur? auſus etiam impudenti ore exigere, vt fidem noſtram ſuper hæc humana figamus, palam in os hoc diuinum Pauli inſaniens. *Robur fidei noſtræ Chriſtus.* Maledictum itaque ſit, & iterum maledictum non ſolum quod ſtolidus Henricus rentat, ſed & vniuerſum corpus iſtius Behemoth, regnū Papæ, cum vniuerſis dogmatibus ſuis, quibus nos à Deo noſtro abducere moliuntur, & verbum eius è cordibus noſtris euellere.

Proinde nos noſtræ Eccleſiæ Defenſori adhæremus, qui dicit Matth. 16. Aedificabo Eccleſiam meam, non ſuper longitudinem temporum, neque ſuper multitudinem hominum, neque ſuper: Oportet ſic eſſe, neque ſuper vſum aut dictum Sanctorum, deniq; nec ſuper Iohannem Baptiſtā, nec ſuper Eliam, Eſaiam, nec Ieremiam, aut vllum ex Prophetis. Sed ſuper ſolam & ſolidam Petram, ſuper Chriſtum filium Dei. Hic eſt robur noſtræ fidei, hic tuti ſumus aduerſus portas inferi. Hic mentiri & fallere non poteſt, Omnis homo mendax. Et Sancti, cum extra hanc rupem agunt aut dicunt,
1.Pet. 4. homines ſunt. Puriſſimum & ſolum ac certum verbum Dei noſtræ fidei ſup-
Rom. 12. ponendum eſt, Si quis, inquit, loquitur, quaſi ſermones Dei. Et omnis Prophetia ſit analoga fidei, Rom. 12.

Hæc ſunt robora noſtra, aduerſus quæ obmuteſcere coguntur Henrici, Thomiſtæ, Papiſtæ, & quidquid eſt fecis, ſentinæ & latrinæ impiorum & ſacrilegorum eiuſmodi, neque habent, quod poſſint hic reſpondere, ſed confuſi & proſtrati iacent à facie verborum iſtius tonitrui. Et expectamus quoque, quid aduerſus hæc mutire audeat Rex nugigerulus iſte cum omnibus ſuis Sophiſtis, Stat enim fixa ſententia, fidem non deberi, niſi certo verbo Dei, ſicut
Rom. 10. dicit Rom. 10 Fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti.

Proinde, quidquid vltra verbum Dei producitur, hoc noſtri ſit arbitrij,
1.Corinth. 3. ceu dominorum, credere, non credere, damnare, probare, ſicut ſcriptum eſt: Omnia veſtra, ſiue Apollo, ſiue Cephas, ſiue Paulus, vos autem Chriſti. Si ſolius Chriſti ſumus, quis eſt iſte ſtolidus Rex, qui ſuis mendacijs nos Papæ facere molitur? Nos non ſumus Papæ, ſed Papa noſter eſt, Noſtrum eſt non iudicari ab ipſo, ſed ipſum iudicare. Spiritualis enim à nemine iudicatur, & ipſe
1.Corinth. 2. iudicat omnes, quia verum eſt. Omnia veſtra, etiam Papa, quanto magis ſordes iſtæ & labes hominum Thomiſtæ & Henrici.

QVanquam ego quoque ſtultus ſum & ſatis ineptus, qui amentibus iſtis & deploratis cerebris toties fruſtra inculco, & ſurdis induratiſque capitibus ſine fructu ſemper canto, Traditiones hominum ſeu diuturnum vſum in rebus fidei nihil valere. Quoties enim dixi, etiam Auguſtini ſententia Solis Canonicis libris eum deberi honorem, vt firmiſſime credatur, nihil erroris in illis eſſe? Cæteros quantalibet ſanctitate doctrinaque præpolleant, non æquo honore dignos eſſe? At ſi etiam Auguſtinus id non dixiſſet, Scriptura tamen exigit, nulli niſi ſoli ſibi credi.

Auguſtini dictum.

Fruſtra, inquam, ſurdis aſpidibus hæc cecini ſemper, qui ſine fine ſuas nænias iterant, & garriunt: Ambroſius, Auguſtinus, Hieronymus ſic dixerunt, ergo Lutherus eſt hæreticus, quia Auguſtini, Ambroſij dicta ſunt Articuli fidei. Cum ſancti illi viri nihil minus voluerint, quam hunc ſacrilegum Henricorum & aſinorum cultum, vt dicta eorum articulis fidei æquarentur, ſed libera & ſub iudicium cuiuſque fidelis voluerunt poſita eſſe ſua dicta omnia. Quin & ipſi porci Thomiſtæ coguntur concedere, ſæpius ſanctos viros errasſe, vt eorum autoritas pro ſtabilienda fide, & fulcienda conſcientia, etiam communis ſenſus iudicio, ſatis eſſe non poſſit.

Hæc ſit itaque generalis mea reſponſio aduerſus regia illa Thomiſtarum principia, quibus regius hic in totum Libellus nititur, Longitudinem inquã, temporum & multitudinem hominum. Forte adhuc Angelos ſanctos ex dæmonibus facient ſubtiliſſimi iſti Henrici, cum longitudo temporis ab initio mundi illis patrocinetur, vt principium Thomiſticiſſimum veritatis. Deinde adeo præcellit Satan multitudine hominum adhærentium, vt etiam à Chriſto princeps mundi, & à Paulo Deus huius ſeculi, & rector harum tenebrarum appelletur. Qualia ergo ſunt Henriciana principia & articuli, talis eſt & fides & veritas, Qualis fides, tales & Sancti, hoc eſt, Babylon & abominatio nouiſſimis temporibus digna.

VEniamus nunc ad particularia Henrici noſtri, & videamus, quam feliciter aptet principia ſua concluſionibus Thomiſtica illa ſapientia. Sed veniam prius peto à pio & candido Lectore, ſi moleſtus fuero toties iterando eadem de traditionibus & vſu hominum refutandis. Quid enim aliud poſſim, cum Thomiſticus rex perpetuo Libro nihil afferat quam doctrinas & vſus hominum? Vix vnam eamq́ deprauate adducit Scripturã, ſcilicet ad Sacramentum ordinis ſtabiliendum, vt videbimus. Si moleſtum non eſt aſſidue legere apud ſtolidum Regem, Oportet ſic eſſe, Sic ſentio, ſic habet vſus, ſic docet Eccleſia, Tu ſolus ſapis &c. Non ſit, obſecro, moleſtum etiam toties legere. Hoc ſentire nihil eſt, Hic vſus nihil probat, Hoc oportet eſſe, eſt nihil eſſe, Ea Eccleſia, non eſt Chriſti Eccleſia. Non ego ſapio, ſed Chriſtus ſolus ſapit, &c. Neceſſitas cogit me ſtolido Regi ſic per ſingula reſpondere, qui per ſingula ſic argumentatur.

PRimum, Indulgentias apprehendit Rex defenſor, quas ego aſſerueram eſſe impoſturas Romanæ nequitiæ. Has defendit hoc modo: Si indulgentiæ ſunt impoſturæ, impoſtores non ſolum erunt præcedentes Pontifices, ſed & ipſe Leo X. quem tamen Lutherus eximiè laudat.

Aut regem aut fatuum naſci oportuit.

O regium & Thomiſticum acumen, Iterum ſcilicet nobis Prouerbium illud commendat: Aut regem, aut fatuum naſci oportuit. Si Lutherus tantũ habet autoritatis, vt tantus Rex ei credat, Leonem X. laudanti, Cur non credit eidem Indulgentias damnanti; præſertim cum hic munitus ſit Scripturis, rationibus & factis, illic autem obſequium ſit beneuolentiæ erga perſonam. Sed

Sed decori ſuo inſeruire voluit larua Thomiſtica, qui ſtatuit ſequi, non ſcripturas, non rationes, ſed hominum nuda dicta.

Itaq; nihil reſpondet mihi Rex Thomiſticus Indulgentias damnanti, præter hoc verbum, Indulgentiæ non ſunt impoſturæ, quia Leo X. eſt bonus vir, Ergo oportet ſic eſſe, non poteſt aliter eſſe. Hoc argumento Regio & Thomiſtico vſus, potes dicere: Romæ in curia Papæ nihil mali agitur, quia Leo X. bonus vir eſt, & ſic Magiſtro noſtro eximio Henrico Rege Angliæ autore, iuſtificabis omnem illam abominationem Romanæ perditionis.

Eodem argumento & ante eum Silueſter meus vſus eſt, quia & ipſe Thomiſta fuit. Nam ſi hoc loco argutiam illam tractem, quod aliud ſit eſſe bonū virum, aliud bonum ciuem, & aliud bonum principem, vt Ariſtoteles eorum docet, fruſtra tractauero coram tam ſtupidis & craſſis truncis, Quanto minus caperent, ſi ſecundum diuinas literas de hac re diſputarē? Nam reuera bonus vir non eſt, qui bonus princeps eſſe non poteſt. Spiritus enim Chriſti (quo ſolo boni ſumus) reddit hominem perfectum, ad omne opus bonum, inſtructum, vt Paulus ad Titum docet. Id quod & hiſtoriæ probant ſcripturarum. Coram hominibus locum habet argutia iſta, Aliud eſt eſſe bonum virum, nempe in ſpeciem & aliud bonum principem æque in ſpeciem. At Saul vt deſiit eſſe bonus vir, ſimul deſiit eſſe bonus princeps. *Silueſter Prierias.*

Itaq; nihil facit hoc contra me, quod Leonis X. perſonam laudaui, & Indulgentias damnaui, Duplex eſt hic iudicium, Hominem non licet iudicare etiamſi peſſimus ſit coram Deo, donec foris ſine crimine viuit, hoc enim iudicium ad eum pertinet, qui ſcrutator eſt cordis & renum. Aliud eſt de Indulgentiis iudicare, quod ad doctrinam pertinet, in qua vt errare poſſunt tam boni & mali (ſiue ſint vere aut ficte boni) imo & electi, ita pertinaces in errore non ſunt, niſi manifeſte impii. Hoc iudicium ad omnes & ſingulos pertinet, vt vocem paſtoris & alienorum diſcernamus. De Leone autem ipſo adhuc hodie incertus ſum, quid ſenſerit apud ſeſe, & an pertinax fuerit in errore. Neq; enim latet, quis ſit autor Bullæ Leoninæ nouiſſimæ, Sed quid iſta ſpiritualia & precioſa ante porcos iſtos proiicio? Quid capiat harū rerum, qui hunc ſyllogiſmum non capit longe inſufiſſimum eſſe: Leo bonus eſt, ergo Indulgentiæ ſunt veræ.

VEniamus ad aliud, de Papatu, quē ego potentibus Scripturis conuulſi. Defenſor autem eius ad ſcripturas meas magis mutus quam piſcis, regia fiducia præſumit, Lutherum ad ſolum eius nutum ſcripturas deſerturum, & ſuis mendaciis acceſſurum, Probat autem Papatum hoc modo: Oportet ſic eſſe, quia audiui etiam Indiam ſeſe Romano Pontifici ſubdere, Item Græciam, Item S. Hieronymus agnoſcit Rom: Eccleſiam pro matre. Quid hic Lutherus dicere audebit aduerſus tam egregia & tam thomiſtica. *Papatus.*

Reſpondeo. Si ideo ſtabit Papatus, quia Rex Angliæ audiuit Indiam & Græciam ſeſe ſubdidiſſe, Eadē ratione non ſtabit, quia Lutherus audiuit & certus eſt, neque Indiam neque Græciam ſub Romano Pontifice vnquam fuiſſe, aut eſſe voluiſſe, Deinde glorioſus dominus Rex, pro ſuo more, ſatis fortiter mentitur, dum Hieronymum facit aſſertorem Papatus, Cum vir ille Eccleſiam Romanam ſuam duntaxat, non orbis matrem appellet, & præ cæteris acerrime aduerſus ambitionem monarchiæ iſtius ſcribit. Sed Rex decori ſui magis, quam cauſæ rationem habet, Ideo, vt laruam Thomiſticam decet, Scripturas omittit, quibus opus eſt in rebus Fidei aſſerendis, Et interim nobis narrat, quid audierit vt in auditum ſuum ſuſpendat fidem & ſalutem animarum noſtrarum.

HActenus videatur iocatus Rex Angliæ, tanquam rudis & indoctus laicus (ſi placet) Nunc ſerium ducit, & ſuſcepto ſeſe accingit argumento, ſeptem Sacramenta aſſerturus, & primo Sacramentum altaris, In quo ego tres *Sacramentum altaris.*

tyrannide, reprehendi, Vnam, quod altera pars Chriſtianis eſſet ablata, Secundam, quod articulo fidei neceſſario vrgentur credere, panem & vinum deſinere poſt conſecrationem, Tertiam, quod opus & ſacrificium ex ipſo fecerint.

Hic mihi iam non cum inſcitia & hebetudine, ſed cum obſtinata & impudenti nequitia Henrici agendum. Non hic mentitur modo, ſicut ſcurra leuiſſimus, ſed in rebus his ſerijs, nunc audet, nunc fugit, nunc ſimulat, nunc deprauat, nunc torquet, prorſus omnia pro mera libidine dicit, & tacet, vt nequiſſimum nebulonem ſi non ſuperat, certe egregie æquet. Lege meum Libellum de captiuitate Babylonica, chariſſime Lector, & vera me dicere videbis, robuſtius enim ſcripſi, quam nunc ſcribere poſſim. Quod virulentum & nequam hunc Thomiſtam ſenſiſſe, hoc argumentum eſt, quod meas optimas & potentiſſimas tum ſcripturas, tum rationes reliquit intactas, interim ſuo inſulſiſſimo Libello pios Lectores occupaturus, ne meum Libellum legant, & ſuas nequitias deprehendant.

Captiuitas Babylonica.

Confiteor plane, me fuiſſe nonnihil commotum, dum collatis meo & illius Libellis, deprehendi, quam nequiter tranſierit robora mea & tanta bucca iactaret aſſertionem Sacramentorum contra Lutherum. Scilicet hoc regnum papiſticum, è mendacijs natum, nihil poteſt præ ingenio ſuo, niſi perpetuo mentiri, fallere, ſimulare, illudere, ſuper ariſtas incedere, & in his omnibus gloriari & triumphos iactare.

Altera ſpecies Sacramenti ablata Papiſtis &c.

Sed age reuelemus ſceleratam hanc & regiam nequitiam, in prima tyrannide, ſcilicet, vna parte Sacramenti. Ego alteram partem eſſe impie Chriſtiano populo ablatam, ſeptē argumentis probaui quæ & tunc me vincebant, nunc autem & triumphant, poſtquam aſſertor Papiſtatum glorioſiſſimus regia fortitudine illa tranſit intacta.

1. Primum erat autoritas Euangeliſtarum narrantium conſtanti & vno ſermone Chriſtum inſtituiſſe vtranque ſpeciem, ijs qui memoriam ſui eſſent facturi & ſignanter ad calicem adiecit: Bibite ex eo omnes. Ad hoc nihil dicit Rex defenſor Eccleſiæ.

2. Secundum erat, Si ſolis Presbyteris dediſſet Chriſtus in cœna Sacramentum, non licere vlli partem Laicis dare, cum non liceat inſtitutum & exemplum Chriſti mutare. Hic tacet glorioſus defenſor Rex Angliæ.

3. Tertium, Si poteſt vna pars huius Sacramenti Laicis tolli, poterit & pars Baptiſmi & Pœnitentiæ eadem autoritate tolli, Et quidquid Chriſtus vnquam ſtatuit poteſt partim tolli, ſi non poteſt, nec illa pars tolli poteſt. Ad hoc obmuteſcit glorioſus aſſertor Sacramentorum.

4. Quartum, quod Chriſtus dicit ſanguinem ſuum fundi pro remiſſione peccatorum noſtrorum, Ideo, quibus remiſſio datur peccatorum, eis non poſſe negari ſignum remiſſionis, quod illis Chriſtus dederit. Ad hoc mutus eſt laruatus Thomiſta Angiorum.

5. Quintum, ſi potuit vinum tollere, poterit & panem, ac per hoc totum Sacramentum tollere, & inſtitutum Chriſti penitus euacuare, ſi totum non poteſt nec partem poteſt. Hic inuinctus Rex forte recordatus prouerbij: Silentio reſpondetur multis, & ipſe mihi, ſilendo omnia diſſoluit.

6. Sextum, Quæ neceſſitas vtramque ſpeciem negari Laicis, cum tamen rem ipſam omnes concedant, ita vt nos doceant tantum ſub vna quantum ſub vtraque ſpecie donari? Si rem, quæ maior eſt, concedunt, Cur ſignum alterum rei (vt fabulantur) eiuſdem denegant? Sed hoc argumentum tam inſigni defenſori fidei faciebat negotium moleſtiſſimum.

7. Septimum, eſt Paulus omnium obſtruens ora, qui 1. Corin: 11, non Presbyteris, ſed eccleſiæ & omnibus fidelibus tradit totum Sacramentum Hoc argumentum dixit aſſertori Sacramentorum: Noli me tangere. 1. Cor. 11.

Satis ne vidiſti nequitiam huius aſſertoris? Tu nunc vide, an in tali corpore

pore vlla ſit gutta regij ſanguinis aut in animo eius ſcintilla boni viri. Quem, rogo nō vrat hæc plus quam ſophiſtica malicia & impudentia, quæ ex animo & de induſtria aduerſus agnitam veritatem ſic inſanit, vt non modo ſibi, ſed & orbi toti velit extinctam & ſepultam: Plane vas electionis iſte eſt Satanæ, & digniſſimus defenſor Eccleſiæ Papiſticæ. Eo ſtudio & pleraque alia molitur per totum ſuum & baſphemum & ſacrilegum Libellum, Et pius Lector hoc ſigno diſcat eum cauere ceu ſentinam mortis, & ſuſpectum habeat per ſingulos apices. Nulla venia dignus eſt, quia nullus error hic eſt, ſed mera nequitia & indurata malicia ad mentiendum & blaſphemandum intenta.

VErum elinguis iſte defenſor in rebus neceſſarijs, videamus quam linguax ſit in ſuis nugis, ventrem diſtende, Lector, magnalia iſta Thomiſtica, vt capere poſſis, Probaturus licuiſſe alteram partem tollere, quam regaliter incedit, quaſi eſſet Rex.

Eccleſia (inquit) mane communicat Sacramento, quod Chriſtus fecit veſperi, Deinde nos aquam vino miſcemus, de quo tamen nihil meminit Scriptura. Quare ſi Eccleſia hic potuit aliud facere aut inſtituere, potuit & partem Sacramenti tollere.

Sic rotari & ferri debet præceps & inſana mentiendi libido aduerſus Dominum gloriæ. Quam vellem, modo poſſent aſini & porci loqui, vt inter me & Henricum iudicarent. Sed accipiam alios aſinos & porcos, qui nimis poſſunt loqui. Iudicate ergo vos ipſi Sophiſtæ, Pariſienſes, Louanienſes, Colonienſes quoque, & veſtri ſimiles vbi vbi ſint. Qua Dialectica valeat iſta Henriciſſima & Thomiſticiſſima conſequentia; Nam & vos ad marginem ſignaſtis Libelli huius: Hic iacet Lutherus proſtratus, & Henricum veſtrum approbaſtis. Dicite ergo: Vnde locus, vnde regula iſtius conſequentiæ: Aliquid fit extra Scripturam, ergo contra Scripturam eſt ſentiendū? Vinum miſcetur aqua extra teſtimonium Scripturæ, ergo Scriptura alteram partem ſtatuens eſt damnanda, pro hæreſi habenda, & alijs rabidis blaſphemijs veſtris conſpurcanda.

Pudeſcit ne tua frons, Henrice, non iam Rex, ſed ſacrilegus latro in diuina & ſancta verba Chriſti? Nondum ſudatis virulenti Sophiſtæ? Ecce quam iacet miſer Lutherus proſtratus? Vos miſerabiles trunci, ſic eſtis in reprobum ſenſum verſi, vt hoc principale robur affirmetis huius regij Libelli, quod ipſa ſaxa clamant, eſſe ſummam blaſphemiam.

FIngam hic aliquot genera ſtultorum vel furioſorum, vt Regem meum ſuis plenius pingam coloribus. Si quis ſic diſputaret, vt contrariū Scripturæ fieri probaret, ideo Scripturam debere cedere, Vt, adulterium fit, ergo lex prohibens adulterium eſt hæretica. Credo hunc etiam meo regi, quamuis ſit furioſiſſimus, furioſum videri. At quanto tamen hic ſapientius diſputaret, quā hic meus Henricus diſputat? Siquidem ſi omnino eſt Scriptura per factum aliquod abroganda, nullo melius quam contrario facto abrogatur.

At meus Rex, vt ſuperet omnem furiam, probat facto impertinenti, Scripturam abrogandam eſſe. Nam miſceri aquā vino, nihilo magis contrariatur vtriq; parti Sacramentorū, quam creationi aut natiuitati Chriſti. Si ergo recte arguit Rex, Vinum aqua miſcetur ſine Scriptura, ergo Scriptura eſt deſerenda de vna parte Sacramenti, Valebit etiam iſte ſyllogiſmus: Vinum miſcetur aqua ſine Scripturis, ergo Scriptura de creatione, de natiuitate Chriſti eſt abroganda. Docet ergo nos Rex glorioſus Scripturas & verbum Dei tollere debere, non modo per factum contrarium, ſed & per impertinens, & niſi ei conſentiamus, ſolus vult eſſe Chriſtianus, imo defenſor & aſſertor Eccleſiæ,

nos omnes hæreticos. Et hanc quidem mercedem erroris ſui, ſicut oportuit, Rex meus recepit in ſemetipſo.

SEd & alium fingam ſtultum, Si quis contenderet, vnum aliquem locum Scripturæ eſſe hæreticum, quia alius eiuſdem Scripturæ locus produceretur, nihil pugnans, ſed tantummodo impertinens. Vt ſi diceret, Iohannem Baptiſtam non eſſe Præcurſorem, quia Iethro conſuluit Moſi ciuilem politiam inſtituere, Forte etiam Rex meus hic vel rideret, vel miſereretur hominis maniam. *Exod. 18.*

Iethro conſilium &c.

Sed nulla eſt comparatio huius maniæ ad Regiam maniam. Nam ſi impertinentia poteſt aliquid de Scripturis mutare, rectius hoc faciet impertinens Scriptura ad ſeipſam, quam impertinens factum extra Scripturam. Nam vinum miſceri aqua, eſt factum prorſus extra Scripturã, & impertinens ad partem Sacramenti. Et tamen meus Rex, teſtibus Sophiſtis, hoc ſyllogiſmo proſtrauit Lutherum miſerum, & Indulgentias meruit donare, digniſſima certe retributione pro tali ſapientia. Igitur nihil peccatis deinceps, ſi ſic argueris: Henricus eſt Rex Angliæ, & tamen nec Deus cognouit, nec Scriptura meminit, ergo Chriſtus nec eſt natus nec paſſus, imo tota Scriptura nihil eſt. Verum ego hic ad marginem mihi ſignari nolo, Hic iacet proſtratus Rex Angliæ, quia verbis nolo proſtratum: ſed rei euidentia.

Quid igitur ex ijs omnibus colligemus? Hoc ſcilicet, quod cogitationes impiorum cordium reuelantur hoc ſigno contradictionis, Nam ideo ceciderunt in hæc barathra abſurditatis & horribilia monſtra, quod diuinam Scripturam ex animo habent pro re quadam humana, qualis eſt, mixtio aquæ & vini, nec ei vllum habent maiorem honorem, ideo ſic ipſa confundit eos qui eam non honorauerunt & glorificauerunt ſicut diuinam Scripturam.

VErum, quid porcis iſtis cum Scripturis, deſcendamus ad ipſorummet diatribam, & ſua etiam ignorare eos conuincamus. Dicat ergo nobis glorioſus aſſertor Sacramentorum, vnde probatur, Miſſam neceſſario mane celebrandam eſſe, aut quomodo hoc ſit contra Chriſti inſtitutum, ſi mane celebretur, quod ille veſperi fecit; Idem quæro de miſcenda aqua in vino, Quis fecit hunc articulum fidei; quis audet dicere peccatum eſſe, ſi ſine aqua celebret; An Henricus dum dicit: Oportet ſic eſſe, & non credit Lutherum ſine aqua celebrare.

Conſuetudo habet vim legis &c.

Conſuetudo, inquit, habet vim Legis. Reſpondeo: Habeat vim legis in ciuilibus cauſis, Sed nos in libertatem vocati ſumus, quæ nec legem, nec conſuetudinem ferre poteſt aut debet, cum agamus in ſpiritualibus rebus. Quare dominatio & regalitas Henrici ſuam Dialecticam male didicit, & hoc loco vitioſiſſime petit principiũm, arripiens hoc pro certo, probato, diuino, neceſſario Articulo fidei, quod eſt mere liberum & humanum inuentum? Nihil ergo mirum, ſi ruina Libelli eius ſit magna, quem ſuper talem harenam ædificat.

Articuli fidei Papiſticæ.

Quare nos Papiſtis & Henriciſtis iſtis ſanctis libenter fauemus magnificos illos fidei ſuæ articulos, qua credunt, Eſſe tantũ mane communicandum, Eſſe tantum in loco ſacro aut portatili (quod vocant) celebrandum, eſſe aquam vino miſcendam, & alios grauiſſimos & his ſanctiſſimis Sanctis digniſſimos articulos. Nos autem tales fideles, mere fatuos & ſtolidos affirmamus, & communionem Sacramenti liberam habemus, ſiue per diem, ſiue per noctem, ſiue mane, ſiue veſperi. Libera ſunt tempora, horæ, loci, veſtes, ritus. Apud nos non peccat, qui modeſte ederit & biberit ante communionem, quod & Paulus confirmat 1. Cor. 11. dicens: Si quis eſurit, domi manducet, vt non in iudicium conueniatis ad cœnam dominicam. *1. Corint. 11.*

Ita Chri-

Ita Chriſtus veſperi inſtituens communionem, non inſtituit veſperam pro communione nec matutinum, neq; enim verbum de tempore, perſonis, locis, veſtibus meminit, Alioqui, ſi exemplum temporis articulum facit, faciet etiam articulos, exemplum ætatis, loci, perſonarum, veſtium, & non licebit, alijs quam vtrilis ætatis hominibus, vt Apoſtoli erant, cœna iſta participare, deinde non niſi in veſtibus laicis. Deniq; nullis mulieribus dare licebit, ne virginibus quidem, cum non dicat Scriptura fuiſſe eas rum participatas. Et quis numeret omnia abſurda, quæ Regem iſtum exactorem tandem ſequentur.

AT longe aliud eſt, vtraq; pars Sacramenti, nam eam Chriſtus non reliquit liberã, ſed ipſam & vſum eius certis & apertis verbis inſtituit. Et meo ſenſu, melius & tutius foret, aquam non miſceri vino, cum ſit mere figmentũ humanum, & ſiniſtram, imo peſſimam habeat ſignificationẽ. Non enim ſignificat noſtram in Chriſto incorporationem, cum ſimile ſignũ non habeat Scriptura, Sed illud, quod Eſai. 1. dicitur: Vinum tuum mixtum eſt aqua, hoc eſt, puriſſima Dei Scriptura vitiata eſt humanis traditionibus, Et quod impletur quam maxime in hoc Sacramento, imó vinum hic in aquam totum eſt mutatum, nihil n. reliquum eſt verborum Dei in hoc Sacramento.

Eſa. 1. — *Vinum tuum mixtum eſt aqua.*

Non quod damnem vſum mane, & locis ſacris communicandi, ſed neceſſitarem repudiamus. Volumus enim ſi quis ieiunare non poſſit, aut reumate vel grauedine leuari ieiunus non poſſit, ante comedat & bibat, quam participet menſæ Domini, & hoc libere agat, quo corpore & animo ſit compoſitiſſimus. Nam quod Henricus Eccleſiam vocat, nos dicimus meretricem purpuratam eſſe. Eccleſia enim etſi ritibus & ceremonijs carere non poſſit, non tamen leges & laqueos animarum ex ipſis facit, faciunt autem hoc, qui Eccleſiæ nomen iactant, porci illi & aſini, Henriciſtæ, Papiſtæ, Sophiſtæ, Thomiſtæ, & ſui generis deceptoris & Antichriſti.

Eccleſia vtitur ceremonijs &c.

Habes itaque Lector, quid de ſapientia Regis Angliæ ſentire debeas, quem vides, quam ſtolide & ridicule contendat, valere in articulum fidei conſuetudinem incertæ originis, tum liberam & mutabilem aduerſus apertum, conceſſum, & immutabilem ſermonem Euangelij. Quo ſimul diſcis, quam contemptum habuerit ſermonem Dei, dum Libellum ſuum conciperet, inflatus nomine & maieſtate Coronæ ſuæ, aduerſus inopem & pauperem Lutherum. Sed Chriſti iudicium ex parte vidiſti, quam nihil metuat Reges ſuperbos & blaſphemos, ſed potius montes transfert antequam cognoſcant, & apprehendit aſtutos in aſtutia ſua.

Confirmo itaq; Libellum meum de Captiuitate Babylonica Chriſtianiſſimum, vt cuius robora non tetigit meticuloſus Thomiſta Rex, & contra meas rupes vagis & aridis ſtipulis ludens, egregium præbuit orbi ſpectaculum, vt pueri & motiones intelligant eius inſignem inſcitiam, hebetudinem, maliciam, & nequitiam. Tranſeamus ad aliud.

Captiuitas Babylonica Lutheri.

QVarto, cum ego demonſtraſſem, non eſſe neceſſarium credere, panẽ & vinum transſubſtantiari, Inſurgit in me Thomiſta Rex duabus machinis. Quarum prima eſt Ambroſij verbum, Altera Thomiſticus ille aries, qui vocatur: Oportet ſic eſſe. Ambroſium inducit aſſerentem, nihil remanere niſi corpus & ſanguinem poſt conſecrationem.

Quid ego reſpondeam tam inſulſis & ineptis ſtultis? Si hic quæram: An Ambroſij verbum ſit Articulus fidei neceſſarius? dicet Rex: Oportet ſic eſſe. Si dixero: Quis dedit Ambroſio ius condendi Articulos fidei? Dicet: Oportet ſic eſſe. Et non videt ſtolidum caput, tale eſſe Ambroſij verbum, quod ſeipſum deuorat, cum impoſſibile ſit, nihil remanere niſi corpus & ſanguinem poſt conſecrationem, Niſi quod apud Thomiſtas ſubtiliſſimos

Ambroſius.

 viros,

viros,forma,calor,frigus, & alia accidentia,nihil eſſe dicuntur. Nam hæc vere,vt non ſunt nihil,ita videmus ea remanere,vt Ambroſium hic erraſſe palam palpemus etiam.

Ambroſius.

Sed eſto,Ambroſius voluerit non remanere panem & vinum, Dicam, Ambroſium ſuo ſenſu abundare permitto,Neque ſanctus vir hoc verbo conſcientiam vllius ceu Articulo fidei voluit obſtringere, cum id non poſſit è Scripturis demonſtrare. Sed ſicut ipſe libere hoc modo eſt opinatus,ita permiſit alijs aliter opinari. Exceptis Thomiſtis, quos etiam veternoſis ſomnijs ſuis,ceu articulis fidei,iuſtum eſt illaqueari & vexari.

IAm aliud Regis robur. Quod oporteat ſic eſſe ,quia clara ſunt (inquit) verba Chriſti dicentis: Hoc eſt corpus meum,non dicit,cum hoc,aut in hoc eſt corpus meum.

Hic iterum non tam lethargum Regis,quam nequitiam accuſo. Sic enim detruncat Latro verba Chriſti,& meum argumentum regaliter tranſilit, ac ſi ius haberet verba Dei rapere & ponere pro libidine. Ipſe iuxta rudiſſimam ac aſininam Thomiſtarum philoſophiam, aptat pronomen , Hoc , ad prædicatum ,Corpus meum,Deinde mox quaſi id euiciſſet,clamat : Aperta ſunt verba : Hoc eſt corpus meum.Sed interim totum pondus , quo larualem illam Philoſophiam vrgebam,tacet ſubdolus Sophiſta.Hoc enim tota diſputatione egi,ne pronomen, Hoc,ad corpus meum,aptari poſſit in eo loco. Neq; enim opus mihi erat tam craſſis porcis,qui mihi dicerent,nihil eſſe niſi corpus ibi,ſi pronomen,Hoc,non niſi corpus demonſtraret.

Philoſophia Thomiſtarum.

Sed vitioſiſſimus petitor principij,vt eſt mos omnium Sophiſtarum , debebat primum oſtendere,pronomen,Hoc,ad prædicatum pertinere , & meas rationes diluere,Horum nihil facit,& garrit ridicule , Chriſtum non dixiſſe : In hoc,vel cum hoc,ſed : Hoc eſt corpus meum.Nonne & ego iſta ſubtiliſſima ſubtilitate Thomiſtarum poſſem dicere : Chriſtus non dixit: Panis tranſſubſtantiatur in corpus,vt vos fabularum Magiſtri fingitis?

Hoc eſt corpus meum &c.

Sed hic fuerat Regi laborandum,vbi ex filo ſermonis oſtendi pronomen,Hoc,ad panem aptari, & ſic ſonare aperta verba:Hoc eſt corpus meum, id eſt,hic panis eſt corpus meum.Nam textus ſic habet: Accepit panem , benedixit,fregit & dixit: Hoc eſt corpus meum &c.Vides hic,vt omnia illa verba,accepit,benedixit,fregit,de pane dicantur. Et eundem demonſtrat pronomen,Hoc,Quia illud ipſum,quod accepit,benedixit,fregit,hoc(inquam)acceptum & benedictum,& fractum ſignificatur,cum dicitur : Hoc eſt corpus meum,non prædicatum,ſed ſubiectum demonſtratur.Non enim corpus ſuū accepit,benedixit & fregit,ſed panem,Ideo non demonſtrat corpus , ſed panem.Hæc ſunt clara verba,quæ Rex nequitioſus occulit,& nudam illam propoſitionem vrget:Hoc eſt corpus meum , & pronomen,Hoc,ad corpus temeritate propria aptat.

Sed & hoc inſigne eſt ſapientiæ Thomiſticæ, quod poſtulatus ratione huius Articuli fidei, cum nullum Articulum ſciat à me admitti, niſi apertis ſcripturis munitum,Ipſe tamen nihil aliud affert,quam Oportet ſic eſſe,Verba ſunt clara & aperta : Quis autem tam inſanus eſt Grammaticus,qui ex hoc ſermone:Hoc eſt corpus meum,intelligat aut colligat id quod eſt, panem tranſſubſtantiati, niſi Thomiſtarum fex, quæ etiam Grammaticam nos dedocuere ? Cur non & eadem facultate dicit,Tranſſubſtantiarionē etiam illo ſermone oſtendi,quando dicitur: Apocalypſis B. Iohannis;Si enim ſatis eſt pro Articulo fidei regaliter dicere : Verba ſunt clara,nulla erunt verba,quæ non poſſint omnium omnia probare, maxime cum audiar ſtolidum caput verba iſta à me in alium ſenſum clara appellari, & pro ſuo ſenſu aliena, nedum obſcura.

Quia

Google

Quin eximius noſtralis Rex Heinricus, ſtropha thomiſtica, auſus eſt etiam á me exigere vt probem non tranſſubſtantiari, Scilicet inſulſiſſimus Thomiſta, docendus etiam eſt elementa diſputationis, qui cum affirmatiuam debeat probare, contendat ab aduerſario, vt negatiuam probet. Hos doctiſſimos viros ad Hæreticos mittamus & ad Turcam, vt fidem noſtram defendant, ſic vt non ſit neceſſe, rationem fidei reddere, ſed ſolum dicere: Proba negatiuam. O porcos & aſinos Thomiſtas, Quanquam, vt dixi, mea fortiter ex ipſo Euangelio probaui, videlicet, Quod id aſſerendum ſit in rebus fidei, quod Scriptura aſſerit. Quod ipſa non aſſerit, non eſſe aſſerendum, ſed liberum habendum; Ad Sacramentum ipſum aperte vocat panem.

SEd hactenus philoſophatus ſit Thomiſta noſter regius, Iam videre dignum eſt, quam thomiſticè & theologiſetur, aduerſus meas rationes. Cum ego aduerſus thomiſticum illum fidei articulum poſuiſſem fulmen illud cœleſte Pauli verbum 1. Corinth. 10. vbi tam aperte panem
1.Cor.10. appellat hoc Sacramentum, vt nec regis ruditas, nec Thomiſtæ nequitia vllũ mentiendi & ludendi effugium inuenire poſſet, cum ſtent verba Pauli luce clariora: Panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini eſt, Non ait: Corpus quod frangimus. Non ait: Nihil illud conſecrationis reliquum, quod frangimus aut accidentia quæ frangimus, ſed panis quem frangimus, *Panis quem frangimus &c.* vtique iam benedictus & conſecratus. Hic igitur panis benedictus eſt partici-
1.Cor.11. patio corporis Domini &c. Simile eſt 1. Corinth. 11. Qui manducat hunc *Qui manducat panem &c.* panem &c.

Hic bonus & ſuauis Thomiſta nihil neq; Scripturarum neque rationum afferens, ſed ex mero ſuo. Oportet ſic eſſe dicit, Scripturam ſanctam ſolere aliquando, id appellare, quod fuit, vel quod ſimile ſit, vt Exo. 7. Deuorauit virga Aaron virgas Magorum, id eſt Draco qui fuit virga Aaron. Hæc ille.

Recte in caput tuum mentiris, Rex ſtolide & ſacrilege, qui fronte impudenti auſus es verbis Dei infallibilibus tribuere, vt aliud ſonent quam ſignificent. Quantam, obſecro, feneſtram blaſphemandi aperuerit furor iſte Regis, vniuerſis hæreticis & fidei hoſtibus? Si ſemel admiſſum fuerit, Scripturæ autoritatem lubricis & fallacibus verbis niti, quid tum non probare, improbare, tueri & defendere poterunt omnes omnium dogmatum Magiſtri? Quanto rectius S. Auguſtinus ne iocoſum quidem mendacium, nec officioſum in ſacris literis recipere voluit. Hic vero Rex vobis copiam facit, ſicubi Scripturæ nos vrget autoritas, eludendæ eius & ſic interpretandæ, ne poſſit nos vrgere.

SEd eſto, Rex thomiſticus non dignetur Creatorem ſuum tanto honore, vt ſenſum ſuum in verba eius captiuet, faſſus ſeſe potius neſcire, quomodo virga virgam vorarit, quam temere ea deprauet. Sitque verum, quod virga dicatur Draco, qui fuit virga, Qua conſequentia ſequetur, & hic panem dici, qui panis non ſit, ſed fuerit? An hoc eſt ſine Scriptura omnibus locis Scripturæ aptandum, quod vno loco reperitur? Scilicet hac thomiſtica ſapientia fretus, ſic argues: Scriptura ſemel dicit, Virginem eſſe matrem, Ergo oportet multas alias quoq; virgines eſſe matres, licet Scriptura de ijs nihil dicat, Quemadmodum hic facit, panem non eſſe panem oportet, quia virga non eſt virga.

Sic ſexcenta exempla monſtri huius ſimilia è ſcripturis produces. Nimirum Arrianam fecem & ſentinam olet hic laruatus Thomiſta, Nam & *Arriani.* illi cum vrgerentur ſcripturis euidentibus, Chriſtum eſſe Deum, hac regia & anglica acutie, tanto ante tempore dixerunt: Chriſtus nuncupatiue eſt Deus, ſed non vere, hoc eſt, dicitur ſeu vocatur Deus, ſed non naſcitur Deus,

quomodo

quomodo & hic nouus Arrianus audet blaſphemare, apud Paulum dici panē, ſed non eſſe panem. Sic Manichæos facile tuebitur hic glorioſus aſſertor Sacramentorum, qui verbis Dei rem ſubtraxerunt, & phantaſma ſubſtituerunt.

Manichæi.

Denique & ego regis arte vtar in eum, & dicam: Thomiſtica tua Transſubſtantiatio non eſt, ſed dicitur transſubſtantiatio, ſeu eſt ſimilis transſubſtantiationi. Quomodo me prohibebit? An non mihi ſic licebit in ſuo veterno nugari, vt ipſe nugatur in ſynceriſſimis verbis Dei? Probo autem ſic, Quia ſemel legitur in ſcripturis, Virga vocari quod virga non eſt, Ergo mihi licet, vbi voluero intus & extra ſcripturas, autoritate propria alicuius negare ſubſtantiam, & aſſerere ſolam nuncupationem, Niſi tanti Regis, tam Thomiſtici, tam ſubtilis, tam glorioſi & gloriabundi aſſertoris exemplum & autoritas nihil valeat.

Perpetuum vitium Sophiſtarum.

Vides ergo, Lector, quam ſimilis ſit ſibi vbique & vndique thomiſtica ſapientia rudiſſima illa & aſinina ruditas? Perpetuum eſt n. inſulſiſſimorum Sophiſtarum vitium, vt principium petant, & quod probare debent, probatum eſſe præſupponant. Deinde ex auro Domini imagines ſibi conflent maſculinas, vt Ezechiel dicit, & ſuis ſomniis diuina verba aptent. Tum dicant: Oportet ſic eſſe, quod ego dico, quia ſic eſt quod Scriptura dicit. O dignos papiſticis Indulgentijs & ſacramentis aſſertores.

Sed hæc eſt illa germana Satanæ machina, qua ſeſe transfigurat in angelum lucis. Et vt ab initio ſimilis eſſe voluit Altiſſimo, ita non ceſſat ſimilia tam verbis quam factis diuinis moliri ſemper, in deceptionem filiorum incredulitatis. Sic in Papa ſuo ludit, vbi cum ſibi ius arrogaret voti ſoluendi, magna bucca in Decretalibus ſuis ſatis confidenter euomit hanc ſimilitudinem, Primogenitum aſini mutabatur oue, Ergo ego votum mutabo alio opere, Quaſi primogenitum aſini ſit votum. Ita hic Rex blaterat, Virga dicitur virga, & tamen non eſt virga, Ergo Paulus panem vocat quod non eſt panis, quaſi virga & panis idem ſint. Quæ barathra non inundaret Satan in Eccleſiam, poſtquam Sophiſtæ in cathedras recepti, hac forma docendi & diſputandi vti cœperunt?

Sed & aliam ſuam Rex oſtendit dexteritatem in hac re, vt nihil niſi Thomiſta à quoquam credi poſſit. Si inquit, Lutherus tam rigide captat verba Scripturæ, dicet, & Chriſtum eſſe panem triticeum in cœlo, dum dicit: Ego ſum panis, qui de cœlo deſcendi. Item, naturalem vitem, vbi dicit: Ego ſum vitis vera &c. *Iohan. 6.* *Iohan. 15.*

Dixi antea, nihil craſſius & inſulſius eſſe ſub ſole natum Thomiſticis monſtris. Quis enim puerorum hunc delirum Regem hic non rideat, niſi quod præ inſigni nequitia & rabie blaſphemandi, magis odio aut lachrymis dignus eſt? Tantum non eſt in ipſo aut ſenſus aut vigiliæ, vt videat, quid interſit inter ſua ſomnia, & hæc verba Chriſti. Ipſa enim conſequentia verborum, abſurditas rerum, pugnantia intelligentiarum, tum ipſiuſmet Interpretatio, cogunt eum de pane ſpirituali loqui, ſicut dicit: Verba mea ſpiritus & vita ſunt. Quorum nihil eſt in verbo Pauli, de pane Sacramenti loquentis, Imo omnia vrgent Paulum de pane triticeo intelligi. Adhuc audet truncus iſte immobilis ſimilitudinem phraſis hic aſſerere, quam nullus morio hic poſſet fingere.

Locus ex capit. 8. Iohan.

Sed tamen pro dignitate Thomiſtica hoc facit Rex, quorum eſt, omittere Canonem intelligendæ Scripturæ (qui eſt, conſequentiam, circumſtantiam & pugnantiam obſeruare) & quouis arrepto & detorto verbo, quoduis aſſerere. Quare hic vide, rogo, Lector, quid ſentire debeas de hoc inſulſiſſimo ineptiſſimoq; Libello tam ſtupidi & ſtolidi Regis, ſimul quam nihil iudicij, nihil

nihil obſeruationis, nihil diligentiæ ſit in toto corpore Thomiſtico, ſed omnia temeritate & præſumptione & oſcitantia incredibili dici & geri & fieri, vt tædio poſſint enecare tam Lectores quam ſpectatores ſuos.

STat ergo meus Paulus aduerſus transſubſtantiatores iſtos futiles inuictus, & dicit: Panis quem frangimus, & duplici cornu illos ferit, *Panis quem frangimus &c.*

1.Cor.10. Primum, quod ſua aſſerere nulla ratione neq; autoritate poſſunt. Deinde, quod frigidis ſuis ſolutionibus aliud non faciunt, quam quod principium vitioſiſſime petunt, Ac ſummũ, quod efficiunt, eſt. Quod poſſit ſic eſſe, ſic vt fingunt, Cum probare debuerint, & factum & ius, quod ita ſit, & oporteat ſic eſſe. Nemo enim dubitat, quin Deus poſſit transſubſtantiare panem, ſed quod id faciat, non poſſunt oſtendere.

Et miror ſapientiſſimum hunc Thomiſtam, cur non & accidentia transſubſtantiet, cum verba iſta transſubſtantiationis iuxta ſuum cerebrum ſolum corpus Chriſti ſonent: Hoc eſt corpus meum. Ergo nihil ibi niſi corpus Chriſti erit, teſte ſuo Ambroſio, quare nec albedo ibi erit cùm alijs accidentibus. Aut cur non differit, quid nam obſtet, ne panis ibi maneat, quomodo accidentia manent; Quæ neceſſitas perimendæ ſubſtantiæ, & ſeruandorum accidentium? An ſolum illa Thomiſtica, Oportet ſic eſſe?

PRætetito hic rethoriciſsimum illum contemptum, dum duas vrgentiſſimas ſimilitudines appoſui, de ferro ignito, & Deo incarnato; Vbi neque igni ferrum, neque diuinitati hominem neceſſe eſt cedere. Mihi enim etiamſi nõ neceſſe ſit, mea aſſerere, tamen ſatis negotij fecero aſſertori, ſi ſuum figmentum, aliter ſe poſſe habere demonſtrauero. Itaque poſſum dicere, Corpus Chriſti ſic ſaluo pane in Sacramento eſſe, ſicut eſt ignis in ferro, ſalua ferri ſubſtantia, & Deus in homine, ſalua humanitate, vtrobique ſic mixtis ſubſtantijs, vt ſua cuique operatio & natura propria maneat, & tamen vnum aliquod conſtituant. Sic dicere, inquam, potero, donec Papiſtæ hanc ſimilitudinem, non contemptu Thomiſtico, ſed aſſertione fideli ſuſtulerint. Ipſorum eſt enim affirmatiuam probare, quam ego vna particulari poſſim labefactare. Non enim eſt hoc aſſertionem Sacramentorum ſcribere, aduerſarij argumenta tranſilire & contemnere, vt hic facit inſulſus Thomiſta, ſed demonſtrare ea eſſe nulla & inania, Alioqui ea pro inuictis haberi cogit ipſe aſſertor ſua ridicula diſſimulatione & meticuloſa fuga. *Similitudo de ferro ignito.*

OPtimum vero & pulcherrime thomiſticum eſt, quod vltimo & digne memorandum eſt, vbi Dominus Henricus Magiſter noſtralis eam cauſatur rationem, ne panis manere dicatur, nempe, Quod nulla ſubſtantia digna ſit miſceri illi ſubſtantiæ, quæ creauit omnia. Hic, Lector, ſemel admirare Thomiſticæ ſapientiæ magnalia. Primum Dominus Henricus ſentit, in Sacramento diuinitatem Chriſti ſuccedere pani, ideoque panem cedere debere, ne miſceatur tam indigna ſubſtantia creatrici ſubſtantiæ. Obſecro, quis hæreticus ſic inſaniuit vnquam, vt doceret, panem in diuinitatem conuerti: Nonne & ipſe Henricus cum ſuis porcis & aſinis docuerunt hactenus, panem in corpus mutari non in diuinitatem? Aut nunquid tribuent corpori & ſanguini Chriſti tantum, vt creatrix ſubſtantia dici poſſit? Vide; quorſum rotet furor impius mentes ſacrilegas, poſtquam ſemel mendacijs niti cœperunt. *Sapientia Thomiſtarum.*

Deinde & hoc feſtiuiſsimum genus argumenti merito Lutherum moueret: Subſtantia eſt indigna, ergo non poteſt miſceri digniori, Scilicet in his rebus, fides noſtra pendet in dignitate & indignitate ſubſtantiarum, Concludamus ergo, autoribus Thomiſtis, Deum non eſſe hominem, quod

humana

humana ſubſtantia indigna ſit tantæ maieſtatis dignitati copulari. Negemus Spiritum ſanctum diffundi in corda etiam iuſtorum(vt taceam impiorum iuſtificandorum)quod cor hominis nimio ſit indignum maieſtate ſpiritus. Ita & hic Henriciana ſapientia. Panis non eſt corpus Chriſti,quia corpus Chriſti creatrix ſubſtantia dignior eſt,quam vt miſceri poſſit tam vili ſubſtantiæ.Belle,pulchre,Thomiſticiſſime & Henriciſſime,ſi panis indignitas non ſinit, vt ſit corpus Chriſti, tamen iſtius rationis dignitas digniſſima eſt, quæ in nullis niſi Thomiſticis cerebris & aſinis iſtis habitet & valeat.

Subſtantia potior accidentibus. Si autem interrogauero; Panis ſubſtantia eſt indigna miſceri corpori creatrici ſubſtantiæ,cur ergo accidentia digna ſunt miſceri & manere, cum Deus Thomiſtarum decernat , ſubſtantiam eſſe potiorem accidentibus omnibus modis , præterquam via cognitionis,quod ex parte noſtri defectus contingit? Quid hic dicet Dominus Henricus,aſſertor ſubtiliſſimus? Abſque dubio nihil aliud,quam:Oportet ſic eſſe,Ego ſum Rex , & ſi hoc parum eſt, Ego ſum Thomiſta,ergo eſt verum,Hoc eſt,quod dignum dicunt ſeipſis. Sic enim porcis conuenit exhauſtis medullis tritici furfurem & ſiliquas comedere,& pro ſubſtantia panis accidentia iactare. Imo Chriſtus verax hic inuenitur,qui dixit : Dabo vobis os & ſapientiam,cui non poterunt reſiſtere & contradicere omnes aduerſarij veſtri. Nam ſatis vides, Lector,quam furioſis mendacijs ſeipſos lacerent ſacrilegi Papiſtæ,dum mihi contradicere conantur. Potentia eſt hæc veritatis,qua mendaces oſtendit,qui ſeſe maculant & comprehendit aſtutos in ſua met aſtutia.

HAbemus itaque hunc Articulum,quamuis non anxie à me exactum antea,nunc multo confirmatiſſimũ,proprijs Papiſtarum aſſertionibus id eſt,mendacijs,& ſtulticijs,& blaſphemijs,vt iam tutiſſimi ſimus, meriſſimum eſſe impiorum & cæcorum Thomiſtarum figmentum, quidquid blaterãt de transſubſtantiatione iſta,Eſſeque firmiter fidelibus verbis Dei nitendum,vbi in Paulo ſimpliciter & pure dicit, Panem eſſe corpus Chriſti,quem frangimus & manducamus. *Figmentum Thomiſtarum de transſubſtantiatione.*

Quare ne ingratus ſim magiſterio Domini Henrici,nunc muto & transſubſtantiare volo meam ſententiam,& dico: Antea poſui nihil referre,ſiue ſic ſiue ſic ſentias de transſubſtantiatione,nunc autem viſis rationibus & argumẽtis aſſertoris Sacramentorum pulcherrimis decerno,Impium eſſe & blaſphemum, ſi quis dicat , Panem transſubſtantiari, Catholicum autem & pium, ſi quis cum Paulo dicat: Panis quem frangimus,eſt corpus Chriſti. Anathema ſit,qui aliter dixerit,& iota aut apicem vnum mutarit, etiamſi ſit Dominus Henricus nouus & eximius, Thomiſta.

QVintum adeſt capitale,ſummũ & angulare aſſertionis Henricianæ opus,Miſſam eſſe opus & ſacrificium. Hic demum Dominus Henricus eſt Dominus Henricus,& Thomiſta eſt Thomiſta. Ac primũ ex aliquo Semirhetore forte audiuit,Sicubi aduerſarij ſenſerit robora nimium inuicta, oportere rugato naſo illum rideri & contemni,vt ſtupidus Lector credat,antea victum aduerſarium,quam impugnetur à tanto Rhetore.

Sic & Dominus noſter Rex magnificis ampullis præfatur , vt ſeſe belle fingat tœdere refutationis ram ſtulti & indocti Lutheri,negantis Miſſam eſſe opus & ſacrificium,Scilicet Satanas vulnus ſentit,ideo præ morbo animi incertus quid agat,mera ægritudine & impotentia me tentat irriſione & contemptu irritare.Sed ille,qui dedit nobis ſcire cogitationes Satanæ, dabit etiam nobis irriſorem irridere,& contemptorem contemnere, ſuæque inſipientiæ fragiles ampullas cum fiducia traducere.

Itaque ſi verba minantia & ridentia captes,Lutherum ſepties vicit Rex aſſertor. Porro ſi rem ipſam ſpectes,eæ ſunt nugæ, quas nobis iam tres annos fruſtra cecinerunt vicini noſtri ſocijque Papiſtæ, ſcilicet,Miſſam eſſe opus & ſacrifi-

ſacrificium. Quia ſic habet diuturnus vſus multorum, Sic Eccleſia (id eſt, meretrix Babyloniæ) ſentit, ſic oportet eſſe, Magiſtri noſtrales ſic docuerunt, & Patres ſic dixerunt.

Hic eſt ille furor, quo inſanit & clamat hoc loco iratus Rex, & ſpumat certe non bene propitius Luthero, ſi quid hoc ad aſſertionē Sacramentorum valet, & Lutherum terrere poteſt. Cæterum, vt hunc tam receptum, tam vulgatum, tam probatum, adde & opulentum & voluptuarium Articulum ſaltem vno apiculo Scripturæ ſanctæ, aut verbis Dei firmaret, aut meas Scripturas diſſolueret, Hoc non oportet eſſe, hoc non habet diuturnus vſus, Hoc non ſentit Eccleſia, Hoc non docent Magiſtri noſtrales, Hoc non pertinebat ad aſſertorem Sacramentorum.

TAmen ne nihil dicat tam inſignis aſſertor, vnam affert rationem plane potentiſſimam, qua hactenus omnibus ſatisfactum eſt, Miſſam eſſe opus & ſacrificium. Ea eſt eiuſmodi:

Si Miſſa non eſſet opus bonum, Laici certe nihil pro ea tribuerent Clericis temporalis beneficij.

Obſtupeſce, Lector, regia & Thomiſtica eſt hæc ratio, & vt dixi, plane potentiſſima, nam plurimos permouit hactenus & permouet hodie. Hic iacet Lutherus proſtratus, & nemo tam dextre eum confecit, atq; Rex Anglorum in hoc Libro, hac ipſa ratione, Nam vt nolim, cogor tamen confiteri hæc ita habere. Vere, inquam, Miſſa ideo eſt ſacrificium & opus bonum, quod (vt Rex dicit) Laici tribuunt opes ſacerdotibus pro ea.

Rurſus eadem ratione verum eſſe oportet, inuito Luthero, Miſſam non eſſe opus bonum, ſi Laici non tribuerent ſuas in illam opes. Id quod probaturus erat euentus, ſi deſijſſent Laici ſuas opes perdere (tribuere, inquam) pro Miſſis, & futurum, vt Miſſa fieret, quidquid numus vellet. Recte & optime Rex hac ratione dixit, & digniſſima tanto aſſertore ratione Miſſam aſſeruit, Itaque in largitione Laicorum & arbitrio pecuniæ eſt, Miſſam eſſe opus, & quidquid eſſe ſacerdotibus vtile fuerit. Memento itaque Lector, ab aſſertore Rege nullam aliam afferri rationem pro Miſſa ſua, quam iſtam.

Tu nunc iudica, quiſquis es, Lector, quidnam digno reſponderi poſſit tam furioſis, amentibus & deploratæ peruerſitatis monſtris? Quæ meretrix tam impudenter ſuas ignominias auſa fuerit iactare, atq; hoc impudentiſſimum Regis os palam auaritias & impoſturas ſacerdotum iactat, atq; eas nobis pro ratione tantæ ſuæ fidei obiectat.

Sed toties nos terret diuini iudicij furor, qui his horrendis iræ exemplis monet humiliter ſapere in rebus ſacris, dum tam præſentibus inſaniæ pœnis percutit eos, qui aduerſus ſanam doctrinam & apertam veritatem feruntur. Neq; enim ego Regem hunc miſerabilem, omnibus viribus poteram toti orbi tam fœdum & abominabile ſpectaculum facere, quam ipſe facit ſeſe, hac inſania ſua. Diſcite, obſecro, miſeri Papiſtæ, vel veſtris turpitudinibus moti, aliquando timere iudicium Dei. Quid erit in futuro, ſi in hoc tempore tam ſeueriter vos confundit?

NOn minor eſt amentia, quæ ſequitur, vbi cum multis verbis me contempſiſſet (hoc enim in Rhetorica potiſſimum didicit) tandem proteſtatur, Seſe relicturum intactum id, quod maxime omnium refutandum ei fuerat, nempe robur meum principale & argumentum capitale, vbi ex verbis Chriſti probaui, Miſſam eſſe teſtamentum & promiſſionem, ideo non poſſe opus aut ſacrificium duci. Hic infelix aſſertor, victus fortitudine huius roboris, miſere diſſimulata conſcientia, non ſolum tranſit, ſed proteſtatur etiam ſeſe tranſiturum, & alijs dimiſſurum.

Miſſam eſſe teſtamentum &c.

O aſſertorem Sacramentorum, ô defenſorem Eccleſiæ Romanæ, bis Thomiſticum, & omnibus Indulgentijs Papæ longe digniſſimum. Ignoſci poterat, ſi tranſiſſet hoc robur meum ſilens, at proteſtari ſeſe tranſiturum, qui audiat in hoc me vnice & maxime fidere, & inde omnia illius profligari, hoc ſit ridiculum & ſtultum eſt, vt nihil ſupra.

Miſſa neque opus neque ſacrificium eſt.

Igitur de clementia Regis aſſertoris ſpeciali (ne iterum ſim ingratus) aſſero & pronuntio, Miſſam neque opus neque ſacrificium eſſe, donec alius veniat, & probet, teſtamentum & promiſſionem Dei eſſe opus aut ſacrificium poſſe. At quando is veniet? Rex ipſe ſane vidit, venturum eſſe ad Kalendas græcas, ideo ſecurus reliquit intactum, miſerrime conficiendus & conterendus, ſi tetigiſſet. Crederes hic Regem tantum aut veriſſime læſo cerebro inſanire, aut hoſtem aliquem in eius ignominiam hūc Libellum ſub regio nomine edidiſſe. Quis enim hac inſania maiorem vidit, quam hæc eſt, vbi regia iactantia aduerſus Lutherum ſcribitur, & in ipſo opere, robora ac firmamenta eius nō modo diſſimulantur, ſed apertis verbis ſinenda ſibi eſſe pronuntiatur?

POſtquam vero Dominus Henricus Thomiſta noſter hac argentea & aurea ratione probarat, Miſſam eſſe opus, pergit in fortitudine ſua etiam Lutheri rationes diluere, & primo thomiſticatur in hunc modū:

Qui lignum cædit, facit opus, ergo, qui conſecrat, facit opus, Quare Miſſa etiam opus erit, Si autem eſt opus, non eſt malum, ergo bonum.

Hæc ille glorioſus aſſertor Sacramentorum. Hic iacet quoq; Lutherus proſtratus. Fateor plane me ſuperari Thomiſticæ hebetudinis immanitate, & laboro ſic loqui, vt me aliqua parte intelligant miſerabiles homines. Dico ergo, Miſſam accipi dupliciter, Vno modo henricaliter & thomiſticaliter, Hoc modo, vt hic vides in Libello Regis, Miſſa eſt idem quod conſecrare ſeu proferre verba conſecrationis. Hoc autem eſſe noſtrum opus ne Thomiſtarum quidem hebetudo negare poteſt, tantum abeſt, vt hic viciſſe Henricum noſtrum talem Magiſtrum negem.

Miſſa.

Verum hæc noua eſt Miſſæ definitio, nouumq; exemplum, neq; enim ego vel per febrim vel per phreneſin ſic de Miſſa cogitare vnquam potuiſſem. Et miror copioſiſſimos Thomiſtas non confirmaſſe hanc rationem feſtiuam alijs quinq; rationibus. Nam ſi conſecrare eſt Miſſa, poteſt etiam clamare, cantare, thurificare, cereolos incendere, calicem mundare, hoſtiam leuare, forte & ſternutare & excreare, & quid non poſſit hac henriciſſima prudentia Miſſa dici? Quia concedimus nouo iſti verborum & rerum inuentori, vt caput aſini vel porci Miſſam vocet, Quid enim refert, quoduis dici, illi, cui vocabula & res ſtantque caduntque ad placitum, iuxta ſuum Ariſtotelem.

Confitemur itaq; hoc modo, Miſſam eſſe opus, & Palinodiam canimus, pœnitetque nos tam inſignis erroris, quo ignorabamus fore, vt id Rex Angliæ appellaret Miſſam, alioqui non defuiſſet nobis tanta eruditio, qua hunc errorem cauiſſemus, & cauſam ſcribendi tanti Libelli præcidiſſemus.

Miſſa mali Sacerdotis &c.

Sed hoc male vexabit aſſertorem, quod hac ratione Miſſa non erit bonum opus, niſi bonus ſit conſecrator. Malus enim male facit conſecrando, id eſt, miſſando, vt Rex dicit. Itaque non licebit malo ſacerdoti conſecrare, imo neque poterit, cum Miſſam velint neceſſario bonū opus eſſe. Peribitq; ſimul illa magnifica Theologia, qua definitum eſt, Miſſam etiam mali Sacerdotis eſſe ſemper opus bonum virtute operis operati, licet non virtute operis operantis. Nam Dominus Henricus opus operantis pro Miſſa accipit, non opus operatum. Sed forte Rex eſt pluribus occupatus, quam vt vel diſceret vel recordaretur iſtius Theologiæ, de opere operati & operantis. Sic debent hoſtes veritatis ſeipſos confundere & irridere, pro mercede blaſphemiarum ſuarum.

Alio

Alio modo, Miſſa eſt vere & proprie, ſicut nos de ea loquimur, ipſum verbum promiſſionis cum ſigno adiecto panis & vini. Nam ſi cætera omnia deſint, & credideris his verbis Chriſti: Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur, vere Miſſam integram habes. Deinde ſi acceperis ſignum eadem fide, vſum & fructum Miſſæ accepiſti. Vnde manifeſtiſſimum eſt, Miſſam non eſſe aliquid noſtri operis aut verbi, ſed ſolius Chriſti, dantis tam verbum promiſſionis, quam ſignum in pane & vino, atque vſum eius non poſſe in offerendo aut operando, ſed ſolum in recipiendo & patiendo conſiſtere. Sed quomodo hæc noſtra miſer Aſſertor ſciret, qui ſua propria ignorat de opere operato, & dum nos impugnat, ſeipſum fœdiſſime refutat. *Miſſa quid ſit vere & propriè &c.*

DEinde pro ſacrificio Miſſæ defendendo ſic Thomiſticatur. Eſto, inquit, Miſſa ſit promiſſio, non hinc ſequitur, non eſſe ſimul ſacrificium, quando in veteri lege erant ſacrificia, quæ ſimul erant promiſſiones.

Reſpondeo: Huius Thomiſticę aſſertionis debuit Rex vel vnum exemplum producere. Nunc vero pro more ſuo ſatis eſſe putat, ſi tantum ſcribat, in veteri lege ſacrificia fuiſſe promiſſiones, tum mox oportet ſic eſſe. Sed tam ſtolido aſſertori (vt video) proponendus eſſet aliquis Vocabularius, quo diſceret primum, quid ſignificet tam ſacrificium, quam promiſſio. Siquidem promiſſio eſt verbum, ſacrificium eſt res, vt etiam pueri infantes intelligant, impoſſibile eſſe, vt promiſſio, ſacrificium, aut verbum res ſit, Me miſerum, qui, cum talibus ſtulticiæ monſtris tempus perdere cogor, nec dignus ſum, vt ingenio aut eruditione præſtantes mecum certent. *Promiſſio.* *Sacrificium.*

Error itaque manifeſtarius eſt dicere, In veteri lege fuiſſe ſacrificia promiſſiones, Niſi Rex aſſertor lubricitate Thomiſtica, figurate voluerit loqui, quod ſacrificia promittebant, id eſt ſignificabant futura in Chriſto. Verum hoc non eſt aſſerere Sacramenta, ſed ludere & nugari verbis, ſiquidem hoc modo, promiſſio eſt ſignum ſeu res, non verbum. At nos in Miſſa potiſſimũ vocamus promiſſionem, ipſa ſcilicet verba Chriſti, ſine quibus panis & vinum eſſent, neque ſignum neque Sacramentum, neque Miſſa. Nam quod per ſacrificia in fide oblata promiſſiones impetrabantur, aliud eſt. Non enim hic vel de fructu, vel ſignificatione ſacrificiorum diſputamus, ſed de ipſa ſubſtantia, vt ſciamus, quid ſit & quid non ſit ſacrificium.

MIratur etiam Dominus Henricus, qualesnam ego concionatores audierim quod ſcripſerim, Nihil eſſe in concionibus de promiſſionibus his vnquam dictum, Ipſe vero ad tœdium vſque audierit, de teſtamento, de promiſſionibus, de teſtibus &c.

Reſpondeo: Et ego miror, Regis eſſe tam rude caput, & tantam amentiam, qui tam inſignes concio..es audierit, & adeo nihil didicerit neque intellexerit verbum Dei, noſtrum opus aut ſacrificium eſſe non poſſe, Quin contrarium ſine fine blaterat. Si enim vlla ſcintilla rationis humanæ in eo vigeret, vtique negare non poſſet, ſignum Dei opus Dei eſſe erga nos. Sic ſacrificium & promiſſiones Dei eſſe verbum Dei, non opus noſtrum.

Deinde Rex iſte mendacij, qui hoc loco ſcribit, Seſe vſq; ad tœdium audiſſe de teſtamentis & promiſſionibus eiuſmodi, poſtea de Sacramento ordinis garrit, In tota cœna Chriſti nullam eſſe promiſſionem, non modo ſibiipſi turpiſſime contradicens, ſed impudenti mendacio in cœnam Domini inſaniens. Sic præcipitat Papiſtas furor & amentia, vt prorſus nihil videant, quid dicant, aut contra quid ſtatuant.

AVdet etiam aſſerere, manifeſtum eſſe, fieri à ſacerdotibus, nõ modo id quod Chriſtus in cœna, ſed quod & in cruce fecit.

Miſſatores Papiſtici &c.

Reſpondeo: Quando hoc Dominus Henricus tantum dicit & non probat, Dico ego contra, manifeſtum eſſe, Sacerdotes in Miſſa id omittere, quod Chriſtus in cœna fecit, & id facere, quod Iudæi fecerunt in cruce Chriſto. Nec dico hoc ſolum, ſed probo quoque. Nam qui verbum Dei peruertit & extinguit, is vere crucifigit filium Dei, Id quod faciunt omnes, qui ex promiſſione opus faciunt, cum hoc vere ſit veritatem Dei mutare in mendacium.

POſt hæc vrget me Canone illo Miſſæ, in quo Miſſa ſacrificium nominatur, Cuius autoritate ideo me vult teneri, quod eius verbis vſus ſim. Nam iſta verba: Quotieſcunq; feceritis &c. non in Euangelio reperiri dicit, ſed iſta: Hoc facite, In Paulo vero eſſe alia.

Canon Miſſæ.

Hic vide infelicem Satanam, vt reptat, vt captat, vt quæritat effugia, ſed fruſtra, non effugiet. Canonem ego reieci, & reijcio, quod prorſus aperte contra Euangelium, vocat ſacrificia, quæ ſunt ſigna Dei promiſſionibus adiecta, nobis oblata, à nobis recipienda, non offerenda.

Quotieſcunque feceritis &c.

Nam quod Rex dicit, In Euangelio non eſſe iſta verba: Quotieſcunq; feceritis, Quis puer non videt, Grammaticam aſſertori tanto deeſſe? Quaſi vero neceſſe fuerit, Euangeliſtas per omnes ſyllabas concordare, & formam illam Sacramenti ſtatuere, quam nobis Papiſtæ ſic immutabilem & neceſſariam ſtatuerunt, vt peccati mortalis reum faciant, & inferno tradant, qui dictiunculam illam, Enim, omiſerit, Scilicet Rhadamanti & Aeaci illi, libertinarum conſcientiarum carnifices ſic delirant.

Igitur, teſtibus Grammaticis, & communi omnium ſenſu, dico, Idem eſſe, quod Euangeliſtæ de Cœna dicunt, quantumuis paucis verbis variant, Idemque eſſe, Hoc facite, quod, Quotieſcunque feceritis, Cauiſſeque credo Spiritum ſanctum ſingulari conſilio, vt Euangeliſtæ eandem rem paulo aliter ſcriberent, & peccarent peccatum illud irremiſſibile in formam Sacramenti papiſticam, quo nos à futura ſuperſtitione & tyrannide impiorum hominum tutos redderet. Neq; enim minus vere conſecraret, qui forma Lucæ, Marci, Matthæi, Pauli vteretur, quam qui Canonis iſtius impij & falſi vtitur.

Sacrificium. Miſſa.

VBi vero ego ſcripſiſſem, Sacrificium & miſſam pugnare, cum ſacrificium offeratur, Miſſa vero recipiatur. Hic audet audax Dominus Henricus Lutherum ad Biblia prouocare, dicens: Vbi eſt in veteri lege vſpiam vllum ſacrificium, quod non ſimul offeratur & recipiatur? Plane hic Lutheri iactat ſummum argumentum corruere, ſecuruſq; triumphat glorioſus aſſertor.

Reſpondeo. Non eſt hoc meum ſummum Argumentum, ſed illud, quod ſupra Dominus Henricus pro Thomiſtica benignitate mihi donauit. Scilicet, Miſſam eſſe teſtamentum & promiſſionem, hoc inquam, capitale meum argumentum eſt.

Tamen vt triumphatori aliquid ſuggeram, ſi Dominus Henricus ſolum Biblia ſemel aperuiſſet & inſpexiſſet, imo ſi meminiſſet Pſalmi 51. quem puer olim legit (ſi Chriſtianus eſt) non iactaſſet triumphum tam Thomiſticum, Siquidem illic legiſſet holocauſtum, quo nullum celebrius & maius ſacrificium eſt in Lege. Hoc certe totũ ſoli Deo offerebatur, nihil ex eo recipiebatur.

Quin ſi Rex meus paululum haberet humani ſenſus, verterem triumphi quæſtionem in eum, & dicerem: Vbi eſt in Lege vllum ſacrificium, quod recipie-

recipiebatur,& non penitus totum offerebatur? An mihi ſacrificium hic faciet,armos,pectuſcula,& alia,quæ in vſum ſacerdotum cedebant; Aut offerre Rex illuſor æquiuocus denuo vocabit,quod per populum & ſacerdotes ex agris afferebatur,& applicabatur coram Domino;Scilicet idem eſt afferre,& offerre apud Dominum Henricum.

Verum quid hoc ad me,quid nugigerulus fingat: Mihi ſatis eſt,In lege, quidquid offerebatur Deo,totum incendebatur. Quod autem non incendebatur,ſed partim ſacerdoti,partim populo tribuebatur, non offerebatur, ſed de oblatis ſeparabatur & edebatur.Verum quid iſta ſacra cum prophanis Papiſtis? Igitur in calice meretricis Babylonicæ nullum eſt ſacrificium,quod ſolum offertur,Illa enim ſunt Biblia noſtri Domini Henrici.Biblia noſtra referta ſunt talibus ſacrificijs.

VLtimo,Dicta Patrum inducit pro ſacrificio miſſario ſtatuendo,& ridet meam ſtultitiam,qui ſolus velim ſapere præ omnibus,quod ſit ſtultiſsimum &c.

Hic dico,confirmari hoc nomine meam ſententiam.Nam hoc eſt,quod dixi,Thomiſticos aſinos nihil habere quod producant,niſi multitudinem hominum & antiquum vſum,deinde ad proferentem ſcripturas dicere: Tu es ſtultiſſimus omnium,tu ne ſolus ſapis? Tunc oportet ſic eſſe.Mihi autem ſtultiſſimo omnium hoc ſatis eſt,quod ſapientiſſimus Henricus nullam ſcripturam contra me poteſt producere,nec productas contra ſe diluere.Deinde cogitur concedere,ſuos patres ſæpius erraſſe,ſuum antiquum vſum non facere articulum fidei,in quos fidere non licet,niſi Eccleſiæ illi multitudinis, cuius ipſe deſenſor eſt cum Indulgentijs.

Ego vero aduerſus dicta Patrum,Hominũ, Angelorum, Dæmonum,pono,non antiquum vſum,non multitudinem hominum,ſed vnius maieſtatis æternæ verbum,Euangelium, quod ipſimet coguntur probare, *Miſſa teſtamentum Dei &c.* In quo Miſſa euidenter traditur eſſe ſignum & teſtamentum Dei,in quo nobis promittit & ſigno certificat gratiã ſuam,Hoc enim opus & verbum Dei, non noſtrum eſt.Hic ſto,hic ſedeo,hic maneo, hic glorior,hic triumpho,hic inſulto Papiſtis,Thomiſtis,Henriciſtis,Sophiſtis,& omnibus portis inferi,nedum dictis hominum,quantumlibet ſanctorum,aut conſuetudini fallaci.

Dei verbum eſt ſuper omnia,Diuina maieſtas mecum facit,vt nihil curem, ſi mille Auguſtini,mille Cypriani,mille Eccleſiæ Henricianæ contra me ſtarent.Deus errare & fallere non poteſt,Auguſtinus & Cyprianus,ſicut omnes electi,errare potuerunt & errauerunt. Hic reſponde, Domine Henrice,Hic eſto vir aſſertor,Hic ſcribe Libros,Maledictio tua nihil eſt,Criminatio tua nihil facit,Mendacia tua contemno,Minas tuas non metuo.Obſtupeſcis enim hoc loco, ſicut truncus,cum alloqui nihil niſi verba ſis.

Turpiſſimum eſt tanto Regi,tantum Librum ſcribere,& hoc caput meum nolle tangere.Nec eſt repertus,qui vnquam auſus ſit tangere, quotquot huc appropiant,fugiunt per ſeptem vias retrorſum,qui magno impetu & clamore triumphali per vnam viam irruerunt. Mirum eſt,quam vellent hic nocere, quam graue ſit hoc ſpectrum in oculis eorum.Sed nullus prudentius ſeſe hic geſſit Rege Henrico.qui Lutherum vaſtaturus, proteſtatur ſeſe hoc robur non tacturum,Sed nec habeo nec ago gratias tantæ beneuolentiæ,imo male valeat ita & furor eius,ſi nocere poteſt,& non facit.

FVrorẽ vero eius,quo inuehitur in me,quod docuerim , fidem ſine operibus optimam præparationẽ ad Sacramentũ, & Chriſtianos non oportere legibus aſtringi ad percipiendum,contemno, Sunt enim verba hominis, qui putat homines apud Deum legibus fieri bonos, minus ſciens,

quid ſit fides & opera, & quid leges operentur in conſcientiis malorum, quam inſenſatus iſte ſtipes. Non enim Papiſtarum eſt hæc noſſe, ſed vt Petrus & Iudas dicunt, ignorata tantum blaſphemare. Conſcientiis enim non legibus, ſed ſola gratia conſulitur, Legibus, præſertim humanis, miſerrime conficiuntur.

SEd in fine huius loci operæ precium eſt videre, quam anxie laboret, vt traditiones hominum neceſſarias ſtatuat, aduerſus meam ſententiam, qua ſtatui, Extra ſcripturas nihil eſſe ſtatuendum, aut ſi ſtatuitur, liberum & non neceſſarium habendum, cum ſimus domini etiam ſabbathi per Chriſtum liberatorem. Arguit itaque Rex, Primo ſic:

SI nihil ſeruandum eſt, niſi quod ſcripturis proditum eſt, cum ſcriptum non ſit, Sacramentum eſſe à Chriſto ſumptũ, Sequetur, nec ſacerdotes poſſe Sacramentum ſumere. Hac Thomiſtica hypotheſi fretus, ſic reducit ſyllogiſmum contra me: Sacerdotes ſumunt ſacramentum neceſſario, & hoc non habet Euangelium, ergo & alia extra Euangelium ſunt obſeruanda neceſſariò.

Hoc thomiſticiſſime concluditur per regulam conſequentiarum illis familiarem, quæ vocatur petitio principij. Nam quod neceſſarium ſit ſub peccato mortali, ſumi à ſacerdotibus ſacramentum. Rex primũ probare debuit. Ego enim liberum eſſe dico, ſumi & non ſumi à ſacerdotibus. Neceſſarium autem eſt per traditiones hominum & vſum multorum. Quare thomiſticus Rex valde bene probat traditiones per traditiones, negatum per negatum. Talibus enim, non alijs probationibus niti debet aſſertio Sacramentorum, & tota Henricalis Eccleſia. Secundo ſic:

CHriſtus Sacramentum conſecrauit, non Apoſtoli, ergo non licebit Apoſtolis aut ſacerdotibus conſecrare, quia non licet aliud ſtatuere aut facere, quam Scriptura habet.

Hoc facite. Quod ſi miſer ille Lutherus hic velit effugere & dicere: Chriſtus mandauit Apoſtolis conſecrare, vbi dicit: Hoc facite, præoccupat impropicius meus Dominus Henricus dicens: Hoc eſſe dictum de recipiendo, non de conſecrando. Chriſte Seruator, quam inaudita cæcitas & amentia eſt in iſtis hominibus? Si hic interrogauero: Domine Henrice, Qua Grammatica didicit dominatio veſtra? quis Vocabularius vobis dixit, Hoc facite, id eſſe, quod accipite? Reſpondebit: Oportet ſic eſſe, quia nomina ſunt ad placitum. Sed dimiſſis iſtis porcis, dicamus:

Accipite & manducate. Chriſtus ſumendi vſum inſtituit, quando dixit: Accipite & manducate, vt verba ipſa apertiſſima teſtantur, non quidem Henricis iſtis & truncis, ſed quibuſuis pueris & fatuis. At conſecrandi officium inſtituit, dum dicit: Hoc facite. Facere enim eſt hoc totum imitari, quod ipſe tunc fecit.

Et quid dicam iſtis ſacrilegis portentis, qui talibus argumentis indicant, quam ex impotentiſſima inuidia ſic ſcripſerint, vt nihil ineptius & inſulſius fingi poſſit? Si enim hoc argumentum ſtolidi Regis valet, in nulla re licebit Chriſtum imitari. Finge enim Chriſtum non inſtituiſſe conſecrare Sacramentum (quod impoſſibile eſt) tamen exemplum conſecrandi oſtendit & ſcribi voluit. Niſi Rex noſter id contendat, nos neq; orare, neq; benefacere, neque pati oportere, quia nihil de noſtris orationibus, operibus, & paſſionibus ſcriptum eſt. Vincit me tœdio plane Regis ſtolidiſſimi immenſa ſtoliditas.

Euangelio non crederem &c. QVare ad ſummum principium perfidiæ eius calamum vertamus, quod eſt verbum Auguſtini: Euangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ autoritas commoueret.

Hoc

Hoc verbum ſacrilegi eo torquent & deprauant, vt Eccleſiæ (hoc eſt, meretrici Romanæ, cui præter titulum nihil eſt eccleſiaſticum aut Chriſtianum) tribuant ius leges condendi.

Huic addit Dominus Henricus, vt eiuſmodi verbi autoritate etiam me vrgeat, per propria verba, vbi dixi, Apud Eccleſiam eſſe ius iudicandi quælibet dogmata. Ego nulla re video huic rudiſſimo capiti Regis opus eſſe, quam vel Vocabulario Gemma vel Breuiloquo, vt vocabula cum pueris inciperet diſcere, niſi id ex mera Thomiſtarum nequitia facit, vt omnia vocabula omnia ſignificare cogat, vt etiam hic ius iudicandi idem ſit, quod ius ſtatuendi vel condendi leges.

Breuiter. Si Auguſtinus etiam rotundis verbis aſſeruiſſet, Ius eſſe alicui in Eccleſia leges condendi, Quis eſt Auguſtinus? Quis nos coget illi credere? Qua autoritate eius verbum eſt articulus fidei? Fateor, receptum eſt eius verbum, ſed non ſatis tutum neque firmum. Diuino dicto probandum eſt ius legis condendæ, non humano. *Auguſtinus.*

Nunc autem Auguſtini verbum non ſimpliciter vitiant, Ille enim loquitur de Eccleſia per orbem diffuſa, cuius eſt de dogmatibus iudicare. Illi hoc Papæ tribuunt, quem ipſimet confitentur membrum Diaboli ſæpius eſſe & errare. Nec ſolum ei iudicandi, verum etiam & condendi ius & copiam faciunt. Proinde opus eſt, vt rudibus iſtis Sophiſtis hic declaremus, quid interſit inter ius iudicandi ſeu cognoſcendi, & inter ius condendi ſeu imperandi.

De doctrina cognoſcere & iudicare pertinet ad omnes & ſingulos Chriſtianos, & ita pertinet, vt anathema ſit, qui hoc ius vno pilo læſerit. Chriſtus enim ipſe hoc ius ſtatuit inuictis & varijs ſententijs, Mat. 7. Attendite a falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium Hoc verbum certe dicit ad populum aduerſus Doctores, & mandat eis, vt falſa dogmata eorum vitent. At quomodo vitare poſſunt, niſi cognoſcant? quomodo cognoſcere, niſi ius habeant iudicandi? Nunc autem non ſolũ ius, ſed præceptum iudicandi ſtatuit, vt hæc ſola autoritas ſatis eſſe queat aduerſus omnium Pontificum, omnium Patrum, omnium Conciliorum, omnium Scholarum ſententias, quæ ius iudicandi & decernendi ſolis Epiſcopis & miniſtris tribuerunt, & impie ac ſacrilege populo, id eſt, Eccleſiæ reginæ rapuerunt, Stat enim Chriſtus dicens: Attendite à falſis Prophetis. *Ius de doctrinis cognoſcendi & iudicandi commune omnibus.*

Huic ſubſcribunt ferme omnes omnium Prophetarum ſyllabæ. Quid enim agunt Prophetæ, niſi quod populum monent, ne falſis Prophetis credat? At quid eſt hoc monere, niſi iudicandi & cognoſcendi ius penes populum eſſe, declarare & confirmare, ipſumque ſui operis commonefacere & excitare aduerſus omnes omnium ſuorum Sacerdotum & Doctorum doctrinas? *Prophetarum officium &c.*

Quare hic concludimus, Quoties Moſes, Ioſue, Dauid, omneſque Prophetæ in veteri lege populum à falſis Prophetis vocant & monent, toties clamant, mandant, confirmant, excitant, ius cognoſcendi & iudicandi omnium omnia dogmata. At hoc infinitis locis faciunt. Habet hic Henricus noſter aut vllus impurus Thomiſta, quod iſtis oggranniat? Nonne obſtruximus os loquentium iniqua?

Iohan. 10. Redeamus ad nouam legem. Chriſtus Iohan 10. dicens: Oues meæ vocem meam audiunt, vocem vero alienorum non audiunt, ſed fugiunt ab eis Nonne hic oues facit iudices, & ius cognitionis transfert ad auditores? Et Paulus, cum 1. Corinth. 14. dicit, vnus dicat, cæteri iudicent, Quod ſi ſedenti reuelatum fuerit, prior taceat. Nonne & hic iudicium penes auditorem eſſe vult? Sic quidquid Chriſtus Matth. 24. & vbique de falſis Doctoribus, quidquid Petrus & Paulus de falſis Apoſtolis, Magiſtris, & *Oues meæ vocem meam audiunt.* *1 Corin. 14.* *Matth. 24.*

Iohannes de probandis Spiritibus præcipiunt,eo pertinet, vt iudicandi, pro- *1.Iohan. 4.*
bandi,damnandi autoritas apud populum ſit,idque iuſtiſſime.

Nam vnuſquiſque ſuo periculo recte aut falſe credit,ideoque cuique pro
ſe curandum eſt,vt recte credat,vt etiam communis ſenſus & ſalutis neceſſi-
tas vrgeat,neceſſario iudicium doctrinæ,penes auditorem eſſe. Alioqui fru-
ſtra dicitur:Omnia probate,quod bonum eſt tenete,Et iterum: Spiritualis o- *1.Theſſal.5.*
mnia iudicat,& à nemine iudicatur.At quilibet Chriſtianus eſt ſpiritualis à *2.Corinth.2.*
ſpiritu Chriſti,Omnia veſtra,inquit,Siue Apollo,ſiue Paulus,ſiue Cephas id *1.Cor.3.*
eſt,de omnium dictis & factis iudicandi ius habetis.

Tu nunc vide,cuius ſpiritus fuerint ſacrilega illa & abominanda Concilia,
quæ aduerſus tanta totius Scripturæ fulmina apertiſſimaſque ſententias auſa
ſunt ſibi Pontificibus arrogare ius iudicandi & cognoſcendi,Inſuper & im-
perandi & condendi.Abſque dubio Satanæ iſtæ fuerunt cogitationes, quibus *2.Theſſal.2.*
in orbem inundauit operationes erroris, & abominationem in loco ſancto *Matth.24.*
ſtatuit,ſecuriſſimaque tyrannide,poſtquam populo erepta eſt autoritas iudi-
candi,quam paucre cogerentur falſi Doctores,& patefacta via per ſtolidam
populi ſuperſtitioſamque obedientiam & patientiam,vniuerſis erroribus &
abominationibus irruendi.

Argumentum Sophiſtarum à longitudine &c.

ET vt mei Henrici & Sophiſtarum recorder,qui à longitudine
temporum,& multitudine hominum pendet cum ſua fide,Primum ne-
gare non poteſt,huius rapti iuris tyrannidem vltra mille annos duraſſe.
Nam in ipſo Concilio Niceno,omnium optimo , iam tum incipiebant leges
condere,& ius iſtud ſibi vendicare.Atque ab eo tempore hactenus inualuit,
vt nihil receptius ſit,nec firmius aliquid quod multitudine hominum & diu-
turnitate probari poſſit,quam hoc ius,Adeo vt nemo id non putet hodie ſa-
num,rectum ac diuinum eſſe.At hic vides,ſacrilegium & impietatem eſſe
aduerſus euidentiſſimas & inuictas ſcripturas Dei.

Quare,ſi tantus error & tale ſacrilegium tanta longitudine temporis,tota
multitudine hominum,vel conſentiente,vel ſeducta,vel probante, regnauit
aduerſus veritatem Dei,ſemel volo hic omnibus Sophiſtis & Papiſtis capitale
eorum argumentum de longitudine & multitudine ad puluerem vſque con-
tritum,& os obſtructum,Vt videant,cur Deus nolit nos vlli creaturæ, quan-
tumuis longæ & multæ & magnæ credi,ſed ſoli ſuo infallibili verbo.

Ius de doctrinis cognoſcendi penes nos eſt.
Leges condere ſolius Dei eſt.

HAbemus itaq; abſq; omni controuerſia, ius de doctrinis cog-
noſcendi & iudicandi,ſeu probandi eſſe penes nos,non penes Concilia,
Pontifices,Patres,Doctores.At hinc nõ ſequitur eſſe ſimul penes nos ius
condendi leges,nam hoc ſolius Dei eſt, Noſtrum eſt legem & verbum eius
cognoſcere,probare,iudicare & ſecernere,ab omnibus alijs legibus, Sed ne- *Matth.7.*
quaquam condere aut mandare.Neque enim ſequitur ex verbo Chriſti: At- *2.Pet.1.*
tendite à falſis Prophetis,ergo veſtrum eſt prophetare,Imo vt Petrus ait, *Iohan.10.*
Nunquam voluntate humana eſt allata prophetia,& nulla interpretatio Scri-
pturæ fit ex proprijs,ſed inſpiratione Spiritus ſancti locuti ſunt ſancti Dei ho-
mines.Ita non ſequitur:Oues meæ vocem meam audiunt,ergo oues vocem
meam condent vel facient,imo contrarium ſequitur:vocem meam ego con-
do,oues autem conditam agnoſcunt,probant & ſequuntur.

Falſi Doctores qui.

Quare videmus hic, omnes Pontifices, omnia Concilia,o-
mnes Scholas,qui aliud in Eccleſia ſonant,quam verbum Dei ſolius,eſſe lu-
pos Satanæ miniſtros,& falſos Prophetas,Simul intelligimus inſignem Hen-
rici noſtri & omnium Thomiſtarum ſtoliditatem,qui os ſuum impudens in
cœlum ponunt,& dicere audent in hoc ſacrilego Libello, Etiamſi Sacra-
mentum ordinis non eſſet in ſcripturis inſtitutum, tamen penes Eccleſiam
eſſe ius inſtituendi eius.

Euangelio non credere &c.

Et quam ſtulte verbum Auguſtini, quod de Euangelio per Eccleſiam toto orbe cognito & probato loquitur, accommodauerit ad ius traditionum, arbitrio impiorum hominum ſtatuendarum. Iſte eſt modus intelligendi dicta Patrum & Scripturæ. Hi ſunt qui ſcribunt aſſertiones Sacramentorum. Horum multitudo & diuturnitas eſt poteſtas faciendi Articulos fidei, tam ſtupidi & hebetes, vt inter cognoſcere & imperare nihil diſcernant.

AT hic dicent: Si ſingulorum eſt ius iudicandi & probandi, Quis erit modus, ſi iudices diſſenſerint, & vnuſquiſque ſecundum ſuum caput iudicarit? Quare neceſſe eſt vnum eſſe, cuius iudicio ſtent cæteri contenti, vt ſalua ſit vnitas Eccleſiæ.

Reſpondeo: Hoc cauillum nullos rectius decet quam Thomiſtas. Quæro enim & ego: Quis hodie modus eſt, vbi omnes iudicio vnius Papæ ſtant? Vbi hic eſt vnitas ſalua? An hoc eſt vnitatem eſſe ſaluam, externo Papæ nomine vniri? Vbi manet vnitas cordium? Quis eſt certus in conſcientia ſua, Papam recte iudicare? At niſi certitudo ſit, nulla eſt vnitas. Ideo ſub Papa eſt quidem pompa externæ vnitatis, ſed intus non niſi confuſiſſima Babylon, vt nec lapis ſuper lapidem ſit, nec cor cum corde ſentiat. Vt videas, quam feliciter medeatur rebus ſpiritualibus humana temeritas ſuis ſtatutis. Alia igitur via vnitas Eccleſię quærenda eſt.

Vnitas Eccleſiæ in quo conſiſtat.

HÆc eſt, quam Chriſtus ponit Iohan. 6. Erunt omnes docibiles Dei, Omnis qui audiuit à Patre meo, venit ad me. Ille, inquã, internus ſpiritus ſolus vnanimes habitare facit in domo, Hic docet idem ſapere, idẽ indicare, idem cognoſcere, idẽ probare, idem docere, idem confiteri, idem ſequi. Vbi ille non fuerit, impoſſibile eſt, vt vnitas ſit. Et ſi qua fuerit, externa & ficta eſt.

Quare & Deo nihil curæ eſt, vt impij homines vnum vel non vnum ſint, qui vnitate ſpiritus inanes ſunt. Suis filiis ad externam vnitatem ſufficit, vnum Baptiſma & vnus Panis, tanquam communes characteres & ſymbola, per quæ fidei ſuæ & ſpiritus vnitatem profitentur & exercent. Papiſtica Eccleſia ſuam vnitatem in vnitate externi ſui idoli Papæ locat, interne autem confuſiſſimis erroribus diſperſa in omnes voluntates Satanæ.

Vnitas Papiſticæ Eccleſiæ.

Miſſam non eſſe opus aut ſacrificium.

REuertamur ad inſtitutũ. Miſſam itaq; extorſimus & triumphamus aduerſus aſſertorem Sacramentorum, non eſſe opus neq; ſacrificium, ſed verbum & ſignum gratiæ diuinæ, quibus erga nos vtitur pro fide in eum erigenda & firmanda. Videmuſque quam ſit infatuatus Satan, vt quo diutius & magis in nos furat & ſcribat, eo inſulſius & ineptius deliret. Nã iſte Liber Regis, vt omnium, qui contra me ſcripti ſunt, fere eſt latiniſſimus, ita eſt certe omnium ineptiſſimus & ſtolidiſſimus, vt pene noſtris N. vicinis Scriptoribus eum tribuerim, qui ſic ſolẽt argutari, quando argutãtur optime.

Triumphata vero Miſſa, puto nos totum Papatum triumphare. Nam ſuper Miſſam ceu rupem nititur totus Papatus cum ſuis monaſterijs, Epiſcopatibus, Collegiis, altaribus, miniſterijs & doctrinis, atque adeo cum toto ventre ſuo. Quæ omnia ruere neceſſe eſt, ruente Miſſa eorum ſacrilega & abominanda. Sic Chriſtus per me cœpit Abominationes in loco ſancto ſtantes reuelare, & deſtruere eum, cuius aduentus fuit per operationem Satanæ in prodigijs & ſignis mendacibus. O miſerum illum defenſorem Eccleſiæ papiſticæ, O miſeram Eccleſiam, quæ fruſtra Indulgentias ſuas pro tanto Libello profudit, Niſi quod digna merces reddita eſt tam defenſori, quam Libello, Quales enim ſunt Indulgentiæ, talis eſt Eccleſia, talis defenſor, talis & Libellus.

2. Theſſa. 2.

HAec mihi pro defenſione primi Sacramenti ſatis ſiat, in quo aſſerendo maxime laborauit aſſertor, Dominus Henricus, vt qui non ignorauit

Digitized by Google

rauit in hoc eſſe ſitam ſummam ſalutis papiſtici regni. Cætera cogor differre, obrutus multis alijs occupationibus, tum maxime transferendis Biblijs, neceſſaria ſcilicet opera, Ne Satanæ ſtudia ipſe proſperem præ nimio ſtudio reſutandi eum, qui per hos inſulſos Libellos me impedire cogitat, ſed nihil efficiet.

Neque magni operis fuerit, ſtolidos Thomiſtas in reliquis ſex Sacramentis refutare, cum nihil proferant dignum reſponſione per tota ſex Sacramenta, niſi illud vnum, quod de Sacramento ordinis adducit, Paulum ſcilicet ad Titum iubentem, vt per Eccleſias ordinet Presbyteros. hoc loco enim vult inſtitutum ordinis Sacramentum. *Tit. 1.* Sed non videt larua Thomiſtica, quid vel ego dicam, vel ipſemet reſpondeat.

Ordo. EGo ordinem negaui Sacramentum eſſe, id eſt, promiſſionem & ſignum gratiæ adiectum, quale eſt Baptiſmus & panis. Non negaui, imo aſſerui eſſe vocationem & inſtitutionem miniſtri & concionatoris, ſiue hoc fiat autoritate vnius Apoſtoli, vel Pontificis ſola, vel populi eligentis & conſentientis ſimul, nihil refert. Quanquam rectius fiat populo eligente & conſentiente, quomodo Apoſtoli Actor. 6. ſeptem Diaconos inſtituerunt. *Actor. 6.* Nam vt Paulus Titum iubeat Presbyteros ordinare, Non tamen ſequitur, ſolũ Titum ſua autoritate id feciſſe, Sed exemplo Apoſtolorũ per ſuffragia populi eos inſtituiſſe, Alioqui pugnabunt verba Pauli cum exemplo Apoſtolorum.

Quæ vero de impoſitione manuum ad ordinis Sacramentum trahit, vident pueri, nihil ad ordinis Sacramentum pertinere, ſed more ſuo Papiſtico ſic
Impoſitio manuum. è ſcripturis facit quodcunq; viſum fuerit, Impoſitio manuum tunc erat donatio viſibilis Spiritus ſancti.

Et quid dicam? ne nomen Sacramenti quidem intelligere voluit, quod euidenter oſtendit, cum locum Pauli Ephe. 5. tractat, de matri- *Ephe. 5.* monio, quem Paulus de Chriſto & Eccleſia ponit, dicens: Sacramentum hoc magnum eſt, ego vero dico, de Chriſto & Eccleſia. Neque enim Scriptura pa-
Matrimonium. titur, vt Matrimonium Sacramentum dicatur, cum Sacramentum vſu totius Scripturæ ſignificet rem ſecretam & abſconditam, quam ſola fide conſequi poſſis. Matrimonium autem adeo non eſt res abſcondita aut fide percepta, vt niſi palam ob oculos fiat, matrimoniũ eſſe non poſſit, cum ſit copula maris & fœminæ externa & publica profeſſione & conuerſatione firmata. Sed nihil mirum, Thomiſtas aſinos ſic delirare, apud quos nihil neque ſani, neque recti Deus eſſe voluit. Quanquã ego hoc vulgato vſui dedi, vt Sacramenta vocent, quæ potius ſigna viſibila ſunt, tantum negaui in Scripturis Sacramenta vocari.

SVmma rerum hæc eſt, Totus Liber Henrici nititur hominum verbis, & vſu ſeculorũ, nullis Dei verbis neq; vſu ſpiritus, vt ipſemet fateri cogitur. Contra, ſumma mearum rerum eſt, Verba hominum & vſum ſeculorum, vt tolerari & teneri poſſunt, ſicubi non pugnant Scripturis ſanctis, tamen Articulos fidei & neceſſariam obſeruantiam non facere. Si itaq; Rex Henricus, coniunctis omnium Thomiſtarum, Papiſtarum, Dæmonum & hominum viribus & ſtudiis, poterit oſtendere, neceſſariam humanorum verborum obſeruantiam, victus eſt Lutherus ſuo ipſius iudicio & confeſſione, Nam tum demum Articulos fidei habebo, quidquid vel Thomiſtæ iuſſerint. Si non poterit, Victor eſt Lutherus. Quid enim aliud volunt? Neque enim ſi millies mille Libros ſcripſerint contra me, aliud à me poſtulare poterunt.

Neque enim ego quæro, quid Ambroſius, Auguſtinus, Concilia, & vſus ſeculorum dicant, nec fuit opus mihi Henrico Rege Magiſtro, qui me hæc doceret, qui adeo pulchre ea noueram, vt etiam impugnarim. Vt miranda ſit ſtulticia Satanæ, quæ iis me impugnat, quæ ipſe impugno, & perpetuo principium petit. Non, inquam, diſputo, quid à quoquam dictum vel nõ dictum, ſcriptum, vel non ſcriptum ſit, Sed an hoc dictum & ſcriptum neceſ-

ſarium

ſatium ſit ſeruatu, an ſit articulus fidei, an ſit æquale verbo Dei, an conſcientiam liget. De libertate & captiuitate quæro, Pro libertate ego pugno, Rex pro captiuitate pugnat. Ego rationem libertatis ſignaui, Rex rationes captiuitatis omittit, & ſolum blaterat, quæ ſit captiuitas, Debitores facit, & culpam non aſſignat. Valeat itaq; ineptus & miſerabilis defenſor captiuitatis Babylonicæ & ſuæ papiſticæ Eccleſiæ.

IN fine, Si quem offenderit mea in Regem aſperitas, hoc ſibi reſponſum habeat, Cum inſenſatis monſtris me hoc Libro agere, qui omnia mea optima & modeſta ſcripta, tum humilimam meam ſubmiſſionem contempſerunt, & magis ex mea modeſtia indurruerunt. Deinde à virulentia & mendacijs abſtinui, quibus Liber Regis refertiſſimus eſt, Nec magnum eſt, ſi ego Regem terræ contemno & mordeo, quando ipſe nihil veritus eſt Regem cœli in ſuis ſermonibus blaſphemare & virulentiſſimis mendacijs prophanare. Dominus iudicat populos in æquitate, Amen.

SERMO DE S. ANTHONIO HEREMITA, DOMINI

Doctoris Martini Lutheri, In quo omnia Sanctorum exempla, quæ vtiliora ſunt, facilime deprehendes, Anno Domini M. D. XXII.

AD LECTOREM.

SAlutem. Nemo omniū eſt qui ignoret, in quem abuſum omnis monaſtica cohors abijt, atque adeo omnis mos ac conſuetudo primitiuæ Eccleſiæ, & quod commune primū fuerat, iam in priuatum redijt commodum, ſic vt quique auaritiæ ſtudio hoc, quod omni homini commune eſt, vitæ ſuæ præpoſuere. Primum etenim in Eccleſia pueri in re Chriſtiana inſtituebantur, iſtiq; communi victu fouebantur ad annos vſq; pubertatis. Quando ex ephebis excedebant, tandem (vt docent monumenta veterum Hiſtoriarum) matrimonio iungebantur, ne hinc inde errabundi (ita vt fit) diſcurrerent, nimium ſegnitiæ, turpiq; otio atq; adeo leuiuſculis rebus ſeſe committendo, quæ vt plurimum libidini occaſionem præſtant.

Hæc eſſe Lutheri vel hoc probat, quod fides & non opera duorum commendatur. Quod vero quædam infra Lutheri dignitatem eſſe videntur: id non autori, ſed ei, qui ea, excepta calamo edidit, adſcribendum putabis. Ab alio enim editā eſſe inſcriptio poſterior ſatis declarat.

Porro vbi viſum fuerat maioribus natu, qui huic muneri præerant, quibus Eccleſiæ bona pro ſtipendio erant, cum ipſum pietatis vſum in rem priuatam atq; phariſaicam traduxerunt, ſecluſa omnium pauperum ope, & eo prodijt tota Cucullatorum caterua: Sic ventum eſt euſq;, quod charitati adeo palam aduerſatur, neq; in vllo monaſticæ religionis prætextu fauilla priſtinæ charitatis ſic illuceſcit, ſpeciemque pietatis præ ſe ferre videtur, quam in illo ipſo Ordine, qui eſt Reuerendi Patris S. Anthonij, in quo omnes, qui flammā aduſtionis (vt vocant) ſenſerunt, cunctis vitæ ſuæ diebus victu & amictu aluntur gratuito, propter pietatem Chriſtianam citra expenſarum refuſionem. Hinc eſt, quod quotannis eius nomine quæſtuarij per oppida quædam & loca, totamq; Chriſtianitatem quaſi eleemoſynas in pauperum ſubſidium colligunt, id quod palam eſt. Vale.

IESVS.

IESVS.

DOMINICA QVASIMODOGENITI,

Chriſtianiſsimus Doctor Martinus Lutherus Euangelicæ veritatis reſtaurator, In fauorem Principis Friderici, nec non Domini Doctoris Reiſenbuſch, Præceptoris in Lichtenberg, prædicauit hunc ſermonem de S. Anthonio, qua Feſtum dedicationis illo die ibidem.

LÆtamini in Domino & exultate iuſti. Pſalm. 32. Exultent iuſti in conſpectu Dei Pſalm. 68. Exultate iuſti in Domino. Pſalm. 33. Sanctorum vitas populo prædicandas docet Paulus ad Hebræ. 11. cap. vbi multa Patrum exempla proponit ad fidem in Deum prouocandam. Vt Chriſtus Matth. 22. Inuitatis ad nuptias dicit, Tauri mei & altilia mea occiſa ſunt, id eſt, ſancti Patres ad gentium fidem & morum prædicationem, & Auguſti: lib: confeſſ: confitetur ſe exemplis Sanctorum auditis conuerſum: allegans *Pſal. 120.*
Exempla ſanctorum vtiliora. illud Pſalm. 120. Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus deſolatorijs: Et vaſtant omnem impietatem, Hoc eſt, verbum Dei cum exemplis Sanctorum. Primo quidem deſolantur malæ cupiditates, conuertuntur fortiter peccatores. Exempla Sanctorum illa ſunt vtiliora, in quibus plura de fide, quam de operibus & miraculis docentur. Quia fides eſt prior & neceſſaria ad opera, ſed opera fieri poſſunt ſæpius ſine fide. Chriſtus enim Matth. 24. prædixit futuros, *Math. 24.*
qui prodigia & ſigna daturi ſunt, vt in errorem ducant, ſi fieri poſſet, etiam Electos, Nullis operibus aut miraculis eſt fidendum, niſi fidem præbeant & iuuent.

Cum autem noſtra Profeſsio præcipuum habeat S. Anthonium, & officio noſtro incumbat eundem Sanctum per orbem commendare, Deiq; gratiam in eo prædicare, quæ gratia fidei in Deum mirabiliter in eo excelluit: Statui ex eius Legenda breuem & Inſignem partem decerpere & in ea nobis exemplum tanti viri proponere: Legimus itaque in vita S. Anthonij (vt beatus Hieronymus in vitas Patrum cap. 36. refert) Quod aduerſus omnes tentationes & quaſcunq; tribulationes (quibus nos omnes quotidie agitamur) breuem dedit Diſcipulis ſuis doctrinam, talem ſcilicet, Quod ſtudendum ſit omni homini ſpiritualem lætitiam habere, hanc & ſic efficacem contra omne malum, vt Dæmones non aliud æque odiant in homine, quam ſi viderint eum ſpiritualiter gaudere: cum ipſi ſint ſpiritus triſticiæ, Hoc vitio maxime ſagittant, vt homines faciant triſtes, deiectos, grauesq; corde & anxios, qua tentatione impediant in illis bona opera, multis aduerſitatibus eos pulſant, vt ſpiritualem læticiam extinguant.

Lætitia carnalis. Eſt autem læticia alia carnalis, quæ oritur ex affluentia & quiete rerum corporalium, vt ſunt ſanitas, fortuna, diuitiæ, dignitas, fauor, potentia, amicitia & ſimilia. Et hæc nihil proſunt, imo augent triſticiam in tempore aduerſitatis, quia ſicut res, in quibus lætatur, non ſunt veræ, ſed falla-
Lætitia ſpiritualis. ces & temporales. Ita & gaudium in eis nitens fallax eſt & temporale. Ideo notanter dicit, læticia ſpiritualis, quæ oritur ex rebus ſpiritualibus. Spirituales autem res ſunt inuiſibilia dona Dei, & quæ in cor hominis non aſcenderunt, *1. Corint. 2.*
quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, vt 1. Corint. 2. *Iſai. 64.*

Quæritur ergo: quomodo poteſt homo gaudere de his quæ non videt: nec audit: nec comprehendit? Reſpondetur. Deus hic præuidit pulchrum remedium: quia ex quo res ipſas non poſſumus comprehendere, appre-

Digitized by Google

apprehenderemus has res, Quæ ſunt verbum & Sacramentum. Verbum eſt *Sacramentum.* promiſſio, qua promittit res ipſas. Sacramentum eſt ſignum, quo oſtendit res. Si ergo promiſſionem & ſignum eius apprehenderimus, vere res ipſas apprehendemus. Quare nihil iucundius, dulcius, efficacius, ad conſolandos nos in hac vita, quam promiſſio diuina & ſignum eiuſdem ſeu ſacramentum. Quid autem promittit verbum ſeu Dei promiſſio? Reſpondeo, bona, quæ maxime cupit homo. Quid cupit homo? Viuere, nunquam mori, ſine peccato & mala conſcientia eſſe: bona & læta conſcientia agere, eſſe ſecurum à timore mortis & inferni, effugere extremum iudicium. Hæc enim, cum interrogas ab homine, Reſpondet: Seſe toto corde cupere, quia hæc ipſa ſunt quæ omnem hominem contriſtant, vt ſi omnia mundi gaudia habeat, tamen cor eius contentum eſſe non poteſt, donec mortem timet & peccatum ſentit in ſua mala conſcientia.

Ad iſta ergo mala euitanda & bona acquirenda omnes homines ſoliciti ſunt; nec eſt vllus tam inſenſatus, qui nolit vitam pro morte, cœlum pro inferno, iuſticiam pro peccato. Sed pauci inueniunt vitam & locum, in quo hæc inueniuntur. Nec poteſt vllus homo ſpiritualiter lætari, niſi iſta inuenerit, Ideo quando S. Anthonius lætitiam ſpiritualem ſic commendat: vt ſacra Scriptura docet, debere lætari & gloriari in Domino, ſine dubio vult, quod lætitia ſpiritualis ſit de ſecuritate peccati, mortis, & inferni, & certitudo de iuſticia, vita, & ſalute, Sic Baruch. 3. O Iſrael diſce, vbi ſit ſapientia: vbi ſit virtus: vbi intellectus, vt ſimul ſcias vbi ſit longiturnitas vitæ & victus, vbi ſit lumen oculorum & pax: Quis inuenit locum eius, & quis intrauit in theſauros eius? Et ſequitur ibi. Quod multi Principes ſapientiæ ſtudioſi, & omnes homines quæſierunt eam. Sed non inuenerunt, ideo perierunt. *Baruch. 3.*

Vide ibi pulchrum in fine capituli, vbi ergo inuenitur iſta lætitia, iſta ſapientia, iſta pax & omnia iam dicta bona? Dum viam quærunt homines ad ea, Aliqui volunt per opera ſua & ingenia peruenire ad hanc viã & pacem. Quia dum vexantur à peccatis, & conſcientia ſua, ſiue timore mortis & inferni, eunt alius Romam: alius Compoſtellam: Alius ieiunat: ſic, alius hoc, alius illud opus, aut locum, aut tempus eligit, in quo ſe exerceat, vt peccatũ mortemq; euadat, & lætetur ſpiritualiter in pace conſcientiæ, Et omnes hi fruſtra quærunt & pereunt cum illis, quos Baruch enumerat. Quia non inueniuntur iſta bona lætitiæ ſpiritualis in vllo loco, opere, certo die, ſicut ibidẽ dicit. Quis aſcendit in cœlũ & eduxit eam de nubibus? quis transfretauit mare, & attulit eam ſuper aurum electum? Non eſt qui poſſit ſcire vias eius, neq; qui exquirat ſemitas eius. Rationes omnium ibi, vt dixi, quia ſunt inuiſibilia bona, quæ verbo promiſſionis tantum comprehenduntur (oportet ergo hominem iſta inuenire volentem, abdicatum eſſe omnibus viſibilibus & corporalibus rebus) locus itaque certiſſimus, in quo inueniuntur Pax & lætitia cordis prorſus non eſt alius, quam verbum diuinæ promiſſionis.

Quare qui in triſtitia ſua, ſeu mala conſcientia, ſeu in periculo mortis alio currit & auxilium quærit, quam in promiſſione Dei, hunc impoſſibile eſt non perire, vnde dicit Baruch. Qui nouit omnia, adinuenit eam, & tradidit illam Iacob, non aliter, quam in verbo promiſſionis. Quare ſi vrget te peccatum, ſi tribulat mors aut infernus, aut quodcunq; periculum, aut tentatio diaboli, opus eſt, vt oculos auertas ab ipſo malo, quod te affligit & ad promiſſionem Dei omnibus viribus te conuertas, in ea enim inuenies requiem & pacem & lætitiam animæ tuæ, quam totus infernus non poſſit auferre.

Quæris autem. Quæ ſunt verba promiſſionis diuinæ? Reſpondeo, quod multa. Primũm quidẽ eſt generale contra omne malũ ſiue peccatum ſiue mortẽ ſiue tribulationẽ quamcunq;. *Quicunq; crediderit & baptiſatus*

fuerit, ſaluus erit &c. Hoc vno eſt maxime gaudendum, quia ſi in tribulatione quacunque huius promiſſionis Dei memor fueris, & ſic dixeris contra diabolum, Ecce ego baptiſatus ſum, & credo in Chriſtum adducendo mox illud: *Quicunq; crediderit & baptiſatus fuerit &c.* Iam es vere in loco pacis & lætitiæ & quietis. Si enim adhæſeris his verbis fortiter, & non dubitaueris ea eſſe vera teq; vere baptiſatum, impoſſibile eſt, vt te peccatum vel mors vel diabolus ſuperet aut contriſtet.

Sic legimus de ſancta quadam virgine, quæ ad omnem tentationem cuiuſcunque mali non aliud oppoſuit, quam ſuum baptiſmum, dicens breui verbo ad Satanam & ad mala impugnantia ſic, Chriſtiana ſum: Quaſi diceret, Baptiſata ſum, & credo, ideo nihil facis Satan, quia ſtat contra te inuictiſſimæ Promiſſionis verbum: *Qui crediderit &c.* Nam & nobis baptiſatis & credentibus dedit promiſſionem generaliter, quam oportet cum fiducia opponere contra omne malum, & mox ſentiemus leuamen.

Præter hanc generalem promiſſionem, ſunt quædam particulares, vt ſi peccata tua te in conſcientia tua perturbent, habes pro ſpeciali lætitia excitanda illud Matth. 18. cap. *Quodcunq; ſolueritis ſuper terram, erit ſolutum &c.* Si ergo fueris abſolutus a peccatis tuis, per Sacerdotem vel à quolibet in neceſſitatis articulo, & in hanc promiſſionem Dei vere reſpexeris, qua abſolutum à peccatis, dat te receptum in gratiam, & non alio cucurreris) In hoc enim differunt ſtulti & ſapientes, Stulti volunt ſe proprio opere quietos reddere, ante verbum & fidem eius, Sapientes autem proprie verbum promiſſionis & fidem apprehendunt, & in hoc ſecuros reponunt, Deinde operantur bona) inueniſti locum tutiſſimum pacis & lætitiæ, quia Deus non fallit nec mentitur, modo tu credas firmiter eius promiſſioni. Iſte eſt locus refugij, de quo Pſalm. 71. Eſto mihi in Deum protectorem & in domum refugij, vt ſaluum me facias. Quia (vt dixi) Deum habere non poſſumus, cum ſit inuiſibilis, niſi in verbo Promiſſionis ſuæ, Nempe quod ipſe eſt protectio & refugium noſtrum.

Si ergo te mors aut periculum mortis vrget, Quo ibis? non niſi ad verbum Chriſti, vbi dicit Iohan. 11. *Ego ſum reſurrectio & vita, qui credit in me, non morietur, & licet moriatur, viuet.* Hoc verbum tibi non mentitur, ſi ipſum in fide apprehenderis & Chriſtum vere dixiſſe credideris & inuocaueris. Quod ſi non feceris, omnia alia fruſtra facis, & peribis.

Sic ſi te aliqua tribulatio onerat, quæcunq; illa ſit, habes verbum Chriſti Matth. 11. *Venite ad me omnes, qui laboratis &c.* In quo loco ſic ferme pacem & omne bonum inuenies, ſi credideris Chriſtum vere tibi ea verba dixiſſe. Ita omnino non eſt pax, non eſt ſalus, non eſt lætitia niſi in verbo Dei promittentis bona ſua. Duo ſunt ergo neceſſaria ad ſpiritualem lætitiam, quam S. Anthonius egregie commendauit. Primum eſt verbum promiſſionis. Deinde fides in idem, Sicut ad ſanitatem corporalem duo requiruntur. Primum locus firmus ac tutus ſtandi, Introitus & receptio ineundi.

Hic autem diabolus multa arte inſidiatur nobis, Primo, conatur hic diſtrahere, ne in periculis & malis ſuis recordetur aut inueniat verbum Promiſſionis, dum ſolum peccata & pericula & mala proponit & magnificat. Quod ſi non poteſt prohibere inuentionem, quin homo tandem apprehendat verbum, tamen molitur (ne homo ingrediatur) viam intercludere, hoc eſt, ne homo firmiter credat Promiſſionis verbo. Sicut in ſimili milites in bello primo nituntur hoſtes ſuos diſtrahere à locis ſuis tutis, & facere vagos & errabundos, vt non ſciant, quo vadant & fugiant. Quod ſi hæc non poſſunt impedire, cum ſciant locum à quo pugnant, ſtudent tamen eis viam intercipere, ne perueniant eo.

Ita

Ita in iſto ſpirituali negotio conſcientiæ,ſcilicet quando vrgetur peccatis aut morte : aut quacunque tentatione, oportet primum verbum Dei arripere,cum ſit arcem inuictam noſſe & apprehendere,dimiſſis aliis omnibus,quæ Diabolus ſuggerit. Deinde fortiter ſe eidem verbo credere & dubitationi non conſentire,quam diabolus mouet & ſic ingredi in caſtellum Domini ſecurū & firmum, & credere fortiter Promiſſioni Dei,Dicis enim,ſi ſola fides ad verbum ſufficit,non ergo ſunt bona opera facienda.

Reſpondetur,ſunt facienda,ſed hoc vult Scriptura, Primo cor hominis adhæreat verbo diuinæ Promiſſionis per firmam fidem, & ſic ex illa fide fluunt opera ex gratuito Dei amore,nullius pœnæ vel pręmij reſpectu,Quia iam habet hæreditatem per fidem,ſiquidem fide purificantur corda & gratis iuſtificantur ex fide non ex operibus,& ſic proiunt opera,alioquin ſi non fuerint hæc præmia, verificatur verbum Apoſtoli ad Rom. 14. Omne quod non eſt ex fide,peccatum eſt,vbi autem iſta duo fuerint, verbum & fides, ibi omnia opera ſunt bona, & vbi non,ibi omnia ſunt noxia & mala. In hoc enim differunt ſtulti & ſapientes,quod ſtulti prius per opera volunt ſe quietare ante verbum & eius fidem. Sapientes autem omnium primo verbum promiſſiones & fidem apprehendunt,& in hoc tutos ſe reponunt, Deinde operantur bona.

Patet ergo ſanctum Anthonium breuem & nobiliſsimam dediſſe doctrinam,contra omnia mala, dum docuit nos lætari in Domino ſpiritualiter. Sicque conuerſo,non eſt gratior diaboli occaſio ad nos perdendos,quam triſticia,Sicut dicit Eccle. 30. Triſtitiam longe pelle abs te, multos enim occidit triſticia,& non eſt vtilitas in illa. Quomodo autem expellenda ſit iam dictum eſt,ſcilicet per verbum Dei & fidem noſtram,vnde legitur de S. Anthonio,quod lætitia ſpirituali ſi erat plenus,vt nunquam vultus eius diuerſus appar uiſſet,ſed ſemper æqualis. Et ideo dicitur,quod qui eum ante non vidiſſet ex aſpectu & hilaritate vultus cognoſceret, Sicque impleuit verbum Apoſtoli, Semper in Domino gaudete. Neque enim Chriſtianum(etiam ſi peccet)propter peccatum contriſtari oportet, ſed mox per verbum Promiſſionis & fidem reſurgere debet,dicente Scriptura,ſepties in die cadit iuſtus &c. Hic tenere Exemplum S. Anthonij pro hac vita nobis commendatum. Donet nobis feliciter imitari Dominus.

PIO LECTORI.

SI quis forte mirabitur,ex libris Lutheri quoſdam hic omiſſos, is aut legat D. Amsdorffij Pręfationem in primum Tomum operum Lutheri aut ſi eam non habet ſciat eiuſmodi omiſſionē non caſu,ſed illuſtriſſimorū Principum Saxoniæ,Dn. Iohannis Friderici Electoris &c. & Filiorum eius autoritate factam eſſe : qui,vt opera Lutheri deſcribi voluerunt,non ſine graui conſilio cauerunt,ne quid ex ore docentis exceptū(pauciſſimis demptis) vel in aliā linguam verſum,operibus,ab ipſo Autore ſcriptis, immiſceretur : ſed vt in duo quaſi Librorum genera diducerentur omnia, & vnum quodq; ex ijs ſuo Corpori inſereretur Primum autem locum & ordinem occuparent Autographa,reliqua ſecundum, vtraque vero annorum ſerie collocarentur.

ADRIANVS PAPA VI.

DILECTE FILI, SALVTEM ET Apoſtolicam Benedictionem.

ADRIANVS PAPA VI.

AVdito per nos nuper nobiliſsimum Germanorum Principum Conuentum Norimbergæ habendum, læti id, ac multo lætius accepimus, Nobilitatem tuam eo conuenturam eſſe. Vbi n. tot orthodoxi Principes in Domino congregentur, tuq; inprimis accedas, ſpetandum eſt ibi de vniuerſali fidei Chriſtianæ commodo & ſalute, aut potius de tot malorum remedijs tractandum ac prouidendum eſſe.

Ea de cauſa, ne nos pro noſtro paſtorali officio tam ornato Conuentui deeſſemus, ſtatuimus de venerabilium Fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium conſilio Nuntium iſtuc Apoſtolicum, apud iſtam inclytam, nobis ſemper dilectam Nationem poſtea remanſurum, mittere, Qui dum ſe expedit atq; accingit, iuſſimus interea dilectum Filium Hyeronimum Rorarium, familiarē & Camerarium noſtrum, exhibitorem præſentium, eo præcurrere, cui quidē in mandatis dedimus, vt Nobilitatem tuam, quam in minoribus conſtituti peculiariter diligimus, ſumusq; deinceps paterne dilecturi, adeat, noſtramq; ei ad commune bonum propenſam voluntatem exponat, plenius ab illo, qui ſubſequetur, explicandam.

Nos autem Nobilitatem tuam pro ſuo officio, cum ſacri Imperij Romanæ Eccleſiæ aduocati membrum atq; Elector ſis, paterne hortamur, & ex animo requirimus, vt ad dignitatem Apoſtolicæ Sedis, imo ſalutem & tranquillitatem totius Chriſtianæ Reipub. ſanctamq; fidem tuendam incumbas, ſicuti tui Maiores, quorum gloriam in cæteris auxiſti, non minuiſti, incubuerunt, & te incubiturum confidimus. Hæc autem Hyeronimus ipſe pluribus verbis explicabit, cui ſuper his cupimus à Nobilitate tua fidem adhiberi.

Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, Die 5. Octobris, Anno M. D. XXII. Pontificatus noſtri anno primo.

Be: El: Cremonen.

Dilecto Filio, nobili viro, Friderico, Duci Saxoniæ, ſacri Romani Imperij Principi Electori &c.

VENERABILIBVS FRATRIBVS AC dilectis Filijs, nobilibus viris, eccleſiaſtici & politici ordinis Electoribus, & plerisq; Principibus & Statibus ſacri Romani Imperij, Norimbergæ in Conuentu congregatis.

ADRIANVS PAPA VI.

Venerabiles Fratres & dilecti Filij, Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

POſtquam ad Apoſtolatus officium, diuina diſponente prouidentia, aſſumpti ſumus, Teſtis nobis eſt ille, qui nos, vt immeritos, ita nihil tale expectantes promouit, nihil nos aliud die noctuq; cogitaſſe, quam vt in curando grege nobis credito, tam in vniuerſum quam ſingulatim boni paſtoris partes modis omnibus impleremus, atq; adeo nullam exiſtimaſſe è noſtris ouibus tam morboſam, quam non pro viribus curare, nullam iam vagam, & à cæteris errantem, quam non requirere, & ad dominicam caulam reducere ſummopere cuperemus.

Et ſane

Et ſane ab ineunte ſtatim Pontificatu noſtro, quod tum potiſſimum expedire videbamus, Chriſtianorum Principum animos, heu nimis iam inter ſe diſſidentes, ad pacem & concordiam ineundam, deponendaque arma, Aut ſi bellandum eſſet, ea in fidei hoſtes conuertenda, tam per diuerſos nuntios noſtros, quam per quotidianas fere literas hortari, animare, precari hactenus non deſtitimus.

Et ne verbo tantum, ſed & re ipſa huius noſtri deſiderij ederemus exempla, Deus ſcit, quanto noſtræ rei familiaris, his præſertim temporibus, incommodo, pecunias, & alias ſubſidia ad Rhodienſes milites, ſtrenuos fidei propugnatores, ab immaniſſimo Turcarum tyranno atrociter obſeſſos, ac in alia etiam loca, in eiuſdem hoſtis faucibus periclitantia miſimus.

MOx vero ab externis ad inteſtina animum aduertentes, non ſine graui animi moleſtia percepimus, Martinum Lutherum, quem ſua culpa iam Filium noſtrum vocare non poſſe dolemus, Hominem veterum & iam damnatarum hæreſum ſuſcitatorem, poſt ſedis Apoſtolicæ paterna primum monita, deinde etiam ſententiam non abſq; conſilio optimorum & doctiſſimorum Virorum diuerſarum Vniuerſitatum legitime contra eum latam, Poſt in Chriſto filij noſtri Caroli, Romanorum & Hiſpaniarum Regis catholici in Imperatorem electi, & veſtrum imperiale Edictum, ſuper eiuſdē ſententiæ executione, in proximis Comitiis VVormatiæ habitis, maturo decretum, & per totam fere Germaniam promulgatū, non modo per quos deceret non punitum, aut per ſe cohibitum, á prauiſſimis inceptis non deſiſtere, Sed omnino Chriſtianæ charitatis & pietatis euangelicæ non oblitum modo, ſed & impie contemnentem, nouos quotidie Libros errorum, hæreſum, contumeliarum, ac ſeditionum plenos, ſiue de ſuo, ſiue de alijs adiutum, diuulgare, ac veluti peſtem quandā, Germaniam, & vicinas Regiones, longe lateq; peruadentem, venenatæ linguæ ſpiculis bonos & animos & mores inficere & corrumpere conari, Et quod peius eſt, ſuorum facinorum non plebeios modo, ſed & pleroſq; Nobiles habere fautores, adeo, vt (quæ fortaſſe iſtorum tumultuū primaria fuit cauſa) in ſacerdotum bona iri, & obedientiā tam eccleſiaſticis, quā ſecularibus debitam, vilipendi cæptum ſit, & inter nonnullos veſtrum ad ciuilia bella deuentum. Quod quam male cadat Chriſtianæ Reipub. hoc præſertim tempore, mente & cogitatione facile perſpicere poteſtis.

Etſi enim prædixit Apoſtolus, Oportere hæreſes eſſe, vt & qui probati ſunt, manifeſti fiant, Nullum tamen videas tempus huic rei magis importunum quam hoc, aut quod citius ab hæreſibus, ſi quæ ortæ ſint; veniat neceſſario repurgandum. Quum enim humani generis perpetuus hoſtis Diabolus ſub Leonis rugientis ſpecie, per Turcarum vires in Chriſtianas oues continuo debacchetur, non videmus, quomodo contra tantos impetus obſiſtere poſſimus, quamdiu eundem Diabolum ſub Draconis ſubdoli forma iſtas hæreſes diſſeminantem, interque fortiſſimos Germanos noſtros, diſcordias & ſeditiones ſuſcitantem, fouebimus. Atq; vt etiam debellare externos hoſtes maxime poſſimus, irritus tamen fuerit labor, impenſaque, & animarum ſaluti minime vtilis, foris hoſtes vincere, & domi hæreſibus ſchiſmatibusq; laborare.

Meminimus etiamnum cum in minoribus conſtituti, in Hiſpania eſſemus, multa ad nos & varia de Luthero, & eius peruerſis dogmatibus frequenter perferri, Quæ cum per ſe duriſſima auditu, eo nobis duriora videbantur, quod ex ea Regione venirent, vnde nobis ſecundum carnē origo eſt. Sed ſolabatur nos, tum rei ipſius adeo manifeſta vel iniquitas vel ſtoliditas, vt à nemine diu toleranda crederetur. Tum illa ſubinde nobiſcum facta reputatio, qua confidebamus iſtas venenatas Plantas aliunde in Germaniam translatas, non peruenturas ad frugem in ea terra, quæ acerrimos hæreſum & omnis infidelitatis hoſtes ſemper protuliſſet.

Nunc vero, poſtquam hæc mala arbor, ſiue diuino iudicio ſic populi ſui peccata puniente, ſiue ſocordia eorum, qui, vt debebant & poterant, principio non obſtiterunt, quos videtis & auditis, longe lateq́; ramos expandere cœpit, conſiderandum vobis eſt, Principes & populi Germaniæ, ne vos, qui ab initio huius mali culpa aliunde orta, facile excuſari poteratis, per iſtam nimiam tolerantiam, & priſtinæ virtutis, naturæq́; obliti, & tanto facinori, dum illi non reſiſtitis, conſentire videamini.

Omittimus, quod enormiſſimum eſt, tantam tamque religioſam Nationem per vnum Fraterculum, qui à catholica fide & Chriſtiana religione, quam ab ineunte ætate non ſolum profiteri & ſequi viſus eſt, ſed etiam multis annis prædicaſſe & docuiſſe dicitur, nouiſſime infeliciter apoſtatauit, ac Deo mentitus eſt, ſeduci ab ea via, quam à Redemptore noſtro & eius ſanctiſſimis Apoſtolis demonſtratam tot Martyres, tot præclari doctrina & ſanctitate Viri, & Maiores denique veſtri omnes hactenus inceſſerunt.

Montanus. Quaſi ſolus Lutherus ſapiat, & ſciat ſolus nunc primum, vt de hæreticis Montanus gloriatur, & Spiritum ſanctum acceperit, Et Eccleſia ipſa (cum qua ſe futurum ad conſummationem ſeculi benigniſſimus humani generis Redemptor pollicitus eſt) in tenebris ignorantiæ & perditionis ambagibus ſemper errauerit, donec nouo Lutheri lumine illuſtraretur. Quæ omnia, quanquam apud eos, qui ſapiunt, perridicula iudicantur, ſimplicibus tamen animis plurimum ſunt pernicioſa, & eis, qui nouarum rerum cupiditate omnem ordinem immutarum vellent, plurimas ad ea perpetranda, quæ nunc experimini, cauſas & fomenta ſubminiſtrant.

An non conſideratis, Germaniæ Principes & populi, præludium eſſe quoddam hoc eorum malorum, quæ Lutherus & eius Sectatores moliuntur? An non aperte videtis, iſ[illegible]d prætenſum principio à Lutheranis, veritatis Euangelicæ patrocinium, detectum nunc, eſſe merum rerum veſtrarum latrocinium? An putatis alio tendere iſtos iniquitatis filios, quam vt libertatis nomine obedientia omnium ſublata, quid cuique libuerit faciendi licentiam inducant? An vllius penſi iuſſa & leges veſtras habituros creditis, qui ſacros Canones & Patrum Decreta, nec non ſacroſancta Concilia, quorum autoritati Imperatorum leges ſemper & libenter ceſſerunt, & prompte famulatæ ſunt, non ſolum vilipendunt, ſed etiam diabolica rabie lacerare & comburere non verentur? Denique qui ſacerdotibus, qui Epiſcopis, qui Pontifici ſummo debitam obedientiam detrectant?

An ſperatis contenturos ſacrilegas manus à Laicorum bonis, & non omnia potius ſibi, quæ poterunt, vendicaturos, qui res Deo dicatas, quotidie vobis præſentibus, ferunt aguntque? An denique veſtris ceruicibus parcituros, qui non tangendos Chriſtos Domini contemerare, cædere, trucidare, auſi ſunt? In vos, in veſtras res, domos, vxores, liberos, ditiones, dominatus, templa, quæ colitis, hæc miſeranda calamitas tendit, niſi mature obuiam eatis.

PRoinde Fraternitates, Nobilitates, & Deuotiones veſtras omnium & ſingulorum, in Domino hortamur, & per Chriſtianam charitatem & religionem, quam tam ſæpe Maiores veſtri ſuo ſanguine & tutati ſunt, & auxerunt, obſecramus, atq́; in virtute ſanctæ obedientiæ, quam Deo & B. Petro, eiuſque Vicario omnes Chriſtiani debent, à vobis requirimus, vt depoſitis, ſi quæ ſunt inter vos, ſimultatibus, ad hoc commune incendium extinguendum, nunc ſaltem toto animo incumbatis, & Martinum Lutherum, cæteroſque iſtorum tumultuum & errorum autores, ad rectam ſentiendi & viuendi viam (quod nobis gratiſſimum & iucundiſſimum eſſet) omnibus ſanctis modis reducere enitamini.

Quod

Quod ſi, quod auertat Deus, veluti aſpides obturatis auribus audire recuſauerint, ne quod reliquum & nunc ſanum conſtat, cum magna & eiuſdem Nationis veſtræ macula, & totius Reipub. Chriſtianæ manifeſto periculo inficiatur, in eos iuxta ſacras conſtitutiones, iuxta leges à veſtratibus Imperatoribus latas, atque adeo recens veſtrum ſuper hac re imperiale Edictum, ſeueriratis virga animaduertatis.

Nouit ille, cui ſoli arcana humanorum pectorum aperta ſunt, quam nos & pro noſtra natura inſtitutoque, & pro paſtorali, quod gerimus, officio, ad ignoſcendum potius, quam ad vleiſcendum ſimus propenſi. Sed vbi iſtud Cancer ita vlcerosum eſſet, vt blandis lenibuſque medicamentis curari non poſſet, aſpera erunt & ignita cauteria adhibenda, & abalienata membra ab integro corpore penitus reſecanda.

Sic Deus omnipotens ſchiſmaticos Fratres, Dathan & Abiron in terræ barathrum viuos demerſit, & nolentes obedire Sacerdotis imperio, capitali ſupplicio puniri iuſſit.

Sic Apoſtolorum Princeps Petrus Ananiam & Saphiram ſibi in Deum mentientes, ſubito morituros denuntiauit.

Sic veteres & pij Imperatores Iouinianum & Priſcillianum hæreticos gladio ſeculi ſuſtulerunt.

Sic diuus Hieronymus Vigilantium item hæreticum optat in interitum carnis tradi, vt ſpiritus ſaluus fiat.

Sic denique Maiores veſtri de Iohanne Huſſita & Hieronymo Pragenſi, qui nunc in Luthero reuixiſſe videntur, à quo & in ſumma habentur veneratione, in Conſtantienſi Concilio debitas ſumpſere pœnas. Quorum ſancta & præclara geſta, ſi etiam in hac parte, vbi aliter fieri nequeat, fueritis imitati, non dubitabimus, quin diuina elementia ad eundum mox ſuppetias Eccleſiæ Dei, quæ ab infidelibus vexata, in Nationem veſtram, bellica virtute & hominum numero facile præſtantem, os, oculoſque iamdudum intendit, ſenſus & corda veſtra inſpiret, Vnde omnipotentis Dei & B. Petri benedictione per nos accepta, & de triumphato Dracone & Leone Diabolo, id eſt, ſublatis domi hæreſibus, & deuictis foris fidei hoſtibus, glorioſam victoriam, & in futuro ſeculo æternæ ſalutis præmia, reportetis.

Nos vero, pro compertiſſimo habeatis, quidquid nobis opum & autoritatis Altiſſimus concedere dignatus eſt, Id omne & vitam ipſam, pro tam ſanctis operibus, & pro ſalute commiſſarum nobis ouium libentiſſime expoſituros.

Cætera, quæ tam in hoc Luthetano, quam aliis negotiis vobiſcum particularius communicata cupimus, Dilecto Filio Franciſco Cheregatto electo Aprutienſi, quem nuper menſe Septembri ad negotia fidei & religionis, noſtro nomini vobiſcum tractanda, noſtrum & huius Sanctæ ſedis Nuntium, ad inſignem iſtum conuentum ire iuſſimus, vobis latius explicanda commiſimus, Cuius verbis vos eandem, quam noſtris adhiberetis, fidem adhibete.

Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, Die 25. Nouemb. Anno M. D. XXII. Pontificatus noſtri anno primo.

BREVE QVODDAM
PAPAE ADRIANI VI.
aduerſus Lutherum.

. 2. *Timoth.* 3.

Inſipientia eorum manifeſta erit omnibus.

SVnt,qui parum latinos putant Papiſtas. His adnotauimus duarum Epiſtolarum ſchemata,quarum alterum Adrianus Pontifex, alterum Legatus ad Germanos ſcripſit. Fortaſſe nouis quibuſdam figuris vtuntur.Sed ignoſces hoſpitibus Latij, Macedo Legatus eſt, græco, hoc eſt, mendaci magis ingenio,quam Romana lingua.Alterius lingua & mens Papam decent.Vale,& gratulare Eccleſiæ,palam fieri inſipientiam impiæ Sedis papiſticæ.

MAGNIFICIS AC CLARISSIMIS
Dominis, Conſulibus & Senatui Ciuitatis Bambergenſis, Amicis noſtris clariſsimis.

MAgnifici ac clariſs. Domini, *a* vti Fratres amantiſsimi. *b* Commiſit ad nos his proximis diebus ſanctiſſimus D.N. Breue quoddam ſuæ ſanctitatis ad iſtam Vniuerſitatem veſtram directum,mandauitque nobis per ſuas Literas, vt ad veſtras magnificentias tranſmitteremus,procuraremuſque, *c* ſecum,vt ad illud quamprimum reſcriberent. Idcirco cum in præſentia iſtuc Breue ipſum deſtinemus,illas vehementer hortamur & rogamus,velint ad *d* ſuam obſeruantiam pietatemque erga eundem ſanctiſſimũ D. N. ac ſanctam ſedem Apoſtolicam, *e* è veſtigio ad ipſum reſpondere, ac ad nos literas ſuas tranſmittere, vt poſſimus curare illas per noſtros tabellarios eidem ſanctiſſimo D. N. ſine fraude reddi. Et bene valeant Magnificentiæ veſtræ,quibus nos *f* continuo offerimus & commendamus.

a *Q.d. Non ſunt fratres,ſed nos fingimus eſſe fratres.*
b *Metaplaſmus, compoſitum pro ſimplici,commiſit pro miſit.*
c *Secum pro ſibiſcum.*
d *Catachreſis, ad pro iuxta, vel ſecundum,vel aliquid tale.*
e *Eveſtigio pro commodum, gratia ornatus.*
f *Ellepſis,continuo pro ſemper paratos.*

Ex Nurmberga, 12. Ianuarij, Anno M. D. XXIII.
Magnificentiarum veſtrarum,

Veſter F. Franciſcus Cheregattus, Electus Epiſcopus Aprutien. Princeps Therami, Ordinarius Apoſtolicus.

DILECTIS FILIIS CONSVLIbus, Et Senatui Bambergenſis ciuitatis, Adrianus Papa VI.

DIlecti Filij,Salutem & *a* Apoſtolicam benedictionẽ. Non poſſumus non vehementer admirari, pariter & dolere, dum conſideramus Martinum Lutherum Germanum, quem quantumuis errantem *b* ouiculam noſtram negare non poſſumus, eouſque inſaniæ, ſeu potius diabolicæ præſumptionis prorupiſſe,vt contempta *c* catholica doctrina ac ſanctorum Patrum traditionibus,nec non totius Eccleſiæ catholicæ ritibus ſpretis, omnibuſque ſolitis in dubium reuocatis,ipſe complura,noua atque contraria dogmata,nouaſque *d* hæreſes non tam introducere, quam veteres renouare, fundamentumque aliud quam poſitum eſt,ponere,aliamque fidem, quam Patres *e* noſtri tenuerunt, docere non ſit veritus.

a *Humanam pro diuina,cum imprecetur Paulus gratiam & pacem &c.*
b *Audis lupi Aeſopici vocem.*
c *Vtinam eſt ſcriptorum,catholica, pro camiſtica.*
d *Metatheſis,pro non tam noua.*
e *De quibus dicitur,Patres veſtri dereliquerunt me.*

Quaſi

Quaſi ſolus ipſe Spiritu Sancto afflatus, veritatem euangelicam, nunc demum in fine ſeculorum perſpexerit, ac Patres veſtri & prope tota fidelium congregatio, qui hanc Lutheri fidem neſciuere, & pro fide contraria, id eſt, catholica, quam tenemus, etiam vſq; ad *a* mortem dimicare parati erant, tot iam ſeculis in damnabili errore, ac tenebris ignorantiæ iacuerint. Miranda certe res eſt in cor hominis illius hanc præſumptionem aſcendere potuiſſe, vt ſolus ipſe ſibi plus omnibus Eccleſiæ Doctoribus, ſanctisq; Patribus, & toto fidelium cœtu ſapere videretur.

a Vſque ad mortem, excluſiue.

Sed multo maiori admiratione dignum reputamus, eundem Lutherum poſtquam in hoc barathrum ſuperbiæ (Deo propter peccata ſua atque etiam noſtra permittente) præcipitatus eſt, in Natione noſtra germanica, quæ ab initio, ex quo ad *b* Dominũ conuerſa fuit, ſemper religioſiſſima & catholicæ fidei tenaciſſima, nec non pietatis erga Deum, & charitatis iuſticiæq; erga proximos ſynceriſſima cultrix fuit, non vnum nec paucos, ſed quod cum magno cordis dolore dicimus) prope innumeros homines vtriuſq; ſexus inuenire potuiſſe: qui eius ſtolidiſſima, nec minus pernicioſiſſima dogmata, quæ antehac ſæpe cũ ſuis autoribus ab Eccleſia *c* damnata fuiſſe conſtat, non ſolũ patienter audire, verumetiam libenter amplecti vellent, & quod amplius eſt, pertinaciter etiam armis defendere parati forent, qui Libros eius, eiuſq; ſequacium omnino pernicioſiſſimos, veneno plenos, maledictis redundantes, ſpurcicijs, ſcurrilitatibus, contentionibus, amaritudinibus vbique ſcatentes, etiam poſtquam in vim ſententiæ Apoſtolicæ *d* & imperialis Edicti ſæpe in pluribus locis concremati ſunt, certatim emerent, auide legerent libenter audirent.

b S. Papam.

c S. Papæ.

d Argumentum ab autoritate vtriuſque poteſtatis, vere profanæ & vere ſacræ.

Cum tamen vel ex hoc ipſo, quod huiuſmodi ſunt, quales modo diximus, omnibus rationi & ſpiritui Dei, vel paululum auſcultantibus facile fuiſſet intelligere, eundem ſpiritum Dei, ſuauem, benignum, mitem, veritatis & pacis amatorem & conciliatorem, ſcandalorum, contentionum & diſcordiarum pacificatorem, nouitatum refugientem, ab eiſdem Libris eorumq; Autoribus longe abfuiſſe, Imo contra ſpiritum malignum horum contrarijs gaudentem, ac dictæ Nationis proſpero in via Domini *e* curſui inuidentem, ipſorum Librorum autores ad talia euomenda exagitaſſe, Quos à fructibus eorũ cognoſcentes, vna cum peruerſis dogmatibus ſuis, ſicut morem fugere & abominari debuerant. Quid enim aliud iſti homines quærunt, quam ſcandalum? Quid aliud hominibus perſuadent, quam rebelliones, ſciſmata, bonorum direptiones, cædes, carnalitates? & vt vno verbo dicamus, ſuauis iugi dominici *ff* & ſanctæ Eccleſiæ *g* omni victima præſtantioris, abiectionem, idq; ſub ſpecie libertatis, cum ipſi corruptionis ſerui manifeſte comprobentur.

e S. Papæ ſicut alias.

ff Id eſt, papiſtici vel domini caſtrici, à Dominico.

g Rhetorica amplificatio.

h Sed non eſt, Filij, *i* non eſt hæc libertas, quam Dominus Electis ſuis in Euangelio promittit, qua ſcilicet legi ſuæ, & ſuis *k* in terra Vicarijs ſubiecti (quos etiam *l* malos in cathedra Moſi ſedentes ſicut ſeipſum audiri voluit) peccati ſeruitutẽ euadimus. Sed libertas, quam ſibi Lucifer ille quæſiuit, cum Altiſſimo, cui ſubeſſe debuit, par eſſe volens, ſedem ſibi ad Aquilonem conſtituit, vnde in ima Inferni præcipitatus eſt, qui finis procul dubio etiam Martinum Lutherum, & omnes qui ei adhærent, manet, niſi celerius reſipuerint, & ad vnitatem Eccleſiæ, à qua ſe damnabiliter ſegregarunt, & extra quam, tanquam arcam *m* Noe, nemo ſaluari poteſt, redire ſtuduerint.

h Apoſtrophe.

i ἀναδίπλωσις.

k Additio neceſſaria, ſed cuius tamen in Euangelio nulla mentio fit.

l O quam neceſſaria occupatio.

m Allegoria.

Nec enim dubium eſt, iſtos & ſimiles eſſe, de quibus beatus Apoſtolus Petrus loquebatur, cum prædiceret, ſurrecturos inter fideles Magiſtros mendaces, qui introducturi eſſent ſectas perditionis, & eũ qui emit eos, Deum negaturi, introducentes ſibi celerem perditionem, ſubditq; multos ſequuturos

corum

corum *a* luxurias, Per quos (inquiens) via veritatis blaſphemabitur, & in auaritia *b* fictis verbis de vobis negotiabuntur. Quibus iudicium iam olim non ceſſat, & perditio eorum non dormitat, Ac paucis interiectis ait: Magis autem (ſcilicet *c* puniet Deus) eos, qui poſt carnem in concupiſcentia immunditiæ ambulant, dominationemq́; contemnunt, audaces, ſibi placentes, *d* ſectas non metuunt introducere blaſphemantes. Quæ an iſtis conueniant, *e* vobis iudicandum relinquimus.

Quapropter chariſſimi, quos in viſceribus charitatis gerimus, vos in Domino Ieſu Chriſto hortamur, & per viſcera miſericordiæ eius rogamus & obteſtamur, vt & errores illorum, quos Apoſtolica prouidentia vobis quaſi *f* digito monſtrauit, vos traduci non patiamini. Sed potius tanquam filij electi & populus *g* acquiſitionis, veſtigijs Patrum veſtrorum, & omnium Sanctorum, qui vtiq; regiam veritatis euangelicæ viam ingreſſi ſunt, inhærentes, doctrinam iſtorum pernitioſiſſimam, perfidam, plaſphemam, diabolicam, & vt ſemel dicamus, in interitum trahentem, cum ſuis Autoribus, tanquã *h* Infernum horreatis, eorumq́; Libros venenatos non ſolum ipſi non legatis, ſed nec legentibus vel docentibus aures admouere velitis, aut ipſis Lutheranis ad cor redire contemnentibus, Aue dixeritis.

Nec vero vos moueat, quod Lutherani ipſi *i* ſacræ Scripturæ verba dogmatibus ſuis paſſim admiſceant, Scientes, quod hoc ipſum omnes ſemper Hæretici vſurparunt, quorum nullus vnquam nouum dogma introducere niſus eſt, quod non ſacræ Scripturæ *k* autoritate conſtituere conaretur, Vt enim qui veneni amaritudinem temperare volunt, illud melle aut alio grato ſapore contegunt, ita iſti proprium virus cœleſtium verborum dulcedine linientes, illud ſimplicibus & rudibus animis propinant, vt ita demum eos facilius intoxicare poſſint.

Quanquam vix quenquam adeo ſimplicem eſſe credimus qui ſi vel paululum *l* lumen vultus diuini, quod ſuper omnes homines ſignatum eſt, aſpicere voluerint, non protinus intelligere poſſit, iſtos mendacij & erroris Magiſtros eſſe, non veritatis, eoſq́; huiuſmodi nouitates attentare, non quod ſalutem animarum quærant, cum ipſi ſuas manifeſte perdant, Sed potius vt placentia dicendo, & ea quæ in arcta via Domini hominibus carnalibus & animalibus difficiliora iudicantur, ſub ſpecie Chriſtianæ libertatis adimendo mortifera dogmata ſua ciuſmodi carnalibus hominibus (quorum ſemper maior numerus extitit) fauorabilia magiſq; credibiliora reddant, & illos æternæ damnationis reatu, ſibi cæteriſque diffidentiæ filijs præparatæ, ſecum inuoluant.

Sed idem proculdubio Magiſtris iſtis eueniet, quod anteceſſoribus ipſorum earundem vel aliarum Hæreſum autoribus, quoties ſuperbos intellectus ſuos aduerſus ſcientiam Dei *m* extollere præſumpſerunt, eueniſſe conſtat. Qui ad tempus quidem propter peccata hominum proſperati, & tanquam ſupra cedros Libani ſuperexaltati (permittente Deo) viſi ſunt, ſed ad extremum ſemper vicit *n* mendacium veritas, & ſapientia ſuauiter omnia diſponens, maliciam triumphauit.

Cæterum, quoniam videmus, huiuſmodi venenatorum Librorum impreſſio, diſtractio atque lectio quantum veræ fidei ac pietati longe lateq́; obfuerit, vos, quibus inſignis iſtius Ciuitatis gubernatio credita eſt, in Domino hortamur, & in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub conteſtatione diuini iudicij requirimus, vt ſolitæ veſtræ erga Deũ dictamq́; eius fidem pietatis, ac ſingularis prudentiæ memores, omnibus modis prouidere curetis, ne apud vos aut in territorio ciuitatis veſtræ huiuſmodi Libri vel impreſſi vltra diuendantur, vel nondum impreſſi deinceps imprimantur. Imo vero quotquot in dicta ciuitate

veſtra

a Nota, luxuriæ non ſunt Adriano papiſtici generis fœdæ libidines, ſed luxurias docere ſentit eos, qui diuinum coniugium probant. Et ex hoc loco Adriani rhetoricem æſtimaueris, cum Petri ſententiam ad ſuam cauſam detorquet.

b Hic Adriano Petrus nihil dixit de cauponatione præbendarum, Indulgentiarum, & ſimilium Romanarum mercium.

c Grammaticam neſciebant iſti boni Laici, ideo gloſa adiecta eſt.

d Neque hic Adriano Petrus de monachorum ordinibus locutus eſt.

e Ecce, hic Papa renunciat ſuo iuri interpretandi Scripturas.

f Digito, non Dñi, ſed Papæ.

g S. Papæ.

h Homericum hoc eſt, ὁμῶς ἀίδαο πυλῆσιν.

i Ecce confutatio, quia apud Adrianum nihil valet verbum Dñi.

k Nota, Papiſtæ ne fiant hæretici, non recipiunt aut docent Scripturas.

l Expoſitiones Papæ.

m S. terreſtris ſeu ventris.

n Hic Caiphas prophetat de ſe ipſo.

veſtra inueneritis,iuxta Sedis Apoſtolicæ ſententiam & imperiale Edictum *a* combiiri faciatis,

Alioqui, ſi peruerſitatem impreſſorum veſtrorum,qui pecunia(vtl credendum *b* eſt) à Lutheranis corrupti(ſi vera ſunt,quæ audiuimus) Lutheranorum opera promptiſſime imprimunt, quæ vero à Catholicis pro veritate contra illos ſcribuntur,imprimere nequaquam volunt,corrigere & emendare neglexeritis,Denuntiamus vobis, quod diuiniam eamq; terribilem vltionem,etiam ſi alioqui Chriſtianiſſimi *c* ſitis,non euaderis. Nec enim vos Deo ſatisfacere putaueritis,ſi vos ipſi fidem eius integram & illibatam conſeruetis, niſi & pro virili operam dederitis,vt quicquid Fratres veſtros ſcandaliſare, & in huiuſmodi errores inducere aptum *d* ſit,celerius per vos de medio tollatur. Qui enim non eſt cum Domino, contra eum eſſe probatur,& qui malum huiuſmodi,cum poſſit,non excludit, illud coram Deo ipſemet committere & inferre cenſetur. Iam tempus eſt,quo qui in vobis probati & electi ſunt, ſe manifeſtare,quo optimus quiſque veſtrum vel ſponte ſe pro domo Domini murum *e* opponere debeat,vt coronam gloriæ,quæ ſtrenue ſe gerentibus promittitur,ab eodem Domino conſequi mereatur.

Datum Romæ apud S. Petrum,ſub annulo Piſcatoris, Die vltima Nouembris,Anno M. D. XXII. Pontificatus noſtri anno primo.

T.Hetzius.

a Hoc eſt eijcere dæmonem digito Papæ.

b Ecce nouum articulum fidei,vere Papalem,qui iubet credi,de quibus ipſe dubitat, an vera ſint.

c Papa habet Chriſtianiſſimos ſine fide.

d Aptum ſit, pro aptum natum ſit, ſecundum Louanienſes.

e Niſi rigaſſent hanc Epiſtolam Louanienſes, non tuliſſet tam pulchros flores elegantiarum.

ANNVS CHRISTI M. D. XXIII.

MARTINVS LVTHERVS OMNIBVS CHRISTIANIS

Lectoribus non pontificiam ſalutem & benedictionem, ſed gratiam & pacem in Chriſto,optat.

HOc nullus vnquam antehac Pontifex Romanus fecit,quod iſte Adrianus VI. facit,qui tanquam abdicata & depoſita illa poteſtate, quam hactenus ſibi vni arrogauit omnia iudicandi,nunc iudicium permittit Bambergenſibus,recte ne à ſe dictum S. Petri
2.Pet.2. allegatum & enarratũ ſit, an non? Atq; ego quidem valde oro, non ſolum Bambergenſes, ſed omnes Chriſtianos vbiq; locorũ vt permiſſum illud iudicium amplectantur, & inter me ac Papam iudicent,Vtrum Lutherus, an Pontifex Romanus ſectas, noua vitæ genera,& ordines inſtituerit extra illum communem Chriſtianæ fidei ordinem? Item,Vtrum Lutherus, an Papa aliquid amplius quam ſolum verbum Dei doceat? Ita deprehendetur,qui ſint illi Magiſtri mendaces à S. Petro hic nominati, &
2.Pet.3. quam belle Adrianus Pontifex Louanij Scripturam interpretari di-

ri didicerit. Item, Vtrum Lutherus, an Papiſtæ per auaritiam fictis verbis de Chriſtianis negotientur, & carnem ſequentes in concupiſcentia pollutionis ambulent, ac dominationem contemnant. Item, vtrum Lutherus, an Papa, Reges ac Principes contemnat, excommunicet, & in tertiam, quartam, ac nonam generationem deuoueat, Et ſic de cæteris omnibus, de quibus S. Petrus in citato dicto loquitur.

Sed Deo ſit laus & gratiarum actio, Romani Pontificis & Papiſtarum ſtulticia & inſcitia plane vult in lucem proferri, ut confundantur & pudefiant, & ipſi ſeſe apud omnes contemptos reddant, quo Danielis Prophetia impleatur, ubi de Antichriſto inquit, Sine manu contereretur, Daniel. 8. & 2. Timoth. 3. Non proficient amplius, Inſipientia enim eorum euidens erit omnibus, quemadmodum Ianni & Iambri accidebat. *Dan. 8.* *2. Timoth. 3*

An non ſummum ſcelus & dedecus eſt? quod Papa, qui vult perhiberi Magiſter omnium Chriſtianorum, nihil amplius dicere nouit, quam illud: Lutherus ſolus vult ſapere. An vero nos cum tot Maioribus noſtris erraſſe oportuit? Sunt hæ ſane muliebres, pueriles, Monachorum & Sophiſtarum querelæ. Decebat Pontificem Romanum allegare Scripturam, atq; ita ratiocinari: Ecce hic eſt verbum Dei, Hoc & illo modo Lutherus contra verbum Dei docuit, Iam vero belle hoc diſsimulat, & ait: Hoc & illo modo Lutherus contra antiquum morem, contra conſuetudinem, contra Doctores docuit, Perinde ac ſi fides noſtra veteri more ac conſuetudine, & dictis Doctorum nitatur.

Quod ſi ſola conſuetudo, & mos vetuſtus ſufficit, cur non iudaicam, turcicam & ethnicam fidem amplectimur? Cur non aſſentimur Diabolo, cui iam inde ab initio perpetua conſuetudo eſt eſſe malo? Sin autem ſola conſuetudo non ſufficit, cur non oſtendit Papa veras rationes, ac fundamēta iſtius conſuetudinis? aut qui minus licet nobis de fontibus & initijs illius conſuetudinis quærere, bona ne an praua ſit? Certe noſter Deus non vocatur conſuetudo, ſed veritas, & fides noſtra non conſuetudine nititur, ſed veritate, quæ eſt Deus ipſe.

Iactitat etiam Pontifex, hactenus ſemper veritatem mendacio ſuperiorem fuiſſe. Verum eſt, veritatem tandem vincere, Sed eadem ſæpe opprimitur, Nam cogitur illa interdum, quemadmodum & Chriſto accidit, mori & ſepeliri, ſed rurſus tamen emergit, & reſurgit. Ita ſub Papatu Chriſtiana veritas oppreſſa iacuit, ſicut Daniel prædixit capit. 8. fore, ut temporibus Anthichriſti veritas palam proſternatur. Verum oppreſsionis illius iam finis eſt, Satis diu iam veritas ſub mendacio op- *Daniel. 8.*

preſſa

preſſa, & cum Chriſto ſepulta iacuit, Nunc eam rurſus emergere, & mendacia papiſtica viciſsim proſternere oportet, ut quemadmodum Caiphas, ita & Papa contra ſeipſum hic vaticinetur, quod veritas hoc tempore mendacia velut in triumpho palam oſtentatura ſit.

Præclare autem id iam fieri cœpiſſe arbitror, exiſtimoq́; Papatum una cum ſuis ſquamis vere mundo factum eſſe oſtentui, magno cum ipſorum probro & ignominia, adeo, ut eorum ſcelera & turpitudines clam & aperte hactenus perpetratæ, etiam à pueris & ſcurris decantentur, quemadmodum Idolis accidebat Apoſtolorum & Martyrum temporibus, Vt retribuatur ipſis pro ſuperbia, qui quidem antea ſummis etiam Regibus ac Principibus (qui ab illis extreme & è ſublimi deſpecti ſunt) terrori fuerunt. Nunc vero iidem etiam contemptiſsimis & infimis hominibus contemptui, ac ludibrio ſunt, ut dictum illud Eſaiæ. 33. compleatur: Væ, qui prædaris, nonne & ipſe ſpoliaberis? & qui ſpernis, nonne & ipſe ſperneris? Cum conſummaueris deprædationem, prædæ patebis, Cum fatigatus deſieris contemnere, contemneris, Et quemadmodum Chriſtus inquit Matth. 7. Qua menſura metimini, ea metientur vobis alij.

Ac pœnitet me, me bonas horas tam male collocaſſe, ut ineruditis & vere papalibus literis reſponderim, Sunt enim tam barbarice & inſulſe ſcriptæ, ut indignæ ſint, quibus vel à puero reſpondeatur. Verum Deus miraculis aggreditur Antichriſtum, quod illi uſq; adeo nullum amplius ſucceſſum largitur, ut poſthac neq; linguam ullam, neq; artem nouerit, & per omnia infans & ſtultus factus ſit. Turpiſsimum eſt, eiuſmodi latina ſcripta ad Germanos mitti, & tam inſulſas interpretationes Scripturæ hominibus proponi Omnia ſunt vere & belle papiſtica, monachalia, & Louanienſia.

Anno M. D. XXIII.

BREVE SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI, DOMINI ADRIani, diuina prouidentia Papæ VI. ad Fridericum Saxoniæ Ducem, aduerſus Lutherum.

ANNO M. D. XXIII.

Dilecte fili ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem, Satis & plusquam ſatis ſuſtinuimus dilecte in Chriſto, ſi forte Dei pietas tuam animam dignetur inuiſere, ac dare pœnitentiam ad cognoſcendum veritatem, vt reſipiſceres à diaboli laqueis, à quo captiuus detineris.

Nouimus te paterne monitum à felicis recordationis

Prædeceſſore noſtro,ut à te ſeparares perniciem illam Chriſtianæ religionis, Martinum Lutberum, & cum iam toti orbi manifeſtæ eſſent ſceleſtiſſimæ machinationes illius,ſperauimus & te ad cor pœnitens reuerſurum.Sed quoniam expectauimus vuas,& ecce lubruſeas &c. Quia fruſtra conflauit conflator,malitiæ enim tuæ non ſunt conſumptæ,coegit nos miſeratio tui, coegit paternus amor, quo te, & tibi ſubditos Saxones in Domino ſemper ſumus proſequuti, ſalutaribus & paternis monitis adhuc conuenire,ut vel tandem reſipiſcatis, antequam plane in vos conueniat, quod mox ſubdit Propheta: Argentum reprobum vocate eos,quia Dominus proiecit eos.

Et quid dicemus vobis, quam quod Galatis ſuis Paulus: O inſenſati, quis vos faſcinauit veritati non obedire. Currebatis bene, Interrogate Patres veſtros, ac dicent vobis,Maiores veſtros,& annunciabunt vobis, Quod ab ea ætate,quo uno eodemq; tempore vixere Adrianus Romanus Pont.& Carolus ille magnus Imperator, Saxoniæ fidei plantatores,ad noſtra vſq; & charisſimi in Chriſto filij noſtri Caroli tempora,aui & proaui veſtri,atq; adeo Saxones omnes,ſemper habiti eſtis velut pacis amatores,fidei propugnatores,& per omnia obedientiæ pacifici filij, talesq; ut non immerito Gregorius V.natione Saxo,olim Rom.Pont.Saxoniæ ducem in Romani Imperatoris conſtituerit electorē. Quo ergo tam cito mutatus eſt color optimus? Cur ſam facile transferimur ab eo,qui nos vocauit in gratiam Chriſti in aliud Euangelium, quod non eſt aliud,niſi ſunt quidam,qui vos conturbant,& volunt conuertere Euangelium Chriſti? Quis vineam Domini ſabaoth tam pulchre plantatum eſt demolitus? Certe exterminauit aper de ſylua,& ſingularis,ferus,depaſtus eſt eam,Sed væ illud à vobis,à domeſticis & amicis,à cruciatu præcordiorum.

Adrianus Roma. Pont.
Carolus Magnus.
Gregorius V. natione Saxo.

Obſecramus te fili dilecte in Chriſto, leua oculos tuos in directum,& vide ubi ſis proſtratus. Conſidera quantam eccleſiæ Chriſti tot malis vndiq; circumuallatæ ac pene oppreſſæ pro opera,qua illi ſubuenire debueras,cladem inſuper intuliſti, Oppugnatur foris ab infeſtiſſimo illo ac potentiſſimo Chriſtiani nominis hoſte,diſſident intus præcipue principes Reipublicæ Chriſtianæ, & in mutuam armati perniciem, cruentiſſimis inter ſe odijs conflictantur: In fraterna viſcera ferrum ſtringunt,ut vix Ethnici inter ſe crudelius. An hæc ita tibi viſa ſunt non ſatis grauia,niſi contritionem induceres ſuper contritionem,nutriens ac fouens Serpentem illum in ſinu tuo, qui veneno linguæ ſuæ inficit cœlum,& terras inficit? adeo ut nunc peruenerit gladius etiam uſq; ad animam. Quanto autem pluris eſt anima quam corpus,tanto grauius eſt prædictis omnibus horrendum illud & pluſquam tartareum venenum,quo hæreſium ac ſchiſmatum contagione tot myriades interierunt animatum.

Ita tibi debemus omnes,quod nunc paſſim ab unitate noſtræ Eccleſiæ recedant: Quod àuertatur vulgus indoctum,ac bis mille præſtigijs ac faſcinationibus retrahatur à fide, quam ſuxit ab ubere materno. Quod Baſilicæ ſint ſine plebibus: Plebes ſine Sacerdotibus,ſacerdotes ſine debita reuerentia, & ſine Chriſto deniq; Chriſtiani. Quod ſacrata fidei non ſacra cenſeantur. Quod ſanctuariũ Chriſti,Dei ſanctum eſſe negetur:dies feſti feſtiuis fruſtrentur ſolennijs: q; moriantur homines in peccatis ſuis: rapiantur animæ ad tribunal terrificum: nec pœnitentia reconciliati nec ſacra cõmunione muniti. Quod pulcherrimus ille tabernaculi ordo confuſus ſit: & pro Chriſtiana pace ac tran-

ac tranquillitate ad rebellionem, ad rapinas, ad cædes, ad incendia cum magno ac manifeſto Chriſtianæ reipub. diſcrimine, veluti claſſico paſſim excitati. Pro quibus egregijs tuis in Eccleſia Chriſti meritis, quo te præmio, imo quo non ſupplicio dignum cenſebimus?

Dices fortè, Serpens decepit: dignam certe recepiſti mercedem, qui illum nutriuiſti in ſinu tuo. Sed ita ſtultus es, & ſine corde, vt in eis maxime rebus, in quibus errare damnari eſt, vni homuncioni cooperto peccatis, quam tot ſanctiſſimis ab initio Patribus, qui in lege Dei meditati ſunt die ac nocte, tot vniuerſalibus Concilijs, aduerſus quæ impudens os illud veluti ſepulchrum patens, ſe aperire non erubeſcit, ſanctæ deniq; & catholicæ Eccleſiæ, cuius ritum, conſuetudinem & decreta, à temporibus Apoſtolorum ad nos vſque inuiolabiliter obſeruata, vnus iſte ſacrilega temeritate damnari præſumit, plus credere potuiſti? O cæcam dementiam, ac plusquam Iudaica cæcitate.

At fortaſſis hoc tibi impoſuit, quod veterator ille Martinus & eius ſequaces, de capitulis ſcripturarum viſi ſunt ſua confirmare. Et quis tandem hæreticorum ita non fecit? An non hæ ſunt veteris Serpentis aſtutiæ, qui hac veluti eſca obducto hamo miſeris animabus mille technis & verſutijs ſemper eſt inſidiatus? Quiq; quo angularem infringere veræ fidei Lapidem, ac Chriſtianam ſcindere vnitatem in Scripturarum agrum, ſuum ſeminare ſemen, & peruerſam Scripturarum intelligentiam, non iampridem eſt aggreſſus. Cum itaq; maxima ſemper pars Eccleſiarum imperita turba ſit, & vix vnus reperiatur aut alter, qui ſpiritualibus oculis de Scripturarum intelligentia digne valeat iudicare: Siquidem Librum ſignatum legimus, quem ſolus Leo de tribu Iuda dignatus eſt aperire, ac ſolus ſignacula eius. Quæ tandem eſt iſta Diabolica excæcatio, vni carnali homuncioni, ſemper eructanti vinum & crapulam, quam reliquo orbi vniuerſo, quam tot ſpiritualibus Patribus, quorum voluntas ſemper fuit in lege Domini: qui vitæ ſanctimonia, oſtenſione Spiritus, ac virtute glorioſa, deniq, martyrio ſuam doctrinam comprobauerunt, in Scripturarum intelligentia plus te fidei habere potuiſſe?

O cæcitatem nouam & inauditam, vnus Apoſtata tibi potuit perſuadere fefelliſſe priores vniuerſos, errare poſteros, & in ſolum ſe, & quos decepit, perueniſſe regnum Dei, perueniſſe totas miſerationum Dei diuitias ac gratiam vniuerſitatis. Et quid non dicimus cum Propheta, heu, heu, heu, Domine, ergo ne decepiſti populum tuum: Quin potius cor, non deuitatis ſecundum apoſtolicum Præceptum quæſtionibus ac pugnis verborum, ex quibus oriuntur inuidiæ, contentiones, blaſphemiæ, ſuſpiciones, malæ conflictationes hominum mente corruptorum, & ſubuertunt corda audientium ex operibus ſuis, iuxta dominicam deſignationem, ſtuduiſtis cognoſcere filium prophanum iſtum, qui ad vos venit primum in veſtimentis ouium lupus intrinſecus rapaciſſimus? Siquidem non ex folijs, non ex floribus, ſed ex fructibus arbor cognoſcenda erat.

An non manifeſti ſunt nequiſſimi fructus eius? Siquidem ſacrilegus hic aduerſus Deum, imagines ſacras, atque adeo ipſam ſacram crucem Chriſti, ſceleratis manibus confringere, & pollutis conculcare pedibus non formidat, qua ſacerdotes Dei furore impio temerarius non deſinit Laicos ad lauandas ſibi in eorum ſanguine manus ſedulo concitare: Eccleſiam Chriſti parricidalibus armis oppugnans, hoc agit aſſiduo, vt ſuffocentur homines in peccatis ſuis: hoc vnum elaborat, ne diuina miſericordia ſuis ſacramentis, (quæ peccatorum remedia efficacia eſſe voluit) vulneratos in eccleſia ſua curet. Ita enim aut ſuſtulit vniuerſa, aut hæreſeos ſuo peſtifero infecit veneno, vt toxica magis relinquant, quam animarum medicinas. Præcepit ſuis, ne indignanti Deo quis ſatisfaciat: ne ieiunijs, orationibus, lamentationibus iuſtis

peccata redimat: ne hoſtia illa placens Deo corpus & ſanguis Domini noſtri IESV CHRISTI, à ſacerdotibus offeratur quotidie pro peccatis noſtris: vota docet non reddere Domino Deo ſuo.

Et cum ipſe ſit apoſtata, ac profeſſionis ſuæ deſertor, vt plurimos ſui faciat ſimiles, ſancta illa Deo vaſa polluere non veretur: conſecratas Chriſto virgines, & vitam monaſticam profeſſas, extrahere à monaſterijs ſuis, & mundo, imo diabolo reddere, quem ſemel abiurauerunt. Quod in veteri lege vmbraticis ſacerdotibus Dominus non tulit, quod ethnici in idolorum ſuorum Flaminibus omnes ſunt abominati, Chriſti ſacerdotes etiam viliſſimis copulat meretricibus: Sanctos patres illos, quorum vita & doctrina illuſtrauit vniuerſum mundum, non ſolum non debito honore proſequitur, ſed multo quam tam ille ſceleſtior deſpicit, deridet, contemnit, inſectatur, ſacroſanctis omnibus vniuerſalibus Concilijs impudenti ore palam contradicit ac ſacrilega lingua detrahit: libertatis ſpecie licentioſam quandam vitam, nullis conſtrictam legibus, ac vere ferinam inducere conatur.

Vnde & exlex homo, contemptor ac violator legum omnium, in tantam erupit mentis veſaniam, vt ſanctiſſimorum Patrum decreta, & eccleſiaſticos Canones igne publico concremare non formidarit. Et breuiter omnem Chriſtianam veritatem, omnem rerum ordinem, pulcherrimam deniq; Eccleſiæ faciem, à Chriſto, ab Apoſtolis, apoſtolicisq; viris, ac ſanctiſſimis Patribus ab initio conſtitutis, vnus hic poſt toties centenos annos diſcindere, inuertere, ac deformare molitur.

Quod ſi nondum ſatis internoſcas de Chriſtiano magiſterio, an de Antichriſti ſpiritu iſta proficiſcuntur. Si ita te faſcinauit præſagator ille, vt credere poſſis vnum hunc perfidiſſimum apoſtatam, veluti alterum Heliſeũ habere duplicem ſpiritum Heliæ, aut alterum eſſe, quem ſe iactitat, Danielem, in quo ſit ſpiritus amplior & intelligentia Scripturarum maior, quam in omnibus olim ſanctiſſimis illis doctiſſimisq; viris, quam in ſacroſancta Eccleſia catholica. Quid eſt te vno cæcius, aut ſi ex fructibus arborem nunc cognoſcens, in errore perſiſtis, tamen quid te miſerius?

Sed eſto transfiguratus ſit coram te Satanas ille in Angelum lucis, & quæ manifeſta ſunt opera carnis ac Diabolica, ſpiritus eſſe & Chriſti opera venenata ſua facundia perſuadere poterit, Nunquid non vbiq; vel hoc ipſo prodidit, cuius nam ſpiritus ſit? Quod omnis eius ſermo amarus eſt, virulentus, arrogans, ac maledicentiſſimus, nuſquam non ſcatens conuitijs, blaſphemijs, ac ſcommatibus pluſquam venenatis, aduerſus omne Chriſtianæ pietatis, modeſtiæ, manſuetudinis ac benignitatis officium.

Nunquid ita docuit Paulus (cuius iactitat ſe ſpiritum habere) cum nulla eius extat Epiſtola, quæ non pacem & vnitatem, ac alia id virtutis genus redoleat? An non Romanos ſuos hortatur in Domino, vt in charitate fraternitatis ſe diligant, inuicem ſectentur, quæ ſunt pacis & quæ ædificationis cuſtodiant, Corinthijs: An non teſtatur ſe docere in Eccleſijs, Deum non diſſenſionis, ſed pacis Deum eſſe? Et breuiter, nunquid non vbiq; clamat, vbiq; docet euangelica illa tuba, vt digne ambulemus cum omni humilitate ac manſuetudine, cum patientia ſupportantes inuicem in charitate, ſoliciti ſeruare vnitatem Spiritus in vinculo pacis, vtq; deponamus omnem iram, indignationem, malitiam, blaſphemiam, turpem ſermonem?

Quo igitur pacto maledicentiam, amaritudinem, iram, indignationem, blaſphemiam, inflationem, iactationem, quæ ita huic peculiaria ſunt, vt illa Paulo ac illius diſcipulis vniuerſis, qui mitis eſt ac humilis corde, nõ Paulini, non Chriſtiani, ſed diabolici ſpiritus eſſe certiſſima indicia vel cæco non clariſſi-

clariſſima apparet. Ex verbis illius quomodo intellexiſti Chriſtum in corde ſuo,an vero Anthichriſtum haberet,ſecundum quod ipſa veritas in Euangelio ait,progenies viperarum,quomodo poteſtis bona loqui,cum ſitis mali. De abundantia enim cordis os loquitur.

Et cum ſcriptum ſit,quod maledici regnum Dei non poſſidebunt, Iterum in Euangelio dicit Dominus, Quicunq; dixerit fratri ſuo, racha,reus erit conſilio: Qui autem dixerit,fatue,reus erit gehennæ incendio: Illum ne eſſe Anthichriſti apoſtolum,cui quam obſcutum eſſe poterit? Qui non modo fratres,ſed ſacerdotes Dei,ſed principem ſacerdotum Petri ſucceſſorem, Ieſu Chriſti in terris vicarium,tam nefandis infamibusq; nominibus, tam inauditis contumelijs,conuitijs,ac blaſphemijs,nuſquam non lacerat, diſcerpit & inſectatur,ut ea commemorare pudica refugiat lingua,& audire horreant aures caſtæ.

Qui apoſtolicam cathedram,in qua præſedit caput Apoſtolorum PETRVS,cui præfuerunt tot ſancti Pontifices,quam Eccleſiam principalem, unde ſit exorta unitas ſacerdotalis,ſanctus ille & glorioſus martyr Cyprianus non dubitat afferre,impio ac peſtilenti ore cathedram peſtilentiæ Anthichriſtianam,diabolicam,& ſi quæ potuit excogitare nefandiora,toties appellare non ceſſat. Qui ſcholas Chriſtianas,quæ tam multos doctiſſimos ſanctiſſimosque viros,tam egregias in Eccleſia Dei columnas nobis protulerunt, impudica lingua ſua, lupanaria, Sodomas & Gomorras ubique vocare non verecundatur.

Qui non ſatis habet omnipotentis Dei ſacerdotes probris omnibus, conuitijs,contumelijs,ac blaſphemijs horrendis & inauditis, nunquam non publice ac palam inſectari,quibus canibus viliores facere,niſi etiam Laicos concitet ad lauandas ſibi manus in ſanguine iſtorum. Cum tamen quanto honore haberi velit Sacerdotes ſuos,maxime autem principem Sacerdotum, idem ipſe Dominus in Deutero.teſtatus eſt,dicens: Si difficile & ambiguum apud te iudicium eſſe proſpexeris inter ſanguinem & ſanguinem, cauſam & cauſam,lepram & non lepram,& iudicum intra portas tuas videris verba variari,ſurge & aſcende ad locum,quem elegerit Dominus Deus tuus, venieſq; ad ſacerdotes Leuitici generis,& ad iudicē, qui fuerit illo tempore, quæreſq; ab eis,qui iudicabunt tibi iudicij veritatem, & facies quæcunq; dixerint,qui præſunt loco,quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius,ſequeriſq; ſententiam eorum,nec declinabis ad dextram,neq; ad ſiniſtram.

Qui autem ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotum imperio,qui eo tempore miniſtrant Domino Deo tuo,ex decreto iudicis morietur homo ille, & auferes malum de domo Iſrael, cunctuſq, populus audiens timebit, ut nullus deinde tumeſcat ſuperbia.

Et Samuel cum ſperneretur à filijs Iſrael,an non dicit Dominus, Non enim te ſpreuerunt,ſed me, ne regnem ſuper eos: manifeſte oſtendens, inuiſibilem ſe contemni,cum viſibilem quis ſpernit ſacerdotem. Quare & Moyſes murmuranti ad ſe populo reſpondit: Non aduerſus me murmuraſti, ſed aduerſus Dominum Deum veſtrum.

Quod ſi Leuiticos illos ſacerdotes tantis honore & prærogatiua præcellere voluerit Dominus,qui exemplari tantum ac vmbræ deſeruiebant cœleſtium in vmbratico illo tabernaculo ſacrificiorum officia conſummantes: Quo tandem honoris loco eos haberi voluit,quibus claues tradidit regni cœlorum? tantamq; tribuit poteſtatem, vt quæ ligarent ſuper terram,ligarentur & in cœlis,Et quæ ſoluerent ſuper terram,ſoluta eſſent & in cœlis, vtq; quo-

rum ipſi dimitterent peccata, dimiſſa forent: quorum retinerent, forent & retenta. Qui non ſanguinem hircorum, aut vitulorum, ſed hoſtiam viuam, ſanctam, immaculatam, corpus & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti offerunt quotidie pro peccatis noſtris. Conficiunt verbo ſuo ac manibus tractant: Et breuiter ſacrata omnia, quibus hominibus vita ſaluſque tribuitur animarum, ſuis perficiunt orationibus.

Quanto inquam honore hos præcellere voluerit Dominus: Quis tandem dubitabit, quod nec idem ipſe tacuit in Euangelio, cum dicit ad eos: Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit. Qui autem me ſpernit, ſpernit & eum qui miſit me, Et quid conſequitur? Quod in eundem Chriſtum blaſphemum eſſe & maledicum, qui ſacerdoti Chriſti blaſphemat aut maledicit.

An non hoc eſt primum mandatum, in retributione: Honora patrem & matrem, vt ſis longæuus ſuper terram: Qui autem maledicit patri aut matri, morte moriatur. Nunquid ad carnales tantum parentes illud eſt referendum? Et num minus ad eos, qui nos in Chriſto regenerauerunt: per quos Chriſtiani ſumus: qui nobis peccata dimittunt: qui cœleſtibus nos paſcunt ſacramentis.

Quid ſi peccatores ſunt, & mali ſacerdotes? Quid ſi & parentes, Nunquid propterea eos non honorare, aut maledicere licebit? Nunquid non & Iudas erat inter eos, quos Dominus miſit ante faciem ſuam, & ad quos dicebat, Quicunque non receperit vos, neque audierit ſermones veſtros, exeuntes foras de domo aut ciuitate, excutite puluerem de pedibus veſtris. Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorræorum in die iudicij, quam illi ciuitati.

An non præcepit ita Apoſtolis: Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis. Quod ſi malis & peccatoribus non ſit obediendum, quibus tandem? Quoniam ſi dixerimus, peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.

Quis es, noli diſcutere paſtorem: Nolite iudicem Dei conſtituere & Chriſti. An non ita præcepit Dominus in Euangelio, dicens: Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi, omnia, quæ dixerint vobis, facite: Si quæ autem fecerint male, facere nolite: manifeſte ſignificans habere eos dignitatem, tametſi vitę eſſent perditæ.

Nunquid idem Dominus, cum poſtea tempore paſſionis alapam accepiſſet à ſeruo ſacerdotis, dicente ſibi: Sic reſpondes pontifici, aduerſus Pontificem quicquam dixit contumelioſe, quin magis innocentiam ſuam aſſerens & oſtendens, Si male, inquit, locutus ſum, exprobra de malo: ſin bene, quid me cædis?

An non & Paulus, cum cæderetur in concilio, iuſſu Ananiæ, diceretque ad eum, Percutiet Deus te paries dealbate, & ſedes iudicare ſecundum legem, & contra iubes me percuti, Audiens ab aſtantibus, ſic aſſimulas ſacerdotem Dei maledicendo ipſum, tamen inane nomen & vmbram quandam ſacerdotis cogitans expauit: Neſciebam, inquit, fratres, quia princeps eſt ſacerdotum. Scriptum eſt enim, Principi populi tui non maledices.

Quo magis miramur, quod ex iſtis diabolicis operibus, veluti fructibus nequiſſimis arborem peſſimam nondum cognouiſtis. Et quis tandem eſt ita hebes animo, vt non videat, quo nunc erumpant furioſiſſimi conatus eius? cum vt quiſque eſt facinoroſiſſimus, deſperatiſſimus aut perditiſſimus latro aut homicida, ſub iſtius vexillis ac ſignis conueniunt?

Eccleſiam iam Chriſti parricidalibus armis, ac ſacrilegis manibus, non clam,

clam,ſed publice oppugnantes:conſecrata Deo loca, templa & monaſteria exurunt & prophanant:Chriſto dicatas virgines,ſacerdotes Chriſti & monachos,crudeliſſime proſequuntur,Eccleſiarum bona diripiunt: Et breuiter,rapinis,latrocinijs,cædibus ac incendijs confundunt uniuerſa: Excæcante nimirum eos iuſto iudicioDei, & in inſaniam tam manifeſte erumpere permittente,ut neminem iam latere poſſunt ſceleſtiſſimæ machinationes iſtius.

Atq, ut hi ,qui peſtifera contagione ipſius Infectos ſeſe nunc tandem cognouerunt, ſchiſmatico errore depoſito,ac heretico furore deſerto,unitatis ac veritatis domicilium fidei,ſanitate repetunt.

Inter quos dilecte nobis in Chriſto Ieſu,cum & te non ex poſtremis reuerſurum ad ſalutatem noſtrum ſinum ſperaſſemus: Quem reuertentem libenter & obuijs excepiſſemus manibus,bona ſpe tandem noſtra fruſtrati, videmus ſuper petram induruiſſe te faciem tuam: vidimus perniciem illam animarum Lutherum ſub tuo patrocinio latitantem,ſuum adhuc virus longe lateque ſpargere,

Sed quoniam adhuc potens Dominus Deus etiam de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ,antequam egrediatur ut ignis indignatio eius & ſuccendatur, nec ſit,qui extinguat: Te fili dilecte in Chriſto obſecramus per viſcera noſtri redemptoris Domini noſtri Ieſu Chriſti, per Chriſtianam unitatem,per patriæ charitatem, per tuam deniq; ipſius tuorumq; ſalutem miſerere Eccleſiæ Chriſti, & tot iam malorum procellis undique exagitatæ, ac pene oppreſſæ tua maxime culpa, aliquando fer opem: miſerere patriæ noſtræ, quæ ſyncere olim fidei eximiam religionem ſancte ſub iugo Domini, ac religioſæ obedientiæ Inſigni præcellens gloria,perniciem iſtam religionis Chriſtianæ,fidei ac pietatis publicum hoſtem Martinum, in ſuis ſe peperiſſe viſceribus,minime erubeſcit.

Miſerere denique tui ipſius,tuorum miſerere ſeductorum Saxonum, quos niſi reſipiſcatis, & quidem cito, manet præſens & certa ultio diuina, quam neque in hoc ſeculo effugietis, neque In futuro. Hæc dicit Dominus Deus,audi popule ſtulte,audi princeps,qui non habes cor: qui habetis oculos & non videtis,aures & non auditis,me ergo non timebitis,& à facie mea non dolebitis,nunquid non vidiſtis, quæ fecerim in diebus antiquis? legite Scripturas,in quibus putatis vos vitam æternam habere,& inuenietis,quam grauis ſemper fuerit, & quam terribilis diuina vindicta in illos,qui in populo Dei ſchiſmata concitauerunt.

Nunquid non vidiſtis horribilem diuinam ultionem aduerſus Dathan & Abiron, quod multitudinem aduerſus Moyſen concitauiſſent, quos dehiſcens ſub pedibus terra, & aperiens os ſuum deglutiuit, & omnia, quæ ad eos pertinuerunt,ita ut deſcenderent viuentes in infernum? Et aduerſus Chore, quem eandem ob cauſam cum ducentis & quinquaginta viris cœleſtis flamma deuorauit.

Quod ſi ob durius imperium fortaſſis,aut quorundam paſtorum ſeu ignauiam,ſeu malitiam,ſchiſmata excitanda putatis, Nunquid non ex libro Regnorum audiſtis adeo indignatum fuiſſe Dominum aduerſus decem tribus filiorum Iſrael, & In omne ſemen eorum, ut dimoueret eos,& traderet in direptionem,donec proijceret eos à facie ſua? Ob quam tandem culpam, niſi quod ob durius imperium Salomonis & imprudentius arrogantiusq; reſponſum Roboam Regis Ieruſalem ſciſſæ fuerunt à tribu Iuda & Bengamin, quam præſens ſemper fuerit Dominus vindex ſacerdotibus ſuis.

An non Saul ab regio abiectus honore: & Oſias rex Iuda percuſſus lepra, propterea quod, quæ ſacerdotum erant, contra ſacerdotes Domini ſunt auſi uſurpare,ſufficienti vobis potuerunt eſſe argumento? Et breuiter,

An non omnes teſtantur hiſtoriæ vniuerſos vltriceDomini manu infelici periiſſe exitu,qui in Chriſto Domini ſacrilegas manus inijcere non formidauerunt.Contra autem felicia omnia,& longam illis contigiſſe vitam, qui Chriſtum in ſacerdotibus ſuis ſunt venerati.

Moueant ergo vos exempla aliorum,& cogitate quid vobis ſit expectandum,qui venerabilem Dei chorum, in manus tentatis tradere prophanas: Proinde quod Dominus per Moyſen præcepit vniuerſo populo Iſrael, vt ſepararentur à tabernaculis Chore, Dathan & Abiron, ne tangeret quicquam,quod ad eos pertineret,ne inuoluerentur in peccatis eorum:hoc & vobis,præcipue autem tibi dilecte fili ejuſdem Domini noſtri auctoritate præcipimus & obſecramus in Chriſto Ieſu,vt ſeparemini à Martino Luthero, auferatis à vobis petram illam ſcandali,neque tangatis,quod illius eſt,ne & vos diuina vltio inuoluat ſubito in peccatis illius. *Num. 16.*

Expurgate quamprimum fermentum illud,quod reliquam fidei veſtræ maſſam corrupit,vt ſitis noua conſperſio,nouaque creatura. Non dedigneris fili dilectiſſime Paulum imitari,quem ſicut vidiſti,in Eccleſia Dei perſecutionem tam grauem animarum perniciem ſub tuo nutriens patrocinio, Ita reuerſus ad cor,effice vt omnes intelligant tuam conuerſionem: vtque qui per te ſunt ſcandaliſati,in te rurſus glorificent Deum.

Maxime autem hoc præſta quamprimum,vt impurum os illud obſtruant,vt capuletur blaſphema lingua, qua contra Deum ac ſanctos eius loqui non ceſſat,& virus ſuũ vndique ſpargere: Et vt propheticis vos verbis admoneamus,ſtate ſuper vias, & videte ac interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona,& ambulate in ea,& inuenietis refrigerium animabus veſtris. State inquam,& doctrinis varijs & peregrinis nolite abduci.

Interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona per quam ambulauerunt patres veſtri, quam demonſtrauerunt tot myriades martyrum, docuerunt tot millia confeſſorum: & ambulate in ea.

Quod ſi à vobis impetrauerimus,ſicut & ſyncere ſperamus, erit quod gaudeamus cum angelis de peccatore pœnitentiam agente, & perditam & rurſus inuentam ouem humeris noſtris ad ouile Domini gaudentes reportabimus,paternaque pietate, quantum in nobis fuerit, ſtolam vobis priſtinam reſtituemus.

Quod ſi dixeritis,non ambulabimus, & paterne ſalubriterque vos monenti reſpondebitis,non audiemus: Ideo audite gentes, dicit Dominus, & cognoſcite congregatum,quanta ego faciam eis,Ecce ego adducam mala ſuper populum iſtum fructum cogitationum eius, quia verba mea non audierunt, & legem meam proiecerunt.Sed & hoc tibi denunciamus in virtute omnipotentis Dei,& Domini noſtri Ieſu Chriſti,cuius in terris vicarius ſumus, nec in præſenti te ſeculo hoc laturum impune,& in futuro æterni te ignis expectare incendia; Viuunt vna pontifex Adrianus,& religioſiſſimus Imperator Carolus eius chariſſimus in Chriſto filius & alumnus, Cuius tu edictum vere Chriſtianum aduerſus Lutheranam perfidiam,& quod talem decebat Imperatorem,non ſine graui offenſa ac vilipenſione Cæſareæ Maieſtatis violare non timuiſti.Non committemus,vt quos olim cum magno Carolo Adrianus Pontifex in Chriſto genuerunt,nunc Adrianus Pontifex & imperator Carolus ſub ſchiſmaticis ac hæretico tyranno,hæreſium ac ſchiſmatum ſinamus interire contagione.Quare reuertamini ad cor, reſipiſcite, tu, tuiq; miſere ſeducti Saxones,niſi vtrumq; gladium Apoſtolicum ſimul & Cæſareum olim velitis experiri.

DE INSTITVENDIS MINISTRIS ECCLESIAE: AD CLA- riſsimum Senatum Pragenſem Boemiæ, Martinus Lutherus.

CLARISSIMO SENATVI POPV- LOQVE PRAGENSI MARTINVS LVTHE- rus, Eccleſiaſtes VVittembergenſis, Gratiam & pa- cem à Deo Patre noſtro, & Domino Ieſu Chriſto.

DE ratione vocandi inſtituendiq́ue Paſtoris Eccleſiaſtici, ſæpenumero multorumq́; literis rogatus ſum, vt ad vos ſcriberem, clariſsimi viri, Tandem ipſa charitatis lege vrgente negare non potui. Et quamuis ſciam, id ſupra vires meas eſſe, habeamq́; domi plus officij, quam vt vnus par eſſe poſsim: Tamen quando ſic res veſtra poſcit & neceſsitas cogit, nihil non audet charitas, certa, quod omnia poſsit, modo ille operetur, qui eam confortat.

Quod igitur habeo, hoc vobis do, Sed ſic, vt liberrimum veſtrum ſit, & omnium iudicium. Quando enim meum miniſterium latius ire me non ſinit, quam quo aliena me vocat autoritas, nequaquam eſſe poſſum autor quidquam tentandi, niſi per conſilium & exhortationem.

Dominus autem, qui in vobis cœpit, & hæc poſtulare & affectare dedit, ipſe compleat & perficiat ſtudium & votum veſtrum, opere pleniſsimo & copioſiſsimo, in laudem gratiæ & Euangelij ſui, Cui ſit gloria in omnia ſecula ſeculorum.

PROTESTATIO.

IN primis libere confiteor, Si qui ſunt, qui ex me ſperant ritum ac morem hactenus ſeruatum in radendis & vngendis ſacerdotibus tradendum aut emendandum eſſe, nihil ad eos pertinere, quæ hoc Libello dicturus ſum, Sinam illos ſua frui religione vel ſuperſtitione, vtcunque vulgata, & ex antiquis accepta & iactata. Nos puram & germanam diuinis literis præſcriptam rationem quærimus, parum ſoliciti, quid vſus, quid Patres in hac re vel dederint vel fecerint, cum iam olim ſatis docuerimus, nos debere, oportere & velle traditionibus humanis, quãtumlibet ſanctis ac celebribus, non modo non ſeruire, ſed plane pro noſtro arbitrio & libertate Chriſtiana dominari, Sicut ſcriptum eſt: Omnia veſtra, ſiue Petrus, ſiue Paulus, Vos autem Chriſti.

DE HOR-

DE INSTITVENDIS

DEHORTATIO A SVSCIPIEN-dis ordinibus Papiſticis.

PRiuſquam vero ad noſtram inſtitutionem, hoc eſt, Chriſtianam veniamus, dignum & iuſtum eſt, videre ordinationes (vt vocant) papales, & execramentum ordinis eorum in publicum ducere, vt inueniatur iniquitas eius ad odium, & facilius perſuadeantur ab illis abſtinere, ſi qui tenacius adhuc hærent. Et vt à leuioribus incipiamus, Cauſas primum moueamus, quibus vos Boemi proprie & præ cæteris Populis grauamini.

Boemorum clerici Romæ ordinati.

POſteaquam præualente Satana, Boemiæ regnum Epiſcopis & ſacerdotibus, quos vocant, ſublatis, vaſtum ac ſolitarium relictum eſt, autoritate Pontificum Romanorum, miſera ac dura neceſſitate adacti fuiſtis quotannis in Italiam mittere Clericos veſtros pro Ordinibus Papiſticis emendis, quod vicini Epiſcopi prorſus non dignarentur eos ordinare, cum pro obſtinatis hæreticis vos haberent.

Ea vero neceſſitas quanta ſuper vos incommoda & pericula ſecum traxit? Omitto enim, quid pati cogantur in corpore & facultate, dum tanti itineris labore & ſumptu, inter peregrinos, imo hoſtes, fatigantur, quot morbis imo & moribus, peſſimi & conſcientia perditi redeunt, vt vobis præſint?

Illud magis miſerum eſt, quod fœdis & inhoneſtis conditionibus à veſtro Tyranno & ſuis carnificibus ſeu Pontificibus, violenta conſcientia, Ordines illos coguntur emere, vt prorſus nullus queat vnquam bona conſcientia gloriari, ſeſe per oſtium in veſtrum ouile intraſſe. Duriſſimum autem eſt, ſemper & ſolum tales tolerare Paſtores, aliunde intrantes quam per oſtium.

Boemorum ſacerdotes quales ſub Papatu &c.

FActa eſt tandem hac ratione copia crudeliſsima quibuslibet nebulonibus, apoſtatis, & quos alioqui nulla pars terrarum ferre potuit, ad veſtrum miniſterium perueniendi, ita, vt in fabulam abierit hæc miſera veſtra neceſſitas, videlicet quod Boemis dignus ſit ſacerdos, qui apud Teutonas laqueos & coruos meruit. Sic Boemiam repleri oportuit inſigniter ſceleratis ſimul & indoctis Paſtoribus, vel Lupis potius rapacibus. Quid interim ad ſanctam Sedem Romanam; quibus modis perirent Boemi? Opus ſeſe digniſſimum fecit, dum pecunijs acceptis, libertatem ac licentiam talibus peſtibus & beſtijs in veſtras animas graſſandi vendidit, Quamuis enim & has peſtes vobis inuideat, tamen vicit amor nummi, vt miſericors fieret, & hæreticis, ſuiſque inimicis, Ordines ſuos venderet.

Hinc manat chaos illud & Babylonia confuſiſſima in clariſſimo Regno veſtro, dum partim neceſſitate habendi miniſtri, partim impotentia corrigendi, fit, vt quiſq; doceat quod voluerit, aliud in alio loco prædicet, nonnulli ficto ſacerdotis titulo populos ludificentur, alij Parochias emant, alij vi intrudantur, ſucceſſor contraria anteceſſori ſtatuat. Et dum nullus eſt modus & ratio iuſti miniſterij, videre eſt nobilem Boemiam, velut Babylonem illam, quam Eſaias deſcribit, in qua piloſi ſaltant, & vlulæ, & ſtriges, & lamiæ, reſpondent. Quid mirũ igitur, ſi ſub iſta confuſione populus Boemiæ nihil niſi ſectæ fiant, nuſquam certa ratio ſit credendi & viuendi, vt tantum perditionis illa miniſteria eſſe videantur. *Iſai.13.*

Hæc

HAec certe,vt ſunt atrociſsima & crudeliſsima,iuſtiſsime per- mouere debent,vt vnanimi conſenſu tota Boemia his monſtris claudatur. Ac plane ſi tanta eſſet vel infelicitas vel neceſſitas, vt nulla alia via poſſint miniſtri haberi quam iſta,fidenter conſuluerim,vt prorſus nullos haberetis miniſtros. Tutius enim & ſalubrius eſſet, quemlibet Patremfamilias ſuæ domui legere Euangelium,& baptiſare(quando id Laicis permittit etiam totius orbis conſenſus & vſus) eos qui ſibi naſcerentur, ac ſic iuxta Doctrinam Chriſti ſe & ſuos regere,etiamſi tota vita vel non audeant vel non poſſint Euchariſtiam ſumere.Euchariſtia enim non ſub periculum ſalutis neceſſaria,ſufficit autem Euangelium & baptiſmus,cum ſola fides iuſtificet, & ſola charitas bene viuat. *Conſilium Luther.*

Certe ſi hoc modo duæ, tres,decem domus, vel tota ciuitas, vel multæ ciuitates ſibi conſentirent,& fidem ac charitatem per Euangelium domeſticum exercerent,etiamſi in æternum nullus accederet ordinatus,raſus aut vnctus,vel quouis modo impoſitus,miniſter, qui Euchariſtiã aut alia miniſtret, Chriſtus abſque dubio in medio eorum eſſet,& eos pro Eccleſia ſua agnoſceret, non modo non damnaturus,ſed plane coronaturus hanc piam & Chriſtianam abſtinentiam ab omnibus Sacramentis alijs, per impios & ſacrilegos
...e. 19. miniſtrandis. Ipſe enim dixit,ſolum vnum eſſe neceſſarium, nempe verbum *Homo viuit verbo*
...ub 4. Dei,in quo viuit homo. Quod ſi verbo viuit & verbum habet,cæteris omnibus carere poteſt,vt caueantur impiorum dogmata & miniſteria. Et quid prodeſt,cæteris omnibus frui,& verbum,quo viuitur,non habere? At hoc agunt empti & intruſi illi Papiſtici ordines,vt verbum non ſit in Boemia, tantum vero ſacramenta ſint,hoc eſt,neceſſarijs vos ſpolient, & non neceſſarijs vobis dominentur. *Dei.*

Contra, poteſt Paterfamilias neceſſaria ſuis prouidere per verbum, & non neceſſariis,interim dum in captiuitate eſt,pia humilitate carere. Hic enim faciendum eſt more & lege Iudæorum captiuorum, qui cum in Ieruſalẽ eſſe & offerre non poſſent,ſola fide tamen verbo Dei ſeruata, inter hoſtes viuebant,& ad Ieruſalem ſuſpirabant,Ita & meus Paterfamilias,ſub iſta tyrannide Papæ rectiſſime & tutiſſime faceret, ſi Euchariſtiam ſuſpiraret, quam ſumere vel non auderet vel non poſſet,interim fide per verbum Dei,domui ſuæ ſtrenue & fideliter tradita,donec Deus ex alto miſertus,aut captiuitatem diſſolueret,aut idoneum verbi miniſtrum donaret.Sic,inquam,melius eſt, nullum habere quam ſacrilegum,impium & ſceleratum miniſtrum,qui non venit,niſi vt mactet & perdat,ſicut fur & latro. *Captiuis ſub tyrannide Papæ quid faciendum.*
...n. 10.

NVnc autem Deo laus & gratia, ea infelicitas aut neceſsitas nulla eſt, niſi forte infirmis & ſcrupuloſis.Cæterum iis, qui credunt & agnoſcunt veritatem,liberrima facultas & copia eſt omnes impios miniſtros profligendi,& non niſi idoneos & pios vocandi & inſtituendi, quoties placuerit. Nam hoc inuentum pulchre papiſticum eſt, quod ſolus Homo ille peccati debuit excogitare,vt ſacerdotes ſuos charactere indelibili, perpetuos ac nulla prorſus culpa loco mouendos redderet, ſcilicet, vt tyrannidem ſuam ſtabiliret,& impunitatem peccandi libidinem firmaret, dum aſciſcere non liceret meliores,& ſceleratos iſtos ferre cogeremur. Verum de iſta facultate paulo poſt dicemus. *Figmentum papiſticum de charactere indelibili.*

Nunc,poſtquam vos Boemos proprijs malis monitos fecimus, vt papiſticis ordinibus valedicatis,addam & vnam generalem cauſam, qua ſuſcitemus & vobis & toti orbi nauſeam & apoſtaſiam,ab execratis illis & abominandis ordinibus.

Donabo

Digitized by Google

Miniſtri Eccleſiarum conſenſu & ſuffragio populi eligendi.

DOnabo interim hoc ordinibus papiſticis, quod ſolius Epiſcopi autoritate vnguntur & inſtituuntur, quos vocant, ſacerdotes, conſenſu aut ſuffragio populi, cui præficiendi ſunt, neque requiſito nec obtento, cuius tamen, cum ſint populus Dei, maxime intererat, vt non ſine ſuffragijs ſuis quiſquam eis imponeretur, ſed quem ipſi noſſent & probaſſent idoneum, Epiſcopus confirmare debeat. At nunc in incertum ſere ordinantur, quicunq; ordinantur, vt nullus ferme ſciat, quorum ſit futurus ſacerdos. Deniq; maior pars ſolum ad beneficia (vt vocant) ordinatur, ſolas Miſſas ſacrificaturi, tantum abeſt, vt populus noſcat, quos ſibi Epiſcopus vngat. Donabo, inquam, hoc peſſimum monſtrum ordinibus papiſticis, vſque in ſuum tempus.

Ordinatio Papiſtica.

Hoc merito exhorrere debet, quiſquis Chriſtum amat, & quiduis potius pati quam ordinari ſeſe à Papiſtis, quod omnia in iſtis ordinibus ſumma & impiiſſima peruerſitate geruntur & aguntur, vt niſi cæcitate & amentia perculſi eſſent, viderentur de induſtria Deum in faciem irridere velle. Nam cum iſta ordinatio autoritate ſcripturarum, deinde exemplo & decretis Apoſtolorum in hoc ſit inſtituta, vt miniſtros verbi in populo inſtituat, Miniſterium publicum, inquam, verbi, quo diſpenſantur myſteria Dei, per ſacram ordinationem inſtitui debet, ceu res, quæ omnium in Eccleſiá & ſumma & maxima eſt, in qua tota vis Eccleſiaſtici ſtatus conſiſtit. Cum ſine verbo nihil conſtet in Eccleſia, & per ſolum verbum omnia conſtent. Papiſtæ autem mei de hoc miniſterio ne ſomniant quidem in ſuis ordinibus. Quid autem faciunt?

Per miniſterium verbi exhibentur nobis æterna bona.

Primum cæcitate perculſi omnes ſimul, ne norunt quidem, quid ſit verbum aut miniſterium verbi, præſertim Epiſcopi ipſi Ordinatores. Quo modo ergo fieri poſſet, vt miniſtros verbi ipſi inſtituerent ſuis ordinibus? Deinde loco miniſtrorum verbi ordinant ſacrificulos, qui Miſſas ſacrificent, & confeſſiones audiant. Hoc enim vult Epiſcopus, dum calicem dat in manum, & confert poteſtatem illam conſecrandi & ſacrificandi pro viuis & mortuis, nempe, poteſtatem illam, quam gloriantur neque Angelos, neque virginem matrem Dei habere, ipſi etiam lenonibus & latronibus impuriores. Item cum illis ſacroſancto myſterio ſpiritum in aures inflat, & Confeſſores facit, dicens: Accipe Spiritum ſanctum. Hæc eſt illa poteſtas conſecrandi & abſoluendi glorioſiſſima.

Impietas & cæcitas Epiſcoporum.

Sacerdotes à Papiſtis ordinati.

Dic rogo, me craſſum fingere aut mentiri, ſi inuenias vnum ordinatum iſtis ordinibus, qui audeat dicere, ſibi inter ordinandum eſſe mandatum, vt myſteria Chriſti diſpenſet, & Euangelium doceat, & Eccleſiam Dei regat, quam acquiſiuit ſanguine ſuo. Plane nullus hoc audit vnquam, nec ad ſe pertinere putat. Calicem vero accipit, & hoc totum eſſe putat, quod ordinatur, vt liceat Chriſtum in Miſſa conſecrare & ſacrificare, deinde confeſſiones audire. Quin hoc tantum quæritur, An titulum beneficij habeat, quo ventrem alat, vt alio prorſus non ſpectent, quam ad Miſſarum ſacrificium, his abſoluitur tota ordinatio. Qui hoc tulit, hic ordinatus eſt ab Eccleſia ſacerdos, hanc poteſtatem tum nulli alij habent, hoc ſcilicet teſtatur vnctio digitorum, & raſura verticis.

Titulus beneficij.

Vocatio ad miniſterium verbi in Papatu &c.

Cæterum, ad miniſterium verbi alia noua requiritur apud eos vocatio, nempe, vel Parochi vel Magiſtratus, tanquam incomparabiliter minor, quam illa ſacri ordinis & characteris collatio, vt quæ non paſtoribus aut Epiſcopis, ſummis illis verticibus, ſed plane infimis, viliſſimis, peſſimis & indoctiſſimis paſſim committi debeat, ceu res longe omnium viliſſima & facilima, Quia myſteria Dei diſpenſare & animas paſcere, officium eſt, prorſus ſine charactere indebili, nec eſt Sacramentum ordinis, At Chriſtum conſecrare & ſacrificare, hoc habet characterem, hoc eſt vere ſacramentum ordinis.

Poſt hæc rotat ira Dei has ridiculas laruas Epiſcoporum, vt non ſolum contemnant miniſterium verbi, & loco eius officium ſacrificandi ordinent, ſed & baptiſmum viuificum, quo viuentes homines & rationales animæ ſanctificantur in vitam æternam, à ſe relegent, tanquam officium mitris illis gemmatis, & pallis aureis, longe indigniſſimum & alieniſſimū. Verum hoc pulchre eos decet, vt loco animarum, baptiſent lapides, altaria, & campanas, mortuas illas & inanimatas res, tam capaces baptiſmatis, quam ipſi ſunt veritatis. Tanta furia hæc eſt & amentia, vt ſi extra ſerium ſpectes Epiſcopum talia ludentem, præ riſu fatiſcere pene oporteat. At ſi ſpiritu blaſphemias conſideres, indignatione rumpi queas.

Baptiſmus.

Si igitur vlli negandi ſunt eſſe ſacerdotes, maxime negandi ſunt illi, quos papiſtici ordines vnxerunt. Nam ex prædictis ſatis conſtat, eos hoc plane nullo modo agere, vt miniſtros verbi ordinent, ſed tantum ſacrifices Miſſarum, & auditores confitentium. Neq; enim aliud agere poſſunt, quam id quod ex animo intendunt agere, hoc eſt, non curant, vt docendi officium, ſed vt ſacrificandi & peccata audiendi poteſtatem conferant. Quare nec fieri poteſt, vt aliud obtineant. At cum certiſſimum ſit, Miſſam non eſſe ſacrificium, deinde Confeſſionem eam quam præceptam volunt, nullam eſſe, vtrunq; autem ſit humanum & ſacrilegum inuentum & mendacium, plane ſequitur, per ordines illos ſacros neminem fieri coram Deo, aut ſacerdotem aut miniſtrum, ſed meram laruam quandam mendacij & vanitatis, vt offerant vbi nullum eſt ſacrificium, & abſoluant vbi nullus debet accuſari, velut ille, qui in vacuo theatro ridebat & geſtiebat.

Vnctos à Papiſtis non eſſe ſacerdotes coram Deo.

Miſſa.
Confeſſio.

Hæc itaq; ſunt, quæ non ſolum vos Boemos, ſed plane omnia pia corda merito debent mouere, vt quiduis aliud patiantur, quam iſtis ſacrilegis ordinibus fœdari. Atq; ij, qui hactenus ordinati ſunt, doleant ſeſe ſic fuiſſe per mendacij laruas illuſos. Nam ſi vnquam conſecrarunt, aut officium Miniſtri eccleſiaſtici expleuerunt, id certe non virtute ſacri ordinis ſui, qui eſt merum mendacium & irriſio Dei, fecerunt, ſed virtute fidei & Spiritus Eccleſiæ, quæ eos in loco miniſterij huius tollerauit, & admittere coacta fuit. Sed nunc, cum res cognita manifeſtetur, amplius ludendus & irridendus Deus non eſt, ſed fugiendæ ſunt laruæ iſtæ mendaciorum, ceu teterrimæ peſtes animarum, & ignominia turpiſſima Eccleſiæ Dei.

Ordinatio Papiſtica eſt merum mendacium.

Qui autem per has laruas ad locum miniſterij venit, age miniſterium apprehendat, & deinceps pure ac digne adminiſtret, ſacrificandi officiū deſerat, docens verbum Dei, ac regens Eccleſiam, Cæterum vncturam & totam ordinationem, qua intrauit, ex animo damnet ac deteſtetur. Neque enim neceſſe eſt locum quoque miniſterij relinquere, licet impijs ac peruerſis modis aſcenderis, dum animus ipſe corrigatur, & modus ipſe damnetur.

Porro, ſi ficti illi ſacerdotes & laruales Epiſcopi ſuis ordinibus & ſacrificijs vel animi cauſa luderent, vel tale quid ſerio agerent, quod Euangelio non ex diametro pugnaret, & nobis ſaltem Chriſtum in regno ſuo ſaluum relinqueret, forte ſtulticia eorum mitius reprehenderetur, vel temeritas toleraretur. At nunc talis eſt illorum furor & abominabilis amentia, vt Chriſtum ſit neceſſe negari, ac prorſus aboleri, ſi ſua illis ſteterint ſacrificia & officia. Id quod alias abunde monſtraui, & nunc parum repetere non pigebit.

1. Corin. 11.

Chriſtus eſt ſummus ſacerdos.

SIc habet Euangelium & vniuerſa Scriptura, Chriſtum eſſe ſummum ſacerdotem, qui ſemel & vnica ſui ipſius oblatione, omnium *Ebræ. 9.* peccata exhauſit, & in ſempiternum conſummauit ſanctificatos, dum ſemel intrauit in ſancta per proprium ſanguinem, æterna redemptione inuenta, ita vt prorſus nulla alia hoſtia nobis ſit reliqua pro peccatis, præter hanc vnicam, in quam fide pura confiſi, ſine meritis & operibus noſtris, à peccatis ſalui ſumus. Cuius hoſtiæ & oblationis ſui memoriam perpetuam inſtituit, dum ad altare ſub Euchariſtia illam annuntiari, & fidem illam ali voluit. At quid hic papiſtici ordines faciunt in ſuis abominationibus?

Abuſus Miſſæ horribilis in Papatu.

Nempe, quaſi hoſtia illa vnica non ſit ſatis, aut quaſi non inuenerit ſemel æternam redemptionem, ipſi quotidie ſacrificant corpus & ſanguinem infinitis locis per orbem. Et hoc ſacrificio ſuo promittunt remiſſionem peccatorum, non æternam, ſed quotidie iterandam. Quæ abominatio ſuperat omnem ſenſum. Quid enim eſt hoc aliud facere, quam nomine ipſo quidem Chriſti oblationem iactare, ſed reuera ipſam penitus negare & abolere? Quomodo enim ſimul poſſum fide oblati ſemel Chriſti peccatorum æternam remiſſionem poſſidere, & ſimul quotidie iterato ſacrificio aliam & aliam remiſſionem quærere? Si enim credo, mihi per ſemel oblatum Chriſtum peccata in perpetuum remiſſa, non poſſum denuo quærere alio ſacrificio remiſſionem. Si autem quotidiano ſacrificio quæro remiſſionem, neceſſe eſt vt pereat fides, quæ per ſemel oblatum Chriſtum credit omnia peccata mea exhauſta eſſe in æternum.

VIdetis ergo hic, quam horribili peruerſitate iſti ſacrifices ſub nomine Chriſti, nobis Chriſtum ſuſtulerunt in totum, cum vniuerſo regno ſuo, & in locum eius ſuum proprium opus, ſuum ſacrificium, ſuum inuentum ſtatuerunt, ſicut Chriſtus prædixit, Abominationem ſtaturam in loco ſancto. Hic enim currit verbum Chriſti: Multi venient in nomine

Ego ſum Chriſtus etc.

meo, dicentes: Ego ſum Chriſtus. An non illi ſunt Chriſtus, dum ſuo ſacrificio quotidiano tot millibus locis iterato, id pollicentur, quod Chriſtus ſemel *Matth.* vnica hoſtia ſolus effecit? Nonne hoc eſt fidem à petra veritatis, quæ in Chriſto eſt, tollere, & ſuper arenam mendacij humani ædificare?

Videmus itaque, quales fiant per ordines papiſticos ſacerdotes, Non vtique ſacerdotes Dei, ſed ſacerdotes Satanæ, tantum, vt Chriſtum conculcent, eius ſacrificium aboleant, ſe vero ſub nomine eius vendítent, & in ſua ſacrificia fidere doceant. Itaque iam non eſt quæſtio, An liceat à papiſticis ordines ſacros petere & ſuſcipere? ſed definita ſententia eſt, nuſquam minus ordines ſacros conferri, aut ſacerdotes fieri, quam ſub Papæ regno. Species quidem ordinandi & ſacerdotes creandi hic magnifice paret, Sed Regem ſpecietum, nihil niſi ſpeciem præſtare decet, qua ſuas abominationes ſta- *1. Pet.* biliat. Quare hic fidei conſcientia nos vrget, vt ſub anathemate Dei caueamus ab illis ordinari, Et plane ſalutis noſtræ ratio cogit neceſſario, ab illorum execratis & damnatis ordinibus abſtinere. Væ enim illis, qui huic aduerſario Dei & Baal Peor ſeſe initiauerint, iam ſcientes & prudentes.

VErum hæc ratio præ cæteris Nationibus vos Boemos maxime mouere debet. Nam vobis non modo impium in conſpectu Dei, quemadmodũ cæteris, ſed & turpe coram hominibus eſt, ordines ab hoſte veſtro tum

Iohannes Huſ. Hieronymus Pragenſis.

petere, tum ſuſcipere, qui Iohannem Huſs & Hieronymum Pragenſem cum multis aliis peſſimo nomine exuſſit, qui ſemper vos extinctos voluit, qui vos hæretici nominis opprobrio ſine fine, ſine modo per orbem conſpur-

cat,

cat, cuius peſtilentibus conatibus vos tanto ſanguine reſtitiſtis. Nec dum tamen illum ſanguinarium tyrannum ſuorum flagitiorum pœnitet, nec reuocat ſanguinis innocenter damnati exemplum, nec reſtituit ſacrilegum nominis Chriſtiani ſpolium, nec quidquam dolet, tantum germani ſanguinis contra vos fruſtra, cum pernicie animarum, pro ſua ſacrilega tyrannide fuſũ eſſe. Quin pergit fronte & ceruice induratus, & adhuc mallet vos & nos ſemel perditos, ne ſcintilla eſſet reliqua, quæ pro Chriſto paululum micaret.

Tenet adhuc ſub ſua maledictione furili & irrita regem Georgium cum ſua familia Monſterbergenſi, clariſſimo Ducatu Boemiæ, quemadmodum & multos alios. Sed bene eſt, quod reuelatus eſt homo peccati, qui per Petrum prædictus eſt, quod Reges & Principes maledicturus eſſet ſine tremore. Habemus inſuper alium Pontificem, qui huic ſuæ maledictioni benedicit, ſicut ſcriptum eſt: Maledicent illi, tu vero benedices. Vt maledictio Papæ ſuper regem Georgium & ſuper Ducatum Monſterbergenſem & quicunque ſunt eandem paſſi, ea ſemper fuerit & ſit nunc quoq; de qua Salomon dicit Prouer. 26. Sicut auis in alto prætervolat, ſic maledictum abſq; cauſa prolatum, non veniet. Quin hoc eximiæ apud Deum gloriæ immortaliter manet regi Georgio ſuæq; familiæ, præ cæteris regibus & Principibus terrarum, quod à Sede maledica & Filio maledictionis maledictus eſt.

Rex Georgius Monſterbergenſis.

Prouerb. 26.

AB iſto ne ergo vos Boemi hoſte veſtro tam crudeli, tam cruento, tam maledico, tam implacabili, Deo & hominibus abominabili, ſine cauſa ordines ſacrilegos & execrabiles pergetis ſuſpicere, aut quidquam cum eo habere commercij? Nam dum hoc facitis, nonne reipſa conſentitis, & iuſtificatis veſtrum damnatorem? Nonne veſtra contra illum tam glorioſa facta damnatis, & vobis ipſis diſſentitis? Nonne Iohannis Huſs pium ſanguinem innocenter fuſum, iam impium facitis, & merito fuſum confitemini, dum illius manus oſculamini, qui illum fudit, dum illius pedibus aduoluimini, qui vos conculcat & perpetua infamia torquet? Quanto iuſtius feceritis, ſi tantum ab eo vos ſeparaueritis, vt nec odorem nominis ſui peſtiferum, quoad fieri poteſt, ſentiatis. Si Paulus ſcortatorem & ebrium mandat vitari, quanto magis hæc abominatio nouiſſima, omnium vaſtatrix indomita & inemendabilis, vitari debet omnibus, qui Chriſtum confitentur.

Iohannes Huſs.

Sinite itaq; viri optimi, hoc primum à vobis impetrari, imo extorqueat vel inuitis ipſa conſcientia & timor Dei, vt deinceps neq; petatis neq; ſuſcipiatis, etiamſi vltro offerret, ordines à Filio iſto perditionis, multo minus ſuſcipiatis, ſi quis ab illo ordinatus venerit, nomenq; & characterem huius beſtiæ attulerit. Nam niſi hoc primum impetratum fuerit, fruſtra ſudamus, fruſtra conſilium quærimus rebus veſtris iuuandis. Deinde & famoſa veſtra diſſenſio, imo felix diſceſſio à regno Satan, ſpecies tantum & fucus erit. Quale eſt enim, de iugo Papæ detractato iactari famam, & tamen alios non admitti conſcientiarum duces, quam abiurati eiuſdem tyranni carnifices & latrones? Nonne tanto ſanguine, tot periculis, tantaq; Chriſtiani nominis veſtri ignominia, & perpetua hæretici nominis, patientia, aliud nihil vos comparaſſe iudicabit orbis, quam vt titulotenus tyrannidem Papæ reieceritis, reuera autem tyrannidem eius ſuper vos duplicaueritis? Quanto felicius nos ſtulti Germani ſimplicem tyrannidem eius citra titulum detrectatæ obedientiæ ferimus, dum id patiamur, quod res eſt & nomen habet, ne & ipſi falſa gloria noſtram miſeriam ſolaremur, hoc eſt, ſingulari gaudio tyrannum ſaeuiſſimum, noſtri propria irriſione afficeremus?

rum ipſi dimitterent peccata,dimiſſa forent: quorum retinerent,forent & retenta. Qui non ſanguinem hircorum, aut vitulorum, ſed hoſtiam viuam, ſanctam,immaculatam,corpus & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti offerunt quotidie pro peccatis noſtris. Conficiunt verbo ſuo ac manibus tractant: Et breuiter ſacrata omnia, quibus hominibus vita ſaluſque tribuitur animarum,ſuis perficiunt orationibus.

Quanto inquam honore hos præcellere voluerit Dominus:Quis tandem dubitabit,quod nec idem ipſe tacuit in Euangelio,cum dicit ad eos: Qui vos audit,me audit: & qui vos ſpernit,me ſpernit: Qui autem me ſpernit,ſpernit & eum qui miſit me,Et quid conſequitur? Quod in eundem Chriſtum blaſphemum eſſe & maledicum,qui ſacerdoti Chriſti blaſphemat aut maledicit.

An non hoc eſt primum mandatum,in retributione: Honora patrem & matrem,vt ſis longæuus ſuper terram: Qui autem maledicit patri aut matri, morte moriatur.Nunquid ad carnales tantum parentes illud eſt referendum? Et num minus ad eos,qui nos in Chriſto regenerauerunt: per quos Chriſtiani ſumus: qui nobis peccata dimittunt: qui cœleſtibus nos paſcunt ſacramentis.

Quid ſi peccatores ſunt, & mali ſacerdotes? Quid ſi & parentes, Nunquid propterea eos non honorare, aut maledicere licebit? Nunquid non & Iudas erat inter eos,quos Dominus miſit ante faciem ſuam, & ad quos dicebat,Quicunque non receperit vos,neque audierit ſermones veſtros, exeuntes foras de domo aut ciuitate,excutite puluerem de pedibus veſtris. Amen dico vobis,tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorræorum in die iudicij, quam illi ciuitati.

An non præcepit ita Apoſtolis: Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis. Quod ſi malis & peccatoribus non ſit obediendum,quibus tandem? Quoniam ſi dixerimus,peccatum non habemus,ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.

Ouis es, noli diſcutere paſtorem: Nolite iudicem Dei conſtituere & Chriſti. An non ita præcepit Dominus in Euangelio,dicens:Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi,omnia,quæ dixerint vobis,facite: Si quæ autem fecerint male,facere nolite: manifeſte ſignificans habere eos dignitatem,tametſi vitę eſſent perditæ.

Nunquid idem Dominus,cum poſtea tempore paſſionis alapam accepiſſet à ſeruo ſacerdotis,dicente ſibi: Sic reſpondes pontifici,aduerſus Pontificem quicquam dixit contumelioſe,quin magis innocentiam ſuam aſſerens & oſtendens,Si male,inquit,locutus ſum,exprobra de malo: ſin bene, quid me cædis?

An non & Paulus,cum cæderetur in concilio,iuſſu Ananiæ, diceretque ad eum,Percutiet Deus te paries dealbate,& ſedes iudicare ſecundum legem, & contra iubes me percuti,Audiens ab aſtantibus, ſic aſſimulas ſacerdotem Dei maledicendo ipſum,tamen inane nomen & vmbram quandam ſacerdotis cogitans expauit:Neſciebam,inquit,fratres, quia princeps eſt ſacerdotum.Scriptum eſt enim,Principi populi tui non maledices.

Quo magis miramur,quod ex iſtis diabolicis operibus, veluti fructibus nequiſſimis arborem peſſimam nondum cognouiſtis. Et quis tandem eſt ita hebes animo,vt non videat, quo nunc erumpant furioſiſſimi conatus eius? cum vt quiſque eſt facinoroſiſſimus, deſperatiſſimus aut perditiſſimus latro aut homicida,ſub iſtius vexillis ac ſignis conueniunt?

Eccleſiam iam Chriſti parricidalibus armis, ac ſacrilegis manibus, non

clam,

clam,ſed publice oppugnantes:conſecrata Deo loca, templa & monaſteria exurunt & prophanant: Chriſto dicatas virgines,ſacerdotes Chriſti & monachos,crudeliſſime proſequuntur, Eccleſiarum bona diripiunt: Et breuiter,rapinis,latrocinijs,cædibus ac incendijs confundunt uniuerſa: Excæcante nimirum eos iuſto iudicio Dei, & in inſaniam tam manifeſte erumpere permittente,ut neminem iam latere poſſunt ſceleſtiſſimæ machinationes iſtius.

Atq, ut hi ,qui peſtifera contagione ipſius infectos ſeſe nunc tandem cognouerunt, ſchiſmatico errore depoſito,ac heretico ſurore deſerto,unitatis ac veritatis domicilium fidei,ſanitate repetunt.

Inter quos dilecte nobis in Chriſto Ieſu,cum & te non ex poſtremis reuerſurum ad ſalutarem noſtrum ſinum ſperaſſemus: Quem reuertentem libenter & obuijs excepiſſemus manibus,bona ſpe tandem noſtra fruſtrati, videmus ſuper petram induruiſſe te faciem tuam: vidimus perniciem illam animarum Lutherum ſub tuo patrocinio latitantem,ſuum adhuc virus longe lateque ſpargere.

Sed quoniam adhuc potens Dominus Deus etiam de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ,antequam egrediatur ut ignis indignatio eius & ſuccendatur, nec ſit,qui extinguat: Te fili dilecte in Chriſto obſecramus per viſcera noſtri redemptoris Domini noſtri Ieſu Chriſti, per Chriſtianam unitatem,per patriæ charitatem, per tuam deniq; ipſius tuorumq; ſalutem miſerere Eccleſiæ Chriſti, & tot iam malorum procellis undique exagitatæ, ac pene oppreſſæ tua maxime culpa, aliquando fer opem: miſerere patriæ noſtræ, quæ ſyncere olim fidei eximiam religionem ſancte ſub iugo Domini, ac religioſæ obedientiæ inſigni præcellens gloria,perniciem iſtam religionis Chriſtianæ,fidei ac pietatis publicum hoſtem Martinum, in ſuis ſe peperiſſe viſceribus,minime erubeſcit.

Miſerere deniquetui ipſius,tuorum miſerere ſeductorum Saxonum, quos niſi reſipiſcatis, & quidem cito, manet præſens & certa ultio diuina, quam neque in hoc ſeculo effugietis, neque in futuro. Hæc dicit Dominus Deus,audi populeſtulte,audi princeps,qui non habes cor: qui habetis oculos & non videtis,aures & non auditis,me ergo non timebitis,& à facie mea non dolebitis,nunquid non vidiſtis, quæ fecerim in diebus antiquis? legite Scripturas,in quibus putatis vos vitam æternam habere,& inuenietis,quam grauis ſemper fuerit, & quam terribilis diuina vindicta in illos,qui in populo Dei ſchiſmata concitauerunt.

Nunquid non vidiſtis horribilem diuinam ultionem aduerſus Dathan & Abiron, quod multitudinem aduerſus Moyſen concitauiſſent, quos dehiſcens ſub pedibus terra, & aperiens os ſuum deglutiuit, & omnia, quæ ad eos pertinuerunt,ita ut deſcenderent viuentes in infernum? Et aduerſus Chore, quem eandem ob cauſam cum ducentis & quinquaginta viris cœleſtis flamma deuorauit.

Quod ſi ob durius imperium fortaſſis,aut quorundam paſtorum ſeu ignauiam,ſeu malitiam,ſchiſmata excitanda putatis, Nunquid non ex libro Regnorum audiſtis adeo indignatum fuiſſe Dominum aduerſus decem tribus filiorum Iſrael, & in omne ſemen eorum, ut dimoueret eos,& traderet in direptionem,donec proijceret eos à facie ſua? Ob quam tandem culpam, niſi quod ob durius imperium Salomonis & imprudentius arrogantiusq; reſponſum Roboam Regis Ieruſalem ſciſſæ fuerunt à tribu Iuda & Bengamin, quam præſens ſemper fuerit Dominus vindex ſacerdotibus ſuis.

An non Saul ab regio abiectus honore, & Oſias rex Iuda percuſſus lepra, propterea quod, quæ ſacerdotum erant, contra ſacerdotes Domini ſunt auſi uſurpare,ſufficienti vobis potuerunt eſſe argumento? Et breuiter,

An non omnes teſtantur hiſtoriæ vniuerſos vltrice Domini manu infelici perijſſe exitu, qui in Chriſto Domini ſacrilegas manus inijcere non formidauerunt. Contra autem felicia omnia, & longam illis contigiſſe vitam, qui Chriſtum in ſacerdotibus ſuis ſunt venerati.

Moueant ergo vos exempla aliorum, & cogitate quid vobis ſit expectandum, qui venerabilem Dei chorum, in manus tentatis tradere prophanas: Proinde quod Dominus per Moyſen præcepit vniuerſo populo Iſrael, vt ſepararentur à tabernaculis Chore, Dathan & Abiron, ne tangeret quiquam, quod ad eos pertineret, ne inuoluerentur in peccatis eorum: hoc & vobis, præcipue autem tibi dilecte fili eiuſdem Domini noſtri auctoritate præcipimus & obſecramus in Chriſto Ieſu, vt ſeparemini à Martino Luthero, auferatis à vobis petram illam ſcandali, neque tangatis, quod illius eſt, ne & vos diuina vltio inuoluat ſubito in peccatis illius. *Num. 16.*

Expurgate quamprimum fermentum illud, quod reliquam fidei veſtræ maſſam corrupit, vt ſitis noua conſperſio, nouaque creatura. Non dedigneris fili dilectiſſime Paulum imitari, quem ſicut viciſti, in Eccleſia Dei perſecutionem tam grauem animarum perniciem ſub tuo nutriens patrocinio, Ita reuerſus ad cor, effice vt omnes intelligant tuam conuerſionem: vtque qui per te ſunt ſcandaliſati, in te rurſus glorificent Deum.

Maxime autem hoc præſta quamprimum, vt impurum os illud obſtruant, vt capuletur blaſphema lingua, qua contra Deum ac ſanctos eius loqui non ceſſat, & virus ſuū vndique ſpargere: Et vt propheticis vos verbis admoneamus, ſtate ſuper vias, & videte ac interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in ea, & inuenietis refrigerium animabus veſtris. State inquam, & doctrinis varijs & peregrinis nolite abduci.

Interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona per quam ambulauerunt patres veſtri, quam demonſtrauerunt tot myriades martyrum, docuerunt tot millia confeſſorum: & ambulate in ea.

Quod ſi à vobis impetrauerimus, ſicut & ſyncere ſperamus, erit quod gaudeamus cum angelis de peccatore pœnitentiam agente, & perditam & rurſus inuentam ouem humeris noſtris ad ouile Domini gaudentes reportabimus, paternaque pietate, quantum in nobis fuerit, ſtolam vobis priſtinam reſtituemus.

Quod ſi dixeritis, non ambulabimus, & paterne ſalubriterque vos monenti reſpondebitis, non audiemus: Ideo audite gentes, dicit Dominus, & cognoſcite congregatum, quanta ego faciam eis, Ecce ego adducam mala ſuper populum iſtum fructum cogitationum eius, quia verba mea non audierunt, & legem meam proiecerunt. Sed & hoc tibi denunciamus in virtute omnipotentis Dei, & Domini noſtri Ieſu Chriſti, cuius in terris vicarius ſumus, nec in præſenti te ſeculo hoc laturum impune, & in futuro æterni te ignis expectare incendia: Viuunt vna pontifex Adrianus, & religioſiſſimus Imperator Carolus eius chariſſimus in Chriſto filius & alumnus, Cuius tu edictum vere Chriſtianum aduerſus Lutheranam perfidiam, & quod talem decebat Imperatorem, non ſine graui offenſa ac vilipenſione Cæſareæ Maieſtatis violare non timuiſti. Non committemus, vt quos olim cum magno Carolo Adrianus Pontifex in Chriſto genuerunt, nunc Adrianus Pontifex & imperator Carolus ſub ſchiſmaticis ac hæretico tyranno, hæreſium ac ſchiſmatum ſinamus interire contagione. Quare reuertamini ad cor, reſipiſcite, tu, ruiq; miſere ſeducti Saxones, niſi vtrumq; gladium Apoſtolicum ſimul & Cæſareum olim veltis experiri.

DE IN-

DE INSTITVENDIS MINISTRIS ECCLESIAE: AD CLArisſimum Senatum Pragenſem Boemiæ, Martinus Lutherus.

CLARISSIMO SENATVI POPVLOQVE PRAGENSI MARTINVS LVTHErus, Eccleſiaſtes VVittembergenſis, Gratiam & pacem à Deo Patre noſtro, & Domino Ieſu Chriſto.

DE ratione vocandi inſtituendiq́ue Paſtoris Eccleſiaſtici, ſæpenumero multorumq́; literis rogatus ſum, vt ad vos ſcriberem, clariſsimi viri, Tandem ipſa charitatis lege vrgente negare non potui. Et quamuis ſciam, id ſupra vires meas eſſe, habeamq́; domi plus officij, quam vt vnus par eſſe poſsim: Tamen quando ſic res veſtra poſcit & neceſsitas cogit, nihil non audet charitas, certa, quod omnia poſsit, modo ille operetur, qui eam confortat.

Quod igitur habeo, hoc vobis do, Sed ſic, vt liberrimum veſtrum ſit, & omnium iudicium. Quando enim meum miniſterium latius ire me non ſinit, quam quo aliena me vocat autoritas, nequaquam eſſe poſſum autor quidquam tentandi, niſi per conſilium & exhortationem.

Dominus autem, qui in vobis cœpit, & hæc poſtulare & affectare dedit, ipſe compleat & perficiat ſtudium & votum veſtrum, opere pleniſsimo & copioſiſsimo, in laudem gratiæ & Euangelij ſui, Cui ſit gloria in omnia ſecula ſeculorum.

PROTESTATIO.

IN primis libere confiteor, Si qui ſunt, qui ex me ſperant ritum ac morem hactenus ſeruatum in radendis & vngendis ſacerdotibus tradendum aut emendandum eſſe, nihil ad eos pertinere, quæ hoc Libello dicturus ſum, Sinam illos ſua frui religione vel ſuperſtitione, vtcunque vulgata, & ex antiquis acceptâ & iactata. Nos puram & germanam diuinis literis præſcriptam rationem quærimus, parum ſoliciti, quid vſus, quid Patres in hac re vel dederint vel fecerint, cum iam olim ſatis docuerimus, nos debere, oportere & velle traditionibus humanis, quãtumlibet ſanctis ac celebribus, non modo non ſeruire, ſed plane pro noſtro arbitrio & libertate Chriſtiana dominari, Sicut ſcriptum eſt: Omnia veſtra, ſiue Petrus, ſiue Paulus, Vos autem Chriſti.

DEHORTATIO A SVSCIPIENDIS ORDINIBUS PAPIſTICIS.

PRiuſquam vero ad noſtram inſtitutionem, hoc eſt, Chriſtianam veniamus, dignum & iuſtum eſt, videre ordinationes (vt vocant) papales, & execramentum ordinis eorum in publicum ducere, vt inueniatur iniquitas eius ad odium, & facilius perſuadeantur ab illis abſtinere, ſi qui tenacius adhuc hærent. Et vt à leuioribus incipiamus, Cauſas primum moueamus, quibus vos Boemi proprie & præ cæteris Populis grauamini.

Boemorum clerici Romæ ordinati.

POſteaquam præualente Satana, Boemiæ regnum Epiſcopis & ſacerdotibus, quos vocant, ſublatis, vaſtum ac ſolitarium relictum eſt, autoritate Pontificum Romanorum, miſera ac dura neceſſitate adacti fuiſtis quotannis in Italiam mittere Clericos veſtros pro Ordinibus Papiſticis emendis, quod vicini Epiſcopi prorſus non dignarentur eos ordinare, cum pro obſtinatis hæreticis vos haberent.

Ea vero neceſſitas quanta ſuper vos incommoda & pericula ſecum traxit? Omitto enim, quid pati cogantur in corpore & facultate, dum tanti itineris labore & ſumptu, inter peregrinos, imo hoſtes, fatigantur, quot morbis imo & moribus, peſſimi & conſcientia perditi redeunt, vt vobis præſint?

Illud magis miſerum eſt, quod fœdis & inhoneſtis conditionibus à veſtro Tyranno & ſuis carnificibus ſeu Pontificibus, violenta conſcientia, Ordines illos coguntur emere, vt prorſus nullus queat vnquam bona conſcientia gloriari, ſeſe per oſtium in veſtrum ouile intraſſe. Duriſſimum autem eſt, ſemper & ſolum tales tolerare Paſtores, aliunde intrantes quam per oſtium.

Boemorum ſacerdotes quales ſub Papatu &c.

FActa eſt tandem hac ratione copia crudeliſsima quibuslibet nebulonibus, apoſtatis, & quos alioqui nulla pars terrarum ferre potuit, ad veſtrum miniſterium perueniendi, ita, vt in fabulam abierit hæc miſera veſtra neceſſitas, videlicet quod Boemis dignus ſit ſacerdos, qui apud Teutonas laqueos & coruos meruit. Sic Boemiam repleri oportuit inſigniter ſceleratis ſimul & indoctis Paſtoribus, vel Lupis potius rapacibus. Quid interim ad ſanctam Sedem Romanam, quibus modis pereant Boemi? Opus ſeſe digniſſimum fecit, dum pecunijs acceptis, libertatem ac licentiam talibus peſtibus & beſtijs in veſtras animas graſſandi vendidit, Quamuis enim & has peſtes vobis inuideat, tamen vicit amor nummi, vt miſericors fieret, & hæreticis, ſuiſque inimicis, Ordines ſuos venderet.

Hinc manat chaos illud & Babylonia confuſiſſima in clariſſimo Regno veſtro, dum partim neceſſitate habendi miniſtri, partim impotentia corrigendi, fit, vt quiſq; doceat quod voluerit, aliud in alio loco prædicet, nonnulli ficto ſacerdotis titulo populos ludificentur, alij Parochias emant, alij vi intrudantur, ſucceſſor contraria anteceſſori ſtatuat. Et dum nullus eſt modus & ratio iuſti miniſterij, videre eſt nobilem Boemiam, velut Babylonem illam, quam Eſaias deſcribit, in qua piloſi ſaltant, & vlulæ, & ſtriges, & lamiæ, reſpondent. Quid mirũ igitur, ſi ſub iſta confuſione populus Boemiæ nihil niſi ſectæ fiant, nuſquam certa ratio ſit credendi & viuendi, vt tantum perditionis illa miniſteria eſſe videantur. *Iſai.13.*

Hæc

Conſilium Lutheri.

HAec certe, vt ſunt atrociſsima & crudeliſsima, iuſtiſsime permouere debent, vt vnanimi conſenſu tota Boemia his monſtris claudatur. Ac plane ſi tanta eſſet vel infelicitas vel neceſſitas, vt nulla alia via poſſint miniſtri haberi quam iſta, fidenter conſuluerim, vt prorſus nullos haberetis miniſtros. Tutius enim & ſalubrius eſſet, quemlibet Patremfamilias ſuæ domui legere Euangelium, & baptiſare (quando id Laicis permittit etiam totius orbis conſenſus & vſus) eos qui ſibi naſcerentur, ac ſic iuxta Doctrinam Chriſti ſe & ſuos regere, etiamſi tota vita vel non audeant vel non poſſint Euchariſtiam ſumere. Euchariſtia enim non ſub periculum ſalutis neceſſaria, ſufficit autem Euangelium & baptiſmus, cum ſola fides iuſtificet, & ſola charitas bene viuat.

Certe ſi hoc modo duæ, tres, decem domus, vel tota ciuitas, vel multæ ciuitates ſibi conſentirent, & fidem ac charitatem per Euangelium domeſticum exercerent, etiamſi in æternum nullus accederet ordinatus, raſus aut vnctus, vel quouis modo impoſitus, miniſter, qui Euchariſtiã aut alia miniſtret, Chriſtus abſque dubio in medio eorum eſſet, & eos pro Eccleſia ſua agnoſceret, non modo non damnaturus, ſed plane coronaturus hanc piam & Chriſtianam abſtinentiam ab omnibus Sacramentis alijs, per impios & ſacrilegos
.e. 19. ...ub 4. miniſtrandis. Ipſe enim dixit, ſolum vnum eſſe neceſſarium, nempe verbum Dei, in quo viuit homo. Quod ſi verbo viuit & verbum habet, cæteris omnibus carere poteſt, vt caueantur impiorum dogmata & miniſteria. Et quid prodeſt, cæteris omnibus frui, & verbum, quo viuitur, non habere? At hoc agunt empti & iurati illi Papiſtici ordines, vt verbum non ſit in Boemia, tantum vero ſacramenta ſint, hoc eſt, neceſſarijs vos ſpolient, & non neceſſarijs vobis dominentur.

Homo viuit verbo Dei.

Captiui ſub tyrannide Papæ quid faciendum.

Contra, poteſt Paterfamilias neceſſaria ſuis prouidere per verbum, & non neceſſariis, interim dum in captiuitate eſt, pia humilitate carere. Hic enim faciendum eſt more & lege Iudæorum captiuorum, qui cum in Ieruſalẽ eſſe & offerre non poſſent, ſola fide tamen verbo Dei ſeruata, inter hoſtes viuebant, & ad Ieruſalem ſuſpirabant. Ita & meus Paterfamilias, ſub iſta tyrannide Papæ rectiſſime & tutiſſime faceret, ſi Euchariſtiam ſuſpiraret, quam ſumere vel non auderet vel non poſſet, interim fide per verbum Dei, domui ſuæ ſtrenue & fideliter tradita, donec Deus ex alto miſertus, aut captiuitatem diſſolueret, aut idoneum verbi miniſtrum donaret. Sic, inquam, melius eſt, nullum habere quam ſacrilegum, impium & ſceleratum miniſtrum, qui non
...n 10. venit, niſi vt mactet & perdat, ſicut fur & latro.

NVnc autem Deo laus & gratia, ea infelicitas aut neceſsitas nulla eſt, niſi forte infirmis & ſcrupuloſis. Cæterum ijs, qui credunt & agnoſcunt veritatem, liberrima facultas & copia eſt omnes impios miniſtros profligendi, & non niſi idoneos & pios vocandi & inſtituendi, quoties placuerit. Nam hoc inuentum pulchre papiſticum eſt, quod ſolus Homo ille peccati debuit excogitare, vt ſacerdotes ſuos charactere indelibili, perpetuos ac nulla prorſus culpa loco mouendos redderet, ſcilicet, vt tyrannidem ſuam ſtabiliret, & impunitatem peccandi libidinem firmaret, dum aſciſcere non liceret meliores, & ſceleratos iſtos ferre cogeremur. Verum de iſta facultate paulo poſt dicemus.

Figmentum papiſticum de charactere indelibili.

Nunc, poſtquam vos Boemos proprijs malis monitos fecimus, vt papiſticis ordinibus valedicatis, addam & vnam generalem cauſam, qua ſuſcitemus & vobis & toti orbi nauſeam & apoſtaſiam, ab execratis illis & abominandis ordinibus.

Donabo

Miniſtri Eccleſiarum conſenſu & ſuffragio populi eligendi.

DOnabo interim hoc ordinibus papiſticis, quod ſolius Epiſcopi autoritate vnguntur & inſtituuntur, quos vocant, ſacerdotes, conſenſu aut ſuffragio populi, cui præficiendi ſunt, neque requiſito nec obtento, cuius tamen, cum ſint populus Dei, maxime intererat, vt non ſine ſuffragijs ſuis quiſquam eis imponeretur, ſed quem ipſi noſſent & probaſſent idoneum, Epiſcopus confirmare debeat. At nunc in incertum fere ordinantur, quicunq; ordinantur, vt nullus ferme ſciat, quorum ſit futurus ſacerdos. Deniq; maior pars ſolum ad beneficia (vt vocant) ordinatur, ſolas Miſſas ſacrificaturi, tantum abeſt, vt populus noſcat, quos ſibi Epiſcopus vngat. Donabo, inquam, hoc peſſimum monſtrum ordinibus papiſticis, vſque in ſuum tempus.

Ordinatio Papiſtica.

Hoc merito exhorrere debet, quiſquis Chriſtum amat, & quiduis potius pati quam ordinari ſeſe à Papiſtis, quod omnia in iſtis ordinibus ſumma & impiiſſima peruerſitate geruntur & aguntur, vt niſi cæcitate & amentia percuſſi eſſent, viderentur de induſtria Deum in faciem irridere velle. Nam cum iſta ordinatio autoritate ſcripturarum, deinde exemplo & decretis Apoſtolorum in hoc ſit inſtituta, vt miniſtros verbi in populo inſtituat, Miniſterium publicum, inquam, verbi, quo diſpenſantur myſteria Dei, per ſacram ordinationem inſtitui debet, ceu res, quæ omnium in Eccleſiâ & ſumma & maxima eſt, in qua tota vis Eccleſiaſtici ſtatus conſiſtit. Cum ſine verbo nihil conſtet in Eccleſia, & per ſolum verbum omnia conſtent. Papiſtæ autem mei de hoc miniſterio ne ſomniant quidem in ſuis ordinibus. Quid autem faciunt?

Per miniſterium verbi exhibentur nobis æterna bona.

Primum cæcitate percuſſi omnes ſimul, ne norunt quidem, quid ſit verbum aut miniſterium verbi, præſertim Epiſcopi ipſi Ordinatores. Quo modo ergo fieri poſſet, vt miniſtros verbi ipſi inſtituerent ſuis ordinibus? Deinde loco miniſtrorum verbi ordinant ſacrificulos, qui Miſſas ſacrificent, & confeſſiones audiant. Hoc enim vult Epiſcopus, dum calicem dat in manum, & confert poteſtatem illam conſecrandi & ſacrificandi pro viuis & mortuis, nempe, poteſtatem illam, quam gloriantur neque Angelos, neque virginem matrem Dei habere, ipſi etiam lenonibus & latronibus impuriores. Item cum illis ſacroſancto myſterio ſpiritum in aures inflat, & Confeſſores facit, dicens: Accipe Spiritum ſanctum. Hæc eſt illa poteſtas conſecrandi & abſoluendi glorioſiſſima.

Impietas & cæcitas Epiſcoporum.

Dic rogo, me craſſum fingere aut mentiri, ſi inuenias vnum ordinatum iſtis ordinibus, qui audeat dicere, ſibi inter ordinandum eſſe mandatum, vt myſteria Chriſti diſpenſet, & Euangelium doceat, & Eccleſiam Dei regat, quam acquiſiuit ſanguine ſuo. Plane nullus hoc audit vnquam, nec ad ſe pertinere putat. Calicem vero accipit, & hoc totum eſſe putat, quod ordinatur, vt liceat Chriſtum in Miſſa conſecrare & ſacrificare, deinde confeſſiones audire. Quin hoc tantum quæritur, An titulum beneficij habeat, quo ventrem alat, vt alio prorſus non ſpectent, quam ad Miſſarum ſacrificium, his abſoluitur tota ordinatio. Qui hoc tulit, hic ordinatus eſt ab Eccleſia ſacerdos, hanc poteſtatem tum nulli alij habent, hoc ſcilicet teſtatur vnctio digitorum, & taſura verticis.

Sacerdotes à Papiſtis ordinati.

Titulus beneficij.

Cæterum, ad miniſterium verbi alia noua requiritur apud eos vocatio, nempe, vel Parochi vel Magiſtratus, tanquam incomparabiliter minor, quam illa ſacri ordinis & characteris collatio, vt quæ non paſtoribus aut Epiſcopis, ſummis illis verticibus, ſed plane infimis, viliſſimis, peſſimis & indoctiſſimis paſſim committi debeat, ceu res longe omnium viliſſima & facilima, Quia myſteria Dei diſpenſare & animas paſcere, officium eſt, prorſus ſine charactere indebili, nec eſt Sacramentum ordinis, At Chriſtum conſecrare & ſacrificare, hoc habet characterem, hoc eſt vere ſacramentum ordinis.

Vocatio ad miniſterium verbi in Papatu &c.

Poſt

Poſt hæc rotat ira Dei has ridiculas laruas Epiſcoporum, vt non ſolum contemnant miniſterium verbi, & loco eius officium ſacrificandi ordinent, ſed & baptiſmum viuificum, quo viuentes homines & rationales animæ ſanctificantur in vitam æternam, à ſe relegent, tanquam officium mitris illis gemmatis, & paliis aureis, longe indigniſſimum & alieniſſimũ. Verum hoc pulchre eos decet, vt loco animarum, baptiſent lapides, altaria, & campanas, mortuas illas & inanimatas res, tam capaces baptiſmatis, quam ipſi ſunt veritatis. Tanta furia hæc eſt & amentia, vt ſi extra ſerium ſpectes Epiſcopum talia ludentem, præ riſu fatiſcere pene oporteat. At ſi ſpiritu blaſphemias conſideres, indignatione rumpi queas. *Baptiſmus.*

Si igitur vlli negandi ſunt eſſe ſacerdotes, maxime negandi ſunt illi, quos papiſtici ordines vnxerunt. Nam ex prædictis ſatis conſtat, eos hoc plane nullo modo agere, vt miniſtros verbi ordinent, ſed tantum ſacrifices Miſſarum, & auditores confitentium. Neq; enim aliud agere poſſunt, quam id quod ex animo intendunt agere, hoc eſt, non curant, vt docendi officium, ſed vt ſacrificandi & peccata audiendi poteſtatem conferant. Quare nec fieri poteſt, vt aliud obtineant. At cum certiſſimum ſit, Miſſam non eſſe ſacrificium, deinde Confeſſionem eam quam præceptam volunt, nullam eſſe, vtrunq; autem ſit humanum & ſacrilegum inuentum & mendacium, plane ſequitur, per ordines illos ſacros neminem fieri coram Deo, aut ſacerdotem aut miniſtrum, ſed meram laruam quandam mendacij & vanitatis, vt offerant vbi nullum eſt ſacrificium, & abſoluant vbi nullus debet accuſari, velut ille, qui in vacuo theatro ridebat & geſtiebat. *Vncti à Papiſtis non eſſe ſacerdotes coram Deo.* *Miſſa. Confeſſio.*

Hæc itaq; ſunt, quæ non ſolum vos Boemos, ſed plane omnia pia corda merito debent mouere, vt quiduis aliud patiantur, quam iſtis ſacrilegis ordinibus fœdari. Atq; ij, qui hactenus ordinati ſunt, doleant ſeſe ſic fuiſſe per mendacij laruas illuſos. Nam ſi vnquam conſecrarunt, aut officium Miniſtri eccleſiaſtici expleuerunt, id certe non virtute ſacri ordinis ſui, qui eſt merum mendacium & irriſio Dei, fecerunt, ſed virtute fidei & Spiritus Eccleſiæ, quæ eos in loco miniſterij huius tollerauit, & admittere coacta fuit. Sed nunc, cum res cognita manifeſtetur, amplius ludendus & irridendus Deus non eſt, ſed fugiendæ ſunt laruæ iſtæ mendaciorum, ceu teterrimæ peſtes animarum, & ignominia turpiſſima Eccleſiæ Dei. *Ordinatio Papiſtica eſt merum mendacium.*

Qui autem per has laruas ad locum miniſterij venit, age miniſterium apprehendat, & deinceps pure ac digne adminiſtret, ſacrificandi officiũ deſerat, docens verbum Dei, ac regens Eccleſiam. Cæterum vncturam & totam ordinationem, qua intrauit, ex animo damnet ac deteſtetur. Neque enim neceſſe eſt locum quoque miniſterij relinquere, licet impijs ac peruerſis modis aſcenderis, dum animus ipſe corrigatur, & modus ipſe damnetur.

Porro, ſi ficti illi ſacerdotes & laruales Epiſcopi ſuis ordinibus & ſacrificijs vel animi cauſa luderent, vel tale quid ſerio agerent, quod Euangelio non ex diametro pugnaret, & nobis ſaltem Chriſtum in regno ſuo ſaluum relinqueret, forte ſtulticia eorum mitius reprehenderetur, vel temeritas toleraretur. At nunc talis eſt illorum furor & abominabilis amentia, vt Chriſtum ſit neceſſe negari, ac prorſus aboleri, ſi ſua illis ſteterint ſacrificia & officia. Id quod alias abunde monſtraui, & nunc parum repetere non pigebit. *1. Corin. 11.*

cat, cuius peſtilentibus conatibus vos tanto ſanguine reſtitiſtis. Nec dum tamen illum ſanguinarium tyrannum ſuorum flagitiorum pœnitet, nec reuocat ſanguinis innocenter damnati exemplum, nec reſtituit ſacrilegum nominis Chriſtiani ſpolium, nec quidquam dolet, tantum germani ſanguinis contra vos fruſtra, cum pernicie animarum, pro ſua ſacrilega tyrannide fuſũ eſſe, Quin pergit fronte & ceruice induratus, & adhuc mallet vos & nos ſemel perditos, ne ſcintilla eſſet reliqua, quæ pro Chriſto paululum micaret.

Tenet adhuc ſub ſua maledictione futili & irrita regem Georgium cum ſua familia Monſterbergenſi, clariſſimo Ducatu Boemiæ, quemadmodum & multos alios. Sed bene eſt, quod reuelatus eſt homo peccati, qui per Petrum prædictus eſt, quod Reges & Principes maledicturus eſſet ſine tremore. Habemus inſuper alium Pontificem, qui huic ſuæ maledictioni benedicit, ſicut ſcriptum eſt: Maledicent illi, tu vero benedices. Vt maledictio Papæ ſuper regem Georgium & ſuper Ducatum Monſterbergenſem & quicunque ſunt eandem paſſi, ea ſemper fuerit & ſit nunc quoq;, de qua Salomon dicit Prouer. 26. Sicut auis in alto præteruolat, ſic maledictum abſq; cauſa prolatum, non veniet. Quin hoc eximiæ apud Deum gloriæ immortaliter manet regi Georgio ſuæq́, familiæ, præ cæteris regibus & Principibus terrarum, quod à Sede maledica & Filio maledictionis maledictus eſt.

Rex Georgius Monſterbergenſis.

Prouerb. 26.

AB iſto ne ergo vos Boemi hoſte veſtro tam crudeli, tam cruento, tam maledicto, tam implacabili, Deo & hominibus abominabili, ſine cauſa ordines ſacrilegos & execrabiles pergetis ſuſpicere, aut quidquam cum eo habere commercij? Nam dum hoc facitis, nonne reipſa conſentitis, & iuſtificatis veſtrum damnatorem? Nonne veſtra contra illum tam glorioſa facta damnatis, & vobis ipſis diſſentitis? Nonne Iohannis Huſs pium ſanuinem innocenter fuſum, iam impium facitis, & merito fuſum confitemini, dum illius manus oſculamini, qui illum fudit, dum illius pedibus aduoluimini, qui vos conculcat & perpetua infamia torquet? Quanto iuſtius feceritis, ſi tantum ab eo vos ſeparaueritis, vt nec odorem nominis ſui peſtiferum, quoad fieri poteſt, ſentiatis. Si Paulus ſcortatorem & ebrium mandat vitari, quanto magis hæc abominatio nouiſſima, omnium vaſtatrix indomita & inemendabilis, vitari debet omnibus, qui Chriſtum confitentur.

Iohannes Huſs.

Sinite itaq;, viri optimi, hoc primum à vobis impetrari, imo extorqueat vel inuitis ipſa conſcientia & timor Dei, vt deinceps neq; petatis neq; ſuſcipiatis, etiamſi vltro offerret, ordines à Filio iſto perditionis, multo minus ſuſcipiatis, ſi quis ab illo ordinatus venerit, nomenq́; & characterem huius beſtiæ attulerit. Nam niſi hoc primum impetratum fuerit, fruſtra ſudamus, fruſtra conſilium quærimus rebus veſtris iuuandis. Deinde & famoſa veſtra diſſenſio, imo felix diſceſſio à regno Satan[illegible]ſpecies tantum & fucus erit. Quale eſt enim, de iugo Papæ detractato iactari famam, & tamen alios non admitti conſcientiarum duces, quam abiurati eiuſdem tyranni carnifices & latrones? Nonne tanto ſanguine, tot periculis, tantaq́; Chriſtiani nominis veſtri ignominia, & perpetua hæretici nominis, patientia, aliud nihil vos comparaſſe iudicabit orbis, quam vt titulotenus tyrannidem Papæ reieceritis, reuera autem tyrannidem eius ſuper vos duplicaueritis? Quanto felicius nos ſtulti Germani ſimplicem tyrannidem eius citra titulum detrectatæ obedientiæ ferimus, dum id patiamur, quod res eſt & nomen habet, ne & ipſi falſa gloria noſtram miſeriam ſolaremur, hoc eſt, ſingulari gaudio tyrannum ſacerrimum, noſtri propria irriſione afficeremus?

ET quis erit modus? (inquiet aliquis) neceſsitas non talia curat. Sacerdotes non habemus, & ijs carere non poſſumus? At ſi hoc valet, oportuit & ante defectionem ſic ſenſiſſe iſta, dixiſſe ac obſeruaſſe, aut certe adhuc quantocius redire ad nomen ſeruituris deſertæ, potius quam ſic infeliciter amiſſa libertate, ſolo titulo aſſertæ libertatis velut vento inani paſci, ſub captiuitate bis duriſſima.

Reliquum ergo eſt, vt ad rem veniamus, & vel nobis ipſis extra Papæ tyrannidem presbyteros prouidere diſcamus, vel ſi id non volumus (quandoquidem poſſumus) proni ac volentes etiam nomen captiuitati demus, & ſub Rege perditionis, ſeruitutem perditionis, ſcientes prudenteſq; ſeruiamus. Quod auertat Chriſtus miſericors Dominus & Magiſter noſter, Amen.

SACERDOTEM NON ESSE quod Presbyterum vel Miniſtrum.

Illum naſci, hunc fieri.

ATq; hic primum conſtanti fide eſt opus, vt ſcandalum iſtud late patens ac longe validiſſimum virtute verbi diuini amoliamur, quo ſacerdotes humano lapſu vocari, deinde indomita pertinacia defendi cœperũt, ij quos Epiſcopi raſiſſent & vnxiſſent, Hoc enim nominis fuco fraudulenter in- *Lucæ 11.* greſſus Satan, incredibili furore omnia vaſtauit, & atrium ſuum iam ſeptem aſſumptis ſpiritibus ſeſe nequioribus, ſecutus tenet & habitat in pace, vt aliud prorſus vocabulo ſacerdotis nemo intelligat, niſi portentũ illud raſuræ & vnctionis, humana temeritate vel ſuperſtitione introductum. Niſi enim hic clauſis oculis vſum, antiquitatem, multitudinem præterieris, & apertis auribus totus verbo Dei adhæſeris, ſcandalum hoc non ſuperabis.

Stet itaq; primum tibi rupes illa inconcũſſa, in nouo Teſtamento ſacerdotem externe vnctum nullum eſſe, nec eſſe poſſe, Si qui autem ſunt, laruæ & idola ſunt, Quod huius ſuæ vanitatis nec exemplum, nec præſcriptum, nec vllum verbum in Euangelijs aut Apoſtolorum Epiſtolis habeant, ſed mero hominum inuento, quemadmodum Ierobeam olim in Iſrael fecit, erecti & introducti ſunt. Sacerdos n., In nouo præſertim Teſtamento, nõ fit, ſed naſcitur, non ordinatur, ſed creatur. Naſcitur vero non carnis, ſed ſpiritus natiuitate, nempe ex aqua & ſpiritu in lauacro regenerationis. Suntq; prorſus o- *Iohan. 13.* mnes Chriſtiani ſacerdotes, & omnes ſacerdotes ſunt Chriſtiani. Anathemaq; ſit, ſacerdotem alium aſſerere, quã eum, qui eſt Chriſtianus, Aſſeretur enim id abſq; verbo Dei, non niſi ex dictis hominum, vel antiquitate vſus, vel multitudine opinantium, quorum quoduis pro articulo fidei ſtatuere, ſacrilegium & abominatio eſt, vt alias abunde dixi.

Sacerdos in nouo Teſtamento fit, non naſcitur.

Omnes Chriſtianos ſacerdotes eſſe.

SCripturæ autem Dei, quibus formari firmariq; debent noſtræ conſcientiæ, aduerſus oleatos & raſos, eſſe omnes & ſolos Chriſtianos ſacerdotes, ſunt hæ: Tu es ſacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedec. Pſalm. 110. Chriſtus enim neque raſus neq; oleo vnctus eſt, vt ſacer- *Pſal. 110.* dos fieret. Quare nec vlli Chriſtũ ſequenti vngi ſatis eſt, vt ſacerdos fiat, ſed longe aliud habeat neceſſe eſt, quod cum habuerit, oleo & raſura opus non habet. Vt videas Epiſcopos laruarum ordinatores ſacrilege errare, dum ſuas

vncturas

vnctutas & ordinationes ſic neceſſarias faciunt, vt ſine ijs ſacerdotem fieri negent, etiamſi ſit ſanctiſſimus, vel Chriſtus ipſe. Ruſſus ſacerdotem ijs fieri, etiamſi ſit Nerone vel Sardanapalo ſceleratior.

Quo quid aliud faciunt, niſi vt Chriſtum negent ſacerdotem eſſe cum ſuis Chriſtianis? dum enim officio ſuo abominabili funguntur, neminem faciunt ſacerdotem, niſi primum neget ſe eſſe ſacerdotem. Et ita eo ipſo, dum ſacerdotem faciunt, reuera à ſacerdotio ſemouent, vt ſit corā Deo illorum ordinatio vere ludicra, tamen veriſſima & ſeria degradatio. Quid enim eſt dicere, Ego ordinor ſacerdos, niſi facta fateri, non fui, nondum ſum ſacerdos? Simili per omnia abominatione, qua monachi Conſilia euangelica vouent, & ſimul pręcepta Dei eſſe negant.

Pſal. 22. Porro hanc ſequelam eſſe fidelem & probam: Chriſtus eſt ſacedos, ergo Chriſtiani ſunt ſacerdotes, paret ex Pſal. 22 Narrabo nomen tuum Fratribus meis. Et rurſus: Vnxit te Deus Deus tuus oleo præ participibus tuis. Quod Fratres eius ſumus, non niſi natiuitate noua ſumus. Quare & ſacerdotes ſumus, ſicut & ipſe, Filij, ſicut & ipſe. Reges, ſicut & ipſe. Fecit enim nos cum ipſo conſedere in cœleſtibus, vt conſortes & cohæredes eius ſimus, in quo & cum quo omnia nobis donata ſunt. Rom. 8. Et multa talia, quibus cum Chriſto vnum, vnus panis vnus potus, vnum corpus, membrum de membro, vna caro, os ex oſſibus eius eſſe, & omnia habere communia dicitur. *Chriſtus eſt ſacerdos, ergo Chriſtiani ſunt ſacerdotes.* *Ephe. 2.* *Rom. 8.*

Sic etiam pulchre ſequitur: Chriſtus factus eſt ſacerdos primus noui Teſtamenti, ſine raſura, ſine vnctura, deniq; ſine charactere illo, & ſine omni illa epiſcopalis ordinationis larua, fecitq; Apoſtolos omnesq; Diſcipulos ſuos per nullam talem laruam ſacerdotes. Quare non eſt neceſſaria illa ordinationis larua, neq; ſi adſit, ſufficit, vt fias ſacerdos, Alioqui cogeris fateri, neq; Chriſtum neq; Apoſtolos fuiſſe ſacerdotes.

Vt vbiq; videas, quam vere dixerim, nuſquam minus eſſe ſacerdotes, quam vbi ordinantur hodie ſacerdotes. Nam omnia illa omittunt, quibus Chriſtus & Apoſtoli ſui facti ſunt ſacerdotes, & ſolum illa amplectuntur, ſine quibus Chriſtus & Apoſtoli ſacerdotes facti ſunt, quæ & ſacerdotem non faciunt, niſi quod ipſi à cerebro proprio ſtatuunt mendaciū hoc, Per hæc fies ſacerdos, alias non fies, Hoc eſt tantum dicere: Chriſtus non eſt à nobis raſus & vnctus, ergo non eſt ſacerdos. *Sacerdotes à Papiſtis ordinati.*

SEd pergamus, & idem ex officijs ſacerdotalibus (quæ vocant) probemus, omnes Chriſtianos ex æquo eſſe ſacerdotes. Nam illud 1. Pet. 2. Vos eſtis regale ſacerdotium. Et Apoc. 5. Feciſti nos Deo regnum & ſacerdotes ſatis iam alijs Libris inculcaui. Sunt autem ſacerdotalia officia ferme hæc, docere, prædicare, annuntiareq; verbum Dei, baptiſare conſecrare ſeu Euchariſtiam miniſtrare, ligare & ſoluere peccata, orare pro alijs, ſacrificare, & iudicare de omnium doctrinis & ſpiritibus, Magnifica plane & regalia ſunt hæc. *1. Pet. 2.* *Apoc. 5.* *Officia ſacerdotum.*

Primum vero & ſummum omnium, in quo omnia pendent alia, eſt docere verbum Dei. Nam verbo docemus, verbo conſecramus, verbo ligamus & ſoluimus, verbo baptiſamus, verbo ſacrificamus, per verbum de omnibus iudicamus, Vt cuicunq; verbum ceſſerimus, huic plane nihil negare poſſimus, quod ad ſacerdotem pertinet, porro verbum idem eſt omnibus, ſicut Eſaias dicit: Dabo vniuerſos Filios tuos doctos à Domino. Docti autem à Domino ſunt, qui audiunt & diſcunt à patre, vt Chriſtus interpretatur Iohan. *Docere verbum Dei.* *Eſaie 54.* *Docti à Domino.*

Iohan.6. Auditus per verbum Chriſti,Rom.10.vt ſtet encomium illud Pſal. *Iohan.6.*
149. Gloria hæc eſt omnibus Sanctis eius.Quæ? Exultationes Dei in gutture *Rom.10.*
eórum,gladij ancipites in manibus eorum. Ad faciendam vindictam in nati- *Pſalm.149.*
onibus, increpationes in populis, ad alligandos reges eorum in compedibus,
& glorioſos eorum in manicis ferreis, Vt faciant in eis iudicium conſcriptum.

I. Miniſterium verbi omnibus commune &c.

PRimum igitur officium, nempe, verbi miniſterium eſſe omnibus Chriſtianis commune, præter ea quæ dicta ſunt, probat illud 1.Pet. 2. Vos eſtis regale ſacerdotium, vt virtutes annuntietis eius,qui vos vocauit de tenebris in admirabile lumen ſuum. Obſecro,qui ſunt illi vocati de tenebris in admirabile lumen? An ſolæ raſæ & vnctæ laruæ? Nonnè omnes Chriſtiani? At Petrus illis non modo dat ius,ſed præceptum quoq; vt annuntient virtutes Dei. quod certè eſt aliud nihil, quam verbum Dei prædicare. *1.Pet.2.*

Dicant igitur illi,qui duplex fingunt ſacerdotium,vnum ſpirituale & commune, aliud ſpeciale & externum, & Petrum hic de ſpirituali faciunt loquentem, quod ſit officium ſui ſpecialis & externi ſacerdotij? An non eſt virtutes Dei annuntiare? At hoc Petrus hic mandat ſpirituali & communi illi ſacerdotio. Sed reuera habent ſacrilegi illi aliud ſacerdotium externum, quo annuntiant non Dei virtutes, ſed Papæ & ſuas impietates. Cæterum, vt non eſt alia annuntiatio in miniſterio verbi, quam communis illa omnibus, virtutis Dei, ita non eſt aliud ſacerdotium quam ſpirituale illud & omnibus commune, quod Petrus hic definiuit.

Hoc facite in mei commemorationem.

Idem probat Chriſtus per Lucam & Paulum, vbi in Cæna nouiſſima omnibus dicit: Hoc facite in mei commemorationem. Non enim ſolis id raſis & vnctis dixit, alioqui ſolos raſos & vnctos oportet corpus & ſanguinem Domini accipere. At ea commemoratio aliud nihil eſt, quam prædicare verbum, quemadmodum Paulus exponit 1.Cor. 11. Quotieſcunq; enim manducabitis panem hunc & bibetis calicem, mortem Domini annunciabitis, donec veniat. Mortem vero Domini annuntiare eſt virtutes Dei annuntiare, qui nos de tenebris vocauit in admirabile lumen. *1.Cor.11.*

Mortem Domini annuntiare,

Nihil ergo hic valent ſomnia hominum impiorum, qui Apoſtolos hic volunt ſacerdotes factos eſſe, id eſt, ſuis laruis initiatos, cum illis Chriſtus verbi miniſterium hic imponat omnibus, Idem & æquè, memoriam Domini facere, omnibus ius & præceptum eſt, vt laudetur & glorificetur Deus in virtutibus ſuis. Non autem memoriam ſentit ſacrificulorum in angulis, aut in meditatione factam, ſed in publico & per miniſterium verbi faciendam, ad ſaluandas animas auditorum.

Confirmat hæc Paulus 1.Cor.14. non ad raſos aut aliquos, ſed ad totam Eccleſiam & ad ſingulos Chriſtianos dicens: Vnuſquiſq; veſtrum Pſalmum habet, doctrinam habet, apocalypſim habet, linguam habet, interpretationem habet. Et infra: Poteſtis enim omnes per ſingulos prophetare, vt omnes diſcant & omnes exhortentur. Dic ergo, Quod eſt, vnuſquiſq;? Quid eſt, omnes? An raſos ſolos hac communi voce ſignat? *1.Cor.11.*

Miniſterij verbi ſummum in Eccleſia officium.

Quare ſatis modo, his locis robuſtiſſimè & clariſſimè firmatum ſit, miniſterium verbi, ſummum in Eccleſia officium eſſe, prorſus vnicum & omnibus commune, qui Chriſtiani ſunt, non modo iure, ſed & præcepto. Quare & ſacerdotium non niſi vnicum & commune erit. Vt nihil valeant aduerſus hæc diuina fulmina, infiniti Patres, innumera Concilia, æterna conſuetudo, & vniuerſi mundi multitudo, quibus ſtipulis raſæ laruæ nituntur ſuum ſacerdotium ſtabilire.

Secundum

Secundum officium, baptiſare, vſu tandem & ipſi commune fecerunt, etiam mulierculis in neceſſitate, adeò, vt penè ſacerdotale officium eſſe non videatur. Sed velint, nolint, hoc ipſo illorum ſenſu obſtrictos tenemus, eſſe omnes & ſolos Chriſtianos, etiam mulieres, abſq; raſura & Epiſcopali charactere ſacerdotes. Nam inter baptiſandum profertur verbum Dei viuificum, quod animas regenerat, & à morte ac peccatis redimit; quod eſt incomparabiliter maius, quam panem & vinum conſecrare, eſt enim ſummum illud officium in Eccleſia, nempe annuntiare verbum Dei. Itaq; & mulieres, dum baptiſant, legitimo funguntur ſacerdotio, idq; non priuato opere, ſed publico & Eccleſiaſtico miniſterio, quod ad ſolum ſacerdotem pertinet. II.

Baptiſmi miniſterium omnibus commune.

Mira itaq; ſtultitia & amentia Papiſtarum vel hoc vno loco ſatis proditur. Quod baptiſmi miniſterium omnibus commune fecerunt, & tamen ſacerdotium in ſuum peculium coegerunt, cum baptiſmus non niſi ſacerdotis eſſe poſſit. Deinde & ſacramentum vel primum eſſe ſanxerunt, cum tamen ſacramenta nulli miniſtrare niſi ſacerdotibus permittant, nec vnum ſacramentum altero dignius eſſe poſſit, cum omnia eodem conſtent verbo Dei.

Sed fallit eos cæcitas eorum, qua non vident maieſtatem verbi Dei in baptiſmo regnantis, quam ſi pro dignitate conſiderarent, nulla eſſet dignitas neq; ſacerdotalis neq; epiſcopalis, ſed neq; papalis, quam non tribuerent ei, cui miniſterium verbi tribuunt. Parum enim eſſe viderent Sacerdotis, Epiſcopi, Papæ nomen, comparatum cum nomine adminiſtrantis verbum Dei viuum & in æternum permanens, omnia potens & faciens.

Sic etiam ridiculè ludunt in conferendis Ordinibus, vbi epiſcopalis autoritas neq; ſacramentum eſt, neq; characterem habet, quo vno ſacerdotalis dignitas & poteſtas putatur omnium eſſe ſumma, & tamen epiſcopalis autoritas ſimul ſumma eſt, dum confert ordinem & characterem ſacerdotij, ſimul inferior, dum ipſa neq; ordo eſt, neq; characterẽ habet. Et id quod minus eſt, confert id quod maius eſt. Vt neceſſe fuerit illis fingere pro iſta abſurditate ornanda, aliud eſſe dignitatem, aliud poteſtatem. Quid enim aliud faceret mendacium impudens, nuſquam ſibiipſi conſtans? Vt oſtenderet Chriſtus, quam ſint omnia in regno Papæ nulla ratione conſtantia, ſed extra communem ſenſum furentia. Quare nihil mirum, ſi & baptiſmi ſacramentum ſacerdotale commune fecerint, & tamen ſacerdotium ſibi proprium retinuerint.

Maieſtas verbi Dei in baptiſmo.

Tertium officium eſt, conſecrare ſeu miniſtrare ſacrum panẽ & vinũ. Hic vero triumphant ac regnãt raſorum Ordines, hanc poteſtatem neq; Angelis, neq; matri virgini concedunt. Sed miſſis illorum inſanijs, dicimus & hoc officium eſſe omnibus commune, perinde atq; ſacerdotium, Idq; non noſtra, ſed Chriſti aſſerimus autoritate, dicentis in cœna nouiſſima: Hoc facite in mei commemorationẽ. Quo verbo etiam raſi papiſtæ volunt ſacerdotes factos, & potentiam conſecrandi collatam. At hoc verbum dixit Chriſtus omnibus ſuis præſentibus & futuris, qui panem illum ederent & populum biberent. Quidquid ergo ibi collatum eſt, omnibus collatum eſt. Nec habent, quod hic opponant, niſi patres, Concilia, conſuetudinem, & fortiſſimum articulum fidei illorum, qui eſt: Nos multi ſumus, & ſic ſentimus, ergo eſt verum. III.

Accedit teſtis Paulus 1. Cor. 11. Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vo-

1. Corint. 11.

didi vobis &c. Et hic Paulus ad omnes loquitur Corinthios, omnes faciens tales, qualis ipſe fuit, id eſt, conſecratores.

Verum & hic Papiſtis obſtitit trabs illa in oculis, vt maieſtatem verbi Dei non viderent, ſolā autem panis transſubſtantiationē admirarentur. Rogo te, quæ eſt illa magnifica potentia conſecrandi, collata potentiæ baptiſandi & verbi annunciandi? Mulier baptiſat & verbum vitæ miniſtrat, quo peccatum deletur, quo mors æterna tollitur, quo princeps mundi eijcitur, quo cœlum donatur, deniq; quo ſeſe totam diuina Maieſtas in animam effundit. Interim ſacerdos ille mitificus panem mutat, nō alio tamen nec maiore verbo nec potentiore. Ad quam mutationem nihil prorſus ſequitur, niſi ſtupor & admiratio ſacerdotis ſuper ſua dignitate & poteſtate. Nonne hoc eſt ex muſca facere elephantem? Digniſſimi, vt qui verbi virtutes contemnunt, interim iſta admirentur.

Euchariſtia. *Miniſterium verbi.* Proinde videmus, quam raro Euangeliſtæ & Apoſtoli mentionem Euchariſtiæ faciant, vt multa à multis ibi deſiderentur. Verbi vero miniſterium nuſquam non vrgent, & ad multum tædium vſque inculcant. Scilicet, quod futuras vidit ſpiritus ſaſorum iſtorum peruerſas abominationes, vt à verbo virtutis & veritatis cor auerterent, & ad mortuam illam panis & vini mutationem conuerterent, totaque vita in ſpeciebus iſtis hærerent externis, contempto interim admirabili lumine, in quod vocati ſumus.

Igitur, ſi id quod maius eſt, collatum eſt omnibus, nempe verbum & baptiſmus, non negatum eſſe quoq; recte dicetur, id quod minus eſt, nempe conſecrare, etiamſi deeſſet Scripturæ autoritas. Sicut & Chriſtus arguit: Anima plus eſt quam corpus, & corpus plus quam eſca, Si Deus hoc donat, quanto magis illud?

IV. QVartum officium eſt, ligare & ſoluere peccata. Hoc officium illi non modo ſibi rapuerunt, & propriè arrogauerunt, Verum & *Ligare.* eo traxerunt, vt hinc ius condendarum legum ſibi rapuiſſe glorientur. Ligare enim vocant leges condere, prohibere & mandare id, quod vere quidem eſt ligare conſcientias, ſed mendacijs & illuſionibus, vbi prorſus nulla eſt cauſa ligandi. Qualia ſunt, vbi nuptias & eſcas prohibent à Deo creatas & *Soluere.* inſtitutas. Rurſus ſoluere apud illos eſt, acceptis pecunijs diſpenſare ſuas ligatrices & fallaces leges, ac ſic conſcientias mendaciter ligatas, illuſorie dimittere. Vtuntur tamen in confeſſionibus quoque & excommunicationibus ligandi & ſoluendi officio, ſed iure nullo, abuſuque damnabili.

Hac igitur rapina & peculatu ſacrilego fecerunt, vt nuſquam ſit minus ligandi & ſoluendi officium ſeu claues, quam apud ipſos, qui nuſquam non *Claues omnibus credentibus communes.* iactant claues, eo quod non aperiant neque claudant cœlum conſcientiis, ſed marſupia totius orbis. Nos autem omnes, qui Chriſtiani ſumus, habemus commune hoc officium clauium, Id quod Libellis contra Papam toties probaui & monſtraui. Stat enim verbum Chriſti, Matth. 18. non Apoſtolis tantum, ſed omnibus prorſus Fratribus dictum: Si peccauerit in te Frater tuus, corripe eum, ſi audierit te, lucratus es Fratrem. Et mox: Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus. Amen dico vobis, quodcunque ligaueritis ſuper terram, ligatum erit & in cœlo, Quodcunque ſolueritis ſuper terram, ſolutum erit & in cœlo. *Matth. 18.*

HIc nihil moremur laruarum laruas, qui hic aliud clauiū ius, aliud clauium vſum, fingunt, temeritate propria ſine ſcripturis. Deinde

more

more ſuo vitioſiſſime petentes principium. Nam cum probandum illis ſit, ſuam poteſtatem eſſe aliam ab Eccleſiæ communi poteſtate, ipſi hoc pro demonſtrato arripiunt, & addunt deinde, Hanc ſuam fictam diſtinctionem, ius clauium eſſe Eccleſiæ, ſed vſum eſſe Pontificum. Friuola ſunt hæc, per ſeſe ruentia.

Ius & vſus clauium datur cuilibet Chriſtiano.

Chriſtus hic dat ius & vſum clauium cuilibet Chriſtiano, dum dicit: Sit tibi ſicut ethnicus. Quis enim eſt ille, ſit tibi, quem alloquitur Chriſtus hoc pronomine, tibi? an Papam? imo quemlibet ſeorſim Chriſtianum. At dicendo; Sit tibi, non modo ius dat, ſed vſum & executionem mandat. Quid enim eſt dicere: Sit tibi ſicut ethnicus; niſi tantum: Noli ei, conuerſari, communionem illi neges. At hoc eſt vere excommunicare, & ligare ac claudere cælum.

Confirmat id quod ſequitur. Quodcunq; ligaueritis, ligatum eſt. Qui ſunt illi, quos alloquitur? Nonne omnes Chriſtiani? nonne Eccleſia? Quod ſi hic non vſus, ſed ius tantum dedit clauium Eccleſiæ, eadem autoritate dicemus, nulli vſquam eſſe datum vſum, ne Petro quidem Matth. 16. Nam prorſus eadem ſunt Chriſti verba, vbiq;, quibus ligandi & ſoluendi officium tradit. Si vno loco aut vni perſonæ ius traditum ſignificant, vbiq; ius traditum ſignificant, Si vno loco vſum traditum ſignificant, vbiq; vſum traditũ ſignificant. Non enim nobis licet verbis Dei vbiq; eiſdem poſitis, alium & alium ſenſum alijs & alijs locis affingere, ſicut laruæ illæ audent ſuis figmentis ludere myſteria Dei.

Matth. 16.

Claues ſunt totius Eccleſiæ.

CEſſent ergo hominum mendacia, Claues ſunt totius Eccleſiæ & cuiuslibet membri eius, tam iure, quam vſu & omnibus modis, vt verbis Chriſti nullam vim faciamus, quibus abſolute & generaliter omnibus dicit: Sit tibi. Et: Lucratus es fratrem tuum. Et: Quodcunq; vos &c.

Tibi dabo claues regni cælorum &c.

Mat. 16. 18.

Poſſem hic & illud ad Petrum ſolum dictum: Tibi dabo claues regni cælorum, pro confirmatione tractare. Item illud: Si duo conſenſerit ſuper terram. Item vbi duo fuerint in nomine meo congregati, in medio eorum ſum. In quibus pleniſſimum ius, & præſentiſſimus vſus ligandi & ſoluendi ſtabilitur, niſi forte & ipſi Chriſto in medio duorum habitanti, denegaturi ſunt ius vel vſum clauium. verum hæc alias abunde tractaui.

Ligare & ſoluere quid.

Quin & ſupra diximus, verbi miniſterium eſſe omnibus commune. At ligare & ſoluere prorſus aliud nihil eſt, quam Euangelium prædicare & applicare. Quid enim eſt ſoluere, niſi remiſſionem peccatorum coram Deo annuntiare? Quid eſt ligare, niſi Euangelium auferre & peccatorum retentionem annunciare: Quare velint, nolint, Conuicti ſunt, Claues, cum ſint miniſterium verbi applicandi, eſſe omnibus communes.

Quanquam quid refert hoc officium contentioſius nobis vindicare, qui Chriſtum nouimus? Satis enim monſtratum eſt, apud Papiſtas Chriſti cognitionem, fidem & Euangelium eſſe prorſus incognita, nunc autem & damnata. At abolita fide & ignorato Chriſto, impoſſibile eſt videre, quid ſit peccatum & non peccatum coram Deo, Cæcitas enim infidelitatis cogit eos hoc bonum dicere, quod malum eſt, & malum dicere, quod bonum eſt, & plane tota errare via. Ignorato autem peccato & bono opere, impoſſibile eſt, Poſſe ſoluere aut ligare.

Officium clauium non habent Papiſtæ.

Proinde, ſi vere volumus iuxta Chriſtum dicere & ſentire, apud Papiſtas & raſos illos ſacrifices, quamdiu ſic ſapiunt, nec eſſe nec poſſe eſſe officium ligandi, & ſoluendi tantum abeſt, vt ſacerdotes ſint, aut ſoli proprie officium illud habeant, aut vlli tradant ſuis ordinationibus, Quid enim liges,

vbi ne-

vbi neſcis, quid ligandum ſit? Ideo procedit etiam eorum furor ſecundum cæcitatem & claudunt cœlum, & aperiunt Infernum ſibi & ſuis, dum damnant ligando Euangelium, & probant ſoluendo ſuas traditiones, hoc ipſo peruerſo & ſacrilego abuſu, amiſſis clauibus tam iure, quam vſu.

V. Sacrificare.

QVintum officium eſt, ſacrificare, hæc eſt corona gloriæ ebriorum Ephrahim, hoc officio ſeſe à nobis ſegregauerunt, & orbem hebetauerunt, ſtupidis & inſulſiſſimis mendacijs nixi, dum è ſacramento ſacrificium fecerunt, de qua re & ſupra diximus. Ideo nunc breuiter tranſimus. Teſtes inuocamus ſcripturas noui Teſtamenti, ad quas etiam contra Satanam prouocamus, nullum eſſe in nouo Teſtamento ſacrificium, niſi vnicū illud omnibus commune, Rom. 12 vbi paulus nos docet ſacrificare corpora noſtra per crucifixionem, ſicut Chriſtus ſuum pro nobis in ligno ſacrificauit, In hoc ſacrificio comprehenditur ſacrificium laudis & gratiarum actionis. Idem iubet Petrus 1. Per. 2. vt offeramus hoſtias ſpirituales per Chriſtum acceptas Deo, id eſt, nos ipſos, non aurum, aut pecudes. *Eſaiæ 28.* *Sacramentum in nouo Teſtamento vnicum.* *Rom. 12.* *Sacrificium laudis.* *1. Pet. 2.*

Proinde, id quod ipſi pro ſingulari ſacrificio iactant, vere eſt ſingulare ſacrificium ſui ſingularis ſacerdotij. Sed cuius non modo nullus Chriſtianus particeps eſt, aut eſſe velit ac debeat, verum etiam velut ſummæ blaſphemiæ peruerſitatem & idolatriam deteſtatus, optabit quam longiſſime ab eius communione abeſſe, quantumuis hic antiquum vſum & multitudinem allegent. Non minus enim errat, qui cum multis errat, nec minus ardebit, qui cum multis ardebit.

Eſto itaq; firmum ac fixum, Eſſe vnicum illud ſacrificium in Eccleſia, nempe, corpus noſtrum. Cum enim hodie nullum eſſe poſſit ſacrificium, niſi quod verbo Dei mactatur & perficitur, verbum autem (vti diximus) commune ſit omnibus, & ſacrificium commune eſſe oportet.

Hoſtiæ in Eccleſia ſpirituales.

Iam cum in Eccleſia ſint tantum ſpirituales hoſtiæ, ſicut Petrus dicit, hoc eſt, quæ in ſpiritu & veritate fiunt, impoſſibile eſt eas offerri, niſi ab eo, qui ſpiritualis eſt, id eſt, à Chriſtiano, qui ſpiritum Chriſti habet. *1. Petr. 2.*

At Papiſtis ſuum commentum placet, quo cauillantur, ſuum ſacrificium etiam ab ijs fieri poſſe, qui ſceleſti ſunt, nedum ſpirituales, Gratum enim eſſe volunt ſuum ſacrificium, opere operati, non operantis, Quo ipſorummet teſtimonio conuincuntur, ſacrilegi abominabiles, quod Deum docent reſpicere ad munera Cain, etiamſi ad Cain non reſpiciat. Nam eorum ſacrificium (ipſiſmet iactantibus) externum opus eſt, perſonæ etiam ingratæ & damnatæ, cum in Eccleſia nihil placeat prorſus, niſi perſona primum ipſa, ſicut Habel, grata fuerit, hæc autem ſit fide & ſpiritu, non ſacrificio. Proinde cum ipſimet fateri cogantur, ſuos ſacrifices ſaltem magna ex parte ſpirituales non eſſe, & in Eccleſia, niſi ſpirituales ſint, ſacrifices non ſunt, certum eſt, eorum ſacrificium, non eccleſiaſticum, ſed mendacium humanum eſſe. *Sacrificium Papiſtarum.*

VI. Orare pro alijs.

SExtum officium eſt, orare pro alijs. Quam fæde & impudenter hic illuſerint orbi larue iſtæ, & ex vera Eccleſia fictam quandam Synagogam nobis fecerint, indigniſſimum eſt audire, Chriſtus enim omnibus ſuis Chriſtianis orationem illam dominicam tradidit. Qua ſola ſatis abunde probare & confirmare poſſumus, ſacerdotium eſſe vnum & commune omnibus, Rurſus papiſticum ſacerdotium eſſe merum mendacium extra Eccleſiā Dei repertum, & mera impudentia in Eccleſiā ſubintroductum, Cum enim orare pro alijs, ſit mediare & interpellare Deum, quemadmodum decet ſolum *Sacerdotium vnicum & commune omnibus.* *Orare pro alijs.*

Chriſtum

Chriſtum & omnes Fratres eius (quandoquidem & Papiſtæ hoc maxime vo. lunt eſſe ſacerdotes, quod pro Laicis Chriſtianis orant, imo hic eſt Dagon illorum & Deus vnicus ventris illorum) hoc autem orare omnibus ſit mandatum, certe omnibus ſimul mandatum eſt ſacerdotio fungi.

Neſcias itaq; an maiore vel ignorantia vel temeritate laruales iſti huius orationis dominicæ vim & officium non probauerint, dum eam omnibus communem & ipſi prædicarent, & tamen orandi officium ceu ſacerdotale ſibi ſolis ipſis arrogarent, omnibus alijs adimerent. Quid enim eſt dicere: Nos ſoli ſumus ſacerdotes, vos eſtis Laici, niſi id: Nos ſoli ſumus Chriſtiani & orare potentes, Vos gentes, & non orare, ſed noſtris orationibus iuuari potentes? Rurſus quid eſt dicere: Vos quoque orare debetis, non ſoli nos, niſi id: Vos eſtis quoque ſacerdotes & fratres Chriſti, potentes coram Deo ſtare pro omnibus? *Sacerdotes, Laici.*

Sed quam iuſta eſt vindicta Dei in iſtos abominabiles Oratores? Ecce, dum ſoli volunt eſſe, qui pro populo orent, facti ſunt, mirabili conſilio Dei, non niſi pictæ quædam orantium imagines, vt plane hic iniquitas, quæ Deo & hominibus mentiri voluit, non niſi ſibi ipſi mentiri coacta ſit. Quis eſt enim in vniuerſo numero tot Collegiorum, Monaſteriorum, Beneficiatorum, qui oret? Verba quidem orationum in labijs voluunt, & ſicut Dauid, putant ſeſe habere vaſa cantici, vt Amos ait, Verum tumultum eſſe carminum ipſe definit, qui dixit: Populus iſte me labijs honorat, cor autem eorum longe eſt à me. *nos 6. aie 29.*

Sic inuenias plurimus illorum, qui quadraginta annis vel tota vita, verba ſancta orationum labijs voluerint, ſed nec vno momento vnicam vnquam orationem coram Deo impleuerint. Et hæc monſtra dignum eſt putare & nominare ſacerdotes, quibus tantas moles templorum, tantos ſumptus, tantos reditus ſuppeditemus, ac totius mundi regna, Deniq; & ipſos veros ſacerdotes & oratores Dei, nempe Chriſtianos ſubmittamus, pro quibus orent? Cum Deus nec ſaltem gentibus eos æquare dignetur, quæ ſe multiloquio ſperant exaudiri. Hi vero ne exaudiri quidem ſeſe cogitant aut ſperant, nec in hoc battologi ſeu multiloqui ſunt, vt exaudiri ſeſe ſperent, ſed tantum, vt labijs Deum honorent, deinde hoc oſtento cenſum populi mereantur, & ventres ſuos ſaginent. Et tamen autore Papa ſunt ſacerdotes Dei, id eſt, Satanæ, qui Deus huius ſeculi eſt & pro nobis orant, id eſt, verum Deum contra nos irritant. *Papæ & ſuorum ſacerdotium & orandi officium quale.* *latth. 6.*

Audiamus itaq; hic Chriſtum iudicem & definitorem in hac cauſa. Deus (ait) ſpiritus eſt, & qui adorare vult, in ſpiritu & veritate adorare oportet, nam tales adoratores Pater quærit, ſcilicet, non qui in monte hoc, aut Hieroſolymis orent. Hac definitiua ſententia maieſtatis ſtante, ſtamus & nos confidenter ac plena fiducia decernimus autoritate diuina, Papam cum ſuis Papiſtis habere quidem ſingulare ſacerdotium, ſingulareq; orandi officium præ omnibus Chriſtianis, ſed quo neq; ſacerdotes neq; oratores, ſed laruæ & idola ſint ſacerdotum & oratorum. Cæterum Chriſtiani ſoli & omnes, vt ſoli clamant in ſpiritu: Abba pater, ita ſoli orant, ita ſoli ſunt ſacerdotes. *Veri adoratores.* *ban.14.*

SEptimum & vltimum officium eſt, iudicare & decernere de dogmatibus. Plane non vulgaris ratio eſt, cur hoc officiū ſibi arripuerint laruæ ſacerdotales & hypocriſes Chriſtianæ, ſcilicet, quod præuiderint fore, ſi hoc officium commune relinquerent, nullum prædictorum proprium retinere poſſent. *VII. Iudicare de dogmatibus.*

Adempto

Adempto enim auditoribus iudicio, quid non poſſit & audeat Doctor etiam
(ſi fieri poſſet) Satana peior? Rurſus permiſſo, imo mandato iudicio audito-
ribus, quid poſſit & audeat Doctor etiam Angelo de cœlo maior? quando
hoc admiſſo fieret, vt non modo Petrum Paulus argueret, ſed & Angelos de
cœlo anathema faceret. Itaq; de ſacerdotio, de officio docendi, baptizandi,
conſecrandi, ſacrificandi, ligandi, orandi, iudicandi, quanto timore & tre-
more dixiſſent, & ſtatuiſſent Pontifices & Concilia, ſi iudicium formidan-
dum fuiſſet auditorum, imo quam nihil vnquam fuiſſet vniuerſus Papatus, ſi
regnaſſet hoc iudicium, optime igitur ſibi conſuluerunt, dum hoc officium
ſibi vendicarunt.

Verum hoc potuerunt, & præualuerunt, donec definita ira, iuxta Da- *2. Theſ. 2.*
nielem impleretur. At nunc illuſtrante nos aduentu Saluatoris, deſtrui cœ- *Iohan. 10.*
pit Iniquus ille, & Spiritus oris eius interficit Aduerſarium illum ſuper o-
mnem cultum Dei exaltatum. Nunc enim ſtat illud Chriſti Iohan 10. Oues
meæ vocem meam audiunt. Vocem alienorum non audiunt. Matth. 7. At- *Matth. 7.*
tendite à falſis Prophetis. Matth. 16. Attendite à fermento Phariſæorum, *Matth. 16.*
quod eſt hypocriſis. Matth. 23. Super cathedram Moſi ſederunt Scribæ & *Matth. 23.*
Phariſæi, quæcunq; dixerint vt ſeruetis, ſeruate & facite, ſecundum opera
vero eorum nolite facere.

Impijs Doctoribus non credendum.

His & ſimilibus multis locis, tum Euangelij, tum totius ſcripturæ, qui-
bus admonemur, ne falſis Doctoribus credamus, quid aliud docemur, quam
vt noſtræ propriæ, quiſq; pro ſe ſalutis rationem habens, certus ſit, quid cre-
dat & ſequatur, ac iudex liberrimus ſit omnium, qui docent eum, intus à Deo
ſolo doctus, Iohan. 6. Neq; enim alterius doctrina vera vel falſa damnabe-
ris aut ſaluus eris, ſed tua ſolius fide. Doceat ergo quiſquis, quod docet, tibi *Iohan. 6.*
videndum eſt, tuo ſummo periculo aut commodo, quid credas.

Verum Paulus 1. Cor. 14. omnium potentiſſime huncFortem in atrio
ſuo ligauit, ac vaſa eius diripuit, vbi dicit: Si ſedenti reuelatum fuerit, prior *1. Cor. 14.*
taceat. Et iterum: Spiritus Prophetarum ſubiecti ſunt Prophetis. Et iterum:
Poteſtis enim per ſingulos prophetare. Quid hic valet ebrium taratantara il-
lud Papæ & ſuorum Papiſtarum, quantumlibet vſitatum multis ſeculis? Nos
mandamus, nos diſtricte præcipimus, Eccleſia Romana eſt Magiſtra Eccleſia-
rum & regula fidei? Eſto, ſedeat & doceat & ſit magiſtra, tamen hic ei tacere
mandatur, ſi ſedenti reuelatum fuerit, & non ſola ipſa, ſed per ſingulos poſſu-
mus prophetare (ait Paulus etiam Petri ſimulatoris magiſter & correptor)
Quanto magis nos ſimulatricem & ſimulatam Eccleſiam Romanam cum fi-
ducia iudicare & non iudicari ab ipſa debemus, ſub periculo etiam ſalutis
propriæ, & negandi Chriſti?

Sed & hic videre eſt pulchellam illam prudentiam laruarum, quam
fœde ſibi ipſis etiam aduerſantur, dum Deo, & omnibus, quæ Dei ſunt, ad-
uerſantur. Credimus enim eos credere, ſaltem videmus eos fateri, atque
Chriſtianus qui. adeo gloriari, eſſe ſe Chriſtianorum hominum duces & paſtores, Porro Chri-
ſtianum eſſe puto (cogentur etiam fateri) eum, qui Spiritum ſanctum habet,
qui (vt Chriſtus ait) docebit eum omnia. Et Iohannes ait: Vnctio eius
docebit vos omnia, hoc eſt, vt in ſumma dicam, Chriſtianus ita certus eſt,
quid credere & non credere debeat, vt etiam pro eo ipſo moriatur, aut ſaltem
mori paratus ſit.

Nunc, rogo te, quæ eſt frons Papiſtarum, qui iactant: Laicos oportet
nobis credere, non ſibi ipſis? Quid eſt hoc dicere, niſi, fatemur quidem *1. Iohan. 2.*
Chriſtianos habere Spiritum ſanctum, quo certiſſime ſciunt, quid creden-

dum

dum ſit, aut non ſit, Veruntamen, quia Spiritus ſanctus eſt nobis inferior, nosq; illo multo doctiores, ideo nobis debet ſubijci, & nos audire?

Igitur ſeipſos voluerunt hac ratione Magiſtros facere, vt liceret docere, quæcunq; liberet, dum nullius iudicium oportuit formidare. Hoc obtenro, nullius fuit negotij, ſibi omnia vſurpare, quæ Dei & hominum ſunt, ac plane
Matth.12. deos fieri. Nobis autem dictum eſt: Vnus eſt Magiſter veſter, Chriſtus, Vos *Vnus Magiſter veſter.*
autem fratres eſtis. Ideo prorſus eiuſdem iuris ſumus omnes. Neq; enim permittit fraternitatis nomen & communio, vt alter altero ſuperior ſit, aut plus hæreditatis aut iuris habeat, præſertim in rebus ſpiritualibus, de quibus nunc agimus. Ideo officium iſtud iudicandi, ſicut & omnia alia prædicta, non modo recuperare nobis licet, ſed niſi recuperauerimus, Chriſtũ fratrem abnegabimus. Neq; enim hic de libiro aut licito, ſed de præcepto & neceſſario tractamus, Vt maledictus ſit, qui Papæ tyrannidem agnoſcat, Benedictus vero, qui pia apoſtaſia detrectet. *Officium iudicandi pertinet ad omnes credentes.*

VErum hæc omnia de iure communi Chriſtianorum diximus. Nam cum omnium Chriſtianorum hæc ſint omnia (vti probauimus) communia, nulli licet in medium prodire autoritate propria, & ſibi arripere ſoli, quod omnium eſt. Arripe ſane id iuris & exequere, vbi nullus eſt, qui ſimile ius habeat.

Verum hæc communio iuris cogit, vt vnus, aut quorquot placnerint communitati, eligantur, vel acceptentur, qui vice & nomine omnium, qui idem iuris habent, exequatur officia iſta publice, ne turpis ſit confuſio in populo Dei, & Babylon quædam fiat in Eccleſia, ſed omnia ſecundum ordinem
1. Corint.14. fiant, vt Apoſtolus docuit. Aliud enim eſt, Ius publice exequi, aliud iure in neceſſitate vti, publice exequi non licet, niſi conſenſu vniuerſitatis ſeu Eccleſiæ, In neceſſitate vtatur, quicunq; voluerit.

COnueniamus nunc papiſticos ſacerdotes, ac rogemus, vt no- *Sacerdotium papiſticum.*
bis monſtrent, an alia ab iſtis officijs ſacerdotium ſuum habeat. Si alia habet, certe Chriſtianum non erit. Si eadem habet, ſingulare non erit. Ita concludemus illos, quoquo ſeſe verterint, vt aut ſacerdotiũ aliud à Laicis non habeant, aut ſacerdotium Satanæ habeant. Ex fructibus enim docuit omnes arbores Chriſtus cognoſcere, At noſtri communis ſacerdotij fructus vidimus.

Aut ergo alios ab iſtis fructibus oſtendant, aut negent ſeſſe eſſe ſacerdotes, Nam fructus huiuſmodi publice vel priuatim ferre non probat aliud & aliud ſacerdotium, ſed alium & aliũ vſum eiuſdem ſacerdotij. Quod ſi raſuram, vnctionem & longam tunicam tantum poſſunt oſtendere pro ſuo ſacerdorio, permitrimus illis gloriari in his ſordibus, ſcientes, facile vel porcum vel truncum poſſe radi, vngi & longa tunica indui.

Nos in hoc ſtamus, Non eſſe aliud verbum Dei, quam quod omnibus Chriſtianis annuntiare præcipitur, Non eſſe alium baptiſmum, quam quem quilibet Chriſtianus conferre poteſt, Non eſſe aliam memoriam cænæ dominicæ, quam vbi quilibet Chriſtianus facere poteſt, quod Chriſtus facere inſtituit, Non eſſe aliud peccatum, quam quod Chriſtianus quilibet ligare & ſoluere debet, Non eſſe aliud ſacrificium, quam corpus cuiuslibet Chriſtiani, Non poſſe orare, niſi ſolum Chriſtianum, Non debere iudicare de doctrinis, niſi Chriſtianum. Hæc autem ſunt ſacerdotalia, & regalia. Aut ergo Papiſtæ *Sacerdotum verorum officia.*
alia officia ſacerdotũ oſtendant, aut ſacerdotium reſignent, Raſura, vnctura, veſtitura alijsq; hominum ſuperſtitione introductis ritibus, nihil mouemur, etiamſi Angelus de cœlo tradiderit, multo minus, ſi antiquus vſus, multorum opinio, & recepta autoritas ſic ſenciat.

EX his omnibus credo confirmatum eſſe, eos, qui Sacramentis & verbo inter populos præſunt, non poſſe nec debere ſacerdotes vocari. Quod autem ſacerdotes vocantur, id vel ex gentilium ritu, vel ex Iudaicæ generis reliquijs ſumptum eſt, deinde maximo Eccleſiæ incommodo probatum. Cæterum iuxta euangelicas literas, Miniſtri, Diaconi, Epiſcopi, Diſpenſatores rectius nominarentur, qui & ob ætatem Presbyteri ſæpius vocantur. Sic enim Paulus 1. Corinth. 4. dicit: Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti & diſpenſatores myſteriorum Dei. Non ait, vt ſacerdotes Chriſti, quod nomen ſacerdotis & officium ſciret omnibus eſſe commune. Inde celebris illa vox Pauli, Diſpenſatio ſeu œconomia, miniſterium, miniſter, Seruus, Seruio in Euangelio &c. Vt vbiq; non ſtatum, ordinem, ius ſeu dignitatem quandam (vt noſtri volunt) erigeret, ſed officium & opus tantum commendaret, iure & dignitate ſacerdotij in communi relictis.

Miniſtri, Diaconi, Epiſcopi &c. — *1. Cor. 14.*

Character indelibilis.

Quod ſi miniſtri tantum ſunt, iam perit ille character indelibilis, & æternitas illa ſacerdotij nulla niſi ficta eſt, Sed deponi Miniſter poteſt, ſi fidelis eſſe deſinat. Rurſum ſerri in miniſterio, donec vel meruerit, vel vniuerſitati Eccleſiæ placuerit, ſicut quiuis alius ciuilium rerum inter Fratres æquales adminiſtrator, Imo hic miniſter ſpiritualis multo eſt mobilior, quam vllus ciuilis, quanto intolerabilior eſt, ſi infidelis fuerit, quam ciuilis, qui rebus tantum huius vitæ nocere poteſt, hic vero æternarum rerum vaſtator eſt, Ideo reliquorum Fratrum eſt, illum excommunicare, & alium ſubſtituere.

HIs firmiſsimis fideliſsimisq; ſcripturæ firmamentis (ſi verbis Dei credimus) ſuperata eſt miſera illa neceſſitas, quæ Boemiam hactenus egit pene mendicare raſum ſacerdotium, ac indigniſſimos quoq; ferre. Nam hic luce clarius, ac fide certius habemus, vnde petendi ſint ſacerdotes ſeu miniſtri verbi, ſcilicet, ex ipſo grege Chriſti, ac nuſquam alibi. Nam vbi id monſtratum eſt euidenter, habere vnumquemq; ius miniſtrandi verbi, imo præceptum, ſi viderit vel deeſſe qui doceant, vel non recte docere, qui adſunt, vt 1. Cor. 14. Paulus ſtatuit, quo virtus Dei annuntietur per nos omnes. Quomodo non multo magis ius ac præceptum habebit tota aliqua vniuerſitas, id officij communibus ſuffragijs alicui vni, vel pluribus vice ſua committere. Et illi deinceps alijs, accedentibus eiſdem ſuffragijs?

Miniſtri verbi ex grege Chriſti eligendi &c. — *1. Cor. 14.*

Idonei ad docendum eligantur ad miniſterium euangeliſandi officium. — *2. Tim. 2.*

Sic Paulus 2. Timoth. 2. Hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere. Hic Paulus reiecta omni illa pompa radendi, & vngendi & ordinandi, tantum quærit, vt idonei ſint ad docendum, iis vult ſimpliciter verbum commendari. Quod ſi docendi verbi officium illi traditur, ſimul omnia, quæ verbo in Eccleſia fiunt, traduntur, nempe, baptiſandi, conſecrandi, ligandi, ſoluendi, orandi, iudicandi officium, ſiquidem euangeliſandi officium omnium ſummum eſt, nempe apoſtolicum, quod fundamentum ponit omnibus alijs officijs, quorum eſt ſuperædificare. Qualia ſunt Doctorum, Prophetarum, Gubernatorum, linguarum, gratiæ ſanitatum & opitulationum, vt 1. Corinth. 12. Paulus digerit. Nam & Chriſtus euangeliſabat potiſſimũ, ceu ſummo officio functus, & non baptiſabat. Paulus quoq; non ſe miſſum gloriatur ad baptiſandum, ceu ſecundarium officium, ſed ad euangeliſandum, ceu primarium officium.

1. Cor. 12.

Eccleſia verbo Dei naſcitur, alitur &c. — *1. Cor. 1.*

SEd & neceſsitas ita cogit, & communis ſenſus fidei ſuadet. Nam cum Eccleſia Verbo Dei naſcatur, alatur, ſeruetur & roboretur, palam eſt, eam ſine verbo eſſe non poſſe, aut ſi ſine verbo ſit, Eccleſiã eſſe deſinere. Dein-

re. Deinde cum quilibet ſit ad verbi miniſterium natus è baptiſmo, & Epiſcopi papales nolint dare verbi miniſtros, niſi tales, qui verbum Dei aboleant, & Eccleſiam perdant, Reliquum eſt aut permittere Eccleſiam Dei perire ſine verbo, aut oportere conuentu facto, communibus ſuffragijs ex ſuo gremio eligere vnum, vel quotquot opus fuerit, idoneos, & orationibus ac manuum impoſitionibus, Vniuerſitati commendare & confirmare, atq; eos tum pro legitimis Epiſcopis & miniſtris verbi agnoſcere & colere, indubitata fide credendo, à Deo geſtum & factum eſſe, quod hac ratione geſſerit & fecerit, conſenſus communis fidelium, Euangelium agnoſcentium ac profitentium. *Eligendi miniſtros poteſtas penes Eccleſiam eſt.*

Atq; ſi hæc nihil concluderent prædicta firmamenta, abunde tamen ſatis hortari & firmari deberet, id quod Chriſtus Matth. 18. dicit: Si duo conſenſerint ſuper terram, de omni re, quamcunq; petierint, fiet eis à Patre meo, qui eſt in cœlis. Vbi enim ſunt duo vel tres in nomine meo congregati, ibi ſum in medio eorum. Si igitur trium aut duorum conſenſus in nomine Domini omnia poteſt, & Chriſtus agnoſcit ſeſe eſſe autorem eius facti, quod tales faciunt, Quanto magis illo probante & operante, fieri & factum eſſe credendum eſt, ſi in nomine eius congregemur, oremus & eligamus Epiſcopos & Miniſtros verbi ex nobis ipſis, qui iam ſine electione eiuſmodi per baptiſmum nati & vocati ſumus ad eiuſmodi miniſterium. *Matth. 18.* *Vbi duo vel tres congregati in nomine meo &c.*

QVod ſi exemplum petimus, adeſt Apollo Act. 18. quem legimus plane ſine vlla vocatione & ordinatione Epheſum veniſſe, & feruenter docuiſſe, Iudæoſq; potenter reuiciſſe. Quo iure, quæſo, iſte fungitur miniſterio verbi? niſi illo generali & communi 1. Corinth. 14. Si ſedenti reuelatum fuerit, prior taceat. Et 1. Pet. 2. Vt virtutes eius annuncietis. Et hic vir poſtea factus eſt etiam Apoſtolus nulla alia accedente ordinatione, non ſolum fungens miniſterio verbi, ſed & multum vtilis ijs, qui iam crediderant. Ita quilibet Chriſtianus facere tenetur, ſi viderit opus eſſe verbo, & idoneus ſit, etiamſi non vocet eum Vniuerſitas, Quanto magis, ſi rogetur voceturq; à Fratribus æqualibus ſeu tota vniuerſitate? *Act. 18.* *Apollo.* *Corint. 14.* *Pet. 2.*

Allud exmplum præſtant Stephanus & Philippus, tantum ad miniſterium menſæ ordinati. At ille facit ſigna & prodigia in populo, diſputat cum Synagogis, & confutat conſilium verbo ſpiritus, Hic vero conuertit Samaritanos, & diſcurrit per Aſotum & Cæſaream. Quo iure, rogo, & qua autoritate? Certe nuſquam nec rogati nec vocati à quoquam, ſed proprio motu & generali iure, dum eſſet eis oſtium apertum, & opus viderent ſuo officio populis ignaris & verbo priuatis. Quanto magis id feciſſent, ſi fuiſſent rogati aut vocati ab aliquibus, vel ab vniuerſitate. *Act. 6.* *Act. 8.* *Stephanus. Philippus.*

Et Eunuchus ille à Philippo conuerſus, ſi vere Chriſtianus permanſit, ſicut dignum eſt credere, abſq; dubio multos docuit verbum Dei, cum præceptum habuerit, annuntiare virtutes eius, qui eum vocauit de tenebris in lumen ſuum admirabile. Ad verbum eius ſecuta eſt multorum fides, cum verbum Dei non reuertatur vacuum, Ad fidē autem ſecuta eſt Eccleſia, Eccleſia deinde baptiſandi, docendi, & omnia ſupradicta officia per verbum habuit & impleuit. At hæc omnia Eunuchus perfecit nullo iure niſi baptiſmi & fidei ſuæ, præſertim cum alij ibi non eſſent. *Eunuchus à Philippo conuerſus.*

REliquum eſt ergo, viri clariſsimi, vt fide conſtanti induamini, quo Boemiæ veſtræ conſulatis, fide, inquam, hic opus eſt coſtanti & immota. Nā ijs, qui credunt, hæc ſcribimus, qui non credunt, iſtis non capiuntur, Tū illis ipſis idem fuerit, habere vel non habere Epiſcopos, quando-

quidem neq; Chriſtiani neq; Eccleſia Dei ſunt, qui tam manifeſtis ſcripturis & exemplis non mouentur, mouentur autem leuibus iſtis raſuræ, vncturæ & veſtituræ laruis, ſine ſcripturis & exemplis tantum longitudine temporis & multorum vſu probatis, quas pius Chriſtianus ex oculis amoueat, & ſolo ſolidoque verbo Dei intentus ſit oportet, plenaque fide ſeſe credat facere & conſequi, quæ per illud promitti intelligit.

Noua res eſt (inquiunt) & ſine exemplo, ſic eligere & creare Epiſcopos. Reſpondeo: Imo antiquiſſima & exemplis Apoſtolorum ſuorumq; diſcipulorum probata, licet per Papiſtas contrario exemplo & peſtilentibus doctrinis abolita & extincta. Proinde hoc magis laborandum, vt recens peſtilentiæ exemplum explodatis, & priſcum ſalutis exemplum reuocetis.

Fides facit omnia noua.

Deinde, ſi maximé noua res eſſet, tamen cum verbum Dei hic luceat & iubeat, ſimul neceſſitas animarum cogit, prorſus nihil mouere debet rei nouitas, ſed verbi maieſtas. Nam quid, rogo, non eſt nouum, quod fides facit? Non fuit etiam Apoſtolorum tempore nouum huiuſmodi miniſterium? Non fuit nouum, quod Abraham obtulit Filium ſuum? Non fuit nouum, quod filij Iſrael mare tranſierunt? Non erit mihi nouum, quod ego per mortem ibo in vitam? At verbum Dei in his omnibus ſpectatur, non nouitas ipſa, alioqui ſi nouitas ſatis eſt vt moretur, iam non licet vlli verbo Dei vnquam credere. *Gene. 22. Exod. 14.*

Credite itaq;, mei Fratres, verbo Dei, & nouitas non mouebit vel veſtro ipſorum exemplo. Nam ſi nouitas nunc aliquid valet, cur non valuit, cum vos ſoli Boemi reſtitiſtis Papæ, & omnia illa pro Iohanne Huſs feciſtis? An non fuit iſta res noua & ſine exemplo, imo contrario totius orbis exemplo vſque in hodiernum diem? cum non tam manifeſtis ſcripturis roborati fuiſſetis, ſicut in hac parte eſtis. Si ibi fuiſtis auſi & ſoli ſequi, fateri ac tueri, ius quantumuis exoletum & extinctum, vbi vel nulla vel minor erat neceſſitas animarum, Cur hic non ſequamini, fateamini ac tueamini, ius veſtrum abolitum, tot fulti clypeis & armaturis turris Dauid, deinde tanta vrgente animarum neceſſitate & miſera captiuitate, tanta rurſus inuitante libertate, copia & occaſione? Lenietur autem vſu modico, ſi quid aſperum eſt huius nouitatis, multo faciliore certe, quam lenita eſt defectio veſtra à tyrannide papiſtica, tantum eſt, vt audeatis in Domino, & Dominus erit vobiſcum.

Forma eligendi miniſtros Eccleſiæ.

SIc ergo faciatis, primum orationibus tum priuatis tum publicis, Deum quæretis, nam res illa magna eſt, nec me tam mouet eius nouitas quam magnitudo, hoc eſt, quod neq; viribus neq; prudentia veſtra velim hic quidquam tentari, ſed cum timore & tremore in humilitate aggredimini, querentes & confitentes miſeriã & captiuitatem veſtrã peccatis veſtris meritã, coram propiciatorio Dei, & throno gratiæ eius, qui eſt Ieſus Chriſtus Epiſcopus animarum noſtrarum, Supplicantes & orantes, vt ſpiritum ſuum in corda veſtra mittat, qui vobiſcum laboret, ſeu potius, qui in vobis operetur & velle & perficere. Nam ſi res iſta debet feliciter incipi, & ſalubriter perſeuerare, opus eſt, vt diuina virtute, quam miniſtrat Deus (teſte Petro) in vobis fiat. *1. Pet. 4.*

Deinde, vbi ſic oraueritis, nihil dubitetis fidelem eſſe, quem rogaſtis, vt det quod petiſtis, aperiat, pulſantibus, & inueniatur quærentibus, vt ſic certiſſimi ſitis, vos agi in hac cauſa, non agere. Tum conuocatis & conuenientibus libere, quorum corda Deus tetigerit, vt vobiſcum idem ſentiant & ſapiant, procedatis in nomine Domini, & eligite quem & quos volueritis, qui digni & idonei viſi fuerint, Tum impoſitis ſuper eos manibus illorum, qui potiores inter vos fuerint, confirmetis & commendetis eos populo & Eccleſiæ ſeu vniuerſitati, ſintque hoc ipſo veſtri Epiſcopi, Miniſtri ſeu Paſto-

Tit. 1. 1. Tim. 3. ſeu Paſtores, Amen. Nam quales eligere oporteat, docet ſatis Paulus Tit. 1. 1. Timoth. 3.

Hanc electionis formam non puto neceſſariam ſtatim fieri totius Boemiæ communibus Comitijs, ſed ſeorſim in ſingulis ciuitatibus ſuam, vt vna alterius ſequatur exemplum. In Comitijs vero id agi debet, an iſta forma toti Boemiæ acceptanda ſit, vel ſi pars eã acceptare, & pars differre aut in totum omittere velit, Nam nulli cogendi ſunt ad fidem, ſed Spiritui ſancto dandus eſt locus & honor, vt ſpiret vbi vult. Neq; enim ſpes eſt, vt hæc omnibus, ſaltem ſubito placeant. Nec id vos mouere debet, ſi non omnium idem ſit conſenſus, Imo hoc mouere debet, vt magis audeatis, ſi multi non conſentiant, Satis eſt primo exemplo paucos ita incipere, qui poſtea vſu & ſucceſſu temporis totam multitudinem ad ſuum exemplar inuitent. *Nullus ad fidem cogendus.*

Vbi vero profecerit, Domino operante, opus, vt multæ ciuitates hoc modo Epiſcopos ſuos eligant, tum poterint Epiſcopi illi, ſi velint, inter ſeſe conuenire, & vnum vel plures ex ſeſe eligere, qui Maiores illorum ſint, id eſt, qui illis miniſtrent, & viſitent illos, ſicut Petrus viſitauit Eccleſias in Actis Apoſtolorum, Donec Boemia redeat ad legitimum rurſus & euangelicum Archiepiſcopatum, qui non multis cenſibus & ditionibus, ſed multis miniſterijs & viſitandis Eccleſijs diues ſit.

Quod ſi omnino infirmiores eſtis, quam vt hunc liberum & apoſtolicum ritum inſtituendi ſacerdotij audeatis tentare, Age feremus infirmitatem veſtram, & permittamus, vt iam ordinatos ab Epiſcopis papiſticis acciplatis, ſcilicet Gallum illum veſtrum & ſui ſimiles, & vtamini illis vice Epiſcoporum papalium, vt illi vocent, & eligant atq; confirment, quos viderint idoneos, & vobis tolerabiles eſſe, iuxta præſcripta, & doctrinã Pauli.

Nam apud Paulum certe Epiſcopus eſt, qui verbo præeſt, qualis eſt Gallus veſter, quantumuis inſula & pedo, alioqı faſtu & pompa non ſplendeat, quæ ſunt irritabula ſtulti vulgi tantum, Donec adoleſcatis & plene intelligatis, quæ ſit potentia verbi Dei. Alia plane ratione nunc vobis conſultum eſſe non poteſt, Nam ſine peccato vel impietate, deinde ſine periculo perdendatum animarum, papiſticos ordines & ordinatos ſuſcipere non poteſtis. *Epiſcopus apud Paulum.*

1. Corint. 14. Iam ſi & hic vos ſcrupulus terret, Vos non eſſe certo Eccleſiam Dei. Reſpondeo, Eccleſiam non moribus, ſed verbo cognoſci, 1. Cor. 14 vbi dicit, Infidelem, ſi in Eccleſiam introierit, videritq; eos prophetare, caſurum in faciem, & confeſſurum, quod vere Deus in illis habitet. Hoc igitur certum eſt, Eſſe apud vos in multis verbum Dei & cognitionẽ Chriſti. At vbi vbi verbum Dei cum cognitione Chriſti eſt, inane non eſt, quantumuis ſint infirmi moribus externis, qui illud habent, Eccleſia enim etſi infirma eſt in peccatis, impia tamen non eſt in verbo, peccat quidem, ſed verbum neq; negat neque ignorat. *Eccleſia non moribus ſed verbo agnoſcitur.*

Quare eos, qui verbum probant & confitentur, repudiare non licet, quantumuis non fulgeant mira ſanctitate, modo manifeſtis criminibus obſtinate non vixerint. Quare nihil eſt, quod dubitetis apud vos eſſe Eccleſiam Dei, etiamſi tantum decem vel ſex eſſent, qui verbum habent. Quidquid autem ij fecerint in hac cauſa, etiam conſentientibus cæteris, qui verbum nondum habent, plane Chriſtum feciſſe certum eſt, modo eum humilitate & orationibus rem geſſerint, vt diximus.

VLtimum vero, quod & ipſe vereor potiſsimum fore huius
conſilij obſtaculum, illud eſt, Quod hæc cauſa, quemadmodum & o-
mnis alia, quæ ex Deo eſt, cruce ſua non carebit. Neque enim Satanas
aut dormit, aut non intelligit, quid hac ratione quæramus, nec ſegniter ſeſe
opponet, Princeps mundi eſt, & cogitationes noſtras videt, vt nos illius vide-
mus. Loquor autem de ea cruce, quod potentia mundi & principes gentium
pro ſuo imperio non permittent iſta tentari, & ante prohibere incipient, quã
vos cogitetis tale quippiam moliri. Hæc erit enim operatio eius, qui Deus
quoque huius ſeculi, nedum Princeps eſt, in corde infidelium, vt plane nulla
ſit præſumenda ſpes, cum pace tranquillitateq; externa fieri poſſe, ſed ſummo
tumultu & procellis tantis, vt nauicula fluctibus operta putetur plane ſub-
mergi.

Quid vero hic dicam niſi illud Petri: Oportet Deo magis obedire, quam
hominibus? Vbi enim conſtiterit, hanc cauſam eſſe ſanctã placentemq; Deo, *Act. 5.*
ſicuti reuera eſt, conſiſti oportet ſupra petrã, & tumentes illos fluctus minan-
tesq; ventos, & inundantes pluuias contemnere, Nihil minus ſpectare, quã vt
pax & quies aut gratia & honor ſit iis, qui ſapiunt, & faciunt ea quæ Dei ſunt.

Quin ideo Chriſtus hunc ignem in terras mittit, & Behemoth illum ter-
ribilem ipſe non crudelis ſuſcitat, vt erudiat nos, non eſſe noſtræ infirmitatis
opus, quod inſtituimus, ſed virtutis diuinæ, Ne gloriemur aut præſumamus
aduerſus gratiã Dei, ſed nos de nobis deſperantes, ſileamus, & ipſum (vt Scri-
ptura toties inculcat) ſinamus pugnare pro nobis, & in noſtra infirmitate o-
mnium vim & potentiam vincere, & in noſtro ſilentio totius maris motum
& fluctus eius compeſcere, ſicut ſcriptum eſt: In ſilentio & ſpe erit fortitudo *Iſai. 30.*
veſtra, Et iterum: Certamen forte dedi ei, vt vinceret. *Sap. 10*

Atq; hoc ipſum inprimis mouere debet, vt pergatis facere, ſi videritis
poteſtates & principatus vobis reſiſtere, Velut argumento certiſſimo confir-
mati, ex Deo eſſe quod inſtituiſtis, & ipſum Deum vobis affuturum eſſe, cuius
verbum habetis. Nam ſi de mundo eſſet hoc conſilium, mundus, quod ſuum
erat, non modo permitteret, ſed diligeret quoq;. Nunc vero cum de mundo
non ſit, ſed Deus id dedit in corde noſtro per verbum ſuum, Idcirco mundus
non ſolum non permittet, ſed perſequetur extreme & execrabitur. Sed confi-
dite, Ipſe vicit mundum. Et maior eſt, qui in nobis eſt, quam qui in mundo *Iohan. 16.*
eſt, etiamſi tumultibus & ſeditionibus res ita confundi videatur, vt incredulis *1. Iohan. 3.*
etiam cœlum ruere metuatur. Neq; enim petra noſtra pallet ad tonitrua &
fulgura, nec metuit triſte cœlum ac nubila, nec pauet luctantes ventos tem- *2. Par. 20.*
peſtatesq; ſonoras, ſui eſt conſcia & certiſſimum tandem ſerenum expectat.

Quare nolite timere, Iuda & Ieruſalem, ſed conſtantes eſtote, videbitis
auxilium Domini ſuper vos, Egrediamini ſolum, & Dominus erit vobiſcum.
Neq; enim nouum aut mirum eſt, ſi Princeps mundi ſæuiat, vbi regnum ſuũ
ſentit periclitari. Quid aliud faceret? Atrium ſuum in pace mallet poſſidere, id *Luce 11.*
quia videt fieri non poſſe, certe id, quod extremum habet, tentat, ſcilicet furo-
rem & impetum, tanquam leo rugit & circumit quærens quem deuoret.
Quem poſtquam talem cognouerimus præmonente Deo, quid eſt, quod ali-
um fore vnquam expectamus, ac non potius fortes in fide reſiſtimus? State *1. Pet. 5.*
ergo ac pergite, optimi viri, verbo Dei, gladio ſpiritus inuicto & omnipotenti
muniti. Aut enim forti fide iſta tentanda via eſt, vel in totum prorſus deſiſten-
dum, Non luctamur cum carne & ſanguine, ſed cum ſpiritualibus nequitijs *Epheſ. 6.*
in cœleſtibus.

Hæc de

HÆC de ratione inſtituendi eccleſiaſtici miniſterij pro mea tenuitate (quando ita oportuit) dixi, alijs melioribus & doctioribus, aptioraq; dicere valentibus occaſionem ſapiendi & dicendi dediſſe contentus. Non enim omnia poſſumus omnes, Et diuiſiones miniſtrationum ſunt, vnus autem Dominus, qui operatur, non in vno ſolo, ſed in omnibus, non ſicuti nos volumus, ſed ſicut ipſe vult.

Cæterum, de corrigenda Miſſa, & cultu Dei inſtaurando, alijſq; officijs miniſterij eccleſiaſtici, aut alij dicent, aut alio tempore ipſe dicam, quanquam ſi ad Euangelium inſtitutus ſit miniſter, ipſe per ſeſe docente vnctione, in hac re feliciter regnare poteſt. Nunc enim ſatis eſt, ſi primum orationibus & votis apud Deum impetrare ipſum miniſterium, & impetratum videre ac gaudere digni fuerimus.

FINIS.

M. D. XXIII.

FORMVLA MISSÆ ET COMMVNIONIS PRO Eccleſia VVittembergenſi.

VENERABILI IN CHRISTO D. NICOLAO HAVSMANNO, EPIſcopo Cygneæ Eccleſiæ, in Chriſto S.

Martinus Lutherus.

GRatiam & pacem in Chriſto optat, Hactenus libellis & ſermonibus egi inter populos, vt corda primum ab impijs opinionibus ceremoniarum auocarem, Chriſtianum & commodum arbitratus me facere, ſi cauſa fiere, vt abſq; manibus contereretur Abominatio, quam Satan per Hominem peccati in loco ſancto ſtatuerat. Proinde nihil vi aut imperio tentaui, nec vetera nouis mutaui, ſemper cunctabundus & formidabundus, Tum propter imbecilles in fide animos, quibus ſubito eximi non potuit tam vetus & inolita, nec inſeri tam recens & inſueta ratio colendi Dei, Tum maxime propter leues illos & faſtidioſos ſpiritus, qui ceu ſues immundæ, ſine fide, ſine mente irruunt, & ſola nouitate gaudent, atque ſtatim vt nouitas eſſe deſijt, nauſeant. Quo genere hominum, cum in rebus cæteris, nihil eſt moleſtius, tum in rebus ſacris ſunt moleſtiſſimi & intolerabiles, quamuis vt rumpar ira, ferre illos cogor, niſi velim & Euangelium ipſum è publico tollere.

Sed cũ iam ſpes ſit, multorũ corda per gratiã Dei illuſtrata eſſe & roborata, ipſaq; res poſcat, vt tandẽ ſcandala tollãtur de regno

Chriſti, Audendum eſt aliquid in nomine Chriſti. Iuſtum eſt enim, vt vel paucis conſulamus, ne dum perpetuo leuitatem & abuſum illorũ formidemus, nullis prorſus conſulamus, & dum iſtorum futura ſcandala cauere volumus, vniuerſas abominationes illorum roboremus.

Quare de Formula aliqua pia miſſandi (vt vocant) & communicandi, vt & tu poſtulaſti toties, optime Nicolae, agemus, ac ſic agemus, vt non amplius ſolum verbo doctrinæ corda regamus, ſed manum quoque apponamus, & publica adminiſtratione in opus perducamus, nulli prorſus præiudicantes, ne aliam amplecti & ſequi liceat. Quin ex animo per Chriſtum obſecramus, vt ſi quid melius illis reuelatum fuerit, nos priores tacere iubeant, vt communi opera rem communem iuuemus.

Miſſa & communio à Chriſto inſtituta.

INprimis itaque profitemur, Non eſſe nec fuiſſe vnquam in animo noſtro, omnem cultum Dei prorſus abolere, ſed eum, qui in vſu eſt, peſſimis additamentis vitiatum, repurgare, & vſum pium monſtrare. Nam hoc negare non poſſumus, Miſſas & communionem panis & vini, ritum eſſe à Chriſto diuinitus Inſtitutum, qui ſub ipſo Chriſto primum, deinde ſub Apoſtolis, ſimpliciſſime atque piiſſime, abſque vllis additamentis obſeruatus fuit, Sed ſucceſſu temporum, tot humanis inuentis auctus, vt præter nomen ad noſtra ſecula nihil de Miſſa & communione peruenerit.

Ac primorum Patrum additiones, qui vnum aut alterum Pſalmum ante benedictionem panis & vini, leui voce oraſſe leguntur laudabiles fuere, quales Athanaſius & Cyprianus fuiſſe putantur. Deinde, qui Kyrie eleiſon addiderunt, & ipſi placent. Nam ſub Baſilio magno legimus, Kyrie eleiſon fuiſſe in vſu totius populi publico. Iam Epiſtolarum & Euangeliorum lectio etiam neceſſaria fuit & eſt, niſi quod vitium eſt ea lingua legi, quæ vulgo non intelligitur.

Poſt vero, vbi cantus cœpit, mutati ſunt Pſalmi in Introitum, Tum additus eſt hymnus ille angelicus: Gloria in Excelſis, Et in terra pax. Item Gradualia & Halleluia, & Symbolum Nicenum, Sanctus, Agnus Dei, Communio, Quæ omnia talia ſunt, vt reprehendi non poſſint, præſertim quæ de tempore ſeu dominicis diebus cantantur. Qui dies ſoli adhuc priſcam puritatem teſtantur, excepto Canone.

Canon Miſſæ.

AT vbi iam licentia fiebat addendi & mutandi, prout cuiuis libebat, accedente tum, quæſtus & ambitionis ſacerdotalis tyrannide, tum cœperunt Altaria illa & inſignia Baal & omniũ Deorum poni in templum Dòmini, per impios Reges noſtros, id eſt, Epiſcopos & Paſtores, Hic ſuſtulit impius Abas altare æreum, & conſtituit aliud è Damaſco petitum, Loquor autem de Canone illo lacero & abominabili, ex multorum lacunis ceu ſentina collecto. Ibi cœpit Miſſa fieri ſacrificium, Ibi addita offertoria &

Miſſa quando facta ſacrificium.

Collectæ mercenariæ, Ibi Sequentiæ & proſæ Inter Sanctus & Gloria in excelſis inſertæ. Tum cœpit Miſſa eſſe monopolium ſacerdotale, totius mundi opes

di opes exhautiens, diuites, ocioſos, potentes & voluptuarios & immundos illos cœlibes toto orbe ceu vaſtitatem vltimam exundans. Hinc Miſſæ pro defunctis, pro itineribus, pro opibus, Et quis illos titulos ſolos numeret, quorum Miſſa facta eſt ſacrificium?

Neque hodie ceſſat Canon iſte augeri, alijs & alijs feſtis, alias actiones, alios communicantes aſciſcens. Vt taceam memorias viuorum & mortuorum, nondum ad finem ſui auctas. Nam additamenta externa, veſtium, vaſorum, cereorum, pallarum, deinde organorum & totius muſicæ, imaginum, quid dicam? Nihil pene fuit in toto orbe artificiorum, quod non magna ex parte ſua negotia ac quæſtum ſuum haberet, & è Miſſa aleretur.

Transierint itaque iſta, & adhuc tranſeant, reuelante Euangelio abominationes tantas, donec penitus aboleantur. Nos interim omnia probabimus, quod bonum eſt tenebimus. Verum hoc Libro dicere omittimus, Miſſam non eſſe ſacrificium ſeu opus ſacrificantis, quod alias abunde docuimus. Apprehendamus eam, vt ſacramentum ſeu teſtamentum, ſeu benedictionem latine, Euchariſtiam græce, vel menſam Domini, vel cœnam Domini, vel memoriam Domini, vel Communionem, vel quocunque nomine pio placet, modo ſacrificij aut operis titulo non polluatur, & ritum monſtremus, quo nobis viſum eſt illa vti.

PRimo, Introitus dominicales & in feſtis Chriſti, nempe, Paſchatis, Pentecoſtes, Natiuitatis, probamus & ſeruamus, quanquam Pſalmos mallemus, vnde ſumpti ſunt vt olim, ſed nunc ſic vſui recepto indulgebimus. *Introitus ex ſcripturis ſumpti &c.* Quod ſi qui Apoſtolorum, Virginis, aliorumque Sanctorum introitus (quando è Pſalmis aut alijs ſcripturis ſumpti ſunt) probare volent, non damnamus. Nos Vuittembergæ ſolis dominicis & feſtis Domini ſabbatiſſare quæremus, omnium Sanctorum feſta prorſus abroganda, vel ſi quid dignum in eis eſt, in dominicalibus concionibus miſcenda eſſe putamus. Feſtum Purificationis & Annunciationis pro feſtis Chriſti, ſicut Epiphania & Circumciſionem, habemus. Loco feſti S. Stephani & Iohannis Euangeliſtæ, officium Natiuitatis placet. Feſta S. Crucis Anathema ſunto. Alij faciant pro ſua conſcientia vel aliorum infirmitate, quod ſpiritus ſuggeſſerit.

Secundo Kyrie eleiſon, vt hactenus celebratum eſt, varijs melodijs *Kyrie eleiſon.* pro diuerſis temporibus amplectimur, cum ſequenti hymno angelico: Gloria in excelſis, Tamen in arbitrio ſtabit Epiſcopi, quoties illum omitti voluerit.

Tertio, Sequens oratio illa ſeu Collecta, modo ſit pia (vt fere ſunt, *Collectæ.* quæ dominicis diebus habentur) perſeueret ritu ſuo, ſed ea duntaxat vnica. Poſt hanc lectio Epiſtolæ. Verum nondum tempus eſt & hic nouandi, quando nulla impia legitur. Alioqui cum raro eæ partes ex Epiſtolis Pauli legantur, in quibus fides docetur, ſed potiſſimum morales & exhortatoriæ, vt ordinator ille Epiſtolarum videatur fuiſſe inſigniter indoctus & ſuperſtitioſus operum ponderator, officium requirebat eas potius pro maiore parte ordinare, quibus fides in Chriſtum docetur. Idem certe in Euangelijs ſpectauit ſæpius, quiſquis fuit lectionum iſtarum autor. Sed interim ſupplebit hoc vernacula Concio. Alioqui ſi futurum eſt, vt vernacula Miſſa habeatur

(quod

(quod Chriſtus faueat) danda eſt opera, vt Epiſtolæ & Euangelia ſuis optimis & potioribus locis legantur in Miſſa.

Graduale.

Quarto, Graduale duorum verſuum ſimul cum Halleiuia, vel alterutrum iuxta arbitrium Epiſcopi cantetur. Porro Gradualia quadrageſimalia & ſimilia, quæ duos verſus excedunt, canter quiſquis velit in domo ſua. In Eccleſia nolumus tædio extingui ſpiritum fidelium. Sed nec ipſam Quadrageſimam, ſiue maiorem hebdomadam aut ſextam feriam pœnoſam, alijs ritibus oſtentare decet, quam alias quæcunq; ne ſemimiſſa & altera ſacramenti parte Chriſtum amplius ludere & ridere velle videamur. Halleluia enim vox perpetua eſt Eccleſiæ, ſicut perpetua eſt memoria paſſionis & victoriæ eius.

Proſæ.

Quinto, Sequentias & Proſas nullas admittimus, niſi Epiſcopo placuerit illa breuis in Natiuitate Chriſti: Grates nunc omnes. Neque ferme ſunt, quæ ſpiritum redoleant, niſi illæ de Spiritu ſancto: Sancti ſpiritus, &, Veni ſancte Spiritus, & pauculæ aliæ. Quas vel poſt prandium vel ſub veſperis vel ſub Miſſa (ſi Epiſcopo placet) cantari licet.

Lectio Euangelij.

Sexto ſequitur Euangelij lectio, Vbi nec candelas neq; thuriſicationem prohibemus, ſed nec exigimus, Eſto hoc liberum.

Concilium Nicænum.

Septimo, Symbolum Nicenum cantari ſolitum non diſplicet, tamen & hoc habet in manu Epiſcopus. Idem de vernacula Concione ſentimus, vt nihil referat, ſiue hic poſt Symbolum ſiue ante introitum Miſſæ fiat, Quanquam eſt alia ratio, cur aptius ante Miſſam fiat, Quod Euangelium ſit vox clamans in deſerto, & vocans ad fidem infideles, Miſſa vero ſit vſus ipſe Euangelij & communio menſæ Domini, quæ duntaxat fidelium eſt, & ſeorſim fieri conueniebat. Sed tamen liberos nos ratio iſta non ligat, Præſertim quod omnia, quæ vſq; ad Symbolum in Miſſa fiunt, noſtra ſunt & libera, à Deo non exacta, quare nec ad Miſſam neceſſario pertinent.

Octauo, Sequitur tota illa abominatio, cui ſeruire coactum eſt, quidquid in Miſſa præceſſit, vnde & offertorium vocatur, Et hinc omnia fere ſonant ac olent oblationem, In quorum medio verba illa vitæ & ſalutis ſic poſita ſunt, ceu olim arca Domini in templo idolorum iuxta Dagon. Et nullus eſt ibi Iſraelita, qui vel accedere vel arcam reducere poſſit, donec ipſa hoſtes ſuos in poſteriora percuſſos opprobrio ſempiterno nobilitauit, & ſeſe dimittere compulit. Quæ eſt parabola inſtantis temporis, Proinde omnibus illis repudiatis, quæ oblationem ſonant, cum vniuerſo Canone, retineamus quæ pura & ſancta ſunt, ac ſic Miſſam noſtram ordiamur.

Arca Domini in templo Dagon &c. — *1. Sam. 5.*

1. SVb Symbolo vel poſt Concionem apparetur panis & vinum ad benedictionem ritu ſolito. Niſi quod nondum conſtitui mecum, miſcenda ne ſit aqua vino, quanquam huc inclino, vt merũ potius vinũ paretur, abſq; aquæ mixtura, quod ſignificatio me male habeat, quam Eſa. 1. ponit. Vinum tuũ, inquit, mixtum eſt aqua. Merum vinum enim pulchre ſigurat puritatem doctrinæ Euangelicæ. Deinde, quod pro nobis non eſt fuſus niſi ſolius ſanguis Chriſti impermixtus noſtro, cuius ibi memoriam facimus. Vt non ſtet illorum ſomnium, qui dicunt ibi figurari vnionem noſtri cum Chriſto; Huius vnionis memoriam hic non facimus. Nec ſumus vniti ante eius fuſionem, alioqui ſimul noſter quoque ſanguis

Vinum merum ſignificat puritatem doctrinæ. — *Iſai. 1.*

cum ſanguine Chriſti pro nobis fuſus celebrabitur. Tamen contra libertatem non introducam legem ſuperſtitioſam. Chriſtus hæc non magnopere curabit, nec res digna eſt contentione, Pugnauit ſatis hanc pugnam ſtultam Romana & Græca Eccleſia, vt & alias multas.

Quod vero aliqui adducunt, è latere Chriſti fluxiſſe aquam cum ſanguine, nihil probat. Aliud enim illa aqua ſignificat, quam volunt per hanc mixtam aquam ſignificari, ſed nec mixta illa fuit cum ſanguine, Figura inſuper nihil probat, exemplum autem non conſtat. Quare vt humanum inuentum libere tractetur.

2. Apparato pane & vino, mox procedatur ad hunc modum: Dominus vobiſcum, Reſpon: Et cum ſpiritu tuo. Surſum corda, Reſpon: Habeamus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo noſtro, Reſpon: Dignum & iuſtum eſt. Vere dignum & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, Nos tibi ſemper & vbiq; gratias agere, Domine ſancte pater omnipotens, æterne Deus, per Chriſtum Dominum noſtrum. Deinde:

3. *Qui pridie quàm pateretur, accepit panem, gratias agens, fregit, deditq; Diſcipulis ſuis, dicens: Accipite, comedite, Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur.*

Similiter & calicem, poſtquam cœnauit, dicens: Hic calix eſt noui Teſtamenti in meo ſanguine, qui pro vobis & pro multis effunditur in remiſſionem peccatorum. Hæc quotieſcunq; feceritis, in mei memoriam faciatis.

Hæc verba Chriſti vellem modica poſt præfationem interpoſita pauſa, in eo tono vocis recitari, quo canitur alias oratio dominica in Canone, vt à circunſtantibus poſſit audiri, quanquam in his omnibus libertas ſit pijs mentibus, vel ſilenter, vel palam ea verba recitare.

4. Finita benedictione, Chorus cantet Sanctus, & ſub cantu Benedictus, eleuetur panis & calix, ritu hactenus ſeruato, vel propter infirmos, qui hac repentina huius inſignioris in Miſſa ritus mutatione forte offenderentur, præſertim vbi per conciones vernaculas docti fuerint, quid ea petatur eleuatione.

5. Poſt hæc legatur oratio dominica: Oremus, Præceptis ſalutaribus moniti &c. omiſſa oratione ſequenti: Libera nos quæſumus, cum omnibus ſignis, quæ fieri ſolent ſuper hoſtiam, & cum hoſtia ſuper calicem, nec frangatur hoſtia, in calicem miſceatur. Sed ſtatim poſt orationem dominicam dicatur: Pax Domini &c. quæ eſt publica quædam abſolutio à peccatis communicantium, Vox plane euangelica, annuntians remiſſionem peccatorum vnica illa & digniſſima ad menſam Domini præparatio, ſi fide apprehendatur, non ſecus atq; ex ore Chriſti prolata. Vnde vellem eam annuntiari verſo ad populum vultu, quemadmodum ſolent Epiſcopi, quod vnicum eſt veſtigium Epiſcoporum priſcorum in noſtris Epiſcopis. *Pax vobis &c.*

6. Deinde communicet tum ſeſe, tum populum, Interim cantetur Agnus Dei Quod ſi orationem illam: Domine Ieſu Chriſte Fili Dei viui, qui ex voluntate Patris &c. ante ſumptionem orare voluerit, non male orabit, mutato ſolum numero ſingulari in pluralem, noſtris & nos, pro meis & me. Item & illam: Corpus Domini &c. cuſtodiat animam meam vel tuam in vitam æternã, Et ſanguis Domini noſtri &c. cuſtodiat animam tuam in vitam æternam.

7. Si

7. Si communionem cantari libet, cantetur. Sed loco complendæ ſeu vltimæ collectæ, quia fere ſacrificium ſonant, legatur in eodem tono oratio illa: Quod ore ſumpſimus Domine. Poterit & illa legi: Corpus tuum Domine quod ſumpſimus &c. mutato numero in pluralem, Qui viuis & regnas &c. Dominus vobiſcum &c. Loco Ite Miſſa, dicatur: Benedicamus Domino, adiecto (vbi & quando placet) Halleluia in ſuis melodijs. Vel ex veſpertinis, Benedicamus, mutuentur.

8. Benedictio ſolita detur. Vel accipiatur illa Numeri 6. quam ipſe Nume 6. Dominus digeſſit, dicens: *Benedicat nos Dominus & cuſtodiat nos, Oſtendat nobis faciem ſuam, & miſereatur noſtri, Conuertat Dominus faciem ſuam ad nos, & det nobis pacem. Vel illa Pſal 96. Benedicat nos Deus Deus noſter, benedicat* Pſal. 96. *nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ, Amen.* Eiuſmodi credo & Chriſtum vſum fuiſſe, cum in cælum aſcendens, ſuos diſcipulos benedixit.

Et hic quoque liberum ſit Epiſcopo, quo ordine velit vtramq; ſpeciem vel ſumere, vel miniſtrare. Poterit enim vtrunq;, nempe, panem & vinum continuo benedicere, antequam panem ſumpſerit. Vel inter benedictionem panis & vini ſtatim ſeſe & quotquot voluerint, pane communicare. Deinde vinum benedicere, ac demum omnibus bibendum dare. Quo ritu Chriſtus vſus videtur fuiſſe, vt verba Euangelij ſonant, vbi manducare iuſſit panem, antequam calicem benediceret. Deinde expreſſe dicit: Similiter & calicem poſtquam cænauit. Vt poſt manducationem primum calicem eſſe benedictũ ſentias. Sed ritus hic nimis nouus, non patietur ea fieri quæ hactenus poſt benedictionem diximus, niſi & ipſa mutentur.

SIc de Miſſa ſentimus, In quibus omnibus cauendum, ne legem ex libertate faciamus, aut peccare cogamus eos, qui vel aliter fecerint, vel quædam omiſerint, modo benedictionis verba ſinant integra, & fide hic agant. Chriſtianorum enim ſit eſſe debent ritus, id eſt, filiorum liberæ, qui ſponte & ex animo iſta ſeruent, mutaturi quoties, & quomodo voluerint. Quare non eſt, vt neceſſariam aliquam formam velut legem in hac re quiſpiam vel petat vel ſtatuat, qua conſcientias illaqueet & vexet: Vnde & in priſcis Patribus & primitiua Eccleſia nullum exemplũ legimus ritus huius plenum, niſi in Romana Eccleſia. Sed nec ſeruandum eſſet, ſi quidquam pro lege in hac re ſanxiſſent, quod legibus hæc obſtringi nec poſſint nec debeant.

Deinde, ſi etiam diuerſi diuerſo ritu vtantur, nullus alterum vel iudicet vel contemnat, ſed vnuſquiſque ſenſu ſuo abundet, & idem ſapiamus ac ſentiamus, etiamſi diuerſa faciamus, & vniuſcuiuſque ritus alteri placeat, ne ad diuerſitatem rituum diuerſæ ſequantur opiniones & ſectæ, quemadmodum

Externi ritus. ſub Romana Eccleſia contigit. Externi enim ritus, etſi ijs carere non poſſumus, ſicut nec cibo & potu, non tamen nos Deo commendant, ſicut nec eſca nos Deo commendat. Fides autem & charitas nos Deo commendant. Quare 1. Corin. 8.

Fides. hic regnet illud Pauli: Non eſt regnum Dei eſca & potus, ſed iuſticia, pax & Roma. 1. gaudium in Spiritu ſancto. Ita nec ritus vllus eſt regnum Dei, ſed fides intra vos &c.

Veſtes præteriuimus. Sed de his, vt de aliis ritibus, ſentimus. Permittamus illis vti libere, modo pompa & luxus abſit. Neque enim magis places, ſi in veſtibus benedixeris. Nec minus places, ſi ſine veſtibus benedixeris. Neq; enim veſtes etiam nos Deo commendant. Sed nec eas conſecrari velim

aut bene-

aut benedici,velut ſacrum aliquod futuræ ſint præ alijs veſtibus, niſi generali
1.Tim.4. illa benedictione, qua per verbum & orationem omnis bona creatura Dei
ſanctificari docetur,alioqui mera ſuperſtitio & impietas eſt, per abominationis pontifices introducta, ſicut & alia.

DE COMMVNIONE POPVLI.

HÆc de Miſſa & officio miniſtri ſeu Epiſcopi diximus.Nunc de ritu communicandi populi dicemus,cuius gratia potiſſimum cœna iſta Domini inſtituta eſt, & eo nomine vocatur. Vt enim longe abſurdiſſimum eſt, Miniſtrum verbi ſic deſipere,vt verbum publico miniſterio pronuntiet,vbi nullus eſt Auditor,& ſibi ſoli inter ſaxa & ligna aut ſub diuo clamet,Ita peruerſiſſimum eſt,ſi miniſtri publicam cœnam Domini parent & ornent,vbi nulli ſint hoſpites,qui edant & bibant,& ipſi ſoli, qui alijs miniſtrare debent,in vacua menſa & aula comedant & bibant.Quare ſi vere Chriſti inſtitutum amplecti volumus,nulla debet Miſſa priuata relinqui in Eccleſia,niſi toleretur & hic infirmitas ad tempus. *Ritus communicandi.*

Hic autem ſeruandus eſt ritus,qui in baptiſmo ſeruatur,nempe, vt Epiſcopo primum ſignificetur,qui futuri ſint communicantes, petantq; ipſi cœna Domini communicari,vt eorum & nomina & vitam cognoſcere queat. *Qui admittendi ad communionem.*
Deinde petentes non admittat,niſi rationem fidei ſuæ reddiderint,& interrogati reſponderint,an intelligant,quid ſit cœna Domini,quid præſtet,quo vſu illa velint potiri.

Scilicet,ſi poterint verba benedictionis memoriter recitare, & exponere, ſeſe ideo venire,quod conſcientia peccati, aut timore mortis, aut alio malo tentationis carnis,mundi,diaboli, vexati ,eſuriant & ſitiant verbum & ſignũ gratiæ & ſalutis ab ipſo Domino per miniſterium Epiſcopi, quo ſolentur & confortentur,quale Chriſtus inæſtimabili charitate dederit & inſtituerit hac cœna,cum diceret: Accipite & comedite &c.

Arbitror autem hanc interrogationem ſeu explorationem ſufficere,ſi ſemel in anno fiat cum eo,qui petit communicari. Quin poterit tam intelligens eſſe,qui petit , vt vel ſemel in tota vita vel prorſus nunquam interrogetur. Nam hoc ritu illud cauere volumus,ne irruant ad cœnam Domini,digni & indigni,ſicut hactenus videmus fieri ſub Romana Eccleſia, vbi nihil quæſitum eſt aliud,quam communicari.De fide,de ſolatio,& de toto vſu & fructu Cœnæ prorſus ne mentio quidem aut cogitatio fuit: Quin & ipſa verba benedictionis ſcilicet ipſum panem vitæ,abſconderunt, ingenti ſtudio, imo ſummo furore id agentes,vt communicantes opus operarentur bonum ſua dignitate, non autem fidem alerent & roborarent Chriſti bonitate. Nos autem eos,qui reſpondere non poterunt iuxta prædicta, prorſus excluſos & alienos volumus ab iſtius Cœnæ communione, tanquam veſte nuptiali carentes.

Deinde, vbi Epiſcopus viderit eos intelligere hæc omnia,etiam hoc obſeruabit, an vita & moribus eam fidem & intelligentiam probent. Nam & Satan hæc omnia intelligit & loqui poteſt. Hoc eſt, ſi viderit aliquem ſcortatorem,adulterum,ebrium, luſorem, vſurarium, maledicum,aut alio crimine manifeſto infamem, prorſus ab hac Cœna excludat, niſi manifeſto argumento vitam ſeſe mutaſſe teſtatus fuerit. Nam illis, qui aliquando labuntur

quidem neq; Chriſtiani neq; Eccleſia Dei ſunt, qui tam manifeſtis ſcripturis & exemplis non mouentur, mouentur autem leuibus iſtis raſuræ, vncturæ & veſtituræ laruis, ſine ſcripturis & exemplis tantum longitudine temporis & multorum vſu probatis, quas pius Chriſtianus ex oculis amoueat, & ſolo ſolidoque verbo Dei intentus ſit oportet, plenaque fide ſeſe credat facere & conſequi, quæ per illud promitti intelligit.

Noua res eſt (inquiunt) & ſine exemplo, ſic eligere & creare Epiſcopos. Reſpondeo: Imo antiquiſſima & exemplis Apoſtolorum ſuorumq; diſcipulorum probata, licet per Papiſtas contrario exemplo & peſtilentibus doctrinis abolita & extincta. Proinde hoc magis laborandum, vt recens peſtilentiæ exemplum explodatis, & priſcum ſaluris exemplum reuocetis.

Fides facit omnia noua. Deinde, ſi maxime noua res eſſet, tamen cum verbum Dei hic luceat & iubeat, ſimul neceſſitas animarum cogit, prorſus nihil mouere debet rei nouitas, ſed verbi maieſtas. Nam quid, rogo, non eſt nouum, quod fides facit? Non fuit etiam Apoſtolorum tempore nouum huiuſmodi miniſterium? Non fuit nouum, quod Abraham obtulit Filium ſuum? Non fuit nouum, quod filij Iſrael mare tranſierunt? Non erit mihi nouum, quod ego per mortem ibo in vitam? At verbum Dei in his omnibus ſpectatur, non nouitas ipſa, alioqui ſi nouitas ſatis eſt vt moretur, iam non licet vlli verbo Dei vnquam credere. *Gene. 22. Exod. 14.*

Credite itaq;, mei Fratres, verbo Dei, & nouitas non mouebit vel veſtro ipſorum exemplo. Nam ſi nouitas nunc aliquid valet, cur non valuit, cum vos ſoli Boemi reſtitiſtis Papæ, & omnia illa pro Iohanne Huſs feciſtis? An non fuit iſta res noua & ſine exemplo, imo contrario totius orbis exemplo vſque in hodiernum diem? cum non tam manifeſtis ſcripturis roborati fuiſſetis, ſicut in hac parte eſtis. Si ibi fuiſtis auſi & ſoli ſequi, fateri ac tueri, ius quantumuis exoletum & extinctum, vbi vel nulla vel minor erat neceſſitas animarum, Cur hic non ſequamini, fateamini ac tueamini, ius veſtrum abolitum, tot fulti clypeis & armaturis turris Dauid, deinde tanta vrgente animarum neceſſitate & miſera captiuitate, tanta rurſus inuitante libertate, copia & occaſione? Lenietur autem vſu modico, ſi quid aſperum eſt huius nouitatis, multo faciliore certe, quam lenita eſt defectio veſtra à tyrannide papiſtica, tantum eſt, vt audeatis in Domino, & Dominus erit vobiſcum.

Forma eligendi miniſtros Eccleſiæ. Sic ergo faciatis, primum orationibus tum priuatis tum publicis, Deum quæretis, nam res illa magna eſt, nec me tam mouet eius nouitas quam magnitudo, hoc eſt, quod neq; viribus neq; prudentia veſtra velim hic quidquam tentari, ſed cum timore & tremore in humilitate aggrediemini, querentes & confitentes miſeriã & captiuitatem veſtrã peccatis veſtris meritã, coram propiciatorio Dei, & throno gratiæ eius, qui eſt Ieſus Chriſtus Epiſcopus animarum noſtrarum, Supplicantes & orantes, vt ſpiritum ſuum in corda veſtra mittat, qui vobiſcum laboret, ſeu potius, qui in vobis operetur & velle & perficere. Nam ſi res iſta debet feliciter incipi, & ſalubriter perſeuerare, opus eſt, vt diuina virtute, quam miniſtrat Deus (teſte Petro) in vobis fiat. *1. Pet. 4.*

Deinde, vbi ſic oraueritis, nihil dubitetis fidelem eſſe, quem rogaſtis, vt det quod petiſtis, aperiat, pulſantibus, & inueniatur quærentibus, vt ſic certiſſimi ſitis, vos agi in hac cauſa, non agere. Tum conuocatis & conuenientibus libere, quorum corda Deus tetigerit, vt vobiſcum idem ſentiant & ſapiant, procedatis in nomine Domini, & eligite quem & quos volueritis, qui digni & idonei viſi fuerint, Tum impoſitis ſuper eos manibus illorum, qui potiores inter vos fuerint, confirmetis & commendetis eos populo & Eccleſiæ ſeu vniuerſitati, ſintque hoc ipſo veſtri Epiſcopi, Miniſtri ſeu Paſto-

Tit. 1. 1. Tim. 3. ſeu Paſtores, Amen. Nam quales eligere oporteat, docet ſatis Paulus Tit. 1. 1. Timoth. 3.

Hanc electionis formam non puto neceſſariam ſtatim fieri totius Boemiæ communibus Comitijs, ſed ſeorſim in ſingulis ciuitatibus ſuam, vt vna alterius ſequatur exemplum. In Comitijs vero id agi debet, an iſta forma toti Boemiæ acceptanda ſit, vel ſi pars eã acceptare, & pars differre aut in totum omittere velit, Nam nulli cogendi ſunt ad fidem, ſed Spiritui ſancto dandus eſt locus & honor, vt ſpiret vbi vult. Neq; enim ſpes eſt, vt hæc omnibus, ſaltem ſubito placeant. Nec id vos mouere debet, ſi non omnium idem ſit conſenſus, imo hoc mouere debet, vt magis audeatis, ſi multi non conſentiant, Satis eſt primo exemplo paucos ita incipere; qui poſtea vſu & ſucceſſu temporis totam multitudinem ad ſuum exemplar inuitent. *Nullus ad fidem cogendus.*

Vbi vero profecerit, Domino operante, opus, vt multæ ciuitates hoc modo Epiſcopos ſuos eligant, tum poterint Epiſcopi illi, ſi velint, inter ſeſe conuenire, & vnum vel plures ex ſeſe eligere, qui Maiores illorum ſint, id eſt, qui illis miniſtrent, & viſitent illos, ſicut Petrus viſitauit Eccleſias in Actis Apoſtolorum, Donec Boemia redeat ad legitimum rurſus & euangelicum Archiepiſcopatum, qui non multis cenſibus & ditionibus, ſed multis miniſterijs & viſitandis Eccleſijs diues ſit.

Quod ſi omnino infirmiores eſtis, quam vt hunc liberum & apoſtolicum ritum inſtituendi ſacerdotij audeatis tentare, Age feremus infirmitatem veſtram, & permittamus, vt iam ordinatos ab Epiſcopis papiſticis accipiatis, ſcilicet Gallum illum veſtrum & ſui ſimiles, & vtamini illis vice Epiſcoporum papalium, vt illi vocent, & eligant atq; confirment, quos viderint idoneos, & vobis tolerabiles eſſe, iuxta præſcripta, & doctrinã Pauli.

Nam apud Paulum certe Epiſcopus eſt, qui verbo præeſt, qualis eſt Gallus veſter, quantumuis inſula & pedo, alioqi faſtu & pompa non ſplendeat, quæ ſunt irritabula ſtulti vulgi tantum, Donec adoleſcatis & plene intelligatis, quæ ſit potentia verbi Dei. Alia plane ratione nunc vobis conſultum eſſe non poteſt, Nam ſine peccato vel impietate, deinde ſine periculo perdendatum animarum, papiſticos ordines & ordinatos ſuſcipere non poteſtis. *Epiſcopus apud Paulum.*

1. Corin. 14. Iam ſi & hic vos ſcrupulus terret, Vos non eſſe certo Eccleſiam Dei. Reſpondeo, Eccleſiam non moribus, ſed verbo cognoſci, 1. Cor. 14 vbi dicit, Infidelem, ſi in Eccleſiam introierit, videritq; eos prophetare, caſurum in faciem, & confeſſurum, quod vere Deus in illis habitet. Hoc igitur certum eſt, Eſſe apud vos in multis verbum Dei & cognitionẽ Chriſti. At vbi vbi verbum Dei cum cognitione Chriſti eſt, inane non eſt, quantumuis ſint infirmi moribus externis, qui illud habent. Eccleſia enim etſi infirma eſt in peccatis, impia tamen non eſt in verbo, peccat quidem, ſed verbum neq; negat neque ignorat. *Eccleſia non moribus ſed verbo agnoſcitur.*

Quare eos, qui verbum probant & confitentur, repudiare non licet, quantumuis non fulgeant mira ſanctitate, modo manifeſtis criminibus obſtinate non vixerint. Quare nihil eſt, quod dubitetis apud vos eſſe Eccleſiam Dei, etiamſi tantum decem vel ſex eſſent, qui verbum habent. Quidquid autem ij fecerint in hac cauſa, etiam conſentientibus cæteris, qui verbum nondum habent, plane Chriſtum feciſſe certum eſt, modo cum humilitate & orationibus rem geſſerint, vt diximus.

HÆC de ratione inſtituendi eccleſiaſtici miniſterij pro mea tenuitate (quando ita oportuit) dixi, alijs melioribus & doctioribus, aptiotaq; dicere valentibus occaſionem ſapiendi & dicendi dediſſe contentus. Non enim omnia poſſumus omnes, Et diuiſiones miniſtrationum ſunt, vnus autem Dominus, qui operatur, non in vno ſolo, ſed in omnibus, non ſicuti nos volumus, ſed ſicut ipſe vult.

Cæterum, de corrigenda Miſſa, & cultu Dei inſtaurando, alijſq; officijs miniſterij eccleſiaſtici, aut alij dicent, aut alio tempore ipſe dicam, quanquam ſi ad Euangelium inſtitutus ſit miniſter, ipſe per ſeſe docente vnctione, in hac re feliciter regnare poteſt. Nunc enim ſatis eſt, ſi primum orationibus & votis apud Deum impetrare ipſum miniſterium, & impetratum videre ac gaudere digni fuerimus.

FINIS.

M. D. XXIII.

FORMVLA MISSÆ ET COMMVNIONIS PRO Eccleſia VVittembergenſi.

VENERABILI IN CHRISTO D. NICOLAO HAVSMANNO, EPIſcopo Cygneæ Eccleſiæ, in Chriſto S.

Martinus Lutherus.

GRatiam & pacem in Chriſto optat, Hactenus libellis & ſermonibus egi inter populos, vt corda primum ab impijs opinionibus ceremoniarum auocarem, Chriſtianum & commodum arbitratus me facere, ſi cauſa fierē, vt absq; manibus contereretur Abominatio, quam Satan per Hominem peccati in loco ſancto ſtatuerat. Proinde nihil vi aut imperio tentaui, nec vetera nouis mutaui, ſemper cunctabundus & formidabundus, Tum propter imbecilles in fide animos, quibus ſubito eximi non potuit tam vetus & inolita, nec inſeri tam recens & inſueta ratio colendi Dei, Tum maxime propter leues illos & faſtidioſos ſpiritus, qui ceu ſues immundæ, ſine fide, ſine mente irruunt, & ſola nouitate gaudent, atque ſtatim vt nouitas eſſe deſijt, nauſeant. Quo genere hominum, cum in rebus cæteris, nihil eſt moleſtius, tum in rebus ſacris ſunt moleſtiſſimi & intolerabiles, quamuis vt rumpar ira, ferre illos cogor, niſi velim & Euangelium ipſum è publico tollere.

Sed cū iam ſpes ſit, multorū corda per gratiā Dei illuſtrata eſſe & roborata, ipſaq; res poſcat, vt tandē ſcandala tollātur de regno

Chriſti, Audendum eſt aliquid in nomine Chriſti. Iuſtum eſt enim, vt vel paucis conſulamus, ne dum perpetuo leuitatem & abuſum illorũ formidemus, nullis prorſus conſulamus, & dum iſtorum futura ſcandala cauere volumus, vniuerſas abominationes illorum roboremus.

Quare de Formula aliqua pia miſſandi (vt vocant) & communicandi, vt & tu poſtulaſti toties, optime Nicolae, agemus, ac ſic agemus, vt non amplius ſolum verbo doctrinæ corda regamus, ſed manum quoque apponamus, & publica adminiſtratione in opus perducamus, nulli prorſus præiudicantes, ne aliam amplecti & ſequi liceat. Quin ex animo per Chriſtum obſecramus, vt ſi quid melius illis reuelatum fuerit, nos priores tacere iubeant, vt communi opera rem communem iuuemus.

Miſſa & communio à Chriſto inſtituta.

INprimis itaque profitemur, Non eſſe nec fuiſſe vnquam in animo noſtro, omnem cultum Dei prorſus abolere, ſed eum, qui in vſu eſt, peſſimis additamentis vitiatum, repurgare, & vſum pium monſtrare. Nam hoc negare non poſſumus, Miſſas & communionem panis & vini, ritum eſſe à Chriſto diuinitus inſtitutum, qui ſub ipſo Chriſto primum, deinde ſub Apoſtolis, ſimpliciſſime atque piiſſime, abſque vllis additamentis obſeruatus fuit. Sed ſucceſſu temporum, tot humanis inuentis auctus, vt præter nomen ad noſtra ſecula nihil de Miſſa & communione peruenerit.

Ac primorum Patrum additiones, qui vnum aut alterum Pſalmum ante benedictionem panis & vini, leui voce oraſſe leguntur laudabiles fuere, quales Athanaſius & Cyprianus fuiſſe putantur. Deinde, qui Kyrie eleiſon addiderunt, & ipſi placent. Nam ſub Baſilio magno legimus, Kyrie eleiſon fuiſſe in vſu totius populi publico. Iam Epiſtolarum & Euangeliorum lectio etiam neceſſaria fuit & eſt, niſi quod vitium eſt ea lingua legi, quæ vulgo non intelligitur.

Poſt vero, vbi cantus cœpit, mutati ſunt Pſalmi in Introitum, Tum additus eſt hymnus ille angelicus: Gloria in Exceiſis, Et in terra pax. Item Gradualia & Halleluia, & Symbolum Nicenum, Sanctus, Agnus Dei, Communio, Quæ omnia talia ſunt, vt reprehendi non poſſint, præſertim quæ de tempore ſeu dominicis diebus cantantur. Qui dies ſoli adhuc priſcam puritatem teſtantur, excepto Canone.

Canon Miſſæ.

Miſſa quando facta ſacrificium.

AT vbi iam licentia fiebat addendi & mutandi, prout cuiuis libebat, accedente tum, quæſtus & ambitionis ſacerdotalis tyrannide, tum cœperunt Altaria illa & inſignia Baal & omniũ Deorum poni in templum Domini, per impios Reges noſtros, id eſt, Epiſcopos & Paſtores, Hic ſuſtulit impius Ahas altare æreum, & conſtituit aliud è Damaſco petitum, Loquor autem de Canone illo lacero & abominabili, ex multorum lacunis ceu ſentina collecto. Ibi cœpit Miſſa fieri ſacrificium, Ibi addita offertoria & Collectæ mercenariæ, Ibi Sequentiæ & proſæ inter Sanctus & Gloria in excelſis inſertæ. Tum cœpit Miſſa eſſe monopolium ſacerdotale, totius mundi opes

di opes

di opes exhauriens, diuites, ocioſos, potentes & voluptuarios & immundos illos cœlibes toto orbe ceu vaſtitatem vltimam exundans. Hinc Miſſæ pro defunctis, pro itineribus, pro opibus, Et quis illos titulos ſolos numeret, quorum Miſſa facta eſt ſacrificium?

Neque hodie ceſſat Canon iſte augeri, alijs & alijs feſtis, alias actiones, alios communicantes aſſciſcens. Vt taceam memorias viuorum & mortuorum, nondum ad finem ſui auctas. Nam additamenta externa, veſtium, vaſorum, cereorum, pallarum, deinde organorum & totius muſicæ, imaginum, quid dicam? Nihil pene fuit in toto orbe artificiorum, quod non magna ex parte ſua negotia ac quæſtum ſuum haberet, & è Miſſa aleretur.

Tranſierint itaque iſta, & adhuc tranſeant, reuelante Euangelio abominationes tantas, donec penitus aboleantur. Nos interim omnia probabimus, quod bonum eſt tenebimus. Verum hoc Libro dicere omittimus, Miſſam non eſſe ſacrificium ſeu opus ſacrificantis, quod alias abunde docuimus. Apprehendamus eam, vt ſacramentum ſeu teſtamentum, ſeu benedictionem latine, Euchariſtiam græce, vel menſam Domini, vel cœnam Domini, vel memoriam Domini, vel Communionem, vel quocunque nomine pio placet, modo ſacrificij aut operis titulo non polluatur, & ritum monſtremus, quo nobis viſum eſt illa vti.

PRimo, Introitus dominicales & in feſtis Chriſti, nempe, Paſchatis, Pentecoſtes, Natiuitatis, probamus & ſeruamus, quanquam Pſalmos mallemus, vnde ſumpti ſunt vt olim, ſed nunc ſic vſui recepto indulgebimus. Quod ſi qui Apoſtolorum, Virginis, aliorumque Sanctorum introitus (quando è Pſalmis aut alijs ſcripturis ſumpti ſunt) probare volent, non damnamus. Nos Vvittembergæ ſolis dominicis & feſtis Domini ſabbatiſſare quæremus, omnium Sanctorum feſta prorſus abroganda, vel ſi quid dignum in eis eſt, in dominicalibus concionibus miſcenda eſſe putamus. Feſtum Purificationis & Annunciationis pro feſtis Chriſti, ſicut Epiphania & Circumciſionem, habemus. Loco feſti S. Stephani & Iohannis Euangeliſtæ, officium Natiuitatis placet. Feſta S. Crucis Anathema ſunto. Alij faciant pro ſua conſcientia vel aliorum infirmitate, quod ſpiritus ſuggeſſerit. *Introitus ex ſcripturis ſumpti &c.*

Secundo Kyrie eleiſon, vt hactenus celebratum eſt, varijs melodijs pro diuerſis temporibus amplectimur, cum ſequenti hymno angelico: Gloria in excelſis, Tamen in arbitrio ſtabit Epiſcopi, quoties illum omitti voluerit. *Kyrie eleiſon.*

Tertio, Sequens oratio illa ſeu Collecta, modo ſit pia (vt fere ſunt, quæ dominicis diebus habentur) perſeueret ritu ſuo, ſed ea duntaxat vnica. Poſt hanc lectio Epiſtolæ. Verum nondum tempus eſt & hic nouandi, quando nulla impia legitur. Alioqui cum raro eæ partes ex Epiſtolis Pauli legantur, in quibus fides docetur, ſed potiſſimum morales & exhortatoriæ, vt ordinator ille Epiſtolarum videatur fuiſſe inſigniter indoctus & ſuperſtitioſus operum ponderator, officium requirebat eas potius pro maiore parte ordinare, quibus fides in Chriſtum docetur. Idem certe in Euangelijs ſpectauit ſæpius, quiſquis fuit lectionum iſtarum autor. Sed interim ſupplebit hoc vernacula Concio. Alioqui ſi futurum eſt, vt vernacula Miſſa habeatur *Collecta.*

(quod

(quod Chriſtus faueat) danda eſt opera, vt Epiſtolæ & Euangelia ſuis optimis & potioribus locis legantur in Miſſa.

Graduale.

Quarto, Graduale duorum verſuum ſimul cum Halleiuia, vel alterutrum iuxta arbitrium Epiſcopi cantetur. Porro Gradualia quadrageſimalia & ſimilia, quæ duos verſus excedunt, cantet quiſquis velit in domo ſua. In Eccleſia nolumus tædio extingui ſpiritum fidelium. Sed nec ipſam Quadrageſimam, ſiue maiorem hebdomadam aut ſextam feriam pœnoſam, alijs ritibus oſtentare decet, quam alias quaſcunq; ne ſemimiſſa & altera ſacramenti parte Chriſtum amplius ludere & ridere velle videamur. Halleluia enim vox perpetua eſt Eccleſiæ, ſicut perpetua eſt memoria paſſionis & victoriæ eius.

Proſæ.

Quinto, Sequentias & Proſas nullas admittimus, niſi Epiſcopo placuerit illa breuis in Natiuitate Chriſti: Grates nunc omnes. Neque ferme ſunt, quæ ſpiritum redoleant, niſi illæ de Spiritu ſancto: Sancti ſpiritus, &, Veni ſancte Spiritus, & pauculæ aliæ. Quas vel poſt prandium vel ſub veſperis vel ſub Miſſa (ſi Epiſcopo placet) cantari licet.

Lectio Euangelij.

Sexto ſequitur Euangelij lectio, Vbi nec candelas neq; thurificationem prohibemus, ſed nec exigimus, Eſto hoc liberum.

Concilium Nicenum.

Septimo, Symbolum Nicenum cantari ſolitum non diſplicet, tamen & hoc habet in manu Epiſcopus. Idem de vernacula Concione ſentimus, vt nihil referat, ſiue hic poſt Symbolum ſiue ante introitum Miſſæ fiat, Quanquam eſt alia ratio, cur aptius ante Miſſam fiat, Quod Euangelium ſit vox clamans in deſerto, & vocans ad fidem infideles, Miſſa vero ſit vſus ipſe Euangelij & communio menſæ Domini, quæ duntaxat fidelium eſt, & ſeorſim fieri conueniebat. Sed tamen liberos nos ratio iſta non ligat, Præſertim quod omnia, quæ vſq ad Symbolum in Miſſa fiunt, noſtra ſunt & libera, à Deo non exacta, quare nec ad Miſſam neceſſario pertinent.

Octauo, Sequitur tota illa abominatio, cui ſeruire coactum eſt, quidquid in Miſſa præceſſit, vnde & offertorium vocatur, Et hinc omnia fere ſonant ac olent oblationem. In quorum medio verba illa vitæ & ſalutis ſic poſita ſunt, ceu olim arca Domini in templo idolorum iuxta Dagon. Et nullus eſt ibi Iſraelita, qui vel accedere vel arcam reducere poſſit, donec ipſa hoſtes ſuos in poſteriora percuſſos opprobrio ſempiterno nobilitauit, & ſeſe dimittere compulit. Quæ eſt parabola inſtantis temporis. Proinde omnibus illis repudiatis, quæ oblationem ſonant, cum vniuerſo Canone, retineamus quæ pura & ſancta ſunt, ac ſic Miſſam noſtram ordiamur.

Arca Domini in templo Dagon &c. — *1. Sam. 5.*

1\. SVb Symbolo vel poſt Concionem apparetur panis & vinum ad benedictionem ritu ſolito. Niſi quod nondum conſtitui mecum, miſcenda ne ſit aqua vino, quanquam huc inclino, vt merũ potius vinũ paretur, abſq; aquæ mixtura, quod ſignificatio me male habeat, quam Eſa. 1. ponit. Vinum tuũ, inquit, mixtum eſt aqua. Merum vinum enim pulchre figurat puritatem doctrinæ Euangelicæ. Deinde, quod pro nobis non eſt fuſus niſi ſolius ſanguis Chriſti impermixtus noſtro, cuius ibi memoriam facimus. Vt non ſtet illotum ſomnium, qui dicunt ibi figurati vnionem noſtri cum Chriſto; Huius vnionis memoriam hic non facimus. Nec ſumus vniti ante eius fuſionem, alioqui ſimul noſter quoque ſanguis

Vinum merum ſignificat puritatem doctrinæ. — *Iſai. 1.*

cum

cum ſanguine Chriſti pro nobis fuſus celebrabitur. Tamen contra libertatem non introducam legem ſuperſtitioſam. Chriſtus hæc non magnopere curabit, nec res digna eſt contentione. Pugnauit ſatis hanc pugnam ſtultam Romana & Græca Eccleſia, vt & alias multas.

Quod vero aliqui adducunt, è latere Chriſti fluxiſſe aquam cum ſanguine, nihil probat. Aliud enim illa aqua ſignificat, quam volunt per hanc mixtam aquam ſignificari, ſed nec mixta illa fuit cum ſanguine. Figura inſuper nihil probat, exemplum autem non conſtat. Quare vt humanum inuentum libere tractetur.

2. Apparato pane & vino, mox procedatur ad hunc modum: Dominus vobiſcum, Reſpon: Et cum ſpiritu tuo. Surſum corda, Reſpon: Habeamus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo noſtro, Reſpon: Dignum & iuſtum eſt. Vere dignum & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, Nos tibi ſemper & vbiq; gratias agere, Domine ſancte pater omnipotens, æterne Deus, per Chriſtum Dominum noſtrum. Deinde:

3. *Qui pridie quàm pateretur, accepit panem, gratias agens, fregit, deditq; Diſcipulis ſuis, dicens: Accipite, comedite, Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur.*

Similiter & calicem, poſtquam cœnauit, dicens: Hic calix eſt noui Teſtamenti in meo ſanguine, qui pro vobis & pro multis effunditur in remiſsionem peccatorum. Hæc quotieſcunq; feceritis, in mei memoriam faciatis.

Hæc verba Chriſti velim modica poſt præfationem interpoſita pauſa, in eo tono vocis recitari, quo canitur alias oratio dominica in Canone, vt à circumſtantibus poſſit audiri, quanquam in his omnibus libertas ſit pijs mentibus, vel ſilenter, vel palam ea verba recitare.

4. Finita benedictione, Chorus cantet Sanctus, & ſub cantu Benedictus, eleuetur panis & calix, ritu hactenus ſeruato, vel propter infirmos, qui hac repentina huius inſignioris in Miſſa ritus mutatione forte offenderentur, præſertim vbi per conciones vernaculas docti fuerint, quid ea petatur eleuatione.

5. Poſt hæc legatur oratio dominica: Oremus, Præceptis ſalutaribus moniti &c. omiſſa oratione ſequenti: Libera nos quæſumus, cum omnibus ſignis, quæ fieri ſolent ſuper hoſtiam, & cum hoſtia ſuper calicem, nec frangatur hoſtia, in calicem miſceatur. Sed ſtatim poſt orationem dominicam dicatur: Pax Domini &c. quæ eſt publica quædam abſolutio à peccatis communicantium, Vox plane euangelica, annuntians remiſſionem peccatorum vnica illa & digniſſima ad menſam Domini præparatio, ſi fide apprehendatur, non ſecus atq; ex ore Chriſti prolata. Vnde vellem eam annuntiari verſo ad populum vultu, quemadmodum ſolent Epiſcopi, quod vnicum eſt veſtigium Epiſcoporum priſcorum in noſtris Epiſcopis. *Pax vobis &c.*

6. Deinde communicet tum ſeſe, tum populum, Interim cantetur Agnus Dei Quod ſi orationem illam: Domine Ieſu Chriſte Fili Dei viui, qui ex voluntate Patris &c. ante ſumptionem orare voluerit, non male orabit, mutato ſolum numero ſingulari in pluralem, noſtris & nos, pro meis & me. Item & illam: Corpus Domini &c. cuſtodiat animam meam vel tuam in vitam æternã. Et ſanguis Domini noſtri &c. cuſtodiat animam tuam in vitam æternam.

7. Si communionem cantari libet, cantetur. Sed loco complendæ ſeu vltimæ collectæ, quia fere ſacrificium ſonant, legatur in eodem tono oratio illa: Quod ore ſumpſimus Domine. Poterit & illa legi: Corpus tuum Domine quod ſumpſimus &c. mutato numero in pluralem, Qui viuis & regnas &c. Dominus vobiſcum &c. Loco Ite Miſſa, dicatur: Benedicamus Domino, adiecto (vbi & quando placet) Halleluia in ſuis melodijs. Vel ex veſpertinis, Benedicamus, mutuentur.

8. Benedictio ſolita detur. Vel accipiatur illa Numeri 6. quam ipſe Dominus digeſſit, dicens: *Benedicat nos Dominus & cuſtodiat nos, Oſtendat nobis faciem ſuam, & miſereatur noſtri, Conuertat Dominus faciem ſuam ad nos, & det nobis pacem. Vel illa Pſal 96. Benedicat nos Deus Deus noſter, benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ, Amen.* Eiuſmodi credo & Chriſtum vſum fuiſſe, cum in cælum aſcendens, ſuos diſcipulos benedixit. *Nume 6.* *Pſal.96.*

Et hic quoque liberum ſit Epiſcopo, quo ordine velit vtramq; ſpeciem vel ſumere, vel miniſtrare, Poterit enim vtrunq;, nempe, panem & vinum continuo benedicere, antequam panem ſumpſerit, Vel inter benedictionem panis & vini ſtatim ſeſe & quotquot voluerint, pane communicare. Deinde vinum benedicere, ac demum omnibus bibendum dare, Quo ritu Chriſtus vſus videtur fuiſſe, vt verba Euangelij ſonant, vbi manducare iuſſit panem, antequam calicem benediceret. Deinde expreſſe dicit: Similiter & calicem poſtquam cænauit. Vt poſt manducationem primum calicem eſſe benedictũ ſentias. Sed ritus hic nimis nouus, non patietur ea fieri quæ hactenus poſt benedictionem diximus, niſi & ipſa mutentur.

SIc de Miſſa ſentimus, In quibus omnibus cauendum, ne legem ex libertate faciamus, aut peccare cogamus eos, qui vel aliter fecerint, vel quædam omiſerint, modo benedictionis verba ſinant integra, & fide hic agant. Chriſtianorum enim hi eſſe debent ritus, id eſt, filiorum liberæ, qui ſponte & ex animo iſta ſeruent, mutaturi quoties, & quomodo voluerint. Quare non eſt, vt neceſſariam aliquam formam velut legem in hac re quiſpiam vel petat vel ſtatuat, qua conſcientias illaqueet & vexet; Vnde & in priſcis Patribus & primitiua Eccleſia nullum exemplũ legimus ritus huius plenum, niſi in Romana Eccleſia. Sed nec ſeruandum eſſet, ſi quidquam pro lege in hac re ſanxiſſent, quod legibus hæc obſtringi nec poſſint nec debeant.

Deinde, ſi etiam diuerſi diuerſo ritu vtantur, nullus alterum vel iudicet vel contemnat, ſed vnuſquiſque ſenſu ſuo abundet, & idem ſapiamus ac ſentiamus, etiamſi diuerſa faciamus, & vniuſcuiuſque ritus alteri placeat, ne ad diuerſitatem rituum diuerſæ ſequantur opiniones & ſectæ, quemadmodum ſub Romana Eccleſia contigit. Externi enim ritus, etſi ijs carere non poſſumus, ſicut nec cibo & potu, non tamen nos Deo commendant, ſicut nec eſca nos Deo commendat. Fides autem & charitas nos Deo commendant. Quare hic regnet illud Pauli: Non eſt regnum Dei eſca & potus, ſed iuſticia, pax & gaudium in Spiritu ſancto. Ita nec ritus vllus eſt regnum Dei, ſed fides intra vos &c. *Externi ritus.* *1.Corin.8.* *Fides.* *Roma.1.*

Veſtes prætereuimus. Sed de his, vt de aliis ritibus, ſentimus. Permittamus illis vti libere, modo pompa & luxus abſit. Neque enim magis places, ſi in veſtibus benedixeris. Nec minus places, ſi ſine veſtibus benedixeris. Neq; enim veſtes etiam nos Deo commendant. Sed nec eas conſecrari velim

aut bene-

aut benedici, velut ſacrum aliquod futuræ ſint præ alijs veſtibus, niſi generali
1. Tim. 4. illa benedictione, qua per verbum & orationem omnis bona creatura Dei ſanctificari docetur, alioqui mera ſuperſtitio & impietas eſt, per abominationis pontifices introducta, ſicut & alia.

DE COMMVNIONE POPVLI.

HÆc de Miſſa & officio miniſtri ſeu Epiſcopi diximus. *Ritus communicandi.* Nunc de ritu communicandi populi dicemus, cuius gratia potiſſimum cœna iſta Domini inſtituta eſt, & eo nomine vocatur. Vt enim longe abſurdiſſimum eſt, Miniſtrum verbi ſic deſipere, vt verbum publico miniſterio pronuntiet, vbi nullus eſt Auditor, & ſibi ſoli inter ſaxa & ligna aut ſub diuo clamet, Ita peruerſiſſimum eſt, ſi miniſtri publicam cœnam Domini parent & ornent, vbi nulli ſint hoſpites, qui edant & bibant, & ipſi ſoli, qui alijs miniſtrare debent, in vacua menſa & aula comedant & bibant. Quare ſi vere Chriſti inſtitutum amplecti volumus, nulla debet Miſſa priuata relinqui in Eccleſia, niſi toleretur & hic infirmitas ad tempus.

Hic autem ſeruandus eſt ritus, qui in baptiſmo ſeruatur, nempe, vt Epiſcopo primum ſignificetur, qui futuri ſint communicantes, petantq; ipſi cœna Domini communicari, vt eorum & nomina & vitam cognoſcere queat. *Qui admittendi ad communionem.* Deinde petentes non admittat, niſi rationem fidei ſuæ reddiderint, & interrogati reſponderint, an intelligant, quid ſit cœna Domini, quid præſtet, quo vſu illa velint potiri.

Scilicet, ſi poterint verba benedictionis memoriter recitare, & exponere, ſeſe ideo venire, quod conſcientia peccati, aut timore mortis, aut alio malo tentationis carnis, mundi, diaboli, vexati, eſuriant & ſitiant verbum & ſignũ gratiæ & ſalutis ab ipſo Domino per miniſterium Epiſcopi, quo ſolentur & confortentur, quale Chriſtus inæſtimabili charitate dederit & inſtituerit hac cœna, cum diceret: Accipite & comedite &c.

Arbitror autem hanc interrogationem ſeu explorationem ſufficere, ſi ſemel in anno fiat cum eo, qui petit communicari. Quin poterit tam intelligens eſſe, qui petit, vt vel ſemel in tota vita vel prorſus nunquam interrogetur. Nam hoc ritu illud cauere volumus, ne irruant ad cœnam Domini, digni & indigni, ſicut hactenus videmus fieri ſub Romana Eccleſia, vbi nihil quæſitum eſt aliud, quam communicari, De fide, de ſolatio, & de toto vſu & fructu Cœnæ prorſus ne mentio quidem aut cogitatio fuit: Quin & ipſa verba benedictionis ſcilicet ipſum panem vitæ, abſconderunt, ingenti ſtudio, imo ſummo furore id agentes, vt communicantes opus operarentur bonum ſua dignitate, non autem fidem alerent & roborarent Chriſti bonitate. Nos autem eos, qui reſpondere non poterunt iuxta prædicta, prorſus excluſos & alienos volumus ab iſtius Cœnæ communione, tanquam veſte nuptiali carentes.

Deinde, vbi Epiſcopus viderit eos intelligere hæc omnia, etiam hoc obſeruabit, an vita & moribus eam fidem & intelligentiam probent. Nam & Satan hæc omnia intelligit & loqui poteſt. Hoc eſt, ſi viderit aliquem ſcortatorem, adulterum, ebrium, luſorem, vſurarium, maledicum, aut alio crimine manifeſto infamem, prorſus ab hac Cœna excludat, niſi manifeſto argumento vitam ſeſe mutaſſe teſtatus fuerit. Nam illis, qui aliquando la-

buntur & redeunt, dolentq; de lapſu, Cœna iſta non ſolum negari non debet, quin propter eos ipſos maxime inſtitutam eſſe noſſe oportet, vt reficiantur & roborentur, In multis enim offendimus omnes, Et onera inuicē portamus, dū & mutuo nos oneramus. De illis enim contemptoribus loquor, qui inuerecunde, & ſine timore peccant, & magnifica nihilominus de Euangelio iactant.

Deinde vbi Miſſa celebratur, conuenit, vt communicaturi ſeorſim vno loco & vna turba conſtent. Ad hoc enim repertum eſt altare, repertus eſt & chorus. Non quod apud Deum aliquid ſit, hic vel hic ſtetiſſe, aut quidquam fidei hinc accedat, Sed quod oporteat eos palam videri & noſci, tam ab ijs, qui communicant, quā ijs, qui non communicant, quo deinde eorum vita quoq; melius videri & probari & prodi poſſit. Nam huius communio Cœnæ eſt pars confeſſionis, qua coram Deo, Angelis & hominibus ſeſe confitentur eſſe Chriſtianos. Ideo curandum, ne velut furtim auferant Cœnam, & deinde inter alios mixti ignorentur, an bene vel male viuant. Quanquam ne hic quidem legem figere velim, ſed id ſolum monſtrare, quod honeſtum ac decorum ſit à Chriſtianis liberis libere præſtari.

Confeſſio priuata.

DE confeſsione vero priuata ante communionem ſentio, ſicut hactenus docui, eſſe eam ſcilicet, nec neceſſariam, nec exigendam, vtilem tamen & non contemnendam, Quando nec ipſam cœnam Dominus neceſſario exegerit aut lege firmauerit, ſed cuique liberam permiſerit dicens: Quotieſcunque hæc feceritis &c.

Præparatio ad cœnam Domini &c.

Sic de præparatione ad Cœnam hanc ſapimus, vt liberum ſit ieiunio & orationibus ſeſe componere. Sobrios certe oportet adeſſe & ſedulos ac diligentes, vt maxime nihil ieiunes, aut parum ores. Sobrietatem vero dico, non illam ſuperſtitioſam Papiſtarum, ſed ne crapula ructues, & diſtento ventre pigreſcas. Nam optima præparatio eſt (vt dixi) anima, peccatis, morte, tentationibus agitata, eſuriens & ſitiens medelam & robur. Verum quidquid eſt harum rerum, ad Epiſcopum pertinet, vt populum doceat.

An vtraque ſpecies danda &c.

ID nunc reliquum eſt, An vtramque ſpeciem, vt vocant, populo miniſtrari oporteat? Hic ſic dico, poſtquam Euangelium nunc biennio toto apud nos inculcatum eſt, ſatis ſimul indultum & donatum eſt infirmitati, Deinceps agendum eſt, iuxta illud Pauli: Qui ignorat, ignoret, Nec enim refert, ſi neutrā ſpeciem accipiant denuo, qui Euangelium tanto tempore non cognouerunt, ne forte perpetua infirmitatis tolerantia pertinaciam alat, & aduerſus Euangeliū præſcribat. Quare ſimpliciter iuxta inſtitutū Chriſti vtraq; ſpecies & petatur, & miniſtretur. Qui hoc noluerint, ſinantur ſibi, & nihil miniſtretur ipſis. Nam hanc Miſſæ formam ijs præmonſtramus, quibus Euangelium annunciatū, & aliqua ex parte cognitum eſt. Qui vero nondū audierunt nec cognoſcere potuerunt, ijs nondum quidquam huius rei conſuli poteſt.

NEc quenquam id morari debet, quòd Conciliū iactant, in quo id rurſum licere ſanciatur. Nos Chriſti ius habemus, & Concilia nec morari nec audire volumus, in his, quæ manifeſte ſunt Euangelij. Quin amplius dicimus, Si quo caſu Concilium propria autoritate id ſtatueret aut permitteret, tunc minime omnium nos velle vtraq; ſpecie potiri, imo tunc primum in deſpectum tam Concilij quam ſtatuti ſui, vellemus aut altera tantum aut neutra, & nequaquam vtraq; potiri, ac plane eos anathema habere quicunq; autoritate talis Concilij vel ſtatuti vtraq; potirentur.

Miraris,

Miraris,& cauſam quæris? Audi, Si tu noſti panem & vinum à Chriſto inſtitutum,vtrumq; ſcilicet ſumendum eſſe ab omnibus,vt clariſſime teſtantur Euangelia & Paulus,ita, vt & ipſi aduerſarij cogantur id confiteri,nec tamen audes illi credere & fidere,vt ita ſumas,Audes vero vt ſumas,ſi homines in Concilio ſuo id ſtatuant, Nonne tum præfers homines Chriſto? Nonne extollis Homines peccati ſupra Deum,qui dicitur & colitur? Nonne plus confidis in hominum verba,quam in Dei verba,Imo verbis Dei prorſus diffidis, & ſolis hominum verbis credis.At quanta eſt iſta abominatio & negatio Dei altiſſimi? Quæ idolatria tum par eſſe poteſt, tuæ tam religioſæ obedientiæ erga Concilium hominum? Nonne potius millies mori? Nonne potius vnam aut nullam ſpeciem accipere deberes, quam in tali obedientia tam ſacrilega & apoſtaſia fidei accipere?

Deſinant itaq; iactare Concilia ſua,Sed primum hoc faciant,reſtituant ſacrilegium diuinæ gloriæ, confiteantur ſeſe Satana magiſtro prohibuiſſe vnã ſpeciem,ſeſe ſupra Deum eleuaſſe,verbum eius damnaſſe,& tot populos per tot ſecula perdidiſſe,& pœnitentiam agant pro hac tyrannide indicibilis crudelitatis & impietatis, Et ſanciant,nos recte egiſſe,quod citra, imo contra eorum dogmata vtramq; ſpeciem docuimus & ſumpſimus, nec illorum Concilium expectauimus,gratiasq; agant,quod illorum perditionem & abominationem ſequi detrectauerimus.

Poſtquam hæc fecerint, libentes proniq; eorum Concilium & ſtatutum adorabimus & amplectemur. Interim dum hoc non faciunt,pergunt vero poſtulare, vt ſuam autoritatem præſtolemur, nihil audimus,ſed pergemus & nos contraria illis & docere & facere,eo maxime,quo ſcimus eis maxime diſplicere. Nam hac poſtulatione diabolica quid poſtulant, niſi vt eos ſupra Deum,verba eorum ſupra verba Dei extollamus,& nobis portenta larvatum ſuatum pro idolis loco Dei ponamus? cum velimus nos totum mundum Deo ſubdi & obnoxium fieri.

Cantica velim etiam nobis eſſe vernacula quam plurima,quæ populus ſub Miſſa cantaret, vel iuxta Gradualia, item iuxta Sanctus & Agnus Dei. Quis enim dubitat, eas olim fuiſſe voces totius populi,quæ nunc ſolus Chorus cantat,vel reſpondet Epiſcopo benedicenti? Poſſent vero iſta cantica ſic per Epiſcopum ordinari,vt vel ſimul poſt latinas cantiones, vel per vices dierum, nunc latine, nunc vernacula cantarentur,donec tota Miſſa vernacula fieret.

Sed Poetæ & Muſici nobis deſunt,aut nondum cogniti ſunt, qui pias & ſpirituales cantilenas (vt Paulus vocat) nobis concinant, quæ dignæ ſint in Eccleſia Dei frequentari. Interim placet illam cantari poſt communionem: Gott ſey gelobet vnd gebenedeyet/ der vns ſelber hat geſpeiſet/ etc. Præter hanc illa valet: Nu bitten wir den heiligen Geiſt. Item: Ein Kindelein ſo löbelich. Nam non multas inuenias, quæ aliquid grauis ſpiritus ſapiant. Hæc dico, vt ſi qui ſunt Poetæ Germanici, extimulentur, & nobis poemata pietatis componant.

Hæc de Miſſa & Communione pro tempore dicta ſint ſatis. Cætera vſus & res ipſa docebunt,modo verbum Dei ſtrenue & fideliter in Eccleſia annuncietur. Nam quod forte petent aliqui, hæc omnia Scripturis & exemplis Patrum probari,non multum mouemur, Quod ſupra diximus, in his debere libertatem regnare, & neq; legibus neque imperijs liceat conſcientias captiuare Chriſtianas. Vnde & nihil de his rebus Scripturæ definiunt,

ſed ſinunt libertatem ſpiritus abundare ſuo ſenſu, pro commoditate locorum, temporum & perſonarum. Patrum vero exempla partim ſunt incognita. Quæ vero nota ſunt, tam varia ſunt, vt nihil certi liceat conſtituere, videlicet, quod & ipſi libertate ſua vſi ſunt. Quin vt maxime certa & ſimplicia eſſent, nobis tamen nec legem nec neceſſitatem imitandi imponerent.

IN reliquis diebus, quas ferias vocamus, nihil video, quod non ferri poſſit, modo Miſſæ abrogentur. Nam matutinæ trium lectionum & Horæ, tum Veſperæ & Completorium, de tempore (excluſis Sanctorum ferijs) nihil ſunt niſi ſcripturæ diuinæ verba. Et pulchrum, imo neceſſarium eſt, pueros aſſueſcere legendis & audiendis Pſalmis & lectionibus ſcripturarum ſanctarum. Verum ſi quidquam hic nouari debet, prolixitas mutari poteſt arbitrio Epiſcopi, vt tres Pſalmi pro Matutinis, tres pro Veſperis, cum vno vel duobus Reſponſorijs abſoluantur. Hæc vero non melius ordinantur, quam ipſo arbitrio Epiſcopi, cuius eſt deligere optima in Reſponſorijs & Antiphonis, & de Dominica in Dominicam per hebdomadam ordinare, vt nec nimia eiuſdem aſſiduitate faſtidium, nec nimia varietate & multitudine cantus & lectionum tædium ſpiritus generetur. Sed per partes diſtributum totum Pſalterium in vſu maneat, & vniuerſa Scriptura in lectiones partita, perſeueret in auribus Eccleſiæ.

HIc vero, quod alias egi, agendum eſt, vt iſte cantus non ſit tantum lingua loqui, vel potius tantum, ſicut ſonus fiſtolæ aut citharæ, ſine ſenſu. Ideo inſtituendæ ſunt lectiones quotidianæ, Altera mane in nouo, vel veteri Teſtamento, Altera veſperi, in altero Teſtamento, cum explanatione vernacula. Hunc ritum eſſe antiquum, probat & res, & vocabulum, Homilia, in matutinis & Capitulum in veſperis & alijs horis. Scilicet, quod Chriſtiani, quoties conueniſſent, aliquid, legebant, & vernacula interpretabantur, more, quem Paulus 1. Corinth. 14. deſcribit.

Poſt, ſucceſſu temporis peioris, cum deficerent Prophetæ & Interpretes, relicta eſt illa vox ſola poſt lectiones & capitula, Deo gratias, Tum loco interpretationis, multiplicatæ ſunt Lectiones, Pſalmi & Hymni, & alia in hanc tædioſam prolixitatem. Quanquam Hymni, & Te Deum laudamus, æque id teſtantur, quod, Deo gratias. ſcilicet, quod poſt interpretationes & Homilias, Deum laudarint, & gratias egerint, pro reuelata veritate ſermonum Dei. Quales & ego vellem fieri noſtras vernaculas cantilenas.

TAntum habui, optime Nicolae, quod de noſtræ VVittembergenſis Eccleſiæ ritibus & cæremonijs partim iam inſtitutis ac propediem (Chriſto volente) conſummandis, ad te perſcriberem, cuius exemplar, ſi tibi & alijs placuerit imitari, licet. Sin minus, vnctioni libenter locum dabimus, parati à vobis & quibuſuis alijs commodiora accipere.

Nec vos aut quoſuis alios abſterreat, quod in noſtra VVittemberga adhuc perſeuerat Topheth illa ſacrilega, quæ Principum Saxoniæ impia & perdita pecunia eſt, Templum dico omnium Sanctorum. Nam tantum eſt miſerente Deo apud nos antidoti per copioſum verbum Dei, vt peſtis illa in angulo ſuo languens, non niſi ſibi ipſi peſtilens ſit. Denique vix tres aut quatuor porci & ventres ſunt in ipſa illa perditionis domo, qui pecuniã illam colunt, cæteris omnibus ſimul & vniuerſo populo

pulo

pulo inſignis nauſea & abominatio eſt, Neque licet vi aut imperio in eos graſſari, vt noſti, decere Chriſtianos, non niſi virtute gladij ſpiritus pugnare, Sic enim & infreno populum quotidie, alioqui iamdudum domus illa omnium Sanctorum, imo domus omnium Diabolorum, alio nomine ferretur in orbe.

Sed nec poteſtatem ſpiritus, quam dedit nobis Deus, in illam exercui, ferens longanimiter opprobrium iſtud, ſi forte det illis Deus pœnitentiam. Contentus interim, quod noſtra domus, quæ verius eſt omnium Sanctorum domus, hic regnat & ſtat velut turris Libani contra domum omnium Diabolorum. Sic Satanam torquemus verbo, quamuis ille riſum ſimulet. Sed dabit Chriſtus, vt ſpes ſua fallat eum, & cunctis videntibus præcipitetur.

Non multo poſt etiam in eo templo ſublati ſunt impij cultus Miſſarum, & alij abuſus.

Ora pro me vir ſancte Dei, Gratia tecum, & cum omnibus veſtris, Amen.

M. D. XXIII.

EXEMPLVM THEOLOGIAE ET DOCTRINAE PAPISTICAE.

Hanc olim pulchram veteres dixere figuram.

D. MARTINVS LVTHERVS PIO LECTORI.

Non eſt vlli vere Chriſtiano dubium, quod omnia pertineant ad gloriam Chriſti illuſtrandam, quæcunque dicuntur aut ſcribuntur ad ignominiam & deſtructionem abominationis iſtius & tyrannidis papiſticæ. Cum enim ipſa deuaſtarit & conculcarit regnum Dei & Chriſti, nihil vtilius, nihil ſanctius, nihil, quod Deo magis placeat, fecerimus, quam ſi vaſtatricem illam ſalutis noſtræ & profanatricem gloriæ Dei, rurſus vaſtauerimus & conculcauerimus, quantum poſſumus, iuxta illud Apoc. 18. Reddite illi, ſicut ipſa reddidit vobis, & duplicate illi duplicia ſecundum opera eius, In poculo, quo miſcuit vobis, miſcete illi duplum. Quantum glorificauit ſe & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.

Loquitur enim de tyrannide abominationis papalis. Et longe aliter loquitur, quam ij, qui contendunt, non eſſe perpetuo in Pa-

patum inuehendum. Dicit enim: Duplicate illi, reddite ei duplum &c. Volens ſcilicet hac exhortatione ſedulos nos facere & aſsiduos, in torquenda & vaſtanda abominatione iſta.

Cum autem & ego ſim vnus de Antipapis, reuelatione diuina ad hoc vocatus, vt diſsipem, perdam & deſtruam Regnum illud maledictionis, cupide & libenter eo fungor officio, ſicut hactenus feci. Ideo ſtatui hunc Sermonem, ſeu portentũ potius, in publicum edere, & in faciẽ ſiſtere, impudentibus illis frontibus & inuerecundis faciebus Papiſtarum Qui cum totam Eccleſiã eiusmodi portentis repleuerint, ſintq́; eius abominationis palam cõuicti, Tamen adeo ſunt duræ ceruicis & impœnitentis cordis, vt ea nõ modo nolint agnoſcere, confiteri & emendare, Sed ſtudeant etiam occultare & tegere, deinde ſeipſos ornare & colere, donec (vti ſperant) adepti veterem & priſtinam ſpeciem ſanctimoniæ, rurſus eadem monſtra per Eccleſiam erigant & ſtatuant.

Cogemus itaque eos, videre ſua monſtra, reuelabimusq́; turpitudines & pudenda eorum, & vt Propheta dicit: Proijciemus in facies eorum ſtercus ſolennitatum ipſorum, Vt tam huius quã poſteri ſeculi homines videant, & perpetuo meminerint huius purpuratæ Meretricis, & cum viderint, perfecto odio oderint, & coniunctis ſtudiis abominandas fornicationes eius deteſtentur ac perſequantur.

Eſt autem hic ſermo à quodam magni nominis Dominicaſtro in Cœnobio quodam huius Regionis, miſerrimis illis Puellis, quas Nonnas vocamus, non multo ante hos dies prædicatus, ad commendandum Nonnarum inſtitutum, & vſque ad miraculum à cunctis laudatus, denique certatim ab omnibus velut ſacerrimus theſaurus, tantũ non adoratus, & inter ſacras Reliquias reconditus, licet ſit fruſtillatim, vt apparet, ex ore dicentis excerptus. In quo videre licet papiſticæ Theologiæ inſigne exemplum, Et hic vere vnus eſt florum Roſarij illius tam celebrati apud illos.

Expedit inſuper omnibus, præſertim Adoleſcentibus & Puellis noſſe & meminiſſe, quales Doctores & Magiſtros ſub Papatu habuerimus, Et quali doctrinæ genere oppreſsi fuerimus, vt per Antitheſin ſeu oppoſitorum comparationem, clarius intelligamus diuitias & magnitudinem gratiæ Dei, qua nos reſpexit denuo miſerrimos, & illuminauit verbo ſuo ſancto & puro, cum omni abundantia benedictionis ſuæ cœleſtis. Simul vt in poſterum cautiores reddantur, ad vitanda monſtra tantæ abominationis. Deus det, vt tantum creſcat odium noſtrum, & nauſea in iſtam abominationem, quantum creſcere debet gratitudo noſtra & amor erga diuinam hanc miſericordiam in Chriſto nobis donatam. Cui ſit laus & gloria in omnia ſecula, Amen.

SERMO

SERMO EXIMII MAGISTRI NOSTRI I. R. PROVINcialis, ordinis Prædicatorum, In quo, pie Lector, inſigne exemplum impiæ & blaſphemæ in Deum & Chriſtum doctrinæ papiſticæ cernis.

THEMA.

i. Nonne i. Mariam & Chriſtum.

a Offerantur Regi virgines poſt eam.

A Gloſa magiſtralis ſuper illud Prouerbior. 3. Hono-
B ra Deum de tua ſubſtantia, dicit, b Bene offert, qui de ſuis bene acquiſitis bonis, Melius, qui de ſuis bonis operibus, Optimè, qui ſeipſum Deo offert.

C Tria enim ſunt bona ſecundum c Ariſtotelem ſeptimo Politicorum, ſcilicet, Temporalia, corporalia, & ſpiritualia.

D Magnum eſt, Deo offerre temporalia pro ſtructura Eccleſiæ & c. Nam d per hoc ſperat e quis conſequi remiſsionem peccatorum ſuorum.

E Sed maius, qui offert Deo animam per f liberum arbitrium & propriam voluntatem, Sicut facit g Religioſus, qui per hoc conſequitur plenariam remiſsionem, quaſi ſuſciperet h Baptiſmum. Et corpus (i ſcilicet offert) per virginitatis maximũ donum & clinodium, k Et præſertim cum illa oblatio fit in iuuentute.

F Vt quis nedum arborem, ſed etiam fructum Deo dat per vo-
G tum religionis, quod votum excedit omne genus l Martyrij, m omne votum peregrinationis, etiam terræ ſanctæ, & omnem pœnitentiam.

H Et quia præſens Puella n exemplo beatæ virginis (quæ pri-
I mo virginitatis votum emiſit) o ſpernens regnum mundi & o-
K mnem ornatum ſeculi, offert ſe anima & corpore æternaliter vi-
L vere Deo, imo id quod eſt Deo gratiſsimum, virginitatem, p
M Nam Deus ſpecialiter q Virgines ſibi eligit hic & in futuro. Status
N virginum hic eſt r excellentiſsimus, quem Chriſtus & beata Vir-
O go tenuerunt. Laudabiliſsimus, quia ſ maior victoria & duriora
P certamina. Vtiliſsimus, quia conſequitur fructum centeſimum.
Q t Et honoratur in cœlo angelica ſocietate, u gaudij ſingulari-
R tate, Chriſti conformitate, Sequuntur enim virgines agnũ quo
S cunq; ierit, Non eſt enim ponderatio continentis animæ. Eccleſ. 26. Omne aurum in comparatione eius, arena eſt exigua.

Bbbbb iiij Ideo

a Id eſt, rapiantur à Chriſto & fide abnegata trudantur in Monaſterijs ſub iugum traditionum & operum.

b Qui a baptiſari & credere in Chriſtum, eſt nihil ad iſta ſacrificia.

c Ariſtoteles hic accipitur pro Magiſtris noſtris eximijs in Papatu, qui iſtã diſtinctionem inuenerunt, quia Ariſtoteles optime nouit, quid ſint bona ſpiritualia.

d Per hoc i. non per Chriſtum, neque per fidem, ſed per negatum Chriſtum, & blaſphematum.

e Quis i. Papiſta.

f Gratia non eſt opus, ſufficit liberum arbitrium.

g Religioſus. i. aduerſarius Chriſti & ſacrilegus fidei corruptor.

h En glorioſos Anabaptiſtas, Vides, vt Baptiſma imo Chriſto ipſi ſua portenta æquent ſacrilegi & blaſphemi.

i Fortes plane viri, qui non accipiunt à Deo, Sed dant de ſua plenitudine tam grandia.

k Scilicet, cum eſt caſtitas maxime periculoſa, imo impoſſibilis.

l Etiam Chriſti & omnium Sanctorũ, vt ſic ſoli Religioſi ſint Sancti ſanctorum.

m Etiam omne quod dicitur Deus, aut quod colitur.

n Quia fuit Monialis, Et Ioſeph fuit eius Abbatiſſa, Et diuerſorium fuit eius Monaſterium, Et aſinus fuit eius Confeſſor & Prædicator, Et Præſepe fuit chorus. Panni fuerunt cappa, & reliqua de eadem lectione.

o Sicut patet in Religioſis, etiam Regum opibus & luxu ſuperbientibus.

p Vt patet 10. Libro Phyſicorum, & Aeſopi Libro 5. q Apoſtolos non ſic elegit ſpecialiter. r Superlatiuum exponendo tam negatiue quam affirmatiue, Vt Apoſtolorum ſtatum parum eſſe intelligatur. ſ Etiam maior quam fidei victoria, quæ Diabolum & mortem vicit, vt ſic fides longe ſit vilior, quam caſtitas. t Quia cæteri Sancti non ſociantur Angelis, ſed diabolis, quia non ſunt conformes Chriſti, ſicut virgines. u Hæc mira gaudioſitas vocatur alias præmium Aureolæ.

x Cogitare quæ ſunt Dei, exponis non de verbo Dei, Sed de cogitationibus caſtitatis, Illis enim ſancti fiunt & immaculati, etiam ſine fide & Chriſto.
y Vos ſcilicet Monachi & Nonnæ ſoli.
z Mundiciam non fidei Chriſtianæ, ſed votiuæ caſtitatis.
a Candida propter mundiciam, Et nigra tamen ſimul propter humilitatem, vt ſupra.
b Et futurus Archangelus cœleſtis, & Nonna eſt Angela terreſtris & Archangela cœleſtis.

Ideo virgo debet x cogitare quæ ſunt Dei, 1. Corinth. 7. quæ ſunt ſancta, pudica, Omnes cogitationes, locutiones &c. offerre Deo, vt ſit immaculata & ſancta corpore, & anima munda. Vt Chriſtus, cui deſponſata eſt, poſſit dicere: Tota pulchra es amica mea. Si eſt magnum violare templum materiale, multo plus eſt violare templum ſpirituale, Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis y vos.

Duplex eſt color veſtimenti, Albus ſignificat z mundiciam, Niger humilitatē. Ambulabunt mecum in Albis, quoniam digni ſunt. Vide, vt veſtimenta tua ſint omni tempore a candida.

Veſtis non facit Religioſum, nec nomen, ſed mores.
Summa, Religioſus eſt, b angelus terreſtris.

PRimum vide Thema (vt vocant) quanto ſacrilegio ex Pſalmo 45. decerpat & laceret. Pſalmus loquitur de virginitate Fidei, & de catholica Eccleſia, Hic vero Magiſter noſter eximius detorquet eum in ſuas ſectas, & de opere in contumeliam fidei & Spiritus ſancti, exponit. At hic illis perpetuus mos eſt, & plane Canon plus quam canonicus, totam Scripturam deprauare, vt in hoc exemplo cernis. A

Offerentur Regi Virgines poſt eam &c.

Bene offert, qui de ſuis bene acquiſitis bonis &c.

DEinde, quàm magiſtraliter citat gloſam de triplici gradu ſacrificiorum, ſcilicet de bonis bene acquiſitis, de operibus bonis, de ſeipſo. Et loquitur de talibus, quaſi non omnes Chriſtiani Deo iſta debeant, ſed ſolum ſuæ Virgines ex abundantia, ſeu ex ſupererogatione (vt vocant) Deo præſtent, Cum tamen nullus Chriſtianus ſatis Deum diligere poſſit, Sed valet iſta blaſphemia ad obſcuranda & conculcanda optima illa ſacrificia ſcilicet laudis & afflictionis ſeu mortificationis Rom. 12. vt ſacrificia ſeſe (id eſt, Papiſtis) digna docere poſſint. B Roma. 12.

Tria ſunt enim bona ſecundum Ariſtotelem &c.

ILlud vero maxime eſt magiſtrale & doctorale, Quod Ariſtotelem dicit 7. Politicorum, tria bona aſſerere, Temporalia, corporalia, ſpiritualia, Et hoc ipſum enim pertinet ad exemplum Theologiæ papiſticæ, quod ex Ariſtotele vel falſe allegato, vel nunquam intellecto, oſtentate ſolent copiam ſcientiæ ſuæ, tantum vt Chriſti, Apoſtolorum & Prophetarum nomen abſque Synagogis faciant. Nam is fuit tum inter Papiſtas doctotaliſſimus, qui frequenter Ariſtotelem, & nunquam Chriſtum, Apoſtolos, vel Prophetas citare poſſet, magnifico ſcilicet titulo: Magiſter gentilis, Der heidniſche Meiſter / Tanti Theologi, gloriati ſcilicet, quod eſſent diſcipuli gentilis hominis, qui nihil de Deo & Chriſto cognouit. Et ſatis feliciter promouerunt, Nam eandem ignorantiam Dei & Chriſti perfecte didicerunt ex Ariſtotele, & per Eccleſiam totam ſeminauerunt. C

Quam

D QVam ſecure blaſphemat ſanguinem Chriſti, vbi remiſsionem peccatorum conſequi eos dicit, per oblationem temporalium ad ſtructuras Eccleſiarum, certè per hos horrendos blaſphemosq́, Sermones impleuerunt, non ſolum Eccleſiam abominationibus & erroribus, ſed etiam totum orbẽ templis & monaſterijs, Et ipſe Papatus ſtat per has blaſphemias. Nullus, tamen Epiſcoporum, nullus Papa hunc errorem vidit, Sed Eccleſia vocabatur tunc ſancta & pulchra, Nec adhuc hodie de iſtis pœnitent, verum defendunt potius & vi & ferro. *Fundamentum Papatus.*

E AVget vero blaſphemias in infinitum, quod ſequitur, Religioſum conſequi per oblationem ſui voti (quod per liberum arbitrium facit) plenariam remiſſionem, quaſi baptiſmum. Vides hic, per liberum arbitrium ſine gratia, ſine fide nos poſſe ſaluos fieri, & tam ſanctos, ac ſi baptiſmo & ſanguine Chriſti eſſemus purgati. Certe ſic eos docuiſſe, non poſſunt negare, Extant vbiq; viua exempla, & ſcripta teſtimonia per totam Eccleſiam. Colligant nunc omnes hæreſes & errores Lutheri (vt vocant) & conferant cum his blaſphemijs ſuis, Et coget eos etiam ſuum liberum arbitrium (quantumuis Satana obſeſſum) confiteri, Papiſtam eſſe non hæreticum aut erroneum, ſed plane ipſam abominationem omnium Dæmonum. *Religioſus Papiſticus.*

F NOn diſsimile eſt, quod ſequitur, ſcilicet, Religioſos Deo offerre arborem cum fructu (Hanc enim parabolam miris modis inculcauerunt & celebrauerunt, & eſt apud eos ceu articulus fidei) Docent igitur hac ſacra Theologia ſua Eccleſiam ſanctam non offerre arborem, ſed tantum fructus, Id eſt, Eccleſiam eſſe exiguum quid ad Religioſos comparatam, etiamſi Chriſti ſanguine ſit ſanctificata, & tota ſeſe offerat aſſidue, Longe maius offert liberum arbitriũ, ſine Chriſto, quam Chriſtus ipſe obtulit in cruce. *Votum Religioſi &c.*

G ET hunc hiatum blaſphemi huius portenti mihi conſidera, Votum inquit, Religioſi ſuperat omne genus Martyrij, omne votum Peregrinationis, item omnem Pœnitentiam &c. Hoc eſt vniuerſam Eccleſiam, & omnes Martyres Chriſti prorſus conculcare & irridere, Nam iſtis Theologis Martyres Chriſti non offerunt arborem cum occiduntur. Atque ſi offerrent, tamen longe vilius offerunt quam Religioſi, qui ſummo otio deuorant ſubſtantias alienas, interim tamen voto liberi arbitrij ſuperant omne genus Martyrij.

Eat nunc Chriſtus, & falſo laudet Iohannem Baptiſtam, quod non ſurrexerit Maior inter natos mulierum, Cum Magiſtri noſtri eximij cum ſuo Papa multo maiores eo inuenerint, ſcilicet ſeipſos. Nam hic habes, quod Nonna, quæ nec miniſterio verbi, nec effuſione ſanguinis, nec feruore ſpiritus, nec ſtudio orationis, nec officio vllo charitatis, Deo ſeruit, ſola caſtitate, per liberum arbitrium oblata, ſuperat omnes Martyres Dei. Et hæc quidem apud eos vulgo & prædicata & credita fuerunt, neq; hodie corriguntur, ſed confirmantur igne, gladio, & omni furore. *Caſtitas Nonnarum &c.*

Quid putas vero ſentient de ſtatu Epiſcoporum, & de ſanctiſſimo Domino ſuo Papa? Nam Religioſi ſunt (vt aiunt) in ſtatu acquirendæ perfectionis, ſed Epiſcopi in ſtatu exercendæ perfectionis, Papam vero vt ſanctiſſimum, ſuper ſtatus omnes, oportet plane in ſtatu glorificatæ & coronatæ perfectionis eſſe. Quare ſi Nonna ſuperat voto caſtitatis & ſtatu acquirendæ perfectionis omnes Martyres, neceſſe eſt, vt Epiſcopi cum ſuo ſtatu exercendæ perfectionis ſuperent omnes Apoſtolos & Prophetas. *Epiſcoporum & Papæ ſtatus.*

Relinquis

Relinquitur vnus Papa, qui ſtatu glorioſæ perfectionis ſuperet ipſum Chriſtum,& omne quod dicitur Deus,aut quod colitur.

Hoc eſt quod voluerunt & impleuerunt, vt Diabolum in Eccleſia conſtituerent idolum loco Dei adorandum, Ex ipſo enim has & alias infinitas abominationes & blaſphemias didicerunt, Nec tamen nunc, cum reuelatæ ſunt,& eas agnoſcere cogantur,vlla parte corrigere volunt,ſed occidunt eos, qui tam horrenda monſtra non adorant.

Verum vltra non proficient (ait S. Paulus 2. Timoth. 4.) Poſtquam eorum inſipientia nota facta eſt cunctis hominibus. Quo teſtimonio Spiritus noſter Spiritus certiſſimus fit,Papiſtas cum ſuo Papa vltra non fore felices,neque habituros eſſe ſucceſſum. Id quod ſimul res ipſa conſentiens clamat, & practicæ eorum, quas hoc ſeculo multas & magnas tentauerunt, & tamen omnes ſumma ſemper cum ignominia irritas & inutiles eſſe ſenſerunt, Nec tamen deſiſtunt furioſi,nouas ſemper tentare,Scilicet, vt Pauli prædictionem plene & perfecte impleant,& eo celerius (ſicuti merentur) pereant. 2.Tim.3.

SEQVITVR:

PRæſens Puella ſpernens regnum mundi, exemplo B.Virginis (quæ primo virginitatis votum emiſit) offert ſe anima & corpore &c. Iterum continuas & meras audis blaſphemias in fidem & Chriſtum, quod Virginitas offerat corpus & animam,ſcilicet,quaſi nullus Chriſtianus corpus & animam offerat & mundum ſpernat, ne Martyr quidem, ſed ſoli Nonnæ offerunt ſeſe totos,& ſpernunt regna mundi,Cæteri Chriſtiani,quia non ſunt Nonni & Nonnæ, rapiunt potius Deo corpus & animam, & diligunt ac eligunt mundum. H

Igitur obſcurauerunt his blaſphemijs ſacrilegi iſti Theologi gloriam fidei & Eccleſiæ, vt Eccleſia prorſus nullius eſſet precij comparatione Religioſorum. Et certe ſic docuerunt,vt hic audis, Sic etiam vixerunt,& omnes homines his præſtigijs dementauerunt, Cum tamen reuera non ſpernant, ſed poſſideant potius mundum,cum omni gloria & opulentia ſua.

Scilicet pannoſus mendicus ſpernit in domo paterna furfures & ſiliquas,nuditatem,& ſummam omnium rerum penuriam,fugit vero in Monaſterium,& fit alienis opibus Doctor aut Abbas,etiam Principibus adorandus, Et Puella,in mundo futura focaria (vt dicitur) ancilla, aut famelica materfamilias,fit in Monaſterio Abbatiſſa & glorioſa Domina,etiam Regibus mundi venerabilis.

Quod ſi ſimplices & inferioris gradus Nonni & Nonnæ manſerint, Tamen victum & veſtitum, domum & omnia neceſſaria ſic habent opulenter, in ſummo ocio & ſecuritate cum ſumma laude & gloria,denique cum ſpe vitæ æternæ (vt ſomniant) vt totus mundus ab eis tam religioſe ſpretus, non poſſit nec,Regum filijs,tantam mundi ſecuritatem & ſaturitatem cum tanta gloria & laude præſtare. Habes itaque mundi contemptores, nomine & fuco, ſed mundi Dominos, re ipſa & veritate, Hoc vouet Religioſus, & præſens Puella exemplo beatæ Virginis,

IAm iſtum articulum fidei, à Magiſtris Nonnarum repertum, ſcilicet (Quod beata Virgo primo votum virginitatis emiſit) ſi tu neges aut dubites,plane omnium hæræticorum Hæreſiarcha fueris. Sed vnde talem

Virum non cognoſco. articulum demonſtrant? Ex Euangelio Lucæ 2. vbi ipſa Virgo dicit: Virum non cognoſco, Hic (non cognoſco) ſecundum gloſſam ſignificat,Non *Lucæ.1.*

cognoſcere

cognoſcere propono, Poſtea ſecundum Magiſtros Nonnarũ (non cognoſcere propono) ſignificat, Ego votũ virginitatis emiſi, & Nonna eſſe volo, ſpernens mundum, vt ſim exemplum Nonnarum &c. Nec eſt hic lis Grammaticorũ ſub iudice, nec vllum dubium, certa eſt Grammatica & bona conſequentia.

Eadem conſequentia ſequitur, quod Chriſtus fuerit Nonnus & Nonnorum exemplum, Quia & ipſe poteſt dicere: Mulierem non cognoſco, id eſt, non cognoſcere propono, Quod vlterius idem eſt, quod votum caſtitatis (virginitatis non potuit, quia fuit maſculus & non virgo ſeu fœmina) emiſi, & Nonnus eſſe volo, ſpernens mundum, vt ſim exemplum Nonnorum.

SEd hic quæſtio naſcitur, Cuius Ordinis beata Virgo & Chriſtus fuerint, & qualem veſtem & cucullum ac raſuram geſtauerint?

Hic Magiſtri Nonnarum nondum ſunt concordes, Tamen Nicolaus
2. Lyranus, Iohan. 2. veriſimiliter dicit, Chriſtum fuiſſe de ordine Minorum S Franciſci. Et probat ſic, Chriſtus (vt eſt in textu) fecit flagellum ex funiculis, id eſt, ex cingulo Ordinis Minorum, quia non apparet alias, vnde tam cito potuiſſet funiculos inuenire.

Sed Prædicatores poſſent eum ſibi arrogare & dicere: Chriſtus tota vita prædicauit, Sed qui prædicat, eſt Prædicator, Prædicator autem eſt de ordine Prædicatorum.

Canonici Regulares non poſſunt eum ſuo Ordini arrogare, Quia ipſi generant multos pueros, ex alienis mulieribus, ſed Chriſtus fuit cœlebs, & nihil genuit.

Ex Lyrano ſequitur alia quæſtio, An Chriſtus etiam peccauerit, quando cingulum Ordinis dirupit, & in flagellum commutauit, Videtur enim Ordini tam ſancto iniuriam feciſſe, quod formam cinguli mutauit & inhonorauit, dum ex ſacerrimo cingulo Ordinis fecit deforme flagellum, quaſi tortoris aut carnificis.

Hic poteſt reſponderi per ipſoſmet egregios ac profundos viros, Ego me non intromitto, de iſtis arduis & profundis ſubtilitatibus, ex inuicem ſine fine naſcentibus.

1. SEquitur, Spernens mundum. Nec hoc ſatis, Etiam omnem ornatum ſeculi &c. Quia mundum ſpernere non ſufficit, niſi & omnem ornatum ſeculi ſpreuerint. Copioſi & acuti ſatis Theologi, qui contemptum mundi aliud faciunt, quam contemptum ornatus ſecularis. Habes igitur hic iterum alium articulum doctrinæ papiſticæ, ſcilicet, quod mundum ſpernere ſit fugere in monaſteria, & corpore locum mutare. Nam hanc opinionem plantauerunt per totam Eccleſiam, quod ſpernere mundum, ſit in monaſterium ſeſe abſtrudere, Et creditum eſt illis, & eo fuco totius orbis opes occupauerunt: Epiſcopi, Paſtores, & quotquot regunt Eccleſias, non ſpernunt mundum, ſed vocantur Sacerdotes ſeculares. *Spernere mundum.*

Sed neq; ligna neq; lapides, etiamſi in Monaſteria portentur & perpetuo maneant in ædificijs, gaudent hoc priuilegio, quod dicerentur, Spernere mundum, cum tamen & ipſa eodem modo, quo Monachi & Nonnæ, corpore locum mutent, & de ſylua in Monaſterium trudantur, Et Nonni ac Nonnæ, eodem modo, quo ligna & lapides (vtrinq; trunci & ſaxa) in locum alium corpus ſuum transferunt, Sed oportet eſſe animal rationale, ſicut eſt homo, qui poſſit dici, Spernere mundum.

Igitur,

Igitur, cum ſpernere Mundum iſtis Doctoribus eximijs ſit, non vitia mundi, incredulitatem, fiduciam ſui, ignorantiam & inobedientiam Dei, concupiſcentiam, auaritiam, inuidiam, & reliqua opera Diaboli relinquere, Sed per electitiam religionem potius hæc monſtra ſtatuere, fidem conculcare, & fiduciam ſui alere, totum regnum Chriſti ſuis abominationibus obſcurare & prophanare (Nam regnant hæc monſtra in religionibus, & niſi regnarent, non poſſent religiones conſiſtere, Ideo enim itur ad opera religionis, quæ baptiſmo æquant, quia receditur à fiducia in Chriſtum) Fit, vt per vocabulum, Spernere mundum, aliud nihil poſſit intelligi, quam ſpernere coniugium, magiſtratum, officia Eccleſiarum, cum eadem vitia, & eandem carnem ſecum ferant & retineant in Monaſterio, quæ foris in alijs locis habuerunt.

Diaboli opera relinquere vere eſt ſpernere mundum.

Tu nunc vide ſapientiam iſtius doctrinæ in magno miſterio abſconditæ, Vitia mundi non ſpernunt, ſed diuinas ordinationes, vt Eccleſias regere Coniugium (etiam maximo multorum periculo) & Politiam, quæ omnia Deus ordinauit, & colere atque honorare præcepit, Illi autem deſerunt & fugiunt, & contemnunt, Deinde gloriantur, ſe offerre Deo fructum ſuperantem omne genus Martyrij.

Tamen præualuit iſta peſtilens ſpecies mutati loci, & in Monaſterium ingreſſus, vt pro contemptu mundi celebraretur, Nec videretur, quod iſte contemptus veriſſime fuerit contemptus Dei & ſuarum ordinationum, ac merus amor & honor mundi & Diaboli, hoſtium Dei & omniũ ſuorum operum.

Contemptus mundi.

Sed minor eſt iſta blaſphemia, quod ſpernere mundum vocant id, quod vere eſt ſpernere œconomiam, politiam & Eccleſiam, diuina ſcilicet opera & præcepta. Hæc eſt multo maior, quod per ingreſſum religionis negant fidem Chriſti, & damnant gratiam baptiſmi ſui, & contumeliam faciunt Spiritui ſancto. Quia non confidunt per Chriſtum aut Baptiſmum iuſti & ſalui fieri, ſed per vota & opera religionis ſuæ, tam abundanter, vt ea etiam alijs vendant, & non ſolum ſeipſos, ſed & alios per eadem ſaluos faciant. Ecce hoc eſt ſpernere mundum. Hæc abominatio tunc regnauit apud eos, nec poſſunt negare, Et tamen non agnoſcunt aut pœnitent. O maledictus iſte contemptus mundi, quo non poteſt maiore ſacrilegio Mundus honorari, & Princeps eius Diabolus adorari.

Ingreſſus religionis &c.

Spernere vero ornatum ſeculi aliud nihil eſſe poteſt, quam formam veſtis puellaris per formam cuculli mutare, Neq; enim omnes Nonnæ aureas coronas, murenulas & torques habuere, quas relinquerent, Omnes vero puellarem veſtem, qua cum honore coram Deo & hominibus vſæ ſunt, mutant cucullo.

Ornatum ſeculi ſpernere &c.

Quid igitur ſpernunt iſti hypocritæ, niſi bonam & vtilem veſtem, honeſte & verecunde formatam & geſtatam, & in qua, proculdubio, ſi caſtæ & obedientes ſub Parentibus vixerunt, plura & ſanctiora opera fecerunt, quam in omnibus cucullis vnquam facta ſunt & fieri poſſunt. Et tamen iſtam Bullam huius doctrinæ ſic iactauerunt per Eccleſiam, vt omne genus martyrij ſuperaret. Hic nullus Epiſcopus vigilauit, nullus Doctor clamauit contra has perfidas & blaſphemas abominationes, Sed omnes ſimul inſaniuerunt & probauerunt monſtra hæc atq; nunc etiam defendunt vi & furia.

Sequi-

SEQVITVR.

L OFfert ſe anima & corpore viuere Deo æternaliter. Sic enim docuerunt iſti ſacrilegi aſini,& hae doctrina fidem Chriſti extinxerunt, & adhuc extinguunt,imo blaſphemant Deum in omnibus ſuis operibus & verbis. Nam in magiſtratu & œconomia non concedunt eſſe cultum aut obſequium Dei,niſi quando intermiſſis officijs publicis &domeſticis,ad Templa ibant & Miſſas audiebant,& ſine mente orabant Roſaria & alia praſcripta illis à Magiſtris iſtis Nonnarum, Hoc eſt quod hic Sermocinator dicit,Nonnam æternaliter ſeruire Deo, ſcilicet, quod Homo politicus aut œconomicus non æternaliter ſeu aſſidue Deo ſeruire poſſit, Quia occupatur officijs domeſticis & publicis,quibus Deo non ſeruitur,ſed Diabolo ſeu mundo. *Monachi negant per politica & œconomica officia Deo ſeruiri.*

Nonna vero ſemper viuit Deo,corpore & anima,niſi forte cum dormit aut ægrotat. Quaſi vero Nonnæ etiam non occupentur officijs domeſticis,coquendo,lauando,nendo,linum & lanam operando, & plane omnia officia muliebria & domeſtica,etiam magis,quam vlla vxor,exercendo, Vno duntaxat excepto,quod viris non cohabitant, nec pariunt. At loco huius alienos ...eros alunt,educant, formant & regunt,etiam maiore ſtudio & cura quam Matres multæ ſolent.

Quo ergo differunt Nonnæ ab Vxoribus,niſi ipſo coniugio? Et tamen Nonnæ ſeruiunt Deo corpore & anima æternaliter, Vxores ſeruiunt Deo nunquam,niſi extra ſui ſtatus officia. Quid hoc eſt aliud,quam vxoris officia, ceu mundana,damnare,& Deum,cuius hæc ſunt diuina opera,in ſua ordinatione blaſphemare? quæ tamen & ipſæ Nonnæ tam ſtrenue exercent, Et toties Paulus docet ea officia placere Deo, & mulierem ſaluam fieri per filiorum generationem. Officia autem Deo placere, quid eſt niſi per ea Deo ſeruiri & viui æternaliter tam corpore quam anima?

Sed hoc non admittit abominatio iſta monaſtica, ne gloriam Ordinis ſui amittat, Quia potius fidem Chriſti conculcant & docent,Nonnam ſine fide,ſuis nonnalibus veſtibus & cultibus Deo æternaliter viuere tam corpore quam anima,Saram vero,Rebeccam,Rahelem,Hannam,Eliſabeth,& omnes alias ſanctas Vxores,plenas fide & ſpiritu,non ſeruire Deo,ſed mundo & Diabolo.

Vide,qualem doctrinam & opinionem Satan per iſtos homines vexerit in Eccleſiam, Nonne hic ſentis,vnam vxorem inter Chriſtianos,etiam abiectiſſimam,ſi fidelis eſt,meliorem eſſe, quam omnium Nonnarum infinita Monaſteria, Et omnes ſimul dignas non eſſe, vt vni tali vxori porrigant calceum, propter blaſphemam ſuam & ſacrilegam in Deum & Chriſtum religionem, ſeu abominationem potius.

Sic ſi Monachorum officia ſpectes,quid eſt politicorum operum,quod non exercent? Nonne agros, vineas, hortos,prædia, greges pecorum habent? Nonne vendunt,emunt? Nonne iudicia habent? Et quid dicam? Ipſa politia nuſquam fuit aut eſt magis exercita & ſolicita,quam apud Monachos & Epiſcopos. Vno excepto, quod non militant ipſi in caſtris, licet loco eius officij alant exercitus,iuuant Duces,hortantur bellatores,Etiam ipſorum multi hodie per ſe belligerantur. Et tamen ipſi ſeruiunt æternaliter Deo corpore & anima, Magiſtratus non ſeruit Deo ſed mundo,niſi dum in templo preculas ſuas murmurat. *Monachi politica opera exercent.*

Quid eſt hoc aliud,quam officia illa diuina Magiſtratus,à Deo condita, inſtituta,& præcepta, damnare & blaſphemare, quæ tamen & ipſi gnauiter

& non ſegniter exercent? Vt videas ab iſtis monſtris hominum damnati opera bona Dei, non alia cauſa, quam quia ipſa eadem & alij faciunt, & laudari, quia ipſi ſoli vellent ea libenter facere. Cum enim officia ipſi faciunt, & tamen ipſos ſtatus damnant, manifeſte patet, quod perſonas ſtatuum damnent, vel odio vel inuidia, quod non ſoli cuncta faciant, quæ alij faciunt.

Magiſtratus vocationis opera omiſerunt.

Iſtis blaſphemis & ſacrilegis opinionibus ſic imbuerunt Regum & Principum animos, vt ipſi deſperarent de ſtatu ſuo, nec poſſe ſaluum fieri, qui in Magiſtratu ſeruiebat. Et hac larua Diaboli conterriti, fere omnes cœperunt, neglectis ſuis officijs, aut alteri commiſſis, ipſi in templis quaſi Monachi aſſidue orare & Deo ſeruire.

Quanquam hæc negligentia officiorum non tam grande malum fuit, quam quod hac opinione ſeruiendi Deo, ipſam fidem in Chriſtum extinxerunt, Et miſeros homines, non ſolum à ſuæ vocationis officijs abſterruerunt, ſed etiam fiduciam collocare docuerunt, in iſta officia ſua vocatione aliena, quæ & veriſſima dupliciter fuere peccata. Primum quod ſuis officijs neglectis Deo inobedientes fuerunt. Secundo quod alienis officijs Deo ſeruientes & in eis fidentes, veræ idolatræ fuerunt.

Ecce is fuit fructus huius doctrinæ, quam iſte Sermo docuit, Scilicet Nonnas ſeruire Deo æternaliter corpore & anima. Hoc ſcandalo abominationis ſubuerterunt & pietatem fidei, & officia politiæ, vtrunq; ſcilicet regnum Dei, externum & internum.

Quibus artibus Ecclesiaſtici mundum ſibi ſubiecerunt.

Valuit autem illis plurimum, Principes & Reges his opinionibus ſacrilegis eſſe captos & dementatos. Nam hac arte parauerunt & ſubiecerunt ſibi mundum & omnem ornatum ſeculi, quem tam religioſe ſpernunt. Nam Principes & Reges, deſperantes de ſuis officijs & ſtatibus, quid aliud facerent, quam vt alienis officijs ſeſe ſolarentur? Et cum doctrina fidei eis eſſet ignota, & per peſtilentes iſtos Magiſtros obſcurata & abſcondita, nulla erant reliqua officia, quam Nonnorum & Nonnarum, quorum præſidijs ſperarent ſalui fieri.

Igitur ad participandum illis, auxerunt ea in infinitum, ædificantes, dotantes, locupletantes Monaſteria ſine fine & ſine modo, vt mundum iſtis ſpeluncis Diabolorum & Diabolarum repleuerint. Donec ipſi vix dimidium rerum retinuerint, & omnia profuderint in iſta aliena, id eſt, ſacrilega & idolatrica officia. Tales debuit Mundus ingratus Chriſto Magiſtros habere, & hunc & ſimiles ſermones audire, & adorare pro ſumma veritate & pietate.

ET vnde tamen ſumpſerunt iſta ſacrilega dogmata? Non niſi è ſancto Paulo 1. Corinth. 7. vbi dicit: Mulier cogitat, quæ ſunt 1. Cor. 7.
mundi, vt placeat viro. Et vir cogitat quæ ſunt mundi, vt placeat vxori, Diuiſa ſunt hæc, Virgo cogitat quæ ſunt Dei, vt ſit ſancta corpore & ſpiritu.

Ex hoc textu habet iſte Magiſter noſter hunc Magiſtralem Sermonem. Hic Paulum intelligunt velut damnantem coniugium ceu mundanum ſtatum, Et docent hinc, Deo non ſeruire poſſe coniuges.

Cogitare quæ ſunt mundi.

Hunc ſenſum ſtupidi iſti & ſtertentes lectores Pauli è ſuo cerebro affe runt in Paulum, more ſuo perpetuo. Cum Paulus non damnet, nec peccatum eſſe dicat, cogitare ea, quæ ſunt mundi, & placere Coniugi. Sed diſtinguat & comparet diuerſa officia virginum & coniugum, Sic tamen, vt in vtriſque eidem Deo ſeruiatur. Nam coniugis officium ſanctum & Deo gratum eſt, amare coniugem & ſtudere vt illi placeat. Hoc fit autem cogitando ea quæ mundi ſunt, id eſt, domum curando, familiam regendo, alendo prolem, labo-

rare,

ſare, & alia domeſtica opera exercendo, pro victu & amictu Liberorum, Deinde ſeruire ciuibus, & parere Magiſtratibus. Hæc enim ſunt mundi, & in mundo neceſſaria, Et ea cogitare, eſt ea ſolicite & fideliter curare & præſtare, Hæc etiam placent viro in muliere, & mulieri in viro.

At noſtri aſini cogitare non intelligunt aliud, quam vel caſtis vel non caſtis cogitationibus intentum eſſe. Quaſi Paulus de libidine & voluptate carnis inter coniuges, & de continentia Nonnarum, loquatur, cum de officijs, laboribus & moleſtijs coniugij loquatur, quibus diſtrahuntur, ne ſemper illi vnico & optimo officio, ſcilicet verbi Dei, poſſint vacare, ſed coguntur ſæpius in ſua officia diſtrahi, In quibus tamen æque ſeruiunt Deo, atq; faciunt in officio verbi.

Virgo vero poteſt aſſidue (vt mox dicit) in officio verbi, ſeu vt Paulus ait) in obſequio Domini eſſe, vt quæ officijs erga maritum, prolem, familiam, demum agrum & alias moleſtias libera eſt.

At noſtri aſini magiſtrales, ſeruire Domino hic vocant, cogitare de caſtitate & in choro cantare, & preces murmurare: Nam nemo fuit ab officio verbi remotior (id eſt, vero cultu Dei) quam Nonni & Nonnæ. Deinde (vt dixi) nemo implicatior & attentior in cogitando ea, quæ ſunt mundi, exceptis officijs erga coniugem & prolem. Cætera omnia mundi, tam œconomica & politica, ſic cogitauerunt, vt toti mundo exempla præbuerint, colendi, ædificandi, alendi, emendi, vendendi, & omnia officia mundana exercendi. *Seruire Domino, &c.*

SEQVITVR.

M Imo id quod eſt Deo gratiſsimum, ſcilicet virginitatem.

QVam ſecure pronuntiat hoc os Diaboli, virginitatem eſſe prorſus rem gratiſſimam præ omnibus obſequijs. Ferendum erat, ſi pro laudanda virginitate aliqua tali hyperbole aut ſuperlatiuo vterentur, modo hyperbolen eſſe finerent, & figurate dictum accipere permitterent. Nunc autem ſimpliciter & ſerio ſic docuerunt, & abſq; hyperbole virginitatem iſtam fœdæ & corruptæ carnis, prætulerunt fidei & omnibus donis fidei, Et per hoc puræ & caſtæ fidei pietatem extinxerunt, & in locum eius idolum virginitatis & multa alia ſtatuerunt. Nam miſerarum iſtud puellarum vulgus, iſtis laudum prodigijs deluſum, credidit ſe eſſe ſummum Eccleſiæ miraculum, contempta fide & negato Chriſto. Sit virginitas Deo gratiſſima, ſed in ſuo gradu & ordine, vt & coniugium maneat Deo gratiſſimum, Nihil autem gratius pura fide in Chriſtum, imo nihil tam gratum. *Virginitas prælata fidei &c.*

SEQVITVR.

N Nam Deus ſpecialiter eligit virgines ſibi hic & in futuro.

SCilicet tam cupidus eſt multarum Sponſarum, vt ne in futuro quidem amore Virginum expleri poſſit. Sed ſicut dixi, Hic ſermo exemplar eſt doctrinæ papiſticæ, Ideo per ſingula verba ſpirat vinum illud fornicationis in aureo calice purpuratæ Meretricis, vt ipſe ſolus poſſit, Ille ipſe Calix aureus fornicationis dici. Deus eligit ſpecialiter virgines. Hoc ſpecialiter iterum non hyperbolen eſſe ſinunt, ſed præferunt virginitatem fidei & toti ſpiritui.

SEQVITVR.

O Status Virginum eſt excellentiſsimus, quem Chriſtus & beata Virgo tenuerunt.

AVdiſhic,quod Chriſtus & Maria nihil tenuerunt excellentius virginitate? Forte Maria mentita eſt cum dixit: Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ,cum dicere debuerit.Reſpexit excellentiorem virginitatem.

Item laudabiliſsimus,Quia maior victoria & duriora certamina. P

HOc verbum ex S. Auguſtino habent,dicente:Inter Chriſtianorum certamina duriora ſunt caſtitatis prælia. Vbi quotidiana eſt pugna,& rara victoria.Sed ipſe viderit,quid dixerit. Forte voluit dicere: Duriora.id eſt,magis aſſidua & diuturniora. Sicut illud indicat, quotidiana pugna,Sed non dicit maiorem eſſe victoriam,ſicut hoc os Satanæ addit.

Fidei certamina. Duriora ſunt enim fidei certamina præ omnibus,vt in Iacob,Dauid, & alijs patet,quæ ſi Auguſtinus non eſt expertus,ignoſcetur facile eius verbis, corde candido & ſyncero prolatis,Sed non vt dogma fiant, aut conſcientias informent. Deinde victoria fidei vincit mortem,peccatum,infernum,diabolum,mundum. Quin abſente fide, Virginitas vincitur, & fit ſcortatio & omnis generis immundiciæ.

Item vtiliſsimus,quia conſequitur fructum centeſimum. Q

Gregorij error. ISta animalia immunda omnia ſine iudicio deuorant, quæ in Patribus legunt,& euomunt nobis ea poſtea pro decretis fidei. Errauit hic S.Gregorius & hunc locum Euangelij de diuerſis fructibus verbi,deprauauit ad fructus operum,ſeu præmiorum potius. Ita factum eſt,vt per totam Eccleſiam eius deprauatio,cantata,lecta & celebrata ſit,maxima autoritate,non in paruum ſcandalum & iacturam fidei & fidelibus,Scilicet hac deprauatione firmata ſunt iſta ſcandala Monaſteriorum, & obſcurata fides Chriſti.

Centeſimus fructus. Centeſimus igitur fructus eſt,quod Euangelium ſeminatum ſeu prædicatum per vnum plus,quam per alium operatur, Vnus etiam plura dona fidei acquirit,quam alter. Sic Paulus centeſimum fructum habet,comparatus alijs Apoſtolis,quia plus laborauit & latius prędicauit, Auguſtinus centeſimum habet præ multis Epiſcopis &c. Non igitur de præmijs,ſed de fructibus verbi loquitur hic Chriſtus.

SEQVITVR.

Et honoratur in cœlo angelica ſocietate, gaudij ſingularitate,Chriſti conformitate, Sequuntur enim virgines agnum quocunque ierit. R

HÆc omnia ſic dicuntur de virginibus,quaſi omnes alij Sancti excludantur.Sed(vt dixi)oportuit hunc ſermonem fieri perfectum exemplum doctrinæ & ſapientiæ ipſorum. Toties iam repetijt, quod Chriſtus etiam Virgo fuerit, & Virgines ſimiles illi præ omnibus Sanctis. Ita delectat ſuperbiam iſtam carnis mortuæ,omnes Sanctos deſpicere, & ſuam virginitatem vnice admirari,in fidei & Chriſti iniuriam & blaſphemiam.

Sed quid ad illud dicemus,quod virgines, quæ agnum ſequuntur,ſunt maſculi non fœminæ? Dicit enim de eis Apoc.14. Hi ſunt qui cum mulieribus non ſunt coinquinati, Virgines enim ſunt &c. Quomodo autem poſſunt mulieres cum mulieribus inquinari? Sed qui totam Scripturam negligenter & obiter legunt, quomodo poſſent hunc locum obſeruare, cum in multo apertioribus ſtertant & ſua ſomnia fingant? *Apoc 14.*

Virgines quæ ſint, de quibus Apocal. 14. Igitur Virgines iſtæ ſunt Chriſtiani virginitate fidei,qui ſpretis fornicationibus idolorum & doctrinarum Meretricis purpuratæ,ſolum Chriſtum & purũ eius verbum ſequuntur. Aut ſi carnaliter intelligi coinquinationem velimus,

Digitized by Google

vellmus ſignlficat eos,qui fœdum& inqulnatiſſimnm cœlibatum Papiſtarum ſpernunt,& caſto coningio fidem Chriſti ornant,ſicut hodie fieri videmus.

QVam papaliter vero adducit illud Sapientiæ: Omne aurũ in comparatione eius,arena eſt exigua. Et illud Eccleſ. 26. Non eſt digna ponderatio continentis animæ.

Scriptura illis quouis loco,quodlibet valet ad omnia quæ volunt. Et ludunt in ea pro libito,ſed nimis ſerio ludo,in perniciem fidei, & ignominiam Chriſti, & ſubuerſionem Eccleſiæ,quam his peſtibus opprimunt.

Sed ſatis ſit,per hæc indicaſſe portenta in hoc Sermone congeſta,Nullum verbum in ea reperient fideles,quod non præferat virginitatem per liberum arbitrium oblatam,fidei,hoc eſt,quod non blaſphemet Chriſtum & Eccleſiam eius,ſeu vt Apocalypſis dicit,Deum & tabernaculum eius. Et hæc quidem ſunt illa nomina blaſphemiæ, quibus plena eſt Beſtia illa coccinea decem cornuum. Chriſtus perdat eam illuſtratione aduentus ſui,Cui ſit gloria in omnia ſecula, Amen.

M. D. XXIII.

ADVERSVS ARMATVM VIRVM COCLEVM.

Martinus Lutherus.

Colum mulierem decet.

VILHEILONI SENO SVO MARtinus Lutherus gratiam & pacem in Chriſto.

ARma virumq; cano,Mogani qui nuper ab oris
Leucoream fato ſtolidus,Saxonaq; venit
Littora,multum ille & furijs vexatus & œſtro
Vi ſcelerum memorem Raiorum cladis ob iram,
Multa quoq; & Satana paſſus,quo perderet vrbem.
Inferretq; malum ſtudijs,genus vnde malorum
Errorumq; Patres,atque alti gloria Papæ.

SI ineptire videor tibi,mi Vilheile,pro iſtis Bacchanalibus,cogitа,quod tu mihi autor es ineptiendi ſatis imperioſus,qui me tali homini cogis reſpondere,quem præ morbo animi iamdudum mente captum eſſe nõ ſolum tu belle noſti, cum tuis Francophordienſibus,ſed & ipſemet Libellum hunc nulla videtur cauſa edidiſſe, quam vt maniam ſuam teſtatam faceret orbi.

Quid eſt enim iactare arma virorum,niſi mania? Scilicet,poſtquam per me Dominus, Papam, Epiſcopos,Monaſteria & Academias,totumq; illud corpus Behemoth non ſolum percuſſit, ſed & pene iam palam traduxit per orbem,illa tandem feſtiua & feſtina Teſtudo arma requirit. Papa ſentit vulnus. Papiſtæ queruntur ſuum caſum, & vndiq; plurima mortis imago,& ille negat mihi eſſe arma? imo vt cum inſano cerebro inſaniam, ſi non fuerunt mihi arma, quid ſic plorat?quid gemit? quid eiulat Teſtudo iſta, tanta per me eſſe facta? Cur queritur tanto vlulatu, Philippum eſſe à me per-

T. 2. Cccc iij ditum,

ditum,quem tanti facit? Si hæc ſtipulis & plumis effeci,aut ſolis,quod inſanit conuitijs,cur tanto impetu armorum in me ſurgit? Cur non contemnit Hector iſte tam puerilem & muliebrem Lutherum.

Deinde,ſi quid reliquum in eo eſſet ſalui cerebri,ſecum cogitaſſet procul dubio fortunam hactenus aduerſus Lutherum bellantium, quibus nec calcar quidem tangere poſſet(vt aiunt)Coclear iſtud. Eccius certe in ſcolaſticis erroribus incomparabilis ad Dominum Coclear, deinde & pontificijs Bullis & viribus,conſenſuq; totius Behemoth,in me graſſatus, nihil niſi ignominiam retulit. Hoc ſine armis factum glorietur popinarium iſtud Coclear. Pariſienſis Academia ſic ſeſe traduxit in hac cauſa,vt immortalis ſit impijſſimæ ruditatis eius infamia. Et oportuerat ſane Dominum Coclear,ſi ſapuiſſet,æſtimare,quid vna Teſtudo cum ſuis fugitiuis cornibus tentet,aduerſus illum, quem Pariſienſes,Louanienſes,Colonienſes,Romanenſes,& quidquid eſt virium in corpore Papæ, ſuperare non potuerunt.

Eccius.

Pariſienſis. Academia.

Sed erat vna ſolatij ſpes,quod liceret gloriari. Ego ſcripſi vnum Librum contra Lutherum. Si quidem multis alijsq; Libris in me ſcriptis nihil eſt opinionis & gloriæ,quã quod hoc titulo vehuntur: Contra Lutherũ. Ego citra & præter votum meum in publico exaltatus per Chriſtum, cogor iſta ſtercora mecum in ſublime vehere, vt vulgo dicitur, de luto rotis hærente,vt ſemper ſumma petit liuor impotens.

Iam quantum eſt dementiæ argumentum,quod gloriatur,ſeſe Vuormatiæ ſic mihi locutum,vt ad lachrymas cogeret. Non imputabo hoc nequitiæ, ſicut dixi,ſed dementiæ, malo eum inſanum & miſericordia dignum,quam malum & odio dignum haberi. Alioqui ſi compos ſui ſic impudenter mentiretur,quis non Cocleum inſignem nebulonem iudicaret? Scilicet iſte Pericles Lutherum ad lachrymas moueret, qui ſic pueriliter loquebatur & agebat omnia Vuormatiæ,vt ab omnibus,qui aderant,etiam me inuito & prohibente, tanquam fatuus rideretur. Teſtem appello ſuam ipſius conſcientiam, ſi ſanus meminit,quantum vel ab vno D. Hieronymo Schurff ſalis & naſi paſſus eſt, tum maxime,cum vellet ſapientiſſimus & prorſus armatus ille Cocleus videri, Senſit enim,& indigne etiam tulit.

Sic & hoc mendacium morbo tribuerim,non malitiæ,quod iactat triumphum,nempe, quod oblatum duellum recuſarim. Teſte etiam Cocleo ſic res habet Cocleus ſiue propria ſtulticia,ſiue alienis verbis ſubornatus,poſtulabat à me,vt fidem publicam Cæſaris reſignarem,tum ſeſe velle mecum diſputare palam. Hic antequam ego reſponderem,communi cachinno excepta hominis abſurditas eſt. Pars eum inſanire putabat,vt qui diſputare nollet, niſi fide publica poſtpoſita,quaſi diſputari non poſſit ſalua fide publica. Pars vero proditorem malignum arguebat,qui non diſputationem quæreret, ſed vt exutum fide Papiſtis proderet. Peſſimo nomine ſeſe tum Cocleus & omnium odio per hoc verbum onerauit,quo ſe in perpetuum non exonerabit. Et nunc gloriatur pulchra iſta Teſtudo,ſeſe mihi recuſanti duellum obtuliſſe,& cantat victorias, Cum ego nec diſputationem recuſarim,nec fidem publicam offerre detrectarim. Vides itaq;, cuius autoritatis eſſe debeat iſto Libello Cocleus, quem tã impudentibus mendacijs auſpicatur, nec dum pudet eum Vuormatiæ fuiſſe deriſum,gloriatur vero in turpitudine ſua.

Hoc nimirum eſt,quod ſuam illam inſaniam hoc Libello ornare anhelat, Quod adhuc mihi vnus duellum offert, magnificis verbis & minis id agens, vt qui legunt, ex animo eum loqui credant. Obſecro, cur hoc non faciebat Vuormatiæ, vbi vallatus erat Cæſaris & Papæ tutela &

la & præſidio? Sed Teſtudini conuenit hæc tarda & ſera gloriatio, poſt amiſſos triumphos. Cur non adhuc me accedit Vuittembergam, aut vocat in locum tutum? Quid eſt, quod inanibus verbis crepat teſtudo iſta? Scilicet, quia nouit nunquam fore, vt mecum congredi poſſit, ſecure triumphāt hic arma viri ſine aduerſario. Du arme Schnecke/was ſolteſtu diſputiren? Teſtudo es & aliud nihil, & cornua tibi teſtudinis ſunt formidine tantum & fuga nobilia, quæ vbi nihil ſit, quod obſtet, ſatis audacter ſeſe in vacuum erigunt, vbi autem vel aranei filum occurrit, retro fugiunt.

Sed ego plane hoc tribuo diuinis conſilijs, vt Papæ & Papiſtæ fere nullos habeant Patronos, niſi qui vel inſigni inſcitia, vel mendacijs impudentibus ſemper ſuam autoritatem traducant, ne quis amplius per abominationem Romanam decipiatur. Nullus adhuc aduerſus me ſcripſit, qui non ſit inſigniter & palam ac multis modis mentitus. Plorandam certe ſortem Papæ, quod ſui non niſi mendacijs protecti in arenam deſcendunt, nec deſinunt tamen mentiri, poſtquam multos vident à me palam conuictos, vno furore mentiendi omnes pergunt. Habes ergo Niſene hic partem armorum, quæ virum illum decent, Et quem decerent arma talia, niſi talem virum?

Patroni & defenſores Papæ quales.

Veniamus nunc ad rem ipſam, & reliquam armorum partem videamus armatæ Teſtudinis. Imitabor autem exemplum Domini Coclearis, vt vnum aut alterum articulum, cuius maxime referat, refutem, Nam & ipſe non totum Lutherum aggreſſus eſt, ſed tres illas priores Propoſitiones à me aſſertas aduerſus Bullam Eccioleoninam. Igitur hoc maxime vrget toto Libello Cocleus, vt falſum & hæreticum faciat, quod paſſim aſſerui, Sola fide iuſtificari.

Atq; vt hic aliquod iucundum audias pro ratione iſtorum dierum, Vide, quæſo, mi Niſene, arma iſta vulcaniſſima maſculiniſſimi viri. Poſtquam multis Patrum dictis docuiſſet, per Baptiſmum nos ablui à peccatis, per Chriſtum deleri peccata, charitate operiri multitudinem peccatorum, & ſi qua ſunt ſimilia, Tandem cogit Perorator ille omnia in hunc ſuauiſſimum Epilogum, dicens: Non ergo ſola fides iuſtificat, iuſtificat enim Spiritus ſanctus, iuſtificat & gratia, iuſtificat & Baptiſmus, iuſtificat & Chriſtus, iuſtificat & charitas &c. I nunc Luthere, & nega Cocleum eſſe armatum virum.

Tu Niſene, forte vel dirumperis indignatione, vel fatiſcis riſu. At interim tuo imperio ego tempus perdo, cum inſulſa iſta & ſtolida teſtudine, quæ aduerſus me ſcribens, non tantum ſaltem habuit cogitantiæ, vt argumenti vim, ſeu, vt cum teſtudine ariſtoteliſſem, materiam ſubiectam præuideret, vt ſciret, quid contra quid ſcriberet.

Rom. 11. Et ſatis miror tam diligentem compilatorem, non auxiſſe iſtum Epilogum, cum Paulus Rom. 11. ſcribat, ſe conari, vt aliquos ex Iudæis ſaluos faciat. Ergo etiam Apoſtolus & Concionator ſaluat, non ſola fides. Quare Lutherus hæreticus? Et cur non iuuemus Coclear iſtud in armis ſuis tam ſtrenue ſudans? Et in ordinem ſtatuamus modos ſaluandi ſatis magiſtraliter ſic: Pater ſaluat, Filius ſaluat, Spiritus ſanctus ſaluat, Chriſtus ſaluat, gratia ſaluat, fides ſaluat, charitas ſaluat, ſacramentum ſaluat, Miniſter verbi ſaluat, opera ſaluant. Decem nimirū ſunt hic Saluatores, ergo non ſola fides ſaluat, vt taceam illum vulgatiſſimum Saluatorem, nempe verbum Dei, quod verbum ſalutis *Verbum ſalutis.*
Iacob. 1. dicitur, eo quod ſaluare poſſit animas noſtras, teſte Iacobo.

Et vide ſapientiam noſtram, Iſtos modos ſaluandi volumus pulchre cum ſuis attributis & propriatis diſtinguere, plane magiſtraliſſime. Pa-

ter ſaluat antoritatiue, Filius mediatiue, Spiritus ſanctus applicatiue, Chriſtus meritiue, gratia reputatiue, fides ſubiectiue, charitas actiue, Sacramentum ſignificatiue, Prædicator miniſtratiue, verbum doctiue, opera probatiue, omnia armatiue & teſtudinatiue & cocleatiue, Ergo non ſola fides iuſtificat, ergo Lutherus eſt hæreticus, ergo Cocleus eſt armatus vir.

Vides ergo nullum Librum eſſe tam malum, quin in aliqua parte ſit bonus, vt Plinius putauit. Nam niſi Cocleus hic nos docuiſſet, ſalutem etiam per Deum, per Spiritum, per Sacramentum venire, vbi ſtaret Eccleſia? vbi fides? vbi vllus Chriſtus? Gratias Athlanti nouo, qui ruiturum cœlum robuſtis iſtis & bene armatis humeris ſuſtentat.

SEd ſatis ſit luſum in ſtolidum iſtud caput, pro amici obſequio, ſerio de iſtis rebus paululum loquamur, non propter Cocleum, qui ceu porcus indignus eſt, vt margaritum iſtud precioſum ante eum projciatur, Sed propter eos, quos vehementer mouet, quod dixi, Sola fide nos iuſtificari,

Sola fide iuſtificamur.

Cum in Apoſtolo dictio illa, Sola, non inueniatur, & cauſantur temere & impie à me adiectã, pro meo ſtatuendo errore. Huius ergo temeritatis meæ rationem reddam, & me cum modeſtia expurgabo, vt videant, & me poſſe humiliter & modeſte rationem reddere, vbi tales fuerint, qui digni ſint audire verbum Dei.

Primum ego conatus ſum reddere, quam potui clariſſime, vim Paulinæ ſententiæ, quam Sophiſtæ diuturno & ſacrilego verborum abuſu penitus obſcurarunt, Nam vbi ad Romanos de fide & operibus diſputat, aduerſus iuſticiam operum, certe id vehementiſſime vrget, vt iuſtificationem operibus in totum adimat, & ſoli fidei tribuat. Hæc enim ſunt verba eius: Ex operibus legis nemo iuſtificatur. Et iterum: Arbitramur hominem iuſtificari ex fide, ſine operibus legis. Et iterum: Omnes peccauerunt & vacui ſunt gloria Dei, gratis autem iuſtificati per fidem &c. Et Ro. 14. Peccatum eſt, quidquid non ex fide eſt. *Rom. 14.*

Ex operibus Legis nemo iuſtificamur. *Rom. 3.*

Abraham fide iuſtificatus.

Deniq; hæc confirmat potentiſſimo exemplo Abrahæ, qui iuſtificatus eſt nõ ex circumciſione, quod erat optimum & egregium opus diuinitus mandatum, & omni obedientia perfectum, ſed fide ante circumciſionem. Negatq; eum habere gloriam coram Deo, ſi vllis operibus ſit iuſtificatus, Scripturam vero dicere, Fide eſſe iuſtificatum &c. Hæc certe ſunt fulmina diuinæ autoritatis.

Tu nunc vide, an non Paulus vehementius aſſerat, ſola fide nos iuſtificari quam ego, licet vocabulo, Sola, non vtatur, quo ego ſum vſus. Nam dicere: Opera non iuſtificant, ſed fides iuſtificat, certe robuſtius affirmat, ſolam fidem iuſtificare, quam ſi dixeris: Sola fides iuſtificat, Niſi quod hoc clarius ſonat quam illud, dum per impios Sophiſtas, Pauli tum phraſis tum ſententia neglecta perijt. Loqui autem hoc loco Paulum de iuſtificatione ſpirituali, ſeu vt Sophiſtæ loquuntur, formali & ſubiectiua, nulli niſi vni Cocleo eſt ignotum, Contendit enim contra opera & iuſticiam Legis, & prorſus in re conſcientiarum verſatur, vbi ſola fides totum eſt, opera nihil ſunt, imo opera fructus ſunt iam iuſtificatæ per fidem arboris, Vt etiam iuxta communem ſenſum impoſſibile ſit operibus iuſtificari.

Opera non iuſtificant.

Iuſtificatio ſpiritualis

Iuſticia Legis.

Proinde ſatis ridiculum eſt, in hunc modum cauillari: Sola fides iuſtificat, ergo Spiritus ſanctus non iuſtificat, Vel: Spiritus iuſtificat, ergo non ſola fides, Cum his diſputationibus nunc non ſit locus, ſed de fide & operibus tantum ſit quæſtio: An iuſtificationis quidquam ſit operibus tribuendum, quibus cum nihil tribuat Apoſtolus, ſoli fidei abſq; dubio aſſerit. Nec

puto

puto quenquam tam vecordem, qui crediderit me negare voluiſſe, per Chri-
ſtum, per Spiritum ſanctum, per verbum iuſtificari, niſi Coclenm, qui hoc Li-
bro ſatis docuit, ſeſe prorſus non intelligere, quid ſit fides, gratia, Chriſtus, Cha-
ritas, Sacramentum, & à nullo credo ſuum ipſius Librum minus intelligi
quam à ſeipſo.

Ego certe meis Adſertionibus hoc egi, dum ſoli fidei iuſtificationem tri-
bui, vt impia ſtudia Sophiſtarum & Monachorum refutarem, qui totum or-
bem ſeduxerunt in fiduciam operum. Sciebam eos non negare, ſaltem verbo,
iuſtificationem per Chriſtum, per baptiſmum, per Spiritum contingere, Sed *Fiducia operum*
videbam eos negare, ſolius fidei eſſe iuſtificare, operibus vero totam fere glo- *regnauit in Papa-*
riam iuſtificationis tribuere. Quod niſi feciſſent, non eſſent tanta examina *tu, extincta fide.*
Monaſteriorum, Collegiorum, Scholarum, & infinitorum ſtudiorum per
opera iuſticiam quærentium. Omnia enim hæc ſuper opera nituntur, non ſu-
per ſolam fidem, Et fingunt fidem, neſcio quid in anima latentis formæ, quæ
ſit veluti pars, non ſumma omnium virtutum. Quare non eſt vt verbum me-
um extra argumentum ſeu materiam ſubiectam trahas. Et vbi de fide & operi-
bus diſputo pro conſcientiæ iudicio inſtituendo, tu de poteſtate Dei fidem
creantis cogites.

POrro ſi qui ſunt, qui per opera Legis in Paulo, non omnia ope-
ra, ſed tantum cæremonialia intelligunt, cum illis non cenſeo diſputan- *Opera legis.*
dum eſſe, ſaltem hac hora, quod videantur de induſtria velle Paulum ne-
ſcire. Certe circumciſio Abrahæ fuit optimum opus omni (vt dixi) obedientia
ornatum, atq; adeo iam iuſtificati Abrahæ, vt non poſſet non ſumme placere *Circumciſioni Pau-*
Deo, ceu quodcunq; opus, quod illi bonum audeant definire, & tamen huic *lus adimit iuſtifi-*
Paulus adimit iuſtificationem. *cationem.*

1. Pet. 3. Quod autem Petrus dicit, Nos per baptiſmum ſaluari, quis non videt, *Baptiſmus ſaluat.*
hinc nihil contra me ſtrui, quaſi hinc falſum ſit, ſola fide iuſtificari? Certe Ba-
ptiſmus ſine fide non iuſtificat, Fides autem ſine baptiſmo iuſtificat, ideo non
poteſt vlla pars iuſtificationis tribui baptiſmo, Alioqui ſi vlla parte iuſtifica-
ret, non liceret negare, Baptiſmum ſine fide iuſtificare. Cum autem ei denege-
tur, ſoli fidei recte relinquitur, Vult ergo Petrus per Baptiſmum ceu ſignum
externum fidem prouocari & exerceri quæ ſaluet, ſicut nec verbum ipſum,
quod longe præualet ſigno viſibili, nullum tamen per ſeſe iuſtificat niſi cre-
Ebræ. 3. dentem. Sic Epiſtola Ebræorum dicit: Nihil profuit eis ſermo auditus non ad-
mixtus fidei in his quæ dicebantur.

QVod ſi qui ſunt ex Patribus, qui ſenſerunt, Sacramentum ſua
virtute iuſtificare, eſto etiam Auguſtinus, vt Cocleus contendit, nihil *Auguſtinus.*
moror, hominum ſunt dicta, ſibi ipſis ſæpius pugnantium, & pleraq; hu-
mano ſenſu extra Scripturas docentium. Nos certiſſimam Scripturam ſequi-
mur, quæ ſine fide nec verbum nec ſignum prodeſſe dicit. Nam hoc quod ma-
xime iactat Cocleus, paruulos, cum ſint ſine fide, per Baptiſmum iuſtificari,
fortiter negamus. Sed dicimus cum Auguſtino: Non ſacramentum, ſed fides
ſacramenti, iuſtificat. Et iterum: Iuſtificat, non quia fit, ſed quia creditur. Quod *Non ſacramen-*
ſi Auguſtinus alibi contrarium dicit, ſequimur eum, vbi eum Scriptura ſentit, *tum, ſed fides ſa-*
& relinquimus, vbi citra vel contra Scripturam loquitur. Fruſtra igitur corra- *cramenti iuſtifi-*
ſit tot Patrum dicta, quaſi nos in hominum verba coacturus. Cum toties teſta- *cat.*
ti ſimus, nos in re conſcientiarum nullius hominis, ſed ſolius Dei verbum am-
plecti, quod ſoli Deo, nulli homini conueniat, conſcientias regere & docere.

Paruuli baptiſandi ſunt.

Non tamen negamus paruulos eſſe baptiſandos, nec aſſerimus eos baptiſmum accipere ſine fide. Sed dicimus, ad baptiſmum eos credere per vim verbi, quo exorciſantur, & per fidem Eccleſiæ eos offerentis, & eis fidem orationibus ſuis impetrantis. Alioqui mera & intollerabilia eſſent mendacia, quando baptiſans à paruulo quærit, an credat, non baptiſaturus, niſi vice eius reſpondeatur, Credo Vt quid interrogat an credat, ſi certum eſt eos non credere? vt Cocleus contendit. Eſto, Auguſtinus ſic aliquando dicat, Sed Cocleo ſatis ſit eſſe ſic ab homine dictum, Nos volumus hoc dictum diuinis teſtimonijs probatum. Quin aſſerimus, Paruulos prorſus non eſſe baptiſandos, ſi verum eſt eos in baptiſmo non credere, ne illudatur maieſtatis ſacramentum & verbum, Debemus autem & hunc negatæ in paruulis fidei errorem Sophiſtis, qui hominum dicta, ſicut animalia immunda, vorant ſine iudicio, & ſimul contraria docent, dum negant paruulo eſſe fidem, & tamen vt baptiſari poſſit, exigunt ab eo fidem.

Gratia iuſtificat.

GRatiam vero iuſtificare ſic debuit intelligere Cocleus, vt fidem ſciret eſſe ipſam gratiam & non diſtinctam quandam formam vltra fidem & charitatem fingere, ſeu ex fictis fingentibusq́; ſuis Magiſtris Sophiſtis aſſerere, ſic non fuiſſet ei opus tam inepte agitari, Gratia iuſtificat, ergo non ſola fides iuſtificat, ſaltem vt ipſi de gratia loquuntur, Cæterum gratia Scripturæ vſu fauorem Dei ſignificat, quo nobis ipſe bene vult, Et hic nos iuſtificat, id eſt, gratuito donat fidem, qua ſola iuſtificamur. Iam in tota Scriptura non legitur charitati tributam iuſtificationem, cum potius ſit fructus fidei iuſtificantis. Gal 5. Fructus ſpiritus eſt charitas &c. *Galat. 5.*

Gratia.

Error autem vulgatiſſimus inde manauit, quod verbum Petri ex prouerbijs Salomonis ſumptum, perperam intelligunt. Non enim de proprijs cuiusq́;, ſed de alienis peccatis loquitur, quando dicit: Charitas operit multitudinem peccatorum, Vt ſit ſenſus, charitas non irritatur, omnia ſuffert, non offenditur, omnia ſuſtinet, vt non poſſit tam multum in eam peccari, quod non ferat, tegat, ignoſcat & parcat, His autem operibus nemo iuſtificatur, ſed niſi iuſtificatus iam ſit, hos fructus charitatis non profert. Hunc autem eſſe ſenſum ex Prouer. 10. capere licet per Antitheſin, Odium ſuſcitat rixas, vniuerſa autem delicta operit charitas, hoc eſt, qui odit proximum, etiam in bono illius opere quærit, quod calumnietur, qui autem diligit, contrarium facit, vt etiam omnia peccata proximi tegat & toleret. *Prouer. 10.*

Charitas operit multitudinem peccatorum &c.

Odium ſuſcitat rixas.

Sola fides iuſtificat.

HIs credo ſatis eſſe reſponſum pro defenſione trium Propoſitionum mearum, à Cocleo damnatarum, & fortiter manere hoc dogma meum: Sola fides iuſtificat. Per hoc tamen non oportere negari, quin verbum, ſacramentum, Chriſtus, Prædicator, Spiritus, & Deus pater, iuſtificet. Deus enim omnia facit, vt iuſtificemur, Chriſtus meruit, vt iuſtificemur, Spiritus ſanctus exequitur meritum Chriſti, vt iuſtificemur, Verbum eſt inſtrumentum, quo exequitur Spiritus meritum Chriſti, Similiter & Sacramentum & prædicator Sed formalis iuſtificatio relinquitur ſoli fidei, cum ſine fide nec Deus, nec Chriſtus, nec aliud quidquam proſit ad iuſticiam. De operibus autem, vt iuſtificari dici poſſint, dixi in Sermone de Mammone iniquitatis.

Hæc ſerio dicta ſatis ſint. Reuertamur ad ludentem meam Teſtudinem, & coronidis vice videamus, vt Lutherum doceat Dialecticam.

VBi in Aſſertionibus meis dixi, Paulum aſſerere, nos fide iuſtificari, adieci: Nō dicit Paulus nos ſacramento iuſtificari. Hic Teſtudo, quaſi

effet

eſſet Dialectices aliqua parte perita, oſtentat cornua ſua pulchre, & tamen cornutum ſyllogiſmum non facit, dicens: Vbi hanc didiciſti Dialecticam, quod ab autoritate negatiue ducis conſequentiam? Non dicit: Lutherus non eſt homo, ergo eſt aſinus. Quis, rogo, non ad extaſim miretur Teſtudinis tam aptum & argutum Elenchum? Hæc ſcilicet eſt illa Dialectica tam acuta, poſſe dicere: Ergo tu es Aſinus? Quis tam ridiculum aſinum è Luthero facere queat, niſi venuſtiſſima iſta Teſtudo? Reſpondeo tamen.

Et tu pulchra Teſtudo, vbi didiciſti Theologiam & rem Chriſtianam tuis prærancidis & ſordidis conſequentiarum regulis metiri, ſcilicet diuinas literas putas Sophiſticas nugas eſſe? Satis declaras hic ſacrilege Coclearis, quid ex animo ſentias de rebus ſpiritus, dum inter eas & noſtras prorſus nihil diſcernis. Quoties, rogo, dixi & ſcripſi, In re Chriſtiana nihil eſſe aſſerendum, quod Scriptura non habet? Quod toties mandat Scriptura? quod Hilarius quoq; docuit, *Hilarius.* & ipſe tam Hieronymus quam Auguſtinus, quorum hic ſcribit. Solis eis Libris, qui Canonici dicuntur, hunc honorem tribuo, ille vero: Quod de Scripturis autoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur, qua probatur. *Auguſtinus. Hieronymus.* Vides Chryſippe teſtudinarie, quos viros tua aſinifica & aſinina Dialectica petat blaſphemijs ſuis? In rebus igitur ſacris vehementiſſimus & robuſtiſſimus locus eſt, arguere ab autoritate negatiue.

Sed tantus Dialecticus quam aptum facit exemplum huius Topicæ, dum dicit: Non dicit; Lutherus non eſt homo, ergo eſt aſinus, ſcilicet loco negatiuæ infert affirmatiuam. Cum dicere debuiſſet hoc modo: Non dicit: Lutherus non eſt homo, ergo non eſt homo. Hæc enim ſequela nihil valet in hac Topica. Furiæ & intemperiæ totum hominem agitant, ſicut ſolent Sophiſtas, vt ſua propria neq; intelligant, nec ſi intelligant, commode vti poſſunt. Vade ergo, tu ſordidum & popinarium Cocleat, cum tua inepta & inſulſa Dialectica, & inter ollas & fartagines tuas ſaltem illa diſce apte vti, vt veniam demus, ſi in re ſacra perperam varis. Ego aptiore exemplo docebo te hanc Topicam, ſcilicet, Francophordienſes negant, Teſtudini ſuæ cor & cerebrum eſſe, Ergo teſtudini ſuæ nihil eſt cordis & cerebri. Tu videris, an valeat conſequentia.

VErum quid ego hic facio, niſi vt bis ſtolidus & inſanus fiam ipſe, qui cum tam ſtupido & ſtolido capite & verba & tempora perdo? Quid enim eum en tandem efficies, qui nouo monſtro prodit, & Eccleſiæ autoritatem palam præfert verbo Pauli, ſed vt vult prudentiſſime & callide locutus videri, ſono Pauli? Sic enim dicit:

Dato, quod Paulus ita diceret (quod non facit) non tamen contra omnem Eccleſiam per verba Pauli proteruire oporteret. *Maior eſt ſenſus Eccleſiæ &c.* Maior eſt ſenſus Eccleſiæ, quam ſonus Scripturæ, non oportet vbiq; ſonum ſequi Scripturæ.

Quis tam parum de re Chriſtiana nouit, qui non olfaciat, quis ſpiritus halet hanc Mephitim per armatam iſtam Teſtudinem? ſcilicet, vt nobis ſuſpectas reddant Scripturas, ſeipſos autem & ſuos Patres Eccleſiam faciant, Lallat iſta nequitioſus Satanæ Angelus, vt tuti ſint ab ore gladij ſpiritus, tum vt in eorum arbitrio ſit, quid & ſentire & ſonare oporteat. Sed Chriſto gratia qui populis *Refutatio inſulſiſſimæ diſtinct. con. de ſono Scripturæ & ſenſu Eccleſiæ.* illuxit, & docuit iam orbem, aduerſus hæc ſacrilega portenta, verbum Dei palam blaſphemantia, ſic ſapere, vt etiam Angelo de cœlo non credant, ſi aliter doceat quam ſonat Scriptura, vt pereat Eccleſia illa Teſtudinacea, cum ſuo ſentimento & ſonamento.

Si ſonus Pauli ſuſpectus & non ſequendus eſt, cur ſequendus eſt ſonus Eccleſiæ? An Eccleſia Teſtudinis ſenium ſine ſono aliquando prodit?

Sonet

Google

Sonet ergo Paulus,ſonet Teſtudo,ſentiat Paulus,ſentiat Teſtudo enim ſua Eccleſia. Doce, quæſo, quem ſonum & ſenſum ſequemur? An denuo noua ratio inuenienda eſt, vt nec Eccleſiæ ſonum, ſed ſenſum alterius Eccleſiæ ſequamur? Sed ille ſenſus Eccleſiæ iterum ſono prodibit. Etiam quartus erit ſonus neceſſarius, quo tertius ſenſus certificetur. Deinde quarto ſono, quintus ſonus ſanabit pro quarto ſenſu. Obſecro, quis tandem finis erit ſonoru[m] & ſenſuum?

Scelerati & impij Sophiſtæ, qui poſtquam ſacras literas pro ſtercore habuerunt, inuenerunt viam iſtam, vt Scripturam non per Scripturam, ſed per ſuos blaſphemos ſenſus traderent, idq; dum Eccleſiæ autoritate factum iactarent, Qui ſi toti ſeſe dediſſent, ſicut titulo iactant, meditationi legis Domini, non eſſet locus iſti inſulſæ & impijſſimæ differentiæ ſoni & ſenſus in Scripturis. Nihil vnquam dictum eſt ſimplicius, purius, clarius, facilius, quam verbum Dei, id quod quando ſcirent iſtæ teſtudines, limaces, talpæ, lacertæ, erucæ, locuſtæ, bruci, veſpæ, imo viperæ & ſtelliones, qui totis vitæ diebus in terrenis ſuis volutabris reptant, & pereunt in immundicijs ſuis ſophiſticis? Quid mirum, ſi ſonum græcæ linguæ non intelligas, qui nihil græce didiceris? Lux enim eſt verbum Dei omnium hominum, ad quod & venit in hunc mundum. Non autem homines lux verbi Dei ſunt, vt Cocleus hic ſacrilegus cum ſuis inſanit.

Verbum Dei ſimplex, purum &c.

Dicamus ergo: Deus creauit cœlum & terram, & accedat hic Teſtudo, & diſtinguat nobis ſonum & ſenſum, vt aliud oſtendat hic Moſen ſonare, & aliud ſentire. Hoc autem debet oſtendere, Nam ſi verum eſt, quod vno loco Scriptura aliud ſonat, & aliud ſentit, vbiq; de ea dicendum eſt, vt aliud ſonet & aliud ſentiat, cum nulla ſit ratio, cur alicubi & nõ vbiq;. Niſi forte hic noua teſtudinaceæ Eccleſiæ Dialectica ab autoritate affirmatiue ſic arguatur. Nos teſtudines Ariſtotelis, Dei noſtri gratia, & ſentimento nobis reſeruamus de plenitudine poteſtatis ius decernendi, vbi Scriptura aliud ſonat & aliud ſentit, Ergo Scriptura, vbi teſtudines volunt, aliud ſonat & aliud ſentit. Quid autem, ſi & nos dicamus? Cur non & Patres ſui dicendi ſunt aliud ſonare quam ſentire, cum nihil ſit pugnantius dictum, quam quod Patres inter ſeſe & inter ſua quoque propria dicunt? Neq; enim in Scripturis ſemel inuenies aliud ſonati & dici, vbi in Patribus (qui ſenſum Coclei, non ſonum Pauli habent) centies aliud ſonatur & aliud ſentitur.

Sed vt dixi, reptilia iſta immunda omnia verſant & moliuntur, vt Scripturis iudicium derogent & ſibi vendicent. Ideo, quidquid Scripturis tribui oportuerat, ſibi & ſuis tribuunt. Rurſus, quod ſibi & ſuis tribui oportuerat, Scripturis tribuunt. Scripturis iudicare debent, & ecce Scripturas iudicant. *Matth.* 11. Quid illis aliud merito dicetur, quam illud Chriſti: Et iuſtificata eſt ſapientia à filijs ſuis? *Luc.* 7.

Quod ſi hoc agerent, Scripturas aliquoties figurate loqui, recte dicerent, aliud ſonari (ſed Sophiſtis Grammaticæ ſcilicet ignaris) & aliud ſentiri. Nam dum Chriſtus dicit: Ego ſum lux mundi, certe Sophis aliud ſonat & aliud ſentit, Quod ad Sophiſtas prorſus nihil pertineat ſcire hic Metaphoram eſſe, ſed proprietatem hic eſſe paruorum logicalium, quæ dicitur alienatio vel remotio termini, Nam Grammaticis nuſquam & nunquam aliud ſonat Scriptura quam ſentiat, vt quæ ſimpliciſſime loquatur.

Nunc autem Teſtudines meæ ſceleratæ, etiam in iis locis arguunt Scripturam hypocriſis, imo mendacij, vbi prorſus ſine figuris, atq; adeo ſine proprietatibus paruorum logicalium loquitur, vt eſt locus propoſitus: F. de iuſtificamur, hic aliud ſonare, & aliud ſentiri vult Coclear meum.

Sed ſimi

Sed finis hic eſto cum Laruis nugandi, ſicut enim recte dicitur. Solus Deus creauit cœlum & terram, licet Scriptura tantum dicat: Deus creauit cœlum & terram, cum non ſit alius Creator. Ita noſtra loquendi ratio exigit dicere: Sola fides iuſtificat, licet Scriptura tantum dicat. Fides iuſtificat, cum nihil, niſi fidem iuſtificare, ipſa clariſſime probet.

Vale mi [illegible] in Chriſto. & Teſtudini tuæ dic, vt deſinat tempus perdere bonis ingenijs, ſuis ſentimentis & ſonamentis, tum ſtolidis tum impijs prorſus.

Colum decent mulieres,
Et colus decet mulieres.
M. D. XXIII.

CLEMENS PAPA VII.

Dilecte Fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Nuper Nobilitati tuæ, vt audiebamus, ad Norimbergenſem Conuentum vel profectæ vel profecturæ, ſcripſimus, Nos, qui tunc dilectum Filium Hieronymum Rorarium, familiarem & Camerarium noſtrum, illuc mittebamus, propediem Nuntium Apoſtolicum miſſuros eſſe, qui, ſi quid ad Sedem Apoſtolicam ſpectaret, noſtro nomine præſtò eſſet, in omnibus, quæ Prouinciæ iſtius tranquillitatem, & animarum ſalutem reſpicerent, procurandis.

Poſtea nos pro maiore iſtius nobis ſemper dilectæ Nationis decore, dilectum Filium noſtrum Cardinalem Campegium, virum ſumma prudentia pariq; doctrina præditum, nec minus iſti Prouinciæ notum, & vt ſperamus, charum, mittendum cenſuimus, Qui nobilitatis tuæ & aliorum Electorum ac Principum opera, fauore atq; autoritate ea perficiat, quæ in vniuerſum ſalutaria atque vtilia apparebunt.

Quem dum expedimus, & à nobis dimittimus, hortamur Nobilitatem tuam in Domino, vt pro ſuo officio ac pro tam neceſſaria cauſa, Deo omnipotenti gratiſsima futura, ad conuentum ipſum, niſi profecta ſit, proficiſci velit, Ibiq; dare operam, vt Legatus noſter, tali dignitate vir ad vos veniens, nō ſolū tutò venire poſsit, ſed honorificè à te & ab alijs excipiatur, & benignè exaudiatur, Sicut nobilitatem tuam decet, (quæ tot Romanos Pontifices, & Pontificum aduocatos Cæſares habuit) & eam facturam ſperamus. Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, Die VII. Decembris, Anno M. D. XXIII. Pontificatus noſtri anno primo.

Dilecto Filio, nobili viro, Friderico Duci Saxoniæ, ſacri Romani Imperij Principi Electori &c.

ERRA-

ERRATA INTER RELEGENDVM
notata ſic corrige.

Folio 14.b.paragr.5.verſu 2.lege portabant. Fol.17.a.v.14.l.iudicio faciunt in &c. Fol.40.b par.vlt.v.4.l.deceptoribus. Fol.49.a.par.3.v.1 l.iſta. Fol.53.b.v.9.l.contraria. ibidem par.vlt.v.7.l purgatur. Fol.60.b.par.vlt.v.3.pro rui l. qui. Fol.63.b.v.28.l qualibet. Fol.68.b.par.vlt.v.6.l.inter catera. Fol.70.a.par.3.v.1.l. Deum tantum. Fol.79.a.par.4.v.6.l.mundo. Fol.119.a.v.8.l.eius omnium. Fol.155.a.v.11.l.videas. Fol.178.v.10.l.vix. Fol.199.b.v.4.l.Totam. Fol.200.b.in marg.l.Praecinxiſti me virtute ad bellum. Fol.206.a.v 2.l.aſcendere. Fol.221.b.v.33.pro imponens,l.impones. Fol.230.b.par.2.v.5.pro eris l.erit. Fol.250.b.par.vlt.v.3.l.praeuaricationum. Fol.252.a.par.vlt.v.1.pro habet l.habere. Fol.261.a.par.1.v.vlt.l.confundendis. Ibid.par.3.v.7.pro.vitam l.vtram. Fol.272.b.v.26.l.ſacrificium. Fol.284.b.in marg.pro articularis l.auricularis. Fol.288.b.par.vlt.v.pen.pro Tucia l.Turcia. Fol.297.a.v.31.l.infeſtinatione. Fol.298.a.v.26.l.prohibitio. Fol.307.a.v.12.l.fides tale &c. Fol.327.b.v.12.pro tegi l. regi Fol.353.a.v.22.l.ſupra Petram. Fol.362.b.par.2.v.6.l.Smyrna. Fol.375.a.par.vlt.v.4.pro aſt l. eſt. Fol.390.b.v.4.l.deos. Fol.401.b.v.6.l.Prophetia. Fol.429.b.v.9.pro a l.ad. Fol.432.a.par.4.v.4.l.in Epiſtola. Fol.438.v.9.pro eundum l.eundem. Fol.449.a.v.1.pro par.l.pars. Fol.451.b.par.pen.v.8.pro At l. Ad Fol.452.a.par.vlt v.14.l.eundem. Fol.459.a.v.1.pro Deut.l.Deus. Fol.463.a.v.24. pro regnum l. regum. Fol.536.par.vlt.v.6.pro gaui l.graui. Fol.552.a.v.23.pro plurimas l.plurimos. Fol.555.a.par.4.v.2.pro inſula l.infula.&c.

Digitized by Google

Digitized by Google